Digitized by Google

HARVARD
DIVINITY
SCHOOL
Andover-Harvard
Theological Library

Digitized by Google

D. JOH. ALBERTI BENGELII

GNOMON NOVI TESTAMENTI,

IN QUO

EX NATIVA VERBORUM VI SIMPLICITAS, PROFUNDITAS, CONCINNITAS, SALUBRITAS SENSUUM COELESTIUM

INDICATUR.

EDITIO TERTIA,

PER

FILIUM SUPERSTITEM

M. ERNESTUM BENGELIUM,

QUONDAM CURATA,

QUARTO RECUSA

ADJUVANTE

JOHANNE STEUDELIO.

TUBINGAE,

SUMTIBUS LUDOV. FRID. FUES.

1855.

Digitized by Google

Digitized by Google

BS
2335
.B4
1855

LECTORI CHRISTIANO SALUTEM.

Undeviginti abhinc annis b. patri meo editionem tertiam Gnomonis Bengeliani, quum non amplius a bibliopolis emenda exstaret, denuo typis expressam iis, qui sacrae scripturae studio operam impendunt, offerre visum est. Cujus novae editionis exemplaria cum vendita essent, anno 1849/50 liber eadem forma, quam b. patris mei cura nactus est, iterum typis excusus est. Jam vero annorum quatuor spatio egregii commentarii, qui spiritus divini virtute imbutus explicat libros novi testamenti spirituales, tantus fuit usus, ut nonnisi libro typis rursus multiplicato iis, qui posthac Gnomonis emti auxilio juvari cupiunt, satisfieri possit. Quare non mutata iterum forma editio nova traditur lectoribus in cognoscendum verbum divinum incumbentibus.

De iis, quae ad formam libri pertinent, b. pater meus in praefatione ab ipso adjecta ita disseruit, ut nihil amplius addendum esse, mihi visum sit.

De libro ipso autem non possum non pauca commemorare. Excellit enim ea virtute, qua nostrae aetatis libri litteras sacras tractantes non pauci carent, summa scilicet interpretationis castitate. Non suis ipsius vel piis vel pulchris vel ingeniosis cogitationibus interpres noster exornare studet scripturam sacram, quum, sicut ipse ait, pro coelesti deposito Dei summi illam habeat, tota ac sola scriptura pasci velit. Quae non modo pronuntiavit, sed re vera in his principiis stetit. Summa erga verbum divinum verecundia impletus exclusis omnibus humanis additamentis nonnisi ejus, quod scriptum est, sensum maxima cum pietate consideravit atque explicavit. Hinc illa subtilium lineamentorum accurata cognitio, hinc acutus ille oculus ad perspicienda profundissima, hinc illa notionum fundamentalium per totam scripturam manantium explicatio congruentissima. Quare nostra aetate non modo Gnomonis Bengeliani annotationes in perscrutandis singulis locis diligentissime perpendere operae pretium est, sed ita hunc interpretem sequi maxime juvat, ut ad scripturam quasi fontem lucis sufficientem eadem cum pietate et verecundia sancta accedentes nonnisi ea, quae littera continet, accuratissime explicare discamus.

Faxit jam deus, ut b. Bengelius etiam nunc multis commentario ipsius utentibus fidum certumque se praestet ducem, ut summo magistro, filio dei, subditi cognoscant eam, quae in scriptura sacra revelata est, veritatem sinceram ac totam!

Scribebam Münsingae m. Februarii 1855.

J. Steudel,
verbi divini minister.

Digitized by Google

LECTURIS SALUTEM.

Pluribus abhinc annis iterum iterumque hinc atque illinc in votis esse perceptum est, ut *Bengelii Gnomon,* cujus exemplaria non amplius a bibliopolis emenda exstarent, venum denuo traderetur. Scilicet eo res conversa est, ut eorum s. scripturae interpretum, quibus omnes verbi divini thesauros fideliter promere cordi fuerat, et quos aetas profundioris sensus eruendi negligentior aliquamdiu seposuerat, scripta magno cum studio desiderarentur. Id quod *Calvini* quoque commentariis nuperrime edendis occasionem praebuit. Suo ipsissimo charactere b. *Bengelius* excellit; non eruditionem, sed omnem *vitam* suam christianam in explicando sacro codice distinctissimo colore, acerrimo judicio exhibet. Si quis de singulis locis quali *Bengelius* forte sententia fuerit, aliena perceperit enarratione, moris quem secutus *Bengelius,* veram profecto hac via ideam ob oculos ponere minime huicce contigerit. Ipse, ut eum nôris, evolvendus, immo summa cum animi attentione subtilitas ejus exquirenda, pii ejus sensus, brevissimis vix verbis indigitati, appropriandi, ut eos, quos ex divino fonte praebet, haustus sumas. Ceterum cum ipse prostet liber, non est quod de hisce plura moneamus.

De iis, quae externam, qua liber prodit, formam spectant, ratio aliqua reddenda. Textus secundum eam, quam Beati filius curaverat, editionem tertiam prelo subactus est, in qua quid praestiterit, ejus ipsius prooemium, quod subjunctum invenis, edisserit. Eas tantum hujus editoris notas omittendas censuimus, — non quae ipsius *Bengelii* labores atque cogitata aliorsum congesta exhiberent, quae conservare religio postulabat, sed quae nonnisi objectiones atque censuras, quas praeterlapsis jam temporibus atque ex ingenio, quod nostri non amplius est aevi, liber expertus est, spectarent, aut eruditorum ejus aevi quorundam consensum cum *Bengelii* sententia memorarent, quas nullius amplius momenti nostrae aetatis hominibus esse eo magis apparet, cum ea tantum, quae fortuito occurrerent, respecta sint; nonnisi fragmenta alienorum de hoc libro judiciorum quaedam hominum notitiae tradita erant. Uni magis consilio adumbrandisque historicis ea inserviunt, quae filius b. *Bengelii* praefationi adsperserat: quare singula haec, etsi alia majoris alia minoris sint pretii, intacta manerent visum est. Indices etiam cum terminorum technicorum in gnomone obviorum indice adjici, ad faciliorem libri usum augendum gratum lectoribus fore censuimus. Nec non, quamvis a pronepote vita *Bengelii* pluribus enarrata et verissima Beati imago vivis coloribus efficta fuerit, (*J. A. Bengel's* Leben und Wirken von *J. C. F. Burk.* 1831. dignum Viro eximio monumentum! cujus jam ed. II. exstat [1]) succincte tamen, quae vitae ejus rationes fuerint, maximam partem ex ejusdem ipsius autographo relatum hic etiam reperire nemini non jucundum erit.

Prodeat igitur, ita instructus, liber denuo in orbem christianum! Insunt quidem, quae provectiori sacrarum litterarum scrutationi locum cedent. Ut pietas et religio, qua divini codicis sensum *Bengelius* elicere annisus est, nunquam non in scripturae interpretibus vigeant, faxit Deus! —

Scrib. Tubingae d. 28. Junii 1835.

D. Joh. Christian. Frid. Steudel.

---

1) Eadem anglice prodiit sub titulo: A Memoir of the Life and Writings of J. A. Bengel, Prelate in Würtemberg compiled principally from original manuscripts never bevor published. By the Rev. J. C. F. Burk, A. M. D. Ph. Rector of Great Bottwar, in Würtemberg. Translated from the German By R. F. Walker, M. A. Curator of Purleigh, Essex, and formerly Chaplain of New College, Oxford. London: W. Ball, Aldine Chambers, Paternoster Row. 1837.

Digitized by Google

PROOEMIUM EDITORIS.

Paucis Te volo, benevole Lector. Brevitatis enim studium tum b. Parentis mens, tum hujus praecipue libri indoles gnaviter suadet. Accipe igitur, quae in limine monenda esse duxi. Annus nunc annique quarta pars abiit, ex quo Typographus Tubingensis, qui *Gnomonis Bengeliani* divulgationem sex abhinc lustris in se susceperat, ejusque secundam Editionem, curante b. *Burkio*, A. MDCCLIX. adornaverat, *tertiam* se jamjam *Editionem* serio meditari, nec opinanti mihi per amicum aperuit. Qui cum periculum in mora esse, ob instantes nundinas vernales, censeret; vix tridui spatium reliquum mihi fecit, quo, quid consilii capiendum esset, perpenderem. *Curas posteriores* b. Auctoris omnes fideliter *Burkiana* manu Editioni secundae insertas esse, firmiter tenebam: neque tamen nihil in gratiam Lectorum veri amantium pro temporis ratione addi posse, persuasum habere mihi videbar. Typographum igitur, eundemque Venditorem libri, non cunctanter certiorem feci, quaenam essent momenta, quibus opellam meam qualemcunque praestare Operi pararem. Ea publico indicio statim is communicari curavit cum orbe literario.

Qualia igitur ista sint, et quibus ego rationibus satisfacere iis studuerim, indicare nunc meum est.

Primo quidem accurata Operis *revisio* stipulata fuit, quam facili negotio, neque tamen, ut confido, levi cura, ex Msto b. *Burkii*, qui minutissima sphalmata in Editione II^da^ oculorum et manuum sedulitati relicta religiose notaverat, rogatu meo praestitit amicus infra nominandus.

Deinde pari fere consilio, quo et b. *Burkius*, in Editione altera Apparatus critici, labores b. Bengelii *criticos*, et ven. *Hellwagius* meletemata b. Parentis *chronologica*, in Editione novissima Ordinis temporum, in unum quasi focum colligere studuerunt, eandem et mihi quoad punctum *exegeticum* provinciam relictam esse, qualiscunque sim, existimavi. Eas igitur notulas exegeticas, immo et pastorales, practicas etc. (talia videlicet nauseare, generosi animi non est), quae tum *Versio germanica* b. Viri, tum *Harmonia Evangelistarum*, tum et breve spicilegium s. t. *Notulae criticae* (App. crit. Ed. II. P. IV. nr^o^ XIV. obvium) hinc inde exhibent, et quarum in *Gnomone* nullum hactenus vestigium fuerat, non perfunctorie excerpere et *latino idiomate*, ne concentui deessem, donare institui: Lectoribus ea re non nihil emolumenti afferri posse ratus, si *b. Bengelii cogitationes priores posterioresve, citra molestam Scriptorum ab ipso editorum collationem, suis locis quasi alligatas reperire* datum esset. Has igitur observationes omnes *margini* credere animus fuerat, ut scilicet *gnomonica* sibi glossa constaret: sed aggressus negotium quum viderem, Lectori ea lege non exiguam molestiam creari, si in ipso quandoque constructionis flumine modo sursum modo deorsum oculis vagari teneretur: mutato consilio eas duntaxat notas, quae in contextu Gnomonis difficiliorem nexum reperirent et verborum cohaerentiam turbarent, ad marginem relegare; reliquas *textui* Gnomonico, *typis et uncis distinctas*, inserere, annuentibus etiam amicis, haut alienum esse duxi. Qua in re literas initiales *V. g.* per scriptionis compendium *Versionem germanicam N. T.*, et *Not. crit.* spicilegium supra memoratum innuere, vix opus fuerit monitu; ne dicam, *Harmoniae evangelicae* citatas paginas Editioni secundae, A. MDCCXLVII. divulgatae, nunquam non respon-

Digitized by Google

dere. Neque vero vel *Versionis germanicae* vel *Harmoniae* usum singularem ullo modo hac methodo antiquari existimaverim: observationes enim promiscuas, textus sacri intelligentiae subservientes, non *continuam* utriusque libri *frugem*, hujus loci esse, nemo est qui ignoret.

Quum *porro* Eruditorum recentiorum varia, ut fit, judicia expertus sit liber, ex quo b. Auctor versari inter mortales desiit: me et veritati et optimi Parentis etiam nomini debere istud putavi, ut, sicubi vel ad modestas *objectiones* vel ad morosas et iniquas *censuras* hinc inde obvias *regerendi* nonnihil opportunitas aliqua sese obtulerit, non prorsus obmutescerem, sed religiose, quid pectus alat, atque cordate exponerem. Atque hic quidem quum ad innumera Scripta excurrere et loci (nondum enim, ubi manum admovi, Tubinga me tenuit) et temporis et spatii rationes vetarent: uni fere *S. R. D. Ernesti* Bibliothecae theologicae inhaerere, et ex hujus Viri relationibus de *aliorum* etiam auctorum sententiis judicium facere necessum habui; quas si quando minus recte cepisse videar, alienis me oculis vidisse lubens profiteor, et aequos rerum arbitros ad loca *citata* recursuros confido. — Hoc quidem jam loco non possum, quin famigeratissimi D. *Semleri* mentionem faciam: qui blandioribus quidem verbis bene mereri velle de *optimo*, quem dicit, *Bengelio* interdum videtur. Quis vero crediderit, eo inhumanitatis Eundem progredi posse, ut iniquissimis modis quavis occasione perstringere in paraphrasibus suis, et supinae *negligentiae, sacrarum nugarum, naeniarum, foedarum doctrinae inquinationum, turpium declamationum, stultarum sententiarum, theologiae a superiorum temporum barbarie nihil differentis*, etc. (vid. Praef. Paraphr. Ep. ad Rom., et Paraphr. Ep. ad 1 Cor., e. g. c. 5, 6. 11, 7.) opprobriis cumulare Beatum non vereatur? Non gregarii, qualis ego sum, remonstrationem, sed *Patrum* ecclesiae nostrae, indignis hodie modis exagitatae, castigationes graviores funesta Viri *principia* desiderare, quin experta jam non semel esse, cordatiorum nemini obscurum est. Nemo itaque mirabitur, ex rationibus ad Joh. 1, 1., p. 366., notâ marginali, allegatis in refutanda Ejus acerbitate admodum parcum me esse, vel et justo rerum taedio affectum prorsus tandem ad silentium confugere. Qui *suo arbitratu de auctoritate librorum sacrorum statuere;* qui *inspirationis* vocabulo novam atque inauditam, eamque *tenuissimam* significationem subjicere; qui praeter *morum praecepta*, a philosophis, poëtis et oratoribus haut raro pari successu, vel meliori scilicet, exculta, *divini nihil* fere in prophetarum documentis agnoscere; qui *Christo et Apostolis*, ad istas DEI pandectas toties provocantibus, perpetuae fraudis *suspicionem*, sub specioso ἐννοιῶν *judaicorum* et οἰκονομίας nomine apud rerum ignaros movere; qui de singulis Scripturae locis nonnisi ex *utilitate ethica*, immo ex *suo* gustu judicare; qui sanctissima dogmata de *Christi persona et officiis*, ad amussim Verbi DEI religiose examinata atque ab omni hactenus orbe christiano pie agnita, descriptionibus historicis *ad statum animi emendandum nihil facientibus* annumerare; qui spem *resurrectionis et vitae aeternae* (in qua omnis cognitionis salutaris cardo vertitur) modo non uno fidelium oculis identidem *subducere*, et v. gr. locum illustrem Rom. 8, 18. fin. de *externa religionis opportunitate* atque ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος, v. 23., ad *pacatiorem vitam* frigidissime detorquere; qui *immunitatem a morte*, fidelibus ab optimo Salvatore Joh. 8, 51. stipulatam, nonnisi falsis *Judaeorum opinionibus* de *mortis angelo* etc. per doctrinam Christi corrigendis oppositam perhibere; qui denique in augustissimum *Apocalypseos* D. N. J. C. librum, nimiâ sui confidentiâ et gravissimorum antiquioris recentiorisque aevi tum testium tum arbitrorum contemtu abreptus, *blasphemis* utique *injuriis* invehi non erubescit (nolo enim pluribus moerorem lecturo ciere) — hujus, Lector! meletemata atque interpretationes toto coelo

Digitized by Google

non a *Bengelii* tantum, sed a cujusvis religiosi Commentatoris rationibus distare debere, adeoque non responsionum stricturis, sed *voluminibus* opus habitura esse, Tute senties. Immo vero, ut fidem faciam dictis, brevi tamen rem expediturus, provocare licebit ad eas purioris religionis novissimas *defensiones*, quae multorum jam (quae DEI gratia est) sauciatos animos demulcent. Sunt eae v. gr. S. R. D. *C. F. Schmidii* Disp. Inaug. qua divina origo librorum canonicorum V. T. ex antiquis Scriptis Judaeorum et Christianorum probatur et vindicatur, *Ejusdemque* kritische Untersuchung, Ob die Offenbarung Johannis ein göttliches Buch ist; Magn. Dn. Canc. D. *Reussii* Vertheidigung der Offenbarung Johannis gegen den berühmten Hallischen Gottesgelehrten, Hn. D. Semler, *Ejusdemque* Diss. theol. de recta ratione modoque divinam S. Scr. originem et auctoritatem probandi; S. R. D. *C. F. Sartorii* Diss. de utilitate librorum V. T. historicorum apud Christianos; S. Ven. M. *M. F. Roosii* Christliches Glaubensbekenntniss und überzeugender Beweis von dem göttlichen Ursprung und Ansehen der Bibel; Pl. Rev. M. I. F. *Frischii* Apocalyptischer Katechismus, Praef. §. 7. ss.; *Anonymi* Unzulänglichkeit des Beweises wider die Offenbarung Johannis aus einem Zeugnisse des römischen Aeltesten Cajus etc.; ne gravissimas aeque ac justas censuras memorem, in *Ephemeridibus literariis*, numero haud spernendo, cuivis obvias. Talibus igitur tanti Novatoris dictaminibus ut ego data operà singulis locis, qui b. Parentem vellicant, obnitar, non exspectant, puto, aequi rerum arbitri. — Ceterum non *refutando* tandum, sed *confirmando* etiam atque *illustrando* occupatum me fuisse in adhibendis Eruditorum quorundam effatis, per se patet. Quae autem *meae* sunt observatiunculae, eas, in *margine* repositas, novo *signorum atque typorum* discrimine, adjectis nominis initialibus *E. B.*, a reliquis omnibus, quod par est, sejunctas volui. At ne nunc quidem expedivisse polemicum punctum mihi videor. Quum vero ipse b. auctor in *Praefatione* multas modernorum Objectiones jamtum *occupaverit*, quae denuo subinde recurrunt: satius equidem esse duxi, ipsam Praefationem quoque *notulis marginalibus* conspergere, quam superflua sermonis copia Lectorem hoc loco detinere.

Jam de *critico* puncto, quae breviter attingam, habeo. Sunt nimirum numero sat multae observationes, quas, post editum Apparatum sub continua indagine recens obortas, *Gnomoni* b. Auctor, commodiore loco destitutus, sparsim inseruit. Hae quum per b. Burkium *alteri Apparatus* critici *Editioni* maximam partem redditae sint: ego nunc suis locis relinquendas censui, adeoque a Gnomonis nova hac Editione, tanquam alieno quasi hospitio, *exulare jussi;* ea tamen lege, ut *non omnes* omnino resecarem, sed eas, quae indivulsum cum exegesi nexum haberent, retineri etiamnum curarem. Accedit, quod harum ipsarum in locum *novae*, utut tenuissimae, *observationes criticae*, quas margo itidem complectitur, suffectae sunt. Etenim observatis hinc inde leviusculis discrepantiis inter eam quam *Gnomon* et eam quam *Versio germanica* propinat, exegeseos rationem, *mutatae* aliquando *sententiae* fundamentum in eo reperi, quod b. Parens eo temporis intervallo, quod primam inter N. T. graeci atque novissimam Editionem intercessit (annorum XVIII intercapedinem innuo), *lectionum variantium* aestimium immutare subinde coactus est. Ea de re ut facilius Lector judicium ferre posset, utriusque Editionis Bengelianae collationem equidem instituere, atque ita, cur hoc illove loco vel a margine Editionis N. T. prioris, vel a Versione germanica Gnomon (*in medio* constitutus) abludat, succincte monstrare, non gravatus sum.

Ad *Indices* quod attinet, prioribus Editionibus subjectos, eos *ex usu quemque suo optime locupletare* posse, ipse b. Auctor monuerat: jam vero quoad hoc etiam punctum non deesse penitus Lectori studui,

Digitized by Google

praesertim cum *additamenta*, quae ad hanc Editionem accesserunt, expeditioris memoriae subsidium suo quasi jure passim requirere mihi quidem viderentur.

Ultimo denique momento, cujus ratio exigi queat, satisfaciendum esse intelligo. *Terminorum* scil., quos vocant *technicorum* expeditiorem usum, a lectoribus Gnomonis frequenter desideratum, promittere, quantum in me esset, memini. De his *b. Auctor* quid senserit, in Ipsius Praefatione, §. 24, videre est. ubi: *Talia ubique*, ait, *per periphrasin exprimere, longum fuisset: alibi ergo consulent, qui in aliquo figurae nomine haerent.* At fefellit Beatum sua fiducia, quà, non sui sed lectorum quoque temporis rationem habens, nervosae brevitati operam dedit. Etenim Eruditorum aliqui morosae Eum obscuritatis, quin scholasticae etiam pertinaciae eo nomine incusare; lectorum vero alii, optime cetera in eum animati, sed vel indaginis ulterioris plus justo fortassis impatientes, vel aliorum subsidiorum opportunitate destituti, *figurarum* certe *explicationem* optare non desierunt. Itaque desideratissimus Affinis meus, b. *Burkius*, pluribus abhinc annis, tum b. Soceri tum suis etiam libris consulturus, *Lexicon gnomonicum* conscribere instituit, quod feliciter absolutum, numerosa bonorum multitudine saepissime urgente et flagitante, non dubitasset prelo committere, nisi Eruditorum quorundam iniquiora de b. Viro judicia obicem hactenus posuissent. Hujus igitur Operis aliquam certe frugem Lectorum parti non exiguae exhibiturus filium Beati superstitem, M. *J. A. Burkium*, legitimum Scripti citati heredem, precibus meis nulla difficultate permovi, ut mihi, reliquorum laborum serie cumulato, sedula dexteritate sua adesset, atque succinctum *Terminorum* distincte explicatorum et exemplis illustratorum *Indicem*, Epitomatoris officio defunctus, adornaret, appendicis loco Gnomonis huic Editioni subjungendum. Qua re qui juvari se quodammodo sentient (sentient autem, ut spero, non pauci) eos nolui, cui debeant hanc partem officii, penitus ignorare.

Sed contrahenda nunc vela sunt, ne brevitatis, quam praefatus sum supra, immemor esse censear. Unum tamen restat. Quanquam enim *biographiam b. Bengelii* Editioni Apparatus critici novissimae, P. IV. nro. VIII, *b. Burkius* inseruit, hoc ipso nomine tantum non culpatus postmodum a nonnemine (vid. meine *Beleuchtung derjenigen Erinnerungen, welche in Hn. D. J. A. Ernesti theol. Bibl. B. I — X. gegen den sel. D. Bengel hin und wieder vorkommen*, §. 9. p. 37. coll. *Bibl. th. T. IV.* p. 106. 1. 2. 3.): me tamen apud Lectorum aliquos (omnibus nimirum placere velle insipientis esset) gratiam haut vulgarem initurum esse speravi, si et hoc *praecipuo* loco, quae Vitae rationes Beati fuerint, tum ex Ipsius αὐτογράφῳ tum ex aliis certissimae fidei fontibus docerem. Idque Institutum tanto minus videbitur superfluum esse, quanto plura identidem de b. Bengelio ejusque charactere, sensu, methodo etc. prodeunt, quae falsa veris mirabili ratione miscent: cujus rei praecipuum specimen habetur in cel. *J. M. Schröckhii Abbildungen und Lebensbeschreibungen berühmter Gelehrten*, T. III. Fasc. I. p. 87. sq. wobey auch die äusserliche Gestalt des sel. Mannes durch einen übelgerathenen Abdruck ungemein verstellt ist. — *Coccejo* et *Bengelio* (ut unum hoc ex multis moneam) eandem interpretandi rationem nemo unquam citra immanem judicii lapsum tribuerit.

Faxit DEUS O. M. idemque benignissimus in Christo Pater, ut et b. Parentis opera, in eruendo Scripturae sensu et gustu posita, salutaribusque hactenus effectibus minime destituta, largiori in posterum segete efflorescat, et mea etiam, quantulacunque sint, conamina, gloriae divinae subserviendi, scopo suo non prorsus excidant. Amen.

Scrib. Tubingae, d. 31 Maji, A. MDCCLXXIII.

Digitized by Google

PRAEFATIO,

DATA IN COENOBIO HERBRECHTINGENSI

A. D. 30. MARTII A. D. 1742., ET POSTMODUM RECOGNITA.

SUMMARIUM.

§. 1. Verbum DEI scriptum in V. et N. T. donum maximum:
2. rite tractandum.
3. *Commentarii* primaevis temporibus haud necessarii:
4. posteriori tempore, quatenus utiles?
5. *Aetates* exegeseos sacrae.
6. *Praesentis* operis origo.
7. *Gnomonis* N. T. titulus: instituti summa.
8. *Monita*, de sincera firmaque lectione N. T. dignoscenda, et cum textu *recepto* prudenter coagmentanda.
9. Examen criseos *Mastrichtianae.*
10. Fundamentum hujus *exegeseos*, textus curate recognitus:
11. idemque Sectionibus interpunctionibusque *distinctus.*
12. *Rectus* apostolorum *sermo* assertus.
13. Libri N. T. in *Tabulas* synopticas *redacti.*
14. Insita *vis verborum* perpensa; *Graecorum* praesertim, idque ex *Hebraismo.*
15. *Affectus* sancti, et in iis *mores* quoque, considerati.
16. *Multiplex* inde annotationum ratio.
17. *Allegationes* auctorum parciores.
18. Quid praestitum, speciatim, ad *Evangelistas* singulos?
19. quid ad *Acta et Epistolas?*
20. *Apocalypsis*, iterum tractata: Cel. *D. Joach. Langii* super ea dissensus et assensus: auctoris *Ordo temporum.*
21. *Orthodoxia ejusdem.*
22. Studium etiam pro iis, qui non *Graece* discunt.
23. genus *sermonis.*
24. termini *technici.*
25. Gnomonis, in *mole* non magna, *usus.*
26. Declaratio de *Germanica* interpretatione N. T.
27. Hortatio ad *constantem* culturam Scripturae sacrae.

GRATIA ET PAX MULTIPLICETUR
CHRISTIANO LECTORI.

§. 1. Verbum DEI viventis, quod primaevos quoque patriarchas rexit, Mosis aetate in literas est relatum, et ad Mosen ceteri prophetae accesserunt. Postea, quae Filius DEI praedicavit, quae Paracletus per apostolos est locutus, ea apostoli et evangelistae perscripserunt. Haec *Scriptura sacra* dicitur, et, quanta quanta est, cum hoc ipso titulo suo optimum sui est encomium. nam ideo *sacra Scriptura* appellatur, quia DEI effata complectitur et DOMINI est liber. *Verbum DEI nostri manet in aeternum*, Es. 40, 8. *Amen*, inquit ipse Salvator, *dico vobis, donec praetereat coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant:* ac rursum, *Coelum et terra praeteribunt: verba autem*

Digitized by Google

mea non praeteribunt: Matth. 5, 18. 24, 35. Est igitur systema testimoniorum divinorum solidissimum pretiosissimumque Scriptura V. et N. T. neque solum singulae partes DEO dignae sunt, sed etiam conjunctae unum corpus integrum aptumque referunt, quod nullo defectu, nullo excessu laborat. Fons est sapientiae: quem, qui gustarunt, omnibus aliorum quamlibet sanctorum, expertorum, devotorum, sapientum hominum documentis anteponunt [1]).

§. 2. Sequitur, ut ii, quibus tantum bonum est creditum, bene utantur. Usum quoque docet Scriptura, qui in *faciendo* consistit: ut faciamus, cognitione est opus: cognitio, obvia rectis corde [2]).

§. 3. Non glossarum myriades in ecclesia V. T. scriptae sunt, quanquam restrictior tum luminis mensura erat: neque ecclesiam N. T. talibus protinus subsidiis doctores onerandam putarunt. Quilibet liber tum, quum propheta quispiam aut apostolus eum emisit, suum secum jubar attulit, praesenti rerum conditioni accommodatus. Textus, qui in ore omnium semper esse deberet et assidue lectitari, suam ipse cum integritate perspicuitatem sustentabat. Non baccas, quasi cetera essent putamina, seligere, non commentariorum impedimenta cumulare, sanctis curae erat. Scripturam habebant. Rudioribus vox doctorum in V. et N. T. praesto erat.

§. 4. Quae per literas commentariosque expediri possunt, haec sunt potissimum: ut sinceritas *textus* conservetur, restituatur, vindicetur: ut propria *vis linguae* ejus, qua scriptor aliquis sacer utebatur, declaretur: ut *circumstantiae*, quas sermo quilibet respexit, explicentur: ut *errores* et abusus postea exorti restinguantur. Nil horum desiderabant primi auditores: nunc autem commentariorum est, haec quodammodo supplere, et efficere, ut *auditor hodie iis adjutus instar sit auditoris antiqui tali subsidio nil utentis.* Unum est, in quo superiores vincantur a posteritate, quod haec prophetias subinde ex eventu clarius interpretatur. In quolibet genere, quae singuli lectores e Scriptura hauriunt, universi inter se communicare possunt ac debent, ore praecipue, nec non literis; sed ita, ut ne ipsius Scripturae usus perpetuus imminuatur aut obruatur.

§. 5. Scriptura ecclesiam sustentat: ecclesia Scripturam custodit. Quando viget ecclesia, Scriptura splendet: quando ecclesia aegrotat, Scriptura situm contrahit. Itaque Ecclesiae Scripturaeque facies simul vel sana solet apparere vel morbida: et ecclesiae constitutioni subinde respondet tractatio Scripturae. Ea tractatio a primis seculis N. T. ad hodiernum usque diem diversas habuit aetates. Prima possit dici *nativa:* secunda, *moralis:* tertia, *arida:* quarta, *rediviva:* quinta, *polemica, dogmatica, topica:* sexta, *critica, polyglotta, antiquaria, homiletica.* Adhuc igitur non ea Scripturae viguit experientia et intelligentia in ecclesia, quae in ipsa Scriptura offertur. Evincunt hoc opinionum luxuriantes discrepantiae, et caligantes in prophetis oculi nostri. Plus ultra vocamur, ad eam in Scripturis facultatem, quae sit *virilis et regalis*, perfectionique Scripturae satis prope respondeat. Sed *per adversa excoquendi* erunt homines prius [3]). Earum aetatum historia et descriptio justum atque utilem tractatum daret: sed alia sunt hoc quidem loco magis necessaria.

§. 6. Quisquis in Scriptura interpretanda aliquid navare vult, se ipse explorare debet, quo jure id faciat. Quod ad me attinet, non praevia mei fiducia animum appuli ad commentandum, sed de improviso, paulatim, divina gubernatione, huc sum adductus. Officii publici ratio, quae N. T. Graecum studiosae juventuti *ultra viginti septem annos* [4]) exponendum mihi injunxit, ansam dedit ad

---

1) *Adde:* qui non gustarunt, *omnibus aliorum, quamlibet profanorum, vanorum, protervorum, fatuorum* (Ps. 53, 2.) *hominum documentis* postponunt. *Hinc illae lacrymae.*

2) Conf. Ps. 25, 14. Matth. 11, 25. Joh. 7, 17. 1 Cor. 2, 14. — *Neque enim eorum quisquam*, qui recti corde *sunt*, *per quascunque technas hermeneuticas eripi sibi locorum istorum salutarem* vim *patietur.*

3) — *Quicquid in contrarium sentiant literatorum illi, qui, suis duntaxat viribus confisi, neque* tentatione *quidquam neque* oratione, *sed omnia* meditatione *perfici in Scriptura intelligenda existimant.* VEXATIO DAT INTELLECTUM.

4) *Facile arbitratu est, vel mediocris ingenii hominem, eumque haud nimiae assiduitatis,*

observationes quasdam faciendas: crescente numero, schedis eas committere institui, et, venerandi cujusdam Antistitis impulsu, perpolire. Exegesin comitata est recognitio textus: in recognitione textus ad resolvendam Apocalypsin una et altera varians me duxit lectio: Harmonia evangelistarum, interim exorta, et exegesis Apocalypseos, Ordinem temporum peperit. Nunc haec omnia, scrutinio in orbem redeunte, in eadem exegesi N. T. confluunt, supplentur, limantur. Quare de his omnibus partim repetenda sunt aliqua, partim ab integro dicenda, ut coronis operi, quod unum est quodammodo, hoc quasi *galeato* prologo imponatur.

§. 7. *GNOMONIS* titulum, modestum, ut arbitror, et appositum, his pridem annotationibus exegeticis dedi, *indicio* tantum quodam fungentibus: ipsumque *Indicis* nomen placuerat, nisi, quum index dicitur, *Registrum* citius sive *Regestum*, quam digitus aut stilus index, plerisque in mentem veniret. Hoc denique agitur, ut, quae in sententiis verbisque Scripturae N. T. sita *vis* est, neque tamen primo intuitu semper ab omnibus observatur, ea breviter *monstretur*, lectorque in textum recta introductus quam lautissime pascatur.

Nonnihil Indicii satis est in Gnomone factum:
Omnia te textus, si sapis, ipse docet.

§. 8. Humanus delectus dictorum et exemplorum a Scriptura petitorum suum retinet usum, terminari autem eo non debet Scripturae studium, sed ipsam totam, ut est, pernosci decet, ab iis praesertim, qui docendi munere funguntur. Quod ut rite fiat, firma textûs sacri verba ab iis, quae ancipiti varietate laborant, distinguamus, oportet, ne aut apostolica verba sine fructu praetereamus, aut pro apostolicis librariorum verba tractemus. Talem textum omni cura et fide sistere sum conatus, in *editione* N. T. Graeci majore, Tubingensi, et in *minore*, Stuttgardiana. Utraque prodiit anno 1734, et minor novo postmodum *Prologo (admonitione)* A. 1738 aucta est, (denique A. 1753 tota recusa). Nam quae interjecti bene longi temporis suppeditavit usus, ea haud plane supprimi, sed *ante obitum* [1]) promulgari oportere censui. Harum editionum aliquam, non aliam, adhibeant, oportet, qui quovis loco, quid *mea recognitio* habeat, scire aut referre volunt. Qui *priori* editioni minori assuevit, is differentias *posterioris*, nullo negotio, proprio fructu, in illa notabit. Ipsum N. T. nostra opera recognitum, cum bocce Gnomone, pro una editione habendum venit, non secus ac si unicum volumen esset. Id amplius dispalescet in progressu praefationis hujus, praesertim §. 11. Assensores recensio mea bene multos est nacta, quorum nonnulli etiam in Translationibus eam *ex parte* adoptarunt: in adversarios autem incidit *duos* potissimum. nam quae Andreas Buttigius in praefatione N. T. Graeci collegit, ea meis congruunt potius, et quatenus differunt, in Prologo, quem modo memoravi, soluta dantur: quae autem alii ad singulares quasdam lectiones dixerunt, ea suis locis dilucidamus. Duobus igitur illis, (quorum nominibus parcere jam possum,) duas reposui *Defensiones*. Una excusa est cum Harmonia Evangelistarum, Germanice, A. 1736, Tubingae; et Latine, seorsum, commodius, paulo auctior, A. 1737, Lugduni Batavorum *(Vid. App. Crit. Ed. II. P. IV. nro. IV.)*: qua ostendi, me non egisse *timide*. altera, qua, eundem me non *temere* egisse, evici adversus impetum veritati apud ignotos valde noxium, Novis literariis Tubingensibus inserta fuit A. 1739, et eodem anno, iterumque Ulmae A. 1745, seorsum recusa *(Vid. App. Crit. l. c. nro. IX.)* *Prior* Defensio jam propemodum antiquata est. nam et is ipse, cui respondi, crisin Mastrichtianam, qua parte correxit, ad totam rationem meam conformavit: et quid alii de causa illius et mea senserint, enarrat Doctiss. Lilienthalius in Biblioth. exeg. p. 1263. seq. Quo magis *alteram*, velim, Defensionem indagent et cognoscant, qui et a temeritate abesse et tamen rem cognoscere cupiunt. Omnes certe, quibus id schediasma lectum sciam, me sincero textui

---

tot annorum exercitatione vix posse quin eum cognitionis gradum superet, *quem in rebus hermeneuticis recentiorum aliqui, iique ex parte non admodum veterani, concedendum* b. Bengelio *existimant.*

1) *Sane,* ante obitum. *Nimirum in ipso lectulo emortuali quum jam decumberet* Beatus, *in revidenda et purganda Editione de A. 1753., prelo tum subjecta, etiamnum occupatus fuit.*

Google

N. T. religiose incumbere agnoscunt, atque ea ipsa societas, cujus nomine censor egerat, quamvis rogata a me et provocata, tamen ne syllabam quidem, recensione mea novatam, adhuc, quod sciam, produxit, *in den früh aufgelesenen Früchten.* Optatum veritatis admissae argumentum. Pars defensionis refertur infra, ineuntibus annotationibus ad Apocalypsin.

Spiritui se plerique subducunt eruditorum: quare ne literam quidem suam rite tractant [1]). Hinc de variantium lectionum decisione, deque decisionis cum textu recepto conjunctione, confusissimae adhuc dominantur opiniones. nam alius antiquioribus manuscriptis nititur, alius pluribus, ita quidem, ut etiam falsum jactet numerum: alius Latinam versionem, alius orientales evehit: alius Scholiastas Graecos laudat, alius vetustiores patres: alius contextum, (qui sane plurimum valet,) ita defendit, ut planiora omnia et pleniora sequatur: alius expungit, quicquid ab uno, si placet, Aethiopico, non dicam, interprete, sed librario, semel omissum est: alius receptiorem textum cupide reprehendit; alius eum sine ulla exceptione tuetur. *Non omnes, qui citharam habent, sunt citharoedi.* Nos, re diu multumque agitata, omnem lectionis varietatem his *Monitis* [2]) et discerni et digeri posse confidimus:

1. Partes sacri textus longe plurimae remanent *nulla* notabili varietate (Gratia DEO) affectae.

2. Totam eae doctrinam salutarem omnibus criteriis praeditam continent.

3. Ad eas cuncta lectionis *varietas*, tanquam ad normam, exigi et dijudicari debet ac potest.

4. Lectionem N. T. eamque variantem, habent codices *manuscripti*, ex manuscriptis *impressi*, *Graeci*, *Latini*, *Graecolatini* (de quibus non *aliter* sensi in Apparatu, p. 387. 642. [*Ed. II. p.* 20. 319. *s.*] ac de principe eorum *Boerneriano* Lud. Kusterus in praef. N. T.) *Syriaci* etc. *Latinizantes* Graeci vel aliarum linguarum: liquida allegata *Irenaei* etc. ut cuivis generationi largitur divina providentia. Omnia vocabulo *codicum* late interdum accepto complectimur.

5. Hi tamen codices per ecclesias omnium seculorum et climatum diffusi sunt, et manum primam ita prope attingunt, ut conjunctim, in omni varietatum multitudine, sinceram lectionem exhibeant.

6. Certe nulla unquam *conjectura* audienda est: tutius seponitur, quae forte laborare videtur, particula textûs.

7. Universi codices in decidendo sunt *norma* singulorum.

8. *Graeci* codices, eam obtinentes antiquitatem, quae ipsam lectionis varietatem superet, valde *pauci* sunt: reliqui permulti.

---

1) *Hujus observationis vim sensisse aliquatenus videtur cel.* Michaëlis, *quum* in der Einleitung in die göttliche Schriften des N. B. T. I. p. m. 781., *hunc in modum disseruit:* Und in der That, wer des *Gewissens* wegen begierig ist, die wahre Lesart zu finden, der wird die Mittel eifriger zusammen suchen, und sie gleichsam *mit mehrerem Geist* unpartheyischer und glücklicher anwenden, als wer nur aus *Beruf*, oder um den *Namen* eines Critici zu erlangen, oder aus *gelehrter Musse* und Neigung, die Critik des N. T. treibt. etc. Sed, *pag. seq. apparet, non eo usque extendendum esse* Viri *judicium*, *quasi* Spiritui, *theologice sic dicto*, *tribuendum aliquid esse in critico scrutinio existimaverit.* Er will nemlich (*sic de* Bengelio *pergit*), durch eine innere Gnade und Geschmack werde *bisweilen* die wahre Lesart unter allen Zusätzen menschlicher Hände deutlich erkannt. Wo Gott eine solche *critische Gnade* verheissen hat, weiss ich nicht, und ich fürchte, wenn man ihr folgen sollte, so würde sie bey einem immer anders, als bey dem andern sprechen. *Atque omnino et vecordiae esset, nec periculo insigni careret, si quis* gustu spirituali *omnes variantes optime decidi posse arbitraretur. In iis vero locis, qui* (*ut* l. c. p. 631. *legimus*) affecti *Criticis audiunt, adeoque* Conjecturam criticam *desiderare videntur, utrum hominis* spiritualia nauseantis *et* communia captantis, *an* spiritu imbuti *votum (praesertim pro* rei, *quae sub manu est, indole)* praevalere *debeat; nulla equidem disputatione putem opus habere: quanquam b.* Bengelius, *hoc ipso* Praefationis §°, *Mon. VI,* nullam unquam conjecturam audiendam esse *(quae scil. omnibus omnino Codicum, Editionum Patrumque vestigiis destituta sit), caute judicat.*

2) *Atque haec quidem* Monita, *cum sequenti (§. 9. 10.)* Criseos Mastrichtianae, *Examine utut* Apparatus critici *Editioni II, Nro. VII subjuncta, nolui h. l. diminare, ne Lectoribus rerum imperitis* praegustum Criseos *sacrae, his ipsis thesibus propinatum, surriperem.*

by Google

9. Quamlibet parum valeant *versiones* et *patres*, ubi a Graecis exemplaribus N. T. discedunt; certe ubi Graeca exemplaria N. T. inter se differunt, ea praepollent, quibus versiones patresque consonant.

10. *Latinae* versionis lectio, ubi [1]) consensione patrum Latinorum vel etiam aliorum testium idoneorum firmatur, eximium ob singularem antiquitatem pondus habet.

11. Testium *numerus* pro utravis cujuslibet loci lectione vigilanter iniri debet: et idcirco secernendi sunt codices *Evangelistārum* ab iis, qui *Acta* et *Epistolas*, cum *Apocalypsi* vel sine ea, vel hanc solam habent: *integri* a mutilis: ii, qui ad Stephanicam *editionem* collati sunt, ab iis, qui ad Complutensem, aut ad Elzevirianam, aut ad ignotam aliquam sunt collati; ii, quos *recte collatos* esse constat, v. gr. Alexandrinus, ab iis, quos recte collatos esse non constat, aut quos constat segnius esse collatos, v. gr. a Vaticano, qui alias vix parem haberet.

12. *Plures* ita demum testes paucioribus; et, quod *gravius* est, testes climatibus, seculis, linguis, *diversi*, propinquis inter se; et, quod *gravissimum* est, *antiqui* novis praeferendi sunt. nam quum Fontis nomen prima tueatur unice manus, Graeca utique; ab ea quo propius absunt rivi, id est, codices ex primaevis deducti, Graeci, Latini etc. hoc plus habent ponderis.

13. Quas lectiones vel incuria librariorum vel indiscreta cura admisisse existimari jure potest, eae postponi debent lectioni tali, quae non nimia quidem facilitate blanditur, sed nativa dignitate nitet.

14. Ita sequiorem lectionem prodit *alliteratio*, *parallelismus*, *ecclesiasticae* lectionis, ineuntis praesertim vel exeuntis, opportunitas: *hiatum*, verba recurrentia: *glossam*, facilitas apparens. in varietate multiplici, *media* lectio genuina.

15. *Quinque* igitur *Momenta* sunt Decisionum: *Antiquitas* testium, *diversitas* eorum, et *multitudo:* tum, lectionis *sequioris* origo, et *genuinae* color nativus.

16. Haec ubi concurrunt, dubium nemini, nisi sceptico, remanet.

17. Quotiescunque autem de his Momentis pars pro una lectione, pars pro altera militat; criticus modo huc, modo illuc moveri potest, vel, si ipse acquiescit, ceteri tardius assentiuntur. Ubi alius alio majorem in oculis vel corporis vel animae aciem habet, frustra disputatur. Alter alteri nil obtrudere potest aut eripere. nisi forte ipsa olim autographa reperiantur [2]).

18. Non optima crisis est, quae hanc summam praescribit: *Sic Erasmus, sic Stephani, sic typographi fere omnes excuderunt: ergo sic legendum est, apicum tenus, ad consummationem usque seculi; et vetusta monumenta, quatenus cum hac lectione congruunt, sunt admittenda; quatenus aliud, quamlibet magno consensu, referunt, rejici debent.* Dicendum, quod res est: compendiosa est haec crisis, ephebis digna. Obstinatam credulitatem erga lectionem receptiorem alit: et adversus antiqua documenta praefracte suspicacem se facit. Quicunque sunt, qui sine ea firmitudinem textuum ab omni varietate immunium, atque adeo ipsius Scripturae ac religionis dictitant *periclitari*, *periculose* ipsi sentiunt, fideique vim ignorant. Aequissimum Calovii judicium, ab hodierna quorundam superstitione typographica longe remotum, retulimus in Apparatu, p. 401. (*Ed. II. p.* 35. *Obs. XIX.*) Etiam ante typographiam inventam integra erat Scriptura: non ad typographiam Seculi XVI, cujus intra limites, quae a zelotis defenditur lectio, tota conflata est, divina se providentia, Scripturae sacrae invigilans, alligavit.

19. Typographica tamen lectio, *fere tota*, firmiter defenditur, non ex eo quia usu invaluit, sed quia iis, quae hîc explanamus, criteriis excellit: eoque nomine gaudemus.

20. Qui per Frobenium et post Lutheri obitum per Stephanos Elzeviriosque excusus est, et adhuc propagatur, textus N. T. Graeci, is a Lutheri versione non

---

1) *Hujus restrictionis non semper memores videntur fuisse Criticorum illi, qui* nimiam *Beato latinae Versionis* reverentiam *tribuunt.*

2) *Quae innocens* conjectura, *quum rei* impossibilitas *demonstrari nequeat, tanto minus* contemtui *exponenda erat, quanto magis religiosam* criticorum fidem *acui fas est hac ipsa consideratione.*

Google

raro differt, ut docet *Tabula* locorum N. T. Bibliis Hebraicis et Graecis Germanicisque *Zullichaviensibus* adjecta. Quae autem cum *Luthero* congruit genuina lectio, eam cum prolubio amplecti fas est. Sincerus quidem textus citra studium partium quaeri debet: quem tamen multi minus curant (indignum!) quam sartam chirothecam.

21. Valde optanda esset talis editio N. T. Graeci, in qua ipse textus totam lectionem germanam, omni varietate dispulsa, liquido exhauriret: sed nostra aetas id non assequitur, et quo propius unus alterve nostrum ad primaevam sinceritatem se recepit, eo minus assentiuntur plerique.

22. Consultum est igitur, ut tantisper, dum uberior lucis mensura obtingit ecclesiae, textus eclectico judicio ex *editionibus* probatis quam sincerissimus corrogetur [1]). In sola Apocalypsi aliquid ex mss. adspersum dedi: causamque saepius dixi [2]).

23. Perpaucae tamen lectiones *recepti textus*, vel tanquam dubiae, vel tanquam sequiores, ab reliquo textu secernendae veniunt: et, ut tales, sine ullo veritatis detrimento in ipso textu notantur.

24. Immo iis exceptis, et, aliquantisper duntaxat, quasi sequestratis, toto demum *reliquo* textu firmiter nititur et salubriter utitur etiam idiota.

25. Vicissim nonnullae lectiones pretiosissimae, e situ suo extractae, ut *genuinae* recognoscuntur, ad veritatis incrementum.

26. Lectiones extra textum receptum, vel aeque probabiles, vel genuinae, praesertim si minus multis codicibus fultae reperiantur, non confestim textui sunt inferendae, sed in margine indicandae.

27. Id indicium fieri potest, varietatibus marginis in classes quasdam distinctis. nam quaelibet varietas, quoad quovis tempore constitui potest, aut in aequilibrio est, aut altera lectio alteri antistat, et hoc rursum vel magis notabili discrimine, vel minus notabili. Unde lectiones firmae, plausibiles, dubiae, in textu aut margine collocatae, analytice ad quinque gradus, quos aliqui, *(ut in magnitudinibus stellarum, in qualitatibus, frigoris etc.)* innumeros esse expertum habeo, reducuntur. Hos ergo gradus literulis $\alpha\ \beta\ \gamma\ \delta\ \varepsilon$ notavi.

Nemo receptiori lectioni, ut arbitror, ita aut infensus est aut addictus, ut his Monitis possit refragari. Nonnulla uberius explanantur, additis exemplis, infra, in ep. ad Rom. in ep. Jac. et in Apocalypsi, passim. Nil autem novi affero: haec eadem antea sensi et scripsi. *Nota* Theophilus a Veritate *esse* ait, *quae eruditi contra meam editionem N. T. monenda invenerint.* vid. *Beleuchtung* p. 27. *Eruditos*, opinor, eos narrat, quibus Defensione altera respondi. Hanc ergo velim perpendat: idemque, quae mihi pag. 58., et pag. 64. in extremo, adscribit, de iis editionem meam respiciat. Exceptionem, qua usus est in aequitate sua erga me declaranda, missam faciet. Non operose me posthac defendendum mihi puto, ne minus magni aestimare subsidium videar virorum pietate, zelo, orthodoxia, literatura praeditorum, qui suis me judiciis et vindiciis haud ignotis tegunt, et aliter animatos, me quiescente, et sustinent et vincunt. Atque jam ego potius eo progredior, ut, quales sint duces, quos plerique sequuntur, ostendam.

§. 9. Exiit videlicet Amstelaedami anno 1711 cum ipso N. T. Graeco *Crisis Gerardi a Mastricht*, per canones 43 criticos varias decidentis lectiones: cui crisi nil non tribuerunt eruditi, non solum in Germania, ut I. G. Bajerus in Dissertatione de var. lect. N. T. usu et abusu, p. 18. etc. sed etiam aliis in terris, ut Ant. Blackwallus Britannus in Classicis sacris, p. 617. etc. Atqui *summam* criseos illius a veritate abesse, demonstravi in Apparatu, p. 440. 441. 442. (Ed. II. p. 76. 77. 78.): et quum A. 1735 eadem crisis aliquantum mutata prodiisset Amstelaedami, alterum examen institui in Defensione illa priore, §. 26. 30. 33. 37.

---

1) *Justam hanc et providam agendi rationem esse, agnoscit cel.* Michaëlis, *in der* Einleitung etc. T. I. p. 733. sq.

2) *Neque tamen defuit, qui* sanctitatis libri hujus *in occupationibus criticis* minus *justo* memorem *fuisse b.* Bengelium *perhiberet; ab ipso cel. D.* Ernesti *nimiae hac in caussa severitatis incusatus. Vide sis meine* Beleuchtung etc. §. 11. *et* §. 33. nro. 3.

ed by Google

Et Apparatum et Defensionem, fas est, evolvant, qui crisi illa nitendum putant. In ea Defensione, Latine edita, adjeci haec: *Decantatos illos XLIII* canones *criticos Gerardi* ⁊ *Mastricht singulatim, ordinatim, modeste, vere* examinatos, *alio tempore dabimus.* Nunc ferme poenitet promissi: et talis hodie examinis labore supersederem libenter, quum intelligam, esse aliquos, quibus quam minimum criseos in hoc opere quam maxime probetur. Sed quia *complures etiamnum canonibus illis capiuntur*, neque aptiorem hujus discussionis locum prospicio: in praesenti eam dabo, ita ut canones ipsos referam (quo certe nomine ab eorum admiratoribus gratiam iniero;) animadversiones ad utramque editionem criseos illius accommodem; facilitati brevitatique dem operam; neque inter aculeos, quibusdam ⁊ somno excitandis necessarios, modestiae obliviscar.

CANON 1. Variantes Lectiones, quod omnes fateri coguntur, ortae sunt ex *negligentia, oscitantia, festinatione*, aliquando et ex *malitia* descriptorum. Est nobis *Varia Lectio*, aberratio descriptoris a scriptura vel mente Auctoris, quem describit; quae generalis descriptio, omnem quidem, etiam minimae literulae aberrationem pro varia lectione recognoscit. Commode tamen priores causae magis ad vitium; posterior vero ad malitiam referri, et pro varia lectione haberi poterit. Non enim omnis *aberratio* a scriptura, est *aberratio* etiam a *mente* Auctoris: quod multo major pars harum lectionum *(in ed. N. T. Oxon. A.* 1675, *et inde in ed. Amst.)* imo ausim adserere tres quartae partes demonstrabunt.

ANIMADVERSIO. Verum hîc dici, agnoscimus, sub ea cautione, quae ad canonem 8. dabitur, de *sensu* sive mente scriptoris sacri: at inde nullius loci lectio prae altera praerogativam obtinet. Nusquam in margine, quod meminerim, ab auctore allegatur hic canon, quanquam *observationis* potius, quam *canonis* titulum meretur, ut complures alii.

2. Descriptores errarunt oscitanter saepenumero, quando in eodem aut sequenti versu repetitiones vocabulorum inveniebantur, putantes se anteriora vel posteriora descripsisse. Exinde *detractiones*, omissa voce aut sententia intermedia, aut sequente; aut *variationes.* Idem et a dictante proficisci poterat.

Canon bonus, saepe adhibendus, sed raro adhibitus ab auctore. Adhibendus erat, pro lectione marginis, v. gr. ad Luc. 10, 11. 1 Joh. 2, 23.

3. Aliquando etiam inde sunt causae *additionum*, unaque vox aut sententia *bis repetita*, quando sc. descriptor in eandem vocem aut periodum inciderat, aut quid neglexerat.

Canon bonus, saepe adhibendus, sed raro adhibitus ab auctore. Causa in eo allegata non solum additiones, sed etiam permutationes verborum complectitur. Allegandus igitur erat, v. gr. ad 2 Petr. 2, 2. pro lectione marginis.

4. Descriptores saepe in eo errarunt aut variantem lectionem fecerunt, quando vocem scripserant ante praecedentem, quam delere nolebant, ne decor descriptionis periret: inde *trajectio* vocum orta, quae variantem lectionem sensu sano facere non debet. idem factum, si quam vocem *neglexerant*, quam postea addere nolebant.

Vera observatio: sed utra lectio genuina sit, aliunde dignosci debet.

5. Descriptores saepe periodum legerant, et obliti vocis vel vocum originariarum textus, substituebant *aequipollentem* aut *fere aequipollentem*, aut *aliam*, aut penitus omiserunt, quam postea, ne exemplar macularent, mutare, delere vel supplere noluerunt. Id pro variante lectione non adsumendum, nec textus mutandus.

De locutionibus *aequipollentibus*, quae sit manûs primae, quae Graeci librarii, aut interpretis, hac observatione non deciditur: neque eadem omissionem ab additione discriminat.

6. Peccarunt saepe descriptores in mutandis, omittendisve *literis*, praesertim *unius organi:* item in mutandis *syllabis*, quae quoad sonum sibi similes videbantur; id quod frequenter contigit in *nominibus propriis* ex una in aliam linguam translatis: quae cum sensum saepe non turbarent, illa propter exemplaris nitorem mutare nolebant: quod non pro variante lectione, sed pro negligentia descriptoris habendum. Ita et judicandum, quando *temporum, modorum*, aut *verborum mutationes*, vel *generum* aut *casuum* contingebant. etc.

Digitized by Google

Errorum causam ita haec tangit observatio, ut ad decisionem non faciat.

7. Descriptores saepe peccarunt in omittendis vel addendis vel variandis *particulis, pronominibus, adverbiis, praepositionibus*, aliisque, quod et saepe in *verbis compositis* factum: hoc tamen variantem lectionem non facit, nec pro ea habendum. Millies et millies sic peccatum.

Eadem ratio.

8. Quae lectio additione vel detractione aut mutatione, item variatione constructionis, *non mutat sensum*, etiamsi in tribus quatuorve codicibus manuscriptis inveniatur, pro variante lectione non habenda, nec admittenda contra plurimos alios Codices, bonae vel melioris notae. Nulla quippe causa tum cogit, variantem lectionem receptae praeferre.

Cum a *tribus quatuorve codicibus*, de quibus Canone 11, discesseris, haec observatio nusquam lectionem unam alteri praefert. Raro etiam additio vel detractio vel mutatio *sensum* plane eundem relinquit. Interesse aliquid, si ego non sentio, alius fortasse sentit; si hodie non video, heri fortasse vidi vel cras videbo. Si non interest ad dogma, interesse potest ad elegantiam, ad simplicitatem, ad emphasin; ad connexionem, ad parallelismum qualemcunque.

9. *Unus Codex* non facit variantem lectionem, quia arguit incuriam descriptoris, maxime in omittendo: modo recepta lectio sit secundum analogiam fidei: alias canon 22 habet locum.

Canone 9—12. et 40—43, coll. Proleg. n. 108., de *numero* codicum agit Noster: sed primum *diversitas* et *antiquitas* codicum pluris est, quam *numerus*, quem sine discrimine accipit: deinde ipsum numerum minime habet explicatum, multos ratus codices, ubi pauci aut vix ulli sunt; paucos, ubi sat multi sunt, vel plures, vel plurimi. nam in laterculo codicum, canonibus praemisso, plerique solos Evangelistas, pauci Acta et epistolas, Apocalypsin aliquot tantummodo habent; iidemque subinde sunt mutili, non pari diligentia excussi, ad editiones inter se discrepantes collati: at Noster lectioni marginis sui solet concedere tantummodo codices in margine expresse citatos, et totam fere reliquam laterculi molem textui suo ita adscribit, ut *centenos* subinde codices, etiam in Apocalypsi, a textus sui lectione stare putet. *Manifestum hunc atque magnum errorem* secunda recte appellat editio criseos Mastrichtianae; itaque formulam de *centenis* codicibus etc. delevit: sed reliquum tenorem retinet. Eo magis admonendi sunt, qui hanc crisin jam persanatam putant. Simili errore Ant. Blackwallus in Classicis sacris p. 594. ad Act. 2, 24., et ad 1 Joh. 4, 3., allegavit *CXX MSS:* quum haud XL sint codices, ad Acta et ad Epistolas Johannis, ante eum collati: idemque *sedecim* (sic enim, opinor, legi voluit, non *sexaginta*) Stephanicos, has illasve partes N. T. complexos, pro codicibus totius N. T. amplexus est, p. 600. 617. s. 636. In excerptis Oxoniensibus, quae Mastrichtius crisi substravit suae, unus, duo, tres aut quatuor codices saepe dicuntur lectionem aliquam habere, quae multis testibus nititur. Apud ipsum Mastrichtium lectio textus, quamlibet imbecilla, nunquam potest causa cadere; lectio marginis, quamlibet germana, vincere nunquam.

Quod ad *Canonem* 9. seorsum attinet, *unus* sane *codex*, ubi minor codicum est copia, variantem facere lectionem potest; imo unus codex, v. gr. Apocalypticus apud Erasmum, ipsum textum sustentavit: sed quo major copia comparatur, eo rarius unus codex variam lectionem cum specie potest facere. Saepe autem unus dabatur Mastrichtio, ubi multi sunt. Citatur hîc canon ad Matth. 26, 35. Marc. 9, 40.; at lectio marginis non *uno* Ms. sed *fere omnibus* nititur. Ap. 3, 12. omnes libri, etiam excusi ante Bezam, habent ναῷ· quare qui libros MSS. contulere, nullam hic varietatem notarunt. Apud Bezam error typothetae dedit λαῷ· id Beza correxit: sed unus Huissus, qui codicem Alexandrinum ad textum cum mendo λαῷ excusum contulit, ναῷ demum tanquam variam lectionem codicis Alex. notavit. Inde Mastrichtius lectionem ναῷ, quasi in *uno* tantum codice repertam, hoc canone 9. reprobavit, quum in *omnibus* exstet ac plane genuina sit. Haec non potuissent accidere Mastrichtio, nisi in *summa* criseos errasset. Ultima canonis verba, *modo recepta etc.* receptam lectionem sine causa in discrimen adducunt.

10. Neque *duo Codices* faciunt variantem lectionem, contra receptam et edi-

Google

tam et sani sensus lectionem; quia id duorum descriptorum, forte ejusdem, duarum descriptionum arguit incuriam, maxime in omittendo: in quo plerumque sufficit ratio illa sola: *omissum esse.*

Citatur Canon v. gr. ad Apoc. 14, 1. 17, 4.: et lectio marginis non *duobus* codicibus, sed *omnibus* nititur, errorem refutans ab Erasmo invectum, et per Stephanos et tot alios receptum. Et tamen sunt, qui Stephanico prelo divinam pro integritate N. T. providentiam mancipare audeant, nec desinant audaciam iis adscribere, qui sua aetate omnibus subsidiis a Providentia oblatis religiose ad communem aedificationem utuntur.

11. Neque faciunt variantem lectionem *tres aut quatuor codices*, maxime in omittendo, contra viginti et quod excurrit alios manuscriptos.

Citatur Canon v. gr. ad Luc. 13, 35., at lectio marginis non *tribus aut quatuor*, sed *permultis*, iisque praecipuis testibus nititur. Sic Matth. 2, 11. 28, 19., lectio marginis non *tribus quatuorve*, sed ita multis codicibus nititur, ut lectioni textus ne *unius* quidem firma relinquatur opinio.

Ubi Millius *plures*, inquit Mastrichtius in Proleg. §. ult. *codices, versiones et patres adducit, ibi parva mutatione numerus codicum, verbi gratia, trium quatuorve, ad sex septemve augeri et extendi potest; ut nec ille variam lectionem facere debeat contra centum* (ed. 2., *plerosque*) *alios codices seu testes.* De *centum* seu *plerisque* illis jam diximus: *trium quatuorve*, et *sex septemve*, pusilla est differentia; sed multo major intercedit, ut margo Mastrichtianus ad Apparatum nostrum collatus quemlibet lectorem quovis docebit loco.

12. *Magnus codicum* manuscriptorum *numerus* veluti viginti aut plurium, firmat et probat receptam et communem lectionem sani sensus, potissimum in omittendo.

Lectio sani sensus, quae ante typographiam inventam vel etiam deinceps *recepta et communis* fuit, justo codicum firmatur numero: sed justum numerum, variis ex causis, modo plures, modo pauciores faciunt codices; et diversitas testium antiquitasque plus valet.

13. Stephani *Curcellaei* annotationes variantium lectionum, pro variantibus lectionibus non habendae, quia ille non notat codices, unde eas habeat, an ex manuscriptis, an vero ex impressis exemplaribus. Possunt etiam pro uno codice haberi.

De Curcellaeo dixi in Appar. p. 440. (*Ed. II. p.* 76.) *Miratur* Mastrichtius in Notis ad 1 Cor. 6, 5., *unum* Curcellaeum ab Oxoniensibus citari, quum vel *triginta* MSS. habeat Millius. Fugit ergo illum, talia *multis* dari locis, v. gr. Matth. 5, 48. Jac. 2, 18. Qui non vident, palpare possunt excerpta Oxoniensia, quae canonibus Mastrichtianis substernuntur, neutiquam esse idonea: neque *editiones* a Mastrichtio justa cura esse collatas. nam Curcellaeum solum aut paene solum citari putat, ubi textum Curcellaeus *editionum*, interdum meliorem, allegat, ut Rom. 7, 6. 1 Petr. 2, 21. Ap. 22, 15.

14. *Versiones* etiam antiquissimae ab editis et manuscriptis differentes, uti nec *impressi* libri, faciunt variantem lectionem; sed magis ostendunt oscitantiam interpretis aut corruptionem exemplaris, quo usus fuit. *Complutensis* prima editio anno 1514, valde exacta et ad varia manuscripta, etiam charactere ad antiquum Scripturae maeuscriptorum modum expressa, fere tantae fidei est, ac codex manuscriptus: quam et Oxoniensis editio 1675 ejus variantes lectiones expressit.

Quid ponderis habeant *versiones*, ab editis et manuscriptis, quibusdam certe, *haud differentes*, non docet Canon. Sane mss. Graecos, quibus hodie utimur, vetustate longe vincunt, et vix unquam in sequiore lectione consentiunt. quare ad decisionem, ubi codices Graeci inter se differunt, quamplurimum faciunt. Oxoniensis margo unam *versionem* Copticam cum fragmentis Gothicis, ad Evangelistas tantummodo, allegat. Magnus defectus. Neque *impressi* libri non faciunt variantem lectionem, ubi constat, editores manuscriptis esse usos. *Complutensem* editionem laudat auctor canonum: sed persaepe optimas ejus lectiones rejicit.

15. Ex *genio codicum* manuscriptorum observandus est genius descriptorum

Digitized by Google

et descriptionum, an soleant vel omittere quid vel addere. Vide et Canones 30 et 31.

Hic *genius* parum facit ad Decisionem, quippe quae nunquam unius codicis genio nititur.

16. Quodsi in aliis Evangelistis, quam ejus qui legitur, aliae voces, aut vocum mutationes, inflexiones etc. occurrant, probabile est, inde variantem lectionem manasse.

Hic canon nil a canone 24 diversum habet.

17. *Citationes Patrum* textus Novi Testamenti raro facere debent variantem lectionem, quoniam ex memoria factae, saepe non ipsa verba, sed aequipollentia adducunt.

In margine Oxoniensi nulla *patrum* allegatio: quare canon 17 cum tribus sequentibus in hac crisi quiescit. Raro in notis quoque allegantur patres. Magnus iterum defectus. nam ubi patres a codicibus discedunt, verba eorum haud premenda sunt: sed ubi codices inter se differunt, ii praevalent, qui cum patribus congruunt; et quo antiquiores sunt patres, eo ponderosius est suffragium. Saepe vix apparet, quid patres legerint in textu suo: saepe firmiter constat. Discrimen explanatur in Appar. p. 389. s. (*Ed. II. p.* 23.)

18. Ita saepe Patres, quae ad intentionem non faciunt, omittunt.

Tali in casu, quae patres omittunt, ea nemo prudens rejiciet.

19. Patres quoque, ex lapsu memoriae, uni adscribunt, quae apud alium leguntur.

Talis lapsus memoriae nulli adhuc lectioni genuinae detrimentum attulit.

20. Patres quoque citant aliquoties, quae nullibi reperiuntur.

Fides semper esto penes citantem.

21. Quae pro veris variis lectionibus a Criticis habentur et quae sensum mutant, non ad hos canones examinandae aut dijudicandae, sed earum origo, causa et ratio investiganda et disquirenda: ad quod canon vigesimus tertius ablegat.

Scholion hoc methodicum est, non canon.

22. Lectio *absurda* et quam antecedentia vel consequentia absurditatis convincunt, rejicienda est.

Lectio aperte *absurda* plerumque unius tantum est codicis, adeoque hic canon est supervacuus. Interdum absurditas non est in codice, sed in excerpto, v. gr. Matth. 18, 20., collato Millio: vel in interpretatione varietatis, v. gr. Matth. 21, 32., ubi juxta *Cant.* pharisaeos, contra atque alii interpretantur, *credere poenituit.* Porro absurda saepe est lectio, quae non videtur: saepe videtur, quae non est. In canonibus 12 Pfaffianis, qui dissertationem de var. lect. N. T. concludunt, octavus est insignis: *Lectio in speciem absurda non est statim rejicienda, nec ea quoque, quae obscuritatem dictionis secum fert, tales enim lectiones non solent fingi.*

23. Vide notas.

Vide Apparatum. ibi enim *Notas* illas, quoad opus esset, consideravimus.

24. Cognita origine variantis Lectionis, perit plerumque varians lectio; veluti si ex uno Evangelista in alium *vox* sit translata vel *periodus*. quod satis usitatum erat, ut sc. constarent diversae enunciationes Evangelistarum. *etc.*

Insignis Canon. Pro lectione marginis allegandus erat ad Luc. 3, 19. etc. quin etiam extra Evangelistas, v. gr. ad Eph. 5, 9.

25. Glossema.

Continetur hoc in Canone 35. Ibi ergo vide.

26. Saepenumero descriptores, voces, quas censebant *superfluas*, aut *non necessarias*, compendii causa omiserunt, praesertim quando sensum non turbabant aut mutabant: id quod pro variante lect. non admittendum; sed audaciae descriptoris imputandum.

Omissio plerumque casu fit, rarius consilio, ut recte judicat D. *Hauberus*, cujus ceteroqui crisis cum sententia hujus Canonis congruit, ut notamus ad Act. 15, 34. Porro quomodo ea, quae omissa sunt, ab iis, quae addita sunt, discerni debeant, auctor criseos non indicat. Sic res in incerto manet.

Digitized by Google

27. Contra, quando *sensus ellipticus* aut *obscurus* aut *imperfectus* descriptoribus videbatur, addebant vel nomen vel verbum vel pronomen etc. saepe ex antecedentibus. Quae quoque audacia est.

Continetur hoc in eodem Canone 35. Ibi ergo vide.

28. Quando descriptores saepenumero anteriorem vocem, verbum, nûmerum, casum, aut tempora *mutaverunt*, tunc in sequentibus, quum anteriora delere et exemplar maculare nollent, isti mutationi inhaerere cogebantur. Innumera istius continuatae mutationis exempla occurrunt.

Hujus canonis eadem ratio est, quae quarti. Eum respice.

29. Efficacior lectio textus recepti.

Genuina lectio semper est *efficacissima*. Efficacia autem, nativae simplicitatis comes, a fuco, Graecis saepe placito, discerni debet. Sic Matth. 23, 8. 2 Cor. 8, 8. Apoc. 11, 17., canon hic a Mastrichtio pro textu allegatus, fortiter pro margine militat.

30. Codex solet quid omittere.

Canon inutilis. Plane subordinatur Canoni 9.

31. Codex consuevit aliquid addere.

Ejusdem valoris Canon.

32. Distinctiones, seu commata et puncta diversimode posita, item conjunctiones et disjunctiones vocum, in exemplaribus manuscriptis non faciunt diversitatem lectionis, quia in antiquis saepe desunt, aut voces cohaerent. Inde aliquando *coalitio*, aliquando *distractio* orta. Sed pertinet hoc magis ad interpretes et explicatores textus, quam ad criticam.

Ne hic quidem canon est.

33. Omissio vel variatio quaedam saepe contigit, quando verbi aut praepositionis *constructio remotis aeque ac proximis* poterat aptari. Multoties a descriptoribus hac ratione peccatum.

Utra lectio genuina sit, per hanc Observationem non deciditur, quod ad *variationem* attinet. De *omissione* diximus ad Canonem 26.

34. Refer quoque numerum vel numeros canonum, huic (sc. 34.) adscriptos, ad proxime praecedentem lectionem, et ex illo canone vel canonibus pete rationem vel crisin ejusdem lectionis.

Recte *Monitum* appellat auctor. Non est Canon.

35. Descriptores clarius saepe quid prae recepta lectione exprimere voluerunt: quod non statim recipiendum. Sic multoties peccatum. Haec pro *glossematis* magnam partem habenda.

Hic vero Canon *longe* est *excellentissimus:* sed eum praetermisit auctor, ubi maxime usus erat, v. gr. Marc. 7, 2. Act. 10, 21. 23, 9.: imo contrarium Canonem 26 pro eo allegavit, nimis saepe. v. gr. Matth. 4, 12. Marc. 12, 32. Praecipue ineunte pericopa Graeci librarii supplevere ὁ ιησοῦς et alia. Graviter Reineccius in praef. ad N. T. quadrilingue: *Attentionem et circumspectionem magnam, magnum postulat rei quae agitur momentum, ne qua verba DEI inter hominum scholia abjiciantur, nec haec etiam hominum verba pro verbis Dei venditentur.* Et quidem periculosum est, demere; addere, etiam periculosius, ut ostendi in Appar. Part. I. §. 21. (*Ed. II. p.* 17.) Quare etiam atque illud inculcandum statuo: *Fucatae lectionis criterium fere est blanda sermonis facilitas, multos, sed recentiores, lactans librarios; genuinae, brevitas sermonis, cum antiquitate testium.* Ita vero ad glossemata proscribenda tardi et sua opinione religiosi sunt praesentis aetatis homines, ut periculum sit, ne multi sanam lectionem N. T. gravissimis in locis, dum emendandam putant, obliterent, et quemvis Mastrichtii canonem potius, quam hunc *aureum*, audiant et sequantur. Quodsi scriptores, quorum multi quam minimum sibi spatium cogitandi (*at judicandi tanto majorem licentiam*) indulgent, exiguo fructu admonentur; omnes prudentes lectores in angulis suis cautius sapere debent.

36. *Enallage* temporum et casuum, item modorum, singularis et pluralis numeri, positivi et comparativi, toties invenitur in descriptione facta, ut maxima

Digitized by Google

fere pars variantium lectionum inde sit orta: quod et ad Canonem 6 referri potest, nisi quod hic strictior sit.

Haec quoque observatio decidendi vi caret inter duas unius loci lectiones.

37. Omisit saepe codex manuscriptus aliquid, quia vel in verbo, vel anterioribus descriptor censebat id satis expressum esse. Multoties hac ratione a descriptoribus peccatum, praesertim a descriptoribus doctioribus.

Vide ad Canonem 26. Nil enim ab eo differt.

38. Si quae deprehenduntur aut observantur variae lectiones, nulla adsumatur in textum, sed relinquatur lectio editorum nostrorum exemplarium, praesertim Complutensis, aut Stephaniana; de varia lectione doceant notae observatoris.

Non est Canon decisioni inserviens: *Monitum* appellat auctor.

39. Quando in textu edito nulla occurrit varia lectio, difficultas tamen apparet in sensu, ratione verborum aut rerum, judicium non tam pertinet ad Criticam, quam ad commentatorum explicationem aut conciliationem.

Par ratio. Sunt autem variae lectiones insignes, quarum nullum in editione Mastrichtiana vestigium invenitur. Vid. Appar. p. 142. (*Ed. II. p.* 78.), ubi notatur locus Marc. 10, 14., cum aliis.

40. Indicat hic canon, quod maxima pars manuscriptorum hactenus cognitorum et collatorum habeat lectionem variantem.

Nusquam, quod sciam, canonem auctor hunc allegat, quanquam persaepe et optimo jure et summa cum utilitate pro marginis lectione allegandus erat: atque ejus loco passim Canon 41. 42. 43, imo 12. 11. 10, imo 9, allegantur. *Ne uni quidem* lectioni genuinae, sive textûs Elzeviriani, in quem incidit auctor criseos, sive marginis, verum is numerum codicum adscribit: sed semper, ubi ea in textu est, justo majorem; ubi in margine, justo minorem.

41. Hic, quod aequalis pars manuscriptorum pro edita vel variante lectione stet.

Hic Canon saepe potuisset adhiberi commode; sed raro adhibetur. Allegatur v. gr. ad Matth. 26, 74., sed ibi MSS. summo consensu stant pro margine.

42. Hic, quod tertia pars MSS. nobis cognitorum, seu 30 vel ultra 30 pro varia stent lectione.

Pro tertia hic saepe parte habetur, quae longe est potior, ut Matth. 17, 14. Marc. 6, 33. Luc. 8, 43. Act. 24, 20. Gal. 5, 7. Phil. 1, 23.

43. Hic tandem, quod quarta et minor pars MSS. seu 20 vel infra 30 pro varia lectione allegari possint.

Pro quarta denique hic et minore parte habetur, quae non modo non minor, sed etiam longe major est, v. gr. Act. 20, 28. 21, 15.

Haec cum ita sint, examen variarum lectionum, quod speciminis gratia ex Matth. 25. dedit auctor criseos, Proleg. num. 94. seqq. quam parum valeat, patet. Nullius rei severius examen esse debet, quam Regularum, nam ex regulis cetera pendent. Haec igitur Crisis, quam examinavimus, 1) falsissimo nititur numero codicum. 2) gravissimos genuinae lectionis testes praeterit. 3) canones suos applicat alienis locis: non applicat, ubi plurimum ii valebant. etc. Eximii viri laudes non cupio imminuere: sed crisis ejus est *receptioris textus, ubi is sanus est, vaga defensio, ejusdemque elimandi remora decumana.* Utinam tandem evigilent, qui eam gregatim sequi amant, quum suis possent oculis uti. Tolerabiliores sunt, qui totum negotium criticum contemnunt, modo ne id ex contemtu ipsius Verbi divini faciant; quam qui hanc rem pro magna habent, sed et ipsi sinistre eam tractant, et alios in errore detinent aut in errorem inducunt. Hîc quoque *ingens fiducia praecipuum malae causae praesidium* est *et supplementum.*

Regulas etiam quasdam proposuit *Daniel Whitby* in Examine var. lect. Millii, praef. fol. 8., inprimis laudatus a *J. G. Carpzovio* in praef. comm. crit. Rumpaei. Eae quatenus de testium antiquorum valore agunt, bonae sunt: sed de locis N. T. singulatim auctor non semper recte judicat. Millium saepe reprehendit jure: sed idem saepe in alterum extremum, ut fit, delabitur. Hoc discrimine non observato, multi, qui Whitbium commendant, Whitbio abutuntur: ut

Digitized by Google

recte utaris, alteram partem, id est, Millium, nunquam non audiri oportet. De Whitbio notavimus aliqua etiam in Appar. p. 443. 787. seq. (*Ed. II. p.* 79. 498. *sq.*) et in Defensione altera. Novissime canones octo defecatiores dedit cel. *Carolus Gottlob Hofmannus* ad Pritii Introd. in lect. N. T. cap. 29. quorum etiam, ut ceterorum apud alios, potestas in iis *Monitis*, quae §. 8. dedimus, continetur.

§. 10. Fundamenta recognitionis meae, ut spero, firma agnoscent omnes boni: et ex iis quoque fundamentis aliud quidem aliudque de difficilioribus locis judicium, sed constans longe plurimarum varietatum decisio fluit. Namque mutandae sententiae libertatem integram mihi reservavi: [1]) ut autem mutanda sit, raro accidit. Talia quaedam loca in hoc Gnomone facile invenient [2]), qui sua interesse existimaverint: plures vero lectiones, pridem nobis placitae, vindicantur. Ipse textus recognitionis meae, id quod etiam atque etiam contra falsas suspiciones declarari oportet, in Apocalypsi plurimos optimosque codices, in ceteris N. T. libris etiam editiones probatas, *sine ullius literae exceptione*, sequitur: *sincerae* autem lectioni, ad hodiernum usque diem indagatae, sive in textu eam, sive alibi retuli, *Exegesis*, de qua potissimum agitur in praesenti, recte *superstruitur*. id quod §. 8. et 9. erat comprobandum. [3]) Vicissim vera exegesis docebit, non merae curiositatis esse delectum talis editionis N. T. Graeci, quae textum habeat rite recognitum.

§. 11. Textûs in sectiones, cola, commota distincti, sed non discerpti, eximia est utilitas, inprimis ab *Ant. Blackwallo*, et, qui eum studiose exornavit, *Christophoro Wollio*, declarata, tom. 2. de classicis sacris, part. 2. cap. 1. Ea mente, in editione mea, majorum initia periocharum distincte notavi; ipsas autem periochas, continuas et indivulsas reliqui: puncta, cola, commata, accentus, spiritus, (de quibus aliquid valde necessarium dicitur infra ad Ap. 1, 5.) ex sententia ipsorum verborum, data opera recognovi. Multi editores talia promittunt; pauci, praestant. Hinc, quemadmodum opinor, fit, ut tandem ne vere quidem affirmanti fides habeatur. Qui in quotidiano editionis meae usu distinctiones majores et minores, quarum exempla habet praefatio ed. min. §. 6. probe observarit, is commemorationem hanc a me non sine causa factam esse sentiet, fructum-

---

1) *Quo nomine a* Wetstenio *inconstantiae et levitatis notam* iniquissime *Bengelio inustam esse, cel.* Michaëlis *testatur in der* Einleitung etc. *T. I. p. m.* 739. *sq., postquam ipse* nimiae *fere* constantiae (*l. c. p.* 732.) *eundem Bengelium accusarat: excusationis tamen aliquid his verbis subjiciens:* Vielleicht ist sein ohnehin, natürlicher Weise, zur Standhaftigkeit geneigtes Temperament durch die schlechten Widersprüche Unwissender, die er anfangs erdulden musste, noch mehr gewöhnet worden, auf die Widersprüche nicht zu achten. *Atque ea ipsa judicii aequitate denuo Vir literatissimus utitur, quum* (*l. c. p.* 738.) *de altera Apparatus critici* Editione, *in qua* uberiorem contradictionum usum *desideraverat. haec tandem epiphonematis loco addit:* Doch, vielleicht hätte er mehr geändert, als er an den Rand seines Buchs geschrieben hinterliess, wenn er die neue Ausgabe erlebt und selbst besorgt hätte. *Quodsi quis perpenderit,* Novum Testamentum Wetstenianum (*de* Prolegomenis *enim excusatio ista valet*) *annis demum* 1751 *et* 1752 *Amstelodami prodiisse, adeoque* vix ante obitum b. Bengelii, *officiorum haud levi onere sub ingravescentem aetatem cumulati, publici juris factum esse, is profecto* intricatissimarum (*ut cel.* Michaëlis *notat*) Wetstenii *observationum* molem *Bengelio, ad aeternitatis marginem constituto, etiamnum perlustrandam, ne dicam ponderandam fuisse, sine palpabili injuria nunquam existimabit. His praemissis non possum, quin Eruditi citati in hac caussa* epicrisin generalem (*l. c. p.* 741. *obviam*) *hac occasione addam.* Die Fehler (*ait*), die Wetstein Bengeln vorwirft, (und wer war besser im Stande, Fehler einer vorigen Sammlung zu entdecken, als der an einer noch grössern Sammlung arbeitet?) sind entweder Fehler des Urtheils, oder, wo es auf Facta ankommt, nur sehr einzelne bei wenigen Stellen; so, dass die Zuverlässigkeit der Bengelischen Sammlung bei diesem Streit ehe gewinnet, als verlieret. Wenigstens wollte ich, der ich nie mit eben dem Fleiss die verschiedenen Lesarten untersucht oder gesammelt habe, als Wetstein, doch im Wetsteinischen N. T. leicht mehr Fehler in Anführung der Lesarten zeigen, als Wetstein Bengeln gezeiget hat. — *Haec hactenus.*

2) *Quae quidem* secundae *nunc* Apparatus Editioni *utplurimum reddita sunt;* Gnomoni *denta.*

3) *Atque haec* nova *ratio est, cur meum, Editoris, non fuerit, ista, utut* Crisin *proxime spectantia, heic loci resecare.*

Digitized by Google

que, ut spero, capiet non mediocrem. Nolim vero quisquam, cui exemplar N. T. Graeci *extra Wirtembergiam* ex meo deductum obtigerit, ex eo meum aestimet: multo enim aliter hîc, aliter illic versiculi disjunguntur et conjunguntur. Interpunctionem in his notis vix unquam aliam damus, atque antea; interdum autem eandem declaramus, ut insigni loco Rom. 8, 31.

§. 12. Ad rectam commentationem inprimis necessaria est notitia *eloquii*, quo usi sunt scriptores N. T. De eo magna pridem est disceptatio, inprimisque multa de hoc argumento congessit *Jo. Lamius* in libro de Eruditione apostolorum. Nos dicemus, quod opus est. Sapientia DEI sermonem DEO utique dignum habet, etiam quum Ipse per organa sua ad nostram se accommodat crassitudinem. Porro quid dignum DEO sit, (coll. 1 Cor. 2, 1. 14, 21.) nostrum non est definire arroganter, sed obsequiose credere. [1]) Exactam veritatis cognitionem apud sanctos Dei homines ut in V. sic in N. T. comitabatur *ordinata series argumentorum*, *expressio sensuum praecisa*, *genuinus affectuum vigor*. Ultra haec tria nil potest desiderari: haec autem tria fecerunt, ut illi quamlibet idiotae ita scriberent, uti conveniebat, et supra Graecorum rhetorum scita evecti, eloquentiam vere naturalem, citra omnem curam, praestarent. Describemus singula: et quid de iis observatum sit in hoc opere, simul indicabimus.

§. 13. *Ordinem* argumentorum in quovis libro exhibet *Tabella*, qua summam ejus sum complexus, non memoriae tantummodo sublevandae causa, sed ut ideam scriptoris sacri quam accuratissime exhiberem. qui eas tabellas animo impresserit, utilitatem percipiet. Quolibet incunte capite, argumentum ejus nemo desideraverit. Divisio N. T. in capita, qua hodie utimur, obscuris seculis facta est, post pericoparum delectum, quae idcirco ex capite in caput interdum procurrunt: saepe divellit, quae arcte cohaerent; et conjungit, quae distincta sunt. Igitur argumenta capitum rectius ex tabulis divisionem illam non curantibus petuntur. Ubi tabulae in majoribus partibus subsistunt, subdivisiones, non tamen nimiae, in notis supplentur. Tabulae inprimis inscitiam, impiam interdum, eorum retundent, qui apostolos, quicquid in mentem veniret, sine ordine effudisse putant. In operibus divinis, ad herbulam usque, summa inest symmetria: in sermonibus divinis, ad elementum usque, exacta praesto est concinnitudo.

§. 14. Omnis interpretationis maxime proprium est, ut vis et *significatio* verborum, quae textus habet, declaretur adaequate, id est, ut, quicquid ex mente auctoris verba valent, capiatur; nil, quod ea non valent, fingatur. Duae sunt boni sermonis virtutes, profunditas et facilitas. Eae raro conjunctae sunt apud humanos scriptores: atque ut quisque scribit ipse, sic ei videntur alii scribere. Qui omnia verba expendit, in alieno scripto se aliquid alicubi invenire putat, ne auctori quidem quaesitum: qui magis promiscue scribit, aliorum quoque sermones dilutius accipit. At in Scripturis divinis summa profunditas cum summa facilitate conjungitur. [2]) quare cavendum est, ne ad nostrum illas modulum in interpretando exigamus; neve, quia anxia solicitudine careant scriptores sacri, ideo etiam illorum verba quasi minus considerate posita tractemus. Omnes mundanas in stilo curiae elegantias longissime superat divinus sermo. Deus, non ut homo, sed ut Deus, verba facit, se ipso digna. Altae sunt ejus cogitationes: inde verba, inexhaustae virtutis. Apud interpretes quoque Ejus, quamvis ab hominibus haud eruditos exactissima est oratio. Impressioni rerum in animis eorum, exacte respondet verborum expressio, quae adeo non est infra captum auditorum, ut potius vim ejus raro assequantur. Saepe conclusiones ipso mundo ponderosiores ex epitheto, ex accidente grammatico, ex adverbio, deducunt apostoli, ut ostendimus

---

1) *A qua* modestia *quam longe Eruditorum haud pauci hodie abeint, mirum quantum sua sibi perspicacia atque ingenii alacritate placentes, nolo pluribus exaggerare. Clamante re ipsa, verborum declamationibus, utut aequissimis, opus non est.*

2) *Attende*, Lector! *Hae ipsae regulae hermeneuticae*, divinum librum *a reliquis omnibus, ut par est, segregantes, in caussa sunt, quod* Bengelii interpretationes *eorum* gustui *minus respondent, qui non eam, quae christiano homine digna est*, Verbi DEI *reverentiam* intus fovent, *et vel* Ciceronis *effata curatius, quam* Pauli *axiomata rimari dignantur.*

Google

in Appar. Part. I. §. 1. In Paulo particulam καὶ pressim accepit Chrysostomus, et idem aliique patres alia multa, ut notavimus ad lib. de Sacerd. §. 136. 441. Haec vestigia sequi fas est: hac mente Lutherus ait, *Nil aliud esse Theologiam, atque Grammaticam, in Spiritus sancti verbis occupatam.* Quod ipsum ab aliis Theologis subinde repetitum legitur. Continetur hac observatione scrutinium sermonis *emphatici*, in quo propria significatio interdum intentior est, interdum remissior. Multa erant, vernacula Graecis, *emphatica*, nobis Germanis non item obvia: ut pronomina personalia adhibita vel non adhibita, quae nos raro praetermittimus, Graeci plerumque; et verba media, nobis et Latinis ignota; et verba simplicia vel composita, v. gr. γινώσκω, ἐπιγινώσκω, quae uno verbo Latino aut Germanico exprimuntur, Graece autem differunt; et articulus, quo Latini carent. Vicissim saepe fit, ut emphasis exaggeretur praeter rem, ut in οὐ μὴ cum subjunctivo, in verbo ἐκβάλλω, in praepositione ἐντὸς etc. in compositis ἐκπειράζω, ἐκπορνεύω, ὑπεναντίος, ὑποδείκνυμι κτλ. quae apud LXX a simplicibus non differunt. Utilis est ac laudabilis vel qualiscunque intelligentia N. T. Graeci: sed minus exercitatis facile accidit, ut falsas emphases mirentur, amplectantur et venditent, verasque praetereant. Quo magis necessarium est, ut nos invicem adjuvemus. Luce utuntur etiam hebetes oculi, ad vitae summam; sed tamen qui visu pollet, multa exactius assequitur: sic in Scriptura omnes vident, quantum est necessarium: sed quo acutior visus, eo major dulcedo: et quae unus interdum videt, ea alii, qui per se non videbant, illo monstrante cernunt. Multas ego emphases ab aliis sine causa productas refutavi vel certe dissimulavi: [1]) veras, sponte oblatas, non neglexi. [2]) Quodsi nimius interdum existimabor, metum

---

1) *Exempla rei habes v. gr.* Matth. 3, 8., *ubi eam, quae inter* dignum fructum *et* dignos fructus *Origeni intercedere visa fuit, differentiam non approbat Auctor:* c. 9, 38. not. ult., *ubi* ἐκβάλλειν *non semper* vim *significare monet:* c. 12, 40. not: fin., *ubi* medium *sive cor* terrae *non praecise quaeri debere, sed ipsi terrae, in qua Christus plus XXX annos versatus sit, opponi memorat:* c. 16, 22. *ubi* τὸ ἵλεώς σοι *molliori verbo* untersagen, *in Vers. germ. interpretatur* (*coll.* Ernesti *Bibl. th. T. I. p.* 225.): c. 21, 35. *ubi* latiorem vim *verbi* ἔσωρεν *defendit:* Luc. 10, 42. *ubi* τὸ Unum Necessarium *ad frugalitatem hospitii* mavult, *quam ad res spirituales referri:* c. 17, 21. *ubi voculam* ἐντὸς *non respectu* cordis *Pharisaeorum, sed respectu* totius populi Judaici, *adhibitam censet:* c. 23, 31. *ubi non de Christo, sed de vegetis juvenibus* lignum humidum *explicat:* Phil. 1, 21. *ubi per* τὸ ζῆν vitam *Pauli* naturalem *indigitari perhibet etc. Facile sedulus Lector insignem observationum silvam congesserit, quibus frequentius b.* Bengelius *obviam ire fictitiis emphasibus sategit, quam aliorum Interpretum quisquam. Quodsi aliis in locis etiamnum* aliquibus *rideatur* in admittenda emphasi *nimium liberalis esse: viderint rerum arbitri, annon* spiritualis judicii carentia *sub specioso* indolis linguarum *praetextu subinde lateat. — Qua in re gravissimum* S. R. D. Crusii *monitum extat* in der Vorrede zu *Hn. Past.* D. C. G. Michaëlis Neuem Testament, *4to Leipz.* 1769. *pag. XXIII. ubi inter alia:* Bey denen (*ait*), welche den richtigen Text liefern oder auch übersetzen und wohl auslegen sollen, ist zwar viel Kenntniss von Sprachen, Geschichten und allerley Wissenschaften, nebst vielem Fleisse nöthig, aber eine noch so weitläuftige Gelehrsamkeit machet die Sache noch lange nicht aus, sondern es gehört auch eine reife und richtige Beurtheilungskraft dazu, und damit dieselbe reif und unverhindert seyn kann, wird ein tugendhaftes Herz, nemlich ein gläubiges, demüthiges, gegen Gottes Wort ehrerbietiges Herz, erfordert. Die Frömmigkeit und gute Absicht, zusamt dem Gebet, kann die Stelle der Gelehrsamkeit nicht vertreten: denn es müsste durch Wunder geschehen, die weder verheissen noch vorhanden sind. Die blosse Gedächtnissgelehrsamkeit ohne eine practische Beurtheilungskraft ist unzuverlässig, und wird öfter verkehrt als richtig angewendet. Die Materialien aber, welche solche Gelehrte, jeder in seiner Art, liefern, sind andern brauchbar, welche besser urtheilen. Aber auch die natürlich gute practische Beurtheilungskraft, wo das Herz ohne wahre Frömmigkeit und gläubige Ehrfurcht für Gott ist, machet in den Hauptsachen, worauf es in der heiligen Schrift ankommt, die grösste Gelehrsamkeit noch nicht zuverlässig brauchbar. Denn unbekehrte Leute urtheilen nach ihrem Hang, wie eines jeden Gemüthszustand ist, bald frech und verwegen, bald furchtsam und zweifelsüchtig; sie sind partheyisch und verblenden sich selbst. Bisweilen können sie sich dünken redlich zu handeln, aber so, wie die Apostelfeinde, welche meynten, sie thäten Gott einen Dienst daran. Vielfältig aber verfahren sie auch wissentlich unredlich, handeln flüchtig, sehen die Sachen obenhin an *etc. etc.*

2) *Sic v. gr.* Matth. 16, 4. repetitionem *voc.* σημεῖον *sontică causâ non carere: sic*

facile deponet, qui *perpetuam* accurati sermonis *analogiam* per omnes aeque Scripturae periochas mirabiliter sibi constantem observaverit.

Plane ad vim verborum recte pensandam pertinet notitia *Hebraismi*, quo tinctus est sermo Graecus N. T. Indubium est, apostolos et evangelistas ita loqui et scribere solitos esse, uti Judaeis potissimum, in Asia et alibi gentium, Graece loquentibus accommodatum erat. Judaei porro *Hebraicae* linguae indolem in quotidianum sermonem Graecum, ut fit, derivatam habebant, et Graeca translatio V. T. magnopere hebraizans, plane eis erat familiaris: atque ea translatio gradatim inserviit divino consilio, ut Graeca lingua vehiculum fieret verbi divini. Quisquis ergo idiotismus erat in translatione V. T. et in sermone Graeco Judaeorum, apostoli et evangelistae eo recte usi sunt: et quo familiariorem eam translationem habuerit lector N. T. Graeci, quo melius perspectam habebit syntaxin Hebraicam, hoc plus proficiet. Locupletissimam linguarum facultatem Paracletus sanctis hominibus contulit: sed ad auditores et lectores ii se demittere necessum habebant. Si apostolus aliquis ad Barbaros aut Graecos mitteretur hodie, Barbarorum, ut opinor, linguis asperrimis, aut hodierna Graecorum, quamlibet corrupta, dialecto, sapienter uteretur. [1]) Habet stilus N. T. passim locutiones cum probatissimis auctoribus Graecis, etiam ubi minime putasses, congruentes: sed apud scriptores N. T. tota ac perpetua sermonis indoles est consideranda, *Hebraizans*, [2]) abs qua sane stilus eorum, qui foris sunt, discrepat, quanquam sparsim aliqua sunt similia, quod non mirum, quum tam modicum est volumen N. T. et tanta librorum Graecorum profanorum moles, atque horum auctoribus subinde etiam aliquid excidit, quod ipsis minus placeret, et tamen ad locutionem N. T. a philologis multae lectionis cupide confertur. Adde, quae notavimus ad Joh. 6, 37. 12, 6. Ap. 11, 5.

Quae cum ita essent, in explicandis Graecis locutionibus N. T. non longe abire necessum habui: declarationem fere e proximo petii, et v. gr. in loco aliquo epistolae ad Romanos contuli, primum, contextum ipsum, ipsamve ad Romanos epistolam: deinde, reliquas Pauli epistolas: deinde, ceteros libros N. T. tum, LXX interpretes, ut vocantur, porro, patres Graecos, qui et N. T. Graecum et veteres, ipsi Graeci, legerunt: postremo, adeoque raro, eos, qui foris sunt. [3]) Ubi

---

Matth. 9, 4. *voc.* ὑμεῖς, *quâ justissima culpationis* retorsio *continetur*, *minime abundare: sic* Matth. 6, 9. *in locutione* ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *coll.* v. 10. numerum *non temere variare: sic* Matth. 28, 5. *pronomen* ὑμεῖς *itidem grave* antitheton *involvere docetur. Innumera hujus generis notata* (*quae in omni, vel quotidiano, sermone* fundamentum *habent:* neglecta vero *usum Scripturae nemini spernendum multoties reprimunt*) *facile esset cumulare h. l.: sed brevitati consulendum est. Lectorum itaque* vigilantiae *investiganda relinquuntur.*

1) *Quare et hodie in* sermonibus sacris *vel habendis, vel divulgandis etiam,* verba, *quae dicunt,* provincialia (*utut peregrinis peregrina videantur*) *prorsus* exulare *debere, equidem non existimem: imo vero* amoris *potius et* prudentiae, *quam* ἰδιοσυγκρασίας *irrisionibus dignae esse putem, ut ratio dicendi, citra* plebejos barbarismos, *auditorum lectorumve* idiotismis, *quantum fieri potest, accommodetur.*

2) *Hoc ipsum de* Hebraismis *momentum, arduum sane et omnem Exegeseos sacrae ambitum concernens, omni cura et solicitudine ponderatum b. Auctori fuisse, aperte hic locus docet.* Applicationem *et* usum *hujus* principii *hermeneutici* (*quod nescio annon* Bengelii *praecipue operâ multis demum vel innotuerit vel certe commendatum sit*) *frequentissime in hoc libro omnis fere pagina prodit.* (*Vid. e. gr. Matth.* 1, 1. 12, 21. 16, 22. 22, 42. 25, 31. 26, 25. *etc.*) Methodus *itaque Bengeliana prorsus id infert, ut* Hebraismorum *perpetua ratio habeatur. Neque tamen hujus rei vel* negligentiam *vel* ignorantiam *quoque Eruditorum nostrae aetatis* aliqui *exprobrare* Beato *unquam desinunt. Enimvero si quis,* quibus locis *hac in parte satisfactum non sit,* per inductionem *ostendere dignaretur: vix equidem dubito, quin singulis* paene *in casibus demonstrari posset, non* Hebraismi *neglectum, sed alias rationes in promtu esse, cur* pressius *aliquando, quam istis quidem Viris placeat,* verborum proprietati *inhaerere,* Bengelius *consultum duxerit.* (*Cf. meine* Beleuchtung *etc.* §. 3. *et* 17.) Generalibus *vel* exprobrationibus *vel* defensionibus *nihil tali in re conficitur.*

3) *At,* qui foris sunt, *iis nunc, perversissimâ sane methodo, ab eorum haud paucis, quî insigni inter Eruditos loco habentur,* primae *subinde partes conceduntur:* ultimae *fere,* contextui sacro *et* peculiari prophetarum apostolorumve, *divino spiritu actorum,* genio. Duo *scilicet* idem quum faciunt, *duo idem quum dicunt,* non est idem. *His non observatis, et*

Google

loca V. T. allegantur in Novo, verba LXX interpretum, ea praesertim, a quibus differt Novum Testamentum, descripta dedi, quo commodior esset collatio. Ubi eadem sunt verba V. T. et Novi, proprietatem textus Hebraici LXX interpretibus anteposui. quo vestigio, quid sit τροποφορεῖν, ἑτοιμασία, κεφαλὶς βιβλίου κτλ. optime discitur. Operam equidem dedi, ut in has annotationes quam plenissime derivarem utilitates ex LXX int. capiendas. Quae ex Grammatica Graeca aut Lexico peti possunt, ea nemo hic pertractata desideraverit. [1]) Interdum, ubi momenti aliquid subest, aut ubi alii hallucinantur, ad talia descendimus.

§. 15. Cum *affectibus* sanctis, quod comparari possit, terra nihil alit. Continentur autem in iis etiam τὰ ἤθη, sive *Mores*, vocabulo minus commodo. *Affectus*, absolute dicti, *concitati* sunt: *mores*, sunt affectus lenes, mites atque compositi. De his non alienum fuerit legere Quintilianum lib. VI. cap. 2. nam disputatio tota in hanc praefationem induci non potest. *Argumenta*, *mores*, *affectus*, habent, ut omnes, ita sancti sermones, etiam in Novo Testamento. *Argumenta*, nemo non tractat: *affectuum* rationem habent sapientiores, spirituali experientia praediti: *mores*, omnium pace dixerim, propemodum negliguntur, praeterquam quod *Verecundia* scripturae interdum praedicatur. Et tamen *mores* per omnes sermones atque epistolas N. T. mirabiliter diffusi, *continuam* quandam *commendationem* habent ejus, qui agit aut loquitur aut scribit, et *Decorum* praecipue complectuntur. Delibavimus aliquid in Apparatu, p. 372. *(i. e.* §. I. *Introductionis in Crisin N. T. Ed. II. p.* 4. *sq.)*, et plura in Harmon. evang. p. 57. 105. 111. 214. 216. 242. 278. 281. s. *(Ed. II. d. a.* 1747, *p.* 56. 69. 171. 183. 340. 342. 380. 382. 451. 454. *sq.)* sed in praesenti opere uberior *morum* juxta cum *affectibus* est consideratio. Haec pleraque sunt ejusmodi, ut magis sensu cordis, quam verborum circuitu assequaris. Quae potissima causa erit, cur annotatio nostra saepe nimium subtilis [2]), saepe satis frigida putari possit: sed qui paulatim assueverint, non dubito, quin mihi assensuri sint, et sermones divinos admiraturi. Tenerrimo penicilli ductu pictor, celerrimo notularum fugientium tinnitu musicus summam artis elegantiam exercet, et in apice cujusvis rei quae minima sunt, ea rudes quidem oculos et aures subterfugiunt, sed floridissimas revera delicias habent, ex ipsa radice pullulantes. Sic se habet Scriptura sacra. Capiat quilibet, quod capit: cetera exagitare parcat.

§. 16. Complura eorum genera sunt, qui libros sacros commentando illustrare aggrediuntur: interdum etiam alii aliorum instituta contemnunt, sua unice amant. Ego neque paraphrasten totus ago, neque grammaticum, neque scholiasten, neque antiquarium, neque dialecticum, neque dogmaticum, neque polemicum, neque porismaticum: et tamen quiddam ex his *omnibus* liberrime conflatum

---

Scripturae analogiâ *leviter posthabitâ*, *immanis* paralogismorum *cumulus*, *infelici omine*, *non potest non omnem sacram exegesin*, *sub speciosissimo* vastae eruditionis *praetextu*, *corrumpere*, *et* divinissima *quaevis ad inanes humani ingenii speculationes detrudere. Utinam religiose omnes perpenderent*, *quae hac de re pluribus gravissime disseruit* S. R. D. Crusius, *in der* Vorrede zum Burkischen Fingerzeig, *s. t.* von dem Unterschiede zwischen der Auslegung der Texte, und der Aufsuchung der Beweissprüche, *d. A.* 1760.

1) *Immo vero* Lexicorum *fidem caeco quasi impetu secutum identidem esse* Gnomonis Auctorem, *est qui non erubescat identidem ingeminare. Qua vel* judicii perspicacia *vel* animi integritate *istud fiat*, *meum non est decernere.* Auctorum graecorum *lectitatione haud prolixa* imbutum *fuisse b.* Bengelium, *nemini facile*, *qui vel* Chrysostomi de sacerdotio libros, *ipsius curâ editos*, *cum subjunctis* annotationibus, *vel* Gregorii ad Originem panegyricum, (*ut reliqua taceam*) *fugitivo oculo perlustraverit*, *alienum esse vel obscurum potest. Conf.* Vitam *Benti*, §. 15.

2) *Huc v. gr.* ordinem verborum *quoque referas*, *cujus ratio singularis ostenditur Luc.* 11, 36. *Marc.* 4, 31. sq. Marc. 15, 20. *coll. Hebr.* 13, 12. *Hebr.* 4, 7. *not. etc.*, *nec non* Allusiones, *quae*, *ubi mentes bene compositae et seria σοφροσύνῃ tinctae*, *jucundissime aliquando efficiant*, *facillime tamen ab aliis*, *tanquam* nugae, *traducuntur atque* exsibilantur. *Vid. e. g. Matth.* 10, 38. *Luc.* 5, 10. 12, 46. *Act.* 1, 18. *not. ad* σπλάγχνα, 2 *Cor.* 9, 10. 2 *Tim.* 2, 9. *Bene in talibus* modum *qui tenere nesciunt*, *ipsi quandoque res in se* gravissimas *leviorum risui imprudentes exponunt: sed prorsus haec omnia*, *propter* abusûs *metum*, dissimulare, *cordati interpretis non est; etiamsi complures* minime parcant, quae non capiunt, exagitare.

apporto. [1]) Nil est, quod non aliquem praebeat usum: ubi usus cupide urgetur, in abusum degenerat: abusui medetur sobria et aequa omnium subsidiorum aestimatio. *Dicta classica* non praetervehor: difficultates vulgo vexatas non dissimulo: sed tamen ceteras consideratu aeque dignas scripturae partes aeque expendo. Quod genus annotationum praesens quaelibet pars, quisque locus, qui sub manu est, ad vim suam explicandam postulat, eo utor: ut vel verba et locutiones evolvantur; vel habitus animi apud eos, qui loquuntur, et apud eos, quibus scribitur, notetur: vel verae doctrinae observentur, falsae redarguantur; vel monita pietatis et prudentiae christianae eliciantur; vel allegata V. T. in Novo et alia parallela loca expendantur; vel argumentorum pondera et nexus resolvantur: eaque omnia ita proponuntur, ut lectori ansa detur plura cogitandi. In singulas annotationes [2]) dicere putabitur Gnomon: *Sic* habet textus, non aliter. *hoc* nomen, *hoc* verbum, *haec* particula, *hic* casus, *hoc* tempus est, non aliud: *hic* verborum ordo, *haec* verborum repetitio aut commutatio, *haec* argumentorum consecutio, *hic* animorum motus etc.

§. 17. Opinionum divortia operose enumerata ac refutata, cum scriptorum nominibus et librorum titulis, non admodum requiret, [3]) qui, quid hîc agatur, intelligit. Esse quosdam expedit, qui eas partes suscipiant, historiamque interpretationum vel per secula deducant: sed paucorum facultas est; nec desunt tamen, qui multa in utilitatem communem eruant et convehant. Ineptas vero sententias et vix cuiquam in mentem venturas, subinde commemoratas legere, minus juvat infirmos, quam ignorare. Male nobiscum ageretur, si ad regiam veritatis viam dignoscendam necessum esset, omnia avia in numerato habere et pertentare: imo multitudo sententiarum veram interpretationem saepius obruit, quam subministrat. Novis tamen quibusdam interpretationibus occurro, neque auctoribus neque verbis eorum citatis. Lector, earum inscius, non sentiet; neque enim opus est: gnarus, perspiciet, quid velim. Nonnullas etiam speciosiores interpretationes, minus ad-

---

1) *Mirari profecto subit (fatendum enim est), qui factum sit, ut cel.* D. Ernesti, Instit. Interpr. N. T., *Ed. II. P. II. c.* 9. §. 32. *eorum interpretum* generi (*coll.* §. 31.) Bengelium *annumeret*, qui grammatica modo et philologica secuti sunt, ut sensus verborum explicaretur. *Judicet lector, num in his* omnis *Gnomonis usus subsistat; an* reliqua *simul, h. l. indigitata, complectatur? Equidem, qui* dogmaticarum, *qui* polemicarum, *qui* pastoralium, *qui* practicarum, *etc.* observationum *largam segetem ex hoc libro collegerunt, eoque labore haud parum frugis consecutos se confessi sunt, Lectores neque numero neque mentis vel probitate vel acumine spernendos nominare, citra jactantiam, facile possem. Sed sufficit h. l. ad eam* methodi gnomonicae *delineationem provocare, quam* Anonymus *aliquis* b. m., *isque nullo partium studio impeditus, dedit peculiari tractatione A.* 1762 *conscripta, et postmodum Tomo VI. P. II. des* Burkischen Fingerzeigs, *A.* 1766, Praefationis *loco praemissa: quacum conferri utiliter queat alterius cujusdam* Anonymi *libellus, s. t.* Versuch einer näheren Bestimmung des Begriffs, den man mit dem erbaulichen Exegesiren verbinden soll, und was der sel. Prälat Bengel darinnen eigentlich geleistet hat. Greiz, 1769. — *Unum est, Lector! quod etiam atque etiam rogatum te velim: TUIS FAC OCULIS VIDEAS.*

2) *Huic succinctae methodo qui* semel *assuefactus fuerit, is optime consultum et operae et tempori sentiet, quascunque reliqui lectorum de* obscuritate sermonis *querelas fundant.*

3) *Atqui haec ipsa, nisi fallor,* vanitatis fuga, *qua lectorum potius commodo, quam gloriolae suae consultum voluit* Auctor, *in caussa est, cur literatorum aliqui, nimio polyhistorias aestimio capti, eam Bengelii in* legendis *et* ponderandis *variis variorum libris assiduitatem vix probabilem esse credant, quâ inanis aliquis jactator frequentem sui admirationem facile fortassis rapturus ad se fuisset. Ea certe recordiae species neque* Bengelio, *salva aequitate, neque* aliis *nostri vel soli vel aevi* Doctoribus *tribui potest, quam Eruditorum aliquis haud ita pridem, sua de* Suevicis Theologis *cogitata aperturus, his verbis descriptam dedit:* Daher lesen und prüfen sie auch die Schriften berüchtigter und gefährlicher Philologen entweder gar nicht, oder mit einem viel zu mächtigen Vorurtheil, als dass sie das wahre aus dem falschen mit gebührender Genauigkeit aussondern sollten. *Fateor, in isto* eximii Viri, *et de b.* Parente *meo, quin de* veritate evangelica, *haud mediocriter meriti, judicio reperisse me aliqua, quae* praecipitantiae *nonnihil prodere, et* maturius examen, *ab Ipso posthac, ut confidere fas est, instituendum, desiderare viderentur. Talia sunt v. g. quae de* microcosmo et macrocosmo, *de* Chiasmo, *de* typis et allegoriis, *de* Emphasibus, *de* Subjecto et Objecto *etc. liberiori dicendi ratione proposuit.*

Google

huc discussas, attingo: et, ubi mea sententia paradoxa videri posset, aliorum consensionem, veterum praesertim, ostendo.

§. 18. In commentariis nihil est tritius, quam *Harmoniae Evangelicae* titulus: sed sub hoc ipso titulo quiddam ab aliis fere omnibus sejunctum dare necesse habui. Harmoniae basis est, TERNARIUS PASCHATUM inter Baptismum Domini et inter Exaltationem ejus, ab antiquis frequenter, novissime a *Timotheo Philadelpho* agnitus: sed plura paschata plerique statuunt recentiores. Ad veram paschatum trium amussim *Evangelistas* tractavi *conjunctim in Harmonia* evangelistarum Germanice edita A. 1736., recusa A. 1747, [1]) et cum eo tractatu intime connexa est *singulorum* in praesenti Evangelistarum consideratio. Quare quae maxime sunt necessaria, placide repetam.

1. Nativitas J. C. non potest poni ultra bimestre ante mortem Herodis.

2. Mors Herodis non potest citius aut serius poni, quam in mense februario anni 3 ante aeram Dionys. Demonstrat id eclipsis lunae apud Josephum, et quae Josephus inter eam et inter pascha illius anni facti esse scribit.

3. Annus 15 imperii Tiberii non potest initium habere ante mensem Tisri in anno 27 aerae Dion.

4. Dominus cum esset quasi annorum 30, baptizatus est, et interjectis 40 diebus tentatus, aliquo intervallo ante pascha anni 28 aerae Dion.

5. Eodem, non alio, in anno, templum poterat dici annis 46 aedificatum. Joh. 2, 20.

6. Crucifixus est Dominus anno 30 aerae Dion. Namque hic ipse annus, non annus 29, 31, 32, habuit pascha in fine hebdomadis: annus autem 33 nimis est serus, et omnibus antiquae ecclesiae sententiis refutatur.

7. Ergo tota historia a Paschate Joh. 2, ad Pascha Joh. 18, includitur in annum 28. 29. 30. aerae Dion. Sunt Paschata tria.

Hae theses, singulatim, dubiae videri possunt, sed in suo nexu certae sunt et immotae; et paschata non nisi tria necessario inferunt. Adversarium Harmonia mea humanissimum nacta est D. *Hauberum:* qui quid hodie sentiat, haud scio; sed certe summam Harmoniae ab illo adornatae adoptavit opus eximium, quod inscribitur *Deutsche Original-Bibel*: [2]) novissimeque D. *Walchius* in Meletematis de Vita D. N. I. C. me saepius reprehendit. Horum autem neuter chronologicos Evangelistarum adhibuit nervos. Studiose chronologiam evangelicam memoria nostra tractarunt Camp. Vitringa, P. Allix, Com. Camillus de Sylvestris, Nicasius Grammatici, J. J. Hottingerus, C. G. Hofmannus, Leonardus Offerhaus etc. Longe inter se differunt; sed si confligas eos et in unum contrahas, quicquid ex vero quisque habent, id ternarium paschatum, ipsis quandoque invitis, confirmat: neque ii, qui quatuor, ne dicam, qui plura paschata fingunt, characteres illos chronologicos, ab ipsis evangelistis tam graviter praescriptos, sine violentia tractare possunt. Quaternarius paschatum magnam periocharum earundem seriem, a Matth. 4. ad 13. et in parallelis Marci Lucaeque locis, quam terna-

---

1) *Hujus recentioris Editionis occasione*, accessionibus *haud vulgaribus ornatae*, *in* Praefatione *h. Auctor*, §. 6. *generatim*, *quid de* posteriorum Editionum ἐξεργασία *senserit*, *his verbis declaravit:* Die Besitzer der *vorigen* Exemplarien pflegen zu wünschen, dass die letztere Gedanken *besonders* gedruckt würden: aber solches ist nicht thunlich. Denn wann wir von allen Büchern, die heut zu tage noch Dienste leisten, nur ihre ersten Ausgaben hätten, und alle folgende grosse und kleine Zusätze und Verbesserungen, die ein jeder Verfasser selbst und seine Nachfolger nacheinander gemacht haben, besonder gestellet wären, was wäre das für eine ungeheure Unordnung? Also gebühret es sich, dass ein Besitzer einer vorigen Ausgabe die folgenden vermehrten und verbesserten mit günstigen Augen ansehe, wiewohl einem Schriftsteller auch geziemet, die vornehmsten Aenderungen anzuzeigen. — *Quod Monitum haud judicassem hoc loco repetendum esse, nisi et* Apparatus critici, *a. b.* Burkio *editi*, *et* Gnomonis *respectu eadem fere aliquorum desideria responsionis istud loco requirere visa essent.*

2) *Cui tamen ipsi libro annexa est b.* Bengelii Tabella *s. t.* Vergleichung des Neuen Testaments, darinn Lutheri deutsche Uebersetzung, Reineccii griechischer Text, und Bengelii Revision des griechischen N. T. unterschieden sind. *Vid. App. Crit. Ed. II. p. 678. sqq.*

Digitized by Google

rius simplicem agnoscit, duplicat vel triplicat, manifesto incommodo. Ternarius, vel apud Matthaeum vel potius apud Marcum et Lucam, in historia pauculorum tantummodo mensium, *Trajectionem* infert, eamque fructuosam; Quaternarius, sub specie ordinis, *confusionem*. Lightfootus in Chronicis et V. et N. T. id ex instituto agit, ut *Trajectiones* apud Evangelistas, quamvis quatuor paschata habet, et in tota scriptura obvias demonstret. Ternarius exacte congruit cum LXX hebdomadibus apud Danielem, et cum lectionibus Mosis et prophetarum in sabbatis et diebus festis, ad quos aperta frequens apud Evangelistas est allusio, cursuique Salvatoris celeritatem convenientissimam tribuit: Quaternarius haec omnia obliterat. Uberiorem demonstrationem ipsa habet Harmonia, §. 12, Ordoque Temporum, cap. 5. Hinc jure concludo: [1]) *Quisquis plura tribus Paschata inter Baptismus Domini et inter Exaltationem statuit, ejus opera in Evangelistis, quatenus Harmoniam spectat, irrita, et in Vitam D. N. J. C. minime honorifica debet haberi ab omnibus, qui errore non aeque atque veritate pascuntur.* Ad Harmoniam Evangelistarum, [2]) ita constitutam, et ad Ordinem temporum, [3]) passim hic remittit Gnomon, [4]) eoque jam expeditior et Evangelistarum consideratio reliqua. Tabulam quoque, ex Evangelistis coagmentatam, tanquam Monotessaron, habet Harmonia: [5]) Gnomon autem singulos Evangelistas singulis in Tabulis, ad quemque seorsum accommodatis, refert.

§. 19. *Acta* Apostolorum magnam habent conjunctionem cum *Epistolis*, *Pauli* praesertim, et per has bonam partem illustrantur: in *Epistolis*, non desultoria est annotatio nostra ad sermones confertiore doctrina plenos, sed aequabiliter deducta ac propemodum perpetua. Summam ac seriem Historiae dat *Ordo temporum*, cap. 6.

§. 20. De rationibus tractationis nostrae *Apocalypticae*, praeter proprium notarum ad hanc prophetiam *prooemium*, in ipsis passim *notis* agitur. Nam ut Germanica exegesis seorsum exstat, sic Latina in extremo hoc volumine datur. De illa, Germanica, *Epicrisin (Beurtheilung)* nuper emisit cel. Theologus, D. *Joachimus Langius*, eamque Antidoto W. Sherlockii contra papatum, quod in vernaculum sermonem transtulit Fridericus Eberhardus Rambachius, sub titulo *Mantissae Apocalypticae* adjecit: convenit autem Epicrisis cum Latino ejus *commentario* in *Gloria Christi*. Quare Gnomoni huic et examen praecipiorum *Commentarii* nervorum, et responsionem ad *Epicrisin* committi oportere existimavi. De Epicrisi illa ut nuncium accepi, constitui, non minore cum prolubio cedere veritati, a subactissimo interprete monstratae, quam eandem mihi propitiam defendere. Scripti potitus, nonnulla, quae vel displicerent Auctori ejus vel placerent, delibata inveni. Ego vicissim, qua parte aut assensus eximii Viri me delectarit, aut dissensus ad meam sententiam recognoscendam invitarit, exponam: quaemadmodumque ille summa usus est humanitate, sic ego observantiam erga Senem, cujus etiam hospitio anno 1713, et deinceps commercio gavisus sum, tuebor.

1. Praecipue de *bestia* et de *meretrice* dissentit, p. 371—405. Multum haec ab illa differt, fateor: veram autem differentiam consideramus infra ad cap. 13, 1.

2. Infert inde, ad superiores suos remittens commentarios, *generatim*, in in-

---

1) *Hujus non* Oraculi, *sed legitimae* Conclusionis *vim quibus rationibus equidem adversus recentiorum objectiones, DD.* Berlingii *ac.*, Büschingii, Loeberi, Ernesti, *numerum et eruditionis fama conspicuorum, tueri conatus sim, videre est in meiner* Beleuchtung etc. §§. 20. 26. 29.

2) *d. A.* 1747.

3) *ejusque nunc utramque Editionem.*

4) *Ita quidem, ut* tertia *nunc* Editio *praecipuas* harmoniae *stricturas* (ut in Prooemio *dixi*), *quae* exegesin *potissimum illustrare viderentur, Lectoribus exhibeat.*

5) *habet etiam Pl. Rev.* D. C. G. Michaëlis Neues Testament nach der Uebersezung Lutheri, mit gehörigen Orts bemerkter genauerer Berichtigung der Uebersezung nach dem Grundtext, und eingeschalteten Erklärungen, als ein Auszug der zur Auslegung gehörigen Arbeiten des sel. D. Bengels über das Neue Testament, Leipzig 1769.; *habent* Biblia germanica, Tubingae *A.* 1770, *cum* Praef. *S. R.* D. C. F. Sartorii, *typis* Sigmundianis *edita; habet ipsius b.* Bengelii Uebersezung des N. T., *Ed. II., A. 1769, curante b.* Burkio *edita, Append. Nro. IX.; habent plura passim recentiorum Commentatorum monumenta.*

ed by Google

terpretatione septem *sigillorum* et septem *tubarum*, adeoque totius *libri*, me titubare, non minus, quam Vitringam. p. 405. Resp. Interpretatio bestiae et meretricis vindicata — et reliquae partes, se mutuo sustentant. Complura sunt, quorum speciosam quidem explanationem dedit Epicrisis, p. 371. seqq. 394. seqq. 400. seqq. sed mihi ea non obsunt: nam egomet ut vera agnosco. Optabilior fuerat discussio eorum, quae in quaestione sunt. Hic vero est, quod admiremur. Ipsam *summam* systematis apocalyptici, a cel. D. Langio adornati, examinaveram in libro meo, pag. 500—504., auctore *nominatim* laudato, scripseramque ibi, *Quisquis veritatem quaerit, is hoc momentum quam diligentissime perpendat:* et tamen de toto illo examine *prorsus tacet*, nec paginam 107. s. 123. s. 214. s. 285. 295., omnesque fere, quas colligeram in Praef. §. 7., attingit. Lectum sibi librum, ait: alias pro certo haberem, eum cursim tantummodo nonnulla decerpisse. Equidem loca illa in praesenti *ab integro repetita* putari volo. nam ea commentarios cel. auctoris mihi perpensos, et errores, quos is in Vitringa redarguit, a me vitatos, curate praesupponunt. Praeterea Gnomon apocalypticus, cujusmodi sit cel. viri interpretatio, in *sigillis*, *tubis*, aliisque partibus, ubi nervus inest, modeste monet, ad c. 4, 1. etc.

3. Initia *vae trium*, ipsiusque *vae tertii*, nimis alte putat a me poni. p. 406. Respondetur infra, in cap. 8, 13.

4. De *duobus testibus*, deque *urbe magna*, assentitur: itemque de *regno*. p. 406. seqq.

5. Capitis 12. expositionem approbat, quod ad futura attinet tempora: quod ad praeterita, non approbat p. 408. De praeteritis, vid. infra, ad cap. 12, 5.

6. Amplectitur *gentium conversionem, millennium futurum, (sed simplex,) resurrectionem primam.* p. 409—421. Atque hac potissimum in parte ab *equuleo*, quem persaepe appellat, *hermeneutico*, prophetiam liberavit. Concordiam autem scripturarum de ultimis temporibus, quae et ut mala et ut bona describantur, in duplici adventu Christi quaerit; ut mala sint ante adventum priorem, bona in millennio: comm. apoc. f. 239. quanquam concordiam illam, salva adventus unitate, non nisi *bis mille* asserunt anni, de quibus infra, ad c. 20, 4.

7. Quae de aliis *temporum periodis* ad mille annos collatis dixerim, negat se capere. p. 421. Non recordatus est eorum, quae exposueram p. 127. 644. etc. ex genuina temporum analysi. Quam qui agnoscunt, hi scrutinium propheticum aetati nostrae maximopere necessarium perspiciunt: (coll. Epicr. p. 409. seq.) qui non agnoscunt, in longo seculorum spatio fluctuant. nam hypothesis ab Halensi Theologo inprimis, v. gr. de bestiae mensibus 42, annos communes $3^1/_2$ notantibus, ipsos illos annos $3^1/_2$ et subsequentem ecclesiae florem, duo etiamnum secula et ultra differt. vid. *Erkl. Offenb.* p. 503. seq. Tali spe, adhuc praestaret alia meditari, atque prophetias in hanc jam partem versare.

8. Prolixas libri mei periochas referre dignatus est Theologus Venerandus, de iis capitibus, in quibus et meam cum ipso [1]) consensionem invenit, et veritatis *victoriam* jure praedicat: pag 422. non tamen *omnium* esse partium recensionem, ipsi tituli, modo memorati, indicant. nam intra perpauca Apocalypseos capita versantur: cetera fere intacta manserunt. Omnino liberum ei fuit: lectoris autem interest scire, multo ibi plura esse a me tractata, in quibus est *fluxus rerum ex invisibilibus in visibilia, et refluxus ex his in illa: differentia septenorum angelorum ecclesiarumque, sigillorum, tubarum, phialarum: septenariorum divisio in quatuor et tria: cursus rerum ex oriente in occidentem, etc.* Eorum causa,

---

1) Consensiones *nimirum, quoad praecipua Apocalypseos momenta inter plurimos interpretes, a* Lutheri *inde, quin remotioribus etiam temporibus, intercedentes, callide dissimulant;* dissensum *quoris modo exaggerant, qui* certitudinis *aliquid in exegesi hujus libri impetrari posse, tenacissime pernegant. Ea vero judicandi methodo nullam salutaris veritatis partem infelici* scepticismo *non involvi posse, pluribus demonstratum dedit S. R. D.* C. F. Schmidius, *in seiner kritischen Untersuchung,* Ob die Offenbarung Johannis ein ächtes göttliches Buch ist? *p. 22. sqq. not. marg. Conf. S. R. D.* Crusii *Vorrede zu* Hn. Past. Michaëlis N. T., *p. XXV. sqq.*

Digitized by Google

quae Ven. Theologus egregie pertractarat, non scripsissem exegesin: sed cum certum haberem, ex fonte sapientiae apocalypticae inexhausto quiddam in meum canalem manavisse, id ad alios derivandum censui.

9. Ad prophetias *V. T.* recludendas quiddam a me proficisci posse, singulari benignitate censet, p. 428. Systema autem meum amplius limari oportere, addit ille, et egomet agnosco. Ex Apocalypsi, *non obsignata*, Daniel, qui *obsignatus* erat, et alii prophetae, qui *mysterium DEI* descripserunt, recludentur [1]). Sed quae idem ille retractanda mihi judicat, ea veram cum prophetiis V. T. collationem nunquam impedient.

10. Firmius id mihi spondet *Ordo temporum*, illi exspectatus. Id syntagma, cum utraque exegesi Apocalypseos, editum inter utramque, intimam habet necessitudinem. Etenim unam historicarum periodorum et propheticarum catenam, perpetuo se nexu cohibentem, refert.

Omnem meam εὐπειθειαν et docilitatem evocavi, ut, sicubi *grandaevus Hermeneuta* demonstrasset, falli me, scite etiamnum ab errore desisterem. Sed sine assentatione, abs qua illum abhorrere novi, sententiam mutare non possum: *Germanicoque* sermone, quo uterque nostrum juxta cum Latino usus est, nonnulla, si Dei voluntas feret, submittam, tempore. *Est enim justa et brevis exspectatio quarundam rerum, unde applicatio prophetiae ad nostram aetatem distinctior evadat, facultasque detur, complura utilia uno fasce complectendi.* Veritatem uterque bona sectamur fide: amor illius in me, mea etiam observantia in illum, ingenua sententiae alterius declaratione, alterius leni tolerantia, non modo non laeditur, sed etiam pascitur. Neque ipsa dissensio de capitibus quibusdam fructu caret. nam quanto major in ea utriusque nostrum est perseverantia, tanto magis nostra eorundem de aliis capitibus consensio spectatores atque arbitros amicissimi certaminis ad rem considerandam commovere debet: et quisquis rationibus primipilaris Hermeneutae hîc satisfactum iudicabit, is aliorum in sententias meas apocalypticas impetu minus terrebitur. Posthac facilior evadet res, ut dixeram in Praef. §. 15. Interea ex animo opto, ut Theologus Halensis in *Bibliis Parentheticis* divino munere ex divino sensu explicet. Atque utinam, quum tam multi ex ejus auctoritate pendent, re maturius, quoad pretiosae ejus horae patiantur, perpensa, publice declaret, *utrum adversarius an defensor earum systematis mei partium, quibus Epicrisis ejus contradixit*, (nulla me φιλονεικία agit, sed gravitas rei urget) *apud posteritatem illuminatiorem haberi velit.* Versiculo non minus de ecclesia merebitur, quam volumine. Me non pudefaciet victoria veritatis. In extremo promam, quod unum ad decisionem sufficiat: cupidior semihorii de mille annis (suo loco firmis) interpretatio totum Systema, cujus tantus Defensor est Theologus Halensis, non obscure invexit. Illa cadente, hoc veritati cedet.

Aliorum hominum variae se cogitationes produnt super meis in hoc genere commentationibus. Apud quosdam ceteris meis laboribus vix redemero culpam, quam a me in prophetico studio contractam putant. [2]) Sunt, quibus calculi mei haud satisfacere ferantur: sublimitatem videlicet mathematicam quaerunt, et humilitatem nostram transvolant. nam nobis rudimenta arithmetica dummodo *fracti* numeri vigilanter observentur, sufficiunt. [3]) Plures, seposito scrutinii labore, facilius se expediunt, et in portu sibi navigare videntur, dum in salo oculos claudunt. Videant, quid agant: nobilior est veritas, quam quae se obtrudat. Ego

---

1) *Qua in re, si insignes doctrina et auctoritate Viros audias, haud vulgarem, DEO largiente, operam praestitit Ven. M.* M. F. Roosius, *Lustnauiensis in hac vicinia Dioeceseos Superintendens, in lib. qui inscribitur:* Auslegung der Weissagungen Daniels, die in die Zeit des N. T. hinein reichen, nebst ihrer Vergleichung mit der Offenbarung Johannis, nach der Bengelischen Erklärung derselben. *Cf. cel. D.* Crusii *Hypomn. ad Theol. proph. P. I. p.* 207.

2) *Cf. hac de re, quae Ven.* Hellwagius *notavit in* Praef. *ad Ed. II.* Ord. Temp. §. X. XI.

3) *Neque tamen, quod in* Cyclo (*Lipsiae, ut fama est, germanice propediem iterum proditurо*) *demonstratum est, vel subtilissimae* Astronomorum *observationes cum h.* Auctoris *linea chronologica non consentiunt.*

Digitized by Google

nil novi habeo, quod pro ea dicam. Apologia etiamnum hac utor: *Ora, scripturam sacram antepone pectoris tui scrinio, et rem TOTAM* [1]) *prius cognosce, quam judicium facias.* Felix, qui loquitur in aures auscultantium. Sir. 25.

§. 21. *Orthodoxiam* meam nemo adhuc in discrimen adduxit. [2]) Quisquis scripta mea perpenderit, agnoscet, me normam Scripturae non solum in doctrinis, sed etiam in verbis ea religione sequi, quae vel bonis a superstitione vix abesse videatur. Nullam enim aberrationem a linea Veri in Scriptura nobis propositi tam levem statuo, ut non agnitio veritatis sit praestabilior, scientiae DEI, ipso inspectante, respondens, et gloriae illius consentanea. Una est veritas: maxima et minima sui parte cohaeret. Erit ergo lectoris, bene existimare, donec erroris reus peragar ab aliquo, qui non ipse accusando erret. Fit hoc nimis saepe, ut unus alteri malam sententiam, abs qua uterque aeque abhorret, tribuat, et mille alios brevi praecipitique relatione misere offendat. Tali in casu quid lectori, quid mihi, faciendum putem, declarat *Erkl. Offenb.* praef. §. 13.

§. 22. Qui Graece didicere vel discunt, eos propria non potest non manere utilitas: sed aliis tamen quoque veritatis amatoribus prodesse cupio. Quos ut Graeca Latinis necessario interspersa quam minimum impedirent, ipsi operam a me datam sentient. Nam Graeca textûs verba sola praefiguntur verbalibus nostris annotationibus [3]), sed Graeca et Latina realibus: in cursu earum, Latina prae Graecis aut cum Graecis ponuntur. Latina textûs verba ex Vulgata et ex aliis translationibus sunt desumta, vel nunc demum Graecis exprimendis adhibita, eo plerumque casu, quem Latinus postulat contextus, quamvis Graece sit alius; et eo verborum delectu, ut etiam cum aliqua purae Latinitatis imminutione vis nativa Graecorum verborum quam proxime redderetur.

§. 23. In reliquo sermone eam Latine loquendi formam adhibui, quae huic generi commentandi apta videretur, sine moroso aut contemtu [4]) aut studio Latinitatis, quae ubi nimis colitur, majus fastidium, a cultoribus tamen violata, movet, apud eos, praesertim, qui aliquid vernaculae Latinitatis olfecerunt.

§. 24. Termini technici passim occurrunt, quales sunt: *Anthypophora, apodioxis, asyndeton, ἓν διὰ δυοῖν, epiphonema, epitasis, ethopoeia, hypallage, litotes, mimesis, oxymoron, ploce, προθεραπεία καὶ ἐπιθεραπεία, prosopopoeia, sejugatio,*

---

1) — *eamque, si quid in re tam seria mihi quoque concessum fuerit flagitare,* BENGELII *potius, quam ullius vel* defensoris *vel* adversarii *verbis exhibitam,* —

2) *Immo vero* Chiliasmi *labem adspergere Beato, post innumeras declarationes, ne hodie quidem* iniquiorum *aliqui desinunt; quo nomine justissima querela me usum esse* (in meiner Beleuchtung etc. §. 21.), Ephemeridum *literariarum relationes passim testantur.*

3) *Saepissime hac ipsa concisa methodo mera* verborum translatio *vel* explicationis *vel* refutationis *usum attentis lectoribus subtiliter exhibet. Sic v. gr. Matth. 15, 6. vocula* καὶ, *per* atque adeo *reddita, nexum cum praecedentibus ostendit: sic Matth. 4, 16. verbum* conspexit, *graeco* ἴδοι *junctum, eam ideam suppeditat, quae germanica phrasi* zu sehen bekommen *exprimitur: sic Matth. 10, 34.* Imperativo, *quem* Vers. Luth. *habet,* Indicativus, scitis, *substituitur: sic Marc. 4, 11. verbo* accidit *innuitur, non DEI sed hominum culpâ,* i. e. per accidens, *ut loquuntur, istud fieri: sic Marc. 10, 11. latinum,* in illam, *lectorem commonefacit, non* suo *saltem incommodo talem peccare, sed* ipsi *praecise* mulieri *injuriam facere. Plura cumulare supersedeo: et ne his quidem* oculatiores *opus haberent. Enimvero fit nonnunquam, ut, his neglectis,* inanes lusus *et nullius frugis* minutias *quandoque subesse suspicetur aliquis, ubi* Objectionibus dubiisve vel *apertis et in publicum emissis,* vel *privatim communicatis,* vel *animum certe facile subituris,* tacite *occurrere b.* Auctor *instituit. Multae igitur judicii obliquitates parit* Elenchi, *quam dicunt,* ignoratio.

4) *Cujus tamen postulare Beatum vel* amicissimorum *aliqui hodienum pergunt. Enimvero vel* ipsi *(quod praefiscini dixerim) quid* Latinitas vernacula *ferat, subinde meminisse negligunt; vel* concisae brevitati *nesciunt quidquam largiri; vel* terminis technicis *(de quibus §. seq.) minus adsuefacti, prolixam ubique periphrasin facilius tolerarent; vel ne istud quidem satis tenent, quod* ante hos 30, *et quod excurrit,* annos *locutiones haud paucae* usitatiores *inter Theologos fuerint, quae* nunc demum *nauseam movere delicatioribus auribus incipiunt. Ceterum,* barbariem scholasticam *et evitasse Auctorem, et modo non uno sublatum isse, ex* coaevorum scriptorum *collatione nullo negotio demonstrandum fuerit. Conf. quae de* Scripturae stilo notantur *ad Joh. 12, 6.*

Digitized by Google

zeugma etc. ubi monendus est lector, ne annotationem per terminos technicos in compendium redactam, sed opinione utiliorem, subito praetereat, v. gr. Joh. 10, 27. s. Praecipuum autem usum habet *concisa oratio* sive *semiduplex*, ex stilo Hebraico: et χιασμὸς, qui inprimis occonomiam totius epistolae ad *Hebraeos* pandit. [1]) Utriusque figurae exempla refert *Index*. Talia ubique per periphrasin exprimere, longum fuisset: alibi ergo consulent [2]), qui in aliquo figurae nomine haerent. Annotationes loquuntur vel ex persona auctoris, id est, ejus, cujus sermonem refert ipse textus; vel ex persona exegetae.

§. 25. Ubi notabilis est difficultas, satis sum copiosus [3]): plerumque autem brevis sum, *quia* saepe res plana est et facilis, in historiis praesertim: *quia* observationes pluribus locis illustrandis idoneas non in singula loca, sed fere primo quoque loco propono: *quia* complura jam alibi tractavi, quae hîc repetere non necesse fuit: §. 8. 19. 21. *quia* multa, quae ad periocharum divisionem et connexionem, ad commata et puncta attinent, ex ipso textûs, meaeve recensionis, intuitu peti possunt: §. 11. *quia*, quae ad analysin spectant, ex *Tabellis* patent, nec facile in Notis repetuntur: §. 13. *quia* simplicem fere veritatem, sine silva multarum opinionum, propono: §. 17. *quia* multa per terminos technicos expediuntur. §. 24. Inde volumen hoc, uti toti N. T. perlustrando destinatum, exiguae molis est, et levius, quam alii saepe commentarii in singulos N. T. libros. Ne *Usus* quidem, quos vocant, singulis capitibus subjungendos putavi. qui tractui amoris divini in veritate obsequitur, is ex verbis divinis, sententia eorum perspecta, omnia salutaria, sine labore, sine stimulo sugit [4]). Ad sententiam autem perspiciendam, et ad ea potissimum, quae §. 4. notavimus, assequenda, opis aliquid, ut confidimus, hîc allatum experientur, qui recte legent, id est, ita, ut expendant omnia, neque a textu distrahantur, sed in textum simpliciter introducantur. Neque inutiles erunt *indices* in extremo. Plura aut commendandi operis aut excusandi causa non addam: unum, Lector, rogo, si aliquem noveris Exegetam totius N. T. vel partis cujuscunque, prae quo Noster Gnomon *supervacuus* tibi *videatur*, hunc cum alio illo in *una* duntaxat periocha aut capite, v. gr. Matth. 24. Act. 13. Rom. 12. Hebr. 12. 1 Petr. 3. Apoc. 10., conferas, et tum *demum* judicium facias. Commemorandus hoc loco mihi venit *M. Philippus David Burk*, qui non modo Tractatum Apocalypticum et Ordinem Temporum et Gnomonem nitide describens, dexteritate quaerendi et disceptandi ansam mihi dedit, ut multa commodius explanarem, sed etiam quotidiana multorum annorum consuetudine ita sensum percepit meum, ut post decessum quoque meum quibusdam, quorum fortasse tum pluris quam hodie interfuturum sit, variis de rebus pro me, quasi ἱσόψυχος, respondere possit. [5])

§. 26. In praefatione majoris editionis N. T. censui, notas exegeticas ita dividi oportere, ut philologica Latino, fructuosiora Germanico sermone exponerem. Postea expertus sum, illa ab his aegre separari posse: itaque conjunctim ea hic exhibet Gnomon. Eo minus necessaria est Germanicae tractationis festinatio. Germanico enim sermone ad totum N. T. annotationes, aedificationi *magis merae* aptas, adornare institui: quis progressus, quis exitus, vivente me aut dor-

---

1) Rem *ipsam, putem, saniorum Interpretum nemini obscuram esse: sed* in terminis *ultra modum* difficiles *aliqui se exhibent.*

2) *Jam vero consultum etiam sibi per* Appendicem, *huic Editioni subjungendam, ex parte sentient.*

3) *Ut ostendit syllabus, quem damus Ind. III. s. t.* Considerationes uberiores.

4) *Vides, Lector, non* eum *fuisse Bengelium, qui* rerum piarum quadam imagine consolari inferioris loci homines *vellet. Quin, eam in proponendis* Asceticis *moderationem adhibuit, ut non defuerint, qui vix hac in re satisfactum sibi a Viro, qualem experti erant, existimarent.*

5) *Hic idem b. m.* Vir *et* Gnomonis Bengeliani, *A. 1759, et* Apparatus critici, *A. 1763, et* Versionis germanicae *(ut mox dicetur) A. 1769* novas Editiones *fide atque industria haud vulgari adornavit;* suis *etiam* Scriptis *tum Eruditorum parti potiori, tum aliis etiam praecipue hominibus, verae salutis cupidis, eximie commendatus.*

Digitized by Google

miente, futurus sit, Deo committo. [1]) Ceteroqui nullum est prolixius pensum, in quod ab integro me detrudere audeam. Complura brevi tempore exempla eorum hominum occurrerunt, quos aetate in literis contrita, corripuit imbecillitas. Quod virium et dierum superest, mihi et iis, quibuscum sum una, deberi intelligo, referoque me ad illud Davidicum, *Da ut me recolligam, antequam decedam ac non sim.*

§. 27. Ad summa venit hodie Scripturae sacrae *abusus* omnifarius, magis vero nefarius *contemtus:* neque id solum apud profanos homines, sed etiam apud eos, qui sibi sapientes, imo spirituales videntur. Τὸ γέγραπται, *scriptum est*, quo ipse DEI Filius, in monomachia cum Satana, omnes insultus devicit, usque adeo vilescit, ut, qui Scriptura *tota* ac *sola* pascuntur, *spiritu* carere aut desipere existimentur. Sic portas *pseudopropheta* apertas inveniet. Porro scriptores boni practicos tractatus, precationes, hymnos, soliloquia, novellas sanctiores, certatim producunt. Singula valde sint utilia: at *universus* eorum acervus multos a libro Domini, id est, a Scriptura, quae una omnes utilitates et plenissime et purissime complectitur, avertit. Coeleste *Depositum*, quod Deus a Mosis tempore usque ad apostolos per pensa subinde explicatiora non frustra dedit, servent, qui optima quaeque probant. Tum, si quis subsidii quidpiam ad salutarem Scripturae N. T. tractationem praesenti opere sibi praestari posse existimat, eo velim in gloriam DEI et in suam aliorumque aedificationem, mihi bene precatus, utatur.

VITA b. BENGELII,

maximam partem ex Autographo, A. 1721, verno tempore, ac deinceps, brevi ante obitum, scripto.

§. 1. *Johannes Albertus Bengelius* lucem illam, cui committuntur vitae vivorum civium, neque ita quaerit, ut sua sponte non satis habeat, si DEO sit notus ac sibi, neque ita fugit, ut requirenti editori *(des Erläuterten Wirtembergs, P. I. p.* 211 Ill. *J. J. Mosero)* morem gerere cunctetur. In quo quia neminem juvat illud duntaxat scire, quo quisque loco quove tempore aut coeperit aut visus sit aut desierit vivere; neque vero in vita quoquo modo exponenda ab ingenii rationibus status animi ita sejungendus est, ut *Christianum obruat literatus:* facilius ipse patitur, aliquid de sese dici, quod nonnulli existiment reticeri potuisse, quam nihil commemorari, quod gloriae DEI, et *unius certe alteriusve fratris* saluti, salva modestia, inservire possit.

§. 2. Natus est igitur *Winnendae* in Ducatu Wirtembergico, et propter imbecillitatem subito baptizatus domi d. 24. Junii 1687. Patrem habuit M. *Albertum Bengelium*, Diaconum Winnendensem, piae, quae etiamnum in oppido illo viget, memoriae: matrem adhuc viventem (*ad Christum scilicet abiit d.* 13. *Jun.* 1733) Barbaram Sophiam, *Joh. Laurentii Schmidlini*, Theologi Stutgardiani, filiam, materna stirpe *Hafenrefferiana* et *Brentiana* oriundam. Quum sex annorum esset, patrem, a quo jamtum elementis religionis et rudimentis literarum et numerorum imbutus erat, quadragenario non multo majorem amisit: eodemque tempore consumta per incendium bellicum non vulgari bibliotheca aliisque rebus, quae maxime educationi et studiis conducere viderentur, in eum statum redactus est, ubi cum matre vidua et cum fratre *Josepho Bengelio (Altensteigensium prius, tum Sulzensium praefecto et Ser. Ducis Consiliario, qui nonnisi quatuor mensium intervallo felici ad beatos migratione Nostrum praevit)* ac sorore pridem mortua, curam et bonitatem Dei clarius perspiceret. Ipso vigilante, obtigit puero paternus amicus, *David Wendelinus Spindlerus:* qui apud *Winnendam*, mox apud *Marpacum*, nam combusta erant oppida, deinde *Schorndorfi* et *Stutgardiae* praeceptorem agens,

---

1) Prodiit b. Viri *Versio Germanica N. T.* cum annotationibus aedificationi *magis* quam aptis *Stutgardiae* A. 1753, paulo post ejus obitum. Iterumque, *b. Burkii* curâ, emendatior, Editorisque procemio, nec non Tabulâ harmonicâ et Pericoparum Indice aucta, lucem vidit A. 1769.

Digitized by Google

hunc comitem, convictorem discipulumque eximia quadam comitate complecteretur: neque solum in literis, ut erat methodi callentissimus, sed etiam in assidua Scripturae sacrae tractatione contineret.

§. 3. *Stutgardiam* ut cum Magistro venit, anno 1699 novum quasi studium ingressus, et primum in classe V sub *Seb. Kneerio*, praeceptore literatissimo, deinde in gymnasio superiore, sub optimis professoribus, ex quibus superstites veneratur *Tob. Meurerum*, nunc Rectorem et Abbatem *(St. Georgianum)*, *Jo. Schuckartum*, et *Matthaeum Conradum Hochstetterum (Abbatem postea Murrhardensem)*, linguis et artibus institutus est: donec anno hujus seculi tertio ineunte, quum paulo ante vitricum esset nactus et curatorem ad sua studia sublevanda promtissimum, *Johannem Albertum Gloecklerum*, nunc Consiliarium Camerae redituum ecclesiasticorum *(d. 30. Jun. 1727 vivis ereptum)*, Serenissimi Nutritii munificentia *Tubingam* in illustre Stipendium transferretur.

§. 4. Optimum autem et maximum ineuntis aetatis suae magistrum habuit DEUM: id quod vel hoc loco non modo posse se praedicare, sed etiam debere arbitratur. Nam cum omnes ejusmodi confessiones ad unius fidissimi Patris laudem pertinent: tum intervalla annorum non paucorum alium quemque a se ipso reddunt, ut quae olim bona malave repetantur, ea sine pudore, sine gloria, in praesentia fortasse aut melior se ipso aut deterior possit eloqui. Deus igitur lubricum aetatis assidua custodia sepsit, et indefatigabili patientia sustinuit. Praeter scholam publicam alii labores identidem obvenere, ut semper aut minores pueros doceret, aut imperatis distineretur pensis, quae animum ab otio revocarent. Quanquam ab aequalibus et natu majoribus diligeretur; tamen semper arduum quiddam ac grave animum clam coquebat: quare seria ludicris, et divina omnibus rebus praeoptaret, atque ea potius admiraretur, quae pie, graviter, modeste dicta et facta essent, quam, quae petulanter, vane, improbe, ea aemularetur. Culpas, graviores illas quidem, quam apertiores, praesens intus in animo admonitio premebat: facileque prohibebat, ne corruptelae extrinsecus affrictae adhaerescerent.

§. 5. Certissimo etiam Dei provisu in ejusmodi libros sacros vel ex propinquorum donatione vel ex puerili mercatu incidit, quos illico ita probaret (quanquam postea demum, quanti ab aliis fierent, cognovit) ut eorum atque adeo scripturae sacrae lectioni, quicquid fere vacui temporis haberet, impenderet. Unde odor gratiosus insedit animo, in medio deinceps vanorum et impiorum scriptorum usu duraturus: vicissim profectus in literis ne esset nullus, Dei benignitate et scholae bonitate perfectum est. Sic praeparatus, illo tempore in Stipendium Ducale pervenit, quum Dominus in veteranis illius gregis memorabilem pietatis ardorem excitasset, in plures magno durabilique cum fructu diffusum.

§. 6. Confecto cursu propaedeutico, post magisterium philosophicum, Theologiam capessivit anno 1704, quam tum *Joh. Wolfg. Jaegerus*, *Michaël Foertschius*, *Christophorus Reuchlinus*, *Joh. Christoph. Pfaffius*, et mox, *Foertschio* Jenam profecto, *Andreas Adamus Hochstetterus;* deinde *Reuchlino* pie defuncto, *Joh. Christianus Klemmius* docebant. Primum Theologici studii biennium valde habuit aerumnosum et animo et corpore. Nam priorem annum paene perdidisse sibi visus est, quum Thesium theologicarum confirmationem eam, quae expleret animum, ex originali textu quaerens, variis N. T. lectionibus, (quibus onustum fuerat exemplar, in quod inciderat quodque terebat) quanquam eadem de re vix sciret quenquam mortalium laborare, misere circumageretur. Atque utinam verecundiam illam, quae adolescentes opinione plures impedit, quo minus dubitationes suas, quasi indignas virorum prudentum auribus, expromant, primo quoque tempore excussisset. Sed tamen hoc quoque multum ei profuit: quod dum singula rimaretur, textum non potuit non reddere sibi familiarissimum, et attentionem assequi ad multas res perutilem; cognitaque varietatum levitate, didicit, ita vescendum praesenti pane, ut non curaret, qualis fuisset mola libraria, ex qua ille tam sapidus tamen ac mundus evasisset.

§. 7. Posterioris anni maxima pars in aedibus parentum, qui tum *Maulbronnae* degebant, transacta est vario et ancipiti morbo. Inde vitae et academiae restitutus, illis praestantissimis doctoribus in Theologia Exegetica, Didactica et

Polemica operam dedit: ad quos accesserunt *Matthaeus Hillerus* et *Godofredus Hoffmannus;* quorum alter in Hebraico, alter in Homiletico studio peritissimum se ducem praebuit. Atque hi doctores vivi: de scriptoribus, quos coluerit praeter ceteros, etsi ita noti sunt, ita probati, ut suum judicium nihil ad eorum existimationem addere, nihil ex ea detrahere putet, tamen aliquid indicandum videtur, ut alii, qui suis ducibus melius sint usi, ad juventutem utiliter admonendam invitentur.

§. 8. Methodum Theologiae cognovit ex *Spenero* de impedimentis studii Theologici: rationem tractandae Scripturae sacrae, ex *Frankii* praefatione ad N. T. graecum et Manuductione: pro ipsis testimoniis librisque divinis enucleandis cum textu primigenio varias contendit metaphrases, tum *Flacium*, *Glassium*, *Sebast. Schmidium* in Collegio, et *Hedingerum.* Theologiam Catecheticam ex *Speneri* Explicatione vernacula hausit. Acroamaticam ex *Koenigio* primum, quippe quem *J. C. Pfaffius* explicabat, tum ex libris Symbolicis, *Chemnitio*, iterumque *Spenero.* Moralem sive practicam ex *Arndio* et *Schomero:* quos ipsos eorumve similes, cum satis evolverit, tamen pro vicenis aliis singulos saepius a se tunc evolutos mallet.

§. 9. Post examen illud, quo Stipendiariorum Ducalium profectus Theologici primo explorari in Consistorio *Stutgardiano* solent, a. 1707 disputavit publice, Praeside *J. W. Jaegero;* ex qua disputatione, de Theologia mystica, tractatus deinde exstitit: eodemque tempore, amplissimae Facultatis Philosophicae jussu, Directore Exc. Professore *Roeslero*, praesidium in Dissertatione solenni Candidatis accommodavit.

§. 10. Non multo post vicarias in ecclesia praestitit operas *Mezingae* prope *Uracum*, et primulo dimidii mensis usu didicit, quae res juveni ab academia ad ecclesiam profecturo maxime essent necessariae. Eidem Cancellario celeberrimo *Jaegero* illud inprimis debet, quod, cum subinde aliqua ei vel elaboranda vel elaborationi praestruenda demandasset, perspicuitatem, quae ipsius viri magna dos erat, severe exegit, eoque effecit, ut eam orationis virtutem posthac justo colendam studio putaret.

§. 11. Anno 1708 Repetentis munus in illustri Stipendio cepit et in quintum gessit annum: cum quo post vicariatum ecclesiasticum *Nürtingensem*, *Tubingensis*, paucorum mensium, et *Stutgardianus* prope bimus conjunctus fuit. Inter haec *A. A. Hochstetteri*, piae memoriae, summa est usus ac continua benevolentia. Hunc philosophiae moralis professorem et audivit philosophiae cultor, et in novissima ejus dissertatione philosophica, de Pretio redemtionis, praesidem habuit; Theologiae Professorem et Catechetam, sanctioris disciplinae studiosus plurimum auscultavit; ab hoc, cum pro loco in Facultate Theologica Theses selectas proponeret, respondens ultro cooptatus est: hunc Pastorem *Tubingensem*, Concionatoremque aulicum *Stutgardianum*, Vicarius *Tubingensis* et *Stutgardianus*, quasi Lunam ignicalus minor, comitatus est: hunc in studiis prosequendis auctorem, in ceteris rebus fautorem habuit. De quo unum hoc, in se ipso expertus, non potest non referre. quum in juvene conatus aliquis esset in quacunque materia bona quamlibet tenuis et immaturus, non eum, sibi patefactum, ullo modo contempsit, distulit, absterruit, neque in prima herba suffocavit: sed blande probavit, jussit urgere coepta, et velut in beneficii loco, ut sibi exhiberet, petiit. Quae ratio ad alliciendas erigendasque bonas mentes quantum faciat, nemo est qui non possit existimare.

§. 12. Anno 1713 quum Serenissimo Duci placuisset Monasterium *Denkendorfinum* instaurari, ut una esset ex officinis quatuor, in quibus alumni ex scholis oppidanis delecti ad Theologicum Stipendium *Tubingense* praeparantur, ipse ex Vicario *Stutgardiano*, in variis gratiae divinae experimentis, illius collegii praeceptor juxta atque ecclesiae minister, praevio duplici examine, constitutus, peregrinandi facultatem obtinuit, ut tantisper, dum aedificaretur, celebriores *Germaniae* scholas videret, solidasque instituendae juventutis rationes cognosceret.

§. 13. In hoc iter octo meliores anni menses insumpsit; *Elvangae*, *Norimbergae*, *Altdorfii*, *Heilsbrunnae*, *Erlangae*, *Pabebergae*, *Coburgi*, *Rudolstadii*, *Jenae*, *Naumburgi*, *Portae*, *Leucopetrae*, *Martisburgi*, *Halae*, *Lipsiae*, *Cizae*, *Altenburgi*, in reditu, *Vinariae*, *Erfurti*, *Gothae*, *Isenaci*, *Gissae*, *Wezlariae*, *Francofurti*, *Hanoviae*, *Heidelbergae*, longiora, breviora commoratus tempora, methodos Evangelicorum, Reformatorum, Jesuitarum, Scholasticorum artes, consilia, desideria inve-

Digitized by Google

stigavit, scholarum oeconomiam, bibliothecas percontatus est, viros doctos ac bonos lustravit in academiis aliisque sedibus et nominatim *I. E. Stoltii*, *C. Weidlingii*, *Joach. Langii*, *H. C. Crellii*, *I. C. Langii*, hospitio ac mensa; ceterorum humanitate ac familiaritate, quos, satis notos, delectu habito, nominare anceps foret, omnes enumerare, longum: inprimis autem Paedagogii regii *Halensis* saluberrimo eoque intimo ac perpetuo aditu gavisus est. In salutationibus hoc etiam sibi faciendum putavit, non modo ut eos homines, qui quamplurimis monumentis honoribusve quam maxime inclaruissent, sed etiam eos, qui latent, experiretur: ac per hos non minus profici sensit, quam per illos; quod alteri si ab iis, quae prodidissent, discederes, non semper nimium conferrent; alteri saepenumero ad impertienda quae haberent propria, ubi lacesserentur, essent alacriores.

§. 14. Reversus ante brumam migravit *Denkendorfam*: habitaque oratione auspicali de *certissima ad veram eruditionem perveniendi ratione per studium pietatis*, utriusque officii partes obire coepit, quas etiam, constituta familia, hodie obit (*obiitque ad A. usque* MDCCXLI), praeposito *Joh. Eberh. Knollio*, Superintendente generali, Collega *Andrea Christophoro Zellero*, post duos alumnorum manipulos nunc instruens tertium *(quibus decem fere postea successerunt)*. Inter labores scholasticos est ei nata *Ciceronis* epistolarum ad diversos editio, quam post tot alias ut non temere suscipi speraret, amicorum effecerat cohortatio: ac nonnulli, dum neque doctissimis neque imperitissimis aptam judicant, pulcre confirmant, editorem, quod in operis praefatione sibi propositum fuisse edixerat, ut medium lectorum genus sublevaret, id esse consecutum. Est etiam, scholis praecipue patriae monasticis accommodata, et superiorum censura et approbatione jam munita probatissimorum librorum *Chrysostomi* de sacerdotio recognitio, cum interpretatione Latina, notis variorum ac novis, et indicibus: cujus voluminis non magni editionem una adhuc moratur exspectatio *Montfauconiani* Chrysostomi. *(Prodiit vero liber Stutgardiae, Anno* MDCCXXV.*)*

§. 15. Praeterea subinde quae in lectionibus sibi occurrerent, literis mandare consuevit: unde complures ortae sunt *ad N. T. graecum annotationes*, ex emphasi maxime et proprietate ipsorum verborum eductae, eoque nomine ad demonstrandam divinorum eloquiorum admirabilem excellentiam non plane inutiles: tum, si hoc statim subdi licet, (etenim varium quiddam talis praeceptor esse cogitur) scholia ad *Ovidii* Tristium libros V, quibus praestantissima ceteroqui *Verpoortenniana* limantur. In privatis studiis ad publica, ut par est, attemperatis, cum Scriptores Lexicorum et idiotismorum Graecae Latinaeque linguae supplementis et animadversionibus mactavit, quum usu venit, tum bene multas in Patres aliquot, Graecos maxime, curas contulit: unde non desunt, quae *Macarium* in *Germania*, *Basilium* Seleuciensem in *Gallia*, *Ephraimum* Syrum in *Britannia* editum, in ipso sermone Graeco, partim ex codicibus, partim ex conjecturis idoneis emendato; inde eundem *Basilium* et *Macarium* in interpretatione Latina, atque hunc etiam in Germania, adspersis explicationibus, praestare possint non solum docto lectori planiores, sed etiam pio efficaciores.

§. 16. Observationes *de Sanctitate et Gloria Dei*, quae perpetuo Scripturae sacrae sermone omnino *Deitatem* significat, pridem quidem illas institutas, sed incertum quo tempore expediendas, tamen non addere, mentio illa prohibet publica, quam inscio quidem auctore, sed animo propensissimo, vir summe reverendus fecit *in Corona anni* 1718, Tubingae vernaculo sermone edita. Cetera pleraque cum vix editurus sit ipse, ea mente hic commemorantur simpliciter, ut, si qui fuerint, qui in iisdem scriptoribus adornandis versentur, illiusque symbolam sibi nonnihil profuturam suspicentur, iis sine invidia, gloriae divinae et utilitatis communis studio, concedere possit.

§. 17. Nefas enim ducit, aut non versari in optimis, quae cujusque otium in suo ferat choro, aut in his ita versari, ut aliis minus prodesse, quam ipsum pascere queant: aut denique, quae prodesse possint, claudere.

§. 18. Huc usque, Lector, ea se protendunt, quae ipse b. Parens de vitae suae rationibus *Ill. Mosero* (ut dictum est), grandaevo nunc seni, venerabunda mente memorando, morem gerens libro supra citato inserenda suppeditavit.

§. 19. Interim plurimum operae Scripturae sacrae impendens Beatus, Annotationes *exegeticas*, in auditorum usum, conscribere coepit, quibus cum *critica* subinde se immiscerent, non superfluum fore judicavit, si novi Testamenti nova Editio curaretur. Congesta igitur *Editionum* complurium farragine collationem earundem A. MDCCXXII suscipere, tum vero conquisitis undique mstis *Codicibus*, quorum 30 Editio Millio-Kusteriana ignoraverat, *Syram Gothamque* translationem excutere, *Aegyptiacae* autem et *Armenae* aliarumque Versionum lectiones aliunde communicatas consulere, et *Vulgatae* inprimis, cujus 5 Codices et numerosa undiquaque excerpta impetraverat, operae non parum impendere sategit; utriusque Ecclesiae *Patrum* testimonia haut perfunctorie inter se conferens. His ita praeparatis non ex Criticorum regulis, sed ex suis, ut res ferebat, observationibus ad fontes Editionum reliquarum, *Complutensis* nimirum, *Erasmicae* et *Stephanicae*, omnes dijudicare, *Kusteri Milliique* annotationes examini subjicere, veritatem ex antiquiorum et recentiorum testimoniis eruere, dubias lectiones sequestrare, probatiores partim textui partim margini inserere, divisiones textui commodas, retentis tamen capitibus et commatibus, conciliare; atque ita Opus parare Ecclesiae proficuum religiose studuit.

§. 20. Haec dum ageret, A. MDCCXXV *Chrysostomi de Sacerdotio* libros edidit, adjuncto *Prodromo N. T. graeci recte cauteque adornandi*, quem mox, monentibus amicis, s. t. *Discipuli de temporibus* insecutum est *Monitum de praejudicio hermeneutico accuratiorem Apocalypseos explicationem etiamnum impediente*, *Schelhornii* Tomo VI Amoenitatum insertum, quod paucis post annis auctius lucem vidit in *Beverleyi* Indice chronologico. Maturescentibus interim Viri laboribus A. MDCCXXXI peculiaris ejusdem Tract. s. t. *Notitia N. T. recte cauteque adornati* prodiit, cujus praecipue *Bibliothecae theologicae* selectae Pars 55. exhibuit. Huic tandem Consistorii Stutgardiani et Facultatis theologicae Tubingensis approbatione impetratâ successit A. MDCCXXXIV *Novi testamenti Graeci* cum *Apparatu Critico* Editio major, eodemque tempore *manualis Editio*, marginis lectiones cum textu exhibens, impressa fuit.

§. 21. Eodem anno, requirenti Ephemeridum .s. t. *Altes und Neues* Editori inserendam permisit *Sciagraphiam accuratae nec tamen coactae Exegeseos in Apocalypsin I. C.*, adjectis aliis quibusdam ejusdem generis considerationibus l. c. et in der *geistlichen Fama* obviis. Exegeticum scilicet Scripturae studium cum critico conjunxerat Beatus. Primum eo scopo curae ipsi erat *Evangelistarum Harmonia* et *propheticorum temporum resolutio*. Harmoniae inquirendae primam occasionem dederat nota marginalis aliqua, in bibliis hebraicis ad locum 1 Sam. 20, 18. reperta: unde A. MDCCXXXVI Tubingae prodiit *richtige Harmonie der vier Evangelisten*, cui emendatior deinceps, et responsionibus contra dissentientes aucta Editio successit A. MDCCXLVII. Biennio post Ulmae prodiit *nöthige Antwort auf dasjenige, was etliche Gelehrten wider das von ihm revidirte N. T. vorgebracht haben*, tertium A. 1745 recusa.

§. 22. *Chronologicae* veritati communem istam de *die prophetico* per *annum* explicando sententiam obicem ponere, senserat jam A. 1727: quae observatio cum subinde confirmata esset, collatio locorum Apoc. 13. et 21, 16. cum Daniele fundamentum Exegeseos in Apocalypsin Johannis, quae s. t. *Erklärte Offenbarung Johannis oder vielmehr Jesu Christi*, A. 1740 luci exposita (et bis vel ter postmodum recusa) est, insequentibus declarationibus, quarum partem spicilegia (die *Nachlesen*), denen 60 *erbaulichen Reden über die Offenbarung* subjuncta, exhibent. Apocalypticorum temporum resolutione haud satiato de Scripturae totius Chronologia meditari, et theses aliquas chronologicas constituere animus fuit: unde, confluentibus V. T., Historiae Evangelicae et Apocalypseos momentis, continua se ipsi obtulit Linea chronologica, quam s. t. *Ordo temporum* A. 1741 communis juris fecit, et cujus nova Editio, recentioribus b. Auctoris observationibus castigata, curante ven. *Hellwagio*, A. 1770 exiit.

§. 23. Has inter occupationes muneris *pastoralis* partes ad annum usque 1739 (quo Pastori loci ordinario credebantur) et *Praeceptoris* Claustralis *(Professores hodie audiunt)* officium ad annum usque 1741, i. e. per annos 28, pro vi-

rili tenuit. Quinque istis lustris, et quod excedit, peractis monasterio *Herbrechtingensi* Consiliarii et Abbatis nomine praefectus otii plus obtinuit, quod edendo primum *Gnomoni N. T.*, A. 1742 publicato, cujus primas lineas dudum jam duxerat, impendit. Variorum dubia, monita et contradictiones veritati chronologicae subinde penitius indagandae ac dilucidandae, adeoque reliquis scriptis, s. t. *Weltalter, Cyclus, Zeugniss der Wahrheit, Ehrenrettung der h. Schrift* etc. edendis occasionem praebuere. Qua in re de se ipso loquentem b. *Bengelium* (in Rathlefs Geschichte jeztlebender Gelehrten, T. VI.) haud abs re fuerit: *Er hat sich* (ait,) *in Streitschriften vornemlich, dieses zur Regul gemacht, kein Wort zu sezen, dessen ihn im lezten Stündlein reuen möchte, und also ist ihm durch die innere Zucht manchmal gewehrt worden, seine Gegner so abzuweisen, wie es vor der Welt eine Art gehabt hätte. Eine solche Gegenwehr stehet der Natur an: und ganz schweigen ist leicht: Aber in der Furcht Gottes die Wahrheit vertheidigen, ist eine rechte Uebung.*

§. 24. Anno 1747 *Statuum provincialium* membris adscriptus, et biennio post Abbatis *Alpirspacensis* et *Consistorii* Wirtembergici Assessoris munere ornatus, Stutgardiam A. 1749 concessit, ibique A. 1751 Facultatis theologicae Tubingensis proprio motu, cum Collegis Consistorialibus, *Doctoris Theologiae* nomen obtinuit. Hoc tempore amicum ei certamen cum b. *Michaëlis*, Halensium Professore, obortum est, cujus testimonium in *Tractatione de sinceritate N. T. graeci tuenda* extat, quam ipse cel. monitor, ab auctore hoc scopo ipsi transmissam, A. 1750 cum suis annotationibus excudi curavit. Ultimum denique, dum viveret, Zinzendorfiano coetui scriptum opposuit s. t. *Abriss der sogenannten Brüdergemeinde*, cui vulgando variae variorum quaestiones, provocationes et suspiciones ansam dederunt.

§. 25. Atque hoc quidem loco non possum, quin eorum in gratiam, qui *interiora* non minus, quam externa spectant, *statum animi*, quo per DEI misericordiam Beatus fuit, Ipsius iterum verbis, quae dicunt, formalibus ex biographia, sermoni funebri a. b. D. *Tafingero* habito, subjuncta, non vanitatis, sed gloriae divinae et boni exempli causâ exponam.

§. 26. Diejenige, die in meiner Lebensbeschreibung von meinem Christenthum handeln möchten, will ich solcher Mühe überheben, damit mir kein Lob, als dessen ich nicht werth bin, gegeben, und GOTT allein desto höher gelobet werde. Ich wünsche hiebey, dass kein Mensch von mir einen einigen Gedanken fassen möge, der die Wahrheit überschritte: und dass allein die Erbarmung GOttes an mir, als einem ihrer Gefässe, den Ruhm behalte.

§. 27. Mein ganzes Christenthum bestehet darin, dass ich meines Herrn Jesu Christi Eigenthum bin, und dass ich eben dieses allein für meinen einigen Ruhm, und für alle meine Seeligkeit halte. Von meiner Kindheit an hat Gott es gefüget, dass ich sein Wort hören, lesen und lernen konnte, und die Kraft davon ist unvermerkt dergestalten in mein Herz eingedrungen, dass ein kindliches Vertrauen zu Ihm, ein Ernst im Beten, ein Verlangen nach jenem bessern Leben, ein Vergnügen an den Sprüchen der heiligen Schrift, ein Geschmack an denen üblichen Gesängen, und auch an denen gemeinsten Kindergebetlein, eine Bewahrung des Gewissens, eine Scheue vor dem Bösen, eine Liebe zum Guten entstund.

§. 28. Von einer Zeit zur andern mussten mir solche Bücher in die Hände kommen, woraus ich eine geistliche Nahrung erhielt, und allermeist ward ich auf mancherley Weise veranlasset, die heilige Schrift emsig zu lesen. Von der Thorheit und Leichtsinnigkeit der Jugend fehlte es an leidigen, plötzlichen, unbesonnenen Ausbrüchen nicht, und die Gefahr zur Verführung von aussen war nicht häufig (weil ich ausser den öffentlichen Lectionen auf vielerley Wege immer etwas zu thun bekam, und vor dem Müssiggang verwahret wurde), aber bisweilen desto schneller.

§. 29. Weilen der Wille zwar folgsam war, aber im Verstand mancher Zweifel entstund, den ich zu entdecken und mir benehmen zu lassen zu schüchtern war, hatte ich manche Mühseligkeit, die mich ohne Nutzen abmattete (*conf.* §. 6.), und mir nicht nur im Exterieur eine beständig nachgehende Blödigkeit zuzog, sondern auch bisweilen das Vermögen, meine Mine zu regieren, schwächte,

dagegen aber auch diese Wirkung hatte, dass oft unbekannte angefochtene Leute bey dem ersten Blick die Hoffnung eines Mitleidens und ein Vertrauen gegen mir fasseten und äusserten. Dazwischen kriegte ich doch von der göttlichen Leutseligkeit die innigste Friedensblicke, insonderheit bey denen ersten Gängen zu dem Abendmahl des Herrn.

§. 30. Mit einer solchen Fassung kam ich aus dem hiesigen Gymnasio auf die Universität und in das Fürstliche Theologische Stipendium zu *Tübingen*, da so wohl vor als nach dem Magisterio die Gnade Gottes immer mehr an meinem Herzen arbeitete, und mir auch den Umgang mit ältern eifrigen Studiosis segnete. Auf meinen *Vicariaten* liess mich Gott gegen das Gewissen der Zuhörer offenbar werden, welches ich viel Jahre hernach bey unvermutheten Gelegenheiten erfuhr. Bey meinem *Closter- und Predigtamte* suchte ich der Gemeine, und vornehmlich der studirenden Jugend, einen wahren geistlichen Nutzen zu bringen; wobey es nebenher auch manche Veranlassung gab, auf zerschiedene Weise etwas zum gemeinen Besten beyzutragen. Was bey meinem Aufzug nach *Denkendorf* in der ersten Nacht zwischen Gott und mir vorgegangen, hat bey mir einen guten Grund meines ganzen Aufenthalts daselbst gegeben. Die Closter-Jugend suchte ich insonderheit zur Ehrerbietung gegen heilige Dinge zu gewöhnen, sie vor dem Läugnen und vor der Unreinigkeit zu bewahren, und fein frühe nach ihrer Fähigkeit einen Saamen von denen Sachen beyzubringen, die ihnen mit der Zeit bey dem Kirchendienste am brauchbarsten seyn möchten.

§. 31. Ich war niemalen darauf bedacht, dass ich mir gute, bequeme, vergnügte Tage und Stunden machen, viel zeitliche Güter sammlen und erübrigen, und hohe Ehrenstellen erlangen möchte: mein Fleiss gienge nur dahin, das, was mir vor die Hand käme, es möchte wichtig oder gering, ansehnlich oder unscheinbar seyn, nach dem Vermögen, das von Gott dargereicht ward, treulich zu verrichten. Meine Wege liess ich Gott befohlen seyn, und sahe nur auf jenes gute Ziel hin, ohne Wahl eines sanften oder rauhen Weges.

§. 32. In meiner innern Uebung stellete ich mich gern in zwey Momenta oder Augenblicke. Das eine war, da ich in Adam ein Sünder worden bin: das andere aber, da Jesus Christus seinen Geist in seines Vaters Hände überantwortete, und auch mich zu Gott führete. Eine Gleichheit des Gemüths machte, dass ich unter den Fröhlichen für traurig, nicht weniger aber unter Traurigen für fröhlich geachtet ward. In misslichen Fällen stellte ich mir gern das äusserste vor, und was unterblieb, hielt ich für Gewinn. Ich verglich mich eher mit denen, die es ringer, als mit denen, die es besser hätten, und also ward mir die Vergnügsamkeit nicht schwer.

§. 33. Als ich nach *Herbrechtingen* kame, und mehr ruhige Zeit hatte als zuvor und hernach, suchte ich dieselbe mir und andern durch das Ausgeben erbaulicher Schriften und durch andere freye Arbeit zu Nutz zu machen. Sodenn ward ich bey der Aufnahm in den Landschaftlichen Ausschuss und in das Fürstliche Consistorium erst recht inne, was es ist, für das gemeine Beste eines Landes und der Kirche in demselben nicht nur überhaupt, sondern auch in so vielen und vielerley besondern Fällen wachen und Sorge tragen helfen. Die Verläugnung des eigenen Willens macht alle sonst beschwerliche Aenderung der Geschäfte leicht, und meine beständige Absicht war, Gottes Ehre zu befördern und zu retten. Gegen gnädigste Herrschaft war ich so gesinnet, wie es einem dankbaren Unterthanen, einem getreuen Rath, einem gewissenhaften und für das werthe Vaterland zugleich geflissenen Landstand zukommt. Gegen Höhere hielte ich mich als einen geringern: gegen meines gleichen handelte ich je und je nach der Gleichheit: und Geringere sahe ich an als solche, denen zu Dienste die Grössere da sind. Bey dem allen hielte ich mich für verpflichtet, nicht nur das Gute zu fördern, sondern auch dem Bösen nach Möglichkeit Abbruch zu thun, und dabey galt es mir gleich, ob ich es selbst thäte, oder ob andere diesen Vorzug hätten.

§. 34. Wer mich nun nach etlichen besondern Materien, die ich in meinen Schriften abgehandelt habe, schätzen wollte, der möchte mich nicht von allem

Digitized by Google

Fürwitz los sprechen. Nun habe ich mir zwar angelegen seyn lassen, das, was mir unter die Hände kam, andern auf das getreulichste mitzutheilen; für mich selbst aber suchte ich beständig, wie meine Bekannten wissen, meine Seelen-Nahrung in den gemeinesten catechetischen Grund-Wahrheiten mit aller Einfalt und ohne Grübeley. Glauben, Hoffnung, Liebe, Sanftmuth, Demuth ware die Haupt-Sache.

§. 35. Hiebey wird es heissen: Hat Gott dich lieb gehabt, so hat es dir an *Trübsal* nicht fehlen können. Und daran hat es auch nicht gefehlet. Dafür aber rechne ich nicht eigentlich die Krankheiten; da ich bey meiner schwächlichen Leibes-Constitution gleichwohl nicht viel schmerzliche und an der Arbeit hinderliche Krankheiten gehabt: nicht die Trauerfälle; da zum Exempel von Anno 1715 bis 1726 sechs meiner Kinder in ihrer zarten Kindheit gestorben sind; denn eben bey solchen Heimsuchungen hat Gott seinen Lebens-Trost reichlich verliehen: nicht die unverdiente Schmach, womit mich etliche meiner Gegner überschüttet haben; denn solches ist bey der eitelen gelehrten Welt nichts ungemeines, und wie ich es ihnen jederzeit vergeben habe, also ist es durch den Eingang, den ich sonsten habe, weit überwogen worden. Mein Leiden war meistens geistlich und verborgen, sachte und anhaltend: und sonderlich gab mir bisweilen einen geschwinden Stich die Ewigkeit, die der Mensch vor sich hat; da ohne peinliche Furcht vor dem Weh, ohne wirkliche Freude auf das Wohl, *die Ewigkeit* an sich selbst, mit ihrer grossen Wichtigkeit, mein Innerstes durchdrang und schärfer durchläuterte, als keine Widerwärtigkeit zu thun vermag.

§. 36. Als mit den Jahren die Geschäften zu- und die Kräften abgenommen, befliss ich mich, dass mich nichts verschlingen, alles aber mein Verlangen nach jener ewigen Ruhe fördern möchte. Und solches ist nun erfüllet. Hinfort ist es ausgesorgt: Hinfort ist Friede und Freude vorhanden. Gebt unserm Gott die Ehre! Die Gnade des Herrn JESU sey mit allen! — *Hactenus b. Bengelius.*

§. 37. Matrimonium iniit Noster A. 1714 cum *Johanna Regina*, nat. *Seegeria*, cujus fideli consortio ita delectatus fuit, ut frequentibus DEUM precibus rogitaret, vellet eam, utut valetudine non admodum secura praeditam, ad postremum usque vitae halitum sibi conservare; qua in re tanta ejus fiducia fuit, ut sua ipse manu in biographiae suae αὐτογράφῳ, integris adhuc viribus, verba subjicere non dubitaret: *id quod factum est.* Nec fefellit sua Beatum confidentia: quum post 17 demum annos et quod superat, 20 nimirum Martii 1770, secuta sit pia matrona desideratissimum thori et fidei socium. Liberos ex ea susceperat numero duodecim, quorum dimidia pars in infantia decessit, pars dimidia superstes optimo parenti fuit. Ex 4 filiabus, felici matrimonio *D. A. R. Reussio*, Ser. Wirt. Ducis nunc Consiliario atque Archiatro primario, *C. G. Williardto*, S. C. Maj. Consiliario in L. J. Esslingensi, b. *M. P. D. Burkio*, Kirchoteccensis quondam Ecclesiae Pastori atque Dioeceseos Superintendenti, et *M. E. F. Hellwagio*, Ecclesiae jam Sulzensis Pastori Pastorumque in eo tractu Superintendenti junctis, nepotes neptesque 21 numeravit, 15 reliquit; filiorum bigae coelibi adhuc valedixit, Medicinae Licentiato alteri, qui Stuttgardiae A. 1759 pie obiit, alteri Alumno t. t. Bebenhusano, Tubingensis hodie Ecclesiae Diacono.

§. 38. *Postremi morbi* initia sentire coepit a die fere natali, 24. Junii, A. 1752; exinde enim virium prostratio cum variis symptomatibus naturae debilitatem significantibus Beatum incessit; qui tamen officiis fungi prius non desiit, quam diebus ante obitum 16 lectulo penitus affixus esset. Insecutâ d. 28. Octobr. pectoris inflammatione qualis fuerit ejusdem ad beatam migrationem compositio, et qualis inprimis ante acceptam cum domesticis S. C. declaratio, videre est in Epicediis, *sermoni funebri*, ex voto Beati ad Ebr. 7, 24. 25. habito, annexis, aliisque monumentis, quae exstant, publicis. Placidissime itaque obiit beatae memoriae vir d. 2. Nov. hor. mat. 2. A. 1752. annorum 65, mensium 4 et 18 dierum peregrinator. DEO, luminum Patri, sit laus et gloria in aeternum!

Google

GNOMON
NOVI TESTAMENTI.

***N**ovum Testamentum* dicitur interdum corpus librorum sacrorum, quibus ipsum N. T. proprie dictum descriptum exstat; porro quid sit N. T. proprie dictum, declaramus infra ad Matth. 26, 28. Habet hoc Corpus partes duas, quarum altera continet apostolorum et evangelistarum libros, altera est apocalypsis Jesu Christi. In illa primum est historia Jesu Christi ab adventu in carne usque ad ascensionem in coelos; deinde ecclesiae christianae, a Christo exaltato, per apostolos constitutae, historia et institutio. Denique in hac Revelatio plane singularis docet, quid de Christo, de ecclesia, de universo futurum sit, usque ad consummationem. Breviter, sunt evangelistae, actaque et epistolae apostolorum, et apocalypsis. Ipse horum librorum mutuus habitus idoneum praebet argumentum perfectionis. Quo circiter tempore quilibet scriptus sit, in *Ordine temporum* ostendimus.

ANNOTATIONES
IN EVANGELIUM SECUNDUM MATTHAEUM.

Evangelistae habent primordia rerum N. T. Joh. 16, 12. [1]) De auctoritate illorum [*quâ posteriores sunt Apostolis et Prophetis, Pastoribus atque Doctoribus priores*, Harm. p. 35.] vid. Eph. 4, 11. 1 Petr. 1, 12. Sunt his duo: alteri, Johannes et Matthaeus, fuere apostoli, adeoque ipsi interfuerunt: alteri, Marcus et Lucas, in se ipsis specimen praebent fidei, evangelio ex aliis certissime cognito praestitae. Sed Matthaeum Marcus, hos duos Lucas, hos tres Johannes praesupponit et quasi supplet. Matthaeus, apostolus, primo scripsit, [*id quod vel ex eo patet, quod* ἡγεμόνος *titulus, a Luca semel* (c. 3, 1.), *a reliquis nunquam expressus, in historia passionis a Matthaeo constanter tribuitur Pilato.* Harm. p. 37.] et Marco Lucaeque simul auctoritatem constituit:

---

1) Inaestimabili (scilicet) DEI O. M. beneficio, amplissimas a nobis gratias requirente, factum est, ut, quae optimus Salvator in terris versatus et fecit et dixit, per electos aliquos viros literis consignari, eorumque Evangelium vel testimonium scriptum ad hunc usque diem conservare vellet. — *Quatuor* illi quidem, a primis inde Christiani nominis temporibus numerati sunt, rejectis permultis spuriis et a fidei sinceritate alienis scriptis. Quibus volupe est, quatuor Paradisi flumina cardinalia, et insignem aliorum typorum, quaternario distinctorum, copiam, inprimis vero (quod canae antiquitatis est) Leonem, Bovem, Hominem et Aquilam Evangelistarum quadrigae adplicare, sua illos sibi habere patiamur: nihilo enim minus omnibus et singulis laus sua sarta manet atque tecta. EVANGELISTA, si exacte descriptum velis, est sanctus DEI homo, qui historiam de Jesu Christo, testimonio irrefragabili, vel ore vel literis prolato, reliquis hominibus publice exponit. *Harm. evang.* Ed. II. p. 34. s.

Digitized by Google

Johannes, item apostolus, postremo [*neque tamen (ut ex* c. 5, 2. *patet) post vastatas demum Hierosolymas,* Harm. p. 38.] scripsit, et Marci Lucaeque libros, per se firmos, etiam magis ad hominem comprobavit. [*quanquam anno post ascensionem octavo Matthaeum, Marcum decimo, Lucam decimo quinto, tricesimo tertio denique Johannem scripsisse, frequens utique, sed non satis firma est sententia.* Harm. p. 37.] Matthaeus scripsit praecipue ad demonstrandum implementum scripturarum et ad convincendos Judaeos: Marcus condidit Breviarium, et multa notabilia ab illo relicta adjecit, praecipue spectans tirocinium apostolorum: Lucas relationem contexuit de officio praecipue Christi, maxime historice: Johannes refutavit oppugnatores Deitatis. Omnia, quae hi Quatuor viri commemorant, vere et fecit et dixit Jesus Christus: ea autem ex uno thesauro delegerunt, quorum firmissimam quisque habebat scientiam, quae characteri cujusque interno spirituali respondebant, et quae ei tempori, cum scribebat, iisque, ad quos mittebat, congruebant [1]). Chrysost. Hom. I. in ep. ad Rom. ineunte, *Moses libris quinque,* inquit, *a se scriptis, nusquam nomen suum praefixit. sed neque Matthaeus, neque Johannes, neque Marcus, neque Lucas. quid ita? praesentibus scribebant, neque attinebat, se ipsos indicare praesentes.*

Dicitur evangelium 1. ipsa *annunciatio laeta,* quam de Jesu Christo et Jesus Christus, et prodromus ejus, et apostoli ceteriquo testes primum Judaeis, deinde toti humano generi tulerunt. 2. totum munus et institutum propagandae illius annunciationis, vel per praeconium, vel per literas. unde dicitur evangelium v. gr. Pauli. 2 Tim. 2, 8. Inde, ulteriore metonymia, horum monumenta, qui historiam salutarem scriptis prosecuti sunt. Si velis quatuor libros, quos Tertullianus *evangelicum instrumentum* vocat, simul nominare Graece, dicendum proprie erit, in singulari, τὸ κατὰ ματθαῖον, κατὰ μάρκον κτλ. εὐαγγέλιον, non in plurali, nisi forte brevitatis gratia. Est enim unum idemque argumentum; idque tantum alio descriptum modo κατὰ ματθαῖον, *quod ad Matthaeum attinet, penes Matthaeum, per Matthaeum,* ut Matthaeus pro sua parte descripsit, alio κατὰ μάρκον etc. conf. κατὰ, Act. 27, 7 fin. Veruntamen ut in Pentateucho prima vox protinus est *Bereschith,* (quae ipsius tituli postea vicem obtinuit;) sic Matthaeus, cum scribere inciperet, scripsit βίβλος, Marcus ἀρχὴ etc. *Evangelii* tamen appellatio, pro libro, apud antiquissimos patres occurrit. Apud eosdem Hebraice Matthaeus scripsisse perhibetur. quid obstat, quo minus idem Graece eundem librum eodem exemplo scripserit, etiamsi proprie non ex lingua in linguam transferret? conf. Ier. 51, 63. 36, 28. et quae eo notat *Franzius* de Interp. p. 504. nec non *la Vie de Mad. Guion* Part. 2. p. 229.

Conspectum libri hunc damus:

I. Nativitas et quae eam mox secuta sunt.		
α. Genealogia.	c. I.	1—17
β. generatio.		18—25
γ. magi.	II.	1—12
δ. fuga et reditus.		13—23
II. Introitus.		
α. Johannes.	III.	1—12
β. Jesu baptismus.		13—17
γ. tentatio et victoria.	IV.	1—11
III. Acta et dicta, quibus se Jesus Christum esse demonstravit:		

1) Quodsi testimonia Johannis et Matthaei, itemque Marci et Lucae conjunxeris: plenum habebis conversationis, actorum dictorumque Jesu Christi decursum, initium, progressum et finem, omnesque insuper, quas in discipulis, in populo, in adversariis, et, ex horum indigentia, in ipso Salvatore, si methodum spectes, observare licet, vicissitudines. *Harm.* p. 38. s.

Digitized by Google

a b

α. Capernaumi. 12—16
ubi notetur
1. praedicatio. 17
2. vocatio Petri et Andreae, Jacobi et Johannis. 18—22
3. praedicatio et sanatio: multorum confluxus. 23—25
4. Sermo in monte. V—VII.
5. Leprosus. VIII. 1—4
6. Centurio et servus ejus. 5—13
7. Socrus Petri. 14. 15
8. multi aegri. 16. 17
β. iter, duobus de sequela admonitis, trans mare, et imperium in ventum et mare. 18—27
daemonia ex hominibus in porcos migrantia. 28—34
γ. rursus Capernaumi.
1. paralyticus. IX. 1—8
2. Matthaei vocatio. Conversatio cum peccatoribus defensa. 9. 10—13
3. jejunium. 14—17
4. Puella mortua, et, post haemorrhoussae sanationem, resuscitata. 18—26
5. duo caeci. 27—31
6. daemoniacus. 32—34
7. ambulat Dominus, et operarios peti jubet. 35—38
8. operarios mittit et instruit, X. 1—42
et ipse praedicat. XI. 1
9. Johannis legatio. 2—6
10. Johannes laudatur: civitates contumaces reprehenduntur: laborantes invitantur. 7—30
11. spicae frictae. XII. 1—8
12. manus arida sanatur. 9—13
13. Pharisaei insidiantur: Jesus secedit. 14—21
14. Daemoniacus sanatur: populus miratur: Pharisaei blasphemant: Jesus eos refutat. 22—37
15. Signum postulantes redarguit. 38—45
16. declarat, qui sint sui. 46—50
17. docet per similitudines. XIII. 1—52
δ. Nazarethae. 53—58
ε. Aliis locis.
1. Herodes, Johanne interfecto, de Jesu audiens haesitat: Jesus secedens a populo quaeritur. XIV. 1—13
2. Sanat et V millia satiat. 14—21
3. iter maritimum, et sanationes in terra Genesareth. 22—36
4. manus illotae. XV. 1—20
5. Cananaea. 21—28
6. aegroti multi, sanati. 29—31
7. IV millia cibati. 32—38
8. in finibus Magdala, signum postulantes refutantur. 39—XVI. 4
9. admonitio de fermento. 5—12

IV. Praedictiones de passione et resurrectione.
α. praedictio prima.
1. praeparatio per confirmationem articuli palmarii, quod Jesus sit Christus. 13—20
2. praedictio ipsa et intercessio Petri refutata. 21—28
β. praedictio secunda.
1. transfiguratio in monte, et imperatum silentium. XVII. 1—13
2. lunaticus sanatus. 14—21
3. praedictio ipsa. 22. 23
4. didrachma soluta. 24—27
5. Quis major. XVIII. 1—20
6. Officium remittendae fratri offensae. 21—35
γ. praedictio tertia.
1. migratio ex Galilaea. XIX. 1. 2
2. quaestio de divortio. 3—12
3. humanitas erga parvulos. 13—15
4. dives pedem referens, 16—22
et inde sermones de salute divitum, 23—26
de praemiis sequelae, 27—30
de novissimis et primis XX. 1—16
5. praedictio ipsa. 17—19

Digitized by Google

a

6. filiorum Zebedaei petitio: praeceptum humilitatis — 20—28
7. duo caeci sanati. — 29—34

V. Acta Hierosolymitana, proxime ante passionem.
- α. feria prima.
  - 1. introitus regalis. — XXI. 1—11
  - 2. purgatio templi. — 12—17
- β. feria secunda. Ficus. — 18—22
- γ. feria tertia. Acta
  - a. in templo.
    - 1. interpellatio antistitum,
      - א refutata,
        - α. per quaestionem de baptismo Johannis. — 23—27
        - β. per similitudines:
          - a. de duobus filiis. — 28—32
          - b. de vinea. — 33—44
      - ב ad insidias progressa. — 45. 46
    - 2. parabola de nuptiis. — XXII. 1—14
    - 3. adversariorum quaestiones:
      - א de censu. — 15—22
      - ב de resurrectione. — 23—33
      - ג de praecepto maximo. — 34—40
    - 4. Salvatoris quaestio mutua, de Davidis Domino. — 41—46
    - admonitio de scribis et pharisaeis, — XXIII. 1—12
    - et elenchus contra eos, — 13—36
    - et contra ipsam urbem. — 37—39
  - b. extra templum. Sermo de fine templi et mundi. — XXIV. XXV.

VI. Ipsa passio et resurrectio.

A. passio, cum morte et sepultura.
- a. feria quarta.
  - α. Jesu praedictio. — XXVI. 1. 2.
  - β. Antistitum deliberatio. — 3—5
  - γ. Judae, unctionem Domini aegre ferentis, pactum de proditione. — 6—16
- b. feria quinta.
  - α. interdiu: pascha paratum. — 17—19
  - β. vesperi:
    - 1. proditio indicata. — 20—25
    - 2. coena Dominica. — 26—29
  - γ. noctu.
    - 1. scandalum discipulorum et Petri praedictum. — 30—35
    - 2. luctа in Gethsemane. — 36—46
    - 3. Jesus capitur, gladio uti vetat: turbas redarguit: a discipulis deseritur. — 47—56
    - 4. ad Caipham ducitur; falsi testes irriti: ipse se filium Dei confitetur: capitis damnatur: illuditur. — 57—68
    - 5. Petrus negat et flet. — 69—75
- c. feria sexta.
  - α. passio summa.
    - א mane.
      - 1. Jesus Pilato traditur. — XXVII. 1. 2
      - 2. Judae exitus. — 3—10
      - 3. Jesu regnum, et silentium. — 11—14
      - 4. Pilatus Barrabam, ab uxore frustra admonitus, dimittit, Jesum crucifigendum tradit. — 15—26
      - 5. Jesus illuditur et educitur. — 27—32
    - ב hora tertia. Acetum et fel: crux: vestes divisae: titulus crucis: duo latrones: blasphemiae. — 33—44
    - ג ab hora sexta ad nonam. Tenebrae: derelictio. — 45—49
  - β. Mors, — 50
    - velumque scissum ac motus ingens. — 51—53
    - Centurio miratur: mulieres spectant. — 54—56
  - γ. sepultura. — 57—61
- d. feria septima: sepulcrum munitum. — 62—66

B. Resurrectio: α. mulieribus nuncіata, 1. per angelum, — XXVIII. 1—8
- 2. per ipsum Dominum. — 9—10
- β. per adversarios negata. — 11—15
- γ. discipulis ostensa. — 16—20

Digitized by Google

CAPUT I.

v. 1. ΒΙΒΛΟΣ γενέσεως) Locutio LXX viralis, Gen. 2, 4. 5, 1. Etenim Hebraismum habent maxime libri N. T. primo tempore scripti: providitque sapientia divina, ut versio graeca V. T. eam praepararet linguam, quae doctrinae N. T. vehiculum foret aptissimum. Spectat autem titulus hic, *Recensio ortus*, proprie ad proxima sequentia, ut ex reliqua parte versus primi patet, neque tamen vis ejus non ad totum librum porrigitur, quo id agitur, ut Jesus agnoscatur Christus, filius David etc. [*in quo, ceu promisso Messia, vaticinia V. T. complementum nacta sint. Hinc subinde formulam frequentat:* Ut impleretur. Vers. germ.] v. 20. c. 9, 27. etc. Nam Scriptura cum genealogiis etiam causas earum solet contexere. Gen. 5, 1. 6, 9. — ιησοῦ χριστοῦ, *Iesu Christi*) conjuncta *Iesu Christi*, *et Christi Iesu*, vel absoluta *Christi* per antonomasian appellatio, post adventum Paracleti invaluit: quare libri evangelici in praefationibus duntaxat et conclusionibus, insequentes ubique eam habent. Rom. 3, 24. Gal. 2, 16. nott. Conf. v. 16. — δαυὶδ — ἀβραάμ, *Davidis — Abrahami*) Dicitur Christus filius Davidis, et filius Abrahae, quia utrique promissus. Abraham primus, David ultimus virorum, quibus ea promissio data, unde tanquam a proximo patre dicitur Filius David. v. Rhenferd. op. phil. p. 715. Uterque cum fide et gaudio accepit. Ioh. 8, 56. Matth. 22, 43. In tota hac scala quilibet priores patres, sed non insequentes scivit. O quam jucundum lectu fuisset illis hoc Matthaei exordium, quod nos tam parum curamus. Allusio praevia fit ad tessaradecadas, v. 17. quarum primam *Abrahami*, secundam *Davidis* nomen distinguit: tertiam eleganter non a nomine proprio, sed a transportatione inchoatam, ipse suo nomine Iesus Christus coronat. Nam prima tessaradecas nec non secunda habent promissionem, tertia impletionem. Retrorsum autem incedit oratio v. 1. a Christo ad Davidem, a Davide ad Abrahamum. Eoque commodius Abraham secundo loco ponitur, quia mox redit versu 2. Marcus autem ineunte libro suo, Iesum appellat *Dei filium*, non *Davidis*, quia statim incipit a baptismo Iohannis, per quem Iesus ostensus est Filius Dei. Sic uterque evangelista scopum libri sui profitetur in titulo. Prior pars hujus versiculi habet summam N. T. et altera anakephalaeosin V. T.

v. 2. ἀβραάμ, *Abraham*) Matthaeus in enumerando descendit: quanquam etiam v. 1. ascendit: neque ab Adamo, sed ab Abrahamo incipit; non tamen exclusis gentibus: coll. c. 28, 19. nam in Abraham omnes gentes fiunt benedictae. — καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, *et fratres ejus*) Non Abrahamo, non Isaaco, non Iacobo adduntur fratres, quos habuere, sed Iudae. Promissiones fuere in familia Israelis.

v. 3. καὶ τὸν ζαρὰ, *et Zara*) cum fratre natum. — ἐκ τῆς θάμαρ, *ex Thamare*) Matthaeus subinde mulierum mentionem injicit, quae casu quodam singulari junctae fuerant Abrahamidis. Thamar debuerat uxor fieri Sela, Gen. 38, 11. 26. et ex ea ipse Iuda genuit Phares et Zara. Rachab erat ex Cananaeis: et tamen facta est uxor Salma. Ruth erat Moabitis: et tamen Booz eam duxit. Uxor Uriae, Davidis est facta.

v. 4. ναασσὼν, *Naasson*) tempore Mosis. de ipso Mose memorabile est in hac tota serie silentium.

Digitized by Google

v. 5. τὸν βοὸζ ἐκ τῆς ῥαχὰβ, *Booz ex Rachab*) Sunt, qui proximos Boozi genitores praetermissos putent: sed sic quoque habetur Ruth 4, 21. neque prima tessaradecas, ceterarum norma, hiatum admittit. v. 17. Rectius alii in tanto temporum tractu genitores valde grandaevos agnoscunt. *Rachab* hic Hierichuntinam illam dici, vel articulus τῆς ῥαχὰβ ejusque vis relativa docet. Neque obstat orthographia, nam pro רחב ῥαὰβ *et* ῥαχὰβ scribitur. vid. Hilleri Onom. sacrum p. 695. Rahab illa, cum exploratores occultavit, erat adolescentula, Jos. 6, 23. vixit autem ultra Josuam et seniores. ib. c. 24, 29. seq. et postea demum Salmoni nupserit oportet, quia de his nuptiis in eodem libro nil commemoratur, sed habitatio duntaxat Rahab in Israel. Jos. 6, 25. In Ruth. 1, 1. prima videntur denotari Judicum tempora, ut verbum שׁפט (quod alioqui putari posset redundare,) habeat vim inchoativam, quemadmodum saepe מלך *regnum cepit:* et Naemi in terram Moab ierit, antequam populus a Moabitis premeretur, Jud. 3, 12. Itaque Rachab potuit esse, ut erat, mater Boozi. Huic seni nupsit Ruth, c. 3, 10. et horum nepos Isai valde grandaevus (conf. de Jojada, 2 Chron. 24, 15.) genuit Davidem. 1 Sam. 17, 12. 14.

v. 6. δαυὶδ δὲ ὁ βασιλεὺς, *David autem rex*) Nomen illud ὁ βασιλεὺς, pridem nonnulli omiserunt: sed *Davidis regnum* bis memoratur hoc loco, uti postea *transmigratio Babylonis*. Ita subaudi, *Salomo rex* etc. usque v. 11. quanquam David potissimum rex appellatur, non solum, quia primus est rex in hac serie, sed etiam, quia thronus ejus Messiae datur. Luc. 1, 32.

v. 7. ἐγέννησε, *genuit*) Homines mali, etiamsi, dum vivunt, sibi sunt inutiles, tamen non frustra exstiterunt. certe per eos nascuntur etiam electi.

v. 8. ἰωρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν ὀζίαν, *Ioram autem genuit Oziam*) intervenientibus Achazia, (qui idem profecto est Joachaz, 2 Chron. 21, 17. 22, 1.) Ioas et Amazia. 1 Chr. 3, 11. seq. Itaque *genuit* mediate, ut dici solet *filius*, mediate. v. 1. nam etiam Esr. 7, 3. transiliuntur sex patres, coll. 1 Chr. 6. Tres illos Matthaeus, non quo ipse eos ignoraret, cujus peritiam totus contextus ostendit, sed quia omnibus notissimi erant, praetermisit: neque per fraudem id fecit; nam si numeres, aucta generationum multitudo vim addet argumento de Messia jam exhibito. Neque illos ob impietatem omisit: nam alios quoque impios, v. gr. Iechoniam, eumque consideratissime, memoravit, vel etiam pios praetermisit. Verum ut in demonstrandis itineribus ac viis praecipua esse cura solet, ubi bivia occurrunt, simplici via per se expedita: sic Matthaeus in hacce genealogia eos praecipue notat, qui *fratres* habuere, et prae fratribus stemma Messiae propagarunt, usque eo, ut, cum causam haberet Jojakimi non appellandi, *fratres* ejus filio ejus unico assignet: at Joasum, qui unica sui temporis scintilla fuerat, cum ejus genitore et nato quam commodissime praetermisit. Porro ut in geographia distantiae locorum, salva veritate, modo per longiores, modo per breviores stationes describuntur, sic in genealogia gradus generationum, etiam apud Hebraeos. Ac res ex V. T. evidenter notas, neque ulli erroris periculo obnoxias, sermo N. T. solet non tam explicare, quam innuere, brevitate ardori spiritus, Act. 7, 16. not. vel etiam ad alias res apta. *Ozia* antea dictus *Azaria:* sed una in Hebraeo litera ר exempta, appellatus est *Ozia.*

v. 11. ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν ἰεχονίαν, *Josias vero genuit Jechoniam*) Multi et pridem et nuper, sed vix alii atque Graeci, inseruere *Jojakimum;* quippe quem et historia V. T. haberet, et apud Matthaeum numerus XIV generationum, a Davide usque ad transmigrationem Babylonis, requirere videretur. Neque tamen *Jojakimus* inseri potest: nam historia non pateretur, *Jojakimum* sine fratribus, quos habebat, poni, et *sic* fratres dari *Jechoniae*, quos non habebat. Nonnulli sub priore apud Matthaeum *Jechoniae* mentione *Jojakimum*

Google

quaesivere, Hieronymus praesertim, Porphyrii objectionem de hiatu versus hujus refutans: sed nullus metaplasmus efficiet, ut יהויקים (LXX. ἰωακεὶμ) et ἰεχονίας unum idemque sit nomen; neque magis sub Jechonia bis posito Jojakim et Jechonias accipi possunt, quam sub Isaaco et ceteris bis nominatis duo Isaaci, et sic deinceps. Idem Jechonias suo bis nomine ponitur: hunc Josias genuit interjecto Jojakim: et Jechoniae patruos Matthaeus *fratres* ejus dicit, coll. Gen. 13, 8. idque pereleganter. nam ***Sedekias***, transmigratione jam facta, ***post*** Jechoniam, exclusis hujus filiis, regnavit, (octo post ***Jechoniam*** annis natus,) quo nomine concinne ***post*** Jechoniam memorantur fratres ejus, quorum princeps Sedekias erat, qui expresse *frater* Jechoniae dicitur, pro *patruo*, 2 Chr. 36, 10. 2 Reg. 24, 17. — ἐπὶ τῆς μετοικεσίας, ***sub migratione***) Ἐπὶ, cui opponitur μετὰ ***post***, v. 12. dicitur etiam, cum id, ***sub quo*** aliquid fit, proxime sequitur. Marc. 2, 26. not. Sic ב praefixum, Gen. 10, 25. Nativitatem ***Jechoniae*** proxime subsecuta est ***migratio***. Dicitur apud LXX. ἀποικεσία et μετοικεσία, illud, respectu terrae Canaan; hoc, respectu Babylonis. — βαβυλῶνος, ***Babylonis***) i. e. ***in Babylonem***, sic, ὁδὸς αἰγύπτου ***via in Aegyptum***. Jer. 2, 18.

v. 12. μετὰ, ***post***) postquam Babylonem migraverit. — σαλαθιὴλ δὲ ἐγέννησε τὸν ζοροβάβελ, ***Salathiel autem genuit Zorobabel***) interjecto Pedaja. Alius Salathiel, alius Zorobabel, parens et filius, iisdem tamen fere temporibus, exstant Luc. 3, 27. [1])

v. 13. ἐγέννησε τὸν ἀβιοὺδ, ***genuit Abihud***) Hic idem, qui ***Hodavjah***, qui item aliquot patribus interjectis genitus est ex Zorobabel, 1 Chron. 3, 19. 24. uti docet ***Hillerus*** in Syntagm. p. 361. fs. ostendens, Judaeos agnovisse genealogiam Messiae l. c. nec sane aliam ullam genealogiam longius ibi produci opus fuit, quam Messiae. Dubium ergo non est, quin idem locus Judaeis fuerit notissimus, eoque minus a Matthaeo repetitu necessarius. In hac ergo generatione desinit Scriptura V. T. Cetera Matthaeus ex idoneis monumentis citerioribus, publicis sine dubio, dedit.

v. 16. τὸν ἄνδρα μαρίας, ***virum Mariae***) Plane singularis haec flexura est lineae genealogicae: atque hoc loco plura veniunt dicenda.

I. Messias sive Christus est filius David.

Hoc constat inter omnes. Matth. 22, 42. Act. 2, 30.

II. Jesum esse Christum, et Matthaeus et Lucas, etiam in genealogia, docent.

Patet ex Matth. 1, 16. Luc. 3, 22.

III. Quo tempore Matthaeus et Lucas scripserunt, ortus Jesu ex David extra dubitationem erat positus.

Stante urbe, Matthaeus et Lucas scripserunt, et tum genealogia, Davidica praesertim, tota ex tabulis publicis repeti poterat. Neque adversarii, cum Jesus toties *filius David* vocaretur, quidquam exceperunt.

IV. Genealogia apud Matthaeum ab Abrahamo, apud Lucam a prima rerum origine, usque ad Josephum, Mariae virum, non per matres, sed per patres, eosque natura patres, texitur.

Patet id de patribus omnibus iis, quorum nomina ex V. T. repetuntur apud Matthaeum et Lucam: quare ne illud quidem, utrum Chiljoni an Machloni uxor Ruth fuerit, indicatur, sed Obed simpliciter ponitur filius Booz ex Ruth. Ab Abraham ad David eosdem plane patres et Matthaeus et Lucas memorant: ut

1) *Cujus rei causas aperit* D. Crusius l. c. p. 369 s. *Lucae Zorobabelem principem Judaeae, et Joniae σύζυγον, Matthaei autem, hominem privatum fuisse ostendens.* E. B.

Digitized by Google

dubium non sit, quin uterque etiam a David ad Joseph, non matres, sed patres, eosque natura tales, respiciant. Sic in libris regum et chronicis, quotiescunque *mater* sola regis alicujus memoratur, indicium est, illum, pro quo *filius ejus* subinde *rex factus* esse dicitur, *patrem* fuisse *naturalem*.

V. Genealogia a Salomon apud Matthaeum, et a Nathan apud Lucam, non eodem, sed diverso respectu, ad Josephum perducitur.

Certum est id ex §. praecedente.

VI. Jesus Christus est genitus ex Maria, non ex viro quoque ejus Josepho.

Hoc elucet ex Matth. 1, 16.

VII. Mariae genealogiam texi, necesse fuit.

Sine genealogia Mariae non posset ortus Jesu ex Davide perspici, ut ex modo dictis fluit.

VIII. Diu Josephus pro genitore Domini Jesu est habitus.

Mysterium Redemtoris ex virgine nati non simul, sed paulatim est patefactum, et interim honestus matrimonii titulus pro velamine esse debuit. Pro filio igitur Josephi habitus est Jesus, v. gr. post baptismum, a Philippo, Joh. 1, 46. tempore praeconii publici, a Nazarenis, Luc. 4, 22. Matth. 13, 55. et, uno anno ante passionem, ab Judaeis, Joh. 6, 42. Haesit opinio haec apud multos etiam post ascensionem Domini, atque adeo tum, quum Matthaeus paucis annis post ascensionem Domini scriberet evangelium.

IX. Ergo Josephi quoque genealogiam tantisper exstare, opus fuit.

Omnibus, qui Josephum Jesu genitorem putabant, constare debuit de ortu Josephi ex Davide. Alias Jesum non potuissent agnoscere filium Davidis, adeoque Messiam. Hinc angelus primum Josepho apparens, eumque monens de conjuge assumenda, eum *filium Davidis* nominavit: v. 20. nempe quia hunc titulum filius Mariae aliquantisper ita, quasi ex Josepho tractum, gesturus erat. Non dissimile est, quod Jesus non solum matris suae primogenitus erat, Luc. 2, 7. 23. sed etiam pro Josephi eum primogenito haberi oportuit: quare *fratres* Jesu fuere consobrini, non comprivigni. Supervacaneus est eorum conatus, qui ex connubio Josephi et Mariae consanguinitatem utriusque deducere nituntur. Vel si ipse David proximus progenitor utrique communis fuit, tamen Matthaeus propositum obtinet. Itaque Josephi genealogiam adornavit Matthaeus, sed eo temperamento, ut veritati ipsi nihil adimeret. Non ait, Jesum esse filium Josephi; Mariae esse ait. Hoc ipso genealogiam Josephi, quae usum suum aliquandiu habebat, versu 16 innuit antiquatum iri. Mariae ortus ex Davide eo tempore non minus erat notus, ut patet ex Luca.

X. Aut Matthaeus Mariae et Lucas Josephi, aut Matthaeus Josephi et Lucas Mariae genealogiam habet.

Hoc consequitur ex §§. praecedentibus.

XI. Josephi genealogia est, quam Matthaeus habet; Mariae, quam Lucas.

Matthaeus ab Abrahamo ad Jacobum deducit seriem, et Jacobum dicit *genitorem* Josephi, et Josephum expresse Mariae virum appellat. Josephus igitur, non Mariae, sed suo nomine, ut filius eorum, quos Matthaeus recenset, spectatur. Porro Matthaeus Josephum ut ab Jacobo *genitum* expresse Mariae contradistinguit: sed apud Lucam, minus adstricta locutione, simpliciter post *Joseph* ponitur *Eli*. Quum igitur Josephus proprie sit filius Jacobi apud Mat-

Digitized by Google

thaeum, idem apud Lucam filius Eli suo nomine esse non potest. Superest, ut alieno nomine, nomine conjugis suae, sit filius Eli. Ergo Maria est Eli filia. Occurrit in scriptis Judaeorum מרים בת עלי *Maria filia Eli*, quam apud inferos vehementissime discruciari dictitant. vid. Lightfoot ad Luc. 3, 23. et Wolf. ad Matth. 1, 20. Non tamen nominat Mariam Lucas in genealogia. nam absonum fuisset, Judaeis praesertim, si scripsisset: *Jesus erat filius Mariae, Eli, Mathat* etc. Quapropter virum Mariae nominat, sed ita, ut ex toto capite I. et II. omnes possent intelligere, pro Maria nominari virum ejus.

XII. Apud Lucam est genealogia primaria, apud Matthaeum secundaria.

Ubi genealogia aliqua per matres aeque ac patres adornatur, multimodis ex una quispiam stirpe ortus ostendi potest: sed per patres nonnisi unica et simplex potest esse deductio. Porro in genealogia Jesu Christi patribus Maria mater *incomparabili* jure accensetur. In generatione communi patres matribus sunt potiores: at Maria una omnium potissimo jure genealogiam ingreditur, prae quovis patre ex toto genere humano. nam quicquid ex humana, Abrahamica, Davidica stirpe traxit Jesus, id *totum* ex matre traxit. Hoc unum *mulieris* sine viro semen est. Ceteri liberi ortum sui *partim* patri, *partim* matri, acceptum referunt. Primaria ergo Mariae, apud Lucam, est genealogia. Nec nisi secundaria esse potest Josephi apud Matthaeum, ad tempus adhibita, dum omnibus innotesceret, Jesum esse Mariae, non etiam Josephi filium. Memorat Matthaeus Jechoniam, quem tamen primaria Messiae genealogia praeterit. Jer. 22, 30. coll. Luc. 1, 32. 33.

XIII. Quicquid in tota re superest difficultatis, id fidem nostram non modo non debilitat, sed etiam confirmat.

Stirps Davidica tempore Jesu Nazareni eo paucitatis venerat (Apoc. 22, 16.) ut ob hanc quoque causam *Filius Darid* per antonomasian diceretur pro Messia: eademque ita in Jesu et propinquis ejus substitit, ut quilibet, qui sciret, Jesum ex ea ortum esse, non posset non Jesum, quum propinquorum nemo cum eo conferendus esset, Messiam, cujus tempus aderat, agnoscere, etiam citra lucem fidei. Proinde ortus Jesu ex semine *Darid*, perinde ut ortus ex *Bethlehem*, vulgo minus innotuit; quin potius *Nazareni* cognomine quodammodo velatus est, ut fidei pretium maneret: Joh. 7, 27. 41. 42. hominesque aliis prius argumentis ad fidem in Jesum Messiam perducti, ex iisdem eliciebant hanc conclusionem, Jesum esse Davidis filium. Matth. 12, 23. Sed tamen non deerant publice monumenta idonea: unde Judaeorum antistites, cum omnia moverent adversus Jesum, tamen prosapiam ejus in nullam vocavere controversiam. Quin etiam ad Romanos multa pervenit de genere Jesu Davidico notitia. Luc. 2, 4. Olim facilitas genealogiae ostendebat, Jesum esse filium Davidis: nunc ipsa difficultas, deletis cum urbe Hierosolymorum tabulis publicis, argumento est, contra Judaeos certe, Messiam pridem venisse. Quemcunque alium ii pro Messia sunt admissuri, ejus ortum ex Davide non aliter, atque Jesu Nazareni, nosse poterunt. Veruntamen non parum mutata est, progrediente luce, ratio. Appellatus est quondam Jesus *filius Darid* a multitudine, c. 12, 23. 21, 9. a pueris, ibid. v. 15. a caecis, c. 9, 27. 20, 30. a Cananaea, c. 15, 22. sed discipulis nunquam praedicavit, se esse filium Davidis: neque discipuli in confessionibus eum dixere Davidis, sed Dei filium. Davidis quoque filium appellantes, ulterius invitavit. Matth. 22, 42. s. 9, 28. Initio, ortus Jesu ex David erat magis argumentum fidei: deinceps idem magis objectum est fidei factum. Nulla jam fideles impedire difficultas potest. 2 Cor. 5, 16. Jesus est *radix* et *genus* David, stella illa splendida matutina.

Digitized by Google

XIV. Matthaeus et Lucas, ipsi genealogiae alias utilitates attexunt.

Si tantummodo ortum Mariae, nec non Josephi, ex *Davide*, ostendere voluissent, satis fuisset, praesuppositis V. T. documentis, ibi, ubi illa desinunt, v. gr. in Zorobabel, vel certe in ipso Davide, incipere, et seriem per Nathanem vel Salomonem usque ad Jesum Christum continuare. At Matthaeus longius ab Abrahamo orditur, et per Davidem et Salomonem descendit: Lucas autem ad Nathanem et Davidem ascendit, et dehinc ultra Abrahamum ad ultimam progreditur humani generis originem. Utrique igitur aliud quiddam fuit eodem tempore propositum.

Lucas, ut ex primo ejus aspectu apparet, amplissimam instituit anakephalaeosin, summamque stemmatis humani, et Salvatoris cum eo stemmate necessitudinem omnibus, etiam gentibus, exhibet: at Matthaeus, Hebraeis scribens, ab Abrahamo orditur, promissionem illis in memoriam revocans. Rursum Lucas totam seriem per gradus plus LXX. simpliciter enumerat: sed Matthaeus praeter insignes quasdam stricturas particulares, quas adspergit, de mulieribus, de fratribus, de transmigratione Babylonis, totam seriem, quam describit, in tres periodos partitur, et in quavis periodo quatuordecim generationes, ut mox considerabimus, numerat. Atque hinc etiam opportunitas *descensus* apud Matthaeum, et *adscensus* apud Lucam perspicitur. nam tali modo alter stricturas et partitiones illas commode notavit: alter strictiore verbo ἐγέννησε, *genuit*, potuit abstinere, et bono formulae, ὡς ἐνομίζετο, *ut censebatur*, uti, et exquisita ratione totam seriem in *Deo* terminare. — ὁ λεγόμενος, *qui dicitur*) Matthaeus agit cum lectore Judaeo, qui de *Jesu Messia*, v. gr. per genealogiam, convincendus est. Ac passim ea scribit et confirmat, quae ceteri evangelistae praesupponunt. Vis nominis *Christi* refert maxime promissionem *Davidi* datam de *regno* Messiae: et vis nominis *Jesu* refert maxime promissionem *Abrahae* datam de *Benedictione* [1]).

v. 17. πᾶσαι, *omnes*) Ingens symperasma. Cujus vim his positionibus expendimus:

I. Gravissimo Matthaeus consilio hancce clausulam perscripsit.

Messias per Nathanem ex Davide ortus est: Matthaeus autem a Davide per Salomonem descendit ad Josephum. Quare ii, qui jam norant, Jesum non esse ab Josepho genitum, genealogia Josephi minus utebantur. Hanc igitur, bono omnium, qui Jesum vel ex Maria sine Josepho natum crederent, vel ex Josepho quoque ortum putarent, ita adornat, ut eodem tempore utrosque deducat tamen ad *Christum, Davidis filium*.

II. Tres tessaradecadas facit Matthaeus.

Eas tali diagrammate proponimus:

1. Abraham	David	Jechonias
2. Isaac	Salomon	Salathiel
3. Jacob	Roboam	Zorobabel
4. Judas	Abia	Abiud
5. Phares	Asa	Eliakim
6. Esrom	Josaphat	Azor
7. Aram	Joram	Sadoc
8. Aminadab	Ozias	Achin

1) Graecum Χριστὸς et hebraicum משיח Unctum dicit, i. e. Regem. *Jesus* proprium Domini nomen est: *Christus*, cognomen, officium innuens. Christum veteres exspectabant ante natum Jesum: nato Jesu, hunc ipsum Christum esse, demonstrabatur; qua demonstratione latius deinceps divulgata vulgaris appellatio *Jesus Christus* invaluit. *Vers germ.*

Digitized by Google

9.	Naasson	Joatham	Eliud
10.	Salmon	Achaz	Eleazar.
11.	Booz	Ezekias	Matthan
12.	Obed	Manasses	Jacob
13.	Jesse	Amon	Joseph
14.	David:	Josias:	Jesus, qui vocatur Christus.

III. Statuit ergo Matthaeus tres periodos.

Omnes gradus recenset Lucas, ad *Deum* usque ascendens, nec tamen periodos facit; tantum abest, ut in periodis gradus numeret: Matthaeus autem tres periodos, ab Abraham ad David, a David ad migrationem, a migratione ad Christum, describit; atque in his periodis mox XIV. gradus videbimus.

IV. Quamlibet periodum redigit Matthaeus ad XIV. generationes.

Matthaeus non omnes patres memorat: et tamen hos, quos memorat, in numerum redigit. Sunt, qui hic quaerant *septenarium:* sed tessaradecadas, non septenarios simplices, notat evangelista. Rursum, easdem tessaradecadas in nullam summam confert: non enim cunctas ait esse 40 vel 41 vel 42. neque nostrum est, illas in talem numerum cogere. In annis regum v. gr. Israëlis saepe unus idemque annus est ultimus praecedentis regis et primus subsequentis. Eandem rationem apud Matthaeum debemus admittere, quum res ipsa nos eo compellit. Sane David rex et primam tessaradecadem ingreditur, ut ultimus, et secundam, ut primus. Primam ingreditur, alias ea tantum XIII. generationes haberet: secundam ingreditur, quia uti prima ab Abrahamo inclusive, tertia ab Jechonia inclusive, sic media a Davide inclusive debet incipi. Neque vero pariter Jechonias etiam secundam tessaradecadem, ut ultimus, ingreditur, nam a Davide non ad Jechoniam, sed ad transmigrationem, XIV. generationes numerantur. *Vallesius* p. 454. Jechoniam quasi duplicem personam putat, rectius de Davide id dixeris.

V. Utrumque eo spectat, ut doceat, Jesum dici vere et esse Christum.

Notanter a nomine *Jesu* ad cognomen *Christi* progreditur v. 16. 17. 18. Atque in periodis notat *dissimilitudinem:* in generationibus, *aequalitatem.* Ea dissimilitudo, ea aequalitas, et seorsum, et conjunctim, ad magnum illum scopum, de *Jesu Christo*, pertinent, ut jam jamque videbimus.

VI. Tres periodi sunt inter se dissimiles.

Si meram genealogiam Matthaeus voluisset texere, tota hacce congerie supersedere, vel certe nomina propria potuisset recensere, et dicere, *ab Abraham ad David, a David ad Jechoniam, ab Jechonia ad Jesum.* Nunc dicit, post cetera, *ad migrationem, a migratione ad Christum.* Primae igitur periodi terminus, limes, statio, est *David;* secundae, *migratio;* tertiae, *Christus.* Prima periodus est patriarcharum: secunda, regum: tertia, privatorum fere.

VII. Ea dissimilitudo egregie probat, Jesum esse Christum.

Diversi illi tituli, ad quos Matthaeus tres periodos reducit, ostendunt, hoc tempus, quo natus est *Jesus,* esse tempus Christi, ipsumque Jesum esse Christum. Prima tessaradecas et secunda illustre habent initium; tertia, quasi caecum et anonymon. Hinc et firmiter infertur et clarissime exsplendescit tertiae et omnium finis et meta, *Christus.* Prima, est promissionis, quia Abraham in ea primus est, et David ultimus, quorum utrique data promissio: secunda, adumbrationis, per regnum Davidicum; quae quum annos revera pauciores complexa

Digitized by Google

sit, quam prima vel tertia, idoneo est argumento, regnum Davidis per Christum longe augustius deinceps ac diuturnius fore: Luc. 1, 32 seq. tertia, exspectationis est. In prima, primus, Abraham, et ultimus, David, sunt praecipui: in secunda, primus, idem David, est praecipuus: in tertia primus quidem est Jechonias *vinctus*, 1 Chron. 3, 17. cui non heres throni promissus, sed perinde, ut patruo et patri, sic ipsi, alia omnia denunciata sunt, Jer. 22, 11. 18. 24. ut quanquam semine non plane careret, tamen, in memoriam posteritatis, scriberetur עקרי *sterilis*, sine successione regni, ibid. v. 28. 30. atque horum trium respectu *terra terra terra* inclamaretur ter. ibid. v. 29. Hinc in confinio tessaradecadis secundae et tertiae Jechonias non nominatur, sed pro eo migratio memoratur Babylonis. Grande huic argumento pondus additur apud Jeremiam. Namque medio inter Abrahamum et Davidem Mosis tempore, factum est foedus cum populo: idque sub ipsam Jechoniae migrationem est antiquatum Jer. 29, 1. 31, 31. Ebr. 8, 8. 13. Temporibus Abrahami et Davidis promissus est Christus: post Davidis tempora minus diu stetit regnum, sub migrationem Babylonis sublatum. Tum vero novum foedus, cujus sponsor Christus, est promissum. Ergo status populi post migrationem non potuit non assequi *Christum*. In psalmis et in aliis prophetiis regum tempore latis sermo fere per *comparationem* status praesentis et futuri incedebat: sed post migrationem Babylonis potius per *oppositionem* incedit, futura prospiciens subinde propius.

VIII. Matthaeus tres periodos inter se exaequat.

Patet ex numero XIV. ter, considerate sane, posito. Vid. §. 4.

IX. Tertiam secundamque tessaradecadem conficit, praetermissis aliquot patribus: in prima vero nullum praetermittit.

In secunda praetermittuntur (post *Joramum*) *Achazias*, *Joas* et *Amazias*, et (post *Josiam*) *Jojakimus*; in tertia: (post *Salathielem*) *Pedaja*. Neque vero *Zorobabel* immediate genuit *Abihud*. Nam quum illius filii sint *Mesullam* et *Hananias*, utrumvis horum nominum ab *Abihud* differt. *Notem* patres post Zorobabelem praetermissos numerat Hillerus l. c. *Hodarjahu* eundem esse docens atque *Abihud*. Posteri David a Salomone ad *Hodarjahu* recensentur 1 Chron. 3, 5. 10—24. Nunc, quia nec secunda, nec tertia tessaradecas per se habent XIV. generationes, prima necessario tot habet, alias numerus XIV. per quem tres periodi aequantur, fundamento careret, ac pro eo numerus XV. aut alius major locum haberet. Plane XIV. generationes enumerantur in V. T. ab Abraham ad David: 1 Chr. 1, 34. 2, 1. 4—15. unde R. Bechai dicit, regem David esse decimum quartum ab Abrahamo, secundum numerum literarum nominis דוד quae faciunt XIV. Antiquioribus seculis seriores fere genitores erant; citerioribus, maturiores. hinc prima tessaradecas per se stat: secunda per minorem ellipsin, tertia per majorem conficitur. Eaeque generationes apud Matthaeum subaudiendae relinquuntur, quae ex V. T. notae sunt: sed post eas, quae ex V. T. repeti possunt, nulla in N. T. praetermittitur, et in V. T. nulla est plane praetermissa. Prima igitur tessaradecas est in re; secunda et tertia, in methodo.

X. Numerus generationum, quas Matthaeus praetermittit, cum earum numeris, quas et ipse et Lucas ponunt, congruit.

Omnino XIV. *generationes* inter *Joram* et *Abihud* praetermittit Matthaeus §. 9. Concinneque ab Abraham ad Christum tessaradecadas, *tribus* pro numero periodorum expressis, *quatuor* tamen innuit. Tali pacto Matthaeus ab *Abraham* ad *nativitatem* Christi habet implicite *generationes* 55. Lucas, ab *Abraham* ad Jesum XXX. *annorum*, expresse refert *generationes* 56. Conveniunt.

Digitized by Google

XI. Aequalitas tessaradecadum non terminatur in ipso numero numerante, XIV.

Amant Talmudici, numeros rerum diversarum, affines, plane ad paritatem redigere. Exempla collegit Lightfootus ad h. l. eaque Judaeis, si tessaradecadas Matthaei sugillent, recte ille quidem reponit: sed ipsam tessaradecadum veritatem idem remissius tuetur. Magis ad rem pertinet, quod Jac. Rhenferdus huc confert, generationes XV. ante Salomonem, et totidem post Salomonem ab Judaeis ita enumerari, ut cum diebus lunae crescentis et decrescentis congruant. Sed ea quoque ratio dilutior est. Neque mnemonicum, masoreticum, aut aliud ejusmodi subsidium secutus est Matthaeus. Quid enim magnopere referret, nomina potissimum ac numerum patrum horum praeter ceteros memoria tenere, aut Judaeis, ea sat probe tenentibus, nova, et in tot genealogiis V. T. aliisque Scripturae capitibus gravissimis nunquam usitata methodo amplius imprimere? Quodsi integritatem enumerationis hujus quadam quasi masora munire voluisset, satius fuisset, unam omnium generationum summam facere. Denique gravitati apostoli et evangelistae parum conveniret, generationes, ut commodum foret, recensere, et tum aequalitatem tessaradecadum mirari. Non propter se notatur numerus XIV. sed propter aliud: non finis est, sed medium, ad obtinendum finem majoris momenti.

XII. Aequalitas hic agitur chronologica.

Apostoli ex N. T. in V. T. respicientes, maximam *plenitudinis temporum* rationem habent: et Hebraei summa chronologiae capita numeris generationum, v. gr. in Seder Olam, comprehendere solent. Scite igitur Matthaeus sub genealogia chronologiam propinat lectori, utramque in hoc connectens breviario. Particula οὖν *igitur* illativam vim habet, et articulus αἱ relativam, ut innuantur ipsae illae generationes, quae in praecedentibus versibus enumeratae sunt. Quodvis autem hujus versus incisum in subjecto et in praedicato habet vocabulum, *generationes:* idque in subjecto respondet hebraico תולדת uti Gen. 25, 13. sed in praedicato respondet hebraico דור et habet vim chronologicam, ut vocabulum numerale XIV. additum ostendit. coll. Gen. 15, 16. In Graeco est antanaclasis uno vocabulo graeco hebraica duo rependente. Hinc manat paraphrasis: ***Omnes igitur*** illae *generationes* (absit tautologia) *genealogicae,* methodi causa ad numerum XIV. revocatae, *sunt* reapse *generationes chronologicae* XIV. ab Abrahamo ad Davidem etc. Quae cum ita sint, sat gravis cernitur causa, cur Matthaeus genealogiam, quae per se sine numero generationum, eoque sic inito, multo planior fuisset, ad tales numeros redigat. Bene Chrysostomus ait, a Matthaeo *generationes, tempora, annos numerari, et auditori exquirenda proponi.* Hom. 4. in Matth. Sed videamus, in quo sita sit *aequalitas temporum?* Non est sita in *numero* XIV. per tres periodos methodi causa adhibito: §. 11. neque in *annis generationum* per *singulas* tessaradecadas; nam in prima fere tessaradecade multo longiores sunt generationes, quam in secunda et tertia: sed in ipsis periodis. Consideretur Schema:

A. M. 1946. Abram natus.	A. M. 2923. David mortuus.
2016. Promissio I.	3327. Jechonias natus.
2121. Abraham mortuus.	3345. Jechonias *vinctus* III.
2852. David natus.	3939. *Christus* natus.
2882. David *rex* II.	3969. Christus baptizatus.

Nunc I. sume annos cujusvis tessaradecadis, eosque divide per 14. qui est *numerus generationum,* habebis longitudinem singularum *generationum,* periodis ipsarum convenientem: ut in prima periodo habeat generatio annos 62. in secunda 33. in tertia 42. *Media* longitudo, 46. fere. Hoc autem non valde ur-

Digitized by Google

gebo: sume, quod potius est, II. annos 1923 a promissione Abrahamo data ad N. C. eosque divide per 3. qui est *numerus periodorum*. *Media* periodorum longitudo erit ejusmodi, quae primam periodum non expleat, secundam excedat, sed cum tertia pulcre congruat. Tertia igitur, tanquam primaria, cui duae illae ministrant, inter longitudinem primae et inter brevitatem secundae, se mutuo compensantes, media incedit. Fecitque evangelista, quod solent chorographi, qui duarum urbium distantiam expressuri, stationes interjectas ea arte enumerant, ut, quos uni stationi passus addunt, alteri demant, summam ipsam illaesa veritate eo commodius efficiant: imo fecit, quod solet omnis chronologia, quum annos ita enumerat in canonibus, ut mensium dierumque excessus et defectus absorbeantur. Breviter: anni primae secundaeque periodi simul sumti, duplum sunt annorum periodi tertiae. Simillima ratione apud Mosen, post Abraham, tempora *Isaac, Jacob, Leri, Kahath, Amram, Mose,* quae pauciores pluresve generationes genealogicas in hac vel illa familia exhibere poterant, ad *quatuor* generationes chronologicas, praetermissis duntaxat annis, quibus *Levi*, *Kahath* et *Amram* genuere, sive ad 400 *annos,* contrahuntur. Difficile est, picturam Mosis et Matthaei exsequi verbis: neque potest interpretatio tali in re non cruda et acerba primo videri; saepius autem perpensa, mitescet.

XIII. Chronologica trium periodorum aequalitas documento est, Jesum esse Christum.

In periodis temporum, divinitus definitis, perpetua est analogia: et hae tres ponderosissimae periodi praecipue inter se respondent. A migratione *ad Christum*, inquit Matthaeus, sunt XIV. generationes, quemadmodum Gabriel Danieli LXX. hebdomadas afferens, urbem dixit aedificatam fore *ad Christum* Ducem: Dan. 9, 25. atque eam ipsam temporum rationem in animo Matthaeus habuit. Migratio, revelatio, quae Danieli obtigit, reditus, ipsum hebdomadum initium, brevia, sed insignia habent intervalla: dehinc longo itinere comitantur hanc tessaradecadem hebdomades, dum utrasque et tessaradecadem prius, quam hebdomadas, implet *Christus*. LXX. hebdomades intra 560 annos subsistunt, ut *Ordo temporum* ostendit, et sunt circiter 12 generationes, singulae, ut §. 12. notavimus, annorum 46 fere. Intra LXX. hebdomadas Christum venire oportuit: ergo a migratione Babylonis ad Christum *non* potuere *plus* XIV. generationes exspectationem Israëlis morari.

XIV. Magnam hancce conclusionem dissimilitudo trium periodorum, et aequalitas tessaradecadum, conjunctim, firmant cumulatius.

Si quis ea, quae §. 7 et 13. diximus, invicem contulerit et conjunxerit, sentiet, haec duo argumenta se mutuo corroborare. Prima periodus, et secunda, fuere multo lautiores, quam tertia: haec igitur non potuit non habere exitum, post tantam promissionis regnique pausam, optatissimum.

In *Commentatione de genealogia JESU Domini, qua natalem Ipsius, academiae* Halensis *nomine*, A. 1749. *indixit* cel. Theologus, *Sigism. Jac. Baumgarten,* tribus locis *Gnomon* meus aperte solicitatur.

Primo loco, post refutatam opinionem Will. Readingii, ex jure Jesu Christi in regnum judaicum inferentem, Josephum nullos antea filios genuisse, me *idem statuere videri* ait. p. 20. At ego tantummodo ostendi, Jesum, quemadmodum pro filio Josephi habitus fuerit, aeque pro primogenito Josephi habendum fuisse. p. 10. §. *Omnibus.* De regni jure nil ibi memoravi.

Secundus mox locus sic habet: *Duplicant et mirifice adaugent difficultatem, qui Phadaiam a Matthaeo praeteritum fuisse existimant, ut Zerubabelem Sealthielis nepotem, Iechoniae pronepotem, efficiant, quod multis interpretibus placuit, licet Phadaia 1 Chron. 3. com. 18. 19. diserte Sealthielis*

Google

frater, Iechoniae filius vocetur. Longe tamen tolerabilior est illa opinio sententia Matthaei Hilleri, *quam dissertationis de genuina versione vocum, quae extabant in crucis dominicae elogio* cap. III. p. CCCLXI—CCCLXIII *Syntagmatum hermenevticorum protulit, rever.* Bengelius *vero gnomonis* p. VIII *etc. et* XIV. *ulterius prosecutus est; Abiudem Matthaei eundem esse cum Hodaia seu Hodauiahu 1 Chron. 3. com. 24. commemorato, decimo a Zerubabele. Quo immani saltu adeo sibi placuit, ut serio opinetur, Matthaeum cogitanter et prudenter integram tessaradecadem praeteriisse, quae his novem posteris Zorobabelis, ejusdem patre Phadaia, tribus posteris Iorami, et patre Iechoniae conficiatur, neque mysterio id carere ad tres temporum periodos constituendas, quas ex arbitrio deinde computat. Dabimus ipsius verba:* Omnino XIV. generationes inter Ioram et Abihud praetermittit Matthaeus: concinneque ab Abraham ad Christum tessaradecades, tribus pro numero periodorum expressis, quatuor tamen innuit. Tali pacto Matthaeus ab Abraham ad nativitatem Christi habet implicite generationes LV. „*Valde et dolenter veremur, ne ficta hac concinnitate fides Scriptoris sacri in discrimen conjiciatur, nulla distinctione sensus impliciti et expressi avertendum. Non ferenda esset opinatio, etiamsi liber chronicorum disertam Abiudis mentionem faceret, ob indubiam plurium hominum communitatem ejusdem nominis: quae inexcusabilis plane videbitur cuivis, sollicite secum reputanti, et quot fidiculis opus sit ad Abiudem in Hodaiam transformandum, et quantopere periclitetur divina fides libri chronicorum, si statuatur, quo unico argumento improbabili sententiae subveniunt conjectores, nullam aliam in excitato libro genealogiam longius produci quam Messiae, quam sine revelatione divinitus facta scriptor chronicorum certo ignorasset.*“

Quae in Programmate subsequuntur, ad me non pertinent. Resp. I. Tres *temporum* periodos non *ex arbitrio* computavi, sed ex stricturis in textu repertis. Primam enim et secundam disterminat *rex* David, qui in mera genealogia Ruth 4, 22. non dicitur *rex:* secundam et tertiam *captivitas Babylonica;* quae non est generatio, sed epocha. Non longe abludit ipsum programma p. 24. II. *Jojakimum* an praetermiserit Evangelista, nunc magis dubito, quam antea: sed certum est, tres eum generationes praetermisisse, *Achaziam, Ioas* et *Amaziam,* quas cur prae aliis praetermiserit, aliam causam Gnomon p. 8., aliam Programma p. 18. affert. Quare quae in Programmate contra alias generationes item praetermissas disseruntur, videndum est, ne ea demum fidem scriptorum sacrorum in discrimen conjiciant. Sex patres, Esr. 7, 3. Programma quoque p. 18. docet omitti. III. Sive unus homo fuit, qui *Hodaja* et *Abiud* vocatur, sive duo: certe unum utriusque nominis significatum Hillerus demonstravit, cujus *fidiculis* multi, si eas adhibere dignarentur, in eruenda veritate proficerent. IV. *Hodajam* tamen alium, alium *Abiud* fuisse, nunc agnosco, sed unico inductus argumento, quod, quo propius *Abiud* a Christo abest, eo longius absit ab antiquitate *Chronicorum,* ipsiusque Hodaja. Genealogiam Messiae, vel Josephi, in Chronicis longius productam esse, quam ceteras, ego nusquam dixi, neque dicendi causam habui. V. Numerum generationum XIV, quas a Matthaeo praetermissas Hillerus notavit, specie quadam auxit congruentia cum ter XIV. generationibus ab Evangelista memoratis. VI. Ubi illa verba mea de Matthaeo abrumpit Programma, ibi Gnomon continuo haec subnectit: *Lucas ab Abraham ad Jesum XXX. annorum expresse refert generationes 56. Conveniunt.* Hinc, ut opinor, elucescit innocuum *impliciti* et *expressi* antitheton, et commoda numeri generationum apud Matthaeum et Lucam per generationes a Matthaeo omissas conciliatio. VII. Si paulo pauciores sunt omissae a Matthaeo generationes, id reliquae expositioni meae nil detrahit. VIII. Quum Programma p. 13. locum Luc. 3, 23. attingit, de

eo quoque monebimus aliquid. In his verbis, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς ἰωσὴφ, τοῦ ἡλεὶ κτλ. comma post ἐνομίζετο dispungit rever. Baumgartenius, ut totum hoc, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς ἰωσὴφ, parenthesin faciat: quum potius verbum ἐνομίζετο, sine ulla veritatis imminutione, ad totam genealogiam pertineat, ut in Gnomone ostendi. Obiter addo, eodem loco, in commemoratione aetatis Jesu, *quasi annorum* 30, per τὸ ὡς *quasi*, latitudinem aliquam ipsi anno 30 adscribi, ut *dies* nonnulli accedere possint, vel potius decedere, non autem praecisum 30 *annorum* numerum perimi. Cel. Baumgartenius in Hist. eccl. Sec. I. p. 105. *paucos aliquot* annos supra 30 introducit: hoc autem pacto momentosissimae temporum apud evangelistas rationes luxantur. Permultas hominum aetates Scriptura memorat, et numeri, v. gr. 21 vel 29 annorum, etsi quam proxime ad rotunditatem accedunt, tamen praecise ponuntur: quare gravissimam notationem aetatis Jesu neutiquam in suspenso relictam censere debemus.

Tertius locus est p. 26. *„Qui aliam hic temporum seu durationis harum periodorum aequationem et comparationem moliuntur, bonae causae male consulunt, quae crudis et acerbis opinationibus non juratur: qualem cuivis primo visum iri ipsemet fatetur rev.* Bengelius *suam de chronologia sententiam, quam in hac genealogia latere, atque ad interpretationem pertinere existimat gnomonis* pag. XV *etc. Nobis certe non accidit, quod fore putavit, ut saepius perpensa mitescat, quibus vel decies relecta multumque perpensa repugnantior evasit, plane convictis, quicquid operationibus arithmeticis ex numeris in historia sacra obviis efficitur, scriptoribus sacris tribui aut ad sensum illorum referri non posse, nisi ingenium judaicum cabbalistica sagacitate superare velimus.“*

Hanc censuram subsecuti sunt alii, non sine accessione. etenim Lipsiae prodiit et exercitatio quaedam, et exercitationis recensio, in qua haec denique verba de me exstant: *Er übertrifft fast die jüdischen und cabbalistischen Erdichtungen, da er ROHE Meynungen in der geistlichen Chronologie annimmet.* Sed ad Halensem censuram redeo. Videndum, ne postrema ejus, quae memoravi, verba ipsum *scriptorem sacrum* feriant, cujus sane sensus multo longius supra meram accommodationem ad gustum judaicum est positus, quam Programma agnoscit aut agnosci patitur. Quodsi alia sufficiens dabitur interpretatio, meam libenter dispungam. Non accidit auctori Programmatis, ut sententia mea saepius perpensa mitesceret: accidit tamen aliis, qui notas meas ad v. 16. 17. perpendunt. Etenim chronologiam sub genealogia propinari ab Evangelista, ego neque solus neque primus dico. *Chrysostomum* allegavi p. 15. Accedit Dan. *Chamierus*, qui aetates chronologicas ter XIV. per gradus genealogicos revera paulo plures innui docet. Vid. omnino Panstrat. cath. Tom. 3. lib. 18. c. 2. Novissime rev. Joh. Frid. *Fresenius* commentationem de generationibus ter XIV. Matth. 1. adornavit, quae et seorsum exstat, et a cel. ejus fratre Collectioni V. pastorali cum simili mantissa ex Joh. *Despagne* inserta est. Ipsum Programma in verba incidit ad meam sententiam sese praeter auctoris voluntatem accommodantia, p. 24. *„Promissionis divinae gradatione integrum tempus, quod a foedere DEI cum Abrahamo inito effluxerat, in tres periodos dirimebatur ipsa LONGITUDINE ad hominum AETATES computata propemodum aequales.“* Recte *aetates* ait. Aequalitas proprie est in numeris aetatum, quae per numeros generationum expressarum innuuntur, quum verus generationum partim expressarum partim omissarum numerus paulo sit prolixior. Quae cum ita sint, numeri in Scriptura sacra lectorem vigilantem ad operationes arithmeticas invitant: neque, ubi res ipsa respondet, sine periculo usquam exsibilantur. Annorum saepe numeros Hebraei per generationes exprimunt. Absit *judaicum ingenium;* absit *cabalistica sagacitas:* Evangelistae *sagacitatem* Progr. p. 25 lau-

Google

datam ingenium christianum merito, si non assequi, certe subsequi conatur. Facile existimari potest, Programma tempore solenni, loco celeberrimo propositum, multo plures invenisse lectores, quam hanc meam declarationem: sed tamen eam nonnullis emolumenti quidpiam allaturam esse spero. Ac praestat, vel unum hominem ad veritatem indagandam ducere, quam a vestigio ejus quamlibet tenui multos alienare.

v. 18. τοῦ δὲ Χριστοῦ ἡ γέννησις οὕτως ἦν. *Christi autem generatio sic erat*) Hac lectione antiquissima respicit textus versum 17. et *Messiae* adventus, per tot generationes exspectatus, exserte demonstratur. Sic quoque, ἐγεννήθη, *genitus est*, et γέννησις, *generatio*, h. l. inter se respiciunt. Utrique respectui inservit particula δὲ *autem*. Sic nomen *Jesu* c. 2, 1. repetitur ex cap. 1. vers. ult. Postea Graeci plerique addiderunt, ἰησοῦ, *Jesu:* quo pacto versum 1 vel 16 respiceret oratio, minore vi. *Christus* erat, quem ex Spiritu sancto in utero habebat Maria, quem *postea* Joseph, angelico monitu, *Jesum* nominavit. Eleganter et ordini rerum convenienter nomen *Jesu* reservatur in versum 21. 25. Conf. Luc. 2, 11. not. Γέννησις *generatio* et conceptionem (conf. γεννηθὲν, v. 20.) et nativitatem (conf. γεννηθέντος, c. 2, 1.) complectitur, v. 18—25. Habet enim versus 18 propositionem eorum, quae sequuntur, ad quae etiam οὕτως *sic* refertur: tractationemque propositioni respondentem γὰρ, *enim*, conjunctio incipit. Conf. γὰρ, *enim*, Hebr. 2, 8. Cavet particula *sic*, ne quis ex genealogia Josephi praemissa, Josephum Jesu patrem naturalem putet. — μνηστευθείσης, *cum desponsa esset*) ארש LXX. μνηστεύομαι. Deut. 20, 7. etc. — πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, *antequam convenirent*) Ne domum quidem adhuc Joseph duxerat Mariam, v. 20. sed h. l. proprie, et ex illa ipsa causa tanto firmius, negatur commercium tori, ad asserendam graviditatem ex Spiritu sancto. Neque τὸ *antequam* infert, post partum illos convenisse. — εὑρέθη, *inventa est*) Maria Josepho, fortasse matrimonium jam consummare conanti, sanctam graviditatem suam, ceteroqui occultam, quin aperuerit, dubium non est. — ἐκ, *ex*) Ita *ex*, v. 20. coll. Ioh. 3, 6.

v. 19. δίκαιος, *justus*) Disceptatur, quo sensu Joseph dicatur *justus*. res plana. Joseph volebat Mariam dimittere, et dimittere clam. utriusque rei causam notat evangelista. cur *clam?* quia nolebat rem propalare poenasque persequi, sicut lex contra suspectas aut adulteras permittebat, et sic in ea exemplum edere, cujus pietatem ceteroqui amplexus erat. cur autem volebat omnino *dimittere?* superest in contextu: quia *justus* erat, neque eam, quae fidem connubialem fregisse videretur, retinere honestum putabat. Multa simul cogitabat, animusque ejus in dubio erat. id oratione nonnihil ambigua (nam participia et in *etsi* et in *quia* et in *cum* resolvi possunt,) Matthaeus in hac brevitate pulcre exprimit. Ceteroqui δίκαιος etiam *facilem* ac lenem notat, ut *injustus* severum. — παραδειγματίσαι) LXX. Num. 25, 4: παραδειγμάτισον αὐτοὺς τῷ κυρίῳ κατέναντι τοῦ ἡλίου· de suspensis. Simplex, δειγματίζειν, exstat Col. 2, 15. nam δεῖγμα et παράδειγμα notat id, quod *ostentui* proponitur. — λάθρα, *clam*) nullo judicio publico, vel ne causa quidem in libello repudii commemorata. satis esse solebant duo testes. — ἀπολῦσαι, *dimittere*) timens eam assumere.

v. 20. ἰδοὺ, *ecce*) Non diu relictus est dubitationi suae. *[Opportuno* (scilicet) *tempore Deus, quid agendum sit, suos docet.* Vers. germ.] — κατ᾽ ὄναρ, *per somnium*) Somniorum mentio fit etiam Act. 2, 17. ex V. T. Ceteroqui solus in N. T. Matthaeus *somnia* commemorat: unum quidem de uxore Pilati, c. 27, 19. unum de magis, reliqua de Ioseph. h. l. et cap. 2, 12. 13. 19. 22. Hoc regimen conveniebat primis illis Novi Testamenti viis. *[Mox homines de Christo vaticinati sunt: tum Christus ipse interpretem egit.* Vers. germ.] — αὐτῷ, *ei*) Primo ad Mariam missus est Gabriel: deinde Iosepho cetera sunt revelata. Sic utrique certa omnia. — ἰωσὴφ, *Joseph*) In apparitionibus plerumque ii, quibus obtin-

Google

gunt, appellantur, ex nomine, tanquam noti. Act. 9, 4. 10. 10, 3. 13. — παραλαβεῖν, *assumere*) in societatem vitae atque victus, connubii *nomine*, ideo additur, *mulierem tuam*. — μαριὰμ, *Mariam*) Haec appellatio primitus usitatior fuit, ex Hebr. et LXX. int. sed postea terminatio graeca successit. Ideirco μαριὰμ, de matre Jesu, ponit Matthaeus in sermone angeli, h. l. sed μαρίας, suis verbis, v. 16. 18. de eadem, et quotiescunque de ceteris feminis ejusdem nominis loquitur. Et sic fere Lucas. *Mirjam*, rebellio, Hillero, populi scilicet in Aegypto. non in Mariae, sed in Jesu nominis etymo Scriptura vim esse docet. — τὸ) Foetus nondum natus, neutro genere solet appellari. Conf. Luc. 1, 35. not.

v. 21. τέξεται, *pariet*) Non additur, *tibi*, ut additur de Zacharia, Luc. 1, 13. — καλέσεις, *vocabis*) Secunda persona. Sic Josepho paternum munus commissum est. Plura de Josepho commemorat Matthaeus: postea comperta hominibus veritate, potiores Mariae partes tribuuntur, apud Lucam, c. 1, 31. — ἰησοῦν, *Jesum*) Complura Messiae nomina in V. T. indicata fuere: proprium autem *Jesu* nomen non fuit expresse indicatum. Sed tamen notatio ejus ac vis ubique praedicatur, *Salus* videlicet. Et ipsum nomen tamen etiam ante nativitatem ejus, h. l. imo ante conceptionem, Luc. 1, 31. est praedictum divinitus. יֵשׁוּעַ idem quod יְהוֹשֻׁעַ Neh. 8, 17. Utrumque LXX, ἰησοῦς. Et eatenus recte statuerunt pridem viri docti, in nomine *Jesu* inesse Tetragrammaton. Vid. Hilleri Synt. p. 337 ubi interpretatur: *IS QUI EST, SALUS EST*. imo angelus interpretatur: ΑΥΤΟΣ ΣΩΣΕΙ, ubi αὐτὸς divino nomini respondet: coll. Hebr. 1, 12. not. neque alia re nomen *Iehoschuah* differt a pristino *Hoscheah*, Num. 13, 16. nisi quod mentio nominis divini inserta est, ex oratione rogante, *salva*, faciens affirmantem, *Jehovah salus*. Cumque nomen *Emmanuel* expressissimam habeat Deitatis cum salute mentionem, nomen ipsum *Jesus*, cujus vim videlicet evangelista V. T. *Jesajas* (ipse suo nomine idem significans) per synonymon *Emmanuel* clare innuit, multo magis eam postulat: sunt enim synonyma adaequata. v. 22. 23. not. Quin etiam si י in יֵשׁוּעַ mere pro indicio tertiae personae habeatur, tamen, ut solebat in plurimis nominibus hebraicis, *Deus* subauditur, et hic quidem singulari ratione. — αὐτὸς, *Ipse*) Αὐτὸς, casu recto, semper habet emphasin; hic maximam. Casu obliquo, saepe est mere relativum. — σώσει, *salvabit*) Quotiescunque ergo de Jesu Christo occurrunt illa, *salvare*, *Salvator*, *salus*, *salutare*, *Jesu* nomen dici censebimus. — τὸν λαὸν, *populum*) Israëlem, et qui ad hunc aggregabuntur. [*Gentes accessuras, vel angelis tum temporis mysterium fuit.* Vers. germ.] — αὐτοῦ, *suum*) eundemque Dei. c. 2, 6.

v. 22. ὅλον, *totum*) Sic, *totum*, c. 26, 56. Multa sunt, in quibus prophetiae Esajanae exacte respondisse eventum ab angelo nunciatum evangelista observat: 1. Virgo gravida et pariens. 2. Filius mas. coll. Ap. 12, 5. 3. Nomenclatura. 4. Nominis interpretatio. — ἵνα πληρωθῇ, *ut impleretur*) Sic c. 2, 15. 17. 23. 4, 14. 8, 17. 12, 17. 13, 35. 21, 4. 27, 9. 35. *Impleta sunt* in Iesu non solum, quae ipse fecit, quorum aliqua infidelibus possunt suspecta videri; sed etiam, quae ei aliunde obtigerunt. Ubicunque haec locutio occurrit, gravitatem evangelistarum tueri debemus, et, quamvis hebeti visu nostro, credere, ab illis notari eventum non modo talem, qui formulae cuipiam veteri respondeat, sed plane talem, qui propter veritatem divinam non potuerit non subsequi ineunte N. T. Saepe autem ab iis allegantur ejusmodi vaticinia, quorum contextum, prophetarum tempore, non dubium est, quin auditores eorum ex intentione divina interpretari debuerint de rebus jam tum praesentibus. Eadem vero intentio divina, longius prospiciens, sic formavit orationem, ut magis proprie deinceps ea conveniret in tempora Messiae: et hanc intentionem arcanam (de qua etiam ad Iudaeos olim aliquid subinde emanasse, eruditi observant) apostoli et evangelistae divinitus edocti nos docent, nosque ob eventuum convenientiam

dociles habere debent. Hoc ad defendendos evangelistas satis est, donec quispiam aliunde ad auctoritatem eorum agnoscendam perducitur. Certe sinceritas eorum hinc elucet, quod et numerum vaticiniorum de Messia, et onus adeo (dulce illud quidem) probandi, Jesum esse Christum, quam maxime amplificarunt. At Judaei ita omnia dicta, de Messia, quovis potius derivare laborant, ut mirum sit, illos omnino credere adhuc, Messiam esse aut fore. — διὰ τοῦ προφήτου, *per prophetam*) Matthaeus *prophetas* saepissime allegat, ad ostendendum vaticiniorum et eventuum consensum: ceteri evangelistae id magis praesupponunt [1]). λέγοντος *dicentem* constr. cum προφήτου, *prophetam*. c. 2, 17. *Esajas* non appellatur. veteres studiose legebant: eo minus opus erat libros aut periochas citari.

v. 23. ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει καὶ τέξεται υἱόν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐμμανουήλ) LXX. Es. 7, 14. ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται υἱόν, καὶ καλέσεις κτλ. — ἰδοὺ, *ecce*) Particula *signo* exhibendo aptissima. Es. l. c. — ἡ παρθένος, *virgo*) Hebraice est הָעַלְמָה et עַלְמָה *virginem* notat, sive derives ab עָלַם, ut sit, quae virum *latuit*, quae non est *cognita* viro. conf. v. 25. Luc. 1, 34. opponuntur enim inter se נַעֲלָם et יָדַע ut in generali significatu, Lev. 5, 3. 4. ita in hoc speciali: sive עַלְמָה sit ἀκμαία, cujus conjugato Syrus utitur pro ἤκμασεν, Ap. 14, 18. Articulus ה ἡ (de quo conf. c. 18, 17. not.) ex specula divinae praescientiae singularem demonstrandi vim habet: agitur enim de *signo*, et *ecce* additur, et ad ipsam mox virginem sermo dirigitur, *vocabis*. Innuitur aliqua Esajae tempore, quae ex virgine (de cujus foecunditate naturaliter minus constabat,) mater, eaque filii, erat futura: sed eadem, ut verborum sublimitas docet, typus erat virginis, quae virgo Messiam peperit. Ita duplex erat signi vis, in propinquum et in longinquum. Vid. Al. Morum. Ex prophetia sola, matris virginitas non prorsus evincitur: sed complementi ostensio jubar retro jacit super prophetiam, ejusque sententiam patefacit. — υἱόν, *filium*) Messiam, cujus est terra. Es. 8, 8. — καλέσουσι, *vocabunt*) Hebr. et LXX. *vocabis*, scil. tu, virgo, mater. *vocabis*, exstat jam v. 21. ad Josephum: unde nunc substituitur, *vocabunt*, scil. omnes, deinceps. Angelus ad Mariam: *Dominus TECUM*, Luc. 1, 28: at non parentum alteruter, sed omnes, qui vocant, *NOBISCUM* ajunt. Conf. ibid. v. 54. Singularem attentionem merentur ea verba, in quibus scriptores N. T. a LXX int. vel etiam ab hebraeo sermone differunt. — τὸ ὄνομα, *nomen*) Non innuitur nomen totidem literis in circumcisione datum, sed tamen nomen verum, coll. Es. 9, 5. imo etiam proprium, quo (a parentibus quoque) *vocatur*, coll. Es. 8, 8. et vel maxime proprium, quatenus synonymon est nominis *Jesu*. conf. exemplum synonymorum ad. v. 8. Revera multi fidelium *Emmanuel* appellant Salvatorem, tanquam nomine aliquo proprio: quanquam ex parte *Jesu* minus convenisset, appellare se *NOBIScum Deus*. — ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ θεός, *quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus*). Haec hebraici nominis interpretatio indicat, Matthaeum graece scripsisse. Tales interpretationes, hebraicis vocabulis adjectae, docent, scriptores N. T. non absolute requirere, ut lector Scripturae sacrae sit hebraeae linguae peritus. Verbo μεθερμηνεύεται utitur etiam Siracides in praef. Nomen, *Nobiscum Deus*, per se, quatenus enunciationem integram includit, non est nomen divinum: (vid. Hiller. Onom. p. 848.) ideo etiam puero Esajae tempore nato inditum est: eademque ratio est nominis *Jesu*. sed quo sensu proprie Christo utrumque competit, θεάνθρωπον denotat. nam unio utriusque in illo naturae est fundamentum unionis

---

1) Ea nimirum dicta, quae ipse Dominus allegavit, annotarunt quandoque Marcus et Lucas; sed sua ipsi sponte parcius provocarunt ad V. T., quoniam lectores praevidebant in fide christiana jam jamque stabilitos. Johannes denique unum alterumque vaticinium ejusque complementum postliminio adjecit. *Harm.* p. 49.

Dei et hominum, neque hanc sine illa, praesertim ubi de nativitate Christi agitur, cogitare quisquam potest.

v. 24. ἐποίησεν, *fecit*) sine procrastinatione. — ὡς, *ut*) Hinc iisdem verbis et jussus angelicus et factum Josephi describitur. h. l. et cap. 2, 13. s. 20 s. — παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, *assumsit mulierem suam*) ea specie foris, ac si communi more consuescerent.

v. 25. καὶ, *et*) *Et*, ait, non *sed*. Et assumsit, et non cognovit: utrumque ex praecepto angelico. — οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ, *non cognovit eam, donec*) Non sequitur, ergo *post;* sufficit tamen, confirmari virginitatem ad partum usque: de reliquo tempore lectori aequo relinquitur existimatio. Non interdixit angelus expresse, ne eam cognosceret: sed ex natura rei id perspexit vir. — ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν, *usque dum peperit filium*) Pervetusta versio *Aegyptiaca* simpliciter habet, *usque dum peperit filium:* neque addit, *suum primogenitum*. quo pacto egregie inter se respondent sermo angeli, nec non dictum prophetae, et factum Josephi. *Pariet filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel. Peperit* τὸν υἱὸν, *filium, et vocavit nomen ejus Jesum*. Articulus τὸν habet vim relativam, et refertur ad versum 21, hoc sensu: *usque dum peperit filium illum*. Eadem lectio est in cod. *Barberin.* 1. (quo nomine insignem illum *Vaticanum* hoc loco innui existimamus:) eandemque *Latini* olim interpretis fuisse, non lubrico postea vestigio cognovimus. nam Helvidius, et libro contra eum ineunte Hieronymus, Matthaei verba sic referunt: *et non cognovit eam, donec peperit filium suum;* saepius autem sic, *donec peperit filium;* citra illud, *suum*, et citra *primogenitum*. Ac ne abrumpi ab iis textus videatur, plena allegatio Hieronymi uno loco sic habet: *Exurgens autem — accepit uxorem suam, et non cognovit eam, donec peperit filium, et vocavit nomen ejus Jesum.* (Vid. *App. crit.* Ed. II. ad. h. l.) Clausula haec, de *primogenito*, ex Luca ad Matthaeum traducta videtur: atque ipse sermo, de *Virginis* filio, Filium excellenti et plane singulari modo *Primogenitum* infert. [*qualis expresse dicitur* Luc. 2, 7. Vers. germ.]

Nonnullis in locis aliter atque antea incedit Crisis nostra: neque tamen inconstantiae quisquam mihi dicam scripserit [1]). Non enim ad ea, quae pristino usu invaluerant, me recipio; quod tamen ipsum, si veritas jubet, non refugio: sed in iis, quae obruta fuerant, e situ suo educendis paulatim progredior [2]). — ἐκάλεσε, *vocavit*) Josephus. v. 21.

CAPUT II.

v. 1. Ἐν βηθλεὲμ τῆς ἰουδαίας, *in Bethlehem Judaeae*) Ita distinguitur a Bethlehem Zabulonitarum. Jos. 19, 15. — ἡρῴδου *Herodis*) *Herodis* Magni, Ascalonitae, alienigenae, sceptro jam jamque recedente ab Juda. In hujus filiis erant, Archelaus v. 22. *Herodes* Antipas et Philippus, de quibus c. 14. et Luc. 23. et Aristobulus, pater *Herodis* Agrippae, de quo Act. 12. — ἰδοὺ, *ecce*) Haec particula saepe indigitat rem nec opinatam. non fuerat nunciatus Hierosolymis adventus magorum. — μάγοι, *Magi*) Μάγος apud LXX. saepe pro חכם in Daniele ponitur, et apud Persas *sapientem* significat, sive *philosophum*. Ab hac conditione hos appellasse Matthaeus satis habet: reliquam eorum dig-

---

1) *Eandem veniam, a nullo sane rerum perito denegandam, vindicavit sibi cel.* Michaëlis *Praef. ad* Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes. Ed. II. p. XVIII. ſs. E. B.

2) *Et ea ipsa, quae ad* progressum *hunc referre queas, quum b.* Burkius *ex Gnomonis N. T.* Ed. II. A. 1759 *luci exposita, Apparatûs Critici Editioni* II, *quae* A. 1763 *prodiit, maximam partem inseruerit, ex hac tertia Gnomonis Editione, ne obruantur Lectores, exulare jussimus; relictis tamen iis, quae individuum cum Exegesi nexum habent.* E. B.

Digitized by Google

nitatem aut numerum non definit; neque illud, utrum curiosis artibus aliquando dediti fuerint, nec ne; neque, ex quibus orientis partibus oriundi fuerint, quo ipso Salus haec non restringenda innuitur. *Magus*. vox media, et in oriente late patens. Fuisse videntur ex posteris Abrahae, sed extra Israëlem: neque enim Magorum nomen Judaeos fert; auri vero turisque mentio remittit nos ad Es. 60, 6. ubi de adventu gentium: ut hoc jam loco praeludia sint Messiae ■ gentibus potius, quam a popularibus amplectendi. Luc. 4, 26. s. *Rex Judaeorum*, inquiunt, non, *rex noster*. Si facias duas classes eorum, qui Christum vel susceperunt vel non susceperunt, et utrinque varietatem hominum observes; multa ex toto N. T. utiliter observabis. — ἀπὸ ἀνατολῶν, *ab oriente*) Cap. 8, 11. Meridies et septentrio tantum in singulari dicitur graece; *oriens* (ἀνατολῶν) et occidens etiam in plurali sub variis meridianis. Unam eandemque regionem spectant omnes, versus polos; non eandem, in longitudinem. — παρεγένοντο, *advenerunt*) postquam appellatus erat *Jesus*, c. 1, 25. adeoque post circumcisionem ejus [1]). — εἰς ἱεροσόλυμα, *Hierosolyma*) Sane metropolis esse debebat, ubi veritas cognosci posset: nec dubium, quin in ea ipsa urbe natum regem putarint.

v. 2. ποῦ, *ubi*) De *re* deque tempore ita certi sunt, ut tantum quaerant, *ubi?* Scribae solum *locum* sciebant: *tempus* a magis debebant discere, vel discendi ansam sumere. Notitia temporis et loci debet esse conjuncta. — ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς, *natus rex*) Affirmant et nativitatem jam factam, et conjunctum cum ea jus regni, Herodi praeter ipsorum opinionem terribile. Dicitur *natus*, qui *ab ipso ortu* rex est, ut 1 Chron. 7, 21.: οἱ τεχθέντες ἐν τῇ γῇ. — τῶν ἰουδαίων, *Judaeorum*) *Judaeorum* nomen, post migrationem Babylonis, omnes *Israelitas* complexum est, *Graecis* oppositum sive gentibus. Unde etiam Galilaeis datur. Luc. 7, 3. Ioh. 2, 6. Act. 10, 28. etc. Veruntamen Christum *regem Israelis* appellaverunt Judaei sive *Israelitae; gentes, regem Judaeorum*. c. 27, 29. 37. 42. Ioh. 1, 50. 12, 13. 18, 33. — γὰρ, *enim*) Super nativitates potissimum cadunt prognostica, vera et vana. — αὐτοῦ τὸν ἀστέρα, *stellam ejus*) propriam. Quo melius Magi ordinarium siderum cursum sciebant, eo facilius vim extraordinarii phaenomeni et analogiam stellae visae ad natum regem hunc assecuti sunt. Quae autem in utroque genere ratio illorum fuerit, quis hodie

---

1) Imo etiam *post* παράστασιν Luc. 2, 22. s. memoratam factum esse magorum *adventum*, et *fugam* Egyptiacam, intime cum eo connexam, non est quod dubitemus. *(Argumenta vid. suo loco)*. — Atque hic ipse rerum ordo, quo παράστασις in templo, adventus magorum, et migratio Egyptiaca se invicem excipiunt, utilissimas praebet consequentias. Nam 1) paupertatem parentum Jesu, quam sacrificium ex lege Lev. 12, 6. 8. oblatum probat, paterna DEI cura Magorum donis compensavit, ut in fuga, unde viverent, suppeteret. — 2) Varium in hac eventuum serie Decorum observare licet. Primo quidem Jesus, ut Primogenitus, Domino praesentatus est: tum Ipsi, Jesu, praesentarunt sese gentium primitiae. In sua παραστάσει Israëlitis Ipse Hierosolymitanis, et brevi post gentibus etiam innotuit. Ex Magorum sermone, a *Stella* visa ad natum Judaeorum Regem concludente, et ex aetate pueulorum, per Herodem secundum tempus a Magis compertum occisorum, conjicere licet, tempore conceptionis Christi stellam ab ipsis visam atque ita longum iter instructum esse, ut tempore maxime decente, sex nimirum hebdomadibus post nativitatem elapsis, adorabundi adventarent. — 3) Simeon Jesum ut lumen gentium praedicavit, statim subjungens verbum de Cruce. Utrumque parentibus Jesu, quum sisteretur, novum quid fuit atque inexpertum: itaque postea demum, at brevi omnino, alterum adventu magorum, alterum fugâ in Egyptum adimpleri coepit. — 4) Praesentatio in templo ea ipsa feria, quae deinceps *Dies Dominica* audivit, facta est. — 5) Intellectu facillimum est, quî Rex Judaeorum a nativitate sua usque ad praesentationem in templo regi Herodi, grandaevo, aegrotanti, filiorum causâ moerore lacerato, et Judaeis exoso, ignotus manserit, nec prius nisi per Magos innotuerit. Sane et Herodes Tetrarcha de miraculis, quae ante decollationem Johannis Jesus patravit, tanto temporis intervallo necquidquam inaudivit. — 6) Totam migrationem Egyptiacam, si ante παράστασιν ponas, hieme factam esse oportet: at verus rerum ordo opportune istud infert, ut fuga instante vere, et reditus ipso verno tempore contigerit. *Harm.* p. 53. 55. s.

Google

constituet? Stella utique erat vel nova ipsa, vel novo loco, vel novo certe vel etiam vario motu: quae an adhuc exstet, an iterum apparitura sit, quis scit? sine dubio accessit revelatio vel vetusta ex prophetiis Bileami, Danielis etc. vel nova per somnium. coll. v. 12. [*Revelationum divinarum rationes non raro iis tantummodo patent, quibus obtingunt.* Vers. germ.] Magi per stellam, piscatores per pisces adducuntur. Chalcidius comm. in Plat. meminit traditionis de hac stella. — ἐν τῇ ἀνατολῇ, *in oriente*) Indicant, unde venerint. Articulus τῇ plagam illam denotat. *In* constr. cum *vidimus*. nam ex oriente viderant stellam ad occidentem, super clima Palaestinae. v. 9. — προσκυνῆσαι αὐτῷ, *adorare eum*) προσκυνεῖν in N. T. saepius Dativum, (ut etiam apud profanos;) interdum Accusativum habet. Agnoscunt *Regem gratiae*, et Dominum suum. Luc. 1, 43. Omnia tamen pro analogia horum initiorum interpretanda sunt. certe *civilibus* de causis non erat, cur tam arduo itinere instituto adorarent, mox domum redituri, regem dissitum et parvulum, ac non Herodem quoque: neque civilem adorationem Herodes prae se tulit. v. 8. *Adorarunt*. v. 11.

v. 3. ἐταράχθη, *perturbatus est*) Eo facilius perturbari rex septuagenarius potuit, quia pharisaei paulo ante praedixerant, regnum a familia Herodis ablatum iri, ut Josephus docet l. 17. ant. c. 3. Regis perturbatio testimonium est contra socordiam populi. Si Herodes timet, cur non quaerunt, cur non credunt Judaei? — πᾶσα, *omnis*) scil. πόλις, *urbs. [quae tam diu Messiam praestolata fuerat.* Vers. germ.] — μετ᾽ αὐτοῦ, *cum eo*) Regem sequebatur populus, ei pridem assuetus. Subito etiam bonae rei nuncio homines percelli solent. — πάντας, *omnes*) omnes, qui tum aderant. — ἀρχιερεῖς) Raro ἱερεῖς, plerumque ἀρχιερεῖς appellantur in N. T. Alius erat ὁ ἀρχιερεύς, *princeps sacerdos* in singulari: ἀρχιερεῖς in plurali, propiorem ceteris cum illo principe sacerdote necessitudinem, et inde majorem auctoritatem habebant. Act. 4, 6. — γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, *scribas populi*) Γραμματεὺς respondet apud LXX Hebraeo שֹׁטֵר quo sensu occurrunt οἱ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ 1 Macc. 5, 42. coll. Deut. 20, 5. et ספר. Isque significatus huic loco congruit, ubi agitur de Responso Theologico. *Scribae populi* dicuntur in antitheto ad *sacerdotum principes:* erantque homines doctoresve privati, in Scripturis versati. Adde c. 22, 35. not. — ἐπυνθάνετο, *quaerebat*) Debuerat etiam prius. — ποῦ ὁ χριστὸς γεννᾶται, *ubi Christus nascatur*) Quaestionem Magorum suam facit. Verbum praesens *nascitur* congruit summae exspectationi illius temporis de Messia.

v. 5. βηθλεὲμ, *Bethlehem*) Magis, ad Christum tendentibus, scribarum, non euntium, a majoribus accepta scientia inservit. — γὰρ, *enim*) Hanc causam ipsum concilium illud allegavit; Matthaeus autem comprobat.

v. 6. καὶ σὺ, *et tu*) Mich. 5, 1.: καὶ σὺ βηθλεὲμ ὁ οἶκος εὐφραθᾶ, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν ἰούδα· ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται, τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ ἰσραήλ. quem ad locum vide Notas Hal. Ad prophetam simul et evangelistam haec sit paraphrasis: *Et tu Bethlehem Ephrata*, sive *regio in tribu Juda, parva* es לִהְיוֹת *quae sis*, sive *quatenus es* (conf. de ל Nold. Concord. partic. pag. 458) *in millibus Juda*, si haec dignitas, ceteroqui non contemnenda, tuumque captum ac modum prope excedens, conferatur ad dignitatem tuam singularem, cujus nomine es *nullo modo minima*, sed omnibus modis maxima in ducibus millibusque Juda, *quod ex te Mihi exibit* לִהְיוֹת *qui sit Dominator in Israël.* Similis locutio, 2 Sam. 7, 19. Es. 49, 6. Major honor minorem obscurat et absorbet. — γῇ ἰούδα, *terra Juda*) *Terra* sive regio, pro oppido, per synecdochen partis majoris pro toto, ut ager pro pago, Luc. 9, 12. *Juda*, Tribus Messiae. Utrumque pro Hebraeo *Ephrata*. LXX. Jos. 15, inter v. 58 et 59, vel inter v. 59 et 60: θεκὼ, καὶ ἐφραθᾶ, αὕτη ἐστὶ βηθλεὲμ κ. τ. λ. Haec periocha, si non, ut inter homoeoteleyta, ex Hebraeo excidit, sed si in Graeco su-

Google

perflua est; indicio est, Bethlehem in distributione terrae ne in urbibus quidem fuisse habitam: coll. Joh. 7, 42. sed saltem a Rehabeami temporibus, 2 Chron. 11, 6. Michas eam in masculino genere alloquitur, cum respectu implicito ad אלפים *chiliadas*. Conf. ἀλφεί· ἡ χιλιάς μου, *familia mea*. Jud. 6, 15. Unde Matthaeus, quum ἐλαχίστη in foeminino dixit, scil. γῇ, vicissim pro *chiliadibus* memorat τοὺς ἡγεμόνας chiliadum *duces* (nam אלף et אלוף affinia sunt) quibus praefert unum ἡγούμενον, *Ducem* Christum: neque tam hanc civitatem sive chiliada ceteris chiliadibus praefert, quam Ducem ex ea egressum cunctis ducibus chiliadum Judae. — ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται, *ex te enim exibit*) LXX ex Hebraeo, ut vidimus, habent, ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται· idque sequitur Cod. *Basil. β. Er. ed. 1. Ald.* Alii conjunctim, ἐκ σοῦ γάρ μοι ἐξελεύσεται. Pronomen μοι, *mihi*, Deum praeclare refert de *Christo* ut *Filio suo* loquentem: Luc. 1, 32. coll. v. 13. sed conjunctio γὰρ, *enim*, *patriam* Christi significantius ostendit. Verbi *exibit* synonymon est, *nascetur*: v. 4. Hebr. יצא cujus verbi conjugatum מוצאות (LXX int. ἔξοδοι,) item de nativitate, eaque ab aeterno, debet accipi. coll. מוצא Job. 38, 27. Num. 30, 13. מוצאים LXX, τέκνα, non semel. — ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ, *Dux, qui pascet*) 1 Chron. 11, 2. de Davide: σὺ ποιμανεῖς τὸν λαόν μου τὸν ἰσραήλ· καὶ σὺ ἔσῃ εἰς ἡγούμενον ἐπὶ τὸν λαόν μου τὸν ἰσραήλ. De eodem *pascere*, Ps. 78, 71. 72. Verbum rege dignum, et tamen congruens cum adolescentia ejus Bethlehemitica, pastorali. Verbo *pascet* concise complectitur Matthaeus versum 3. cap. cit. Michae, ubi LXX sic quoque habent. — τὸν λαόν μου, *populum meum*) Respondet illud apud Micham: *exibit MIHI*, i. e. Deo. — τὸν ἰσραήλ, *Israelem*) Articulus additur nomini viri etiam pro gente posito. *Israelem*, tribus cunctas. In subsequenti historia non occurrit Bethlehem: ut dubitari possit, an Dominus unquam eo redierit.

v. 7. λάθρᾳ, *clam*) ne quid emanaret. Insidiarum argumentum. — ἠκρίβωσε, *accurate percontatus est*) ad minimam usque temporis partem. Patet hinc Herodis astus, et magorum simplicitas. [*Tantas ille inimicitias foret, ut doctrinam de Christo non pro fabula haberet, sed jam tempus et locum nativitatis nosset*. Vers. germ.] — φαινομένου, *apparentis*) Praesens tempus, quo conspici coepta esset stella, *quae appareret*, quaesivit Herodes. — ἐξετάσατε ἀκριβῶς) Eadem phrasis, Deut. 19, 18. — ἐπὰν δὲ, *si vero*) Particula facit antitheton, Luc. 11, 22. 34. Herodes nuncium magorum non habuit pro vero, sed tamen pro possibili. Itaque mirum non est, quod non ipse statim una profectus est, ut adoraret.

v. 9. ἀκούσαντες, *cum audissent*) Rex potius illos audire debuit et adjuvare. Tamen Magis responsum obtigit optatum. [*quos nil morebat Scribarum Judaeorumve torpor*. Vers. germ.] — ἰδοὺ, *ecce*) Toto itinere non viderant stellam. — ἐλθὼν, *veniens*) Conjicere ex hoc verbo licet, causam intelligentem fuisse, quae stellam regeret. conf. *veniens*, v. 8.

v. 10. ἰδόντες, *videntes*) Nocturnum tempus fuerit oportet. — τὸν ἀστέρα, *stellam*) Et tempus et locum et Scriptura et stella eis ostendit: tempus quidem Scriptura cum aliqua latitudine, ex ratione generali, qua universalis tum erat Messiae exspectatio.

v. 11. εἶδον, *viderunt*) Suaviter exprimitur incrementum et progressus a *gaudio visae stellae* ad *gaudium visi ipsius regis*. Sequior lectio εὗρον *invenerunt*, respondet sermoni Herodis, *interrogate diligenter, et cum inveneritis etc.* sed *quaerendi* laborem Magis ademit *statio stellae*. Non tam *invenerunt*, quam *viderunt*. Conf. Luc. 2, 17. 20. 26. 30. — προσεκύνησαν αὐτῷ, *adoraverunt eum*) Maria Magis non erat objectum adorationis. Si sine peccato concepta fuerat, ut potentior ecclesiae romanae pars hodie statuit, quid causae est, cur nunc adoretur, et tum non fuerit adoranda? Nam jam tum adorandi regis mater erat. —

Digitized by Google

τοὺς θησαυροὺς, *thesauros*) אוֹצָר LXX, θησαυρὸς, Prov. 8, 21. etc. apotheca, theca, etiam portabilis. — προσήνεγκαν, *offerebant*) tanquam regi. Non offensi sunt praesenti egestate ejus. — χρυσὸν καὶ λίβανον καὶ σμύρναν, *aurum et tus et myrrham*) ex bonis terrae suae. De auro et ture praedictum, Es. 60, 6. Hae primitiae ostendebant, omnia fore Christi, etiam regnum minerale, vegetabile etc. Hagg. 2, 8.

v. 12. χρηματισθέντες) vel singuli, vel per unum ipsorum. Sic optarant, vel rogarant: nam χρηματισμὸς, *responsum*. Idem verbum, v. 22. — μὴ ἀνακάμψαι, *ne reverterentur*) Id ergo facere cogitarant. — ἀνεχώρησαν, *secesserunt*) itinere seorsum flexo.

v. 13. ἐγερθεὶς, *surgens*) confestim. — τὸ παιδίον, *puerum*) Hujus potior, quam matris ratio habetur. *[Et Christi potius nomini ac regno, quam ulli extra Christum virtuti, mundus invidet.* V. g.] — ἕως ἂν, *donec*) Ita fides Josephi exercebatur. non omnia ei simul revelata sunt: tempus redeundi exspectare debuit, neque interim angelus ei locutus. — ἡρῴδης, *Herodes*) de quo Joseph ex sermone magorum bene speravisse videtur.

v. 14. νυκτὸς, *noctu*) *[nullâ post mandatum acceptum interjectâ morâ.* V. g.] Magnum noctis beneficium in persecutionibus.

v. 15. λέγοντος, *dicentem*) Constr. cum προφήτου, *prophetam*. v. 17. — ἐξ αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου) Sic Hos. 11, 1. in Hebr. at LXX. ἐξ αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ. Aquila, ἀπὸ αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου. Apud Hoseam hoc dicitur: *Tum quum puer erat Israël, dilexi eum: et ex quo in Aegypto erat, filium vocavi meum.* Patet hoc ex parallelismo utriusque hemistichii. Locutioque, *ex terra Aegypti*, sic exstat Hos. 12, 10. 13, 4. et ab aegyptiaco tempore Israël coeptus est dici *filius Dei:* Ex. 4, 22 *s.* ac semper *eduxisse* populum ex Aegypto, nunquam exinde *vocasse* Deus dicitur. Proinde etiam Matthaeus, de Messia, eoque item parvulo, interpretans, allegationem cum commoratione ejus in Aegypto potius, (conf. Es. 19, 19.) quam ad reditum ejus ex Aegypto refert. Jesus ab ipsa sua nativitate, Filius Dei erat; et statim post nativitatem in Aegypto fuit. quanquam et populum et Messiam ex Aegypto in terram promissionis redire oportuit, ob id ipsum, quia et illum et hunc Deus dilexit, et Filium suum vocavit. Commoratio Christi in Aegypto erat praeludium christianismi aegyptiaci. Vide Deut. 23, 7. Primis christianismi temporibus egregia fuit in Aegypto ecclesia. fortasse erit etiam posthac. Conf. Es. 19, 24 *s.* De unius dicti uno sensu bis impleto conf. not. ad c. 1, 22. Videlicet et populum, ob Messiam, et Messiam ipsum, in quo est omne beneplacitum, ut uno amore, sic uno sermone complexus est Deus. Messias est similis populo suo in adversis: Messiae similis est populus ipsius in beatis rebus. *Totus Christus caput et corpus est.* Quin etiam tum, quum populus in Aegypto erat, *Jesus Christus* in uno ex iis patribus, qui c. 1, 4. recensentur, in Aegypto erat. conf. Hebr. 7, 10.

v. 16. ἐνεπαίχθη, *illusus sit*) Sic accepit rex, contra Magorum animum: revera tamen regiam auctoritatem prae divina pro nihilo habuerunt. Nesciebat jam, quid ageretur. — ἀποστείλας, *mittens*) scil. interfectores, repente. — ἀνεῖλε, *interfecit*) Hoc erat peccatum *clamans*. coll. v. 18. — πάντας, *omnes*) *quorum quatuordecim millia, ut in liturgia sibi a B. Matthaeo relicta notant Aethiopes, et Graeci observant in calendario suo, nefanda Herodis immanitate, Christus et ipse puer martyres consecrarit.* Feuardent. ad Iren. l. 3. c. 18. — τοὺς παῖδας, *pueros*) non puellas. Ex. 1, 16. — διετοῦς, *bimo*) Masculinum, uti τριετοῦς, 2 Chron. 31, 16. coll. Hebr. — χρόνον, *tempus*) *Tempus*, a magis indicatum, erat fortasse paululum ultra annum. Itaque Herodes *biennium* definiit.

Google

v. 18. φωνὴ — Jer. 31, 15.: φωνὴ ἐν ῥαμᾶ (Alex. ἐν τῇ ὑψηλῇ) ἠκούσθη θρήνου καὶ κλαυθμοῦ καὶ ὀδυρμοῦ· ῥαχὴλ ἀποκλαιομένη ἐπὶ τῶν υἱῶν αὐτῆς· καὶ οὐκ ἠθέλησε παρακληθῆναι κ. τ. λ. — ἠκούσθη, *audita est*) Sic ut ad Dominum pervenerit. *Sic ait Dominus.* praefatur et subjicit Jeremias — θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολὺς) LXX habent, θρήνου καὶ κλαυθμοῦ καὶ ὀδυρμοῦ. Fons autem, נהי בכי תמרורים Respondet apud Matthaeum brevior tot versionum lectio, κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολὺς, ut plurale hebraicum epitheto graeco exprimatur. *[Vid. App. Crit. Ed. II. ad h. l. Itaque et* margo *Editionis d. A. 1753, verbis* θρῆνος καὶ *omittendis, loco prisci* ε, *signum nunc* γ *adjungens, et* Vers. germ. *ad h. l. breviori lectioni magis faret, quam Editio prima.* E. B.] Sermo accentusque hebraici rem gradatim magis declarant, poniturque 1. luctus clarus, indefinite: tum ea, quae luget et quos luget. 2. eadem recusans, oblatam scilicet, consolationem; et causa, cur recusarit. Caput XXXI. Jeremiae multum prospicit in tempora N. T. adeoque haec quoque periocha, sive captivitatem babylonicam simul spectavit Jeremias, sive minus, ad eventum hunc N. T. pertinet. Unius dicti unico sensui minor et major non unius temporis eventus respondere potest, donec vaticinium *exhauritur.* — ῥαχὴλ, *Rahel*) Antonomasia: i. e. singulae filiae Rahel, et aliae matres, quae sic *filios dolorum* habuere coll. Gen. 35, 18. Filii *Rahel* nominantur, aliarum matrum filii simul subaudiuntur, uti 1 Cor. 10, 1. sub patribus Judaeorum etiam gentes continentur. *Filiique Rahel* dici poterant etiam parvuli Bethlehemitici, ob sepulcrum Rahel prope hoc oppidum, Gen. 35, 19. quemadmodum Jacobum *patrem* dixere Samaritae eodem, quo Jacobus olim, loco habitantes. Joh. 4, 12. Sed *Rama* quoque de tribu Benjamin fuit, Jos. 18, 25. nati ex Rahel. Credibile est, gladiatores ab Herode tam subito emissos in finibus Bethlehem *usque ad Rama* pervenisse: nam valde vicinae erant, Jud. 19, 2. 9. 13. Ezr. 2, 21. 26. unde Jeremias, sacerdos ex terra Benjamin, eum cladis terminum notavit. — κλαίουσα) i. e. κλαίει, *flet,* Hebraismus. — οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, *recusarit solatium capere*) Phrasis, qua luctus ingens exprimitur. — οὐκ εἰσὶ, *non sunt*) Sic Gen. 42, 36. ἰωσὴφ οὐκ ἔστι, συμεὼν οὐκ ἔστι. 1 Reg. 20, 40. οὗτος οὐκ ἦν. Hebr. איננו *non est:* singulari numero, distributive. Suos singulae filios praecipue lugent, vel etiam unicos. nam etiam unica proles in plurali *liberorum* nomine ponitur. erant bini et paulo minores: quare non facile una duobus orbari potuit. Res accurate praedicta. Alii singularem numerum referunt ad Messiam, quem mulieres interfectum putarent, aut expulsum dolerent.

v. 20. εἰς γῆν, *in terram)* Manebat Josepho libertas eligendi tantisper oppidi vel regionis; sed tamen in terra sua oportebat adolescere Emmanuelem. — τεθνήκασι, *mortui sunt*) Pluralis concise significat, et Herodem esse mortuum, neque alios jam esse ullos, qui insidientur. *[Quanta hostium copia, contra Christum subinde insurgens, funditus periit!* V. g.] — οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχήν) Phrasis LXX-viralis.

v. 22. βασιλεύει) *Regnabat* Archelaus, sive carebat *regio* ille nomine sive gaudebat. — ἐφοβήθη, *timuit*) solicitus de puero: veritus, ne Archelaus imitaretur odium paternum. — ἐκεῖ) שמה LXX. ἐκεῖ, *illuc* saepe. — ἀπελθεῖν, *discedere*) Maria, sine dubio etiam Joseph, Nazaretae habitarant prius. — μέρη, *partes*) Colligi hinc potest paupertas Joseph, qui non haberet certam sedem, quam potissimum repeteret. — τῆς γαλιλαίας, *Galilaeae*) Hoc non obstabat, quo minus patriam Christi scire possent attentae animae.

v. 23. ἐλθὼν, κατῴκησεν εἰς) Sic c. 4, 13. Id est, *habitatum concessit,* vel, *habitavit,* coll. Act. 7, 4. Sic Gen. 13, 18.: ἐλθὼν κατῴκησε περὶ τὴν δρῦν. — ναζαρὲτ) Hebr. נוצרת Graecis ת finale est T. — ναζωραῖος, *Nazarenus*) Vitam privatum, id est, longe maximam aetatis partem, Jesus in oppido *Nazaret*

ed by Google

transegit: unde *Nazareni* Ei cognomen in frequentissimo hominum, ei vel deditorum vel infensorum, sermone, atque in ipso crucis titulo tributum est. Hoc ipsum est, quod prophetia, hic a Matthaeo citata, pridem indicarat. Sunt, qui totum implementum in allegoria etymi *Nazaret* quaerant: atque id quidem plane ex נזר (non ex נצר quo Judaica abutitur acerbitas) peti oportet. nam Hebraeum צ per Σ semper exprimitur, Z autem Hebraeo ז ubique, etiam in ναζωραῖος, respondet. Constans est haec regula, cui nemo, nisi contrariis exemplis prolatis, obniti jure potest. Respice, quae solidissimus in hoc genere Hillerus docet, Syntagm. hermen. p. 347 seqq. et Onom. sacr. p. 695. 701. 893 eaque confer ad I. H. a Seelen Medit. exeg. p. 632. Pertinet hoc ad etymologiam nominis *Nazaret;* sed allegoriam nondum statuminat. Neque enim cur *naziraeatum* leviticum Christo adscribamus, causa est ulla, Matth. 11, 19. neque est, cur aliquo significatu vocabuli נזר scopum prophetiae exhauriri putemus. Christum e *Bethlehem* exiturum per Michaeam est praedictum: *Bethlehem* a *pane* nomen habet: *panis* vitae Christus. quis autem eo, quod panis vitae Christus est, Michaeae prophetiam impletam esse dixerit? Oppidum, ubi natus est Christus, prophetia designatum agnoscimus. Pari modo oppidum, ubi Idem adolevit, quin etiam solenne cognomen, quod inde exstitit, indicatum est, oraculo illo, *Quoniam Nazaraeus vocabitur.* Itaque particula ὅτι, ut solet in testimoniis citandis, praefixa est ab evangelista. Quanquam quo tempore floruerit ille propheta, per quem hoc praedictum est: utrum oppidum *Nazaret*, cujus nulla in V. T. alia fit mentio, jam tum aliquo numero fuerit, nec ne? ipsene propheta ille *Nazarenus* civis fuerit, et insignem hunc versiculum Nazaretae deposuerit? utrum sermone solo, *[Multa enim elocuti sunt prophetae, scriptis eorum publicis haud inserta.* V. g.] an etiam stilo eum comprehensum posteritati reliquerit? unde Matthaeus acceperit? quis novit? quid nosse attinet? In coelo alia sidera haemisphaerium alterutrum, alia utrumque illuminant, alia varios ortus et occasus habent. In terris flumina aliquando visui mortalium se subducunt, donec ex occultis meatibus iterum erumpunt. Sic divina oracula varietate admirabili dispensantur. Exemplum plane singulare praebet locus Johanneus de Tribus in coelo testantibus, quem per multa secula ignoravit orientalis ecclesia, occidentalis autem et Africana semper, quanquam non ubique, celebravit. Hoc sane, *Nazarenus vocabitur*, minus aut cognitum a plerisque aut intellectum fuit: alias Galilaea, ipsaque Nazaret, non ita contemta fuisset. Joh. 1, 47. 7, 52. Recteque multi pridem negarunt, hunc versiculum in Scripturis V. T. exstare. Eadem est igitur ratio ejus, atque prophetiae Henochi, per S. Judam demum in literas N. T. relatae, et sic obsignatae: eadem, atque apophthegmatis illius, quod a Domino prolatum, apud evangelistas non obvium, Pauli ore et Lucae stilo laudatur Act. 20, 35. Neque vero habent Judaei, quod causentur, in N. T. citari aliquid, quod non exstet in V. T. Ipsi enim multa vetera narrant, quae nihilo magis ibi exstant. Proverbia Salomonis a cap. 25, 1., prophetia Azariae, epistola Eliae, et multa ejusmodi alia, ubi delituere, donec libris V. T. v. gr. 2 Chron. 15, 2. seqq. 21, 12. longis post temporibus inserta sunt? Certe nil causae erat, cur Matthaeus hoc fingeret, si ipsius tempore mera fuisset novitas. Tali modo plus nocuisset toti causae christianae, quam profuisset. Alia ei suppetebant sat multa prophetiarum in Jesu Nazareno impletarum specimina. Qui excellentem hunc versiculum dilutius interpretantur, ut conficiant, eum hic vel illic in Scriptura V. T. contineri, ii revera prophetiis antiquis unam detrahunt: qui vero τὸ ῥηθὲν, *Nazarenus vocabitur,* diserte olim editum existimant, hi homogeneam testimonii totius prophetici partem agnoscunt; adeoque integritati Scripturae revera consulunt, et simul simplicitatem tuentur. conf. Calov. Bibl. ill. et Rus. T. I. Harmon. evang. p. 284. *Nazareni* cognomen quis habiturus

Google

sit? non additur in versiculo. Videlicet ubicunque in prophetiis aliquid occurrit a Messia non alienum, id de Messia, quamvis non expressa ejus sit mentio, accipiendum venit. Plura tamen duobus hisce verbis in perbrevi valicinio cohaesisse verba, credibile est. Conveniens erat diuturnior hujus monumenti occultatio cum ratione vitae Christi privatae in latebris oppidi *Nazaret* agendae, et fidei sanctorum probandae, et perfidiae malorum judicandae. Joh. 1, 46. seq. 7, 41. seq.

Posteaquam palmariam ac propriam *Nazareni* nomenclaturam in ipso oppido *Nazaret* positam fuisse, evictum habemus: nunc demum, etymon et patriae et cognominis Christi, haud inane esse, Consectarii in loco statuimus. Christus, filius Davidis Bethlehemitae, non est vocatus Bethlehemita; quare in etymo oppidi Bethlehem non perinde mysterium quaeritur. Vocatus est Christus *Nazarenus*. fecit id quidem hominum sermo; imo vero fecit providentia Patris. Non temere Pilatus, ut tribus linguis cardinalibus *Jesum regem Judaeorum* categorice scriberet et scriptum retineret, gubernatus est: non temere accidit, ut *Nazarenum* et Pilatus simul scriberet, et alii, antea posteaque, dicerent. Nomina *Jesu, Christi, Emmanuelis*, et reliqua, quod sonant, id revera exhiberi, innuunt: unum *Nazareni* cognomen, omine carere, recte negaveris. נזר est *regii capitis insigne:* et נזרת Hillero interprete est oppidum, quo vertex montis *coronatur*. Itaque *Nazareni* cognomen Germanice exprimi posset: *Zu Cronberg hat der Gekrönte gewohnet*. Vid. Psalm. 132, 18. Solent locorum nomina pro ipsa re significata poni. omittimus *Veronenses*, *Placentinos*, *Laudicenos* Latinorum: major Scripturae gravitas. *Kananites* etiam *Zelotes* dictus, et a patria et a virtute. Matth. 10, 4. Luc. 6, 15. Vid. omnino Es. 63, 1.

CAPUT III.

v. 1. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, *in diebus illis*) In Evangelistariis haec formula meram vim habet inchoandi sermonis: sed in Evangelistis plus valet. hoc loco denotat: *Jesu habitante Nazaretae.* c. 2, 23 [1]). Notatur non breve, sed nulla majori mutatione notabile intervallum. — παραγίνεται) Suaviter iteratur hoc verbum v. 13. Saepe LXX id in praesenti ponunt. — κηρύσσων, *praedicans*) clare. Congruit mox, *vox. Baptista, praedicans:* duae partes officii Johannei. — ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deserto*) v. 3.

v. 2. μετανοεῖτε) Amabile vocabulum v. 8. 11. *mutate sensum*, induite sensum regno coelorum dignum, regalem, coelestem. Sic ipse Jesus Christus, sic apostoli praedicare coeperunt: sic Dominus Johannem jussit scribere, Apocalypsi ineunte. — βασιλεία, *regnum*) Vid. ad c. 4, 17. — οὐρανῶν, *coelorum*) Plur. שמים. Haec phrasis, *regnum coelorum*, apud solum Matthaeum exstat, ut Judaeis, quibus scribebat, opinionem regni *terreni* eximeret.

v. 3. οὗτος, *hic*) Complura sunt individua in N. T. quae in veteri praedicta sunt. — γάρ, *enim*) Causa, cur Johannes ita exoriri tum debuerit, uti v. 1. 2. describitur, quia sic praedictum erat. — φωνὴ κτλ. *vox etc.*) Vid. Luc. 3, 4. not. *vox*, sc. *est*. — βοῶντος, *clamantis*) Johannis. Similis locutio, Rom. 10, 15. *pedes nunciorum*. — ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deserto*) non, *in templo*, aut *in synagogis*. Sunt, qui construant, *in deserto parate* etc. quia sic postulent accentus apud Esajam. Sed si id voluisset evangelista, mox parallelum illud בערבה *in solitudine* rependisset. Nunc haec inter se respondent: *praedicans in deserto:*

---

1) Josephus, quum Johannes in publicum prodiret, vix in vivis adhucdum fuit. Is nimirum spectatur, de quo per prophetas dictum est, *Nazaraeus vocabitur*. Nazaretae Jesus a reditu ex Egypto ad Johannis usque proditum commoratus est. *Harm.* p. 63.

Digitized by Google

vox clamantis in deserto. v. 1. 3. Res eodem recidit. ubi vox, ibi auditores, qui jubentur parare viam, ibi etiam adventus Domini. Matthaeus etiam mox c. 4, 15. quiddam ab accentibus hebraicis diversum tenet. Conf. Hebr. 3, 7. not. — ὁδὸν, *viam*) Una est via primaria: et haec multas τρίβους *semitas* complectitur. — Κυρίου, *Domini*) Hebr. יהוה pro quo Hebraei posteriorum seculorum אדני dixere. LXX verterunt κύριος. Hoc loco innuitur Christus. Nomen *Dominus*, de Christo, variam in N. T. habet significationem, pro rerum, temporum, et loquentium varietate. In dictis e V. T. allegatis saepe respondet nominibus יהוה et אדני quorum alterum majestatem ejus, ut Filii Dei, alterum gloriam ejus, ut Messiae etiam spectat. Homines, inter quos ambulabat, cum sic appellaverunt, pro diverso fidei suae captu. Apostoli et fideles deinceps saepe simul spectarunt ejus dominationem et potestatem in suos et in omnia, in ipso etiam statu exinanitionis, sed magis in statu exaltationis: ubi interdum additur pronomen *meus*, quod tetragrammato יהוה non additur. — εὐθείας) *rectas.*

v. 4. αὐτὸς) *ipse.* Prosopographia insignis. Habitus quoque et victus Johannis praedicabat, congruens cum doctrina et officio. qualis poenitentium esse debet, talem hic minister poenitentiae semper habuit. conf. cap. 9, 14. 11, 18. not. — ἀπὸ τριχῶν καμήλου, *de pilis cameli*) Vestis erat parabilis et aspera, minus exquisite texta. coll. Marc. 1, 6. — καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ) Sic LXX. 2 Reg. 1, 8. de Elia: καὶ ζώνην δερματίνην περιεζωσμένος τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ. Zona Johannis erat, ut Eliae, non ex corio, sed *ex pelle*, sine magno paratu. Non sine causa commemoratur amictus multorum Sanctorum in Scriptura; etiam Baptistae, ipsiusque Jesu Christi. — τροφὴ, *cibus*) *Potus*, intelligitur ex Luc. 1, 15. — ἀκρίδες) Lev. 11, 22. חגב LXX ἀκρὶς, animal vescum. — μέλι ἄγριον, *mel agreste*) sua sponte fluens. 1 Sam. 14, 25. Locustae poterant interdum deficere.

v. 5. πᾶσα, *omnis*) ex omnibus partibus.

v. 6. ἐβαπτίζοντο) *baptismum accipiebant:* Medium. — ἐξομολογούμενοι) ἐξ. *libere diserteque* (non modo in *aurem* Johannis) *fatebantur, peccata, sua.* Vera confessio peccata etiam individualia, ut olim apud sacrificia pro peccato, citat, quanquam non singulatim enumerat. Medium ingenue tenet inter laxum formulae generalis abusum et inter angustias confessionis auricularis. Sic animam sublevat. In baptismo poenitentiae confitebantur peccata sua: in baptismo Christi confitebantur Christum.

v. 7. πολλοὺς, *multos*) qui partim perseverarunt baptismum accipere, (coll. v. 11.) partim justo Johannis elencho deterriti recessisse videntur. Ceteri longe plurimi ne *veniebant* quidem c. 21, 25. Luc. 7, 30. — φαρισαίων καὶ σαδδουκαίων, *pharisaeorum et sadducaeorum*) Sectae diversae. — αὐτοῖς, *illis*) pharisaeis praecipue, sed populo quoque, ante baptismum. v. 11. Luc. 3, 7. Saepe verba factum comitantia posterius recensentur. 2 Sam. 1, 16. 15. — γεννήματα, *progenies*) Familiae variae. — ἐχιδνῶν, *viperarum*) Hoc opponitur gloriationi de patre Abrahamo. Conf. c. 23, 33. — τίς, *quis*) q. d. Vos aliis viam monstrare videmini: quis autem vobis monstravit? Supponit, futuram esse iram: esse rationem effugiendi, in proximo: ab ea alienos esse pharisaeos et sadducaeos. — ὑπέδειξεν, *monstravit*) Compositum verbum respondet simplici. Approbat accessum eorum, sed sub magna conditione. — φυγεῖν, *fugere*) per baptismum. — μελλούσης, *futura*) in quam *incurrent* per impoenitentiam regnum coelorum repudiantes. Eadem *ira* appellatur postea, *veniens.* 1 Thess. 1, 10. Simul refutatur error *Sadducaeorum*, resurrectionem negantium. — ὀργῆς, *ira*) quae venit in destructione urbis, et in extremo judicio.

v. 8. ποιήσατε) *ferte.* — καρπὸν ἄξιον) *Dignum fructum*, singulari numero, a *Pharisaeis et Sadducaeis*, apud Matthaeum; *dignos fructus*, plurali

by Google

numero a *populo*, apud Lucam, postulari ait *Origenes*. Ad rem quid intersit, non equidem perspicio. Ipsum vocabulum *fructus* saepe collectivum est: et in Johannis praeconio, singulari numero, *sterilitati* opponi potest; plurali numero, *ubertatem* infert. Homines, arbores: itaque fructus, poenitentia ipsa. — τῆς) Construe cum καρπόν. sic ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα. Act. 26, 20. — μετανοίας) Μετάνοια est *mentis transmutatio* et omnis mali retractatio, qua id irritum optatur et infectum.

v. 9. μὴ δόξητε) Verbum δοκῶ (perinde ut φάσκω, et particula ὡς, et Latina, *prae me fero, ostendo, puto, videor, apparet, species,*) interdum veram rem eamque conspicuam, interdum speciem inanem, quam quis vel sibi vel aliis objicit, denotat. Itaque h. l. sensus est: *potestis quidem aliquo modo ita dicere; sed ea re non debetis placere vobis* [1]). — λέγειν, *dicere*) secure. — τὸν ἀβραάμ, *Abraham*) quippe cujus posteritas non deficit. — λέγω γὰρ ὑμῖν, *dico enim vobis*) Formula gravissima, in re maxima, a viro magno adhibita. conf. c. 5, 18. not. — δύναται, *potest*) Judaei putabant, se *non posse* excidere. — ἐκ τῶν λίθων) *ex* his *lapidibus*, et undecunque, uti ex gleba Adamum. Deus non est alligatus ad legem successionis in ecclesia. — τούτων, *his*) Lapides certe, eosque fortasse indigitavit Johannes, qui Josuae tempore in Jordane erecti fuerant, ut testimonio essent, populum Israël per Jordanem intrasse terram promissam, Deoque eam debere, non sibi. Sermo instar adagii, ut Luc. 19, 40. — τέκνα, *filios*) spirituales. Filii secundum carnem erant, qui tamen dicuntur genimina viperarum.

v. 10. ἤδη δὲ, *jam vero*) Antitheton: *futura*. v. 7. — καὶ, *etiam*) Ubi gratia se exhibet, ira *quoque* ingratis ostenditur. Non modo fieri *potest*, ut puniamini, sed *etiam* prope est. — ῥίζαν, *radicem*) Non modo ramis intentata est Securis. — δένδρων, *arborum*) Judaeorum: Luc. 13, 7 s. ad quos gentes erant *lapides*. — κεῖται, *jacet*) etsi ictus nondum coeptus est. — ἐκκόπτεται, *excinditur*) Praesens. sine mora. — πῦρ, *ignem*) Hebr. 6, 8.

v. 11. ὑμᾶς, *vos*) Pharisaeos igitur non exclusit Johannes a baptismo. — ἐν ὕδατι, *in aqua*) Huic parti respondet finis in hoc versu. Quanquam non tam baptismum, quam se ipsum Johannes extenuat: et rursum aquae antitheton hoc uno loco ignis ille dicitur, sed Spiritus sanctus ubique. — εἰς μετάνοιαν, *in poenitentiam*) Huic parti respondet v. 12. — δὲ, *vero*) Antitheton pertinet non solum ad baptizantes; sed etiam ad baptizatos, (Act. 1, 5. *vos*:) et ad diversa tempora. — ὀπίσω μου, *post me*) Decebat, Iohannem nasci paullo prius, quam Messiam. — ἐρχόμενος, *veniens*) statim, v. 13. — ἰσχυρότερός μου, *valentior me*) quem magis, quam me imbellem, timere et colere debeatis. Suam potentiam non esse magnam; Christi, infinitam, ut Dei, esse, [*quam vel ad salutem vel terribili modo nemo sit quin experiatur*, V. g.] docet Iohannes. v. h. mox, et v. 12. Non statim dicit: *Messias post me venit*, sed paraphrasi rem occultius et tamen augustius exprimit. Dixit autem hoc Iohannes, cum jam maxime floreret. Act. 13, 25. — βαστάσαι, *ferre*) sicut minister calceos *fert*, quos herus aut poposcit aut demi jussit. Ps. 60, 10. — αὐτὸς, *ipse*) In hunc credite. Act. 19, 4. — ὑμᾶς, *vos*) quotquot illum suscipietis. — βαπτίσει, *baptizabit*) *abunde impertiet*, Tit. 3, 6. Act. 2, 3. 4, 17. 10, 44. eoque se *valentiorem* ostendet. *Spiritus et ignis* vim habet maximam. — ἐν, *in*) Differentia Iohannis et Christi. Ioh. 1, 33. — πνεύματι ἁγίῳ, *Spiritu sancto*) Vid. Luc. 3, 16. n. — καὶ πυρὶ, *et igne*) Hoc habet Lucas, Marcus non habet. Quare etiamsi incerta esset apud Matthaeum lectio, nil esset periculi: certum est autem, hunc quoque scrip-

1) Nihil non homines, justitiarii praesertim, corradunt, ut rejectâ poenitentiâ Deum sibi vindicent. *V. g.*

Digitized by Google

sisse καὶ πυρὶ, *et igne. Spiritus sanctus*, quo Christus baptizat, *igneam* vim habet: atque ea vis ignea etiam conspicua fuit oculis hominum. Act. 2, 3.

v. 12. οὗ, *cujus*) Et hoc, et αὐτοῦ *ejus* ter cum vi positum, ostendit potestatem Christi. οὗ-αὐτοῦ, Hebraismus. — τὸ πτύον, *ventilabrum*) Id Evangelium est. — ἐν τῇ χειρὶ, *in manu*) jam jam. Totus sermo Iohannis, adeoque initium evangelii, prorsus convenit cum extrema clausula prophetiae V. T. apud Malach. 3, 19 — 24. ubi nexus rerum a Mose ad coronidem prophetiae veteris, ab hac ad prodromum et Christum, hujusque diem pantocriticum exquisite et solenniter declaratur. — αὐτοῦ, *ejus*) Nec prodromus, nec ullus apostolus hoc *ventilabrum* habebat, eodem modo, ac Dominus Jesus. Solatium imbecillitatis ministrorum: Dominus faciet. Non vana est sine viribus ira illorum. — ἅλωνα, *aream*) In *area* sunt viatores: in *horreo*, victores. — αὐτοῦ, *suam*) Hebr. 3, 6. — καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀποθήκην, *et congregabit tritieum suum in horreum*) Aut omittendum est αὐτοῦ *suum* [1]), aut construendum cum ἀποθήκην, *horreum*, [*quod recte Lutherus fecit.* Not. crit.] coll. Matth. 13, 30. *triticum congregate in horreum meum.* Idem Dominus *tritici est*, qui *horrei*: idem vero etiam *horrei*, qui *areae*. Luc. 3, 17. — ἄχυρον, *paleam*) [*quamquam tritico subinde non absimilem.* V. g.] palea non venit sub censum. — πυρὶ, *igne*) Quivis aut igne baptizatur, aut igne comburetur. Nil est tertium. — ἀσβέστῳ, *inextinguibili*) Videte igitur, ut peccata vestra prius deleantur. Job. 20, 26. *Impium comedet* πῦρ ἄκαυστον, vel potius ex cod. Alex. πῦρ ἄσβεστον· (quod verbum alias LXX non habeRent:) ut אֵשׁ לֹא נָפַח sit *ignis nullo statu extinguendus.*

v. 14. διεκώλυεν, *prohibebat*) Nondum scierat Iohannes, hunc esse Christum: scierat tamen, Christum in proximo esse, eumque ad baptismum affore, et signo evidenti indigitatum iri. Ioh. 1, 33. interea, ut primum Jesum videt, ex sympathia illa, qua in utero commotus fuerat, et ex aspectu ejus gratiosissimo judicat, hunc baptismi candidatum esse Christum, eamque sententiam scite cum praevia protestatione [*qua decore cautum fuit, baptismi humilitas ulne Christi honori quidquam derogaret.* V. g.] expromit [2]). Vid. Luth. postill. eccl. ad h. l. Fest. Epiph. Part. III. ed. Spen. f. 95. 96. — ἐγὼ, *ego*) Credibile est, ipsum Iohannem non fuisse baptizatum. Luc. 1, 15. fin. — χρείαν, *opus*) Nam majoris est alias baptizare; minoris baptizari, et ea re ad baptisten venire. — ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, *a te baptizari*) baptismo tuo, in spiritu et igne. Si nostrum alter ab altero baptizandus est, ego is sum. — ἔρχῃ, *venis*) baptismum petens.

v. 15. ἄφες, *sine*) Comiter Iohannem ad silentium redigit. Huc refertur ἀφίησιν *sinit*. — ἄρτι) sine mora, hac una vice. — οὕτω) *sic*, ut ego ad te sim profectus. — πρέπον, *decorum*) Quod Iohanni non videbatur esse decorum, id erat maxime; quia justum. Decentia in divinis consiliis et operibus admiranda latissime patet. Hebr. 2, 10. 7, 26. Speciatim in sermonibus et actionibus Christi elucet ejusmodi Decorum, quod ab evangelistis tam bene expressum argumento est, illos a Spiritu S. actos scripsisse. neque enim id humani ingenii quamlibet excellentissimi fuisset. — ἡμῖν, *nobis*) Loquitur ut Iohanni nondum plane cognitus. Convenit, *mihi*, principaliter; *tibi*, ministerialiter. In mente Jesu poterat etiam hunc sensum habere: decorum est mihi et Patri meo, ut ego impleam omnem justitiam. v. 17. conf. Hebr. 2, 10. iterum. — πληρῶσαι, *ad impiendum*) justitiam omnem. Id praestat, non Iohannes et Jesus, sed solus Jesus, in baptismo id ipsum recipiens. unde etiam ad passionem translata *baptis-*

---

1) *Quod aestimio* marginis *Editionem b. Auctoris convenit; quanquam* Versio germ. *alterum dilemmatis membrum, Luthero approbatum, sequatur.* E. B.

2) Signo deinceps, quod Deus promiserat, post baptismum accedente tanto magis confirmatus fuit, atque testimonio de Jesu, DEI Filio, gerendo aptatus. *Harm.* p. 146.

igitized by Google

matis appellatio: Luc. 12, 50. — πᾶσαν δικαιοσύνην, *omnem justitiam*) omnes justitiae partes, atque adeo hanc quoque, ceterarum majorum arrhabonem. Pro particulari justitiae intuitu, Iohannes videretur baptizandus a Jesu: pro *universo* justitiae ambitu, conversa res est. Hoc dixit Jesus, pro eo, quod ceteri, qui baptizabantur, quia peccatores erant, de suis *peccatis* confitebantur. Talis oratio non nisi Messiae ipsi conveniebat. In rebus summe humilibus tamen Filius Dei cavet juri majestatis suae. Ioh. 13, 7. s. 14, 30. 18, 5. 20. 36. — τότε, *tunc*) protinus.

v. 16. εὐθὺς, *statim*) Nil erat, quod eum diutius teneret, sic quoque *statim* resurrexit. — ἰδοὺ, *ecce*) Res magna et nova. — αὐτῷ, *ei*) Id plus est, quam si Matthaeus scripsisset, *super eo*. — οἱ οὐρανοὶ, *coeli*) Plurale.

v. 16. 17. καὶ, *et*) Gloriosissima apparitio S. Trinitatis, et documentum, quid fiat, quando nos baptizamur. nam non sibi baptizatus est Christus. Et Spiritum S. accepit, quo nos baptizaret. Ioh. 1, 33. — εἶδε, *vidit*) Jesus: Marc. 1, 10. nec non Iohannes. Ioh. 1, 32. — ὡσεὶ περιστερὰν, *sicut columbam*) Conf. Gen. 8, 10. s.

v. 17. φωνὴ, *vox*) Apertissima Dei patefactio. Tales illae, quae memorantur Act. 2, 2. s. Ex. 19, 4. 9. 16. 40, 34. s. Num. 16, 31. 42. 1 Reg. 8, 10. s. 18, 38. — οὗτός ἐστιν, *Hic est*) Marcus et Lucas scribunt, dictum esse, *Tu es*. Matthaeus sensum expressit. *Hic*, dictum c. 17, 5. Assentit fides: *tu es Filius Dei*. c. 16, 16. — ὁ) Articulus bis positus summam habet emphasin. — υἱὸς, *Filius*) Ioh. 1, 18. 3, 16. — ἀγαπητὸς, *dilectus*) Possit hoc videri esse nomen, coll. cap. 12, 18. ut duo sint praedicata haec: Hic est *Filius meus:* est *Dilectus*, in quo beneplacitum est mihi. Sed epitheton esse, patet ex Luc. 3, 22. *Amor* est quiddam naturale, quia Hic est *Filius: beneplacitum*, quasi superveniens, quia *facit*, quae Patri *placent*. *Dilectus*, unicus: qui amorem patris non cum alio partitur. — ἐν ᾧ, *in quo*) Ἐν, *in*, maxime notat objectum, deinde etiam causam. Objectum beneplaciti paterni est Filius per sese, et in Filio omnes et omnia. Phrasis LXX viralis. conf. not. ad. Col. 2, 18. — εὐδόκησα, *beneplacitum est mihi*) Verbum εὐδοκῶ, et εὐδοκία, adhibetur, vel quum id, quod egomet habeo atque ago, mihi allubescit, vel quum id, quod alter. Utraque notionis pars huic loco congruit, de beneplacito Patris in Filio. Est aeterna στοργὴ erga Unigenitum, est comitas perpetua erga mediatorem, et in illo erga nos, filios reconciliatos. Additur c. 17, 5. *eum audite*. tum enim de passione dicturus erat. nunc id non additur; nam initio idem illud docuit duntaxat, quod Pater dixit, *Hic est filius meus*.

CAPUT IV.

v. 1. Τότε, *tunc*) ex baptismo. — ἀνήχθη, *sursum ductus est*) Hierosolyma versus, impulsu puro. — εἰς τὴν ἔρημον, *in desertum*) desertiorem partem illa parte, de qua c. 3, 1. — ὑπὸ τοῦ πνεύματος, *a Spiritu*) sancto. c. 3, 16. — πειρασθῆναι, *ut tentaretur*) Tentatio haec specimen est totius status exinanitionis Christi: omniumque tentationum non solum moralium, sed spiritualium maxime, epitome, quas machinatus est diabolus ab initio. — ὑπὸ τοῦ διαβόλου, *a diabolo*) LXX int. hebraicum שטן fere vertunt διάβολος· tantum 1 Reg. 11. bis terve exprimunt σατάν.

v. 2. νηστεύσας, *jejunans*) sine dubio virtute baptismi. Jejunio connotatur etiam abstinentia a potu. — ἡμέρας, *dies*) In his diebus, in hoc secessu, maximae res intercesserunt inter Deum et Mediatorem. — τεσσαράκοντα, *quadraginta*) Memorabile tempus, etiam in vita Mosis et Eliae. Sed Mosis status, sine cibo, erat lautus: Christi, quod magis mirandum, humiliationis. Eliae antea

Digitized by Google

cibum attulerat angelus: Christo postea angeli plures ministrarunt. XL dies habuit Jesus, antequam prodiret in publicum: XL dies, quasi praeparationis causa, ante ascensionem. — ὕστερον, *postremo*) Hactenus non tam fuerat tentatio, quam ad eam praeparatio. conf. v. seq. init. — ἐπείνασε, *esuriit*) *Fames*, tentatio valde acerba. *Sitim*, in passione expertus est. Conferri potest haec tentatio cum illa, quae describitur Gen. 3. Tentator simili arte usus est. sed quam protoplasti rem male gesserant, eam Christus restituit.

v. 3. προσελθών, *accedens*) visibiliter. Tempus captavit Tentator. [*Eo videlicet anni tempore in deserto degebat Jesus, quo nox longior, ferarum rapacitas excitatior, tempestas inclementior, neque frugum aliqua vel in arboribus vel alicubi fuit copia.* Harm. p. 149.] — ὁ πειράζων, *Tentator*) qui nollet sciri, se esse Satanam. Et Christus demum in fine Satanam appellat v. 10. postquam satanas satanitatem, id est, superbiam, singularem characterem, plane prodiderat. Sic artem nequissimam arte divina delusit. Videtur tentator sub schemate γραμματέως, *scribae*, apparuisse; quia τὸ γέγραπται, *scriptum est*, ei ter opponitur. — εἰ, *si*) Sic quoque v. 6. Et dubitat Satanas, et in dubitationem conatur adducere; vera eripere, falsa persuadere. Conditione solicitat, quod de coelo cap. 3, 17. categorice pronunciatum fuerat. — εἰπὲ, *dic*) Tentator agnoscit, qui Filius Dei sit, hunc esse omnipotentem. — οἱ, *hi*) id est, aliquis horum lapidum fiat panis. Luc. 4, 3. — λίθοι, *lapides*) Quasi diceret: *Versaris in deserto, quod lapides duros habet, panem non habet.* Imo alia ratione persentisces, tentator, hunc esse Dei filium. Mox initium faciet perdendi tui. Luc. 4, 34. 41.

v. 4. γέγραπται, *scriptum est*) Non provocat Jesus ad vocem de coelo locutam: non respondet ad argumenta tentatoris: adversus conclusiones ejus tenet scripturam solam ejusque τὸ ὅτι. An filius Dei sit ipse, nec ne, relinquit in medio. Erga homines non saepe allegavit Jesus scripturam, sed dixit: *Dico vobis.* Adversus satanam unice illud dicit: *scriptum est.* i. e. quisquis ego sum, certe illud teneo, quod scriptum est. Omnes sententiae, quas proferebat, etiam per se erant indisputabiles; et tamen tenet illud: *scriptum est.* Quo ipso etiam exprimit, nunc se adesse, cum, qui scripturae esset satisfacturus: ostenditque scripturae gravissimam auctoritatem, ipsi satanae irrefragabilem. — οὐκ-θεοῦ) Deut. 8, 3. LXX, οὐκ-θεοῦ, ζήσεται ὁ ἄνθρωπος. Etiam in *eremo* vim hujus dicti senserat populus. Ejusdem libri caput VI. citatur versu 7. 10. unde tria dicta duae paraschae conjunctae ואתחנן et עקב habent; in *deserto* Israëlitis proposita; in *deserto* a Christo pro gladio contra tentatorem adhibita. Eo anni tempore, quo Moses dixerat, Jesus tentatus dicta adhibuit. — ζήσεται, *vivet*) Id expertus erat Jesus his XL diebus. Tam facile est sine pane vivere, quam ex lapide panem facere. Αὐτάρκεια, *praesens animi quies*, nil quaerere praeter *vitam.* Victurum se, sciebat Jesus. — ἄνθρωπος, *homo*) Non respondet tentatori de *Filii Dei* appellatione: sed quasi unus e multis, ad verbum scriptum alligatis, loquitur. Ac Mosis jam tempore sapientia divina iis verbis totum hoc testimonium expressit, quibus Salvator feriret tentatorem. Hieronymus: *Propositum erat Domino, humilitate diabolum vincere, non potentia.* — παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ) Sic Ps. 89, 35. τὰ ἐκπορευόμενα διὰ τῶν χειλέων μου· de promissione divina. Conf. LXX. Num. 30, 13. et Deut. 23, 24. de votis, item Ier. 17, 16. Num. 32, 24. Metonymia: *exitus oris*, i. e. res, quae ore nuncupatur. — διὰ) *per* os, adeoque *ex* corde.

v. 5. τότε, *tunc*) Matthaeus eo temporis ordine describit assultus, quo facti sunt. v. 8. 10. not. Lucas gradationem observat in locis, et describit desertum, montem, templum. c. 4, 1. 5. 9. Quae ordinis non modo innoxia, sed etiam salubris varietas argumento est, non alterum evangelistam ab altero scripsisse. Fortasse etiam tertii assultus quiddam ante secundum assultum tentator

by Google

vibravit in Jesum, et alio alioque habitu apparuit. — παραλαμβάνει) Concise, id est: *assumit et ducit*. et sic v. 8. Verbo *ducendi* Lucas utitur, c. 4, 9. 5. Mirabilis potestas tentatori concessa; usque dum ei dicitur, *abi*. v. 10. Gregorius: *Nil mirum est, si Christus a diabolo se permisit circumduci, qui a membris illius se permisit crucifigi*. Satan ubique tentat. conf. de mutatione locorum, Num. 23, 13. 27. Christus ubique tentatus est, omnibus locis, ubi postea erat munere functurus. — εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, *in sanctam urbem*) ubi praesidium *angelicum* inprimis sperandum videri poterat. — ἐπὶ, *super*) Quam vere in deserto, tam vere in pinnaculo et in monte fuit Jesus. — πτερύγιον, *pinnaculum*) in quod adscensus longe facilior fuerat, quam descensus ex eo. Quodnam hoc fuerit pinnaculum, ambigunt antiquarii [1]). Christus per alta et profunda tentabatur.

v. 6. γέγραπται, *scriptum est*) Speciosissima tentatio, quae Scripturam videtur apposite allegare. Non dubium est, quin hujus dicti vim imprimis saepe senserit Satanas ex opposita sibi custodia piorum per angelos. — ὅτι-περὶ σοῦ καὶ ἐπὶ κτλ.) Ps. 91, 11. 12. LXX, ὅτι-περὶ σοῦ, τοῦ διαφυλάξαι σε ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς σου. ἐπὶ κ. τ. λ. Fraus satanae potius est in falsa applicatione, quam in omissione. — ἐπὶ χειρῶν, *super manibus*) Id est, magna circumspectione tuebuntur. — λίθον, *lapidem*) ex quo structum templum. Speciose psalmum applicat tentator.

v. 7. πάλιν γέγραπται, *iterum scriptum est*) Etsi Satanas retorquebat τὸ *scriptum est*: tamen Jesus id sibi non sinit quasi protritum quiddam extorqueri, sed ter adhibet. Scriptura per scripturam interpretanda et concilianda. — οὐκ ἐκπειράσεις κτλ. Sic plane LXX, Deut. 6, 16. Ex eorum interpretum usu ἐκπειράζειν non est significantius, quam πειράζειν. Hoc autem dicit Jesus: Meum non est tentando provocare Deum. — Κύριον, *Dominum*) Positum est hoc pro nomine proprio.

v. 8. πάλιν, *iterum*) Tertius conflictus: ut patet etiam ex verbo *abi*. v. 10. — ὄρος, *montem*) Novum tentationis theatrum. — δείκνυσιν, *monstrat*) ad oculos ea, quae horizon complecteretur; cetera, per enumerationem et indigitationem fortasse. subtilis spiritus est satanas.

v. 9. δώσω, *dabo*) At Filius est heres: et quicquid potestatis habebat satanas, propter hominum defectionem a Deo, id Christus, *valentior*, non per pactionem, sed per victoriam eripuit. Quae diabolus in tentatione non potuit persuadere Christo, ea perficiet per bestiam, Ap. 13, 2. vasallum suum: et quae Christo obtulit, adversario illi conferet, regna mundi. — ἐὰν, *si*) Magna superbia, regna muneri offerre, pro uno actu adorationis, id munus agnoscentis. [*Quae angelus Johanni non permisit, ea tentator a Jesu, Domino, postulat*. V. g.] Sine dubio specie venerabili apparuit.

v. 10. ὕπαγε, *abi*) *Abi post me satana*, dixit Dominus Petro, Ipsum *prehendenti*, et, ne passionem subiret, prohibenti, eoque sermone Petrum in *locum*, qui discipuli esset, pedem referre jussit. Ad satanam vero dixit, Abi *Satana; abi*, non *post me*, sed plane *a me*. — σατανᾶ, *Satana*) Tentasti, ut explorares, quis ego sim: et ego tibi dico, quis tu sis. Tentatorem, quum is maxime *favere* videri vult, *Satanam* appellat. [*Superbia enim, Satanam se esse, plane demonstraverat*. V. g.] — Κύριον-προσκυνήσεις κτλ.) Deut. 6, 13. LXX, Κύριον-φοβηθήσῃ κτλ. Pro timore convenienter ponit Jesus *adorationem*. coll. v. 9. — μόνῳ) Sic LXX. qui etiam μόνος salvo sensu inseruere Gen. 3, 11. 17.

v. 11. ἄγγελοι, *angeli*) quos pugnam spectasse probabile est. conf. 1 Cor.

---

1) Porticum fuisse *(Hügel, bedeckter Gang)*, ex cujus summitate tremendus in profunda prospectus patebat, nullum est dubium. *V. g.*

Digitized by Google

4, 9. 1 Tim. 3, 16. — διηκόνουν, *ministrabant*) sine dubio pro eo, ac tum opus erat, scil. allato cibo. conf. 1 Reg. 19, 5. s.

v. 12. ἀκούσας δὲ ὅτι κτλ. *audiens vero quod etc.*) Nomen *Jesu* ponitur v. 17. non ponitur v. 12. nam haec periocha, v. 12—16. cum superioribus connexa innuit, quomodo *Johannes* locum Domino fecerit: sed versu 17. seqq. describitur ipsum *Initium* praeconii a Domino factum, cui includitur vocatio binorum fratrum, quare versu 18. iterum subauditur ὁ ἰησοῦς, *Jesus*, non exprimitur. — παρεδόθη, *traditus sit*) in custodiam. (c. 11, 2.) Decrescente Johanne, crevit Christus [1]). — ἀνεχώρησεν, *secessit*) Idem verbum, simili in causa, c. 14, 13. — εἰς, *in*) Galilaeam, et quidem in partem Galilaeae ab Herode et Johannis carcere remotiorem. Totam Galilaeam appellat Matthaeus in antitheto ad Judaeam, ubi tentatio fuerat. Jesus tum ex vita privata prodiit in publicum.

v. 13. ναζαρὲτ, *Nazaret*) ubi hactenus habitarat. — παραθαλασσίαν, *maritimam*) v. 15. 18. ubi magna erat frequentia.

v. 15. γῆ ζαβουλὼν καὶ γῆ νεφθαλεὶμ ὁδὸν θαλάσσης πέραν τοῦ ἰορδάνου — ὁ πορευόμενος — καὶ τοῖς καθημένοις — ἀνέτειλεν αὐτοῖς) Es. 8, 23. 9, 1. LXX, χώρα ζαβουλὼν ἡ γῆ νεφθαλεὶμ καὶ οἱ λοιποὶ οἱ τὴν παραλίαν καὶ πέραν τοῦ ἰορδάνου — ὁ πορευόμενος — οἱ κατοικοῦντες — λάμψει ἐφ᾽ ὑμᾶς. Arctissime cohaerent duo versus apud Esajam: quare ex priore partem topographiae sumit evangelista. Ex eodem climate, multi apostoli. Ps. 68, 28. Act. 1, 11. 2, 7. Γῆ, λαὸς, *terra, populus:* Appositio. — ὁδὸν) דרך LXX, ὁδὸν subaudi κατά. Topographia prophetica mirabilis; latitudine et longitudine ad punctum conveniente. — θαλάσσης, *maris*) v. 18. — πέραν τοῦ ἰορδάνου, *trans Jordanem*) עבר πέραν dicitur de limite non modo ulteriori, sed etiam citeriori. — γαλιλαία τῶν ἐθνῶν) *Galilaea* Israëlitis habitata, *Gojitis* contermina, praesertim quod ad tribum Zabulon et Naphthali attinet. vid. Hilleri Onom. p. 816. Galilaea minus antea erat exculta: Hierosolymis erat arx cultûs levitici. itaque Judaei facilius debebant agnoscere: Galilaeis compensatur, quod non habuerant.

v. 16. πορευόμενος, *ambulans*) [2]) Gradatio triplex: *populus ambulans: et sedentibus: in tenebris: in regione et umbra mortis: vidit lucem magnam: lux orta est illis.* — Gravius est *sedere* tenebris detentum, quam *ambulare.* — εἶδε) *conspexit.* — φῶς, *lucem*) [*quae mundum illustrat universum.* V. g.] Nemo *salvatur*, nisi *illuminatus.* Act. 13, 47. — καὶ τοῖς καθημένοις) Ps. 107, 10.: καθημένους ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου. *Sedendi* verbum aptum notandae solitudini inerti. — χώρᾳ καὶ σκιᾷ) Ἓν διὰ δυοῖν. Situs regionis erat natura depres-

---

1) Decentissime captivitas Johannis hoc loco, et obitus ejusdem cap. 14, 3. in transitu quasi memoratur, non ut *contigit* res, sed ut *ad aures* Jesu *pertigit.* — Neque tamen longo intervallo captivitatis initium antecessit famam ad Christum perlatam. Joh. 3, 24. nondum in vincula conjectus, at in eo tamen erat, ut decresceret, v. 29. 30. Neque etiam c. 4, 1. custodiae mentio fit: et c. 5, 35. FUISSE quidem dicitur *lychnus ardens et lucens;* sed inde non sequitur, eum tum temporis, ubi talia Christus de ipso asseruit, in carcere jam detentum fuisse (nam ne in illo quidem statu ardens lychnus et lucens plane non fuit): enimvero Johannes eo respectu in praeterito memoratur l. c., quod Judaei laetitiae ex Johanne quaesitae pertaesi jam essent, et verum Lumen, Jesus Christus, splendore suo infinito Johannem, cereum quasi lychnum, jamjam obscurasset. Accedit, quod captivitatem, in eaque mortem Johanni instantem, praescivit Salvator. Johannes itaque semestri fere post muneris publici auspicia circa Pentecosten vinculis traditus est, exinde vero plenus propemodum annus ad obitum ejus effluxit. Qui plura tribus Paschata baptismo et morti Salvatoris interponunt, eos Johannis captivitati, minus opportune, biennium tribuere necesse est. Johannem quippe, captivitate haud exclusâ, cito transire decuit. Unus Propheta magnus, Jesus, praecipuam temporis partem solus transegit in Officio suo. *Harm.* p. 183. s.

2) *Lectio* πορευόμενος *in* Ed. I. *N. T. signo* β *distincta cum hac observatione* Gnomonis *propius convenit: sed* Editioni d. A. 1753. τὸ πορευόμενος *ad signum* γ *ableganti*, Vers. germ. *respondet lectionem* καθήμενος *exprimens.* E. B.

d by Google

sus: ei congruebat conditio spiritualis. — ἀνέτειλεν αὐτοῖς, *orta est illis*) Hebr. זרח *fulget*, *super illos*. Hoc sermonis incremento rependitur epitheton, μέγα, *magnam*, in inciso praecedente.

v. 17. ἤρξατο, *coepit*) Frequens verbum. innuit initium actionis saepe iterandae, aut deliberatae certe et amplae, vel etiam diutinae. [*Sane Jesus* docere *in scholis prius jam coeperat, quam Nazaretâ Capernaum venisset*, Luc. 4, 13.: *sed nunc, altius elata voce, ad κήρυγμα etiam vel ad* proclamandum *DEI regnum se contulit. Ipse Rex praeconem egit*. Harm. p. 190.] — ἡ βασιλεία, *regnum*) Divini stili est elegantia, ut primum in abstracto dicatur venisse *regnum*, deinde in concreto *rex*, sive Messias. Illud initiis occultis, hoc glorificationi congruit. Conf. not. ad Luc. 1, 35. nec non ad 2 Thess. 2, 3. — τῶν οὐρανῶν) regnum *coelorum*, id est, regnum *Dei*. c. 5, 3. coll. Luc. 6, 20. sic enim interdum apud Matthaeum etiam, procedente ejus libro, et semper in ceteris N. T. libris appellatur, [1]) v. gr. Act. 1, 3. 28, 31. Rom. 14, 17. Frequens metonymia est, ut *coelum* pro *Deus* dicatur: eaque primis evangelii temporibus consentanea. c. 3, 2. *Regni coelorum* appellatione, libris N. T. fere propria, praecidebatur spes regni terreni, et invitabantur omnes ad coelestia. Sic appellatur cum prospectu ad consummationem Luc. 21, 31. Act. 1, 3.

v. 18. θάλασσαν τῆς γαλιλαίας, *mare Galilaeae*) v. 15. 23. — σίμωνα, *Simonem*) Simon, primus in sequela hac, primus mansit.

v. 19. δεῦτε, *venite*) Habet vim vocandi hoc verbum, cum connotatione momenti praesentis. c. 11, 28. 21, 38. etc. Id patet ex singulari δεῦρο. — ποιήσω, *faciam*) Potestas Christi Jesu. — ἁλιεῖς, *piscatores*) Jer. 16, 16.

v. 20. εὐθέως, *statim*) Promta sequelae celeritas versu 22. notatur in Jacobo et Iohanne, ubi εὐθέως exstat: eadem celeritas sub verbum δεῦτε v. 19. in sequela Petri et Andreae notatur, sive legas εὐθέως, sive non legas. In ipso operis faciendi ardore, vocationem acceperunt. Sic Matthaeus, c. 9, 9. Beatum momentum! — ἠκολούθησαν, *secuti sunt*) ingenue, sine celeri pactione de mercede. c. 19, 27.

v. 21. μετὰ, *cum*) Erant igitur juvenes, vegeto adhuc patre Zebedaeo, utroque parente vivente. Johannes inde LXX annos vixit. Jacobus inter apostolos primus obiit; Johannes diu superstes ei fuit. [*Frequentius hi duo, quam Petrus et Andreas, conjunguntur in N. T.* Vers. germ.] — καταρτίζοντας, *parantes*) Hoc verbum dicitur de instrumento, quod vel ad opus paratur, vel post opus reparatur. Prius huic loco magis convenit. Utrumque par fratrum, ab ipso opere, alio atque alio, promte magnaque obedientia discesserunt.

v. 23. καὶ περιῆγεν κτλ.) Sic plane cap. 9, 35. [*Item* c. 4, 23. Marc. 6, 6. Act. 10, 38. etc. *Hac lege brevi tempore insignem hominum multitudinem doctrina et miraculis suis adjuvit: discipulos eo magis exercuit: id praeterea consecutus, ut nullum homines taedium Ipsius, quin desiderium subinde fortius caperent*. Harm. p. 235. s.] — κηρύσσων, *praedicans*) *Doctrina* in synagogis publica erat: sed magis publicum *praeconium*. c. 10, 27. 11, 1. Conf. etiam

---

1) *Coelorum regnum*, *Poenitentia* et *Evangelium* tres termini sunt, quibus praeter Matthaeum frequentissime utuntur Marcus et Lucas; Johannes, in Evangelio, nunquam. Eadem vero hic ipse res aliis locutionibus perquam venustis effert. *Regnum DEI*, ex reliquorum Evangelistarum more, appellat ille quidem, sed nonnisi in colloquio cum Nicodemo; idem istud subindicans, quando describitur Jesus ut *Filius Dei*, ut *Vita*, ut *Lumen*, ut *Sponsus*, ut Is, cui Pater *omnia in manus*, cui *potestatem super omnem carnem*, cui *omne judicium* tradidit, qui *omnes* denique *ad se trahet*, et quae sunt similia. *Poenitentiam* Johannes innuit, ubi τὸ *superne nasci*, *ad Jesum venire*, *fidem suscipere*, rel. urget. *Evangelium* idem est, quod *testimonium* nuncupare amat. Multum istae locutionum variationes lectorem attentum juvare queant: modo ne in verbis haereamus, sed virtus eorum cordis intima pervadat. *Harm.* p. 190 s.

Luc. 8, 39. Jon. 3, 2. 4. — τὸ εὐαγγέλιον, *evangelium*) Praecipua doctrina Christi, evangelium: cetera, quae docuit, pertinebant duntaxat ad impedimenta removenda. — τῆς βασιλείας, *regni*) Dei. In Scriptura sacra perpetuo spectatur *Deus*. — πᾶσαν, *omnem*) Nemo aegrotus, nemo mortuus, cui Jesus occurrebat, in morbo aut morte mansit. — νόσον, *morbum*) Νόσος, *morbus* totius corporis: μαλακία, *aegritudo* partis alicujus, cum dolore: βάσανος, *tormentum*: v. 24. μάστιξ, *flagellum*. Luc. 7, 21. — ἐν τῷ λαῷ, *in populo*) *In populo* Israël: et, *in populo*, ut promiscue offerebantur aegri, etiam ii, quorum morbus publice notus erat. Joh. 9, 8. Act. 3, 10. At miracula recentiora ex antro nescio quo homines saepe mutasve imagines ex composito protrudunt, quibus ea acciderint.

v. 24. ἀπῆλθεν, *abiit*) procul. — ἀκοή) שמעה LXX, ἀκοή, saepe. — συρίαν, *Syriam*) provinciam, cujus pars habebatur Palaestina. — προσήνεγκαν, *obtulerunt*) etiam Syri. — κακῶς ἔχοντας, *male habentes*) Miracula Jesu Christi ad hominum salutem comparata. Joh. 6, 2. Matth. 11, 5. Act. 10, 38. — δαιμονιζομένους, *obsessos*) Saepe conjuncta fit mentio aegrotorum et obsessorum. Act. 5, 16.

v. 25. ὄχλοι, *turbae*) Pluralis, ob multitudinem locorum. — δεκαπόλεως, *Decapoli*) cis Jordanem et ultra. *Samaria* non memoratur. — πέραν) ἀπὸ τῆς πέραν.

CAPUT V.

v. 1. Ἰδών, *videns*) procul. — ὄρος, *montem*) superioremque partem montis. Ibi oravit et apostolos designavit. Marc. 3, 13—19. Luc. 6, 12—16. Postea venit in medium montem; Ipse cum discipulis descendens, et populo ascendenti occurrens: ibi *sedit*, ad docendum. Luc. 6, 17. not. [1]) Mons, pars terrae edita, coelo propior, sanctissimis actionibus opportuna. — προσῆλθον, *accesserunt*) Proxima admissio et docilitas discipulorum recentium. [*non duodecim saltem, sed et reliquorum*. V. g.]

v. 2. ἀνοίξας, *aperiens*) Initium, studio factum, magnae rei pars magna. Phrasis scripturae in exordiis relationum de rebus magnis et deliberatis: *vertit humeros, sustulit pedes, sustulit oculos, aperuit os*. Act. 10, 34. Hic Fons coepit aquam fundere. conf. Matth. 13, 35. — ἐδίδασκεν, *docebat*) instruebat doctrina, solatio, hortatu, monitis. — αὐτούς, *eos*) discipulos. hos enim alloquitur, audientibus turbis [*quas tamen ipsas simul allocutus est*. v. 17. V. g.] c. 7, 28. Duas Jesu homilias, quae omnium instar essent, copiose descripserunt evangelistae: alteram initio habitam publice, h. l. alteram extremo tempore, privatim. Joh. 13. seqq. In praesenti scopus Domini est, docere veram *justitiam*, Es. 63, 1. in quo simul declarat, Se stabilitum venisse legem et prophetas; et redarguit surrogatam falso scribarum justitiam. In Exordio est invitatio dulcis I. ad communionem verae justitiae, in eaque beatitatis, v. 3. s. II. ad communicationem ejus erga ceteros, v. 13. s. Tractatio est a v. 17. ad c. 7, 12. fin. in qua primis, etiam ad verbum, respondent ultima. Conclusio α. portam justitiae demonstrat, c. 7, 13. s. β. monet de pseudoprophetis, in alia omnia ducentibus et euntibus, v. 15. s. γ. hortatur ad faciendos hos justitiae sermones, v. 24. s. Persuasit doctor coelestis v. 28. s.

v. 3. μακάριοι, *beati*) Initiale hoc verbum, toties repetitum, indicat scopum

---

1) Nox Luc. 6, 12. memorata, *successit* miraculis Marc. 3, 10. et *praecessit* miracula Luc. 6, 18. Vesperae utrumque miraculorum genus dirimenti convenit, quod Matth. 5. initio dicitur: *Videns turbas ascendit in montem;* insequente die reliqua sibi vindicante: *Quum consedisset* (post sanationes apud Lucam, quae stans perfecerat), *discipuli ad Eum sui accesserunt. Harm.* p. 242.

Digitized by Google

doctrinae Christi. [*Magna hic, per Dominum, beatitudo proponitur.* Ebr. 2, 3. V. g.] Proponitur autem, per paradoxa plane eximia, *beatitudo* non solum per se, sed quatenus *in Christo jam praesente* omnibus animis capacibus praesto est. Tales in plebe latebant, neque erant nulli: c. 9, 36. s. 11, 28. Es. 29, 19. quanquam, ad ceteros, non multi. etenim *beatus* saepe connotat raritatem rei magnae. Sir. 34, (31.) 8. unde *illorum*, *illi* etc. ceteros, aliter affectos, excludit: coll. Luc. 6, 24. seqq. ubi *vae* exprimuntur. Sunt autem μακαρισμοὶ *praedicationes beatitatis* septem absolutae, quibus notatur status piorum secundum se; et duae respectivae, respectu hominum. in utroque genere primo loco ponitur *regnum coelorum*, complexus beatitudinum. Omnes ordine enumerantur pulcerrimo. Conferri ex opposito possunt octo vae eorumque ordo, quae in scribas et pharisaeos pronunciantur c. 23, 13—16. 23. 25. 27. 29. Memoratur certe utrobique *regnum coelorum*, hic v. 3. et ibi v. 13. *misericordia*, hic v. 7. ibi v. 23. *puritas*, hic v. 8. ibi v. 25. et *persecutio*, hic v. 10. s. et ibi v. 29. s. nec dubium, quin etiam reliqua commata inter se conferri possint. In subjecto describuntur sancti, ut sunt *nunc*, in hac vita; in praedicato, ut erunt *in illo die*. Luc. 6, 25. 23. Quanquam sic verba sua instruit Salvator, ut simul innuat beatitudinem *singulorum* sanctorum in praesenti incuntem, et *populi* sancti beatitudinem prophetice significet etiam in *terra* futuram. v. 5. — οἱ πτωχοὶ, *pauperes*) Vocativus aut expresse, aut in sensu. coll. v. 11. et Luc. 6, 20. neque obstat pronomen *illorum*. conf. c. 23, 37. not. *Paupertas*, fundus primus. *Pauper* est, qui non habet dicere, *hoc meum est*: et quum aliquid habet, non cogitat, quid habiturus sit, sed ex aliena liberalitate pendet. Opes, quae tali paupertate abnegantur, sunt vel spirituales vel naturales, et vel adsunt vel absunt. Tales virtutes cardinales et fundamentales a mundo contemnuntur: quas autem mundus virtutes miratur, eae vel nullae sunt, vel falsae, vel christianarum virtutum duntaxat propagines et appendices. — πνεύματι, *spiritu*) id est, in intimis suis. Hoc subaudiendum etiam in seqq. usque ad v. 8. ubi exstat *corde*. — ὅτι, *quoniam*) Quaevis ratio beatitudinis congruit cum praevia descriptione subjecti, et desumitur vel a *contrario;* nam opera Dei fiunt in mediis contrariis, 2 Cor. 4, 6. 7, 6. 12, 9. vel a *talione benigna*, proximave convenientia. — ἐστιν, *est*) jam. Praesens, in hoc versu, et futurum, in versibus sequentibus, se invicem connotant. — ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *regnum coelorum*) quod Messias confert, in V. T. promissum. [*Hoc vocabulo inchoatur haec tractationis pars et clauditur*, v. 10. V. g.]

v. 4. 5. οἱ πενθοῦντες· οἱ πραεῖς· *lugentes: mites*) *Mites*, transpositis versiculis, *Latini* plerique praeponunt *lugentibus*. Et congruunt versus 3. 5. *Beati PAUPERES spiritu, quia eorum est regnum COELORUM. Beati MITES, quia ii hereditate accipient TERRAM.* עני עני πτωχὸς, עני πραΰς, praesertim Ps. 37, 11. (ubi de *hereditate terrae* sermo est,) et 14. Sed manet ordo versiculorum. namque versui 3. subordinatur versus 4, et versui 5. subordinatur versus 6. *Lugere* latius patet, quam de *suis* contristari peccatis. 1 Cor. 5, 2. not. — [1]) παρακληθήσονται, *consolationem accipient*) Futurum tempus innuit promissiones in V. T. datas, et nunc praestandas. Luc. 16, 25. 2 Thess. 2, 16. *Pauperes et mites*, v. 3. 5. ut in solenni illo עני ואביון junguntur: conf. etiam c. 11, 29.

v. 5. πραεῖς, *mites*) Fere tales hic nominantur, quos mundus proculcat. πρᾶος Romanis *pravus*, segnis. — κληρονομήσουσι, *hereditabunt*) Futurum. *Mites* videntur ubique importunitati *terricolarum* cedere: ac tamen *terram occu-*

---

1) Voculâ αὐτοὶ innuitur, contraria eventura esse aliter affectis. V. g.

pabunt, non brachio suo, sed *hereditate*, auxilio Patris. conf. Ap. 5, 10. Interea dum impiorum usurpatio manet, tamen omnis fructus ordinatur ad mitium commoda. In omnibus his sententiis beatitudo in *coelo* et beatitudo in *terra* se invicem connotant. Ps. 37, (36,) 11. οἱ δὲ πραεῖς κληρονομήσουσι γῆν, καὶ καταθρυφήσουσιν ἐπὶ πλήθει εἰρήνης. Quin haec summa est totius illius Psalmi. vid. ibid. v. 3. 9. 22. 29. 34.

v. 6. οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες, *qui esuriunt et sitiunt*) qui sentiunt, se per se non habere *justitiam*, qua se Deo hominibusque probent, eamque vehementer desiderant. Describitur *fides*, convenienter initio N. T. — τὴν δικαιοσύνην, *justitiam*) *Justitiae* auctorem plane se hic praestat Jesu, v. 10. s. 20. c. 6, 1. 33. Non significatur hic jus fori humani, sed divini. Hic versus est centrum hujus periochae, et thema totius homiliae. Non dicit, *beati justi*, ut mox dicit, *beati misericordes etc.* sed, *esurientes et sitientes justitiam.* Justitia mera suo tempore iis obtinget. 2 Petr. 3, 13. Es. 60, 21. — χορτασθήσονται, *saturabuntur*) justitiâ, Rom. 14, 17. Haec erat ipsius Jesu pastio: Ioh. 4, 34. coll. Matth. 3, 15. Hanc saturitatem suis propinat hoc ipso sermone toto, et promittit proponitque hoc ipso versiculo.

v. 7. ἐλεήμονες) Graecum ἔλεος, unde ἐλεήμονες, hebraico חסד respondet, neque tantum ad miserabilia pertinet objecta.

v. 8. καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, *mundi corde*) Non sufficit puritas ceremonialis. *Cordis* virtutem docet Jesus. cordis púritas et castitatem complectitur et immunitatem a ceteris inquinamentis peccati. — τὸν θεὸν ὄψονται, *Deum videbunt*) Promittitur clara cognitio de Deo jam nunc, sed iis verbis, quae magis proprie in aeterna vita implentur. 1 Ioh. 3, 2. 3. 6. Conf. de contrario, 1 Thess. 4, 5.

v. 9. εἰρηνοποιοὶ, *pacifici*) factores pacis legitimae omnis inter discordes, dissentientes, bellantes. — υἱοὶ, *filii*) Quanta dignitas! — θεοῦ, *Dei*) qui est Deus pacis. — κληθήσονται, *vocabuntur*) erunt et cluent.

v. 10. οἱ δεδιωγμένοι, *qui persecutionem patiuntur*) v. 11. δεδιωγμένοι, qui se contulerunt ad sustinendam persecutionem. Jam nunc denunciat Jesus, quid Ipse, quid sui a mundo sint accepturi. Indicat autem gradatim. *jugum* dicit c. 11, 29. *crucem*, c. 16, 24. coll. Marc. 8, 34. Matth. 10, 38. de *cruce* ad solos discipulos dicit. — ἕνεκεν δικαιοσύνης, *propter justitiam*) *propter me.* v. seq. Conf. cap. 10, 39. 42. 16, 25. 18, 5. 19, 12. 29.

v. 11. ὀνειδίσωσιν, *conviciati fuerint*) coram. subaudi, homines. Hi inferunt *contumeliam* per verba; *persecutionem*, re ipsa. — ὑμᾶς, *vos*) Jesus loquitur interdum in prima persona plurali, de se et hominibus, ubi agitur de re plane externa, Ioh. 11, 7. aut ubi tanquam ignotus loquitur, c. 3, 15. Ioh. 4, 22. sed plerumque in secunda; quod ipsum significat, non esse Eum conditionis communis. v. 12. s. 20. Joh. 6, 49. 10, 34. 14, 9. 20, 17. — εἴπωσι, *dixerint*) absentes.

v. 12. χαίρετε, *gaudete*) Gaudium non solum affectus est, sed etiam officium Christiani, Phil. 4, 4. et in adversis gradus patientiae summus ac nervus. — ἀγαλλιᾶσθε, *exultate*) ut etiam alii gaudium vestrum sentiant. — ὅτι, *quoniam*) Licet ergo de mercede laetari. — ὁ μισθὸς, *merces*) ex gratia. *Mercedis* vocabulum dicit quiddam ultra beatitates ex ipsa justorum indole pullulantes. ideo dicitur, *gaudete.* — τοὺς προφήτας, *prophetas* [1]) qui *de Christo* testantes odium subiere: Act. 7, 52. quorum magnam scitis esse mercedem. *Persecutio* fuit non modo apud rudes gentes, dum ad evangelium adducerentur: sed semper, in V. et N. T. 1 Joh. 3, 12. 13.

v. 13. 14. ὑμεῖς, *vos*) primi discipuli et auditores Messiae. [Vos, *Chri-*

1) τοὺς πρὸ ὑμῶν, ait, per υ, non πρὸ ἡμῶν, per η. Ipse ante prophetas fuit. *V. g.*

by Google

stiani, filii DEI, v. 16. V. g.] *Sal* et *lux* in natura sunt prima et latissimi usus. Saepe in scriptura res eadem metaphoricis verbis enunciatur, ut attentio nostra excitetur: deinde ubi non ita, ut debebamus, intellexerimus, et interim caecitatem nostram senserimus, propriis verbis aperitur. τῆς γῆς· τοῦ κόσμου· *terrae*: *mundi*) Terra per se sale; mundus luce caret. — ἐὰν, *si*) Non affirmatur h. l. sal ad fatuitatem recidere: sed sub conditione ostenditur, quae sit ratio salis terrae. — μωρανθῇ) *Galenus*, in Glossis Hippocr. μεμωρωμένα, τὰ ἀνάλσθητα· Marc. 9, 50. ἄναλον γένηται. Salis est, saporem habere et dare: huic sapori opponitur insulsitas, fatuitas, *valor* amissus. — ἁλισθήσεται, *salietur*) Impersonale. nec sal (Marc. l. c.) nec terra aliunde condietur. — ἔξω, *foras*) procul ab omni usu oeconomico. — καὶ, *et*) adeoque. — καταπατεῖσθαι, *conculcetur*) Nil est *tritius*, quam qui vult divinus haberi, ac non est. [*Merum seculi hominem non tantopere dedecet sua vanitas.* V. g.] — ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, *ab hominibus*) obviis quibusque. Haec τῶν articuli vis.

v. 14. [1]) ὄρους, *montem*) Apposite, coll. v. 1. De re conf. Ap. 21, 10.

v. 15. καίουσι) Impersonale: subaudiendum, οἱ καίοντες. conf. c. 7, 16. — ὑπὸ) *sub*, i. e. pone. Luc. 8, 16. ὑποκάτω.

v. 16. ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, *coram hominibus*) omnibus. — ὅπως, *ut*) Particulae vis non tam super verbum *videant*, quam *glorificent*, cadit. — ὑμῶν — ἔργα, *vestra opera*) *opera*, non vos; splendorem, non lychnum. [*Sequitur*, Patrem vestrum; *non, vos ipsos. Cf.* c. 6, 2. V. g.] — τὸν πατέρα ὑμῶν, *Patrem vestrum*) qui vos Sui similes genuerit. [*Ubicunque bonum opus videris, Deum glorifica, ob filiorum sanctitatem.* 1 Petr. 2, 12. V. g.] In hac concione tota Deum ut Patrem nobis ostendit *Filius*, idque locupletius, quam omnes olim prophetae.

v. 17. μὴ νομίσητε, *nolite putare*) Sermo concisus per metonymiam consequentis: Nolite putare, timere, sperare, me doctorem similem esse doctorum, quibus assuevistis, istorumque more soluturum esse legem. qui illud putat, putat etiam hoc [*Perquam vulgaris est haec opinio.* V. g.] — ἦλθον, *veni*) Ergo Jesus erat, antequam veniret. Sic, *inveni*, c. 8, 10. — καταλῦσαι, *dissolvere*) Composito *dissolvere* opponitur verbum *implere*; et simplici *solvere*, *et docere*, opponitur *facere et docere*. Ex quo verborum vis apparet. illa dicuntur de toto, lege; haec de praeceptis singulis. *Dissolvere* et *solvere* est irritum facere. — τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας, *legem aut prophetas*) Prophetas nonnulli ex Judaeis minoris faciebant, quam legem. Junguntur etiam c. 7, 12. — πληρῶσαι, *implere*) factis et dictis praestare, ut *omnia fiant*, quae lex postulat. v. seq. fin. [*Non fuit novae legis conditor: sed sua Ipse obedientia legem implevit, et quomodo per Suos impleatur, docuit.* V. g.] Rabbini agnoscunt, Messiae esse, legem perficere.

v. 18. ἀμήν, *amen*) Amen, sermone ineunte, solus Jesus ad confirmandum adhibuit, apostolus nullus. Apud Hebraeos interdum jurisjurandi vim habuisse, docet Wagenseil. in Sota p. 379. et ubicunque in hebraeo est אני חי Chaldaeus habet אנא קיים *constans ego:* et קיים apud eundem passim pro נשבע ponitur. vid. Lud. de Dieu ad h. l. et Kimchi ipsum אמן interpretatur קיום. In Novo tamen Testamento non est juramentum proprie. nam ei respondet ναὶ et ἀληθῶς. Luc. 11, 51. 21, 3. coll. Matth. 23, 36. Marc. 12, 43. Est tamen asseveratio gravissima, ei propria, qui per se ipsum et per veritatem suam asseverat: et a dignitate personae loquentis aequipollet juramento, praesertim ubi geminatur. vid. Ioh. 1, 52. not. Servatur hebraica vocula in omnibus linguis. [*et retinenda est in transferendo, ut in fine, sic in principio sententiae. Eadem ratio aliorum*

1) Verbo οὐ δύναται innuitur, non opus esse coacta simulatione: neque etiam lychnus, dummodo non sufflaminetur, non potest lucere. *V. g.*

d by Google

verborum hebraicorum. Not. crit.] — λέγω ὑμῖν, *dico vobis*) Haec formula, Domino frequens et propria, summam habet auctoritatem, denotatque saepe rem ab Ipso pronunciatam, quae secundum rationes speciales neque in V. T. expresse legitur, neque aliunde evidenti argumento patet, sed ab Ipso ex occultis sapientiae scientiaeque thesauris primum promitur, ut assensus auditorum sola ejus affirmatione nitatur, socordibus praecisa excusatione in posterum. Prophetae soliti sunt dicere in tertia persona, נְאֻם *dicit Dominus*: apostoli, *scriptum est*: at Christus, in prima persona: *Ego dico vobis*, v. 20. 22. 26. 28. 32. 34. 39. 44. 6, 2. Ioh. 3, 3. 14, 12. 25. etc. Conf. Ioh. 4, 21. 14, 25. nott. Paulus in prima persona semel iterumque loqui coactus, valde limitat, Rom. 12, 3. 1 Cor. 7, 6. 12. Correlatum hujus *Dico vobis* est *fides*: quae per hanc ipsam formulam, pro modo illius temporis, in limine videlicet Novi Testamenti, tanquam fundamentum ponitur. Minus saepe Christus, nec nisi singulari de causa, scripturae loca allegat: sua auctoritate decore nititur. — ἕως ἂν παρέλθῃ, *donec transeat*) Verbum παρέλθῃ modum consummationis seculi in medio relinquit. — ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, *coelum et terra*) machina solidissima. — ἰῶτα, *jota*) in alphabeto hebraico litera minima, maxime elementaris, et in qua Keri et Cethib persaepe differunt, ut promiscue videatur abesse vel redundare. In Codice Hebraeo 66420 *jota* numerantur. Graeci *jota* saepe subscribunt aut praetermittunt. — κεραία, *apex*) literae appendix, aut portio, linea, qua litera a litera, ut ב a כ vel ד a ר distinguitur, vel sonus a sono, ut punctum vocale aut accentus: denique quicquid ullo modo in lege pertinet ad divinam voluntatem significandam, vel ejus significationem adjuvandam. — οὐ μὴ) οὐ μὴ semper habet subjunctivum, neque emphasis nimium debet extendi. sic v. 20. 26. — παρέλθῃ, *praeteribit*) Colligi hinc potest integritas scripturae. Nam scriptura nisi integra esset, non posset perspici impleta. — ἀπὸ τοῦ νόμου, *a lege*) Subaudi, *et a prophetis*. Pars minima legis opponitur toti mundo. — ἕως ἂν, *donec*) Nam justitia habitat in novis coelis et terra nova, 2 Petr. 3, 13. — πάντα, *omnia*) Legis. Antitheton, *unum*. v. seq. — γένηται, *fiant*) Facta sunt et fiunt per Jesum Christum, etiam in Christianis: non erant facta ante illum.

v. 19. λύσῃ, *solverit*) Oppositum, facere v. 19. Solvebant scribae, qui sibi magni videbantur. Idem verbum, *solvere*. Ioh. 7, 23. 10, 35. — τούτων, *horum*) Relativum spectat ea, quae sequuntur v. 22. 28. etc. — τῶν ἐλαχίστων, *minimorum*) praecepta *haec, Non occides* etc. non sunt minima in se; nam his tota lex continetur: sed quatenus vere explicata subtilissimos etiam affectus et motus animae et linguae regunt, et sic hominibus, cum aliis collata, minima videntur. — καὶ, *et*) *Et* ponitur, non *vel*; quia sermo de doctoribus v. 20. [*Quod quisque facit, id ipse docet, in praeceptis minoribus. Nullus falsorum doctorum eò insaniae progreditur, ut mali nihil malum bonive nihil bonum praedicet*. V. g.] — ἐλάχιστος, *minimus*) Resp. *minimorum*. Ploce. Pro eo ac nos tractamus verbum Dei, Deus nos tractat Ioh. 17, 6. 11. Ap. 3, 10. *Parum*, notat paene nihil: inde *minimus*, nullus. (nam nihili faciebant v. gr. iram:) conf. v. 20. *non intrabitis*. [*Regni coelorum heredes, ubi de tali quaestio inciderit, dicent: parvus est, nullus est*. V. g.] Aliud notat ἐλάχιστος h. l. aliud ὁ μικρότερος in regno coelorum c. 11, 11. — ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, *in regno coelorum*) injustum non ferente. — ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, *fecerit et docuerit*) Idem ordo verborum Act. 1, 1. *fecerit*, omnia, v. 18. nam ne *unum* quidem solvere licet. — οὗτος, *hic*) Pronomen amplificans. c. 7, 21. (in *Lat.*) Luc. 9, 24. Ioh. 7, 18. — μέγας, *magnus*) Praecepta omnia ei sunt *magni*, praesertim in suo complexu, v. 18. ideo *magnus* vocabitur.

v. 20. ἐὰν μὴ περισσεύσῃ, *nisi abundaverit*) Justitia nostra, etiamsi legi satisfecerit, nunquam tamen περισσεύσει, *redundabit*, ultra legem: sed scribae

et pharisaei putabant, suam justitiam redundare. eam debemus vincere. Cum περισσεύσῃ conf. περισσὸν, v. 47. Ultra Pharisaeos et ultra publicanos veniendum, v. 48. — ὑμῶν ἡ δικαιοσύνη, *vestra justitia*) Ὑμῶν, praepositum, majore emphasi opponitur scribarum et pharisaeorum justitiae. [*quae optima tum temporis censebatur*. V. g.] Alii, ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν. *Justitia* illa, cujus specimina dantur v. 19. 22. s. Non perimit hic sermo justitiam fidei: sed sermo Jesu Christi, ante glorificationem ipsius, medium quasi tenet inter Mosen et apostolos. — πλεῖον τῶν) i. e. πλεῖον τῆς δικαιοσύνης τῶν κτλ. — γραμματέων, *scribarum*) Jesus justitiam suorum non jubet esse majorem justitia *Mosis*, quasi lex Mosis fuisset imperfecta, quae tamen facientibus promittebat vitam; et erat justa, sancta, bona, spiritualis, Rom. 7, 12. 14. sed majorem *justitiâ* (quod tamen vocabulum eleganter omittitur) *scribarum et pharisaeorum*, qui ceremonialem et forensem, morali missa, tutati sunt. *Pharisaei* urgebant traditiones; *scribae*, sive *karaei*, literam, quae erat scripta et lectitabatur. Scribarum maxime videbatur esse, *docere*; pharisaeorum, *facere*. Mosen non nominat, sed impersonaliter ait, *dictum esse*. — οὐ μὴ εἰσέλθητε, *non intrabitis*) c. 18, 3. Ioh. 3, 5. 1 Cor. 15, 50.

v. 21. ἠκούσατε, *audistis*) ex publica lectione, cum assensu. In N. T. remittuntur doctores ad lectionem legis, populus ad auscultationem. Ioh. 12, 34. Rom. 2, 13. 18. — ὅτι ἐρρέθη, *dictum esse*) Locutio impersonalis: cui eleganter opponitur, *Ego dico*. Dixit Moses, vere: dixerunt interpretes Mosis, sensu imminuto, v. 31. 43. sensum Mosis et sensum interpretum non distinxere *auditores*. Expressum ad Mosen, sed mitius antitheton est c. 19, 8. 9. *Moses permisit*: *dico autem vobis*, quo loco *ego* non additur. Nulla enim pugna est inter Mosen et Christum: a Mose et Christo aberant Judaei. Mosis legem non excedit sermo Christi, c. 7, 12. nam *concupiscentia*, v. 28. etiam in lege prohibetur: Rom. 7, 7. sed quae legi vera detraxerant scribae, Ipse restituit; quae falsa affinxerant, (vid. v. 43.) detergit. Antitheton: *ego autem dico*. qua formula Christus per suam auctoritatem, ut si nullus unquam fuisset Moses, nam servus domino cedit, simpliciter omnia constituit, nec legislatoris, nec interpretis habitu, sed ut Filius, voluntatem Patris sui patefaciens, c. 7, 21. coll. c. 3, 17. Lex perfecta est: quicquid Salvator prohibet h. l. aut jubet, etiam lex prohibuit aut jussit. Intima cordis ea judicat, Rom. 7, 14. sed ob durum cor populi saepius externa exprimit. Ideo Dominus ait: *Ego vero dico vobis*: non, *Moses autem dixit vobis*. In multis aliter affecti erant Judaei tempore pharisaeorum, quam tempore Mosis. — τοῖς ἀρχαίοις, *antiquis*) patribus, tempore Mosis. Cum veteri ac primitiva norma convenire videri volebant scribae. antiquitas tenenda, sed genuina. [*Scilicet non Mosis tempore laxior ista legis interpretatio antiquis proposita est, sed Scribarum Pharisaeorumque tempore. Ipsi antiquitatis nomine, ut fit in controversiis religionis vel pravis moribus, novationes suas incrustabant*. V. g.] Antitheton, *vobis*. unde patet, τοῖς ἀρχαίοις, *antiquis*, non esse casu sexto: faciliorque est constructio: *dictum est antiquis*, id est, *ad antiquos*, quam, *ab antiquis*. — οὐ φονεύσεις, *non occides*) Jesus incipit a praecepto apertissimo. — τῇ κρίσει, *judicio*) דִּין קְרִיסִיס, *judicium* inferius per singula oppida, XXIII judicum, qui etiam capitis damnare poterant. Dativus, τῇ κρίσει, hoc valet, *quod ad judicium attinet*. et sic mox, τῷ συνεδρίῳ, *quod ad synedrium attinet*. *nam* ἔνοχος dicitur absolute.

v. 22. πᾶς, *omnis*) Hoc opponitur laxae scribarum sanctioni. — ὁ ὀργιζόμενος, *qui irascitur*) vel affectu diutino vel motu subito. — τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, *fratri suo*) Haec appellatio indignitatem irae ostendit. — εἰκῇ) Plane humanum haecce glossa sensum redolet. [*quam recte omisit Lutherus*. Not. crit.] Qui *sine causa* irascitur, nimis iracundus est: ne pharisaei quidem *sine causa* irasci fas esse docuerunt. Etiamsi *causa* sit irascendi, nulla esse ira debet. *Deus etiam*

cum causa prohibet odisse, qui inimicos diligi jubet. Tertull. de spectaculis c. 16. Vicissim Magistratus, occidens eos, qui occidi debent, recte facit: nec tamen dicitur, *Non occides sine causa.* — ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, *reus erit judicio*) i. e. homicida est, coll. v. 21. [*Quicquid enim mihi amori repugnat, id, contra vitam insurgens, homicidium spirat* V. g.] Ut spectator cupidus mulieris, adulter est: sic *osor fratris, homicida est*, 1 Ioh. 3, 15. Non innuuntur hoc versu tres gradus poenae humanae: nam neque judicii synedriique fuit iram et raka vindicare; neque vallis filii Hinnom locus fuit supplicii ullius, nedum supplicii aliunde quam ab judicio synedriove inflicti, nedum supplicii ob stulti convicium. Itaque judicium et synedrium assignatur irae et raka, tanquam primo et secundo gradui homicidii, primum et secundum poenae gradum in gehenna (conf. v. 30) merentis: tertioque homicidii gradui, stulti convicio, proprie assignatur gehenna ignis, et innuit poenam gehennae ardentiorem. Est ergo metonymia consequentis. reus est judicio etc. i. e. est homicida in primo, secundo, tertio gradu. Reatus civilis denotat reatum spiritualem ad culpam et poenam. — εἴπῃ, *dixerit*) corde vel etiam ore, semel aut diu. — ῥακά, *raka*) Vocula hebraica, Hebraeis, ut Lightfootus docet, frequens: cujus vim graeca nulla exprimit. Medium quiddam notat inter iram et stulti appellationem. [*Oscitantia per eam rei praeceps agendi ratio exprobrari solebat.* V. g.] *Raka* Syris idem notare, quod *tu*, contemtim prolatum, ait Chrys. ad h. l. Alii derivant a Syr. *rak, spuit. fy* interpres vetus Anglicus. רֵיקִם dicuntur homines *leves*, Jud. 9, 4. 11, 3. 2 Par. 13, 7. et sic κενός, Jac. 2, 20. Elenchus etiam formulas hominum triviales et mores obvios speciatim debet tangere. v. 34. s. 1 Cor. 15, 32. Jac. 2, 3. 4, 13. — τῷ συνεδρίῳ, *synedrio*) magno, hierosolymitano, in totam gentem, LXXII judicum, graviora supplicia decernenti. — μωρέ, *stulte*) Acerbissimum convicium, [*et hodienum valde usitatum, coll.* v. 34. V. g.] negans sensum communem, quo qui caret, est insanabilis et deploratus. conf. *fatuum factum fuerit*, v. 13. not. Perparce vocabulo μωρὸς utuntur LXX int. sed frequenter Siracides. — ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρὸς, *reus erit in gehennam ignis*) Locutio concisa, scil. *ut detur in vallem Hinnom*, ubi morticina et cadavera insepulta jacent, et tandem comburuntur. Non exstat γέεννα vocabulum apud LXX. et in N. T. utitur eo Matthaeus, Marcus, Lucas, Jacobus: Iohannes, Paulus, Petrus, Judas non utuntur. Ex Hebr. גֵּי הִנֹּם *vallis lamenti* deducit Hill. onom. p. 811. De igne vallis illius vid. Jer. 7, 31. s. etc. εἰς dicitur, ut εἰς κόρακας.

v. 23. ἐὰν οὖν, *si ergo*) Non tum demum necessaria dicitur esse reconciliatio; nam τὸ *ibi* indicat, etiam prius *recordari* fas esse: sed hoc dicitur, Quicquid agis, vel si res optima, sanctissima et maxime necessaria jam suscepta sit, omnia relinque, dum reconciliatus sis Eph. 4, 26. Peccant, qui non nisi tum, quum S. Coenam accepturi sunt, cum fratre transigunt. Maxime tamen necessaria est reconciliatio, et maxime urgens in conscientia recordatio, rem divinam facturis. — ἐπὶ, *ad*) nam *in altare offerre* erat sacerdotis: et sequitur, *ante altare.* — καὶ ἐκεῖ μνησθῇς, *et ibi recordere*) Verbum Dei exprimit intimas cordis humani rationes. Inter rem sacram magis subit recordatio offensarum, quam in strepitu negotiorum. — ἔχει, *habet*) tanquam offensus.

v. 24. ὕπαγε, πρῶτον, *abi, primum*) Antitheton, *tunc veniens*. — διαλλάγηθι, *reconciliare*) ut Deo reconcilieris. — ἐλθὼν, *veniens*) non *revertens*. Prior itio irrita.

v. 25. ἴσθι εὐνοῶν, *esto benevolus*) Benevolentia benevolentiam quaere, ipso opere. — τῷ ἀντιδίκῳ, *adversario*) cui pecuniam debes. coll. v. 26. Sermo parabolicus. Id inprimis valet de adversario, qui graves iras vel ultra mortem gerit. — ταχὺ, *cito*) Tarda est superbia cordis ad deprecandum et satisfaciendum. — ἐν τῇ ὁδῷ, *in via*) ad tribunal. — μετ᾽ αὐτοῦ, *cum eo*) Actor solebat

gitized by Google

reum prohendere. — παρἀδῳ, tradat[1]. Magna potestas adversarii. Deus, ut jubex, persequitur peccatulosum ejus, qui peregit. — φυλακἠν, custodiam) ubi tetus ipse sit pignus debiti persolvendi.

v. 26. ἀμὴν λἐγω, dicoe) Debitor ubi reliquatur. c. 18, 34. Mirere, ab iis, qui hinc provisionali decretum ad ultimum conclusum deuno urgeri putant, quam necessarium quadrantem. — τὸν ἐσχατον, novissimum) Adeo omnia exigit justitia! ne unum quidem quadrantem exigit aut ultra, quem debent, aut citra [2]. — κὀδραντον, quadrantem) Frequentissima in lingua in linguam cum numeris fere occurrunt Sabbatica, quibus res peregrinae appellantur.

v. 27. ἠκὀυσατε, audistis) Ex traditione et sabbatismo, neque sunt peccata contra proximum, nec non vindicta: itaque non adhibitae, multiplex, sed subsudiarie vero 27. 31. 38. 43. cc v. 21. Adhibitae sutem verna 33. sibi agitur de juramentis, utroque de officio ergo Deum.

v. 28. ἠδικησα, injuriam) Hoc rel. sensitu, v. acc. — πρὀς, ad) Particula ad determinat relationem intuitus. — τὸ μὴ ποιἠσαι, ne facias) Quae enim ἀμαρτἰα, in quo, hanc quae non exercitus! V. g.]

v. 29. ἐἀν δὲ, quod si) Particula, propriie in manu, promtius est et curiosa; inde etiam in sectio, pone sic. Zach. 11, 17. Exod. 29, 20. — σκανδἀλιζει, scandalizat) ad mala videndum; sicut vindictae ad male agendum. — ἐξἐλε κτὀν, erue illum) Non ocelum, sed scandalizantem oculum: i. e. omnia facito dura tibi, donec desinat scandalizare te. Non materia, sed concupiscentia, qua oculus materiae vigeti, insultat; haec enim in scandalo est minus occidi, quam ut mors corpus dicitur pro homine. Qui in scandalo occidi et piane agit, ne videat, revera in ipsum exercet. Nimium quasi aliquid oculum meritorium errare, et tamen concupiscentiam istus fovere. Par illud, mortifierie Col. 3, 5. Saepe sententia negans exprimitur per affirmationem oppositi. v. 30. c. cap. 6, 17. — βἀλε, projice) serio. Hac rati mori, projectionis. — συμφἐρει γἀρ, expedit enim) Non enim non necet, sed etiam gloriosum est. — ἀπὀληται, pereat) [Non reapse perit anima] : sed comparative intuitus. Rom. 8, 18. 2. Cor. 4, 17. Pro unoquoque non constat minoris, quam amissio oculi est. et est tum necessaria, ut praestet ipsi oculo orbari, quam cum oculo periere, aut peccatum ab oculo separari posset. Oculus revera erutus, v. gr. martyri, restituitur in resurrectione. — ὅλον, totum) Sane multo minus membri, v. gr. guloe, neglecti mortificatio perfit. — ὅλον, totum) Non membrum peccante, totus homo peccat et iuit. — γἐενναν, gehennam) ignis eternus c. 18, 8. a.

v. 30. ὁμὠς, summa) A vitae ad alii ad actum.

v. 31. ἐρρἐθη δὲ καἰ, quicunque dimiserit) Divortium pro re arbitraria habebant. — [2] ἀποστασιον, repudium) c. 5. Obsolus repudii. — [3] ἀ ποστἀσιον LXX. Melonymia. [Omni sibi Moses, praeter formalia, spectavit, sanctionat. V. g.]

v. 32. λὀγου] "γαρ" τἠς λἐξεως, causae, cur aliquid rite fiat [Quae etiam ad essentia inclusam, sed ἐξω, peritinet. V. g.]. — ποιεἰ αὐτὴν μοιχἀσθαι, facit eam moechari) pro alius ruptum, quarum potestatem dat divortium. — ἀπολελυμἐνην, dimissam) ex licentia scribarum.

v. 33. ἀπὀδωσεις, reddes) Ergo jejerare est promissa non reddere. Jejurium ergo promissorum juramenta inordini Christus; quum homines de futuris

---

[1] O summa veteris hominis et falsissimum persuasionem, qua Deum nonnisi leviter refigere debita existimat. Imo vero, nisi summa indulgentia, immensae culpae infimae, etiamsi homines exactis tantum rigorem non exhibet, quantum pro meritorum divina justitia observari. V. g.

[2] Sine non mandatum relictum, sed permissionem. V. g.

per ea confirmant, quorum nil in ipsorum potestate est v. 36. Juramenta humana, de quibus Moses praecipit, quaeve sancti jurarunt, saepius ad confirmandum, rarius ad promittendum spectant. Et sane plures pejerant de futuris, quam de praeteritis: unde prudenter Romani, magistratus decedentes potius, quam ineuntes juramento obstrinxerunt. — ὅρκους, *juramenta*) res jurato promissas.

v. 34. μὴ ὀμόσαι ὅλως, *non jurare omnino*) τὸ *omnino* utrumque, falso et vere, jurandi genus, non tamen verum juramentum universaliter prohibet. Verus juramenti usus in lege, non modo, uti divortium, permittitur, sed plane stabilitur, neque hic a Christo tollitur, v. 17. Valde autem frequens apud Judaeos erat juramentorum abusus, ut ex formulis hic citatis patet, legitimo eorum usu obruto: neque perjurum eum putabant, qui *creaturas* in jurejurando quamlibet falso allegasset. v. Sam. Petiti var. lect. cap. 16. In Elle schemoth rabba sect. 44. hoc exstat Judaeorum placitum: *Ut coelum et terra transibunt, sic juramentum per ea conceptum transit.* Plane autem prohibetur res, dum abusus valde grassatus tollitur, verusque usus restituitur. Multi veterum christianorum simpliciter hanc literam acceperunt, eoque facilius juramenta ethnica declinarunt: vide tamen Ap. 10, 6. Ier. 23, 8. Es. 45, 23. (qui locus tempora N. T. spectat:) contra hodie periculum est, ne paucissima in tot juramentis vera sint; et in veris, paucissima necessaria; et in necessariis, paucissima libera, fructuosa, sancta et laeta. Multa ad pompam, ad calumniam, ad compescendas suspiciones justas comparata sunt. — ἐν, *per*) Id, per quod juratur, oppignoratur: ergo debet esse in potestate jurantis. Sacrilegus est, qui male jurat, v. 34. ss. Ita nec *per Deum* hoc sensu jurare licet, quod in casum meae perfidiae velim Deo me abdicare. hoc enim non est in potestate jurantis. Sed eo modo jurandum, qui in ipsa lege divina stabilitur, ut sit invocatio nominis divini. Etiam solennis formula, *Ita me Deus adjuvet,* non in illo, sed in hoc sensu accipienda est, ut emphasis cadat super vocem *Deus.* Certe haec interpretatio consulit juranti, et rem paulo faciliorem facit. — τῷ οὐρανῷ, *coelum*) Quanto gravius peccant, qui per Deum ipsum jurant! — θρόνος, *thronus*) Quanta Dei majestas! Non includitur coelo Deus; sed majestas ejus maxime in coelo patet.

v. 35. εἰς) Diff. ab ἐν. Solebant urbi Hierosolymorum optime precari. sensus ergo formulae hic erat: Ita salva sit urbs: ita expetat *in* urbem. — πόλις) *urbs*: sedes regia. — τοῦ [1]) μεγάλου βασιλέως, *magni illius Regis*) Ps. 48, 3. i. e. Messiae, cui coelum et terra (v. 34. s.) paret. Sic ipsum de se loqui non dedecet. c. 9, 38. 22, 43.

v. 36. κεφαλῇ, *caput*) Gravius etiam peccant, qui per *animam* aut *vitam* suam jurant. — λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι, *album aut nigrum facere*) Fucus artis humanae non est albedo aut nigredo vera. Non modo non pilus, sed ne color quidem pili est in potestate hominis.

v. 37. ὁ λόγος ὑμῶν, *sermo vester*) quotidianus, ordinarius. — ναὶ ναὶ, οὒ οὔ, *est, est: non, non*) *Est* rei sit *est* dicti: *non* rei sit *non* dicti. Cf. 2 Cor. 1, 17. s. Jac. 5, 12. not. — περισσὸν, *abundans*) Nimietas, vitiosa. — ἐκ τοῦ πονηροῦ, *ex malo*) Neutrum. v. 39.

v. 38. ὀφθαλμὸν, *oculum*) scil. exiges. Ex. 21, 24. LXX, ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος. Talio, poenarum convenientissima, ut in noxa majori, homicidio, et in minori, furto, sic in media. Lev. 24, 20. Frequens mutilatio in poenis etiam extra talionem; quidni in talione? Conf. Jud. 1, 7. [2]) Plus proficerent poenae, nisi nimis longe recederet humanum judicium a divinae legis sapientia, aequitate, severitate.

---

1) Magnificus articulus. *Not. crit.*

2) Quod Magistratui praeceptum erat, id vindictae privatae tribuebant Scribae. *V. g.*

v. 39. μὴ ἀντιστῆναι, *non resistere*) Infinitivus pendet a λέγω, *dico:* ut Ap. 13, 14. *Malo resistere*, est par pari referre. — ἀλλ᾽ *sed*) Exemplum citatur injuriae, privatae, forensis, curialis, v. 39. 40. 41. — ῥαπίσει, *caedet*) Alibi ῥαπίζειν, est virgis, sed h. l. propter maxillae mentionem, alapa caedere. — δεξιὰν, *dextram*) vel sinistram. Luc. 6, 29. Synecdoche. — στρέψον, *praebe*) Prodest aliquando id ipsum proprie facere. [*Quod quando fieri debeat, prudentia spiritualis filios DEI docet. Verba Christi non humanae, ejusque naturalis vitae, sed aeternae Verba sunt. Quae stulta videntur mundo, secus apparent in Vita aeterna.* V. g.] Mundus contra ait: Duello tuam virtutem assere. Huic opprobrio nominis christiani, huic malo resistere debebant, qui possunt; et, ut possent, operam dare. Unus homicida ex duello, castra reatu involvit. Doctrinas a Salvatore hic datas multi ita diluunt et extenuant, ut ad justitiam scribarum et pharisaeorum delabantur, vel etiam infra eam.

v. 40. χιτῶνα· ἱμάτιον· *tunicam: vestem*) Invertuntur haec Luc. 6, 29. uti ibidem versu 44. coll. Matth. 7, 16. uva et ficus. Salvus est sensus: utrumque dimitte. ἱμάτιον pretiosius, quam χιτών. Marc. 13, 16. — σοῦ, *tuam*) jure.

v. 41. ἀγγαρεύσει) Vox Persica. *Angariare* autem poterant ii, qui publico nomine iter faciebant. vid. Vriemoet. observ. ad h. l.

v. 42. αἰτοῦντι, *roganti*) gratis sibi dari volenti, quamvis non optimo jure petat. — δίδου, *da*) uti Deus. Luc. 11, 10. — τὸν θέλοντα, *volentem*) etiamsi non valde obtestari audeat. — μὴ ἀποστραφῇς, *ne aversere*) quamvis specioso praetextu.

v. 43. τὸν πλησίον, *proximum*) Τοὺς πέλας dici πάντας quosvis alios, apud Sophoclem et Aristotelem, notat Gatakerus Adv. misc. posth. c. 10. f. 527. — μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου, *odio habebis inimicum tuum*) [*Pessima Glossa!* V. g.] Abutebantur Judaei praecepto de gentibus quibusdam exsecratis, v. gr. Deut. 23, 7. nam etiam inimicos diligere jussi erant. Placita Judaeorum de odio inimicorum exhibet Christophorus Cartwrightus l. 2. Mellif. Hebr. c. 1.

v. 44. ἀγαπᾶτε· εὐλογεῖτε· καλῶς ποιεῖτε· καὶ προσεύχεσθε· *amate: benedicite: benefacite: et orate*) Quatuor sunt haec membra, quorum secundo et tertio veteres quidam carent, *Latinus* secundo, *Tertullianus* tertio, in libro de Patientia, c. 6. Quatuor igitur legenda sunt: quanquam primo fere continetur tertium, et secundum quarto, per χιασμόν· unde Lucas secundum ac tertium transponit. Versu 46. repetitur τὸ *amare*: et τὸ *salutare* respondet τῷ *benedicere*. — ἐπηρεαζόντων) Ἐπήρεια est, quam infero non mei commodi, sed alieni detrimenti causa. vid. Not. ad Chrys. de Sacerd. p. 429. Igitur magni odii est indicium. Proprium antitheton: orate pro talibus; bona per preces eis conciliate, qui vobis bona eripiunt.

v. 45. ὅπως γένησθε, *ut fiatis*) Ita fiunt filii, quum inimicos amant, ut jam ante habeant Patrem. Ploce: Filii fiunt filii, sicut discipuli fiunt discipuli, Ioh. 15, 8. Deus Israël factus est Deus Israël 2 Sam. 7, 24. Magna comitas, quod Deus filios suos non dedignatur invitare ad sui imitationem. — ὅτι, *quod*) Ratio, sub qua Pater imitandus est. Ut Deus nos tractat et regit, sic homines inter se debent tractare et regere. — τὸν ἥλιον αὐτοῦ, *solem suum*) Magnifica appellatio. Ipse et fecit solem, et gubernat, et habet in sua unius potestate. — ἀνατέλλει· βρέχει· *oriri facit: pluit*) Pietatis est, de rebus naturalibus potius ita loqui, ut Deo acceptas referamus, quam impersonaliter dicere: *pluit, tonat*. Vid. c. 6, 26. 30. Job. 36, 27. s. cap. 37. seqq. Ps. 104. etc. Valde hoc urget Franzius de Int. p. 83. 632. *Pluvia*, magnum beneficium.

v. 46. τίνα μισθὸν, *quam mercedem*) Deus locum mercedis dandae apud nos quaerit. — τελῶναι, *publicani*) qui omnia ad quaestum referunt, sed in coelo nullum habent.

Google

v. 47. ἀσπάσησθε, *salutetis*) Antitheton v. 44. *benedicite* etc. Ipsum verbum *amandi* v. 46. iteratur ex v. 44. sed quia ethnici non item benedicunt et orant: ideo hic pro verbo benedicendi et orandi ponitur verbum *salutandi*. — ἀδελφοὺς [1]) — ἐθνικοὶ, *fratres — ethnici*) *Publicani* spectant *utilitatem* suam: *ethnici* quoque, officia *humanitatis* erga propinquos et *amicos:* et potius erga *consanguineos*. Ideo versu 46. allegantur *publicani*: versu 47. *ethnici*. — τί περισσὸν, *quid egregium*) ut decet filios Dei. [*Non securum esse convenit, qui praeter communia et vulgaria nihil facit*. V. g.]

v. 48. ὑμεῖς, *vos*) prae illis. — τέλειοι, *perfecti*) in amore, erga omnes. (Col. 3, 14.)

CAPUT VI.

v. 1. Προσέχετε) Celeusma veteribus christianis frequens, πρόσεχε σεαυτῷ. Sic enim LXX. hebraeum השמר reddunt, in Deuteronomio frequens. [*Multifaria nobis a corde nostro, mundo et satana pericula intentantur*. V. g.] — τὴν) Hoc pendet a μὴ ποιεῖν. — δικαιοσύνην, *justitiam*) Ita similem figuram habet partium subsequentium, de eleemosyna, precibus, jejunio, tractatio, ut inter se collatae valide probent, hoc seorsum versu primo non partis primae portionem haberi, sed propositionem generalem. Scopus universi sermonis hujus est, docere veram *justitiam*, c. 5, 6. 10. 20. 6, 33. eique scopo congruit haec lectio. alii, ἐλεημοσύνην. [2]) *Justitia* est totum: coll. c. 5, 6. not. sequuntur partes tres, *eleemosyna*, tanquam praecipuum officium erga proximum: *oratio*, erga Deum, v. 5. *jejunium*, respectu nostri, v. 16. Saepe hi tres respectus, erga Deum, erga nos, erga proximum, percurruntur. Rom. 2, 21. 22. 7, 12. 14, 17. 1 Cor. 6, 11. 13, 5. s. 13. Eph. 5, 9. 1 Tim. 1, 13. Tit. 1, 8. 2, 12. Hebr. 12, 12. s. — θεαθῆναι, *spectari*) *Theatrum* et *hypocrita* v. 2. sunt cognatae significationis.

v. 2. μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου, *noli tuba canere ante te*) Affectata haec atque insolens ostentatio, *buccinandi* proprie, non abhorret a moribus hypocritarum apud Judaeos. conf. v. 5. 16. Buccina poterant convocari pauperes: id in ostentationem vertit hypocrisis. — οἱ ὑποκριταὶ, *hypocritae*) *Hypocrisis* est mixtura malitiae cum specie bonitatis, qua homo vel alios vel etiam se ipsum decipit. — ἀμὴν, *amen*) Scit Jesus, quid sit divini judicii occulti. — ἀπέχουσι, *habent*) Metonymia antecedentis pro consequente i. e. non sunt accepturi ullam mercedem apud Patrem coelestem, v. 1. [*Mercedem* habent, *laudem humanam*. V. g.]

v. 3. μὴ γνώτω ἡ ἀριστερὰ, *nesciat sinistra*) tantum abest, ut buccinam teneat. Ne tu quidem, quod facis, recolas.

v. 4. ἐν τῷ κρυπτῷ, *in abscondito*) Pii lucent, et tamen latent. — ὁ πατήρ σου, *Pater tuus*) Numero singulari *Pater meus* dicere Unigeniti proprium esse, observat Ioh. Despagne: at *pater tuus* dicitur ad fideles etiam; *pater*, vel *pater noster*, a fidelibus dicitur. Conf. Ioh. 20, 17. — ἐν τῷ κρυπτῷ, *in abscondito*) Ipse est in abscondito, et sua agit in abscondito, et maxime probat, quae in abscondito fiunt. Omnis rerum veritas est in abscondito. — ἀποδώσει, *reddet*) Hoc jam, αὐτὸς, *ipse* non adjecto, retributionem a Deo, ac non ab hominibus, proficiscentem exprimit. Haec certa merces, v. 1. Illud *ipse* v. 4. et ἐν τῷ φανερῷ, *in manifesto* v. 4. 6. 18. eo consilio videntur addidisse nonnulli, ne quis construeret, *Pater tuus, qui videt id, in occulto reddet tibi*.

v. 5. φιλοῦσιν, *amant*) adeoque solent. — γωνίαις, *angulis*) ubi plateae concurrunt. — ἑστῶτες, *stantes*) quo magis conspiciantur.

---

1) *Lectionem* φίλους *margo* Editionis 2dae, *nec non* Vers. germ. *praefert lectioni* ἀδελφοὺς; *quod secus se habuerat in* Ed. maj. *d. a.* 1734. E. B.

2) *Cui lectioni minorem aliquanto valorem margo* Edit. 1. *tribuerat, quam* Edit. 2. E. B

ized by Google

v. 6. ἐν τῷ κρυπτῷ, *in occulto*) In occulto et *est* et *videt* Deus.

v. 7. μὴ βαττολογήσητε) ***Battos*** plures ex antiquitate collegit Gatakerus, balbutie et inde tautologia insignes, et ex ea sic appellatos. Hesychius, βαττολογία, ἀργολογία, ἀκαιρολογία. βατταρίζειν, ἐμοὶ μὲν δοκεῖ κατὰ μίμησιν τῆς φωνῆς παποιῆσθαι κτλ. βατταρισμοῖς, φλυαρίαις. Igitur βαττολογεῖν idem, quod mox πολυλογία, quum eadem identidem dicuntur, ut solent balbi, priorem pronunciationem altera emendari putantes. — ὥσπερ οἱ ἐθνικοὶ, *sicut ethnici*) In omnibus rebus vitandus mos *hypocritarum;* in precibus, etiam *ethnicorum.* — ἐν, *in*) i. e. *dum* multa verba faciunt. Putant, multis verbis opus esse, ut deos suos doceant, et hi, si non hoc, at alio tempore audiant. conf. v. 8. ex opposito, *scil.* — πολυλογία) Idem verbum Prov. 10, 19. LXX. Ammonius, Μακρολόγος μέν ἐστιν ὁ περὶ ὀλίγων πολλὰ λέγων· πολυλόγος δὲ, ὁ περὶ πολλῶν πολλὰ λέγων· Christus etiam de multis pauca orare jubet v. 9. seqq. — εἰσακουσθήσονται, *exaudientur*) Hebr. ענה *respondere,* LXX εἰσακούειν. Deus respondet solide. c. 7, 7.

v. 8. πρὸ, *ante*) Oramus ergo, non ut doceamus Patrem, sed ut colamus.

v. 9. οὕτως, *sic*) i. e. his verbis, hac sententia: brevi appellatione Patris: brevi enumeratione rerum, quibus opus est. ***Sic*** vere orasse satis est: praecipue in *sensu,* modo hac, modo illa parte desideriis nostris citata; neque non in *verbis.* nam opponitur haec formula multiloquio, et habet verba rebus aptissima, ordinem sapientissimum, plenitudinem in brevitate admirabilem, qua v. gr. concio haec tota continetur. Materia hujus orationis, est basis totius epistolae prioris Petri. vid. 1 Petr. 1, 3. not. — πάτερ, *Pater*) Nunquam usitata in V. T. appellatio, vocandi certe casu, nam exempla, quae Lightfootus collegit, aut dissimilia sunt, aut recentia, illudque unum probant, Judaeos Deum appellavisse Patrem in coelis: quam nunc formulam Christus vere animat. Gloria fidelium N. T. *sic* orare. Ponitur hoc loco fundamentum orandi in nomine Christi. Joh. 16, 23. Patrem quisquis appellare potest, omnia orare potest. — ἡμῶν, *noster*) Singuli orant omnium filiorum Dei causa. Sed et preces horum sociatae prae solitariis hac vocula commendantur c. 18, 19. — ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *qui es in coelis*) i. e. Maxime et Optime. c. 7, 11. Mox, *in coelo* dicitur, v. 10. nec sine causa in tam brevi sermone numerus (alias saepe promiscuus, cap. 22, 30. 24, 36.) variat. Coelum h. l. dicitur, in quo voluntas Patris fit ab omnibus, qui Patri ministrant; *coeli* universi, qui unum illud quasi angustius et inferius coelum continent et amplectuntur. conf. Luc. 2, 14. not. — ἁγιασθήτω, *sanctificetur*) Petita sunt septem; quae universa dividuntur in duas partes. Prior continet tria priora, *Patrem* spectantia: *tuum, tuum, tua:* posterior, quatuor reliqua, *nos* spectantia. In illis proponimus sensum nostrum filialem, Divino juri, dignitati et beneplacito subscribentem, perinde ut plausus angelicus, Luc. 2, 14. at in his seritur nobis et metitur. In utrisque exprimitur nixus filiorum Dei de terra in coelum, coelum in terram quasi deducentium. Primum petitur ***sanctificatio*** nominis Paterni ac divini. Deus est sanctus, i. e. Deus: sanctificatur ergo, quando ita, ut est, agnoscitur et colitur et celebratur. Modus in *sanctificetur* eandem vim habet, quam in *veniat* et *fiat,* adeoque est rogatio, non doxologia expressa.

v. 10. ἐλθέτω — γενηθήτω κτλ. *veniat — fiat*) Transposuit duas hasce rogationes Tertullianus, instituti sui causa. nam in libro de Oratione, postquam illud, ***Sanctificetur nomen tuum,*** tractavit, ***SECUNDUM HANC FORMAM,*** inquit, ***subjungimus: Fiat voluntas tua in coelis et in terra.*** Tum ***Adventum regni Dei*** ad seculi finem refert. — ἡ βασιλεία σου, *regnum tuum*) c. 4, 17. not. Ap. 11, 15. 17. Sanctificatio nominis divini ex V. T. quasi derivatur in Novum continuanda et augenda apud nos: sed adventus regni Dei est Novi testamenti quodammodo proprius. Sic cum utroque petito confer Ap. 4, 8. 5, 10.

— τὸ θέλημά σου, *voluntas tua*) Semper sibi ipsi propositam Jesus habuit Patris voluntatem, faciendam per Ipsum, et per nos. c. 7, 21. 12, 50. — ὡς, *sicut*) *Pastoris erunt partes, monere fidelem populum verba illa*, Sicut in coelo, et in terra, *ad singulas referri posse singularum* (trium) *primarum postulationum, ut*, Sanctificetur nomen tuum, sicut in coelo, et in terra. *Item*, adveniat regnum tuum, sicut in coelo, et in terra. *Similiter*, Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. *Catechismus Romanus*. Sed codices, qui apud Lucam non habent, *fiat voluntas tua*, etiam hoc praetermittunt, *sicut in coelo, et in terra*. — ἐν οὐρανῷ, *in coelo*) Non rogatur, ut haec in coelo fiant, sed coelum norma est terrae, in qua aliter alia fiunt omnia.

v. 11. τὸν ἄρτον, *panem*) alimentum corporis. v. 19 s. 25 s. unde patet, non fuisse discipulos jam tum supra curas vitae evectos. Haec brevis rogatio opponitur multiloquio ethnico, eandem rem praecipue spectanti, v. 7. ponitur-que prima in iis quae ad *nos* referuntur, sicut vita naturalis prior est spirituali. Omni indigentiae nostrae consulitur hac oratione. — ἡμῶν, *nostrum*) terrenum. Panis autem spiritualis est Panis Dei, i. e. a Deo, ex Deo. — ἐπιούσιον) Dicitur ἀπὸ τῆς ἐπιούσης, *die postero;* componiturque ex ἐπὶ et ἰοῦσα. nam ex εἰμὶ (ex quo est etiam περιούσιος,) vel ex οὐσία, *essentia* vel *peculium*, componeretur ἐπούσιος, ut ἐπουράνιος etc. nam ἐπὶ non semper quidem in compositione ι ante vocalem amittit: sed amittit tamen in ἔπεστιν. Quolibet die, quod quolibet die opus est, dat pater coelestis: neque necesse est, ut det prius. Ea paterna dilatio providentissima infert appellationem τοῦ ἐπιουσίου. Denotatur ergo propagatio indigentiae nostrae, et beneficentiae Dei paternae, ut ex anno, sic ex die quovis priore in quemlibet subsequentem. conf. 2 Reg. 25, 30. λόγον ἡμέρας ἐν ἡμέρᾳ αὐτοῦ. Act. 6, 1. διακονίᾳ καθημερινῇ. *Panis*, quasi totum quiddam, per universos nobis dies est destinatus: sed *datio* in singulos dies distribuitur. Utrumque exprimit τὸ ἐπιούσιος. quod quolibet vitae meae die mihi conducibile fuit, id non necesse mihi fuit pridie ejus diei dari, sed eo ipso die: et quod postridie conducibile fuit, sat cito datum est postridie. Et sic in posterum. Ita latius se extendit significatio τοῦ ἐπιουσίου, respectu praeteritorum et futurorum, quam *crastini*. — σήμερον, *hodie*) Τὸ καθ' ἡμέραν, *quotidie* Luc. 11, 3. *Quotidie* dicimus et oramus, *Hodie*. Exprimitur fiducia et αὐτάρκεια. Sic, ἐφήμερος τροφή, Jac. 2, 15. coll. Prov. 30, 8. Sic Manna datum.

v. 12. καὶ, *et*) Tres reliquae rogationes spectant vitae spiritualis in mundo initium, progressum, exitum: rogantesque confitentur non solum de sua indigentia, sed etiam de reatu, periculo, et angustiis. Quum haec amota sunt, Deus est illis omnia in omnibus, per rogationes tres primas. — ὀφειλήματα, *debita*) *lapsus* v. 14. *peccata*, Luc. 11, 4. Conf. Matth. 18, 24. *[Non in genere tantum reatus nostros peccatis contractos deprecari nos oportet; sed qui hoc aliove singulari modo Deum offendit, is tales etiam offensas speciatim agnoscere atque deprecari tenetur, adeoque honorem Ipsi debitum deferre.* V. g.] — ὡς, *sicut*) Modo, *sicut in coelo, etiam in terra:* nunc, *in coelo, sicut in terra*.

v. 13. μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς, *ne inferas nos*) Tentatio semper est in medio: unde rogamus, non ut ne sit, sed ut ne nos ea tangat aut vincat. c. 26, 41. 1 Cor. 10, 13. — ἀλλὰ, *sed*) Sexta rogatio et septima arcte cohaerent. ideo a nonnullis habentur pro una. — ῥῦσαι, *libera*) 2 Tim. 4, 18. — ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *a malo*) a Satana. *[qui Tentator est.* V. g.] c. 13, 19. 38. — ὅτι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν. *quia tuum est regnum, et potentia, et gloria, in secula amen*) Scopus orationis dominicae hic est, ut doceamur *paucis* petere ea, quorum *indigemus*, v. 8. et ipsa oratio, etiam citra doxologiam, summam laudis divinae imbibit. Nam sanctificatur et glorificatur a nobis eo ipso coelestis Pater, dum ut Pater coelestis invocatur,

dare tantas res ab ipso eo petantur, dum omnia id ipsum solum referuntur. Celebranus Rum autem tal fere modo, quo Peregrinantes et Militantes contenti esse debemus. Ubi nil metum perveniri universum illorum Dei, nara ista in modo desiderio. *Sanctificetur nomen Tuum* &c. *Venit regnum tuum: fiat et voluntas tua.* Reminiscendi nobis *necesse: tentationem ad evitem periculo: a Malo nos liberavit. Tuum est regnum et potentia et gloria in secula. Amen.* Praeterim tempori illi, quo Dominus hanc formulam discipulis praescripsit, conveniebat erat regulis, quam hymnus. Jesus nondum erat glorificatus: discipuli videbant cupidum amplissimum regnum regionum, nullo tamen vera gratiarum actionis et respondentis. Denique nemo negat, pium et sanctum et doctrinalem in scripturis Propheticis congruentem esse clausulae istius sententiae: sed illud quaeritur, an Romana cum hoc loco his verbis praecuperaret? Sinaxeos crisis potuit certe, in versionibus locis, quid latinitati bolis plerique Graeci codices, qui sane optimae recentiores et pauciores sunt: illud potius agitur, quid primarii Graeci codices habuerint, atque adeo fons ipse, id est, ipsum graecum. Stat sibilatque, versionum fonti, interpretum, quae ejusdem regulis certe caret: sed hujus testimonii vis non nisi longi temporis usu percipitur¹). Tum latent loca Graecae textus tenta, quae illi quidem, sed exquisitissimi, Latinos fremunt. Quae in Apparatu dixi, diligenter notari perveliim; inprimis §. 5. ad h. l.

v. 14. γάρ, *enim*] Ref. ad v. 12. Vide, quanti sit, remittere proximo. Et regnum regnationis una, quinta, conditionem quondam sive restrictionem habet, sive *et* sive hujus regni ratio nobis reddatur.

v. 15. τὰ παραπτώματα αὐτῶν] Ubi hoc in loquendi praetermittitur, elegantior lenitatis, peccata hominum quae non, si cum peccatis nostris cogs Patrem conferantur, evanescere. Etiam τὰ ἁμάρτια omittunt *Latini* aliqui tractatores.

v. 16. ὅταν νηστεύητε, *quum jejunatis*] Negat esse debebat nobis quoque jejunium, non est de lege ceremoniali. — ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, neglexerunt enim quotidiana, levandi, quae ad jejunium oxymoron: ἀφανίζουσι γὰρ, *enim*.

v. 17. ἄλειψαι, *ungui* Medium. solus usque *et tuae*. Ungebantur Judaei, festis diebus. *Remove ut videant Deum servientia obstitue.* V. g.]

v. 18. τῷ πατρί, Πατρὶ] *patri.* nota sive.

v. 19. ὅπου, ubi] Ref. ad *terra*: hoc habet sitis antiquitate. [*En est hominum non panorum situs rutis, ut ad colligendum rerum terrestrium copiam in mundo esse videantur.* V. g.] ἠφανίζει ἕως ἀφανίσῃ, rubiginem dicit consumpsisse quidem quidquam, quo ferrum corrumpitur ferri, — ut ait. — *Et ut Terumor.*

v. 21. θησαυρὸς ἐκεῖ — καρδία ἐκεῖ, *thesaurus ibi — cor ibi*] Ref. ad *terra*. Alii, θησαυρὸς ἐστι — καρδία ἐστι. Consequens singularum rerum, quae plurimum antecedentia, quibus hoc cohaerent. Manet ergo plurale numerus. Singularis, *thesaurus tuus*, interpret Latino finxit sibi obrepsit, et *Graecis* et sermonis auctoribus ipsis fuit. *Thesaurus vester* dicitur, quem colligitis. Luc. 12, 34. — ἐστιν, *erit*] vel in terra, vel in coelo, ut pot est.

v. 22. ὁ ὀφθαλμὸς σωμ.] Subjectum. — ἐὰν οὖν. Sententiae ipsi con-

---

1) Quum *quae dixi dudum extra est, non h. locutor in Editione N. T.* ge, minori, quae proxime sunt dicimus *quae praedia, omnibusque Clementinae signo y notavimus: non enim minus Romani, neque etiam usuque accipiendis Instituti textus, sed interdum etiam talem signo ita indigitandi h. Hodgkins. Ita quo thesaurus non Scriptori videtur, sed Critico Ipsi, quae negantur non mentis, non tantum, sed satis etiam refutata videri queat. E. B.*

Ita Tertulla lib. v. 20. indicat, *thesaurus* etiam esse posse. *V. g.*

2) *Minimum* margo Ed. 2. *quoniam* sub *agnitio* y *indigitatus*, dominicum *Instituti relinquat*, et Vers. *quae praedia* distinctus est. E.

gruit οὖν particula, et facile a quibusdam omissa est, apud quos non potest non subintelligi. Talibus non immorabimur. — ἁπλοῦς, *simplex*) In sacris vocabulum *simplicitatis* nunquam in malam partem ponitur. simplex et bonus, intentus in coelum, in Deum, unice. Antitheton, *duobus* v. 24. Quod v. 22. 23. sub schemate proponitur, versibus seqq. propriis verbis declaratur. — φωτεινὸν, *lucidum*) quasi totum oculus.

v. 23. πονηρὸς, *malignus*) versutus, duplex, varius, philautia tinctus. coll. c. 20, 15. — τὸ φῶς) *lux* lychni, quae esse debebat. — τὸ σκότος) *tenebrae* totius corporis, quantae erunt tenebrae! Singularis, *tenebra*, veteribus non ignotus a multis Theologis in loco adhibitus, saepius conveniret simplicitati hermeneuticae. — πόσον, *quantae*) tantae, quantum corpus.

v. 24. κυρίοις, *dominis*) Sane et Deus et Mamonas *dominantur* suis, sed diversimode. — δουλεύειν, *servire*) *[plenis viribus.* V. g.] servus *esse*. — ἢ γὰρ, *aut enim*) Sermonis disjunctivi pars utraque habet καὶ consecutivum. Cor hominis neque ita vacuum esse potest, ut non serviat *aut* Deo *aut* creaturae: neque simul duobus servire. *[quamris hanc artem combinandi quamplurimi callere putent.* V. g.] nam aut haeret adhuc in odio contra Deum, aut stat a Deo: si illud, *tum* (καὶ) non potest non amare Mamonam; si hoc, *tum* (καὶ) non potest non contemnere Mamonam. Hoc potest inverti: coll. v. 22. s. ut membrum de re laudabili praecedat. Servitutem sequitur affectus et studium v. 21. — θεῷ δουλεύειν, *Deo servire*) Id describitur Luc. 12, 35. s. *[Hunc, qui solus bonus est, oderunt Mamonae serri, instinctibus naturalibus obsequentes.* V. g.] — μαμωνᾷ, *Mamonae*) Mamonas non solum dicit affluentiam, sed bona externa quamvis pauca. v. seq. *[et rel maxime, necessaria*, v. 32. *Quodsi rel tale Mamonae servitium DEI servitio resistit: quid tandem erit*, servire DEO? *Pleno scil. amore in ipsum ferri atque existimatione nunquam intermittente.* V. g.] *Mamon* a Poenis lucrum dici Augustinus notat: et sic quoque Chaldaeis.

v. 25. μὴ μεριμνᾶτε, *nolite curare*) Discipuli reliquerant omnia. unde curae se eis offerre poterant. — τῇ ψυχῇ, *animae*) Cibo sustentatur anima in corpore, quod ipsum cibo pascitur: veste corpus solum tegitur. — καὶ τί πίητε, *et quid bibatis*) Hoc a librariis facile omissum est, vel a nobis facile subauditur. Expressam *potûs* mentionem magis postulat versus 31. quam versus 25. nam v. 31. curaces loquentes inducuntur per sermocinationem, in v. 25. ipsius Domini sermo est [1]). — ἡ ψυχὴ, τὸ σῶμα, *anima, corpus*) quae Deus dedit et curat, v. 30. fin. *[Nihil tam vile est et exiguum, quod Omniscientia Ejus negligat.* v. 32. V. g.]

v. 26. 28. τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, *volucria coeli, lilia agri*) quorum curam non gerunt homines, illa saepe etiam persequentes, v. gr. corvos. Luc. 12, 24. *[Pigritiae, formicae exemplum* (Prov. 6, 6.); *curis, volucrium coeli opponendum est.* V. g.] — οὐδὲ συνάγουσιν, *neque colligunt*) v. gr. per emtionem, in posterum. *[vel etiam in alia repositoria, ut videre est in reliquis animantibus.* V. g.] — ὑμῶν) *Vester* dicit, non *eorum*. — μᾶλλον) *plus* excellitis, ut filii, quam alii homines; vel, quam vos cum ista cura reputatis. Non est pleonasmus. Valet in his consequentia a minori ad majus, h. l. et a majori ad minus, v. 25.

v. 27. τίς — ἐξ ὑμῶν, *quis — ex vobis*) Locutio Christo frequens, majestatis plena, et tamen popularis. — ἡλικίαν, *staturam*) Vid. Luc. 12, 25. 26. not. — πῆχυν, *cubitum*) ut fiat giganti similis.

v. 28. πως, *quomodo*. — αὐξάνει, *crescunt*) in magnam altitudinem. —

---

1) *Omissionem tamen verborum* καὶ τί πίητε, minus firmam *judicat margo* Ed. 2. *cujus judicium, verba ista exprimendo, sequitur* Vers. germ. E. B.

igitized by Google

οὐ κοπιᾷ, *non laborant*) ***Laborare*** remote, *nere* proxime pertinet ad amictum parandum; ut ***serere*** et *metere* ad victum.

v. 29. λέγω, *dico*) Christus vere scivit Salomonis amictum. — ὡς, *ut*) scil. *amictum est* vel *est*. — ἓν, *unum*) quodvis; nedum, uti sertum. *[**Albis vestibus Reges utebantur: easque superat liliorum albedo**. V. g.]* — τούτων, *horum*) Demonstrativum.

v. 30. δὲ, *vero*) Epitasis. Vestes ad decus et necessitatem pertinent. illud spectat mentio *liliorum* cum verbo περιβάλλεσθαι· hoc mentio *graminis* cum verbo ἀμφιέννυσθαι. — χόρτον, *gramen*) ex. gr. tritici herbescentis. c. 13, 26. Μείωσις. — ὄντα) brevissimo tempore manens [1]). — αὔριον, *cras*) interjecto tempore: tum stramen, decussis granis, igni servit. — κλίβανον, *clibanum*) ad calefaciendum. Vide Lyran. Plinius: *cortices decussi* (de lino) *clibanis et furnis praebent usum*, l. 19. c. 1. Non dicitur, *in ignem*, uti Joh. 15, 6. coll. 1 Cor. 3, 12. sed *in clibanum:* ergo non merae combustionis, sed utilitatis alicujus causa. — ἀμφιέννυσιν, *vestit*) Vestis proprie est id, sine quo nudum est corpus. gramen tametsi nullum habet extrinsecus adjacentem vestitum, tamen, quia nudum non est, sed sua superficie tegitur, ipsum sibi vestis est, praesertim summa et florida sui parte, quae exuitur, quum arescit. *[**Idem tamen etiam de maturis aristis valet, quae colore auro non absimili superbiunt**. V. g.]* — πολλῷ μᾶλλον, *multo magis*) in hac vita plerique non assequuntur Salomonis ornatum, nedum liliorum. Ergo sermo spectat ad certitudinem, non ad gradum ornatus. at in vita futura ornatiores erimus liliis. Verum ornatum in rebus quamlibet pereuntibus non debemus plane abjicere. — ὀλιγόπιστοι, *parum credentes*) ***Incredulitas*** Christo plane ignota et exosa erat. nam norat Patrem. ***Fidem*** h. l. docet. *[**Hic solus titulus est, quem Jesus, discipulos reprehensurus, adhibuit**. c. 8. 26. 14, 31. 16, 8. V. g.]*

v. 32. πάντα) haec *omnia*, et nil praeterea. — τὰ ἔθνη, *gentes*) Non modo avarorum in ethnicis, sed omnium ethnicorum curae debent a fidelibus abesse. At multi hodie non eam, quam gentes, habent αὐτάρκειαν. — ἐπιζητεῖ, *requirunt*) tanquam rem *difficilem*. Sequitur verbum simplex, ζητεῖτε, *quaerite*. — οἶδε — πατὴρ — οὐράνιος, *novit — pater — coelestis*) Argumentum a divina omniscientia, bonitate, omnipotentia. — ὑμῶν, *vester*) prae ethnicis.

v. 33. ζητεῖτε, *quaerite*) regnum, quod jam praesto est: *non difficile* acquisitu. — πρῶτον, *primum*) Qui id *primum* quaerit, mox id *unum* quaeret. — βασιλείαν· δικαιοσύνην· *regnum, justitiam*) Coelestis cibus et potus opponitur terreno, et sic quoque vestitus. quare Lucas c. 12. ut *vestem*, v. 29. sic *justitiam* v. 31. subaudiendam relinquit. quanquam etiam *justitia satiat*, c. 5, 6. — αὐτοῦ, *ejus*) Vid. not. ad Rom. 1, 17. — ταῦτα, *haec*) Ταπείνωσις — προστεθήσεται, *apponentur*) Sunt haec προσθήκη, *appendix* vitae et corporis, v. 25. ac potius regni, Luc. 12, 32.

v. 34. ἡ αὔριον, *crastina*) Monitum mire ἀστεῖον, quo cura videtur concedi in crastinum, et tamen revera tollitur. nam curaces etiam ex futuris curis praesentes faciunt: unde curam procrastinare fere idem est, quod curam deponere. Accedit prosopoeia: (conf. Ps. 19, 2.) dies curabit, non vos. Qui hoc discet, curas tandem a die ad horam contrahet, vel plane dediscet. — μεριμνήσει ἑαυτῇ) [2]) Dativus commodi, uti v. 25. μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ — τῷ σώματι

---

1) *Huc referas, quae de regione Smyrnensi habet Pl. R.* C. W. Lüdecke, in den Nachrichten vom türkischen Reich, §. 18. 21. *und in der* Beschreibung vom türkischen Reich, §. 4. p. 47 ss. *ubi inter alia memorabilia*, Pentecostes tempore omnia istic locorum viridantia apparere; sed austro celerrime oborto 24 horarum, vel bidui, ad summum tridui intervallo nihil non albere *perhibet*. E. B.

2) *Lectionem* ἑαυτῇ *pro minus firma declaraverat margo* Ed. maj.; *sed* Gnomonis *jam*

κτλ. — ἀρκετὸν, *satis*) Mirâ sane temperaturâ res adversas et secundas per omnia vitae nostrae tempora Deus distribuit. — ἡ κακία) Itaque *curae* non fuerunt initio. κακία, *aerumna:* et טוב ἀγαθός, *laetus* Prov. 15, 15. — αὐτῆς, *ejus*) etiamsi non cumuletur per aerumnam diei praeteriti vel futuri.

CAPUT VII.

v. 1. Μὴ κρίνετε, *nolite judicare*) sine scientia, amore, necessitate. Tamen canis pro cane, et porcus pro porco est habendus, v. 6.

v. 2. ἐν ᾧ μέτρῳ, *in qua mensura*) Talio. *[Cuilibet igitur, quid olim retributionis habiturus sit, non difficile est judicatu.* V. g.]

v. 3. ἐν τῷ ὀφθαλμῷ, *in oculo*) parte corporis nobilissima, tenerrima, maxime conspicua. — ἐν τῷ σῷ, *in tuo*) Rom. 2, 21 s. —

v. 4. πῶς, *quomodo*) i. e. qui convenit?

v. 5. διαβλέψεις, *transpicies*) trabe e *medio* sublata, oculo expedito. Qui, se correcto, alterum corrigit, non est judex perversus. *[Quis enim non festucam digito suo, ne dicam oculo, per manum probe subactam extrahi lubens patitur? Eadem ratio culicis et cameli.* c. 23, 24. V. g.]

v. 6. μὴ δῶτε, *nolite dare*) Hic occurritur alteri extremo. Extrema enim sunt, judicare non judicandos, et canibus sancta dare, nimia severitas, et nimia laxitas. *[Haec admonitio maxime spectat conversationem quotidianam. Publice quum talia propamuntur, leviter isti transeunt.* V. g.] — κυσὶ, χοίρων, *canibus, porcis*) *Canes* sua impuritate pascuntur; *porci* externa: 2 Petr. 2, 22. Phil. 3, 2. not. *Sancti* et *canes*, opposita. Ex. 22, 30. Canis non est fera, sed tamen animal vile. — ὑμῶν, *vestras*) Antitheton implicitum: *Sanctum*, res *Dei*: margaritae, fidelium, quae his a Deo committuntur secreta bona. — ῥήξωσιν, *lacerent*) Hoc quoque ad porcos referendum videtur. *[Pedibus margaritas, rostro sanctos infestant porci. Bonae mentis homo non semel, quae sibi sancta et pretiosa sunt, etiam aliis talia videri debere existimat, dum contraria expertus cautius agere discat.* V. g.] — ὑμᾶς, *vos*) a quibus aliud exspectabant, siliquas etc.

v. 7. αἰτεῖτε, *petite*) Contra indigentiam vestram dona petite. — ζητεῖτε, *quaerite*) quae amisistis, occulta; recipientes vos ex errore. — κρούετε) qui foris estis, *pulsate*, ut intromittamini, 2 Cor. 6, 17. fin. *Rogate, quaerite, pulsate*, nec desistite. [*Talem promissionem, quotiescunque occurrit, in usum tuum vertere, ne quaeso, Lector, cessa.* V. g.]

v. 8. πᾶς, *omnis*) petens, ab homine: multo magis a Deo.

v. 9. ἢ, *an.* — ἐξ ὑμῶν, *ex vobis*) Parabolae sunt maxime populares, ad hominem. — ἄνθρωπος, *homo*) non plane inhumanus. — ἄρτον, *panem*) Pani extrinsecus similis est lapis (ad cibum inutilis;) et pisci, anguis (noxius.) pisce facilius caret puer, quam pane: et tamen etiam piscem impetrat. pisces dabantur, ut hodie poma. — μὴ λίθον, *num lapidem*) Non enim nec panem nec lapidem dabit parens rogatus.

v. 11. ὑμεῖς, *vos*) Christus jure se excipit, praeterea neminem. *quis homo* etc. v. 9. — πονηροὶ, *mali*) Illustre testimonium de peccato originali. conf. *malus*, cap. 6, 13. [*Hunc imitantur homines, divinae indolis expertes.* V. g.] Talem *malitiae* confessionem habet Greg. Paneg. p. 20. 146. rara illo seculo emphasi. Homo *male* audit in Scripturis, c. 10, 17. Joh. 2, 25. Matth. 16, 23. Rom. 3, 4. etc. Mirum ideo, Scripturam sacram a genere humano esse receptam. pa-

---

Ed. I. d. A. 1742 itemque margo Ed. II. *subsequente* Vers. germ., *mutato judicio lectionem* τὰ ἑαυτῆς *constituunt sequiorem.* E. B.

Digitized by Google

nis et piscis, bona: homo, malus, ad nocendum promtus. [*Mirum sane, patrem humanum filio piscem petenti anguem non porrigere.* V. g.] — οἴδατε, *nostis*) discriminantes panem a lapide etc. Mirum est, mansisse in nobis hanc *intelligentiam*. Ita mali sumus, conf. Job. 39, 17. cum anteced. — ἀγαθὰ, *bona*) et innoxia, et conducibilia. [*ipsumque adeo bonum Spiritum.* V. g.] — τέκνοις, *liberis*) praesertim *rogantibus*. — ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *qui in coelis*) in quo nulla est *malitia*. — τοῖς αἰτοῦσιν, *rogantibus*) *filiis*. Ubi incipit vera *rogatio*, ibi divina *filiatio*.

v. 12. οὖν, *ergo*) Summa rerum a v. 1. Simul concludit, et redit ad c. 5, 17. Respondent ultima primis. Et debemus nos imitari bonitatem divinam versu praec. laudatam. — θέλητε ἵνα ποιῶσιν, *vultis ut faciunt*) *Vultis:* notanter. nam saepe faciunt secus. sic non nos. *Faciant*, benefaciendo, non laedendo. — οἱ ἄνθρωποι, *homines*) Indefinita *hominum* appellatio, a Salvatore frequenter adhibita, jam alludit ad futuram ejus doctrinae in toto genere humano propagationem. — οὕτω, *sic*) easdem res, eodem modo. vel: *sic*, ut hactenus dictum est. — οὗτος, *hic*) Multa etiam alia lex et prophetae praecipiunt, v. gr. de Deo amando. Sed tamen huc quoque inprimis tendit lex et prophetae: *quod tibi vis* etc. et qui hoc praestat, cetera omnia facilius praestat. c. 19, 19.

v. 13. εἰσέλθετε, *intrate*) Id agite, ut plane intretis. [*in vitam, in regnum coelorum.* V. g.] hoc praesupponit ambulare conantes in via angusta. Antitethon, *intrantes*. — στενῆς, *angustam*) justitiae. — πύλη, *porta*) Haec ponitur ante *viam:* est ergo porta, h. v. qua homo incipit qualicunque modo operam dare saluti animae: sicuti v. seq. est porta, qua suscipitur verus christianismus. — ἀπάγουσα, *abducens*) ex hac brevi vita: sic v. seq. — πολλοὶ, *multi*) [*quamvis eorum plurimi alia omnia sibi persuadeant.* V. g.] 4 Esr. 9, 15 ss. — οἱ εἰσερχόμενοι, *intrantes*) Non opus est, ut inveniant. nam sponte sua incidunt in perniciem. coll. v. seq. — δι αὐτῆς, *per illam*) *portam*.

v. 14. ὅτι στενὴ) Multi, τί στενή· quomodo 2 Sam. 6, 20. מה כי דבד היום מלך ישראל. Sed ibi est ironia. Lectio genuina, ὅτι πλατεῖα — ὅτι στενὴ κτλ. Sic 1 Reg. 21, 15. geminatur כי ὅτι οὐκ ἔστι ναβουθαὶ ζῶν, ὅτι τέθνηκε. כי posterius valet *sed*, et sic exprimitur a LXX Dan. 9, 18. 2 Chron. 20, 15. Vid. etiam Hebr. 8, 10. s. [1]). — αὐτὴν, *illam*) portam. coll. v. 13. initio et fine.

v. 15. προσέχετε, *carete*) Multa sunt pericula: ideo saepe admonemur. c. 6, 1. 16, 6. 24, 4. Luc. 12, 1. 15. etc. — δὲ, *autem*) [2]) Dum ipsi datis operam, ut intretis; cavete eos, qui claudunt, c. 23, 13. — ψευδοπροφητῶν, *pseudoprophetis*) qui aliter docent, ac veri prophetae. c. 5, 17. [*Conf.* v. 12. *Qui iniquitatem operatur, utut prophetet in nomine Christi* (v. 22.), *falsus tamen propheta est. Hodie qui pharisaeos et falsos prophetas exprobrare amant, ipsi sunt tales.* V. g.] — οἵτινες — αὐτοὺς) Simillimus locus, Luc. 20, 45—47. ἐνδύμασι προβάτων, *vestimentis ovium*) iis vestibus, ut si essent oves.

[3]) v. 16. ἀπὸ, *a*) Hoc graviter repetitur v. 20. — καρπῶν, *fructibus*) *Fructus* est, quod homo, tanquam arbor, ex bona vel mala indole sua, omnes interiores facultates permeante, scaturit. Doctrina undecunque compilata et linguae alligata non est fructus: sed id omne, quod doctor aliquis ex suo corde promit et profert, in sermone et actione, ceu quiddam ex intima sua constitutione fluens, ut lac, quod mater praebet ex se. c. 12, 33. ss. Hoc est, *facit*, v. 17—19. coll. v. 21. 23. 24. 26. Prophetam verum aut falsum *constituit* non loquela sola, sed tota ratio *ducendi* se et secum alios per utramvis viam et por-

1) Εἰς τὴν ζωὴν dicitur; vita enim praesens non omnino est vita. V. g.

2) *Omissionem tamen particulae hujus facilius concedit margo* Ed. 2. N. T., *quam* Editio major. E. B.

3) Ἔσωθεν δὲ] *Interiora* spectat verum judicium. *V. g.*

tam in vitam aut in interitum. c. 15, 14. 13. unde facere et dicere sunt intime conjuncta, c. 5, 19. Porro fructus sunt *gnorismata* sive criteria veritatis aut falsitatis prophetae, adeoque etiam doctrinae a propheta propinatae. Igitur doctrina non est fructus, ex quo propheta cognoscitur: sed est forma, quae ei dat esse veri falsive prophetae, et ipsa ex fructu cognoscitur. Bonitas arboris ipsius est veritas et lux interna etc. Bonitas fructuum est sanctitas vitae. Si fructus essent in doctrina positi, nullus orthodoxus damnari posset, aut causa esse interitus alieni. v. *Schomer* Theol. moral. p. 252. — ἀκανθῶν, *spinis*) etsi earum baccae sunt uvae similes; ut tribulorum capita, ficis. Luc. 6, 44. eadem comparatio aliter inflectitur. nam ἄκανθα, *spina*, et βάτος, *rubus*, valde inter se propinqua sunt. Utrique ergo negatur σταφυλή, *uva*. Ἄκανθαι, *spinae* quaedam etiam magna habent germina: ideo et illis et *tribulis* possunt negari *ficus*.

v. 19. δένδρον, *arbor*) Continuatur allegoria. [*Nemo verus propheta gehennam intrat: coelorum regnum nemo falsus.* V. g.]

v. 21. οὐ πᾶς, *non omnis*) Omnes enim aliquo modo dicunt et dicent, v. seq. Conf. Luc. 9, 57. 59. 61. — λέγων, *dicens*) Antitheton: *faciens*. Conf. 1 Cor. 9, 27. 13, 1. s. — μοι, *mihi*) Sensus: *mihi* (et Patri meo) *voluntatem Patris mei* (et meam.) — κύριε, *Domine*) Agnovit Jesus, deberi sibi appellationem hanc divinam. Ipsum multi, etiam amplissimi viri, ipse neminem, ne Pilatum quidem, *dominum* vocavit. — ὁ ποιῶν, *qui facit*) Antitheton, *operantes*. v. 23. (*Conf.* c. 21, 31.) — τὸ θέλημα, *voluntatem*) quam ego praedico, justam, *lege* expressam. conf. c. 5, 19. — τοῦ ἐν οὐρανοῖς, *qui in coelis*) Igitur coelum nemo contrarius Deo intrabit. — ἀλλ᾽ ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς, οὗτος εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis, hic intrabit in regnum coelorum*) [*Vid. App. Crit. Ed. II. ad h. l.*] In tali antitheto plenum sermonem adhibere solent scriptores sacri.

v. 22. πολλοί, *multi*) etiam ex iis fortasse, quos posteritas *Beatos Sanctosque* habuit et haberi jussit: ex iis certe, qui rara dona habuerant, et qui bonam interdum voluntatem ostenderant: Marc. 9, 39. qui divinam potentiam vel sapientiam, ac non misericordiam apprehendunt. — ἐροῦσι, *dicent*) ex sua persuasione, assentati sibi. Multae animae errorem, quo se ipsae decipiunt in illum usque diem retinent: c. 25, 11. [*Misera, prius, expectatio: horrendum, deinceps, judicium!* V. g.] Illustrari hinc potest doctrina de statu post mortem. In judicio demum patefient omnia, Rom. 2, 16. 1 Cor. 3, 13. — ἐκείνῃ, *illo*) die, magno: illo die, ad quem dies citeriores veluti nulli sunt. — σῷ, *tuo*) Huc cadit emphasis atque accentus in his tribus incisis: *tuo*, Domini. — προεφητεύσαμεν, *prophetarimus*) mysteria regni tui pronunciavimus. adde: commentarios et observationes exegeticas ad libros et loca V. et N. T. scripsimus, homilias insignes habuimus etc. — δαιμόνια, *daemonia*) Non dicitur, *diabolos*. nam hoc tantum singulare est.

v. 23. τότε, *tunc*) etsi non antea existimarant. — ὁμολογήσω, *fatebor*) aperte. Magna *potestas* hujus Dicti, v. 29. — οὐδέποτε, *nunquam*) etsi *nomen* meum allegatis. — ἐργαζόμενοι, *operantes*) Ne tum quidem mutata erit iniquitas eorum. — ἀνομίαν, *iniquitatem*) quantumvis νόμον *legem* jactent. Infidelitas proprie damnat: et tamen in judicio magis allegatur lex, c. 25, 35. 42. Rom. 2, 12. quia reprobi ne tum quidem, cum Jesum Christum cernent, fidei rationes perspicient.

v. 24. ὁμοιώσω, *assimilabo*) Versu 26. *assimilabitur*. Salutaria Deus ad se refert: mala a se removet. c. 25, 34. 41. — φρονίμῳ, *prudenti*) Justitiam veram sua sponte comitatur vera prudentia. conf. c. 25, 2.

by Google

v. 25. καὶ, καὶ, καὶ, *et, et, et*) In novissimis hominis et mundi concurrunt tentationes. *pluvia*, in tecto: *flumina*, in imo: *venti*, ad latera. [*Quaeris hic judicia immunitur: praesertim extremum. Vix quidem, sed* servatur *tamen justus.* V. g.] — ἡ βροχὴ, *pluvia*) Articulus significat, pluviam non defuturam. — προσέπεσον, *irruerunt*) ad tentandum. v. 27. προσέκοψαν, *impegerunt*, quasi temere.

v. 26. ἀκούων, *audiens*) Qui nec audit, nec facit, plane non aedificat. — ἐπὶ τὴν ἄμμον, *super arenam*) [*haud minori negotio, quam prudens.* V. g.] quae saepe petrae videtur similis, sed non consistit.

v. 27. μεγάλη, *magna*) Sane! totalis! Non opus est, omnes homilias desinere in usum paracleticum.

v. 28. συνετέλεσεν, *consummarit*) Nihil abrupte egit Dominus. c. 11, 1. 19, 1. 26, 1. — ἐξεπλήσσοντο, *percellebantur*) Admirabilitas doctrinae verae solida; Act. 13, 12.: profanae, absurda. Mirere fortasse, cur hac homilia non clarius locutus sit Jesus de persona sua. At 1. doctrinam ipsam ita excellenter explanavit, ut inde de excellentia prophetae existimarent. 2. Jam erat persona ejus satis patefacta. 3. In ipsa homilia satis innuit, quis sit, nempe *is qui venit*, Filius Dei, judex omnium. c. 5, 11. 17. 22. 7, 21. seqq.

v. 29. ὡς ἐξουσίαν ἔχων, *ut potestatem habens*) Non poterant se subducere. [*Docentis majestatem sentiebant et vim verbi.* V. g.] Veritatis character, animos constringere lubentes. Specimina ἐξουσίας *potestatis* vide in not. ad cap. 5, 3. 18. ss. 7, 22. s. item c. 8, 19. Joh. 7, 19. — γραμματεῖς, *scribae*) [1]) quibus assueverat populus, nullam habentibus *potestatem*.

CAPUT VIII.

v. 1. Ἠκολούθησαν, *secuti sunt*) non statim recesserunt.

v. 2. λεπρὸς, *leprosus*) Morbi gravissimi: *lepra*, h. l., coll. 2 Reg. 5, 7. *paralysis*, v. 6. (coll. Marc. 2, 3.) *febris*, v. 14. Omnes sanavit Jesus. Probabile est, leprosum [*quem Matthaeus justo narrationis ordine inter sermonem montanum et servum Centurionis collocat*, Harm. p. 252.] eminus auscultavisse. — ἐὰν, *si*) Non dubitat leprosus, sed modeste eventum a sola voluntate Jesu suspendit. Fides dicit, *si vis:* non, *si potes*, Marc. 9, 22. — δύνασαι, *potes*) Inprimis initio objectum fidei erat omnipotentia Jesu. Hanc fidem concipere potuit leprosus ex sermone ejus.

v. 3. τὴν χεῖρα, *manum*) cui lepra debuit cedere, alios, qui tangerent, inquinatura. — θέλω, *volo*) Resp. *si vis*. Echo promta, ad fidem leprosi maturam. Ipsa leprosi oratio continebat verba responsionis optatae. *Volo*, magna potestas. Prima miracula Dominus confestim fecit, ne videretur cum labore fecisse: posteaquam vero auctoritatem sibi constituit, moram interdum adhibuit salutarem hominibus.

v. 4. μηδενὶ, *nemini*) antequam sacerdotem adieris, ne sacerdotes, si prius audissent, negare possent, lepram recte esse mundatam: *nemini* eorum, qui non adfuerant. — σεαυτὸν, *te ipsum*) non per alium. — εἰς μαρτύριον, *in testimonium*) Joh. 5, 36. Sic LXX. μαρτύριον, Ruth. 4, 7. Sacerdotes non sequebantur: Jesus ad eos mittit, ex Galilaea Hierosolymam. multum versabatur tum in Galilaea. — αὐτοῖς, *illis*) ut testimonium illis exhibeatur, de Messia praesente, legi non derogante: et ut illi possint testimonium reddere.

v. 5. προσῆλθεν αὐτῷ ἑκατόνταρχος, *accessit ad eum centurio*) Non adiit Jesum centurio, quem etiam coram non ita laudaturus fuerat: v. 10. coll. c. 11, 7.

---

1) *Lectionem pleniorem* οἱ γραμματεῖς αὐτῶν καὶ οἱ φαρισαῖοι *breviori huic aequalem fere censet margo* Edit. d. A. 1753. E. B.

Digitized by Google

etiam alios quidem coram Jesus laudavit, sed non nisi post antegressam humiliationem, neque tam singulariter et comparative, ut hic centurionem in contradistinctione ad totum Israëlem. et quae reverentia centurionem movit, ut se dignum negaret, cujus sub tectum intraret Dominus, eadem ipsum retinuit, ne ad Illum iret: v. 8. Luc. 7, 7. 10. [*Unam eandemque apud Matthaeum et Lucam historiam esse firmiter demonstrarit* b. D. Hauberus *in den* harmon. Anmerk. p. 72. Harm. p. 255.] Videtur exisse domo, sed antequam ad Jesum perveniret, retulisse pedem. Voluntas igitur ejus pro ipso facto, ac pluris, divinitus aestimabatur: et hanc aestimationem praeclare exprimit Matthaeus, sublimiori divinae quam humanae historiae lege. In spiritu colloquebatur Jesus et centurio vere.

v. 6. λέγων, *dicens*) Conf. c. 11, 3. Luc. 14, 18. — παραλυτικὸς, *paralyticus*) Paralysis morbus difficilis medicis.

v. 7. ἐλθὼν, *veniens*) Divinâ sapientiâ Jesus eos sermones proponit, quibus elicit confessionem fidelium, eosque antevertit. Causa, cur homines illorum temporum multo celeriorem, majorem, frequentiorem effectum verborum coelestium acceperint, quam hodie. Ad servum centurionis ostendit se venire paratum: ad filium regii non promittit. Utroque modo fidem excitat; simulque ostendit, se non esse personarum acceptorem.

v. 8. στέγην, *tectum*) quamvis non sordidum. coll. Luc. 7, 5. Erant alii, quos reverentia non deterruit a conspectu contactuque Domini. c. 9, 18. 20. Unus idemque affectus internus variis iisque bonis modis sese potest exserere. — εἰπὲ λόγῳ, *jube verbo*) Sic morbum, Dominico jussui cessurum, centurio exprimit. Pauci, εἰπὲ λόγον, remissius. — ἰαθήσεται, *sanabitur*) Centurio respondet verbo glorioso: Jesus humiliter dixerat, θεραπεύσω, *curabo*. — ὁ παῖς μου) Humaniter loquitur. non dicit, ὁ δοῦλός μου.

v. 9. καὶ γὰρ, *nam etiam*) Potuisset ratio excipere: servus et miles imperium libere audiunt; morbus non item. sed hanc exceptionem concoquit sapientia fidelis, ex ruditate militari pulcre elucens: et potius ea, quae spem confirmant, quam quae frangant, conspicit, ex summo Christi dominio et imperio, qui et mari ventisque et morbis imperabat, v. 26. Luc. 4, 39. Ipse jubet: res fit. Centurio potest imperare militi et servo: morbo non potest. Dominus vero imperare morbo potest: idque, humanitus loquendo, facilius, quam voluntati hominis saepe contumacis. — ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, *homo sum sub potestatem*) Non dicit, *Ego sum praefectus militum:* sed, quum alios sibi subjectos commemorare necessum habet, προθεραπείαν adhibet, *egomet subjectus sum.* Latet simul antitheton: Jesus est Dominus supremus, *souverain.* — ὑπὸ, ὑπ᾽, *sub, sub*) Tales hodie vocantur *subalterni.*

v. 10. ἐθαύμασε, *miratus est*) Objectum admirationis Christi: fides et infidelitas. Marc. 6, 6. Jesus valde laudat amicos suos, ubi locus est. c. 11, 7. 15, 28. 25, 35. 26, 10. Luc. 7, 44. 21, 3. — ἐν τῷ ἰσραὴλ, *in Israële*) populo. Neque centurio neque Cananaea ex Israële erat: sed erga Cananaeam videri possit Dominus majorem postea adhibuisse protestationem. Etenim illa aperte venit ex gentium finibus: sed centurio habitarat in Israële; et centurio ipse id occupavit, quum se dignum negavit, et seniores Judaeorum interposuit. Luc. 7, 3. s. — τοσαύτην, *tantam*) praesertim cum centurio non tam saepe versaretur cum Jesu. Ea fides erat specimen fidei, qua gentes forent superaturae Judaeos. — πίστιν, *fidem*) Ex hac prima in N. T. fidei mentione colligi potest, *fidem* et in intellectu et in voluntate esse, perinde ut *infidelitatem,* consilium, liberum arbitrium. conf. Concordantias in πείθω. Ex omnibus virtutibus eorum, qui Dominum adibant, Ipse unam solet *fidem* laudare, c. 15, 28. Luc. 7, 50. [*Quo major humilitas, eo major fides.* v. 8. Luc. 17, 5. 10. V. g.] — εὗρον, *inveni*) quaerens, cum veni.

v. 11. πολλοί, *multi*] non — juduei, centuriones soldati. Id pertinet ad secundandam Judæorum æmulationem. — ἀπὸ ἀνατολῶν, *ab oriente*] C. 2, 1. *ab oriente et occidente*, Luc. 13, 29. — ἐν τῇ βασιλείᾳ, *in regno cœlesti*] Projectio: «mensi, in spiritu [*et Abr.* V. g.] — βασιλεία, *regnum*] Hebr. 12, 23. (*cum Patribus tuis*, Hebr. 11, 9. V. g.) — βασιλεῖς, *reges*] in hac vita et in futura.

v. 12. υἱοὶ τῆς βασιλείας, *filii regni*] regni privati. Alio significatu eadem appellatio c. 13, 38. — σκότος, *tenebræ*] Quicquid est extra *regnum Dei*, est *externa*. Regnum *Dei* lucem, et *regnum lucis* est. Tenebræ illæ non modo oculum, sed etiam mentem tetercima caligine offundent. — ἔξωτερον, *exteriores*] quo homo intellectu tenebras intret ore: ideo conventionem locum accipit tenebras circa quæ. Et quo quisque propior est regno, eo magis tenebrarum foras in intima tenebrarum partes: — ἐκεῖ, *ibi*] demum. Extra locum cruciatus, humilemque. — κλαυθμὸς καὶ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, *fletus et stridor dentium*] Fletus plorabundi, quos nunc hic — *ridebitis*, Luc. 6, 25. Alter: Molles febrent: duri frement. Ita temperamenta. Eadem phrasis Act. 7, 54.

v. 13. ὡς ἐπίστευσας, *sicut credidisti*] Prolixa concessio.

v. 14. ἐκβλῆθησαν, *serrum*] Vis ardens Petræ ostenditur daxerit, et erraxit, qui eum cunum pinguit: (*quamquam seniorum relegia fuisse, vero non est*) *ebrietas*. Harm. p. 337.] una omnes discipuli erant adolescentes, tamquam parentari curam in mundo. Joh. 21, 18 [1]. Huc probe tenendum in omni historia evangelica. (*Etenim jeremias discipulorum setatem, earumque præsidium et statum pulchrum qui perpendet*.) *in complectendis historiis, in distinguendis ab ipsis commissarum, facile vesaius datur, pro iste temporis rationa non plus fuisse ab iisdem requiri, neque paucis sese difficultates exsuscitare sentiet*. Harm. l. c.] — παράσσων, *febricitem*] in ipso paroxysmo.

v. 15. ἁψάμενος χειρὸς, *manu tetigit*] officio unius familiæ hospitalior, amitatis verso signo lecto. Haruræa et Lucas nentionem faciunt discipulorum de aurea Petri cognatione: unde subjicimus, *hexaëm scrip. ministrabat ei*. Domino est discipulis. Matthæus de una tantum loquitur. Sed *socrus* utriusque: eadem ex parallelismo ellum est. (*Plus sensui Petri socrum febri libertatem esse, quam omnium cognati; qui Spiritu sancto ducebatur, ut ejus mentionem per Salvatorem sanatio sua morbo redenata, sat a majori mala periculum imminebat*. Neque, ut *reliqui, ne ad communefacti socrum Petri; quæ si febri domo correpta fuisset, brevissima id post privatos sanationem intervallo erumpit, absque dubitatis adhuc recentes cum aliis debitore patuisset, an febris (*pro criteria morbis alterumve solem*) plene subiisset finita*]. Harm. p. 337.]

v. 16. ὀψίας, *vesperi*] ejus diei, quo tam multa erant dicta et facta. Vespertino tempore solent morbi esse graviores. — τὰ πνεύματα, *spiritus*] id est, *dæmonia*. — λόγῳ, *verbo*] solo. — πάντας, *omnes*] sine exceptione; quem homines interdum habere fremuit salubrem et benignum manum contra quosdam dumtaxat morbos.

1) De Joda facte id colligo ex Ps. 109, 8. 9. Jacobi et Johannis strepitu passus. Zebedæus et Salome, itidem superstites erant. Harm. p. 336.

v. 17. ὅπως πληρωθῇ, *ut impleretur*) Medicum spiritualem decuit etiam corporis morbos depellere ab iis, qui ei occurrebant. [*et quorum insignis multitudo subinde memoratur*. Matth. 4, 23. 9, 35. s. (Luc. 4, 21.) 12, 15. 15, 30. 21, 14. Harm. p. 259]. Igitur hoc quoque modo impletum est, quod dictum erat per Jesajam. Unus homo corpore et anima constat: Una animae et corporis corruptela: Unam utrique opem, ut res ferebat, hic Medicus praestitit. — ἔλαβε, *sumsit*) abstulit a nobis.

v. 18. ἀπελθεῖν, *abire*) Ita Jesus requiem quaesivit: populo tempus dedit fructum ex doctrina ferendi; ejusque studia incendit in posterum.

v. 19. εἷς, *unus*) Ex tanta multitudine hic singularem animi motum ostendit: sed videtur tamen sectatus commoditates, scriba mollior piscatoribus. Ad tentandum veniebant frequenter scribae.

v. 19. 21. εἶπεν, *dixit*) Jesu Christi doctrina plane oppugnat voluntatem hominum propriam. Sequi, sed non recte, aut non tempestive, conantes, sapienter amandavit: Marc. 5, 18. sequi tergiversantes, sequi se jussit. Aliter scribas tractavit, aliter discipulos. Luc. 9, 57—62. — διδάσκαλε, *doctor*) Eos, qui humano jure *Rabbi* et *Domini* vocabantur, non sic appellavit Jesus, sed ab illis sic appellatus est merito. Marc. 5, 35. Joh. 3, 2. 4, 49. Matth. 8, 6. Apostoli auditores appellavere *fratres* et *patres:* Jesus non sic appellavit.

v. 20. καὶ, *et*) Non repellit Jesus hunc hominem, sed conditionem proponit, qua intentionem ejus corrigat, vitae commoditatem opesve quaerentis, vel etiam facultatem patrandi miracula. — ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *filius hominis*) Vid. ad c. 16, 13. — οὐκ ἔχει, *non habet*) Admiranda paupertas et tolerantia, cum peregrinatione perpetua. [*Neque proprium Ipsi domicilium fuit, neque sedes fixa alicubi.* Marc. 1, 45. *Sequi Eum, quocunque iret, facilius justo aestimavit Scriba.* Harm. p. 269.]

v. 21. μαθητῶν, *discipulorum*) ex numero eorum, qui non semper aderant.

v. 22. τοὺς νεκροὺς, *mortuos*) Locutio sequelam valde urgens, et idcirco multa complectens. Considerandi veniunt *mortui sepeliendi* et *mortui sepelientes*. *Mortui sepeliendi* sine dubio sunt proprie mortui, sive pater discipuli hujus jam tum mortuus erat, sive senex, morti vicinus, et, praeter hunc unum filium, orbus. conf. Tob. 14, 12. *Mortui sepelientes*, sive, quibus sepultura mortuorum suorum relinqui debeat, sunt *partim* ipsi quoque mox morituri, mortales, addicti mortalitatis legi, coll. Rom. 8, 10. praescindendo a spe vitae melioris, nec tamen sublata ea spe. Appellatio ex contextu limitanda: uti Luc. 20, 34. *filii seculi hujus* dicuntur, qui tamen etiam salvari possunt. sic *mortui* dicuntur, qui aptiores sunt ad sepeliendum, quam ad annunciationem regni Dei. Uti cap. 9, 24. *non mortua* dicitur puella, quae mox vivet: coll. Joh. 11, 4. sic *mortui* dicuntur, qui mox morientur [1]). Tempore pestis, mortui sepeliuntur ab iis, qui mox item morientur: nec multo se aliter habet tota conditio generationum mortalium, in longitudine seculorum. *Partim* sunt jam *mortui*: et horum respectu locutio est hypothetica, hoc sensu: tu me sequere, et mortuorum sepulturam vel mortuis relinque, i. e. mortui, sine sepultura per te manento. Similis locutio Ex. 21, 14.: *Homicida de altari abripiatur*, i. e. *occidatur, vel si ad altare confugerit*. Abrupta est igitur *mortuorum sepelientium* appellatio, conveniens jussui moram non ferenti, sanctas causas habenti, et ex sensu coelesti Salvatoris fluenti. Protinus totos debemus nos dedere. — τοὺς ἑαυτῶν, *suos*) necessarios Gen. 23, 4. Hic discipulus debebat abnegare patrem suum.

---

1) Mortui sunt in domo sua perennante, neque longe ab eadem absunt lugentes, sed circumcirca obambulant, donec et ipsi ingrediantur. Cohel. 12, 5. *V. g.*

d by Google

[Citius h. l. ventus et mare, quam homines, obtemperarunt Christo. Harm. p. 269. s.]

v. 23. τὸ] Articulus refertur implicite ad v. 18. — πλοῖον, *navem*) Jesus habebat scholam ambulantem: et in ea schola multo solidius instituti sunt discipuli, quam si sub tecto unius collegii sine ulla sollicitudine atque tentatione vixissent.

v. 24. μέγας, *magnus*) His periculis maritimis valde exercitata fuit discipulorum fides. — καλύπτεσθαι, *tegeretur*) Periculum ad summa venit: deinde auxilium. — ἐκάθευδε, *dormiebat*) Nullus timor in Jesum cecidit. Imo v. 26. miratus est hominum timorem, in summo periculo. Dormiebat, fessus labore diei vario.

v. 25. σῶσον, *serva*) Oratio abrupta. — ἀπολλύμεθα, *perimus*) Candoris est, quod discipuli infirmitates suas descripsere: nec tamen hoc eis difficile fuit. nam post adventum Paracleti erant alii homines facti.

v. 26. [1]) δειλοί, ὀλιγόπιστοι, *timidi, parvi fide*) Synonyma. conf. Marc. 5, 36. Non arguit discipulorum, quietem Domini abrumpentium, importunitatem, sed duntaxat timiditatem. [*In omni vita Christi nullus unquam ullius creaturae metus in omnibus, quae ipsi evenerunt, apparet.* V. g.] — τότε, *tunc*) Jesus animos discipulorum prius, deinde mare composuit. — ἐπετίμησε, *increpuit*) Satanas in hac tempestate, ut credibile est, regnarat.

v. 27. ὑπακούουσιν, *obediunt*) Conf. Marc. 1, 27. Venti et mare alias libera.

v. 28. γεργεσηνῶν, *Gergesenorum*) [2]) *Gerasa*, (dictum pro *Gargescha*,) et *Gadara*, urbes vicinae. vid. Hiller. Onom. p. 807. 812. — ἐκ τῶν μνημείων, *ex monumentis*) Obsessi fugiunt celebritatem, in qua vigent exercitia pietatis. Etiam invisibiles hospites *commorantur* in sepulcris; Marc. 5, 3. infensi, credo, maxime in impiorum sepulcris. — παρελθεῖν] ne *transire* quidem.

v. 29. τί ἡμῖν καὶ σοί, *quid nobis et tibi*) Formula alienandi. (LXX, 1 Reg. 17, 18. Jud. 11, 12. 2 Reg. 3, 13.) Hic desperationem et horribilem exspectationem confitentur, simulque hoc videntur dicere: non tecum, sed cum hominibus peccato obnoxiis negotium habere cupimus. — υἱὲ τοῦ θεοῦ, *fili Dei*) Homines opem petentes, cum fiducia appellarunt *filium Daridis:* daemones cum terrore appellant *Filium Dei.* — ὧδε, *huc*) Jus quasi quoddam eo loco daemones sibi arrogabant, et in porcos eo loco. — πρὸ καιροῦ, *ante tempus*) Potest construi cum *venisti*, vel cum *torquere*, vel cum utroque. Adulto mundi tempore, et tamen citius, quam hostis vellet, Jesus venit. κατὰ καιρὸν, Rom. 5, 6. — βασανίσαι, *torquere*) *Tormentum* est daemoniis, carere corpore, aut humano, aut bruto, quod summe appetunt invadere, ut ardorem restinguant v. 31. Praeludium hoc erat futurae subjectionis sub pedes Jesu.

v. 30. χοίρων, *porcorum*) Porcorum possessores aut ethnici erant habitantes inter Judaeos, aut quaestum appetentes Judaei.

v. 31. παρεκάλουν, *rogabant*) Aliud est petere communiter; quomodo etiam homines naturales, etiam daemones, potuere aliquid impetrare: (*coll.* Marc. 5, 10. 12.) aliud orare in fide. Etiam hosti indulgetur interdum aliquid Job. 1. — εἰ, *si*) Jam sentiebant, sibi migrandum esse. — ἐπίτρεψον, *concede*) Damnum daemonibus adscribendum, non Domino. quem quis cogeret impedire daemonas?

v. 32. ἀπῆλθον, *abierunt*) Unum Jesu miraculum, ubi poenam dedit ar-

---

1) Καὶ λέγει *et dicit*] nihil plane turbatus. *V. g.*

2) *Lectionem hanc, quam a sola* Origenis *conjectura ortam censet cel.* Michaëlis, *majoris h. l. facit* margo Bengelianus, *quam in parallelis* Marc. 5, 1. et Luc. 8, 26. E. B.

Digitized by Google

bor, ficus: unum, ubi porci: unum, ubi homines, ementes et vendentes in templo. Specimen vindictae futurae. Cetera fuere gratiae plena: et in his ipsis quoque fuit beneficium, v. gr. h. l. tuta via: regio a spiritibus, quibus obnoxia erat, liberata, illis in mare coactis: obsessi liberati: sublata copia animalis nimia, vetiti quippe comestu, et hic daemoniis obnoxii. Et rei erant Gergeseni, amittendi gregis. Jus et potestatem Jesu, res ipsa ostendit. — ἀπέθανον, *mortui sunt*) Non videtur brutum obsessum diu vivere posse. Quod homines obsessi non statim ita pereunt, beneficium est a Deo.

v. 33. βόσκοντες, *pascentes*) etiamsi non fuerant ποιμένες, *pastores* ex professo. — ἔφυγον, *fugerunt*) Daemonia non potuerant illos corripere.

v. 34. [1]) παρεκάλεσαν, *rogarerunt*) Qui rei familiaris studio tenentur, facilius pellunt, quam persequuntur. etiam avaritia timida est. Vel rogarunt, non malo animo Luc. 5, 8. [*Rogantibus certe talia Gergesenis, eorumque vicinis Gadarenis, principem tamen eorum, qui obsessi fuerunt, praeconem evangelii reliquit. Gadarenus hic, et Gergesenus alter fuerit.* Harm. p. 274.]

CAPUT IX.

v. 1. Διεπέρασε, *trajecit*) rogatus a Gergesenis. Dominus beneficia sua non obtrudit invitis. [*Et eo flagrantius desiderium sui excitavit in hominibus, quod non longiores in uno loco moras fecit.* Harm. l. c.] — ἰδίαν, *suam*) Capernaum, exaltatam Hoc incola.

v. 2. προσέφερον, *offerebant*) Tales *oblationes* factae sunt Salvatori plurimae, gratae. — αὐτῶν, *illorum*) ejus, qui ferebatur, et eorum, qui ferebant. — θάρσει τέκνον, *confide fili*) *Confide:* nec peccata tibi oberunt, nec morbus. Sic, *confide filia*, v. 22. — ἀφέωνται σοι, *remissa sunt tibi*) Sine dubio magnus erat peccatorum magnorum sensus in homine illo. [*Hoc principale beneficium fuit, cujus occasione praecipue hominum cogitationes patefactae sunt.* v. 3. 8. Harm. p. 276.] σοι habet emphasin et accentum h. l. sed v. 5. idem sermo repetitur recitative, et σοι vel σου est enclitica. [*Nunquam ista vox, ex quo homines terra tulerat, hoc modo fuerat audita.* V. g.]

v. 3. εἶπον ἐν ἑαυτοῖς, οὗτος βλασφημεῖ, *dicebant secum, Hic blasphemat*) Blasphemia est, cum I. Deo tribuuntur indigna. II. Deo negantur digna. III. Dei propria communicantur cum iis, quibus non competunt.

v. 4. εἰδὼς, *noscens*) Sic, praeter multos codices Graecos, quos primus ad hunc locum Millius notare coepit, *Gothus* quoque habet interpres, et *Curcellaei* margo. ἰδὼν olim nonnulli ex v. 2. arripuisse videntur. ἐπιγνοὺς in parallelo habent Marcus et Lucas. Sic εἰδὼς c. 12, 25. — ὑμεῖς, *vos*) Emphasis. [*Saepe quis, dum alios peccatorum arguit, peccat ipse. Et atrocissima quidem peccata vel solo* corde *committi possunt.* V. g.]

v. 5. τί γάρ, *quid enim*) In se, utrumque est divinae potestatis et potentiae; et intimus in se est peccati et morbi nexus: una, quae utrumque tollit, virtus: ratione judicii humani, facilius est dicere: *remissa sunt.* et hoc potest, quod minus videtur, qui potest dicere: *Surge*, quod majus videtur.

v. 6. εἰδῆτε, *scialis*) Hoc quoque verbum *potestatem* spirat. — ἐπὶ τῆς γῆς, *in terra*) Hic proprie locus est, ubi et admittuntur peccata et remittuntur. Terra, theatrum operum Christi ab initio. [*quin, palaestra peccati et gratiae.* V. g.] Prov. 8, 31. Ps. 16, 3. hemistichio utroque collato: Gen. 6, 5. Jer. 9, 24. (23.) Joh. 17, 4. Luc. 2, 14. Omnem potestatem, inquit, habeo in coelo, quidni etiam in terra? c. 16, 19. 28, 18. [*Et vicissim nostrum nunc est di-*

1) πᾶσα ἡ πόλις, *urbs universa*] Tantum terrena movent! *V. g.*

Digitized by Google

cere: Si potestatem illam, in terra versatus, habuit: quidni etiam resuscitatus et in coelum assumtus. Act. 5, 31. V. g.] Coelestem ortum hic sermo sapit. — ἐξουσίαν, *potestatem)* A potentia ad potestatem valet consequentia h. l. — λέγει, *dicit)* Similis flexus sermonis inter protasin et apodosin, Num. 5, 20. s. Jer. 5, 14.

v. 8. ἐξουσίαν τοιαύτην, *talem)* tam salutarem *potestatem*, de qua v. 6. eamque propinquam, in *homine* Jesu Christo. — τοῖς ἀνθρώποις, *hominibus)* tam diu cum peccato conflictatis. [*Dativus commodi.* V. g.] Lata oratio, uti v. 6. Gaudebant, unum esse in genere humano, hac potestate praeditum.

v. 9. ματθαῖον, *Matthaeum)* gente Hebraeum, et tamen publicanum. Apud Marcum et Lucam vocatur *Leri* [1]). Credibile est, Matthaeum non fuisse delectatum illo nomine, quod ut publicanus gesserat. — καθήμενον, *sedentem*) in ipso negotio. Et tamen secutus est Matthaeus [2]). Ingens miraculum et specimen virtutis Jesu. Generosum obsequium. [*aeternae laetitiae ferax.* V. g.]

---

1) *Cui quidem sententiae argumenta penitiori consideratione haud indigna opponit* J. D. Michaëlis *in der* Einleitung etc. T. II. p. m. 932. ss. *quanquam ipse suum eidem calculum olim adjecerat.* Levin *jam publicanorum principem, et Matthaeum subministratorem ejus fuisse, ex rationibus facile arridentibus suspicatur l. c. Vir eruditus. Neque tamen vel* Matthaeus, *qua fuit modestia, obsequium* Levis, *sui ex hypothesi praefecti, et hospitis in celebrato convivio principalis: vel* Marcus *et* Lucas *vocationem* Matthaei, *apostolatûs nomine insignioris, omisisse censendi sunt.* Matthaeum *a Nazarenis* Matth. 13, 55. *inter Mariae 4 filios s. consobrinos Jesu non referri, nil impedit; nam ne* Levi *quidem* (Marc. 2, 14. *Alphaeo aperte adscriptus) quaternarium istum ingreditur. Quid si* Levin, *eundemque* Matthaeum, *Alphaei quidem filium, at non ex Maria, sed alia uxore susceptum, adeoque nullo sanguinis vinculo cum Salvatore conjunctum dixeris? Ipsum certe* Etymon *personarum identitatem suadere videtur. Nam* לוי (Levi) a לוה adhaesit, annexus est, et מַתִּתְיָ vel מַתִּתְיָה (Matthaeus) *a voce Arab.* مت, propinquitatem iniit: *quae, ut opinor, haud obscure conspirant. Adde: Quali pacto* Saulus *ab ea temporis periodo, qua solenniter ad opus praeconii segregatus primitias expeditionis suae Sergium Paulum habuit, et Barnaba superior erasit,* Pauli *cognomine, ab ipso* Luca *etiam, ornatus fuit* (Act. 13, 2. 9.): *tali pacto* Levi (Luc. 5, 27.) *ab eo momento, quo solenni electione Apostolis adscriptus est,* Matthaei *nomen, apud* Lucam *itidem* (c. 6, 15.), *obtinuit. His ponderatis utra sententia praeferenda sit alteri, judicet Lector.* E. B.

2) *Series rerum haec fuisse censenda est:* Matthaeus brevi ante, ut publicanus, Jesum adiit, et jam tum, supra omnem captum suum, ad munus apostolicum vocatus est, Matth. 5, 1. Luc. 6, 15. (conf. Num. 11, 26.): unde insignis in hunc selectum publicanum Salvatoris clementia patet. Sermoni montano ut apostolus recens designatus interfuit; ubi dubium non est quin verba: *nonne idem vel publicani faciunt?* ab ipso c. 5, 46. consignata penitissime animum ejus penetraverint. Neque tamen eo ipso die quotidianam sequelam aggressus est, sed in exercendis vectigalibus aliquid adhuc negotii habuit, eam, quae Luc. 3, 13. commendatur, justitiam sine dubio observans. Magna fuit apud Judaeos publicanorum, si vel ipsi Judaei essent, detestatio, cui Salvator Matth. 18, 17. dictionem suam accommodavit. Neque tamen publicani, sive idem cum Pharisaeis sive remotior eis accessus patuerit, templo omnino prohibebantur, Luc. 18, 13. Johannes publicanos, siquidem in peragendo munere ad justitiam commoveri se paterentur, ad baptismum admisit: imo vero ne Salvator quidem publicanos facessere prorsus ab isto negotio, sed injusto Mamona amicos parare sibi jussit, Luc. 15, 1. 16, 1. 9. Traditionibus judaicis, communione ecclesiastica publicanos excludentibus, neque Christus alligatus erat neque praecursor ejus. Ac postea demum ex malevolentia in Christum severiora de publicanis statuisse Judaeos credibile est. Itaque Matthaeus ad apostolatum vocatus, nec jam tum portitorium relinquere statim jussus, fungi hoc munere potuit, usque dum ad sequelam vocaretur. Quodsi Matthaeus idem, quod Zacchaeus, ante conversionem suam fecerit: eâdem etiam, qua Zacchaeus, lege iis, quos fraudaverat, satisfacere, vel rationes etiam quascunque cum reliquis publicanis conferre debuit. *Jesus* igitur, *quum ad portitorium sedentem eum videret: Sequere me, ait. Et surgens Ipsum secutus est.* Praeter communem auditorium discipulorumque, accedentium subinde ac discedentium, turbam, *sectatores* certos Jesus in quotidianam consuetudinem (Luc. 9, 59. 18, 22. Act. 1, 21.) et duodecim *Apostolos* s. insignes regni coelorum nuncios adoptavit. Petrus et Andreas, Jacobus itidem cum Johanne, *sectatores* prius facti sunt, quam *apostoli:* Matthaeus ad *apostolicam* dignitatem citius vocatus est, quam sequelae quotidianae adsuefieret, quanquam et haec in longum procrastinari non potuit, et ne *ultra paucidos dies* procrastinata quidem re-

gitized by Google

v. 10. οἰκίᾳ, *domo*) Conf. v. 28. vel, si de Matthaei domo accipias, Marc. 2, 15. Luc. 5, 29. videtur Matthaeus hoc convivio valedixisse sociis pristinis [1]): nec jam appellat *suam* domum. — τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ, *publicani et peccatores)* qui contra praeceptum VI et VII peccarant atrocissime. — συνανέκειντο, *una discumbebant)* Suavissima communitas Jesu. [*cujus in gratiam convivium celebratum fuit, accedentibus, praeter Ipsius juseum, publicanis et peccatoribus. Pharisaeorum igitur objectio, si rel externa spectaveris, aequitate carebat.* V. g.]

v. 11. τοῖς μαθηταῖς, *discipulis)* Pharisaei agebant ex obliquo, callide, vel saltem timide. Discipulis dicebant: cur sic facit magister vester? magistro: cur sic faciunt discipuli? c. 12, 2. 15, 2. Marc. 2, 16. 18. — διατί, *cur*) Summa fuit omnium, etiam adversariorum, existimatio de sanctitate Jesu. Luc. 19, 7.

v. 12. [2]) χρείαν, *opus*) Ubique spectandae sunt χρεῖαι, *indigentiae.* — κακῶς, *male)* Sic sane *habent peccatores.* [*Infirmitatem* robori *oppositam sentis? Itaque ad medicum te converte, opem quaerens.* V. g.]

v. 13. πορευθέντες, *profecti)* in synagogam, ubi poteritis evolvere Hoseam. Saepe πορεύου, *abi,* dixit ad alieniores. Joh. 8, 11. Perquam plena decoris majestatisque et ab apostolorum modo diversa est ratio Jesu, scripturas citantis. Id enim ita facit, non ut ipse earum auctoritate nitatur, sed ut auditores ex ea convincat: magisque ea ad adversarios, quam ad discipulos ipsi credentes utitur. — μάθετε, *discite)* qui putatis, vos jam esse doctores consummatos. — ἔλεον θέλω, *misericordiam volo*) Pauci, ἔλεος θέλω, uti LXX. Hos. 6, 6. quibus cetera hujus loci verba congruunt. Saepius LXX. dicunt τὸ ἔλεος, ut Hos. cap. cit. v. 4. interdum tamen ὁ ἔλεος, ut Graeci veteres. Es. 60, 10. 63, 7. Dan. 1, 9. 9, 20. Ps. 101, (100.) 1. adde 1 Macc. 2, 57. 3, 44. maximeque in XII. prophetis, Jon. 2, 9. Mich. 6, 8. (qui locus item parallelus est cum evangelista,) 7, 20. Zach. 7, 9. denique Hos. 12, 6. Sic ὁ ἔλεος dicitur h. l. et Matth. 12, 7. 23, 23. Tit. 3, 5. Hebr. 4, 16. sed τὸ ἔλεος saepe dicit Lucas, Paulus, Jacobus, Petrus, Johannes, Judas. Mich. 7, 18. LXX, θελητὴς ἐλέους ἐστίν. Est h. l. axioma hermeneuticum; imo summa theologiae casualis c. 12, 7. In *misericordiam,* coll. c. 23, 23. et in *victimam* est synecdoche. Actus *misericordiae,* edere cum peccatoribus, ut lucrifiant. [*Tantum abest, ut poenitentiam fastidire debeas. Animae scilicet curatio est.* V. g.] [3]) — ἦλθον, *veni)* coelitus. — καλέσαι, *vocare)* Auctoritas Christi. — ἁμαρτωλούς, *peccatores)* Reponitur verbum. coll. v. 11.

v. 14. τότε, *tunc)* tempore convivii. [*et jejuniorum, ut apparet, publicorum die, non Lege quidem divina, sed privato aliquorum arbitrio celebratorum.* Harm. pag. 283.] — προσέρχονται, *accedunt)* dedita opera. — μαθηταὶ ἰωάννου, *discipuli Johannis*) Medii erant inter pharisaeos et discipulos Jesu: et

---

apse fuit. Itineri saltim in regionem Gergesenorum, publicanum hunc fortassis cognitum habentium, suscepto non interfuit: at reliqua Domini facta Capernaitica, migrationem istam antegressa et subsecuta, spectare utique potuit. Si vel maxime in sequendo Christo Apostolorum postremus fuit; sat cito tamen rem consecutus est. Act. 1, 21. *Harm.* p. 281. s.

1) Iisdemque occasionem Dominum adeundi, quae vix alio tempore tanto talium numero data fuisset, obtulisse. *V. g.* Brevi post, gloriam Jesu ex factis Ejus, et ex suscitata praesertim Jairi filia cognovit Matthaeus, c. 9, 19. neque longo posthaec intervallo, cum reliquis Apostolis, emissus est; qua occasione *Matthaeum publicanum* se c. 10, 3. dixit, et intimo gratitudinis sensu (quod pronum est) affectus memoria recoluit, quanta celeritate ex statu publicani (c. 18, 17.) in apostolicam legationem miraculis insignem Gratia ipsum transtulerit. *Harm.* p. 282.

2) ὁ δὲ Ἰησοῦς] Suppetias fert discipulis fidus Magister. *V. g.*

3) καὶ οὐ θυσίαν] Haec rigidae observationis eorum pars est, quae Lege continentur. *V. g.*

igitized by Google

a pharisaeis videntur hic fuisse excitati. [*Matthaeus enim, h. l. Johannis discipulos, Marcus* (c. 2, 18.) *eosdem cum Pharisaeis; Scribas et Pharisaeos, Lucas memorat.* Harm. l. c.] coll. Luc. 5, 33. — σοῦ, *tui*) Modeste agunt, nec de Johanne aut ipso Jesu quaerunt.

v. 15. καὶ, *et*) Magna cum sobrietate et festivitate respondet Dominus, a vestibus et vino (quorum usus erat in convivio) parabolas desumit jucundas, ad confutandam quaerentium tristitiam. — οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, *filii thalami*) sodales sponsi. [*Sponsus ipse, si 40 dies in eremo exceperis, nusquam jejunasse legitur.* V. g.] Conviviis et nuptiis conveniunt parabolae et aenigmata: quae huic quoque nuptiali tempori adhibentur. — πενθεῖν, *lugere*) *Lugere* et *jejunare* conjuncta. — ἐλεύσονται, *venient*) Significat abitum, postea futurum. — καὶ τότε, *et tum*) nec ante, nec post. — νηστεύσουσιν, *jejunabunt*) necessario et libenter. [*Haec ipsa Christianismi facies. Modo nuptiale tempus est, modo jejunii.* V. g.]

v. 16. οὐδεὶς, *nemo*) Discipulos rudes, novos et integros, nulla peculiari disciplina imbutos, sumsit Jesus. cap. 15, 2. coll. not. ad Luc. 7, 20. *vestis vetus* erat doctrina pharisaica; *nova* Christi. — αἴρει, *tollit*) et se et plura. — αὐτοῦ) *Masculinum.* — χεῖρον σχίσμα, *pejor scissura*) Ergo jam erat *scissura* aliqua. Sermo est de veste plane pannosa.

v. 17. ἀσκοὺς, *utres*) qui doliorum loco erant. Utres veteres, pharisaei; novi, discipuli: vinum, evangelium. — ἀπολοῦνται, *peribunt*) ut nec illud, nec aliud posthac vinum capiant. — ἀμφότεροι, *ambo*) Masculinum, ut in τίς, c. 23, 17.

v. 18. προσεκύνει, *adorabat*) etsi externa specie major esset Jairus, quam Jesus. [*Nullo modo fidei officit modestia.* V. g.] — ἐτελεύτησεν, *mortua est*) Ita dixit ex conjectura, aut post nuncium acceptum de filia mortua, quam reliquerat (magna vi fidei), *morti proximam.* Marc. 5. 23. — ἐλθὼν [1]), *veniens*) conf. Joh. 4, 47.

v. 20. γυνὴ, *mulier*) Statuam mulieris hujus, et Domini eam sanantis, suo aevo mansisse scribit *Eusebius* l. 7. H. E. c. 17. — ὄπισθεν, *retro*) prae verecundia. — τοῦ κρασπέδου, *fimbriam*) Num. 15, 38. LXX. int. Eam quoque legis partem servavit Jesus. A veste, quam Dominus tum gerebat, ad reliquias quascunque non valet consequentia.

v. 21. τοῦ ἱματίου, *vestem*) Mulier ex suae immunditiae sensu, absolutam Jesu puritatem agnovit. — σωθήσομαι, *servabor*) Huic verbo cogitato suaviter respondet *servavit* v. 22. [*Mirum quantum jurat, quae spiritus fidei et amoris docet, ea simpliciter agere et sine ambagibus.* c. 26, 7. V. g.]

v. 22. θύγατερ, *filia*) Erat ergo ea minus provectae aetatis. [*Veruntamen Salvator optimus eo nomine eam reprehendit, quod neglecta rogatione opem quasi suffurata esset.* V. g.] — ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, *fides tua in statum salutis te collocavit*). Ita Jesus dicere solitus est ad eos, qui salutem corporis et animae ad se ultro quasi attraxere Luc. 7, 50. 17, 19. 18, 42. quibus verbis ostendit, se eorum fidem nosse: fidem laudat et confirmat: beneficium ratum habet, et manere jubet: apud alios autem, si sine ope manserint, solam infidelitatem in causa esse significat. [*Non semel evenit, ut fidem quis habere se tum demum sentiret, quum Salvator ipsi nunciaret.* V. g.]

v. 23. τοὺς αὐλητὰς, *tibicines*) Tibiae etiam in luctu adhiberi solitae, minorum praesertim. — τὸν ὄχλον, *turbam*) Luc. 7, 12.

v. 24. ἀναχωρεῖτε, *secedite*) Id est, non hic desideratur opera vestra. Certus ad miraculum accedit conf. 14, 19. — οὐ γὰρ ἀπέθανε, *non enim mortua est*) Dixit hoc Jesus, antequam intraret, ubi mortua jacebat. Deo vivunt omnes

---

1) *Lectionem* εἰς ἐλθὼν *praefert margo* Editionis 2. E. B.

Digitized by Google

mortui, Luc. 20, 38. Et puella, ob resuscitationem mox futuram, et celeriter, et certo, et facile, non erat annumeranda mortuis olim resurrecturis, sed dormientibus. — κατεγέλων, *irridebant*) Id ipsum confirmavit veritatem mortis et miraculi. Videntur timuisse amissionem mercedis funebris.

v. 25. ἠγέρθη, *excitata est*) Resuscitavit Jesus mortuos, ex lectulo, feretro, sepulcro. h. l. et Luc. 7, 14. Joh. 11, 44. Curiosum foret quaerere de statu animarum ad breve tempus separatarum.

v. 26. ἡ φήμη, *fama*) v. 31. — ἐκείνην, *illam*) Matthaeus non scripsit hunc librum in *terra illa*. v. 31. c. 14, 34. 35. 4, 25.

v. 27. τυφλοὶ, *caeci*) Multi caeci fidem acceperunt et postea visum. Sine dubio visum ideo maxime quaesiverunt, ut, illo tempore viventes, Messiam cernerent: et cernebant cum gaudio incredibili. — ἐλέησον ἡμᾶς, *miserere nostri*) Nervosa formula. habet confessionem miseriae, et implorationem misericordiae liberrimae. Etiam ii, qui foris sunt, usi sunt hac orandi formula. [v. g. *mulier cananaea, pater lunatici, decem leprosi, etc.* V. g.] — υἱὲ δαυὶδ, *fili David*) i. e. Christe c. 1, 1. 22, 42. [*Male ipsos habuit, quod eo ipso tempore, quo filius Davidis tam diu expectatus in mundo degebat, sibi riventibus ne videre quidem Eundem concessum esset.* V. g.]

v. 28. ἐλθόντι, *venienti*) Perseverabant in orando. — δύναμαι, *possum*) Objectum fidei.

v. 29. κατὰ, *secundum*) Affirmat, non limitat. — γενηθήτω) יהי fiat.

v. 30. ἀνεῴχθησαν, *aperti sunt*) conf. de auribus, Marc. 7, 34. s. de ore, Luc. 1, 64. — ἐνεβριμήσατο, *injunxit*) fortasse, ne pharisaeis daretur occasio. conf. v. 34. [*Interdicto simpliciter parere satius fuisset: neque tamen, quantum virtus Christi expertos urgeat, non exinde colligitur.* V. g.] — ὁρᾶτε, *videte*) Verbum absolutum. neque enim hinc pendet imperativus subsequens.

v. 32. προσήνεγκαν, *obtulerunt*) hominem, qui vix poterat sua sponte venire.

v. 33. ἰσραὴλ, *Israël*) populo, in quo tam multa *apparuerunt*.

v. 34. ἐν τῷ ἄρχοντι, *in principe*) Magnitudinem miraculorum negare non poterant: magno igitur ea auctori, sed pessimo, adscribunt. [*Protervius etiam acerba ejusmodi dicta postmodum effuderunt. Quantacunque (autem) malitia eorum fuerit, oculatiores certe erant ac ii, qui neque daemones agnoscunt, neque obsessionem, neque expulsionem.* V. g.]

v. 35. τῆς βασιλείας, *regni*) Dei. — πᾶσαν, *omnem*) omnium, qui offerebantur.

v. 36. ἐσπλαγχνίσθη, *misertus est*) Animus Jesu, operum misericordiae feracissimus. [*Misericordiae opus insigne, animas miserabiles orando docendore ad sanitatem perducere.* V. g.] — ἐσκυλμένοι, *defatigati*) aegre incedentes. Verbum huic loco valde accommodatum, de quo vid. ad Marc. 5, 35. Plane debilis lectio, ἐκλελυμένοι. — ἐῤῥιμμένοι, *abjecti*) jacentes. ulterior miseriae gradus. [*Tales proprie sunt, qui Christi notitiâ destituuntur.* V. g.] Et tamen talis conditio jam est praeludium auxilii appropinquantis conf. de messe, Joh. 4, 35. — ὡσεὶ πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα, *sicut oves non habentes pastorem*) Num. 27, 17.: ὡσεὶ πρόβατα, οἷς οὐκ ἔστι ποιμήν. ποιμὴν proprie est *orium* pastor. De ovibus conf. c. 10, 6.

v. 37. ὁ μὲν) Eadem rursum dixit [*elapso anni spatio* Harm. p. 288.] ad LXX. Luc. 10, 2. — θερισμὸς, *messis*) N. T. nam in V. T. sementis erat. Joh. 4, 35. s. Et rursum praesens tempus est sementis; consummatio, messis. — πολὺς, *multa*) c. 10, 23. — ἐργάται, *operarii*) idonei, quibus dandum sit negotium.

v. 38. δεήθητε, *rogate*) Vide, quanti sint preces. Ipse Dominus messis vult se iis commoveri. Plura sine dubio obtingerent humano generi, si plures homi-

Digitized by Google

nes pro hominibus [*propiores pro remotioribus*, V. g.] promtissimae voluntati divinae occurrerent. 1 Tim. 2, 3. not. Nobis seritur et metitur. Dominus nos monet, ut ipsum rogemus; nos praevenit, ut praevenire doceat (conf. Joh. 16, 5.) et, illico, dum rogare jubet, simul desiderium inserit, quod ipse exaudit. c. 10, 1. Hi ipsi, qui orare jubentur, operarii constituuntur mox. ibid. — κυρίου, *dominum*) c. 10, 1. 13, 37. Christus est dominus messis. — ὅπως ἐκβάλῃ, *ut emittat*) ἐκβάλλειν non semper *vim* significat, uti v. 33.

CAPUT X.

v. 1. Καὶ, *et*) Cohaeret hoc cum fine cap. 9. ut repetita *orium* mentio innuit. Mittit, antequam valde rogetur — προσκαλεσάμενος, *advocans*) solenniter [1]). Non omnes omnia simul audiebant et spectabant. — δώδεκα μαθητὰς, *duodecim discipulos*) [*quorum electionem, ante sermonem montanum factam, praesupponit Scriptor sacer.* V. g.] Versu seq. *duodecim apostoli* dicuntur. Matthaeus *apostolus apostolos* uno loco appellat, hic videlicet, ubi primum *mittuntur:* semel Marcus; idque postquam primam illam *legationem* obierant: c. 6, 30. Johannes *apostolus*, nunquam; nam c. 13, 16. generali notione id vocabulum refert: Lucas, in evangelio, aliquoties duntaxat, idque eadem, ac Matthaeus et Marcus, aliisve *deinceps* magnis de causis, c. 6, 13. 9, 10. 11, 49. 17, 5. 22, 14. 24, 10. Etenim erant tum *discipuli:* idcirco sic appellitantur. At post adventum Paracleti, in actis et epistolis nunquam *discipuli* dicuntur, sed apostoli. discipuli autem iisdem in actis dicuntur, qui aut cum apostolis *didicerant*, aut ab apostolis *discebant;* et erant viri apostolici et semen totius posteritatis christianae. Act. 6, 1—21, 16., abs quo ipso loco vocabulum *discipulorum* non occurrit in N. T. sed dicuntur *fratres, christiani, fideles, sancti* etc. — ἔδωκεν, *dedit*) Apostoli gradatim profecere. magna potestas, dandi potestatem. — αὐτοῖς, *illis*) Discipuli, praesente Domino, in miraculis duntaxat adhibiti sunt aliqua ratione, c. 14, 19. 17, 27. sed miracula non fecere, c. 17, 18. nisi a Christo emissi, Luc. 10, 17. aut post abitum Christi. Joh. 14, 12. — πνευμάτων, *spirituum*) i. e. contra *spiritus*. — ἀκαθάρτων| Frequens epitheton, *spiritus immundi:* interdum πνεύματα πονηρὰ, *spiritus mali* dicuntur. — θεραπεύειν, *sanare*) ejus nomine c. 9, 35.

v. 2. τὰ ὀνόματα, *nomina*) Scriptura in enumerationibus accuratum tenet ordinem. Gen. 48, 20. Num. 12, 1. Ez. 14, 14. 20. *Noah, Daniel, Job.* Igitur series apostolorum, principum regni Christi, multo graviorem, quam ulla regum mundi *Praecedentia*, rationem (nam v. g. Petrus *primus*, non sine ordinis indicio, dicitur), neque fortuitum quicquam habet. Non dicitur: *Bartholomaeus, Petrus, Judas, Johannes, Andreas, Matthaeus* etc. observandaeque sunt quatuor quasi locationes:

---

1) Haec insignis ista Legatio est, ad quam provocat Dominus Luc. 22, 35. Etiam τοὺς Septuaginta sine crumena, pera et calceamentis misit, Luc. 10, 4. at Luc. 22, 35. non de Septuaginta sermo est, sed de Apostolis. Reditus Apostolorum habetur Marc. 6, 30. Luc. 9, 10. Hoc interim spatio non semel Dominus praesentes habuisse discipulos perhibetur, Matth. 12, 1. 49. 13, 10. Marc. 6, 1. — Facile mihi persuadeo, nullam ejus temporis memorabilem partem effluxisse Salvatori, quin aliquos certe Apostolorum suorum, ceu testes eorum, quae tum gravissime et dixit et fecit, praesentes habuerit. Neque etiam diu abfuerunt universi, coll. v. 23. Interea redierunt alius post alium; quo pacto aliqui ex τοῖς Duodecim nominari possunt οἱ δώδεκα; vel etiam penes Dominum, itinera facientem, veniendo subinde abeundoque alternarunt, usque dum unâ esse universis iterum contingeret. Videtur sane Luc. 9, 10. subinnui, reditum ipsum paullo maturius factum esse, narratione vel relatione plus semel subsecutâ. *Harm.* p. 292.

d by Google

(I.) h. l.	(II.) Marc. 3, 16.	(III.) Luc. 6, 14.	(IV.) Act. 1, 13. 26.
1. Simon	Simon,	Simon	Petrus
2. et Andreas:	et Jacobus,	et Andreas:	et Jacobus
3. Jacobus	et Johannes,	Jacobus	et Johannes
4. et Johannes:	et Andreas, c. 13, 3.	et Johannes:	et Andreas:
5. Philippus	et Philippus,	Philippus	Philippus
6. et Bartholomaeus:	et Bartholomaeus,	et Bartholomaeus:	et Thomas:
7. Thomas	et Matthaeus,	Matthaeus	Bartholomaeus
8. et Matthaeus:	et Thomas,	et Thomas:	et Matthaeus:
9. Jacobus Alphæi	et Jacobus Alphaei,	Jacobus Alphaei	Jacobus Alphaei
10. et Lebbaeus:	et Thaddaeus,	et Simon Zelotes:	et Simon Zelotes
11. Simon Cananites	et Simon Cananites,	Judas Jacobi	et Judas Jacobi:
12. et Judas Iscariota.	et Judas Iscariotes.	et Judas Iscariotes.	Matthias.

Ordo primus et tertius enumerat binos: secundus singulos: quartus mixtim. Ordo primus et tertius fere respondet vocationis tempori et conjunctioni apostolorum per paria: secundus dignitati, ante passionem Christi: quartus dignitati, post ascensionem Christi. Universi ordines habent tres quaterniones, quorum nullus cum alio quicquam permutat: tum, in primo semper primus est Petrus: in secundo Philippus: conf. Joh. 1, 42. 44. 12, 22. in tertio Jacobus Alphaei. in singulis ceteri apostoli loca permutant. Proditor, semper extremus. Primi tertiique quaternionis ratio continetur in his, quae modo dicta sunt: in secundo Matthaeus se ipsum, modeste, ponit post Thomam suum, eo ipso se scriptorem libri comprobans; nam Marcus et Lucas Thomam postponit, quanquam Lucas Thomam rursum (post confirmatam ejus fidem, Joh. 20, 27. s.) in Actis etiam supra Bartholomaeum ponit, et Philippo associat. Ex primo quaternario scripta Petri et Johannis, ex secundo, Matthaei; ex tertio, Jacobi et Judae sive Thaddaei habemus. Johannes non enumeravit apostolos in evangelio, sed in apocalypsi implicite. vid. Ap. 21, 19., et Exegesin Germ. — πρῶτος, *primus*) Primitas Petri Luc. 8, 45. 9, 32. Joh. 1, 42. Matth. 16, 16. Joh. 21, 15. Act. 1, 15. 2, 14. 8, 14. 10, 5. 15, 7. primus autem fuit *inter* apostolos, non supra apostolos: in apostolatu, non praeter apostolatum, quid hoc ad papam Romanum? non plus, quam ad quemvis episcopum: imo etiam minus. — ὁ λεγόμενος, *dictus*) Cognomen postea notius factum. — ὁ τοῦ Ζεβεδαίου, *Zebedaei*) ut distinguatur ab illo *Alphaei.*

v. 3. ὁ τελώνης, *publicanus*) Confessio humilis, Evangelistae, de se. Petrum, Andream etc. non appellat piscatores; se, publicanum appellat. — Λεββαῖος, *Lebbaeus*) *Thaddaeus* (a Chald. חד) et *Lebbaeus* (ab Hebr. לֵב) synonyma, *hominem pectorosum* denotant, Hillero interprete. Onom. p. 123. Sic *Thomas* idem, quod *Didymus.* Brevior haec lectio, et media, videtur esse germana. [*Vid. App. Crit. Ed. II. ad h. l.*] Nomen hujus apostoli erat *Judas* Jacobi: sed ut ab *Juda* Iscariote distingueretur, *Lebbaeus* quasi nomine est vocatus [1]).

---

1) *Lectionem pleniorem*, Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, *praetulerat margo* Ed. maj., *quae* Θαδδαῖος in textu *habet: breviori lectioni*, Λεββαῖος, *prima jam Editio* Gnomonis *palmam decernit; eandemque*, textui *restitutam*, *margo* Editionis 2., *cum* Vers. germ., *ita vindicat, ut de reliquis,* ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος *vel legendis vel rejiciendis, Lectori decisionem relinquat. Quod*

Digitized by Google

v. 4. ἰσκαριώτης, *Iscariotes*) *de vico* Iscariot, tribus Ephraim, ut ait Hieron. in Esai. 1, 9. ineunte. *In lingua aethiopica reperio* אִשְׁכָּרִן *pro* marsupio. *sic enim* τὸ γλωσσόκομον *interpres reddidit* Joh. 12, 6. et 13, 29. *hinc non incommode derivari potest* אִשְׁכָּרִיוֹתָא ὁ ἔχων γλωσσόκομον. *ut hoc agnomine ab ipsis apostolis distinctus fuerit ab altero Juda apostolo.* Lud. de Dieu in Act. 1, 16. — ὁ καὶ, *qui etiam*) *Etiam* significat, a proditione Judam apertissime denotari. — παραδοὺς, *tradidit*) Proditionis mentione, Matthias in apostolatu successor tacite innuitur, quem Lucas in actis appellat.

v. 5. s. ὁδὸν· πόλιν· οἴκου, *viam: urbem: domus*) Samaritanorum *vias* in itinere calcare interdum necesse habebant. [*Inter Iudaeam nimirum et Galilaeam sita erat Samaria.* V. g.] Urbes autem eorum eo minus opus erat intrare apostolos et ibi commorari, quia Dominus eis praedicarat in itinere, Joh. 4. et apostoli postea ad eos venturi erant. Initium horum mandatorum spectat legationem primam: reliqua pleraque, totum apostolatum, ad quem hic introducuntur. conf. v. 18. Eadem fere mandata dedit ceteris LXX.

v. 6. πρόβατα, *oves*) c. 9, 36. — ἀπολωλότα, *perditas*) Id plus dicit, quam *in errorem ductas.* conf. c. 18, 12. 14. Cum his apostoli satis habebant negotii. — ἰσραὴλ, *Israël*) a quo discessere Samaritae.

v. 7. πορευόμενοι, *proficiscentes*) Resp. *proficiscimini* v. 6. — κηρύσσετε, *praedicate*) Hic erant discipuli, ut studiosi theologiae, qui rudimenta ministerii ponunt, vicariasque praestant operas, postea in scholam reversuri. [*Ipsimet quidem perfecta Jesu Christi cognitione adhucdum destituti erant, postea demum de passione sua, morte ac resurrectione distinctius eos instruentis. Interim praeconium eorum, miraculis quamplurimis confirmatum, hominum animos praeparavit, ut Illi, cujus hoc nuncio spes oblata fuerat, adventanti mullo deinceps negotio victas darent.* cf. v. 23. Harm. p. 293.] — ἤγγικεν, *appropinquavit*) Summa sermonum [*poenitentiam suadentium.* V. g.] conf. Marc. 6, 12.

v. 8. ἀσθενοῦντας — δαιμόνια, *infirmos — daemonia*) Gradatio, coll. v. 1., ubi summus gradus primo ponitur. — δωρεὰν, *gratis*) Hoc stat cum v. 10. fin. Pro labore debetur merces: sed miracula et charismata vendi non debent.

v. 9. μὴ κτήσησθε, *ne acquiratis*) Sic didicere αὐτάρκειαν apostolicam. Quae jam habebant, iis uti poterant; non nova acquirere. — χρυσὸν, ἄργυρον, χαλκὸν, *aurum, argentum, aes*) pecuniam magnam aut parvam. — εἰς τὰς ζώνας, *in zonas*) quae erant etiam loco crumenarum.

v. 10. πήραν, *peram*) in qua panis, et quae ad victum pertinent, servabantur. Marc. 6, 8. — μηδὲ ῥάβδον, *neque baculum*) Marc. 6, 8. *nisi baculum solum,* qui *baculum* non habebat, non demum debebat esse solicitus de *comparando* baculo; dicitur enim, *ne acquiratis:* qui habebat, poterat secum ferre, commoditatis, non defensionis causa. — ἄξιος, *dignus*) Vicissim, digna est merces operario. τροφῆς, *cibo*) Hoc verbo continentur, quae versu 9. 10. enumerantur.

v. 11. ἐξετάσατε, *exquirite*) percontatione apud alios, et scrutinio spirituali. pii pios, impii impios facile indagant. — ἄξιος, *dignus*) quicum *maneatis.* — κἀκεῖ, *et ibi*) in domo hominis ejus, dum urbe exitis. [*Insignis inde praerogativa primitiis obtigit.* V. g.] Mutatio domorum potuisset speciem praebere hominum delicatorum.

v. 12. ἀσπάσασθε, *salutate*) dicite שלום *pacem*, v. seq. i. e. salutem. Formulas et ritus sumsit Jesus e medio: sed elevavit ad usum sublimiorem.

---

reliquum est, Judam Jacobi *cum* Thaddaeo et Lebbaeo *eundem esse, Syrisque* Adai s. Adaeum *audivisse, pluribus demonstrat.* cel. Michaëlis *in seiner* Einleitung etc. T. II. p. m. 1687. fs. E. B.

itized by Google

v. 13. ἐὰν μὲν, *si quidem*) i. e. si vos recipient. — ἐλθέτω — ἐπιστραφήτω, *veniat — revertatur*) Imperativus hoc loco proprie potest accipi, *vobis precantibus veniat: vobis non invitis revertatur.* ita vos gerite, ut veniat, ut revertatur. salutationem vestram eis propensa voluntate impertite, vel ad vos recipite. [*Solutionis et ligationis quasi praeludium hoc fuit.* V. g.] — ὑμῶν, *vestra*) cujus nuncii estis. — ἐὰν δὲ, *si vero*) contra vestram spem. — ἐπιστραφήτω, *revertatur*) per testimonium officii praestiti et augmentum tranquillitatis et virtutis spiritualis. Quod semel a Dei opulentia exiit, non frustra exiit, sed aliquem certe invenit, cui id obtingat. Solatium ministrorum, qui sibi videntur nil aedificare. Dominus his ita dicit: Illi aspernati sunt; vobis habete.

v. 14. ὃς ἐὰν, *quicunque*) quisquis paterfamilias, aut magistratus. — ἐξερχόμενοι, *exeuntes*) Non jam erat invincibilis hominum ignorantia. Hodie in majore et operariorum et auditorum multitudine non item opus est exire. — ἢ, *aut*) si in nullam urbis domum fueritis admissi. — κονιορτὸν, *pulverem*) quod poena vel pulverem *terrae* ab impiis tritae sit correptura, v. 15., a qua immunes plane esse vellent apostoli. vid. Act. 13, 51. coll. c. 18, 6. Marc. 6, 11.: *in testimonium illis*, ut sciant, sibi dictum esse, constantiam vestram videntes. Id movet spectantes et audientes. Neh. 5, 13. — τῶν ποδῶν) Hoc pendet ab ἐκτινάξατε· Pedibus calceisve adhaerere censetur culpa, 1 Reg. 2, 5. Igitur apostoli pulvere a pedibus excusso debuere declarare, remotam a se esse culpam non auscultantium.

v. 15. ἀνεκτότερον, *tolerabilius*) Ergo pejus est *non credere evangelio*, quam Sodomitas imitari. cap. 11, 22. 24. Videtur hypallage: Urbs illa in die judicii graviorem poenam subibit, quam terra Sodomorum et Gomorrorum aut pridem pertulit aut in judicio habebit. Si perbrevis repulsa tam graviter punietur; quid fiet iis, qui morosius resistunt?

v. 16. ἰδοὺ, *ecce*) *Ecce* saepe facit ad demonstrandam rem praesentem. — ἐγὼ, *ego*) Dominus vester. nolite dubitare. Salvus conductus. — πρόβατα, *oves*) inermes. — ἐν μέσῳ, *in medio*): non, *in medium*. jam estis inter lupos. — λύκων, *luporum*) qui *oves perditas* v. 6. nolent reduci. conf. c. 7, 15. de pseudoprophetis; quanquam hic appellatio luporum latius patet. — γίνεσθε, Saepe in adhortationibus hoc potius, quam ἔστε, dicitur. *eradite* tales et praestate vos. — ὡς οἱ ὄφεις, *sicut serpentes*) Pii impiis saepe videntur *serpentes*, et sic vincunt *serpentem* antiquum. — καὶ, *et*) Sic et prudens et simplex fuit David erga Saulem. [*Non raro tanquam sui omnino similes alios quis habet. At meminisse juvat, multos te pejores esse, aliquos fortassis meliores.* V. g.] — ἀκέραιοι, *sine cornu*) ungula, dente, aculeo: innoxii active atque adeo etiam passive. Complura ejusmodi activa simul et passiva sunt. Conf. Rom. 16, 19. not.

v. 17. προσέχετε δὲ, *cavete vero*) Declaratur τὸ *prudentes:* accedit que moniti extensio. nam *hominibus* est generale. Conf. Joh. 2, 24. [*Quantae sint rationes, homines cavendi, maxime tum patescit, ubi conversandum iisdem fuerit nulla consideratione externa cohibitis.* V. g.] — συνέδρια, συναγωγαῖς, *synedria, synagogis*) Synedria, ubi proceres conveniunt: synagogae, ubi etiam populus. — ἐν ταῖς) Actionem habebunt tam sanctam, quae etiam in *synagoga* (*synedrio* opposita), suscipi queat. c. 23, 34. — μαστιγώσουσιν, *flagellabunt*) Dura praedicuntur: tamen rem gesserunt apostoli. Et sic Jesus ipse.

v. 18. δὲ) ἐπιτατικόν. — ἀχθήσεσθε, *ducemini*) non ultro venerunt apostoli ad proceres. Ducti sunt. — αὐτοῖς, *illis*) Judaeis, in antitheto ad *gentes*. Quae coram praesidibus et regibus gerebantur, omnibus innotuere. — καὶ τοῖς ἔθνεσιν, *et gentibus*) Ergo hoc caput etiam ulteriora spectat, apostolatum post ascensionem Domini.

v. 19. μὴ μεριμνήσητε, *nolite curare*) Una, non curandi, cura sit. Non

omnis praeparatio ex eo nobis prohibetur. 1 Tim. 4, 15. coll. Luc. 21, 14. 1 Cor. 14, 26. Sane in re subita hodie quoque fidelis confessor curare non debet, quid dicendum sit. — ἢ, *aut*) Eleganter notatur *cura*. sed ubi τὸ *quid* obtigit, τὸ *quomodo* non deest. *Quomodo* aut *quid* includit, quicquid sub curam cadere potest: ergo maxime etiam verba, de quibus multi, rem in promtu habentes, laborare solent. Spiritus non loquitur sine verbis, v. 20. *Dabo vobis os et sapientiam*, Luc. 21, 15. Idem syntheton, aliis de rebus, Joh. 8, 28. 12, 49. 50. Rom. 8, 26. 1 Petr. 1, 11. Inspiratio verborum non ex differentia vocalarum, *quomodo*, *quid*, sed ex ipsa promissione deducitur. — ἐν, *in*) etiamsi non ante. Multi tum maxime sentiunt virtutem spiritualem, quum eam aliis impertiendi hora est. — τί pro ὅ c. 15, 32. Luc. 17, 8.

v. 20. οἱ λαλοῦντες, *loquentes*) Similis usus articuli, Joh. 6, 63. — ἐν ὑμῖν, *in vobis*) tanquam organis.

v. 21. ἀδελφὸς, *frater*) Maxime propinqui facillime scinduntur. — θανατώσουσιν, *occident*) morte atroci, etiam per magistratus.

v. 22. διὰ τὸ ὄνομά μου, *propter nomen meum*) quod mundus odit. — οὗτος, *hic*) vero. Est hoc apophthegma ex iis, quae non semel dixit Salvator. cap. 24, 13.

v. 23. τὴν ἄλλην) *alteram*. — κἂν ἐκ ταύτης διώκωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς ἑτέραν). Plenior haec lectio probatur. *App. Crit.* Ed. 2. p. 115. s. [*quanquam in margine* Ed. maj. d. A. 1734. *inter non probandas relata*. E. B.] — οὐ μὴ τελέσητε, *non perficietis*) Conf. כלה 2 Chron. 31, 1. — τὰς πόλεις, *oppida*) nedum vicos, *Israël*. v. 6. Docet, non esse periculum, ne non sint habituri, ubi praedicent; neque nimis diu uno loco manendum esse: aliis locis diutius manendi facultatem fore. — ἕως ἂν ἔλθῃ, *usque dum veniat*) De hoc *adventu vide* v. 7. et cap. 11, 1. [*Nimirum hic ipse adventus ille innuitur, quo hanc Legatorum suorum annunciationem istis diebus amplissima sua praesentia, beneficentia atque praeconio tanquam Is implevit, quem venire, Evangelium praedicare, praedicarique per alios curare oportuit*. Matth. 11, 3. 5. *Pari modo septuaginta etiam discipulos Regni divini appropinquationem nunciare jussit, subsecuta Ipsius in istis locis praesentia*. Luc. 10, 1. 9. Harm. p. 293.]

v. 25. ὁ δοῦλος) i. e. ἵνα ὁ δοῦλος γένηται ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ, ἀρκετὸν αὐτῷ ἐστίν. Zeugma. — οἰκοδεσπότην, *patremfamilias*) Revera Jesus fuit *paterfamilias*, et aluit magnam discipulorum familiam, Luc. 22, 35., perfectissimum praebens ut solitariae, sic oeconomicae vitae specimen: idemque est *paterfamilias* ecclesiae. — βεελζεβοὺλ, *Beelzebul*) *Beelzebub*, deus Ekron, 2 Reg. 1, 2. sed *Beelzebub* Graeci videntur minus potuisse pronunciare: unde LXX. verterunt βααλμυῖαν. Ipsi evangelistae graece scripsere βεελζεβοὺλ, pronunciationis, ut videtur, non etymi causa, (ut LXX., μελχὸλ, pro *Michal*,) quae causa cum interpretes non tangeret, ad sonum hebraicum redierunt. Ceteroqui זבל Hebraeis frequens, ad contemtum idolorum: sed compositum בעל זבול apud illos non reperitur. quanquam credibile est, ob parechesin ad זבול Hebraeos graece loquentes eo libentius βεελζεβοὺλ pro βεελζεβοὺβ dixisse. *Beelzebul* scribit *Tertullianus* lib. 4. c. Marcion. c. 26. ex Luc. 11. — ἐκάλεσαν, *vocarunt*) Vid. c. 9, 34. Marc. 3, 22. vocarunt Beelzebub, i. e. Beelzebubi consortem. — πόσῳ μᾶλλον, *quanto magis*) Christum magis et prius oderat mundus: atque discipuli debebant judicare, se multo magis debere illud odium subire, multo minus recusare. [*Domestici virtutis minus habent, neque insuper naevorum nihil, quos exprobrare mundus callet*. V. g.] — τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ, *domesticos ejus*) scil. appellabunt domesticos Beelzebub.

v. 26. οὖν, *igitur*) etsi eritis exosi. — οὐδὲν, *nihil*) Conf. Marc. 4, 22. Luc. 12, 2. — γὰρ, *enim*) Mundus non tam cito absorpserit vos, per quos longe

itized by Google

lateque propagabitur veritas. — κεκαλυμμένον, *tectum*) remotum a visu. — ἀποκαλυφθήσεται, *detegetur*) Messiae maxime tempore. — κρυπτὸν, *occultum*) remotum ab auditu. conf. v. seq.

v. 27. οὖς, *aurem*) unam, secreto. — ἐπὶ τῶν δωμάτων, *in summa parte domorum*) planâ. ubi loquentes vel etiam auditores versari poterant. conf. 2 Sam. 16, 22. [*Omnem timorem jubet exulare.* V. g.]

v. 28. καὶ μὴ, *neque*) Connexio: qui publice veritatem occultam praedicat, hunc mundus affligit. Qui Deum timet, nil extra eum timere debet: qui Deum non timet, omnia extra eum timet. 1 Petr. 3, 14. s. [*Mundus magnum eorum animum admiratur, qui nil timent, heroibus illum virisque dignum existimans. Atqui solus DEI timor heroismus est veri nominis, quo absente omnis, quam dicunt, animi praesentia mendax est, et inconsideratae temeritatis index.* V. g.] — ἀπὸ, *ab*) Hoc non iteratur. plus est, *timeo illum*, quam, *timeo ab illo.* — ἀποκτενόντων| Thema κτέω, inde κτένω, κτείνω, κτέννω. vid. Eustath. — τὸν δυνάμενον, *Eum qui potest*) et quidem cum summa ἐξουσίᾳ *potestate*, Luc. 12, 5. id est, *Deum.* Jac. 4, 12. — καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα, *et animam et corpus*) Duae partes hominis essentiales. — ἀπολέσαι, *perdere*) Non dicitur, *occidere.* Anima est immortalis. — ἐν γεέννῃ, *in gehenna*) Non facile est, veritatem praedicare: neque cuiquam severius praecipitur, quam ministris verbi, ut constat ex epp. ad Timotheum et Titum. Ideo stimulus admovetur efficacissimus. Plerique testes veritatis gravissimis primum terroribus divinitus excitati sunt et adiguntur.

v. 29. δύο στρουθία ἀσσαρίου, *duo passerculi asse*) *Quinque passerculi assibus duobus.* Luc. 12, 6. Causa, cur non sint timendi homines. — ἕν, unus) alter prae altero. — οὐ πεσεῖται, *non cadet*) *Cadere in terram* est interire. Vis futuri habet conditionem: si cadit, non cadit sine Patre. — ἄνευ τοῦ θελήματος τοῦ πατρὸς ὑμῶν, *sine voluntate Patris vestri*) Antiqua lectio, et latius didita, quam ut pro paraphrasi haberi debeat, cum praesertim etiam citra illud, *voluntate*, sensus constaret, uti Es. 36, 10., ἄνευ κυρίου· et Hebraei מבלעדי שמיא *sine Deo.* [*Vid. Appar. Crit. Ed. II. ad h. l.*] [1]). Huic *voluntati* ex parallelo respondent *numerati fidelium* capilli. — ὑμῶν, *vestri*) non illorum.

v. 30. ὑμῶν, *vestri*) Antitheton. — αἱ τρίχες, *capilli*) quos ipsi parum curatis. quis curat pilos pectine evulsos semel? Proverbium frequens, de re minima.

v. 31. πολλῶν, *multis*) Antitheton, *unus* v. 29. — ὑμεῖς, *vos*) etiam singuli.

v. 32. ἐν, *in*) i. e. quum de me quaeritur. Diff. a *me* et *illum*, v. seq. coll. Luc. 12, 8. 9. — ἀνθρώπων, *hominibus*) Sermo est praecipue de persecutoribus.

v. 33. ἀρνήσομαι κἀγὼ αὐτὸν) Hanc verborum seriem, jus talionis (uti v. 32.) exactius exprimentem, habent *Lat. Goth.* et cod. ms. *Byzantinus*, pluresve. nam talia plerumque neglexere codicum collatores. Alii, ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγώ.

v. 34. εἰρήνην, *pacem*) boni cum malo. — μάχαιραν, *gladium*) i. e. *divisionem* violentam, διαμερισμὸν, Luc. 12, 51. 22, 36., progredientem a discordia familiarum v. 35. ad bella et caedes.

v. 35. διχάσαι, *separare*) ex consequenti. — ἄνθρωπον, *hominem*) filium, mei *amantem.* v. 37. — κατὰ, *contra*) Ponuntur h. l. contra se ea, quae alius inter se maxime diligunt.

v. 36. ἐχθροὶ, *hostes*) Homo suos *domesticos*, propinquos, servos, familiares, habebit pro suis hostibus, si in me credent. Mich. 7, 6.

v. 37. ὁ φιλῶν, *qui amat*) ex fuga *gladii.* Gradatio, postponere parentes, liberos, et versu seq. semetipsum.

---

1) *Minus tamen firmum pleniori lectioni valorem tribuit* Editionis N. T. 2das *margo.* E. B.

d by Google

v. 38. τὸν σταυρὸν, *crucem*) *Crux*, apud Judaeos inusitata, non erat in adagio pro re adversissima. itaque hoc loco Jesus alludit ad crucem suam, quam Ipse jam tum ferebat in occulto. — λαμβάνει, *sumit*) libenter.

v. 39. ψυχὴν, *animam*) *Anima* dicit hominem respectu vitae naturalis. *animam*, i. e. Se ipsum. coll. Luc. 9, 24. 25. — ἕνεκεν, *causa*) Multi *mundi causa perdunt animam*.

v. 40. ὑμᾶς, *vos*) Gradatio descendens: *vos* (apostolos,) *prophetam, justum, minorem*. — ἐμὲ, *me*) Non modo tantundem est, ac si me reciperet: sed revera me recipit.

v. 41. εἰς ὄνομα, *in nomen*) sub hac ratione, non alio respectu. [1]). — προφήτην, δίκαιον, *prophetam, justum*) *Propheta* est, qui loquitur; *justus*, qui agit, Dei nomine, et insigni justitia fulget. c. 13, 17. 23, 29. Hebr. 11, 33. — μισθὸν, *mercedem*) Nam ostendit, se Deo aeque esse obedientem, ac si ipse quoque propheta esset. Quaeri potest, quomodo, qui ipse non sit justus, possit justum excipere, qua justum. Resp. Talis eo ipso resipiscit, et desinit esse hostis justitiae.

v. 42. μικρῶν, *minorum*) Cap. 11, 11. Zach. 13, 7. suave epitheton *discipuli*, coll. v. 41. de gemina mentione *prophetae* etc. Tales non curat mundus. Ex *minoribus* fiunt prophetae et *justi*. — ψυχροῦ, *frigidae*) Hoc sine sumtu est, et vel *in via* fieri potest. Proverbialis locutio, et antitheton ad *recipiens*. — μὴ ἀπολέσῃ, *non perdet*) Solatium ex pristinis recte factis, etiam inter pericula subsequentia. [*O immensas DEI divitias, qui tanta praemia persolvere et habet et amat!* V. g.] — αὐτοῦ, *ejus, minoris*) vel potius, *suam*. Plus est *suscipere*, quam *potare*: ideo majorem habet mercedem.

CAPUT XI.

v. 1. Ἐτέλεσεν, *consummavit*) nil abrupte egit Jesus. c. 26, 1. not. Luc. 7, 1. — κηρύσσειν, *praedicare*) omnibus locis, conf. Joh. 3, 2. seqq. [*Verbum* διδάσκειν *privatam institutionem, ut* κηρύσσειν *publicam dicit*. V. g.] — αὐτῶν, *eorum*) Israëlitarum. [*populi scilicet miseratione digni*, c. 9, 36. V. g.]

v. 2. τοῦ χριστοῦ, *Christi*) ea, quae *Christi* erat facere. [*Talia etiam ante* vinctum *Johannem Jesus fecerat: sed nunc multo frequentiora*. V. g.] — μαθητῶν, *discipulorum* quos volebat confirmare et Christo tradere. — [*Ipse videlicet nil dubii de Christo alebat*. V. g.]

v. 3. ὁ ἐρχόμενος) *Adventator*. Ps. 40. Hebr. 10, 37. — ἢ, *an*) Nullus tum erat alter: Johannes hac disjunctiva se ipsum excludit. — ἕτερον, *alterum*) *Aliquem* esse, qui veniat, pro certo agnoscunt. — προσδοκῶμεν, *expectemus*) longiore mora. [*Cessabat jam expectationis tempus. Septuagesima Danielis hebdomas imminebat*. V. g.]

v. 4. ἃ ἀκούετε, *quae auditis*) rerum testimonia, VII generum. v. 5. 6. Miracula praedicta, benefica, multa, varia. — [*Visus aliâs praecedere solet auditum; sed verbum Christi fidei desideriis propius quasi respondebat, quam opera*. Joh. 14, 11. *Etiam h. l. humiliter Jesus loquitur, ut* c. 12, 17. 41. s. *Non*, quae dico et facio, *inquit*. V. g.]

v. 5. [2]) εὐαγγελίζονται, *evangelizantur*) Passivum. coll. Luc. 16, 16. Sermo est enim de operibus Christi Jesu ipsius, quae tum videbant et audiebant disci-

---

1) *Hunc sensum* Versio Danica (*ex relatione* S. R. Königsmanni) *aptis verbis*, Weil er ein Prophet ist, *exprimit*. *Vid.* D. Ern. Bibl. Th. T. I. p. 222. *Sic vers.* Gallica, *quae Genevae anno* 1744 *prodiit*: en qualité de Prophéte. *Latinum*, Prophetae nomine, *idem dicit*. E. B.

2) τυφλοὶ ἀναβλέπουσι] Eo ipso momento talia miracula fiebant (Luc. 7, 21.), Christo reservata. Priscis temporibus coecitate, lepra, morte mulctabantur peccatores. *V. g.* — νεκροὶ ἐγείρονται] quod novissime factum erat juveni Nainitico, Luc. 7, 14. *V. g.*

Digitized by Google

puli Johannis. conf. Luc. 4, 18. de hoc opere [*Christi, ad hoc ipsum* (Es. 61, 1.) *uncti*. V. g.] praedicto. Neque omnes pauperes adhuc evangelizabant, sed apostoli. Matth. 10, 7. [*coll. supr.* v. 1.]

v. 6. μακάριος, *beatus*) Rara felicitas. Character Messiae, id ipsum, quod multi in eo scandalizentur. [Esai. 52, 14. *Id ipsum discipulis Johannis praecipue potuit esse pronum. Vid.* v. 18. *coll.* 19. V. g.] Alios beneficiis mactabat: ipse erat tenuis, pauper, spretus. — ὃς ἐὰν, *quicunque*) praesertim etiam ex discipulis Johannis, diversum Johannis et Jesu victum intuentes. v. 18. s.

v. 7. πορευομένων, *abeuntibus*) Alias potuissent inflare se. Mundus laudat in faciem, a tergo obtrectat: divina veritas, contra. — ἤρξατο, *coepit*) Antea populus non coepisset. — περὶ ἰωάννου, *de Johanne*) Johannis status describitur respectu hominum et sui et Dei, v. 7. 8. 9. — θεάσασθαι, *spectare*) otiose. Joh. 5, 35. — κάλαμον, *calamum*) His abundabat vadum Jordanis. Johannem talem voluissent, quales ipsi se gerere amabant, versu hoc et seq. Quaerebant hominem facilem et desideriis ipsorum obsecundantem; quem non ipsi appellarent arundinem, sed Jesus *arundinem arundinem* dicit. Saepe enim veritas homini sermonem tribuit, non qualem ipse format, sed qualem res ipsa fert. Jer. 18, 12. Ipse populus non satis norat, cur exissent. Contra character Johannis describitur: coll. v. 18. simulque tollitur scandalum, quod ex vinculis praecursoris capi posset. — ἀνέμου, *vento*) favoris, delata Messiae existimatione ad illum; vel persecutionis. — σαλευόμενον, *agitatum*) Medium: *agitari se sinentem*. Haec opinio non refutatur, ut eae, quae sequuntur: quia se ipsa refutat.

v. 8. ἀλλὰ, *sed*) Ponitur, ubi id, quod praecessit, missum fit. — ἠμφιεσμένον, *vestitum*) Talem prodromum, talem Messiam ipsum optassent. — τὰ) Articulus refertur ad μαλακοῖς. — φοροῦντες, *gestantes*) Johannes si voluisset, potuisset esse aulicus. — οἴκοις, *domibus*) Esth. 4, 2. non in eremo aut carcere. — τῶν βασιλείων, [1]) LXX. τὰ βασίλεια Esth. 1, 9. 2, 13. οἶκοι τῶν βασιλείων *conclavia arcis*.

v. 9. προφήτην, *prophetam*) Diu nullos habuerant prophetas. [*Talis haberi nequit, nisi ab inconstantia et mollitie alienus*. V. g.] — ναὶ, *nae*) Prophetam, dico vobis, et propheta majus. — περισσότερον, *plus*) Neutrum, ut in τί, *quid*. Plus, scil. exeuntes vidistis, quamvis non nossetis. — προφήτου, *propheta*) Nam propheta eminus nunciat.

v. 10. οὗτος γὰρ, *hic enim*) Hoc Johannem multo majorem facit, quam illa res, de qua v. 7. s. — ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου) Malach. 3, 1. LXX. ἰδοὺ ἐξαποστελῶ τὸν ἄγγελόν μου, καὶ ἐπιβλέψεται ὁδὸν πρὸ προσώπου μου, καὶ ἐξαίφνης ἥξει κτλ. — ἐγὼ, *ego*) Sermo Patris ad Filium. — τὸν ἄγγελόν μου, *angelum meum*) Johannes a Deo missus, angelus, post quem venit ipse Angelus foederis. — πρὸ προσώπου σου, *ante faciem tuam*) immediate ante te. LXX. ἐξαίφνης l. c. Johannes non fuit propheta in longinquum. Luc. 1, 76. Unus adventus, unus sermo, et Patris est et Filii. Luculentissimum argumentum Deitatis Christi, quod ea, quae in N. T. de Christo dicuntur, ex V. T. tanquam praedicata Deo propria repetuntur. Vid. not. ad Joh. 12, 41. Act. 2, 33. Rom. 9, 33. 14, 11. 1 Cor. 1, 31. 10, 9. Eph. 4, 8. Hebr. 1, 6. 8. 10. s. Ap. 1, 8. 17.

v. 11. οὐκ ἐγήγερται, *non excitatus est*) adhuc. Ἐγείρεσθαι munus collatum denotat. — ἐν γεννητοῖς γυναικῶν, *in natis mulierum*) Magna universalitas. sic *in*, de excellentia Mariae, Luc. 1, 28. — μείζων, *major*) prophetes, Luc. 7, 28. 1, 15. vel si Enoch, Moses, Elias spectentur. — τοῦ βαπτιστοῦ, *baptista*) Hoc

---

1) *Hanc lectionem alteri aequalem aestimaverat margo* Ed. maj.; *sed margo* Ed. 2. *suffragante* Vers. germ., *praefert* βασιλίων. E. B.

cognomen jam tum additum, ob rei novitatem et magnitudinem; non postea, ad discernendum duntaxat ab Johanne apostolo. — ὁ δὲ μικρότερος, *minimus vero*) Comparativus cum articulo superlativus est. Quam longe Johannes excellit quemque maximum prophetarum veterum, tam longe Johannem excellit minimus quisque in regno coelorum, v. gr. praeco Christi, vel civis. Johannes ipse nondum erat in regno coelorum, sed praeibat. [*Et ipsi tum Apostoli baptizando jam docendoque superabant Johannem* Joh. 4, 2. Matth. 10, 7. etc. Harm. p. 299. fin.] Jesus non est *minimus IN regno coelorum:* sed ipse Rex est, et ipse per regnum coelorum innuitur. v. praec. et v. 3. c. 3, 11. Et minoritas et majoritas hic exprimitur, ut est, non in opinione hominum, sed in re, in notitia Christi exhibiti. 1 Petr. 1, 12. Respectus speciei externae, v. 6. huc non pertinet. Erat Jesus *spretus ignotusque inter homines,* sed non *minimus, quod ad regnum coelorum attinet:* omnes cives regni coelorum cum pro rege agnoscebant jam. Conferatur phrasis, cap. 5, 19. Nusquam dicitur *minor Johanne;* nec, *minimus in regno coelorum.* Minimus in regno coelorum est minimus civium regni. In eo *TERTIO,* in quo Johannes est major ceteris, minimus in regno coelorum est minor ceteris civibus regni coelorum. Johannes nondum sciebat omnia, quae hodie ex symbolo apostolico sciunt catechumeni. Eximia gradatio: propheta, Johannes, apostolus vel christianus. Majus est, in hoc genere, in comparatione V. et N. T., scire praesentia, quam futura, quamvis proxime futura. sed alias axioma divinum est, scire futura.

v. 12. δὲ, *autem*) Antitheton, hoc sensu: quanquam Johannes minor est minimo in regno coelorum, tamen jam ab initio dierum Johannis regnum coelorum vim facit. Regnum coelorum non in Johanne, sed statim post Johannem venit. — βιάζεται) Cap. 13, 32. s. Luc. 14, 23. *sese vi quasi obtrudit.* Saepe LXX. βιάζομαι ponunt, *vim adhibeo.* Johannes lamentatur: Jesus canit. Estque metonymia, *regnum,* i. e. *rex,* Messias. c. 4, 17. not. — βιασταὶ, *vim facientes*) Luc. 13, 24. Non est h. l. querela, de vi mala. nam querela incipit versu 16. Correlata: *vim facit, vim facientes*: [*Hoc pacto ferret opus et ex voto procedit.* V. g.] — ἁρπάζουσιν, *rapiunt*) ut *raptim,* celerrima vi, perruptis obstaculis, ad se redigant bonum in medio positum, [*ut fit in merce vendibili.* V. g.] Luc. 7, 29.

v. 13. γὰρ, *enim*) Nunc completur, quod usque ad Johannem fuerat praedictum. — προφῆται, νόμος· ἰωάννου· *prophetae, lex: Johannem*) Conf. Malach. 1, 1. 3, 22. 23. et vid. not. ad Matth. 3, 12. Fuere prophetae etiam ante Mosen, et, quod lex secundo loco ponitur, facit gradationem, nam Moses prophetarum V. T. maximus: item lex h. l. allegatur propter officium prophetandi. Ubi V. T. desinit, in extremo, apud Malachiam, ibi N. T. incipit, apud Marcum. Itaque hoc, *usque ad Johannem,* valet de scriptura: valet etiam, ultra Malachiam, de ipso patre Johannis, Luc. 1, 67. *usque ad,* sine mutatione. limes prophetiae et V. T. Dehinc complementum est. — προεφήτευσαν, *prophetarunt*) Hoc totum eorum munus fuit. testimonio fungi rerum futurarum; ultra, Johannes. versu 9.

v. 14. εἰ θέλετε, *si vultis*) Vestra res agitur. Declaratur τὸ *vim facientes*: coguntur volentes. Res parata est: tantum opus est, ut velitis. — ἠλίας, *Elias*) Articulus ὁ non additus antonomasian indicat. βιασταὶ Johannes facit *patres cum filiis.* conf. *autem,* v. 16. In hoc Elia terminatur prophetia V. T. Malach. in fin. Johannes ob ipsum prodromi officium, cum Thisbita commune, Elias dicitur. — ὁ μέλλων, *futurus*) Sermo est tanquam e prospectu Testamenti Veteris in Novum. [*Et Johannes non absolute* ὁ μέλλων ἔρχεσθαι *dicitur, sed* Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι. V. g.]

v. 15. ὦτα ἀκούειν, *aures audiendi*) Sic LXX. Deut. 29, 4. Conf. Rom.

11, 8. Formula praecidendi, Christo propria: qua ostenditur, cetera, quae expressius dici possent, in iis, quae jam sint dicta, contineri.

v. 16. τὴν γενεὰν, *generationem*) homines malos hujus optimi temporis. — παιδαρίοις, [1]) *puerulis*) Jesus non solum Judaeos, sed etiam se et Johannem, diversis modis comparat cum *puerulis*, mirabili, quod ad Ipsum attinet, facilitate. — ἀγοραῖς, *foris*) Urbs magna plura saepe habet *fora*. Praeconium Johannis et Christi erat publicum.

v. 17. ηὐλήσαμεν, *tibia cecinimus*) v. 19. — ἐθρηνήσαμεν, *lamentati sumus*) v. 18. χιασμός.

v. 18. ἦλθε, *venit*) Insignis anaphora. coll. v. 19. — μήτε ἐσθίων, *neque edens*) Non edebat cum aliis, vel ne in conspectu quidem aliorum. Victus Johannis congruebat cum doctrinae indole: et sic quoque Christi. Ideo altero alterum connotatur. — μήτε πίνων, *neque bibens*) Luc. 1, 15. — λέγουσι, *dicunt*) Mundus virtutem ab extremo carpit: vitia ad mediocritatem redigit. — δαιμόνιον, *daemonium*) Vulgaris sermo *spiritum familiarem* appellat. — ἔχει, *habet*) Consuetum Judaeis convicium; quo vel amentem vel nimis sapientem vel superbum notabant. qui hominum communitate abstinent, facile hac suspicione gravantur.

v. 19. ἄνθρωπος, *homo*) Notant, ut unum e multis, nota opposita ei, de qua v. 18. — τῶν τέκνων, *filiis*) τῶν ἔργων (*operibus*) olim lectum fuisse a multis, ostendimus in Apparatu [2]). Ambrosius in Luc. 7, 35: *Bene*, inquit, *ab omnibus, quia circa omnes justitia reservatur, ut susceptio fiat fidelium, rejectio perfidorum. Unde plerique Graeci sic habent: Justificata est Sapientia ab omnibus operibus suis. Quod opus justitiae sit, circa uniuscujusque meritum servare mensuram.* Idem vero Matthaei, non Lucae codices notare videtur, ad illos enim subinde, licet ad Lucam commentetur, recurrere solet. — αὐτῆς) Valla referri arbitratur ad γενεᾶς. sed vide Luc. 7, 35. (ubi plura ad h. l. annotantur,) coll. v. 31. [*Christus nimirum Sapientia est: filii Sapientiae, qui congregari se ab ea patiuntur. Hanc ob rem culpatur Sapientia, simplicis erga tales facilitatis nomine, adeoque justificare se demum cogitur.* Luc. 15. V. g.]

v. 20. τότε ἤρξατο, *tunc coepit*) Antea non exprobrarat. Haec exprobratio est praeludium judicii extremi. Quilibet auditor N. T. est aut multo beatior (v. 11.) aut multo miserior antiquis. — δυνάμεις, *virtutes*) v. 5. [*Poenitentia et cognitio Jesu Christi, conjuncta sunt.* V. g.]

v. 21. οὐαὶ, *vae*) Interjectio haec non est imprecandi, sed enunciandi. c. 24, 19. Opponitur, *beatus*. Hoc ubique observandum.

v. 21. 23. ὑμῖν· σοὶ, *vobis: te*) Duabus urbibus duae, uni illis miseriori miserior una opponitur, in vicinia, ex historiis V. T. — πάλαι, *olim*) prisco illo tempore, quo difficilius erat poenitentiam agere. Vide Act. 17, 30. Non licet dicere: *quid facis?* conf. Ez. 3, 6. — ἐν σάκκῳ, *in sacco*) subaudi, *edente s.* aut simile quiddam.

v. 22. ἀνεκτότερον, *tolerabilius*) quia minus impoenitentes erant: et poenitentiam fuerant acturi: et poenam jam tulerunt. — κρίσεως, *judicii*) Judex erit is ipse, in quo tum scandalizabantur.

v. 23. καπερναοὺμ, *Capernaum*) Haec urbs beatior, quam Chorazin et Bethsaida: sed ex peccato infelicior. ideo cum Sodomis, non cum Tyro et Sidone confertur. — ἕως τοῦ οὐρανοῦ, *ad coelum usque*) Nam Dominus ex coelo,

---

1) παιδίοις utriusque Editionis *margo*, *nec non* Vers. germ. *videtur praeferre.* E. B.

2) *Qui tamen, ut et margo* Ed. 2. *et* Vers. germ. *lectionem* τέκνων *pro firmiore agnoscit.* E. B.

Digitized by Google

ipsumque adeo coelum, se illuc habitatum contulerat. [*Specimina hujus exaltationis vid.* Joh. 2, 12. 4, 47. Matth. 4, 13 — 13, 53. Joh. 6, 24. Matth. 17, 24. Harm. p. 301.] — ὑψωθεῖσα, *exaltata*) in conspectu Dei, Christi, et angelorum. — ἅδου, *infernum*) qui est infimum in rerum natura. — ἔμεινεν ἄν, *mansissent*) non deletae. Magnus conditionis effectus. [*Aut enim non patrassent facinora, aut commissorum eos poenituisset; quare nec tum deleti essent, nec deinceps.* V. g.] Idem verbum, Joh. 21, 22.

v. 25. ἀποκριθεὶς, *respondens*) ad ea, quae de Patris consilio, de suis cogitationibus, de discipulorum mente agitabat. [*Exultante spiritu, quae sequuntur, protulit.* V. g.] — ἐξομολογοῦμαι, *confiteor*) De Deo nil, quod non ita se habeat, cum laude praedicatur. תודה *confessio*, praedicatio. Iisdem postea verbis gratias Patri egit Jesus re per LXX. bene gesta. — πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, *Pater, Domine coeli et terrae*) *Pater* Jesu Christi saepe dicitur; interdum etiam *Deus* ejus; nunquam, *Dominus* ejus; *Dominus* autem coeli et terrae. Discamus exemplo Jesu Christi in precibus tribuere Deo appellationes argumento precum congruentes. Judaei quoque vetant in precibus cumulare nomina divina. Magnificentissima hoc quidem loco est compellatio. — ὅτι ἀπέκρυψας, — καὶ ἀπεκάλυψας, *quod occultavisti, — et revelasti*) Duplex ratio laudandi. ἀπέκρυψας, *occulta temuisti:* (conf. v. 27.) ἀπεκάλυψας, *revelasti*. conf. iterum v. 27. in extremo. — ταῦτα, *haec*) de Patre et Filio, de regno coelorum. — σοφῶν, *sapientibus*) qui sibi arrogant habitum noëticum. — συνετῶν, *prudentibus*) qui sibi arrogant habitum dianoëticum. conf. 1 Cor. 1, 19. — ἀπεκάλυψας, *revelasti*) c. 16, 17. — νηπίοις, *infantibus*) quales erant XII. et LXX. Luc. 10, 21. *adolescentuli*. nam postea testati sunt diu. *infantes*, credere proni, simplices. Matth. 18, 3.

v. 26. ναὶ, *nae*) Assentitur Jesus beneplacito Patris. Summa *exomologeseos* filialis, *nae Pater*. — ὁ πατὴρ) Id hoc loco significantius, quam πάτερ. — εὐδοκία ἔμπροσθέν σου, *beneplacitum coram te*) Voluntas et intellectus Dei decreta profert. *Beneplacitum* est summum, ultra quod in rimandis decretorum divinorum causis ire non licet nobis. Sic mox, de Filio, *voluerit*.

v. 27. πάντα, *omnia*) Hic sermo flectitur ad auditores. Post resurrectionem expressius dixit, *omnia, in coelo et in terra*, sibi esse tradita, c. 28, 18. sed hoc loco id dicitur implicite, coll. v. 25. *Omnia*, etiam potestas revelandi. *Omnia*, adeoque etiam *omnes*. Joh. 13, 3. 17, 2. 1 Cor. 15, 25. 27. — παρεδόθη, *tradita sunt*) Nil sibi reservavit Pater, quod Filio non dederit. Conf. Joh. 13, 3. Matth. 28, 18. Intime conjuncta Patris Filiique ratio v. 25—27. Joh. 6, 39. 40. Et sic in tota Apocalypsi. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 65. — οὐδεὶς, οὐδὲ, *nemo, neque*) De ordine sermonis, conf. Joh. 8, 19. — εἰ μὴ ὁ πατὴρ, *nisi Pater*) Non addit, *et cuicunque voluerit Pater revelare*, quia id dixit versu 25. et h. l. docet, quid sibi Pater tradiderit. Spiritus sanctus non excluditur: mentio tamen hic non fit, quia ejus oeconomia nondum ita nota erat hominibus. — βούληται, *voluerit*) Cui autem velit, patet ex v. seq.

v. 28. δεῦτε, *venite*) statim. c. 4, 19. not. — πρός με, *ad me*) quum pharisaei, quum ipse Johannes vos non explet. — πάντες, *omnes*) ne vos terreat limitatio, v. 27. — οἱ κοπιῶντες, *laborantes*) Huc ref. ζυγὸν et ζυγὸς, *jugum*. — πεφορτισμένοι, *onerati*) Huc ref. *discite* et *onus*. משא *onus*, i. e. doctrina, *disciplina*. — κἀγὼ, *et ego*) Cum alibi frustra quaesivistis, apud me invenietis, v. 29. — ἀναπαύσω, *requiescere faciam*) Hoc declaratur mox, ὅτι etc. Correlata: *requiescere faciam*: *invenietis requiem*.

v. 29. ἄρατε, *tollite*) Jugum Christi subire est in disciplinam ejus se totum tradere. — ὅτι, *quia*) *Cur* libenter a Jesu discere debeamus, hinc patet. Nostra *mansuetudo* et *humilitas* est consequens. — πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς κτλ.

Digitized by Google

mansuetus sum et humilis corde) tametsi gravis est sermo versu 20. ss. ***Mansuetudo*** parit suavitatem jugi; ***humilitas cordis***, levitatem oneris. Pharisaei erant austeri et elati. Admiranda Dei virtus est Demissio; quae tamen in scripturis non tam uno vocabulo appellatur, quam copiose describitur: cujus imago apud sanctos est humilitas; contrarium, apud Satanam et malos, superbia. ***Demissio*** enim est, quod summa illa Majestas omnino dignata est creaturas facere, hominesque praesertim, quamlibet minimos, quamlibet misellos, et aspicere sine fastidio, et sibi conjungere. Ac modo inprimis conspicuo Filius Dei in carne exseruit humilitatem. Ps. 34, 7. 113, 6. Luc. 1, 48. 52. s. 12, 37. 22, 27. Joh. 12, 26. 13, 14. Phil. 2, 8. Ebr. 11, 16. — τῇ καρδίᾳ, ***corde***) Τὸ ***humilis*** per se non dicit qualitatem ***cordis:*** τὸ ***mansuetus*** dicit qualitatem ***cordis.*** ideo τὸ ***corde*** magis refertur ad ***humilis***, quam ad ***mansuetus.*** Vocabulum ***corde*** facit ad periphrasin. Rom. 2, 5. — καὶ, ***et***) Et ponitur, ut in κἀγὼ, ***et ego,*** v. 28. LXX. Jer. 6, 16. καὶ εὑρήσετε ἁγνισμὸν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν. A Christi ***corde*** manat quies in ***animas*** nostras, v. 29. — εὑρήσετε ἀνάπαυσιν, ***invenietis requiem***) vobis adhuc ignotam, sed ***quaesitam*** et optatam.

v. 30. ζυγός μου, ***jugum meum***) Alio instituto dicitur ***crux*** pii, alio ***jugum.*** c. 10, 38. — χρηστὸς, ***suave***) Sum enim ***mansuetus.*** — ἐλαφρὸν, ***leve***) Sum enim ***humilis.***

CAPUT XII.

v. 1. Ἐν, ***in***) Alienissimo quoque tempore interpellarunt pharisaei. — ἤρξαντο τίλλειν, ***coeperunt vellere***) Statim interpellarunt pharisaei. Non minimae erat operae, tot grana fami sedandae ex aristis excutere.

v. 2. ἰδοὺ, ***ecce***) Hoc volunt dicere: Magister debet praestare, quod discipuli ipso praesente faciunt. ***ecce:*** repentinum interdictum volunt habere. — οὐκ ἔξεστι, ***non licet***) Non dubitanter definiunt. ideo refutantur severe v. 3. 5. 7. Formula: ***licet***, vel, ***non licet.*** Frequentior tum fuit correptio falsa, quam hodie vera. — ποιεῖν, ***facere***) Ref. non ad ***edere***, sed ad ***vellere.*** — ἐν σαββάτῳ, ***in sabbato***) Magnam historiae evangelicae partem occupat materia de sabbato.

v. 3. οὐκ ἀνέγνωτε; ***non legistis?***) Legerant, sine spiritu. Auctoritate V. T. eos revincit Jesus — δαυὶδ, ***David***) cujus factum non reprehendetis. — ὅτε ἐπείνασεν, ***quum esuriit***) Id 1 Sam. 21, 3. lectori subaudiendum relinquitur. — μετ᾽ αὐτοῦ, ***cum eo***) ibid v. 4.

v. 4. οἶκον τοῦ θεοῦ, ***domum Dei***) Amplificatur, quae esse poterat, dubitandi ratio. Sic appellatur, ***tabernaculum***, templo paulo post aedificato. — τοὺς ἄρτους, ***panes***) Multum ceremoniale est in sabbato. alias a panibus propositionis non fieret consequentia. — τῆς προθέσεως, ***propositionis***) פנים. — εἰ μὴ) omnibus, ***nisi:*** id est, ***sed.***

v. 5. ἢ) Latine ***an.*** — ἐν τῷ νόμῳ, ***in lege***) [1]) Gradatio, ad argumentum stringentius: ab exemplo principis, quod sacerdos probarat, ad legem ipsam; a prophetis, etiam prioribus, quorum partes legebantur, ad legem, quae tota legebatur; et a cibo sacro ad tempus sacrum, de quo agitur. — οἱ ἱερεῖς, ***sacerdotes***) Qui maxime debent legem tueri, tamen in hac re maxime excipiuntur. Ita quoque sacerdotes Christi ad sabbatum minus sunt alligati, quam reliqua multitudo. — ἐν τῷ ἱερῷ, ***in templo***) dum sacris operantur. — βεβηλοῦσι, ***profanant***) Τὸ βέβηλον, ***profanum,*** opponitur τῷ ἁγίῳ ***sacro,*** nec semper impuritatem aut reatum involvit. Lev. 10, 10. 1 Sam. 21, 4.

v. 6. λέγω, ***dico***) Formula haec magnam habet ***potestatem.*** — ἱεροῦ,

---

1) Illo ipso anni tempore in sabbatis Leviticus legebatur, in quo tam multa de sacrificiis, etiam sabbato celebrandis, occurrunt. *V. g.*

d by Google

templo) in quo sacerdotes ministrant. Templum cedit Christo: sabbatum cedit templo, v. 5. Ergo sabbatum cedit Christo, v. 8. — ἔστιν ὧδε, *est hic*) Non dicit: Ego sum major. Jesus humilis *corde*. v. 41. 42. c. 11, 4. 5. sic, *hodie*, Luc. 4, 21. 19, 9. add. Matth. 13, 17. Joh. 4, 10. 9, 37.

v. 7. ἐγνώκειτε, *cognovissetis*) Plusquamperfectum. — ἔλεον, *misericordiam*) Vid. cap. 9, 13. *Misericordiam* et praestitere discipuli sibi, [*Davidem hac in re imitati*, V. g.] et judicio temerario violarant pharisaei. — θυσίαν, *sacrificium*) sabbato sanctius. v. 5. — κατεδικάσατε) *condemnassetis* temere, cito, crudeliter. [*Cogitationibus condemnantibus saepe aliquis, dum alterum peccati arguit, ipse nec opinatus peccat*. V. g.] Hoc argumento etiam fuerat responsum, si quis dubitasset, an liceret ante pascha vellere spicas.

v. 8. κύριος, *dominus*) Majestate Christi nititur discipulorum innocentia et libertas: *dominatio*que filii hominis exserit sese in *misericordia*. — σαββάτου, *sabbati*) Dominus templi et rerum omnium sane etiam est Dominus sabbati: neque id modo juris habet, quod David habuit.

[1]) v. 10. ἦν, *erat*) Vel eo venerat sua sponte, ut sanaretur; vel ab aliis insidiarum causa adductus. — ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ, *ut accusarent eum*) quasi sabbatum violasset: cujus magna tum erat observatio, etiam in judiciis, v. 14.

v. 11. ἕν, *unam*) cujus jactura non magna. — οὐχὶ κρατήσει; *nonne prehendet?*) Verbum aptum ad sanationem manus. Tum id licuit: postea ne hoc quidem permiserunt Judaei.

v. 12. τοῖς σάββασι, *sabbatis*) Nam bonum non est procrastinandum. — καλῶς, *bene*) ovi et homini, imo homini prae ove. [*Cogitaverit quis, de ove periculum in mora fuisse, hominem vero tanto temporis tractu corporis labe affectum a die in diem facile potuisse semel procrastinari. At opportunum erat opem ferri, quum aegrotus occurreret medico. Sabbato major hominum turba congregata fuit, qui spectare rem eaque lucrifieri poterant*. V. g.] In sabbato non licet facere operas quotidianas, solitas, ad quaestum: licet, quae tempus et locus adferunt, ad salutem proximi et animantum, maximeque ad laudem Dei.

[2]) v. 15. ἀνεχώρησεν, *secessit*) Huc spectat inprimis versus 19. Strepitum vitavit Jesus.

v. 16. ἵνα μή, *ut ne*) Potestas Jesu, etiam multitudini silentium imperantis.

[3]) v. 18. ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα· ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου· θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ᾽ αὐτόν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ· οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει· οὐδὲ ἀκούσει τὶς ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ· κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει· ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν. καὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι) Es. 42, 1—4. LXX, ἰακὼβ ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ· ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου, ἔδωκα τὸ πνεῦμά μου ἐπ᾽ αὐτόν, κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἐξοίσει· οὐ κράξεται, οὐδὲ ἀνήσει, οὐδὲ ἀκουσθήσεται ἔξω ἡ φωνὴ αὐτοῦ· κάλαμον συντεθλασμένον οὐ συντρίψει, καὶ λίνον καπνιζόμενον οὐ σβέσει, ἀλλὰ εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν κτλ. — ὁ

---

1) V. 9. Καὶ] Octiduo post ea, quae modo dicta sunt, *(V. g.)* et octiduo ante Pascha. Brevi hoc tempore permultae maximi momenti res gestae sunt. Populus jam ad festum se parabat: hinc larga benefaciendi occasio Salvatori se obtulit. *Harm.* p. 309.

2) V. 14. Οἱ δὲ φαρισαῖοι] Non eo labore, quali ad evellendas aristas ovemque ex fovea extrahendam opus est, sed verbis sanationem Jesus praestiterat. Merum fuit sine negotio benefactum: neque tamen coeci homines sabbatum eo profanatum esse non putabant. *V. g.*

3) V. 17. ὅπως πληρωθῇ] Placida, qua Christus utebatur, et saluberrima agendi ratio his verbis innuitur. *Vers. germ.* — Ea quantum quaeso distat ab adversariorum moribus! *Harm.* p. 310.

Digitized by Google

παῖς μου, *minister meus*) עבדי Es. 42, 1. Et saepe graeco παῖς hebraeum illud exprimunt ol LXX. v. gr. ubi de *Mose* agitur, et de ipso Messia. Conf. Act. 3, 13. 26. 4, 27. 30. nam ultra non repetitur in N. T. de Messia: vel quod Graecum παῖς ullumve aliud non satis respondeat Hebraeo illi, quo apostoli quoque initio sunt usi; vel quod neutrum conveniat statui exaltationis. Parallela sunt, *minister* et *dilectus:* itemque, *complexus* et *beneplacitum.* — ἡρέτισα) Αἱρετίζειν, αἱρετὸν ὁρίζειν. — εἰς ὃν, *in quem*) Εἰς, *in*, denotat perpetuam mentis paternae tendentiam erga dilectum. 2 Petr. 1, 17. — κρίσιν, *judicium*) hominibus salutare. v. 20. Joh. 16, 11. Κρίσις, *judicium*, separatio peccati et justitiae. — τοῖς ἔθνεσιν, *gentibus*) cum ab Judaeis discesserit. — ἀπαγγελεῖ, *annunciabit*) Et fecit et nunciavit. Futurum, h. l. sed praeteritum, postea, apud Paulum: Eph. 2, 17.

v. 19. αὐτοῦ, *ejus*) ex domo. Opportune praecedit specimen humilitatis et mansuetudinis Jesu, ostensionem severitatis v. 34. Sic etiam flevit, urbem intraturus; deinde vendentes et ementes e templo ejecit.

v. 20. κάλαμον, *calamum*) קנה Hieron. ad Algas. quaest. 2. *arundinem quassatam,* Israëlem interpretatur; et *linum fumigans, populum de gentibus congregatum, qui extincto legis naturalis ardore, fumi amarissimi, et qui noxius oculis est, tenebrosaeque caliginis involvebatur erroribus. Quem non solum non restinxit et redegit in cinerem: sed e contrario de parva scintilla, et pene moriente, maxima suscitavit incendia: ita ut totus orbis arderet igne domini Salvatoris, quem venit mittere super terram, et in omnibus ardere desiderat.* — οὐ κατεάξει· οὐ σβέσει· *non confringet: non extinguet*) Ταπείνωσις. maxime fovebit. conf. v. 7. cap. 11, 28. Es. 42, 3. 61, 1—3. — ἐκβάλῃ) Hebr. יוציא et ישים Utrique respondere apud LXX solet verbum ἐκβάλλειν *extendere.* — εἰς νῖκος, *in victoriam*) לנצח ut nil in perpetuum resistat.

v. 20. 21. κρίσιν. καὶ τῷ) Post κρίσιν habent LXX, ἀναλάμψει καὶ οὐ θραυσθήσεται, ἕως ἂν θῇ ἐπὶ τῆς γῆς κρίσιν, καὶ ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσιν. Atque ad eum Esajae locum (c. 42, 4.) ita commentatur Hieronymus: *Quod autem sequitur,* Splendebit et non conteretur, donec ponat super terram judicium, *Matthaeus evangelista non posuit; sive, inter* judicium *et* judicium *media, scriptoris errore sublata sunt. — Pro quo nos interpretati sumus:* Non erit tristis, neque turbulentus, *sed aequalitatem vultus omni tempore conservabit. Aquila et Theodotius interpretati sunt,* Non obscurabit et non curret, donec ponat in terra judicium. *et est sensus: Nullum vultus tristitia deterrebit: nec festinabit ad poenam, qui judicii veritatem ultimo tempori reservavit.* Interpositio in Hebr. sic habet, לא יכהה ולא ירוץ עד ישים בארץ משפט Hieronymique suspicioni, de hiatu per librarium admisso, refragatur Jansenius, subscribit autem non immerito Drusius [1]). Porro quum toto hocce loco a verbis LXX interpretum multum discedat evangelista, haud facile assequare, quibus graecis apud Matthaeum verbis hebraicum Esajae hemistichium fuerit expressum. Ipsa quidem sententia placidam et moderatam actionem Messiae decentissime exprimit. Adde *Apparatum,* p. 474. [Ed. II. p. 118.]

v. 21. καὶ, *et*) Hieronymus ad Algas. quaest. cit. huc reponit illud Esajae: *splendebit et non quassabitur, donec ponat super terram judicium: ut tamdiu lumen,* inquit, *praedicationis ejus in mundo resplendeat, nullisque conteratur et vincatur insidiis, donec ponat in terra judicium, et impleatur illud, quod scriptum est: Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra.* — ὀνόματι, *nomine*) Hebr. תורתו *Lege.* Evangelium est sermo de nomine Christi.

---

1) *Margo* Ed. maj. *dubiam dignitatem additamento isti tribuit, quod margo* Ed. 2. *et Vers.* germ. *prorsus omittunt.* E. B.

d by Google

v. 22. δαιμονιζόμενος, *daemoniacus*) valde miserabilis. — καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν, *et loqueretur et videret*) Videtur ita exprimi ordo miraculi.

v. 24. ἀκούσαντες, *audientes*) quae populus dicebat. — οὗτος, *hic*) Contemnunt. [*Verba quam pauca quanti possunt momenti esse!* V. g.] — εἰ μὴ, *nisi*) Valde affirmant. — ἐν τῷ βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων, *in Beelzebul principe daemoniorum*) Sic appellant Satanam. In V. T. nomen id erat idoli. conf. 1 Cor. 10, 20.

v. 25. ἐνθυμήσεις, *cogitationes*) amarissimas. conf. v. 34. s. — βασιλεία, *regnum*) Primum agitur de regno, deinde de domo: et v. 26. de individuo, Satana: cujus regnum complectitur homines malos; domus, daemonia. — οὐ σταθήσεται) scil. ab hero aut domino. Ammonius: σταθῆναι μέν ἐστι τὸ ὑφ' ἑτέρου· στῆναι δὲ, τὸ κατ' ἰδίαν ῥώμην καὶ προαίρεσιν.

v. 26. εἰ ὁ σατανᾶς τὸν σατανᾶν, *si Satanas Satanam*) Satanas sive diabolus est unus. Satanam (inquit Jesus) ego ejicio. In tenebris non est ullus major Satana. Ergo si vestra oratio vera est, Satanas esse debet, qui Satanam ejicit. at hoc plane absonum est. unum regnum, una urbs, una domus, non dividitur contra se. Nomen pro pronomine reciproco, uti Ex. 16, 7. Lev. 14, 15. 26. 1 Reg. 8, 1. 10, 13. 12, 21. 2 Reg. 17, 31. Nec tamen haec obstant, quo minus accusativum τὸν σατανᾶν, *Satanam* synecdochice positum judices, pro consortibus ipsius. Ita ex. gr. diceres, Gallus se ipsum confecit, si quando altera cohors Gallica alteram internecioni dedisset. Sic *Satanas* se ipsum ejiceret, i. e. princeps, Satanas, qui unus est, ejiceret eos, quos suos esse novit, consortes suos. — βασιλεία, *regnum*) quod tamen valde stabile est. Satanas dicitur habere *regnum*; nec tamen ipse unquam *rex* dicitur. est enim usurpator.

v. 27. 28. εἰ· εἰ δὲ, *si. si vero*) Dilemma. — οἱ υἱοὶ, *filii*) quos non potestis non insimulare, si me, inquit Jesus, calumniamini. adde Marc. 9, 38. et confer Act. 19, 13. — ὑμῶν, *vestri*) quos non ita vexatis, cum sint et gentis et disciplinae vestrae. — ἐκβάλλουσι, *ejiciunt*) *[meo nomine.* V. g.] Marc. l. c. Matth. 7, 22. — αὐτοὶ) *ipsi.*

v. 28. εἰ) Hoc, absoluta priore dilemmatis parte, valet *quum.* — ἐκβάλλω, *ejicio*) Jesus omni modo destruxit regnum satanae. — ἄρα, *ergo*) Character et gnorisma regni Dei, ubi satanas cum suis rebus expellitur. hoc enim erat reservatum Messiae. — ἔφθασεν, *praevenit*) Verbum hoc proprie hic ponitur (coll. *prius*, v. 29.) et grande quiddam innuit. — ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, *regnum Dei*) Antitheton, coll. v. 26.

v. 29. ἢ) Lat. *an.* Interrogatio disjunctiva. — οἰκίαν, *domum*) Satanae domus erat Mundus. — τοῦ ἰσχυροῦ) alicujus, qui *validus* est. conf. Hebr. 2, 14. — πρῶτον, *prius*) Jesus ligavit satanam: tum spolia retulit. — δήσῃ, *ligaverit*) majore robore. — διαρπάσει, *diripiet*) Vid. ad Marc. 3, 27.

v. 30. ὁ μὴ, *qui non*) Pars altera dilemmatis, quod habet versus 27. 28. confirmatur versu 29. prior confirmatur versu 30. hoc sensu: *Filii vestri non sunt contra me, nec dispergunt: ergo mecum sunt et mecum colligunt.* Non valet Neutralitas in regno Dei. Activitas illa, quae homini naturalis est, aut in bono aut in malo exercetur: praesertim apud eos, qui verbum Dei audiunt. Christi autem res et causa est simplex et casta: quae quum tot habeat alienos et adversarios, tamen omnes vincit, neque cum iis colludit. Luc. 12, 51. Axioma. — συνάγων, *colligit*) Christi et christianorum opus, colligere. c. 23, 37. Joh. 11, 52. קהלת.

v. 31. βλασφημία, *blasphemia*) quae peccati species atrocissima. Qui majestatem regis cujuspiam terreni convitiis laedit, atrocius punitur, quam qui multa aureorum millia surripit. — ἀφεθήσεται, *remittetur*) ita, ut poena poenitenti condonetur. — ἡ τοῦ πνεύματος βλασφημία, *Spiritûs blasphemia*) Aliud

est peccatum contra Spiritum sanctum, aliud blasphemia contra Spiritum Sanctum. (conf. Act. 7, 51. 1 Thess. 4, 8.) Non iteratur *peccati* vocabulum. Peccato se ipsum laedit miser homo: blasphemus multos alios irreparabili noxa afficit. Atque pharisaei blasphemabant Spiritum sanctum, non in aliquo homine sancto gregario, sed in ipso Messia.

v. 32. [1]) τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *filium hominis*) pro statu conspicuo, quatenus aequo tum loco cum hominibus conversabatur, Phil. 2, 7. v. gr. uti discribitur c. 11, 19. conf. ad c. 16, 13. Itaque non facile hodie dicitur aliquid contra Filium hominis: facilius committitur blasphemia contra Spiritum sanctum [2]). — οὔτε-οὔτε, *neque-neque*) Id est, certissimam utrinque poenam et gravissimam exantlabit. vid. Chrys. ad h. l.

v. 33. καὶ, *et*) Subaudi, *facite:* imperativo in futurum resolvendo. — καλὸν, *bonum*) Judaei volebant esse bona arbor cum fructu malo: id quod plane sentiebant contra veritatem.

v. 34. τῆς καρδίας, τὸ στόμα, *cordis, os*) Vid. cap. 15, 18. Rom. 10, 9. 2 Cor. 4, 13.

v. 35. θησαυροῦ, *thesauro*) Vere thesaurus est in quovis homine, et copia latens [3]). — τὰ ἀγαθὰ, πονηρὰ) Articulus saepe vim relativam habet: ideo ad τὰ ἀγαθὰ, versu 34. laudata, non ad πονηρὰ, ibidem non memorata, adhiberi, aliquando mihi visus est. Sed nimis promiscue plerique talem articulum vel scripserunt vel praetermiserunt [4]). Antiquus *Cant.* habet ἀγαθὰ sine articulo.

v. 36. ῥῆμα, *verbum*) Nominativus absolutus, uti Luc. 21, 6. Joh. 17, 2. Act. 7, 40. Ap. 3, 12. 21. LXX. Ps. 17, (18) 31. — ἀργὸν, *otiosum*) non modo *malum*. Ne *otiosum* quidem fert thesauri bonitas [5]). — ἀποδώσουσι λόγον, *reddent rationem*) id est, luent. Metonymia antecedentis.

v. 37. [6]) ἐκ, *ex*) Verba exponunt justitiam vel injustitiam, quae in corde est.

v. 38. ἀπεκρίθησαν, *responderunt*) tanquam alias non credituri sermoni, quem modo audierant. — θέλομεν, *volumus*) Cur vultis? quia sic libet. Abnegant eo modo signa priora. — ἀπὸ σοῦ, *abs te*) abs te ipso: ut, *a coelo*, c. 16, 1.

---

1) καὶ ὃς ἐὰν, *et quicunque]* Sermo proxime antecedens ulterius illustratur. V. g.

2) Sermones igitur contra Filium hominis erant, quando contumeliose de Illo propter ortum ex Nazaret, propter humilem conversationem etc. loquebantur: at contra Spiritum sanctum sermones erant isti, quibus miracula Ejus per Spiritum sanctum perpetrata criminabantur et virtuti tenebrarum adscribebant homines. Utroque sermonum genere illo praesertim tempore, quo Christus in medio eorum versabatur, culpam poterant contrahere. Quae autem nunc eorum conditio est, qui bonas Spiritus S. operationes in organis Ejusdem hodienum criminantur? Christiani scilicet pro sua parte Spiritum habent, neque suis praeterea labibus carent. Eorum aliquem si quis criminatur, plurimum fortasse labes ejus contuetur, bonum eo minus animadvertens, adeoque Spiritum in aliis non blasphemat, utut gravissime ceteroquin delinquat. Christus Jesus praeter omnem mensuram Spiritu instructus alieni nihil plane admixtum habuit. Inde blasphemiae, quibus Ipse proscindebatur, multo erant graviores. V. g.

3) *Atque vocabulum hoc,* thesaurus, *copiam aperte indigitans, comprobat, etiam v. praec. vocem* πλήρωμα *non temere pro* pleuitudine *(germ.* Ueberfluss) *accipi; quanquam suis locis, per hebraismum, simpliciter sumi queat pro* re contenta (מלא). *Ipse* Lutherus *non:* was im Herzen ist; *sed:* wess das Herz voll ist. Conf. Luc. 6, 45. *ubi* θησαυρὸς *explicatur per* περίσσευμα. *Haec notari velim ad ea, quae habet* S. R. D. Ernesti neueste theol. Bibl. T. I. p. 809. E. B.

4) *Itaque in margine* Ed. 2. *nec non in* Vers. germ. *articulus* τὰ *utrinque omittendus censetur.* E. B.

5) *Ex* Arabismo *vix putem demonstrari posse, ad* mendacia *restringi debere hoc Salvatoris monitum: nam verba* λέγω δὲ ὑμῖν *haud obscure indicant,* gradatim *incedere sermonem Christi, et a verbis* pravis, v. 35. *memoratis, ad* otiosa *etiam descendere. Confer similem epitasin in* αἰσχρότης, μωρολογία, εὐτραπελία, Eph. 5, 4. *Perpendamus quaeso cautelam, omnibus et Criticis et Doctoribus et Oratoribus sacris, locutionum vim, in moralibus praesertim, investigaturis nunquam non commendandam, quae habetur* Matth. 5, 19. E. B.

6) ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, *in die judicii]* Hem quantus dies! *V. g.*

itized by Google

v. 39. γενεὰ, *generatio*) progenies unius aetatis et indolis. — μοιχαλὶς, *adultera*) proprie etiam: c. 5, 32. et, per synecdochen, valde rea. Jac. 4, 4. — σημεῖον, *signum*) et quidem certi cujusdam generis. Ter hoc vocabulum ponitur, magna emphasi. conf. 2 Cor. 11, 12. ubi sententia est: *occasionem* volunt: neque *occasio* eis datur: similis illi: *signum* quaerunt: *signum* non dabitur. — ἐπιζητεῖ, *quaerit*) *ultra* ea, quae jam vidit: perinde requirit, ac si nullum viderit. — τὸ σημεῖον ἰωνᾶ, *signum Jonae*) i. e. tale, quale in Jona datum est.

v. 40. ἰωνᾶς, *Jonas*) Jonas tum non est mortuus; sed tamen tam non creditus est redux fore a pisce, quam Jesus ex corde terrae. At rediit et ille et hic. — ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, *in ventre ceti*) Jonam in ventre ceti fuisse, dubitari non debet ob angustam balaenarum quarundam gulam. Variae sunt enim cetorum species: atque hodie in eorum ventre cadavera hominum condita reperiuntur. et si non ita esset, tamen illud ponendum, singularem illum fuisse piscem. Jon. 2, 1. — ἔσται, *erit*) Signum in futurum, uti Joh. 2, 19. 6, 62. 39. — γῆς, *terrae*) Inde signum habebunt, non de *coelo* prius, quanquam inde petebant. conf. Luc. 11, 16. Messiae exinanitioni conveniebant signa non nisi a terra, ad opem hominum. Signum illius temporis, illi tempori consentaneum, non noscebant. Matth. 16, 3. Deinde signa ostensa sunt de coelo, et ostendentur. Act. 2, 19. Matth. 24, 30. — τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, *tres dies et tres noctes*) ***Tres dies*** in corde terrae fuisse Jesum, nemo dubitat: *noctes* autem Ille duas quidem ibi fuit, quatenus nox dicit tenebras inter diem et diem interjectas, coll. Marc. 14, 30. et tamen trium dierum totidemque noctium ratio constat, si non astronomice exigas, sed per synecdochen resolvas. Nam *tres dies et tres noctes* efficiunt periphrasin unius notionis, et, si exstaret, vim vocabuli terminique unius, quo commoratio Jesu in sepulcro significetur, quasi dicere *triduinoctium* sive *tria noctidua.* Poterant simpliciter *dies tres* dici; sed est hoc idioma sermonis sacri, ut in designando tempore *continuo* noctes interjectae addantur: c. 4, 2. Gen. 7, 4. 1 Sam. 30, 12. s. Job. 2, 13. et tum concinnius dicitur *tres dies et tres noctes*, quam *tres dies et duae noctes*, quamvis die ipso parasceues, non nocte praevia ei cohaerente, sepultus fuerat Dominus. Ac spectatur noctiduum simpliciter, ut dies naturalis, citra noctis lucisque vicem: et revera primum noctiduum (synecdochice dictum) a feriae sextae hora circiter decima erat usque ad noctem exclusive: secundum, plenissimum, a noctis illius initio usque ad finem sabbati et ad initium noctis sequentis: tertium, proprie dictum, ab initio noctis sequentis usque ad resurrectionem Domini et exortum solis feria prima mane. Itaque duobus certe diebus duae noctes cohaerent; neque una nox uni diei primo demta, veritatem mutat locutionis a potiori rem denominantis. Sane non duo fuere noctidua; neque quatuor: tria igitur. Congruit stilus hebraeorum, de quo vid. Lightfoot. et Wolfium ad h. l. et Michaëlis ad Jos. 2, 16. Haec quanquam satisfacere lectori non injusto possunt; tamen synecdochen non tam *tres dies et tres noctes*, quam ipsa commoratio in corde terrae sibi vindicat. Etenim Scriptura saepe tempus aliquod definit; ac non totam rem ei tempori adaequate inclusam, sed partem rei, diuturniorem ceteris partibus, exprimit: v. gr. annos 430 commorationis in Aegypto, Ex. 12, 40. Et sic totus passim liber Judicum. Hoc igitur loco commoratio in corde terrae, id est, in sepulcro, exprimitur; sed simul innuitur passio, certe inde ab agone in Gethsemane, ubi Jesus in terram, postridie subeundam, procidit, et a captura, qua Judaei templum illud solvere aggressi sunt, (ut Erasmus existimat Annot. f. 134.) imo etiam *illustre* Tridui cum feria quinta initium, Joh. 13, 31. (coll. Harmon. evang. p. 310. 366.) quo tempore Salvatorem licitati sunt Judaei, sub terram mittendum. Haec omnia commoratio in terra latius sumta complectitur. Ps. 71, 20. Etenim filius hominis non modo in sepultura, sed vel maxime in

passione *signum* fuit generationi illi, Joh. 8, 28. Hoc modo ternarius dierum noctiumque praecise completur, a luce feriae quintae ad lucem feriae primae. Tempus mortis duorum testium exacte definitur, 3½ dierum. Ap. 11. Ergo tres dies et tres noctes Domini in medio terrae versantis exacte definitas existimare debemus. *Medium* sive *cor terrae* non debet praecise quaeri: sed opponitur ipsi terrae, in qua plus XXX annos versatus est Christus.

v. 41. ἄνδρες, *viri)* quos secutae sunt uxores et liberi. Versu sequenti unius *feminae* exemplum additur, quae *sapientem* audiit, cum sequior sexus videri posset *prophetiam* potius, quam sapientiam quaerere. — ἀναστήσονται, *insurgent)* v. seq. *excitabitur*. coll. Luc. 11, 32. 31. *insurgent* sua sponte, *excitabitur*, divino nutu. altero verbo vis alterius continetur. — μετὰ, *cum)* — κατακρινοῦσιν, *condemnabunt*) Conf. Rom. 2, 27. Ergo in judicio contra se invicem sistentur, quorum par aut opposita est ratio. — εἰς, *in*) Proprie exprimitur *fides* Ninevitarum. Jon. 3, 5. coll. εἰς Rom. 4, 20. — κήρυγμα, *praeconium*) sine miraculis. *[ut in Salomone*, v. 42. V. g.] — ἰωνᾶ, *Jonae*) de quo etiam v. 39. Nuncii salutis sunt prophetae, sapientes et scribae, cap. 23, 34. Scribam agere, non decuit Dominum. Joh. 7, 15. coll. not. ad Luc. 4, 16. At ex prophetarum genere eum, qui huc maxime quadrabat, Jonam, Propheta summus; idemque, Sapientia ipsa, ex sapientum genere insignem nominat Salomonem: et utroque Amplius adesse significat. utrique creditum fuerat sine signis. πλεῖον, *amplius*) Is, qui potius audiendus. *[futurus ipse judex.* V. g.] — ὧδε, *hic*) in proximo: coll. v. seq. *ex finibus*.

v. 42. νότου, *austri*) ex Arabia felici. — πλεῖον σολομῶνος, *plus Salomone*) Salomo erat sapiens, sed hic est Sapientia. Luc. 11, 49.

v. 43. ὅταν, *quum*) Refutata interpellatione pharisaeorum, prosequitur Jesus ea, quae pendent ex v. 30. coll. Luc. 11, 23. 24. — ἐξέλθῃ, *exiverit*) ut dictum v. 29. — διέρχεται, *transit*) passim. — ἀνύδρων, *aquâ carentia*) Ubi nulla aqua, non habitant homines. Ps. 107, 35. s. — ἀνάπαυσιν, *requiem*) *Requies* nulli non creaturae optabilis. requiem hostes sibi constitutam censent, in homine. — οὐχ εὑρίσκει, *non invenit*) extra hominem. Miserum, semper quaerere, nunquam invenire.

v. 44. οἰκόν μου, *domum meam*) Quod semel occuparat hostis, id in suo aere censet. — ἐξῆλθον, *exivi*) Sic loquitur, quasi non *ejectus*. Vide superbiam, quae non modo ex hoc verbo, sed potius ex toto sermone spiritus impuri patet, sic loquentis, ut si in sua potestate situm esset *exire* vel *venire*. Idem verbum v. 43. Dominus adhibet, absque singulari emphasi. Potest eadem vox vel emphasin habere, vel emphasi carere in diversis sermonibus, pro diverso statu et mente loquentis. — ἐλθὸν, *reniens*) Speculandi causa. — εὑρίσκει, *invenit*) Ergo domus non sic fuerat, antequam ejectus fuerat hostis. — σχολάζοντα, *otiantem*) Tranquillitas, quamvis bona, non longe distat a periculo. Idem verbum, Ex. 5, 8. 17. רפה σχολάζειν. — σεσαρωμένον, *purgatam*) a malis. — κεκοσμημένον, *ornatam*) bonis. v. 28. Munda maxime quaerit hostis, ubi requiescat; non ut munda maneant, sed ut ipse ea quoque immunda reddat.

v. 45. τότε, *tunc)* ut speculatus est. — ἑπτὰ, *septem)* Itaque cum eo sunt *octo*. *Octo* etiam peccata capitalia numeravere patres. vid. Columbanus et ad eum Goldastus: it. Ephraim Syrus f. υχβ. Septem tamen differunt ab uno illo malitia; fortasse etiam inter se. Numerus major includit minores, etiam disjunctive. coll. Luc. 8, 8. cum Matth. 13, 8. Ergo alium v. gr. sex, alium quinque, quatuor etc. spiritus occupare possunt. — πονηρότερα, *pejores*) subtilius operantes, non per crassos paroxysmos. Sunt ergo *impuri* spiritus, qui tamen minus mali sunt: sunt item spiritus valde *maligni* alii. — κατοικεῖ, *habitant*) perseverantius, quam antea. — χείρονα septuplo *pejora* et amplius. — καὶ

etiam) Quod homini accidit in corpore, id generationi isti fiet spiritualiter. *[cui tanta per Christi virtutem liberatio obtigerat.* V. g.]

v. 46. μήτηρ, *mater*) Non plane hîc congruebat sensus Mariae cum sensu Filii. — [1]) αὐτῷ, *ei*) quasi ejus causa. [*Interpellare Eum, animus erat.* Marc. 3, 21. 31. V. g.]

v. 48. τίς, *quis*) Non spernit matrem, sed anteponit Patrem: v. 50. et nunc non agnoscit matrem et fratres, sub hoc formali. Formula corrigendi.

v. 49. καὶ, *et*) Cum severitate summa [2]) conjungitur summa comitas et sobrietas. — ἰδοὺ, *ecce*) Resp. *ecce*, v. 47.

v. 50. ποιήσῃ, *fecerit*) [*tanquam discipulus et auditor.* V. g.] Non dicit, *facit*, sed loquitur cum aliqua conditione. — τὸ θέλημα, *voluntatem*) ex qua regeneramur [Jac. 1, 18.] — αὐτός, *is*) *hic* demum. — ἀδελφός, *frater*) Tertium hoc dicitur, magna vi. — καὶ ἀδελφὴ, *et soror*) *Fratrum* appellatio in plurali, v. 46. seqq. etiam *sorores* complectitur. — μήτηρ, *mater*) Gradatio.

CAPUT XIII.

v. 2. Τὸ] Articulus navem innuit ibi haberi solitam. — καὶ, *et*) ut viderunt Illam populi. — αἰγιαλὸν] Opportuna statio. Hesychius: αἰγιαλός, ὁ παραθαλάσσιος ἐν τόπῳ ψαμμώδει ἢ ψηφίδας ἔχων.

v. 3. ἐν παραβολαῖς, *in parabolis*) Singularis periodus doctrinae Christi, in Galilaea, ad populum: ut ad sacerdotum principes et populi seniores, Hierosolymis. Marc. 12, 1. *coepit*. coll. Matth. 21. 22. Parabolae, in oriente frequentes. Multum ante in utrisque locis docuerat sine parabolis. Parabolae sunt septem: quatuor ad populum, v. 3. 24. 31. 33. et tres, ad discipulos, v. 44. 45. 47 [3]). Primae quatuor, et tres ultimae proprium inter se nexum habent. Illas connectit formula: *Aliam parabolam.* harum initio dicitur, *Iterum simile.* Et quia septima prae aliis consummationem seculi spectat; prima autem eam non spectat, sed prophetiam Esajae ad populum, tempore Jesu docentis, applicat: sane praeter communes et perpetuas regni coelorum sive ecclesiae rationes conveniunt hae septem parabolae, reconditissimum habentes sensum, v. 35. etiam in periodos et aetates ecclesiae diversas: ita quidem, ut alia post aliam in complemento incipiat, non tamen prior quaelibet ante initium sequentis exeat. Prima et secunda, prae sequentibus, explicatae sunt apostolis: in prima, ante explicationem; in secunda, post explicationem dicitur illud: *qui habet aures ad audiendum, audiat.* et prima quidem impleta est, ut diximus, primo tempore; secunda, tempore apostolorum et deinceps; tum enim coeperunt dormire homines, v. 25. tertia et quarta, propagationem regni Dei apud *principes*, et apud *totum* genus humanum, denotant. Quinta, statum ecclesiae occultiorem; sexta, statum regni Dei super omnia aestimati; septima, statum ecclesiae novissimo tempore valde mixtum refert. Illud quaeri potest, utrum septem parabolae ita per totum tempus N. T. extendantur, ut a meta quatuor priorum incipiant tres posteriores; an

---

1) οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ] Hi non erant filii, quos ad Mariam attulisset Josephus. Christus enim, ut Josephi filius, ita primogenitus omnino filius ejusdem habitus fuit. *V. g.*

2) *cujus rationem in loco parallelo* Marc. 3, 21. *quaerendam esse, cel.* Michaëlis *docet in der* Einleitung etc. T. 2. p. m. 1162. E. B.

3) Parabolam de quadruplici agro prius Salvator, quam domum rediisset, *remotis* tamen *arbitris*, sive in mari sive in continente, discipulis rogantibus explicuit, v. 10. coll. Marc. 4, 10. Deinde reliquas parabolas turbae proposuit, Marc. 4, 33. et *domum* reversus petentibus discipulis parabolam quoque de zizaniis illustravit, v. 36. coll. Marc. 4, 34. — Post parabolas hasce, quarum complures ab agricultura desumtae sunt, propositas quum dies aliquot elapsi essent, *messis hordeacea* incepit. Pari modo parabola de sagena (v. 47.), in *mare* conjecta, prope a *mari* fuit prolata. Harm. p. 322.

Digitized by Google

illae quatuor ab initio ad finem decurrant, et item hae tres. Pendet hinc distributio accuratior, quam sapientibus relinquo dijudicandam:

1. Tempus apostolorum.	v. 16.
2. post apostolorum decessum.	25.
3. Constantinus.	32.
4. Sec. IX sub tuba angeli VII.	33.
5. Regnum bestiae et Reformatio.	44.
6. Regnum Dei super omnia aestimatum, ligato Satana.	46.
7. ultima confusio.	47.

— ὁ σπείρων) Christus, *seminator*, in praesenti.

v. 4. παρὰ, *ad*) eo, ubi ager et via inter se attingunt.

v. 5. πετρώδη, *saxosa*) Non innuuntur lapides sparsim in agro jacentes, sed petra sive saxum continuum sub terrae superficie tenui. — οὐκ εἶχε, *non habebant*) Subauditur ἄλλα *alia*, recto casu. — πολλὴν) Hebr. רב *multus*; interdum *nimius*; hic, *sat multus*. — ἐξανέτειλε) non modo ἀνέτειλε, *orta sunt*, sed *in altum creverunt*.

v. 6. ἐκαυματίσθη, *usta sunt*) minus, extrinsecus. — ἐξηράνθη, *exaruere*) prorsus, intrinsecus. [*Homo, cui boni aliquid adhaerescit, jacturam ejus, utut non praecipitem, facere potest.* V. g.]

v. 7. ἀνέβησαν, *ascenderunt*) ultra sementem ipsam. spinae antea minus creverant. Qui verbum audivere, nec tamen in bono crescunt, vigorem vertunt ad incrementum in malo.

v. 8. καλὴν, *bonam*) mollem, profundam, purgatam. — ὃ μὲν, ὃ δὲ, ὃ δὲ) Ref. ad ἄλλα.

v. 9. ὁ ἔχων, *qui habet*) Conf. mox v. 11. 12. 13. 43. Audiens audiat: habenti dabitur.

v. 10. διατί, *quare*) Res nova videbatur discipulis. v. 3.

v. 11. ὅτι, *quia*) Potest referri ad *quare*. conf. *propterea*, v. 13. — ὑμῖν, *vobis*) habentibus. — τὰ μυστήρια, *mysteria*) Sic appellantur non omnia, quae omnes scire debent ex revelatione: sed quae prae iis, qui necessaria norunt, ii, quibus arcana revelantur, sciunt. — ἐκείνοις, *illis*) Hoc vim habet removendi. — οὐ δέδοται, *non datum est*) nosse mysteria nuda.

v. 12. ἔχει, *habet*) *Habere* significat divitem esse. qui habet, criterio *habentis* gaudet, et de perseverantia in dies fit certior. — περισσευθήσεται, *redditur abundans*) et se ipsum vincet. [*Id in temporalibus fit, ac potius in spiritualibus* V. g.] — ὅστις οὐκ ἔχει, *qui non habet*) Huc ref. ὅτι, *quia*, v. 13. et ad *tolletur* refer *ne quando*, v. 15. — καὶ ὃ ἔχει) *etiam* ea res, *quam habet*, tolletur. — ἀρθήσεται, *tolletur*) Etiamsi audiat, tamen non audiet: et quod audiit, tandem, praesertim post judicium, ita auferetur ab eo, ac si nunquam audiisset quicquam. Damnati torquebuntur ignorantia et siti sciendi.

v. 13. ὅτι, *quia*) Non igitur sine causa Jesus per parabolas ad populum est locutus. Et tamen saepe sine parabolis antea locutus erat, cum misericordia: c. 9, 36. Marc. 6, 34. nec profecerant. — οὐδὲ συνιοῦσι) *neque animadvertunt*.

v. 14. καὶ, *et*) adeoque. — ἀναπληροῦται) Hoc differt nonnihil a πληροῦται, quod alias in prophetiis allegandis adhibetur. Dictum Esajae, (c. 6, 9.) tempore Esajae et deinceps, ac plane tempore Messiae implebatur. — ἀκοῇ, *auditu*) Id est, quam proxime aberitis, et tamen aberitis.

v. 15. ἐπαχύνθη γὰρ) Sic LXX, sed in Hebraeo non est particula causalis. Sermo autem celeriter se ab iis avertit. — ἡ καρδία, τοῖς ὠσὶ, τοὺς ὀφθαλμοὺς, *cor, auribus, oculos*) Haec tria mox ordine retrogrado occurrunt: *oculis, auribus, corde*. Cor initio primum est, in fine extremum. a corde corruptio manat in

Digitized by Google

aures et oculos: per oculos et aures sanitas pervenit ad cor. — ἐκάμμυσαν) *clauserunt*. — μήποτε — ἰάσωμαι, *ne quando — sanem*) Ergo Deus voluerat sanare illos: et plane propinqua eis erat sanatio; si modo advertissent. Marcus: *et remittantur illis peccata*, c. 4, 12. conf. Ps. 103, 3. — συνῶσι, *intelligant*) Subjectum quo συνέσεως et νοήσεως, est cor, non cerebrum: uti etiam πωρώσεως, Joh. 12, 40., et σκοτασμοῦ, Rom. 1, 21. sic quoque ἀπιστίας et πίστεως. eam sequitur ἐπιστροφή. [*Nimirum cum verbo* συνῶσι *accentus hebraici illud* καὶ ἐπιστρέψωσι, *propius nectunt, quam cum* ἰάσωμαι. *Atque compluribus in locis ex V. T. in Novo allegatis* accentus hebraici *cum vi ipsorum verborum coelestium accuratius conveniunt, quam distinctiones a Graecis adjectae, v. g.* Matth. 4, 15. 19, 5. 21, 5. Luc. 4, 18. Act. 7, 6. 8, 32. Hebr. 1, 12. 3, 9. 12, 26. 13, 6. *Et hi tamen fuere Christiani. Ergo non debemus accentus illos a Judaeis recentioribus coecitati suae relictis profectos existimare. Altioris sublimiorisque sunt originis.* App. Crit. Ed. II. p. 120.]

v. 16. ὀφθαλμοί, ὦτα, *oculi, aures*) corporis, prae sanctis V. T. et animae, prae populo praesenti. Subjectum quo beatitudinis.

v. 17. προφῆται, *prophetae*) 1 Petr. 1, 10. 12. not. — ἐπεθύμησαν, *concupiverunt*) eaque cupiditas pia fuit, et pretiosa coram Deo. Joh. 8, 56. not. — οὐκ εἶδον, *non viderunt*) Hebr. 11, 13. 39.

v. 18. ὑμεῖς, *vos*) prae populo. — τοῦ σπείροντος) de *Seminante*, a Seminante dictam.

v. 19. μὴ συνιέντος) Συνιέναι, *animadvertere*. Quae semel in σύνεσιν penetrarunt, in ea minus potest, *Malus* sive *diabolus*, qui unus, prae angelis suis, per volucres significatur. — ἁρπάζει, *rapit*) vi, et arte celerrima, ut avis rapax. v. 4. — ἐν τῇ καρδίᾳ) *in corde*. — σπαρείς, *consitus*) instar fundi.

v. 20. ὁ δὲ, *qui vero*) In quavis anima unus praecipue character eminet. — εὐθὺς, *statim*) Celeritas nimia et laetitia non semper signum optimum: ubi totus vigor ad externa se diffundit et in iis se consumit. — μετὰ χαρᾶς λαμβάνων, *cum gaudio accipiens*) Gal. 4, 14. s.

v. 21. ῥίζαν, *radicem*) quae plane necessaria est, et ex ipso verbo existit. — πρόσκαιρός ἐστι, *temporarius est*) Dum tempus fert, credit. Luc. 8, 13. πρόσκαιρος dicit per se bonum quiddam, sed sine perseverantia. ideo sequitur δὲ adversativa, et εἶτα, Marc. 4, 17. — θλίψεως, *afflictione*) in genere. — διωγμοῦ, *persecutione*) in specie. [*quod vel obliquo vultu, dicteriove ad illusionem accedente fieri queat.* V. g.] — διὰ τὸν λόγον, *propter verbum*) quum id ore propagatur, vitaque exprimitur. — εὐθὺς, *statim*) Quod cito fit, cito perit [1]).

v. 22. ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, *fraus divitiarum*) [*quae varia est, et quamvis horrendum in modum fallat, vix tamen unquam consideratione digna videtur.* V. g.] Divitiae auferunt animam suavitate sua, *curae* opposita h. l. [2]) — ἄκαρπος γίνεται *sterile fit*) *verbum*, scil. in homine. Vid. Marc. 4, 19. Verbum in audiente non pervenit ad fructum idoneum et consummatum, qui sit usui. homo οὐ τελεσφορεῖ, Luc. 8, 14. Thomas Magister: εὔκαρπα δένδρα, ὧν ὁ καρπός ἐστι χρήσιμος ἀνθρώποις εἰς τροφήν· ἄκαρπα, τὸ ἐναντίον, ὧν τοῖς καρποῖς οὐ χρῶνται οἱ ἄνθρωποι· ἄκαρπον δὲ, τὸ μὴ ποιοῦν καρπὸν, παρ᾽ οὐδενὶ τῶν παλαιῶν εὕρηται.

v. 23. ὅς, *qui*) auditor. coll. Marc. 4, 20. Alias poterat ὅς etiam referri ad τὸν λόγον. — καρποφορεῖ) *fert fructum* consummatum. — ὃ μὲν, ὃ δὲ, ὃ δὲ κτλ.

---

1) σκανδαλίζεται] adeoque ad infidelitatem relabitur. *V. g.*

2) συμπνίγει, *suffocat*] Multi ita in tractando Verbo DEI versantur, ac si non fundus esset cor, in quo semen perstet ac vigeat, sed granarium, quod penoris modo minus modo plus, modo aliquid modo nihil queat continere. *V. g.*

Digitized by Google

Accusativus, neutro genere. nam subjectum ὅς, singulari numero hic expressum. non fert subdivisionem sui, in tria bonorum Verbi auditorum genera, per ὁ μὲν, ὁ δὲ, ὁ δὲ, quod vulgo legitur. Porro etiam protasis habet ὃ, v. 8. et parallelus locus ἓν, item bis, Marc. 4, 8. 20. Unius auditoris progressus ex tribus v. gr. granis, copiosus, mediocris, minus copiosus, significatur, per *centum, sexaginta, triginta.* [*quando unam eandemque doctrinam occasione vel centies data in suum aliorumque usum vertit.* V. g.] Quemadmodum triplex est gradus audiendi sine fructu; sic triplex copia fructuum, quae tamen non praecise ad 100 et 60 et 30 restringitur. nam aliud potest etiam facere 40. 50. 70. 80. 90 etc. 100 longius absunt a 60, quam 60 a 30. Habenti dabitur.

v. 24. παρέθηκεν, *proposuit*) uti convivae proponitur cibus [1]). — ἐν τῷ ἀγρῷ, *in agro*) in quo ipse est: nam non dicitur, *in agrum.*

v. 25. τοὺς ἀνθρώπους, *homines*) quorum erat custodire agrum. Ipse Dominus non dormit. — αὐτοῦ, *ejus*) Non dicitur, *eorum.* — ζιζάνια) Hoc vocabulum neque LXX. habent, neque antiquiores Graeci. Igitur ex hebraeo זִיז *flos* formatum noscitur. Multi inter frumenta flores nascuntur agricolis molesti. — ἀνὰ) ubique, in medio, inter triticum. — ἀπῆλθεν, *abiit*) [*patrator ut ne innotesceret.* V. g.] Inde aliquantisper latuere zizania.

v. 26. τότε, *tunc*) Ubi bonum crescit, ibi malum tum demum magis apparet.

v. 27. κύριε, *Domine*) Nomen Filii hominis, v. 37. — πόθεν, *unde*) Non norant servi, quis fecisset, aut quando. — ζιζάνια, *zizania*) Zizania majorem speciem habent, quam cardui et spinae. Ergo a tolerantia illorum ad horum non valet consequentia. Saepe et pro tritico se venditant, et triticum tanquam zizania eradicare conantur.

v. 29. οὔ· *non*) Zelus, quem habent pii, contra zizania, non reprehenditur; sed tamen in ordinem redigitur. — ἅμα) *eodem tempore.* — τὸν σῖτον, *triticum*) quod pro zizaniis haberetis.

v. 30. συναυξάνεσθαι, *una crescere*) Incrementa in bono et malo simul fiunt, apud singulos interdum; et apud universos maxime, et quo longius procedunt tempora, eo exstantiora sunt utraque. — καιρῷ, *tempore*) Tum demum erit opportunum. — πρῶτον, *prius*) ut spectent pii poenam impiorum; impii gloriam piorum ne videant. Sic Matth. 25. judex justos quidem prius alloquitur, sed tamen postea v. ult. impii prius in ignem aeternum ablegantur. — δέσμας, *fasciculos*) Ut σταθμὸς στάθμη, λῦμα λύμη, sic δεσμὸς, δέσμα, δέσμη dat. vide Eustathium. Carebunt libertate: conjungentur homogenea. — κατακαῦσαι) Urentur et *comburentur.* — δὲ, *autem*) Tum erit perfecta separatio. — συναγάγετε) *colligite* et portate.

v. 31. ἄνθρωπος, *homo*) Similitudo a viro: uti v. 33. a femina. conf. Luc. 15, 4. 8.

v. 32. ὃ, *quod*) semen. nam κόκκῳ est masculinum. — μικρότερον, *minimum*) non absolute, sed spectata proportione seminis ad germen. Erat species seminis notissima, proverbio trita. c. 17, 20. — σπερμάτων, *seminum*) Mundus habet varia sapientiae, potentiae, virtutis semina: ea omnia vicit fides christiana, per omnem mundum propagata. Grano simile est regnum coelorum, adeoque tota res christiana, fides etc. Varie haec possunt exprimi. *Fides* innuitur omnium credentium, qui fidem amplectuntur ante alios. Hi alii sunt, qui postea credunt, gentes, reges etc. — μεῖζον) *majus.* — λαχάνων, δένδρον, *oleribus, arbor*) Duo

---

1) ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *regnum coelorum*] Hujus quotiescunque mentio fit in sermonibus et parabolis Domini, id ipsum totius Evangelii succincta recapitulatio habenda est. *V. g.*

Digitized by Google

genera vegetabilium. Exempla talium arborum ingentium affert Tremell. ad Syr. h. l. *arbor*, v. gr. Constantini tempore. [*Per mundum universum regnum Christi dispanditur*. V. g.] — τὰ πετεινὰ, *volucres*) Ez. 17, 23. — κλάδοις) patulis *ramis*.

v. 33. ἐνέκρυψεν) טמן LXX, ἐγκρύπτω. Ez. 4, 12. unde ἐγκρυφίας. — σάτα τρία, *sata tria*) Quantum uno tempore ab homine portari, vel ad pinsendum sumi soleret. Gen. 18, 6. — ἐζυμώθη, *fermentatum est*) Retulerim hoc ad propagationem potius, quam ad corruptelam ecclesiae. [*Nulla sane urget necessitas, ut fermentum pro re culpabili habeas: hinc malum fermentum dicitur fermentum* vetus, 1 Cor. 5, 7. V. g.] *Fermentum* est ipsum *regnum coelorum*, cujus rationes et evangelium et apostolos complectuntur. — ὅλον, *tota*) sc. farina. [*Parvum fermentum, ut in malo*, Gal. 5, 9., *sic in bono totam massam fermentat*. V. g.] Magna vis! Videtur hoc pertinere ad totum genus humanum, quod refert *tria sata*, ex tribus Noachi filiis propagatum in orbe terrae [1]).

v. 35. τὸ ῥηθὲν) Ps. 78, 2. ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου, φθέγξομαι προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς. — προφήτου, *prophetam*) qui cecinit psalmum illum. Spiritus Christi erat in prophetis: ideo prophetae potuerant suo modo de se praedicare, quae postea in Christo uberrime impleta sunt. — ἀνοίξω, *aperiam*) Antea non erat factum. — ἐρεύξομαι) Hebr. אביעה *scaturiam*: quod LXX. alias reddunt ἐρεύγομαι, Ps. 19, 3. et ἐξερεύγομαι, Ps. 119, 171. 145, 7. Hesychius: ἐρεύγεται, ἀναβάλλει, scil. fons aquas. Idem, ἐρεύγετο, ἐβρύχετο, ἔβρυεν. dicitur autem βρύχειν de strepitu fluctuum et rugitu leonis. Igitur ἐρεύγομαι denotat scaturiginem prae copia et impetu sonoram. unde LXX. etiam pro שאג *rugire* ponunt ἐρεύγεσθαι. — καταβολῆς) Non solum dicit fundamenta, sed structuram. 2 Macc. 2, 29.

v. 36. φράσον, *explica*) Discipuli dociles amplius rogant.

v. 38. οὗτοι, *hi*) quorum habetur ratio maxima: vel inprimis, praesentes discipuli. — τοῦ πονηροῦ, *mali*) Masculinum.

v. 39. συντέλεια· ἄγγελοι, *consummatio: angeli*) Praedicatum, in contextu: extra contextum, subjectum. συντέλεια, v. 49, concursus τῶν τελῶν, 1 Cor. 10, 11.

v. 41. αὐτοῦ· αὐτοῦ, *suos: ejus*) Majestas Filii hominis. Hujus sunt *angeli*, coll. v. 39. fin. Hujus est *regnum* coelorum. Hujus est *mundus*. v. 38. coll. v. 24. — βασιλείας, *regno*) quod est regnum gratiae. — σκάνδαλα, *offendicula*) quae bonum semen impedierant, etiam apud alios. Horum poena praecipua est.

[2]) v. 42. καὶ βαλοῦσιν, *et jacient*) Id recurrit v. 50. totidem verbis.

v. 43. τότε, *tunc*) amotis impiis. — ἐκλάμψουσιν) non ardebunt, ut impii: sed *effulgebunt*, singuli, et multo magis universi. [*Quid vel cogitatu jucundius?* V. g.] Idem verbum, Dan. 12, 3. LXX. — τοῦ πατρὸς αὐτῶν, *Patris sui*) qui justus est, et gloriosus. Quanta justorum differentia a *filiis* mali! v. 38. — ὁ ἔχων ὦτα, *qui habet aures*) Formula non solum populo, sed etiam discipulis accommodata.

v. 44. θησαυρῷ, *thesauro*) non frumenti, [*ut* Jer. 41, 8. V. g.] sed auri, gemmarum etc. — κεκρυμμένῳ· ἔκρυψε, *occulto: occultavit*) Latuerat inventem: deinde inveniens celavit alios. *occultavit* in ipso agro, ubi invenerat. Studium et prudentia sanctorum. Prov. 7, 1. Abscondita illi inveniunt: inventa abscondunt. Inventio thesauri non praesupponit τὸ *quaerere*, ut margaritae, quae percontatione inveniuntur. — χαρᾶς, *gaudio*) Gaudium spirituale, stimulus abnegandi mundi. — αὐτοῦ, *ejus*) Ref. ad *thesaurum*. vel est adverbium. — ὑπάγει,

---

1) *Conjecturam hanc vix* ridendam *judicaverit, qui meminerit, unius rei vel dictionis non unam tantum (qualis ad σάτα τρία h. l. notata est) sed* plures *posse causas esse.* E. B.

2) τὴν ἀνομίαν, *iniquitatem*] pro sua parte. *V. g.*

Digitized by Google

abit) Praesens, ut *vendit, emit*. Versu 46. ponitur praeteritum. Actum sequitur status.

[1]) v. 45. οὐρανῶν, ἀνθρώπῳ· *coelorum, homini*) Coelestium similitudines, ex humanis v. 52. c. 18, 23. 20, 1. 22, 2. — ἐμπόρῳ) Ἔμπορος, qui mercaturae causa peregrinatur et navigat. — μαργαρίτας, *margaritas*) Pluralis in singularem transit versu seq.

v. 46. ἕνα, *unam*) incomparabilem. Id ipsum est regnum coelorum.

[2]) v. 47. ἐκ παντὸς γένους, *ex omni genere*) Joh. 21, 11. not.

v. 48. ἐπληρώθη, *impleta est*) Numerus malorum et justorum complebitur in novissimis diebus. — καθίσαντες, *sedentes*) studiose. — καλὰ, σαπρὰ, *bona, putrida*) individua piscium ex quovis genere. [*Quî non se ipsum fastidiat malus homo?* V. g.] — ἔξω, *extra*) *sagenam.*

v. 49. πονηροὺς, *malos*) et injustos. — ἐκ μέσου, *ex medio*) Mali, etiamsi plures sunt, non censentur. Conf. v. 30. — τῶν δικαίων, *justorum*) et bonorum.

[3]) v. 51. πάντα, *omnia*) Reliquas Jesus parabolas item paratus erat discipulis explicare. Sed intelligebant; si non perfecte, tamen vere.

v. 52. πᾶς γραμματεὺς, *omnis scriba*) Jesus neque est *scriba*, neque μαθητευθεὶς *initiatus*. loquitur ergo de discipulis: et quod versu 12. propriis verbis dictum erat, id nunc, quum discipuli tantisper profecere (unde etiam *scribae* appellantur,) per paroemiam eis confirmatur. *Scriba* est homo doctrina vel etiam literis V. T. imbutus: itaque huc ref. *vetera*, ex Mose et prophetis nota. Hoc genus est: accedit species, μαθητευθεὶς κτλ. i. e. homo *novi* praeterea Test. doctrina *initiatus*. huc ref. *nova*, tum primum revelata. v. 35. *Nova* hîc memorantur ante *vetera*. nam haec ex illis lucem et gustum sumunt, et tandem suavissime contemperantur. 1 Joh. 2, 7. 8. — μαθητευθεὶς) Βασιλεύω, regem facio et regem ago; sic μαθητεύω, discipulum facio, (μαθητὰς ποιεῖν Joh. 4, 1.) et *discipulum ago*, c. 27, 57. Prior notio obtinet h. l. *discipulus factus*. — τῇ βασιλείᾳ) Alii, εἰς τὴν βασιλείαν. Utravis lectione, per metonymiam sive per prosopopoeiam, innuitur Christus ipse, uti c. 11, 12. Si εἰς placet, confer 2 Cor. 11, 3. sin Dativus [4]) conf. c. 27, 57. — ἀνθρώπῳ, *homini*) Omnes fere parabolae a rebus *humanis* sumtae sunt, ad perspicuitatem. — ἐκβάλλει, *promit*) copiose. — θησαυροῦ, *thesauro*) frumentario. — καινὰ καὶ παλαιὰ, *nova et vetera*) Locutio proverbialis, de bona copia, ex anno praeterito ac praesenti. Cant. 7, 13. *Nova*, ut ex bonis *regni coelorum*: *vetera*, ut *scriba* in scripturis. conf. v. 35. [*Nova jam palmam habent*. V. g.]

v. 53. ἐτέλεσεν, *absolvit*) Hae parabolae orbem quendam et systema conficiunt. sic, *absolvit*: c. 11, 1. *implevit*. Luc. 7, 1. Ostenditur autem per eas, praeter communem conditionem ecclesiae N.T. specialior ratio futurorum eventuum. conf. not. ad v. 3. et ad Joh. 16, 13. — μετῆρεν, *migravit*) Finem fecit tantisper habitandi in Capernaum [5]). Deinceps Jesus, ab Herode exagitatus, minus uno loco mansit.

---

1) τὸν ἀγρὸν ἐκεῖνον, *agrum istum*] cum thesauro. Lucrandi studio si teneare: hanc parabolam sequere. *V. g.*

2) πέπρακε] *vendidit*. Hoc vero est omnibus, quaecunque habueris, renunciare. *V. g.*

3) V. 50. εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρὸς, *in fornacem ignis*] O miseros, qui assantur inibi! *V. g.*

4) *quem* utriusque Editionis *margo cum* Vers. germ. *praefert*. E. B.

5) Eodem modo idem dicitur c. 19, 1. de ultimo Salvatoris itinere ex Galilaea in Judaeam, ante Passionem, suscepto, coll. Jer. 39, 9. Itaque verbum istud opponitur habitationi, quam sat longo tempore in Capernaum habuerat Salvator, c. 4, 13. Non multo post denuo Salvator eo rediit; sed lustratione discipulorum facta, mox iterum abiit, Joh. 6, 22—71. Idem anni fere interjecto spatio factum est Matth. 17, 24.; quae ipsa omnium postrema visitatio fuit. Alloquium ad urbem Capernaum Luc. 10, 15. eminus prolatum est, itineris ad Passionem ducentis non exiguâ parte jam absolutâ coll. Luc. 9, 51. Eâdem deinceps ratione Hierosolymas allocutus est eminus Luc. 13, 34. *Harm.* p. 324.

Digitized by Google

v. 54. [1]) σοφία, δυνάμεις, *sapientia, virtutes*) 1 Cor. 1, 24. Admiratione doctrinae et operum Jesu provehi debemus ad fidelem personae agnitionem: alias admiratio in stuporem desinit.

v. 55. τέκτονος) *fabrii lignarii*. — ἡ μήτηρ, *mater*) Hinc colligi potest, Josephum pridem fuisse mortuum; Mariam vixisse sine splendore. — μαριὰμ, ἰάκωβος, *Maria, Jacobus*) Hos sic appellant, quasi nil haberent, nisi nomen; quo nomine notissimi essent.

v. 56. ἀδελφαὶ, *sorores*) Has ne nominare quidem dignantur.

v. 57. ἐσκανδαλίζοντο, *offendebantur*) ut fit iis, qui unum observant, altero, quod potius observandum erat, non observato. — προφήτης, *propheta*) In propheta sunt duo: quiddam commune, vulgare, naturale, domesticum: et quiddam eximium, coeleste, spirituale, publicum. hoc non observant, qui illud norunt. familiaritas parit contemtum; in patria, magis etiam domi. — ἄτιμος, *contemtus*) Contemtus, quem propheta fert alibi, non est contemtus, si comparetur cum contemtu in patria. alibi aliquid certe honoris habet.

v. 58. ἀπιστίαν, *infidelitatem*) Causa, cur hodie non fiant miracula multa, non tam est fides plantata, quam *infidelitas* regnans.

CAPUT XIV.

v. 1. Καιρῷ, *tempore*) Jam circiter annum publice egerat Jesus. — ἤκουσεν, *audivit*) Novis rebus perstrepunt aures et aulae regum: sed spiritualia ubique dicta vix tandem eo perferuntur. [*Et si omnino perferuntur, manca sunt et falsis mixta, neque facile vertuntur in usum. Attamen laetabilis exceptio locum hic subinde obtinet.* V. g.]

v. 2. παισὶν, *ministris*) Amici principum, plerumque juvenes. In terrore, magni cum parvis promiscue loquuntur. — οὗτος, *hic*) Herodem vexabat conscientia. [2]) non erat talis regis decidere. statuebat, cum dubitatione. Luc. 9, 7. 9. Erat Herodes Sadducaeus: sed Sadducaeismus nutat, ubi novum quiddam occurrit. Ratio priscis vel certe mortuis sanctis mavult adscribere res miras, quam vivis; et iis, quos semel magni facere coepit, quam aliis. [*Johannes celerrime consummatus fuit: sed qui vita eum privarant, pessime deinceps luebant.* V. g.] — ἰωάννης, *Johannes*) Virtutes Jesu ante mortem Johannis non audierat. Johannes in vita non fecerat miracula: sed quia vir sanctus fuerat, homines existimant, vim miraculosam tamen in eo fuisse. conf. c. 16, 14. Tantam vim etiam apud non sanctos habet existimatio sanctitatis. Porro vel mortuo Johanni adscriptae sunt actiones Christi. debuit igitur ille decrescere, ut Christus crescceret. De iis, quae Christi prodromus ante Ipsum occisus defunctis nunciarit, evangelizarit, multa dicunt Graeci communiter, apud Leonem Allatium de libris ecclesiast. Gr. p. 303. s. et apud Wetsten. ad Dial. c. Marcion. p. 33. itemque Latini, quos citat Ittig. Diss. de Ev. mortuis annunciato, §. XI. quibus add. Ambros. ad Luc. 1, 17. et Gers. Lect. 2. super Marcum. — ὁ βαπτιστὴς, *Baptista*) Hoc cognomen Johanni tribuit etiam Herodes, etiam Herodiadis filia, etiam Josephus. Ita celebratum fuit. — αὐτὸς) ipse. — αἱ δυνάμεις, *virtutes*) Has describit, quasi substantiales. — ἐν αὐτῷ, *in illo*) in Jesu.

v. 3—12. ὁ γὰρ κτλ.) Johannis mortem non opus erat aut in V. T. praedici, aut ex professo et ordine describi. quia is non est pro nobis mortuus.

---

1) εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ] Quemadmodum Nazaretae solenni plane modo in publicum prodierat Luc. 4, 16.: ita, relicta Capernaum, Nazaretam denuo revertitur. Tum Nazareni, quae Luc. 4, 23. praedicta fuerant, ajebant. *Harm.* l. c.

2) *Tantum abfuit, ut* per jocum *haec diceret.* E. B.

Digitized by Google

Pulcre autem resumitur ejus mentio, vigente jam Christo. — ἡρωδιάδα, *Herodiadem*) Huic Eliae inimica fuit regia mulier; ut veteri, Jesabel. — τοῦ ἀδελφοῦ, *fratris sui*) φιλίππου praemittunt plerique, ex Marco. [1]) qui quum solus hunc Herodis fratrem memorat, non ex Matthaeo omnia sumsisse noscitur. Brevior apud Matthaeum lectio, per Vulgatam servata est. *fratris*, vivi, nec improlis, ut docet Josephus l. 18. c. 7. sed satis erat, quod *frater* esset. Utriusque etiam neptis ex fratre Aristobulo erat Herodias.

v. 4. οὐκ ἔξεστι, *non licet*) Johannes vim veritatis amarae non fregit argumentis nimiis conciliantibus: nec verba erant mollia, nec vestis. Johannes non venit in Galilaeam: sed tamen potuit Herodem reprehendere. — σοὶ, *tibi*) Peccata, regum etiam, in secunda persona debent redargui. — ἔχειν, *habere*) Causas matrimoniales non possunt plane abdicare theologi: c. 19, 3. s. quorum est quaerere de omni eo, quod *licet* vel non licet. Conf. c. 22, 17.

v. 5. ἐφοβήθη, *timuit*) Saepe ii timent, qui testes veritatis opprimunt: neque tamen ipsi testes timent oppressores suos. [*Malum propositum, vix inchoatum, ubi se occasio levisucula obtulerit, ad actum posthaec deducitur.* V. g.]

v. 6. γενεσίων) diei, quo vel natus est (LXX. Gen. 40, 20.) vel regnare coepit. Dies illustres magnum comitatur peccandi periculum. [*Ejus generis sunt v. g. Encaenia, nundinae etc. quae ubi ex more celebrantur, frequenter futiles laetitias taedia excipiunt atque lamenta. Nec tamen meliora persuaderi sibi mundus patitur.* V. g.] — ὠρχήσατο, *saltavit*) Res levis, ansa rei gravissimae. — θυγάτηρ, *filia*) Salome. — ἐν τῷ μέσῳ, *in medio*) inspectantibus omnibus, in convivio.

v. 7. ὡμολόγησε, *confessus est*) Saltando petierat puella: cui rex etiam antehac natali die suo videtur aliquid dedisse solitus.

v. 8. προβιβασθεῖσα, *ante instructa*) antequam peteret. — ὧδε, *hic*) antequam regem poeniteret. — πίνακι, *patina*) quam fortasse in manu tenuit. Res horrendas impii sciunt cum euphemia verbis elegantibus proferre.

v. 9. ἐλυπήθη, *contristatus est*) Latuerat in rege judicii aliquid. Mali propositi exsequendi necessitas subita percellit etiam pessimos. Gaudia mundi comitatur tristitia. — ὁ βασιλεὺς, *rex*) *tetrarcha*, proprie. v. 1. — συνανακειμένους, *una discumbentes*) Rex convivas timuit: convivae, regem. hi, cum Johannem deprecari debuissent, non deprecati, participes facti sunt caedis.

v. 10. ἀπεκεφάλισε, *decollarit*) Vel hoc mortis genus argumento erat, Johannem non fuisse Messiam. coll. Joh. 19, 36. [*A Christi nimirum corpore ne os quidem ullum, nedum caput, auferri decebat.* V. g.] — ἰωάννην, *Johannem*) Non omnis subita et violenta mors, misera; vel si caput auferatur.

v. 11. μητρὶ, *matri*) quae sine dubio crudeliter tractavit.

v. 12. σῶμα, *corpus*) sine capite. — ἐλθόντες, *venientes*) Ea re profuit discipulis Johannis, mors ejus. — ἀπήγγειλαν, *annunciaverunt*) Nuncium, qua animi significatione acceperit Jesus, non exprimitur: accepit videlicet, ut Dominum decuit.

v. 13. ἀκούσας, *audiens*) ea, quae a v. 1. ad 12. memorata sunt. [*famam scil. suam ad Herodem pertigisse.* Conf. Joh. 4, 13. Harm. p. 331.] — ἀνεχώρησεν, *secessit*) Interfector Baptistae indignus erat, qui videret audiretque Dominum. c. 21, 23—27. Postea quidem eum vidit, Luc. 23, 8. sed non sponte accedentem, verum hostium violentia adductum, itaque hic aspectus Herodi non fuit signum gratiae. Confer de Samuele et Saulo. 1 Sam. 15, 35. et 19, 24.

---

1) Gnomonis *haec observatio propius convenit* utriusque Editionis *margini*, *quam* Versioni germ., *quae* Philippi *nomen h. l. retinet.* E. B.

itized by Google

— κατ᾽ ἰδίαν, *seorsum*) nemine assumto, nisi discipulis. — πεζῇ, *pedibus*) vid. Eustath.

v. 14. ἐξελθὼν, *egressus*) e secessu, in publicum.

v. 15. ὀψίας, *vespere*) Varios gradus habet vesper. v. 23. — ἡ ὥρα, *hora*) dimittendi populi, capiendi cibi et quietis, vel cibi peregre petendi. — ἑαυτοῖς, *sibi*) Discipuli videntur interdum illis emisse.

v. 16. οὐ χρείαν, *non opus*) Quod non opus est, de eo videlicet non est laborandum. — ὑμεῖς, *vos*) significanter. Rudimenta fidei miraculorum apud discipulos.

v. 17. ἄρτους, *panes*) singulatim paratos.

v. 19. ἀνακλιθῆναι, *collocari*) Exercetur populi fides. — τοὺς) quicquid aderat. — ἀναβλέψας, *sursum oculos tollens*) Jesus omnia retulit ad Patrem, Joh. 11, 41. 17, 1. praesentissima fiducia; secus ac peccatores. Luc. 18, 13. — οἱ δὲ μαθηταὶ, *discipuli vero*) Praeludium administrationis futurae. Act. 4, 35.

v. 20. πάντες, *omnes*) Quanto magis in S. Coena *omnes* possunt *uno* Domini corpore pasci? — κλασμάτων, *frustrorum*) panis sapidissimi. conf. Joh. 2, 10. Solidissimum miraculum. Populi non erat auferre aliquid, curiositatis causa. — δώδεκα, *duodecim*) Cap. 16, 9. not. Etiam piscium reliquiae erant. Marc. 6, 43. Servabatur ad cibum futurum, non, ut manna, memoriae causa.

v. 21. γυναικῶν καὶ παιδίων, *mulieribus et pueris*) quorum sine dubio non levis numerus.

v. 22. εὐθέως, *statim*) Rebus bene per nos actis non debet immorari consideratio nostra. — ἠνάγκασεν, *coëgit*) magnis, ut credere fas est, de causis. Non libenter navigabant soli. — τὸ πλοῖον, *navem*) de qua v. 13. — ἕως, *donec*) Nil dixisse dicitur, se precaturum. Exemplum praebuit precandi in occulto.

v. 23. τὸ ὄρος, *montem*) qui erat in ea regione. Montes et loci editi. Act. 10, 9 opportuni precibus: ob solitudinem, sub coelo. — κατ᾽ ἰδίαν, *seorsum*) ne discipulis quidem praesentibus. In tali secessu res gestae sunt maximae, inter Deum et Mediatorem. Non intercessit actio scenica. Quid Christus egerit cum Patre, colligi potest v. gr. ex Ps. 16. Luc. 11, 2. s. coll. v. 1. Joh. 17. — προσεύξασθαι, *precatum*) ultra mediam noctem v. 25. Fructum vide versu 33. s.

v. 25. τετάρτη, *quarta*) *extrema*. Apud Judaeos quoque nox divisa erat in quatuor vigilias. Aliquandiu debuerunt laborare, dum opem tulit. — ἀπῆλθε, *abiit*) Precibus, quae diu durarant, tamen quasi abruptis, abiit ad juvandos discipulos. — περιπατῶν, *ambulans*) vento flante.

v. 26. ἐταράχθησαν, *turbati sunt*) Saepe Christum pro alio potius, quam pro Christo habemus. conf. v. 2. Jam non solum mare, sed etiam Dominum formidabant. — φάντασμα) φάντασμα, φάσμα, idem. Sap. 17, 15. 4. nec valde differt φαντασία. ib. c. 18, 17.

v. 28. κέλευσον, *jube*) Egregius motus fidei. Petrus, Jesu desiderio, navem relinquit, sive super mari ambulandum est, sive natandum per mare. Joh. 21, 7.

v. 29. ἐλθὲ, *veni*) Qui se ultro offert, ab eo plus postulatur: magis tentatur: potentius servatur.

v. 30. βλέπων, *videns*) Et *sensit* Petrus, et in undis *vidit*. — τὸν) Ventus fortis antea fuerat, sed a Petro non ita observatus. — ἐφοβήθη, *timuit*) quamvis piscator esset, nandi peritus. Joh. 21, 7. Qui gratia niti coeperunt, natura minus uti possunt. — καταποντίζεσθαι, *submergi*) Pro modo fidei ferebatur ab aqua: sicut pro modo manuum sublatarum Mosis vicit populus.

v. 31. ὀλιγόπιστε, *parvam fidem habens*) Etiam magna fides, tamen est

Digitized by Google

exigua respectu ejus fidei, quae in nobis esse debebat. Constantia debet adesse. — εἰς τί, *quorsum?*) quo fructu? Non reprehenditur, quod exierit e navi; sed quod non manserit in firmitate fidei. tentationi se obtulit; recte: sed perstare debebat. — ἐδίστασας, *dubitasti*) Fidei natura perspicitur ex opposito, quod est dubitatio et metus. Marc. 5, 36. Rom. 14, 23. Jac. 1, 6. [1] [2]

v. 36. μόνον, *tantum*) Pia humilitas. [3]

CAPUT XV.

v. 1. [4]) Οἱ ἀπὸ ἱεροσολύμων, *Hierosolymitani*) qui videbantur auctoritate praepollere, et zelo; tam longam profecti viam, [*Paschatis festo Hierosolymis celebrato.* Harm. p. 340.]

v. 2. τῶν πρεσβυτέρων, *veterum*) Πρεσβύτερος interdum est nomen dignitatis munerisve; interdum opponitur juventuti, interdum posteritati, ut h. l. — ἄρτον, *panem*) Alios cibos facilius edebant Judaei sine lotione manuum, quam panem. Wall. not. crit. p. 47.

v. 3. διατί, *cur*) Respondet, uti quaesierant v. 2. [*Veritati nunquam desunt quaestiones, hypocritarum quaestionibus opponendae.* V. g.] — καὶ ὑμεῖς, *etiam vos*) sive transgrediuntur discipuli, sive non; vos estis transgressores maximi. — διὰ, *propter*) Traditiones, etiam ubi minime putares, detrahunt mandatis divinis. [*earumque cumulus, utut singulae sua specie non careant, dici vix potest quantum subinde nocuerit.* V. g.] — ὑμῶν, *vestram*) Illi dixerant, *veterum*. Jesus non accipit personam.

v. 4. ὁ γὰρ θεὸς, *Deus enim*) Antitheton: *vos* v. 5. — τίμα, *honora*) *Honor* significat justa beneficia, 1 Tim. 5, 3. not. quae negare, summa est *contumelia*. τίμα τὸν κύριον, Prov. 3, 9. de sacrificiis. Metonymia antecedentis. Ex. 20, 12. τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα σου. — ὁ κακολογῶν, *qui maledicit*) Ex. 21, 17. ὁ κακολογῶν πατέρα αὐτοῦ ἢ μητέρα αὐτοῦ, θανάτῳ τελευτάτω. Maledictis impetitur vita: et vitam per parentes accipit proles. — θανάτῳ, *morte*) Observa, juventus!

v. 5. ὑμεῖς δὲ, *vos autem*) Quae Deus jubet, sunt amoris: traditiones humanae in alia omnia eunt. — δῶρον, *donum*) sc. est. *Korban est illud, quicquid* etc. Formula erat: קרבן שאני נהנה לך *illud omne, quo tibi quomodocunque utilis esse possem, esto mihi Korban.* h. e. tam mihi sit prohibitum tibi ulla in re benefacere, quam est mihi illicitum attingere Corban. vid. L. Capelli Corban. Vel etiam revera, ad vitandam speciem avaritiae, contulerunt in Corban, quae parentibus debebantur: sicut multi pauperibus vel orphanis tribuunt, quae aliis invident, extorquent, denegant. — ὃ ἐὰν κτλ.) *quicquid ex me utilitatis capturus fores.* — ὠφεληθῇς) יהנה לך solebant dicere sacerdotes, cum populus aliquid offerret. — καὶ, *et*) Particula (*per Hebraismum*) inchoat apodosin. — οὐ μὴ τιμήσῃ, *non honorabit*) Pharisaeorum edictum erat: *talis erit liber ab*

---

1) v. 33. θεοῦ υἱός ἐἶ, *Dei filius es*] Talem si agnoverunt Jesum propter miraculosam in mari ambulationem: non oportuit eos hoc ipsum miraculum ad stuporem usque mirari; quo nomine reprehenduntur a Marco c. 6, 51. 52. Animus enim, quem intelligentem fides et sobrium fecit, admirationem immoderatam dediscit. *Harm.* p. 333.

2) v. 35. οἱ ἄνδρες, *viri*] In agro fortassis labore perfungentes. *V. g.*

3) ὅσοι ἥψαντο, *quotquot tetigere*] Ex tantis miserabilium hominum turbis non unus quidem reperitur, qui opem a Jesu petens repulsam tulerit. Ingrati tamen correpti postea, et, qui opus habebant, nova peccata cavere admoniti sunt. *Harm.* p. 337.

4) Τότε, *tunc*] Hac particula narratio eorum, quae ante et post Pascha contigerant, connectitur: unde colligere datur, Jesum tum temporis non adscendisse Hierosolymas. *Harm.* p. 340. Tempore minime opportuno ex obliquo interpellarunt hypocritae, quaestionem grande sonantem, sed in meras denique minutias desinentem, proponentes. *V. g.*

Digitized by Google

officio erga patrem et matrem. Id autem Dominus effert iis verbis, quae injuriam pharisaeorum apertius exprimunt, praecepto Dei contrariam [1]).

v. 6. καὶ) ***atque adeo***. — διὰ, ***propter***) Cor occupatum traditionibus non capit mandata Dei.

v. 7. προεφήτευσε, ***prophetavit***) praedixit.

v. 8. ὁ λαὸς οὗτος) Es. 29, 13. ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς χείλεσιν αὐτῶν τιμῶσί με, ἡ δὲ καρδία διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας. — οὗτος, ***hic***) Pronomine hoc indicatur fastidium. 1 Cor. 14, 21. — με, ***me***) Deum, loquentem per Esajam. — καρδία, ***cor***) cujus accessu vere colitur Deus, et cultûs summa continetur. [***Plurimum sane positum est in corde***. v. 19. V. g.]

v. 9. μάτην, ***frustra***) Quanta vanitas in religionum parte maxima tot seculis et climatibus! — σέβονται, ***colunt***) Deum ejusque praecepta parce curabant: et, si curabant, id observantia mandatorum humanorum contaminabant. — διδάσκοντες διδασκαλίας, ***docentes doctrinas***) operose, diu, frequentes. conf. Marc. 7, 13. — ἐντάλματα) Appositio indigna nomine ἐντολῶν. ***praecepta*** per ***doctrinas*** adornantur et condiuntur. — ἀνθρώπων, ***hominum***) quamlibet ***veterum***: v. 2. quorum nulla in religione est auctoritas.

v. 10. προσκαλεσάμενος, ***advocans***) Non omnes semper attendebant. Pharisaei non erant digni, quibus hoc diceretur. v. 14. — τὸν ὄχλον, ***turbam***) ne deciperetur oratione pharisaeorum.

v. 11. οὐ, ***non***) Id nisi ita esset, fideles sine fastidio maximo non possent habitare in mundo vanitati subjecto. — τὸ ἐκπορευόμενον, ***quod egreditur***) Peccatum originale hic evidenter innuitur. — τοῦτο, ***hoc***) Demonstrativum.

v. 12. οἶδας, ***nosti***) Sentiebant omniscientiam Jesu. — ἐσκανδαλίσθησαν, ***offensi sunt***) [***atque a Te arcersi*** V. g.] scandalo accepto, vel potius captato.

v. 13. φυτεία, ***planta***) Doctrina, sive potius homo. φυτὸν, naturâ: φυτία, curâ. — πατὴρ, ***Pater***) Joh. 15, 1. s. — ἐκριζωθήσεται, ***eradicabitur***) Et hoc faciunt scandala. Talis planta, quamlibet speciosa, est extra Christum.

v. 14. ἄφετε, ***sinite***) nolite eos morari. — ὁδηγοὶ, ***viae duces***) Es. 9, 16. [2])

v. 15. ἀποκριθεὶς, ***respondens***) Plane singularis candor est historiae divinae per omnes libros, in notandis hominum sanctorum erratis. — παραβολὴν ταύτην, ***parabolam hanc***) Parabola est v. 13. sed sermo apertus a v. 10. Itaque Petrus, ut discipulus, improprie loquitur. Neque tamen id expresse reprehendit Jesus. Modo rem tenuissent.

v. 16. ὑμεῖς, ***vos***) Resp. ***nobis***, v. 15. ***Vos***: non modo pharisaei et populus. Resp. ***intelligite***, v. 10.

v. 17. οὔπω, ***nondum***) quanquam v. 11. et alibi instituti estis de tota ratione pietatis, ex qua possetis hanc quoque rem colligere. — νοεῖτε) ***animadvertitis***. — εἰς, ***in***) ***In***, ter: nec cordis fit mentio, in quo est aut puritas vera aut impuritas.

v. 19. διαλογισμοὶ πονηροὶ, ***cogitationes malae***) quales habebant Pharisaei. articulus additur Marc. 7, 21. — φόνοι, μοιχεῖαι, ***caedes, adulteria***) contra praeceptum V. etc. Pluralis numerus facit ad gravitatem. — βλασφημίαι, ***maledicta***) contra proximum, cum ***falso testimonio*** conjuncta. In talibus enumerationibus τὸ asyndeton saepe vim habet τοῦ etc. quasi is, qui loquitur, plura voluerit addere aut cogitanda relinquere. conf. Marc. 7, 22. [***Non tantae sunt latrinae*** (v. 17.) ***sordes quantae cordis humani nondum purificati. Haec quis est qui perpendat? qui ad veram puritatem contendat? Ea vero destitutus qui***

---

1) *Confer similem construendi rationem* Apoc. 2, 24. E. B.

2) ἀμφότεροι, *ambo*] Ineptorem hominum satius est alterum ab altero facessere. *V. g.*

Digitized by Google

ex hac vita decedit, quorsum ruit? in stagnum sulphuris et ignis. Hem quae colluvies tam multorum erit impurorum! Noli Lector, offendi! Juvat hoc loco sermonis turpitudo. Fac nauseam rei suscipias et ad fugiendam cordis impuritatem commoveare. V. g.]

v. 20. οὐ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, *non polluit hominem*) In ipsa *hominis* appellatione latet argumentum. nam spiritualis natura, quae in homine potior pars est, non attingitur a sordibus externis.

v. 21. τὰ μέρη, *partes*) non versus totam regionem.

v. 22. [1]) ἐξελθοῦσα, *egressa*) Nam Jesus non intravit fines Cananaeorum. — ἐκραύγασεν, *clamavit*) eminus, a tergo, coll. v. 23. 25. — με, *mei*) Suam fecerat pia mater miseriam filiae. v. 25. conf. v. 28. — υἱὲ δαυὶδ, *fili David*) Ergo audierat de Promissione mulier, pridem, vel nuper.

v. 23. δὲ, *vero*) Decebat, hanc declarationem et quasi protestationem indignitatis ethnicae praemitti dignationi singulari, cui tamen eadem viam parabat: nec tam precibus Cananaeae, quam Cananaeae et discipulorum opem dedit. — οὐκ ἀπεκρίθη — λόγον! Sic LXX. Es. 36, 21. 1 Chron. 21, 12. — ἀπόλυσον, *dimitte*) Metonymia consequentis: i. e. *juva, ut soles*, coll. v. seq. Sic solebat Jesus dimittere. — κράζει, *clamat*) Credibile est, discipulos judicium hominum esse veritos: et sua causa, ne clamor molestiam afferret, et mulieris causa, opem petiisse.

v. 24. 26. εἰ μὴ — τοῖς κυναρίοις, *nisi — catellis*) Sermo in thesi expressus, in hypothesi nullam habet repulsam: sed potius spem facit fidei constanti. Thesis autem accipienda est, non de officio toto mediatorio, sed de praedicatione et miraculis.

v. 24. ἀπεστάλην, *missus sum*) Jesus omnia retulit ad suam *missionem*. — πρόβατα, *oves*) Israël, grex Domini. Ps. 95. Jesus Pastor. — οἴκου, *domus*) Id restringere videbatur gratiam.

v. 25. ἐλθοῦσα, *veniens*) a tergo Salvatoris ad faciem ejus progressa, [*viam Ipsi intercludens*, V. g.] quanquam etiam discipulis repulsam dedisse videbatur.

v. 26. τῶν τέκνων, *liberorum*) Jesus ad Judaeos locutus est severe: de Judaeis, ad externos, honorifice. Joh. 4, 22. Sic nos de ecclesia evangelica. — κυναρίοις, *catellis*) indignis. [*Vel tertius conatus frustraneus esse videbatur. Nec tamen destitit.* V. g.] At jam hic diminutivum est. Jesus ipse dat ansam mulieri capiendi sui. Midrasch Tillim: *Nationes mundi assimilantur canibus.*

v. 27. ναὶ, *nae*) Arripit mulier appellationem *catellorum*. nam sequitur, καὶ γὰρ, quod vertendum, *etenim. nae*, particula partim assentientis: partim assensum ad preces Domino quasi in linguam imponentis, i. e. orantis. Sic ναὶ, Philem. v. 20. Judith. 9, (12.) 14. [*Talia non poterat anticipando ex libris discere. Optimas precandi formulas praebet spiritus fidei.* V. g.] — ἐσθίει, *edunt*) cum *filii* saepe prodigant panem. — ἀπὸ τῶν ψιχίων, *de micutis*) Non dicit, *micas*, nec dicit, *panem*. — τῶν πιπτόντων, *cadentibus*) Antitheton: λαβεῖν καὶ βαλεῖν. Petit ut rem innoxiae utilitatis. — ἀπὸ, *a*) Non postulat *mensae* admoveri: non longe tamen a mensa se abesse innuit. Vicina Israëli gens illa erat. — τῶν κυρίων αὐτῶν, *dominorum suorum*) Id praerogativam *liberorum* et tamen quandam *catellorum* cum iis necessitudinem indicat. Congruit sermo *Cananaeae* cum *Canaane servo*. Gen. 9, 26.

v. 28. ὦ γύναι, *o mulier*) Nunc demum eam alloquitur, [*haud vulgarem ei laudem tribuens, qua ne infumesceret mulier, periculum non erat, ob singularem animi humilitatem.* V. g.] — μεγάλη, *magna*) Modestia non obstat mag-

---

1) χαναναία] ex posteris Cananis. V. g.

Digitized by Google

nitudini fidei. c. 8, 8. s. — ὡς, *ut*) Post luctam eo plus datur. — θέλεις, *vis*) Fides est etiam in voluntate. — ἀπὸ, *a*) Secuta est sanitas durabilis.

v. 29. ἐκάθητο, *sedebat*) Non ultro jussit populos accedere, sed exspectavit.

v. 30. ἑτέρους, *alios*) *infirmos*. — ἔῤῥιψαν, *jecerunt*) cum se invicem premerent [1]).

v. 32. σπλαγχνίζομαι, *miseret me*) Dum populus prae admiratione oblitus est famis: miseretur ejus Jesus, nec laude miraculorum tangitur. alias gloria et misericordia raro conveniunt. — προσμένουσί μοι, *manent apud me*) [*aliis identidem aliisque infirmis in medio positis*. V. g.] Populi intererat *manere apud* Jesum: atque id tamen Jesus pro causa novi beneficii eis conferendi amplectitur. Paratus erat populus manere diutius. — τί) *pro* ὅ. LXX. Gen. 38, 25. — νήστεις, *jejunos*) Nullius opis indigos homines a se dimisit.

v. 33. πόθεν, *unde*) Conf. Num. 11, 21. 2 Reg. 4, 43. — ἡμῖν, *nobis*) Jam intelligebant discipuli, suas fore in ea re partes aliquas.

v. 34. ὀλίγα ἰχθύδια, *paucos pisciculos*) Extenuant apparatum. nam v. 36. tollitur forma diminutiva.

v. 36. εὐχαριστήσας, *gratias agens*) Gratiarum actioni locus est etiam ante cibum: Act. 27, 35. et tum idem est, quod εὐλογία sive *benedictio*. Est enim recognitio beneficii divini de praeterito et futuro. Jesus omnia retulit ad Patrem: et hic gratias egit pro panibus et pro instanti saturitate populi. coll. Joh. 11, 41. εὐχαριστεῖν, verbum a Phrynicho improbatum, sed a Diodoro quoque Siculo adhibitum.

[2]) v. 39. ἀνέβη, *iterum conscendit*) navem videlicet paulo ante memoratam, c. 14, 33. Idem verbum, eadem vi. Marc. 6, 51.

CAPUT XVI.

v. 1. Οἱ φαρισαῖοι καὶ σαδδουκαῖοι, *Pharisaei et Sadducaei*) Pharisaeis maxime plebs, Sadducaeis proceres erant addicti, Act. 5, 17. 23, 6. ut hodie turba in superstitionem, prudentes in atheismum procliviores. Duo extrema opposita. Duos tantum Sadducaeorum insultus in Jesum describunt evangelistae: quorum prior hoc loco exstat. nam de religione minus laborabant, quam pharisaei. — ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *ex coelo*) Miracula de coelo facta fuerant tempore Mosis, Josuae, Eliae. Causa, cur pharisaei nollent miracula ab Jesu ante eam diem edita pro divinis amplecti, haec fuisse videtur, quod, cum Is nondum edidisset signum e coelo, putarent, cetera potuisse etiam a satana proficisci: conf. cap. 12, 24. 38. et quod signum e coelo, in omnem creaturam agens, majus esset, quam signa in microcosmo. *[Fortassis etiam vaticinio Joëlitico nitebantur.* Act. 2, 19. V. g.] Sadducaei, qui nullum spiritum, adeoque nec satanam esse putabant, censuere, facultatem Jesu extendere se tantum ad famem et morbos corporis, non ad majora omnia. Apud utrosque valebat illud: Varietas miraculorum, (tanquam spectaculorum,) delectat. Libido illorum notatur verbo illo, *volumus*. c. 12, 38.

v. 2. ὀψίας· πρωΐ, *vesperi: mane*) Duo prognostica omnium communissima et maxime popularia. *[utut, ex physicorum relationibus, non in omnia climata conveniant,* App. crit. Ed. II. p. 124.] nam ubi coelum rubet vesperi, no-

---

1) V. 31. τὸν θεὸν Ἰσραήλ, *Deum Israëlis]* Vid. v. 24. *V. g.*

2) τετρακισχίλιοι, *quadringenti]* Ingentia sane miracula fuere, quibus et quinquies (c. 14, 21.) et quater virorum millia saturata sunt: atque tum ad summum venerat miraculorum Jesu copia. Tot millibus testium quam late gloriam Ejus divulgatam esse oportet! *Harm.* p. 344.

Digitized by Google

ctis frigiditas tenuiores vapores adstringit, ne fiat tempestas, etiamsi venti fiant: ubi mane coelum rubet cum nigrore, calore solis vapores crassi in tempestatem erumpunt.

v. 3. ὑποκριταὶ, [1]) ***hypocritae***) Hypocrisis erat, major eorum in naturalibus quam in spiritualibus sollertia. nam qui illam habent, hac multo minus, quam tardi homines, carere debent, etsi saepe ea carent. Exemplum utriusque conjunctae, c. 2, 2. — πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ, ***vultum coeli***) non, *faciem*. *Vultus* hominis variat, *facies* semper est eadem. Prosopopoeia, ut in στυγνάζων, modo. — τὰ σημεῖα τῶν καιρῶν, ***signa temporum***) i. e. singulis temporibus congruentia. Non modo tempora ex signis, sed simul etiam signa ex indole temporum, et signa eorumque genera inter sese dijudicari debere, Jesus docet. Varius enim est influxus Dei in homines, per varias doctrinas, personas, tempora, signa; quae omnia inter se respondent. quare aliis temporibus alia signa conveniunt. Messiae in terra versanti conveniebant signa minus illa quidem splendida, sed tamen quae hominibus in terra (cap. 9, 6.) plane essent salutaria. c. 8, 17. Luc. 9, 54. Quare non de coelo, sed de sese debuerant argumenta capere. Luc. 12, 57. Pariter post ascensionem non edidit signa in terra, ut olim. [***Neque in posterum deerunt signa de coelo***. V. g.] — οὐ δύνασθε; ***non potestis***?) scil. signum a signo dignoscere. cum admiratione dictum. Si velletis, maxime possetis: nunc voluntaria vos coecitas impedit.

v. 4. γενεὰ, ***natio***) ipsa sui temporis signum. nam talis futura erat tempore Messiae. c. 11, 6. — πονηρὰ, ***mala***) et molesta. — μοιχαλὶς, ***adultera***) fidem connubialem, quam Deo sanctissime servare debebat, frangere solita. — σημεῖον — καὶ σημεῖον, ***signum — et signum***) Gravis repetitio. Miraculorum speciem praescribunt, ita, quasi nulla esset alia: [***eorum, quae hactenus permulta viderant, pertaesi, adeoque semel iterumque signa de coelo postulantes.*** Harm. p. 345.] quare totum eis miraculorum genus negatur. quae postea facta sunt miracula, non in gratiam talium, sed popelli et aegrotorum facta sunt. [***quorum vix unum deinceps Matthaeus; Marcus nonnisi coecum Bethsaidensem, c. 8, 22. memorat. Docendo autem sine intermissione perrexit Jesus.*** Harm. p. 346.] — τὸ σημεῖον ἰωνᾶ, ***signum Jonae***) Illud non ex coelo, sed ex media terra. Jonas ex ceto redux Ninevitis suam probavit legationem: sic Messiae demonstratio Judaeis per resurrectionem Jesu, cui antea non credidere, data est. Porro post triduum in medio terrae transactum satis signorum de coelo fore tacite innuit: quae facta sunt ab ascensione in coelum, et fient in abolitione coelorum. conf. cap. 24, 30. Act. 2, 19. quid? ne tum quidem nulla erant de coelo signa. Matth. 3, 16. — καταλιπὼν, ***relinquens***) Justa severitas. Tit. 3, 10. Populum nunquam ita reliquit Jesus.

v. 6. ὁρᾶτε, ***videte***) Necessarium est puritatis doctrinae studium. — ζύμης, ***fermento***) Sermo metaphoricus, eoque aenigmaticus: quo Jesus profectum discipulorum, qui jam diu auditores erant, tentat. Metaphora autem alludit ad cogitationes, quas scaturiebat mens discipulorum. Nolite curare defectum panis cibarii: sed alimenta periculosa, quae animis propinant hypocritae. Oblitos esse panum discipulos ea ex causa, credibile est, quod solicitos eos habuisset tentassetque controversia a Pharisaeis et Sadducaeis mota, v. 1. Pharisaei et Sadducaei alias erant valde inter se divisi: sed tamen hic contra Jesum conspirarant. v. 1. Ideo uno ***hypocritarum*** titulo utrosque affecit, v. 3. et contra utrosque simul munit discipulos h. l. Atque ipsa ***hypocrisis*** hoc fermentum erat, Luc. 12, 1. qua acti, signa temporis praesentis sufficientissima non agnoverunt, alte-

---

1) *Majorem lectioni hujus nominis firmitudinem* Ed. maj. *tribuerat, quam* Editionis 2. *margo: neque tamen rejecit* Vers. germ. E. B.

Google

rius temporis (unde plurale, *temporum*, v. 3.) signa postulantes. [*Quin, omnis omnium sectarum error unum est fermentum, quod fovet vetus homo.* V. g.] Fidelis et credit et loquitur: qui horum utrumvis ab altero divellit, est infidelis, est hypocrita. c. 24, 51. not. Neque igitur, *qui parvam fidem habet* (v. 8.) ab hypocrisi liber est. Opportunissime de hoc fermento cavendo monentur discipuli, ex praesentibus signis nondum intelligentes. v. 11. [*Estque in eo etiam sermonis opportunitas, quod discipuli, qui divinis miraculis in pane bis perpetratis brevi antea, ipsi ea re occupati interfuerant, nunc inopiâ obortâ panis necessitatem sentiebant. Eo penitius igitur panis spiritualis meminisse poterant, et sanae doctrinae necessitatem perspicere.* V. g.]

v. 7. ἄρτους, *panes*) Victus in familia Jesu valde simplex et frugalis fuit. Putabant, eo loco, quo nunc venirent, emendum fore panem, neque ullam fore copiam panis, quem constaret fermento pharisaeorum non esse subactum. Respondet Jesus, etiamsi nullus alius panis haberi posset, tamen eos etiam sine pharisaeorum et totius illius climatis pane alitum iri.

v. 8. τί διαλογίζεσθε, *quid cogitatis*) [*Magnam temporis partem* cogitationibus *turbulentis homines interdiu noctuque transigunt.* V. g.] Homo gravius sibi imputat defectum in cura rerum externarum; cujus veniam Deus facillime tribuit. Major fidei ratio. — ὀλιγόπιστοι, *parvam fidem habentes*) Ex fidei penuria facilis non modo in dubitationes et timores, sed etiam in errores hermeneuticos aliosque, et in oblivionem lapsus est. [*Cautelâ de fermento propositâ discipulorum, de pane sollicitorum*, parva fides *prodita fuit: quam deinceps duplicis tot millium saturationis commemoratione roboravit Dominus.* Harm. p. 347.]

v. 9. οὔπω, *nondum*) Diu audisse, auget in tarditate discentis culpam. — νοεῖτε — μνημονεύετε, *intelligitis — recordamini*) Verbum νοέω, dicit quiddam magis voluntarium, quam συνίημι. v. 12. Marc. 7, 18. 2 Tim. 2, 7. Peccatum etiam cadit in mentem et memoriam. debebant *intelligere*, vel si duo illa miracula non essent facta. Memoriâ tenere debemus in operibus divinis etiam circumstantias, et ex priori auxilio sperare ulterius. [*Non ista oblivio, quam ipsi sibi exprobrarant* v. 7., *sed alia plane, cum stupore ex incredulitate nata, h. l. in vitio ponitur.* V. g.]

v. 9. 10. πόσους κοφίνους, πόσας σπυρίδας, *quot cophinos, quot sportas*) In priore miraculo, ut numerus panum numero millium, sic numerus cophinorum respondit numero apostolorum, ut singuli cophino, quem gestabant, pleno gauderent; in altero, numerus sportarum numero panum. Si plures habuissent cophinos aut sportas, sine dubio panes etiam in majus fuissent multiplicati, conf. 2 Reg. 4, 6. ut essent *complementa*. Marc. 8, 20. Erat autem σπυρὶς, *sporta*, major, quam κόφινος. Gloss. vet. κόφινος, *corbis*, *CORBULA*. Juvenalis, de Judaeis egenis: *quorum* cophinus *foenumque supellex*. ex quo patet, cophinum fuisse κουφότερον, leviorem, ut a quovis pro usu quotidiano circumferri posset: *sporta* videtur cepisse justum onus bajulatoris. conf. Act. 9, 25.

v. 10. τῶν —) Id cujusque est, quo quisque fruitur atque utitur. — ἐλάβετε, *sumsistis*) ad victum ulteriorem, in compensationem panum V et VII. quos impendistis.

v. 11. πῶς, *quomodo*) Particula admirandi. conf. c. 8, 10. not. — οὐ περὶ ἄρτου, *non de pane*) Sensus literalis saepe verior et augustior est sensu literae: et ubi haec de naturalibus agit, ille ad spiritualia ducit. In spiritualibus magis presse debent accipi verba coelestia.

v. 12. συνῆκαν, *intellexerunt*) Tamen aliquid intelligendum reliquit Jesus discipulis. Ipse ostendit, quid *fermentum* non significaret h. l. illi debebant, cum audissent, quid non esset, colligere, quid esset. Sic quoque cap. 17, 13. —

ἀπὸ τῆς διδαχῆς) *a* fermento *doctrinae*. [*cujus specimen exstat*. v. 1. V. g.] *Doctrinae* vocabulum, in antitheto ad panem, late sumitur, ut etiam *hypocrisin* denotet. Haec doctrina hypocritica erat fermentum.

v. 13. δὲ, *autem*) Notabile temporis intervallum fuit inter antecedentia, et inter ea, quae hîc panduntur. Ideo laxior est sermonis connexio. [1]) Quae sequuntur, brevi tempore ante passionem Domini facta sunt: et brevitas hujus intervalli *[unum fere mensem cum dimidio complexi*, V. g.] adjuvat rectam interpretationem promissionum, quae exstant versu 18. et 28. et interdicti, quod exstat versu 20. c. 17, 9. etc. [*Paucis post hebdomadibus omnia undiquaque percrebuerunt remotis repagulis. Eorum, quae hactenus discipuli didicerant, haec erat summa:* Jesus est Christus. *Haec repetitur et confirmatur* v. 16., *eique porro superstruitur thesis*: Christus patietur etc. *quae summa est reliquae historiae evangelicae.* V. g.] — καισαρείας, *Caesareae*) Judaeos Caesari parere, ablato a sua tribu sceptro, Messiamque venisse, ipsum hoc nomen Palaestinae oppidis haud pridem inditum omnes admonere poterat. Vide tamen Jac. *Alting.* Schilo p. 147. 153. In exegesi sacra lector ponere se debet quasi in illo tempore et loco, quo oratio habita resve gesta est; et affectûs, vim verborum, contextum considerare. — τῆς φιλίππου, *Philippi*) Sic Caesarea mediterranea distinguitur a Caesarea maritima. — τίνα, *quem*) Discipuli auscultando et quaerendo profecerant: nunc Magister quaerendo examinat, et catecheseos specimen praebet. — τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου) me, quem ipse appellare soleo *Filium hominis*. Petrus antitheton tangit: *tu es Filius Dei viventis*, v. 16. conf. Joh. 5, 19. 27. Frequens apud evangelistas et diligentissime observanda est haec nomenclatura, qua nemo nisi solus Christus, a nemine, dum Ipse in terris ambularet, nisi a semetipso appellitatus est *Filius hominis*. Primum Joh. 1, 52. ut primum reperti fuere, qui eum Messiam et Filium Dei, ib. v. 50. agnoscerent; et deinceps saepissime, ante praedictionem passionis et post. Nam ab iis, qui fidem in Ipsum suscipiebant, dictus est *Filius David*. Recte suspicati sunt Judaei, ea designari Messiam. Joh. 12, 34. Nam ut Adamus I cum tota progenie dicitur *Homo*, sic Adamus II (1 Cor. 15, 45.) dicitur *Filius hominis:* non ea notione, qua *filii hominis*, id est, tenues, opponuntur *filiis viri*, id est, potentibus, Ps. 49, 3. quave homines communiter dicuntur *filii hominum*. Marc. 3, 28. Eph. 3, 5. Ez. 2, 1. et passim: sed cum articulo, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Videtur articulus respicere prophetiam Dan. 7, 13. Unus hic nempe homo est, quem Adamus post lapsum ex promissione exspectavit pro tota sua progenie: ὁ δεύτερος, *secundus*, 1 Cor. 15, 47. quem omnis prophetia V. T. indigitavit, qui totius generis humani jura et primogenituram sustinet, Luc. 3, 23. 38. et cui uni, quod humani nominis nos non poeniteat, (Ps. 49, 21.) debemus. Rom. 5, 15. Porro hac appellatione Christus, inter homines ambulans, et expressit, et pro oeconomia illius temporis occultavit (conf. Matth. 22, 45.) inter homines, et satanam celavit, se esse τὸν υἱὸν *Filium* absolute dictum, id est, Filium Dei, promissum datumque homini, Gen. 3, 15. Es. 9, 6. ortumque ex homine. Hebr. 2, 11. (perinde uti uno *exaltationis* vocabulo et crucem et glorificationem suam

---

1) Cum Matthaeo scilicet Marcus et Lucas novam hîc periocham inchoant, quâ communi consilio docent, quomodo in finibus terrae Israëliticae septentrionalibus postremam migrationem salutis plenam aggressus sit. Prope Caesaream Philippi discipulos, quibuscum solus erat, quaerit: *quem homines me ajunt esse?* eisque Passionem suam indicat. Tum ita profectionem suam instruit, ut omnem jam terram Israëlis bono semine imbuat. Post gloriam in monte demonstratam redit Capernaum, viam inde per mediam Samariam et Galilaeam faciens; porro trans Jordanem, in eoque latere Judaeam versus tendens Bethabaram salutat, et Jordane denuo trajecto Hierichuntem denique et Bethaniam venit. Matth. 16, 13. — 20, 34. ss. *Harm.* p. 367.

insignivit: Joh. 12, 32.) et simul se ipsum praesentis suae conditionis quasi admonuit. Matth. 20, 28. Phil. 2, 7. 8. Neque vero tantum exinanitioni ea convenit appellatio: sed Filius hominis dicitur pro statu quolibet conspicuo, (Joh. 12, 34. coll. v. seq. *lux robiscum:*) vel in exinanitione vel in exaltatione. convenitque ipsa forma corporis, juventutem referens. Dan. 7, 13. Evolve omnino v. 27. 28. et cap. 12, 32. 24, 27. 30. 37. 39. 44. 25, 31. Luc. 17, 22. Joh. 12, 23—36. 5, 27. Act. 7, 56. quare etiam talis appellatio per omnes epistolas XXI apostolicas (nam Hebr. 2, 6. non additur articulus, et verba Davidis sunt, non Pauli, qui tamen *hominem* et *virum* saepe appellat Christum. vid. not. ad Rom. 5, 15.) non occurrit: sed appellatio *Filii Dei*. Atque in ipsa Apocalypsi, c. 1, 13. 14, 14. uti diu ante apud Dan. l. c. ad eam duntaxat alluditur. Apostolorum vel in hoc uno idiomate convenientia ostendit, eos eodem divino motu scripsisse.

v. 14. οἱ μὲν, ἄλλοι δὲ, ἕτεροι δὲ, *aliqui quidem, alii vero, alii vero*) Non sufficit nosse variorum opiniones: nostra nobis constare fides debet; quae deinde etiam ex opinionibus aliorum, per se vanis, profectum capiat. — ἰωάννην — προφητῶν, *Johannem — prophetarum*) Non opus est referri hoc ad metempsychosin a pharisaeis creditam: nam de ipsius Eliae, qui non erat mortuus, reditu, de ceterorum resurrectione ex mortuis suspicati sunt. c. 14, 2. Luc. 9, 8. 19. — ἱερεμίαν, *Jeremiam*) Hunc Judaei exspectabant tum. — ἕνα, *unum*) quemvis, indefinite. Non putabant, Majus quidpiam venire posse, quam olim habuissent. Cum *Mose* non comparabant Jesum.

v. 16. ἀποκριθεὶς, *respondens*) Petrus ubique, pro ardore suo, praecipuas habuit inter apostolos loquendi partes. — σίμων πέτρος, *Simon Petrus*) Hoc solenni loco nomen et cognomen jungitur. Apparet, Simonem citius et uberius agnosse Filium Dei, et condiscipulis praeluxisse. — σὺ εἶ, *tu es*) Firmiter dicit: *Tu es*. non, *dico te esse*. Antea debuit credere Petrus, tum audire etiam in monte. c. 17, 5. Similem confessionem dederat Petrus, Joh. 6, 69. sed plus celebratur haec, quam dedit post tot tentationes, [*Joh.* 7—10.] tam solenniter interrogatus. — ὁ χριστὸς, ὁ υἱὸς, *Christus, Filius*) Ergo haec duo non sunt plane synonyma, ut voluit Joh. Lockius: sed altero posito alterum tacite connotatur. vid. Act. 9, 20. Estque gradatio. nam cognitio de Jesu, ut est Filius Dei, sublimior est, quam de eodem, ut est Christus.

v. 17. μακάριος, *beatus*) Hoc vocabulo non solum beata, sed etiam rara simul conditio significatur. c. 13, 16. Non dixerat Jesus discipulis antehac, se esse Christum. Ea dixit et fecit, unde, revelante Patre, ipsum agnoscerent esse Christum. — σίμων βὰρ ἰωνᾶ, *Simon Bar Jona*) Expressa nomenclatio significat illud: Dominus novit suos. Et Petro in memoriam revocat specimen illud omniscientiae, quod ei datum erat Joh. 1, 43. coll. ib. c. 21, 15. [*Ipse Petrus tam gratum se esse vix cogitavit. Beatus est, non qui propria sibi auctoritate quidquam tribuit, sed quem beatum praedicat Dominus.* V. g.] — σὰρξ καὶ αἷμα) homo quicunque. *caro et sanguis*, metonymice, corpus et anima. Eph. 6, 12. Gal. 1, 16. Nemo, ante Petrum, mortalium, tum hoc ipsum sciebat. v. 14. — οὐκ ἀπεκάλυψε, *non revelavit*) Christi cognitio non hauritur, nisi ex revelatione coelesti. c. 11, 27. — ὁ πατήρ μου, *Pater meus*) Sic repetitur et confirmatur Summa confessionis Petri. Petro *revelarat* Pater coelestis per doctrinam Jesu Christi, cordi Petri inscriptam.

v. 18. σὺ εἶ πέτρος, *tu es Petrus*) Suavissime respondet illi verbo: *Tu es Christus*. [*Christos suos, suique Christum decentissime compellant per universam scripturam.* V. g.] — πέτρος — πέτρα, *Petrus — petra*) Πέτρος alias denotat *lapidem*; sed in Simone *petram*. enimvero talem virum non conveniebat appellitari *Petram* foeminina terminatione: vicissim Matthaeus libenter scripsisset, ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ, si sermonis ratio tulisset. quare haec duo, πέτρα et πέτρος

stant pro uno nomine, sicut unum utrinque nomen *Kepha* legitur in Syriaco. *Petrus* hic ponitur, ut proprium. dicitur enim, *tu es*, non, *tu eris*. et tamen connotatur aperte vis appellativi, ut *petram* denotet. Certe super apostolos aedificata est ecclesia Christi, [Eph. 2, 20.] Ap. 21, 14. quatenus illi et primi fidelium fuere, et ceteri fideles illorum opera accessere. qua in re praecipua quaedam sane Petri, salva apostolicae potestatis aequalitate, praerogativa extitit. nam is et primus Judaeos lucrifecit plurimos, Act. 2. et idem primus gentes ad evangelium admisit, Act. 10. [*Idemque etiam hoc ipso loco reliquos discipulos, quorum nullum tanta alacritate tum temporis responsurum fuisse verisimile est, cognitione sua et confessione superavit*. V. g.] Praeterea hic potissimum *fratres suos confirmare, oresque et agnos Domini pascere* jussus est. Atque illustre cognomen, alias ipsi Christo tribui solitum, qui item *Petra* dicitur, haud sine maximae rei significatione inditum Petro esse oportet, qui etiam in catalogo apostolorum *primus* dicitur, et primo semper loco ponitur. Matth. 10, 2. vid. etiam 1 Petr. 2, 4—7. Tute haec omnia dicuntur: nam quid haec ad Romam? [*Petrus an Romae, et quidem solutus vinculis, per tempus fuerit, plena dubii res est. Fuerit etiam; non sane fuit, nisi ut Apostolus: et Ecclesia illic plantata Ministris suis ordinariis gavisa est. Horum itaque, non istius, in locum sequentium temporum Episcopi successerunt, qui degenerantes postea domini et papae facti sunt*. V. g.] Videat Petra romana, ne cadat sub censuram versûs 23. — καὶ, *et*) Magnificentissima promissio, portas inferni, regnum coelorum, et terram, diversis modis complexa. — οἰκοδομήσω, *aedificabo*) Non dicit, *super hac petra fundabo*. Petrus tamen non est fundamentum. Super petra aedificatur sapienter. c. 7, 24. — μου τὴν ἐκκλησίαν, *meam ecclesiam*) Magnifica de Jesu locutio, in evangelistis non alibi occurrens. — πύλαι ᾅδου) Etiam πύλαι, sine articulo. Τῷ ᾅδῃ *inferno* mox opponitur *coelum*, uti cap. 11, 23. Contra fidem nil potest *infernus*: fides potest in *coelum*. *Portae inferni* (ut alibi *portae mortis*) nominantur etiam Es. 38, 10. Sap. 16, 13. ᾅδης, *infernus* valentissimum quiddam, Cant. 8, 6. quanto magis ejus *portae*? Metaphora, *portae*, a re architectonica, ut in *aedificabo* et *claves*. Ecclesia Christi videtur quasi urbs sine moenibus: et tamen portae inferni, quae illam impetunt, non praevalebunt. Notantur infernalia munimenta et respondentia illis propugnacula mundi, v. gr. *Porta* Ottomannica, et Roma, ubi orci orificium esse, apertum M. Curtii tempore, aperiendum iterum olim Ap. 19, 20. existimat Er. Schmidius: *Roma*, inquit, *sita est in iis proxime partibus Italiae, ubi adhuc ante Romam conditam Homerus suum Ulyssem, et post Romam conditam, non magni intervalli discrimine, Virgilius suum Aeneam ad inferos descendisse fingit. Sed ne poëtica fide agere velle videar, (quanquam instar praedictionis Caiphae haberi haec poëtica possint) age audi et historicam. In medio foro Romae olim, si Livio et aliis Romae praeconibus credendum, infernus, quem vos* (Pontificii) *in visceribus terrae ponitis, os suum aperuit, nullisque terris ingestis hiatus ille expleri potuit, usque dum Marcus Curtius armatus et equo insidens insiliit. Ut nimirum, velut Enochum et Eliam vivos coelum, ita hunc Curtium vivum infernus primitias acciperet, per* πύλας *hasce* ᾅδου, *in medio foro Romae tunc apertas, quae haud dubie Divina potentia rursus aperientur, quando Bestia et pseudopropheta in stagnum ignis sulfure ardens vivi conjicientur, uti promittitur* Ap. 19, 20.

v. 19. δώσω σοι [1]), *dabo tibi*) Futurum. Ipse Christus exaltatus *claves* accepit oeconomice. Ap. 1, 18. et Exeg. Germ. Dedit, quas hic promisit, deinceps claves Dominus non soli Petro, conf. Luc. 5, 10. not. sed primo, ratione temporis: quatenus Petrus primus fuit, qui post resurrectionem Christi gessit aposto-

1) *Lectionem* σοὶ δώσω *alteri isti*, δώσω σοι, *exaequat margo* Ed. II. E. B.

latum. Act. 1, 15. 2, 14. Si Petro et episcopis post eum romanis, ac non ceteris apostolis, datae sunt claves: etiam post mortem Petri episcopus romanus ceteros apostolos pascere debuit. — τὰς κλεῖς, *claves*) *Claves* denotant potestatem. Tertull. lib. de jejuniis cap. 15. *Apostolus claves macelli tibi tradidit:* ubi alludit ad 1 Cor. 10, 25. Ad duas res valet usus *clavium*, ad claudendum et ad aperiendum: ipsae claves non dicuntur esse *duae.* [*Plures utique Petro traditae esse censeri possunt: hinc Judaeis et Gentibus tanta cum efficacia introitum in regnum coelorum aperuit. Conf. contrarium* c. 23, 4. 13. Luc. 11, 52. V. g.] Una eademque clave et clauditur et aperitur, Ap. 3, 7. *Mille* claves Henocho traditas fuisse asseverant Judaei. vid. Alting. Hist. promot. acad. Hebr. p. 107. — τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, *regni coelorum*) Non dicit, *ecclesiae;* neque *regnorum mundi.* — δήσῃς, λύσῃς, *ligaveris, solveris*) Claves denotant totum munus Petri. quare ligandi et solvendi verbis [*quae in claves non conveniunt proprie, sed tamen intime cum usu clavium cohaerent.* V. g.] comprehenduntur omnia ea, quae Petrus in virtute nominis Jesu Christi et per fidem in illud nomen, apostolica potestate, gessit; docendo, convincendo, hortando, prohibendo, permittendo (vid. Tertull. modo cit.), consolando, remittendo, Matth. 18, 18. 15. Joh. 20, 23. sanando, Act. 3, 7. 9, 34. resuscitando, ibid. v. 41. coll. c. 2, 24. puniendo, c. 5, 5. coll. 1 Cor. 5, 5. Exemplum rei in terra gestae, in coelis rati habitae, ipse commemorat Act. 15, 8. Juvat cum hoc loco conferre alterum, Matth. 18, 18. et cum utroque tertium parallelum: Joh. 20, 23. Hoc loco Petro uni post editam confessionem de Jesu Christo potestas promittitur (1.) ligandi et (2.) solvendi peccata, et quidquid sub eam potestatem cadit; quasi per aenigma, non expresso, quae liganda et solvenda essent, quia discipuli rem tantam nondum capiebant, Luc. 9, 54. Capite 18. post glorificationem in monte discipulis in fide progressis communiter datur potestas (1.) ligandi et (2.) solvendi offensas fratrum, maxime autem solvendi per preces in nomine Christi. Joh. 20. Jesus post resurrectionem, *afflatis* discipulis, potestatem praebet, peccata (1.) remittendi et (2.) tenendi. sic enim et verba et verborum ordo mutatus extat, porta salutis aperta. Maxima pars est potestatis apostolicae, in peccata: conf. Hos. 13, 12. cetera per synecdochen in hoc sermone continentur. De usu verbi λύειν haud alienum fuerit conferre locum Aristophanis, Ran. Act. 2. scen. 6. in epirrhemate: αἰτίαν ἐκθεῖσι, ΛΥΣΑΙ τὰς πρότερον ἁμαρτίας (χρή.) i. e. *Crimina causas exponentibus remittenda sunt.*

v. 20. μηδενὶ, *nemini*) Jesus ne apostolis quidem, se Christum esse, dixerat, sed reliquit, quod ipsi ex rerum testimoniis cognoscerent. Ergo non conveniebat, id ceteris, ante ejus resurrectionem, quae totum testimonium de Messia erat corroboratura, ab apostolis aperte dici. [*quum vel ipse Petrus doctrinam de* Filio DEI *et de* Passione *Ipsius conciliare vix posset.* Harm. p. 369.] nam qui mysterium, minus dextre, proponit non capientibus, et sibi et aliis nocet. Porro ii, qui credidissent aliquo modo, Jesum esse Christum, regnum mundanum cum seditioso strepitu quaesissent: ceteri plerique Christum talem illo tempore vehementius repulissent, et crucifigendo atrocius peccassent, minus patentem poenitentiae januam in posterum habituri. Postea [*et paucis quidem hebdomadibus interjectis* Harm. p. 369.] aperte testati sunt. — ὁ χριστὸς, *Christus*) Postquam discipuli Jesum agnovere Christum, eumque confessi sunt, paulo post eis transformationem suam ostendit, cap. 17. et de se ut Christo aperte locutus est inter illos. Marc. 9, 41. Joh. 17, 3.

v. 21. ἀπὸ τότε) *illo tempore, et deinceps.* — ἤρξατο, *coepit*) Ergo antea non ostenderat. [*nisi tectis verbis.* V. g.] Evangelium in duas partes potest dividi, ex quibus divina Jesu methodus elucet. prior propositio est: *Jesus est Christus.* altera: *Christum oportet pati, mori, et resurgere.* conf. Joh. 16, 30.

31. 32. vel brevius: Christus per mortem intrabit in gloriam. Discipulos Jesus primo convicit de subjecto; deinde de praedicato ei debuerunt credere ante passionem Domini. Post glorificationem ejus populus primo didicit praedicatum, et inde convictus est de subjecto. Act. 17, 3. Priorem propositionem ut discipulis persuasit Jesus, v. 16. alteram addidit. Postea eos in montem duxit. [*ubi idem, quod ante baptismum, coelitus intonuit*: Hic est Filius meus dilectus, *addito epiphonemate*: Hunc audite. *Audiendus videlicet eorum inprimis respectu erat, quae colloquii in monte novissime habiti summa fuerant, de exitu Ejus in Jerusalem; de* Passione, *inquam, de* Morte *ac* Resurrectione. Harm. p. 370.] Ad haec observanda plurimum momenti habet series harmoniae evangelicae. Homines saepe omnia simul docent: non item sapientia divina. — δεικνύειν, *ostendere*) aperte. — ἀπελθεῖν, *abire*) simulque discedere ab illa ratione, cui assueverant discipuli. — παθεῖν, *pati*) Ubi Jesu obtigerat gloria aliqua, ut h. l. per confessionem Petri, tum maxime recordari solitus est passionis suae instantis. Prima haec annunciatio, passionis et mortis generatim meminit: secunda cap. 17, 22. s. traditionem in manus peccatorum addit: tertia denique c. 20, 17—19. flagella, crucem etc. exprimit. Prima secundae, quam secundae tertia, tempore propior fuit. — πρεσβυτέρων, ἀρχιερέων, γραμματέων, *presbyteris, pontificibus, scribis*) Tria genera eorum, qui populum debuissent ad Messiam ducere: hodierno fere stilo, consilium justitiae, consistorium et facultas theologica. c. 26, 3. — ἐγερθῆναι, *excitari*) Nondum addit de ascensione. Gradatim omnia ulteriora panduntur. v. 27.

v. 22. προσλαβόμενος, *assumens*) quasi pro jure suo. Familiarius egit, post agnitionis editum specimen: sed Jesus in ordinem redigit. conf. Luc. 9, 28. 48. s. 54. s. — ὁ πέτρος, *Petrus*) idem, de quo v. 16. [*Edito laudabili specimine quam facile fit, ut eo gravius quis impingat!* V. g.] Facilius Locum de persona Christi fert ratio, quam verbum crucis. Subitae mutationes in Petro v. 16. 22. c. 17, 4. Inde expertus testatur, nos virtute *Dei* custodiri, Epist. I. c. 1, 5. non nostra. — ἤρξατο, *coepit*) Ceteras doctrinas sine exceptione acceperat. — ἵλεως, *propitius*) sc. *sit Deus*. Formula decurtata. ἵλεως ἡμῖν καταλιπεῖν νόμον. 1 Macc. 2, 21. Et sic LXX. interdum exprimunt חלילה Hebraeum.

v. 23. ὕπαγε, *abi*) tuum non est *assumere et increpare*. Quo magis Petrum praedicarat beatum, eo magis nunc eum reprehendit; ad reprehensionem concoquendam antea per fidem praeparatum: ut et hunc ipsum corrigat, et ceteros discipulos praeservet v. 24. — ὀπίσω) ex conspectu meo, *ad tergum*. [*Non consultorem, inquit, sed sectatorem esse te decet*. V. g.] Satanam jusserat plane facessere, c. 4, 10. — σατανᾶ, *satana*) Appellativum. Conf. Joh. 6, 70. de Juda, sed coll. not. ad Ap. 12, 9. Petrus se putabat maxime benevolum, cum diceret, ἵλεως κτλ. sed tamen *satanas* dicitur. conf. 2 Sam. 19, 22. שטן qui se in via objicit. — σκάνδαλόν μου, *scandalum meum*) i. e. non modo tu scandalum capis ex sermone meo, sed mihi, si fieri posset, noxium scandalum tuo sermone praeberes. Summa vi hoc dicitur, et causam continet celerrimae severitatis erga Petrum. [*Hac ratione Salvator, quaecunque* scandalo *esse possent, veluti ignis aquam, proxime quidem accedentem sed nequaquam perniscendam, eo ipso momento repulit*. V. g.] Si animam Jesu tangere aliquid potuisset, periculosior fuisset sermo discipuli, quam incursus Tentatoris. Matth. 4. conf. not. ad Hebr. 4, 15. *Petra* et *Scandalum*, antitheton. Scandalum, ante pedes positum, [*perfectissimae erga Patrem obedientiae memor* Harm. p. 371.] retro amandat Jesus. — τὰ τοῦ Θεοῦ, *quae Dei sunt*) verbum crucis pretiosum. Sensus Jesu perpetuo divinus. [*Mundo scandalum est Crux: quae Cruci contraria sunt, scandalum erant Christo. Hunc sensum de passione Christi et eorum, qui Christi sunt, deque gloria insequente, postea temporis Petrus aluit; id quod prior ipsius*

Epistola maxime testatur. V. g.] — τῶν ἀνθρώπων, *hominum*) carnis et sanguinis. v. 17.

v. 24. θέλει, *vult*) Nemo cogitur; sed si vult, leges subire debet. — ὀπίσω μου ἐλθεῖν, *post me venire*) Id denotat statum et professionem: *sequatur*, officium. — ἀπαρνησάσθω, *abneget*) Vim verbi expende c. 26, 70. Abnegare se, renunciare. sic, ἀρνεῖσθαι, Tit. 2, 12. ἀποτάσσεσθαι, Luc. 14, 33. Oppositum, ὁμολογία, *confessio*, Hebr. 10, 23. [*Petrus, quum sibi facit, quod Jesu in abnegatione fecerat, seipsum abnegat. Quando sensus Petri humanus hoc illudve cupit, Petrus regerit: Ego Petrum non jam novi, nulla mihi plane cognatio illocum intercedit, nec mihi, quid velit homo innuatque, constat. Tantum qui contra seipsum invaluit, ei et Crux haud molesta est, nec jucundius quidquam sequelâ Christi.* V. g.] — μοι, *me*) ut sit, ubi ego.

v. 25. θέλῃ — σῶσαι, *voluerit — servare*) Non dicitur, *servaverit.* — ψυχήν, *animam*) Anima est homo, secundum rationes animales et humanas. — σῶσαι, *servare*) naturaliter. — ἀπολέσει, *perdet*) spiritualiter, vel etiam corporaliter. — ἀπολέσῃ, *perdiderit*) naturaliter: abjecta per abnegationem omni *suitate.* non dicitur, *voluerit perdere.* — ἕνεκεν ἐμοῦ, *mea causa*) Hoc spectat *sui abnegatio:* ceteroqui multi vitam amittunt *mundi et sui ipsorum causa.* — εὑρήσει, *inveniet*) *servabit*, est apud Marcum et Lucam. *servabit*, spiritualiter vel etiam corporaliter. Periculum in mundo. Anima, quae salvatur, *Inventum* est.

v. 26. ὅλον, *totum*) Totum nemo unquam lucratus est: et, si lucraretur, quid prodesset? — ψυχήν, *animam*) Vera prudentia refert omnia ad animae; falsa ad corporis utilitatem. — τί δώσει, *quid dabit*) Non sufficit orbis. [*uni unius hominis animae redimendae. At Christus quantam quaeso multitudinem sanguine suo, totum videlicet mundum, redemit!* V. g.] — ἀντάλλαγμα, *redhostimentum*) quod non debet vilius esse anima redimenda.

v. 27. μέλλει ἔρχεσθαι) Id plus est, quam si diceretur ἐλεύσεται, *veniet.* Ut doctrinam de persona Christi statim subsecuta est doctrina de cruce, sic hanc statim doctrina de gloria. — τότε, *tunc*) Eo omnia differuntur. — ἀποδώσει ἑκάστῳ, *reddet unicuique*) Negotium hoc est majestatis divinae. Rom. 2, 6. [*Frequentissima hujus dicti in Scriptura est mentio.* V. g.] — πρᾶξιν, *actionem*) Singularis. Vita hominis tota, una actio. [*ex qua, vel Christo vel ventri obnoxiâ, multa porro vel bona vel mala* opera, *prodeunt.* V. g.]

v. 28. τινὲς, *quidam*) Hos non nominat: et his ipsis profuit ignorare, se esse. [*potuitque simul et reliquos acuere.* V. g.] Petrus tum vix sperabat, se in his fore. — ὧδε, *hic*) Particula valde demonstrans. — ἕως ἂν ἴδωσι, *usque dum videant*) Innuitur res futura non propediem; alias omnes, vel plerique omnes, eousque vixissent; sed tamen illa hominum aetate. Habet hic *terminus* temporis varia intervalla, *visio* ipsa varios gradus, *usque* ad videntium *obitum* vario tempore subsecutum. coll. Luc. 2, 26. *antequam*, de Simeone. Atque alium gradum habuit adventus Filii hominis ante obitum Jacobi, Act. 2, 36. et in illo libro passim, usque ad c. 12. coll. Hebr. 2, 5. ss. alium ante obitum Petri, 2 Petr. 1, 14. 19. Luc. 21, 31. alium, eumque summum, ante obitum Johannis, in splendidissima Revelatione venientis Jesu Christi per Johannem descripta: Joh. 21, 22. not. cui respondebit eventus ipse. v. 27. Matth. 26, 64. Atque hujus rei praevium documentum sex post diebus datum est *in monte;* simulque ex omnibus discipulis ii, qui potissimum visuri essent, designati. Non dubium est, quin tres ii, qui *transfigurationem* in monte viderunt, [*ex quibus Jacobus A. 44. Petrus A. 67. Johannes A. 102. defuncti feruntur.* Harm. p. 372.] etiam in aliis postea experimentis gloriae Christi habuerint praecipuum quiddam. Hoc Dictum respexisse, sed non dexterrime intellexisse videntur, qui diem novissimum nimis propinquum putarunt. — τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον, *filium hominis venientem*) Sermo

est de adventu conspicuo ad judicium, v. 13. not. ascensionem mox subsequi incipiente.

CAPUT XVII.

v. 1. Ἡμέρας ἓξ, *dies sex*) Lucas, *quasi octo*, circiter; connumerato die dicti et facti. Haec definitio temporis innuit nexum aliquem cum praecedentibus. In transfiguratione confirmata est doctrina de *Filio Dei*, et de ejus *exitu* sive *passione* etc. — παραλαμβάνει, *assumit*) Scivit Jesus, quid futurum esset in monte. — ὁ ἰησοῦς, *Jesus*) Quia nomen Jesu hic ponitur, ut initio novae partis, hinc patet, c. 16, 28. non tantum spectari clarificationem in monte. — τὸν) Matthaeus ea quoque candide commemorat, in quibus alii apostoli ei antelati erant. Petri et Johannis, qui interfuerant, scripta extant. ille commemorat ep. secunda; hic, ut satis notam et testatam rem praesupponit. Conf. de Petro, Jacobo et Johanne, c. 26, 37. — ὄρος, *montem*) Mons non nominatur: eoque superstitioni occurritur. Praecipuae manifestationes divinae in montibus factae. Act. 7, 30. 38. Opinio de monte *Thabor* speciosa est. Jerem. 46, 18.

v. 2. μετεμορφώθη, *transfiguratus est*) Hoc verbo notatur, gloriam semper internam fuisse Jesu. alia vis verbi μετασχηματίζεσθαι, Phil. 3, 21. 2 Cor. 11, 14. conf. μορφὴ καὶ σχῆμα, Phil. 2, 6. ss. — φῶς, *lux*) infra *solem*. Vestes non nihil diluere splendorem corporis.

v. 3. ὤφθησαν, *apparuerunt*) cum suis corporibus. — μωσῆς καὶ ἠλίας, *Moses et Elias*) Utriusque discessus ex hominibus fuerat singularis: uterque in *monte* Sina et Horeb revelationibus insignis. Utriusque conjuncta mentio Malach. 4, 4. 5. Probabile est, Mosen statim a morte et sepultura resuscitatum fuisse, ut non fuerit exanimis, Elia vivente in coelo: certe post obitum intravit terram promissionis, quae sanctum hunc montem habebat. Et tamen Christus est ἀπαρχή, *primitiae*, non Moses. Resuscitatio Mosis non confert vitam aliis: confert resuscitatio Christi. Ceteroqui Mosis redivivi haec apparitio mysterii plena est. Ἀθανασίαν ei jam tum fuisse collatam, neque post Christi resurrectionem ei βελτίωσιν quandam obtigisse quis spondebit? [1]) O quam multa sunt in mundo glorioso supra captum nostrum. Si haec apparitio Mosis et Eliae, non in canone, sed tamen per alios testes idoneos relata extaret, quis non pro fabula haberet? — συλλαλοῦντες, *colloquentes*) Non est pleonasmus. loquebatur *uterque* cum Jesu. Colloquium maximum. Moses in fine occonomiae primae: Elias, in medio mediae: Jesus, in principio tertiae. Illi non nisi vero messiae testimonium perhibent. — μετ' αὐτοῦ, *cum illo*) non etiam cum tribus apostolis.

v. 4. καλὸν) טוֹב Gen. 1. — εἶναι, *esse*) manere. Imo καλὸν ἦν, *bonum erat*, multo aliud. Joh. 16, 7. Ad *stationem*, Luc. 9, 32. non opus erat tabernaculis: aut ad unam noctem. ib. v. 37. [*Petrus non jam in votis habet in monte isto mansisse. Ab eo, quod* bonum *est, ad ea, quae* meliora *sunt, per Crucem transire datur.* V. g.] — εἰ θέλεις, *si vis*) Bona et necessaria exceptio. — τρεῖς, *tria*) non sex. Apostoli volebant esse cum Jesu. — μωσῇ, *Mosi*) Mosen et Eliam cognovit Petrus in illo lumine.

v. 5. ἔτι, *adhuc*) Brevis mora. — λαλοῦντος, *loquente*) Non plane apta fuerat locutio. — ἰδοὺ, ἰδοὺ, *ecce, ecce*) Magna momenta. Revelatio una e ma-

---

1) *Primo die mensis Adar, ex relatione* Josephi lib. 4. *Antiq. in extr., obiisse Mosen (coll.* Deut. 34, 8. Jos. 1, 11. 4, 19.) *commemoraverat b.* Bengelius *in Harm. ev. Ed. I. ad h. l., eodemque anni tempore transfigurationem Christi, praesente Mose, factam esse monuerat; subjunctâ cautelâ, observationis hujus utut non singulare videatur momentum esse, fieri tamen posse, ut* in posterum aliquos juvet. *Brevi post, ad transfigurationem Christi, mense* Septembri *factam, provocabat nonnemo, Mosis et Eliae adventum mense Septembri* A. 1737 *expectans: cui errori jam refutando inservire poterat observatiuncula ista, quam inanibus* ingenii lusibus *facile quis adnumerandam judicasset. Vid.* Harm. ev. Ed. II. p. 375. s. E. B.

d by Google

ximis. — νεφέλη, *nubes*) Gloriam meram non fert natura mortalis. medicina fortis diluitur liquore. addatur *somnus*, Luc. 9, 32. Nubem tamen intravit Moses et Elias. ibid. v. 34. Magna admissio! In nubibus saepe conspicua majestas divina. — αὐτούς, *eos*) discipulos. Luc. 9, 34. — φωνὴ, *vox*) Vox venit de coelo, primo, c. 3, 17. tum, hoc medio tempore; et extremo, paullo ante passionem, Joh. 12, 28. Post singulas illas de coelo voces, nova virtus in Jesu, novus ardor et nova suavitas sermonum et actionum ejus, novus successus, emicuit. — οὗτος, *hic*) Hic sermo habet tres partes, quae psalmos, prophetas et Mosen, unde repetuntur, respiciunt. [*Et non multo ante discessum suum ad hoc ipsum gloriosum testimonium in posteriori sua Epistola provocavit Petrus.* V. g.] — αὐτοῦ, *eum*) prae Mose et Elia. Hoc celeusma, *Eum audite*, non dicebatur apud baptismum, Matth. 3, 17. — ἀκούετε, *audite*) Viatorum est *audire* et auditum propagare potius, quam *videre*, ut Petrus optabat. Pater probavit omnia, quae locutus erat Filius, de se ut Filio Dei; et quae locuturus erat posthac, etiam multo uberius, de cruce inprimis. nam de illo ut *Filio*, expresse hic ipse testabatur Pater: de *Cruce*, magis magisque *audiendus* erat Filius.

v. 7. ἥψατο, *tetigit*) Aspectus et auditus prosternit: tactus familiaris et efficax erigit. — μὴ φοβεῖσθε] *desinite timere*.

v. 8. ἰησοῦν μόνον, *Jesum solum*) Hinc constat, hunc esse Filium, audiendum, non Mosen, non Eliam.

v. 9. μηδενὶ, *nemini*) ne condiscipulis quidem. — ἕως οὗ, *usque dum*) Deinde dixerunt, 2 Petr. 1, 18. Scripsit etiam Matthaeus, etsi non interfuerat. — ἀναστῇ, *surrexerit*) Gloria resurrectionis credibiliorem fecit gloriam illam praeviam.

v. 10. οὖν, *ergo*) Mentioni mortis opponunt restitutionem per Eliam, quem v. 3. putant venisse, idque non celandum esse, promovendae fidei causa, ut exspectationi scribarum eventus jam respondisse agnoscatur. — πρῶτον, *prius*) ante Messiae regnum.

v. 11. ἔρχεται, *venit*) Praesens, medium inter vaticinium et complementum. Et ministerium Johannis efficax etiam post ejus necem erat. — ἀποκαταστήσει, *restituet*) Idem verbum, Mal. 3, 24. LXX. Et hoc negotium restituendi omnia argumento est, in prophetia de Elia non spectatam esse brevem illam apparitionem Eliae in monte. — πάντα, *omnia*) apud parentes et liberos, seminaliter. Joh. 10, 40. s. Act. 19, 3.

v. 12. δὲ, *vero*) Docet, adventum Eliae et mortem Messiae non modo non inter se pugnare, sed congruere. — οὐκ ἐπέγνωσαν, *non agnoverunt*) etsi Jesus id c. 11, 14. aperte dixerat. sic ne Christum quidem, etiamsi aperte eis dixisset, agnovissent. [*Mundus aut plane non credit, aut meris exspectationibus inhaerens complementum ipsum recusat credere.* V. g.] — ὅσα ἠθέλησαν, *quaecunque voluerunt*) [1]) Johannis mors non soli Herodi adscribitur. conf. ad cap. 14, 9. Jesus Eliam, quum Johannes Bapt. venit, venisse ait: Johannes Bapt. id negat. Utrumque vere, si responsiones conferantur ad quaestiones praegressas. Judaei quaesiverant, num esset Elias (conf. c. 27, 49.) ille videlicet, qui venturus esset, ante adventum secundum, sive ante *diem magnum et terribilem*. ideo Johannes respondit, *non*. Discipuli sententiam Scribarum ex sermonibus Christi temperantes, et cum his conciliare studentes, putarant, Eliam Thisbiten venturum esse ante adventum primum. ideo Jesus respondet, tum venisse Johannem baptistam.

---

1) Et mala quidem atque proterva *libidine*. Haec ipsa mundi coeca perversitas infert, ut bonae caussae per tot obstacula perrumpendum sit. Non semel, qui boni nonnihil patravit, splendidissima eo nomine redhostimenta praestolatur a mundo. In ea vero sententia diu perstare nequit, qui Deum, mundum et seipsum noscit. Merita, hoc remunerationis genus ferentia, non spiritualia sunt, sed mundana. *V. g.*

Digitized by Google

[1]) v. 14. καὶ, *et*) Hic jam alia longe scena se pandit, quam optarat Petrus v. 4. Dum Moses in monte erat, populus deliquit. Ex. 32, 1. Dum Jesus in monte erat, res apud populum non optime gesta est.

v. 15. ἐλέησόν μου τὸν υἱὸν, *miserere filii mei*) Potuit orare lunaticus, *Respice me, et miserere mei, quia sum unigena.* vid. Ps. 25, 16. in Hebr. et Gr. Et hoc repetit parens ejus. — τὸ] Articulus *universe* innuit naturam horum elementorum; quod lunaticus apud ignem et aquam proclivior sit in paroxismum: sed Marc. 9, 22. not. ignis et aquae memorantur, et hae quidem *indefinite* sine articulo.

v. 16. οὐκ ἠδυνήθησαν, *non potuerunt*) Turpe discipulis erat, accusari aliunde. Candida Matthaei etiam de sese confessio. Mirum, non nocuisse daemonem discipulis, coll. Act. 19, 16.

v. 17. ἄπιστος, *infidelis*) Conf. v. 20. Severo elencho discipuli accensentur turbae. — ἕως πότε, *usque quo*) Postquam in monte Jesus robur acceperat majus, jam ei gravior accidit *infidelitas* hominum et miseria, cui succurrit. Conf. Ex. cap. cit. v. 19. [*Transfiguratio amoenissimum, et causa lunatici molestissimum facile fuerit eorum, quae in terra Jesu degenti evenerunt.* V. g.] — ἔσομαι, *ero*) Festinabat ad Patrem: nec tamen abitum se facere posse, sciebat, priusquam discipulos ad fidem perduxisset. Molesta erat tarditas eorum. Joh. 14, 9. 16, 31. — μεθ' ὑμῶν, *vobiscum*) Jesus non de hoc mundo. — ἀνέξομαι, *tolerabo*) Metonymia consequentis. Vita Jesu perpetua *tolerantia*.

v. 18. ἐπετίμησεν, *increpuit*) ut hostem. — αὐτῷ, *illud*) *daemonium*. Marc. 9, 25. — αὐτοῦ, *illo*) *puero*.

v. 19. [2]) εἶπον, *dixerunt*) Salutaris submissio, et *causae* indagatio. — οὐκ ἠδυνήθημεν, *non potuimus*) Assueverant jam miraculo. c. 10, 1.

v. 20. ἀπιστίαν, *infidelitatem*) in hac parte. — πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, *fidem ut granum sinapis*) Oppositum: *mons* ingens. Huic *fidei* antitheton est fides vigens et exstimulata per preces et jejunium. Ex eo patet, translationem montis minus esse miraculum, quam ejectionem talis daemonii, de quo hic sermo est. nam daemonium arctius haeret in homine spiritualiter, quam mons in radicibus suis naturaliter: et fides, etiam minima, tamen est vehementior situ montis. Dices: cur ergo illud miraculum minus frequens? Resp. Factum tamen est aliquando: sed saepe fieri non opus est, etsi eo se extendit opulentia fidei. Mons per naturam ex creatione est in loco suo: daemonium non item in homine. Ergo hoc ejici salutarius est, quam montem transferri. Conf. de fide, Marc. 11, 22. ss. 16, 17. Joh. 14, 12. s. — ἐρεῖτε, *dicetis*) dicere potestis. Hoc apostolis potissimum dicitur. neque enim omnibus obtingit donum miraculorum. — ὄρει, *monti*) v. 1. cap. 21, 21. Exempla non desunt in Hist. eccl. Eorum unum vid. in Not. ad Greg. Thaum. Paneg. pag. 127. seq. vid. etiam Stapul. comm. f. 78. — ἐκεῖ, *illic*) Poteritis etiam locum assignare monti. — οὐδέν, *nihil*) vel si sol sistendus sit.

v. 21. τοῦτο, *hoc*) Non dicitur hoc loco, *daemoniorum genus*, universe; sed *hoc genus*, determinate. Ergo non unum est genus daemoniorum. Ejecerant discipuli antea etiam sine precibus et jejunio: at hoc genus indolem habet precibus et jejuniis [*quatenus per ea fides augetur.* V. g.] maxime contrariam et cedentem. Jejunio non assueverant discipuli: c. 9, 14. et sobrietatem, absente Domino, tum videntur minus servasse.

v. 22. [3]) μέλλει — παραδίδοσθαι) *est, ut tradatur.* — εἰς χεῖρας ἀνθρώπων,

---

1) V. 13. περὶ Ἰωάννου, *de Johanne*) non de illo, quem v. 3. viderant, Elia. *V. g.*

2) οἱ μαθηταὶ, *discipuli*) ne Petro quidem, Jacobo et Johanne exclusis. Alioquin his, de monte reversis, expulsionem daemonis deferendam fuisse putaris. *V. g.*

3) ἐν τῇ γαλιλαίᾳ, *in Galilaea*) Longo adhuc intervallo a loco Passionis constituti. *V. g.*

itized by Google

in manus hominum) quae sane gravis conditio! Sic traditus ille, qui tantam potestatem habebat: v. 18.

v. 24. καπερναούμ, *Capernaum*) ubi habitabat Jesus. [*aliâ tamen, quam prius, ratione: nam cum discipulis, quibus Passionem indicabat, in obscuro versabatur*, Luc. 9, 18. *etc. donec iter Passione finiendum aggrederetur*, Luc. 9, 51. 13, 32. Harm. p. 380.] — δίδραχμα] שקל LXX. saepe δίδραχμον. — λαμβάνοντες, *accipientes*) pro templo [1]).

v. 25. ναὶ, *etiam*) Ergo Jesus etiam priore anno solverat. [*sed interim solemniter pro* filio *DEI agnitus decentissime jamnunc apud Petrum dignitati suae cavet*. Harm. p. 380.] — εἰσῆλθεν, *intravit*) ea ipsa de re. — προέφθασε, *praevenit*) Petrus rogare volebat. toto hoc facto mire confirmata fides Petri. In medio actu submissionis emicat Majestas. — σίμων, *Simon*) Appellatio quasi domestica et familiaris. — [2]) τέλη ἢ κῆνσον, *vectigalia aut censum*) agrorum capitumque. — ἀλλοτρίων, *alienis*) civibus, qui non sunt filii.

v. 26. ἐλεύθεροι, *liberi*) Sensus comparationis. Jesus est Filius Dei (v. 5.) et haeres omnium; at Dei domus est templum, cujus in usum didrachma penduntur. Decebat, Jesum, didrachma solventem, id facere cum protestatione. hanc non capiebant, qui sumebant; ergo ad Petrum fit. Jus Jesu sequuntur etiam, qui ad Jesum attinent.

v. 27. ἵνα δὲ μὴ, *ut ne autem*) Scandali vitandi causa vel miraculum factum. conf. c. 18, 6. 7. — αὐτοὺς, *illos*) qui non noverant jus Jesu. Facillime, ubi de pecunia agitur, scandalum capiunt a sanctis homines negotia mundana curantes. — βάλε, *jace*) Petrus, piscator. Non erat in crumena pecunia. — ἀναβάντα, *ascendentem*) Multiplex omniscientiae et omnipotentiae miraculum: 1. capi aliquid: 2. et cito: 3. in pisce fore pecuniam: 4. eamque in pisce primo: 5. nummum fore tanti, quantum opus esset: 6. fore in piscis ore. Ergo piscis eo ipso momento staterem sive tetradrachmum ex fundo maris afferre jussus est. — ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ, *pro me et te*) Par valde dispar. quid enim Petrus ad Jesu magnitudinem? Petrus habebat familiam: ceteri discipuli, [*annum vigesimum, ut credere fas est, nondum egressi, adeoque solvendae stipi sacrae nondum adstricti*. V. g.] erant familia Jesu. (*Conf. not. ad* Matth. 8, 14.) Ideo dixerant, *Magister vester*, non, *tuus*, v. 24.

CAPUT XVIII.

v. 1. Ὥρᾳ, *hora*) cum audierant, de libertate liberorum, c. 17, 26. (convenit *ergo* h. l.) cumque viderant, Petrum, Jacobum et Johannem esse adhibitos in monte, c. 17, 1. — τίς, *quis*) Indefinite interrogant, verbis: mente, de se ipsis existimant. [Marc. 9, 33. s. et Luc. 9, 46. s. *res mutatâ paullulum schesi proponitur. Discipuli nimirum postquam in via disceptassent, eoque nomine ab optimo Salvatore constituti essent, siluere primum: tum vero, omnibus a Salvatore in unum convocatis, aliqui demum quaestionem protulerunt*. Harm. p. 381. s.] [3]) — ἐν τῇ βασιλείᾳ, *in regno*) Vide, ut intres: prius noli quaerere, quae sint rationes singulares.

---

1) Exactio ista, referente Tr. *Schekalim*, die mensis Adar 15. solebat fieri. Qua lege eventibus et itineribus, ab encaeniis Joh. 10, 22. usque ad h. l., ac porro ad Sabbatum usque, cujus Joh. 12, 1. mentionem habes, frequenter memoratis apprime respondet temporis spatium. — Utrumque Sabbatum, Luc. 13, 10. 14, 1. notatum, temporis istius mediam partem occupat, et Lazari suscitatio paucis diebus ante vecturam Domini solennem facta est. *Harm.* p. 380.

2) οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, *reges terrae*] Cum his Dominus Jehovah, ad cujus cultum solutus est census, comparatur. *V. g.*

3) *Conf. quae hanc in rem disseruit* J. D. Michaëlis *in der* Einleitung etc. T. II. p. m. 911. ss. E. B.

Digitized by Google

v. 2. παιδίον, *puerulum*) Diminutivum, ad refutandos discipulos *magna* quaerentes. Fertur fuisse Ignatius ὁ θεοφόρος. Sine dubio fuit excellentis indolis et suavissimae speciei, divino nutu tum praesens. — ἐν μέσῳ αὐτῶν, *in medio eorum*) Vid. Marc. 9, 36. not.

v. 3. καὶ εἶπεν, *et dixit*) Quaerendo, *quis major*, offendere poterant discipuli, et se ipsum quisque, et condiscipulos, et puerum praesentem. Omnibus his offensionibus occurrit sermo Salvatoris, sua et Patris sui cura pro salute animarum proposita. v. 3—20. Hinc nexus sermonis perspicitur. — ὡς τὰ παιδία, *ut pueruli*) In his mirabile sit aliquid, oportet, quod adultis pro exemplo proponuntur, humilitatis, simplicitatis, fidei. Ubique Scriptura favorem demonstrat erga parvulos. — οὐ μὴ εἰσέλθητε, *non ingrediemini*) tantum abest, ut maximi sitis futuri, in regno coelorum. Non dicit: non manebitis; sed, non intrabitis: quo magis eorum fastum reprimat.

v. 4. ὅστις, *quicunque*) De individuo, de quo quaerebant, non respondetur. — οὗτος) *hic* demum.

v. 5. δέξηται, *exceperit*) humiliter, amanter, ad profectum animae. patet ex antitheto, v. seq. — τοιοῦτον) Eadem terminatio, Act. 21, 25. *talem*: nam interdum *pueruli* etiam sunt corrupti. [*Cordis igitur humilitate praeditum designat*. V. g.] — ἕν, *unum*) Providentia etiam de singulis. v. seq. Frequens *unius* in hoc capite mentio. [v. 10. 12. 14.] — ἐπὶ, *in*) non ob causas naturales aut politicas. — ὀνόματι, *nomine*) v. 20. — ἐμὲ, *me*) qui sum in parvulis credentibus; ut Pater est in me. Similiter dici potest: In justificatione Deus, credentem hominem suscipiens, Christum suscipit.

v. 6. σκανδαλίσῃ, *offenderit*) scandalo vel fidei vel vitae; provocando ad superbiam vel rixam, avocando a virtutibus aetatulae illius. Maxima debetur puero reverentia, si quid turpe paras. *Minores* minus callent: ideo major noxa. — τῶν πιστευόντων, *credentium*) Jesus magnam habuit rationem minorum, eosque fide imbuit. c. 14, 21. 19, 13. 21, 15. — συμφέρει, *conducit*) Nam submersione horribilior est ignis, v. 8., et stagnum ignis, Ap. 19, 20. — μύλος ὀνικὸς, *mola asinaria*) inprimis gravis. Apposita locutio, in sermone de scandalo. nam ad *lapidem* offensio est. — καταποντισθῇ, *demergatur*) Supplicium frequens et horribile. [*in oppositione ad regnum coelorum*. V. g.] — πελάγει, *pelago*) profundo: Act. 27, 5. not. — τῆς θαλάσσης, *maris*) vicini. c. 17, 27.

v. 7. τῷ κόσμῳ, *mundo*) Late patent scandala. — τῶν, τὰ, τὸ) Emphasis. — [1]) ἐλθεῖν, *venire*) illo ipso ceteroqui beato Messiae tempore praesertim: sicut aestate abundant insecta. Prope aberant discipuli a scandalo: quanto propius alii? — πλὴν) Epitasis. vae mundo scandalis laeso: *imo vero* vae homini, qui scandalo laedit.

v. 8. εἰ δὲ, *si vero*) Qui *sibi* a scandalo non cavet, *alios* scandalizabit: et vice versa. — χεὶρ, πούς, *manus, pes*) Sane in impetu peccandi, male agendi, male eundi, urgetur v. gr. manus, spiritibus animalibus eo confluentibus: neque in hoc sermone proprietas est nulla; nam imperativus, excide, aufer, valet v. gr. de manu, *quatenus* ea sic affecta est. — ζωὴν, *vitam*) Oppositum, *ignem aeternum*. — χωλὸν, κτλ. *claudum etc.*) Sane pii in mundo et sibi et aliis sunt claudi, surdi, muti etc. Ps. 38, 14. Id accipiendum de tempore mortificationis, non glorificationis: namque membra magis mortificata, magis fulgebunt in gloria. Gal. 6, 17. — αἰώνιον, *aeternum*) Apertius in V. T. τὸ *aeternus* significat interdum aeternitatem aliquam finitam, quam in N. T.

v. 9. ὀφθαλμὸς, *oculus*) v. gr. per superbiam, h. l. aut per invidiam, vid. Marc. 7, 22. vel per lasciviam. Est gradatio. Carior oculus manu vel pede.

---

1) ἀνάγκη, *necesse*] ob incredulitatis frequentiam. *V. g.*

by Google

Saepe ubi scandalum unius membri victum est, ab alio scandalum sequitur. — μονόφθαλμον) Μονόφθαλμος Matthaeo et Marco idem est, quod ἑτερόφθαλμος Ammonio. — τὴν γέενναν, *gehennam*) *ignem aeternum.* v. praec.

v. 10. μὴ καταφρονήσητε, *nolite contemnere*) Contemsisse videntur versu 1. s. Superbia adultorum frequens contra parvulos; quorum adspectu admonentur originis suae: quo fit, ut hos nullo numero habeant, nec revereantur. Contemnit, qui vel corrumpit vel non aedificat. — οἱ ἄγγελοι, *angeli*) quos non offendere, sed in hac ipsa pro parvulis cura imitari debetis. — αὐτῶν, *eorum*) Angeli curam gerunt minorum, ad corpus et animam: et eo magis, quo minus suppetunt sibi. Adulti homines habent etiam illi quidem suos angelos; sed tamen iidem illi etiam magis quodammodo sibi relicti sunt. — βλέπουσι, *vident*) ut apparitores. Idque non solum ad dignitatem, sed etiam ad defensionem parvulorum pertinet. Duplex eorum functio. Hebr. 1, 14. — τὸ πρόσωπον, *faciem*) Ex. 33, 14. 20. Num. 6, 25. s.

v. 11. γὰρ, *enim*) Infantes curae sunt Deo, non quin fuerint etiam sub perditione, sed quia sunt ex ea restituti. — τὸ ἀπολωλὸς, *amissum*) v. 14. Humanum genus, una massa perdita; sub qua etiam, propter peccatum originale, infantes continentur, etiam melioris indolis. sed ea tota redemta. Si rex dicat, se urbem incendio absumtam reaedificaturum, nollet hoc accipi de una platea. *Amissio* peccatoris est coram oculis Dei quiddam quasi contingens. Ergo praescientia non infert necessitatem.

v. 12. τί, *quid*) Suavis communicatio. — ἑκατὸν, *centum*) Facilior alias jactura unius in magno numero. — ἕν, *una*) Vel *una* rotunditas frangeretur, et numerus definitus minueretur. — ἀφεὶς, *relinquens*) Errantes curare pastorum est, prae iis, qui in via sunt. — ἐπὶ τὰ ὄρη, *in montes*) vel cum labore, in loca sola. Sermo videtur ad mare habitus.

v. 13. ἐὰν γένηται εὑρεῖν, *si fiat, ut invenial*) *Inventio* peccatoris est coram oculis Dei quiddam quasi contingens: (conf. de amissu, v. 11. not.) ergo gratia non est irresistibilis. conf. Luc. 15, 6. 9. 24. 17, 18. — ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *amen dico vobis*) Formula respicit apodosin, uti Luc. 11, 8. Joh. 12, 24. Conf. juramentum divinum, Ez. 33, 11.

v. 14. οὐκ ἔστι θέλημα, *non est voluntas*) sive optabile quidquam. Ez. 18, 23. Non additur articulus. conf. *voluntates*, Act. 13, 22. Voluntati Dei subservire debet studium nostrum in curanda omnium salute. — ἔμπροσθεν, *coram*) Intellectus divinus innuitur, discernens, quae *voluntati* placeant. — ἵνα, *ut*) Id est, maxime vult, omnes salvari. — εἷς, *unus*) Discipuli quaesierant in comparativo: Jesus respondet potissimum in positivo.

v. 15. ἐὰν δὲ, *si vero*) Summa capitis: quisque se ipsum et alios non praepedire, sed adjuvare debet ad salutem. Item: nos debemus respondere divinae voluntati, de qua v. 14. Item: noli offendere fratrem: offensam fratris emenda. — ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ, *peccaverit in te*) scandalo dato. 1 Cor. 8, 12. — ὕπαγε, *abi*) Conf. *profectus*, v. 12. Id neminem dedecet. Etiam Christus ad nos venit et nos quaesivit. — ἔλεγξον, *argue*) [1]) Sequitur *testium*. Illud inter duos, hoc, *testari*, inter plures. — αὐτὸν, *eum*) *fratrem*. Arguitur et ignoscitur ei ideo, quia *frater* est. — μόνου, *solum*) Reprehensio solitaria, gratiosa. — ἐκέρδησας, *lucrifecisti*) Ergo frater per peccatum erat perditus. Lucrum, beatum. corpus aegroti sanatum, medici non fit proprium; domus ardens non fit propria vicini, ignem restinguentis: id est, non lucrifiunt. at quem hominem lucratus sum, quodammodo meus fit: (ut apud Romanos in imperatoris vic-

1) *Hoc per asyndeton (in* Vers. germ. *haud observatum) efferri*, utriusque Editionis *margo subinnuit.* E. B.

itized by Google

toris clientelam venit populus victus.) conf. Luc. 19, 24. 17. Philem. v. 19. 1 Cor. 9, 19. not.

v. 16. ἕνα ἢ δύο, *unum aut duos*) ut sint, te actore addito, duo aut tres, testes. Jure sanctiori testis idem, qui actor esse potest. — ἐπὶ) Deut. 19, 15.: ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων καὶ ἐπὶ στόματος τριῶν μαρτύρων σταθήσεται πᾶν ῥῆμα. — σταθῇ πᾶν ῥῆμα, *stabiliatur omne verbum*) et contra peccantem, et ad ecclesiam deinde. Hic locus exemplo est, non omnia, quae jus forense mosaicum habet, excludi ex politia et ecclesia christiana.

v. 17. παρακούσῃ, *non obediverit*) neglecto elencho. — τῇ ἐκκλησίᾳ, *ecclesiae*) quae est in eo loco, ubi tu versaris et frater tuus. duobus aut tribus opponitur ecclesia ea fere proportione, qua duo aut tres uni. Decem homines apud Hebraeos עדה *ecclesiam*, coetum publicum, constituere censentur, in litibus privatis. [*Non hic sermo est de Ecclesia catholica s. universali.* V. g.] *Rhenferd.* op. phil. p. 729. et Buxt. Synag. Jud. c. 25. ubi eadem praescribuntur *offendenti*, quae Jesus *offenso* praescribit. — ἔστω, *sit*) Rom. 16, 17. 1 Cor. 5, 11. 2 Thess. 3, 14. 2 Tim. 2, 21. Tit. 3, 10. 2 Joh. v. 10. — σοὶ, *tibi*) etiamsi forte non item testibus et ecclesiae. Ergo ante elenchum nemo debet haberi pro alieno. — ὁ ἐθνικὸς) Libet hoc potissimum loco de articulo aliqua colligere. Recte notat B. Stolbergius in collegio ms. de particulis: *in sacris vix repertum iri exemplum articuli abundantis.* Nusquam is plane otiosus est, nunquam sine ratione ponitur; quamvis ei aliena saepe emphasis a philologis obtruditur. Aequipollet germanico *der:* et notat minus quam *hic;* plus, quam *quidam.* Itaque habet vim determinandi; determinat autem *rel* subjecti universalitatem, totalitatem, Matth. 6, 22. ὁ λύχνος. corpus non habet lychnum, praeter oculum. *rel* totam speciem, Matth. 15, 11. Rom. 1, 17. *rel* subjecti singularitatem et unitatem, Matth. 1, 23. Joh. 1, 21. 13, 13. restringendo etiam genus ad speciem, Act. 19, 17. τοῖς. etenim in Logicis quoque universales et singulares enunciationes aequipollent. unde saepe habet vim relativam, etiam in partitione. Luc. 18, 10. Ap. 17, 10. *rel* rei exquisitam quandam rationem. c. 8, 12. ὁ κλαυθμὸς, *fletus*, ad quem fletus in praesenti non est fletus. Digna materies, quae a philologis curatius digeratur. Hoc loco ὁ ἐθνικὸς dicit totum genus ethnicorum, et ex eo quemlibet. sic, ὁ τυφλὸς, Deut. 28, 29. — τελώνης, *publicanus*) Judaeis facile erat, habere aliquem, ut ethnicum; ideo quasi per incrementum sermonis additur, *et publicanus.* nam publicani inter Judaeos erant, et tamen vitabantur.

v. 18. ὅσα ἐὰν, *quaecunque*) omnia, in quae potestas ligandi et solvendi valet; offensas praesertim [1]). — δήσητε, *ligaveritis*) v. 17. fin. — λύσητε, *solveritis*) v. 15. fin. Privatae et communis offensae retentio magnam inter se affinitatem habet: et sic quoque remissio. v. 15—35. Docet Jesus suos peccata proximorum ligare et solvere in suo nomine, v. 20. neque vim nullam habet, quum illi offensas fratrum etiam sua causa per iracundiam ligant et tenent.

v. 19. πάλιν, *iterum*) Res eadem dicitur, sermone paulo alio. particula facit epitasin, uti cap. 19, 24. Gal. 5, 3. Hoc loco sermo est de conjunctis, versu 18. de singulis. coll. c. 16, 19. — δύο, *duo*) si non plures. Antitheton ad *cunctos.* v. 18. *duo*, v. gr. conjuges. Magna virtus unitae fidei. Quod precibus unius hominis ex propria ejus imbecillitate obesse potest, id vel unius fratris societas compensat. — ἐπὶ τῆς γῆς — ἐν οὐρανοῖς, *super terra — in coelis*) Idem antitheton, v. 18. — αἰτήσωνται, *petierint*) ad ligandum, ad solvendum.

v. 20. γὰρ, *enim*) Nomen Jesu addit vim precibus. — δύο ἢ τρεῖς, *duo*

---

1) Hanc potestatem Christus tum demum discipulis dedit, quum gratiosam Patris coelestis voluntatem experti (v. 14.) Ipsum, Jesum, pro Filio DEI agnovissent (c. 16, 16.) atque Spiritum S. accepissent, Joh. 20, 22. V. g.

aut tres) Vid. Eccl. 4, 12. cum antecedd. *Tres,* parabilis numerus, etiam sterili ecclesiae tempore: major, non item, et quidem cum majore periculo, ne adsit hypocrita: sed tamen ubi *multi* simul sunt, sinceri; quanta erit virtus! — εἰς, *in*) ut nomen meum colant. In nomine Jesu Christi rata sunt omnia apud Patrem, v. 19. — εἰμὶ, *sum*) et mecum omnis gratia. c. 28, 20. Act. 18, 10. 2 Tim. 4, 17. Ubi Filius est, ibi est Pater: quod vult Filius, vult Pater.

v. 21. ποσάκις, *quoties*) uno die, vel, tota vita. coll. Luc. 17, 4. *[Orta est haec quaestio ex aliquo sensu superabundantis gratiae divinae, quae in sermonibus praecedentibus tantopere celebrata fuerat.* V. g.]

v. 22. [1]) ἑβδομηκοντάκις ἑπτά) LXXVII. Terminatio κις afficit totum numerum 77. Sic septuag. int. Gen. 4, 24. de ultione. *[Tantam discordiam vel inter pessime animatos vix oriri posse credas. Itaque placabilitas defatigari nescia requiritur.* V. g.]

v. 23. διὰ τοῦτο, *propterea*) subaud. *dico.* — ἠθέλησε, *voluit*) libera voluntate, summa potestate.

v. 24. ἀρξαμένου, *incipiente*) antequam sciret servus, quae esset ratio conservorum. — προσηνέχθη, *allatus est*) vel invitus. — εἷς, *unus*) servus, *qui debebat* etc. Quanta sunt debita omnium, si unius est tam grave? Quisque se pro illo *uno* habere debet. coll. v. 35. 12. c. 20, 13. Par enim est omnium ratio. — μυρίων ταλάντων, *decies mille talentorum*) Graeca lingua non capit duobus verbis summam grandiorem, quantitate discreta et continua exprimendam. Si debemus fratri 100 denarios condonare, id est *septuagies septem* remittere: Dominus, 10,000 talenta condonans, quantum peccatorum remittit? Talentum habet circiter 6000 denarios. Itaque 10,000 talenta habent 60,000,000 denarios: quorum quantilla pars sunt 100 denarii? nam 5 denarii faciunt florenum, 9 denarii thalerum imperialem, aut non multo plus. Talentum unum Hebraicum, aut duo Attica, sunt 2250 flor. [*Emergit Summa 15,000,000 thalerorum, vel 22,500,000 florenorum. Tanto debito si vel unus servus, quem cum reliquis Apostolis Petrus* v. *g. de seipso interpretari debuit, constringi potest: quis non eorum cumulus erit, quae Dominus universis gratiam nanciscentibus remittit? quin eorum, quae in loco cruciatus, pluribus omnino, nullâ calculi remissione factâ, luenda sunt!* V. g.]

v. 25. ἐκέλευσεν, *jussit*) Jus ostenditur: jure tamen suo non utitur dominus: at servus qualicunque jure suo abutitur. — ὅσα εἶχε, *quaecunque habebat*) peculium, quod quidem ipsum domini erat.

v. 26. μακροθύμησον, *longanimis esto*) noli celeriter agere mecum. — πάντα, *omnia*) Tota mundi aetate servus tantum parare non potest. Ostenditur ergo sensus animi contriti.

v. 27. [2]) ἀπέλυσεν, *dimisit*) ut petierat servus. — ἀφῆκε, *remisit*) quod rogare non ausus erat servus. Unum petierat: duo impetravit beneficia.

v. 28. ἐξελθὼν, *egressus*) angustiis solutus. Ante rationes collatas mitius tractavit conservum. Ipsam recuperatae libertatis, sanitatis etc. laetitiam majus comitatur periculum peccandi. [*ut vel tum demum irae quis obnoxius fiat.* V. g.] Joh. 5, 14. 2 Reg. 20, 13. [3]) [4]) — ἑκατὸν δηνάρια, *centum denarios*) Nomina

---

1) ἁμαρτήσει, *peccabit*] Non de levi aliqua offensione, quae subitaneam, et peccaminosam illam quidem, at sponte remittentem indignationem pariat, sed de graviori laesione haec intelligenda sunt. *V. g.*

2) σπλαγχνισθεὶς] *Condonare, remittere,* summum *misericordiae* opus. *V. g.*

3) εὕρεν, *invenit*] Gratiam divinam experto mox occasio tibi se offeret vel simili vel dissimili agendi ratione utendi. *V. g.*

4) ἕνα, *unum*] Fit aliquando, ut omnibus quis hominibus bene velit, et *uni* saltim inimicus maneat atque infestus. *V. g.*

Digitized by Google

graeca numorum, neutrius generis. Satis magnum pro conservo debitum: sed nil ad talentum vel unicum. Centies centum, μύριοι. — ἀπόδος, *redde*) Importuna flagitatio. — εἰ] Lat. si. particula vehemens, pro *quum*. — ὀφείλεις, *debes*) Dura exprobratio.

v. 29. παρεκάλει, *rogabat*) Versu 26. dicitur *adorabat*. — λέγων, *dicens*) Iisdem verbis, quae leguntur v. 26.

v. 30. οὐκ ἤθελεν, *non voluit*) Opponitur τῷ *misertus* v. 27. [*Quanti subinde est*, Velle *vel* Nolle, *in caussis per se non gravissimis!* V. g.] — ἀπελθὼν, *abiens*) ad praetorem. — ἔβαλεν, *jecit*) quo ipso involavit in jus domini.

v. 31. ἐλυπήθησαν — διεσάφησαν, *tristati sunt — detulerunt*) Tristitia et delatio justa. Saepe λύπη (*tristitia*) simul indignationem denotat.

v. 32. αὐτὸν, *illum*) singulatim. nam v. 24. cum ceteris erat citatus. — δοῦλε πονηρὲ, *serve male*) Sic non vocatus fuerat ob debitum. Vae ei, quem Dominus increpat. c. 25, 26. Immisericordia, proprie *malitia*. — ἐκείνην, *illud*) Hoc vocabulum rem praeteritam amplificat.

v. 33. οὐκ ἔδει; *nonne oportebat?*) Oportuit, summae aequitatis lege [1]). — τὸν σύνδουλόν σου, *tuum conservum*) quem debebas misereri: meum servum, in quo laesisti me.

v. 34. ὀργισθεὶς, *iratus*) Ante non iratus fuerat. conf. Luc. 14, 21. Qui gratiam experti sunt, iram maxime vereri debent. — τοῖς βασανισταῖς, *tortoribus*) non modo custodibus. — ἕως οὗ, *donec*) Reviviscentia peccatorum: quae fundatur in jure Dei inexhausto in servos suos.

v. 35. ἀπὸ τῶν καρδιῶν) Offensa revocatur ad animum: ab animo, *a corde*, debet dimitti. quae sic fiunt, indefessa frequentia fiunt. *[Sin minus, debitore necopinantibus occurrente, reviviscit indignatio.* V. g.] conf. *misertus*, v. 27.

CAPUT XIX.

v. 1. Ἐτέλεσεν, *absolvit*) Sermones illi omnes in Galilaea ad populum habiti magnam habent inter se connexionem, et perfectum cursum absolvunt. [*Nihil abrumpere solitus est, sed omnia ad finem perducere.* c. 26, 1. V. g.] — μετῆρεν, *migravit*) fine facto ambulandi in Galilaea. *[Ex hac migratione colligere fas est, ea, quae* Luc. 13, 31. — 18, 14. *memorantur (neque enim Jesus in Samaria diu morari solebat) tridui istius spatio facta esse, cujus mentio extat* Luc. 13, 32. Harm. p. 421.]

v. 2. ἐκεῖ, *ibi*) Multis locis factae sunt confertae sanationes ab Jesu.

v. 3. [2]) πᾶσαν, *omnem*) Volebant ab Jesu elicere universalem negativam; quam putabant Mosi esse contrariam.

v. 4. ὁ ποιήσας, *qui fecit*) sc. *eos:* hac constructione, *marem et foeminam fecit eos, qui fecit eos a principio*. ὁ ποιήσας ἐποίησεν, eximia Ploce. — ἀπ' ἀρχῆς, *a principio*) In omni disceptatione vel interpretatione recurrendum est ad origines instituti divini. v. 8. Act. 15, 7.

v. 5. εἶπεν, *dixit*) Deus, per Adamum. — ἕνεκεν, *propter*) In conjugio, vinculum naturale et morale. — καταλείψει, *relinquet*) Ergo jam tum non eadem potuit esse *uxor*, quae *mater*. Initium graduum prohibitorum. Necessitudo arctissima conjugalis: cui uni paterna et materna cedit. — πατέρα, *patrem*)

---

1) πᾶσαν, *omnem*] Conf. πᾶν, v. 34. O regiam et facilitatem et severitatem! *V. g.*

2) πειράζοντες αὐτὸν, *tentantes eum*] Salvatorem de compluribus factis, vel ab Ipso vel a discipulis commissis, interrogarunt adversarii sub initium: quum vero suae caussae suorumque defendendae nihil reliqui fecisset, ejus generis interpellationibus abstinentes eo magis deinceps liberas quaestiones cumulabant, quibus incautum opprimere atque imparatum animus erat. *Harm.* p. 422.

Digitized by Google

etsi neque adhuc pater factus erat Adam, nec mater Eva. — γυναικὶ, *uxori*) et sic quoque *uxor viro. vir*, caput familiae. — ἔσονται, *erunt*) una caro; dum in carne erunt. — οἱ δύο) Sic Marc. 10, 8. 1 Cor. 6, 16. Eph. 5, 31. et cod. Samaritanus, LXX. et versio Syriaca Geneseos.

v. 6. οὐκ, *non*) jam ita, ut antea, duo sunt. — δύο, *duo*) Non subaudiendum, σάρκες, *carnes*. nam v. 5. dicitur: *hi duo*. — ὃ, *quod*) non ἃ, *quae*. nam sunt jam una caro. — συνέζευξεν, *conjunxit*) *unavit*. — ἄνθρωπος, *homo*) v. 3. — μὴ, *ne*) Haec sententia multas admittit parodias: quod Deus sejunxit, jussit, concessit, prohibuit, benedixit, laudavit, solvit, ligavit etc., homo ne conjungat, prohibeat, vetet, jubeat, maledicat, reprehendat, liget, solvat etc, ne *sua* quidem in re. Act. 10, 15. Num. 23, 8. Rom. 14, 3. 20. — χωριζέτω, *separet*) In *concubinatu* aut junxit Deus duos, aut non. si non junxit, nefaria est conjunctio: si junxit, cur separantur?

v. 7. δοῦναι, *dare*) Marcus, *scribere*. Moses utrumque. — βιβλίον ἀποστασίου) Sic LXX. — καὶ, *atque*) ita.

v. 8. πρὸς) *ad*. [1]) — ἐπέτρεψεν, *concessit*) non ἐνετείλατο, *praecepit*, nisi eo sensu, quo Marcus id verbum ponit cap. 10, 3. — ἀπ᾽ ἀρχῆς, *a principio*) Origines conjugii quoque Moses idem perscripsit; ex quo Jesus rem demonstrat.

v. 9. μὴ, *non*) Sic μὴ, *non*, 1 Joh. 5, 16. — καὶ γαμήσῃ, *et duxerit*) Divortii culpa potissimum aggravatur ex votis secundis.

v. 10. τοῦ ἀνθρώπου — τῆς γυναικὸς, *hominis* — *muliere*) Nomina ponuntur pro toto genere.

v. 11. αὐτοῖς, *illis*) Causae illi, cur non sit contrahendum matrimonium, eique universali, at minus verae, ab incommodo politico, quam discipuli inducebant ex indissolubilitate ejus; opponit Jesus causam legitimam, at particularem, quae unica est, nempe si quis sit *eunuchus*, i. e. quacunque de causa ab universali lege contrahendi matrimonii exemtus. — οὐ πάντες, *non omnes*) Hoc opponit Jesus universali enunciationi discipulorum: et *non omnes* valet *nulli*. coll. Rom. 3, 9. *non plane*. Sequitur magna exceptio, *sed quibus datum est*. — τοῦτον, *hunc*) Refertur pronomen etiam ad sequentia, coll. v. 12. in epiphonemate: et *enim* initio ejusdem versus subjicitur, uti Matth. 1, 18.

v. 12. εἰσὶ, *sunt*) Tria genera eunuchorum: de quorum primo et secundo agitur indirecte, de tertio directe. nam illos aut natura parit, aut manus humana facit tales: his *datum est* divinitus, etsi habili ad matrimonium corpore essent. Atque hi capiunt verbum hoc de eunuchismo beato: illi tantummodo legem de matrimonio non capiunt, etsi per accidens etiam accedere potest eunuchismus beatus. — ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, *ab hominibus*) quorum arte castrantur, ut cubicularios, musicos etc. agant, aut alias matrimonio, ad quod habiles erant, subducuntur. nam hi quoque sub enumeratione perfecta continentur. — εὐνούχισαν, *eunuchos fecerunt*) id quod ii soli possunt, quibus *datum est*. non est hominis, alterum ita *eunuchum facere*. 1 Cor. 7, 7. — ἑαυτοὺς, *se ipsos*) libera a matrimonio abstinentia, relicta interdum etiam uxore propter nomen Christi, v. 29. adjunctis exercitiis castitati inservientibus, et naturae ignes domantibus. — διὰ, *propter*) non quo soli coelibes salventur; sed ut coelestibus rebus percipiendis et propagandis magis vacent. 1 Cor. 7, 32. 9, 12. — χωρείτω, *capiat*) Praeceptum, non ad universos, verum ad eos, qui *possunt*. Ne discipuli quidem omnes capere potuisse videntur. 1 Cor. 9, 5.

v. 13. προσηνέχθη, *allati sunt*) adultiorum studio. *[Tales igitur erant,*

---

1) τὴν σκληροκαρδίαν, *cordis duritiem*] Tanta est animi humani perversitas, ut rebus non paucis, quibus (at Judaei libello repudii) in ruborem agi debebat, ad praeposteram sui purgationem abutatur. *V. g.*

Digitized by Google

qui sponte vel appetere quidquam vel intelligere necdum poterant. V. g.] neque parvulos, sed eos, qui afferebant, reprehenderunt discipuli. — ἵνα, *ut*) Si baptismum petissent, sine dubio etiam baptismus eis datus fuisset. — μαθηταὶ, *discipuli*) quorum bona pars videntur fuisse coelibes: at coelibes, nisi humiles sint, minus sunt comes erga infantes, qui ipsos suae pristinae parvitatis admonent; et discipuli, cum omnia reliquissent, videntur non satis semper favisse aliorum admissioni, vel certe putabant, auctoritati Jesu repugnare curam parvulorum. sed tamen Jesu humanitas descendit etiam ad parvulos. conf. c. 18, 2. s. — ἐπετίμων, *increpabant*) Non debemus terreri per eos, qui verecundiam injungunt intempestivam. *[Imo vero tanto magis incensa est parvulorum cupiditas.* V. g.] Conf. c. 20, 31.

v. 14. εἶπεν, *dixit*) Antea jus matrimoniale, nunc jura liberorum defendit Jesus. — ἄφετε καὶ μὴ κωλύετε, *sinite nec prohibete*) Venia locupletissima. Verbum ἀφίημι non semper notat *missum facere.* Vid. Marc. 11, 16. — τὰ παιδία, *puellos*) Hafenrefferus: *infantulos.* — τοιούτων, *talium*) infantum, quippe *talium*, praesertim ubi ad Christum venire cupiunt. τοιοῦτος notat substantiam cum qualitate. Act. 22, 22. Fac, notari tales, qui infantum sunt similes: ergo multo magis infantes ipsi, qui tales sunt, regnum Dei habent, et accipere debent possuntque, venientes ad Christum. Multi eorum, qui tum fuere infantes, postea in Christum Jesum credidere adulti. — ἡ βασιλεία, *regnum*) Qui regnum Dei quaerit, Jesum debet accedere.

v. 15. ἐπιθεὶς, *imponens*) ut rogatus erat v. 13. *Impositio manus*, ac potius *manuum*, adhibita est ad bona corporis et animae charismata hominibus, speciatim minoribus vel ministris, conferenda et propaganda. Act. 9, 12. Ebr. 6, 2. 1 Tim. 5, 22. 2 Tim. 1, 6. Non dicitur etiam *orasse*, uti rogatus erat v. 13. ab iis videlicet, qui unitatem ipsius cum Patre minus agnoscebant.

v. 16. ἰδοὺ, *ecce*) dum Jesus regnum coelorum etiam infantibus pandit. — εἷς) ex suo illo ordine *unus* tandem. — ἀγαθὲ, *bone*) Bonus de bono bene docet. Joh. 7, 12. — ποιήσω, *faciam*) De *faciendo* quaerit homo: sed *crede* praecedit. — ζωὴν, *vitam*) Vita aeterna in V. T. cognita, Hebr. 11, 16. et aperte sic appellata, Dan. 12, 2.

v. 17. τί, *quid*) Qui Bonus est, *de bono* interrogandus est [1]). Cetera vid. ad Marc. 10, 18. — εἰ δὲ θέλεις, *si vero vis*) ut ostendis. Iterum, *si vis*, v. 21. — τήρησον τὰς ἐντολὰς, *serva praecepta*) Jesus securos ad Legem remittit: contritos, Evangelice consolatur.

v. 18. ποίας, *qualia*) Non opus erat quaerere. nam praecessit, τάς.

v. 18. 19. οὐ φονεύσεις — ἀγαπήσεις, *non occides — diliges*) Praecepta negativa et affirmativa. Officia secundae tabulae, palpabiliora.

v. 19. τίμα, *honora*) *Honor* aliquid addit ad amorem. — τὸν πατέρα, *patrem*) Credibile est, juvenem magis peccasse contra hoc, quam contra praecepta negativa. Ideo in extremo ponitur. — πλησίον, *proximum*) In amore proximi potissimum deficiebant Judaei. — ὡς σεαυτὸν, *sicut te ipsum*) Amor, quo Deus nos amat, est norma amoris, quo nos invicem amare debemus. Deus amat Titium, sicut Cajum. Ergo Cajus debet amare Titium, sicut Cajum. *[Hoc amore qui praeditus est, is vel mendicantium proli eum praestabit: qui praeditus non est, quibusvis, vel a Deo electis, seipsum is anteponet.* V. g.] Nec tamen, ut Dei, sic piorum indiscretus est amor erga bonos et malos.

v. 21. [2]) ἔφη, *dixit*) Quia Juvenis plura requirit, et sic se ipse ad plura

---

1) *Ea scil. lectio, quam verbis*, λέγεις — θεὸς, utriusque Editionis *margo praeferendam innuit, haec est:* ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός. *Conf. margo* Vers. germ., *et* Michaelis *Einleitung etc.* T. I. p. m. 224. * E. B.

2) v. 20. ἐκ νεότητός μου, *a juventute mea*] *Lectio, haec* omittens, *utut minus firma per*

Digitized by Google

obligat, plura ei proponuntur. — τέλειος, *perfectus*) *Perfectus* est, quem nil *deficit*, quo minus ingrediatur vitam. Obnixe quaerenti, lautissimam conditionem proponit Dominus, apostolicae proximam. — ὕπαγε — δεῦρο, *abi — veni*) confestim. Praeceptum est, non consilium: necessarium, coll. versu 24. seq. sed particulare, ad idiosyncrasiam hujus animae accommodatum. Nam multi sequebantur Jesum, quibus hoc non imperavit. Perfectus esse potest, qui opes habet: pauperibus omnia dare potest, qui a perfectione plane abest. [*Zachaeus*, Luc. 19, 8. *dimidiam bonorum partem distribuens, laudem consecutus est*. V. g.] Sermo Domini obligabat hominem, ultro sese, idque tam prolixe, offerentem; quamvis ei, ut adhuc alieniori, non expresse praeciperetur, sed consulenti consuleretur. Apud alios, qui jam non possunt accipere mandata peculiaria, id compensat Ductus providentiae divinae. — πώλησον, *vende*) Si dixisset Dominus: dives es et adhaeres divitiis; juvenis id negasset. quare ipsum statim documentum postulat. — ἕξεις, *habebis*) Promissio, in medio praecepti posita, statim rata futura: habebis et habere te sentics. [*Nam in hac jam vita ex thesauro isto ea, quibus opus sit, porriguntur*, v. 29. V. g.] — θησαυρὸν, *thesaurum*) Hereditas appellatur *thesaurus*, in antitheto ad bona mundana. Vis esse dives? hunc thesaurum quaere. — ἀκολούθει, *sequere*) Tunc non defutura erat institutio ad fidem.

v. 22. λυπούμενος, *tristatus*) quod non posset simul et opes retinere et Jesum sequi. Tristitiam absorpsisset obedientia. — κτήματα, *possessiones*) bona immobilia. coll. *vende*, v. 21. Huc referuntur *agri*. v. 29.

v. 23. δυσκόλως, *difficulter*) Hic juvenis, cum pedem jam in limine haberet, ob divitias eum retulit. Difficile est diviti, omnia relinquere. [*imo ne facile quidem cogitat de vita aeterna consequenda*. V. g.]

v. 24. κάμηλον, *camelum*) quadrupedem. conf. 23, 24. Non rudens filo, sed *foramen acus* opponitur portae.

v. 25. ἀκούσαντες, *audientes*) Scriptura ubique mediam inter praefidentiam et timiditatem ostendit viam. v. 26. 28. 30. 1 Petr. 5, 7. coll. v. 6. 8. — τίς, *quis*) Soliciti erant discipuli vel pro se, quibus alia impedimenta aeque obstare possent, vel qui spem haberent opum consequendarum: v. 27. vel pro aliis; qui timor multo laudabilior. conf. Ap. 5, 4.

v. 26. ἐμβλέψας, *intuitus*) ad cogitationes territorum discipulorum figendas. Jesus etiam vultu et nutu multa docuit. Hic obtutus inprimis *Matthaeum*, publicanum quondam, commovit. — εἶπεν, *dixit*) summa cum suavitate. — ἀδύνατον, *impossibile*) plus etiam quam moraliter impossibile. — πάντα, *omnia*) Ergo etiam hoc. Omnipotentia divina in regno non naturae solum, sed etiam gratiae et gloriae spectatur. Virtus humanâ major est, qua cor humanum a rebus terrenis abducitur. Causa divitum defendi maxime potest apud pauperes et timoratos. — δυνατὰ, *possibilia*) Id singuli cognoscent electi.

v. 27. εἶπεν, *dixit*) animo simplici. — ἡμεῖς, *nos*) non ut ille dives. — πάντα, *omnia*) Opifici pauca sua neque sunt omnia, ac satrapae multa. — τί ἄρα ἔσται, *quid ergo erit*) Resp. *accipiet*, v. 29. *dabo* etc. c. 20, 4. 2. 7. ss. — ἡμῖν, *nobis*) in regno Dei.

v. 28. εἶπεν, *dixit*) Petrus junctim dixerat, *reliquimus et secuti sumus*. Jesus distincte respondet. nam hoc apostolorum proprium; v. 28. illud, cum aliis commune. v. 29. Ps. 45, 11. — ὑμεῖς — καὶ ὑμεῖς, *vos — et vos*) vos XII. — ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, *in regeneratione*) Hoc construitur cum verbis sequentibus: nam *sequela Jesu* absolute memorari solet, sine hoc additamento; at *ses-*

---

marginem utriusque Editionis *declarata sit*, *in* Versionem german. *tamen deinceps*, *rationibus aliter ponderatis*, *recepta est*. E. B.

Digitized by Google

sionis, de qua mox, tempus notatur convenienter. Nova erit genesis, cui praecerit Adamus II. ubi et microcosmus totus, per resurrectionem, et macrocosmus, genesin iteratam habebit. conf. Act. 3, 21. Ap. 21, 5. Matth. 26, 29. Conjuncta: παλιγγενεσία, *regeneratio* et *renovatio.* Tit. 3, 6. tum erimus *filii.* Luc. 20, 36. Rom. 8, 23. 1 Joh. 3, 2. — καθίσεσθε, *sedebitis*) Medium, de discipulis: de Domino, καθίσῃ, activum. Ineunte judicio stabunt; Luc. 21, 36. 2 Cor. 5, 10. tum, absoluti omnibus culpationibus, considebunt. 1 Cor. 6, 2. — θρόνους, *thronos*) Thronum Judae *sumsit alius.* Act. 1, 20. De thronis, conf. Ap. 20, 4. — κρίνοντες, *judicantes*) Tempore Judicum erat Theocratia, de qua vide *Erkl. Off.* p. 553. Sic in millennio priore, sublatis hostibus, recuperatus Israël habebit judices. Es. 1, 26. Promissio autem apostolis data longius prospicit. — δώδεκα, *duodecim*) Numero tribuum respondet numerus principum, Num. 7, 2. fs. et apostolorum, Ap. 21, 12. 14. — φυλὰς, *tribus*) ad quas apostoli primitus erant missi.

v. 29. καὶ πᾶς, *et omnis*) non modo apostoli; de quibus solis non debuerat quaerere Petrus. 2 Tim. 4, 8. — ἀφῆκεν, *reliquit*) Domino jubente, c. 4, 19. vel per varias vias ita dirigente. — οἰκίας, *domus*) [1]) Hoc primo loco ponitur. conf. v. 21. 27. de domo. In enumerandis propinquis Matthaeus et Marcus, c. 10, 29. tenent ordinem amoris, per paria, per gradationem, agris postremo positis; Lucas, c. 18, 29. temporis ordinem. — ἢ γυναῖκα, *aut uxorem*) salva videlicet lege Mosis. v. 9. Notandus singularis numerus contra polygamiam: nam quae plura esse possunt, ea hoc loco in plurali enumerantur, *fratres* etc. perinde ut Marc. 10, 29. etiam οἰκία *domus* in singulari ponitur. Potest aliquis habere plures domos, sed pauci plures habent: ac nemo simul in duabus *habitat,* quas relinquat. — ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου, *propter nomen meum*) propter nominis Christi confessionem et praedicationem. — ἑκατονταπλασίονα, *centupla*) eadem illa, quae hoc versu enumerantur. coll. Marc. 10, 30. — λήψεται, *accipiet*) in hac vita: nam futura centuplo et millecuplo uberior est. Luc. 19, 16. 17. Accipiet autem, non politice, ac per manum: sed tamen vere, quoad fideli opus est, et in aliis, quibus fidelis obtingere maxime ea cuperet. conf. Matth 5, 5. Act. 4, 35. 1 Cor. 3, 22. Impii sunt usurpatores: jus est Dei et heredum ejus. his conceditur, quantum eis salutare est. Verbum *accipiet* propius congruit cum ratione mercedis; sed *hereditabit* dicit quiddam longe uberius. Scriptura expressius copiosiusve loquitur de temporalibus poenis, quam praemiis; et de aeternis praemiis, quam poenis. — ζωὴν, *vitam*) v. 16. 17.

v. 30. πολλοὶ δὲ, *multi autem*) Antitheton ad *omnis,* v. 29. Fortasse etiam juvenis ille ex novissimis ad primos reversurus innuitur. — πρῶτοι, *primi*) Id in priore hemistichio subjectum est, ut constat ex appositione, πολλοὶ, *multi,* articulum absorbente: in posteriore, est praedicatum, contra ac capite 20, 16. Itaque hic apophthegma potius proponitur, (quia maxima emphasis est in clausula,) ad spem; uti Marc. 10, 31.: sed c. 20, 16. et Luc. 13, 30. ad timorem. Utrisque locis τὸ *multi* sermonem facit modalem, et praecipue pertinet ad classem deteriorem: nam melior, *paucos* habet. Primi et ultimi vel differunt genere, ut illi sint, qui salvantur; hi, qui pereunt: vel potius gradu, ut hi quoque salventur, sed multo illis sint inferiores. F. S. Loefflerus in Explanatione hujus parabolae subaudit ὡς hoc sensu: *Primi erunt ut ultimi, et ultimi ut primi.* pag. 106. etc. neque per se incommoda est ellipsis: sed hanc interpretationem non fert contex-

---

1) Οἰκίαν, *in singulari, ex Parallelis manasse, b.* Auctor *existimaverat* Appar. crit. *ad h. l.* p. 482; (Ed. II. p. 128.) *hinc etiam in* Gnomone *pluralem numerum praetulit. At in* Ed. manual. N. T. gr. d. A. 1753, *mutatâ sententiâ, singulari* οἰκίαν, *signo* β *apposito, palmam dedit, congruente deinceps* Vers. germ. *ad h. l. Hac ratione Observatio in Gnomone statim subsequens eo magis stringit.* E. B.

Digitized by Google

tus in parallelis Marci, qui subsequentem parabolam non habet; et Lucae, qui hanc sententiam alio loco prolatam refert. Innuitur revolutio inter Judaeos potissimum et gentes, coll. c. 8, 10. seqq. Luc. 13, 30. cum anteced. et Rom. 9, 30. seq.

CAPUT XX.

v. 1. Γὰρ, *enim*) Resp. c. 19, 30. Similis nexus parabolae, c. 18, 23. Petrus docetur verecundiam postulandi, coll. c. 19, 27. et se cum aliis conferendi. Conf. omnino Luc. 17, 5—10. ubi videmus, melius sentire, qui se inutiles servos, quam qui se aliis potiores ferunt.

v. 2. συμφωνήσας, *conveniens*) Cum *operariis* primis magis ex pacto et jure agitur: cum posterioribus magis ex mera liberalitate, etiam in conducendo, sed cum reprehensione otii eorum. v. 4. 6. 7. Otium compensant obedientiâ sine praefinitione mercedis praestita. Dies in XII. horas divisus significat *non* totum tempus mundi aut N. T. quod unius operarii vita nunquam exaequat; *neque*, ut videtur, vitae humanae datum singulis spatium, in quo a vocatione usque ad obitum, alius diutius, alius minus diu laborat: quanquam potuit ante nos aliquis unam horam laborare, et poterit posthac alius prima hora incipere; adeoque hic etiam valet illud: qualibet hora est quaelibet hora: sed spatium a vocatione prima apostolorum ad glorificationem Christi et adventum Paracleti. Denarius est merces illa omnibus ex aequo proposita, de qua c. 19, 29. 21. in praesenti et futura vita; cujus diversitas diversitati laborum respondens in hac vita non modo non apparet, sed saepe inversa videtur: ideo medium, paritas, sumitur. Vespera est tempus illud, quum quisque multo propius a meta laborum, quam ab initiis eorum abest vel abesse videtur, adeoque, apud discipulos etiam tempus proximum tum ante abitum Jesu. Suam et alienam vesperam in unum ii momentum conjiciunt, qui se cum aliis comparant. Operarii, omnes vocati; non modo apostoli. Sensui operariorum de toto die affinis est sensus Petri non satis discrete reputantis dissimilitudinem suam et divitis illius. Et tali sensu erga homines maxime notos et aequales quisque tentatur; qui ampliorem habet animam, etiam erga remotiores. — μετὰ τῶν ἐργατῶν, *cum operariis*) Convenit paterfamilias cum operariis, et operarii cum ipso, v. 13. Illud certam mercedem spondet: hoc docet, quid operario satis esse debeat. — ἐκ δηναρίου, *denario*) Haec erat diurna merces, ut fere est hodierno die. ἐκ non iteratur versu 13.

v. 3. ἄλλους, *alios*) qui hora I. non comparuerant.

v. 6. τὴν ἑνδεκάτην, *undecimam*) Articulus emphaticus, non positus de hora IX. VI. vel etiam III. — ὅλην, *totum*) Alibi non poterant operas locare.

v. 7. ἡμᾶς, *nos*) Hoc convenit in gentes.

v. 8. ὀψίας, *vespere*) Allusio praevia ad judicium novissimum. Vespera vitae singulorum est instar vesperae mundi. — ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων, *ab ultimis ad primos*) Duo genera. nam *primis* accensentur omnes, qui ante undecimam venerunt. v. 9. s.

v. 9. ἀνὰ, *singulatim*) Joh. 2, 6.

v. 10. οἱ πρῶτοι, *primi*) Medii, non murmurarunt: nam ii quoque primis se pares factos videbant. Cui invideri potest, is minus invidet. — πλείονα, *plura*) XII. denarios pro XII. horis.

v. 11. ἐγόγγυζον, *murmurabant*) Conf. Luc. 15, 28. seqq.

v. 12. οὗτοι, *hi*) Invidia saepe non sibi plus postulat, sed alteri minus vult. invidet non ceteris de hora nona, sexta, tertia, sed de undecima. — οἱ ἔσχατοι, *ultimi*) Sic operarii invidiae causa appellant. — ἐποίησαν, *fecerunt*) Act. 15, 33. — ἡμῖν, *nobis*) Loquitur etiam pro iis, qui intermediis horis venerant, et, si mi-

Digitized by Google

nus totius diei onus, at aestum meridiei tulerant. — βάρος, *onus*) intrinsecus, a labore. — τῆς ἡμέρας, *diei*) totius. — καύσωνα, *aestum*) extrinsecus, a sole.

v. 13. ἑνὶ, *uni*) qui erat instar ceterorum murmurantium. conf. de *uno*, c. 22, 11. not. — ἑταῖρε) Hoc dicitur etiam ad alieniores [1]).

v. 14. 15. τὸ σὸν, ἐν τοῖς ἐμοῖς, *tuum, in meis*) Antitheton.

v. 14. ὕπαγε, *abi*) Sic non dicitur *ei* vel *eis, qui circa undecimam horam.* — θέλω, *volo*) Summa hujus verbi potestas. v. 15. conf. not. ad Marc. 12, 38. — τῷ ἐσχάτῳ, *ultimo*) Repetitur hoc ex oratione murmurantis; sed in singulari, de *extremo extremorum.* quilibet invidus singulariter uni cuipiam invidet. — σοὶ, *tibi*) Non repetitur, *portanti onus* etc.

v. 15. ὀφθαλμὸς, *oculus*) Ex oculis animus lucet. — ἀγαθὸς, *bonus*) *Bonus* est, qui etiam plus praestat, quam *justitia* v. 4. infert. Rom. 5, 7.

v. 16. οὕτως, *tali modo*) Ex parabola infertur iterata, sed quodammodo inversa, conclusio: simulque *tali modo* limitat sermonem, ut Apoc. 3, 16.: non omnes primi deficiunt, sed tamen omnes se custodire debent, et deficiunt ii, qui *sic* se gerunt, ut ἑταῖρος *sodalis* ille. Etiam de intermediis multi in gradus superiores vel inferiores venire possunt. — ἔσονται, *erunt*) Respectu apostolorum non est praedictio, sed admonitio. — οἱ) Articulus hoc loco (ut ubique; excepta majori per nomen proprium, per pronomen demonstrativum aut personale determinatione,) est nota subjecti, simulque remittit ad c. 19, 30. nec facit universalitatem omnimodam. — πρῶτοι, *primi*) v. 8. fin. — πολλοὶ, *multi*) videlicet *primi,* qui ipsi *multi,* c. 19, 30. et praeterea οἱ ἔσχατοι, *ultimi.* — κλητοὶ) Κεκλημένος est v. gr. operarius, etiamsi non iret in vineam: κλητὸς, qui vocationem suscepit. — [2]) ἐκλεκτοὶ, *electi*) exquisiti prae aliis. Videtur hoc loco, ubi primum occurrit, non omnes salvandos denotare, sed horum excellentissimos. vid. Franckii *Sonnt. und Festtags-Predigten* p. 431. s. W. Wall. not. crit. p. 27.

v. 17. ἀναβαίνων, *ascendens*) Iter valde memorabile, in quo magni et varii motus animorum extitere. — παρέλαβε, *assumsit*) Rem proposuit, non ut sermone quotidiano, sed solennius. [*in hac tertia denunciatione.* V. g. *Praecedentium relationum de Passione instante altera post confessionem discipulorum, altera post transformationem in monte* (*quae universalem operum Ejus admirationem comitem habuit*) *facta fuerat*: *tertia nunc, reliquis solennior, sponte accedit.* Harm. p. 432.]

v. 18. 19. παραδοθήσεται· παραδώσουσι, *tradetur: tradent*) Grave verbum. Luc. 23, 25.

v. 18. ἀρχιερεῦσι, *pontificibus*) Appellatio haec videtur tum valde communis fuisse. — γραμματεῦσι, *scribis*) quorum erat scientia; uti *pontificum*, sententia.

v. 19. τοῖς ἔθνεσι, *gentibus*) id est, genti romanae, principi ceterarum. — ἐμπαῖξαι, *illudendum*) Magna ignominia! Passionem semel iterumque praedixerat minus definite: nunc *flagella, crucem etc.* exprimit, uti c. 26, 2. summam, crucem.

v. 20. τότε, *tunc*) valde alieno tempore. — [3]) προσκυνοῦσα, *adorans*) Ex adoratione et ex sermone feminae patet, magnam penes eam fuisse existimationem de majestate Jesu, sed non magnam scientiam. — τὶ, *aliquid*) Indefinite petebat aliquid, ut solent, qui repulsam agnoscunt non fore injustam. 1 Reg. 2, 20.

---

1) οὐκ ἀδικῶ σε, *non injuria te afficio*] Deum laedere, pravum est; sed pejus etiam, a DEO laesum se putare; idque opinione frequentius evenit. *V. g.*

2) ὀλίγοι, *pauci*] qui, merae gratiae adhaerentes, plus honoris Domino deferunt, quam ferventissimi operarii. *V. g.*

3) ἡ μήτηρ] Sollicitae *matris* prius omnino, quam filiorum animum cogitatio ista subiisse videtur: atque in ipsa etiam supplicatione interpretis ea vicem gessit. *Harm.* p. 433.

Digitized by Google

v. 21. [1]) ἵνα καθίσωσιν, *ut sedeant*) Videtur illa provocare ad promissionem c. 19, 28. de XII. thronis: et promissionis ad filios suos specialius applicandae ansam sumsisse ex appellatione *filiorum tonitrui*. Marc. 3, 17. not. — [2]) υἱοί μου, *filii mei*) Nil huc pertinebat necessitudo naturalis. — δεξιῶν) Τὰ δεξιὰ, passim, *dextra* manus, pes, latus. Alios antea Jesus habiturus erat a dextris et sinistris, c. 27, 38. — εἷς, *unus*) Credibile est, ordini discipulorum in officio respondere ordinem eorum in gloria.

v. 22. εἶπεν, *dixit*) graviter, cum misericordia. — οὐκ οἴδατε, *non nostis*) Nescitis, quid sit gloria mea: quid sit sessio a dextris et sinistris: quibus conveniat: et quid praerequiratur. — τί αἰτεῖσθε) *quid* sit, quod *petitis*. [*Id nosse oportet, qui petere vult*. V. g.] — δύνασθε) Respondet filiis: *potestisne?* habet animus vester hanc virtutem? — τὸ ποτήριον, *poculum*) Etiam de *baptismate* sermo est apud Marcum. vid. cap. 10, 38. 39. not. Apud Matthaeum, incisum de *baptismate* alii habent, alii non habent. [3]) — ὃ ἐγὼ, *quod ego*) Jesus jam tum habitabat in sua passione, et ex ea promit sermonem. Atque ipsum, non modo decem condiscipulos, quasi praevertebat oratio duorum: quos ad subsequendum adigit. — δυνάμεθα, *possumus*) Ne hoc quidem satis norant, quid responderent. fert tamen Dominus illos, et confessionem eorum accipit. [*ea, quae captum ipsorum tum superabant, deinceps in eis perfecturus*. V. g.] conf. c. 26, 39. 37.

v. 23. τὸ μὲν ποτήριον, *poculum quidem*) Locum huncce, cum parallelis, singulari industria tractavit Thomas Gatakerus lib. I. Adversar. miscell. c. 3. unde praecipuos nervos sumemus. — καθίσαι, *sedere*) Erunt ergo certe, qui sedeant a dextris et sinistris Christi. — ἀλλ᾽ οἷς, *sed quibus*) Hac sive oppositione, sive exceptione (nam res eodem recidit) non negat Jesus, suum esse dare, vid. Ap. 3, 21. sed limitat, declaratque subjectum, cui daturus sit, et tempus ordinemque; omnia, ut solet, ad Patrem referens. Non dedit Jesus, antequam, passione exantlata, Ipse ad dextram Patris consedisset: neque terrenum est regnum, in quo dat: neque dat iis, qui nondum passi sunt. Itaque sub ipsa repulsae specie promittit Jacobo et Johanni.

v. 24. οἱ δέκα, *decem*) In his ingenuus evangelista. — ἠγανάκτησαν, *indignati sunt*) Verebantur, ne sibi aliquid detraheretur. [*Similem disceptationem, in ultima coena obortam, Lucas refert* c. 22, 24. Harm. p. 433.]

v. 25. προσκαλεσάμενος, *adrocans*) Ergo *indignationem* habuerant, Magistro non praesente. Ex professo eos corrigit. — οἴδατε, *nostis*) Ideo putatis similem esse rationem regni Messiae. — κατακυριεύουσιν· κατεξουσιάζουσιν) Κατὰ in his compositis significationem intendit; (vid. LXX. Gen. 1, 28. Ps. 72, 8.) et h. l. praescindit ab usu potestatis legitimo et abusu frequenti. — οἱ μεγάλοι, *Grandes*) consiliarii, ipsis saepe dominis imperantiores.

v. 26. οὐχ οὕτως, *non sic*) *Potestatis civilis usum atque exercitium omne istic interdici prorsus eis, ad quos verba haec spectant, mihi neutiquam fit verosimile: et minus multo, praelationem omnem et imparitatem inter suos vocibus illis Dominum Christum sublatum ire voluisse: si quidem et gradus inter eosdem diserte agnoscit ipse, quibus alii tanquam majores minoribus praeficiantur*. Luc. 22, 26. *tum et ipsum se eis ὑπόδειγμα proponit. ib.* v. 27. Matth. 20, 28. *Non magis ergo Christus interdicto isto suorum in se invicem quorumvis, quam sui ipsius in suos potestati quicquam detraxit*. Gatakerus: satis hierarchice. — ἐν ὑμῖν, *in vobis*) Haec *christianos quosvis, tam principes, quam et*

---

1) τί θέλεις, *quid vis*] Ipse Salvator non festinanter agit in promittendo. *V. g.*

2) οἱ δύο] Admodum opportune loqui sibi videbatur. *V. g.*

3) *Attamen* v. seq. *incisum istud de* baptismate *lectionibus firmioribus* annumerat *margo* Ed. 2. quam hoc versu. E. B.

Digitized by Google

plebejos spectare videntur. idem. *Christus docet, aliter habere se regnum suum, quam seculi istius regna se habeant. in istis enim dignitates externas, principatus, satrapias haberi, quae in eos etiam, quos honore afficere volunt, conferre pro libitu suo reges consueverint: ceterum in regno suo nihil hujusmodi reperiri: non quod in ecclesia Christi atque inter christiani nominis professores ista aut non sint aut non licite usurpentur, sed quod ad regnum Christi spirituale, ad quod suos invitat, non pertineant, nec proveniant inde. proinde non esse, cur ipsum sectando, istiusmodi sibi quisquam spondeat praefecturas: neque enim tale quippiam cuiquam se polliceri, cum nec usurpet aut exerceat ipse: suis se non dignitatum secularium dilargitorem, sed humilitatis et modestiae spiritualis exercendae autorem doctoremque tam praxi quam praecepto profiteri. ad hanc igitur, (ambitione omni prorsus amota,) cujus ipsum pro exemplo habeant, componant se ipsi, suos monet universos.* idem. — μέγας, *magnus*) magni regis minister.

v. 27. πρῶτος, *princeps.*

v. 28. ὥσπερ, *sicut*) Summum exemplum. — διακονῆσαι, *servire*) Rom. 15, 8. — καὶ, *et*) Gradatio. — δοῦναι, *dare*) sicut *datur* pretium pro emtione. — τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *animam suam*) id est, *se ipsum.* Gal. 1, 4. 2, 20. — λύτρον, *pretium redemtionis*) Gall. *rançon.* — ἀντὶ πολλῶν, *pro multis*) Magnum *ministerium* et valde demissum. Illud, *pro quo* pretium datur, quodammodo desideratius est ei, qui pretium dat, quam pretium ipsum. Et *multis*, non solum universis, sed etiam singulis, se impendit Redemtor.

v. 29. ὄχλος, *turba*) quae fuerat in ea urbe. [*ac deinceps regio introitui interfuit.* V. g.]

v. 30. δύο, *duo*) Marcus unum commemorat Bartimaeum, insigniorem: cap. 10, 46. [1]) ut mox Matthaeus asinam et pullum; Marcus pullum solum, cujus potior usus erat. Lucas, c. 24, 4. duos angelos, qui apparuere; Matthaeus et Marcus unum, qui verba fecit.

v. 31. οἱ δὲ, *illi vero*) Non sunt audiendi, qui perversum pudorem aut decorum noxium inculcant.

v. 32. τί, *quid*) In precibus debemus interdum petitiones speciatim exprimere.

v. 34. σπλαγχνισθεὶς, *misertus*) Misericordia Jesu, de omni humana miseria. — ἠκολούθησαν, *secuti sunt*) cum multis, c. 21, 8. sine hodego.

CAPUT XXI.

v. 1. Καὶ ὅτε, *et quum*) Ab hoc loco actiones et certamina Jesu Christi copiose, magno consensu, describunt evangelistae. — εἰς) *ad* urbem, in quam videlicet erant ingressuri. — τότε, *tunc*) non prius. Vectura mysterii plena innuitur. Toties urbem intrarat Jesus [2]); nunc in hoc ultimo itinere, ejusque fine, semel equitat, urbis videlicet regiae (c. 5, 35.) possessionem solenni modo capiens, non in aliquot modo dies, sed illius regni (Marc. 11, 10.) causa, quod

---

1) Eundemque Lucas c. 18, 35. innuit, qui transponendae historiae occasionem exinde habuit, quod coecorum alter, Jesu Hierichuntem intrante, in via notitiam divini hujus medici acquisivit. Salvator dum apud Zachaeum pranderet vel pernoctaret potius, Bartimaeo coecorum alter, quem Matthaeus adjungit, interim associatus est. *Harm.* p. 434. s.

2) Intrarat nimirum 1) in infantia, Luc. 2, 22. 2) in pueritia, l. c. v. 42. 3) in tentatione, Luc. 4, 9. 4) in festo paschali, Joh. 2, 23. 5) ad diem Pentecostes, Joh. 5, 1. 6) durante scenopegia, Joh. 7, 10. Haec, ad Passionem, migratio septima denique fuit. Solenni vecturâ in urbem factâ de die in diem ivit rediitque, donec ineunte feria sexta laqueis constrictus introduceretur, educendus ante meridiem in locum Golgatha. *Harm.* p. 443. s.

Digitized by Google

sub illos dies erat instituturus. Luc. 24, 47. 1, 33. Zach. 9, 10. fin. cum toto illo contextu.

v. 2. ἀπέναντι) *ante oculos*. — εὐθέως, *statim*) Sic quoque v. 3. Omnia facilia Domino. — δεδεμένην, *ligatam*) jam quasi paratam. — πῶλον, *pullum*) Pullus neminem antea vexerat: Jesus nullo antea jumento, nisi forte in tenerrima aetate, vectus erat. Ex vico sumsit asinam, in viam brevem.

v. 3: ὁ κύριος, *Dominus*) Jesu dediti erant, quorum erat asina. [1]) — δὲ, *autem*) Id est, non multis verbis opus erit vobis. — ἀποστέλλει, *mittit*) Praesens, ob eventum certum et celerem, animo jam ad mittendum parato. conf. Marc. 4, 29. εὐθέως ἀποστέλλει τὸ δρέπανον. c. 11, 6. ἀφῆκαν.

v. 5. εἴπατε, *dicite*) Hic locus exemplo est, multos sermones apud prophetas accipi debere, non solum ut ab illis dictos, sed ut ab apostolis dicendos. Extat hoc Es. 62, 11. cetera apud Zachariam, quem a potiori parte Matthaeus citat: etenim *gaude* ita suppletur. Tempore complementi *dicendum est*: tum laetitia sua sponte existit. Zach. 9, 9. LXX. χαῖρε σφόδρα θύγατερ σιὼν, κήρυσσε θύγατερ ἱερουσαλήμ· ἰδοὺ — σοὶ δίκαιος καὶ σώζων αὐτός· πραὺς καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον καὶ πῶλον νέον. — τῇ θυγατρὶ σιὼν, *filiae Sion*) i. e. per synecdochen, Hierosolymis. — βασιλεύς σου, *rex tuus*) idemque sponsus. — σοὶ, *tibi*) tuo commodo. — πραὺς καὶ, *mansuetus* [2]) *et*) Saepe eadem res uno loco verbis propriis et metaphoricis exprimitur. Equus, jumentum bellicum, quo non est usus Rex pacis. Zach. 9, 10. Olim utetur, Apoc. 19, 11. — ὄνον, *asinum*) non, *asinam*. Hebr חמור. — υἱὸν ὑποζυγίου, *filium subjugalis*) qui tamen nondum ipse jugum subierat. Pullo vectus est, asinâ item usus, pulli comite.

v. 6. καὶ ποιήσαντες) *et cum fecissent*.

v. 7. ἐπεκάθισεν, *insedit*) decore, ministrantibus discipulis. Luc. 19, 35. Persarum reges non tam conscendebant equos, quam iis imponebantur. vide Brisson. — ἐπάνω αὐτῶν, *super eos*) et quidem super pullum. Marc. 11, 2. s. Joh. 12, 14. 15.

v. 8. ὁ) Populus autem, qui plurimus erat. — ἐν τῇ ὁδῷ, *in via*) non modo κατὰ τὴν ὁδόν. nam Lucas, *substraverunt*. c. 19, 36. — κλάδους, *ramos*) Judaeis aliisque populis solenne erat, laetitiam publicam ramis arborum decisis ostendere.

v. 9. [3]) ὡσαννὰ) הושיעה נא Ps. 118, 25. LXX. ὦ κύριε σῶσον δή· ὦ κύριε εὐόδωσον δή. Conjugata: ιησοῦς, v. 11. נושע Zach. l. c. et ὡσαννά. — τῷ) Hosanna, inquiunt, quod a prophetis praescriptum est, canimus Filio David. Valde cum hoc ingressu congruit, quod Isidorus Clarius a Judaeo quodam se didicisse ait, verba haec, *Hosanna, Benedictus qui venit* etc. a sacerdotibus dici solita fuisse, cum *victimae* offerebantur immolandae. Adeoque frequens erat formula *Hosanna*, ut etiam fasciculos in festo Tabernaculorum gestari solitos ita appellarent. — εὐλογημένος — Κυρίου) Sic LXX. Ps. 118, 26. qui psalmus erat pars *Hallel* sive hymni paschalis, quem paucis post diebus erant recitaturi. — ἐν ὀνόματι, *in nomine*) Constr. cum *benedictus*, juxta accentus Hebr. — ἐν τοῖς) Juva Tu, qui es in altissimis.

v. 10. λέγουσα, *dicens*) ex admiratione. — τίς, *quis*) In magno concursu non statim conspicitur princeps: nec soliti erant videre Jesum aliter ac pedibus iter facientem.

v. 11. ὁ προφήτης, *propheta*) Primum Jesus ut propheta est agnitus, deinde

---

1) χρείαν ἔχει, *opus habet*] Tanti Domini quanta egestas! *V. g.*

2) Haec ipsa virtus filiae Sion et Regem suum et nuncium de adventante Rege adeo amabilem reddit. *V. g.*

3) οἱ προάγοντες — ἀκολουθοῦντες, *praecedentes — sequentes*] Quorum *illi* ex urbe obviam iverant; *hi* ad Jesum vel Hierichunte vel alibi locorum in transitu se congregarant. *V. g.*

Digitized by Google

ut sacerdos et rex. — ὁ ἀπὸ ναζαρὲτ, *Nazarenus*) Solennis erat haec appellatio.

v. 12. ἐξέβαλε, *ejecit*) [1]) tamen *mansuetus*, v. 5. Primo tempore purgarat Jesus templum: Joh. 2, 14. redierunt autem profani. nunc extremo tempore iterum purgat, quamvis paulo post cessaturum, templum. c. 23, 38. — πάντας, *omnes*) Magnum miraculum. Multi milites non ausuri fuerant. — τοὺς) Voluerant commodissimam facere cultus publici, praesertim circa pascha, rationem: sed paulatim longius progressa videtur fuisse licentia. — ἐν τῷ ἱερῷ, [2]) *in templo*) et quidem in parte ejus extima, atrio gentium: ubi *gentium* erat *orare*. Marc. 11, 17.

v. 13. ὁ οἶκός μου — κληθήσεται· ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν] LXX. Es. 56, 7. ὁ γὰρ οἶκός μου — κληθήσεται πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν. Jer. 7, 11. μὴ σπήλαιον λῃστῶν ὁ οἶκός μου; — προσευχῆς, *precum*) *Oratio*, magna pars cultus publici. 1 Reg. 8. Ideo *preces* ponuntur ante *ministerium verbi* apostolicum. Act. 6, 4. Synagogae quoque erant *docendi* officinae, nec tamen non domus *precum*. In templo praevalebat munus *precandi*, in his munus *docendi*. — σπήλαιον λῃστῶν, *speluncam latronum*) Severa appellatio, eaque proverbialis: de loco, qui omnes improbos et omnia profana admittat. non dicit, *forum*. In spelunca latrones non tam obvios violant, quam ipsi nidulantur.

v. 14. ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*) Verus templi usus; ab adversariis, abusum tolerantibus, impugnatus. Nemo alius in templo miracula edidit: Messiae hoc erat.

v. 15. τὰ θαυμάσια, *mirabilia*) v. 12. 14.

v. 16. ἀκούεις, *audis*) Hypocritis, quicquid non quotidianum et tralatitium est, nimium est. — [3]) θηλαζόντων. *lactantium*) qui etiam *trimi* esse possunt. 2 Macc. 7, 28.

v. 17. αὐτούς, *illos*) perversos.

v. 18. ἐπείνασε, *esuriit*) rex illo gloriae. v. 5. Miranda exinanitio.

v. 19. μίαν, *quandam*) unam illo loco. — ἦλθεν, *venit*) ut via ferebat. Ficus videtur stetisse in loco communi. Communitas Jesu in victu. Joh. 4, 6. 7. — ἐπ᾽) *juxta*. [4]) — λέγει, *dicit*) Eo ipso occurrit offensioni, si quis miratus esset Domini famem et accessum ad arborem fructu carentem. Maxima humanitatis et deitatis indicia uno tempore edere solitus est. Joh. 11, 35. 40. [5]) — μηκέτι, *posthac non*) V. T. multa habet miracula ad poenam: evangelica historia, in extremo, hoc ferme unicum. conf. c. 8, 32. not. — καρπὸς, *fructus*) Ita-

---

1) *Ejectio* haec non ipso isto gratiae laetitiaeque pleno die facta est, sed oculorum nutui (cujus Marcus c. 11, 11. meminit) quum parere homines detrectarent, severiora justissimae indignationis specimina postridie Dominus exhibuit. coll. Marc. l. c. v. 15. *Harm.* p. 447.

2) *Lectionem pleniorem*, ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ θεοῦ, *quam pro sequiori declaraverat* Ed. maj., *lectioni textus aequalem fere judicat margo* Ed. 2. et Vers. germ. E. B.

3) νηπίων] Qui mundo infantes adhuc videntur, apertum tamen os divinitus habere possunt. Parvulos adultiorum verba intercepisse h. l. existimaveris, coll. v. 9. neque tamen res coram Deo non pretiosa fuit. Probitatis exemplo alter alteri modo ne desit: reliqua, imo vero omnia, curabit Dominus. *V. g.*

4) εἰ μὴ φύλλα μόνον] Praestat nihil omnino, quam *folia* duntaxat, repraesentare. Cogita, homo, cujus tu generis arbor sis. *V. g.*

5) Talia sunt v. g. Tennis nativitatis conditio: Angelorum testimonium; | Circumcisio: nomen Jesu; | Purificatio: Hymni Simeonis et Hannae; | Habitatio Nazarena: Vaticinii complementum; | Obsequium erga parentes: Specimen generosae gravitatis in puero duodecennali; | Baptismus: Johannis protestatio; responsio Jesu decentissima: Vox coelestis, Spiritus DEI descendens; | Fames et Tentatio: Ministerium angelorum; | Indicium Passionis: Transformatio in monte; | Didrachma in Capernaum: Declaratio de filiorum libertate, miraculum in pisce et numo; | Pedilavium: Magister et Dominus; | Captivitas: Ego sum!; | Crux: Regia Inscriptio; | Mors et Sepulcrum: Miracula, cum testimonio Centurionis. *Harm. ev.* p. 455.

Digitized by Google

que succum posthac non erat acceptura frustra. Talis poena Judaeorum. Luc. 13, 6. Exemplum, quid sit *maledictio*. — ἐξηράνθη, *arefacta est*) mutatio habitu etiam externo, foliis marcescentibus vel etiam defluentibus.

v. 21. ἀποκριθεὶς, *respondens*) Saepe Jesus discipulos ab admiratione miraculorum duxit ad salubriora. Luc. 10, 20. — πίστιν, *fidem*) Fidei natura declaratur ex opposito, quod est *dubitatio*. — τῷ ὄρει τούτῳ, *monti huic*) v. 1. Sermo proverbialis. — θάλασσαν, *mare*) remotum ab Hierosolymis. Talia si minus adhuc impleta sunt, posthac impleri possunt.

v. 22. αἰτήσητε ἐν τῇ προσευχῇ, *petieritis in precibus*) [1]) Marc. 11, 24. Miracula facta per *preces* fidelium. — λήψεσθε, *sumetis*) tanquam beneficium. sic, *illi*. Marc. 11, 23. 24.

v. 23. προσῆλθον, *accesserunt*) Solennis erat quaestio: quae causam dabat elenchi finalis. — οἱ ἀρχιερεῖς, *pontifices*) Suum jus violari putabant. — λέγοντες, *dicentes*) Scepticismus morosus adversariorum nunc demum diplomata flagitat, cur Filius heres de vinea curet. v. 37. 38. Putabant, Jesum docere non vocatum, qui neque sacerdos esset, neque levita. — ποίᾳ, *qua*) coelesti, an humana? — ταῦτα, *haec*) Ref. ad *docenti*. add. Marc. 11, 27. [2])

v. 24. ἀποκριθεὶς, *respondens*) Methodus apta respondendi tentantibus. — ἐρωτήσω, *interrogabo*) Sic quoque c. 22, 41. *Falluntur sane interpretes, qui Christum nihil quaesivisse volunt, quam adversariorum silentium.* Moshem. Or. de Christo unice Theologis imitando p. 17. — ἕνα, *unum*) postquam vos me et nunc et saepe interrogastis: eumque conjunctum cum vestra interrogatione. Johannes citra vocationem humanam potuit esse propheta et fuit: ergo etiam Jesus. Si agnovissent baptismum prodromi; agnovissent potestatem Christi: sed quia illum non agnoverant, v. 32. non poterant in Christum credere, neque erant digni, quorum fastidio et diffidentiae projicerentur ulteriora. Habenti datur: a non habente aufertur.

v. 25. τὸ βάπτισμα, *baptismus*) id est, tota ratio. confer mox, *non credidistis*. — ἐξ οὐρανοῦ, *ex coelo*) id est, ex Deo. Metonymia εὐλάβειαν habens. — διελογίζοντο, *cogitabant*) Mens mala est, quae de re divina non spectat veritatem, sed assumit, quod commodum est. — αὐτῷ, *ei*) testanti de me. Quicquid ex coelo est, fide dignum est.

v. 26. φοβούμεθα, *timemus*) Nolebant metum profiteri. — τὸν ὄχλον, *turbam*) Vix erat populus eo statim, quo verebantur mali antistites, progressurus: magno tamen Johannis studio flagrabat. Et solebant ex repentino zelo impetere summa vi eos, qui nefanda aut loquebantur aut loqui videbantur. — προφήτην, *prophetam*) *coelitus* missum. id quod diu non acciderat.

v. 27. οὐκ οἴδαμεν, *non novimus*) Coacta confessio ignorantiae turpissimae. [*in qua tamen superbi refugium quaerere malunt interdum, quam veritati victas dare. Illaqueatus est Improbus.* V. g.] — οὐδὲ, *neque*) Repulsa rara, justa, qua ipsa Jesus ἐξουσίαν *potestatem* suam divinam probat. [*Non habenti plura dari non convenit.* V. g.] — ὑμῖν, *vobis*) infidelibus, non discendi causa interrogantibus. Ansam agnoscendae potestatis praebuit. c. 22, 43. Saepe dixerat prius.

v. 28. [3]) τέκνα δύο, *filios duos*) Specimen duorum generum. [4]) — προς-

---

1) Eadem est fidei ad preces, quae ignis ad flammam relatio. *V. g.*

2) τίς, *quis*] ex archisacerdotum aliorumve procerum ordine. *V. g.*

3) τί δὲ ὑμῖν δοκεῖ, *quid autem vobis videtur*] Quaestioni de Baptismo Johannis postquam immittere se Judaei detrectassent, Salvator cum Johanne seipsum defendit, incredulitatem antistitum corripiens. *Harm.* p. 460.

4) *In Dialogo, quem Nicaeae* Athanasius *cum Ario habuisse fertur, primus filius ad Judaeos, alter ad gentes adplicatur. Vid.* App. Crit. Ed. II. p. 131. E. B.

Digitized by Google

ελθὼν, *accedens*) comiter. — τῷ πρώτῳ, *ad primum*) qui *alterum anteibat*. v. 31.

v. 30. τῷ ἑτέρῳ, *ad alterum*) qui alia ratione dicitur *major natu*, Luc. 15, 25. — ὡσαύτως, *similiter*) eodem utique animo. Aequitas vocationis. — ἐγὼ, *ego*) scil. *eo*, ὑπάγω. conf. *ecce ego*, Act. 9, 10. *ego*, scil. *sum*. Jud. 13, 11. — κύριε, *domine*) Conf. c. 7, 22.

v. 31. [1]) εἰς, *in*) vel, *quod attinet* ad regnum coelorum.

v. 32. ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης, *in via justitiae*) *Via justitiae* plus dicit, quam *via justa*. — τελῶναι, *publicani*) injusti. — αἱ πόρναι, *meretrices*) impudicae. Quaeri potest, an hae, atque adeo mulieres omnes, itemque infantes, baptizati fuerint a Johanne. coll. Act. 16, 15. — οὐ μετεμελήθητε) *non mutastis sententiam*. — ὕστερον, *postea*) conspecto illorum exemplo.

v. 33. οἰκοδεσπότης, *paterfamilias*) habens familiam copiosam. — ἀμπελῶνα, *vineam*) Ecclesia judaica. [*Mosis tempore plantata*. V. g.] — φραγμὸν, *sepem*) Lex. [2]) — ληνὸν, *torcular*) Jerusalem. — πύργον, *turrem*) Templum. v. 23. — [3]) ἀπεδήμησεν, *peregre abiit*) Innuitur tempus divinae taciturnitatis, ubi homines agunt pro arbitrio. c. 25, 14. Marc. 13, 34.

v. 34. ὁ καιρὸς, *tempus*) Conf. Joh. 4, 35. Hic quoque latet causa, cur non citius venerit Messias. — τοὺς δούλους, *servos*) *Servi* sunt ministri extraordinarii, majores: *agricolae*, ordinarii. [*quorum* isti *ab* his *male ut plurimum accipiuntur, de quieta possessione sua interpellari se videlicet aegre ferentibus*. V. g.] — τοὺς καρποὺς, *fructus*) subaudi, *patrisfamilias*, an potius, *vineae*.

v. 35. ἔδειραν) LXX, pro מכה *pellem detraxit*, saepius ἐκδέρω, δέρω semel ponunt; aliter nunquam. Vetus Onomast. *Excorio*, ἀποδέρω. At δαίρω, *verbero*, Arrianus l. 3. Epict. c. 19. et 22. Unde aperte differentiam verborum statuunt Suidas et Favorinus. Quin etiam Hesychius, δειραντες, ἐκδείραντες· ἔδειραν, ἐξέδειραν, ἐξεδερμάτησαν. Veruntamen Glossae veteres, δέρω, τύπτω. Aristophanes in Vespis, ἦ δέδοκταί μοι δέρεσθαι καὶ δέρειν δι ἡμέρας, ubi interpres, δέρεσθαι δὲ καί δέρειν ἀντὶ τοῦ τύπτεσθαι. Nempe verba κεφαλαιόω, τραχηλίζω, γαστρίζω, et sic δέρω, latam vim habent, caput, collum, ventrem, cutem multandi, vel penitus auferendo, vel caedendo. Recentiores Graecos fuga amphiboliae vel δέρω, vel δαίρω, et inde hoc loco ἔδηραν, scribere hortata est. — ἔδειραν· ἀπέκτειναν· ἐλιθοβόλησαν, *verberarunt: occiderunt: lapidarunt*) Gradatio. secundi gradûs species atrox est tertius. conf. Marc. 12, 3. s. Luc. 20, 10. fs. ubi plures gradus intermedii ponuntur.

v. 36. [4]) πλείονας, *plures*) potiores. ut Hebr. רבים. *Potiores*, numero certe, et sine dubio etiam virtute, potestate etc. Incrementum vocationis non est indicium fidelioris populi.

---

1) ὁ πρῶτος, *prior*] Splendidis verbis, opere destitutis, praestat sine verbis opus: itemque praestat subsequi laudabile exemplum, quam prorsus facessere. *V. g.*

2) *Mutato paullulum schemate* sepem *pro discretione populi ab omnibus terrae gentibus, connotatâ divinâ contra eas tutelâ;* torcular *pro sacerdotum ordine;* turrem *pro Regno declaravit b. Auctor*, Vers. germ. not. ad h. l. *Neque tamen ex hac priorum posteriorumve cogitationum differentia concludendum existimem, talia in* Parabolis *pro* inanibus floseulis *haberi debere. Aenigmatis partes, utut abstrusiores, non sunt otiosae. Conf. quae dicenda erunt ad* c. 22, 11. *not.* E. B.

3) ἐξέδοτο αὐτὸν] Haec est *Potestatis ecclesiasticae* ratio. Vinea *elocata* est agricolis. Qui officiis vel politicis vel ecclesiasticis praesunt, pro arbitrio suo ii quidem agere possunt et privatis commodis, quasi vineae possessores, consulere; possunt servos Domini male tractare; possunt Ecclesiae jura pro lubito suo petulanter detorquere; ipsumque adeo heredem non jam interficere quidem, sed suo tamen loco extrudere aliquantisper possunt. At, Visitationis tandem tempus adventat. *V. g.*

4) πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους] Servos *priores* mediorum temporum, quae Regum dicuntur, Prophetas habueris; *posteriores* eos, qui circa Captivitatem Babylon. floruere. *V. g.*

Digitized by Google

v. 37. ὕστερον, *postremo*) Hebr. 1, 1. — ἐντραπήσονται, *rererebuntur*) Exprimitur, quid facere debuerint.

v. 38. ἐστιν, *est*) Heredem nosse poterant; et tamen jus ejus impugnabant. — δεῦτε, ἀποκτείνωμεν αὐτὸν) Sic LXX. Gen. 37, 20. — κατάσχωμεν, *obtineamus*) sic putarunt, occiso Christo. c. 27, 63. s.

v. 39. ἐξέβαλον καὶ ἀπέκτειναν, *ejecerunt et interfecerunt*) Marcus, *interfecerunt et ejecerunt*. Jesum et ante necem, negato ejus jure, v. 23. reprobarunt, praesertim ethnico judici tradentes; et post necem, etiam sepulturam infestantes. c. 27, 63. fs.

[1]) v. 41. κακοὺς κακῶς, *malos male*) Talio. *male:* respectu miserorum et malorum colonorum. conf. Hebr. 10, 29. *pejore*. — ἐκδώσεται, *elocabit*) In ecclesia ex gentibus collecta ministri et curatores magna utuntur libertate. Idem verbum, v. 33. — καιροῖς, *temporibus*) diversis. — αὐτῶν, *illorum*) Ref. ad *fructus* v. 34.

v. 42. ἐν ταῖς γραφαῖς, *in scripturis*) Unum est volumen, quod scripturae et libri nomen meretur: ceteri eatenus aestimari merentur, quatenus ad intelligentiam unius hujus libri et ad obedientiam ei exhibendam faciunt, et ad illum archetypum conformantur. — λίθον — ἡμῶν) Sic plane LXX, Ps. 118, 22. 23. Psalmus, qui hic citatur, erat notissimus. v. 9. not. (*Conf.* c. 26, 30.) — ἀπεδοκίμασαν, *reprobarunt*) ne pro lapide quidem idoneo, dignoque ecclesiae membro, habuerunt. — ἐγένετο, *factum est*) Id agnoscitur ex magnitudine rei et ex dissensu aedificantium. — αὕτη) Femininum pro neutro, hebraice: *haec*, scil. res, Ps. 102, 19. זאת LXX, αὕτη. Ps. 119, 50. 56. Jud. 15, 7. 21, 3. ἐγενήθη αὕτη. 1 Reg. 3, 18. — καὶ ἔστι, *et est*) והיא scil. אבן. *Lapis* ipse est mirabilis. — θαυμαστὴ, *mirabilis*) propter tantam gloriam. Femininum ponit evangelista, quia noluit LXX desrere. — ἡμῶν, *nostris*) credentium. [1 *Petr.* 2, 7.]

v. 43. αὐτῆς, *ejus*) regni. [*Si vel bona sis arbor, fructus tamen tuus non est, sed vineae.* Rom. 11, 17. V. g.]

v. 44. ὁ πεσὼν, *qui cadit*) Is cadit super hunc lapidem (Christum exinanitum,) qui offendit non credendo, dum praedicatur evangelium: super eum autem cadit lapis, (Christus exaltatus,) qui adventu ejus ad judicium improviso obteritur. Utrumque accidit Judaeis maxime, et gentibus. 2 Thess. 1, 8. Dan. 2, 34. 45. — λικμήσει) Λικμᾶν *dissipare*, ut palea ventis traditur. vid. LXX int. apud quos hoc verbo exprimitur Hebraeum זרה Job. 27, 21. et אסף Dan. cap. cit. v. 44. et decies, זרה.

v. 45. [2]) λέγει, *dicit*) Sentiebant, nondum omnia dixisse Jesum. cap. 22, 1.

CAPUT XXII.

v. 1. Ἀποκριθεὶς, *respondens*) *Respondet* non modo qui rogatus est, sed cui causa loquendi est data. — πάλιν, *iterum*) Refer ad *parabolas*. — ἐν παραβολαῖς, *in parabolis*) eo consilio, ut plures proferret.

v. 3. καλέσαι τοὺς κεκλημένους, *vocatum vocatos*) Vocatio prima et secunda: ante nuptias, ipso nuptiarum die.

v. 4. ἄριστον) *Prandium*, respectu Judaeorum, primo tempore N. T. sed *coena*, respectu sanctorum, in consummatione ipsa connubii spiritualis. Ap. 19, 9. [3]) Historiam ecclesiae ab uno temporum ad alterum complectitur haec pa-

---

1) v. 40. ὅταν οὖν ἔλθῃ] Factus est hic *adventus* in vastatione Hierosolymorum. *V. g.*

2) περὶ αὐτῶν] tanquam agricolis et architectis. *V. g.*

3) *Quanquam enim vocabulo* γάμος *quodcunque* solenne convivium *ex Scripturae stilo interdum quandoque, facile largiamur: hoc tamen loco significatum istum generaliorem obtinere, ex eo quod* Sponsae *mentio desideretur, confidentius justo alicubi concluditur. Scilicet* c. 25,

Digitized by Google

rabola. — ἡτοίμασα, *parari*) Dei, non nostra facultate, constat salus nostra. — σιτιστὰ, *altilia*) Vocabulum generale. — πάντα, *omnia*) Nam multa sunt praeter tauros et altilia. — δεῦτε, *venite*) illico.

v. 5. ἀμελήσαντες, *negligentes*) Hoc jam plus, quam illud, *non volebant venire*. Oportebat *intelligere*, Act. 7, 25. et vigilare. — ἀπῆλθον, *abierunt*) relicta etiam urbe: quae ideo incensa, v. 7. Qui vocationem non admittit, ea etiam, quae habuerat, amittit. — ἴδιον· αὐτοῦ, *proprium: suum*) *Suitas*. — ἀγρὸν, ἐμπορίαν: *agrum, mercaturam*) Bonis immobilibus alius, alius mobilibus districti: alius per falsam αὐτάρκειαν, alius per cupiditatem acquirendi detentus.

v. 6. λοιποὶ, *reliqui*) qui non volebant videri *neglexisse*. [*et qui nec* agrum *colebant nec* mercaturam. *Ii videlicet, qui impedimentorum minus habent, eo gravius haud raro delinquunt, ubi rebus divinis sese ingerunt, praeposterе circa eas versando*. V. g.] — ὕβρισαν, *contumelia affecerunt*) 2 Chron. 30, 10. 1 Tim. 1, 13. Hebr. 10, 29.

v. 7. ἀκούσας, *audiens*) Peccatum inobedientium erat *clamans*. — στρατεύματα, *exercitus*) copias romanas [*annis posthaec 40 immissas*. V. g.] — φονεῖς, *homicidas*) Praecipuum scelus totam poenam provocat. Amosi I. — αὐτῶν, *illorum*) latronum et contemtorum.

v. 8. τότε, *tunc*) Act. 13, 46. — λέγει, *dicit*) Saepe rationes consilii sui revelat Dominus servis. — ἔστιν, *est*) nec propter ingratos plane omittetur. [Est *sane, etiamnum*. V. g.] — οὐκ ἦσαν ἄξιοι, *non erant digni*) Conf. Act. l. c. Nemo ducitur indignus, nisi postquam bonum oblatum recusavit: quo facto, prodit sese. Praeteritum, *non erant digni*, indignos eo magis praetermittit.

v. 9. τὰς διεξόδους, *compita*) Jucundum esset videre itinera apostolorum in toto orbe terrarum, sicut v. gr. in tabula cernitur navigatio Pauli. ὁδὸς, totum: διέξοδοι, partes et quasi rami.

v. 10. συνήγαγον, *coëgerunt*) partim per *vocationem* jussam, interdum tamen adhibita vi non optima. — πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς, *malos et bonos*) Locutio quasi proverbialis. [*Haec hodiernae Ecclesiae facies. Non haec ipsa Rex mandaverat servis*, v. 9. *Nemo bonus ante vocationem: acceptatâ rite vocatione, bene se habent omnia*. V. g.]

v. 11. ἄνθρωπον, *hominem*) insignem aliquem, inter malos omnes, vocatos, nec tamen electos; qui unus instar est horum omnium, quem maxime putares electum, et quo non electo paucitas electorum perspicitur. Singularis habet emphasin; nam sermo aeque alias admisisset pluralem. — ἔνδυμα γάμου, *vestem nuptiarum*) [1]) Haec vestis est *justitia* Christi. c. 6, 33. not.

v. 12. ἑταῖρε] Verbum medium, quod etiam ad alieniores dicitur. — πῶς, *quomodo*) quo indultu servorum? quo ausu tuo?

v. 13. [2]) διακόνοις, *famulis*) Δοῦλοι, *servi* emittuntur: διάκονοι, *famuli* ministrant ad mensam. Joh. 2, 5. — ἐκβάλετε εἰς, *ejicite in*) Fiet hoc paulo ante vesperam nuptialem. Ap. 19, 20.

---

1. fs., *ubi* Sponsus *bis semel memoratur*. Sponsae *itidem ne verbulo quidem infertur mentio*. Et analogiam textuum Matth. 22, 2. 13. *coll.* Apoc. 19, 9. 20. *strictiorem h. l. significatum requirere, prorsus mihi persuadeo. Neque nullius momenti existimem in eo esse, quod vox* γάμος *in una ista parabola* octies *repetitur, et semel duntaxat vocatur* ἄριστον. *Denique* ἀγαθὴ ἡμέρα γάμων καὶ εὐφροσύνης (Esth. 9, 22.) *facilius etiam, quam locutio ista,* ἐποίησε γάμους τῷ υἱῷ αὐτοῦ, vitam nuptialem, *in genere sic dictam, inferunt: ne dicam, ipsum festum* Purim, *l. c. memoratum, memoriam* nuptiarum Regis cum Esthera *proprie celebratarum, aperte involvere, coll.* c. 2, 17. 18. E. B.

1) *Tales vestes eos ipsos distribuisse olim, qui nuptias celebrarent, in* Vers. germ. not. *ad h. l. etiam b. Auctor perhibet.*

2) ἐφιμώθη, *obmutuit*] Hâc obmutescentiâ quaevis objectiones contra genuinum Christianismum directae evanescunt. V. g.

Digitized by Google

v. 14. [1]) πολλοὶ, *multi*) Hoc sermoni regis subjungit Jesus. conf. ὅτι, *quia*, Luc. 16, 8. — γὰρ, *enim*) Sententia generalis argumento est, hunc hominem vestitu nuptiali carentem et omnes ejus similes ejici.

v. 15. τότε, *tunc*) De pessima mente adversariorum vide Marc. 12, 12. s. Luc. 20, 20.

v. 16. μαθητὰς, *discipulos*) cum quibus putabant Jesum incautius acturum: quorum cladem putabant sibi minori fore dedecori. — ἡρωδιανῶν, *Herodianis*) Herodis, atque, ejus exemplo, Caesaris, partibus inprimis addictis, quas Pharisaei detrectabant. Josephus 17 ant. 3. Vid. Marc. 3, 6. 12, 13. Inter ipsos ceteroqui Herodianos varia potuit esse de rebus sacris, de Herode etc. opinio. — ἀληθὴς, ἐν ἀληθείᾳ, *verus, in veritate*) Verum sciendum et loquendum est. Veritas est harmonia rerum et facultatis cognoscentis, volentis, loquentis, agentis. — τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ, *viam Dei*) cujus viae pars est doctrina de iis, quae Deo danda sint. *Dei, hominum,* speciosum antitheton. — εἰς πρόσωπον, *in faciem*) Volebant, Jesum negare, tributum Caesari dandum. [*quod vel breri ante coll.* c. 17, 24.) *vel eo ipso tempore, mense scil. Nisan ex more solrebatur.* Harm. p. 465.] Veritas et res et personas vere aestimat: qui autem personas spectat, *veritatem* facile prodit.

v. 17. ἔξεστι, *licetne*) Non modo dicunt: *oporteine?* sed, *licetne?* propter ea, quae Deo deberentur. — ἢ οὔ; *an non*) Flagitant responsum rotundum.

v. 18. γνοὺς, *cognoscens*) sine mora, nemine docente. — ὑποκριταὶ, *hypocritae*) Jesus *rerum* se eis ostendit, ut dixerant v. 16.

v. 20. εἰκὼν) *imago.* — ἐπιγραφὴ) *literae inscriptae.*

v. 21. ἀπόδοτε) *reddite*, ut par est. — οὖν, *igitur*) Hodie promiscuus numismatum usus est, v. gr. Gallicorum in Germania: sed in Judaea non nisi Romana pecunia videtur in usu fuisse. at si Judaei non fuissent in potestate Caesaris; non eo erant animo, ut numisma externum, praesertim imaginibus ethnicis signatum, in usu haberent. — καὶ, *et*) Uno non tollitur alterum, ut vos putatis. Quae Dei sunt, quae Deo dicata et reservata sunt, non sunt Caesaris: quae Caesaris sunt, non tamen nullo modo Dei sunt [2]). — τὰ τοῦ θεοῦ, *quae Dei sunt*) cujus causam agere videri vultis. v. 16.

v. 22. ἐθαύμασαν, *mirati sunt*) conspicuo modo, ob responsum tutum et verum.

v. 23. σαδδουκαῖοι, *Sadducaei*) Extremo tempore omnes consurgunt contra Jesum. Rara Sadducaeorum apud evangelistas mentio: *in illo die* ne Sadducaei quidem quieverunt. — ἀνάστασιν, *resurrectionem*) Notissimum jam tum pridem fuisse articulum hunc, patet ex eo, quia non additur, *resurrectionem mortuorum*. Atque hujus articuli hostes vario eum gradu impugnant, immortalitatem animae penitus negando, [*negando scilicet occupatur fere ficulnea mundi, eaque mendicissima sapientia.* V. g.] vel ejus conjunctionem cum pristino corpore tollendo. Atque inter ipsos Sadducaeos varius esse error potuit.

v. 24. τέκνα) filium vel filiam, aut plures *liberos*. Deut. 25, 5.

v. 25. παρ' ἡμῖν, *apud nos*) Sadducaei, super raro et fortasse pridem jactato casu, hoc dubium [*parum acute, ut videtur, hactenus dissolutum,* V. g.] cient, quod ex quavis muliere, quae pluribus viris nupsit, prope aeque desumi

---

1) *Nisi forte — πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ*] Duae locutiones, frequentius repetitae a Salvatore, adeoque consideratu dignissimae. *Harm.* p. 463. s.

2) Saepius humana sagacitas alterutri duntaxat Officiorum lateri adhaeret: vera sapientia omnia simul ponderat. Hypocritae cogitabant: Tributum *aut* Deo, in usum templi, dandum est, *aut* Caesari. Jesus *utrumque*, ait, fas est fieri. Sadducaei cogitabant: Si datur resurrectio, uxorem *aut* primo fratri, *aut* secundo etc. reddi oportet. Ex omnibus *ne ulli quidem*, subjicit veritas. *V. g.*

Digitized by Google

poterat. Errorum defensores fucum saepe petunt ab iis, quae nil parumve ad rem pertinent.

v. 28. τίνος, *cujus*) Aut omnium, inquiunt, aut unius erit uxor: at nullus prae ceteris jus habet. Respondet Jesus: nullius uxor erit. v. 30. ***Disjunctionem*** fecerant etiam pharisaei, inter ea, quae sunt Caesaris, et ea, quae Dei: ad illos, utrumque ait Veritas; ad Sadducaeos, utrumque negat. Saepe terrena sapientia in paralogismum se praecipitat insufficienti, etiam in rebus facilibus, enumeratione partium, quarum nulla coelestem fugit sapientiam.

v. 29. μὴ εἰδότες, *quum ignoratis*) Duplex haec ignorantia mater est errorum fere omnium. resurrectio mortuorum nititur virtute Dei: et fides resurrectionis, nititur scripturis. Jesus eis πρῶτον ψεῦδος refutat: quo se minime putabant laborare. Primo solvit argumentum veritati oppositum: deinde veritatem ipsam probat. — τὰς γραφὰς, ***scripturas***) quae plane vitam futuram spectant. v. 31. s. Sadducaei Mosen non intelligebant: prophetas, Mosen declarantes, non recipiebant. — τὴν δύναμιν, ***virtutem***) Virtus Dei faciet homines ***angelis pares***. v. 30. Ignorare Deum ejusque virtutes, caput est erroris. 1 Cor. 15, 34. [Rom. 4, 17.]

v. 30. οὔτε γαμοῦσιν, ***neque nubunt***) viri. — οὔτε ἐκγαμίζονται, ***neque nuptum locantur***) mulieres. conf. v. 25. — ὡς ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, ***sicut angeli Dei***) Absurdum illud, quod Sadducaei fingebant, super justos prae injustis caderet; nemini injustos suspicante nuptiis gavisuros. itaque de solis justis respondet Jesus. Justi tum erunt ejusdem conditionis, atque angeli Dei; [***Injusti, ut angeli peccatores***. V. g.] sine conjugio, cibo et potu naturali etc. Alibi consortes aevi futuri dicuntur fore ***Deo similes:*** sed quia Deus Filium et filios habet; hoc loco, ubi de gignendo quaeritur, dicuntur fore, ut angeli: simulque angelorum quoque existentia contra Sadducaeos ignorantes defenditur. — εἰσὶ, ***sunt***) viri et mulieres.

v. 31. [1]) ὑμῖν, ***vobis***) inquit, non ***nobis***. Christo non sunt scripta. [***et ne Abrahamo quidem, Isaaco et Jacobo, qui prius vixerant, quam apparitio Mosi contingeret, literis deinceps mandata***. V. g.] ***vobis***, Abrahae posteris.

v. 32. ὁ θεὸς, ***Deus***) Ex. 3, 6. Hoc ter ponitur, non semel; quia Jacob non solum ab Isaaco, Isaacus non solum ab Abrahamo, sed singuli etiam a Deo audivere promissionem: divinitusque nomen ***Abrahamo*** mutatum, ***Isaaco*** datum, ***Jacobo***, Israël, additum. Gen. 17, 5. 19. 32, 28. — οὐκ ἔστι θεὸς νεκρῶν, ***non est Deus mortuorum***) ***Non est*** (Deus) ***Deus mortuorum***. Ellipsis, uti Rom. 3, 29. Valor consequentiarum hoc exemplo noscitur. Haec locutio, ***Deus tuus***, exprimit et beneficium divinum, et officium humanum. Beneficium divinum (id enim hoc loco spectatur) sic expressum, est infinitum, aeternum, et cui praestando minime sufficit vita terrena, quamlibet felicissima et longissima, Ps. 144, 15. Luc. 16, 25. nedum peregrinatio dierum paucorum et malorum, ut erat vita Abrahami, Isaaci, maximeque Jacobi, ad vitas patrum superiorum, quibus tamen promissio illa non item obtigerat, collata. Nam non dicitur, opulentia, longaevitas, securitas tua, mundus denique tuus, sed, ***Deus tuus:*** neque Deus tuus ad quinquaginta, ad centum, ad septingentos annos, sed simpliciter, ***Deus tuus***. Itaque ut primum Deus se v. gr. Abrahamo Deum ejus declaravit, communionem sui, aeterni, aeternam ei et detulit et detulisse est agnitus. Et quanquam mors corporis apud patres intervenit, ea tamen non potest esse perpetua, nec longam, si ad vitam aeternam comparetur, habere moram. Nam ipse Abraham, quantus quantus est, et in quantum Abraham nominatur, id est, non

---

1) περὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως] Non objectionem errantium tantummodo refellit Jesus, sed veram quoque illis demonstrat. *V. g.*

Digitized by Google

Abrahae tantummodo anima, sed etiam corpus, cui sigillum quoque promissionis inditum est, habet *Deum*. Deus autem non est non entis Deus: ipse est Deus vivens; ergo ii, qui Deum habent, vivere debent, et, qua parte vivere intermiserant, reviviscere in perpetuum. Vis formulae ostenditur etiam Hebr. 11, 16. not. qui locus inprimis huc facit. paravit illis urbem, vel maxime in aeternitate. et ideo appellatur *Deus eorum*. Atque haec est argumentatio Christi firma, evidens, et prius inaudita: et immortalitatem animae, et resurrectionem corporis, contra Sadducaeos, spiritum esse ullum negantes, potentissime vindicans. Nervus autem non est situs in verbo εἰμὶ *sum*, ejusve praesenti ad Mosen tempore: quod Matthaeus quidem, sed nec Moses, nec Marcus, nec Lucas exprimit, sed in ipsa formula. Atque haec locutio, *Deus meus, tuus, illius etc.* est longe frequentissima: sed praeterea locus hic ad Sadducaeos citatus est omnium exquisitissimus: quia 1. in eo loquitur Deus ipse, irrefragabili veritatis argumento. 2. loquitur in solennissimo viso. 3. loquitur de Abrahamo, Isaaco et Jacobo conjunctim: 4. et quidem post obitum illorum, idque longo intervallo, ipso tempore promissionis praestandae erga eos etiam in posteris eorum; quod indicium erat, patres illos in sua ipsorum vita non reportasse bona sibi promissa. Atque ita mortuorum resuscitationem *indicavit KAI etiam Moses*, Luc. 20, 37. non modo prophetae, prae quibus publice lectitabatur Moses ante Antiochi tempora. Simul autem perficitur paroemia Judaeorum, qui dicerent, Deum non esse Deum viventium, sed mortuorum. Vid. Al. Mori Axiom. IX. et E. F. Cobii diss. de nervo hujus loci.

v. 35. εἷς ἐξ αὐτῶν, *unus ex illis*) Hic a Salvatore minus reprehenditur: quare ab aliis inductus videtur. — νομικὸς, *legalis*) quantus quantus erat: et opinione scientiae plenus, scientiam ostentaturus. νομικὸς, idem, qui γραμματεὺς, Luc. 11, 45. 44. 53. et νομοδιδάσκαλος, Luc. 5, 17. 21.

v. 37. ἀγαπήσεις, *diliges*) Id ex Decalogo, Deut. 5, 10. repetit Moses; ib. c. 6, 5. deciesque repetitum, eodem libro, cujus haec ipsa summa est, gravissima cum contestatione concludit. ib. c. 30, 19. s. — ἐν ὅλῃ καρδίᾳ σου καὶ ἐν ὅλῃ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου) Articulum fere indifferenter tractarunt, qui libros vel descripserunt vel contulerunt: sed quantum ex codicibus novissime collatis colligere licet, in tertio tantum inciso Matthaeus articulum posuit. Id in Hebraeo est ובכל מאדך q. d. *et in omni validitate tua*. LXX: καὶ ἐξ ὅλης τῆς δυνάμεώς σου. apud Marcum, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου. apud Lucam, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου· uno hebraico מאד per duo graeca expresso. Etiam accentus hebraici a duobus prioribus incisis arcte conjunctis hoc tertium distinguunt. Omnia epitasin faciunt; cui articulus in tertio tantum inciso apud Matthaeum positus congruit. *Tria sunt eorum OMNIUM, quae unquam in homine deprehenduntur, fundamenta, Idea, Desiderium, et Motus:* inquit Jo. Jac. Syrbius Philos. primae part. I. cap. 1. §. 1. *OMNIA* amore Dei animanda et regenda sunt.

v. 38. πρώτη) praeceptum non modo maximum, necessitate, amplitudine, diuturnitate rei; sed etiam *primum*, natura, ordine, tempore, evidentia.

v. 39. δευτέρα, *secundum*) Resp. *primum*. — ὁμοία, *simile*) ejusdem indolis, in antitheto ad sacrificia, Marc. 12, 33. Amor proximi est similis amori Dei, prae omnibus aliis officiis, sicut luna est similis soli, prae omnibus astris. Gen. I. Facile legisperitus, de uno sollicitus, alterum erat praeteriturus. Ei periculo occurrit Jesus, et plus respondet, quam is interrogarat. — ὡς, *sicut*) amas te ipsum. Amorem sui non opus est seorsum praecipi. qui Deum amat, se ipsum amabit ordinate, citra philautiam. Deus amat me sicut te, et te sicut me. quare ego debeo te, proximum, amare, sicut me; et tu me sicut te. nam divino amori noster amor debet respondere.

Digitized by Google

v. 40. κρέμαται, καὶ οἱ προφῆται, vel simpliciter, κρέμαται) Conf. Appar. Crit. Ed. II. ad h. l. De lege quaerebatur: de lege potissimum respondetur. v. 36. 40. ***Pendet***, elegans verbum: qui utrumvis *praeceptorum* tollit, legem tollit [*tam multa praecepta complexam.* V. g.]

v. 41. συνηγμένων, ***congregatis***) solenniter. conf. v. 34.

v. 42. τί, ***quid***) Semper vos pharisaei, inquit, quaeritis de praeceptis: nunc aliquid vobis proponam, de quo tamen etiam scriptum est, tanquam de capite gravi; ut videatis, in scripturis quaerendam esse non legem magis, quam. evangelium [1]). — δοκεῖ, ***videtur***) Hoc verbo, ***videtur***, majori jure utitur Jesus ad Pharisaeos, quam Pharisaei ad Jesum v. 17. Etiam *opinio* poterat initium fieri fidei. — τίνος υἱός, ***cujus filius***) Ita Jesus occasionem eis dedit sui, Messiae, agnoscendi. Doctrinam de Deo, v. 37. ut uno, illustrat doctrina de Trino. — τοῦ δαυὶδ, ***David***) Mediocria de Christo facilius accipit ratio, quam aut humiliora aut gloriosiora.

v. 43. ἐν πνεύματι, ***in spiritu***) adeoque vere. 1 Cor. 12, 3. — κύριον, ***dominum***) Id signum subjectionis. Phil. 2, 11. coll. 1 Petr. 3, 6. Plus erat, Christum habere filium, quam regem esse: et tamen David non ait, Christum esse sibi filium, sed gaudet, eum sibi esse Dominum, se illi servum. At hoc gaudii nobis quoque paratum est. Luc. 1, 43. Joh. 20, 28. Phil. 3, 8. Qui Messiam solummodo ut Davidis filium spectant, minorem cognitionis partem spectant. Dominatio, cujus subditus est ipse David, coelestem et Regis majestatem et Regni indolem ostendit.

v. 44. εἶπεν — ποδῶν σου) Sic LXX. Ps. 110, 1. — τῷ κυρίῳ μου, ***Domino meo***) Ergo Dominus Davidis erat, antequam ei diceret Dominus: ***Sede***. — κάθου, ***sede***) impera. 1 Cor. 15, 25. ***Dextra***, potentia. — ἕως ἂν, ***usque dum***) Non negatur aeternitas sessionis; sed negatur, hostium impetum obesse sessioni. Regnum bellicum habebit finem (uti fere heres regni imperium, quod durante bello gesserat, victis hostibus deponit:) regnum pacificum fine caret. conf. 1 Cor. l. c. Etiam antea subordinatus erat Filius Patri; sed tunc non sic apparuit propter gloriam regni: etiam postea regnabit, sed ut Filius Patri subordinatus. — θῶ, ***ponam***) Hostes prostrati *jacebunt*. — ἐχθροὺς, ***hostes***) in his etiam pharisaeos. — σοῦ, ***tuos***) Odium hostium speciali ratione fertur in Primogenitum. — ὑποπόδιον, ***scabellum***) Ipsi hostes erunt scabellum pedum Christi, jure victoriae. conf. Jos. 10, 24. Ps. 47, 4.

v. 45. εἰ οὖν, ***si ergo***) Hunc articulum illo inprimis tempore debuerant Judaei summo studio discere. Dominum esse, aliquanto evidentius est de Christo, quam Davidis filium esse. [***Tanta est Filii Dei gloria! Davides, aeque ut Abrahamus*** Joh. 8, 56. ***diem Christi vidit, novissimum puta, quo omnes adversarii scabellum Domini fient.*** V. g.]

v. 46. λόγον, ***verbum***) ea de quaestione, ut de ceteris. — ἐπερωτῆσαι, ***interrogare***) ad tentandum. discipuli interrogabant ad discendum. — οὐκέτι, ***posthac non***) Nova dehinc quasi scena se pandit.

CAPUT XXIII.

v. 1. Τότε, ***tunc***) omissis adversariis.

v. 2. ἐκάθισαν, ***sederunt***) Mosen repraesentantes, legem ejus legendo et interpretando, quin etiam plura urgendo. — οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι, ***scri-***

---

1) Utriusque Summam postremo hoc loco Prophetarum maximus proposuit. Primus Jesu in templo sermo fuit, quo DEUM Patrem suum confessus est, Luc. 2, 49. Joh. 2, 16. Ejusdemque ultima jam quaestio in templo prolata, Davidis Ipsum Dominum esse, indigitat. *Harm.* p. 469.

Digitized by Google

bae et pharisaei) Non omnia utrorumque aeque erant vitia, quae hic commemorantur: sed nonnulla habebant communia, nonnullorum erant inter se participes. Luc. 11, 45. [*Et ea quidem ex sermonibus Jesu, per Matthaeum plenius descriptis, Marcus et Lucas delegerunt, quae rudi plebeculae clarissime demonstrarent,* cur cavendi *essent scribae: fastum videlicet, avaritiam et hypocrisin.* Harm. p. 472.]

v. 3. οὖν, *ergo*) Hac particula limitatur τὸ *quaecunque dixerint*, ne putet populus, traditiones pharisaicas aeque sibi esse servandas, atque praecepta Mosis. v. 4. — τηρεῖτε, *servate*) animo [1]). — ποιεῖτε, *facite*) re. Imperativus: cui respondet alter, qui sequitur. — λέγουσι, *dicunt*) Mosaica, servanda, facienda.

v. 4. δεσμεύουσι γὰρ, *ligant enim*) Explicatur illud, *dicunt, non faciunt.* — βαρέα, *gravia*) Epitheta doctrinis hominum apta. [*quae nec Lege continentur, et Legi contraria sunt.* V. g.] — ὤμους, δακτύλῳ, *humeros, digito*) Antitheton. — κινῆσαι, *movere*) nedum ferre. Incomparabile quiddam scriptura habet in describendis characteribus animorum intimis. Exemplo est totum hoc caput, et Luc. 12, 16. s.

v. 5. δὲ, *autem*) tametsi videntur multa facere bona. — φυλακτήρια, *phylacteria*) Ex. 13, 9. 16. Deut. 6, 8. 11, 18. — κράσπεδα, *fimbrias*) Num. 15, 38.

v. 6. φιλοῦσι, *amant*) et singuli et pro toto ordine suo.

v. 6. s. ἐν τοῖς δείπνοις· συναγωγαῖς· ἀγοραῖς, *in conviviis: synagogis: foris*) locis publicis.

v. 8. μὴ κληθῆτε, *ne appellemini*) ne ita tractemini aut tractari postuletis. — εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ διδάσκαλος, *unus enim est vester doctor*) Alii, εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς, ὁ χριστός. atque id quidem versu 10. extat [2]): sed versu 8. agitur de Patre coelesti, coll. c. 16, 17. Joh. 6, 45. Act. 10, 28. Gal. 1, 1. 15. Eph. 1, 9. Psalm. 25, 12. 32, 8. Ideo subsequitur: *omnes autem vos fratres estis.* quae ratio ad nonum quoque versum pertinet, ut neque *vocemur* magistri, neque patrem quemquam in terra *vocemus.* De Christo agitur versu 10. et convenienter subjungitur versus 11. Confer, de Patre doctore et Christo duce, c. 11, 25. 27. — ἐστέ· *estis*) Indicativus.

v. 9. πατέρα, *patrem*) Hic quoque magnificus doctorum, in senectute praesertim, titulus erat. — μὴ καλέσητε, *ne vocaveritis*) neque lingua neque animo, infallibilitatem cuiquam adscribente.

v. 10. καθηγηταὶ, *ductores*) auctores. Gradatio: *Rabbi, pater, ductor.* Erant hi tituli eminentiae spiritualis apud Judaeos. quae destruitur etiam 1 Cor. 3, 5. s.

v. 11. ὁ δὲ μείζων, *qui vero major*) i. e. *qui vult esse major*, רב c. 20, 26.

v. 12. ὅστις δὲ, *quicunque vero*) Ez. 21, 26. LXX: ἐταπείνωσας τὸ ὑψηλὸν, καὶ ὕψωσας τὸ ταπεινόν. — ὑψώσει, *exaltabit*) ut scribae et pharisaei.

v. 13. s. οὐαὶ, *vae*) Octies h. l. dicitur *vae* [3]): octies, *beati*, et amplius. Matth. 5. a v. 3. not. — οὐαὶ — κλείετε τὴν βασιλείαν — κατεσθίετε τὰς οἰκίας κτλ.) In multis codd. haec transponuntur: sed prius est illud, in quo fit men-

---

1) τὰ ἔργα αὐτῶν] Vers. 5—7. *V. g.* μὴ ποιεῖτε] Vers. 8—12. *V. g.*

2) *Verisimilius quidem Eruditorum aliquis judicavit, nomen* καθηγητὴς, *ut minus obvium, a librariis in* διδάσκαλος, *transmutatum, quam vocem* διδάσκαλος *in locum* τοῦ καθηγητὴς *suffectam esse. Sed argumentorum* criticorum *pondera multum, ni fallor,* conjecturam *istam superant; ut taceam, alteram istam* conjecturam, *quâ vox* καθηγητὴς *ex* v. 10. *(de quo nihil disceptatur) ad* v. 8. *translata creditur, non minori certe veritatis specie gaudere. Conf.* App. Crit. Ed. II. p. 133. E. B.

3) Varios elenchi gradus contra oblocutores inde a c. 9, 4. adhibuerat Salvator: jam vero sancto fervore incitatus omnem denique rem planissime expromit. *Harm.* p. 472.

Digitized by Google

tio *regni coelorum*, coll. c. 4, 17. 5, 3. etc. *[quanquam is prior videtur esse versus, quem seorsum referunt Marcus et Lucas.* App. crit. Ed. II. p. 134.] [1]) — ὑποκριταὶ, *hypocritae*) Characteres hypocritarum ex hoc elencho colligi possunt: ut fecit *Thomasius* in Cautelis. Non quia pharisaei et scribae erant, miseri; sed quia hypocritae. — κλείετε, *clauditis*) clavi. clauditis, ut inscii et caeci. — ἔμπροσθεν, *ante oculos*) cum homines jam prope essent. — οὐκ εἰσέρχεσθε, *non intratis*) Magnum vae, et primum. conf. Matth. 5, 3. de primo gradu beatitudinis. — εἰσερχομένους, *intrantes*) voluntate, vel re.

v. 14. κατεσθίετε, *comeditis*) summa avaritia. Domos viduarum comedere, *[quibus praecipue parcendum erat, sed quae, persuasionibus obnoxiae, facillime opprimuntur,* V. g.] atrocissima species; quae ponitur pro toto genere rapacitatis. — καὶ) *etiam.* — μακρὰ) Instar adverbii. commode quoque legitur, (προφάσει) μακρᾷ· ex orationibus suis fecere magnam πρόφασιν, *praetextum* comedendi domos viduarum. Herodianus, πρόφασις ὀλίγη, εὐτελὴς, μικρά. — λήψεσθε, *sumetis*) pro praemio talium precum. — περισσότερον, *abundantius*) Qui male agit, judicatur: qui bono abutitur ad malum ornandum, magis judicatur.

v. 15. περιάγετε) Sermo proverbialis. *circumitis,* tanquam *Rabbini.* v. 7. — ἕνα, *unum*) magno studio, sed sub quo parum virtutis latet; ita, ut aegre unum nanciscamini. — υἱὸν γεέννης, *filium gehennae*) *dignum gehenna.* Deut. 25, 2. בן הכות LXX. ἄξιος πληγῶν. — διπλότερον, *dupliciter magis*) propter majorem hypocrisin; [*quam a doctoribus suis, ultra pravitatem ethnicam, non depositam, adsciscit,* V. g.] cum posset insignem consequi gradum in populo Dei.

v. 16. ὁδηγοὶ τυφλοὶ, *duces coeci*) Antea *hypocritae,* et saepius: nunc appellatio commutatur, pro re nata. Conjungitur ea, v. 23. s. 25. s. Ad summa venit, v. 33. — οὐδέν ἐστιν) scil. ὀφείλων, *nihil debet.* — χρυσῷ, *auro*) quo templum erat ornatum.

v. 17. μωροὶ καὶ τυφλοὶ, *stulti et coeci*) Peccabant etiam contra sensum communem: quo censente, propter quod unumquodque tale est, illud ipsum magis est tale.

v. 18. ἐν τῷ δώρῳ, *in dono)* Origo erroris, justitia operariorum. Pluris faciebant dona sua, quam divinum institutum. — ἐπάνω αὐτοῦ, *supra illud)* supra altare.

v. 20. ἐν πᾶσι τοῖς ἐπάνω αὐτοῦ, *in omnibus, quae sunt supra illud)* Sicut versu 21. non repetitur mentio auri, sed memoratur is, qui templum inhabitat; sic hoc versu *omnia,* quae supra altare sunt, dicunt quiddam multo majus, quam *munus* supra altare, imo quiddam ei oppositum muneri. quid igitur? ignem sacrum, et totum ministerium sacerdotum, divinitus institutum, qui etiam ipsi non modo juxta altare, sed etiam *super* altare stabant et ibant.

v. 23. ἀποδεκατοῦτε, *decimatis)* et decimare jubetis. coll. v. 24. *duces.* — ἡδύοσμον, *mentham)* non modo fruges, sed *herbas.* — κύμινον, *cuminum)* quod proverbio ut res parva notatur. — ἀφήκατε, *dimisistis*) pridem: vel etiam, remisistis aliis, per silentium vestrum. — βαρύτερα, *graviora*) Pertinent haec ad theologiam comparativam. Tria enumerantur, tribus minoribus opposita, graviora. de quibus vid. Sir. c. 4. toto. Graviora qui curat, is demum in minoribus recte potest *judicare.* — τὴν κρίσιν, *judicium*) quo discernitur inter bonum et malum, et, in utroque genere, inter majora et minora. c. 12, 18. not. et cap. 16, 3. Luc. 12, 57. 1 Cor. 11, 31. Mich. 6, 8. — τὸν ἔλεον, *misericordiam*) c. 9, 13. — τὴν πίστιν, *fidem*) *sinceritatem,* quae opponitur *hypocrisi.* nam qui c. 24, 51. dicuntur *hypocritae,* Luc. 12, 46. dicuntur *infideles.* conf. 1 Tim.

---

1) *Per marginem* Ed. 2. *ea lectio, quâ versus* 14. totus omittitur, *lectioni textûs tantum non aequalis censetur.* E. B.

Digitized by Google

4, 2. 3. Sunt hi tres plane insignes tituli: *judicium, misericordia, fides.* Debebantque capita locorum theologicorum ex talibus constitui titulis, quos ipsa scriptura assignat: v. gr. Joh. 16, 8. Rom. 3, 27. 1 Cor. 13, 13. 1 Thess. 4, 9. 5, 1. Hebr. 6, 1. seq. — μὴ ἀφιέναι, *non dimittere*) Resp. *dimisistis.* Itaque ταῦτα, *haec,* refertur ad *mentham etc.* ἐκεῖνα, *illa,* ad *judicium etc.* et *oportebat facere* habet vim approbandi [1]): *non dimittere* pertinet ad elenchum. Saepe Graecis οὗτος et ἐκεῖνος, Latinis *hic* et *ille,* non pro serie verborum, sed pro ratione rerum adhibetur. vid. Not. ad Chrysost. de Sacerd. p. 509. s.

v. 24. τὸν κώνωπα, *culicem*) Hoc unum, *percolare culicem,* iis, qui verentur *camelum deglutire,* non debet contra mentem Salvatoris objici. nam nemo temere culicem deglutit, qui etiam suffocare potest. trabs molesta magis; nec tamen festuca negligitur in manu, nedum in oculo, cap. 7, 5. ὁ καὶ ἡ κώνωψ, *culex,* proprie vinarius, qui facile in colum incidit.

v. 25. τὸ ἔξωθεν] superficiem, *externam.* — ἔσωθεν, *intus*) ubi potus et cibus. — γέμουσιν, *plena sunt*) poculum et patera. — ἁρπαγῆς, *rapinae*) v. 14. — καὶ ἀκρασίας, *et intemperantiae*) Ἀκρασία adversatur *abstinentiae* non solum in cibo et potu, sed etiam in pecunia et quaestu. Hac notione Aristot. l. 7. Eth. Nic. c. 6. vult addi mentionem rei, cujus quis est continens vel incontinens, κέρδους, τιμῆς, θυμοῦ. atque hoc quidem loco id patet ex synonymo *rapinae.* Gregorius Naz. ἀκρασία ἐμοὶ πᾶν τὸ περιττὸν καὶ ὑπὲρ τὴν χρείαν.

v. 26. καθάρισον, *purga*) removendo *rapinam* per eleemosynam. Luc. 11, 41. — πρῶτον, *primum*) Applicari haec possunt ad doctrinam decori. — ἵνα, *ut*) Alias enim illa mundities externa non est mundities.

v. 27. ὅτι, *quod*) Hoc versu maxime proprius character *hypocritarum* describitur. nam hypocrisis nominatur versu 28. coll. Luc. 11, 44. cum contextu. — κεκονιαμένοις, *dealbatis*) Judaei sepulcra calce dealbarunt.

v. 28. ἀνομίας, *injustitiae*) Hoc proprie opponitur *justitiae.*

v. 29. [2]) προφητῶν· δικαίων, *prophetarum: justorum*) v. 35. Hoc totum erat, quod faciebant in memoriam pristinorum prophetarum et justorum, sine observatione dictorum et imitatione factorum: cum similitudine patrum suorum, in animis; cum contemtu in Messiam, de quo testati fuerant illi. Subaudi ergo *tantum,* uti c. 24, 38. *Justos* potius, quam *sanctos,* scriptura bene defunctos appellare solet: Luc. 14, 14. Hebr. 12, 23.

v. 30. λέγετε, *dicitis*) publica protestatione. — οὐκ ἂν ἤμεν, *non essemus*) Ita sibi confidebant.

v. 31. μαρτυρεῖτε, *testamini*) factis, v. 29. et verbis, v. 30.

v. 32. καὶ ὑμεῖς, *et vos*) Pronomen hoc non solum facit antitheton ad patres, sed ostendit etiam, indicativi vim inesse in imperativo *implete, implebitis: implete* igitur. conf. Joh. 13, 27. — πληρώσατε, *implete*) quando vultis, non jam impedimini. Estote vobis relicti. Quod animo alitis, manu agite. — τὸ μέτρον, *mensuram*) Ut vitae, ut crucis, ita etiam peccati mensura est, quando v. gr. ad tres transgressiones quarta accessit. Amos 1, 3. etc.

v. 33. ἐχιδνῶν, *viperarum*) de quibus v. 30—32. — φύγητε) Subjunctivus: *quomodo effugeritis?*

v. 34. διὰ τοῦτο, *propterea*) Consectarium vae octavi. — ἐγὼ, *ego*) *Propterea etiam sapientia Dei dixit: mittam etc.* Luc. 11, 49. Liber IV. Esrae, cap. 1. et hic locus, miram habent similitudinem v. 30.: *Ita vos* collegi, ut gallina pullos suos sub alas *suas.* v. 32.: Ego misi *pueros meos* prophetas ad vos,

---

1) Sane et in minimis rebus egregia ac virtus exserere potest. Marc. 12, 42. *V. g.*

2) ὅτι οἰκοδομεῖτε] Hypocrita vel iis, quae in se haud iniqua sunt, culpam sibi contrahit. *V. g.*

Digitized by Google

quos *acceptos* interfecistis, *et laniastis corpora eorum,* quorum sanguinem exquiram, dicit Dominus. v. 33.: *Haec dicit Dominus omnipotens:* Domus vestra deserta est. Magna est de illo Esrae libro existimatio multorum, quibus e nostris *Schickardus* in Tarich p. 135. et *Hainlinus* in Sole temporum accedunt: plurimumque auctoritatis haec ipsa ei evangelica allegatio parit. Jul. Caes. Scaliger: *Librorum Esrae admirabile ac divinum Compendium apud me est, Syra conscriptum lingua. in iis longe praestantiores sententiae continentur, quam in concionibus sordidissimi calumniatoris etc.* Exerc. 308. Scilicet Syriacum illud, quod Compendium vocat Scaliger, metaphrasis fuerit libelli Hebraici, cujus prolixior, quae Latine extat, paraphrasis multa habeat attexta apocrypha. Qualis etiam fuerit ratio librorum Sapientiae et Siracidae. etenim modo hebraismum spirant: modo graecismum merum habent. — ἀποστέλλω, *mitto*) Praesens. Nuncii Dei sunt missi, ut plurimum peccante populo. — προφήτας, *prophetas*) qui ex singulari revelatione accipiunt doctrinam, ut David. Hi soli memorantur de praeterito, v. 30. nunc adduntur *sapientes* et *scribae.* — σοφοὺς, *sapientes*) qui habent gustum veri et boni habitualem (חֹכֶם ח חָךְ) ut Salomo. hi sunt medii inter *prophetas* et *scribas.* — γραμματεῖς, *scribas*) qui monumenta prophetarum et sapientum adornant et administrant, ut Esra. In his magna ex parte habitus est acquisitus; in *sapientibus,* insitus; in *prophetis,* infusus. Unde prophetas plurimum, sapientes multum, scribas minus, nec tamen parum, odit aut contemnit mundus. — ἀποκτενεῖτε, *occidetis*) ut Jacobum. — σταυρώσετε, *crucifigetis*) ut Petrum et Andream; etsi Petrus alibi martyrium passus est.

v. 35. ἔλθῃ, *veniat*) Id repetitur v. 36. *veniet.* Conf. Luc. 11, 50. sq. — πᾶν, *omnis*) ipsius praesertim Messiae. Luc. 13, 33. — αἷμα, *sanguis*) Ter hoc dicitur uno hoc versu, magna vi. — ἐκχυνόμενον) Praesens. Nondum erat *effundendi* finis. — ἐπὶ τῆς γῆς, *in terra*) tota. conf. Gen. 4, 11. — ζαχαρίου υἱοῦ βαραχίου, *Zachariae filii Barachiae*) illius, de cujus prophetia et morte agitur 2 Chron. 24, 20. seqq. [1]). Multa ejus apud Judaeos mentio. vid. *Lightfoot.* [*De* Zacharia *quodam* Baruchi filio, *spectatae virtutis viro, in medio templo* (*ut* Josephus *refert*) *brevi* ante vastationem *ejus occiso, haec intelligere, cum* Kornmanno *aliisque, non ideo tenemur, ut Omniscientiae gloria intemerata servetur Christo: hoc ipsum videlicet vaticinium de vindicta* generationi isti *imminente, cum aliis multis, complemento suo comprobatum fuit. Lucae nonnisi de* Prophetis *est sermo: at propheta non fuit Josephi Zacharias. Sane* prioris Zachariae *non sine multis causis mentionem Christus prae aliis facere potuit. Tales h. l.* (*ut* Ezech. 14, 14.) *viri praecipue allegantur, qui* in Scriptura *nomen habent: et antiquus ille Zacharias, Abelis ad instar, sine controversia Sancti et Prophetae nomine a Judaeis habitus est: imo vero culpae in eo contractae memoria inter Judaeos plane non fuit antiquata.* Harm. p. 472.] — τοῦ ναοῦ, *templum*) In templo haec dixit Jesus: in templo vindicta insignis futura erat.

v. 36. λέγω, *dico*) iterum. conf. Gen. 41, 32. — ἥξει, *veniet*) quod attinet ad initia vindictae. nam extrema se porrigunt longe ulterius. v. 39. — πάντα, *omnia*) Qui peccat, particeps fit omnium, qui idem commiserunt. — γενεὰν, *generationem*) c. 24, 34. not.

---

1) *et quem in* Evangelio Nazarenorum, *referente* Hieronymo, *non* Barachiae, *(ut in graecis exemplaribus) sed* Jojadae filium *dici, pluribus docet cel.* Michaëlis *in der* Einleit. etc. T. II. p. m. 1078. s. *Enimvero haud abs re fuerit conferri cum istis, quae* S. R. D. Crusius *monet* Hypomn. P. I. p. 301. *ubi* Jojadam *cognomen* Benedicti Jehovae *propterea suspicatur accepisse, quod domum Davidis servaverat, quum Joasum caedi subtraxisset, et deinde occisâ Athaliâ in regno paterno collocasset; quo factum, ut honorifico hoc nomine deinceps vulgo appellaretur.* E. B.

Digitized by Google

v. 37. Ἱερουσαλὴμ ἱερουσαλήμ, ***Jerusalem Jerusalem***) Gravissima epizeuxis. [***commiserationis pariter atque horroris plena***. V. g.] — ἡ ἀποκτένουσα, ***occidens***) Participium vim nominis habet. — λιθοβολοῦσα, ***lapidans***) Id obtigit Christi protomartyri, Act. 7, 58. — τοὺς ἀπεσταλμένους, ***missos***) quamvis inviolabiles legati sunt in mundo. — πρὸς αὐτὴν) i. e. πρός σε. conf. Luc. 1, 45. Es. 47, 10. — ποσάκις, ***quoties***) Toties maxime, quoties Jesus in Judaeam, in urbem, in templum venerat. Vid. Harmon. evang. [***et not. Gnom. ad*** c. 21, 1. [2])] — καὶ οὐκ ἠθελήσατε, ***et non voluistis***) etsi ego ***volui***. Es. 30, 15.

v. 38. ἰδοὺ ἀφίεται, ***ecce relinquitur***) Praesens, bis expressum. Dixit haec, dum exiret. c. 24, 1. conf. Joh. 12, 36. — ὑμῶν, ***vestra***) domus, quae alias ***domus Domini*** dicta. Sic ad Mosen, ***populus tuus***. Ex. 32, 7. — ἔρημος, ***deserta***) relicta a Messia. [***quo absente nihil non vastum est atque desertum***. V. g.] Etiam post ascensionem suam Christus templo usus est insigni modo, cum suis discipulis. Sed respectu Judaismi desiit templum jam esse, quod fuerat. hinc tandem destructum est. v. 36. Saepe vox ἔρημος sumitur certo respectu. Ita forum ἔρημον, quando silent judicia.

v. 39. λέγω, ***dico***) Vid. Luc. 13, 35. not. — ἴδητε, ***videbitis***) vos, Hierosolymitae. coll. Luc. 13, 35. — ἀπ᾽ ἄρτι, ***ab hoc tempore***) Praesenti tempori includitur breve illud usque ad mortem, idque extra templum. — ἕως, ***usque***) post longam pausam. — εἴπητε, ***dicatis***) Ita erant dicturi in paschate recitantes τὸ ***Hallel***, sed sine applicatione ad Jesum. Vere fiet suo tempore, quod hic praedicitur, uti cap. 21, 9. factum est, quod Luc. 13, 35. praedictum erat. Non tamen addit, ***iterum:*** etsi verba illa populus acclamarat Matth. 21, 9. Nam neque omnes ei ita acclamarant: et, qui acclamabant, non ita intellexerant, quid dicerent, uti posthac intelliget Israël: et paullo post quasi retractarunt. Dictio prior fuit tenuior: dictio altera erit digna hoc nomine. Conf. ***rursus*** praetermissum Act. 1, 11. not. — εὐλογημένος, ***benedictus***) Cantus conversionis. Ab hoc versu desinit publicus sermo Christi ad Judaeos: ab hoc versu incipiet illorum resipiscentia.

CAPUT XXIV.

v. 1. Ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, ἐπορεύετο) Sic habent Colinaei ed. et mss. ***Bunckleanus***, ***Cantabrigiensis***, ***Paris***. 5. 6. ***Steph***. η. pluresve, ***Chrysost***. ***Aeth***. ***Arab***. ***Lat***. ***Pers***. ***Syr***. Quo pacto ἐπορεύετο, absolute dictum, (uti Luc. 4, 30.) majorem vim habet, in antitheto ad v. 3. ***sedente eo***. [***Ultima jam vice in templo fuerat***. V. g.] Recentiores librarii, ut si nil referret, scripsere, ἐπορεύετο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ. Sermo etiam seculi consummationem complexus, commode sub dio est habitus. — οἱ μαθηταὶ, ***discipuli***) unus praecipue. Marc. 13, 1. — ἐπιδεῖξαι, ***ostensum***) Credibile est, Jesum nunquam spectasse externas templi partes. non enim fuit curiosus. conf. Marc. 12, 15. not. Internas templi partes spectavit, merito, c. 11, 11. — τὰς οἰκοδομὰς, ***structuras***) Singulae partes erant magnae structurae: imo eo tempore exercebatur aedificatio illa, de qua Joh. 2, 20. Et fortasse magis fervebat, ob Pascha instans. — τοῦ ἱεροῦ, ***templi***) destruendi. c. 23, 38. et quidem ea aetate, paucis post aedificationem absolutam annis.

v. 2. ταῦτα, ***haec***) ut stant. — οὐ μὴ ἀφεθῇ, ***non relinquetur***) Jesus cogitationes discipulorum curiosas severioribus delet. — λίθος, ***lapis***) Adagium de gravissima vastatione. Solum illud etiam aratro scissum est.

v. 3. ἐπὶ τοῦ ὄρους, ***super monte***) unde et prospectus erat in templum: et initium futurum erat obsidionis. — τὸ σημεῖον, ***signum***) Vaticiniis rerum maximarum saepe signa addita: hinc discipulorum quaestio de signo illius temporis. — τῆς σῆς παρουσίας, ***tui adventus***) Videntur discipuli respicere c. 23, 39.

Digitized by Google

v. 4. καὶ, *et*) Discipuli quaesierunt, minus distincte, 1. de *tempore* templi destruendi: 2. de *signo* adventus Domini et finis mundi; quasi uterque eventus simul futurus esset, adeoque commune tempus et commune signum haberet. Respondet Jesus, distincte, (1.) de *templo* et urbe destruenda, hujusque rei signis, v. 4. s. 15. s. (2.) de *adventu* suo et fine mundi, ejusque rei signis v. 29—31. (3.) de *tempore* templi destruendi, v. 32. s. (4.) de *tempore* finis mundi, v. 36. Sic quoque apud Marcum et apud Lucam, qui c. 21, 11. 25. utriusque rei signa seorsum notat. — βλέπετε, *videte*) Futura et novissima non debemus curiositatis causa, sed muniendi nostri studio quaerere. Omnia sunt referenda ad firmitudinem in agnitione et confessione Jesu Christi. Huc enim spectat prophetia: cetera abrumpuntur, quibus ad meram scientiam uteremur. Illustrari hinc potest thesis de perspicuitate et perfectione scripturae. — ὑμᾶς, *vos*) Hoc non tam apostolis, Paracletum non multo post accepturis, quam gregi fidelium, quem illi tum repraesentabant, majoribus, ne seduceretur, periculis obnoxio, dicitur. Initium, *prudentia:* finis, *patientia.* v. 13.

v. 5. πολλοὶ, *multi*) Initio venient pseudochristi: in medio, pseudoprophetae, v. 11. postremo, utrique, v. 24. Gradatio, bimembris. — ἐπὶ, *sub*) non modo dicent, se esse a me missos, sed, se esse, qui ego sum. — λέγοντες, Ἐγώ εἰμι ὁ χριστὸς, *dicentes: ego sum Christus*) *Scripsit Theophylactus, Dositheum quendam Samaritam perhibuisse, eum se esse, de quo Moses praedixisset, prophetam. Simonem quoque Samaritam appellasse se ipsum ingentem potestatem, id est,* δύναμιν μεγάλην. *de quo in historia apostolica Lucae. Huc etiam referri videntur posse, Theudas, et Aegyptius quidam, et alter praestigiator, quem non nominat Josephus (qui ista narrat libro XVIII. antiquae historiae, et secundo captae Judaeae) omnes praetendentes prophetae nomen, fraudulenti ipsi ac seditiosi. Quin et posterioribus temporibus Manes ausus fuit sese Christum profiteri, et similiter XII tanquam apostolos sibi ascivit.* Joachimus Camerarius.

v. 6. μελλήσετε — ἀκούειν) Futurum complicatum: *audituri eritis.* Evangelistarum scripta ante impletionem hujus praedictionis edita magnam hinc firmitudinem nacta sunt. *Audituri:* Christiani magis *audiunt* bella, quam gerunt. — πολέμους, *bella*) in propinquo. — ἀκοὰς πολέμων, *rumores bellorum*) remote. — μὴ θροεῖσθε, *nolite turbari*) Metonymia antecedentis: i. e. nolite statim fugam capessere. Verbum magna proprietate positum. nam θρόος ex θρέω ἦγουν σὺν θορύβῳ βοῶ ἢ λαλῶ. — γὰρ, *enim*) Fundamentum tranquillitatis. — οὔπω, *nondum*) Pii facile putant, non posse altius ire mala. ideo monentur. — τὸ τέλος, *finis*) nondum, de quo v. 2. 14. necdum tempus fugae. v. 15. Luc. 21, 20. *Initium* demum versu 8.

v. 7. ἐγερθήσεται, *excitabitur*) cum antea plus pacis fuisset. — ἔθνος, *gens*) etiam extra Judaeam. — λιμοὶ, καὶ λοιμοὶ, καὶ σεισμοὶ, *fames, et pestes, et terrae motus*) Huc fere omnia in Novellis revocari possunt. quanquam historici ea saepe minus, quam humana facta, memorant. — κατὰ τόπους, *passim*) Semper fuere pestes et reliqua: sed non ita frequenter.

v. 8. ἀρχὴ, *initium*) respectu Judaeorum. Antitheton, *finis.* v. 6. 14. — ὠδίνων, *dolorum*) qui antecedunt *regenerationem.* c. 19, 28. Rom. 8, 22. Metaphora a partu.

v. 9. ἀποκτενοῦσιν ὑμᾶς, *occident vos*) quosdam ex vobis. Luc. 21, 16. Hos non indicat Dominus, ut omnes vigilent. Ante vastationem urbis Jacobus major ab Herode, ut Lucas memorat, Petrus a Nerone, ut historia ecclesiastica tradit, occisus est. *Vos:* quasi vos in culpa essetis, et miseriam generi humano paraeretis. Extremum hoc mundi solatium est. Judicium incipit a domo Dei. — μισούμενοι, *exosi*) Religio christiana habet singulare quiddam, corrupto mundo, omnes sectas toleranti, invisum.

Digitized by Google

v. 10. σκανδαλισθήσονται, *offendentur*) fidei jacturam facient. [*ut amoris*, v. 12. V. g.] — ἀλλήλους, *mutuo*) Id omnium tristissimum.

v. 11—13. καὶ, *et*) Solicite retinenda fides, amor, spes.

v. 12. τὴν ἀνομίαν, *injustitiam*) *Injustitia* et *amor* opponuntur: nam *legis complementum amor*. *injustitia* vim involvit; *amor* quiddam quasi nativum. — ψυγήσεται, *refrigescet*) Amoris est *ardere*. — ἡ ἀγάπη) *amor*, (erga Deum, homines, propinquos, se ipsum, spiritualis, imo etiam naturalis:) qui summa *legis*. στοργὴ facit, ut v. gr. prole nata gaudeant parentes: ubi dura fecit tempora iniquitas, gaudent prole denata aut non nata. *amor*, ornatus christianorum et vigor, atque adeo status eorum omnis. Phil. 1, 9. 2 Petr. 1, 7. Ap. 2, 4. Idem, fundamentum ὑπομονῆς *patientiae*. v. seq. — τῶν πολλῶν, *multorum*) *multitudinis*, eorum, qui amore non excellunt. *injustitiam* maxime exercent valde potentes, aut nimis pauperes: inde *ceterorum* quoque *amor* [*abreptâ, per* injustitiam, *benefaciendi copiâ*, V. g.] frigescit. violatâ justitiâ, quae vocatur particularis, hebescit justitia, quae vocatur universalis.

v. 13. ὁ ὑπομείνας, *qui perstiterit*) Constantia tuemur fidem, amorem, spem. — εἰς τέλος, *in finem*) tentationis. — οὗτος, *hic*) tanquam exemtus. v. 22. — σωθήσεται, *servabitur*) Urbe deleta, liberabantur Christiani. Luc. 21, 28. 31.

v. 14. [1]) τοῦτο, *hoc*) quod Jesus praedicavit. — ἥξει) Ἥκειν est non modo appropinquare, sed plane *advenire*, imo *adesse*. — τέλος, *finis*) de quo v. seqq. Ideo subsequitur *ergo*, v. 15. Ante hunc finem apostolatu perfuncti sunt duo illi, Petrus et Paulus, aliique v. 9.

v. 15. τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, *abominationem desolationis*) Abominationem profanationis sequebatur abominatio desolationis. Sic appellatur exercitus romanus ex gentibus conflatus, cujus signa militaria abominabantur Judaei, tanquam idola, cum Romani divinitatem signis illis tribuerent. vid. Spizelii Collatio de vaticin. ang. p. 135. — τοῦ προφήτου, *prophetam*) Conf. Hebr. 11, 32—34. de Daniele propheta: etsi a nonnullis Judaeis non reliquorum prophetarum numero habitus. Saepe levis causa errorem parere magnum potest. In latinis Bibliis libri apocryphi canonicis quondam *mixti*, pro argumenti affinitate, et in indice librorum per notulas quasdam ab iis *discreti* sunt, ut in MSS. observare licet: deinde hac cautione, debili quippe, neglecta, ipsi quoque pro canonicis habiti. E diverso quum ii, qui libros V. T. in unum corpus redigere coeperunt, Danielis librum nondum habuissent, is liber, et serius et extra Palaestinam scriptus, hagiographis adjectus est; non incommode quidem, quatenus hebdomades per Danielem praedictae, impleri coeperunt in Ezra, c. 4, 24. sed tamen inde Danielem, qui prophetis non esset adjectus, ne prophetam quidem fuisse, aliqui putarunt, accedente fastidio scrutinii temporum propheticorum. Prophetam vero eum fuisse, confirmat Propheta maximus. — ἑστὼς) Sic scribendum, non ἑστὸς, etiam in neutro. nam ἑστὼς contrahitur ex ἑστακὸς, unde ἑστῶτα Luc. 5, 2. ἐνεστῶτα Rom. 8, 38. etc. Referendum ad βδέλυγμα, *abominationem*, *jam stantem firme*, *staturam diu*. Prosopopoeia. — ἐν τόπῳ ἁγίῳ, *in loco sancto*) Dan. 9, 27.: ἐπὶ τὸ ἱερόν. LXX. Tempus fugae jungitur Luc. 21, 20. cum ipso articulo exercitus appropinquantis: atque in hoc ipso tempore monitum de fuga divinitus iteratum fuisse memorat Eusebius l. 3. H. E. c. 5. Itaque *locus sanctus* non denotat hic templum, sanctumve sanctorum; nam eo profanato serum fuisset fugere: sed locum circa urbem sanctam, extra urbem, eumque definitum; scilicet illum ipsum, quem Salvator, dum haec dicebat, sua praesentia, ut saepe, sanctum habuit. conf. Act. 7, 33. Certe in *monte olivarum* praecipuam obsidionis vim fuisse, docet Josephus. προσετέταχτο αὐτοῖς στρατοπεδεύσασθαι κατὰ τὸ ἐλαιῶν καλού-

---

1) κηρυχθήσεται] Factum id ante vastatas Hierosolymas. Col. 1, 23. *V. g.*

Digitized by Google

μενον ὄρος, ὃ τῇ πόλει πρὸς ἀνατολὴν ἀντίκειται. l. 6. de Bello Jud. c. 3. Idemque mons sanctus erat etiam Judaeis, quia ex eo templum vicinum introspici poterat: atque in eo Schechinam tres annos cum dimidio stetisse tradiderunt. Appellarunt etiam הר המשיחה *montem unctionis.* Pertinet huc vel maxime Zach. 14, 4. ubi sanctitatem ipsa mentio plagae orientalis importare videtur. Itaque quem Matthaeus *locum sanctum* vocat, eum Marcus sic describit, *ubi non oportet*. Quod utrumque respicit ad illud Dan. 9, 27. ubi regio montis illius dicitur כנף שקוצים *plaga*, ceteroqui sancta, sed tum propter oppugnatores idololatras *abominabilis*: quia ibi שקוץ שמם Dan. 12, 11. 11, 31. *abominamentum vastans* erat staturum. Namque כנף plagam mundi significat, etiam citra mentionem venti. Es. 11, 12. A locis sanctioribus initium poena capere solet, et inde se ad reliquas partes diffundere. — ὁ ἀναγινώσκων νοείτω, *qui legit, intelligat*) Eandem parenthesin habet Marcus c. 13, 14. quanquam incisum illud de Daniele multi in Marco non legunt. Uterque evangelista, cum scriberet ante obsidionem urbis, monuit lectorem suum, ut accuratum Domini consilium de loco et celeritate fugae observaret. Dan. 12, 10. οἱ νοήμονες συνήσουσι. at Hebr. המשכלים יבינו *sapientes intelligent*. ὁ ἀναγινώσκων non dicit lectorem Danielis publicum, (nam initio obsidionis series lectionum Legis erat in Levitico; et neque illis neque ceteris ulla ex Daniele sociata erat:) sed quemcunque *lectorem* vel Danielis vel evangelistae, ipsa maxime obsidione appropinquante. Omnes debent *intelligere:* et, si orandum fuit, ne *sabbato* fuga fieret; quid erat, cur lector *sabbaticus* prae aliis admoneretur?

v. 16. τότε, *tunc*) Hic respondetur ad τὸ πότε, *quando*. v. 3. Saepe *tunc* in hoc sermone ponitur. — οἱ ἐν τῇ ἰουδαίᾳ, *qui in Judaea*) non Judaei omnes, nec Christiani omnium locorum; sed ii, qui, verbis Jesu credentes, in Judaea erunt. — φευγέτωσαν, *fugiant*) sine spe solvendae obsidionis. — ἐπὶ τὰ ὄρη, *in montes*) In montibus h. l. promissa securitas: et deinde inventa, Pellae. Euseb. l. c. Monet Jesus, ne quis se tutum fore putet in urbe, contra atque carnalis Judaeorum prudentia in ipsa obsidione pertinacissime sibi persuasit.

v. 17. μὴ καταβαινέτω, *ne descendat*) ne per scalas interiores, sed exteriores descendat. — ἆραί τι, *sublatum quid*) v. gr. cibos. Resp. *vestes*, v. 18.

v. 18. ἀγρῷ, *agro*) Agricolae leviter vestiti in agrum eunt.

v. 19. οὐαὶ, *vae*) non ponitur ad imprecandum, sed ad indicandum. Neque *liberorum generatione* interdicitur, sed tantummodo miseria praedicitur. — ταῖς) Non potuerunt celeriter fugere. Piae participabunt calamitatem communem. Luc. 23, 29.

v. 20. προσεύχεσθε, *precamini*) Precibus multa mitigantur. Orarunt; neque hieme facta est fuga. — χειμῶνος) Non solum tempus anni, sed etiam tempestas videtur denotari. c. 16, 3. Certe verno tempore eventus fuit. conf. v. 18. de agro. — σαββάτῳ, *sabbato*) non quin fugere liceret in sabbato, Christianis praesertim, aut sarcinas ferre: sed quia valde miserum est, eo die, qui laetitiae datus est, abruptis sacris publicis fugere; et quia singuli minus ad fugam parati, alii aliis in fuga paranda per frequentiam impedimento sunt in januis synagogarum vel portis urbium, magis quam ruri vel in tectis. Sabbato Hierosolymam de improviso cepit Ptolomaeus Lagi, teste Jos. 12. ant. 1. denique poenae, sabbato Judaeis venientes, ceteris graviores. vid. Hainlini chronol. explan. fol. 19. 20. Quin etiam hostes ob sabbati odium illo die erant truculentiores. Quo tempore maxime peccatur, poena venit. conf. Hos. 5, 7. Sabbati usus non plane exspiravit ante templi destructionem.

v. 21. ἀπ᾽ ἀρχῆς κόσμου, *a principio mundi*) tempore diluvii etc.

v. 22. οὐκ ἂν ἐσώθη, *non salvaretur*) *Salute* animae, quae *electis* adscribitur, excluderentur per mortem praematuram. *Salutem assecuti* dicent illud, quod resonat Ap. 7, 10. — πᾶσα σὰρξ, *omnis caro*) infirma per se. — ἐκλεκτοὺς,

electos) *Electi*, jam conversi, ceteris mixti: vel posthac convertendi; vel nondum nati. Ubi supra robur fidelium ordinarium excedit vis tentationum, electio allegatur, v. 24. 31. Luc. 18, 7. Deique fides et virtus, 1 Cor. 10, 13. 1 Petr. 1, 5. Ap. 13, 8. — κολοβωθήσονται, *decurtabuntur*) Quod κολοβοῦται, partium integritatem ita amittit, ut tamen pro toto haberi possit. aptum verbum.

v. 23. τότε, *tunc*) sub interitum Hierosolymorum. — μὴ πιστεύσητε, *nolite credere*) nam ab illo tempore non conspicietur Filius hominis, usque ad Adventum suum. Itaque de adventu ad judicium v. 27. agitur incidenter: ex professo autem v. 29. seq. — ὧδε, *hic*) v. gr. ubi aliquis est, qui se Messiam dicit.

v. 24. σημεῖα καὶ τέρατα, *signa et prodigia*) *Signa* intellectum afficiunt: *prodigia* affectum percellunt, quorum species sunt *terriculamenta*. Luc. 21, 11. conf. Act. 2, 19. — εἰ δυνατὸν, *si possit*) Hoc inciso denotatur conatus summus, sed tamen irritus. conf. Act. 27, 39.

[1]) v. 26. ἐρήμῳ, *deserto*) Id speciose dici poterat, coll. c. 3, 3. quadratque in eos, qui globos et turmas cum tumultu ad se traxerunt. Act. 21, 38. Ideo subjicitur: *nolite exire*. — ταμείοις, *cellis*) Id convenit in eos, qui quaedam recondita venditari curarunt. Ideo subjicitur: *nolite credere*.

v. 27. ἀστραπὴ, *fulgur*) Sermo est de *fulgure* non quovis, sed de eo, quod totum horizonta interdum implet celerrime; sine praecone praevio. — ἀνατολῶν, *oriente*) Fulgur venit etiam a reliquis plagis: sed h. l. de oriente dicitur venire. credibile est, Christi adventum fore ab oriente. Intervallum inter *apparitionem adventûs* (2 Thess. 2, 8. not.) et inter ipsum *adventum* facit, ut *adventus* ipse sit repentinus tandem. — τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *filii hominis*) Hoc loco usque ad v. 44. inprimis saepe appellatur *Filius hominis*. coll. c. 25, 31.

v. 28. ὅπου γὰρ, *ubi enim*) Hoc adagium hic cum mentione falsorum doctorum, quae versu 23. fit; sed Luc. 17, 37. 31. *s.* cum mentione angustiarum bellicarum conjungitur. Itaque *cadaver* sit Judaismus carnalis, expers vitae illius, qua corpus Christi vegetatur, et tamen aliqua corporis specie se venditans, in quem aquilae tanquam in cadaver eis relictum, avide et magno numero sint involaturae; (*congregabuntur*, futurum:) Christus autem, qui ut fulgur venit, non est apud illud cadaver quaerendus. v. 23—27. Aquilarum non omne genus, sed aliquod tamen carnivorum est. conf. Job. 39, 30. Tales aquilae sunt partim pseudochristi et pseudoprophetae, partim copiae Romanorum. Hi, nec primi gentium, aquilam in signis habebant: et ad horum signa militaria, aquilam, h. l. et aprum, Ps. 80, 14. sunt, qui alludi putant. conf. Hos. 8, 1.

v. 29. εὐθέως δὲ μετὰ, *statim vero post*) Quatuor sunt hoc loco observanda. 1) Sermo est de sole proprie obscurando etc. Atque haec phrasis apud prophetas saepe occurrit de interitu populi alicujus, et apud illos quoque majorem proprietatem habet, quam communiter putatur; etenim ubi magnus est hominum interitus, sane spectatores solis ad paucitatem rediguntur. Sed multo magis hoc loco id proprie valet. nam totus sermo est propriis verbis instructus: ergo hic quoque versus. 2) *pressura* innuitur illa ipsa populi judaici, eaque unius generationis. 3) non dicitur, *post pressuram illam*, neque, *post dies illos*, sed, *post pressuram dierum illorum*, uti Marc. 13, 24. *in diebus illis, post pressuram illam*. Dies illi referuntur ad v. 22. et 19. neque innuitur pressura diuturna, sed brevis, v. 21. 22. 34. 4) post pressuram τὸ εὐθέως, *cito*, moram perbrevem innuit, quum οὔπω, *nondum*, i. e. οὐκ εὐθέως, *non cito*, de mora brevi, eandem pressuram praecedente, dicatur, v. 6. Luc. 21, 9. Marc. l. c. imo moram excludit. Versio Angl. *immediately*. Dices: Magnus saltus est a vastatione Hierosolymorum ad finem mundi, qui ei *cito* subjungitur. Resp. Prophetia est, ut pic-

---

1) προείρηκα] singulari fide in vos ac pietate usus. *V. g.*

Digitized by Google

tura regionis cujuspiam, quae in proximo tecta et calles et pontes notat distincte; procul, valles et montes latissime patentes in angustum cogit. sic enim debet etiam esse eorum, qui prophetiam legunt, prospectus in futurum, cui se prophetia accommodat. Atque oculi discipulorum, qui in sua quaestione finem templi mundique conjunxerant, nonnihil velati relinquuntur: (neque enim erat tempus sciendi, v. 36.) unde postea, Dominicum sermonem imitantes, summo consensu, finem adesse dixerunt. In progressu autem et prophetia et prospectus magis magisque etiam ulteriora explicant. quo pacto non distincta ex obscuris, sed obscura ex distinctis debemus interpretari, et sapientiam divinam, omnia semper videntem, non omnia simul revelantem, in suis aenigmatibus venerari. Postea revelatum est, antichristum fore venturum ante finem mundi: ac rursum haec duo Paulus propius nexit, donec apocalypsis etiam millenos annos interposuit. Revera tamen post Hierosolymorum vastationem (et mox quidem, quatenus nullus alius eventus intermedius hic erat memorandus, conf. c. 3, 1. not.) factus est adventus Domini, videlicet, quod ad initia attinet. vid. Joh. 21, 22. not. Ad hunc adventum, non praecise ad obscurationem solis et lunae, refertur particula *cito;* id enim convenit cum amplitudine sensus Domini: ut sensus sit, *mox post pressuram dierum illorum* fiet, ut *sol obscuretur etc.* Similis nexus adverbii cum verbo, Gen. 2, 17.: *quo die comederis,* fiet, ut *morte moriaris:* et infra, c. 26, 64. not. et Luc. 1, 48. Potest simul locutio referri ad modum dicendi, ut hoc dicatur: *post aerumnam illam* (id quod *statim* subjungi, institutum sermonis hujus et ratio temporis hujus, dum cetera intercessura indicentur, ferunt,) *sol obscurabitur* etc. Saepe adverbia, ut h. l. εὐθέως, *statim*, non rem sed sermonem modificant. Sic cum verbo *dicendi* subaudito conjungitur καλῶς, *bene,* et verbum *aboletis,* Marc. 7, 9. *rursus,* Hebr. 1, 6. Denique *signa* in sole etc. majore intervallo differt Lucas c. 21, 24. s. Sunt, qui τὸ εὐθέως *statim* non de brevi intervallo, sed de subito post longa intervalla eventu accipiant. Retinendum vero prius illud, ita quidem, ut particula *statim* complectatur totum spatium inter vastationem Jerusalem per Titum et inter consummationem seculi. Talibus in locis est prophetica (ut b. *Antonius* appellabat) nubecula. Nondum erat tempus revelandi totam seriem rerum futurarum a vastatione Hierosolymorum usque ad consummationem seculi. Paraphrasis verborum Domini haec est: De iis, quae *post pressuram dierum illorum,* delendae urbis Jerusalem, evenient, ***PROXIMUM***, quod in praesenti pro mea conditione commemorandum et pro vestra capacitate exspectandum venit, hoc *est, quod sol obscurabitur* etc. Porro, inde non sequitur, etiam τὸ *post haec* laxe debere accipi Ap. 4, 1. ubi *celeritas* ex c. 1, 1. praesupponitur. Tales formulae ad analogiam sui quaelibet loci accipiendae sunt. — ὁ ἥλιος, *sol*) Sermo proprie accipiendus, de calamitate diversa ab iis, quae superius descriptae sunt. In V. T. sermo talis metaphoram habet, ab eo, quod proprie fiet in consummatione seculi. — οὐ δώσει τὸ φέγγος αὐτῆς, *non dabit splendorem suum*) quem dare solet, et quum crescit, et quum decrescit. Divisa naturaliter tempora habent eclipses solis et lunae, sed tum sol simul et luna laborabunt. — ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *a coelo*) Non additur: *in terram.* conf. Marc. 13, 25. *excidentes.* Erunt, quasi non essent; sine luce. — δυνάμεις, *virtutes*) illae coeli firmae et concatenatae, [Prov. 8, 27.] a *stellis* distinctae, subtiles, in terram influere solitae. Sic apud Matthaeum, Marcum, Lucam appellantur. — σαλευθήσονται, *movebuntur*) Apta metaphora a mari fluido. [Apoc. 6, 14.]

v. 30. τὸ σημεῖον, *signum*) [1]) Hoc *signum* est specialius: illa, de quibus Luc. 21, 25. praecedunt, et sunt generaliora. His rebus ipsa Filii hominis appellatio congruit: coll. not. ad c. 16, 13. nam planctus tribuum terrae, Ap. 1, 7.

1) Habetur hic responsio ad quaestionem v. 3. propositam. *V. g.*

cum *ipsius* conspectu jungitur. Hoc igitur dicit: nolite aliud *signum* praevium quaerere: v. 27. Ipse erit *signum* sui, sicuti Luc. 2, 12. idque eo magis, quia cum ipso ejus conspectu vel etiam paullo ante videbunt homines pompam in nubibus: nisi caligo, fulgor, forma crucis, aut aliqua stella, etiam apparebit. conf. c. 2, 2. Antehac fuerat *signum, cui contradicebatur:* Luc. 2, 34. tum erit *signum* apertum. *Signum* denotat quiddam valde illustre et oculos percellens, sive alterius rei sive sui significationem habens. Ap. 12, 1. Sole, luna, stellis exstinctis, signum illud erit visibile in fulgore Domini et inde nubis ac nubium. In summa, *signum*, coll. Marc. 13, 26. 4. est pompa advenientis Filii hominis, qui ipse mox conspiciendus dicitur h. l. — φυλαὶ, *tribus*) Judaicae, maxime. — ὄψονται, *videbunt*) Num. 24, 17. — νεφελῶν, *nubibus*) Lucas ait: *in nube*. Currus habebit multos: [*ut fit in pompa regali.* V. g.] uno valde eximio vehetur.

v. 31. αὐτοῦ, *suos*) Credibile est, certum angelorum numerum peculiariter appellari angelos Christi; etsi omnes subjecti sunt Christo. — σάλπιγγος, *tuba*) Tubarum usus, ad convocandam multitudinem: illa *tuba* habebit *vocem magnam*. — ἐπισυνάξουσι, *congregabunt*) Conf. 2 Thess. 2, 1. — ἀπ᾽ ἄκρων οὐρανῶν) Ἀπ᾽ ἄκρου γῆς, Marc. 13, 27. ἄκρον, omnis *extremitas:* ubi terra desinit, ibi coelum incipit. unde etiam interdum *montes* et *coelum* parallela sunt. 2 Sam. 22, 8. Ps. 18, 8. קצה Hebr. Deut. 30, 4.: ἀπ᾽ ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ ἕως ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ. et sic ib. c. 4, 32.

v. 32. ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς, *a ficu vero*) a re obvia. — τὴν) sequentem. — παραβολὴν, *parabolam*) amoenissimam.

v. 33. ταῦτα πάντα, *haec omnia*) Non semper praeteriri debet *ordo verborum:* saepe emphasis, et, in pronunciando, accentus, super prius verbum cadit. Primus est hic locus, qui id demonstrari postulet: sic igitur faciemus. Luc. 11, 36.: εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὍΛΟΝ φωτεινὸν, μὴ ἔχον τι ΜΕΡΟΣ σκοτεινὸν, ἔσται ΦΩΤΕΙΝΟΝ ὅλον, ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ ΦΩΤΙΖΗ σε. hic ὅλον habet emphasin ante φωτεινὸν, in antitheto ad μέρος· et φωτεινὸν habet emphasin ante ὅλον, quae verbo φωτίζῃ declaratur. Joh. 14, 2. 3.: ἑτοιμάσαι ΤΟΠΟΝ ὑμῖν — ΥΜΙΝ τόπον κτλ. hic apparentem contradictionem tollit ordo verborum. Negans sermo est, *LOCUS non est parandus vobis;* jam quippe paratus ipse. affirmans sermo est, *VOBIS parandus est locus*, id est, ingressus in locum muniendus. Verus uterque sermo. Eph. 2, 1. 5.: ΥΜΑΣ ὄντας νεκροὺς — ΟΝΤΑΣ ἡμᾶς νεκροὺς κτλ. hic ὑμᾶς facit antitheton ad ἡμᾶς, c. 1, 19. et deinde ὄντας notat *statum* praeteritum mortis, oppositum vivificationi. Jac. 2, 18.: δεῖξόν μοι τὴν ΠΙΣΤΙΝ σου ἐκ (al. χωρὶς) τῶν ἔργων σου, κἀγὼ δείξω σοι ἐκ τῶν ΕΡΓΩΝ μου τὴν πίστιν μου. hic prius πίστιν spectat ad illud, σὺ πίστιν ἔχεις· et alterum ἔργων ad illud, κἀγὼ ἔργα ἔχω. Haec in praesenti sufficiant, ex quatuor diversis notata scriptoribus N. T. Nunc apud Matthaeum, quum v. 33. ΤΑΥΤΑ πάντα, et v. 34. ΠΑΝΤΑ ταῦτα, praecipui codices habent, (quanquam alii confundunt,) prius ταῦτα, prae πάντα, emphasin habet, ut exprimat res proxime futuras, (unde in parallelo, Marc. 13, 29. id πάντα praetermittitur,) et, hac emphasi supposita, *alterum* πάντα exprimit *omnes,* item *has* videlicet, res, proxime, ea generatione, futuras. Ipsum pronomen ταῦτα non ad totum sermonem praecedentem refertur; nam alia sunt signa praevia, aliae res subsecuturae, per signa indicatae: sed ad initia, quae comparantur cum ficu, in antitheto ad aestatem ipsam, i. e. ad regnum Dei appropinquans. Impletis iis, quae a v. 4. ad v. 28. describuntur, locus erat factus regno Dei, magis magisque invalituro, uno tractu. Principia, remotis remoris, erat instar totius. Apud Matthaeum porro et Marcum, utrumque *haec* antitheton facit ad *illo,* ἐκείνης, v. 36. hoc sensu: ***HAEC omnia, quae ad Hierosolyma pertinent, fient, antequam haec generatio praetereat: sed de ILLO*** (remotiore, novissimo, judicii) *die, nemo novit etc. Haec*

Digitized by Google

observatio analysin totius sermonis hujusce sublevat. Antitheton inter ***haec*** et ***illa*** Lucas quoque habet. vid. not. ad Luc. 21, 36. — γινώσκετε, ***scitis***) coll. v. 32. vel, ***scite.*** — ἐγγὺς, ***prope***) res ipsa. — ἐπὶ θύραις, ***ad januas***) valde prope.

v. 34. γενεὰ, ***generatio***) aetas hominum. Hac notione, cui eventus congruit, maxime proprie respondetur quaestioni, ***quando.*** v. 3. conf. v. 15. 20. cap. 23, 36. Luc. 23, 28. A tempore, cum haec dicta sunt, ad vastationem Hierosolymorum fuere anni 40. et a vero anno nativitatis I. C. fuere anni 75. circiter. Hebraei autem, v. gr. in Seder Olam, pro generatione una numerant 75. annos: ac verba, ***non praeteribit***, innuunt, majorem certe partem generationis, sed non totam generationem, praeterituram esse, antequam omnia fiant. Vera est praedictio, respectu annorum 75. vel 40. [1]) Tam accurate eam, multis ante eventum annis, descripsit evangelista.

v. 35. ὁ οὐρανὸς, ***coelum***) cujus motus certissimas alias habet leges. — ἡ γῆ, ***terra***) alias fundatissima. — λόγοι μου ***sermones mei***) Plurale, coll. ***omnia,*** v. 34. — οὐ μὴ παρέλθωσι, ***non praeteribunt***) Sermones mei repraesentabuntur re ipsa; tametsi non statim ita videtur hominibus. Coelum et terra locum cedet coelo novo et terrae novae, quae ***verbis meis*** describuntur. Sic firma ***lex.*** Cap. 5, 18.

v. 36. περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ***de die vero illo***) De templo et urbe, tempus ostendit Dominus; v. 32. fs. de mundo, diem et horam sciri, negat hoc versu. ***Vero*** facit ad antitheton, et ταῦτα, αὕτη, ***haec,*** spectant in proxima; ***illo,*** in longinquum. Porro si prius tempus cum aliqua latitudine definitum est; multo hic minus definitus est ***DIES ILLE et hora:*** nec tamen sine causa ***dies*** et ***hora*** dicitur. ***Dies,*** totum; ***hora,*** pars. Ignorata hora, non necessario ignoratur dies: ignorato die non necessario ignoratur tempus paullo latius. Et quod tempore hujus sermonis ignoratum fuit, post ascensionem Domini et post apocalypsin Johanni datam revelari potuit, et clepsydra sensim elabente propius sciri potest. Alias dies novissimus, hora novissima ne tum quidem, quum erit, sciri posset. De ***die*** loqui pergit Jesus v. 37. s. de ***hora,*** v. 42. s. de utroque, v. 50. — ἄγγελοι, ***angeli***) quorum alias magna scientia. — τῶν οὐρανῶν, ***coelorum***) Plurale.

v. 38. τρώγοντες, ***edentes***) Huc pertinent artes cibariae, ad luxum etc. Id agebant: nil aliud.

v. 39. οὐκ ἔγνωσαν, ***nesciebant***) volentes.

v. 40. [2]) παραλαμβάνεται, ***assumitur***) in tutelam. v. 31. [***ut Noachus cum domo sua.*** V. g.] — ἀφίεται, ***sinitur***) in periculis, quicquid obveniat. [***ut homines in diluvio.*** V. g.] Praesens, respectu τοῦ ***tunc***: et Salvatori res jam erat ante oculos.

v. 41. ἀλήθουσαι, ***molentes***) Muliebris labor, ***molere.***

v. 42. γρηγορεῖτε, ***vigilate***) Hac sine dubio de causa tam frequens in veteri ecclesia nomen ***Gregorius, Vigilantius.*** Quaeras, cur ii, qui tam longe aberant a die novissimo, ex eo capite ad vigilantiam excitentur? Resp. 1) Longinquitas eventus illis non erat indicata. 2) viventes quovis tempore repraesentant extremo tempore victuros. 1 Thess. 4, 15. not. 3) par est ratio judiciorum divinorum incertaeque obitus horae, quavis aetate, ac diei novissimi: et hora mortis est instar horae resurrectionis judiciique, ut si nullum tempus fuisset interjectum. 4) idem est sensus piorum, Domino obviam tendens, cum longissima ac brevissima exspectatione. 5) si singulis esset a tempore apostolorum ad adventum Domini vigilandum; tamen foret operae pretium. — ὁ κύριος ὑμῶν, ***Dominus vester***) Filius hominis. v. 44.

---

1) Ex Scriptoribus Talmudicis varia producuntur, quae 40 annis ante templi urbisque vastationem contigisse feruntur, et historiae Passionis sic satis conveniunt. *Harm.* p. 481.

2) Τότε, *tunc*] in ipso adventu, v. 39. Conf. c. 25, 1. *V. g.*

Digitized by Google

v. 43. [1]) γινώσκετε) *scitis*. — εἰ ᾔδει, *si scisset*) vigilasset: eaque cura non fuisset magnopere miranda. — ποίᾳ, *quali*) Supponitur, patremfamilias esse monitum de venturo fure. In corporalibus vigilantes sumus, etiamsi pars noctis ignoretur: modo sciatur, fore hanc noctem, vel aliquam ex proximis noctibus. — φυλακῇ, *custodia*) quae longior tamen est, quam hora. — ὁ κλέπτης, *fur*) Novissima tentatio, quae sita est in occultatione horae illius, conjuncta cum ceteris arduis circumstantiis, est severissima. Spes enim metusque, quo propius ad ipsum complementum acceditur, eo magis acuuntur, et morae vel exiguae fere impatientes fiunt. Sic ex. gr. iis erit, qui in ultimo parvo chrono vivent, quando cetera antecedentia in cap. 20. Apoc. nunc impleta erunt. — οὐκ ἂν εἴασε, *non sirisset*) per somnolentiam. — διορυγῆναι, *perfodi*) etiam cum mora.

v. 44. ἔρχεται, *venit*) Praesens.

v. 45. τίς ἄρα ἐστὶν, *quis ergo est*) Quis est, qui talem se esse velit? *ergo* refertur ad quaestionem, quae praecessit apud Lucam, c. 12, 41. sed hic habet vim declarandi magnitudinem et raritatem rei. — πιστὸς καὶ φρόνιμος, *fidus et prudens*) Duae virtutes cardinales boni servi: ex quibus saepius laudatur *fides*, quia haec est in voluntate; quae comitem habet prudentiam [2]) coelitus donatam. — δοῦλος, *servus*) Pastor. articulus additus emphasin habet. — θεραπείας, *famulitio*) Grex. — τοῦ διδόναι, *ut det*) Hoc refertur ad *fidus*. Oppositum, v. 49. — τὴν τροφὴν, *cibum*) justa qualitate et mensura. τὸ σιτομέτριον, Luc. 12, 42. — — ἐν καιρῷ, *in tempore*) Hoc refertur ad *prudens*.

v. 46. εὑρήσει, *inveniet*) Ergo non cogimur.

v. 48. ἐκεῖνος, *ille*) quem scit Dominus. — χρονίζει, *cunctatur*) c. 25, 5. [*Conf. Eccl.* 8, 11.]

v. 49. συνδούλους, *conservos*) Sic vocantur, ad exprimendam injuriam; quamvis huic servo fuerint subjecti. — δὲ, *autem*) Antitheton, inter injuriam contra conservos, et suam luxuriam. — μετὰ, *cum*) Tales ergo tum erunt multi, quorum totus status erit luxuria. 1 Thess. 5, 7. Simile loquendi genus: ἦλθον, μετὰ τῶν ἐρχομένων. Gen. 42, 5.

v. 50. ᾗ, *qua*) scil. venturum. conf. v. 44.

v. 51. διχοτομήσει, *in duas partes secabit*) supplicium jam olim frequens, et in διψύχους, *bianimes*, conveniens. חתה sic vertunt LXX. Hypocrita animam et corpus dividit in cultu Dei: quare corpus ejus et anima dividetur in pernicie aeterna. Aeterna pernicies dicitur mors: omnis autem mors hoc habet, ut corpus exanimet. Tum neque animam juvabit commercium corporis, neque corpus commercium animae, sed potius enecabit. Tum possit dicere quilibet miserorum: *disrumpor*. Conf. Hebr. 4, 12. quod attinet ad vim verbi apud malos. Duplici delicto duplex respondet poena: percussioni servorum et ancillarum, dichotomia; commessationi et potationi, pars cum hypocritis. — ὑποκριτῶν, *hypocritis*) Malum, hypocrisis: poena hypocritarum, specimen poenae. Luc. 12, 46.: *infidis*, qui non sunt *fidi*. coll. v. 45. — θήσει, *ponet*) judicio justo, severo, immutabili.

CAPUT XXV.

v. 1. [3]) Δέκα, *decem*) Mysterium habet numerus, Luc. 19, 13. isque h. l. in duas partes aequales divisus. [*vel quod numerus utrinquae aequalis erit, vel quod inaequalitas non constabit*. V. g.] Sponsa olim decem ad minimum debe-

---

1) Tres apud Matthaeum parabolae vigilantiam aut securitatem spectant: quarta, bonam fidem aut diffidentiam. *Harm.* p. 484.

2) *Prudentia* eorum est, qui non in diem vivunt, sed ita se gerunt, ut serius citius adventante Domino suo gessisse se optabunt. *V. g.*

3) Τότε, *tunc*] appropinquante die novissimo. *V. g.*

Digitized by Google

bat habere virgines, quae ei adessent in nuptiis. [*In genere, apud Judaeos certe,* decem *constituunt societatem.* V. g.] Non multa suppetunt ex antiquitatibus Judaicis hanc parabolam illustrantia: utilius conferetur Psalmus 45. et Canticum Canticorum. — λαμπάδας, *lampadas*) ardentes utique. — ἐξῆλθον, *exibant*) exire instituebant. v. 6. — νυμφίου, *sponsi*) Luc. 12, 36.

v. 2. φρόνιμοι· μωραὶ, *prudentes: stultae*) Vid. cap. 7, 24. 26. — καὶ αἱ) Harum conditio jam notior ex descriptione prudentum. [*Probitati studebant quidem, sed non constanter. Utrumque statum planissime descriptum habes.* 2 Petr. 1, 5—8. 9. 10. 11. V. g.]

v. 3. ἔλαιον, *oleum*) praeter illud, quo ardebant in praesenti lampades. v. 8. fin. Lampas ardens, est fides: lampas et praeterea oleum, est fides locuples. [Vel, si mavis: *FLAMMA ardente h. l. indicatur virtus Spiritûs atque ardor supernaturalis animae nequicquam laboranti divinitus immissus,* 2 Petr. 1, 3. 4. *OLEO, sancta industria ex parte hominis,* 2 Petr. 1, 5. *atque hôc quidem hominem non pro tempore saltim praesenti, quantum satis est, sed* largiter *etiam* (2 Petr. 1, 8.) *ad omnes casus futuros instructum esse oportet: quo pacto introitus in domum nuptiarum et certus eum et largus praeterea manet,* v. 11. *Non omnem omnino locum Spiritui S. concedebant stultae.* V. g.]

v. 4. ἀγγείοις, *vasis*) His notantur penetralia cordis.

v. 5. ἐνύσταξαν) Hebr. נום LXX. νυστάζειν. Dormitatio est vel post somnum. Prov. 6, 10. vel ante somnum, Es. 5, 27. ut h. l. [1])

v. 6. μέσης, *media*) nocte, somno profundo, etiam virginum harum. — κραυγὴ, *clamor*) ad excitandum. cum tuba. [*Tormenta bellica quaecunque superans,* 1 Thess. 4, 16.]

v. 7. ἠγέρθησαν, *excitatae sunt*) ex somno. — πᾶσαι, *omnes*) Tum etiam evigilabunt mali et securi. Omnia expergefient. Quantulum aberat, quo minus intrarent etiam stultae? et tamen excidunt.

v. 8. σβέννυνται, *extinguuntur*) in hoc ipso articulo. misere!

v. 9. λέγουσαι, *dicentes*) Eo ipso se prudentes demonstrabant, uti ceteris rebus. — μήποτε, *ne forte*) Abrupta oratio; festinationi illi conveniens. — οὐκ ἀρκέσῃ) Metonymia consequentis. *Non sufficeret* utrisque: i. e. non possumus vobiscum communicare. Sua quisque fide vivet. — ἡμῖν, *nobis*) Tum prudentes sibi aegre suppetunt. Prudentum exemplum prius debuistis sequi. — πορεύεσθε, *proficiscimini*) Quod tum consultum videbitur, faciamus in tempore. — πρὸς τοὺς πωλοῦντας, *ad vendentes*) quamvis non sint mercatores. — ἀγοράσατε, *emite*) Ap. 3, 18.

v. 10. ἀπερχομένων, *abeuntibus*) Id ipsum erat periculosum, in quo consilium quaerebant. [*Parum abfuit quin intrarent: sed abfuit tamen.* V. g.] — αἱ ἕτοιμοι, *paratae*) Prudentes, paratae [2]).

v. 11. παρθένοι, *virgines*) quas jam virginum nomen nil juvabat.

v. 13. γρηγορεῖτε, *vigilate*) Qui vigilat, non solum lampadem ardentem,

---

1) πᾶσαι, *omnes*] Etiam prudentes, non sine periculo, consopitae sunt: at expergefactis tantum olei, quantum sat esset, suppetiit. Dormitantibus oleum iis, quibus parcum antea fuerat, penitus evanescit. *V. g.*

2) ἐκλείσθη] Vix quisquam, dum janua patet, cogitando assequitur, quanta eorum, qui *clausis* foribus adstabunt, lamentatio futura sit. Quoties quaeso pusilla res prudentiam inter atque stultitiam decidit: at magnopere nostra refert ea decisio. Sunt 1) qui largo in aeternum laetitiae regnum introitu gaudent: 2) qui ex naufragio quasi erepti ad littus appellunt: 3) qui aperte in via lata ad perniciem rapiuntur: 4) qui, cum proxime a consequenda salute abfuerint, jacturam tamen ejus faciunt. Horum prae reliquis miseranda conditio est. *V. g.*

Digitized by Google

sed etiam oleum in vase habebit: qui oleum in vase habet, eum somnus non magnopere tenet. v. 5.

v. 14. ὑπάρχοντα, *opes*) Distributionem earum vide v. seq. [*Immuntur iis dona spiritualia, facultates temporales, tempus ipsum, et omnis denique generis occasiones.* V. g.]

v. 15. ἔδωκε, *dedit*) Ipsam negotiandi rationem eis permisit, neque dixit, date mensariis. — πέντε, δύο, ἕν, *quinque, duo, unum*) Affinis parabola, Luc. 19, 13. ubi singulis servis singulae minae dantur, et unius decem minas, alterius quinque peperit; tertius iners fuit. Bona, quae Deus dat, distribuuntur pro aequitate: et in inaequalitate tenuissimus a ditissimo quis scit an superetur plus quinque partibus? Liceat huc conferre, quod Plato suis legibus nemini in civitate censum minimo quinquiplicato majorem permisit. v. Arist. polit. l. 2. c. 5. Quinque talenta A. Ruimerus ecclesiastes Batavus habere existimavit ecclesiam reformatam; duo, lutheranam; unum, romanam. Quid Graeca habet? quid aliae, antiquae vel novae? quid posteritas? — δύναμιν, *facultatem*) negotiandi. nemo urgetur ultra, quam potest. ideo jure adigitur ad reddendam rationem. — εὐθέως, *statim*) cap. 26. s.

v. 18. ἀπέκρυψε, *occultavit*) in terra. v. 25.

v. 19. πολὺν, *multum*) ut tempus esset, alterum tantum lucrandi. Non est absoluta celeritas adventus Domini.

v. 20. προσελθὼν, *accedens*) cum fiducia. malus servus, cum diffidentia. v. 24. — ὁ τὰ πέντε, *qui quinque*) Pii prius, quam mali, audiunt sententiam. v. 34. — ἴδε, *ecce*) Parrhesia servi boni. — ἐπ᾽ αὐτοῖς, *super illis*) Non sibi lucrum tribuit servus, sed bonis Domini.

v. 21. εὖ, *bene*) Formula laudandi. De laude agitur 1 Cor. 4, 5. — ἀγαθὲ, *bone*) Oppositum, *male*. v. 26. — πιστὲ, *fide*) Oppositum, ὀκνηρὲ, *segnis*, v. 26. *fides segnitiem* pellit. — ὀλίγα, *pauca*) Si V talenta sunt pauca; quanta erunt τὰ πολλὰ, *multa!* — καταστήσω, *constituam*) ad plura es idoneus, frugi es. Oppositum, ἀχρεῖον, *inutilem*. v. 30. — εἰσελθε, *intra*) Oppositum, *ejicite*. v. 30. — χαρὰν, *gaudium*) convivium, *festin:* lucem, risum, plausum. coll. v. 30.

v. 24. ἔγνων σε, *novi te*) Non novit, qui *durum* putat. Deus est *amor*. [*Et boni specie haud quidem caret, si frequentius de austeritate divina cogites: sed nec omni periculo ista cogitatio destituitur.* V. g.] Justitia videtur impiis injustitia. Jus Dei transcendit captum creaturae. — σκληρὸς, *durus*) *austerus*, Luc. 19, 21. Talis non erat hic dominus: sed qui revera tales domini in terra sunt, videant, cui servo similes futuri sint in judicio. — οὐ διεσκόρπισας, *non disseminasti*) Atqui Deus omnia largitur.

v. 25. φοβηθεὶς, *territus*) sine amore, sine fiducia. *veritus*, ne tibi non satisfacerem; ne de meo cogerer dependere; ne ex agro, *ubi* non videbatur sementis te digna esse, in horreum, *unde* non videbatur tuum quicquam sparsum esse, frustra conarer aliquid inferre. Malus et piger servus, dum talem sibi herum finxit, qui lucrum quaereret nimium, ultra vires servi; ne legitimum quidem paravit, quod parare poterat. Fac, quod juberis, et quod potes: successum exspecta, et miraberis. — ἔκρυψα, *occultavi*) Oppositum, Ps. 40, 10. s.

[1]) v. 27. οὖν, *ergo*) Ignota manet servo malo bonitas Domini ab illo negata. — βαλεῖν, *committere*) Major erat *fodiendi* labor. v. 18. — τὸ ἐμὸν, *meum*) Resp. *tuum*, v. 25. sed additur h. l. *cum foenore*.

---

1) v. 26. καὶ ὀκνηρὲ, *et piger*] Animum quandoque magis, quam corpus, *pigritia* occupat. Eodem sane negotio servus hic, quod in fodiendo, v. 18. consumsit, ad argentarios abire poterat: quos adire si prius jussi essent servi, procul dubio et hic obsecutus esset. Ea vero lege non tantum laudis parassent servi. Strenue igitur viribus tuis fac utare. *V. g.*

Digitized by Google

[1]) v. 29. τῷ γὰρ ἔχοντι παντὶ, *nam habenti omni*) ita, ut, quo plus habet, eo plus ei detur. — ὃ ἔχει, *quod habet*) Revera talentum servus *habuerat*. v. 24.

v. 30. ἀχρεῖον, *inutilem*) etiam in posterum. [*utut nihil damni intulerit*. V. g.] Conf. v. 21. not. et Luc. 16, 11. Ἄχρειος, *Attice* ἄχρειος, apud Eustathium. — ἐκβάλετε, *ejicite*) Antitheton, v. 21. Ipse Dominus *intrare* jubet: *ejicite*, dicit ministris, uti c. 22, 13.

v. 31. τῇ δόξῃ, *gloria*) de qua tam multa praedicta sunt. — καὶ, *et*) Non subaudiendum verbum *venerint*, sed nominativus ex hebraismo sic resolvitur: *omnibus angelis eum comitantibus*. — πάντες, *omnes*) Adde, *omnes*. v. 32. Omnes angeli: omnes nationes. Quanta celebritas! — τότε, *tum*) ut praedictum est. Discipuli putabant, id statim fore.

v. 32. ἀφοριεῖ, *separabit*) Ante non erit plena separatio.

v. 33. ἐρίφια, *haedulos*) Diminutivum. quamlibet gigantes, erunt *haeduli*. Tum non אלים et עתודים erunt.

v. 34. τότε, *tum*) Conferenda v. 41. oratio ad haedos.

Hic: *venite*:	illic: *abite a me*:
benedicti Patris mei:	*maledicti*:
hereditate regnum:	*in ignem*:
paratum vobis:	*paratum diabolo et angelis ejus*:
a fundatione mundi:	*aeternum*. v. 46.

— ὁ βασιλεὺς, *Rex*) Appellatio majestatis plena, v. 40. solisque piis laeta. — τοῦ πατρός μου, *Patris mei*) In Christo electi sumus. — κληρονομήσατε, *hereditate*) Ergo non nimis premi debet *enim*, v. seq. — ἡτοιμασμένην, *paratum*) Hoc verbum affine est nomini καταβολή, *conditus*. — ὑμῖν, *vobis*) Ergo homines electi non sunt suffecti in locum angelorum, qui peccarunt. — ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *a conditu mundi*) Ἀπὸ, *ab*, hebraeo מ respondet, quod significat *ante*. coll. Eph. 1, 4. Ubi bonum et malum inter se comparantur, bonum saepe describitur ab aeternitate, ut sic loquar, antecedente; malum, ab exitu. sic hoc versu, coll. v. 41. et 1 Cor. 2, 7. 6.

v. 35. [2]) ἐδώκατε, *dedistis*) Ex omnibus bene et male factis ea potissimum, quae in sanctos profecta erunt, commemorabuntur, quae fidem et amorem in I. C. et fratres ejus praesupponunt, et confessionem nominis ejus involvunt; quae maxime et frequentia, et insignia, et conspicua sunt: et tum ex manifesta Domini gloria, fratrum dignitas, et bene maleque in eos factorum ratio manifesta erit. conf. c. 10, 40. s. Simul hoc sermone continetur sanctorum pristina miseria et laus; impiorum pristina facultas et improbitas; et utrorumque justissima catastrophe. Ex operibus autem misericordiae commemorantur corporalia, quae et contemtiora sunt in mundo, et tum erunt evidentius specimen fidei; quatenus homo impendit aliquid facultatum et laboris sui, (cum spiritualia sint sine sumtu:) et improbis etiam magis sub oculos cadent. Neque aptum fuerat Judici, dicere: erravi, peccavi, et revocavistis me etc. — μοι, *mihi*) Hoc praesupponit fidem. Nam sub hac ratione fideles bene faciunt. — ἐδίψησα, *sitii*) Status fidelium in hac vita: fames, sitis, nuditas, captivitas etc. — συνηγάγετε) Idem verbum Jud. 19, 15. 18. LXX.

v. 37. πότε σὲ, *quando te*) Fideles opera bona sua, impii mala, v. 44. non perinde aestimant, ut Judex. [*Et justorum complures, quorum alios alii benefactis in mundo mulctarunt, sibi invicem ignoti manent*. V. g.]

---

1) v. 28. ἔχοντι τὰ δέκα, *habenti decem*] qui ne partiri quidem cum eo tenebatur, cui erant quinque talenta. Quantum quaeso retributionis olim discrimen patefiet! *V. g.*

2) γὰρ, *enim*] O ingentem retributionem! Aeternum Regnum pro tantillis benefactis! *V. g.*

Digitized by Google

v. 40. ἐφ' ὅσον, *in quantum*) Particula intendens. Sine dubio etiam facta singularia proferentur. — ἑνὶ, *uni*) Omnia in rationes referuntur, nil oblivioni traditur. Etiam unica occasio magni saepe est, in utramvis partem. v. 45. — τούτων, *horum*) Demonstrativum. — τῶν ἀδελφῶν, *fratrum*) Praestat benefacere bonis, quam malis: nec tamen hi excluduntur, Matth. 5, 44. servato ordine in genere hominum et operum. Homines, quo fiunt honoratiores, eo superbius tractant suos: sed Jesus discipulos initio saepe appellavit *discipulos;* deinde, in verbo crucis, semel *filiolos*, Joh. 13, 33. et *amicos;* Joh. 15, 15. post resurrectionem, παιδία, *pueruloe*, Joh. 21, 5. et *fratres*. conf. c. 28, 10. Joh. 20, 17. coll. c. 13, 1. et hanc appellationem iterabit in illo iudicio. Quanta fidelium gloria! Hebr. 2, 10. ss. In statu exinanitionis cavebatur honori Jesu, ne tali appellatione videretur vulgaris conditionis esse: sed in statu exaltationis nil periculi est. Observa autem: Christus neminem, vocandi casu, *fratrem* appellat: alia ratio est c. 12, 48. s. Hebr. 2, 11. *s.* neque rursus Christum scriptura appellat *fratrem* nostrum. neque v. gr. Petrum decebat pro *Domine* dicere, *Frater*. Joh. 21, 15. 20. 7. c. 13, 13. quid? etiam Jacobus, ab aliis *frater Domini* appellatus, se ipse *Dei et Domini J. C. servum,* Jac. 1, 1. Judas se *Jesu Christi servum* item, *Jacobi fratrem,* v. 1. appellat. Vid. etiam Matth. 23, 8. Luc. 22, 32. Inter mortales *fraternitas* inaequalis ita colitur, ut amicus major minorem *fratris* appellatione dignetur; minor ad majorem appellatione honorifica utatur. Sic etiam coelestis curia suam habet *civilitatem;* nulla inter humilitatem et fiduciam pugna. Sic quoque appellatio *amici* videtur μονόπλευρος, ut Dominus Suos dicat *amicos*, non contra. Joh. 15, 15. Excipitur parrhesia fidei, quae Canticum canticorum assequitur. — τῶν ἐλαχίστων, *minimorum*) extrinsecus, vel etiam intrinsecus. Species quaedam indigitatur in toto genere sanctorum. alii sunt, quibus bene erat factum; alii, qui benefecerunt. — ἐμοὶ, *mihi*) non modo *etiam mihi*. coll. *neque mihi*, v. 45.

v. 41. τότε, *tum*) Et tum justi jam ex verbo *venite regaliter* assidebunt judicio in maledictos. — τὸ ἡτοιμασμένον, *paratum*) Sic Es. 30, 33. Tempore hujus judicii jam erit diabolus in inferno. Ap. 20, 10. s. conf. 2 Petr. 3, 7. fin.

v. 42. οὐκ, *non*) Peccata *omissionis*.

v. 44. καὶ αὐτοὶ, *etiam ipsi*) Processus distincte descriptus. respondebunt vel cuncti, vel etiam singuli. — πότε, *quando*) Ignorantia durabit apud impios usque ad tempus illud, cum conatu justificandi sese.

v. 45. τῶν) Non additur ἀδελφῶν, *fratrum*, uti v. 40. Ignorant mali rationes justorum, et ignorabunt.

v. 46. ἀπελεύσονται, *abibunt*) Locus *judicii* differt a loco, in quem *discedent* utrique. — κόλασιν, *poenam*) [*igne constantem*, v. 41.] Differunt τιμωρία *ultio*, et κόλασις *poena*. *Nam* poena *ejus qui patitur gratia fit*. Ultio *vero ejus qui facit, ut expleatur*. Arist. I. rhet. 10. n. 31. — αἰώνιον, *aeternam*) *Aeternum* dicitur, quod *temporis* mundani terminos attingit et excedit. conf. Rom. 16, 25. not. — δὲ, *vero*) Christus, rex, alloquetur prius justos, injustis audientibus: sed injusti prius abibunt, spectantibus justis. c. 13, 49. Sic damnati nil vitae aeternae videbunt: justi videbunt vindictam in illos. — δίκαιοι, *justi*) hoc ipso judicio declarati.

CAPUT XXVI.

v. 1. Ἐτέλεσε πάντας, *absolvit omnes*) Omnia dixerat, quae dicenda habuerat. Non citius accessit ad patiendum, nec diutius distulit. Ex harmonia evangelica sermonum Jesu potest adornari proprium Systema.

v. 2. δύο, *duos*) Per varios temporum articulos Jesus praedixit mortem

Digitized by Google

suam [1]). — καὶ, *et*) adeo, hoc convenienti tempore. — παραδίδοται, *traditur*) Praesens tempus. Totum se comparabat Jesus ad patiendum. et id jam agebant hostes. Marc. 14, 1.

v. 3. συνήχθησαν, *congregati sunt*) Sic v. 57. c. 27, 1. 17. 27. 62. coll. Luc. 22, 66. Matth. 28, 12. Act. 4, 5. 26. s. — οἱ ἀρχιερεῖς, *pontifices*) Horum in ea re maximae partes erant. Accedebant autem *scribae*, jurisconsulti; et *seniores populi*, reliqui assessores dicasterii judaici. — τοῦ λεγομένου, *dicti*) Scripsit Matthaeus ad lectores eorum temporum et locorum, quibus nomina Caiphae, et Judae v. 14. non essent alioqui cognita.

v. 4. δόλῳ, *dolo*) Indigna consultatio.

v. 5. ἐν τῇ ἑορτῇ, *in festo*) Imo tunc! Volebant rem differre, dum populus, qui jam tum frequens aderat paschatos causa, finito festo abiisset. Sed proditore se offerente, ruperunt moram. Sic consilium divinum successit. — λαῷ, *populo*) qui Jesum agnoscebat prophetam, et frequens tum conveniebat.

[2]) v. 7. ἀλάβαστρον, *alabastrum*) ex lapide tenui potius, quam ex vitro. nam alias sine vulneribus non potuisset *confringi*. Marc. 14, 3. — ἔχουσα, *habens*) Unum habebat alabastrum: neque melius eum collocari posse agnoscebat [3]). — ἀνακειμένου, *discumbentis*) Alii ungebantur post mortem: Christum ungi decuit vivum potius. Post mortem, supervacuum fuit.

v. 8. ἀπώλεια, *perditio*) Imo tu, Juda, *perditionis* es. Joh. 17, 12.

v. 9. ἠδύνατο, *poterat*) Hic discipuli non recte utuntur theologia comparativa. — τοῖς πτωχοῖς, *pauperibus*) quibus quod datur, id alias perbene collocatur. c. 19, 21. Luc. 19, 8. [*Idque in usu fuisse discipulis, ex hoc ipso loco patet.* V. g.]

v. 10. κόπους, *labores*) Sane *labor* est, haerere in conscientia, non modo de re facienda, Rom. 14, 15. sed etiam de re facta; praesertim ubi scrupulum movent, qui propiores sunt Salvatori. — τῇ γυναικὶ, *mulieri*) In ipsum Dominum inciviliter agebant discipuli: sed id ipse minus reprehendit, quam molestiam mulieri exhibitam. — καλὸν, *bonum*) etsi ipsa nesciebat, se tam bene fecisse. Simplicitas actionis non tollit bonitatem ejus. [*Saepe enim agentis ali-*

---

1) Quemadmodum *triduum* fuit a feriae sextae vespera ad lucem diei dominicae: sic *biduum* a feria quarta ad quintam, quae *Paschatos* et *azymorum* dies erat. Marc. 8, 31. 14, 11. 12. (ut Romanis quandoque *ante diem secundum Kal.* idem fuit, quod *pridie Kal.*) Concise Matthaeus *traditionem ad crucifigendum* nuncupat. Pedetentim ea successit, per Judam sub noctem feriae quintae, per Caipham sequenti mane, et per Pilatum duabus fere horis interjectis. Sic a proditione perventum est ad crucifixionem. *Harm.* p. 487. Qui sermonem hunc et crucifixionem intercessit dies, memoratur v. 17. *V. g.*

2) v. 6. ἐν βηθανίᾳ, *in Bethania*] Idem scilicet convivium fuit cum rebus concomitantibus, eademque unctio, per Johannem justo temporis ordine c. 12, 1. ss. per Matthaeum et Marcum in transitu notata. — Unctio indignationem Judae injecit, quam cum per dies aliquot in sinu fovisset, Satanas proditionem ei suggessit, et ipse denique obsedit miserum. Existimari facile nequit 1) aliam duntaxat feminam, nec potius Mariam, a Salvatore tam singulariter deamatam, *facti sui*, quin *sui ipsius*, *memoriam* impetrasse; neque enim alius cujuscunque, nisi Mariae, *nomen* hac in re memoratur. — Difficilius etiam creditu est 2) pios discipulos *praetextu* de 300 denariis, pauperibus distribuendis, quem Judae tanta vi confutaverat Dominus, pauculis post diebus *denuo* fuisse usos. Ipsum denique 3) unctionis diem a Johanne notatum pro unico die *instructionis suae ad sepulcrum* Jesus declaravit: ejusdem igitur conditionis *alter* aliquis dies, apud Matthaeum et Marcum, esse nequit. — Nec praeterea quidquam obstat, quin omnia, quae Johannes memoriae prodit, in aedibus Simonis leprosi evenerint, et Maria pretioso unguento caput primum Salvatoris, tum pedes etiam perfuderit, quorum concise Johannes, abstersionem capillis factam commemoraturus, mentionem facit. *Harm.* p. 493. ss.

3) καὶ κατέχεεν, *et effudit*] Facilius unctionis ejusmodi ratio percipitur, quando consideratur, priscos mensae accubuisse potius, quam assedisse. Scamna pulvinis instructa habebant, et situm pedibus retroversum compositis tenebant. *V. g.*

Digitized by Google

cujus opinione actio vel pejor est vel melior. c. 25, 38. 44. Hebr. 13, 2. V. g.] Non erat *perditio* respectu pauperum, v. 11. non respectu discipulorum, Marc. 14, 7. med. non respectu mulieris, v. 13. non respectu Domini, v. 12.

v. 12. βαλοῦσα, *jaciens*) largiter. — ἐνταφιάσαι) Innuit sermo mortem brevi certoque futuram. ἐνταφιάζειν non sepulcro inferre, sed *sepulcro aptare* notat. Jacobi ἐνταφιασμός fuit in Aegypto, Gen. 50, 2. LXX. sepultura deinceps.

v. 13. τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο, *evangelium hoc*) quod Christus praedicavit. [*Humiliter loquitur et modeste.* V. g.] — λαληθήσεται, *dicetur*) et sane *dicitur.* Hoc dictum et audiit Matthaeus et postea perscripsit. Argumentum pro veritate religionis christianae. Nullus monarcha omnibus opibus suis actioni ulli immortalitatem praestare potest. — μνημόσυνον, *memoriam*) Memoria piorum vigere potest, etiamsi nomina eorum non sint nota [1]).

v. 14. πορευθεὶς, *abiens*) [2]) Discipuli non erant clausi: poterat abire malus.

v. 15. ἔστησαν) Saepe pro hebr. שקל LXX. ἵστημι ponunt: et ipsum ἔστησαν extat Zach. 11, 12. ubi de his triginta argenteis praedictum est. — τριάκοντα ἀργύρια, *triginta argenteos*) Tanti servus aestimatus, Ex. 21, 32.: liber, duplo.

v. 17. πρώτῃ, *prima*) Erat feria tum quinta, dies XIV. mensis primi. [*quo omne fermentum removeri oportuit: adeoque agni paschalis consumtio ultra 24. horas, ad feriae sextae vesperam procrastinari non potuit.* Harm. p. 499.] conf. Ex. 12, 6. 15. — ποῦ, *ubi*) Quaerunt, *ubi*, non, *an.* [*neque etiam*, quando, *ajunt; de solo diversorio solliciti. Et*, Judaeos *quoque, non Jesum solum* feriae quintae *vesperâ convivium* paschale celebrasse, *inde colligi fas est*, 1) *quod alioquin discipuli de omisso Paschate, finiente feriâ sexta a Judaeis procul dubio reprehensi fuissent, et quod* 2) *eo, quo Christus passus est, anno Lunae Solisque conjunctio ante Pascha incidit in feriam quartam, adeoque Novilunium et ipsum Pascha* in diem Sabbati *protrudi non potuit. — Accedit* 3) *quod coena, etiam a Johanne* c. 13, 1. 2. *memorata, feriâ quartâ proxime ante Paschatis festum celebrata fuit.* Harm. p. 501. s.] Jesus facere solitus est, quae fieri moris erat, ex Lege. — σοὶ, *tibi*) Jesus est, ut paterfamilias, inter discipulorum familiam.

v. 18. τὸν δεῖνα) Est hoc vicarium nominis proprii vocabulum. — ὁ διδάσκαλος, *Magister*) Ergo ὁ δεῖνα hospes *ille* erat discipulus, sed non ex duodecim. — ὁ καιρός μου, *tempus meum*) quod diu prospexi et praedixi; ut patiar. — ποιῶ, *facio*) Comis ratio denunciandi, promto illi discipulo, apud quem *Pascha faciebat* Magister. Mirum est, a literatis quibusdam Pascha tum a Domino factum in dubium vocari aut negari. Vid. vers. 17—19. 30. init. et Luc. 22, 7. s. 12. 14. 15.

[3]) v. 23. ὁ ἐμβάψας, *intingens*) Communitas acetabuli, quorum plura in una mensa erant, et simultanea et uno momento facta intinctio a Jesu et a Juda, signum erat proditoris, in individuo. v. 25. Marcus habet ὁ ἐμβαπτόμενος, *intingens:* Matthaeus, ὁ ἐμβάψας. ille igitur praesens adhibet sensu indeterminato.

---

1) *Conf. tamen* Joh. 12, 3. *et not. marg. ad* v. 6. *ex* Harm. ev. *supra appositam; et vicissim not.* Gnom. *ad* Luc. 24, 18. E. B.

2) *Abiit* sine dubio sub noctem feriae quartae. Ea ipsa nocte Judas, a Satana occupatus, adversarios Jesu convenisse, at sequenti die ulteriora iiscum constituisse censendus est. *Harm.* p. 496.

3) v. 21. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *Amen dico vobis*] Querelam de impuritate ac perfidia Judae sermonibus cum pedilavio ac, sequenti die, cum Coena sua conjunctis inseruit Dominus: utroque autem die querelam istam sciscitatio discipulorum de Proditore statim excipit. Alterius diei et querelam et percontationem Matthaeus et Marcus Coenae Dominicae antetponunt: postponit Lucas. — Sunt igitur *simultanea.* Medium scil. locum inter querelae atque percontationis initium et progressum Coenae institutio tenuit etc. *Harm.* p. 510. s.

Digitized by Google

v. 24. ὑπάγει, *abit*) per passionem ad gloriam. — καθὼς, *sicut*) ideoque Filio hominis non obtingit vae. Solatium. — οὐαὶ δὲ, *vae autem*) Praevisio divina non facit, quo sit minus peccatum proditoris. — ἐκείνῳ, *illi*) de quo ipso etiam *scriptum est*. — παραδίδοται, *traditur*) Hoc verbo accedit aliquid ad τὸ *abit*. — εἰ οὐκ ἐγεννήθη, *si non natus esset*) si aut non conceptus, aut ante partum mortuus esset. Joh. 3, 2. 10. s. Praescindit haec locutio ab interminabili aeternitate perditionis; est enim adagium. conf. Luc. 23, 29. Sir. 23, 19. (Gr. v. 14.) [*At major etiam hic miseria denunciatur, quam ea, quae* c. 18, 6. *exponitur*. V. g.] Judas inter omnes infelices animas singularem plane locum obtinet. Tamdiu ambulavit cum Jesu; non sine aerumnis: paullo ante pentecostem laetam, interiit. — ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, *homo ille*) Videri possit praedicatum. *ille*, appellatio jam ut remoti.

v. 25. [1]) ῥαββὶ, *Rabbi*) Nunquam Judas Jesum appellavisse *Dominum* legitur. — σὺ εἶπας, *tu dixisti*) Formula respondendi ajendo: primum, erga ajentes; inde etiam erga interrogantes, ubi interrogatio tanquam modus detrahitur, et sermo categoricus relinquitur. Judas est proditor? Judas est proditor. Tale illud, Ex. 10, 29. כן דברת *sic est, ut tu dixisti*. Confer 1 Reg. 20, 40. et not. ad v. 64.

v. 26. ἐσθιόντων, *edentibus*) uti v. 21. Ergo Judas aderat, [2]) coll. *omnes*. Marc. 14, 23. πλὴν, Luc. 22, 21. — λαβὼν, *accipiens*) sua manu. Summa S. Coenae dignitas. coll. Joh. 4, 2. — τὸν ἄρτον, *panem*) qui in promtu erat. — εὐλογήσας, *benedicens*) εὐχαριστήσας, *gratias agens*, v. 27. ברך. Altero verbo alterum declaratur. *Gratias egit* Patri: eodemque tempore *benedixit* pani, nec non vino, per gratiarum actionem illam et orationem. conf. Luc. 9, 16. Joh. 6, 11. 1 Cor. 14, 16. 17. — ἔκλασε, *fregit*) post *benedictionem*. contra transsubstantiationem. Accidens enim, quale post benedictionem panem esse ajunt, non potest frangi. — καὶ ἐδίδου, *et dabat*) Ipse Jesus non dicitur edisse et bibisse

---

1) μήτι ἐγώ εἰμι, *num ego sum?*] Integri corde quod amoris caussa dicunt, id fucati imitando effingunt. *V. g.*

2) *Argumenta, quibus thesis haec praeter istud nititur, summatim proponam:*

1. Si Judas ante recitatum hymnum abiisset, idem fecisset, quod ante preces finito convivio recitandas hodie quis decedens faceret, adeoque nefandum consilium suum eo magis aperuisset.

2. Supplicationibus Jesu ad montem oliveti durantibus non defuit Judae tantum temporis, quantum cohorti adducendae sufficeret.

3. Verbis Institutionis immediate Lucas c. 22, 21. ista subjicit: *VERUNTAMEN, ecce manus proditoris mei mecum est super mensam:* quae ipsa querela cum a Matthaeo et Marco Coenae dominicae praemissa sit, non possunt sermones isti a se invicem divelli.

4. De *abaco*, cui Judae manus t. t. cum Jesu, ut merce, adfuerit, sermonem Jesu explicare, alienum est. nam 1) non venditor cum merce, sed merx cum venditore esse dicitur: 2) triginta argenteorum summa non tanti fuit, ut de abaco sit cogitandum: 3) numerata jam Judae fuerat pecunia. Matth. 26, 15. 4) To, *Ecce* praesentiam sane proditoris innuit, cum Jesu *in mensa convirali* accumbentis (coll. v. 30. 16, 21.) et *manus* sua intingentis in patinam.

5. Verbis, *Veruntamen ecce* etc., sensu usitato sumtis, a pane et calice benedicto depulsum esse proditorem dixeris? Atqui Marcus mentioni τῶν 12, c. 14, 17. factae, statim subjicit relationem, quod *OMNES biberint ex calice*, v. 23. coll. πάντες, Matth. 26, 27.

6. Si Johanni, ais, vel et Petro die jam praecedente proditor innotuit: quî nunc demum singuli dixisse feruntur: *Egone sum?* Enimvero Johanni in operto sciscitanti occulte sane proditor detectus fuit — quem Petro rem aperuisse, suspicari quam affirmare facilius est. — Reliqui novem discipuli ne Petri nutum quidem observarunt: itaque et Johannis interrogatio et responsio Domini eos latuit, Joh. 13, 28.

7. Pedilavium proditori contigisse, tantae propemodum admirationis res est, quantae admissio ad coenam dominicam: nec minorem etiam osculi, proditionis causa oblati, concessio stuporem movet? Quod reliquum est, nonnisi de *historica veritate* hic agitur: neque unquam perfidorum oeconomorum caussam tueri animus est. *Harm.* pag. 511. sqq.

Digitized by Google

hic. neque enim pro ipso dabatur corpus et effundebatur sanguis. — λάβετε, *sumite*) Quis potuisset sumere, nisi Dominus instituisset? conf. Joh. 3, 27. — τοῦτο, *hoc*) Id opponitur umbris veteribus, q. d. habetis me ipsum. *hoc*, quod vos sumere jubeo. sequitur enim: *sanguis meus*, qui est *novi testamenti*. *Corpus* aeque proprie explicandum, atque *sanguis*. Divisa autem corporis et sanguinis dispensatio ipsam refert Domini mortem, in qua a corpore eductus est sanguis. [*et cujus memoria ad Ejus adventum usque vigere debet*, v. 29. V. g. *In ipso mortis articulo eum statum adiit Christus, qui a vita, quam ante mortem vixit, et post resurrectionem, et aeternum deinceps diversus est.* Harm. pag. 510.] *Benedictio* praecessit et praecedit pronunciationem verborum: *Hoc est corpus meum.* Facile patimur esse allusionem ad formulam Judaeorum, qui in paschate a liberis rogati: *quid hoc est?* respondebant: זה גרף שלׂ פסח רבו *hoc est corpus agni, quem patres nostri comederunt in Aegypto.* — μου, *meum*) Subaudi: *quod traditur pro vobis.* ex. v. 28. Evangelista paucis rem describit, ut ▪ praxi notam. Illud, *hoc facite in mei commemorationem*, continetur versu 29.

v. 27. τὸ ποτήριον, *poculum*) illud ipsum, quod aderat, ex quo omnes biberant. — πάντες, *omnes*) Vel si una species sufficeret, bibendum esset potius. Etiam 1 Cor. 11, 25. τὸ *quoties* in poculi mentione ponitur. [*Post esum bibitio non est liberi arbitrii.* V. g.] Locuta sic est scriptura, *praevidens* (Gal. 3, 8.) quid Roma esset factura. Discipuli tum repraesentabant τοὺς πολλοὺς, *multos*, de quibus v. 28. in aetiologia. Sic *multi* et *omnes* conjunctim, 1 Cor. 10, 17. Christianis non debet indifferens esse S. coena.

v. 28. τοῦτο, *hoc*) Demonstratur praesens ipse sanguis verus Christi, perinde ut in formula mosaica, Hebr. 9, 20. sanguis victimarum. nam ad illam formulam respicitur. — τῆς καινῆς, *novi*) Antitheton, Exod. 24, 8. — διαθήκης, *testamenti, dispositionis*) Totam coelestis doctrinae rationem sub schemate *foederis*, multi reformati theologi, neque nulli evangelici, superiore aetate conabantur exponere. quae quidem methodus accommodata potissimum fuerat theologiae judaicae: sed nova oeconomia divina vocabulo veteris instrumenti exprimitur, ut solet, quamvis improprie sumto: neque διαθήκη, *dispositio*, *nova* dicitur facile, nisi in antitheto expresso aut implicito ad veterem. quid? ipsa vocabula ברית et διαθήκη differunt, eamque habent differentiam, quae rei ipsi mirabiliter respondet. nam ברית magis congruit oeconomiae veteri, quae habebat formam *foederis:* διαθήκη, oeconomiae novae, quae habet formam *testamenti*. quare ipso graeco דייתיקי utuntur talmudici, non habentes hebraicum vocabulum, quo *testamentum* significent. *Foederis* autem ratio non ita congruit cum plena filiatione, quae est in N. T. Ipsa denique *testamenti* ratio quodammodo desinet in vita aeterna propter arctissimam nostri conjunctionem cum Deo. Joh. 17, 21. s. 1 Cor. 15, 28. — πολλῶν, *multis*) etiam extra Israël. — ἐκχυνόμενον, *quod effunditur*) Praesens. In S. coena ea vis est, ac si eodem semper momento Jesu Christi corpus traderetur et sanguis effunderetur. — ἄφεσιν, *remissionem*) Proprium bonum N. T. [Eph. 1, 7.]

v. 29. λέγω, *dico*) De ordine verborum horum et antecedentium confer Luc. 22, 15. ss. [*Si narrationis seriem, quam Lucas tenet, cum ea conferas, quae apud Matthaeum et Marcum habetur: Dominus videtur cum agno paschalis* comestionis *in regno Dei — et cum suo poculo novae* bibitionis *in regno Dei promissionem combinasse, adeoque arcte inter se conjunxisse ista mysteria.* Harm. p. 509.] — ἀπ᾽ ἄρτι) Particula valedictioni apta. — γενήματος τῆς ἀμπέλου, *genimine vitis*) Periphrasis vini, ▪ sermone terricolarum remotior, sensui Salvatoris, mundum relinquentis, apta. γέννημα et γένημα, etiam cum de vite et vino sermo est, promiscue scribitur, apud LXX. quoque. — ἕως

Digitized by Google

τῆς ἡμέρας ἐκείνης, *usque ad diem illum*) praedictum. vid. Luc. 22, 16. 18. 30. Hinc elicit Paulus annunciationem mortis Domini, *donec* veniat. 1 Cor. 11, 26. — αὐτὸ, *illud*) Ref. ad *genimen vitis*, i. e. *vinum*, plane coeleste. — καινὸν, *novum*) in plena consummatione *novi testamenti*. Hoc locatur supra illud *novi*, v. 28. Praeludium vide Joh. 21, 12. Pascha judaicum excepit coena dominica: hanc subsequentur coelestia ulteriora. Νέος οἶνος dicitur alias, c. 9, 17. non καινός· et καινὸν h. l. *novitatem* dicit plane singularem. — ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός μου, *in regno Patris mei*) 1 Cor. 15, 24. Luc. 22, 16. 30. Tho. Gatakerus vinum novum existimat idem esse, quod ἕτερον, *aliud*, (coll. Marc. 16, 17. cum Act. 2, 4.) ut denotetur vinum diversi plane generis ab eo, quod Dominus cum suis tunc sumebat.

v. 30. ὑμνήσαντες) *Psalmum* 113. s. 115—118. 136. ubi mysterium ipsius redemtionis egregie expressum est, vel cecinerunt vel *recitarunt* [1]). Habebat *hymnus* etiam illud, quod citatur c. 21, 9. 42. Saepe orasse in mundo Jesum legimus; cecinisse, nunquam.

v. 31. πάντες, *omnes*) Antea praedixerat de uno proditore. — σκανδαλισθήσεσθε, *offendemini*) ita ut vestra in me fides valde titubet. Idem verbum, Rom. 14, 21. — γέγραπται, *scriptum est*) Praedictionem impletum iri nocte illa, concludere poterant discipuli ex conjunctione percussionis pastoris et dispersionis ovium. — πατάξω, *percutiam*) *gladio*, metonymico, *crucis*, de qua prophetarum non fuerat expressius scribere. Zach. 13, 7. LXX. [2]) πάταξον τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα. Deus Jesum, quum percutiendum dedit, percussisse noscitur. — διασκορπισθήσεται, *dispergentur*) Tota discipulorum tutela, ante adventum Paracleti, erat praesentia Jesu: quo percusso, dispersi sunt. — τὰ πρόβατα, *oves*) Discipuli erant instar totius gregis per eos postea colligendi.

v. 32. προάξω, *praeibo*) ut *pastor*. Verbum pastorale. — γαλιλαίαν, *Galilaeam*) ubi apparitio futura erat valde solennis, ad oves iterum congregatas. Jesus ad eos, qui cum ipso ex Galilaea ascenderant, hoc dicit: antequam a festo domum redeatis, resurgam.

v. 33. εἰ καὶ [3]), *etiamsi*) Potuisset potius ita dicere: Etiamsi nemo, tamen ego. — οὐδέποτε, *nunquam*) non modo non hac nocte.

v. 34. ἐν ταύτῃ τῇ νυκτὶ, *in hac nocte*) Nox jam tum erat: et nocte id fore, magis mirum erat, quam interdiu. — πρὶν, *antequam*) A gallicinio bona noctis pars superest. Ergo valde refutatur Petri *nunquam*. — ἀλέκτορα, *gallus*) Gallus hic innuitur proprie dictus, coll. Marc. 13, 35. 3 Macc. 5, 20. Galli Hierosolymis non erant nulli, sed tamen rari, (ut docet Lightf.) apud Judaeos certe; qui tamen Romanis gallos prohibere non poterant. eoque mirabilior erat praedictio Domini. — φωνῆσαι, *canat*) Marcus addit, *bis*. Sensus apud Matthaeum est, antequam gallus canat semel, abnegabis me; et abnegatio erit triplex. — τρὶς, *ter*) Salvator nos novit multo magis, quam nos ipsi nos. — ἀπαρνήσῃ, *abnegabis*) Ad scandalum cordis accedet peccatum oris, [*fidei noxium*. V. g.]

---

1) Hymni recitationem insecuta demum sunt, quae Johannes refert c. 15. 16. 17. Hymnus enim cum convivio paschali arcte cohaeret; et ea est Joh. 18, 1. connexionis formula, ut preces Jesu Joh. 17. ab exitu ex urbe per hymnum dirimi nequeant. Haud immerito existimaveris, hymnum in coenaculo adhuc pronunciatum esse, at sermones Jesu Joh. 15. 16. nec non preces c. 17. sub dio (v. 1.), in area hospitii (si placet), intra urbem resonasse. *Harm.* p. 522.

2) *Sic Ed.* Grabii et Breitingeri, e *Cod. Alex.;* Reineccii *textus habet:* πατάξατε τοὺς ποιμένας, καὶ ἐκσπάσατε τὰ πρόβατα. E. B.

3) *Voculam* καὶ *omittendam potius censet* utriusque Ed. *margo: sed* Gnomoni *respondet* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

v. 35. λέγει, *dicit*) satis obfirmato animo. Sic fere Joh. 13, 8. — οὐ μή, *nequaquam*) Agnoscit ergo Petrus, abnegationem esse peccatum [1]). — εἶπον, *dixerunt*) Lenitas Salvatoris nil reponit denique.

v. 36. αὐτοῦ) Adverbium. Sic. LXX. στῆτε αὐτοῦ. etc. Num. 9, 8. 32, 6. — προσεύξωμαι, *precer*) Jesus indicat id, quod mitius est: graviora reticet. conf. Gen. 22, 5. *Vigilate mecum: orate*, non, *orate mecum*, ait. Non aequales discipulis orandi partes cum Ipso erant. Unus est Filius: unus Mediator.

v. 37. παραλαβών, *assumens*) tres, testes, quos adhibuerat etiam c. 17, 1. — τοὺς δύο, *duos*) qui se obtulerant, c. 20, 20. s. — ἤρξατο, *coepit*) repente. — λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, *tristari et moerere*) Marcus, ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Λυπεῖσθαι sive ἐκθαμβεῖσθαι, dicit incursum objecti horribilis: ἀδημονεῖν, fugam suavitatis ex aliis percipiendae. Idem verbum, Phil. 2, 26. not. Hesychius, ἀδημεῖν, θαυμάζειν, ἀπορεῖν, ἀδημονεῖν. Eustathius, ἀδήμων ὁ ἐξ ἄδου ὃ ἐστι κόρου τινὸς ἢ λύπης ἀνεπεπτωκώς. ἀδημονεῖν τὸ ἀλύειν καὶ ἀμηχανεῖν.

v. 38. [2]) ἕως θανάτου, *usque ad mortem*) Talis tristitia communem hominem potuisset ad sui necem adigere. — ὧδε, *hic*) ne plane mecum eatis. — μετ' ἐμοῦ, *mecum*) In magnis tentationibus juvat solitudo, sed tamen, ut in propinquo sint amici. Jesus discipulos secum excitat, etsi sciebat, eos nil subsidii sibi laturos.

v. 39. ἐπὶ πρόσωπον, *in faciem*) non modo *in gemua. [quod Lucas memorat.* V. g.] summa demissio. *[alibi nusquam obvia.* V. g.] — πάτερ μου, *Pater mi*) Jesus orat filialiter. — εἰ δυνατόν ἐστι, *si possibile est*) Conf. v. 53. ex quo versu etiam patet, quam promte et perfecte Jesus se tradiderit voluntati Patris. — τὸ ποτήριον, *poculum*) a Patre oblatum, tota passionis massa plenum. — θέλω, *volo*) Non erat haec voluntas Jesu absoluta, ut calix transiret, quicquid Pater vellet. conf. Joh. 21, 18. fin.

v. 40. εὑρίσκει, *invenit*) Aliter debebant esse comparati discipuli. — καθεύδοντας, *dormientes*) Sub hoc somno obliti sunt declarationis suae, versu 35. datae. — τῷ πέτρῳ, *Petro*) v. 35. Quamvis audierat Petrus, magnum sibi instare lapsum, tamen vigilare interim et orare jubetur. — οὕτως;) *adeone?* — οὐκ ἰσχύσατε, *non valuistis*) qui tanta promisistis. haec nimia *infirmitas.* v. 41. — μίαν, *unam*) Jesus igitur saepe vigilavit solus, longa tempora. — γρηγορῆσαι, *vigilare*) Preces sponte fluerent apud vigilantes. v. seq.

v. 41. ἵνα μή, *ut ne*) Materia precum Luc. 22, 40. coll. *ut ne*, cap. 24, 20. — εἰς πειρασμόν, *in tentationem*) quae ingruit et adest. — τὸ μὲν) Haec sententia, peccato demto, etiam de Jesu tum valebat. Hebr. 5, 7. Ideo vigilabat ipse et orabat. v. 39. 40. — πνεῦμα, *spiritus*) Inde frequens apostolis mentio *carnis* et *spiritus.* — [3]) σὰρξ, *caro*) Id nos non ad excusandum torporem, sed ad vigiliam acuendam debemus accipere. — ἀσθενὴς, *infirma*) ad rem bene gerendam.

---

1) καὶ πάντες, *et omnes*] Proditionis periculo liberati ne scandalo quidem obnoxios se esse suspicantur. *V. g.*

2) ἡ ψυχή σου, *anima mea*] Quanta quaeso in sanctissima Salvatoris *anima* respectu operis a Patre Ipsi demandati, nec non respectu Passionis et Gloriae suae, postremis praecipue mensibus, diebus et horis, per vicissitudines pretiosissimas, evenerunt; quum v. g. in iis, quae Patris erant, esse Eum oportuit; quum baptismum suscepit; quum tentatorem vicit; quum Zelum de Patris domo exseruit; quum de revelatione infantibus facta gavisus est; quum transformatus est in monte; quum vultum recta Hierosolymam versus direxit; quum solemniter in urbem intravit; quum dixit: Jam contristata est anima mea etc.; quum pedes discipulorum lavit; quum elocutus est verba: Nunc glorificatus est Filius hominis; quum postremum ante Passionem suam convivium cum discipulis celebravit. Et hoc ipso loco, ubi animam suam ad mortem usque contristatam esse testatur. Adde singula, quae in Cruce effatus est, oracula. *Harm.* p. 526. s.

3) πρόθυμον — ἀσθενής, *promtus — infirma*] Vid. v. 33. 35. coll. v. 40. *V. g.*

Digitized by Google

v. 42. ἐὰν μὴ, *nisi*) Poculum, dum bibit Jesus, *transiit*. — πίω, *bibam*) Jam addita *bibendi* mentione, propius ad bibendum se confert. — γενηθήτω, *fiat*) Jam oratio Jesu propius accedit ad patiendum, coll. v. 39. Obedientia.

v. 43. γὰρ, *enim*) Aetiologia τοῦ *iterum dormientes*. — βεβαρημένοι, *gravati*) Talis saepe segnities pios tenet, cum minime decet.

v. 44. ἐκ τρίτου, *tertia vice*) Tertium, decretorium. — τὸν αὐτὸν, *eundem*) ut tristitiae consentaneum. Saepe apta est animae iteratio verborum.

v. 45. καθεύδετε τὸ λοιπὸν, *dormite reliquum*) Imperativus discipulos sibi id unum agentes quasi relinquens, eoque ipso vehementius excitans, cum teneritudine et severitate. Non est ironia, sed metonymia: q. d. si me excitantem non auditis, brevi aderunt alii, qui vos excitent. Interea dormite, si vacat. Luc. 22, 46. *quid dormitis?* per interrogationem, quam etiam in Matthaeo et Marco nonnulli statuerunt. — ἀναπαύεσθε, *requiescite*) Ut *somnus* opponitur *vigiliae*; sic *requies*, labori orandi. — ἡ ὥρα, *hora*) saepe praedicta. v. 18. dixerat, *tempus meum*, laxius.

v. 46. ὁ παραδιδούς με, *qui prodit me*) de quo dixi. *me*, inquit, non, *vos*.

v. 47. ξύλων, *lignis*) ut in subito tumultu. v. 55. [1])

v. 49. κατεφίλησε, *deosculatus est*) plus semel ἐφίλησε, *osculatus est*, contra quam dixerat, v. 48. idque faciebat, quasi bene sentiens. Intemeratam Jesu faciem violat temeritate summa.

v. 50. ἑταῖρε) Ammonius: ὁ ἑταῖρος οὐ πάντως φίλος. καὶ ἑταῖροι οἱ ἐν συνηθείᾳ καὶ ἐν συνεργίᾳ πολὺν χρόνον γεγονότες. conf. Luc. 22, 48. ἰούδα. Ps. 55, 14. Sir. 37, 5. et anteced. — ἐφ᾽ ᾧ) Locutio elliptica. i. e. hoccine illud est, *cujus causa* ades? Hesychius ἐφ᾽ ᾧ πάρει, ἐπὶ ποίῳ σκοπῷ πάρει καὶ παραγέγονας ἐνταῦθα; [2])

v. 51. εἷς, *unus*) Petrum non appellat Matthaeus: causas habere plures potuit. Periculum Petro imminere poterat apud τοὺς ἔξω. — τὸν δοῦλον, *servum*) Hic ceteris fortasse acrius egit, jussus. — τὸ ὠτίον, *auriculam*) periculosissimo ictu. Humerum aggressoris praecipui petierat.

v. 52. σου) *tuum gladium:* alienissimum a *mea* causa. — τόπον, *locum*) Gladius extra vaginam non est in loco suo, nisi ubi subservit irae divinae. — λαβόντες, *qui capiunt*) Deo non dante. — ἐν μαχαίρᾳ) Sic LXX. ἐν μαχαίρᾳ ἀποθνήσκειν, 2 Chron. 23, 14. Jer. 21, 9. — ἀποθανοῦνται, *morientur*) Hoc verbo ratio poenalis innuitur.

v. 53. ἄρτι, *nunc*) quoque. — τὸν πατέρα μου, *Patrem meum*) Jesus, etiam cum calix bibendus est, eam mentem *filialem* retinet, quam habuit antea et semper, erga Patrem. v. 42. — πλείους ἢ δώδεκα λεγεῶνας, *plures quam duodecim legiones*) Legio erat sex millium: 12 legiones, 72 millia. Singulis discipulis ex XII opponitur legio; ex LXX discipulis, chilias. Angeli in suos numeros et ordines divisi sunt.

v. 54. πῶς, *quomodo*) Salvator plane suscipit passionem. — ὅτι) Scripturae dixerunt, sic oportere fieri. v. 56. *[Dei Legem Jesus in corde gessit. V. g.]*

v. 55. τοῖς ὄχλοις, *turbis*) Harum impetum animi sedavit Jesus, ut, si non nunc quidem, impellentibus proceribus, at tamen postea facilius ad sanitatem redirent. — ὡς ἐπὶ λῃστὴν, *tanquam super latronem*) contra quem subito tumultu omnia *ligna* pro armis sunt. — καθ᾽ ἡμέραν, *quotidie*) inprimis a sceno-

---

1) v. 48. κρατήσατε αὐτὸν, *prehendite eum*] Verebatur Judas, ne, ut prius, ita et nunc evaderet Jesus. *V. g.*

2) καὶ ἐκράτησαν αὐτὸν, *et prehenderunt eum*] Primum turba *cepit* Jesum: interim ictus et sanatio auriculae in Malcho evenit: tum circumdatum, ut jam captivum, *adsumserunt*. Istud Matthaeo et Marco κρατεῖν audit: hoc συλλαμβάνειν, Lucae et Johanni. Hîc itaque laqueis denique constrinxerunt. *Horm.* p. 530.

Digitized by Google

pegia ad encaenia illo anno. — ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*) ubi facile potuistis me captare. — οὐκ ἐκρατήσατέ με, *non cepistis me*) Metonymia consequentis: non potuistis me prius capere. Luc. 22, 53. *[Satis diu ante decollationem suam Johannes baptista in custodia detentus fuerat: at Christo ad extrema haec momenta liberam conversationem concedere mundum oportuit.* Harm. p. 532.]

v. 56. τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, *hoc vero totum factum est*) Hanc paraphrasin videtur Matthaeus intertexuisse verbis Domini de implendis scripturis. conf. Marc. 14, 49. — αἱ γραφαὶ, *scripturae*) Plurale. Passio, confluens complementorum. *[Alteram tam subitae mutationis apud Judaeos caussam Lucas refert*: potestatem tenebrarum, c. 22, 53. Harm. p. 532.]

[1]) v. 58. ἀπὸ μακρόθεν, *a longinquo*) vario animo: cum periculi sensu. Medius inter animositatem, v. 51. et timorem, v. 70. — ἐκάθητο, *sedit*) *Communitas* non opportuna [2]).

v. 59. ἐζήτουν, *quaerebant*) Hic illa falsorum testium exorta copia. Nullus major injustitiae actus commissus unquam est, quam contra Jesum: respectu Dei autem summus est actus justitiae.

v. 61. δύναμαι, *possum*) Non ita dixerat. Falsum testimonium arripit aliqua vera: et non magna verborum mutatione saepe magna calumnia fieri potest. Torquent sermonem tertio ante anno dictum: et nunc complemento inserviunt inscii.

v. 62. τί, *quid*?) Interrogatio separata.

v. 63. ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, *Filius Dei*) Caiphas cum Judaeis non plane politicam de Messia ideam habuit.

v. 64. σὺ εἶπας, *tu dixisti*) *De illius interrogatione, se esse Christum, quasi sit ipsius verbis hoc affirmatum, ait. Neque est in graeco communi sermone haec figura insitata. In Hippolyto Euripidis:* σοῦ τάδ' οὐκ ἐμοῦ κλύεις. Ex te ista audis, non ex me. *Et apud Xenophontem* ἀπομνημονευμάτων. III. αὐτὸς, ἔφη, τοῦτο λέγεις, ὦ σώκρατες. Ipse tu, inquit, hoc dicis, o Socrates. *Camerarius.* — πλὴν, *tamen*) etsi non creditis. πλὴν, ut ἀλλὰ, saepe facit ad epitasin. — ἀπ' ἄρτι) Id est, *a modo* fiet, ut videatis, et ex argumentis visibilibus cognoscatis, me esse, qui sedeam et veniam. Est sermo complexus: *a modo VIDEBITIS sedentem et VENIENTEM.* Cum sessione a dextris conjunctus est reditus ad judicium: et post passionem Domini credidere, Joh. 8, 28. olim visuri. Praeteritis non credebant: ideo Jesus futura, ut saepe, allegat. In gloria Jesu hoc, quod Ipse est Filius Dei, est primum: hoc, quod venturus est ad judicium, est novissimum. illud hujus fundamentum; hoc illius argumentum gloriosissimum. In adversissimis quibusque rebus summos fines exitusque intueri, maxime juvat filios Dei. conf. not. ad 2 Cor. 11, 15. — τὸν υἱὸν, *filium*) Loquitur in tertia persona: modeste, et tamen aperte. — καθήμενον, *sedentem*) Tum *stabat* Jesus. In ascensione consedit a dextris Dei. — ἐκ, *ex*) Deitas Christi. — δεξιῶν) Τὰ δεξιὰ, plurale. — τῆς δυνάμεως, *Potentiae*) id est, Dei. Hebraei saepe dicunt הגבורה Deum. *Potentia* latissime se ostendit in omnibus Dei operibus et apertissime.

v. 65. διέῤῥηξε, *discidit*) uti cui prae aestu animi nimis angustae essent

---

1) ἀφέντες αὐτὸν, *deserentes eum*] Huic Ipsi, quem deserebant, securitatem suam debebant discipuli. Jesus ab omnibus deseritur: Ipse nimirum solus est, qui perficere opus et potuit et debuit. *Harm.* p. 533.

2) Triplex Petri abnegatio non pro differentia hominum, promiscue eum interrogantium, neque pro expressionum conditione, quarum complures una abnegatio habuit, numeranda est: sed pro loci, temporis et graduum in abnegando diversitate. Abnegationem simplicem juramentum excepit, pejerationibus atque exsecrationibus deinceps additis. v. 70. 72. 74. *Harm.* p. 535.

Digitized by Google

vestes. Mos ille vetus aliquam cum affectu convenientiam habebat. — χρείαν, *opus*) Sane *opus* habuerant, quia invicta innocentia Jesu.

v. 66. τί, *quid*) Rem ut expeditam tractat. Moses ait: ***Blasphemus moriatur.*** Caiphas dicit: ***Jesus est blasphemus.*** Assessores concludunt: ***Jesus moriatur.*** — δοκεῖ) φαίνεται. Marc. 14, 64. — θανάτου, *mortis*) Id apud Pilatum quoque censent. Joh. 19, 7.

v. 67. τότε, *tunc*) quasi nil jam injuriae posset illi inferri. Principes subtilius; multitudo crassius insultant. Qui Dei honorem laedit, omni contumelia dignus est. Talem putabant Jesum. — ἐκολάφισαν, *colaphos infixerunt*) pugno, manu. — ἐῤῥάπισαν, *ceciderunt*) virgis. has enim habebant ministri. Marc. 14, 65. Οὐδὲν ταύτης τῆς πληγῆς ἀτιμότερον. Chrys. Hom. 1. c. Anom.

v. 68. λέγοντες, *dicentes*) petulantissime. — τίς, *quis*) Olim videbitis, quis quem verberaveritis.

v. 69. μία παιδίσκη, *una ancilla*) Non magna erat tentatio, si interrogantem spectes: major, si praesentes. [***Verebatur ancilla, ne, si eorum aliquem, qui a partibus Jesu esset, intromitteret, culpam sibi contraheret, eoque nomine Petrum constituebat. Reliqui deinde rem exceperunt. Nec videtur periculum ei quisquam conflare voluisse. Saepe securi seculi homines multo plus damni aut commodi sanctis afferunt, quam quidem ipsi vel existimant vel intendunt.*** V. g.] — ἦσθα) *pro* ἦς. sic quoque LXX, Ps. 10, 14.

v. 70. λέγων, *dicens*) Quam paucis verbis quam graviter peccari potest! c. 12, 24. Act. 5, 8. fin.

v. 71. ἐξελθόντα, *exeuntem*) Fuga justo tardior, novum habet periculum. — ἄλλη, *alia*) et simul prior, quae alium et hanc aliam excitavit. Marc. 14, 69. Luc. 22, 58. Abnegatio ad plures plurium interrogationes facta, uno paroxysmo, pro una numeratur: et tamen ter abnegavit. — ἰησοῦ τοῦ ναζωραίου, ***Jesu Nazoraeo)*** ***Nazoraei*** cognomen additur, ut distinguatur ab aliis, qui nomen ***Jesus*** gerebant. Filius Dei, nomen gessit inter homines usitatum.

v. 72. μεθ' ὅρκου, ***cum juramento***) Pristini mores Petri non abhorruisse videntur a juramentis. — τὸν ἄνθρωπον, ***hominem)*** quasi Petrus ne nomen quidem Jesu sciat.

v. 73. εἶ, *es*) Praesens. crescit tentatio. antea dixerant ἦσθα, v. 69. in imperfecto. — λαλιά, *loquela*) Si Petrus tacuisset, tutior fuerat: negando, id est, loquendo, auxit periculum. Habebant autem homines illi majora ad Petrum convincendum argumenta: v. 47. 51. sed mundus contra pios plerumque arripit rationes omnium infirmissimas; praesertim in zelo perverso. Jam temporibus Judicum dialecti extitere tribuum.

v. 74. ἤρξατο, *coepit*) Antea non eo usque processerat: nunc gubernaculum animae plane amisit. — καταθεματίζειν) Alii καταναθεματίζειν· sed id compositum nusquam reperias. at καταθεματίσαντες habet Iren. l. 1. c. 13. §. 2. Just. M. κατάθεμα τὸ συνθέσθαι τοῖς ἀναθεματίζουσι. idem, ἀναθεματισμὸς καὶ καταθεματισμός. Oecumen. ad Act. 23, 12. κατ' ἐπίτασιν εἴρηται τὸ ἀνάθεμα, ὡς καὶ τὸ κατάθεμα· συγκατατίθεται γὰρ, τῷ ὄντι τῷ ἐναντίῳ καὶ συγκαταδικάζεται· κατάθεμα, (Ap. 22, 3.) in malam partem, quod ἀνάθεμα etiam in bonam. — τὸν ἄνθρωπον, ***hominem)*** At conf. c. 16, 16. — εὐθέως, ***statim***) Magna circumstantia. — ἐφώνησε, ***cantavit***) Peccata matutina, gravia.

v. 75. καὶ) *tum* demum. infidelitas, timor, tristitia, ligat etiam naturales facultates, quas fidei laetitia refocillat. Luc. 24, 7. 8. [1]) — εἰρηκότος) Grande participium. — πικρῶς, *amare*) Lacrumarum physica amaritudo aut dulcedo

---

1) ἐμνήσθη, *recordabatur*] Oblivio non caret damno. Quodsi tamen Petrus in ipso abnegationis actu verborum Jesu memor non destitisset, actrocius etiam peccatum fuisset. *V. g.*

Digitized by Google

congruit cum affectu animi. Si non fletus, at luctus certe diuturnus fuit. Marc. 16, 7. [*Omnis jam prisca temeritas cessabat.* V. g.] Lacrumae piorum, etiam virorum, non facile alia de causa flentium, insigne praebent argumentum pro efficacia adeoque veritate religionis christianae.

CAPUT XXVII.

v. 1. Πάντες, *omnes*) Frequentius hoc concilium fuit, quam pridie. c. 26, 57. — ὥστε, *ut*) sententiam pridie latam exsequerentur.

v. 2. ἀπήγαγον καὶ παρέδωκαν, *abduxerunt et tradiderunt*) Conf. v. 9. et quae ad finem v. 9. notamus. — τῷ ἡγεμόνι) *Procuratori.*

v. 3. ὅτι κατεκρίθη, *condemnatum esse*) Jesum, a sacerdotibus. — μεταμεληθεὶς, *poenitens*) Non putarat. Vellet, si posset, factum infectum reddere. — ἀπέστρεψε, *retulit*) mane.

v. 4. ἥμαρτον, *peccavi*) Sic in inferno quoque sentient damnati. [*Atque utinam tam aperte amici Christi, fide, amore et spe excitati, veritatem confiterentur, quam aperte desperati interdum homines, conscientiae stimulis agitati, facere solent, ubi nullum jam de mundo male merendi locum superesse sentiunt!* Harm. p. 542.] — αἷμα ἀθῶον, *sanguinem innocentem*) Non jam Messiam agnoscit, tenebris suis misere involutus. — τί πρὸς ἡμᾶς; *quid ad nos?*) Vide, quam transiliant τὸ *innocentem.* — σὺ ὄψει, *tu videbis*) Impii in facto consortes, post factum deserunt; [*omnes tamen, pro sua quemvis parte, poenâ tandem manente.* V. g.] pii, in facto non consortes, postea medentur. Conf. v. 24.

v. 5. ῥίψας, *jaciens*) irrequieto animo. [*Id ipsum, quo inescatus fuerat, gratissime deinceps peccatorem contristat.* V. g.] — ἐν τῷ ναῷ, *in templo*) Ergo Judas erat in templo, apud sacerdotes principes et presbyteros, et conscientiam perturbatissimam utcunque sublevaturus, numos ad rem sacram conatus est conferre. Regio templi, ignota est. Ναὸς hic latius dicitur, et ἱερὸν denotat. — ἀπήγξατο, *strangulavit sese laqueo*) id quod plerumque fit per suspendium. Sic 2 Sam. 17, 23. LXX. de Achitophel: quem tamen angina perisse nonnulli putant, perinde ut Iscarioten. *strangulandi* notionem exquisite demonstravit Raphelius ex Polybio etc. add. Act. 1, 18. not.

v. 7. τὸν) notum illum. — τοῦ κεραμέως, *figuli*) Usus eo figulus sit, unde argillam sumeret. — εἰς ταφὴν, *in sepulturam*) Sic peregrinis jam tum plus juris erat Hierosolymis. sic quoque Abrahae prima possessio fuerat *sepultura.*

v. 8. ἐκλήθη, *vocatus est*) Testimonium publicum rei factae. Appellatio agri quanquam a vulgo orta, tamen non fuit fortuita. — αἵματος, *sanguinis*) v. 6. — ἕως, *usque*) Matthaeus scripsit aliquanto post. Conf. c. 28, 15. Adrichomius: *Est vero hujus terrae* (in Agro sanguinis) *virtus mirabilis et fidem pene superans, quod defunctorum corpora viginti quatuor horarum spatio in pulverem redigat. quam virtutem etiam in alias regiones devecta minime perdit. Nam cum jussu Imperatricis Helenae de hoc agro, quantum terrae ducentae et septuaginta, ut ajunt, naves capere poterant, Romam avectum, ac juxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum sit, quem incolae CAMPUM SANCTUM vocitant, licet coelum mutarit, eandem tamen retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim respuens, sola peregrinorum corpora ad sepulturam admittit: quorum etiam hic omnem carnis substantiam intra viginti quatuor horas prorsus consumit, ossibus tantum residuis.* Id novi peregrinatores confirmant partim, partim negant.

v. 9. τοῦ προφήτου, *prophetam*) Aperte apud Zachariam haec verba extant: quem Matthaeus non ignoravit, c. 21, 4. s. Vide *Apparatum,* p. 493. [Ed. II. p. 141. s. *ubi docetur, vocem* Ἱερεμίου *esse Glossema, et permultos recentio-*

Digitized by Google

res id expungi velle. Not. crit.] — καὶ ἔλαβον) Zach. 11, 12. 13. LXX: καὶ ἐρῶ πρὸς αὐτούς, εἰ καλὸν ἐνώπιον ὑμῶν ἐστι, δότε στήσαντες τὸν μισθόν μου, ἢ ἀπείπασθε· καὶ ἔστησαν τὸν μισθόν μου τριάκοντα ἀργυροῦς. καὶ εἶπε κύριος πρός με· κάθες αὐτοὺς εἰς τὸ χωνευτήριον, καὶ σκέψομαι αὐτό, εἰ δόκιμόν ἐστιν, ὃν τρόπον ἐδοκιμάσθην ὑπὲρ αὐτῶν. καὶ ἔλαβον τοὺς τριάκοντα ἀργυροῦς, καὶ ἐνέβαλον αὐτοὺς εἰς οἶκον κυρίου εἰς τὸ χωνευτήριον. Evangelista summam rei respicit, et paraphrasin addit. — τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο) Magna vis verborum. ὁ τετιμημένος הַיָּקָר quanquam in Bibl. hebr. est הַיְקָר v. Lud. de Dieu. — ἀπὸ υἱῶν ἰσραὴλ, *a filiis Israël*) Conf. מִבְּנֵיהֶם Zach. 11, 13. Potest ἀπὸ *a* construi vel cum ἔλαβον *acceperunt*, vel potius cum ἐτιμήσαντο *aestimarunt*. Principes sacerdotum, quantum in ipsis erat, Christum abalienarunt a filiis Israël.

v. 10. ἔδωκαν, *dederunt*) Ἔδωκα, *dedi*, est apud prophetam, et ex prophetam in evangelistam a quibusdam inductum: neque obscure probat Gebhardi in Zach. 11, 13. Sed hic scribitur ἔδωκαν, *dederunt*, et vis τοῦ *dedi*, atque adeo tota differentia verborum Matthaei a verbis Zachariae, suppletur per illud, *sicut praecepit mihi Dominus*. Eadem formula Ex. 9, 12. καθὰ συνέταξε κύριος τῷ μωυσῇ. — συνέταξε) scribere vel dicere *praecepit*.

v. 11. ὁ βασιλεὺς, *Rex*) Jesus coram Caipha se Christum; coram Pilato, Regem se fatetur. — σὺ λέγεις, *tu dicis*) aperta confessio et sancta. (*Conf.* 1 Tim. 4, 13.) Jesus ostendit, silentium suum deinceps non fore a defectu parrhesiae, et Pilato statim respondet; Caiphae, cum Judaeos pridem docuisset, adjuratus. Hoc, *tu dicis*, Marcus quoque et Lucas notant: et plane haec summa est omnium, quae ab Jesu ad Pilatum dicta refert Johannes c. 18, 34. 36. 37.

[1]) v. 13. τότε, *tunc*) Pilatus, rationis judicio, moderate se gessit primo. — πιλάτος, *Pilatus*) Nonnus mediam syllabam corripit, passimque in πρίμος, τουρκουάτος, δεντάτος etc. vocalem Latinis longam acuunt Graeci. — οὐκ ἀκούεις; *non audis?*) Interrogatio separata: [2]) coll. Marc. 15, 4.

v. 14. πρὸς οὐδὲ ἓν ῥῆμα, *ne ad unum verbum quidem*) quod videlicet attineret ad respondendum Judaeis de regno. semel Pilato respondit postea de alia re. Joh. 19, 11. — ὥστε, *ita ut*) Nam nemo solet tacere, ubi caput agitur; praesertim facto semel initio loquendi.

v. 15. κατὰ, *in*) Id congruebat liberationi ex Aegypto. — ἑορτὴν, *festo*) Pascha Johannes nominat. — εἰώθει, *consuererat*) Etiam politicae consuetudines subserviunt providentiae divinae. — ἕνα, *unum*) non duos simul.

v. 16. ἐπίσημον) latronem notissimum, summo scelere [*et eo ipso quidem, cujus Jesus accusabatur, imo majori etiam*] *insignem.* et tamen hic antelatus est Jesu. quantus contemtus! Mox duobus aliis, in ignominia supplicii, antelatus est latronibus. [*Atqui Justi hujus morte illi ipsi, qui mortem meruerant, liberantur.* Harm. p. 550.] — λεγόμενον, *dictum*) de quo frequens erat sermo. [3]) Credibile est, Barabbam longo post tempore vixisse, in monumentum historiae de Jesu. *Barabbas* dicitur *filius parentis*: parenti optatus, carus: indulgentia corruptus.

v. 17. χριστὸν, *Christum*) Ergo Jesus jam tum persaepe appellitatus erat Christus.

---

1) v. 12. οὐδὲν ἀπεκρίνατο, *nihil respondit*] Accusatoribus nil novi proferentibus silentium Jesu eorum, quae jam dixerat, confirmatio subinde fuit. *Harm.* p. 547.

2) *Quanquam in* Vers. germ. *cum sequentibus conjuncta.* E. B.

3) *Latronem hunc bis h. l.* Jesum Barabbam *dicit Versio* Armena, *quae antiquissima (ex judicio cel.* Michaëlis*) lectio ea de caussa improbata fuit* Origeni, *quod indignum esset, hominem tam sceleratum nomine* Jesu *insigniri. Vid.* Einleitung in die G. S. des N. B. T. I. p. m. 224. * E. B.

Digitized by Google

v. 18. διὰ φθόνον, *propter invidiam*) Invidebant, quia populus Jesu adhaeserat.

v. 19. καθημένου, *quum sederet*) in ipso articulo negotii ferventis. In tali strepitu obnunciationes paradoxae non debent negligi. — βήματος, *tribunali)* Magna vis fuit somnii: cujus tamen rationem mulier magis intellexit, postquam res evenire coepit. Fortasse somnium habuit, cum Pilatus jam in negotio esset. — λέγουσα, *dicens*) Magnum beneficium oblatum praesidi hac admonitione, prae Judaeis, aliunde satis admonitis. — [1]) τῷ δικαίῳ, *Justo*) Sic Pilatus quoque appellat, v. 24. cum debili ad haec uxoris verba respectu.

v. 20. ἔπεισαν, *persuaserunt*) verbis in speciem blandis. — ἀπολέσωσιν) *interimendum postularent.*

v. 22. τί, *quid*) Non putabat Pilatus, Judaeos durius aliquid postulaturos. Non debuerat quaerere: tutius erat, simpliciter dimittere. conf. Act. 18, 14. s. — σταυρωθήτω, *crucifigatur*) Crucem meritus erat Barabbas: hinc Jesum crucifigi postulant.

v. 24. οὐδὲν ὠφελεῖ, *nihil prodest*) Quidni, Pilate? Desperatum est hoc praejudicium practicum, ubi dicitur: Nil agimus. οὐδὲν, nominativus: vel accusativus, coll. Joh. 12, 19. — μᾶλλον) non *major*, sed *potius*. seditionem timebat. — [2]) λέγων, *dicens)* Protestatio contraria facto. — δικαίου, *Justi*) Id Pilatus accepit ex monito uxoris. v. 19. — ὑμεῖς ὄψεσθε, *vos videbitis*) Ut Judaei ad Judam, sic Pilatus ad Judaeos. Formula rejiciendi, Act. 18, 15.

v. 25. πᾶς, *omnis*) Argumentum contra Judaeos, cur hodienum sint in exilio, quanquam paullatim mitiore. — ἐφ᾽ ἡμᾶς, *super nos*) Conf. Deut. 28, 18. Ps. 69, 24. 109, 17. Dicunt: nos praestabimus. [*Culpâ seipsos constringunt, nec tamen liberant Pilatum. Uno aliquid momento suscipi potest, quod per omnem vitam, imo vero aeternum luendum tibi sit. Nec desunt, qui multo minus ambigant, quam Pilatus.* V. g.]

v. 26. φραγελλώσας, *flagellans)* post sententiam latam. [*Cum dimissione Barabbae traditio Jesu in voluntatem Judaeorum immediate conjuncta fuit, et utramque flagellatio cum illusione insecuta est. Apud Caipham sententiae capitis demum illusio successit: eademque ratione militibus proterviam istam in Jesu exercere integrum prius non fuit, quam Pilatus Judaeorum Eum libidini tradidisset.* Harm. p. 553.]

v. 27. ὅλην, *totam*) etiam eos milites, qui tum non debebant adesse, neque adfuerant. [*Hic vero ad summum venit Salvatoris traditio in manus ethnicorum peccatis cumulatorum.* Harm. l. c.] — σπεῖραν) Lat. *spiram*. Alias graeci pro latino *I* ante consonam solent *I* simplex ponere, ut in πιλάτος, non πειλάτος etc. σπεῖρα autem scripsere, quia sic propius abest a sono consueto πεῖρα, σπείρω etc.

v. 28. χλαμύδα κοκκίνην, *chlamydem coccineam)* Illudunt regnum: ut Judaei, propheticam dignitatem. c. 26, 68. *purpura* appellatur Marc. 15, 17. *vestimentum purpureum* Joh. 19, 2. Interdum promiscue adhibetur utraque appellatio; interdum differunt. Ap. 17, 4. Etiam alter color alteri superinductus olim.

v. 29. ὁ βασιλεὺς, *rex*) Tractarunt Jesum, quasi hominem emotae mentis, qui se pro rege habuisset.

v. 31. ὅτε, *cum)* Finito ludibrio etiam coronam spineam removerunt. [*in picturis Crucifixum referentibus omittendam.* V. g.]

v. 32. κυρηναῖον, *Cyrenaeum*) Nec Judaeus, nec Romanus ullus erat, qui

---

1) μηδὲν, *nihil*] ait, uno verbo. Sic Pilatus in ipso negotio sine mora versari debuerat. *V. g.*

2) ἀπενίψατο, *abluit*] Tali ritu neutiquam abluitur capitale scelus. *V. g.*

Digitized by Google

vellet tollere crucis onus. Ex Asia, Europa et Africa, adfuere homines. Etiam in remotissimis terris Christus postea nactus est, qui crucem ferrent. — ἄρῃ, *tolleret*) Non dicitur Simon tulisse nolens. Eximie sermo de Pass. apud Athanasium: [*Tom.* 1. *fol.* 10. 11.] *Crucem tulit Simon homo, ut omnibus innotesceret, Dominum non suam mortem, sed hominum obire.*

v. 33. κρανίου, *calvariae*) Collis a figura appellatus. [*non ut putem, a craniis maleficorum morte mulctatorum, ibi circumjacentibus. Golgotha enim in singulari* Calvaria *s.* Calvariae locus *dicitur. Ex omnibus in crucis circuitu partibus universus orbis Filium DEI suspensum spectare potuit.* Harm. p. 562.)

v. 34. ὄξος, *acetum*) Marcus c. 15, 23. *vinum myrrhatum* appellat. Erat liquor medii inter vinum dulce et acetum acrius saporis: coll. v. 48. not. myrrha conditus, ex more; felle adulteratus, ex petulantia. — οὐκ ἤθελε πιεῖν, *non voluit bibere*) Id enim decebat differri ad finem laborum: Joh. 19, 30. et Jesus sensus plane imperturbatos volebat retinere ad mortem usque [1]).

v. 36. ἐτήρουν, *custodiebant*) Conf. v. 65. [*Circa horam* tertiam *crucifixio et vestium partitio facta est: strepitu igitur ut plurimum praeterito illis, qui Jesum custodiebant, sat temporis suppetiit, quo, res ista qualis esset, perpenderent. Attamen prodigia demum fuerunt, quibus homines isti resipiscere deinceps didicerunt.* v. 54. Harm. p. 565.]

v. 37. ἔστιν, *est*) Vere, *est!* Titulus fortasse diutius in cruce mansit, quam corpus Jesu [2]).

v. 39. παραπορευόμενοι, *praetereuntes*) Multi ne stare quidem dignabantur. — κινοῦντες, *moventes*) Gestus non agnoscentis aliquid.

v. 40. λέγοντες, *dicentes*) Adversariorum scommata possunt numerari septem. [*Atrocissimus latro quum supplicio afficitur, vix unquam praeterea irridetur: at Filio DEI in cruce pendenti ore scriptoque, proceres ac plebei, Judaei cum Gentilibus mordacissime illudunt.* Harm. p. 568.] — τρισὶν, *tribus*) Imo jam primus dies erat. — σῶσον, *salva*) Proscindunt nomen *Jesu:* mox nomen *Filii Dei:* et nomen *regium:* v. 42. *s.* et *verba* ejus. v. 40. — εἰ υἱὸς, *si filius*) c. 4, 3.

v. 41. ὁμοίως, *similiter*) Nunc populum imitantur principes: magna confusio! sed vincunt acerbitate. [*Tales vix alias hunc in modum publice, quid intus foveant, produnt.* V. g.]

v. 42. πιστεύσομεν, *credemus*) Nos ob id ipsum credimus, quia non statim de cruce descendit, sed opus consummavit.

v. 43. πέποιθεν, *confisus est*) Conf. finis versûs. — εἶπε γὰρ, *dixit enim*) Hoc aut a praetereuntibus dictum, aut ab evangelista explicationis causa additum, censere possumus. LXX. Ps. 22, (21) 9. ἤλπισεν ἐπὶ κύριον, ῥυσάσθω αὐτόν· σωσάτω αὐτὸν, ὅτι θέλει αὐτόν.

v. 44. οἱ λῃσταὶ, *latrones*) Nonnulli amplificationis causa pluralem pro singulari positum existimant, et latronem conversum excipiunt. atque in re tam horribili non videtur synecdoche locum habuisse. Nec desunt exempla hominum, qui inter dira et lenta supplicia et blasphemi fuerant et conversi sunt.

v. 45. πᾶσαν, *omnem*) *Orbis terrae* innuitur. nam ipse sol laborabat. [*Sunt,*

---

1) v. 35. σταυρώσαντες, *crucifigentes*] Christus, nobis in benedictionem, factus est *maledictio.* Talia fari quis audeat, nisi Apostolus effatus esset? Gal. 3. Perpendantur etiam loca Gen. 3, 6. Joh. 3, 14. 1 Petr. 2, 24. *Harm.* p. 563. — διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, *dispertiti sunt vestes Ejus*] Pauperrimus homo quum moritur, tegumenti certe aliquid in corpore habet: Jesus nihil. Ne familiaribus quidem, sed militibus, vestes ejus cedunt. *l. c.* p. 564.

2) v. 38. δύο λῃσταὶ, *duo latrones*] Horum crucifixionem serius commemorant Matthaeus et Marcus: unde crucifixionem *Jesu* Pilato ejusque subditis caussam principalem fuisse colligas. *Harm.* p. 567.

Digitized by Google

qui Eclipsin hanc eandem esse opinentur cum ea, quae a Phlegonte *aliisque antiquis notata fuit, vel et pro ea, cujus nunc apud* Sinenses *vestigia extant. Eorum quicquid fuerit, argumentis illi longe fortioribus, si quidem ultra annum* 30 *Passionem Christi detrudant, erroris redarguuntur.* Harm. p. 571.] — ἕως, *usque*) Trihorium mysterii plenum. In tempus hujus derelictionis ad tenebrarum apte confertur psalmus VIII., cujus versu 4. praetermissa *solis* mentio his tenebris congruit.

v. 46. περὶ δὲ, *circa vero*) Ex hac connexione colligi potest, eclipsin solis (in plenilunio) ostendisse non tam malitiam hostium, quam derelictionem Jesu: quae totum illud trihorium, ut credibile est, duravit, et, ut desiit, clamavit Jesus hoc epiphonema. Luc. c. 23, 45. derelictione non memorata, eclipsin conjungit cum scissione veli. *Ut derelictio finita erat, continuo patebat Mediatori sanctum sanctorum.* — [1]) ἀνεβόησεν, *exclamavit*) Maximi momenti et silentium, quod praecessit, et clamor hic, iteratus versu 50. — σαβαχθανὶ) שבקתני ק Graece χ sequente θ. — θεέ μου, *Deus meus*) Alias solitus est dicere: *Pater.* nunc dicit, *Deus meus,* quasi jam alienior; sed tamen *bis,* et addit, *meus,* cum fiducia, patientia, resignatione sui. Christus est עבד Domini: et tamen *Deum* appellat, non δεσπότην. Ps. 22, 2. LXX. ὁ θεὸς ὁ θεός μου, πρόσχες μοι, ἱνατί ἐγκατέλιπές με; ubi patet sententia ex reliquo versu 2. et 3. Non solum ait se a Deo traditum voluntati hominum; sed etiam a Deo ipso quiddam esse passum nobis ineffabile. — ἱνατί, *cur*) Sciebat Jesus causam; et ad omnia se comparaverat: sed tamen τὸ *cur* exprimit, Filio per se non fuisse sustinendam talem derelictionem, sed id evenisse illi ex causa *nora,* ad brevem moram: qua elapsa, desiderium suum erga Patrem denuo expleri, gratiam habet. — ἐγκατέλιπες, *dereliquisti*) Praeteritum. [2]) eo momento desiit derelictio, et paullo post passio omnis. In media et maxima derelictione silebat. Super una derelictione queritur.

v. 47. ἠλίαν, *Eliam*) Impium est, detorquere verba, formulas et preces sacras.

v. 48. ὄξους, *aceto*) Acetum bibere solebant ipsi milites: ut notat Gataker. Misc. posth. c. 6.

v. 49. οἱ δὲ λοιποὶ, *reliqui autem)* qui aderant, oppositi iis, quorum sermo et actio refertur versu 47. [*sed eo non excluso, qui spongiam aceti plenam in hyssopo Jesu praebebat, et quem Judaeum fuisse, militiae Romanae adscriptum, facile existimaveris, coll.* Marc. 15, 36. Harm. p. 574.] — ἔλεγον, *dicebant*) Post eclipsin terribilem redeunt ad scommata. — ἄφες, *sine*) Negant, socii opem, Elia allegato, esse necessariam.

v. 50. κράξας, *clamans*) Libera vitae positio. Per vim crucis ab hominibus allatam, non fuit exanimatus. Marc. 15, 44. Sed tamen recte illi dicuntur Eum interfecisse; quia fecerunt, quantum in ipsis erat. — ἀφῆκε τὸ πνεῦμα, *emisit spiritum*) Mortem Jesu Christi paucis commemorat historia divina: fruc-

---

1) ἐννάτην ὥραν, *horam nonam*] Tempore meridiano sententiam definitivam a Pilato dictam, et eductionem eo usque tardatam fuisse, nonnemo suspicatus est, ut crucifixio tertiâ demum a meridie horâ, sacrificii vespertini tempore, facta sit. Imo vero *mors* evenit eo tempore, postquam Salvator Optimus per sex horas integras in cruce pependerat. *Harm.* p. 571.

2) Recentiorum aliqui vertunt: *Qui fiat, ut me relinqueres?* Atqui interpretatio ista, utut naturali mollitiei blandiatur, neque verba textus assequitur, neque divino rigori in gravissimo hoc negotio satisfacit. — Filialem quasi *expostulationem* dixeris, qua, si mutatis paullum verbis rem exprimere liceat, dilecto Patri haec ait dilectus Filius: *Ecquid istud mihi feceris?* Optime sane factum! optime toleratum! Cujus tam singularis tempusculi nomine grates habeat immortales! *Harm.* p. 573.

Digitized by Google

tum mortis J. C. copiose praedicant homiliae et epistolae apostolorum. Itaque evangelium praebet lanam: apostolus vestem conficit. qua similitudine utitur *Macarius* de Elev. mentis cap. 19. Nunquam de morte Salvatoris adhibetur verbum κοιμᾶσθαι, *obdormire*, coll. v. 52. sed ἀποθνήσκειν, *mori*, quo verbo et veritas, et gravitas, et brevitas, et virtus mortis Christi significatur. [*Deus eâ reconciliatus est. Pretiosissimum sane momentum!* V. g.]

v. 51. ἐσχίσθη, *scissum est*) Ergo liber jam aditus in sancta. [1]) — ἡ γῆ, *terra*) orbis terrae, v. 45. speciatim vero terra Israëlitica et Hierosolymitana. [2]) — αἱ πέτραι, *petrae*) Peregrinatores confirmant, rupturas petrarum invicem respondentes adhuc conspici.

v. 52. κεκοιμημένων ἁγίων, *sanctorum, qui dormierant*) *Sanctorum* vocabulum aeque ad vivos atque ad defunctos pertinet: imo in mentione mortuorum additur, *qui dormierant*. Et tales sancti non ad humanum, sed ad divinum *canonem* aestimantur. *Sanctorum*, qui vel diu ante natum Christum, vel non multo post (vid. ad Joh. 11, 25.) obierant, sine dubio ex omnibus tribubus. Videntur veteres huc Jobum retulisse. nam exeunte ejus libro LXX. int. et Theodotion addunt, γέγραπται δὲ αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι μεθ᾽ ὧν ὁ κύριος ἀνίστησιν.

v. 53. ἐξελθόντες, *egressi*) Sancti, quorum corpora suscitata erant. cum pompa. — μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ, *post excitationem Ipsius*) Hoc incisum proprie spectat ad verbum ἠγέρθη, *excitata sunt*, cui verbale ἔγερσις, alias in N. T. non obvium, hoc loco aptatur: et tamen hoc idem incisum inter egressum sanctorum ex monumentis et inter ingressum eorum in urbem ponitur. Synchysis verborum rebus pulcre respondet. Statim sub mortem Jesu Christi, discissum est velum, terra mota, petrae scissae: atque cum his portentis reliqua contexit Matthaeus. unde colligere licet, unum eumque continuum fuisse, a morte Domini ad resurrectionem usque, motum, qui primum vivos, v. 54. deinde mortuos commoverit. Inter excitationem corporum sanctorum, et inter egressum eorum e monumentis, non potest notabile intervallum statui. Primus ex mortuis surrexit, non moriturus, Christus: habuit autem comites. Post excitationem Ipsius, etiam excitatio sanctorum facta est: sed egressus eorum ex monumentis, et ingressus in urbem sanctam, post Ipsius excitationem factus memoratur, quia multi illi, quibus sancti excitati apparuere, tempus ingressus et apparitionis norant, sed ipsam eorum excitationem non viderant. Silentium Pauli 1 Cor. 15, 23. non probat, corpora sanctorum sine animis exisse e sepulcris; animasque deinde sine corporibus ascendisse, ut colligit Artemonius ad Init. Ev. Joh. p. 571. — ἐνεφανίσθησαν, *apparuerunt*) singuli singulis, vel etiam plures pluribus. Exemplum verae apparitionis.

v. 54. τηροῦντες, *custodientes*) ex ordine suo. — ἀληθῶς, *vere*) Antitheton refertur v. 40. 43. — θεοῦ υἱὸς, *Dei filius*) Eum se esse dixerat: et veritatem dicti agnoscunt e signis.

---

1) Scissionem hanc morti Christi postponunt Matthaeus et Marcus: Lucas anteponit verbis: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Utrumque simul factum, hoc ipso incomparabili momento. — Lucas, trium horarum eclipsin cum veli ruptione combinans, indicat 1) finitâ eclipsi reliqua omnia ad mortem usque Salvatoris celerrime sibi invicem successisse, et 2) veli scissionem, ipso mortis momento factam, cum prodigiosa eclipsi non minus cohaerere, quam cum insequentibus miraculis. A Deo relinqui, idem erat *animae* Jesu, quod *corpori* erat mori: prius tenebris, posterius veli scissione significatum est. Mortem exantlatam vivificatio in Spiritu statim excepit (1 Petr. 3, 18.), quae maximos motus in visibilibus pariter ac invisibilibus conflavit. *Harm.* p. 576.

2) Grandes istae rerum commotiones a momento mortis Christi ad resurrectionem Ejus continua serie procedebant, in regno praecipue invisibilium efficaciam suam exserentes. *Harm.* l. c.

Digitized by Google

[1]) v. 56. ἡ τοῦ] Notiores erant filii, quum Matthaeus scripsit. ideo ab illis denominatur mater.

v. 57. καὶ αὐτὸς, *etiam ipse*) item, ut piae illae mulieres. — ἐμαθήτευσε, *discipulus erat*) et discipulos adducere studebat.

v. 58. ἠτήσατο, *rogabat*) Magna alias erat potestas praetoris in corpora supplicio peremta. conf. *donavit*, Marc. 15, 45. *Hac de causa forte Josephus Arimatheensis petiit sibi dari corpus Christi, ne in publicum facinorosorum sepulcrum reponeretur*. Buxt. Lexic. Talm. col. 1962. — τὸ σῶμα] Omnes evangelistae sic appellant *corpus* Jesu mortui; neque enim *cadaver* appellari decebat. Divina stili conformitas, ab humanis commentatoribus vel postmodum relicta. — ἀποδοθῆναι, *reddi*) Abalienarant Judaei: Josephus, senator, publico quasi nomine, recepit a gentibus, et cum Nicodemo restituit Judaeis. conf. Joh. 19, 40. fin.

v. 59. σινδόνι, *sindoni*) quae antea non texerat corpus Jesu. Jam initia honoris. (1 Cor. 15, 4.) Josephus, *honestus senator*. Marc. 15, 43. Non licebat mortuos involvere pretiosius.

v. 60. καινῷ, *novo*) quod nulla corruptione inquinatum fuerat: et, ne quis sanctorum veterum diceretur pro eo surrexisse, eive vim surgendi tribuisse. — αὐτοῦ, *suo*) Jesus Christus, vitae dux, sepulcro illatus alieno. — τῇ θύρᾳ, *januae*) Sepulcrum non erat fossa angusta, sed crypta. — ἀπῆλθεν, *abiit*) non sperans ea, quae mox erant futura.

v. 61. καθήμεναι, *sedentes*) Mora sancta et salutaris.

[2]) v. 62. τῇ δὲ ἐπαύριον, *postridie vero*) Sabbati periphrasis: coll. c. 28, 1. qua Matthaeus magna de causa est usus; fortasse quia sabbatum judaicum jam noluit appellare *sabbatum*. — καὶ οἱ φαρισαῖοι, *et pharisaei*) Horum nullae partes in ipso judicio fuerant. c. 26, 3. 57. Nec tamen plane quieverunt. Joh. 18, 3. Forsan inter Scribas etiam et Presbyteros Pharisaei erant. Forsan Pharisaei ex singulari zelo multa etiam fecerunt, quae non praecise officii erant.

v. 63. κύριε, *domine*) Assentantur. antea non sic appellarant. — ἐκεῖνος, *ille*) Jam volebant Jesum ex omni memoria esse evulsum. [*Neque unquam principes populi suo nomine* Jesum *appellasse reperias*. V. g.] — ἐγείρομαι, *excitor*) Praesens.

v. 64. ἀσφαλισθῆναι, *muniri*) Inscii inserviunt veritati confirmandae. Nulla humana ἀσφάλεια Deum impedit. Act. 5, 23. 16, 23. — τῷ λαῷ, *populo*) Se putabant pharisaei id non credituros: populo, ut sibi persuadent, cavere volunt. — καὶ ἔσται, *et erit*) Posterior vero victoria veritatis latius patuit, quam prima. — ἐσχάτη, *ultima*) Similis locutio, 2 Sam. 13, 16.

v. 65. ἔχετε, *habetis*) Pilatus cito dat custodes, et quidem quasi cum indignatione, coll. c. 28, 11. s. calumniatores cito expedit.

v. 66. ἠσφαλίσαντο, *munierunt*) Hoc, totum: partes, *sigillum* et *custodia*.

CAPUT XXVIII.

v. 1. Ὀψὲ,) *post* sabbatum: coll. Marc. 16, 1. E. Schmidius confert huc Plutarchum: ὀψὲ τῶν βασιλέως χρόνων. et Philostratum: ὀψὲ τῶν τρωϊκῶν, *post*

---

1) v. 55. ἀπὸ τῆς γαλιλαίας] Iter *ex Galilaea* versus Hierosolymam Luc. 9, 51. memoratum hic innuitur. — Tam brevi tempore quanta mulieres istae, aeque ut Apostoli, viderunt et audiverunt! Jam Apostolorum defectum compensant. *Harm.* p. 578. Hae in vita et morte Jesu constantes fuere. Nulla igitur historiae evangelicae pars testibus oculatis destitnitur. *V. g.*

2) καὶ ἡ ἄλλη, *et altera*] de qua v. 56. *V. g.*

Digitized by Google

bellum trojanum [1]). Nunc, cum hebdomade nova, exoriuntur res multo aliae. — σαββάτων — σαββάτων, ***sabbati — sabbati***) habet *Lat.* nec solus. σαββάτου — σαββάτων, lectio media. — τῇ ἡμέρᾳ, ***luce***) Elapso mortis tempore, Jesus celerrime surrexit. — εἰς μίαν) ἡμέραν, ***diem*** totum, ***primum*** hebdomadis. Prima sabbatorum jam coeperat vespera praecedente: jam in primam illam ***illucescebat dies*** nocti oppositus. Cum resurrectione Domini Jesu Christi conjungitur prima diei ***dominici*** mentio eximia [2]). Plerumque dicitur ἡ μία, cum articulo. Marc. 16, 2. Luc. 24, 1. Joh. 20, 1. 19. Act. 20, 7. add. 1 Cor. 16, 2. — σαββάτων) ***feriarum***. — ἦλθε, ***venit***) Praestabant talia officia ii, qui non proxima cognatione conjuncti erant. quare non mirum, matrem Domini non una fuisse.

v. 2. θύρας, ***janua***) sepulcri. Non decebat, sepulcrum manere clausum. — ἐκάθητο, ***sedebat***) Postea ***surrexit*** angelus, cum socio suo. Luc. 24, 4. — αὐτοῦ, ***eum***) ***lapidem***. Sic nemo poterat lapidem denuo advolvere sepulcro.

v. 3. ἰδέα, ***species***) in facie. — λευκὸν, ***album***) Hoc habitu antehac apparuisse non leguntur coelestes nuncii: apparuere autem postea. Act. 1, 10. 10, 30. [***Nuncio respondebat habitus.*** Harm. p. 589.]

v. 4. ὡσεὶ νεκροὶ, ***quasi mortui***) Nec militaris audacia sustinet vim coelicolarum.

v. 5. μὴ φοβεῖσθε, ***nolite timere***) Initiale verbum in apparitionibus, quo timor, ex apparitione gloriosa percellens corda mortalium, temperatur, securitas promittitur, attentioque conciliatur. — ὑμεῖς, ***vos***) etsi milites timori suo relinquuntur. — οἶδα, ***novi***) Sic eis in cor adigit sermonem angelus.

v. 6. οὐκ ἔστιν, ***non est***) Versus hic incisa habet perquam apta. — ὁ κύριος, ***Dominus***) Gloriosa appellatio.

v. 7. εἴπατε, ***dicite***) Apostoli maxime debuerant credere, antequam viderent. ideo per mulieres eis nunciatum est, fidesque eorum tentata. [***Harum vero singularis ea dignatio fuit, quod ipsis primis post resurrectionem suam Dominus apparuit.*** V. g.] — ἠγέρθη, ***excitatus est***) Verba discipulis dicenda se porrigunt usque ad ***videbitis***. coll. v. 10. — ἐκεῖ, ***ibi***) Et tamen optimus Salvator prius se eis ostendit. Apparitio in Galilaea fuit valde solennis et publica: v. 10. 16. et promissa ante mortem Domini.

---

1) Graeca verba sic transtuleris: *Eo die, qui a vespera post sabbatum orditur, et sequenti mane in primam feriam illucescit.* Hic solis dies fuit, multo mane. *Harm.* p. 584. sa.

2) *Hujus succinctam historiam ex collatione Evangelistarum a b.* Bengelio *instituta lubet hic apponere, ea tamen lege, ut* argumenta *suis locis Lectori investiganda relinquantur. Summa rerum, quam* Harm. ev. pag. 584. sqq. *exhibet, huc redit.* Unctionis apparatu, cujus ante sabbatum initium factum erat, post finem sabbati continuato per feminas atque absoluto, multo maturius quam reliquae feminae, ad sepulcrum venit Maria Magdalena (amplius enim inter *tempus antelucanum* et *solem orientem* intervallum intercedit, quam ut omnes simul ante lucem exisse et oriente sole ad monumentum pervenisse censeri queant). Interim angelus divinitus missus lapidem a sepulcri janua, terrae motu actum comitante, maximo custodum terrore, devolvit. Maria Magdalena saxum devolutum omnium prima animadvertit, eamque rem, sepulcrum haud ingressa, nunciatum it Petro et Johanni. Haec dum geruntur, reliquae feminae sepulcrum ingressae, corpore Domini non reperto in sollicitudinem adducuntur, atque nuncio angelico de resurrectione percepto aufugiunt. Tum Petrus et Johannes ad sepulcrum pervenientes, conspecta rerum conditione corpus Domini ablatum esse credunt, domumque revertuntur. Maria, ad sepulcrum jam constituta (huc enim Apostolos denuo secuta erat) lacrymis indulget, et duobus angelis, quorum vix curam habet, conspectis, ipsum *Jesum videt*, qui mox et reliquis feminis, nuncium angelicum et discipulis perferre paratis, apparet. (His abeuntibus custodes sepulcri rerum gestarum nuncio ad sacerdotes perlato pecuniâ datâ corrumpuntur.) Jam ad discipulos Maria, reliquis feminis stipata, pervenit, sed optimi nuncii fidem ne apud Petrum quidem invenit. Dominus interim Cleophae et socio (et alibi Petro etiam) adparet. At ne istis quidem fidem prius discipuli tribuunt, quam interveniente, quae Simoni praeterea contigerat, adparitione relationes relationibus confirmatae essent. Eâ ipsâ denique vesperâ discipulis in unum congregatis et sermones de his inter se conferentibus, conspiciendum se praebet redivivus Dominus. E. B.

Digitized by Google

v. 8. φόβου καὶ χαρᾶς, *timore et gaudio*) In spiritualibus haec possunt esse simul.

v. 9. [1]) καὶ ἰδοὺ, *et ecce*) Elegans expressio rei subitae et improvisae. — ὁ ἰησοῦς, *Jesus*) Obedientibus revelatio ulterior obtingit. — χαίρετε, *gaudete*) Formula frequens, a Jesu adhibetur sensu eminenti. — προσεκύνησαν αὐτῷ, *adorarunt eum*) Jesum ante passionem alii potius alieniores adorarunt, quam discipuli.

v. 10. τοῖς ἀδελφοῖς μου, *fratribus meis*) Joh. 20, 17. not.

v. 11. τινὲς, *aliqui*) Ceteri alio iverunt, aut certe non ad sacerdotes. — ἅπαντα, *omnia*) Ex his omnibus colligebant, Jesum resurrexisse.

v. 12. ἱκανὰ, *sat multos*) ut corrumperent milites romanos, qui mentirentur, contra veritatem, magno suo periculo. [*Auri fames plus apud eos valet, quam terror* v. 4. V. g.]

v. 13. εἴπατε, *dicite*) Magno scandalo fuere militibus sacerdotes, et atrocissime peccarunt contra Deum. — ὅτι) Specimen perfidiae et calumniae judaicae. — νυκτὸς, *noctu*) Speciose mentiri docent.

v. 14. ἐὰν, *si*) Quam laboriosum bellum mendacii contra veritatem! — ἐπὶ) *penes.*

v. 15. διεφημίσθη, *divulgatum est*) Multa sunt ejusmodi, quibus se miseri Judaei detinent. [*Et vel unus sermo pravus quam insignes subinde noxas parit!* V. g.]

[2]) v. 17. οἱ δὲ, *alii*) vel *aliqui* de XII. His vero dubitationem, si qua remansit, ademit pentecoste. Quo tardiores ad credendum fuerant, eo majore postea fide digni fuere testes. *Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur a nobis.* Leo serm. I. de Ascens.

v. 18. προσελθὼν, *accedens*) eoque ipso etiam dubitantibus fidem faciens. — αὐτοῖς, *illis*) ad illos. — ἐδόθη μοι, *data est mihi*) praesertim resuscitato, et ascendenti. Summam habet hic locus earum rerum, quas Dominus deinceps per apocalypsin uberius declaravit. de omni potestate et de praesentia apud suos vid. ibi c. 1, 18. 13. — πᾶσα, *omnis*) Causa, cur Jesus discipulos mittat in omnem mundum, et cur totus mundus Jesum debeat colere: cur baptismum instituat Jesus. [*in salutem hominum, in terra convertendorum et ad* coelum *adducendorum.* V. g.] Vid. Eph. loco mox citando. — ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, *in coelo et super terra*) C. 9, 6. 16, 1. Hactenus in terra fuerat; nunc in coelum ascendit: omnia implet. Eph. 4, 10. cum antec. et conseq.

v. 19. s. πορευθέντες κτλ., *profecti etc.*) [3]) Praeceptum proficiscendi praesupponit exspectationem Paracleti. Luc. 24, 49. Summa Actorum: quae in hanc partem utiliter conferri possunt cum evangelistis, quorum Summa est, *quaecunque praecepi.* — μαθητεύσατε — βαπτίζοντες) Μαθητεύειν est *discipulos facere.* complectitur *baptismum* et *doctrinam* h. l. conf. Joh. 4, 1. — αὐτοὺς, *eos*) τὰ ἔθνη,

---

1) *Verba proxime antecedentia,* ὡς — μαθηταῖς αὐτοῦ, *exprimit quidem* Vers. germ.; *sed* utriusque Editionis *graecae margo praefert omissionem.* E. B.

2) v. 16. εἰς τὴν γαλιλαίαν, *in Galilaeam*] Haec ipsa illa omnium solennissima fuit apparitio, quam ante Passionem suam Dominus promiserat. Nec temere pro eadem haec habetur, cui fratres plus 500 interfuere, 1 Cor. 15, 6. Paulo enim Dominus post ascensionem suam adparuit: at reliquis Apostolis (v. 7.) opus tum non amplius fuit eâ visione. Hierosolymis utique post ascensionem discipuli 120 numerati sunt (Act. 1, 15.). Sed multo plures Galilaea tenuit. *Harm.* p. 611.

3) Munus evangelicum saepius Apostolis suis injunxit Salvator a mortuis redux (Joh. 20, 21. 21, 15.): Evangelistae igitur praeceptorum istorum Summam hâc illâve occasione datâ potuerunt exhibere. Matthaeus eam cum apparitione in Galilaea conjungit: Lucas, post apparitionem istam commemorat, c. 24, 49. imo Hierosolymis, ad diem ascensionis, coll. Act. 1, 2. ss. Idemque de Marco suspiceris, c. 16, 15. 16. *Harm.* p. 612.

Digitized by Google

gentes. Synthesis frequentissima. c. 25, 32. etc. Judaei, qui per circumcisionem jam foederi *Dei* erant inserti, erant baptizandi *in nomine Jesu* Christi, et accepturi donum *Spiritus sancti*: Act. 2, 38. Gentes *in nomen Patris, et Filii et Spiritus sancti* baptizandae dicuntur in his verbis institutionis: plane fuerant alienae a Deo. Eph. 3, 6. not. Conf. not. ad Act. 11, 21. Illae gentes, de quibus Act. 10. non erant plane ignarae Dei Israëlis, nec plane alienae. Judaei, qui semel Jesum Christum filium Dei agnoscebant, eo ipso non poterant non et Patrem D. N. J. C. et Spiritum Filii agnoscere. — εἰς τὸ ὄνομα, *in nomen*) Formula solennissima et gravissima baptismi, summa pietatis, [*cujus omnia* Symbola fidei christianae *antiquitus adornata periphrasin esse s.* ἐξεργασίαν, *optimo jure dixeris. In ipso Christi Jesu baptismate Pater et Filius et Spiritus Sanctus se manifestarunt.* V. g.] Mysterium S. Trinitatis post resurrectionem Christi clarissime revelatum cum habitu singularum personarum inter se et erga nos: Rom. 8, 9. not. et quia S. Trinitatis confessio adeo arcte innexa baptismo, minus mirum est, in scriptura N. T. non saepe ita expresse poni.

v. 20. αὐτοὺς, *illos*) Discipulis dictum est ideo, ut dicerent aliis. — τηρεῖν, *observare*) *tenere*, ut baptizatis convenit, fidei virtute, non modo legaliter. Saepe sic Johannes. Inprimis notandum ex hoc solenni loco verbum. — ἐνετειλάμην, *praecepi*) Haec praecepta extant Matth. 5. Joh. 15. etc. — μεθ' ὑμῶν, *vobiscum*) etiam cum in toto mundo eritis divisi. Pertinet hoc etiam ad totam ecclesiam. nam sequitur, *usque ad* etc. — πάσας, *omnes*) continua praesentia, eaque praesentissima. Marc. 16, 17. 19. s. [*Ergo nunquam plane exspirabit Ecclesia christiana.* V. g.] — ἕως, *usque ad*) Tum enim nos erimus *cum* Domino. [*Huic itaque, Lector, te trade, in Eoque permane. Sic optime tecum et in tempore actum erit et in aeternum.* V. g.]

IN EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

CAPUT I.

v. 1. Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου ἰησοῦ χριστοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, *initium evangelii Jesu Christi filii Dei*) Magna partim cum Matthaeo est Marci convenientia, partim cum Luca. Inde etiam synopsis ejus cum synopsi utriusque concurrit. Describitur

I. INITIUM EVANGELII: c. I.
  1. Johannes viam parat. 1 — 8
  2. Jesum baptisat, qui FILIUS DEI proclamatur. 9—11
  3. Jesum tentat Satanas: angeli ei ministrant. 12. 13

II. EVANGELIUM ipsum,
  1. in Galilaea. Hîc notandae periodi tres:
    A. Johanne tradito: 14
      a. summatim:
        α. locus et materia praedicationis. 14. 15
        β. vocatio praecipuorum apostolorum. 16—20
      b. speciatim:
        α. Actiones ab adversariis non reprehensae:
          1. potenter docet. 21. 22
          2. obsessum liberat. 23—28
          3. Petri socrum et multos aegrotos sanat. 29—34
          4. orat. 35
          5. ubique docet. 36—39
          6. leprosum mundat. 40—45

a b c

Digitized by Google

a b c

β. Actiones, ab adversariis, paulatim gravius, reprehensae. Hîc occurrit
1. paralyticus. II. 1—12
2. vocatio Levi, et cibus cum publicanis et peccatoribus sumtus. 13—17
3. quaestio de jejunio soluta. 18—22
4. spicae evulsae. 23—28
5. manus arida restituta, et adversariorum insidiae. III. 1—6

γ. Secessus Domini, et acta
1. apud mare. 7—12
2. in monte, ubi XII apostoli vocati. 13—19
3. domi: ubi suorum, atrocissima scribarum blasphemia refutata, quaestionem corrigit. 20 s. 22 s. 31—35
4. e navi, ad populum; et seorsum ad discipulos. IV. 1 s. 10 s. 26 s.
5. in mari, et trans mare. 35—41. V. 1—20
6. cis mare, iterum: ubi Jairus et haemorrhousa. 21—43
7. Nazaretae, scandalum. VI. 1—6
8. Apostolorum emissio. 7—13

B. Johanne interemto: 14
1. Herodis auditio de Jesu, et opinio de Johanne, quem interfecerat, redivivo. 14—29
2. secessus Domini cum Apostolis reversis. 30. 31
3. populi studium: Domini misericordia: 5000 saturati. 31 s. 33—44
4. iter maritimum. 45—52
5. in terra Genesareth multos sanat: 53—56
docetque, quid inquinet vel non inquinet. VII. 1 s. 14 s. 17 s.
6. in finibus Tyri et Sidonis ejicitur daemonium. 24—30
7. ad mare Galilaeae sanat surdum et mutum: cibat 4000. 31—37. VIII. 1—9
8. venit in Dalmanutha, et respondet de signo e coelo. 10—13
9. in navi, monet de fermento doctrinae. 14—21
10. ad Bethsaida sanat coecum. 22—26

C. Jesu, Filio Dei, agnito.
1. Petro CHRISTUM fatente, discipulis silentium injungit, et passionem praedicit: Petrum increpat: sequelam requirit. 27 — IX. 1
2. sex post diebus glorificatur: silentii causas explicat: lunaticum sanat: iterum passionem praedicit. 2—32
3. discipulos docet modestiam, aequitatem, concordiam. 33 s. 38—50

2. in Judaea:

α. in finibus: X. 1
1. agit de divortio. 2 s. 10 s.
2. de parvulis. 13—16
3. de vita assequenda, et divitiarum impedimento. 17 s. 23 s. 28 s.

β. in via ad urbem:
1. passionem praedicit tertio. 32—34
2. Jacobo et Johanni respondet, et decem ceteros corrigit. 35 s. 41—45

γ. ad Jerichuntem, Bartimaeo visum donat. 46—52

δ. Hierosolymis: XI. 1

a. Introitus regalis 2—11
b. postridie, ficus devota, templum purgatum. 12—14 15—19
c. postridie,
1. apud ficum arefactam, fidei vis commendatur. 20—26
2. in templo,
1. potestas Jesu vindicatur. 27—33
2. parabola proponitur, de vinea. XII. 1—12
3. quaestio de censu. 13—17
4. de resurrectione. 18—27
5. de maximo praecepto. 28—34
6. de Davidis Domino. 35—37
7. populus scribas cavere jubetur. 38—40
8. laudantur oboli viduae. 41—44
3. apud templum, in monte oliveti, praedicit templi et urbis, mundique finem. c. XIII. 1 s. 3 s. 14 s. 24 s. 28 s. 33—37

a d

Digitized by Google

a d
d. BIDUO ANTE PASCHA: adversariorum et proditoris pactum. XIV. 1—11
e. DIE PRIMO AZYMORUM:
1. Duo Discipuli pascha parant. 12—16
2. vesperi, coena. 17. s. 22 s.
3. post hymnum, praedicitur discipulorum scandalum, et Petri abnegatio. 26—31
4. in Gethsemane,
α. Jesus orat: discipulos excitat. 32—42
β. proditur: capitur: deseritur. 43—52
5. in aula pontificis,
α. mortis condemnatur. 53—65
β. a Petro abnegatur. 66—72
f. Feria VI. Acta
α. in praetorio. XV. 1 s. 6 s. 16—20
β. in via. 21
γ. in Golgotha:
1. potus. 23
2. crux ipsa, et vestes divisae. 24. 25
3. titulus. 26
4. duo malefici. 27. 28
5. contumeliae. 29—32
6. tenebrae trihorii: clamor Jesu: adstantium scomma: potus: mors: velum scissum. 33—38
7. centurionis effatum: mulierum spectatio. 39—41
δ. vesperi, sepultura. 42—47
g. Post sabbatum, Resurrectio Domini, nunciata
α. per angelum. XVI. 1— 8
β. per Ipsum,
1. Mariae Magdalenae. 9—11
2. duobus in agrum euntibus. 12 s.
3. undecim discumbentibus. 14
III. EVANGELIUM 1. a Domino resuscitato apostolis commissum, 15—18
2. et post adscensionem confirmatum. 19. 20

Ipso primum *initii* vocabulo nova oeconomia aperitur. v. 15. Ideo Luc. 3, 1. ut epocha longe maxima notatur. Titulus, v. gr. apud Malachiam, משא *Onus;* at nunc, *Initium evangelii.* Atque hic titulus concisum quiddam habet. nam *initium evangelii* est in Johanne baptista; *evangelium*, in toto libro. *Initium* tamen appellat Marcus non libri sui, sed rei gestae, coll. v. 2. uti Hoseas, c. 1, 2. Cum illo principio concinne congruit principium libri: respondetque simul clausulae propheticae V. T. per Malachiam scriptae; perinde ut finis I. 2 Chron. et initium Esdrae. Proprius hujus *evangelistae*, quem ipse tali titulo profitetur, scopus est, *Evangelii,* de *Jesu Christo Filio Dei,* (v. 11.) origines, historiam, rationes, cursum, consummationem describere. [1]) c. 1, 1. 14. seq. 8, 35. 10, 29. 13, 10. 14, 9. 16, 15. Hinc tam saepe *evangelii* vocabulo utitur: hinc patet, ultima Marci esse genuina. c. 16, 15. 20. Hinc *Petrum*, excellentem evangelii praeconem, tam singulariter commemorare solet.

v. 2. ὡς, *sicut*) Sic habere se debuisse initium evangelii, ostendit Marcus ex prophetis: eoque probato, cetera omnia probantur. Apodosis est versu 4. — ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ, *in Esaja propheta*) Ex Malachia prius, deinde ex Esaja, testimonium affert Marcus: itaque nonnulli scripsere, ἐν τοῖς προφήταις, *in prophetis.* Sed tamen, quemadmodum Matthaeus c. 21, 5. unius *prophetae*

1) Et hujus descriptionis ordinem ita instruit, ut, per *dichotomiam* incedendo, I. ea Salvatoris facta, quae diversis quidem temporibus, at uno loco (qui Capernaum fuit) evenerunt, cumulatim referat, ex iisque, a nemine impugnatis, concludat, Jesum verum Messiam, Sanctum DEI esse, c. 1, 16—45. II. eas adversariorum quaestiones atque interpellationes itidem simul exponat, quae diversis pariter temporibus, locis autem fere iisdem prolata sunt, dum secutae sunt ipsae insidiae. c. 2, 1. — 3, 6. *Harm.* p. 203. s.

Digitized by Google

nomine Zachariam citat, et quiddam ex Es. 62, 11. adspergit; ac Paulus Rom. 9, 27. *Esajam* appellat, et quiddam ex Hos. 2, 1. attexit: sic Marcus duos allegat, (quanquam Malachiae locum ex albo in contextum Marci irrepsisse, non sine specie conjicit Beza), atque unum *Esajam prophetam* (ut pridem existimavi,) appellat [1]). Esajas copiosior est et notior, testimoniumque ejus, a Marco citatum, legebatur publice in sabbato: et Malachiae testimonium hic repraesentat Marcus, per parenthesin quasi, instar supplementi, periocham *illam*, in qua *proprie* Malachias apud Matth. 11, 10. et Luc. 7, 27. citatur, infra praetermissurus; Esajae autem, ut apud Matthaeum, Lucam, Johannem, sic apud Marcum, *propria hoc* loco est allegatio. Ipse Johannes Baptista Esajam, non Malachiam, de se allegavit.

v. 3. φωνὴ, *vox*) Luc. 3, 4. not. — ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deserto*) Hoc repetitur versu sequente, ubi mox etiam illud, *praedicans*, respondet *voci clamantis*.

v. 4. ἐγένετο, *extitit*) Demonstratur eventus. — κηρύσσων βάπτισμα, *praedicans baptismum*) Sermo concisus i. e. *praedicans praedicationem et baptizans baptismum poenitentiae*. Luc. 3, 3. — εἰς, *in*) Constr. cum *baptismum poenitentiae*. Act. 2, 38. — ἄφεσιν, *remissionem*) citra sacrificia levitica.

v. 5. ἰουδαία χώρα, *Judaea regio*) Sic, *Judaeam terram;* Joh. 3, 22. — οἱ ἱεροσολυμῖται, *Hierosolymitae*) Alias non solent novum institutum facile sequi metropoles.

v. 7. ἔρχεται, *venit*) praesens. — ὁ ἰσχυρότερος) *ille*, qui *valentior* est. Unus Christus major est Johanne, et infinite major. — λῦσαι τὸν ἱμάντα, *solvere corrigiam*) Nos fere fibulis, veteres ligulis calceamenta adstrinxere. Johannes ad baptismum Jesu alludere, inscius fortasse, hoc videtur adagio, ut hoc dicat: non sum dignus, qui corrigias ejus solvam, nedum qui baptismum impertiam ei. Ad baptismum, cum vestibus utique etiam calcei exuebantur.

v. 9. εἰς τὸν) *in* flumen.

v. 10. εἶδε, *vidit*) Jesus. quanquam etiam Johannes vidit, Joh. 1, 32. — σχιζομένους, *scissos*) σχίζεται, *scinditur*, dicitur de eo, quod antea non fuerat apertum. Christus aperuit coelum primus. ἀνοίγειν, *aperire*, Matth. 3, 16. dicitur sensu generali; speciali autem in antitheto ad *scindere*, Act. 7, 56. Vid. de differentia horum verborum, Matth. 27, 51. 52. — τὸ πνεῦμα, *Spiritum*) in quo baptizaturus erat Jesus.

v. 12. εὐθέως, *statim*) Sic apud *filios* Dei magna de suo statu testimonia celeriter solet tentatio sequi. — ἐκβάλλει, *ejicit*) Praesens.

v. 13. μετὰ τῶν θηρίων, *cum feris*) Res magna. Gen. 1, 26. Status mera solitudine asperior. [*Ab angelis et hominibus remotus hic fuit Salvator: neque tamen ferarum incursibus obnoxius. Imperium in bestias, cujus Adamus tam mature jacturam fecerat, in summa jam exinanitione exercuit: quanto magis exaltatus!* Ps. 8, 8. V. g.] Marcus non solum historiam a Matthaeo descriptam breviori exhibet compendio, sed etiam specialia nonnulla quantivis pretii, a Matthaeo antehac non posita, et tamen fidelibus jam proficientibus fructum allatura, quasi supplevit [2]).

---

1) *Porphyrius, seculi tertii empaecta, Marcum eo nomine criminatus, quod verba* ἰδοὺ — προσώπου σοῦ *Esajae adscripserit, hac ipsa criminatione confirmat, isto jam tempore in graecis vel Syriacis exemplaribus lectionem* ἐν ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ *extitisse, adeoque non ex Latinis refictam esse; quod pluribus videre est in* J. D. Michaëlis Einleitung etc. T. I. p. m. 162. 586. s. E. B.

2) *Quae vel* omisit *vel* supplevit *Marcus, ea veterum traditioni, qua in* Romanorum *gratiam scripsisse censebatur, apprime respondere, per inductionem probatum ivit cel.* Michaëlis *in der* Einleitung etc. T. II. p. 1154. s. E. B.

Digitized by Google

v. 14. παραδοθῆναι, *traditus erat*) Scribit Marcus ut de re lectori vel ex Matthaeo vel aliunde cognita. *[Antea plus semel urbem Hierosolymam, ut Johannes refert, inviserat Jesus. At publica Ejus in Galilaea conversatio, eaque continua, nonnisi post Johannem custodiae traditum initium cepit.* V. g.]

v. 15. πεπλήρωται ὁ καιρὸς, *impletum est tempus*) *tempus*, de quo Daniel scripsit, advenientis regni: tempus, quod exspectastis. Qui agnoscebant, tempus esse impletum, proximum habebant gradum vel ad verum Messiam h. l. vel ad falsos Messias amplectendos. Luc. 21, 8. Implementum temporis non Johannes, sed ipse Dominus praedicavit. — μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε, *poenitentiam agite et credite*) tum eritis consortes evangelii.

v. 16. σίμωνα, *Simonem*) Ea ratione et copia de Petro scribit Marcus, ut facile videatur ex illius ore scripsisse. [*Conf.* v. 1. *not. ult.*] — αὐτοῦ τοῦ σίμωνος) Vel sic legendum [1]), vel tantummodo τοῦ σίμωνος· alii tantum αὐτοῦ, ex parallelis. Marcus interdum nomina repetit, c. 3, 17. 5, 37. interdum pronomen relativum iis adjicit. c. 2, 20. 3, 24. seq. 16, 14. et plane c. 6, 22. αὐτῆς τῆς ἡρωδιάδος. — ἀμφιβάλλοντας ἀμφίβληστρον) *Sic* LXX. Hab. 1, 17.: ἀμφιβαλεῖ ἀμφίβληστρον, in codd. opt. Unde Es. 19, 8. οἱ ἀμφιβολεῖς, *piscatores*.

v. 18. εὐθέως, *statim*) Felices, qui cito sequuntur.

v. 20. μισθωτῶν, *mercenariis*) Credibile est, Zebedaeum non fuisse pauperem.

v. 21. [2]) εὐθέως, *statim*) Delectatur hoc adverbio Marcus: inprimis capite I et II celerem Christi cursum, ad metam tendentis, et occasiones ei celeriter oblatas, celeresque successus, pulcre denotavit. Non lente egit Salvator. Similem vim habet particula πάλιν, *iterum*, Marco frequens.

v. 22. ἐξουσίαν, *potestatem*) v. 27. [*Idem Matthaeus notat* c. 7, 28. *Generalia ejusmodi Evangelistarum alius hoc alius alio loco refert. Sic populus cum ovibus pastore destitutis comparatur* Matth. 9, 36. *ac deinceps*, Marc. 6, 34. *Marcus tamen h. l. sermonem montanum indigitat: unde patet, sanationem socrus Petri, quam ipse transponit, sermonem montanum (quae Matthaei series est) insecutam esse.* Harm. p. 235.]

v. 23. καὶ, *et*) Marcus initio historiae suae notat, quomodo Jesum aspexerint et homines et daemonia. *[Scilicet neque Marcus neque Lucas* (c. 4, 33.) *in hac narratione ordini historico insistunt.* Harm. p. 256.] — ἀνέκραξε, *exclamavit*) Videntur plerique antea nescisse, obsessum illum hominem esse. Magna vis obsessionis. nam idem saepe praedicatum et homini et daemonio tribuitur. c. 3, 11. 9, 20. Act. 8, 7.

v. 24. ἔα, *sine*) id est, *sine* nos loqui. Luc. 4, 34. 41. — τί, *quid*) Miserrimus status: optare, ne quid rei habeant cum Jesu. *[Conf. Apoc.* 6, 15.] — ναζαρηνέ, *Nazarene*) Credibile est, hostem valde attente observasse, quid Jesus in juventute ageret Nazaretae. — ἀπολέσαι, *perdere*) Bene! 1 Joh. 3, 8. — ἡμᾶς, *nos*) [3]) Communem inter se causam habent daemonia. — οἶδα, *novi*) Non dicit: *nos novimus.* De se ait, non de ceteris. Daemones, qui in obsessis erant, citius videntur, quam ceteri, sensisse, quis esset Jesus. *[at citius etiam, quam plurimi hominum, quibuscum ambulabat.* Harm. p. 256.]

v. 25. ἐπετίμησεν, *increpuit*) Sic c. 3, 12. Hinc patet, longe majorem

---

1) *quod praefert margo* Editionis *Bengelianae* utriusque *omissioni lectionis* τοῦ σίμωνος *signum* ε *subjiciens, suffragante* Vers. germ. *ad h. l.* E. B.

2) καὶ εἰσπορεύονται, *et intrant)* Lucas, καὶ κατῆλθεν, *et descendit*, in parallelo c. 4, 31. Nazaret nimirum situm altiorem habuit: Capernaum, ad mare, depressiorem. Quae Marcus h. l. et Matthaeus c. 4, 13. de urbe Capernaum tradunt, ea Lucas l. c. conjungit. *Harm.* pag. 235.

3) Signum interrogationis post hanc voculam exulare debet. *Not. crit.*

Digitized by Google

esse excellentiam Jesu occultam, quam Sociniani putant. DOMINI est increpare. Jud. v. 9. — φιμώθητι, *esto repressus*) Hoc non impediit clamorem exeuntis spiritus immundi, sed verba articulata, qualia versu 24. memorantur.

v. 26. σπαράξαν, *concerpens*) Hostes, cum intima obsederant, inviti cedunt, vere pelluntur.

v. 27. διδαχὴ, *doctrina*) cum qua conjuncta haec miracula. — καὶ) etiam.

v. 29. εὐθέως, *statim*) Jesus fugit strepitum celebritatis. — ἦλθον, *venerunt*) Jesus, et Simon et Andreas. — μετὰ, *cum*) Jam, una relicta, plures habebant domos Jacobus et Johannes.

v. 32. ὀψίας, *vespere*) Assiduitas Jesu. coll. v. 35. *mane*. — καὶ, *et*) speciatim.

v. 33. ὅλη, *tota*) aegroti, ferentes, spectantes.

v. 34. οὐκ ἤφιε, *non sivit*) Sic c. 11, 16. Aoristus 2 verbi ἀφιέω, ut docet Sylburg in Not. ad Clenard p. 468. — ὅτι, *quia*) Conabantur loqui.

v. 35. ἔννυχον, *multa nocte*) Interdiu et noctu saluti nostrae invigilavit. Patet hinc etiam studium apostolorum et populi. v. seqq. — προσηύχετο, *precabatur*) speciatim pro apostolis. v. seq.

v. 36. ὁ σίμων καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοῦ, *Simon et qui cum ipso*) Jam Simon est eximius. Sic. Luc. 8, 45. 9, 32. Non dicitur, v. gr. *Thomas* et qui cum eo erant. *[Conf. not. 1 ad v. 16.]*

v. 37. εὑρόντες, *invenientes*) Ergo non dixerat, quo iret. [*Maximam sc. amorum partem cum in solitudine transegisset, publice tandem conspiciendum se exhibuit, ea tamen lege, ut vel tum occultam cum Patre coelesti consuetudinem publicae cum hominibus conversationi prudentissime attemperaret.* Harm. p. 259.] — πάντες, *omnes*) Quidni etiam nos? inquit Petrus.

v. 38. ἐχομένας, *obvias*) Ut externa, locus, tempus, dant sese, ita regnum Dei se insinuat. — ἐλήλυθα, *veni*) Primi sermones Jesu habent aenigmatis aliquid: sed paullatim apertius de se loquitur. Postea dicturus erat: *exii a Patre.*

v. 39. κηρύσσων· ἐκβάλλων, *praedicans: ejiciens*) Duo genera beneficiorum.

[1]) v. 43. εὐθέως, *statim*) ne videretur Jesus derogare legi. — ἐξέβαλεν, *expulit*) Paratus erat homo sanatus manere cum Jesu et abesse a propinquis. Adversa ab affectibus naturalibus ad Christum transferunt.

v. 45. [2]) μηκέτι, *non jam*) Christus ergo paratus erat docere potius in urbibus, quam ibi, quo exirent homines.

CAPUT II.

v. 1. Πάλιν, *iterum*) Conf. c. 1, 21. 29. — δι᾽ ἡμερῶν) interjectis *diebus* quibusdam. [*Unus idemque in urbem Capernaum reditus est, cujus Marcus h. l. post sanatum leprosum, Matthaeus post reversionem ex regione Gergesenorum meminit* c. 9, 1.: *idem etiam paralyticus, quem post Matthaeum describunt Marcus et Lucas.* Harm. p. 276.]

v. 2. μηδὲ, *neque*) Non modo domus, sed ne atrium quidem eos cepit.

v. 3. ὑπὸ τεσσάρων, *a quatuor*) Erat igitur adultus, sed non valde. v. 5. *filii.*

---

1) v. 41. σπλαγχνισθεὶς, *commiseratus*] Praecipuam Marcus in sanctis affectibus, adeoque gestibus etiam Jesu observandis sedulitatem exercet. Quod qui in legendo libro ejus curatius attenderit, haud parum delectationis inde capiet. *V. g.*

2) κηρύσσειν, *praedicare*] Publica ista et spontanea praeconia rebus memoratu dignis cito publicandis inserviebant. c. 5, 20. Satius tamen hoc loco fuerat, obedientiam praestare. *V. g.*

Digitized by Google

v. 4. ἀπεστέγασαν, *tectum removerunt*) ex amore, sine noxa. [*Sic per omnia fides* (v. 5.) *ad Christum penetrat*. V. g.] Credibile est, fuisse tugurium, non amplam domum. — ἐξορύξαντες, *effodientes*) laquear, sub tegulis, amplo foramine facto. Populus frequens bonam fecerat moram.

v. 5. πίστιν, *fidem*) operosam.

v. 8. τῷ πνεύματι αὐτοῦ, *Spiritu suo*) Prophetae cognoscebant res in Dei Spiritu, non in suo; Christus, in Spiritu suo, omniscio, divino. conf. 8, 12. Spiritus sanctus autem non dicitur Spiritus Christi ante Pentecosten illam magnam, Act. 2. Superest igitur, ut Spiritum Jesu intelligamus de natura divina humanam inhabitante. — τί, *quid*) Parodia ad *quid*, v. 7.

v. 14. [1]) τελώνιον, *portorium*) ad mare. v. 13.

[2]) v. 15. ἦσαν γὰρ, *erant enim*) Declarat evangelista, cur modo scripserit, *cum Jesu et discipulis ejus*. multi *quippe* hi erant.

[3]) v. 16. τί ὅτι) Sic LXX. Jud. 11, 7. etc.

v. 18. νηστεύοντες, *jejunantes*) Hoc et morem et actum praesentem significare videtur. Conf. not. ad Matth. 9, 14.

[4]) v. 20. ἐλεύσονται, *venient*) Prima significatio Passionis. — ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ) Sic etiam Gothus habet: pluralis autem, a nonnullis surrogatus, ex Luca est [5]). Dies unus, auferendi Sponsi: dies multi, ejusdem ablati et absentis. *Venient autem dies, quum ablatus ab eis erit Sponsus: et tum jejunabunt in illo*, (illorum aliquo, primo scilicet potissimum,) *die*. Sic Luc. 17, 22. dicitur, *venient dies*, plurali numero: et v. 31. *in illo die*, singulari numero, cum vi relativa ad illum pluralem.

v. 21. αἴρει τὸ πλήρωμα τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ) Haec lectio media, brevis, genuina. Vid. App. Crit. Ed. II. p. 149. Sententia est: *supplementum novum aufert* aliquid panni *veteris*.

v. 26. ἐπὶ ἀβιάθαρ, *sub Abjatharo*) Ahimelech erat sacerdos, qui Davidi panes dedit: sed illi ob id ipsum occiso successit mox Abjathar filius; et postea Abjathari sacerdotium et Davidis regnum eadem tempora habuit. Notissima apud Hebraeos series sacerdotum erat. itaque a sacerdote sumitur denominatio aetatis David: et quidem Abjatharum evangelista, cujus tempore actio Davidis in sacras literas relata fuisse videtur, citat, prae Ahimelecho. conf. ἐπὶ, Matth. 1, 11. Nec dissimilis locutio Gen. 2, 2. *die septimo*: et c. 10, 25. *in diebus Peleg* (paullo post nati) *divisa terra*.

v. 27. Ἔλεγεν, *dicebat*) sermonem iterum exorsus conf. c. 4, 21. 24. 26. 30. 7, 20. 9, 1. Luc. 4, 24. 5, 36. 6, 5. 15, 11. Joh. 1, 52. — διὰ, *propter*) Axioma. Sic fere 2 Macc. 5, 19.: οὐ διὰ τὸν τόπον τὸ ἔθνος, ἀλλὰ διὰ τὸ ἔθνος τὸν τόπον ὁ κύριος ἐξελέξατο. — ἐγένετο, *factum est*) Origo et finis rerum spectanda. Benedictio sabbati, Gen. 2, 3. hominem spectat.

v. 28. ὥστε, *itaque*) Sensus eximii aenigmatis promtior est: Quod juris in sabbatum habet homo quivis, id habeo etiam ego. Sensus augustior, sed pro ratione illius temporis reconditus: Finis sabbati facti est salus hominis secundum animam et corpus. hanc salutem praestare debet Filius hominis: et ad hunc finem obtinendum habet idem potestatem omnium rerum, et nominatim sabbati,

---

1) *Conf. de hac historia not. ad* Matth. 9, 9. E. B.

2) λευὶν, *Levin*] Matthaeum etiam appellatum. *V. g.*

3) καὶ ἠκολούθησαν, *et sequebantur*] Itaque jam tum emendata mente rectam viam tenebant. *V. g.*

4) v. 19. τοῦ νυμφῶνος, *Sponsi*] Hic Jesus est, quo absente laetum, praesente tristem diem habere nequeunt ii, quibus est cognitus. *V. g.*

5) *Singularem itaque h. l. et* Gnomon *praefert et margo.* Ed. 2. *et* Vers. germ., *quamquam in* Ed. maj. *signo* ὃ *notatum.* E. B.

Digitized by Google

quippe propter hominem facti; et pro hoc fine obtinendo recte moderatur omnem sabbati usum.

CAPUT III.

v. 1. Πάλιν, *iterum*) alio sabbato. [*quod festum Paschatos octiduo antecessit.* Harm. p. 309.] Luc. 6, 6. [1]) — ἐξηραμμένην, *arefactam*) non ex utero, sed morbo aut vulnere. Haec vis participii [2]).

v. 2. παρετήρουν, *observabant*) ex obliquo et occulto. Proximo ante sabbato audierant doctrinam sanam de sabbato.

v. 3. λέγει, *dicit*) ut aegroti miseria tanto magis moveret omnes. — ἔγειραι εἰς) Concise, id est, *surge* et prodi *in* medium.

v. 4. ἢ, *aut*) Non servare est perdere. Oppositio immediata. *animam servare*, totum: *benefacere*, pars. et sic in opposito. — ψυχὴν, *animam*) humanam: adeoque etiam manum. — ἐσιώπων, *silebant*) Luc. 14, 3. ἡσύχασαν. Non habebant, quid dicerent.

v. 5. περιβλεψάμενος, *circumspiciens*) Vultûs Christi multa nos docent. v. 34. [*Conf.* c. 10, 21. 27.] — συλλυπούμενος, *contristatus*) In Pharisaeis erat *tristitia* mala, Jesus *contristatur* pie, singulatim de singulis. Cum tristitia justa conjuncta est ira justa. v. 2. not. — πωρώσει, *duritie*) Habitus cordis cognitionem veritatis ejusque conclusionum aut difficilem reddit aut facilem. πώρωσις, *durities*, sensûs perimens, v. gr. visum et tactum. Coecitas est, non videre; *durities*, non percipere. Joh. 12, 40.

v. 6. εὐθέως, *statim*) Crevit odium. coll. v. 2. fin. — ἡρωδιανῶν, *Herodianis*) etsi hi fortasse non magnopere curabant sabbatum. Vel jussu vel permissu Herodis occidere Jesum volebant.

v. 7. ἀνεχώρησε, *secessit*) vitavit insidias, et tamen non longe, nec timide. nam ivit ad mare [3]).

v. 7. 8. πλῆθος, *multitudo*) Duae erant multitudines: altera, ex Galilaea, sequebatur; altera, ex diversissimis locis, tum primum veniebat ad Jesum. Illa dicitur *multa multitudo*, haec *multitudo multa*, epitasi trajecto nomine indicata.

v. 8. ἰδουμαίας, *Idumaea*) Ergo Esau non erat plane exosus. — οἱ περὶ) Hi erant Israëlitae, Tyro et Sidoni *vicini*.

v. 9. πλοιάριον, *navicula*) Nominativus. — προσκαρτερῇ, *praesto sit*) non illo uno tempore. — ἵνα μὴ, *ut ne*) Cura justae commoditatis.

v. 10. ἐπιπίπτειν, *inciderent*) Admirabilis patientia et benignitas Domini.

v. 11. ὅταν) Ὅτ' ἄν, cum praeterito indicativi, uti ὅπου ἄν, c. 6, 56.

v. 12. ἵνα μὴ — φανερὸν, *ut ne — manifestum*) Nec tempus erat; nec hi, praecones.

v. 13. εἰς τὸ ὄρος, *in montem*) seorsum. — οὓς ἤθελεν αὐτὸς, *quos volebat ipse*) Libera potestas, et summa. Volebat, ex voluntate Patris. [*His partim* οἱ *duodecim, modo memorati, continebantur; partim alii, e. g. Joseph et Matthias*, Act. 1, 23. V. g.] — ἀπῆλθον, *abierunt*) relictis omnibus.

---

1) εἰς τὴν συναγωγὴν, *in Synagogam*] Sceleris quid non ingeritur coetui sacro in eoque perpetratur! *V. g.*

2) Marcus ea facta, quibus adversarii nihil opponebant, combinat c. 1.; tum et ea conjungit, quae oppugnabant isti c. 2.; donec odio agitati insidias Domino struerent. Eadem Lucae est methodus. *V. g.*

3) Quae Marcus h. l. v. 7—19. refert, ea justo narrationis ordine proponit, combinanda cum Matth. 4, 24. ss. Sed quae antecedunt et sequuntur apud Marcum, ea parallela sunt Matth. 12mo. Ab insidiis hostium ansam desumit Marcus memorando secessui Salvatoris, v. 7. eoque ipso in viam tantisper e diverticulo redit etc. *Harm.* p. 238. *Mare* memoratur h. v., *domus* v. 20. iterumque *mare* c. 4, 1. Tali pacto historias diversorum temporum combinat Marcus. *V. g.*

Digitized by Google

v. 14. δώδεκα, *duodecim*) Characteres apostolici: vocatio immediata, conversatio cum Christo perpetua, autopsia, praedicatio universalis, donum miraculorum.

v. 16. ἐπέθηκε, *imposuit*) Dominii nota est, dare cognomen. datum etiam Jacobo et Johanni conjunctim, v. 17. sed prae illis Petro, primo. Sic in catalogo XII exploratorum terrae commemoratur *Josua* pro *Hosea* vocatus. Num. 13, 4—16.

v. 17. ἰάκωβον, *Jacobum*) *advocat.* — ὀνόματα, *nomina*) Plurale innuit, etiam utrique seorsum [1]) hanc appellationem convenisse. *[Attamen hoc duntaxat loco Jacobi et Johannis cognomen; Petri frequenter memoratur.* V. g.] — βοανεργές, *Boanerges*) *Procul dubio Christus hoc nomine* בני רגשא *alludit ad duos scribas, qui in synedrio summo sacerdoti sedere solebant ad sinistram et dextram: quorum hic colligebat suffragia absolvendorum, ille damnandorum; ritumque synedrii juridicum regno suo spirituali applicat.* Mel. ant. sac. p. 36. s. Etymon paullo aliter exquirit Hilleri onom. p. 117. 699. — υἱοὶ βροντῆς, *filii tonitrui*) Magnifica appellatio. Tonitru in scriptura et terribile et festivum quiddam est. Evangelium item mundum terret, piis laetitiam et fructum affert. Johannes in lenitate tamen absconditam habet vim tonitrui; inprimis in testimonio de deitate Jesu Christi: conf. Joh. 12, 29. 28. et in apocalypsi tonitrua perscripsit plurima; et ipse audivit, quae perscribi non debuere. Ap. 10, 3. Hillerus l. c. *filius tonitrui est fulmen, eo quod ruptarum nubium fragorem sequitur.*

v. 20. ἔρχονται, *veniunt*) Jesus cum familia nova. *[Non* temporis *ordinem, sed* locorum *vicissitudinem haec Marci relatio sequitur. Conf.* v. 7. 13. Harm. p. 311.] — εἰς οἶκον, *domum*) *ad domum* potius, quam *in domum.* coll. v. 21. 31.

v. 21. οἱ παρ' αὐτοῦ, *qui apud ipsum*) Vid. App. Crit. Ed. II. p. 150. Gothicum *fram* respondet ad περὶ et παρά. Hi, *qui apud ipsum*, qui fuerint, liquet ex v. 31. ubi particula *ergo* hunc versum 21. quasi parenthesi interim expedita, respicit. — ἐξῆλθον, *exiverunt*) Exitum sequebatur τὸ *venire.* v. 31. Videtur domi structa fuisse mensa. v. 20. fin. — κρατῆσαι, *tenere*) cohibere. — ἔλεγον, *dicebant*) nuncii, ex quibus propinqui ejus *audierunt* de ardore ejus. — ὅτι ἐξέστη, *mente alienatus est*) Hoc verbo tribuebant ei nimietatem ardoris, intellectum opprimentis, sed tribuebant perperam, ut Paulo Festus, Act. 26, 24. *insanis.* conf. omnino 2 Cor. 5, 13. ἱερεὺς καὶ προφήτης ἐξέστησαν διὰ τὸ σίκερα· Hebr. שגו Es. 28, 7. ὁ προφήτης παρεξεστηκὼς, Hebr. משגע Hos. 9, 7. De populo hoc accipi non patitur singularis numerus: quamvis enim ὄχλος *turba* singulare est, tamen ex intervallo semper sequitur pronomen et verbum plurale.

[2]) v. 23. προσκαλεσάμενος, *advocans*) Eo ipso illos ad attentionem aliquam perduxit. — σατανᾶν, *Satanam*) Vid. Matth. 12, 26. not.

v. 26. ἀνέστη) Verbum valde aptum, *insurrexit.* q. d. nova res foret!

v. 27. ἐὰν μὴ — δήσῃ, καὶ τότε — διαρπάσει) Simillima constructio: μὴ ἀποθάνῃ καὶ ἕτερος ἐγκαινιεῖ Deut. 20, 5. seqq. item Gen. 27, 12. Matth. 5, 25. 26, 53. 27, 64. Rom. 11, 25. s. 35. nec non Marc. 5, 23. fin. Luc. 13, 25. 18, 7. Joh. 12, 35.

---

1) Vers. germ. *margo tuetur contrariam sententiam, qua nonnisi* conjunctim *cognomine hoc ornati videntur.* E. B.

2) v. 22. οἱ ἀπὸ Ἱροσολύμων καταβάντες, *qui descenderant Hierosolymis*] proximis ante Pascha diebus, quum jam reliqui homines adscenderent. Sat longo temporis intervallo Hierosolymis Jesus abfuerat; itaque eo nunc tempore cohibere Eum in Galilaea conabantur, quo ingens eum populi multitudo circumfluebat, aliis negotiis soluta, et ad celebrandum festum proficisci parans. *Harm.* p. 314.

Digitized by Google

v. 28. τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, *filiis hominum*) Peccata, humana sunt: sed blasphemia in Spiritum sanctum, est peccatum satanicum. — καὶ αἱ βλασφημίαι) Articulus, in *edd.* omissus, magnam sermoni vim addit.

v. 29. αἰωνίου ἁμαρτίας, *aeterni peccati*) *Peccatum* hoc loco *reatum* denotat: et *aeternum peccatum* opponitur, magna proprietate sermonis, *remissioni*. [*Poenam itaque tum* sensus *tum* damni *aeternam infert*. V. g.] Glossa, αἰωνίου κρίσεως.

v. 31. [1]) οἱ ἀδελφοὶ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Marcus fratres priore loco posuit. fratres initium fecerant quaerendi, eosque secuta est mater. [*non omni eo nomine culpâ vacans*. V. g.] Similis ratio ordinis verborum, Num. 12, 1. 10. ubi *Miriam*, magis adversata Mosi, ante *Aaronem* ponitur. Sic, *Rahel et Lea*, verso ordine, Gen. 31, 14. *Gad et Ruben*, Num. 32, 6. Minus quam ceteri, sed non tamen nihil humani passa est benedicta in mulieribus. — ἔξω, *foris*) extra orbem illum, v. 32. vel etiam extra domum, ubi docebat. — φωνοῦντες, *vocantes*) clara voce.

v. 32. εἶπον, *dixerunt*) Ipse bene sciebat.

v. 34. κύκλῳ, *circuitu*) suavitate summa.

CAPUT IV.

v. 1. Ἤρξατο, *incepit*) post interpellationem. — παρὰ, prope) Antitheton: *prope mare; in mari*.

v. 3. ἀκούετε, *audite*) Verbum clare pronunciatum, ad sedandum populi strepitum, ne ipsum sermonis initium frustra esset. [*Marcus praecipue auditum verbi commendat*. v. 24. 25. 33. V. g.]

v. 8. ἐδίδου, *dabat*: ἔφερεν, *ferebat*) Subjectum, ἄλλο, *aliud*. coll. v. 4—7. — ἀναβαίνοντα, *ascendentem*) supra contraria omnia.

v. 9. ἔλεγεν, *dixit*) Pausa frequens, sermonibus gravissimis interposita. v. 13. 21. 24. 26. 30.

v. 10. οἱ περὶ αὐτὸν, *qui cum ipso*) primae admissionis. c. 3, 34.

v. 11. ἔλεγεν, *dixit*) cum prolubio. — ἔξω, *foris*) extra discipulatum genuinum. [*Antitheton*, v. 10. V. g.] — γίνεται) *accidit*.

v. 12. ἵνα, *ut*) Jam ante non videbant. Matth. 13, 13. Nunc accedit judicium divinum. ἵνα, *ita ut*. LXX, Gen. 22, 14. — καὶ ἀφεθήσεται αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα, *et remittentur eis peccata*) Haec vera *sanatio*. Matth. 13, 15. Ps. 103, 3.

v. 13. οὐκ οἴδατε, *non nostis*) Notat Jesus interrogationem discipulorum. — καὶ πῶς, *et quomodo*) Parabola de semine, prima ac fundamentalis. — πάσας, *omnes*) Doctrina Christi perfecta.

v. 14. ὁ σπείρων, *seminans*) Christus est *seminans*. Petrus, Paulus et alii seminant semen Christi, et sunt servi Seminatoris.

v. 15. ὅπου σπείρεται ὁ λόγος, *ubi seminatur verbum*) Hoc comma connectendum potius cum sequentibus. — εὐθέως, *statim*) Maximum tempus insidiarum. — ἐν ταῖς καρδίαις, *in cordibus*) Id plus, quam *in corda*.

v. 16. 17. εὐθέως, *statim*) Magnae mutationes in anima celeriter fieri possunt.

v. 19. αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι, *cupiditates de reliquis*) *voluptates vitae*, Luc. 8, 14. in victu, amoribus, studiis literarum etc. — εἰσπορευόμεναι, *ingredientes*) Qui verbum Dei accepit, videre debet, ne curae mundi invalescant, et novam animae latitudinem affectusque, capaciores ex verbo Dei redditos, occupent vehementius, quam antea. — γίνεται, *fit*) sermo.

---

1) ἔρχονται οὖν, *veniunt itaque*] Remittit haec locutio ad ἐξῆλθον v. 21. *V. g.*

Digitized by Google

v. 20. ἓν, *unum*) Accusativus.

v. 21. καὶ, *et*) Versus 24. cum versu 20. et antecedentibus arcte cohaeret: ergo etiam hic intermedius. coll. Luc. 8, 16. hoc sensu: Terra semen sibi commissum sat diu tegit; sed vos virtutem verbi auditi confestim debetis exserere. — ὁ λύχνος, *lychnus*) Sic quoque Christus, lux vera, cum evangelio, venit. Et homo ipse debet esse non modius, sed candelabrum. conf. Luc. 8, 16—18. — κλίνην, *lectum*) ubi capitur cibus.

v. 22. οὐ γὰρ ἐστί τι κρυπτὸν, — οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, *non enim est quidquam occultum, — neque factum est absconditum*) Differentia est et verborum, *est*, natura; *factum est*, studio: et nominum: conf. κρυπτὰ, 1 Cor. 4, 5. et ἀπόκρυφοι, Col. 2, 3. cui respondet illa inter *manifestari*, vi; et *in manifestum venire*, ultro, cum maturum est. Ergo prior sententia potest de malo, altera de bono accipi. Id axioma valet de rebus naturae; de sensibus et actionibus hominum malis et bonis, in statu naturali et spirituali, de mysteriis divinis. — ἐγένετο, *factum est*) Subjectum, τί, *quicquam*, repetitum: praedicatum, *absconditum*. — ἔλθῃ, *veniat*) ultro. conf. Joh. 3, 21. Id fit successive, in hoc seculo; et fiet plene, quum lux omnia illustrabit. 1 Cor. 4, 5.

v. 23. εἴ τις, *si quis*) Ergo non quivis habet.

v. 24. βλέπετε, τί ἀκούετε, *videte, quid audiatis*) Visus, nobilior, moderatur auditum: oculus, non auris, se movet. — τί, *quid*) Auditis verbum, quod verbum Dei est. id magni habete. vel *quid* resolvendum in *quomodo* Lucae: videte, qualem praestetis auditum. — ἐν ᾧ μέτρῳ, *in qua mensura*) Ea *mensura* est cor cum sua capacitate, cupiditate, studio impertiendi aliis, obsequio. Qua quisque in dando mensura utitur, eam in accipiendo experietur. — προστεθήσεται, *addetur*) ut non modo sitis auditores, sed etiam participes. — τοῖς) *quod attinet ad audientes.* [1]) conf. ad Rom. 2, 8. de tali Dativo.

v. 26. ἄνθρωπος, *homo*) Cum hoc homine confertur Deus et Christus, ad describendas aetates et gradus totius ecclesiae christianae. v. 29.

v. 27. καθεύδῃ καὶ ἐγείρηται, *dormiat et surgat*) His duobus verbis per χιασμὸν cohaerent nomina, *nocte atque die.* Et nox interdum ante diem poni solet. Gen. I. — οὐκ οἶδεν αὐτὸς, *non novit ipse*) Post collata hominibus praesidia gratiae, Deus eos quodammodo sibi ipsis permittit. Potest tamen hoc referri ad ipsum hominem fidelem: et tum *sponte sua* v. 28. opponitur curae humanae, non culturae terrae.

v. 28. αὐτομάτη, *sponte sua*) Non excluditur agricultura et coelestis pluvia solesque. [*sed immutur libertas, vel in bono vel in malo augescendi, a domino fundi homini concessa.* V. g.] — χόρτον, *gramen*) sementem gramini similem. sic initio virtutes spirituales a naturalibus vix dignoscuntur. — εἶτα, *deinde*) Mirabilis ratio incrementi successivi: ea olim patebit.

v. 29. παραδῷ, *tradiderit*) idem *sponte sua.* subaudi *sese.* — εὐθέως, *statim*) ut ante non nimis cito, sic nunc non sero. — ἀποστέλλει, *mittit*) Sermo concisus. *mittit,* falce praeditos. nam ἀποστέλλεσθαι est viventis cujuspiam.

v. 30. τίνι ὁμοιώσωμεν, *cui assimilemus*) Plurale conf. Joh. 3, 11.

v. 31. ὡς κόκκον, *sicut granum*) scil. *comparemus.* — μικρότερος) *minus.*

v. 31. 32. ὅταν σπαρῇ, *quum seminatum fuerit*) Hoc, bis positum, exacte definit tempus illud, quum granum desinit esse parvum, et incipit fieri magnum. versu 31. *quum,* ut versu 32. *seminatum fuerit* cum emphasi est pronunciandum.

v. 33. καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν, *sicut poterant audire*) Non ferebant apertius dici.

---

1) *Omissionem hujus incisi lectoris decisioni reliquerat* utriusque Editionis *margo; praefert tamen lectionem pleniorem cum* Gnom. *etiam* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

v. 35. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, *in illo die)* Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Pronomen, ἐκείνῃ, *illo*, non illum praecise diem notat, quo parabolas de Seminante, ceterasque proposuit Salvator, ut praeter alios agnoscit Grotius, sed minus definite refertur ad diem in superiore cursu libri notatum, nempe cap. 2, 1. Sic Jud. 13, 10. ביום LXX. ἐν ἡμέρᾳ, *ac potius*, in cod. Alex. τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. Sic Matth. 24, 48. ὁ κακὸς δοῦλος ἐκεῖνος. Et quidem Marcus τὸ ἐκεῖνος varie adhibet. c. 2, 20. 13, 24. nott. De tempore hujus navigationis conf. Harmon. evang. §. 49.

v. 36. παραλαμβάνουσιν, *assumunt*) Ii, quorum erat navis, assumsere ad trajiciendum. — ὡς ἦν, *ut erat*) sine apparatu. Matth. 8, 20. Sic LXX, ὥς ἐστιν, et, ὡς ἦσαν, 2 Reg. 7, 7. — πλοιάρια, *naviculae*) et in iis homines. — μετ' αὐτοῦ, *cum illo*) cum Jesu.

v. 37. λαῖλαψ) i. e. κίνησις νεφῶν καὶ ταραχὴ μετὰ εὐδίαν κτλ. Eustathius. — ἐπέβαλεν, *injecerunt*) sc. *sese.*

v. 38. πρύμνῃ, *puppi*) ubi gubernaculum est. — τὸ προσκεφάλαιον, *cervical*) Pars haec erat navis, ut ex articulo colligas; lignea, ut Theophylactus notat. vid. Heupel. ad h. l. — οὐ μέλει σοι, *num non curae est tibi*) Non irascitur Dominus importunius orantibus.

v. 39. σιώπα, *sile*) desiste a sonitu. — πεφίμωσο, *obmutesce*) desiste ab impetu. — γαλήνη, *tranquillitas*) maris; quod alias vel post ventum in motu mansisset.

v. 40. οὐκ, *non*) Postea dixit, *nondum*, Matth. 16, 9. Τὸ *non* simpliciter dicit privationem; τὸ *nondum* innuit, habuisse illos jam antea, cur crederent.

CAPUT V.

v. 1. Τῶν γαδαρηνῶν, *Gadarenorum) Gadara*, urbs Graecanica, Judaeis subdita: in qua multos Judaeos habitasse ex eo colligi potest, quia Dominus ad eos venit. [*Communem ea sine dubio portum habuit cum Gerasa vel Gergesa.* V. g.]

v. 2. εὐθέως, *statim)* Servatus tamen est homo, ne, ut porci, in mare se praecipitaret. — ἐν, *in*) Particula vim habet.

v. 3. κατοίκησιν, *habitationem*) Varii sepulcrorum incolae v. 5.

v. 5. ὄρεσιν, *montibus*) locis solitariis. montes ibi erant. v. 11. — ἑαυτὸν, *se ipsum*) In obsessis etiam justus amor sui impeditur.

v. 6. ἔδραμε, *cucurrit*) Specimen dominii Christi. Cucurrit obsessus, invitis, ut facile existimari potest, daemoniis.

v. 7. μή με βασανίσῃς, *ne me crucies*) Dum cruciatur daemonium, cruciatur obsessus, et hic tamen liberatur. Daemonium deprecatur aut ipsam expulsionem, aut additum expulsioni cruciatum alterum.

v. 8. τὸ) Sermo est, tanquam de uno: et v. 13. 9. de multis, qui uni parebant, ut legio imperatori. Unicus ille perpetuam cum sua legione videtur conjunctionem habere, quia uno nomine continentur.

v. 9. λεγεὼν, *legio*) Appellatio synecdochica. unus in his erat princeps, et ceteri cum eo conjuncti erant legio: sive id Latini nominis antea gesserat, quam hunc hominem intraret, sive tunc assumsit. — πολλοί ἐσμεν, *multi sumus*) Hoc affirmat suis verbis Lucas, c. 8, 30. Si in uno nido tam multi esse possunt: quot sunt in universum! [*Numerus in se non parit patrocinium.* V. g.]

v. 10. παρεκάλει, *rogabat*) Numerus singularis: pluralis, v. 12. — χώρας, *regionem*) quam amabant vel tenebant. [*adeoque, hominum istorum gnari, eo plus detrimenti parare cogitabant.* V. g.] Mirum autem est, eos non vitasse locum, in quo versabatur Messias, potentiam eorum destruens.

v. 12. πάντες, *omnes*) consentientes.

Digitized by Google

v. 13. εὐθέως, *statim*) Non egebat deliberatione, ulla in re. — ὡς δισχίλιοι, *quasi bis mille*) Hunc numerum superabat nomen legionis.

v. 14. ἀνήγγειλαν, *annunciaverunt*) iis, quorum fuerant porci, in urbe et in agris.

v. 15. καθήμενον, ἱματισμένον, σωφρονοῦντα, *sedentem, vestitum, sanae mentis*) cum antea fuisset sine quiete, vestibus, rationis usu. *Vestes* ii, qui spectarant, dare potuerunt. *Rationis usum* actionibus exserebat. — τὸν λεγεῶνα, *legionem*) Videtur hoc nomen ibi locorum notum fuisse, et homines territos habuisse. Neque enim alia causa apparet, cur haec appellatio, rem, ut illi invenerint, describens, iteraretur. [1])

v. 18. μετ᾽ αὐτοῦ, *cum illo*) Crux hominem ablactarat a suis: virtus Jesu eum tenebat. [*eoque jam ulterius juvare istos potuit.* V. g.]

v. 19. τοὺς σοὺς, *tuos*) Obligatio erga propinquos. — ἀνάγγειλον, *annuncia*) Tempus loquendi: v. 30. seqq. et tempus tacendi. v. 43. — ὁ κύριος, *Dominus*) Jesus v. 20.

v. 20. κηρύσσειν, *praedicare*) Sic non carebant testimonio gloriae Dei; etsi Jesus, rogatus, celeriter abibat. — ἐν τῇ) non solum domi. v. 19.

v. 22. [2]) ἰάειρος, *Jairus*) Quo tempore Marcus hoc scripsit, Jairus ejusve filia adhuc reperiri in Palaestina potuit. Magnum veritatis argumentum est, quod ipsa nomina propria in historia evangelica ponuntur. — ἰδὼν, *videns*) conspecta majestate Christi.

v. 23. ἐσχάτως ἔχει, *in extremis est*) Magna fides Jairum impulit, ut ab animam agente discederet. — ἵνα, *ut*) Hoc stilo recitativo positum ostendit, *qua mente* Jairus morbum filiae commemoret.

v. 29. ἐξηράνθη ἡ πηγὴ, *arefactus est fons*) non modo decrevit. Erat repentinae sanitatis summus gradus.

v. 30. ἐπιγνοὺς, *cognoscens*) Fides etiam agit. — ἐξελθοῦσαν, *egressam*) Vis magnetica.

v. 33. φοβηθεῖσα, *timens*) Interdum actionem bonam subsequitur timor, quem ipsum porro tollit bonitas Domini. Matth. 26, 10. — εἶπεν, *dixit*) publice, Luc. 8, 47. posito intempestivo morbi pudore. — πᾶσαν, *omnem*) Recte!

v. 34. ὕπαγε εἰς εἰρήνην, *abi in pacem*) Conf. Luc. 7, 50. not. — ἴσθι, *esto*) perpetuo. Post longam miseriam, beneficium durabile.

v. 35. ἀπὸ, *de*) domo archisynagogi. — τί ἔτι, *quid adhuc*) Magna mortuae puellae affirmatio. Inepte conari herum putant. — σκύλλεις, *vexas*) Verbum hoc proprie dicitur de molestia itineris. Luc. 7, 6. 8, 49. Herodianus de dura captivorum vectura, deque profectione exercitus adhibet. Ambulatio Jesu erat tum perpetuus σκυλμός, *vexatio*. — τὸν διδάσκαλον, *Magistrum*) Erant ergo discipuli Jesu in familia Jairi, et archisynagogi doctor erat Jesus.

v. 36. λαλούμενον, *dictum*) quasi clam.

v. 37. τὸν ἀδελφὸν, *fratrem*) Marcus non diu post ascensionem Christi scripsit evangelium, quo tempore memoria Jacobi, decollati, adhuc vigebat ita, ut ipso Johanne notior esset.

v. 38. ἀλαλάζοντας, *cantu perstrepentes*) ad cogitationes lugentium minuendas.

v. 40. κατεγέλων, *deridebant*) tristi risu, sine petulantia. — ἐκβαλὼν, *ejiciens*) Admiranda potestas, in domo, ut extrinsecus videbatur, aliena. Revera

---

1) *Et margo quidem* Ed. maj. *minus probaverat hanc iterationem, cui magis favet* Ed. 2. *cum* Gnom. *et* Vers. germ. E. B.

2) τῶν ἀρχισυναγώγων, *archisynagogorum*) Qui reliquorum doctorum Inspectores erant. *V. g.*

Digitized by Google

erat in domo dominus. — τὸν) Ergo aderant tres discipuli, et tres ex domo. non plures, v. 43.

v. 41. ταλιθὰ κοῦμι, *Talitha kumi*) Petrus memor fuerat verborum a Salvatore adhibitorum: ex cujus ore Marcus scripsisse dicitur. *Talitha*, semel. neque enim Jesus mortuos excitans epizeuxin adhibuit. Luc. 7, 14. Joh. 11, 43. Nam semper praesens erat virtus ejus. Conf. Num. 20, 11. — σοὶ λέγω, *tibi dico*) Id non habetur in *Talitha kumi*, et tamen vere additur.

v. 42. εὐθέως, *statim*) Non demum paulatim sese recollegit. — γὰρ, *enim*) Rediit ad statum aetati congruentem. — δώδεκα, *duodecim*) Conf. v. 25. Uno tempore sanata est mulier, et resuscitata puella, quae uno tempore initium miseriae et vitae habuerant. [1])

CAPUT VI.

v. 1. [2]) Ἀκολουθοῦσιν, *sequuntur*) etsi non omnes admissi ad videndam resuscitationem puellae Jairi.

v. 2. γενομένου, *facto*) cum adventus Jesu non multo ante factus esset. — πόθεν — δοθεῖσα, *unde — data*) Atqui ipsa est Sapientia. — καὶ δυνάμεις) Subaudi, τί, *quid*, qui.

v. 3. ὁ τέκτων) fabri filius, vel etiam ipse *faber*. nam addunt, *filius* Mariae, in antitheto ad *filium fabri*. [*Ipse igitur eo labore defunctus est, qui respondebat operi spirituali.* Zach. 6, 12. V. g.]

v. 4. πατρίδι, *patria*) in qua multae sunt *cognationes*. — συγγενέσι, *cognatis*) multas habentibus *domos*.

v. 5. οὐκ ἠδύνατο, *non poterat*) Id est, non poterant fieri *virtutes*, quia homines erant incapaces. — ὀλίγοις, *paucis*) Quantitas. — ἀῤῥώστοις, *infirmis*) Qualitas.

v. 6. κύκλῳ, *circuitu*) Beneficium tamen praestitit Jesus patriae suae.

v. 7. ἤρξατο, *coepit*) postquam profecerant. — δύο δύο, *duos duos*) sex paria. Matth. 10, 2. s. — καί, *et*) Reliqua mandata patent ex v. 12. 13.

v. 8. 9. παρήγγειλεν) Hoc verbum trifariam hoc loco Marcus construit: παρήγγειλεν — ἵνα μηδὲν αἴρωσιν — ἀλλ᾽ ὑποδεδεμένους (scil. εἶναι·) — καὶ μὴ ἐνδύσησθε. Sic idem c. 12, 38. θελόντων περιπατεῖν καὶ ἀσπασμούς· ubi infinitivus et accusativus junguntur.

v. 8. ἵνα, *ut*) ut essent expediti, soluti, liberi [*Conf. not. ad* Matth. 10, 10.]

[3]) v. 13. ἐξέβαλλον, *ejiciebant*) Id sine dubio multo molestius tulere daemones, quam, se expelli ab ipso Domino. — ἤλειφον ἐλαίῳ, *ungebant oleo*) Haec unctio longe differebat ab ea unctione, quae *extrema* dicitur. Oleum non ferebant secum, v. 8. sed apud aegrotos sumebant. Miraculum eo apertius.

v. 14. φανερὸν, *manifestum*) Jesus multis prius non innotuit, quam mors Johannis innotesceret: alias eum non habuissent pro Johanne. Notandum contra eos, qui tempora post baptismum Domini nimis extendunt. — γὰρ, *enim*) Sine publica fama non nosset Herodes. Sero aula accipit novellas spirituales. — ἔλεγεν, *dicebat*) Luc. 9, 7. pluralis est, quem numerum res etiam in Marco poscit.

---

1) v. 43. διεστείλατο, *interdixit*] Turba sane, quam puellae obitus non latuerat, miraculum et nosse potuit et in DEI gloriam promulgare. *V. g.* — φαγεῖν, *quod ederet*] Viva jam et salva fuit, neque ullo egens medicamento. *V. g.*

2) ἐκεῖθεν, *exinde*) Latiorem haec vocula apud Marcum h. l. sensum habet, quam apud Matthaeum c. 13, 53. et universam Salvatoris commorationem in Capernaum et regione circumjacente respicit. Jairus in Capernaum habitavit: neque multo post resuscitationem filiae ejus, parabolae Matth. 13. etc. memoratae, prope Capernaum, prolatae sunt. *Harm.* p. 325.

3) v. 10. ἐκεῖθεν, *inde*] ex urbe. *V. g.*

Digitized by Google

nam enumerantur hominum opinationes, quarum unam Herodi praeter ceteras probabilem visam indicat demum versu 16. Itaque parenthesis, si eam ante *manifestum* juvat pingere, non in *ejus*, sed in *prophetarum* debet claudi, ut *audivit* in *audiens* reassumtum appareat. Neque Marcus opinionem, quam Herodes ab aliis accepit, Herodi bis adscribere dicetur, aliis ne semel quidem, praesertim cum Herodes magis dubitarit, quam alii. Ergo aut ἔλεγον, *dicebant*, legi debet, aut *dicebat* certe non spectat ad Herodem, sed cum eo verbo subauditur participium *dicens* indefinite, ut saepius ponitur φησὶν, *inquit*, scil. ὁ εἰπὼν, *dicens*. [1]) Vid. ad Chrysost. de Sacerdot. p. 477. Glass. Can. 23. de Verbo, et Hiller. Syntagm. p. 325.

v. 15. ἄλλοι, *alii*) Varietas humanarum opinionum de divinis rebus mira est. Eam scire, discipulos nonnihil juvat, c. 8, 28. sed Herodem magis perturbat. Quanta quanta est varietas, tamen saepe veritas extra eam versatur.

v. 16. ἀκούσας δὲ, *audiens autem*) Id repetitur ex v. 14.

v. 19. ἐνεῖχεν) *infenso animo imminebat*.

v. 20. ἐφοβεῖτο, *timebat*) Venerabilem facit sanctitas. Herodem non timuit Johannes. — εἰδὼς, *gnarus*) Argumentum verae religionis, timor malorum et reverentia erga pietatem. [*Neque tamen* prophetam *eum agnovit. Cardinem rei haud assequitur hominum seculi aestimium. Ipse Judas, tenebris jam obrutus, non* Christum, *sed* sanguinem innocentem *dixit Jesum*. V. g.] — συνετήρει, *custodiebat*) contra Herodiadem. — πολλὰ — ἤκουε, *multa — audiebat*) Nec tamen pius fuit Herodes.

v. 21. γενεσίοις) Γενέσια, Genus est: γενέθλια, species. Hoc proprie natalitium, illud quemvis diem festum, ex gr. regni capti etc. notat. — μεγιστᾶσιν, *magnatibus*) aulae et curiae. — χιλιάρχοις, *chiliarchis*) militiae. — τοῖς πρώτοις, *proceribus*) statibus provincialibus.

v. 22. ὁ βασιλεὺς τῷ κορασίῳ, *rex puellae*) Antitheton.

v. 25. μετὰ σπουδῆς) promte. — θέλω, *volo*) Parrhesia.

v. 27. σπεκουλάτωρα, *speculatorem*) Derivatur a *specula*. *Speculatores* supplicia peregerunt. Sen. l. I. de ira, c. 16.

v. 29. πτῶμα) Sic נבלה de propheta, Jer. 26, 23. Lat. *cadaver*. Salvatoris corpus non ita appellatur. — ἐν μνημείῳ, *in monumento*) patrio fortasse, cui inferri eum, ut *suo*, fas erat. Jesus Christus, vitae princeps, in sepulcro alieno repositus est.

v. 30. συνάγονται, *congregantur*) simul. — οἱ ἀπόστολοι, *apostoli*) Apta huic loco appellatio. — πάντα, *omnia*) Sequitur distributio, *et quanta, et quanta*. Relatio praeclarissima!

v. 31. ὑμεῖς αὐτοὶ, *vos ipsi*) quoque. Saepe Servator solus in solitudinem se contulit. nunc dicit: vos quoque solitudinem quaerite. — ὀλίγον, *paululum*) Solitudo et consuetudo cum aliis, contemperanda piis. — ἦσαν, *erant*) Non semper simul et venerunt et discesserunt.

v. 33. προῆλθον, *praevenerunt*) variis viis. — συνῆλθον, *convenerunt*) uno loco.

v. 34. ἤρξατο, *coepit*) denuo, ut si antea non docuisset. Opus verae misericordiae est, docere: et boni doctoris virtus est misericordia.

v. 35. πολλῆς, *multa*) Matth. 20, 1. ss.

v. 36. κύκλῳ, *circuitu*) Nam in uno duntaxat alteroque non erat cibi tantum.

v. 37. ἀγοράσωμεν, *emamus*) Interrogatione hac significant discipuli, non voluntatem deesse sibi, et operae in abeundo, et pecuniae, quam haberent, in

---

1) *Non* Gnomonis *observationem h. l., sed* utriusque Editionis *marginem sequitur* Vers. germ., *lectionem* ἔλεγεν *praeferens*. E. B.

Digitized by Google

emendo, impendendae, sed facultatem. Itaque *ducentorum denariorum* summam non tam ex ea, quae tum erat, crumenae copia colligunt, quam ex numero hominum. Vide, quid elici possit: 5000 viri — 200 denarii — 1 vir — 1/25 denarii, i. e. 1/2 kr. circiter. Habemus, praeter argumentum veteris monetae in novam resolvendae, illud *paululum* in singulos viros, (Joh. 6, 7.) illo praesertim anni tempore (circa Pascha, Joh. 6, 4.) quo annona solet esse carior: et rationalem discipulorum computum, quo e regione posito illustratur omnipotentia Domini. Summa 200 zuzaeorum sive denariorum apud Hebraeos perfrequens fuit in dote aut multa, ut Lightfootus docet: sed hoc non obstat anologiae 200 denariorum et 5000 virorum.

v. 40. ἀνέπεσον, *discubuerunt*) Fides populi.

v. 41. πᾶσι, *omnibus*) Etiam opsonio usi omnes: et hujus quoque reliquiae fuere. v. 43. [*quod, cum piscis partibus admodum diversis constet, minus adeo, quam panis amplificatio, rationi est perrium.* V. g.]

v. 45. πρὸς βηθσαϊδάν, *ad Bethsaidan*) Terminus navigationis non totius, sed ex parte, dum Jesus ad eos venturus esset.

v. 48. εἶδεν, *vidit*) Et tamen non priusquam maturum esset, venit ad eos. — ἤθελε, *volebat*) Conf. Luc. 24, 28.

v. 52. γὰρ, *enim*) Debuerant a pane ad mare concludere. Quo exercitatior fides, eo magis assuescit spectaculo admirandorum operum divinorum. [*Conf. Matth.* 14, 33.] — ἦν γὰρ, *erat enim*) Non modo notatur illud tempus, sed habitus cordis in illo tirocinio.

v. 53. προσωρμίσθησαν, *appulerunt*) promte.

v. 55. ἐπὶ τοῖς) Dativus. *in grabatis:* ut jacuerant.

v. 56. [1]) κἂν) Componitur hoc loco particula, non ex καὶ et ἐὰν, ut plerumque, sed ex καὶ et ἂν, uti 2 Cor. 11, 16. Conf. Not. ad Chrys. de Sacerd. pag. 459. — ἅψωνται, *tangerent*) exemplo haemorrhousae. c. 5, 27. — αὐτοῦ) τοῦ κρασπέδου.

CAPUT VII.

v. 1—5. Οἱ φαρισαῖοι — ἰδόντες τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ κοιναῖς χερσὶ — ἐσθίοντας ἄρτους (οἱ γὰρ — κλινῶν) ἔπειτα ἐπερωτῶσιν αὐτὸν οἱ φαρισαῖοι κτλ.) Locutio pendens: qua non observata, post ἄρτους inseruere nonnulli ἐμέμψαντο. Atqui tota periodus, per parenthesin dilatata, sustinetur verbo ἐπερωτῶσιν. Nam verbum vel iteratur finita parenthesi, Act. 2, 8. 11. 1 Cor. 8, 1. 4. Jud. 9, 16. 19. 2 Sam. 21, 2. 3. 4. 1 Reg. 8, 41. 42. vel tum demum ponitur, ut h. l. et Eph. 3, 1. 14. fitque connexio per particulas καὶ, δὲ, οὖν, et hoc loco per ἔπειτα. Valde similis est periocha *Gregorii* Thaumaturgi, quam quidem contractiorem dabimus: κατορθοῦται ἡ ψυχὴ, ἵν' ὥσπερ ἐν κατόπτρῳ ἑαυτὴν θεωρήσασα (τὸ ἄλογον, καὶ πάλιν τὸ λογικὸν κτλ.) ΕΙΤΑ ταῦτα ἐν αὐτῇ κατανοήσασα, τὰ μὲν χείρονα ΕΚΒΑΛΛΟΙ, τὰ δὲ ἀγαθὰ ΕΚΤΡΕΦΟΙ. vid. Paneg. ad Orig. p. 70. seq. Ed. Stutgard.

[2]) v. 2. τοῦτ' ἔστιν, *hoc est*) Interpretationem addit evangelista, uti v. 11. c. 5, 41. etc. ipse manus illotas non habens pro communibus.

v. 3. πυγμῇ) Πυγμὴ *pugnus*. πυγμῇ עד הפרק carpotenus. v. Lightf. — παράδοσιν, *traditionem*) Hujus correlatum, παρέλαβον, *acceperunt*. v. 4.

v. 4. ξεστῶν, *urceorum*) unde in *pocula* infunditur. — κλινῶν, *lectorum*) quibus utuntur edentes.

---

1) ἐν ταῖς ἀγοραῖς, *in foris*] ubi occursum ejus certiorem haberent, et quamplurimi opem unâ consequerentur. *V. g.*

2) ἀπὸ ἱεροσολύμων, *Hierosolymis*] Pascha illic celebratum fuerat. *V. g.*

Digitized by Google

v. 5. ἐπερωτῶσιν, *interrogant*) Semper *quaestionibus* duntaxat operam dabant pharisaei. — περιπατοῦσι, *ambulant*) הלך Hebraeis hoc sensu frequens.

v. 6. ὑποκριτῶν, *hypocritis*) Sane ex hoc loco sumi potest definitio *hypocriseos*. Hi Pharisaei erant specimen hypocritarum.

v. 8. ἀφέντες, *missum facientes*) Oppositum τοῦ *tenere*. Affinia: *abolere*, v. 9. *abrogare*, v. 13. — τὴν ἐντολήν, *praeceptum*) Unum *praeceptum*, uti virtus una et simplex; contra multiplicitatem traditionum. — τοῦ θεοῦ· τῶν ἀνθρώπων, *Dei: hominum*) Evidens antitheton. — βαπτισμοὺς ξεστῶν, *baptismos urceorum*) viles observatiunculas.

v. 9. καλῶς ἀθετεῖτε, *pulcre aboletis*) היטיב LXX καλῶς. i. e. pulcre dicitur, cum ita dicitur. Sicut incendii pictura vera, *pulcra* est. Putarantque illi, se facere *pulcre*. — ἵνα, *ut*) Vere accusantur, etsi hypocritae non putarent, hanc suam esse intentionem.

v. 10. μωσῆς, *Moses*) divinitus.

v. 13. ᾗ παρεδώκατε, *quam tradidistis*) Traditionem fecistis vos, quae antiquis erat mera consuetudo.

v. 14. ἀκούετε, *audite*) Admonitio *omnibus* salutaris, contra praejudicium vero cultui divino inimicissimum.

v. 16. εἴ τις ἔχει, *si quis habet*) Pauci hoc capiebant. v. seqq.

v. 18. ἔξωθεν, *extrinsecus*) Id accedit, explicationis gratia.

v. 19. καθαρίζον) non inquinans, sed *purgans*, dum alimentum laudabile remanet, et *purgamenta* abeunt.

v. 22. πλεονεξίαι) Πλεονεξία, πλεονέκτης, πλεονεκτέω, comparativum involvens, denotat medium quiddam inter furtum et rapinam: ubi per varias artes id agitur, ut alter per se, sed cum laesione sui, inscius vel invitus, offerat, concedat et tribuat, quod indigne accipias. Propius tamen ad furtum accedit, et rapinae magis opponitur: estque divitum potissimum, ut duo illa pauperum. 1 Cor. 6, 10. 5, 10. — ἀσέλγειαι) diffluens animi *lascivia*. conf. Syr. Haec et *malignus oculus* sunt contra praeceptum IX et X. — ὀφθαλμὸς πονηρὸς, *oculus malignus*) invidia et de malis alienis gaudium. — ἀφροσύνη, *insipientia*) qua laborabant, qui h. l. refutantur: coll. *insipientes*. Luc. 11, 40. Causa, cur *insipientia* extremo loco ponatur: quae etiam reliqua omnia facit incurabiliora. Non in sola voluntate est corruptio humana. [*conf.* v. 18.]

v. 23. πάντα, *omnia*) O quam impurus est fons cordis nostri!

v. 24. μεθόρια) *fines communes*. — οὐδένα, *neminem*) Erat enim in finibus terrae Israël.

[1]) v. 25. ἀκούσασα, *audiens*) Si ex fama fides: quanto magis ex Scripturae textu vel brevi. — γὰρ, *enim*) Resp. v. 24. fin. Jesus obviam se tulit cum ope sua: sed ita moderatus est rem, ut videretur quasi fortuito fecisse erga Graecam; cum totum iter illius causa suscepisset. Conf. Matth. 18, 12. — τὸ θυγάτριον, *filiola*) Subjectum obsessionis possunt esse etiam pueri, c. 9, 21. 24. etiam ethnici.

v. 26. ἑλληνὶς, *Graeca*) vocabulo late sumto. — συροφοίνισσα τῷ γένει) Τῶν τὴν φοινίκην σύρων κατοικούντων meminit Clemens Al. in Protrept. *Syrophoenicen* memorat Tertullian. adv. Marcion. et Justin. M. adv. Tryph. *Syrophoenix udus* notatur a Juvenale. Foemininum φοίνισσα, quod Herodianus habet, formatur ad analogiam κρῆσσα, λίβυσσα, θρᾷσσα, κίλισσα.

[2]) v. 27. ἄφες πρῶτον, *sine primum*) Non plane negat: importunam eam

---

1) οὐκ ἠδυνήθη λαθεῖν, *non poterat latere*) Ita res dirigente Deo dispositae sunt, ut temere quasi atque fortuito feminae ethnicae beneficium contigisse videretur. *V. g.*

2) τὸ δαιμόνιον, *daemonium*] immundum istum spiritum, qui obsederat puellam. *V. g.*

Digitized by Google

esse, notare ei videtur. — χορτασθῆναι, *saturari*) Judacis aliquid decessisset, si Jesus plus temporis impendisset gentibus. [1])

v. 28. ὑποκάτω τῆς τραπέζης, *sub mensa*) Magna submissio mulieris. Allegat tamen vicinitatem. — τῶν παιδίων, *puerorum*) qui panem saepe prodigunt. Diff. a τέκνων, *liberorum*, quo denotatur *jus*.

v. 29. διὰ τοῦτον τὸν λόγον, *propter hoc verbum*) *verbum*, et, in eo, fidem. Subaudiri potest, *dico tibi*. [*Saepe, tum in malo tum in bono, tota animae virtus uno se verbo exserit*. V. g.] — ἐξελήλυθε, *egressum est*) Ita Jesus statim eam exhilaravit indicio laeto. [*Norat enim, quae vel emimus virtute sua facta erant*. V. g.]

v. 30. ἀπελθοῦσα, *abiens*) in fide. — εὗρε τὴν θυγατέρα βεβλημένην ἐπὶ τῆς κλίνης, καὶ τὸ δαιμόνιον ἐξεληλυθός) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Situs filiae in lecto *jacentis* ostendebat magnam vim daemonii, quod obsederat puellam; et majorem vim Jesu, qui id ejecit. Filia antea quiete caruerat. Mater vero non invenit daemonium ipsum, quod exierat; sed invenit, quod exisset daemonium, i. e. illum statum rerum. Vis verbi *invenit* cadit potius super participium, quam super nomen.

v. 31. τῶν ὁρίων, *finium*) Id est, per mediam Decapolin. [*Regio* Decapolin *complexa, maximam partem extra Galilaeam* (Matth. 4, 25.) *trans Jordanem, et aliqua ejus portio, si placet, in latere Galilaeae meridionali sita fuit, Syris potissimum atque ethnicis habitata. Huc pertinent* Gadara (Marc. 5, 20.) et Caesarea Philippi. — *Frequens est circa hoc tempus finium ethnicorum apud Evangelistas mentio: unde totam terram Israëlis pervestigasse Salvatorem patet*. Harm. p. 343.]

[2]) v. 33. ἀπολαβόμενος, *seorsum sumens*) Circumstantiae multae, quas Jesus hoc loco adhibuit, et aspectus aliorum, qui sanabantur, apud *surdum*, cujus animam quoque sanabat, erant sermonis loco, dum audire coepisset. [*Oculorum primum, deinde aurium ope virtutem ipsi suam communicavit*. Harm. p. 343.] conf. c. 8, 23. de *coeco*. — πτύσας, *spuens*) Saliva munda, salubris.

v. 34. ἐστέναξεν, *ingemuit*) Suspiriorum, corde στενῷ, vis magna. γέμει, qui gemit. Est πάθος. quare in Psalmis nunquam dicitur: *suspirabo*, ut dicitur *orabo, clamabo, flebo*. Etiam lacrumae subitae non sunt in potestate nostra. Sed *flebo* in psalmis est propositi. [*Gemitus iste miserum commovit, opisque in eo desiderium excitavit*. V. g.] — ἐφφαθά, *Ephphatha*) Prima vox, audita surdo.

v. 35. ἀκοαὶ) q. d. *auditiones*. Non unus in aure meatus.

v. 36. αὐτοῖς, *illis*) qui tulerant mutum. Spectatorum potius erat, celebrare. Et tamen etiam illi celebrarunt. v. 37. Silentium iis praecique injungi solitum, qui curati fuerant. — μᾶλλον περισσότερον, *magis abundantius*) Comparativus in *magis* stat in antitheto ad interdictum: in *abundantius*, ad praedicationem, quam fecissent sine interdicto. Conf. Phil. 1, 23. not.

v. 37. καλῶς πεποίηκε, *bene fecit*) Formula ἀποδογῆς. Act. 10, 33. Phil. 4, 14. sic, in praesenti, 2 Petr. 1, 19. in futuro, 3 Joh. v. 6. Sic LXX, 1 Reg. 8, 18. Similis formula assentiendi, *bene dixisti*. Marc. 12, 32. — τοὺς) hunc aliosque [*Matth*. 15, 30.]

---

1) οὐ γὰρ καλόν ἐστι, *non enim convenit*] Quod per se non convenit, id convenit rite orantibus. *V. g.*

2) κωφόν, *surdum*] Historiam surdi hujus, nec non coeci, de quo c. 8, 22. solus Marcus retulit. *V. g.*

Digitized by Google

CAPUT VIII.

v. 2. Ἡμέραι, *dies*) Nominativus temporis, subaudito *est* vel *sunt*, absolutam locutionem facit. Luc. 9, 28.

v. 3. τινὲς, *quidam*) Ii, qui longius venerant, magis egebant: et propter hos etiam ceteri cibantur. [*Etiam hoc incisum sermonis Jesu pars est.* V. g.] — [1]) ἥκουσι, *venerunt*) Verbum ἥκω jam in praesenti tempore *veni* potius et *adsum*, quam *venio*, significat. Hanc verbi vim non videntur considerasse, qui ἦκασι substituerunt h. l. Vid. ad Ap. 2, 25.

v. 6. 7. εὐχαριστήσας· εὐλογήσας, *gratias agens: benedicens*) Synonyma. Recte faciunt cibum capientes, qui in singulos missûs orant. — καὶ αὐτὰ, *etiam illos*) liberaliter.

v. 11. ἤρξαντο, *coeperunt*) post pausam. [2])

v. 12. ἀναστενάξας) ut *contulit sese ad suspirandum*. Est inchoativum, ut ἀναβοάω etc. Et tamen *ingemiscere* sive *suspirare* manet πάθος.

v. 15. τῶν φαρισαίων καὶ ἡρῴδου, *Pharisaeorum et Herodis*) Duo extrema. *Pharisaeorum et Sadducaeorum*, dicitur Matth. 16, 6. not. Igitur pro eo, quod *Sadducaeos* dicit Matthaeus, *Herodem* Marcus. Omnium fermentum, hypocrisis, (Herodes, vulpes, Luc. 13, 31. not.) certe in postulandis signis, aliis aliisque ex causis. De Herode Lucas id non quidem c. 12, 1. sed c. 23, 8. quasi per supplementum, memorat. etenim quum ad Pharisaeos Herodes in articulo de resurrectione propius accederet, c. 6, 16. tamen licentia Sadducaeorum in ceteris rebus erat aptior aulae ejus, religionem ad speciem utilitatis politicae inflectenti.

v. 17. [3]) πεπωρωμένην, *induratum*) Ex corde *induratio* manat in visum, auditum et memoriam. v. 18.

[4]) v. 22. φέρουσιν, *ferunt*) Coecus ipse non videtur Jesum jam tum habuisse cognitum.

v. 23. ἐπιλαβόμενος, *assumens*) Ipse ducebat. magna humilitas. — κώμης) Bethsaida πόλις dicitur Joh. 1, 45. Erat κωμόπολις. Coeco visum recuperanti laetior erat aspectus coeli et operum divinorum in natura, quam operum humanorum in pago.

v. 24. ὡς δένδρα, περιπατοῦντας, [5]) *ut arbores, ambulantes*) Coecus dicit: hoc solo se cognoscere, homines esse, non arbores; quia ambulent.

v. 25. ἀναβλέψαι, *oculos tollere*) et experiri.

v. 26. εἰς τὸν οἶκον· μηδὲ εἰς τὴν κώμην, *in domum: neque in pagum*) Domus igitur ejus erat in extrema pagi parte. — μηδὲ εἴπῃς, *neque dicas*) Jesus celebritatem fugit, eo inprimis tempore. [*Postremum enim ante scenopegiam* (*et ante sermones* Joh. 7—10. *memoratos* V. g.) *apud Evangelistas hoc miraculum est, quod non secus ac sanationem surdi et muti publicari vetuit*, c. 7, 36. *Populus celebrato Paschate negotia ruralia frequentavit: adversarii nullo posthac signo digni fuerunt: et quae miraculis ejusmodi efficienda erant penes discipulos, ea jamnunc ad apicem pertigerant. Ecce completum in Galilaea annum gratiosum!* Harm. p. 348.] — τινὶ, *cuiquam*) qui est *in vico*.

---

1) μακρόθεν, *eminus*] singulari zelo impulsi. *V. g.*

2) πειράζοντες αὐτὸν, *tentantes eum*] num posset, tot signis in terra exhibitis, de coelo etiam idem praestare. *V. g.*

3) τί διαλογίζεσθε κ. τ. λ.] Sermo per distinctas interrogationes incedit usque ad verbum μνημονεύετε, v. 18. inclusive. *Not. crit.*

4) πῶς οὐ συνίετε; *qui non intelligitis*] panem vobis apud me deesse non posse, adeoque ab alio me fermento vos dehortari. *V. g.*

5) *Lectionem pleniorem*, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας, *praetulerat margo* Ed. maj., *sed cum* Gnom. *consentit* Ed. 2. *nec non* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

v. 27. ἐν τῇ ὁδῷ, *in via*) Sermo in via pius.

v. 31. τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, *filium hominis*) Humiliter se appellat: post resurrectionem ait, *Christum* oportuit pati. Luc. 24, 26. — ἀποδοκιμασθῆναι, *reprobari*) Negarunt enim, quod Petrus v. 29. confessus erat. c. 14, 63. s.

v. 32. παῤῥησίᾳ, *libere*) Antehac tantum subindicarat. Luc. 4, 23. — τὸν) τοῦτον.

v. 32. 33. ἐπιτιμᾶν· ἐπετίμησε, *increpare, increpuit*) Petrus, dum *increpat, increpationem* meretur. Idem verbum, v. 30.

[1]) v. 34. τὸν ὄχλον σὺν τοῖς μαθηταῖς, *turbam cum discipulis*) Doctrina catholica. [*quae vel turbae inculcatur, de Jesu Messia nondum distinctius instructae.* V. g.] — ἀκολουθείτω, *sequatur*) in morte *crucis*.

v. 35. καὶ τοῦ εὐαγγελίου, *et evangelium*) Sic, *et meos sermones*, v. 38. [*de cruce imprimis.* V. g.]

v. 38. ἐπαισχυνθῇ, *erubuerit*) verbis et factis. [*Ipsâ Christi imperterritâ confessione propria vita in discrimen adducitur.* V. g.] — με — ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *me — filius hominis*) De praesenti, loquitur in prima persona; de futuro, in tertia. — λόγους, *verba*) crucis. Plurale. Potest aliquis Christum profiteri universe, et tamen hunc vel illum sermonem, hoc vel illud dictum, v. gr. Matth. 5. erubescere. Hic quoque vincendus est pudor. — ἐν τῇ γενεᾷ ταύτῃ, *in generatione hac*) Huic opponitur panegyris, de qua mox. — τῇ μοιχαλίδι καὶ ἁμαρτωλῷ, *adultera et peccatrice*) quae ut *adultera Christum* spernit; ut *peccatrix, sermones ejus:* et inde confessoribus ejus omne minarum et pollicitationum genus objicit. talis turba plane contemnenda est. quis timeat? quis vereatur? — ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *filius hominis*) Modo dixit, *me et sermones meos*, non, *filium hominis et sermones ejus*: nunc non, *ego*, sed, *filius hominis*. quae appellatio singularem cum adventu glorioso visibili nexum habet. Luc. 9, 26. — ἐπαισχυνθήσεται, *pudendum ducet*) jure; adeoque pro suo non agnoscet, sed amandabit. — τοῦ πατρὸς, *Patris*) Gloria igitur est, ut unigeniti. Joh. 1, 14. — μετὰ τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων, *cum angelis sanctis*) Haec est *Graeca* lectio et *Goth.* etc. Vid. App. Crit. Ed. II. ad h. l. O pudor. pudefieri coram Deo, Christo, et angelis!

CAPUT IX.

v. 1. Ἐν δυνάμει, *in potentia*) Rom. 1, 4. 2 Cor. 13, 4.

v. 2. κατ' ἰδίαν, *seorsum*) Antitheton ad *populum*. — μόνους, *solos*) Antitheton ad *novem discipulos*.

v. 3. χιὼν, *nix*) natura. — λευκᾶναι, *candida facere*) arte.

v. 4. σὺν, *cum*) Mosis apparitio minus provisa erat discipulis, quam Eliae. v. 11.

v. 5. καὶ ποιήσωμεν, *et faciamus*) Sic quoque, *et faciamus*, Luc. 9, 33. Καὶ, *adeoque*, alacritatem animi Petrini refert: aut est particula evangelistarum, duos Petri sermones breves jungentium. conf. καὶ, c. 3, 22. Luc. 7, 16. vel etiam Matth. 8, 13. Joh. 13, 13.

v. 6. τί λαλήσαι) Sic LXX, γινώσκοντες τί ποιῆσαι ἰσραήλ. 1 Chron. 12, 32. ubi item ex optativo alii subjunctivum fecerunt. — ἔκφοβοι, *timore*) eoque blando, nam alias non optasset manere Petrus, *percussi*.

[2]) v. 8. ἐξάπινα) LXX virale adverbium. — μεθ' ἑαυτῶν, *secum*) quia erat adhuc passurus.

---

1) v. 33. τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, *discipulos suos*] qui celerrime Petri interpellatione ad ea, quae humana sunt, abripi potuerant. *V. g.*

2) v. 7. αὐτοῦ ἀκούετε, *hunc audite*] Jesum, puta. Moses enim et Elias jamjam evanuerant. *V. g.*

Digitized by Google

v. 10. ἐκράτησαν, *arripuerunt*) exceperunt, non neglectim habuerunt. — τί ἐστι, *quid est*) Non ambigebant tam in thesi, quam in hypothesi. [*Mori scilicet Christum debere haud opinatis sermo etiam de resurrectione videbatur alienus.* V. g.]

v. 11. ὅτι λέγουσιν, *dicunt*) Interrogatio implicita. [1])

v. 12. εἶπεν, *dixit*) In hoc sermone Jesus facit, ut in disputatione praeses, opponentis argumento justam speciem addens, et tum responsione satisfaciens. — πρῶτον, *prius*) Hoc construitur et cum *veniens* et cum *restituit*, tametsi versu praecedente cum *venire* duntaxat jungitur. sic enim etiam *quadraginta annos* dupliciter construitur Hebr. 3, 9. 17. — ἀποκαθιστᾷ, *restituit*) Praesens indefinitum, uti Matth. 2, 4. — καὶ πῶς, *et quemadmodum*) Id est, videtur vobis exspectatio Eliae, omnia restituentis, et scriptura de morte Messiae non posse stare simul: atqui stant simul. — ἵνα, *ut*) *quia* scriptum erat, ideo pati debuit. — ἐξουδενωθῇ, *pro nihilo habeatur*) Es. 53, 3. Cum hac *pro nihilo reputatione* videtur rationi non stare posse *restitutio omnium*.

v. 13. ὅτι καὶ) καὶ, *etiam*. — αὐτῷ, *illi*) Eliae. vid. omnino Matth. 17, 12. — καθὼς, *sicut*) Ref. ad *venit*. Innuit, non opinione scribarum, sed prophetia Scripturae, discipulis minus nota, niti adventum Eliae. Neque tamen hoc non etiam ad *fecerunt* refertur. nam prodromum cito insecutus est Dominus: ergo prodromus celeriter locum ei fecit, celeriter sublatus.

v. 14. περὶ αὐτοὺς, *circa eos*) Laborabant adhuc, soli.

v. 15. ἐξεθαμβήθη, *obstupuit*) Tangebantur a gloria, etiamsi nescirent, quid in monte actum esset. conf. c. 10, 32. Luc. 19, 11. nec non Exod. 4, 14. 34, 29. s. [*Occultam cum Deo conversationem facile sentias majorem hominum erga te proclivitatem insequi.* V. g.] — προστρέχοντες, *accurrentes*) cupide. — ἠσπάζοντο, *salutabant*) cum gaudio.

v. 16. αὐτοὺς, *illos*) Id in praesenti non reciprocum est, sed refertur ad discipulos, v. 14.

v. 17. εἷς, *unus*) Nec scribae, nec discipuli audebant verba facere.

v. 18. καταλάβῃ, *prehenderit*) Obsessionis vocabulum videtur angustius.

v. 20. ἰδὼν) Alii, ἰδὸν, ut referretur ad πνεῦμα, conf. Heupelii annot. ad Marc. p. 230. Manet ἰδὼν, i. e. *videns*, puer, *illum*, Jesum: commodeque resolvitur constructio per hyperbaton: *et videns eum, et cadens etc.* ubi τὸ *statim etc.* constructionem eo mollius interpellat, quia tantundem est, ac si diceret, *statim a spiritu concerptus est*. Similis figura orationis, c. 3, 17.

v. 21. καὶ, *et*) Sapienter fecit Jesus, adhibita mora.

v. 22. τὸ πῦρ) Nomen caret plurali: alias ut ὕδατα, sic πῦρα dicendi hic locus erat: pluralis autem articulo suppletur. — ἵνα ἀπολέσῃ, *ut perderet*) vel quod etiam in cadaver potestatem sibi polliceretur, vel ne a Jesu ejiceretur. nam alias libenter mansurus erat in corpore humano. Perdere hominem non potuerat per se, sine aqua vel igni.

v. 23. τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, *hoc si potes credere*) Reponitur homini illud, *si quid potes*. v. 22. Videtur pater ille offendisse in discipulis. v. 18. fin. Τὸ est nominativus, et cum *si potes credere* stat in appositione. praedicatum est verbum *est* subauditum, uti Phil. 1, 22. Hoc, *si potes credere, res est*; hoc agitur. — πάντα, *omnia*) Antitheton: *quid* in *si quid*. — τῷ πιστεύοντι, *credenti*) Omnipotentiae divinae se fides hominis, quasi organon, accommodat, ad recipiendum, vel etiam ad agendum. [*Dativus commodi.* V. g.]

---

1) πρῶτον] *prius*, quam veniat magnus atque terribilis Domini dies, Mal. 4, 5. Discipuli videntur existimasse, die isto sicut quorumvis mortuorum, ita et Christi, siquidem ipsi moriendum foret, resurrectionem futuram esse, adeoque nimis diuturnum sibi silentium imponi. *V. g.*

Digitized by Google

v. 24. βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ, *succurre meae incredulitati*) removendo meam *incredulitatem:* vel, filium meum sanando, etsi non satis fidei habeo. conf. *succurre.* v. 22.

v. 25. δὲ, *vero*) Jesus ubique vitavit strepitum. — ἀκαθάρτῳ· ἄλαλον· κωφόν, *impuro: mute: surde*) *Spiritus* ille talem fecit miserum puerum, aut etiam ipse talis fuerat. — ἐγὼ σοὶ ἐπιτάσσω, *ego tibi praecipio*) *Ego,* antitheton ad discipulos, qui non valuerant: *nos,* inquiunt ipsi v. 28. Magna Domini *potestas.* Ferocior factus erat spiritus ex *impotentia* discipulorum. — μηκέτι, *non jam*) Qui initio aetatis adversa sunt perpessi, majus quasi privilegium in reliquam vitam interdum accipiunt. — εἰσέλθῃς, *ingrediaris*) Voluisset *spiritus* ille iterum intrare.

v. 26. κράξαν, *clamans*) etsi maluerat hîc esse mutus prorsus. — σπαράξαν, *discerpens*) In auxilio divino corpus hominis non semper habetur molliter. Exitus violentus signum constantioris liberationis.

v. 27. ἤγειρεν, *excitavit*) Nova pars miraculi.

v. 28. ὅτι] לָמָּה LXX, ὅτι. Es. 58, 3. 1 Chron. 17, 6.

v. 29. δύναται, *potest*) Id est, nulla re potestis ejicere hoc genus, nisi cum precibus et jejunio.

v. 30. παρεπορεύοντο, *praeteribant*) non per urbes, sed *praeter* eas. — οὐκ ἤθελεν, ἵνα τις γνῷ, *non voluit, ut quis nosceret*) Hinc potest colligi causa, cur Salvator interdum prohibuerit, se indicari; interdum non prohibuerit. v. 31.

v. 31. ἐδίδασκεν, *docebat*) non solum paucis verbis, quae cito dicta essent seorsum: sed ex instituto. — γὰρ, *enim*) Non erat tempus, quo alii audire possent sermones de passione Messiae. — παραδίδοται, *traditur*) Praesens: jam id agitur, ut tradatur. conf. Joh. 6, 70. s. — ἀποκτανθεὶς, *occisus*) Emphasis: ita, si occisus erit, resurget.

v. 32. ἐφοβοῦντο, *timebant*) De quavis re facilius interrogant Jesum, v. 28. quam de ipso. Sic fit etiam inter familiares.

v. 33. ἐν τῇ οἰκίᾳ, *in domo*) mutato, cum loco, nonnihil etiam affectu eorum, qui in via fuerat concitatior. [*Conf.* Matth. 18, 1. *not.*] — τί, *quid*) Rationem reddere debemus rerum omnium.

v. 34. ἐσιώπων, *silebant*) Res, quae non mala videbatur per se, apparet, qualis sit, ubi ad judicium Dei notitiamque Jesu Christi refertur. — μείζων, *major*) virtute, nunc: eoque major futurus in dignitate.

v. 35. καθίσας, ἐφώνησε, τοὺς δώδεκα, *sedens, vocavit, duodecim*) solenniter. — ἔσχατος· διάκονος, *ultimus: minister*) Haec duo differunt. *Ultimus* non eo ipso est *minister.* Itaque ἔσται valet potius, *esse debet,* quam, *erit,* poenae causa. *minister* enim est voluntarium quiddam.

v. 36. ἐν μέσῳ αὐτῶν, *in medio sui*) ac discipulorum. coll. Luc. 9, 47. *apud se ipsum.* — ἐναγκαλισάμενος, *ulnis complexus*) Symbolum conjunctionis intimae. coll. v. 37. c. 10, 16. Eo ipso *gratiam* contulit *pusillo.* [*qui quanta suavitate perfusus fuerit, intellectu haud est difficile.* V. g.] Tam caros sibi humiles esse docet.

v. 37. τῶν τοιούτων, *talium*) parvulorum, etiam corde. — ἐμὲ, *me*) qui corde sum demissus. — οὐκ ἐμὲ, *non me*) Id est, non hac re absolvitur factum ejus. [*Parvulus a summo DEO quantum distat! At conjunguntur, per Christum.* V. g.]

v. 38. ἀπεκρίθη, *respondit*) Varia connexio sermonis Johannis cum sermone Jesu. Potestas *nominis* Christi in utroque sermone asserta. v. 37. 38. 41. Discipuli antea inter se disceptarant, quis inter ipsos esset major; nunc sermone Dominico docti ne alios quidem fastidiendos esse agnoscunt. Si Christus et fides in eum est in parvulis, [*quorum ne is quidem, cujus* v. 36. *mentio*

Digitized by Google

facta, Jesum sequebatur, V. g.] potuit etiam esse in illo, quem prohibuerant. Patet hinc modestia Johannis et candor. dubitationem hanc videtur in pectore aliquandiu gessisse, dum opportune eam promeret. — ἡμῖν — ἡμῖν, *nos*) apostolos, post Te.

v. 39. μὴ κωλύετε, *nolite prohibere*) Observent hoc, qui charismata alligant successioni canonicae. *Nolite prohibere*, si vobis iterum occurret vel idem ille vel alius ei similis. — ταχὺ, *confestim*) Nam anima sensu virtutis munitur. [*Interjecto aliquo* intervallo *fieri id queat*. V. g.]

v. 40. ὑμῶν· ὑμῶν, *vos*: *vobis*) Conf. v. seq. Matth. 12, 27. Jesus locutus in plurali prima, de rebus externis, Luc. 22, 8. 18, 31.: sed non de interioribus regni sui rationibus. [Joh. 20, 17.] Clementer corrigitur τὸ *nos*. v. 38. — ἔστιν, *est*) Sermo est de iis, qui aliquid suscipiunt Christi causa.

v. 41. ὅς, *qui*) Jesus, piae interpellationi Johannis postquam satisfecit, ad priora redit. — γὰρ, *enim*) Omnia sunt accepta, quibus vos adjuvamini, vel minima.

v. 42. [1]) περίκειται, *circumjacet*) Praesens indicativi emphasin habet.

v. 43. 45. 47. εἰσελθεῖν, *ingredi*) Ter: cui opponitur semel, *abire*; bis, *jaci*. — εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον, *in ignem extingui nescium*) Sic v. 45. ac paulo aliter v. 47.

v. 44. 46. 48. ὅπου, *ubi*) Gravissima repetitio. Allusio ad cadavera, quae vel vermium vel rogi sunt pabulum. *Vermis* dicit corruptionem; sed corruptio haec est aeterna. 2 Thess. 1, 9. — σκώληξ, *vermis*) animae. — αὐτῶν, *eorum*) non exprimitur in Marco, quo hoc referatur. Allegatur ergo Jesajas. — οὐ τελευτᾷ, *non moritur*) Praesens. — πῦρ, *ignis*) corporis. Hic *illorum* subaudiendum. — οὐ σβέννυται, *non extinguitur*) vel quia certo ardet, coll. 2 Reg. 22, 17.: vel quia ardet *sine intermissione, dies noctesque*, Ap. 14, 11. 20, 10. et in aeternum. ibid. Vicissitudo tormentorum, ratione graduum, colligi possit ex Jes. 66, 23. 24. sed tamen tormenta erunt perpetua.

v. 47. βασιλείαν τοῦ θεοῦ, *regnum Dei*) Antea, bis, *vitam*: sed apta inprimis cum *oculis* mentio *regni Dei*, et *vitae*. Joh. 3, 3. 36. coll. Matth. 18, 9.

v. 49. πᾶς, *omnis*) *Omnis* hic non addito nomine ponitur. alius supplevit ἄρτος *panis*, alius *homo*: sensere videlicet, vix usu venire, ut πᾶς *omnis* masculinum ponatur absolute. Etenim ubi absolute poni videtur, determinatio subjecti ex praedicato petenda relinquitur. Matth. 13, 19.: παντὸς ἀκούοντος τὸν λόγον, *quolibet* (auditore) *audiente sermonem* etc. Luc. 6, 40.: κατηρτισμένος δὲ πᾶς κτλ. *quilibet* (discipulus,) *si consummatus erit, erit ut doctor suus*. c. 16, 16.: πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, *quilibet*, qui vim adhibet, *vi adhibita intrat in regnum coelorum*. Joh. 2, 10.: *Omnis homo* (qui nuptias habet et vinum ponit) *primum bonum vinum ponit*. Obviae sunt hujusmodi locutiones. Ita hoc loco: *Omnis*, qui salietur, certe *igne salietur*. Sed hanc sententiam paullo uberius explanabimus. In medio ea sita est inter sermonem de *igne, qui non extinguitur*, et inter sermonem de *sale ejusque bonitate*. Tres ergo sunt gradus: *sale saliri, igne saliri, mitti in ignem, qui non extinguitur*. Primus gradus est optatissimus; tertius, acerbissimus: secundus, est intermedius, cum tertio conveniens in mentione *ignis*; (qui hoc loco saepius per homonymiam memoratur, uti Matth. 3, 10. 11. 12.) cum primo autem propius congruit in mentione *salilurae*. Salitura maxime naturalis et conveniens, fit per sal. id sal est disciplina divina leniter erudiens ad abnegationem sui, et pacem et concordiam cum aliis. qui sic saliuntur, fiunt Deo *sacrificium* gratum, cujus rei

---

1) καὶ, *et*] Responso Johanni dato continuatur oratio superior. Sic cum v. 37. cohaeret v. 42. *V. g.*

Digitized by Google

typus erat in sacrificiis leviticis. Lev. 2, 13. Qui salituram per sal subterfugiunt, saliuntur per ignem, (nam et sal urendi vim habet, Deut. 29, 22. et vicissim in igne naturali quoque vim inesse saliendi, vel caro assa ostendit, atque apud Plutarchum ignis dicitur τῶν ἡδυσμάτων ἄριστον καὶ ἥδιστον·) quod proximum est, saliuntur illi per disciplinam divinam severiorem, ne invalescente manus, pedis, oculi scandalo proficiscantur in ignem exstingui nescium. Nexus ergo et sententia sermonis sic habet: Sine ulla cunctatione et mollitie occurre scandalo manus, pedis, oculi, quod te alioqui in gehennam ejusque ignem aeternum detrudet. Quivis enim, qui ullo modo saliendus et per salituram igni aeterno subducendus est, si non sale clementiori, at igne severiori, in hac tamen vita, salietur: et omne sacrificium sale salietur, lenissimo et lautissimo saliturae genere. Hoc ergo sal admittite et habete, ut sublato omni scandalo pax inter vos floreat. Sal et ignem experturi estis utique: videte, ut quam lenissima salitura defungamini. — ἁλισθήσεται, *salietur*) Futurum: quo innuitur, mandatum de sacrificiis V. T. eorumque habitus typicus ad sacrificia N. T. — καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται) Extat hoc Lev. 2, 13.: καὶ πᾶν δῶρον θυσίας ὑμῶν ἁλὶ ἁλισθήσεται. Hinc infertur prius illud, πᾶς γὰρ κτλ. quod est universalius, cum τὸ *sale saliri* nunc demum addatur quasi per exceptionem, cum limitatione apposita, ad θυσίας.

v. 50. καλὸν, *bonum*) sal. nam eo condiuntur cetera. — ἐὰν δὲ τὸ ἅλας, *si vero sal*) Hoc loco ipsi discipuli dicuntur sal, quia sale praediti, et salientes mundum. — ἄναλον, *insulsum*) ut non mordeat. *insulsos* maxime *superbia* facit. — αὐτὸ, *illud*) sublata qualitate prima. — ἔχετε, *habete*) Ignem habere non est facultatis humanae: ideo non dicitur, *habete ignem*. Sed qui igni imbutus est, salem habere jubetur. — ἐν ἑαυτοῖς, *in vobis ipsis*) Antitheton: *in vobis invicem*. Prius officium, respectu nostri; alterum, erga alios. — ἅλας) Singulare, aut, ex ἅλς, plurale. *sal*, mortificationis, qua perimitur superbia. — καὶ εἰρηνεύετε, *et pacem habete*) vel habebitis: conf. v. 34. remota elatione, rixarum origine.

CAPUT X.

v. 1. Καὶ ἐκεῖθεν ἀναστὰς, *et inde surgens*) Antitheton non tam ad Capernaum, ubi sedens docuerat, c. 9, 33. 35. quam ad Galilaeam, ib. v. 30. — διὰ τοῦ) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — ὡς εἰώθει, *sicut consueverat*) Observandae consuetudines Jesu Christi. Luc. 4, 16.

v. 5. ἔγραψεν, *scripsit*) Pentateuchi scriptor Moses c. 12, 19.

v. 6. ἀρχῆς κτίσεως, *initio creationis*) Ergo ante *creationem* ineunte Genesi descriptam non fuit ulla *creatio*. [1]) [2])

v. 11. ἐπ᾽ αὐτὴν, *in illam*.

v. 13. ἅψηται, *tangeret*) Modestum petitum.

v. 14. ἠγανάκτησε, *indignatus est*) propter impedimentum amori suo a discipulis oblatum. — τοιούτων ἐστὶν, *talium est*) talium, horum, est accipere regnum Dei. v. 15.

v. 15. ὃς ἐὰν, *quicunque*) Id fecit ad redarguendum illum ipsum sensum, ex quo discipuli infantes volebant amovere. — δέξηται, *acceperit*) offertur enim. — ὡς παιδίον, *sicut parvulus*) accipit: accipit enim revera.

v. 16. καὶ, *et*) Plus fecit, quam rogatus erat v. 13.

---

1) v. 9. ὁ θεὸς — ἄνθρωπος, *Deus — homo*] Deus quicquid facit et ordinat, id ratum habere hominis est. Nefas est laudare, quae Ipse rejicit; quaeve culpat Ipse, probare. *V. g.*

2) v. 10. πάλιν, *iterum*] Responsionem subsequentem *Pharisaeis* dederat Salvator Matth. 19, 9. at *discipuli* repetitâ quaestione responsionis iterationem provocabant. *V. g.*

Digitized by Google

1) v. 17. ἐκπορευομένου αὐτοῦ, *exeunte eo*) ex domo. v. 10. — προσδραμών) Vulg. *procurrens:* ut si legisset προδραμών. Singulari certe studio impellebatur hic homo. Videtur intente exspectasse. [*Subitus ejusmodi incursus mox quandoque languescit.* V. g.] — γονυπετήσας, *ad genua accidens*) Magnum igitur habebat studium. — ποιήσω, *faciam*) Parvuli non accipiunt *faciendo.* v. 15.

v. 18. εἶπεν, *dixit*) Respondet Dominus I. titulo singulari, quem ipsi dederat adolescens: II. quaestioni propositae. — τί με λέγεις ἀγαθόν; *quid me dicis bonum?*) Multa in Jesu erant extrinsecus, quam ob rem ignari non optime de illo existimarent. Joh. 1, 47. Matth. 11, 6. 19. Es. 53, 2. seqq. Atque ipse non in se requiescebat, sed se penitus ad Patrem referebat. Viatorem ac peregrinum agebat in mundo, et in eo statu, in quo Psalmi eum ut *miserum et inopem* describunt, contendebat ad aeternum illud bonum et gaudium, de quo hic juvenis quaerebat. Psalm. 16, 2. 5. seq. ***Bonum meum non est praeter te.*** Conf. Joh. 14, 28. 17, 5. Hebr. 5, 8. 9. 9, 12. Ipse se non norat secundum carnem: ut praedicat Augustinus l. 1. de doctr. Christ. c. 34. Etenim *bonus* ἀγαθός proprie *beatum* dicit. Adolescens apud Jesum quaerebat felicitatem, sensu minus puro. Hanc eum negat Jesus apud se esse inventurum. conf. Luc. 9, 57. seq. Veruntamen non dicit, *Ego non sum bonus:* sed, *Quid me dicis bonum?* quemadmodum Matth. 22, 43. non negat, se, Davidis filium, eundem esse Dominum Davidis. Deus est bonus: bonitas non est sine Deitate. In Jesu agnoscebat adolescens bonitatem quodammodo; alias non adisset ad illum: sed non plene agnoscebat; alias non recessisset. Multo minus agnoscebat Deitatem ejus. Quare Jesus titulum Bonitatis sine titulo Deitatis ab illo non accipit: (conf. *quid*, Luc. 6, 46.) vindicatque honorem Patris sui, cum quo unum est. Vid. Joh. 5, 19. Simul omniscientiae suae radium in cor adolescentis hujus immittit, ostenditque, eum nondum, de se, Jesu Christo, cognitionem habere tam excelso titulo, Ipsum alioqui decente, dignam. Quapropter non dicit, *Nemo est bonus, nisi unus Pater meus*: sed, *Nemo est bonus, nisi unus, Deus.* Saepe Dominus verba sua ad captum interrogantium attemperavit. Joh. 4, 22. Sic dux bellicus, nobilis, homini, nobilem ignoranti, ducem noscenti, respondere potest: *Quid me vocas dominum gratiosum?* Bonitatem suam Jesus discipulis patefecit. Luc. 10, 23. Rom. 14, 16.

v. 19. οἶδας, *nosti*) Cur quaeris: *quid faciam?* — μὴ ἀποστερήσῃς, *ne defraudes*) per *concupiscentiam.* Ex. 20, 17. Idem verbum, 1 Cor. 6, 8. not.

v. 20. διδάσκαλε, *Magister*) Nunc repetit homo nomen, sine epitheto. Et tamen Jesus amat illum.

v. 21. ἐμβλέψας αὐτῷ ἠγάπησεν αὐτὸν, *intuitus illum amavit illum*) amavit intuitu et quodam quasi risu oculorum. ἓν διὰ δυοῖν· *amanter aspexit* [2]). ut signum ei daret amoris in posterum, si sequeretur Jesum; et tristitiae illius occurreret. Oppositum, στυγνάσας *tetrico vultu,* v. 22. Ideo potius lacrumarum mentio fit in vita Christi, quam risus, quia venerat, ut peccata nostra ferret. Comitas tamen ejus et laetitia interdum ex vultu enituit, ut hoc loco, ad alliciendum juvenem, in limine sequelae Christi constitutum. conf. v. 16. Luc. 10, 20—24. 12, 32. Talis usus verbi hujus: ἠγάπησαν αὐτὸν ἐν τῷ στόματι αὐτῶν. Ps. 78, 36. ἠγάπα αὐτὸν τοῦ συναναβῆναι. 2 Par. 18, 2. item, verbi ἐλεεῖν, Jud. v. 22. — ἓν, *unum*) Antitheton: *haec omnia.* v. 20. [***Facilius homini et jucundius reddere negotium fidelis magister voluit.*** V. g.] *Unum* hoc, est cor li-

---

1) εὐλόγει αὐτὰ, *benedicebat eis*] ipso facto eis conferens, quae adultis mediante verbo praebuit. *V. g.*

2) *Conf. huc, quae contra* Gerh. de Haas *notavit cel.* D. Ernesti *in der* theol. Bibl. T. I. p. 180. ss. E. B.

Digitized by Google

berum a creaturis: venditio bonorum, documentum. Fere singulis unum quiddam, hoc illudve, deest: unoque defectu detinentur. — σταυρὸν, *crucem*) paupertatis etc. sic, *cum persecutionibus*. v. 30.

[1]) v. 23. περιβλεψάμενος, *circumspiciens*) Saepe describitur vultus Christi, affectui conveniens, et affectibus auditorum attemperatus. v. 21. 27. — πῶς, *quomodo*) Propositio: Dives difficile salvatur. cujus subjectum v. 24. limitatur; praedicatum, amplificatur. Differunt in abstracto: fere conveniunt, in concreto. — οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες, *qui numos habent*) Plerasque mundi opes habent pauci.

v. 24. τέκνα, *filii*) Haec appellatio ostendit, Jesum loqui cum misericordia, sed simul cum veritate; discipulisque libenter rem declarare. — τοὺς πεποιθότας, *confisos*) elatos, quo minus pareant verbo Dei. c. 4, 19. Ps. 62, 11. 1 Tim. 6, 17. [*Eorum, qui divitias habent, haud multo major est numerus, ac eorum qui confidunt iis.* V. g.]

v. 26. καὶ, *et*) Particula admirandi.

v. 27. πάντα, *omnia*) Psalm. 62, 12. conf. ibi et hic, quae praecedunt.

v. 28. ἤρξατο, *coepit*) spe ex verbis Salvatoris concepta.

v. 29. ἢ ἀδελφοὺς, *aut fratres*) Quae relinquuntur, *disjunctive* enumerantur: quae retribuuntur, copulative, v. seq. Vide praemii ubertatem, Domini bonitatem. — ἕνεκεν ἐμοῦ, *propter me*) in mundo dum sum. — ἕνεκεν τοῦ εὐαγγελίου, *propter evangelium*) quo is praedicet *nomen* meum post ascensionem meam. Mundi causa multi multa relinquunt.

v. 30. ἐὰν μὴ) *quin*. — καὶ πατέρας, καὶ μητέρας, *et patres, et matres*) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Natura unum quisque *patrem*, unam *matrem* habet: sed per beneficia, multis gaudet sequens Christum. conf. Rom. 16, 13. Non additur, *mulieres*. id enim sonaret quiddam ab honestate remotum. — τέκνα, *filios*) 1 Cor. 4, 14—17. — μετὰ διωγμῶν, *cum persecutionibus*) Hoc additur, ne discipuli sperarent felicitatem externam. Persecutiones non decrunt: sed eae non modo non oberunt, sed etiam proderunt, ad centuplum accipiendum, prohibentes interim, ne centupla illa hominem efferant. — αἰῶνι, *seculo*) non καιρῷ, *tempore*. — τῷ ἐρχομένῳ, *veniente*) Jam in adventu est illud *seculum*.

v. 31. ἔσονται πρῶτοι, *erunt primi*) *Primi*, Subjectum. Matth. 19, 30. not.

v. 32. ἐθαμβοῦντο, *horrebant*) Ipsi nesciebant, quare. saepe aliquid, quod sub visum mentis aut oculi non cadit, alium sensum afflicit. Dan. 10, 7. *horrebant*, Jesu causa, *praeeuntis; timebant*, sua, *sequentium*, causa. Hoc horrore et timore distringebatur opinio ac spes rerum terrestrium: si non ex toto, ex. gr. apud Jacobum et Johannem, tamen ex parte. — ἤρξατο, *coepit*) Jam *coeperat* antea, c. 8, 31. sed nunc *coepit* uberius dicere. Atque hoc etiamnum erat *initium*.

v. 35. προσπορεύονται) *una ambulant*. — θέλομεν, ποιήσῃς, *volumus, facias*) Sic v. seq. *vultis, facere me*. — ποιήσῃς· ποιῆσαι· δός, *facias: facere: da*) Arte in rogando utuntur. nam citius rogantur saepe et impetrantur, quae *faciendo*, quam quae *dando* constant.

v. 38. τὸ ποτήριον· τὸ βάπτισμα, *poculum: baptismate*) *Poculum* hoc bibere, arduum erat; (uti saepe ipsa mors bibendo sumitur:) *Baptismus* quoque apud Judaeos res horrida erat, quum totum corpus flumine quamvis gelido mergeretur. Igitur utroque vocabulo denotatur passio Jesu: *poculo*, interna; quod idcirco praeponitur: *baptismo*, externa praecipue. passione *distentus* est: passione *obtectus*. Convenienter autem utrumque adhibetur: nam baptismum et poculum Christi participant, qui sacramenta sumunt, 1 Cor. 12, 13. magnamque

---

1) ὁ δὲ, *ille vero*] Beatissima conditio quam cito recusatur! *V. g.*

Digitized by Google

cum passione et morte Christi nostraque connexionem habet et baptismus, Christi et noster, et S. Coena. — πίεσθε· βαπτισθήσεσθε, *bibetis: baptizabimini*) Jacobus, gladio occisus, poculum bibit: postea Johannes, oleo fervente, ut ecclesiastica fert historia, baptizatus est. Oleum fervens cum *baptismatis* vocabulo congruit. *poculum* ipse Dominus in Gethsemane quoque passionem mortis dicit. Congruit, quod poculum baptismo praemittitur.

[1]) v. 42. δοκοῦντες) *qui putant, se imperare.* Metonymia antecedentis pro consequente: id est, qui imperium strenue exercent. [*Parum amplitudinis coram divina Majestate habent mundani principes.* V. g.]

v. 44. πάντων, *omnium*) v. 43. *vestrûm.* Epitasis.

[2]) v. 46. βαρτίμαιος, *Bartimaeus*) Proparoxytonon, ut ipsum τίμαιος. Timaeus videtur fuisse vir notus illo tempore Hierichunte: et Bartimaeus per coecitatem demum factus mendicus. — ὁ τυφλὸς, *coecus*) Instar cognominis. Valde notus apostolorum tempore Bartimaeus. [*De cujus socio vid. not. ad* Matth. 20, 30.] — ὁδὸν, viam) In via hierosolymitana major facultas mendicandi.

v. 47. ὁ υἱὸς δαυὶδ, ἰησοῦ, *fili David, Jesu*) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Magna fides, quod coecus filium Davidis appellat, quem ei Nazoraeum praedicabat populus.

[3]) v. 49. θάρσει, *confide*) animo. — ἔγειραι, *surge*) corpore. elegans asyndeton. Non dubitabant, quin et posset juvare et vellet.

v. 50. ἀποβαλὼν, *abjiciens*) prae cupiditate et gaudio.

v. 52. ἐν τῇ ὁδῷ, *in via*) versus Hierusalem.

CAPUT XI.

v. 1. Εἰς βηθφαγὴ καὶ βηθανίαν, *in Bethphage et Bethaniam*) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. *Bethania* jam erat a tergo, quum haec instituit Dominus: Bethphage erat ante oculos; itaque praeponitur, non ordine geographico, sed potioris considerationis: [4]) et Hierosolymis, ut apparet, duo conjunctissima loca sic solebant appellare, *Bethphage et Bethania.*

v. 2. κώμην, *pagum*) Bethphage. — ἐφ᾽ ὃν οὐδεὶς, [5]) *super quem nemo*) Non facile talis pullus uno tempore et loco reperiatur. hic igitur Domino reservatus. Integra sint oportet a miasmatis corporum peccaminosorum, quae Christo inserviant. Matth. 27, 60. Pullus rudis hunc tamen Sessorem ferebat.

v. 4. ἀμφόδου) Ἄμφοδον, *via, platea.*

v. 10. τοῦ πατρὸς ἡμῶν δαυὶδ, *Patris nostri David)* Construe cum *regnum.* [*Nam verba* ἐν ὀνόματι κυρίου *e proximo per librarios iterata esse, multi agnoscunt.* Not. crit. *Davidem patrem suum dicunt ut regem, gentis patrem. Veruntamen Davidis etiam posteros immixtos eis fuisse credas. Messiae Davidis thronus adjudicatus est.* Luc. 1, 32. V. g.]

v. 11. περιβλεψάμενος, *circumspiciens*) Visitatio. [*quam postridie insecuta est gravissima reprehensio. Si enim binis diebus expulsio iterata esset, minus commode verbo* ἤρξατο *Marcus uteretur* v. 15. *Sic Lucas aristas evulsas et manum sanatam duobus sabbatis, per Matthaeum et Marcum minus aperte distinctis, tribuit. Sic Matthaeus ea, quae in ficu contigerunt, simul*

---

1) v. 41. οἱ δέκα, *decem*] Alter ubi praerogativam quaerit, moleste fert alter, qui contentus per se fuisset. *V. g.*

2) v. 45. διακονῆσαι, *ministraturus*] Incomparabile hoc exemplum quem non rubore suffusum blande lucrifaciat? *V. g.*

3) ἐλέησόν με, *miserere mei*] Omnium haec precum medulla est. *V. g.*

4) *In* Vers. germ. *Beng. plane omittitur Bethphage, quod congruit cum* Appar. *l. c.* E. B.

5) *Lectionem* οὔπω οὐδείς, *quam non probandam censuerat margo* Ed. maj., *aequalem textui judicat* Ed. 2., *et comprobat etiam* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

proponit: Marcus biduo dividit. Sic Matthaeus et Marcus transformationem cum lunatico jungunt: Lucas (c. 9, 37.) *lunaticum postridie Salvatoris transformati sanatum perhibet.* Harm. p. 447. s.] — πάντα, *omnia*) Quam sanctas habuit meditationes de sacrificiis, typisque propediem in Ipso implendis!

v. 13. ἔχουσαν φύλλα, *habentem folia*) eoque fructus promittentem. — εἰ ἄρα, *num ergo*) Supersederi potest tota quaestione de generibus ficuum arborum. Folia, quae erant, prae se ferebant copiam fructuum: *ergo* accessit Dominus, *num* inventurus esset aliquid ultra folia. sed *nil nisi* folia invenit, non etiam *ficus*. non *enim* erat tempus ficuum. Propior aspectus arboris ostendit, arborem hanc non esse talem, qualem folia singulariter promittebant: sed qualem ferebat commune tempus, quod non erat ficuum. (*Coll.* c. 24, 32.) tempus illud aut pertinet ad partem anni pauculis post aequinoctium vernum diebus; c. 13, 28. aut citra anni tempus notatur, id genus arbores tum non fuisse feraces. Itaque ficus quaelibet aut debebat ne folia quidem, aut etiam fructus habere. Aliae ficus, nec foliis nec fructibus vestitae, culpa carebant: haec ficus, foliis onusta, fructum, quem promittebat, tamen revera negabat. Ideo poenas dedit. — γὰρ, *enim*) Innuit particula, quam ob causam et in arbore, quanquam foliis onusta, tamen fructum *demum quaesierit* Dominus, videlicet quia non erat tempus fructuum; et cur nil nisi folia in ea invenerit [1]). Clausula pertinet ad totam periodum declarandam, uti γὰρ *enim* c. 16, 4. not.

v. 14. ἀποκριθεὶς *respondens*) arbori fructum neganti. — μηδεὶς, *nemo*) Quod Jesu Christo non servit, indignum est, quod ulli mortalium serviat. [*Itaque in honorem Filii DEI devota est arbor.* V. g.]

v. 15. ἤρξατο, *coepit*) Debuerant [*pridie*] homines sapere, dum parcebat Dominus, et nutu monebat. v. 11.

v. 16. διὰ τοῦ ἱεροῦ, *per templum*) quasi per plateam.

v. 17. ἐδίδασκε, *docuit*) Poenam salubrem facit adjuncta *doctrina*. — πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, *omnibus gentibus*) Constr. cum *domus precationis*. coll. accent. Es. 56, 7.

v. 18. καὶ, *et*) Mercatum illum vel probarant, ut licitum aut quaestuosum: vel putarunt, sua potius cum opera tollendum fuisse. — ἐφοβοῦντο, *timebant*) Ideo technas quaerebant.

[2]) v. 22. ἔχετε, *habete*) tenete. — πίστιν θεοῦ, *fidem*) quam par est habere eos, qui *Deum* habent: fidem magnam, et sinceram, quae Deo credit, nullo extra Deum fundamento in rebus. sic, *oratio Dei*, ad Deum, in solitudine. Luc. 6, 12. sic *benignitas Dei* dicitur, quae *orphano*, Dei solius respectu, praestatur. 2 Sam. 9, 3. coll. v. 1. *Cedri Dei*, arbores a manu humana non plantatae. *Montes Dei*, quos non tangit cultura hominum.

v. 25. καὶ ὅταν, *et quum*) Connexio: Orandum sine dubitatione et ira. 1 Tim. 2, 8. — στήκητε, *stetis*) quum ipso situ corporis vos ad orandum composuistis, conf. Jer. 18, 20. *Stare*, est orantis cum fiducia: [Luc. 18, 11. 13.] pronum jacere, cum deprecatione. στήκω, ab ἕστηκα, significat, *sum is, qui ad standum me contuli*. quae significatio etiam ceteris locis pulcre convenit, ubi στήκω legitur. Stantes, terram, quam minima nostri parte, tangimus. quare ap-

---

1) Immaturos certe fructus inventum iri, credibile fuerat: qui quem in usum Domino essuri fuissent, supervacaneum est quaerere. Monente fame fructus quaerere potuit, utut eum non desiderans. Imo vel immatura juvant aliquando, ubi fames urget. Et, qui aquam in vinum, pauculosque panes in convivium millenis hominibus sufficiens converterat, quanta Eum facilitate maturitatem fructui e vestigio conciliaturum fuisse credas? *Harm.* p. 453.

2) v. 19. ὅτε ὀψὲ ἐγένετο, *facta vespera*] Postremas Salvatoris ambulationes istas Marcus praecipue singulari evidentia descriptas dedit. *Harm.* p. 457.

Digitized by Google

tus est precantium habitus: in quo ascetae vetant *appodiare*. — ἀφίετε, *remittite*) [1]) Jesus ficui maledixit: fidelis fratri non debet maledicere.

[2]) v. 27. περιπατοῦντος, *ambulante*) ut in sua domo. — ἔρχονται, *veniunt*) Gravis et solennis haec erat interrogatio, facta a viris diversorum ordinum.

CAPUT XII.

v. 2. Τῷ καιρῷ, *tempore*) *fructuum*. Matth. 21, 34. — ἀπὸ, *a*) Pars fructuum colonis concessa. Particula conveniens primis servis, qui *specimen* fructuum essent apportaturi.

v. 4. ἐκεφαλαίωσαν, *in capite male tractarunt*) sic γναθοῦν, γυιοῦν apud Hesychium.

v. 6. ἔτι, *adhuc*) Constr. cum *habens*. — ἕνα — ἀγαπητὸν, *unum — dilectum*) Haec duo non idem plane significant.

v. 10. οὐδὲ, *ne quidem*) Adverbium ἐπιτατικόν.

v. 12. [3]) πρὸς) Sic πρὸς, Hebr. 1, 7. 11, 18.

v. 14. ἀλλ᾽, *sed*) Veritas non stat cum respectu personarum.

v. 15. ἵνα ἴδω, *ut videam*) Salvator tum primum videtur tetigisse et spectasse denarium.

[4]) v. 19. ἔγραψεν, *scripsit*) Sadducaei quamvis sceptici agnovere, Mosen esse scriptorem legis. — ὅτι — ἵνα) Rara locutio. conf. c. 5, 23.

v. 22. ἑπτὰ, *septem*) Semen ne a septimo quidem relictum, auget speciem quaestionis.

v. 23. ὅταν ἀναστῶσι, *quum resurgent*) fratres et uxor.

v. 24. διὰ τοῦτο, *propterea*) Particula valde refutans: ipse sermo vester prodit errorem vestrum. Lat. *atqui*. Ps. 66, (65) 19.

v. 25. ἐκ νεκρῶν, *ex mortuis*) Τὸ *ex* novam sanctorum ex mortuorum statu resurgentium conditionem innuit, non resurrectionis universalitatem tollit.

v. 26. βίβλῳ, *libro*) Commemoratur h. l. volumen Mosis: Esajae, Luc. 3, 4. Prophetarum, Act. 7, 42. Psalmorum, Act. 1, 20. — μωσέως, *Mosis*) de quo vos v. 19. — ἐπὶ τοῦ βάτου, *in rubo*) Formula citandae periochae, Rabbinis frequens [5]). Sic Plinius, *molybdaenam in plumbo dicendam*, i. e. in capite de plumbo. Porro ὁ βάτος est mensura, ὁ vel ἡ βάτος, (ut ὁ vel ἡ θάμνος,) non dumus sterilis, sed frutetum laudabile, in Exodo certe. Illustre visum, Deut. 33, 16.

v. 27. οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων) Haec media lectio [6]): unde θεὸς ante νεκρῶν iterarunt alii, alii post ἀλλά [7]). — πολὺ, *multum*) Antitheton, *non longe*, v. 34.

v. 28. καλῶς, *bene*) pulcre. Pulcritudo doctrinae Christi conspicua est saepe etiam iis, qui non capiunt omnia. Huc ref. v. 32. καλῶς *bene*.

v. 29. πρώτη πασῶν ἐντολή) Lectio media, versui 28. respondens. Editi, πρώτη πασῶν τῶν ἐντολῶν, et sic *Syr.* nec non mss. Graeci, quanquam, pro πασῶν, πάντων habent *Al. Byz. Gehl. Mosc. Wo.* 1. 2. et alii multi, quorum ali-

---

1) Praecipuum ita impedimentum (v. 26.) fidae orationis tollitur. Peccatum nondum remissum omnia impedit. *V. g.*

2) v. 26. ἀφήσει, *remittet*] adeoque exaudire etiam recusabit. *V. g.*

3) ἔγνωσαν γὰρ, *cognoscebant enim*] conscientiâ testimonium praebente. *V. g.*

4) v. 17. τὰ τοῦ θεοῦ, *quae Dei sunt*] DEI sunt omnia, coelum et terra, omnes homines, ipseque adeo Caesar. Veruntamen sapientem circa bona sua distributionem fecit. Eo minus iis, quae Ipse sibi singulariter reservavit, defraudandus est.

5) *Conf.* Michaëlis *in der* Einleitung etc. T. I. p. m. 87. E. B.

6) *cui suffragatur margo* Ed. 2., *et* Vers. germ., *quanquam in* Ed. maj. *non probatae.* E. B.

7) ὑμεῖς οὖν, *vos igitur*] *vos* Sadducaei. Resurrectionis principale dogma est. *V. g.*

Digitized by Google

qui v. 28. πασῶν servant. πάντων per alliterationem ad πρώτη et ἐντολή extitit, ut in eodem *Al.* ἀπὸ πάντων τῶν ἐντολῶν Lev. 4, 13. 27. Porro ἐντολή, non τῶν ἐντολῶν, habet *Al. Gehl.* cum multis mss. eundemque casum rectum defendunt *Goth. Lat.* — [1]) κύριος, *Dominus*) Hoc fundamentum est primi praecepti, imo omnium. Subjectum: DOMINUS, Deus noster; Dominus, inquam, (Deus omnium): Praedicatum: Unus (Deus) est. conf. v. 32. ut nomen proprium *bis* positum significet *duas* magnas Jehovae revelationes, quarum altera populum Judaicum, altera etiam gentes complexa est. Conf. Ps. 72, 18. ubi nomen proprium semel, appellativum bis ponitur: *JEHOVAH Deus, Deus Israël.* eo positu accentuum, qui occurrit etiam 1 Chron. 12, 18.: *Pax! pax tibi!* Ex hac unitate Dei fluit, ut totum ei uni nostrum amorem debeamus.

v. 30. καρδίας, *corde*) quod vivit et amat. — ψυχῆς, *anima*) quae fruitur et gustat. — διανοίας, *mente*) quae est perennis illa vis cogitando se agitans. σύνεσις, v. 33. Luc. 10, 27.: ἰσχύος — διανοίας. — ἰσχύος, *robore*) facultate exequente per totum corpus.

v. 32. καλῶς, *pulcre*) Constr. cum *dixisti*: nam *in veritate* ponitur, uti Luc. 4, 25. – εἷς ἐστι, καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ, *unus est, et non est alius praeter ipsum*) *Unus est*, locutione absoluta, repetitur ex v. 29. id est ex Mose. Conf. Zach. 14, 9. Subjectum, θεὸς, *Deus*, subauditur, per insignem εὐλάβειαν sermonis. quanquam hoc ipsum vocabulum multi post ἐστὶ inseruerunt. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l.

v. 33. ὁλοκαυτωμάτων, *holocaustis*) Nobilissima species sacrificiorum. — θυσιῶν, *victimis*) de quibus permulta praecepta agunt.

v. 34. οὐ μακρὰν εἶ, *non procul es*) *Procul* ergo sunt, qui νοῦν *intelligentiam* non *habent*. [*Tales erant v. gr. qui* sacrificiis *inhaerebant*. V. g.] Si non procul es, intra: alias praestiterit, procul fuisse.

v. 36. αὐτὸς) *ipse*.

v. 37. πολὺς) populus, qui *multus* erat.

v. 38. αὐτοῖς, *illis*) praesertim discipulis. Luc. 20, 45. — [2]) γραμματέων, *scribis*) Elenchus apertus. — θελόντων, *volentibus*) *Velle*, saepe rem, per se indifferentem, malam facit: verbum autem, *volo*, saepe factum includit, sive bonum, Matth. 20, 14. sive malum, Gal. 4, 9. Estque hodienum character falsorum Theologorum, capi splendore habitus, primis partibus celebritatis, munerum et honorum, intercessionumque jactatione.

v. 40. οἱ κατεσθίοντες, *comedentes*) Constr. cum seq.

v. 41. ἐθεώρει, *spectabat*) Christus in hodierno quoque cultu spectat omnes. — πολλοὶ πλούσιοι, *multi divites*) Florebat civitas.

v. 42. ἐλθοῦσα, *veniens*) Hanc Jesus maxime spectabat. — δύο, *duos*) quorum unum vidua retinere potuerat. [*Nullo id praecepto sancitum erat: sed animi consilium, quo movebatur, bonum fuit.* V. g.]

v. 43. προσκαλεσάμενος, *advocans*) de re magna. Specimen judicii olim exercendi, pro statu cordium. — τοὺς μαθητὰς, *discipulos*) qui viduae donum non tanti aestimarant. [*Inde* Amen *praemittit* καρδιογνώστης. V. g.] — πλεῖον, *plus*) non modo proportione geometrica, sed animo, quem spectabat Dominus. Si dives aliquis omnes suas facultates contulisset, factum extrinsecus fuisset majus, quatenus facilius iterum acquiruntur numi duo, quam multi: sed animum tamen pauperculae non vicisset. [*Omnes omnino mundi celebrationes laus ista, qua misellam viduam Jesus affecit, mirum quantum superat.* V. g.]

---

1) ἄκουε, *audi*] Etiam haec primi praecepti est particula. *V. g.*

2) βλέπετε, *cavete*] ne idem judicium incurratis, v. 40. *V. g.*

Digitized by Google

CAPUT XIII.

[1]) v. 3. Εἰς, *in*) montem. Murus templi versus montem olivarum erat depressior: unde templum potuit commode introspici. — πέτρος κτλ., *Petrus etc.*) Jacobus et Petrus citius erant defuncturi: et tamen ad eos quoque pertinet; magis tamen ad Johannem.

v. 4. ταῦτα, *haec*) quod ad templum attinet. — πάντα ταῦτα, *omnia haec*) quod non modo ad templum, sed etiam ad reliqua omnia, id est, ad universum attinet.

v. 5. ἤρξατο, *coepit*) Antea non erat multum locutus his de rebus.

v. 6. ἐγώ εἰμι, *ego sum*) Praedicatum subauditur: *Christus* Matth. 24, 5. Hebr. אני הוא Es. 43, 10.

v. 8. ταραχαὶ, *turbationes*) in marcrocosmo et microcosmo.

v. 9. δὲ, *autem*) Cetera nolite curare; v. 11. tantum *vos ipsos* spectate. — παραδώσουσι, *tradent*) Ab hoc versu ad v. 13. parallela sunt cum Matth. 10, 17. s. Ergo Marcus non est epitomator Matthaei. — εἰς) Sermo concisus: *in* synagogas inter verbera agemini. Vid. Glass. canon 2. de verbo. Vel potius εἰς pro ἐν, uti v. 16. Certe mentio verberum cum synagogis cohaeret. Matth. 10, 17. 23, 34. — αὐτοῖς, *eis*) Judaeis.

v. 10. καὶ εἰς, *et in*) Praedicatio evangelii adjuta est per ipsas persecutiones. v. 9. 2 Tim. 4, 17. — πρῶτον, *prius*) quam finis veniat. v. 7. [*Hierosolyma quum vastaretur, jam collecta fuit ex gentibus ecclesia.* V. g.]

v. 11. μηδὲ μελετᾶτε, *neque meditamini*) Non modo nulla sollicitudine, sed ne commentatione quidem opus est. — τοῦτο, *id ipsum*) totum, sine timore. [*Eo enim scopo suppeditatur vobis.* V. g.]

v. 14. ὅπου οὐ δεῖ, *ubi non oportet*) Sermo ad hominem. Judaei putabant, non oportere. Et non oportebat, quatenus *locus* erat *sanctus*. sic, *quae non oportet*, 1 Tim. 5, 13. Conf. etiam Jer. 49, 12. [*Ex isto loco urbem Romani invaserunt*. V. g.]

v. 20. οὓς ἐξελέξατο, *quos elegit*) Vis orationis est. — ἐκολόβωσε, *decurtarit*) decreto.

v. 22. ἀποπλανᾶν, *abducere*) per *errorem* a via recta.

v. 24. ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις μετὰ τὴν θλῖψιν ἐκείνην, *in illis diebus post tribulationem illam*) *Post* tribulationem *illam* erunt dies *illi*. Ergo alio spectat *illam*, alio *illis*. *Illam* respicit totum sermonem praecedentem: sed *illis* ad novissima prospicit, uti v. 32. Nam discipulorum quaestio, cui Dominus respondet, apud Marcum quoque, v. 4. implicite ad finem mundi pertinebat.

v. 25. ἔσονται ἐκπίπτοντες, *erunt excidentes*) Metaph. a flore. Jac. 1, 11.

v. 26. μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης, *cum potentia multa et gloria*) Adjectivum in medio. Tale zeugma frequens Marco, ut in medio aliquid ponat, cum praecedenti et subsequenti nectendum. vid. cap. 3, 26. 4, 21. 5, 40. 42. 6, 13. 7, 2. 21. 10, 7.

v. 27. ἀπ᾽ ἄκρου) Est locutio concisa, hoc sensu: *ab extremo* coeli et *terrae* in oriente *usque ad extremum coeli* et terrae in occidente. [*O beatam panegyrin; cui interesse quis non desideret?* V. g.]

[2]) v. 32. οὐδὲ ὁ υἱὸς, *neque filius*) Hoc, a Matthaeo praetermissum, posuit Marcus, quod fideles jam confirmati facilius ferre possent [3]). Et anno XII ae-

---

1) v. 1. λίθοι — οἰκοδομαὶ, *lapides — aedificia*] Ipsa aedificatio tum temporis fervebat: itaque multi lapides hinc inde seorsum jacebant. *V. g.*

2) v. 30. ἡ γενεὰ, *generatio*] Anno 30 Aer. Dion. dicta sunt haec, et A. 70 evenerunt. *Cf.* ad Matth. 24, 34. *Not. crit.*

3) Praetermisit etiam Lucas: qui aliquot Marci loca, quibus Theophilus, illustris vir sed νεόφυτος, facile offensus fuisset, mitigasse videtur. *Harm.* p. 481.

Digitized by Google

tatis et postea profecit Jesus sapientia; accessionesque, quas tum fecit, non habuerat prius. Id si illo non erat indignum, ne docenti quidem ei necesse erat unum jam tum scire arcanum Patri reservatum. Est autem accipiendum non absolute, (coll. Joh. 16, 15.) sed respectu humanae Christi naturae, abs qua tamen hoc loco, ubi climax est angelis eum etiam hominem praeferens, non denominatur; tum, respectu status exinanitionis, unde sermo alius mox post resurrectionem, Act. 1, 7. not. denique, supposita et humana natura et statu exinanitionis, respectu officii Christi: ut dicat, sine reservatione mentali, se nescire, quia non habuit in mandatis, ut diceret diem illum; deterreatque discipulos, ne scire postulent. Potuit apostolus unam rem pro diverso respectu et scire et non scire: Phil. 1, 25. not. quanto magis Christus? Admiranda est in motibus animae Christi varietas. Interdum habuit sensum excelsum, ut vix videretur meminisse, se esse Hominem in terris ambulantem: interdum habuit sensum humilem, ut paene videri posset oblitus, se esse Dominum ex coelo. Et pro praesenti semper affectu solitus est eloqui; modo tanquam Is, qui cum Patre erat unum; modo rursum sic, quasi ea duntaxat conditione esset, qua sunt omnes homines sancti. Saepe haec duo mira varietate inter se temperantur. Hoc loco humillime loquitur, sensumque suae gloriae, quem sermo de judicio afferebat, temperat. Dices: Cur appellatur h. l. *Filius*, non sumta denominatione a natura humana? Resp. In enunciatis de Salvatore, cum praedicato glorioso copulari solet subjectum demissum; Matth. 16, 28. Joh. 1, 52. 3, 13. cum praedicato demisso, subjectum gloriosum. Matth. 21, 3. 1 Cor. 2, 8. et h. l. est antitheton ad *Patrem*. — εἰ μὴ ὁ πατήρ, *nisi Pater*) Magna omniscientiae gloria. Conf. Act. 1, 7.

v. 34. [1]) τὴν ἐξουσίαν, *potestatem*) Hanc dedit servis conjunctim; ut patet ex antitheto, *et unicuique*. Magna potestas. Matth. 21, 33. — καὶ) *etiam*. — τῷ θυρωρῷ, *janitori*) qui etiam pro aliis vigilat, eosque excitare debet.

v. 35. γρηγορεῖτε, *vigilate*) *Vigilantia*, omnium officiorum fundamentum, non solum janitori, sed omnibus servis praecipitur. — μεσονυκτίου, *media nocte*) Matth. 25, 6.

v. 37. πᾶσι, *omnibus*) etiam posteris. [2])

CAPUT XIV.

v. 1. Τὸ πάσχα, *pascha*) Hoc dicitur stricto sensu, uti v. 12. nam adduntur *azyma*. — μετὰ δύο ἡμέρας) Id erat *postridie*.

v. 3. πιστικῆς, *verae*) Gall. *veritable*. Plinius contra, *pseudonardum* memorat. Mediam syllabam in πιστικῆς producit Nonnus. *Pista* urbs Indorum, in regione Cabul: qua ex regione pleraque aromata jam tum petebantur. vid. Lud. de Dieu in Act. p. 133. Sed ex nomine proprio potius formaretur πισταῖος.

[3]) v. 5. ἐπάνω τριακοσίων, *supra trecentos*) An accurate aestimare potuerint, dubitari potest. Locutio, adagio similis. [*Ducentis certe denariis viri propemodum 5000 cibari potuerant: itaque multo pluris aestimandam fuisse Summam istam judicaveris.* V. g.]

v. 7. τοὺς πτωχούς, *pauperes*) quos dicitis. — ὅταν, *si*) vultis, ut hic ostenditis. — δύνασθε, *potestis*) Nunquam ita egenus quisquam est, ut nil dare possit. — ἔχετε, *habetis*) sic praesentem. Non semper talis honos haberi mihi potest.

---

1) ὡς ἄνθρωπος] Non cum Matth. 25, 14. sed cum c. 24, 45. parallelam esse hanc periocham, scite demonstravit D. Hauberus. *Harm.* p. 484.

2) ὑμῖν, *vobis*] Apostolis eorumque coaevis. *V. g.*

3) συντρίψασα, *confringens*] ne quid in vase remaneret; quod, si vitreum fuisset, in multas particulas dissiliisset. *V. g.*

v. 8. ὅ, *quod)* Sermo concisus: i. e. *quod habuit*, impendit: et quod potuit, *fecit*. vel, quod habuit facere, fecit. αὕτη, *haec*, emphatice cohaeret cum ἔσχεν *habuit*. Tam pretiosum unguentum vix alius quispiam eorum, qui Jesum colebant, habuit. Divinitus designata est ad hoc faciendum. — προέλαβε, *praeoccuparit*) Non decebat, corpus Christi, corruptionis nescium, post mortem ungi: ideo prius unctum fuit.

v. 9. εἰς ὅλον, *in totum*) qua patet. — αὕτη, *haec*) Demonstrativum.

v. 11. ἐχάρησαν, *gavisi sunt*) gaudium conceperunt, idque testati sunt.

[1]) v. 13. ἀπαντήσει, *occurret*) Mirabile signum: 1) occursurum eis hominem. 2) marem. 3) unum. 4) statim. 5) qui ferat vas. 6) idque fictile. 7) aquae. 8) in domum discipulis quaesitam. [*Profunda humiliatione agnum paschalem aeque ac vulgaris Israëlita comedit Christus: quapropter gloriam suam in eo parando exseruit.* V. g.]

v. 14. ποῦ ἐστι, *ubi est*) Praesupponitur, esse aliquod hospitium jam paratum, providente Domino.

v. 15. ἀνάγαιον μέγα, *coenaculum magnum*) Jesum apud alios urbis incolas egisse pascha antehac, probabile est: hoc autem pascha Ipse majori solennitate celebravit. — ἐστρωμένον, *stratum*) tapetibus. divina providentia gubernatus fuerat paterfamilias. Haec circumstantia magis illustrat omniscientiam Jesu, quam si lapidibus stratum fuisset. — ἑτοιμάσατε, *parate*) Neutrum. Luc. 9, 52.

v. 16. εὗρον, *invenerunt*) cum fidei suae confirmatione, admiratione et gaudio.

v. 19. εἷς καθεῖς) Sic Joh. 8, 9. et, ὁ δὲ καθεῖς Rom. 12, 5. ὁ καθεὶς δὲ τῶν φίλων, 3 Macc. 5, 31. Ex κατὰ (non καὶ εἶτα) et ex εἷς est καθεὶς, formae οὐδεὶς, μηδεὶς, nisi malis καθεῖς, ut a καθεὶς participio distinguatur. κατὰ, ut ἀνὰ, μετὰ, adverbiascit.

v. 20. ἐμβαπτόμενος, *intingens*) manu sua. haec vis medii verbi. participium imperfecti temporis, uti ὢν Joh. 9, 25. ἐρχόμενος 2 Joh. v. 7.

v. 22. ἄρτον, *panem*) Marcus non addit articulum. — μου, *meum*) Subaudi: *quod datur pro vobis*. ex v. 24.

v. 23. καὶ ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες, *et biberunt ex illo omnes*) Hoc verbis Domini interjectum argumento est, illud: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*, dictum esse, dum ederent, dum biberent. Unde evangelistae illud vel praemittunt, vel subnectunt. conf. not. ad Matth. 3, 7. *Omnes* biberunt, etiam Judas: quem quis dixerit medio convivio potuisse se subducere? [conf. v. 17. 18. 22.] [*Quin et* v. 31. *sub voce* omnes *Judam etiamnum comprehendi existimes. Credibile est, eum cum Salvatore et discipulis torrentem Kidron trajecisse, atque exinde cohortem, in vicinia exspectantem, deduxisse.* Harm. p. 528.]

v. 27. γέγραπται, *scriptum est*) Conf. Matth. 26, 31. not.

v. 30. σὺ, *tu*) Antitheton, *non ego*, v. 29. — ἢ δὶς, *quam bis*) Valde notabilis circumstantia, primo cantu Petrum se non collecturum esse. [*Conf. not. ad Matth.* 26, 34.]

v. 31. ἐκ περισσοῦ μᾶλλον, *ex abundanti magis*) Conf. c. 7, 36. not. Petrus h. l. dixit *potius* de sua constantia, quam verbis Jesu credidit.

v. 33. ἐκθαμβεῖσθαι) Hesychius, ἔκθαμβος, ἔκπληκτος. Eustathio, θαμβεῖν, τὸ ἐπὶ θέᾳ τινὸς ἐκπλήττεσθαι.

[2]) v. 36. ἀββᾶ ὁ πατὴρ, *Abba Pater*) Marcus videtur interpretationis ergo,

---

1) v. 12. τὸ πάσχα ἔθυον, *pascha mactabant*] Judaei ad praescriptum legis, adeoque etiam discipuli, mactabant. V. *g.*

2) v. 35. παρέλθῃ ἀπ' αὐτοῦ ἡ ὥρα, *transiret ab Eo hora*] *Hora*, inquit. Norat Jesus calicem *cito* exhaustum, passionem *cito* exantlatum iri; et quemadmodum antehac boni exitus

Digitized by Google

Pater, addidisse. nam Matthaeus c. 26, 39. 42. simpliciter a Jesu dictum ait, *Pater mi*: Lucas, *Pater*: c. 22, 42. In cruce dixit, *Eli Eli*. — τί, *quid*) Non id, inquit, agitur, *quid* ego velim, sed, *quid* tu.

v. 41. καὶ ἔρχεται, *et venit*) Praesupponitur tertius discessus, cum oratione. — καθεύδετε, *dormite*) Matth. 26, 45. not. — ἀπέχει, *sufficit*) suas jam peractas habet sopor vices: nunc alia res est. [*Et meam excitationem quamvis non curetis, quies tamen vestra turbatur.* V. g.]

v. 44. ἀσφαλῶς, *caute*) Verebatur proditor, ne Jesus elaberetur. [*Itaque non jam de acquirendis* 30 *argenteis tantummodo curabat, sed internecino in Jesum odio ferebatur miser.* V. g.]

v. 51. σινδόνα, *sindone*) Locuples igitur erat. Matth. 11, 8. — ἐπὶ γυμνοῦ, *super nudo*) scil. corpore. Jam fortasse cubitum ierat. — κρατοῦσιν, *prehendunt*) Hic sequi non fuerat jussus. Discipulos nemo prehendebat: hunc prehendebant vel armati, vel alii. [1])

v. 52. γυμνὸς ἔφυγεν, *nudus fugit*) fugit, nocte non illuni: pudorem vicit timor, in magno periculo.

v. 53. συνέρχονται αὐτῷ, *conveniunt cum illo*) edicto ejus.

v. 54. μετὰ τῶν ὑπηρετῶν, *cum ministris*) Saepe facilior lapsus apud tales, qui minus timentur, quam inter proceres. — θερμαινόμενος, *calefaciens se*) Saepe sub cura corporis negligitur anima. — φῶς, *lucem*) Apte *lux* pro *igni* dicitur. ad *lucem* agnitus est Petrus, qui alias tutior fuisset. v. 67.

v. 60. οὐκ; τί; *non? quid?*) Duae interrogationes.

v. 61. εὐλογητοῦ, *Benedicti*) ברוך Benedicti Dei.

[2]) v. 65. ἤρξαντο, *coeperunt*) Novus gradus. — ὑπηρέται, *ministri*) qui ῥάβδους *virgas* habebant.

v. 66. κάτω, *infra*) Fuisse videntur ibi scalae.

v. 69. ἡ παιδίσκη, *ancilla*) eadem illa; vel altera, ut *rursus* nectatur cum solo participio, *conspicata*. — τοῖς παρεστηκόσιν, *iis qui adstiterant*) Dixit igitur animo jocandi, non nocendi. — [*Conf. not. ad Matth.* 26, 69.] — ἐξ αὐτῶν, *ex illis*) Τὸ *illis* ostendit, jam frequentissimum fuisse sermonem contra Jesum ejusque discipulos.

v. 72. ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, *contulit sese ad flendum*) vel, ut Stapulens. interpretatur, *prorupit in fletum*. Commode Galli, *il se mit à pleurer*. Theophr. charact. περὶ λογοποιίας· εὐθὺς ἐρωτῆσαι — καὶ ἐπιβαλὼν ἐρωτᾶν. quo vide Casaubonum.

CAPUT XV.

v. 7. Ἐν τῇ στάσει, *in seditione*) Crimen Pilato suspectissimum, Barabbam libenter punituro.

v. 8. ἀναβοήσας) *sublato clamore*. Huc refertur, *iterum clamaverunt*, v. 13. Olim ἀναβὰς legit Lat. vel etiam alii metaphrastae. Idque congruit cum Matth. 27, 17. *congregatis igitur illis*. Certe et ad antistites, Jesum invidiose accusantes, se aggregavit, captivum quempiam deprecaturus, populus: et *adscensus* in praetorium, *clamor*que aliquis a populo susceptus est. Qui ἀναβοήσας ad subsequentia verba, ἀναβὰς ad antecedentia conferet, ex utrolibet alterum per

---

certus fuerat: sic ne nunc quidem dubitandi locum habuit. Nullatenus vel Filii, seipsum — vel Parentis etiam. Filium pro nobis tradentis, amori erga nos quidquam eâ eventus certitudine decedit. Angores tamen calix et hora incussit Jesu: quare sub voluntatis paternae atque possibilitatis conditione deprecatus est. *Harm.* p. 527.

1) *Omissionem Subjecti*, οἱ νεανίσκοι, *margini* Ed. maj. *et* Ed. 2. *minus probatam*, *probat* Vers. germ. E. B.

2) v. 62. ἐγώ εἰμι, *Ego sum*] Jesus, hostibus falsa testimonia contra eum dicentibus, et discipulis veritatis confessioni sese subtrahentibus, veritatem ipse professus est. *V. g.*

Digitized by Google

alliterationem formari potuisse, sentiet. — αἰτεῖσθαι, *petere*) Subaudi ε proximo: ποιεῖν, *ut faceret*. Saepe omittitur verbum ex commate sequenti repetendum. Joh. 5, 21. 6, 32. 35. 10, 35. 12, 25. 35. Rom. 5, 16. Phil. 2, 1. 2. Tit. 2, 2. not. Sic LXX. 2 Reg. 9, 27.: καίγε αὐτόν. (scil. κατάξατε·) καὶ ἐπάταξεν αὐτόν. Conf. Glass. lib. 4. tract. 2. observ. 5 et 12 tota: et, si placet, quae notavimus olim ad Cic. ep. p. 143.

v. 9. τὸν βασιλέα τῶν ἰουδαίων, *regem Judaeorum*) Mimesis.

v. 15. τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι) *satisfacere.*

v. 16. αὐλῆς, *aulam*) Praemittitur vox graeca latinae synonymae, *praetorium.*

[1]) v. 21. ἐρχόμενον, *venientem*) vel ut paschati interesset, vel ut videret, quid Jesu fieret. — ἀπ' ἀγροῦ, *ab agro*) ubi fortasse domum habuerat. Felix, qui non interfuerit accusationi: sed eo ipso minus gratus Judaeis. — ἀλεξάνδρου καὶ ῥούφου, *Alexandri et Rufi*) Hi duo tum, cum Marcus scripsit, patre suo, quippe qui ab eis denominatur, notiores erant: illustres in discipulis: (vid. Rom. 16, 13. de Rufo, qui item ut matre sua notior ponitur, quam tamen Paulus Hierosolymis videtur matrem habuisse:) unde veritas rei gestae poterat cognosci.

v. 22. φέρουσιν, *ferunt*) non modo *ducunt*. — γολγοθᾶ) Genitivus.

v. 23. οὐκ ἔλαβε, *non sumsit*) gustavit, non bibit. Matth. 27, 34. coll. c. 26, 29.

v. 24. σταυρώσαντες, *crucifigentes*) — τίς, τί, *quis, quid*) Vid. *Bud.* comm. 1349, 27.

v. 25. τρίτη, *tertia*) quam sequitur *sexta* et *nona* v. 33. Notantur ergo horae judaicae. Utut est apud Marcum et Johannem et genus horae et numerus; unam eandemque uterque diei partem antemeridianam innuit. Neque est, cur numerum horarum crucis imminuere curemus. Ultra sex horas in cruce pependit Jesus. nam etiam *sex horae* a III ad IX, aequinoctio jam praeterito, aequalibus horis per se majores erant: solebant quippe diem, sive brevior esset sive longior in XII horas dividere: et inter finem eclipseos interque mortem Jesu multa intervenerunt. Sunt, qui hunc versum sic exponant: *Erat hora tertia, ex quo eum crucifixerant:* sed Marcus hoc sensu dixisset, *Erant horae tres:* et sic, praetermissa ipsius crucifixionis hora, diceret, quid tribus post horis factum esset; nam et sortitio et inscriptio celerior fuit. — καὶ) Καὶ vel proprie valet *et;* ut Marcus innuat, primum milites affixisse Jesum cruci, deinde divisisse vestes ejus, tum erexisse crucem: vel habet potius vim relativam, ut hora praecise notetur, cui mentio crucifixionis et praemittitur et subjicitur. coll. Joh. 19, 14. conf. καὶ c. 2, 15. fin. — ἐσταύρωσαν) exaltantes *crucem.*

v. 28. καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη) Ex. 53, 12. LXX: καὶ ἐν τοῖς ἀνόμοις ἐλογίσθη. Majorem vim μετὰ habet. *cum maleficis numerari se passus est.*

v. 29. οὐὰ, *vah*) Interjectio et acclamatio, admirandi vim habens, ut copiose docet Franc. Bernardinus Ferrarius lib. 3. de acclam. vet. c. 15. Hoc loco admirandi vim cum ironia habet.

v. 32. ὁ χριστὸς ὁ βασιλεὺς, *Christus rex*) Mimesis. τὸ *Christus* respicit actionem sub Caipha, τὸ *Rex* sub Pilato.

v. 34. ἐλωΐ) Hebr. אֱלֹהַי ut בְּרִזְלַי βερζελλὶ, בִּבַי βαβὶ, אֲבִישַׁי ἀβεσσὰ, etc. Hiller. Onom. pag. 707. nam ne שָׂרַי quidem Graece σαραΐ est, Gen. 17, 15. Matthaeus, ἠλὶ ἠλί· et sic psalterium hebraicum: Marcus, ἐλωΐ ἐλωΐ et sic psal-

---

1) v. 20. καὶ ἐξάγουσιν αὐτὸν, *et educunt eum*] Quid mysterii sub ea re lateat, quod optimus Salvator extra urbem eductus fuerit, nemo mortalium agnovisse, ne dicam aliis persuasisse existimandus est, nisi apostolica id sapientia nos edocuisset, Hebr. 13, 11—14. *Harm. p. 559.*

Digitized by Google

terium syriacum, ut observat Joh. Gregorius. — εἰς τί, *in quid*) Vid. Matth. 27, 46. not.

v. 37. ἐξέπνευσε, *exspiravit*) ***Spirare*** conducit corpori; ***exspirare***, spiritui.

[1]) v. 41. γαλιλαίᾳ, *Galilaea*) Hic magnam partem fuerat versatus: Hierosolyma venerat maxime temporibus festis.

v. 42. προσάββατον, *prosabbatum*) ubi initium erat requiescendi.

v. 43. ὁ ἀπὸ ἀριμαθαίας, *qui ab Arimathaea*) Articulus ostendit, hoc Josephi cognomen esse factum. Matthaeus articulum non ponit, quia ante Marcum scripsit. — εὐσχήμων, *honestus*) et honore et dignitate conspicuus. — βουλευτὴς, *senator*) Hierosolymitanus. — τολμήσας, *ausus*) Laudabilis ausus. [*non carens capitis periculo.* V. g.] Joh. 19, 38. Asyndeton elegans et efficax. [*Saepius talia audentibus melius, ac putasses, succedunt conatus.* V. g.]

v. 44. ἐθαύμασεν, *miratus est*) Sane crux non eripuit vitam Jesu. [*Longius quandoque vitam protrahebant crucifixi. Pilatus crurifragium permiserat; sed Jesum ante crurifragium obiisse, per Josephum demum rescivit.* V. g.] — πάλαι) Id de intervallo etiam breviore dici, ostendit Eustathius.

v. 45. γνοὺς, *cognoscens*) Jesus vere mortuus. — ἐδωρήσατο, *donavit*) Corpus crucifixi fuerat in potestate judicis. [*Corpus igitur, a corruptione immune servandum, obnoxium ethnico homini fuit. Mirum! Haud exiguam Josephus pecuniam numeraturus fuisse censendus est.* V. g.]

CAPUT XVI.

v. 1. Ἠγόρασαν, *emerunt*) Pridie sabbati praepararunt aromata. Luc. 23, 56. 24, 1. Ergo utique tum etiam emerant. neque enim postridie sabbati tam mane emere poterant. Itaque διαγενομένου τοῦ σαββάτου aut per hyperbaton necti debet cum *veniunt*, v. 2. aut sensus est: *sabbato interim facto*, scil. inter parasceven et primam sabbatorum. — ἀρώματα, *aromata*: — ἀλείψωσιν, *ungerent*) Utrinque est synecdoche. ***Aromatis*** volebant corpus conspergere, unguentis ***ungere***: vel aromata et unguenta contemperare.

v. 2. λίαν πρωΐ, *valde mane*. ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *orto sole*) Alterum pertinet ad Mariam Magdalenam, Joh. 20, 1. alterum ad ceteras.

v. 3. ἐκ, *ex*) Igitur valde munitum fuerat sepulcrum. Nesciebant tamen mulieres, id etiam obsignatum fuisse.

v. 4. γὰρ, *enim*) Innuit particula, cur et *mulieres* solicitae fuerint, et cur *lapidem* majore vi devolvendum agnoverint.

v. 5. νεανίσκον, *juvenem*) Habitus angelos decens. Plerumque forma virili, eaque hic juvenili, apparuerunt. [Matth. 28, 2.] — ἐν τοῖς δεξιοῖς, *in dextris*) Minister ita est Domino suo ad manum, apte ministrans.

v. 7. ἀλλ᾽ ὑπάγετε, *sed abite*) Antitheton: *non est hic: illic videbitis.* — καὶ τῷ πέτρῳ, *et Petro*) qui praeconium hoc deinde in actis et epistolis eximie fecit. [*Quantam inde refrigerationem discipulo tristitiâ confecto contigisse existimes.* V. g.]

v. 8. τρόμος, *tremor*) corporis. conf. 1 Cor. 2, 3. not. — ἔκστασις, *stupor*) animi.

v. 9. πρωΐ, *mane*) Constr. cum *apparuit*. coll. v. 12. Eo ipso tamen die surrexit Dominus, ante lucem.

v. 12. ἑτέρᾳ, *alia*) Hic medius revelationis gradus inter nuncios et apparitionem manifestam: sicut ***binarius*** medius inter nunciam unicam et testes multos.

---

1) v. 39. οὕτω κράξας, *ita clamans*] Non languore Christus extinctus est, sed liberrime vitam posuit. *V. g.*

Digiti Google

[1]) v. 13. ἀπήγγειλαν) *renuncíarunt*. — οὐδὲ ἐκείνοις, *ne illis quidem*) Affirmat Lucas, c. 24, 34. Utrumque vere. Credebant; sed mox recurrebat suspicio et ipsa *incredulitas*. Fides exoriens, excepta prima laetitia, quae tamen quiddam insolens et ecstaticum habebat admixtum, non erat fides, collata ad fidem defaecatam, exsaturatam, apostolatui idoneam, quae secuta est. Luc. 24, 37. s. Joh. 20, 25. Matth. 28, 17.

v. 14. ὕστερον, *ultimo*) Ultima apparitionum non absolute, sed earum, quas Marcus describit. [*et quae ipso resurrectionis die factae sunt. Addit enim Marcus:* discumbentibus undecim; *adeoque non de apparitione montana in Galilaea loquitur, quam ipse* v. 7. *brevissime tangit, et Matthaeus* c. 28, 16. *diserte commemorat.* Harm. p. 604.] — ἀνακειμένοις, *discumbentibus*) quo tempore maxime exhilarantur homines adventu eorum, quos desiderabant. — αὐτοῖς, *ipsis*) simul. — ὠνείδισε, *exprobravit*) Id praesupponit demonstrationem indubiam. [*Salutaris pudefactio!* V. g.] — καὶ σκληροκαρδίαν, *et duritiem cordis*) Fides et cor molle, conjuncta.

v. 15. κόσμον, *mundum*) Jesus Christus, Dominus omnium. — πάσῃ, *omni*) v. 20. Hoc sine limitatione dicitur. si non omnes homines omnium locorum et seculorum audivere evangelium, primorum praeconum successores, et ii, quorum erat audire, non responderunt voluntati divinae. — κτίσει, *creaturae*) hominibus, primario, v. 16. reliquis creaturis, secundario. Sicut maledictio, ita benedictio patet. Creatio per Filium, fundamentum redemtionis et regni.

v. 16. πιστεύσας, *credens*) evangelio. Respondent extrema primis. cap. 1, 15. — καὶ βαπτισθείς, *et baptizatus*) Quisquis credidit, baptismum suscepit. — σωθήσεται, *salvabitur:* καταχριθήσεται, *condemnabitur*) Utrinque est synecdoche. Justitiam et *salutem habebit:* *condemnabitur* et interibit. — ἀπιστήσας, *qui non credit*) Qui non credebant, baptismum non suscipiebant. Privatio baptismi non damnat, nisi per *incredulitatem*. Circumcisionis neglectae poena expressius indicata. Gen. 17, 14.

v. 17. τοῖς πιστεύσασι, *credentes*) ea ipsa fide, de qua v. 16. Conf. Hebr. 11, 33. etc. Non fuit habitus alius, quo salvatus est Paulus; alius, quo miracula edidit. Hodie quoque in omni fideli fides latentem habet vim miraculosam: omnis effectus precum revera miraculosus est, etiamsi non appareat: etsi in multis et propter ipsorum imbecillitatem et propter mundi indignitatem, non modo propter ecclesiam plantatam, quanquam prima miracula N. T. revera Domini Jesu nomen aeternum (coll. Es. 63, 12.) pepererunt, ea se hodie vis non exserit. Signa initio fuere adminicula fidei: nunc etiam sunt fidei objectum. Leonbergae, oppido Wirtenbergico, [*A. C.* 1644. *Dom.* XIII. *p. Trin.*] puella annorum 20. ita membris capta, ut fulcris vix spithamaeis reperet, dum Decanus [*Raumeierus* nomine] pro suggestu miraculosam vim nominis Jesu tractaret, repente erecta est. [2]) — ταῦτα, *haec*) Miracula appellantur hic evidentis-

---

1) εἰς ἀγρὸν, *in agrum*] Emanuntem versus. *V. g.*

2) *Eaque res quum praesentibus Sereniss. t. t. Duce* Eberhardo III. *ejusque aulicis contigerit, documentis publicis omni exceptione majoribus ad posteros est translata. Quum vero plane aliter (ut nunc video) judicet cel.* D. Ernesti, *(Bibl. theol. noviss. T. II. p.* 416.) *et factum istud* miraculi *nomine indignum censeat: operae pretium fuerit*, speciem facti, *ab ipso Decano* αὐτόπτῃ *in literas relatam, summatim oculis subjicere. Formalia, ut ajunt, verba sunt haec:* „Auf den XIII Sonntag Trinit. Anno 1644 in Gegenwart des Durchleuch-„tigen Hochgeb. Fürsten und Herrn, Herrn Eberhard, Herzogen zu Würtemberg und Teckh etc. „auch Ihro Fürstl. Durchl. Geheimesten Räthen, Hof- und Kammer-Junkern; sodann ganzer „Stadt und Amts Gemeind zu Leonberg, hat sich in der Kirch daselbsten, nach vollendeter „Morgen-Predigt und verrichtetem Sonntäglichen Gebet unter denen beeden gesungenen Ge-„setzen: Sey Lob und Ehr mit hohem Preis etc. Sein Reich zukomm, sein Will etc. nach-„folgender denkwürdiger Casus begeben. Eine ledige Tochter von 20 Jahren, Nahmens

Digitized by Google

sima et ab omni praestigiarum suspicione remotissima. — παρακολουθήσει, *subsequentur*) Verbum et fides praecedit signa. v. 20. — ἐν τῷ ὀνόματί μου, *in nomine meo*) quod fideles invocant. — καιναῖς, *noris*) iis, quas ipsi antea non noverant: vel etiam iis, quas nulla natio antea habuerat. 1 Cor. 12, 10. Nam Act. 2, 4. *linguae* Parthorum, Medorum etc. *aliae* dicuntur, non *novae*. Ἕτεραι, *aliae* erant linguae prius usitatae, variarum nationum; at καιναὶ, *novae* v. gr. Corinthi, quas alius loquebatur, alius interpretabatur, quamvis nemo adesset peregrina utens lingua: id quod erat quasi exercitium propheticum.

v. 18. θανάσιμον, *mortiferum*) Non commemoratur hic resurrectio mortuorum: Jesus Christus plus praestitit, quam promisit. Sed nec nisi Tabea per

---

„Catharina (deren vor 8 Jahren bey ausgestandener Krankheit und ermangelter Pflag beede „Schenkel heftig zerschwollen, zuletzt also verdorben und bey den Knieschеiben zusammen„gewachsen, dass sie in dem Fortgehen sich der Händ bedienen, auf zweyen niedern Krück„lein, so sie in beyden Händen gehabt, einherkriechen, und die zusammengekrümmte Füss „hat hernachschleppen müssen,) ist auf solchen ihren gewöhnlichen Krücklein mit den Hän„den auch zur Predigt kommen, hat derselben mit andern Christen zugehört, das Gebet ver„richtet, und letzlich unter dem Gesang, wie oben erwehnt, vor Angesicht der ganzen Ge„meind, ihre in die 9 Jahr lang verdorbene und zusammengebogene Füss angefangen auszu„recken, auf dieselbe zu tretten, und ohne männiglichs Behelf wieder aufrecht zu wandeln; „und weil ermeldte Tochter wegen niederträchtigen Einherkriechens sich sehr abgekürzter „Röcke, so bloss auf die vierthalb Viertel einer Ellen lang gewesen, gebrauchen müssen, „als hat sie denen nächst umgestandenen Weibspersonen zugeruffen, von denenselben ein „Unter-Röcklein erhalten, damit sie ihre ausgereckte und wiederum auf die Geradigkeit ge„stellte Füss bedeckt; hierüber auch nach gesprochenem Seegen mit andern Leuten zur „Kirchen hinaus gewandelt. Sie hat aber alsobald wieder umgekehrt, ihre beyde Krück„lein, durch deren Beyhülf sie mit den Händen zur Predigt kommen, zur Kirch hinein ge„tragen, und an den Ort gestellet, da sie pflegte ihrer Gewohnheit nach unter der Predigt „zu sitzen, mit diesem Vermelden, sie wolte an dieser Stell ihre beyde Krücklein hinter„lassen, zu immerwährendem Zeugniss, dass JESUS CHRISTUS, der himmlische Samariter „(davon die Predigt gelautet) [*nemo scilicet Spiritum fidei regulis hermeneuticis alligaverit,*] „sie auch in ihrem Elend angesehen, ihr Seufzen gnädig erhöret, und mit seiner wunder„thätigen göttlichen Hülf erfreuet habe. Worauf der Pfarrer und Specialis daselbsten mehr„ermannte Tochter in die Mitte der Kirchen geführet, selbige zum Lob und herzlichen Dank „gegen GOtt ermahnet, auch offentlich in Gegenwart fast voriger ganzen Gemeind, so sich „wieder zur Kirchen herein gedrungen, den 103ten Psalmen, samt andern Lobsprüchen und „H. Vater Unser ihr vorgesprochen; nachgehends dieselbe erinnert, den getreuen GOtt um „diese fernere Gnad kindlich anzurufen, dass ER sie bey dieser erzeigten Wunderwohlthat „aufrecht behalten, auch Geist und Kraft verleihen wolle, damit sie die übrige Tage ihres „Lebens Ihme hiefür herzlich danken, und in wahrer Forcht GOttes leben möge: in welchem „allem sie kniend mit erhabenem Angesicht, frölichem Herzen, und doch Vergiessung vieler „Thränen nachgesprochen, auch nach Vollendung dessen im Nahmen der H. Dreyfaltigkeit „wiederum aufgestanden, und mit der umstehenden Gemeind zur Kirchen hinausgegangen, „und in ihre gewohnliche Behausung auf geraden Füssen gewandelt.“ *Haec qui rite perpenderit, eum nequaquam putem impetrare a se facile posse, ut rem non coram rudi plebecula, sed in conspectu numerosissimorum aeque ac amplissimorum testium divinitus gestam et pro extantiori Numinis opere agnitam, vulgaribus eventibus adnumeret. rel cum phaenomenis naturae, diversam plane rationem habentibus, comparare gestiat. Alia prorsus est repentina membrorum* in aure restitutio *(cujus multa profecto exempla prostant) alia membrorum corporis per* novem *continuos* annos *miserabiliter contractorum subitanea relaxatio, divinae opis implorationem insecuta. Cujus admirandum effectum* in tali casu *qui negare sustinet, is eadem operâ forsan (quanquam contra mentem Opponentis citati) dixerit, non divina Salvatoris virtute, sed* casu *fortuito restitutos esse permultos, quorum Historia evangelica meminit. Equidem fateor me non videre, quid ad fidem* miraculo *faciendam desiderari ultra queat, si a modo dictis discesseris. Similem huic non fabulam, sed historiam liceat subjungere. Lavingae Anno* 1606. 26. *Nov. natus est* Josephus Jenisch, *patre Augustano Ecclesiae Praesule, matre Memmingensi, ex nobili Kellerorum stirpe oriunda. Qui cum ab ipso partu* lingua destitutus *observaretur; intensissimis parentum atque domesticorum precibus divinitus impetratum est, ut annum aetatis primum necdum emensus familiares quosvis distincte compellare posset puerulus, ob id ipsum* Ecclesiae ministerio *dicatus, quo per* 40 *annos Böblingae et Münchingae defunctus, diem obiit* 10. *Apr.* 1675. E. B.

Petrum, Eutychus per Paulum resuscitati leguntur. nam Salvatore in gloriam ingresso optabilius est per fidem ex hoc mundo in alterum evolare, quam in hanc vitam redire.

v. 19. ὁ κύριος, *Dominus*) Magnifica et opportuna appellatio. v. 20. [c. 12, 36.] — μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς, *postquam eis locutus erat*) Mandatis eos instruxit, non solum ipso die resurrectionis, per Marcum tam copiose descripto, sed etiam per insequentes dies. [*Conf. not. ad Matth.* 28, 19. s.]

v. 20. πανταχοῦ, *ubique*) v. 15. Quo tempore Marcus evangelium scripsit, jam tum apostoli exierant in omnem mundum: Rom. 10, 18. ideo praeter Petrum, Jacobum majorem, Johannem, Jacobum minorem, Judam, nullius apostoli, nisi Pauli, post Actorum caput II. vel XV. nos mentionem legimus in libris N. T. Ibi quisque maxime innotuit, ubi praedicavit. Nullius apostoli, solius Jesu Christi nomen in toto orbe celebratum est.

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

CAPUT I.

v. 1. Ἐπειδήπερ, *quandoquidem*) Dedicatio brevis, ad utrumque Lucae [1]) pertinens librum; sive prooemium, ex quo gravitas, simplicitas, candor elucet. — πολλοὶ ἐπεχείρησαν, *multi sunt conati*) Non notat Lucas Matthaeum et Johannem, qui fuerant inter *spectatores* rei ac *ministros* ipsos: ut non dicamus, Lucam et ante Johannem scripsisse, et Matthaei librum non vidisse videri. Unus superest Marcus: at Lucas dicit *multos*, idemque adhibet verbum media vi, ἐπεχείρησαν *conati sunt*, cui congruit particula καθὼς, *sicut*, congruentiam cum relatione spectatorum et ministrorum innuens a scriptoribus vel quaesitam vel obtentam; et vocula κἀμοὶ *etiam mihi*, qua Lucas multis illis se non tam opponit, quam aggregat, sic tamen, ut etiamnum aliquid ad ἀσφάλειαν ac firmitudinem Theophilo conferat. Significat igitur, si modo Marcum etiam spectavit, [*quod quidem si loquendi formulas et narrationum ordinem inricem contuleris, vero non est absimile.* Harm. p. 36.] complura Marco non dicta in promtu sibi esse; ceteros vero scriptores, cum v. gr. qui *Evangelium secundum Aegyptios* scripserit, minus facere ad ἀσφάλειαν ac firmitudinem. — ἀνατάξασθαι, *adornare*) scripto, vel sermone catechetico. Hesychius, ἀνατάξασθαι, εὐτρεπίσασθαι. — τῶν πεπληροφορημένων] πληροφορία, quum homini tribuitur, notat *plenitudi-*

---

1) *Lucii* nomen et *Lucae* idem est, nisi quod prius istud, posterioris Diminutivum, familiarius aliquando sonat. *Lucii Cyrenaei* Act. 13, 1. inter prophetas atque doctores ecclesiae, quae *Antiochiae* tum florebat, mentio jam fit, adeoque brevi post Herodis obitum (c. 12, 23.) A. Acr. Dion. 44. consecutum. Inde, putem, est, quod Eusebius aliique ipsam *Antiochiam* patriam Lucae habuerunt. Paulus porro *Lucii* cujusdam inter consanguineos suos meminit, Rom. 16, 21. et *Lucam* cooperarium suum dicit et Medicum, dilectum, Philem. v. 24. Col. 4, 14. Jam, sive *Lucas* modo sit, sive etiam *Lucius*, hic ipse est, qui Apostolorum acta descripsit, ipsum Paulum Troade primum Philippas (Act. 16, 10.), deinde Philippis Troadem, quin Romam usque (c. 20, 6. — 28, 16. 2 Tim. 4, 11.) comitatus: quapropter saepissime primam pluralis numeri personam in narratione sua adhibet. Ceterum excitatus Lucae stilus, qui cum lactissimo Actorum argumento, exsecutionem novi Testamenti complectentium, apprime convenit, ex multorum annorum consuetudine, quam cum Paulo Lucas coluit, nonnihil traxisse videtur. *Harm.* p. 35. sq.

Digitized by Google

nem cognitionis in intellectu, vel appetitus in voluntate: quum rei tribuitur, notat plenum vigorem. 2 Tim. 4, 17. Hebr. 6, 11. not. Talem vigorem τὰ πράγματα, *res* christianae, quas utroque libro describit Lucas, habebant, dum fierent: et habebant eae solae; quare easdem hac periphrasi satis designat. In conspectu mundi res gesta est. Act. 26, 26. — ἐν ἡμῖν, *in nobis*) in ecclesia, maxime vero in doctoribus, iisque veteranis.

v. 2. παρέδοσαν ἡμῖν, *tradiderunt nobis*) mihi aliisque apostolorum comitibus. — ἀπ' ἀρχῆς, *a principio*) Non a solo Paulo, *post initium* converso, accepit Lucas. — αὐτόπται καὶ ὑπηρέται) *Ipsi viderunt*, et, quod plus est, *ministrarunt*. Sic etiam Paulus erat *minister et testis*, Act. 26, 16. ipsaque Domini mater Maria. Act. 1, 14. Tales testes erant multi, longaevi, summae auctoritatis. [*v. gr. duodecim apostoli*, 70 *discipuli*, *Maria Magdalena*, *aliique complures*. V. g.] 1 Cor. 15, 6. Rom. 16, 7. Tales ipsi, et talium comites, libros N. T. scripserunt: nulli dubitationi relictus est locus. — τοῦ λόγου, *sermonis*) Act. 10, 36. Hic unus sermo multos sermones complectitur. v. 4.

v. 3. ἔδοξε κἀμοὶ, *visum est etiam mihi*) Sanctum prolubium, evangelico homine dignum. — παρηκολουθηκότι, *consecuto*) Exquisitum verbum: dicitur de eo, qui tantum non ipse interfuit omnibus rebus, et ab iis, qui interfuere, didicit. v. gr. de Timotheo, 2 Tim. 3, 10. quem Paulus mox sub persecutiones, quas perpessus fuerat Antiochiae etc. secum duxit. Oppositum, ἀπολέλειμμαι, *res fugit me, non capio*. Causa, cur Lucas se scribere posse ac debere statuerit. Hic est, qui Act. 13, 1. vel certe ibidem c. 16, 10. evangelico jam munere fungebatur. — ἄνωθεν, *superne*) a principio. v. 2. 5. [*Innuit hâc vocula, ea quae Marcus omisit, supplere se voluisse*. Harm. p. 37.] Scriptura tradit origines, etiam evangelicas et ecclesiasticas. — πᾶσιν) τοῖς πράγμασιν. *Omnia negotia* illa subsecutus erat Lucas *accurate*. — καθεξῆς, *deinceps*) ἑξῆς, *postea*: καθεξῆς, *deinceps*. Ut omnia assecutus erat Lucas, *proximum* erat, ut describeret. Et quidem *recentem* rei cognitae laetitiam sapit hoc prooemium. Describit autem *ordine* (id quoque valet καθεξῆς) primum Acta Christi, conceptionem, nativitatem, pueritiam, baptismum, benefacta, praeconium, passionem, resurrectionem, ascensionem: deinde Acta apostolorum. Quod tamen ipsum non impedit, quo minus aliqua interdum, temporibus disjuncta, conjungat. c. 1, 80. 3, 20. etc. — κράτιστε θεόφιλε, *excellentissime Theophile*) Hic Theophilus erat Alexandriae, ut veteres testantur: (vid. *Ord. temp.* p. 225. *Ed. II.* p. 196. *et Harm. Ev. Ed. II.* p. 80.) et in ea urbe inprimis floruit *catechesis*. v. 4. Erat vir amplissimus, ut titulus a Luca ei datus ostendit. coll. Act. 23, 26. 24, 3. 26, 25. Idem titulus eidem Theophilo Act. 1, 1. non tribuitur, vel quod tum privatus erat, vel quod virtus ejus, et Lucae familiaritas creverat. Argumento autem est titulus, historiam evangelicam esse veram, et ab initio praestantissimis viris sese offerri passam esse. Sancta hominum illustrium exempla in his libris descripta Theophilum excitare poterant.

v. 4. ἵνα, *ut*) Scopus libri. [*qui apud Johannem in fine extat*, c. 21, 24. Harm. p. 34.] — ἐπιγνῷς, *cognosceres*) Verbum compositum, emphaticum. — κατηχήθης, *institutus es*) ore aliorum. Catechesis etiam historiam sacram complectitur. Lucas agnoscit majorem suam auctoritatem, quam eorum, ex quibus antea audierat Theophilus.

[1]) v. 5. ἐγένετο, *fuit*) Sub praefationem Lucas ipsam exhibet Historiam Jesu Christi, ab ejus introitu in mundum, usque ad adscensionem in coelum. Hujus Historiae notandum

---

1) τὴν ἀσφάλειαν, *certitudinem*] Locum haec habet, ubi spurii nihil additur, necessarii nihil desideratur, atque justis omnia documentis comprobata sunt. V. g.

I. Initium: ubi
1. Johannis conceptio. c. I. 5—25
2. ipsius Jesu conceptio. 26—56
3. Johannis nativitas et circumcisio: Zachariae hymnus: Johannis adolescentia. 57—80
4. Jesu Christi a) nativitas. c. II. 1—20
b) Circumcisio et nomen. 21
c) repraesentatio. 22—38
d) patria et incrementum. 39. 40
II. Medium, cum esset annorum XII. et deinceps. 41—52
III. Cursus ipse.
1. Aditus: ubi describitur baptista: baptismus: tentatio. c. III. 1. s. 21. s. IV. 1—13
2. Annus acceptus in Galilaea:
A. Nazaretae propositus. 14—30
B. Re ipsa praestitus.
α. Capernaumi, et in illa regione. Hîc notanda
1. acta, ab adversariis non reprehensa: ubi Jesus
1. potenter docet. 31. 32
2. obsessum liberat. 33—37
3. Petri socrum et multos aegrotos sanat. 38—41
4. ubique docet. 42—44
5. Petrum vocat, et item Jacobum et Johannem. c. V. 1—11
6. Leprosum mundat. 12—16
2. acta, ab adversariis, paulatim gravius, reprehensa. Hîc occurrit
1. paralyticus. 17—26
2. vocatio Levi, et cibus cum publicanis et peccatoribus sumtus. 27—32
3. quaestio de jejunio soluta. 33—39
4. spicae vulsae. c. VI. 1 — 5
5. manus arida restituta, et hostium insidiae. 6—11
3. acta, quorum eventus apud varios varius erat:
1. apud apostolos electos: 12—16
2. apud alios auditores: 17. s. 20—49
3. apud centurionem: c. VII. 1—10
4. apud discipulos Johannis, ubi
ℵ occasio, resuscitatio adolescentis in Nain, 11—18
ב legatio, 18—23
ג elenchus: 24—35
5. apud Pharisaeum Simonem et peccatricem amantissimam. 36—50
6. apud familiares. c. VIII. 1 — 3
7. apud populum. 4—18
8. apud matrem ac fratres. 19—21
β. in mari, 22—26
et trans mare. 27—39
γ. cis mare, iterum:
1. Jairus et haemorrhousa. 40—56
2. apostoli emissi. c. IX. 1 — 6
3. Herodis dubitatio. 7 — 9
4. apostolorum relatio. 10
5. populi studium: Domini benignitas: V millia saturati. 11—17
3. Praeparatio ad passionem etc.
A. Recapitulatio doctrinae de persona I. C. Silentium imperatum: passio praedicta: sequela injuncta. 18. s. 21. 22. 23—27
B. Glorificatio in monte: lunatici sanatio: passio iterum praedicta: humilitas et moderatio praecepta 28. s. 37. s. 43. s. 46. s. 49. s.
C. Iter magnum Hierosolymitanum ad passionem etc. Hîc statui possunt intervalla XVIII.
I. SAMARITAE, inhospitales, tolerati. 51—57
II. In via: comites inidonei repulsi: idonei compulsi. 57—62
III. POSTEA, Nuncii LXX praemissi: et cum gaudio recepti. c. X. 1—24
ET Legisperitus, Samaritae exemplo, amorem proximi edoctus. 25—37

Digitized by Google

a c

IV. In pago quodam, Maria Marthae anteposita. 38—42
V. In loco quodam, discipuli orare discunt. c. XI. 1—13
daemonium ejicitur; id factum defenditur: 14—26
mulieris acclamatio corrigitur. 27. 28
populus signi avidus reprehenditur. 29—36
VI. In domo quadam, pharisaei et scribae redarguuntur. 37. s. 45—54
VII. Sermo habetur ad discipulos, c. XII. 1—12
ad interpellatorem, 13—21
ad discipulos, 22—40
ad Petrum, 41—53
ad populum. 54—59
VIII. Poenitentiae necessitas ostenditur. c. XIII. 1 — 9
In Synagoga, mulier sabbato sanatur, crescente Dei regno. 10—21
IX. In itinere declaratur paucitas salvandorum. 22—30
X. Eo die, Herodes vulpes dicitur, Jerusalem redarguitur. 31—35
XI. In domo pharisaei, hydropicus sabbato sanatur: c. XIV. 1 — 6
docetur humilitas, 7—11
vera hospitalitas, 12—14
ratio magni convivii; 15—24
abnegatio sui requiritur. 25—35
XII. Gaudium super peccatoribus resipiscentibus defenditur.
c. XV. 1. s. 11. s.
Discipulis officium injungitur: c. XVI. 1—13
et Pharisaeorum avaritia irrisioque refutatur. 14—31
Scandala caventur. c. XVII. 1 — 4
apostolorum fides augetur. 5—10
XIII. In confiniis Samariae et Galilaeae X leprosos sanat: 11—19
XIV. quaestioni de tempore adventus regni Dei respondet: 20—37
orationem assiduam et demissam commendat.
c. XVIII. 1. s. 9—14
XV. Parvulis benedicit: 15—17
respondet diviti, 18—27
et Petro. 28—30
XVI. Passionem tertium praedicit. 31—34
XVII. Prope Jericho, coecus sanatus. 35—43
XVIII. In Jericho, Zacchaeo salus confertur: c. XIX. 1—10
de subita apparitione regni respondetur. 11—28

4. Acta Hierosolymitana.

A. Priores dies magnae hebdomadis.
1. introitus regalis. 29—44
2. templi.
α. abusus castigatus. 45. 46
β. usus restitutus, 47. 48
et vindicatus. c. XX. 1 — 8
3. in templo sermones:
α. parabola de colonis, 9—19
β. responsio de censu, 20—26
et de resurrectione. 27—40
γ. quaestio de Domino Davidis. 41—44
δ. discipuli admoniti. 45—47
ε. laudata viduae oblatio. c. XXI. 1 — 4
4. templi et urbis, et universi, finis praedictus. 5. s. 8. s. 25. s. 28. s.
5. adversariorum et proditoris pactum. c. XXII. 1 — 6

B. Feria quinta.
a. Petri et Johannis curatio. 7—13
b. coena et sermones. 14—23
c. quis major? 24—30
Petrus et ceteri discipuli admonentur. 31. s. 35—38
d. in monte oliveti
1. orat Jesus Patrem, ab angelo corroboratur, et discipulos excitat. 39—46
2. proditur; inepte defenditur contra irruentes: sancte se gerit. 47—53

b

Digitized by Google

b

e. comprehensus in domum pontificis ducitur, 54
Petrus eum abnegat, et plorat: 55—62
Dominus illuditur. 63—65
C. Feria sexta.
א passio et mors. Acta
1. in Synedrio etc. 66—71
2. in praetorio. c. XXIII. 1—5
3. apud Herodem. 6—12
4. iterum in praetorio. 13. s. 17—25
5. in via. 26—32
6. in Golgotha: ubi
a. crux ipsa: et deprecatio Jesu. 33. 34
b. vestes divisae. 34 s.
c. ludibria, et in his titulus crucis. 35—39
d. latronum tamen unus conversus. 40—43
e. portenta et mors Jesu. 44—46
f. spectatores. 47—49
ב sepultura. 50—53
D. parasceve et sabbatum. 54—56
E. Resurrectio, innotescit
α. mulieribus: c. XXIV. 1—12
β. duobus in agrum euntibus, et Simoni: 13—35
γ. ceteris quoque. 36. s. 44. s.
F. Apostolorum instructio: Domini ascensio: apostolorum alacritas. 46—53

— ἡρῴδου, *Herodis*) Omnia liquido ponuntur: nomina, tempora, loca. [*Falsorum prophetarum haud pauci, e. gr. Mahomed, ex improviso, sensim sensimque factiones nacti, seipsos postea et alios deceperunt: quare generis ratio aetatisque primae conditio ignota est in talibus, lubrica et fictitia. At Jesu Christi conceptio, nativitas, infantia, pueritia etc. documentis prorsus egregiis munitae sunt. Ab aeterno Deus ista praefinivit, et per antiquos prophetas indicavit, complementum deinceps irrefragabilium testium operâ confirmans.* Harm. p. 59.] — τῆς ἰουδαίας, *Judaeae*) Theatrum rerum omnium. — ἱερεὺς, *sacerdos*) non summus sacerdos, sed classicus. — ἐξ ἐφημερίας ἀβιά· *ex classe Abia*) In XXIV. classes divisi erant sacerdotes: et classis Abia erat octava 1 Chron. 24, 10. ἐφημερία, usu LXX virali, respondet hebraico מחלקת interdum etiam משמרת. Quaelibet classis in suo ordine habebat functionem septidui, a sabbato ad sabbatum. [*Colligere hinc fas est, Zachariam a 2 Sept. ad 9 Sept. functionem suam obiisse. Ord. temp.* pag. 230. s. (Ed. II. p. 200. s.) *et 2 Sept. eo anno apud gentem Israëlit. respondebat I Tisri. Ecce! ineunte anno, cum nuncio angelico Zachariae oblato, N. T. primordium cepit.* V. g.]

v. 6. δίκαιοι, *justi*) Benignitas scripturae de justitia piorum loquentis non debet opponi dogmati de justificatione. — ἀμφότεροι, *ambo*) Deus organa electa producit ex parentibus piis. — ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, *coram Deo*) Gen. 17, 1. — ἐντολαῖς, *praeceptis*) moralibus. — δικαιώμασι) ceremonialibus. Hebr. 9, 1.

v. 7. καὶ, *et*) Non jam sperabant prolem, ex duplici causa: v. 18. 36. (conf. Rom. 4, 19.) et fortasse jam ne petebant quidem. — προβεβηκότες, *provecti*) Descriptio senectutis piorum jucunda, metam conspicientis beatam.

v. 8. ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ, *in ordine classis suae*) De vestigio hujus loci chronologico egimus in *Ordine temporum*, pag. 230. [*Ed. II.* p. 200.] [*Hebdomadibus 24. ephemeriae sacerdotum in orbem redibant: eaque vicissitudo ad vastationem templi usque vigebat.* V. g.]

v. 9. ἔλαχε, *sortem accepit*) Functiones sacerdotum, sorte dividebantur [1]). — τοῦ θυμιᾶσαι, *ut suffitum faceret*) Ex. 30, 1. ss.

1) *Idque, ut monet* S. R. D. Crusius *Hypomnn. P. I. p. 41. partim ordinis causa factum est, partim ad cavendas contentiones, coll. 1. Paral. 24, 4. 5.* E. B.

Digitized by Google

v. 10. πᾶν, *omnis*) Erat ergo dies solennis, et fortasse sabbatum; quo ingressus erat Zacharias. v. 22. 23.

v. 11. ἄγγελος, *angelus*) cujus nomen postea indicatum est Zachariae. v. 19.

v. 13. μὴ φοβοῦ, *noli timere*) Primum alloquium coeleste in aurora N. T. per Lucam amoenissime descripta. Res hic proponitur suaviter: deinde per vias asperas et severas ducitur ad exitum suavissimum. Et sic postea Apocalypsis. — εἰσηκούσθη, *exauditae sunt*) Hoc est ad cor loqui. Act. 10, 4. — ἡ δέησίς σου, *preces tuae*) Prolem ergo petierat, pridem. [*neque ipse complementi jam exspectationem amplius aluit.* V. g.] — ἰωάννην, *Johannem*) *Johannis* nomen praescriptum est; *Mariae* non praescriptum. — χαρήσονται, *gaudebunt*) v. 58. 66.

v. 15. ἔσται, *erit*) filius ille. — Κυρίου, *Domino*) Innuitur Deus Pater. mox etiam de Spiritu S. et Filio Dei. Jam in prodromo Messiae amplius se pandit oeconomia S. Trinitatis. — καὶ οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ, *et vinum et siceram ne bibat.*) Sic quoque Jud. 13, 4. μὴ πίῃς οἶνον καὶ σίκερα. σίκερα *ab Hebr.* שכר omnem potum a vino diversum, ac tamen inebriantem denotat, ut *succum dactyli, zythum* etc. Talis abstinentia Johanni, Simsonis etiam matri praecepta fuit. — καὶ, *et*) Similiter *ebrietati plenitudo in spiritu* opponitur Eph. 5, 18. — ἐκ, *ex*) Locutio concisa: id est, *in utero,* (v. 41. 44.) *et deinceps.*

v. 16. s. ἐπιστρέψει καὶ προελεύσεται, *convertet et praeibit*) Ad illud verbum mox refer *ad convertendum*; ad hoc, *ad parandum.* — Κύριον, *Dominum*) Christus, Deus. conf. vers. seq. *coram eo — Domino*: et vers. 76.

v. 17. αὐτὸς, *ipse*) Antitheton ad alios. v. 16. — ἐνώπιον, *ante conspectum*, proxime. — ἐπιστρέψαι κτλ. *ad convertendum etc.*) Sermo hoc loco, ut saepe in praedictionibus, est figuratus, concisus, et quasi poëticus, hoc sensu: Efficiet Johannes, ut parentes juxta atque liberi, inobedientes juxta atque justi, omnis aetatis et indolis homines, sint Domino parati. Non erat autem commodum dictu: convertet *inobedientes* et injustos juxta cum obedientibus et *justis.* nam justi non egent conversione. Ideo pro concreto abstractum dicitur: convertet inobedientes in sensu justorum, i. e. inobsequentes convertet sive reducet, ut ad justos, docilitate eorum et sapientia indula, se aggregent, et, quemadmodum justi promti sunt, sic inobedientes fiant promti Domino. — καρδίας, *corda*) *Cor*, sedes *conversionis, obedientiae, prudentiae.* — πατέρων ἐπὶ τέκνα, *patrum juxta cum liberis*) Malach. 3, 24. ולב אבות על־בנים ולב בנים על־אבותם LXX, καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ. Locutio est instar proverbii, ad *multitudinem* (v. 16.) significandam. sic Gen. 32, 11. μητέρα ἐπὶ τέκνοις. sic plane, πατέρων ἐπὶ τέκνα. Ex. 20, 5. 34, 7. nec non, κνήμην ἐπὶ μηρὸν, Jud. 15, 8. Vid. etiam על Amos 3, 15. Jud. 12, 1. et πρὸς, apud Siraciden mox citandum. Simul notata cogitari potest cura patrum pro salute liberorum, contra ac fit in fuga, Jer. 47, 3. οὐκ ἐπέστρεψαν πατέρες, ἐφ᾽ υἱοὺς αὐτῶν. — καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων, *et inobedientes in prudentia justorum*) Hoc ponitur pro eo, quod est apud Malachiam, *et cor liberorum super patres ipsorum.* Inobedientia, maxime *juvenile* vitium: patres, *prudentia* et *justitia* praecipue decet. *In prudentia*, inquit angelus, non *in prudentiam. Sensus* eorum, *qui justi sunt,* in conversione protinus induitur. — ἑτοιμάσαι Κυρίῳ λαὸν κατεσκευασμένον, *ad parandum Domino populum instructum*) Asyndeton, *ad convertendum, ad parandum.* Parandus populus, ne Dominus populum, imparatum inveniens, majestate sua obterat. Malach. 3, 24. *Populus instructus*, Johanni populum *paranti* obtemperans, Domino *obediens*, non jam habens talia corda, quae describuntur Prov. 15, 7. ולב כסילים לא כן LXX, καρδίαι ἀφρόνων οὐκ ἀσφαλεῖς. Notentur opposita, ἀφρόνων et φρονήσει· et affinia כן ἑτοιμάσαι. De Elia Sir. 48, 11. καὶ ἐπιστρέψαι καρδίαν

Google

πατρὸς πρὸς υἱόν, καὶ καταστῆσαι φυλὰς ἰακώβ. Minime proletarium esse Siracidae librum, convenientia ejus cum angeli sermone docet. Vid. etiam Matth. 23, 34. not.

v. 18. κατὰ τί γνώσομαι) Sic LXX, Gen. 15, 8. Rem ipsam tangit Zachariae quaestio, fidei defectu laborans: rem ipsam praesupponit *quomodo* a Maria propositum, cum fide. v. 34. 45.

v. 19. γαβριὴλ, *Gabriel*) Ratio, cur Zacharias non debuisset diffidere, est auctoritas coelestis apparitoris. Nomen compositum ex גבר et אל indicat summam legationis, de Filii Dei incarnatione. אל est גבר. Gabriel apparuerat Danieli quoque. Idem angelus: idem negotium. — ὁ παρεστηκὼς, *qui adstiti*) Septem angeli *stant* coram Deo, Ap. 8, 2. Unus ex his Gabriel *adstat* vel stat cum sex ceteris. — ἀπεστάλην, *missus sum*) v. 26. Hebr. 1, 14. — εὐαγγελίσασθαι, *ad evangelizandum*) Initium evangelii. c. 2, 10. 17. 3, 18. Marc. 1, 1.

v. 20. ἰδοὺ, *ecce*) q. d. *in hoc cognosces*. Signum poscenti datur congruum, quamvis non optatum. — σιωπῶν, *silens*) actu. — μὴ δυνάμενος λαλῆσαι, *non valens loqui*) privatione facultatis. conf. v. 64. *os et lingua*. Plerumque ii, quibus magna revelatio obtigit, aliquid naturae, sine noxa, amiserunt. Jacob luxatus, cui id non naevus erat, sed ornamentum: Zacharias mutus: Saul non cernens. Fuit haec Zachariae medicina simul, ne se propter praedictionem de filii sui magnitudine efferret. — ἄρχι ἧς) Versum 64 confer cum v. 13. 63. [*Hic circumcisionis dies fuit, quo Johannes nomen suum adeptus est*. V. g.] — ἀνθ' ὧν, *quia*) Ergo proprie poena erat. — οὐκ ἐπίστευσας, *non credidisti*) Non credidit; ideo loqui non potuit. — πληρωθήσονται, *implebuntur*) Eventus maxime fidem facit. — εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν, *in tempus suum*) legitimum. conf. *tempus*, Rom. 9, 9. 2 Reg. 4, 16.

v. 22. λαλῆσαι, *loqui*) v. gr. ad dandam benedictionem. Zacharias, *mutus*, excludebatur tantisper ab actionibus sacerdotalibus. Praeludium legis ceremonialis finiendae, Christo veniente. — ἐπέγνωσαν, *cognoverunt*) Ipsam poenam Zachariae comitabatur beneficium. Sic omnes ad attendendum excitati sunt.

v. 23. εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, *in domum suam*) Locutio concisa, *urbe*, in qua Zacharias habitabat, subaudita. v. 39. Sic quoque v. 56. *Domus* Zacharine opponitur templo Domini. v. 9.

v. 24. ταύτας, *hos*) dies, de quibus v. 23. — περιέκρυβεν, *occultavit*) ut graviditas occuleretur: quo magis appareret postea repente graviditas. — λέγουσα, *dicens*) ad participes gaudii sui.

v. 25. οὕτω, *sic*) uti omnes post quinque menses videbant. — ἡμέραις, *diebus*) praefinitis. — ἐπεῖδεν) ἐπέβλεψεν, v. 48. ἐπεσκέψατο, v. 68. — τὸ ὄνειδος, *opprobrium*) cognomen *sterilis*. v. 36. — ἐν ἀνθρώποις, *in hominibus*) Vix hominum numero se ipsa habuerat ob sterilitatem.

v. 27. πρὸς παρθένον, *ad virginem*) Matth. 1, 23. — μεμνηστευμένην, *desponsatam*) divina gubernatione. Post annunciationem angelicam non fuisset conveniens Mariam demum desponsari. — ἀνδρὶ, *viro*) qui tutorem ageret et virginis et prolis. — ἐξ οἴκου δαυὶδ· *ex domo Davidis*) Constr. cum *Joseph*, c. 2, 4. Maria non exclusa.

v. 28. εἰσελθὼν, *ingressus*) vesperi, ut probabile est. coll. Dan. 9, 21. — κεχαριτωμένη) Eph. 1, 6. Vulg. *gratia plena*: passive, (ut Ov. *carmina plena favoris*:) *quae gratiam invenit*. v. 30. Non ut mater gratiae, sed ut filia gratiae appellatur, primo praesertim illo tempore. — μετὰ σοῦ) *tecum* sit. conf. Matth. 1, 23. fin. et not. Parallelum: χαῖρε, *salve*. Indicativus praesupponitur, eique subscribit hic optativus. Sic Jud. 6, 12. Κύριος μετὰ σοῦ. — σὺ εἶ) Vocativus: uti Act. 4, 24. Chrys. de Sacerd. p. 322.

Digitized by Google

v. 29. διεταράχθη, *perturbata est*) Perturbatio ex ipsa apparitione (*videns*) exstitit. Ergo prius non videtur assueta fuisse apparitionibus. [*Omnia b. Virgini, quae et praedicta ipsi sunt et consecuta postmodum, necopinanti evenerunt. Quodsi conceptio ejus, quae complurium inter Romanenses traditio est, immaculata fuisset: tam vulgari loco seipsam habere, utut modestissima, vix potuisset.* V. g.] — ποταπὸς εἴη, *qualis sit*) Ipsae formulae, *ave*, et *Dominus tecum*, communes erant: sed ex singularibus ac novis titulis, quos angelus addebat, Maria intellexit, formulas, praesertim conjunctas, eminenti ac nova vi adhiberi. Sane talis salutationis exemplum nullum exstat aliud, in omnibus apparitionibus angelicis. Non solum admirata est Maria, sed etiam *cogitabat, qualis esset*, quid sibi vellet, quo tenderet haec salutatio.

v. 30. εὗρες γὰρ χάριν, *invenisti enim gratiam*) Hebr. מצא חן Sic Act. 7, 46. Hebr. 4, 46.

v. 31. ἰδοὺ, *ecce*) Hoc sermone continetur summa evangelii: repetita v. 50. s. 68. s. c. 2, 10. s. 14. 30. s. Conf. sermo 2 Sam. 7, 8. ss.

v. 32. οὗτος, *Hic*) Plane Messias describitur; uti v. 68. seqq. et cap. 2, 30. seq. — μέγας, *magnus*) Johannis *magnitudinem* v. 15. longe exsuperat *magnitudo* Jesu, hîc descripta. [*Vid.* v. 33. *et conf. Dan.* 2, 35. *Eph.* 4, 10. V. g.] — υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται, *filius Altissimi vocabitur*) Jesus, etiam praescindendo a natura divina, et ab unione personali, ob singularem conceptionis et nativitatis rationem eminentissimo super angelos et homines omnes sensu est *Filius Altissimi*. — τὸν θρόνον δαυὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *thronum David patris ipsius*) *Patribus*, Abrahamo inprimis, Christus, ut *Semen*; per Mosen *prophetam*, ut *propheta*; Davidi, *regi*, ut *rex*, promissus fuit. Igitur in Psalmis potius, quam antea, de regno Christi canitur. Etiam temporale regnum Israëlis hereditario jure pertinuit ad Jesum Christum. Massecheth Sanhedrin cap. IV. *Jesum* ait קרוב למלכות *proximum regno*.

v. 33. οἶκον ἰακὼβ, *domum Jacobi*) Sub ea domo continentur gentes, uti v. gr. sub Rheni appellatione flumina in eum lapsa. sed tamen ipsa domus principaliter innuitur, hoc primo tempore, in sermone ad Israëlitidem. Sub haec initia progressus generatim designatur: spiritualis sensus latet. sic v. 68. ss. — βασιλείας, *regni*) repete, *super domum Jacob, in throno David*. Es. 9, 7. Quod nondum factum est, fiet.

v. 34. πῶς, *quomodo*) Hoc *quomodo* non violat fidem. v. 45. — οὐ γινώσκω, *non cognosco*) Praesens, pro ipso conceptionis *futurae* momento. Non cognituram se esse virum, ex ipsius angeli sermone colligit. — ἐπεὶ *quandoquidem*, est categoricum. Intellexit Maria, promissionem hanc sibi dari, ut statim implendam, sine respectu conjugii sui consummandi. *Cognoscere* dicitur etiam *mulier virum*, Num. 31, 17. Jud. 11, 39.

v. 35. δύναμις ὑψίστου, *Virtus Altissimi*) Saepe junctim ponuntur haec nomina, *Spiritus et Virtus:* v. 17. at hoc loco *Virtus Altissimi*, per metonymiam, denotaverit *Altissimum*, cujus infinita *Virtus est*. Sic dicitur *Virtus Domini nostri Jesu Christi*, 1 Cor. 5, 4. *Spiritus sancti superventus* Mariam idoneam fecit ad suscipiendam *inumbrationem virtutis Altissimi*. — ἐπισκιάσει σοι, *inumbrabit te*) *Inumbratio* haec denotat blandissimam et temperatissimam virtutis divinae operationem, qua effectum est, ut Ignis divinus Mariam non consumeret, sed foecundaret. conf. Marc. 9, 7. Ex. 33, 22. Ad חסה alludi, multi putant. Viri carnisve voluntatem huc adspirare non decuit. Ex Mariae substantia sumtum est, quicquid non solum ad σύλληψιν *conceptionem*, sed etiam ad nutrimentum sancti foetûs cedebat. Idque consideratur vel antecedenter ad momentum unionis actualis cum λόγῳ, vel in ipso actu statuque unionis. Antecedenter ad unionem, non secus atque ipsa mater, redimendum erat virtute ly-

Digitized by Google

tri per Christum θεάνθρωπον praestandi, et sanctificatum est per Spiritum sanctum: atque ita locum habuit unio λόγου et carnis jam sanctae. Possum emere fundum: et ex fructibus fundi postmodum exculti solvere pretium pro ipso fundo, post culturam multo pretiosiore. Aream templi emit David paucis siclis: sed eadem, superstructo templo, facta est inaestimabilis. — διὸ καὶ, *quapropter etiam*) Ita satisfacit angelus quaestioni, *quomodo?* v. 34. — τὸ γεννώμενον, [1]) *quod gignitur*) novo hoc modo et singulari. Vocabula abstracta, et neutro genere expressa, initiis illis valde congruunt. v. 68. 71. 78. 2, 25. 30. 38. — ἅγιον, *Sanctum*) Hoc Tertullianus, Syrus, auctor sermonis contra omnes haereses apud Athanasium, aliique veteres, pro parte praedicati habent: *Sanctum vocabitur,* (et) *Filius Dei.* Confertissima certe est sententia: *Est, quod gignatur: quod gignitur, sanctum erit: hoc sanctum vocabitur Filius Dei.* Totum ex verbis angeli proxime praecedentibus infertur, et quidem tali modo: *Spiritus sanctus superveniet in te:* quare, quod gignitur, *erit Sanctum. Virtus Altissimi inumbrabit te:* quare Sanctum illud vocabitur *Filius Dei.* Parallelus est versus 32. Filius tuus erit *magnus,* et *Filius Altissimi* vocabitur. In divinis *magnitudo* et *sanctitas* valde conveniunt. De hoc *Sancto* idem angelus est locutus Dan. 9, 24.

v. 36. καὶ ἰδοὺ, *et ecce*) Credenti Mariae benignius signum ultro datur, quam Zachariae non credenti. — συγγενὶς, *cognata*) Inde etiam Johannes et Jesus erant *cognati.* — υἱὸν, *filium*) Elisabetae graviditas erat ignota inter homines, exceptis familiaribus: hic vero etiam tempus et prolis sexus divinis documentis indicatur Mariae, ad corroborandam Mariae fidem. Sed de prodromi munere nil dicitur: erat enim ex ejus matre auditura Maria.

v. 37. πᾶν ῥῆμα, *omne verbum*) De contradictoriis, an possint fieri, non est disputandum. nam non sunt *verbum:* nec, factum infectum, *verbum* est. nam non cadit in Deum poenitentia facti aut permissionis. Gen. 18, 14.: μὴ ἀδυνατεῖ παρὰ τῷ θεῷ ῥῆμα;

v. 38. γένοιτό μοι, *fiat mihi*) Confer assensum Davidis, 2 Sam. 7, 25. 28. — ἀπῆλθεν, *abivit*) sicut antea *introivit.* v. 28.

v. 39. ἀναστᾶσα, *surgens*) Occasionem dederat angelus. v. 36. — [2]) μετὰ σπουδῆς) Σπουδὴ ejusque derivata et composita saepe apud LXX notant בהלה *festinationem.* — εἰς πόλιν ἰούδα, *in urbem Juda*) Nomen urbis montanae sacerdotalis, Hebron, Jos. 21, 11. non ponit Lucas; tribûs vero nomen, *Juda,* notanter ponit. Hic igitur conceptionem Jesu Christi factam esse, non temere existimaverimus. [*Congruit* festinatio *sanctae virginis modo notata.* Harm. p. 42] conf. Kohlreiff in Jes. 30. de nativitate Christi in terra Canaan, p. 96. Tum excellentissimi motus fuere apud Elisabet et foetum ejus et apud Mariam: v. 41. 42. eximiique plane ponderis est particula γὰρ *enim,* v. 44. rationem exprimens, cur hoc ipso temporis puncto Elisabet primum *Matrem Domini sui* proclamet Mariam. Tanti sane momenti est conceptio, ut, si ea Nazaretae facta esset, *Nazarenus* ex ea causa potius, quam ex habitatione parentum diceretur. Atqui haec habitatio pro unica illius cognominis causa allegatur. [c. 4, 16. 24.] Nunc Dominus et respectu matris et progenitorum, et respectu locorum, ubi conceptus aeque ac natus est, ex *Juda* est ortus.

v. 40. ἠσπάσατο, *salutavit*) Aliter salutant sancti, aliter profani. Nulla ratio capit, quantum moveat et quam efficax sit sanctorum voluntas, per fidem et amorem ex Deo petens, et in amicos capaces derivans.

---

1) *Voculas* ἐκ σοῦ, ex te, *participio huic subjunctas, pro Lectione non probanda declaraverat margo* Ed. maj.; *sed in* Edit. 2. *ad signum* ὃ *elevatas expressit* Vers. germ., *uncis tamen includens. Itaque iis adnumerandus* Bengelius *non erat in* Bibl. theol. Tom. VIII. p. 106 *qui voculas istas* omiserint. E. B.

2) ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις, *in diebus his*] sexti mensis, v. 26. 36. *V. g.*

v. 41. καὶ ἐπλήθη, *et impleta est*) Conjuncti motus embryonis et matris spirituales. v. 15.

v. 42. ἀνεφώνησε φωνῇ μεγάλῃ) Sic, ἐφώνησε φωνῇ μεγάλῃ, Act. 16, 28. Alii, ἀνεβόησε φωνῇ μεγάλῃ, et sic Matth. 27, 46. LXX. Gen. 27, 38. 1 Sam. 28, 12. Es. 36, 13. Ez. 11, 13. etc. Item 3 Macc. 5, 48. (51.) Hist. Sus. quater, Hist. Drac. v. 40. (41.) At ἀναφωνεῖν multo aliter adhibent, v. gr. de sonitu in cultu publico per Davidem adornato. — καὶ εἶπεν, *et dixit*) Post haec demum verba, quae a Spiritu sancto profecta, salutationem Mariae protinus exceperunt, Maria, quid angelus sibi nunciasset, Elisabetae retulit. — εὐλογημένη, *benedicta*) Ea verba, quae in salutatione angelica erant postrema, in salutatione Elisabet prima sunt. — καὶ εὐλογημένος, *et benedictus*) Hoc non addebatur v. 28. — ὁ καρπὸς, *fructus*) Vere mater Jesu fuit Maria.

v. 43. ἡ μήτηρ, *Mater*) Nova appellatio non potuit non intime commovere virginem matrem. *Mater*, inquit, *Domini mei:* non tamen, *Domina mea*. — τοῦ κυρίου μου, *Domini mei*) Conf. c. 20, 42. Joh. 20, 28.

v. 44. γὰρ, *enim*) Hoc videtur innuere, eodem puncto temporis et saliisse foetum, et Mariam coepisse reapse esse matrem Domini. conf. *nunc*. v. 48. — ἐσκίρτησεν, *saliit*) Neque is saltus salutatorius, unicus fidei actus fuit: plenus fuit Spiritus sancti. v. 15.

v. 45. μακαρία, *beata*) Id patet ex contrario Zachariae exemplo. — πιστεύσασα, *quae credidit*) v. 38. — ὅτι ἔσται) *fore*. — αὐτῇ, *illi*) Emphatice refertur ad *quae credidit*, positum pro *tibi:* uti c. 13, 34.

v. 46. εἶπε, *dixit*) ore, vel etiam scripto. Maria post Zachariam acceperat nuncium, et tamen prius jubilat: utriusque canticum et inter se et cum sermonibus angeli conferri potest, v. 28. ss. 13. ss. et alio respectu cum oratione Hannae, 1 Sam. 2, 1. seqq. et cum gratiarum actione Davidis, 2 Sam. 7, 18. ss. eadem de re: it. Ps. 34. Plane Mariae et Zachariae hymnus indolem N. T. spirat. Divinitusque ita gubernata est Maria, ut, etiamsi non omnia penitus intelligeret; (c. 2, 33. 50.) tamen verbis etiam profundissimo sensui aptis eloqueretur mysterium. Laudat Deum nomine suo, et foetus benedicti, et Israëlis. Initium hymni congruit cum Ps. 31, 8. LXX: ἀγαλλιάσομαι καὶ εὐφρανθήσομαι ἐπὶ τῷ ἐλέει σου· ὅτι ἐπεῖδες ἐπὶ τὴν ταπείνωσίν μου.

v. 47. σωτῆρι, *Salvatore*) *Servatore*. vid. ad Chrys. de sacerd. p. 452. s. Vis nominis *Jesu*. v. 31. [*Quae perdita fuerant, iis hac locutione se adnumerat Maria. Non ex se, sed ex* Jesu *suam ipsa salutem habuit*. V. g.]

v. 48. ταπείνωσιν) *conditionem humilem*. Jac. 1, 10. עני LXX saepe, ταπείνωσις. Humilitas Mariam capacem fecit rerum tantarum, de quibus v. 32. s. — μακαριοῦσί με, *beatam praedicabunt me*) conf. v. 45. c. 11, 27. s. — πᾶσαι αἱ γενεαὶ, *omnes generationes*) omnis posteritas.

v. 49. s. καὶ, *et*) Ille cujus nomen sanctum est, et cujus misericordia etc. Nam haec tria incisa per et iteratum copulantur. Hebr. אשר saepe reticetur. Demum versu 51. nova periocha incipit.

v. 50. εἰς γενεὰς, *in generationes*) Quamvis diu videatur promissio tardare, tamen praestatur, et quidem in perpetuum. Eaedem *generationes* Mariam dicunt beatam. v. 48.

v. 51. ἐποίησε κράτος — ἐξαπέστειλε κενοὺς, *fecit robur — emisit inanes*) Haec omnia facere instituit Deus per Messiam, ejusque rei experimentum in se ipsa capiebat mater ejus. — ὑπερηφάνους, *superbos*) visibiles et invisibiles.

v. 52. δυνάστας, *dynastas*) ut Saulum, Herodem.

v. 53. πεινῶντας ἐνέπλησεν ἀγαθῶν, *esurientes implevit bonis*) Ps. 107, 9. LXX: ψυχὴν πεινῶσαν ἐνέπλησεν ἀγαθῶν. Ejusdem Psalmi versui 10. respondet

Digitized by Google

canticum etiam Zachariae v. 79. — ἐξαπέστειλε, *emisit*) cum viderentur esse proximi Deo.

v. 54. ἀντελάβετο, *sublevavit*) dum Messiam mittit. Idem verbum pro נתן 1 Reg. 9, 11. — παιδὸς, *servi*) Sic v. 69. — μνησθῆναι) *eo quod recordatus est*, vel, *ut memorem se praestet*. v. 72. Hab. 3, 2.

v. 55. ἐλάλησε, *locutus est*) cum jurejurando, *ad* Davidem praecipue. — πατέρας — ἕως αἰῶνος, *patres — usque in seculum*) Maria complectitur praeterita et futura. — τῷ) Constr. μνησθῆναι ἐλέους τῷ ἀβραάμ. Mich. 7, 20. LXX, δώσεις (εἰς) ἀλήθειαν τῷ ιακὼβ, ἔλεον τῷ ἀβραὰμ, καθότι ὤμοσας τοῖς πατράσιν ὑμῶν κατὰ τὰς ἡμέρας τὰς ἔμπροσθεν. Ps. 98, 3. ἐμνήσθη τοῦ ἐλέους αὐτοῦ τῷ ιακώβ. it. Ps. 119, 49. — ἕως, *usque*) Constr. cum *semini*.

v. 56. τρεῖς, *tres*) Discessit ante partum Elisabetae. — εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς, *domum suam*) ex qua aliquanto post Bethlehemum ire jussa est. [*Huc itaque pertinent, quae Matthaeus* c. 1, 18—24. *ipsi narrationi de nativitate Christi inseruit*. Harm. p. 42.]

v. 58. μετ᾽ αὐτῆς, *cum illa*) Sic *cum*, v. 72. c. 10, 37. not.

v. 59. ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *nomine patris sui*) Non erat id moris apud Judaeos: sed hic singularis causa movebat familiares, quod Johannes sustineret totam posteritatem Zachariae.

v. 60. εἶπεν, *dixit*) ex revelatione. nam si ex Zacharia per literas didicisset, non opus fuisset, ex illo iterum quaeri v. 62.

v. 61. συγγενείᾳ σου, *cognatione tua*) Familiae *suae* nomina putabant Elisabetam secuturam, si nomen vellet dare, a Zachariae nomine diversum. [*Etiam hac in re novi quid oportuit fieri*. V. g.]

v. 62. ἐνένευον, *innuebant*) Commodius est muto innuentes videre, quam loquentes audire, quibus non possit loquendo responderi. *surdum* etiam fuisse Zachariam, non est probabile. — τὸ) Articulus hic demonstrat.

v. 63. πινακίδιον, *tabellam*) Si reliquiae historiarum evangelicarum tam multae, atque ostendi solent, verae essent: non dubium est, quin hanc tabellam conservasset Providentia. — ἔγραψε λέγων, *scripsit dicens*) scripsit his verbis. v. 64. Conf. 2 Reg. 10, 1. 6. 2 Chron. 21, 12. — ιωάννης, *Johannes*) Ultima scriptura V. T. desinit in חרם i. e. *anathema*, Malach. 3, 24. Prima haec *scriptura* N. T. incipit a *gratia*. — ἔστι, *est*) Zacharias non tam jubet, quam jussum divinum indicat. — ἐθαύμασαν, *mirati sunt*) nominis in hac familia novitatem, et Zachariae atque Elisabetae, cum inter eos non intercessisset colloquium, in nomine consensum, non ex composito, sed ex revelatione, quae utrique obtigerat, oriundum.

v. 64. αὐτοῦ, *ejus*) Zachariae.

v. 65. [1]) πάντα κτλ., *omnia etc.*) quaecunque a v. 11. memorantur.

v. 66. ἔθεντο, *posuerunt*) Saluberrimum studium; ut nexus rerum observetur post longa intervalla in operibus divinis. c. 2, 18. s.

v. 67. προεφήτευσε, *prophetavit*) de rebus proxime futuris. Dicta sunt haec per Zachariam aut ipso die circumcisionis, aut posteaquam res percrebuerat.

v. 68. ὅτι, *quod*) Zacharias de Christo agit praecipue, v. 69.; de Johanne quasi incidenter, v. 76. — ἐπεσκέψατο κτλ., *invisit etc.*) i. e. *invisit, ut faceret*. Idem verbum, v. 78.

[2]) v. 69. κέρας, *cornu*) Ps. 132, 17. Id significat copiam et robur regium. Articulus non item conveniebat primo illi tempori. Sic quoque v. 68. 71. 78.

---

1) φόβος, *timor*] Deum haec res spirabat. *V. g.*

2) λύτρωσιν, *redemtionem*] Utut exoptatus Zachariae Johannes fuerit: primum tamen, praecipue et plenissime de Christo loquitur; de Johanne non nisi in transitu, v. 76. *V. g.*

Digitized by Google

Postea uni Jesu Christo haec nomina apertius vindicavit res ipsa. — σωτηρίας, *Salutis*) Allusio ad nomen *Jesu*. coll. v. 71. 77. Johannes tantummodo dedit *notitiam salutis;* Dominus, *salutem* ipsam. — δαυὶδ, *David*) Ps. cit. v. eod. et v. 6. — παιδὸς) עבד *servi*. Ib. v. 10.

v. 70. καθὼς ἐλάλησε, *sicut locutus est*) Ubi Maria desiit v. 55., ibi Zacharias nunc incipit. — διὰ στόματος, *per os*) Prophetare prophetis nullo labore constitit, ut a Deo susciperent, sed tantummodo, ut ad homines infensos proferrent. Tantummodo *os* debuere accommodare; imo etiam *os* eis datum est. Luc. 21, 15. — ἁγίων, *sanctorum*) Nullus propheta non fuit sanctus. 2 Petr. 1, 21. Hebr. 11, 32. s. — ἀπ᾽ αἰῶνος, *a seculo*) Jam ab initio fuerunt prophetae.

v. 71. σωτηρίαν, *salutem*) subaudi, *inquam*. *cornu salutis* repetitur, brevius. — μισούντων, *odio habentium*) Beneficia spiritualia describit sermone adhuc cum phrasibus V. T. conveniente, de ope temporali.

v. 72. ποιῆσαι) *faciendo*. — ἔλεος, *misericordiam*) Misericordia et recordatio foederis idem est, quod חסד ואמת *gratia et veritas*. — μετὰ, *cum*) Oppositum, *ex*. v. 71. — τῶν πατέρων, *patribus*) pridem defunctis. c. 20, 37. 38. — μνησθῆναι, *recordando*) Allusio ad nomen Zachariae.

v. 73. ὅρκον, ὃν) Id est, ὅρκου, ὅν, *juramenti, quod*. Pendet a *recordando*. — τοῦ δοῦναι) Hinc pendet, ῥυσθέντας λατρεύειν, i. e. δοῦναι, ἵνα ῥυσθέντες λατρεύσωμεν. Articulus indicat, infinitivum praecedentem ποιῆσαι declarari per hunc subsequentem, sic quoque v. 77. coll. anteced. itemque v. 79. et c. 2, 22. 24.

v. 74. ἀφόβως, *sine timore*) Timor Hostium, non timor, isque filialis, ipsius Domini, tollitur. Hebr. 2, 15. — λατρεύειν, *ministraremus*) Sacerdotium Novi Testamenti.

v. 75. ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ, *in sanctitate et justitia*) Idem syntheton Eph. 4, 24. 1 Thess. 2, 10. *justitia* dicit convenientiam ad legem; *sanctitas*, ad naturam. — πάσας) *quovis die*. Hebr. l. c.

v. 76. καὶ, *et*) Iis, quae hactenus cecinit Zacharias, nunc respondent, quae sequuntur: de gratia erga populum, v. 68. 77. de salute, v. 69. 77. de misericordia, v. 72. 78. — παιδίον, *puerule*) quantillus nunc es. Infantem non appellat nomine: loquitur, qua propheta, non qua parens.

v. 77. γνῶσιν — ἀφέσει, *cognitionem — remissione*) Hebr. 8, 11. 12. Jer. 9, 23. — ἐν, *in*) Constr. cum *salutis*. — ἀφέσει, *remissione*) Fundamentum salutis.

v. 78. διὰ, *per*) Constr. cum *remissione*. — ἐλέους, *misericordiae*) Allusio ad nomen *Johannis*. — [1]) ἀνατολὴ) Sic LXX pro צמח Zach. 3, 8. 6, 12. Jer. 23, 5. etenim צמח quoque de ortu lucis dicitur. vid. Joh. Gregorii Observ. c. 18. Tomo VII Crit. col. 585, ubi copiosa est et excellens dissertatio. Metonymia abstracti: *Ortus*, i. e. *Sol oriens*. v. seq. Jes. 9, 1. Ap. 22, 16. — ἐξ ὕψους, *ex alto*) Id dicitur de Filio Dei, h. l. et de Spiritu sancto, c. 24, 49. Conf. Gal. 4, 4. 6. Sic, *ex coelo* 1 Cor. 15, 47.

v. 79. ἐπιφᾶναι, *ut appareret*) Iterum conf. Ps. 132, 17. — τοῖς — καθημένοις, *sedentibus*) Conf. Matth. 4, 15. not. ex Es. l. c. — σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου, *tenebris et umbra mortis*) Conjuncta, ut, contra, *lux* et *vita*.

v. 80. ηὔξανε, *crescebat*) corpore. — ἐν ταῖς ἐρήμοις, *in eremis*) Notantur hic partes eremi penitiores; Matth. 3, 1. eremus exterior. Mansit immunis ab affrictu vitae communis et inquinatae. Prodromus Christi, et Christus ipse,

---

1) ἐπισκέψατο ἡμᾶς, *visitavit nos*] Prius fuit Salvator, quam naturam humanam assumeret. Incarnatio enim libera fuit visitatio. *V. g.*

Digitized by Google

utriusque vitae, et primo quidem solitariae, deinde etiam publicae, et experientiam cepit et specimen dedit. — ἕως, *usque ad*) c. 3, 2. 3.

CAPUT II.

v. 1. Καίσαρος, *Caesare*) Tempus igitur erat, quo nasceretur Messias. addatur, *prima*, v. 2. — οἰκουμένην, *orbem*) Totum igitur genus humanum necessitudine gaudet cum Jesu, qui eidem cum his multis catalogo inseri voluit. Per synecdochen sic appellatur mundus Romae subjectus: a quo Judaea non exemta.

v. 2. πρώτη, *prima*) respectu Judaeorum, qui antea citra censum tributa pependerant. — ἡγεμονεύοντος, *cum praeesset*) Syriae P. Sulpicius Quirinus. Vid. *Ord. temp.* p. 233. [*Ed. II.* p. 203.] Late patet vis vocabulorum ἡγεμὼν et ἡγεμονεύειν. c. 3, 1. 21, 12. Matth. 2, 6. — τῆς συρίας, *Syriae*) Syriae appendix Judaea. tantopere imminutae potestatis erat Judaea. [*quae nunc Romanorum, ut Chaldaeorum prius, Persarum et Graecorum, imperio subjecta erat: attamen* Juda *peculiaris adhuc, a reliquis distincta,* שבט tribus *fuit, suisque etiamnum* מחקקים magistris *gavisa est. Sic, quae Jacobus* Gen. 49, 10. *vaticinatus fuerat, completa sunt.* V. g.]

v. 3. εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν, *in suam urbem*) Videtur Josephus paulo ante reliquisse Bethlehemum.

v. 4. οἴκου, *domo*) *Domus*, totum, et *familia*, pars, hic conjunguntur: quod *domus* Davidis eo tempore non multo latius pateret, quam *familia* ejusdem. [*Neque enim eo tempore, quo parentes Jesu Nazarethâ Bethlehemum se contulerunt, et Bethlehemi natus est Ipse, alios ex familiâ Davidis ibidem habitasse reperias: quicquid vero posterorum Davidis in terra Israëlis degebat, id Bethlehemum tum temporis census causa commigrarat. Vel ob hanc rationem Jesus agnosci debuit ut verus Messias, neque alius quisquam Eocum comparari hoc nomine potuit.* Harm. p. 49.]

v. 5. ἀπογράψασθαι, *ut describeretur*) ut profiteretur. Medium. — γυναικὶ, οὔσῃ ἐγκύῳ, *uxore, praegnante*) Hoc, capite I. commemoratum, repetitur, quia in censu, in Romanorum commentariis, sic quoque referebatur.

v. 6. ἐκεῖ, *ibi*) Maria non videtur scisse, se vi prophetiae debere Bethlehemi parere: sed providentia coelestis omnia gubernavit, ut ita fieret.

v. 7. [1]) πρωτότοκον, *primogenitum*) Sic dicitur, ante quem nullus est natus, non qui ante alios. Magis absolute בכור hebraicum sonat. — ἐσπαργάνωσεν, *fasciis involvit*) Ἐν σπαργάνοις ἀνετράφην, Salomo. Sap. 7, 4. itaque σπάργανα, *fasciae*, non sunt per se vile et lacerum quiddam. Reliqua cura, quae recens natis adhiberi solita erat, Ez. 16, 4. hic non exprimitur. — ἐν τῇ φάτνῃ, *in praesepi*) v. 12. Locus hospitio hominum oppositus. Verisimile est, imitamenta quaedam praesepis hujus, in gratiam peregrinorum, Bethlehemi postea esse facta, (ut passim montis Oliveti) quorum aliquod deinde habitum fuerit pro ipso reclinati Jesuli loco. Praesaepe Salvator pro cubili habuit: cunarum mobilium commoditate carebat parvulus nulla impatientia infectus. — ἐν τῷ καταλύματι, *in diversorio*) Etiam hodie rarus Christo in diversoriis locus.

v. 8. χώρᾳ, *regione*) in qua etiam David paverat. — φυλακὰς, *custodias*) alternatim.

v. 9. ἄγγελος, *angelus*) In omni humiliatione Christi, per decoram quandam protestationem cautum est gloriae ejus divinae. Hoc loco, per praeconium

---

1) ἔτεκε, *peperit*] O partum exoptatum, quo sublato nobis ipsis, quo minus nati essemus, optandum foret! Tu vero certum nativitatis illius fructum fac percipias. *V. g.*

Digitized by Google

angeli: in circumcisione, per nomen Jesu: in purificatione, per testimonium Simeonis: in baptismo, per exceptionem Baptistae; in passione, modis longe plurimis.

v. 10. χαρὰν, *gaudium*) Expressa gaudii mentio hic fit, gaudendi causis nondum ita manifestis: resurrectionis nuncius non expresse hortatur ad gaudium, in causa manifesta. c. 24, 5. — ἔσται, *erit*) etiam per relationem pastorum. — παντὶ τῷ λαῷ, *omni populo*) Angelus loquitur pastoribus Israëlitis, ut primo illi tempori conveniebat. conf. c. 1, 33. not. [*Postea idem etiam gentibus ut contingeret, futurum erat*, v. 32. *At ipsos angelos ea res tum latuit.* Eph. 3, 10. V. g.]

v. 11. ὑμῖν, *vobis*) pastoribus, Israëli, generi humano. — χριστὸς, *Christus*) v. 26. Tam clarum indicium debuissent omnes memoria retinere, dum adolescebat Dominus. Non additur nomen *Jesus*, quod postea in circumcisione ei datum est v. 21.: sed ejus vis repraesentatur in *Salvator*. Et sic saepe in V. T. sub nomine *Salutis*. — Κύριος, *Dominus*) Argumentum gaudii. Magnifica appellatio. [Matth. 2, 6.] — ἐν πόλει, *in urbe*) Constr. cum *natus est*. Demonstratur in hoc locus, ut in *hodie* tempus. — δαυὶδ, *Davidi*) Haec periphrasis remittit pastores ad prophetiam, quae tum implebatur.

v. 12. σημεῖον, *signum*) Ipse habitus humilis, signum erat fidelibus. — βρέφος, *infantem*) Non additur articulus.

v. 13. πλῆθος, *multitudo*) Articulus non additus. — στρατιᾶς, *exercitus*) Magnifica appellatio. Hic *exercitus* tamen *pacem* laudat.

v. 14. λεγόντων, *dicentium*) Totus hic hymnus est bimembris, habetque doxologian, sive gratulationem, rursus bimembrem, et hujus aetiologian: ut particula et non temere sic posita ostendit. Paraphrasis: *gloria in excelsissimis Deo* (sit), *et in terra pax* (sit)! cur? quoniam *in hominibus beneplacitum* (est.) Congruit Iren. 1, 3. c. 11. fol. 216 ed. Grab. Potest tamen secundum incisum propius cum primo cohaerere, quam cum tertio. ut in tertio sit asyndeton, uti Jer. 25, 18. 1 Sam. 3, 2. Vid. Nold. concord. part. 269. — δόξα, *gloria*) Mysterium redemtionis, ejusque fructus et finis summus. observandumque duplex est antitheton *in excelsissimis: in terra*. tum, *Deo: hominibus*. — ἐν ὑψίστοις, *in excelsissimis*) Ex incarnatione cientur laudes a nobilissimis creaturis Deo tributae. Non tamen dicunt: *in coelo*, ubi etiam angeli: sed, rara locutione, *in excelsissimis*, quo angeli non aspirant. Hebr. 1, 3. 4. Volunt, laudationem suam ad summa ascendere. — ἐπὶ) Observanda particulae differentia ab ἐν praecedente. — γῆς, *terra*) non modo in Judaea: nec jam modo in coelo. Latius patet *terra*, quam *homines:* nam *terra* etiam *angelorum* theatrum est. Coelicolae dicunt, *in terra:* terricolae, *in coelo*. cap. 19, 38. — εἰρήνη, *pax*) v. 29. — ἀνθρώποις, *hominibus*) non modo in Judaeis. Antehac male audierant homines apud angelos: nunc hi quasi admirabundi paradoxon exclamant: *in hominibus beneplacitum!* — εὐδοκία, *beneplacitum*) lubentia Dei nova erga totum nomen humanum, in Dilecto.

v. 15. οἱ ἄνθρωποι, *homines*) totum genus humanum quodammodo repraesentantes. coll. v. 14. *in hominibus*. antitheton, *angeli*. Homines ad Jesum veniebant: angeli officium faciebant eminus. — διέλθωμεν — ἕως, *transeamus — usque*) Hinc colligi potest, pastores domum suam habuisse non Bethlehemi, sed in loco aliquo, inter quem et inter Bethlehem regio, ubi vigilabant, media esset, in latitudine. v. 20. conf. *transire usque*, Act. 9, 38. Eo magis res innotescebat per eos. — τὸ γεγονὸς, *factum*) Rem jam factam esse, credunt ex indicio angelico.

v. 16. ἀνεῦρον, *invenerunt*) ut nunciatum erat.

v. 17. διεγνώρισαν, *notum fecerunt*) etiam ante abitum. v. 20. [*Evangelistarum hi primi erant.* V. g.]

v. 19. συνετήρει, *conservabat*) v. 51. Longo post tempore testari potuit. Act. 1, 14. — [1]) συμβάλλουσα, *conferens*) partes invicem considerans.

v. 20. ἤκουσαν, *audiverunt*) ex Maria. — καθὼς, *sicut*) Sermo et visus auditusque conveniebant. — ἐλαλήθη, *dictum est*) per angelos.

v. 21. περιτεμεῖν· ἐκλήθη, *ut circumciderent: vocatum est*) Non tam directe memoratur circumcisio, quam appellatio, quae divinitus erat jussa. — [2]) πρὸ τοῦ, *antequam*) Exquisite hic denotatur beneplacitum Patris in Christo. [*atque innuitur simul, hunc infantem circumcisione per se non eguisse.* V. g.] conf. Gal. 1, 15. — ἐν τῇ κοιλίᾳ, *in utero*) sc. *matris*. sic, ἐν κοιλίᾳ, absolute בבטן Jer. 1, 5.

v. 22. τοῦ καθαρισμοῦ) Vid. App. crit. Ed. II. p. 174. Nunquam αὐτῶν ita ponitur, ut τὸ παιδίον subaudiatur, *et mater ejus*. Neque Ipse, neque mater ejus, purificatione egebat. Sunt qui αὐτῶν interpretentur *Judaeorum*: sed Lucas purificationem, ut divinum institutum, non ut morem Judaicum memorat. — τὸν νόμον μωσέως, *legem Mosis*) Altiori respectu mox dicitur *lex Domini*. — ἀνήγαγον, *adduxerunt*) Hoc proprie dicitur de adultiore, *ut introducere*, v. 27. Praeludium erat hoc futurarum itionum. — παραστῆσαι, *ut sisterent*) Hoc mox declaratur v. 23. Hoc accedebat ad *purificationem*, quae fiebat super omni partu, non modo super primogenitis.

v. 23. πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν, ἅγιον τῷ Κυρίῳ κληθήσεται) LXX, Ex. 13, 2.: ἁγίασόν μοι κτλ. ib. v. 12.: ἀφοριεῖς πᾶν διανοῖγον μήτραν τὰ ἀρσενικὰ τῷ Κυρίῳ.

v. 24. θυσίαν, *victimam*) pauperum. Lev. 12, 8. — ζεῦγος τρυγόνων ἢ δύο νεοσσοὺς περιστερῶν) LXX. l. c. δύο τρυγόνας ἢ δύο νεοσσοὺς περιστερῶν. Iidem tamen, ζεῦγος τρυγόνων κτλ. Lev. 5, 11.

v. 25. ἱερουσαλήμ, *Jerusalem*) Huic urbi primo quoque tempore ostensus est Salvator. — συμεών, *Simeon*) primus propheta, qui diceret, Christum venisse: et quo interprete Deus probavit hunc, qui sibi sistebatur, primogenitum. — δίκαιος, *justus*) in officiis. — εὐλαβής) Vulg. *timoratus*. in habitu animae erga Deum. — προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ ἰσραήλ, *exspectans consolationem Israël*) non solum, ut Jacobus, Gen. 49, 18. in tempora longa: sed ut jam adventantem, v. 38. Sensim brevior facta est exspectatio fidelium, ut nunc fit de adventu glorioso. — ἐπ᾽ αὐτόν, *super ipsum*) ut prophetam. v. seq.

v. 26. ἦν, *erat*) dudum fortasse: quanquam senectus in Anna notatur, in Simeone non notatur. — μὴ ἰδεῖν — ἢ ἴδῃ, *non videre — quam videret*) Suave antitheton. — πρὶν ἢ, *antequam*) Eo autem viso, statim erat decessurus. v. 29. *secundum*. — τὸν χριστὸν Κυρίου, *Unctum Domini*) Sic, *Unctum Dei*, c. 9, 20. Is est, quem unxit Dominus, et prae quo nullum alterum pro Uncto agnoscit.

v. 27. ἐν τῷ εἰσαγαγεῖν, *cum introduceret*) Nam postea peregerunt sacrificium. v. 39. Id erat loco declarationis, quod non ex communi causa Jesus subiret legem purificationis.

v. 28. αὐτὸς, *ipse*) ultro. — ἐδέξατο, *suscepit*) motu divino, divinae benignitati respondens.

v. 29. νῦν, *nunc*) Simeon ex divina promissione duplex beneficium conjunctim acceptat: aspectum Salvatoris et beatum obitum. Multa veteres putarunt, quid Johannes post obitum nunciarit mortuis: mirum, si de Simeone non similia

---

1) ταῦτα, *haec*] Sine dubio pastores etiam sermones angelicos retulerunt Mariae. *V. g.*

2) ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου, *ab angelo*] c. 1, 26. 31. *V. g.*

Digitized by Google

commentati fuerint. — ἀπολύεις, *dimittis*) Idem verbum, Gen. 15, 2. Num. 20, 29. Tob. 3, 6. 16. (13.) — δέσποτα, *Domine*) Δεσπότης proprie *herum* dicit. Act. 4, 24. 2 Tim. 2, 21. Ap. 6, 10. — κατὰ τὸ ῥῆμά σου, *secundum verbum tuum*) Verbo promissi exacte respondet cantus Simeonis. Sunt enim parallela. *Christus Domini*: *Salus Domini*. *Videre*: *videre*. *Mors*: *missio*. — ἐν εἰρήνῃ, *in pace*) perfecta.

v. 30. εἶδον, *viderunt*) Etiam tenuere manus: sed Simeon verba aptat promissioni. v. 26. — τὸ σωτήριόν σου, *Salutare tuum*) Sic c. 3, 6. Conveniens sermo, in abstracto, περὶ τοῦ παιδίου, *de puerulo*, antequam perficeret opus salvandi: deinceps, *Salvator*, in concreto, dicitur, quem jam tum in ampliatione sic appellarant coelites. v. 11. Es. 49, 6. 9.: — τὴν διασποράν τοῦ ΙΣΡΑΗΛ ἐπιστρέψαι· ἰδοὺ δέδωκά σε εἰς διαθήκην γένους, εἰς ΦΩΣ ΕΘΝΩΝ, τοῦ εἶναί σε εἰς ΣΩΤΗΡΙΑΝ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. — λέγοντα τοῖς ἐν δεσμοῖς, ἐξέλθετε, καὶ τοῖς ἐν τῷ σκότει ΑΝΑΚΑΛΥΦΘΗΝΑΙ. *Salutare tuum*, i. e. Christum. hunc enim ipsum videbat jam tum Simeon: hunc etiam *lucem* et *gloriam* appellat.

v. 31. κατὰ πρόσωπον, *in facie*) Locus maxime conspicuus, ad lucem omnibus ostendendam, erat ipsum templum. — πάντων, *omnium*) non modo Judaeorum. — λαῶν, *populorum*) Innuitur, posthac non unicum fore populum. coll. v. 32.

v. 32. Φῶς, *lucem*) Id stat in appositione cum *salutare*. — εἰς ἀποκάλυψιν) *ut* gentibus *reveletur* Deus et Christus, et ipsae sibi in luce ejus. — ἐθνῶν, *gentium*) Constr. cum *lucem*. *lux* gentium, revelanda eisdem. Ap. 21, 23. s. — καὶ δόξαν, *et gloriam*) Constr. cum *lucem*, non subaudito *in*. *Lux* et *gloria* sive splendor sunt synonyma, sed ita, ut *gloria* quiddam majus sonet, et praerogativam Israëlis exprimat, ob necessitudinem propriam cum hoc rege gloriae. — ἰσραήλ, *Israël*) Etiam post gentes Israël fruetur hac gloria.

v. 33. θαυμάζοντες, *mirantes*) Nam magis magisque intelligebant, quam magnifica essent, quae de Jesu dicta essent, antequam natus esset: et talia audiebant ex Simeone et aliis, quos non existimarunt id adhuc scire.

v. 34. εὐλόγησεν, *benedixit*) בּרך valedicens, cum benedictione, visa eorum admiratione pia. — αὐτοὺς, *illis*) Josepho et Mariae: non Jesu ipsi. Hebr. 7, 7. — εἶπε, *dixit*) Admirationem laetam praedictio fidelis rerum adversarum excipit, et illius abusui medetur. — πρὸς μαριὰμ, *ad Mariam*) prae Josepho, cujus ultima mentio fit versu 51. not. [*quare ante annum Jesu trigesimum obiisse censendus est*. V. g.] — οὗτος, *Hic*) de quo talia dici miraris. — κεῖται) hic, qui in ulnis meis *jacet*; *positus est*, ut lapis pretiosus, *in casum et resurrectionem*. Notabile est, haec non per angelum v. 10. s. c. 1, 30. s. esse praedicta, sed per hominem sanctum addita. Angeli duntaxat erat εὐαγγελίζεσθαι, *bonum nuncium afferre*. — καὶ ἀνάστασιν, *et resurrectionem*) *Et* non debet mere disjunctive accipi: coll. 2 Cor. 2, 15. nam multi eorum, qui cadunt, iidem etiam resurgunt. Rom. 11, 11. s. Ipse est *resurrectio*, ut ipse *signum*. — πολλῶν, *multorum*) v. 35. — σημεῖον ἀντιλεγόμενον, *signum, cui contradicitur*) Insigne oxymoron. *Signa* alias tollunt *contradictionem*: hoc erit objectum *contradictionis*, quanquam per se signum est evidens fidei. Es. 55, 13. LXX. nam eo ipso, quia *lux* est illustris et *insignis* est. Magnum erit spectaculum. *Contradictionem* credentium et non credentium mutuam, de Jesu: et non credentium, contra Jesum, et *cogitationes*, v. 35. inprimis refert Johannes, c. 5. seqq. Contradixere, verbis et re. Hebr. 12, 3. Non erat maturum, passionem, crucem, mortem expressius praedici. Ut primum Jesus in templo sistitur, adversa ei denunciantur. quum in templo postremum fuit, non dissimiles Simeoniticis sermones ipse habuit. Matth. 23, 37.

v. 35. καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς, *et tuam vero ipsius*) Antitheton ad *Hic*. — τὴν ψυχὴν, *animam*) Resp. *ex cordibus*. — ῥομφαία, *gladius*) ῥομφαία, majus ξίφος,

quam μάχαιρα, et saepe tamen minus nocens. Innuitur dolor de contradictione mundi contra Jesum, vel etiam quaedam tentatio intestina, acutissima, sed perbrevis, apud Mariam, et salutaris denique. nam non omnia cepit sancta virgo. v. 33. 50. Transire potuit gladius v. gr. v. 48. fin. Marc. 3, 31. Joh. 19, 25. Quis putet, Mariam sine tentationibus internis consummatam esse? Summa ejus fides, per summa certamina vicit. [*Memoratis itaque jucundissimis hactenus rebus acerbi aliquid vel Benedictae inter mulieres indicatur. Omnibus videlicet suae sunt in castigatione partes.* V. g.] Veruntamen *anima*, non *cor*, *spiritui* opponitur, Hebr. 4, 12. Multorum *corda cogitationibus* conquassata sunt: Mariae duntaxat *anima gladium* est experta. Conf. phrases Ps. 42, 11. 73, 21. — ὅπως, *ut*) Consequens rerum adversissimarum. — ἂν) ἂν non παρέλκει. i. e. *eo facto*. — ἐκ πολλῶν, *ex multis*) Sic, *multorum*, v. 34. — διαλογισμοὶ) *cogitationes*, bonae, malae, ex cordibus bonis, malis: unde contradictio provenit. Et fides et infidelitas est in corde, et per os exseritur. Rom. 10, 8. s. 21. 15, 5. 6. Act. 13, 46. 14, 2. 2 Cor. 4, 13. 6, 11. 2 Tim, 2, 12. s.

v. 36. Φανουήλ, *Phanuel*) Pater Annae prae viro nominatur. adhuc notus erat, ut *exspectans*. v. 38. — ἀσήρ, *Aser*) 2 Chron. 30, 11.

v. 37. ἐτῶν, *annorum*) Anni totius aetatis, non solius viduitatis, Senes primi, post angelos, Christum natum celebrant: ut constet, Salutem per eum allatam esse vitae melioris. — ὀγδοήκοντα τεσσάρων, *octoginta quatuor*) Itaque Anna fuerat annorum circiter viginti quatuor, quum *Jerusalem* in potestatem Romanorum, duce Pompejo, pervenerat. — νηστείαις, *jejuniis*) etiam in senectute.

v. 38. ἀνθωμολογεῖτο) *vicissim*, pro beneficio divino, *confitebatur*. Hebraeo הודות respondet. — [1]) πᾶσι, *omnibus*) Erant igitur non pauci. Alii, quamvis Messiam venturum crederent, tamen *non exspectabant*. — ἐν, *in*) qui erant Hierosolymis.

v. 40. ηὔξανε, *crescebat*) corpore. incrementum infantis. v. 52. *proficiebat*, profectus pueri. ab anno I ad XII. a XII ad XXX. Etiam deinceps conf. c. 4, 1. 14. Mentio profectuum jungitur cum repraesentatione in templo, cum mansione paschali in templo, et cum baptismo. — ἐκραταιοῦτο πνεύματι, *corroborabatur spiritu*) prae Johanne, de quo non additur, *impletus sapientia*. c. 1, 80. Sapientia, summa dotum animae. De pietate Jesu parvuli vid. Ps. 22, 10. s. et conclude a minori ad majus ex Luc. 1, 15. 44. — χάρις) *favor* Dei erat erga illum. Postea *hominibus* innotuit. v. 52.

v. 41. κατ' ἔτος, *quotannis*) sine metu Archelai. [*quo, post imperium novenne, submoto et in exilium acto tute Salvator Hierosolymam proficisci potuit*. Harm. p. 58.]

v. 42. ἐτῶν δώδεκα, *annorum duodecim*) Hic aetatis gradus sine dubio in pueris piis praecipuum quiddam habet, ex benedicto exemplo Salvatoris, qui se temporibus aetatis humanae attemperavit. c. 3, 23. Ab eo tempore quotannis sine dubio venit ad Pascha. [*Et specimen gloriae hoc loco editum, quod* 30 *annorum spatium, a nativitate ad baptismum Christi elapsum, in duas partes fere aequales dirimit, ea, quorum oblivio excusationem aliàs tulisse videatur, quantum satis erat refricuit*. Harm. p. 59.]

v. 43. [2]) [3]) ἰησοῦς ὁ παῖς, *Jesus puer*) Describitur *ordine* (καθεξῆς) a Luca, Jesus *fructus ventris*, c. 1, 42. *infans*, c. 2, 12. *puerulus*, v. 40. *puer*, h. l. *vir*,

---

1) περὶ αὐτοῦ, *de illo*] Jesu scilicet, ut redemtore. *V. g.*

2) τελειωσάντων, *cum absolvissent*] Iis, quae trita sunt et communia, satiari non semper juvat. *V. g.*

3) ὑπέμεινεν, *remansit*] Die solis id contigisse, ex rationibus chronologicis augurari licet. Habes itaque diei dominicae postea celebrandae praeludium. *Harm.* p. 58.

c. 24, 19. coll. Joh. 1, 30. Non statim plena statura, ut Protoplasti, apparuit: sed omnes aetatis gradus sanctificavit. Senectus eum non decebat. — καὶ οὐκ ἔγνω, *et non novit*) Jud. 14, 6. 9. [*Poterat eis Jesus verbulo rem indicare: sed conveniebat, absentibus istis demonstrari sapientiam Ejus. Sic enim, non illis eam in acceptis referendam habere se ostendit, coll.* v. 50. *Non istos, sed seipsum regendo sibi sufficere, suamque subjectionem,* v. 51. *liberrimam esse, probatum dedit.* V. g.]

v. 44. νομίσαντες, *putantes*) Hinc colligi potest, non multo aliter a parentibus observatum fuisse Jesum, atque a multis solent observari liberi, qui saepius ex oculis dimittuntur. — ἡμέρας ὁδὸν) Sic LXX. ὁδὸν ἡμέρας. 1 Reg. 19, 4.

v. 46. τρεῖς, *tres*) Numerus mysticus. Totidem dies, mortuus, a discipulis pro amisso habitus est. c. 24, 21. Vid. *Ord. temp.* p. 234. — ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*) in partibus templi exterioribus. — καθεζόμενον ἐν μέσῳ, *sedentem in medio*) dignitatis causa, nec discentis, nec docentis habitu, sed conferentis. conf. v. 47. — ἐπερωτῶντα, *interrogantem*) *Quaestiones* proponebat, et *respondendo* solvebat. v. 47.

v. 48. πρὸς αὐτὸν, *ad eum*) Hoc, ineunte commate, emphasin habet. *Ad illum* non debebat sic dicere. — ἡ μήτηρ, *mater*) Non loquebatur Josephus: major erat necessitudo matris. — εἶπε, *dixit*) publice. — τί) *quid?* non, *quare?* quid nobis hac agendi ratione confecisti? — ὀδυνώμενοι, *dolentes*) Sane multa hoc triduo cor Mariae versavit. conf. v. 35.

v. 49. εἶπε, *dixit*) comiter, sine perturbatione ulla. — τί, *quid?*) Primum hoc exstat verbum Jesu: [*omnium actionum Ejus summam continens.* V g.] cum quo conferri potest extremum, vel ante mortem, vel ante ascensionem, Act. 1, 7. 8. Non reprehendit, quod amiserint: sed quod quaesito opus esse putarint, innuitque, se neque amitti, neque alibi, atque in templo inveniri potuisse. — οὐκ ᾔδειτε, *num non noveratis*) Scire debuerant, ex tot documentis. Scire, quod opus est, facit ad tranquillitatem. — τοῖς) Conf. Joh. 16, 32. τὰ ἴδια. — τοῦ πατρός μου, *Patris mei*) cujus antiquius est jus in Jesum, quam Josephi et matris. [*et quem norat a tenera aetate, nullâ parentum (rei intelligentia destitutorum scilicet) institutione usus.* V. g.] Eo ipso se templi Dominum declarat: declaravit postea etiam apertius. Joh. 2, 16. Matth. 21, 12. s. [*Et quem in primo sermone per Evangelistas notato, eundem etiam in postremo spectavit,* Patrem, *in manus Ejus tradens spiritum suum.* Harm. p. 59.] — δεῖ, *oportet*) Ita docet, se non laesisse obedientiam, et tamen quodammodo se emancipatum declarat, parentumque attentionem acuit. v. 51. — εἶναί με, *esse me*) Conf. Hebr. 3, 6.

v. 50. οὐ συνῆκαν, *non intellexerunt*) Ergo non ex illis hoc didicerat: neque ab aliis doctoribus, v. 47. s. Non multum antea, nec tamen nihil, de Patre locutus erat.

v. 51. [1]) ὑποτασσόμενος, *subjectus*) libere. Mirabilis subjectio ejus, cui omnia subjecta sunt. Etiam antea subjectus fuerat: sed nunc id commemoratur, quum videretur jam se potuisse eximere. Talis honor ne angelis quidem obtigit, qui parentibus Jesu. — αὐτοῖς, *illis*) Ab h. l. nulla Josephi mentio, ut credibile sit, Josephum brevi post esse mortuum, et Jesum sensisse incommoda orphanorum. vid. Marc. 6, 2. Joh. 2, 12. Mira de S. Joseph habet *Theol. du coeur* Part. I. p. 9. s. — διετήρει) LXX, διετήρησε τὸ ῥῆμα. Gen. 37, 11.

v. 52. προέκοπτε, *proficiebat*) secundum humanam naturam, et humanae naturae sapientiam; idque revera, sed longe supra modum hominis communis. — σοφίᾳ, *sapientia*) in anima. — ἡλικίᾳ) *statura* corporis cum annis. Ergo jus-

---

1) ις ναζαρετ, *Nazaretam*] Eo loco, in quo boni nihil residere suspicabantur homines, solus bonus jam homo versabatur. *V. g.*

tam proceritatem nactus est ac decoram. — χάριτι, *gratia*) *favore*, ex dotibus animae et corporis a *gratia* inprimis commendatur aetas tenerior. — παρὰ θεῷ, *apud Deum*) Joh. 8, 29. — ἀνθρώποις, *homines*) Facilius irascitur mundus viris, quam adolescentibus nondum in munere publico versantibus.

CAPUT III.

v. 1. Ἐν ἔτει, *in anno*) Epocha ecclesiae omnium maxima; Marc. 1, 1. (coll. 1 Reg. 6, 1. de epocha templi:) cum qua etiam annus Christi trigesimus nectitur. v. 23. Hic quasi scena N. T. panditur. [*Aerae communis tum annus 27, ad auctumnum vergens, agebatur. Triennio ante initium istius aerae Christus natus fuit, et extinctus Herodes.* V. g.] Ne nativitatis quidem, aut mortis, resurrectionis, ascensionis Christi tempus tam praecise definitur. c. 2, 1. Fit autem denominatio non a consulibus Romanis, sed ab Imperatoribus. Solet Scriptura rerum magnarum epochas accurate definire: id de N. T. fit hoc uno loco; et vel ob hoc unum liber hic Lucae est necessaria pars scripturae N. T. Vid. *Ord. temp.* p. 219. seqq. [*Ed. II. p.* 191. *seqq.*] — καίσαρος, *Caesaris*) Ecclesia in republica est: ideo denominatur epocha ab imperio. [*Primus, ut* Lucas *numerat, annus* Tiberii *coepit cum mense* Tisri *ejus anni Judaici, in quo mortuus est* Augustus. *Eodem, quo Johannes, anno COEPIT Jesus, i. e. fecit initium actionis publicae.* Not. crit.] — καὶ, *et*) *Ituraea* et *Trachonitis* regio, trans Jordanem, duae tetrarchiae. — ἀβιληνῆς, *Abilenes*) ultra regionem Trachonitidem in septentrionem.

v. 2. ἐπὶ ἀρχιερέως, *sub pontifice*) Singularis numerus, Caipha non excluso. Act. 4, 6. Quemadmodum in genealogiis dici solet hebraice, *filii*, plurali numero, etiamsi unicus sequatur filius; quia saepe plures esse solent: *filii Eliezer, Rehabia* (unicus.) 1 Chron. 23, 17. etc. ita hic singulari numero dicitur *pontifex*, quamvis duo homines, *Annas et Caiphas*, nominantur: unde etiam ἀρχιερέων et *Gothus* habet et apud quosdam excuditur. namque unus esse pontifex debebat, et a plurali numero ipse abhorrebat auditus. — [1]) ἐπὶ, *super*) immediate. Eadem phrasis, Jer. 1, 1.

v. 3. ἰορδάνου, *Jordanis*) fluminis ad baptizandum apti. Regnum Dei in suo cursu se accommodat loco et tempori.

v. 4. ὡς, *sicut*) Poenitentia describitur v. 4, 5. remissio peccatorum innuitur v. 6. — ἐν βίβλῳ λόγων, *in libro sermonum*) Jesajae liber certis constat orationibus, quae cum conjunctae fuerint, nulla potuit intercidere. sic, *liber psalmorum.* c. 20, 42. — φωνὴ-τρίβους αὐτοῦ-τὰ σκολιὰ-αἱ τραχεῖαι-καὶ ὄψεται κτλ.) Es. 40, 3. 4. 5. LXX. φωνὴ-τρίβους τοῦ θεοῦ ἡμῶν-πάντα τὰ σκολιὰ-ἡ τραχεῖα εἰς πεδία-καὶ ὀφθήσεται ἡ δόξα Κυρίου, καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ, ὅτι Κύριος ἐλάλησε.

v. 5. φάραγξ, *vallis*) ubi est cavitas et vacuitas a justitia vera, ut apud publicanos et militantes. v. 12. 14. — ὄρος, *mons*) ubi tumor justitiae humanae, vel potestatis, ut apud Herodem. — βουνὸς, σκολιὰ, τραχεῖαι, *collis, obliqua, aspera*) I. profundum, II. longum, III. latum, corrupta, rectitudini restituentur, et plana fient. — εἰς εὐθεῖαν, *in rectam*) Ὁδὸν, *viam*, subaudivere LXX. et sic mox, *et asperae*, sc. *viae*.

v. 6. καὶ) *et* sic. Hebr. *et revelabitur gloria Domini, et videbunt omnis caro simul, Os Domini esse locutum.* — ὄψεται, *videbit*) nulla jam inaequalitate umbram in via retinente, omnibus partibus expositis luci. — τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ, *salutare Dei*) i. e. Messiam. c. 2, 30.

---

1) ῥῆμα θεοῦ, *sermo Dei*] Hinc tanta muneris Johannei efficacia. *V. g.*

v. 8. μὴ ἄρξησθε λέγειν, ***ne coeperitis dicere***) Omnem excusationis etiam conatum praecidit.

v. 10. τί οὖν ποιήσομεν; ***quid ergo faciemus?***) Character est hic animae, quae convertitur. Act. 2, 37. 16, 30.

v. 11. ὁ ἔχων, ***qui habet***) Populus avaritiae prae aliis vitiis capax. Ideo huic peccato contraria Johannes eis praecipit, de victu et amictu. Fructus intimae poenitentiae [*quae, cum universali testimonio de Christo, hic supponitur. V. g.*] in extimas vitae partes exit: v. 13. s. neque speciosis, sed civilibus et tamen bonis operibus constat. c. 10, 34. Matth. 25, 35. Jes. 58, 6. s. — δύο χιτῶνας, ***duas tunicas***) Et sic de duplo aliarum rerum. — μεταδότω, ***impertito***) Liberalitas patet latius, quam ad obolos.

v. 12. διδάσκαλε, ***magister***) Publicani majore ceteris reverentia utuntur.

v. 14. στρατευόμενοι, ***militantes***) Ad hos a publicanis per gradationem venitur. — μηδένα διασείσητε) ***neminem concutite***, vi. — μηδὲ συκοφαντήσητε) calumniis, quasi jure. LXX. Gen. 43, 17.

v. 15. προσδοκῶντος, ***exspectante***) Exspectabant, ut indicia aut ab Johanne aut aliunde fierent. atque Johannes Zachariae sacerdotis filius non erat ex tribu Juda, ex qua Messiam constabat esse oriendum. — ὁ χριστὸς, ***Christus***) Non ita crassam adhuc ideam de Christo habebant. nam Johannes nil splendoris externi habebat, et tamen talia de eo cogitabant.

v. 16. ἀπεκρίνατο, ***respondit***) interrogare cupientibus. conf. Act. 13, 25. ***suspicamini***. — ἔρχεται) Castellio vertit, ***adventat***. — ὁ ἰσχυρότερός μου, ***qui validior me est***) Valebat Johannes, v. 4. s. 10. s. cap. 1, 17. sed Christus multo plus. — καὶ πυρὶ, ***et igne***) Ignis ille respectu fidelium denotat igneam vim Spiritûs S. coll. Es. 4, 4. Et revera igne baptizati tinctique sunt. Act. 2, 3. 1, 5. Veruntamen non, ut Joh. 3, 5. aqua materialis, sic h. l. ignis materialis significatur; nam illic aqua ante Spiritum, sed h. l. Spiritus et ignis simul appellatur. Respectu impoenitentium denotat ignem irae, v. 17. Significationem ignis pariter duplicatam vid. Marc. 9, 49. cum anteced.

v. 18. s. παρακαλῶν, ***hortans***) Johannis functio, ***hortari, evangelizare; arguere, praedicare***. v. 3. 19. — εὐηγγελίζετο, ***evangelizabat***) uti v. 16.

v. 19. [1]) καὶ περὶ πάντων, ***et de omnibus***) Non satisfacit officio, qui una tantum de re peccatores, etiam reges, reprehendit.

v. 20. προσέθηκε, ***addidit***) ***Additamentum*** peccatorum, persecutio. [***Ita videlicet completur peccatorum mensura, ubi monita salutaria sperruntur, vel malefactis omnino rependuntur***. V. g.] — κατέκλεισε, ***conclusit***) Commemoratur hoc ante baptismum Christi; et Herodem Johannes primo quoque tempore arguebat. Postea de Jesu Christo non interpellata subsequitur historia.

v. 21. προσευχομένου, ***precante***) post baptismum. Saepe preces Jesu commemorat Lucas, in rebus maximis. c. 6, 12. 9, 18. 29. 22, 32. 41. 23, 46. — ἀνεῳχθῆναι) Sic deducas ab ἠνεῴχθην, indicativus prae infinitivo augmentum habet: infinitivus, non tam augmentum quam ἔκτασιν.

v. 22. σωματικῷ εἴδει, ***corporea specie***) Contra etiam u regno tenebrarum ***interdum*** apparent ***species corporeae***. — σὺ, ***tu***) responsio ad preces. v. 21.

v. 23. καὶ αὐτὸς ἦν ὁ ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ***et ipse erat, Jesus, quasi annorum triginta, incipiens***) Initium hoc loco innuitur non ***anni trigesimi***, quod neque cardinalis numerus, ***annorum XXX***, neque particula ***quasi*** ferebat; sed initium ***faciendi et docendi*** publice, sive ***introitus***. Act. 1, 1. 22.

---

1) ἐλεγχόμενος ὑπ' αὐτοῦ, ***reprehensus ab eo***] Quanquam Johannem aliquanto post custodiae tradidit Herodes: opportune tamen hoc loco res memoratur. Videlicet Johannes non minus veritatem dixit Herodi, quam populo, publicanis et militibus. *Harm.* p. 145.

Digitized by Google

(ubi verbum *incipere* item absolute ponitur,) cap. 13, 24. Id initium Lucas in ipso baptismo factum innuit. coll. Matth. 3, 15. [1]) Quare illud initium obiter is in hoc versu, aetatem autem Jesu praecipue notat [2]): et hanc quidem ita, ut introitum Johannis, et paulo post introitum Jesu in uno eodemque anno factum notet. [*Certe non id egit Lucas, ut introitu Praecursoris exacte notato, initium ab ipso Domino factum nonnisi obiter tangeret, sed praecipuam posterioris curam habuit. Opportune tamen Johannem conjungit: ne longiori intervallo praecessisse credatur.* Harm. p. 69.] Decore loquitur Lucas: et quum dixisset, ad prodromum *esse factum verbum Dei:* v. 2. coll. Joh. 10, 35; Dominum, ait, *incepisse*, scilicet non ut servum, sed ut Filium. Nomen, *Jesus*, additur, quia nova rerum scena panditur. Grande pronomen, *ipse*, praemissum, facit antitheton ad *Johannem:* habetque Johannes externas temporis notationes, a *Tiberio* etc. tempus initii a Domino facti ex *ipsius* Domini *annis* definitur. Habebat Dominus post admirabiles profectus aetatem legitimam, muneri publico opportunam. [Num. 4, 3.] — ὡς ἐνομίζετο, *ut censebatur)* Dilutior interpretatio, *ut putabatur*: plus quiddam valet νομίζεσθαι· denotat sensum ac morem, communiter, nec non jure, receptum: Act. 16, 13. Porro non dicit Lucas, ὢν, υἱὸς ἰωσὴφ, ὡς ἐνομίζετο, sed ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς ἰωσήφ. Itaque incisum hoc ὡς ἐνομίζετο, non minus, quam illud, cui proxime cohaeret, ὢν υἱὸς, vim suam ad totam scalam genealogicam porrigit, ita quidem, ut singuli gradus pro eo, ac singulorum ratio fert et postulat, accipiendi veniant. *Erat* Jesus, *ut censebatur*, filius Josephi: nam non solum opinio hominum eum pro filio Josephi habebat, sed etiam Josephus omnia paterna officia, quanquam Jesum non genuerat, praestabat. *Erat*, *ut censebatur*, filius Eli: et erat vere. nam mater ejus, Maria, patrem habebat Eli: et item, *filius Matthat* et reliquorum patrum. *Erat, ut censebatur*, filius Kainanis, quem Hellenistae ex LXX int. in serie patrum post diluvium referebant. Quod igitur ad Josephum et ad Cainanem attinet, *opinioni* populari Lucas per προθεραπείαν hancce medetur, ut Franc. Junius pridem vidit, coll. Usser. chron. sacr. Part. I. cap. 6. f. 34. in ceteris autem patribus omnia tanquam V. T. et reliquis tabulis publicis et ipsi veritati consentanea atque ab omnibus agnita, intemerata relinquit, imo comprobat. — τοῦ ἡλεὶ, *Eli*) Hic erat Mariae pater, Josephi socer. *vid. Matth.* 1, 16. *not.* Τοῦ, articulum hic tam frequentem, cum antecedente quovis nomine proprio, an cum subsequente construas, nil interest. nam per utramvis constructionem cujuslibet ulterioris patris filius est Jesus, interveniente citeriore. Utrovis modo Hebraica, quae fere ambigua sunt, LXX int. exprimunt. Ezr. 7, 1. Neh. 11, 4. ss. Sed simplicius τοῦ cum quovis subsequente nomine cohaeret: quomodo Matth. 1, 1. Jesus Christus dicitur filius Davidis, FILIUS Abrahami. et quanquam in primo gradu, υἱὸς ἰωσὴφ, sine articulo dicitur, tamen deinceps τὸ ὢν υἱὸς commode cum singulis patribus immediate construitur. conf. LXX. Gen. 36, 2.

v. 31. τοῦ ναθὰν, *Nathan*) [3]) Hic Nathan, filius David, homo est valde

---

1) Attamen *varios gradus* introitus iste habuit, quorum I. fuit manifestatio Christi ad Israëlem in baptismo facta, Luc. 3, 22. 38. Joh. 1, 31. 34. Matth. 3, 15. Insecutum est II. signorum initium Joh. 2, 11. et III. initium in domo Patris, Hierosolymae, Joh. 2, 14. (coll. Mal. 3, 1,) itemque IV. initium continui praeconii in Galilaea, post traditum Johannem, Matth. 4, 17. Luc. 4, 15. Act. 10, 37.: qui quidem gradus tam brevi tempore alius alium excepere, ut universos pro uno aestimare, eumque cum *trigesimo* Salvatoris anno combinare liceat. Errant igitur, qui Johannem sex mensium, quin anni, et quod excedit, intervallo ante baptismum Christi muneris auspicia cepisse existimant. *Harm.* p. 71. s.

2) *Observandum est h. l., annos Jesu* 30 non redundantes *fuisse*, *sed ab exigua parte* incompletos *potius: id quod probatum dedit B. Auct.* Harm. p. 70. s. *et* Ord. temp. p. 222. *(Ed. II. p.* 194.) *Conf. meine* Beleuchtung etc. p. 126. ss. E. B.

3) Hunc Lucas Salomoni, per Matthaeum in hac serie notato, ideo substituit, quod

memorabilis. Zach. 12, 12. Sohar Num. ad Es. 40, 8. *Cheph zibah uxor Nathan Filii David mater est Messiae.* Schoettgen. ad h. l.

v. 36. τοῦ καϊνὰν, *Kainan*) Adornent nonnulli, quantum possunt, speciem aliquot codicum, *Cainane* carentium: unus eo caret *Cantabrigiensis*, idemque *Steph.* β. idemque *Bezae:* qui, ut graecolatinus, non tam codicis, quam rhapsodiae, patrum varietates complexae, titulum meretur. Recte Is. Vossius: *Licet in innumeris et novi et veteris testamenti exemplaribus nomen istius Cainanis abesset, quod tamen falsum, nullam tamen exinde peti posset argumentum. Ratio enim manifesta esset ex eo, quod Ecclesia calculum Africani et Eusebii adprobarit et secuta sit; adeoque miror, non plura reperiri exemplaria, in quibus Cainanis nomen expunctum sit.* c. Horn. p. 13. Attamen ita multi *Cainanem* hoc tempore improbant, ut periculum sit, ne propediem ex Luca eliminetur: id quod *magnae temeritatis* esse, recte statuit, *Rich. Simon* ad h. l. nec non *Gomarus.* Praeterea Cainanem apud Lucam retinent *I. E. Grabius, Joh. Harduinus, Jac. Hasaeus, G. C. Hosmannus,* quibus addatur *Hottingeri* thes. phil. p. 174. *Glassius* etc. In antiquis est *Ambrosius,* ad Luc. 7. *Septuagesima et septima* inquit, *generatione Dominus natus est ex Maria.* Ante nativitatem Christi in LXX. interpretibus (vid. Gen. 10, 24. 11, 12. 1 Chron. 1, 18.) hunc Cainanem extitisse, Demetrii Chronicon demonstrat apud Eusebium, lib. IX. praep. Ev. pag. 425. Porro Theophilum, cui Lucas scripsit, Alexandriae fuisse, complura testantur monumenta. Alexandriae apud LXX. int. quin lectus certe fuerit Cainan, dubium non est, ne ibi insertum dicam. Quare non conveniebat, Cainanem jam tum aut omitti a Luca, aut aperto notari obelo. Alibi quoque Hellenistis id dedit Lucas, ut LXX. interpretes illos prae hebraico textu sequeretur. Act. 7, 14. et sic Cainanem illis insertum non expunxit. Neque tamen ea re veritatem violavit. nam ortus J. C. ex Davide, ut patribus aliquot apud Matthaeum praetermissis, sic Cainane apud Lucam retento, tamen salvus manet. Quin etiam summae veritati cavit praefatiuncula illa, *ut censebatur*, v. 23. not. Denique non est eorum, qui N. T. tractant, praestare lectionem LXX. interpretum. In chronologia praecipuum extat momentum quaestionis de Cainan. Igitur de eodem diximus aliquid in *Ordine temporum*, p. 52. (*Ed. II.* p. 44. s.) *Cainanem* legit *Ligthf.*

v. 38. [1]) τοῦ θεοῦ, *Dei*) Hanc clausulam sapienter addit Lucas. *Adam*, primus homo. Is non erat a se ipso, neque a patre et matre; sed a Deo, non solum, ut filii Adam, sed modo plane singulari. nam quicquid filii Adam, ex beneficio creatoris, parentibus debent, id ipse Adam a Deo accepit. Ideo non in Adam subsistit Lucas, sed summum illud addit, *Dei.* Atque hic demum est terminus, quo nullus est ulterior. Genealogiam Lucas ab Adamo secundo ad primum ita ducit, uti Moses ipse generationem hominis describit Gen. 5, 1. seqq. Plane *factura* Dei erat homo, non solum ut omnes creaturae, sed modo proprio. Gen. 1, 26. Si recensio desisset in Adam, abrupta esset, non terminata. Nunc ab Jesu Christo ad Deum ducitur. Pulcre cum ortu Adami ex Deo confertur ortus Jesu ex Maria: ad utrumque similitudine aliqua accedit, sed longe utrumque exsuperat ortus Jesu ex Deo, mediatus quodammodo, per patres, sed multo magis immediatus, ut est Dei filius. Ex Deo per Christum sunt omnia: omnia reducuntur per Christum ad Deum. Scriptura, etiam quod ad hu-

---

Maria ortum ex Nathane traxit, vel et quod Josephus a Salomone pariter ac Nathane genus duceret; familiare enim Judaeis fuit, proximorum agnatorum aliquem filii loco adoptare. *Harm.* p. 148.

1) τοῦ ἀδὰμ, *Adami*] Omnes Adami posteri naturalem cum Jesu Christo necessitudinem habent. *V. g.*

mani generis ortum pertinet, figit satiatque cognitionem nostram: eam qui spernunt aut ignorant, pendent errantque inter tempora antemundana et postmundana.

CAPUT IV.

v. 1. Πνεύματος ἁγίου πλήρης, *Spiritus sancti plenus*) Cap. 3, 22. — ἐν τῷ πνεύματι, *in Spiritu*) illo, sancto.

v. 2. ἡμέρας τεσσαράκοντα, *dies quadraginta*) Hoc vulgo construitur cum πειραζόμενος, *tentatus:* atqui Tentator, quum Jesus consummatis XL. diebus esuriret, demum accessit, Matth. 4, 3. Construendum est cum ἤγετο, *ducebatur in desertum,* et in deserto erat *XL. dies.* Similiter concisa locutio: c. 20, 9.: *abiit,* ut abesset *tempora longa.* Ap. 20, 2.: *ligarit eum,* ut esset ligatus *mille annos.* [*Conf.* Jos. 8, 29. 10, 27. *hebr.* V. g.] — συντελεσθεισῶν αὐτῶν, *consummatis illis*) Definitus erat terminus.

v. 5. εἰς ὄρος ὑψηλὸν, *in montem altum*) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Hiulca esset oratio, *Et duxit illum diabolus, et ostendit illi etc.* [*Sunt, qui duplicant conflictum in monte, a Luca antepositum pinnaculo templi, postpositum a Matthaeo. Atque* omnis *haec tentatio* (v. 13.) *tres omnino insultus habuit: adeoque Lucas prorsus* trajectionem *adhibet h. l. — Neque optime consulitur honori Domini, duplicando tentationem in monte: videlicet semel eam simulque repulit universe. Ceterum Lucas, adscensione Hierosolymitanâ postremo loco positâ eo magis opportune* c. 4, 14. *verbo* ὑπέστρεψεν *unus est, ut* c. 2, 39. Harm. p. 151.] — ἐν στιγμῇ χρόνου, *in puncto temporis*) Repentina ostensio: acuta tentatio.

v. 6. τὴν ἐξουσίαν ταύτην, *potestatem hanc*) horum regnorum. Huc refertur mox αὐτῶν, *eorum.* — παραδέδοται, *tradita est*) Hoc non plane falsum est. Potestatem magnam Satanas ante lapsum suum habuit: et quod potestatis post lapsum suum habet, in malum vertit. Joh. 12, 31. Eph. 2, 2. Ap. 12, 10. 13, 2. Confitetur tentator, se non esse conditorem. Itaque non postulavit summum gradum adorationis: nec tamen vel inferiorem posse dari creaturae ulli, ostendit Jesus, nedum Satanae. — δίδωμι, *do*) Hic dare volebat totum: alias clientibus suis dare solet minutatim. v. gr. Ap. 13, 2.

v. 8. ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ) Ex Matthaeo recentiores Graeci huc traduxerunt: neque id recte. nam secundo loco huncce conflictum Lucas memorat: quare Lucam non decuit haec verba ponere, quae tentatorem in fugam verterunt. ὀπίσω μου ne Matthaei quidem esse, suo loco notavimus. Ineunte versu 9. τὸ καὶ *Gothus* non recte vertit *thathro,* i. e. *inde.*

v. 12. εἴρηται, *dictum est*) in Scriptura.

v. 13. συντελέσας, *ut consummarit*) Nulla est tentatio, contra quam fideles non possint hinc et arma sumere, et rationem pugnandi discere. — πάντα, *omnem*) Omnia tela consumsit. Sic ergo victus hostis, totus victus est. — ἄχρι καιροῦ, *ad tempus*) opportunum. [*Appropinquante imprimis passione Domini rediit mundi princeps.* V. g.]

v. 14. ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος, *in virtute Spiritûs*) post victoriam corroboratus. — φήμη, *fama*) Sentiebant homines vim spiritus. v. 15. [*prius etiam, quam in ea regione tam multa signa ederet.* V. g.]

v. 15. αὐτὸς) *IPSE.* non modo per famam, sed per se ipsum innotuit. — δοξαζόμενος, *glorificatus*) Qui probe tentatus est, gloriam invenit, initio praesertim, nec tamen ea tangitur.

v. 16. ἦλθεν, *venit*) gratiam relaturus urbi, ubi adoleverat. — κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ) Eadem phrasis Num. 24, 1. Videmus, quid egerit adolescens Jesus, Nazaretae, ante baptismum. — τῶν σαββάτων, *sabbatorum*) Erat etiam

Digitized by Google

dies expiationis: sed *sabbati* mentio respondet ad *consuetum*. — ἀνέστη, *surrexit*) Hoc habitu ostendit, se velle publice legere: quo facto liber ei est datus. Semel legisse legitur; (tametsi videtur *solitus* anagnosten agere; nam sabbato *omnes solebant* in synagogam venire:) semel scripsisse, Joh. 8, 6. Primo illi tempori maxime convenit, quod Jesus auctoritatem divinam praedicationis suae ex V. T. etiam Nazarenis, facilius ipsum in patria contemnentibus, indulgens, comprobavit.

v. 17. βιβλίον ἡσαΐου, *liber Esajae*) Haphtara illius sabbati erat ex Esaja: lectiones autem Esajae plerasque cum lectionibus *Deuteronomii*, tabula Bibliis hebraicis Judaeorum jungi solita, connectit: ex quo colligi potest, quo *anni tempore* hoc sabbatum fuerit. — ἀναπτύξας, *evolvens*) Sic ferebat forma librorum illius aetatis. — εὗρε, *invenit*) illico, et quasi fortuito. Mirabilis dispensatio verbi divini. sed non debemus sortibus tentare Deum. conf. Act. 8, 32. Piae sortes biblicae, meliores homericis et virgilianis. vid. E. Neuhus. 1, 3. fatid. sacror. c. 9. pag. 329 s. J. C. Pfaff. Diss. de Evang. §. 25.

v. 18. 19. πνεῦμα Κυρίου ἐπ᾽ ἐμέ· οὗ εἵνεκεν ἔχρισέ με εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς, ἀπέσταλκέ με ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν· — ἀνάβλεψιν, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει· κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτὸν καὶ ἡμέραν ἀνταποδόσεως) Es. 61, 1. 2. LXX.: πνεῦμα — ἀνάβλεψιν· καλέσαι κτλ. Complura hic observatu digna veniunt. I. Distinctionem efficacissimam praebent accentus hebraici. II. οὗ εἵνεκεν significat יַעַן *eo quod, propterea quia*. Num. 14, 43. οὗ εἵνεκα ἀπεστράφητε. Ammonius, οὕνεκα σημαίνει τὸ ὅτι. Sensus h. l. est: *Spiritus Domini est super me, quia unxit me*. Jam tum indicavit Jesus, se esse *Christum*. Ex unctione deducitur mansio Spiritûs Domini super Christum. Ut unionis personalis, sic unctionis status fluit ex actu. III. Ex unctione fluit praecipuum, imo proprium hujus Prophetae praeconium, evangelicum; ex oleo, laetitia: ex missione, sanatio contritorum corde. IV. Hoc ipsum, *curare contribulatos corde*, ut Irenaei habet interpres, *Irenaei* praecipue auctoritas retinere me cogit, quanquam alii omiserunt. V. Καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, non est desumtum ex Es. 42, 7. sed Es. 61, 1. sic habent LXX. int. pro Hebr. ולאסורים פקח־קוח Denotat autem פקח in libris V. T. non quamlibet apertionem, sed semel *aurium*, praeterea persaepe *oculorum* apertionem. quare LXX. int. id h. l. ad *coecos* retulerunt. Eam tamen oculorum apertionem Esajas dixit, quae non *coecis*, sed ex *carceris* obscuritate emissis obtingit, ut recte vidit Chaldaeus paraphrastes. VI. ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, sumtum est ex proximo, Es. 58, 6.: ἀπόστελλε τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει. unde ἄφεσις Israëlitica ad ἄφεσιν per Messiam accommodatur. Esajae librum minister in synagoga Domino sua sponte praebuit: erat igitur eo sabbato usitata ex Esaja lectio. Esajae 61, 1. 2. nulla erat Haphtara: erat autem Es. 57, 13 — 58, 14. et quidem in die expiationis, quem eo anno [*qui Aerae Dion.* 28. *fuit*, Not. crit.] cum *sabbato* apud Lucam memorato concurrisse, ostendimus in *Ord. temp.* p. 254. [*Ed. II. p.* 220. *s. et Harm. ev. p.* 186. *ss.*] Unde patet, lectionem ordinariam et extraordinariam a Domino, in legendo, et ab evangelista, in scribendo, fuisse conjunctam. VII. De verbis καὶ ἡμέραν ἀνταποδόσεως vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. In hoc inciso: *SPIRITUS DOMINI super ME.*: insigne est de S. Trinitate testimonium. Jesus spiritu plenus. v. 1. 14. — οὗ εἵνεκεν) E in ἕνεκα transit in ει non solum poëtice, sed etiam jonice et attice. — πτωχοῖς, *pauperibus*) in Israël, et, deinceps, in gentibus. Horum quoque ratio habetur cap. 6, 20. — ἄφεσιν, *remissionem*) Verbum hic magna proprietate positum.

v. 20. ἀποδοὺς, *reddens*) decore. — ἐκάθισε, *sedit*) docens textumque lectum applicans. Surrexerat, v. 16.

v. 21. ἤρξατο, *coepit*) Solenne initium. [Galilaea *regio ista fuit, cui*

Digitized by Google

Christus, grande lumen, singulari modo exortus est. Jes. 9, 2. 3. Matth. 4, 15. Luc. 4, 31. *Eum* locum *uti Jesajas graphice omnino descripsit, sic* tempus *etiam, quo tanta claritate regioni huicce lumen fulsit, per eundem Jesajam indicatum est. Per* annum *continuum in Galilaea commoratus fuit Jesus, eoque tempore Judaei novum* Galilaeorum *nomen induxerunt.* Joh. 7, 52. Marc. 14, 70. *Gratiossimus hic miserrimae genti annus fuit: eumque annum Matthaeus, Marcus et Lucas fusius descriptum dedere: Johanne itinera Hierosolymitana supplente, quae demuo Galilaeis, festa itidem frequentantibus, copiam ex Jesu haud parum frugis percipiendi fecerunt. Johannes denique formulam,* Jesus Hierosolymam adscendit, *usurpando frequentiorem Salvatoris in Galilaea commorationem praesupposuit. Tali pacto historia evangelica et secum ipsa et cum V. T. exacte conveniens nullum examinis rigorem non sustinet.* Harm. p. 188.]

[1]) v. 22. ἐθαύμαζον) Θαυμάζω interdum significat *laudo, admiror, verbis adhibitis.* — τοῖς λόγοις, *verbis*) Non omnia, sed summam perscripsit Lucas. — τῆς χάριτος, *gratiae*) Singularem sane et suavitatem et gravitatem habent sermones Christi, et in utraque decorum quoddam, quod ne in apostolis quidem ita sentias. Paulum v. gr. non dedecebat ita scribere, uti scripsit 1 Cor. 7, 25. not. 2 Cor. 12, 13. Philem. v. 9. Christus autem, ut par est, et gravius et suavius loquitur. — καὶ ἔλεγον, *et dicebant*) Admiratio, bona est: sed talem motum, ubi non est fides firma, facile excipit perversitas, ut mentis obtutus a spiritu ad carnem degeneret: et unus saepe hinc fluens sermo magnam reprehensionem mereri potest.

v. 23. πάντως, *omnino*) Non capitur Jesus qualicunque assensione: sed mox ea subjungit, quibus auditores probentur. Sic Joh. 8, 32. not. — ἐρεῖτε, *dicetis*) id est, hic sensus, ex quo dicitis: *non hic est filius Joseph?* apud vos invalescet, quum de miraculis audietis conf. Matth. 13, 54. s. Metonymia consequentis. i. e. incredulitas vestra, quam jam proditis, obstabit mihi, quo minus multa apud vos, quam apud alios miracula exhibeam. tum erit, ut possitis dicere: *Medice,* etc. — παραβολήν) משל *proverbium.* — σεαυτὸν, *te ipsum*) id est, quod foris praestitisti, praesta etiam domi et in patria. — καπερναοὺμ, *Capernaum*) quo Jesus erat brevi profecturus, et miracula ibi facturus. v. 31. ss. Etiam antea ibi fuerat: Joh. 2, 12. sed non legitur tum aut diu mansisse, aut miracula fecisse. [*Attamen filium Regii, morbo in Capernaum correptum, sanasse memoratur* (Joh. 4, 47.): *quae res non minus, ac ea, quae posthaec perpetravit, spectari h. l. videtur; eodem scil. pacto, quo Davidis jam aetate,* Ps. 85, 2. *a liberatione ex captivitate babylonica ad ulteriora gratiae documenta remotiori tempori reservata concluditur. Quum praeterea hoc jam loco de urbe Capernaum Jesus ista praedicet: innuitur, vim a Nazarenis Domino illatam non in caussa demum fuisse, cur habitatum concesserit in Capernaum.* Harm. p. 189.]

v. 24. εἶπε δὲ, *dixit vero*) Haec formula scriptorum sacrorum, apud Mosen, quum ait וידבר et in N. T. apud Lucam frequens, indicat, intervallum a Dicente fuisse adhibitum. c. 6, 39. 12, 16. 13, 20. 15, 11. — ἀμὴν, *amen*) Parallelum mox, ἐπ' ἀληθείας; *vere.* — δεκτὸς, *acceptus*) exspectatus, carus. — πατρίδι, *patria*) Antitheton *Sidon* et *Syrus.* Ideo δὲ *vero* extat versu 25. Vestra, inquit, culpa est, quod medicus vos minus, quam remotiores, curat.

v. 25. λέγω ὑμῖν, *dico vobis*) Testatur hoc Dominus ex luce omniscientiae suae: nam Elias et Elisa potuerant pluribus viduis et leprosis inservisse,

---

1) σήμερον, *hodie*] Ab isto die plenum Salvator annum in Galilaea transegit. Conf. v. 43. cum v. 44. *V. g.*

by Google

etiamsi id Scriptura sacra non memoraret. — ἐκλείσθη, *clausum est*) Ut in historia biblica, sic in ceteris magnam partem facit notitia poenarum publicarum, famis etc. — ἐπὶ ἔτη τρία καὶ μῆνας ἕξ, *ad annos tres et menses sex*) 1 Reg. 17, 1. ss. 18, 1.

v. 26. ἠλίας, *Eliae*) quare Eliae et Elisae idem, quod Christo, objicere potuissent Nazarenorum similes. Missus autem non est Elias ad eos, quibus non fuerat futurus *acceptus*. Itaque ne Nazaretae quidem projicietur gloria Messiae. — τῆς σιδῶνος, *Sidonis*) Saepe in templis et scholis multum laboratur sine fructu apud auditores necessarios; et uni peregrino una concio, una epistola, unus libellus saluti est. — πρὸς γυναῖκα, *ad mulierem*) Vidua igitur beneficium, cum dedisse prophetae videretur, accepit potius.

v. 27. πολλοὶ λεπροὶ, *multi leprosi*) v. gr. ii, de quibus 2 Reg. 7, 3. — ἐπὶ) Ἐπὶ denotat epocham. tanti est propheta in oculis Dei!

v. 28. θυμοῦ, *irae*) Putarant, aliam sibi laudem et gratiam deberi pro suo applausu. Sed ipso facto suo comprobant veritatem sermonis Jesu.

v. 30. ἐπορεύετο, *proficiscebatur*) expedite, ut antea.

[1]) v. 33. πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου, *spiritum daemonii impuri*) Phrasis singularis. *Spiritus* notat operationem, *daemonium* naturam. Latinus simpliciter refert, *daemonium immundum*. — ἀνέκραξε, *clamorem ortus est*) Obsessum esse hunc hominem, nunc demum populo innotuisse videtur.

v. 34. ναζαρηνέ, *Nazarene*) v. 16. — ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ, *Sanctus Dei*) Joh. 10, 36.

v. 35. [2]) μηδὲν βλάψαν, *nihil laedens*) Voluerat daemonium hominem laedere.

v. 36. λόγος, *verbum*) דבר — ἐν ἐξουσίᾳ, *in potestate*) cui non potest contradici. — καὶ δυνάμει, *et virtute*) cui non potest resisti.

v. 37. ἦχος, *sonus*) vox propagata e voce.

v. 38. ἀναστὰς δὲ ἐκ, *surgens vero ex*) Sermo concisus.

v. 39. ἐπάνω αὐτῆς, *supra illam*) Proximus accessus ostendebat, virtuti Jesu cedere morbum, neque ullum corpori ejus a morbo imminere periculum.

v. 40. ἑνὶ ἑκάστῳ, *unicuique*) Magna facilitas. Sic singuli penitius commoti sunt ad fidem. [*Sic singularum Jesus animarum curam habet. Eam tune expertus es?* V. g.]

v. 41. ἀπὸ πολλῶν, *a multis*) Ad summa venerat potestas regni tenebrarum, quum Christus venit eam destructurus. — [3]) ὅτι) *quia*.

v. 42. ἕως, *usque*) Non prius destiterc, quam invenirent.

v. 43. εὐαγγελίσασθαί με δεῖ, *evangelizare me oportet*) His ipsis verbis acuit studia hominum et sub repulsae specie eos confirmat. — εἰς τοῦτο, *in hoc*) Symbolum Jesu. Causa itinerum ejus.

v. 44. ταῖς συναγωγαῖς, *synagogis*) omnibus.

CAPUT V.

v. 1. Ἐγένετο δὲ, *factum est autem*) Connexio arcta cum c. 4, 44. [4]) — ἐπικεῖσθαι) *Incubuit* populus. Patet hinc patientia Salvatoris.

---

1) v. 31. ἐν τοῖς σάββασι, *sabbatis*] Ea re initium factum. Deinceps multitudo etiam aliis diebus, sub dio ad Eum congregata est. *V. g.*

2) φιμώθητι, *obmutesce*] Conf. v. 41. *V. g.*

3) οὐκ εἶα, *non sivit*] Quanta dignatio, de gloria Jesu Domini si cui testari conceditur! *V. g.*

4) *Aliam deinceps sententiam secutus esse videtur* b. Auctor, *quum et in* Editione posteriori N. T. *caput V. literâ majusculâ, majoris distinctionis indice, inchoavit, et in* Harm. ev. *ea, quae* c. 4, 42—44. *extant, iis postponit, quae habentur* c. 5, 1. ss., *ut videre est* l. c. §. 48. coll. §. 35. 36. *Ceterum de* Trajectionibus, *Lucae potissimum tribuendis, breve monitum atque nervosum qui desiderat, eum pervelim ponderare, quae dicta sunt in* Ord. Temp. p. 242. s. (Ed. II. p. 211. s.) E. B.

Digitized by Google

v. 2. ἁλιεῖς, *piscatores*) Sic appellantur, quasi adhuc alieni. — ἀπέπλυναν, *abluerunt*) ut peracto opere.

v. 3. ὃ ἦν, *quod erat*) Jam tum Simoni data praerogativa. [*Alterum Zebedaei fuit.* V. g.] — ἠρώτησεν, *rogavit*, ut nondum familiarem. [*Aliis videlicet casibus diversa petendi ratione usus est, v. g.* Marc. 3, 9. Luc. 19, 5. Matth. 21, 2. 3. 26, 18. *Hâc itaque Simonis vocatione, per Lucam h. l. relatâ, eam quae apud Matthaeum* (c. 4, 18. s.) *et Marcum* (c. 1, 16. s.) *legitur, cum sanatione socrûs Petrinae priorem fuisse, vero prorsus non est simile.* Harm. p. 211.] Non statim promittit Dominus capturam: explorat prius obsequia Simonis. — ἐπαναγαγεῖν) *reducere.* Sic v. 4. et Matth. 21, 18. Eadem vis praepositionum in ἐπάνειμι, ἐπανέρχομαι, ἐπανήκω, ἐπανακάμπτω. κτλ.

v. 4. εἰς τὸ βάθος, *in profundum*) Hoc plus est, quam ὀλίγον *paululum.* v. 3. — εἰς ἄγραν, *in capturam*) Promissio. Cum hac piscatura conferri potest Joh. 21, 3. 6. ss.

v. 5. ῥήματί σου, *verbo tuo*) Senserat Petrus virtutem verborum Jesu. Eadem fides ejus, Matth. 14, 28. *jube.*

v. 7. κατένευσαν, *innuerunt*) eminus, et modestiae causa. Piscis enim captus tantam habet elabendi cupiditatem, quae per clamorem non augeatur. Rete sine dubio summa sui parte, ubi tenebatur, ruptum est. Viderunt pisces rete, navem, homines, et se urgeri senserunt: clamor ergo nil novi ponderis habuisset prae *nutu.* — μετόχοις, *participibus*) *Socii* enim erant v. 10. Ex una saepe societate aut familia multi possunt esse pii. — βυθίζεσθαι, *mergi*) Piscium pondere alte in aquas deprimebantur.

v. 8. ἔξελθε, *exi*) Conf. Matth. 8, 8. — ὅτι, *quia*) Conf. 1 Reg. 17, 18. Es. 6, 5. — ἀνὴρ ἁμαρτωλὸς, *vir peccator*) major peccator, quam infans peccator. [*Ea penitissima est peccatorum agnitio, quae ex divinae gloriae agnitione oritur.* V. g.] Hieronymus: *Ignatius apostolicus et martyr scribit audacter: Elegit Dominus apostolos, qui super omnes homines peccatores erant.* conf. 1 Tim. 1, 14. s.

v. 9. θάμβος, *stupor*) Timorem Domini debemus discere etiam ex beneficiis. c. 5, 26. 7, 16. Jer. 5, 24. [*Talia omnibus eveniunt, quibus ut organis uti DEUS constituit. Hoc loco de triga id eorum praecipue memoratur, qui postea primi facti sunt inter Apostolos.* V. g.]

[1]) v. 10. πρὸς τὸν σίμωνα, *ad Simonem*) Praecipue, non unice dixit ad Simonem, qui verba fecerat versu 8. coll. Matth. 4, 18. s. Hoc quoque Lucas habet, ut definite describat eos, ad quos locutus est Salvator. c. 6, 20. 27. 9, 23. 11, 45. 16, 1. 12, 22. 41. 54. — μὴ φοβοῦ, *noli timere*) Timere desiit Petrus, quum miraculis assuevit. — ἀπὸ τοῦ νῦν, *ex hoc jam*) Id factum c. 9, 2.

v. 11. ἅπαντα, *omnia*) etiam pisces captos. Antea quoque secuti fuerant Jesum, ut Lucas agnoscit: Act. 1, 21. 22. conf. Joh. 1, 43. etc. sed nondum ita, ut omnia relinquerent. [2]) [3])

---

1) ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ, *super captura*] Ipso facto Simonem hîc Jesus docuit. Omne DEI opus nos docet. Observare haec, prudentiae est. *V. g.*

2) v. 12. ἐν μιᾷ τῶν πόλεων, in urbium aliqua] *Vid. Gnom. ad* c. 1, 1. *Obs.* 2. *not. marg.* E. B. *Nimirum* particula *IN* haud nimis premenda est h. l., quasi occursum leprosi *in vicinia* urbis factum non ferret. coll. Matth. 8, 1. 2. Haec ipsa videtur *Trajectionis* ratio esse, quod Marcus, quem Lucas sequitur, miracula intra urbem facta, c. 1, 21. sq. commemorare prius instituit. *Harm.* p. 253. — πλήρης λέπρας, *plenus leprae*] Ex iis, qui leprosum in Matthaei Evangelio obvium pro alio habent, non desunt, qui locutionem istam, qua non Marcus etiam, sed solus Lucas utitur, praeter rem eo vertunt, quasi leprosus a Luca et Marco memoratus, per legem Lev. 13, 13. 17. mundus fuerit, adeoque urbis intrandae copiam habuerit. Atqui ad sacerdotem etiamnum ablegatur; sacerdoti igitur prius non se exhibuerat: quare impuri nomine, utut *plenissima lepra* fuerit, separatum esse oportuit etc. *Harm.* p. 253. — ἐπὶ πρόσωπον, *in faciem*] Humiliatio non vulgaris. *V. g.*

3) v. 13. καὶ, et] Praesentissimus precum fructus. *V. g.*

v. 15. θεραπεύεσθαι, *sanari*) Verbum medium.

v. 16. αὐτὸς, *Ipse*) pro suo parte. — ἦν ὑποχωρῶν) *solebat secedere.* Ita et spatium orandi quiescendique habuit, et hominum desiderium acuit.

v. 17. καθήμενοι, *sedentes*) ut auditores ceteris honoratiores. — νομοδιδάσκαλοι, *legis doctores*) *scribae.* v. 21. — κώμης, *pago*) Extrema, Jerusalem et pagi, appellantur; intermedium, oppida, innuuntur. — ἦν) Similis locutio LXX, ἐσόμεθα τοῦ σῶσαί σε, 2 Sam. 10, 11. ἔσονται ὥστε ἐργάζεσθαι, Num. 8, 11. γενέσθω ἡ χείρ σου τοῦ σῶσαί με, Ps. 119, 173. — αὐτοὺς) *illos*, de quibus v. 15.

v. 19. ποίας) Ellipsis, uti c. 19, 4. ἐκείνης. Act. 9, 2. τῆς ὁδοῦ ὄντας. Conf. Lamb. Bos. in Ellipsi, praepos. διά. Alii διὰ ποίας, alii διὰ ποίας ὁδοῦ, alii aliter.

v. 25. ἆρας ἐφ᾽ ᾧ κατέκειτο, *tollens super quo decubuerat*) Suavis locutio. Lectulus hominem tulerat: nunc homo lectulum ferebat.

v. 26. παράδοξα, *nec opinata*) miracula facta, peccata remissa. — σήμερον] *hoc die* singulari.

v. 27. ἐθεάσατο, *spectavit*) cum misericordia.

v. 28. ἅπαντα, *omnia*) quo ipso tamen non desiit domus esse sua. v. 29.

v. 29. μεγάλην, *magnum*) propter multitudinem convivarum.

v. 30. ἐσθίετε, *editis*) Plurale. sed Jesum praecipue petebant. v. 31.

v. 32. μετάνοιαν) Μετάνοιαν est *transitus mentis* a *peccato* ad *justitiam*, a *morbo* ad *sanitatem.* Dulce quiddam, nec formidabile: coll. anteced.

v. 33. δεήσεις) *supplicationes* solennes.

v. 34. μή, *num*) Interrogatio negans.

v. 36. παραβολήν, *parabolam*) a veste, a vino; inprimis opportunam convivio. c. 14, 7. — τὸ καινὸν, *novum*) Nominativus. — σχίζει) *scindit* se a veteri.

v. 39. εὐθέως, *statim*) Paulatim mutantur habitus animorum. — ὁ παλαιὸς, *vetus*) Pharisaeis doctrina sua antiqua magis erat ad palatum, quam generosa doctrina Jesu, quam illi putabant esse novam, quum longe esset antiquior. Gal. 3, 17. 1 Joh. 2, 7. 8. *mustum*, Zach. 9, 17. idemque tamen *mite.* Matth. 11, 30.

CAPUT VI.

v. 1. Ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ, *in sabbato secundo — primo*) Videatur *Ordo temporum*, p. 255. sqq. [*Ed. II.* p. 222. ss.] [1] [2] [3]

v. 8. εἶπε, *dixit*) omnia aperte agens.

v. 11. ἀνοίας, *insipientia*) cum tamen eo ipso tempore causam habuissent resipiscendi.

v. 12. προσευχῇ, *precibus*) Hanc quoque ob causam discipuli XII. dicuntur

---

1) Sabbatum πρῶτον erat Sabbatum et Neomenia uno eodemque die: δευτερόπρωτον erat Sabbatum *pridie neomeniae*, et hoc quidem loco Sabbatum die ultimo mensis *Veadar*, anno 29 aerae vulgaris. Quolibet sabbato δευτεροπρώτῳ legebatur Haphtara 1 Sam. 20, 18—42. de *Davide.* Apposite igitur v. 3. allegat Dominus factum *Davidis* ex 1 Sam. 21, 6. [*Not. crit.*] Embolimaeus erat apud Judaeos annus ille, adeoque serum mensis *Nisan* initium. Itaque jam tum maturas habebant *aristas*, hordeaceas videlicet. *V. g.*

2) v. 3. οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε, *neque hoc legistis*] Quoties quaeso Scripturae aliquis locus praesenti rerum statui exacte conveniens ante oculos versatur hominibus nil tale cogitantibus. *V. g.* — ὃ ἐποίησε δαυὶδ, *quod fecit Davides*] Hujus ipsius sabbati textus *Davidis* angustias exhibuit, eumque textum panum propositionis comestio proxime sequitur. Indo ad rhombum formulâ οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε usus est. — Eodem sabbato ad *sacerdotes* provocavit Salvator, qui in templo, culpâ vacui, sabbatum violent, Matth. 12, 5.: eo ipso videlicet anni tempore ex ordine Leviticus lectitabatur, in quo de *sacrificiis*, *sabbato* etiam *offerendis*, frequens est mentio. c. 6, 12. 8, 33. 16, 29. 23, 38. *Harm.* p. 307. s.

3) v. 6. ἡ δεξιὰ, *dextera*] Eo majus fuit sanationis beneficium. *V. g.*

Jesu Christo dati. Joh. 17, 6. Magnum hac *nocte* negotium inter Deum et Mediatorem! *Etiam alibi frequens est Lucas in memorandis Jesu precibus, v. g. post baptismum*, c. 3, 21. *ante examen cum discipulis institutum*, c. 9, 18. *ante transformationem*, c. 9, 29. *et ubi discipulos orare docuit*, c. 11, 1. *Conf. Marc.* 1, 35. *Luc.* 5, 16. *Matth.* 14, 23. *Nullus tamen, exceptâ passionis historiâ, praeter Johannem ipsa verba precantis Jesu descripsit.* Harm. p. 239.] — τοῦ θεοῦ, *Dei*) Conf. Marc. 11, 22. not.

v. 13. ὅτε, *quum*) mane. — μαθητὰς, *discipulos*) quorum multitudo adhuc fuerat mixta. — ἐκλεξάμενος, *eligens*) Pendet constructio usque ad versum 17. — καὶ, *et*) Duae appellationes hinc natae sunt, et usurpatae deinceps in aliis locis Scripturae: XII. et *apostoli*.

v. 15. ζηλωτὴν, *zelotam*) Nomen patriae ex etymo, flexum ad nomen virtutis.

v. 16. Ἰούδαν Ἰακώβου, *Judam Jacobi*) Hic Jacobus Jacobum et Judam genuit. coll. Jud. v. 1.

v. 17. αὐτῶν, *illis*) Classis I. — τόπου πεδινοῦ, *loco campestri*) Hic locus non erat in ima valle, sed in medio monte; aptior auditorio frequenti, quam mera planities. [1]) Talis locus appellatur ὄρος πεδινὸν, Es. 13, 2. apud LXX int. — ὄχλος μαθητῶν, *turba discipulorum*) Classis II. divisa cap. 10, 1. Subaudi, *stetit*. — πλῆθος πολὺ τοῦ λαοῦ, *multitudo ingens populi*) Classis III. — παραλίου) scil. χώρας, τύρου.

v. 18. καὶ οἱ) Haec species est: *multitudo ingens*, genus.

v. 20. αὐτὸς, *Ipse*) Antitheton ad populum, miraculis prae verbo intentum. — εἰς, *in*) inter. — οἱ πτωχοὶ, *pauperes*) Hae sententiae breviter enunciatae sunt משלים parabolae: quarum sensus plenior extat Matth. 5, 3. s. Interna et externa saepe sunt simul; quare alterum de altero denominatur, v. gr. paupertas vel divitiae. v. 24. — ὑμετέρα, *vestrum*) Applicatio solatii individualis. congruit *attollens;* nam radii oculorum indigitant.

v. 21. νῦν, *nunc*) Particula haec additur iis, quae in utrumque aeona, pro diversis hominibus, conveniunt.

v. 22. ἐκβάλωσι, *ejiciant*) diffamando, per contumelias publicas privatasque. Id plus, quam ὀνειδίζειν. Eadem phrasis, Deut. 22, 19. [2]) — ἕνεκα, *propter*) propterea, quod creditis in Christum, quem videtis.

v. 23. ἐν, *in*) Vid. Rom. 2, 16. not. — σκιρτήσατε, *exultate*) Magnam oportet esse mercedem. Sic jubet is, cujus sermo nullam hyperbolen habet. — κατὰ ταῦτα, *secundum haec*) Characteres et gnorismata sumi possunt ab exemplis. v. 26. Hebr. כָּאֵלֶּה LXX, κατὰ ταῦτα Num. 28, 24. sed κατὰ τὰ αὐτὰ Ez. 45, 25. Et hoc modo apud Lucam *Epiphanius* et *Cantab.* cod.

v. 24. [3]) παράκλησιν, *solatium*) Ps. 49, 7. 19. 17, 4.

[4]) v. 25. οἱ ἐμπεπλησμένοι, *impleti*) Horum *plenitudo* non meretur nomen satietatis. coll. v. 21.

[5]) v. 27. τοῖς ἀκούουσιν, *audientibus*) omnibus, non modo discipulis. v. 20. Acuitur attentio.

v. 30. [6]) αἴροντος, *tollente*) sine rogatu.

v. 32. χάρις, *gratia*) Sic ter, addito versu 33. 34. *Qualis vobis gratia*, ut qui uberius quiddam, mercede dignum, praestiteritis?

---

1) *Conf. Gnom. ad* c. 1, 1. *Obs.* 2. *not. marg.* E. B.
2) τὸ ὄνομα ὑμῶν, *nomen vestrum*] quo DISCIPULI JESU CHRISTI dicti sunt. *V. g.*
3) οὐαὶ ὑμῖν, *vae vobis*] Denunciatio haec est, non imprecatio. *V. g.*
4) v. 25. οἱ γελῶντες, *ridentes*] Sane hoc animi levitatem nemini non excutiat. *V. g.*
5) v. 26. καλῶς, *bene*] quum ipsi Christo non bene velint. *V. g.*
6) παντὶ δὲ, *cuilibet vero*] Nimis hic cumulatae sunt ingenii humani exceptiones. *V. g.*

Digitized by Google

v. 35. πλὴν, *verumtamen*) Haec tria, *amate, benefacite, mutuum date*, respiciunt versum 32. 33. 34. ex quo respectu proprietas verbi δανείζετε apparet. — ἀγαθοποιεῖτε, *benefacite*) Subaudi, *eis, qui vos odio habent*. — δανείζετε, *mutuum date*) Mutuum dare, cum spe recipiendi, est officium humanum: sine spe, christianum. hoc praecipitur, illud non prohibetur, v. 34. sicut licet amare amicos. [*Et frequentes praeterea solicitudines animo parantur, ubi quis multis hominibus cum spe recipiendi mutuum dat, qui solvere vel nequeunt vel nolunt. Spinarum inde seges oritur.* V. g.] — μηδὲν) valet *nil*, non μηδένα, i. e. *neminem*. neque enim ἀπελπίζω accusativum personae usquam habet. — ἀπελπίζοντες) ἀπολαβεῖν ἐλπίζοντες, *recipere sperantes*, v. 34. Posses interpretari: *resperantes*. Eadem forma verbi, ut ἀπογεύσασθαι, ἀπεσθίειν, ἀπό τινος γεύσασθαι, ἀπό τινος ἐσθίειν, ut ex Athenaeo Casaubonus notat. — ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηροὺς, *in ingratos et improbos*) mortalium foedissimos. *improbos*, etiamsi nondum se fecerint *ingratos*.

v. 36. γίνεσθε· ἐστί) Diff. duo haec verba. 1 Petr. 1, 16. — οἰκτίρμονες, *misericordes*) Radix officiorum. [*Opera misericordiae, parcentis atque donantis, statim subjiciuntur.* V. g.]

v. 37. μὴ κρίνετε, μὴ καταδικάζετε, *nolite judicare, nolite condemnare*) Judicando, deciditur de bonitate aut pravitate actionis: condemnando, statuitur de persona, quid reus sit commeritus. conf. Matth. 12, 7. — ἀπολύετε, *dimittite*) *Dimittitur* is, qui tenebatur: ἀφίεται, *remittitur* id, quod debebatur. Utrumque verbum Matth. 18, 27. De re, confer Es. 58, 6.

v. 38. καλὸν, *bonam*) in qualitate vel etiam in quantitate eorum, quae pondere, numero aliave mensura constant. — πεπιεσμένον, *pressam*) in aridis. — σεσαλευμένον, *quassam*) in mollibus. — ὑπερεκχυνόμενον, *superfluentem*) in liquidis.

v. 39. αὐτοῖς, *eis*) discipulis, v. 20. Illud enim, quod v. 27. not. habetur, apud Matthaeum non extat: neque evangelistae narratio est, sed verbum Jesu. Itaque recte per dichotomian prima pars sermonis partim ad discipulos, audientibus reliquis, v. 20. partim ad turbam audientium, v. 27. posterior a v. 39. ad discipulos dicta putatur. Conspirat ipsa materia substrata. — τυφλὸς, *coecus*) trabe sua laborans, v. 42.: misericordia destitutus et amore, 1 Joh. 2, 9. ss. 2 Petr. 1, 9. Phil. 1, 9. — τυφλὸν ὁδηγεῖν, *coecum ducere*) id quod beneficium est, si a vidente et perito fit. Beneficia, quae v. 39. 41. sunt speciosiora iis, quae memorantur v. 37. et sub his facilius se abscondit coeca hypocrisis: illa vero revera philautiam magis deprimunt.

v. 40. κατηρτισμένος, *perfectus*) Omnis discipulus, qui summam disciplinae vel perfectae vel imperfectae metam assecutus est, erit ut magister ejus; magistrum autem, qua discipulus, non superabit. quare discipulus, coecum magistrum nactus, cum eo in foveam ruet. [*Qui salutaribus monitis instruere alios gestit, eum oportet etiam vitae omnino videre, trabe in oculo carere, bonam arborem esse, atque bonum in corde thesaurum fovere.* V. g.]

v. 41. δὲ, *autem*) cur autem tu, quum magister debeat praestare discipulo, magister ejus esse vis, quo es inferior etiam? In oculo non solum debet esse visio, sed etiam visio non impedita.

v. 42. ἀδελφὲ, *frater*) Exprimitur simulatio officii fraterni. Huic vocativo opponitur alter, *hypocrita*. — ὑποκριτὰ, *hypocrita*) Vid. not. ad *enim*, versu seq. — κάρφος, *festucam*) cujus extractio, idonea, utique est opus misericordiae.

v. 43. γὰρ, *enim*) Qui sua trabe laborans alienam festucam petit, est similis arbori malae, bonum fructum affectanti. — ποιοῦν, *faciens*) Pars subjecti.

v. 45. θησαυροῦ, *thesauro*) Hic dicitur περίσσευμα, *abundantia*, mox. [*Am-*

plum est cordis humani spatium, boni malive non mediocriter capax. Utrumque per dicta et facta prorumpit. V. g.] [1])

v. 48. θεμέλιον, *fundamentum*) artificiale. *petra*, naturale. illi opponitur carentia fundamenti; huic, terra mera. — οὐκ ἴσχυσε σαλεῦσαι, *non valuit commovere*) nedum pessundare.

CAPUT VII.

v. 2. Ἔντιμος, *carus*) etiam propter obedientiam. v. 8.

v. 3. ἀκούσας, *audiens*) Nondum viderat Jesum. — πρεσβυτέρους, *seniores*) Hi, quanquam fide non carebant, v. 4. tamen minus habebant fidei, quam is, a quo mittebantur. v. 9. Veruntamen non frustra pro eo rogant. [*Beneficia Christi ad Judaeos tum proxime pertinebant: hinc decore intercedebant Judaei.* V. g.] Saepe ii, qui parum valent gratia apud Deum, plus possunt aliis, qui meliores sunt, prodesse, quam sibi.

v. 4. ἄξιος, *dignus*) Aliter de se centurio ipse: *neque me ipsum dignum habui.* v. 7. — παρέξῃ) Alii, παρέξει. sed subjunctivum defendit constructio: ἄξιός ἐστιν, ᾧ παρέξῃ τοῦτο.

v. 5. ἀγαπᾷ, *diligit*) id quod rarum in milite romano. — γὰρ, *enim*) In alia re erat sita *dignitas* praecipua, in *fide*. v. 9. — αὐτὸς) *ipse*, ultro. Hoc majus quiddam et rarius, aedificare synagogam, quam diligere nationem. — ᾠκοδόμησεν, *aedificavit*) suo sumtu aut jussu: non modo non temeravit.

v. 6. ἤδη δὲ, *jam vero*) Dum sentit Dominum promtum, fidei reverentia in centurione crescit. — φίλους, *amicos*) *Presbyteros* miserat *rogandi* causa: nunc ad alteram declarationem *amicos* adhibet. Num potuere amici adire, centurione non adeunte? Adierunt pro centurione, non pro se. Una eademque fides in aliis alios motus ciet.

v. 7. εἰπὲ λόγῳ) *jube verbo*.

v. 8. τασσόμενος) Praesens, respectu singularis cujusque jussûs.

v. 10. ὑγιαίνοντα) non modo sanum, sed *sanitate utentem*.

v. 11. ἐν τῷ ἑξῆς) Sic ἐν τῷ καθεξῆς, cap. 8, 1. Metaphrastae antiqui fere de *die sequenti*, nescio, an praecise de *postero*, accipiunt. *Deinceps*, habet Latinus: *sed textus genuinus habet*, inquit Millius, *alia die*. Testem is nullum citat: nec tamen multum refert; nam sententia sic quoque indefinita esse potest. Aliud esset, *altera die*, *sequenti die*, quod alibi *Latinus* solet ponere. Tempus hoc loco minus definitum postulat series rerum: namque resuscitatio juvenis Nainitici propius connectitur cum subsecuta legatione Johannis, quam cum antegressa sanatione servi centurionis, ut ostendimus in *Harmon. evang.* §. 62. [2]) — ναΐν, *Nain*) Nomen oppidi, et gemina multitudo spectatorum confirmat certitudinem miraculi.

v. 12. ἐξεκομίζετο, *efferebatur*) Recte efferuntur mortui, in loca a domiciliis viventium remotiora. — σὺν αὐτῇ, *cum illa*) Exsequiae potius lugentium, quam cadaverum causa institutae.

v. 13. ὁ κύριος, *Dominus*) Sublimis haec appellatio jam Luca et Johanne scribente usitatior et notior erat, quam Matthaeo scribente. Marcus medium

---

1) v. 47. ἃ λέγω, *quae dico*] ut Dominus vester, cui debetur obsequium. *V. g.*

2) Prius filia Jairi resuscitata est, quam juvenis Nainiticus: eoque laudabilior est Jairi fides, quod nullum mortui per Jesum resuscitati exemplum habuit. Filiam Jairi clanculum Dominus suscitavit, atque occultari etiam resuscitationem istam jussit: tum vero publice et juvenem Nainiticum resuscitavit et Lazarum. Nain earum urbium fuit aliqua, quarum Matth. 11, 1. imo vero quarum c. 9, 35. mentio fit. Discipuli enim quum turmatim urbem Nain adiverint, suscitationem juvenis *ante* legationem duodecim apostolorum, hoc ipso miraculo in fide confirmatorum, factam esse vix est quod dubites. *Harm.* p. 296.

Digitized by Google

tenet. Initio doceri et confirmari debuit hoc fidei caput: deinde praesupponi potuit. — ἐσπλαγχνίσθη, *misertus est*) Ad solatium matris debuit juvenis in hanc redire vitam. — μὴ κλαῖε, *noli flere*) Consolatio ante opus, ostendit operis certo futuri potestatem. Frequens alibi praefatio, *Noli timere*. Apud homines semper est aliquid, quod initio removeat accessus divinus.

v. 14. ἥψατο, *tetigit*) Tactus virtutis plenus. — σοροῦ, *loculum*) cui potius impositus, quam inclusus videtur fuisse juvenis. — βαστάζοντες, *portantes*) sperantes opem. — νεανίσκε, *juvenis*) Norat Jesus, juvenem, non filiam, sed filium, esse mortuum. Usus est aut appellativo, Marc. 5, 41. aut proprio nomine Joh. 11, 43. — σοὶ λέγω, *tibi dico*) *tibi*, non ceteris adhuc.

v. 15. ἔδωκεν, *dedit*) Nam juvenis jam desierat esse matris suae. conf. ἀπέδωκε. c. 9, 42. 1 Macc. 10, 9.

v. 16. προφήτης, *propheta*) Hebr. נביא non solum est, qui futura praedicit, sed qui divina munera et documenta hominibus affert. — καὶ ὅτι) Sic duo epiphonemata disterminantur.

[1]) v. 17. τῇ περιχώρῳ, *circumjacente regione*) Galilaeae, non tamen exclusis regionibus adjacentibus ethnicis.

[2]) v. 19. προσκαλεσάμενος, *advocans*) Johannes discipulos suos non tam frequenter secum habuit, quam Salvator.

v. 20. ἄνδρες, *viri*) Provectioris aetatis habebat discipulos Johannes: Jesus, adolescentes.

v. 21. νόσων καὶ μαστίγων, *morbis et plagis*) *Morbi*, lenti: *plagae*, cum dolore. — ἐχαρίσατο, *largitus est*) Magnificum verbum. Apostolorum, in miraculis, non erat *largiri*. conf. *dedit*, v. 15.

[3]) v. 27. ἰδοὺ, *ecce*) Matth. 11, 10. not.

v. 29. καὶ πᾶς, *et omnis*) Lucas, quid populus, quid contra pharisaei fecerint, exponit, ut ostendat, cur Jesus ea, quae utroque versu conjunguntur, uno tempore dixerit. Simile incisum vide Matth. 9, 6. — ἀκούσας, *audiens*) Johannem. — καὶ) *et* inprimis publicani, quos alii maxime desperarant. — ἐδικαίωσαν, *justificaverunt*) Dei institutum, baptismum poenitentiae, ut *justum*, approbarunt et subierunt. Idem verbum, mox v. 35.

v. 30. νομικοὶ, *legisperiti*) Lucas ab hebraeo idiomate longius, quam Matthaeus et Marcus, variat. v. gr. dicit etiam ἀληθῶς, pro ἀμήν. Ita saepe νομικοὺς dicit, eosdem, ut arbitror, qui alias dicuntur γραμματεῖς, Hebr. סופרים *scribae* [4]). — εἰς ἑαυτοὺς) εἰς limitat: *quod ad sese*. nam ipsum Dei consilium non potuere tollere.

v. 31. ὁμοιώσω, *assimilabo*) sermone. — ὅμοιοι, *similes*) revera. Rem sermo exprimit verus.

v. 33. ἄρτον, *panem*) In pane intervenit ars: at Johannes cibo plane obvio usus. — καὶ λέγετε, *et dicitis*) v. 39. ubi similis sermo malus in corde Pharisaei.

v. 35. καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς πάντων) *et justificata est sapientia ab omnibus, qui sunt filii ejus.* καὶ valet *et:* continuat enim aperte

---

1) ἐπεσκέψατο, *visitavit*] Pro ista visitatione etiamnum celebranda nobis est φιλανθρωπία divina. *V. g.*

2) v. 18. καὶ ἀπήγγειλαν, *et annunciarunt*] quum opera Christi, mortuos suscitantis, apicem essent consecuta. coll. Joh. 5, 21. *V. g.*

3) v. 23. μὴ σκανδαλισθῇ, *scandalum non acceperit*] Quicquid est in Jesu Christo, bonum est et proficit. Vel ipse ille habitus, qui perversae mentis homines offensos tenuit, sua dignus est laude. *V. g.*

4) *Promiscue adhiberi vocabula ista* νομικοὶ, νομοδιδάσκαλοι, γραμματεῖς, *e contextu et scopo dicentis quandoque determinanda, pluribus demonstravit* S. R. D. Crusius, *Hypomnn. P. I.* p. 509. s. E. B.

Digitized by Google

querelam Jesus, (coll. Matth. 11, 19. ubi demum in fine versus 25. exprimit illud, quod haec verba alioqui notare possent, *sed justificarunt sapientiam liberi ejus omnes*:) et querelam quidem ab hypothesi, de contumacia hominum illius temporis, ad thesin, de perpetua populi Judaici consuetudine, velut indirecte transfert, ut transtulit etiam capite 11, 47. s. Pertinet huc adjectivum *omnibus*: et tempus praeteritum (quo saepe continetur vis verbi *solet*) in *justificata est*, (quum praecedat *dicitis*, in praesenti: v. 34.) et appellatio *Sapientiae*: non enim jam dicitur *Filius hominis*, ut versu praecedente, sed *Sapientia*. quarum appellationum altera convenit statui Christi conspicuo; altera omnibus temporibus. c. 11, 49. Porro *Sapientia* h. l. dicitur, quod Ipse optime sciat, quid faciendum sit, et actiones Ipsius, purissima accommodatione ad peccatores plenae, non debuerint sub censuram vocari. Adde Prov. 8, 1. 32. Hujus Sapientiae liberi non sunt pharisaei horumque similes, (quod ceteroqui non incommode dici possit, coll. c. 13, 34. fin. et Matth. 8, 12.) sed apostoli, publicani et peccatores omnes ex toto populo ad Jesum conversi: quos sic appellat, ad ostendendam suam cum illis necessitudinem et jus conversandi, calumniatorumque perversitatem. Apud Thucydidem et alios δικαιοῦν, *justificare, de persona*, notat *sententiam rei poenam statuere contra aliquem, eamque justam*: de *re*, notat *aequum censere aliquid*. ut contra Pfochenium demonstrat Gatakerus Diss. de stilo novi Instr. cap. 8. qui hoc plane insigne esse statuit exemplum Graecismi Biblici ab ethnico differentis. nam in sacris צדיק δικαιοῦν significat *sententiam ferre pro aliquo*, sive, *justum aliquem sive justo sive injusto pronunciare judicio*. conf. not. ad Rom. 3, 20. δικαιοῦσθαι Sir. 18, 22. idem est quod ἀποδοῦναι· nam qui debet, est quasi reus: qui persolvit aut praestanda praestat, liberatur. Gall. *s'acquiter*. Neque tamen non ad unam *justificandi* notionem reduci potest uterque usus vocabuli. nam et de eo, qui poenam pertulit, et de eo, qui absolutus est, satisfactum sibi esse, et debinc utrumque justum esse, judex censet. Accedit in illo usu euphemia, qua in hoc opus non est. Hoc quoque loco δικαιοῦν in bonam partem valet. habetque ἐδικαιώθη *justificata est* metonymiam consequentis pro antecedente, (nam omnis justificatio accusationem, litem et controversiam aliquam praesupponit, Rom. 3, 4. Gen. 44, 16. LXX.) cum magna euphemia conjunctam. *Sapientia justificata est:* h. e. criminatores illam ream fecere, scandalizati sunt in ea, v. 23. eoque rem adduxere, ut demum justificari debuerit ipsa, et justa asseri, ostendique, omnes ejus actiones ad absorbendam injustitiam, justitiamque implendam comparatas esse; cum tamen sine exceptione fuisset amplectenda. Similis locus Rom. 10, 21. 1 Cor. 4, 12. 13. Sapientia a conviciis edacitatis et vinolentiae in eam jactis, defensa et *justificata est*, et quidem ἀπὸ *a* filiis suis, iisque omnibus; ab omnibus filiis ipsius exorta ei est necessitas se justificandi, et omnes suas cum iis actiones defendendi. vid. c. 5, 22. 30. 33. 6, 2. 7. et hoc ipso capite 7, 40. 11, 17. 13, 16. 15, 3. 19, 7. Matth. 15, 2. conf. ἀπὸ, *a*, Luc. 20, 3. 2 Cor. 2, 3. 10, 7. Hebr. 10, 22. LXX, Eccl. 8, 11. Es. 25, 9. Job. 35, 9. Ps. 28, (27,) 1. 33, 8. 119, 53. et Es. 49, 19. 2, 3. in Hebr. מדרכיו. Sic ἀπὸ *propter*, Ps. 68, 30. ubi מ et על parallela sunt.

v. 36. ἀνεκλίθη, *accubuit*) non spectata prius domo, ut curiosi convivae solent: nec sumta aqua aut oleo, v. 44. (conf. cap. 11, 37.) quo citius admitteret poenitentem illam. v. 45.

v. 37. γυνὴ, *mulier*) cujus nomen ignotum. [*Magna quidem hujus historiae convenientia est cum illa, quae* Joh. 12, 3. ss. Matth. 26, 6. ss. *et* Marc. 14, 3. ss. *memoratur; eo potissimum nomine, quod uterque eventus* in domo Simonis *cujusdam contigit. Enimvero unctio per Lucam descripta in* urbe Galilaica, *ante transformationem, quin* ante *Pascha secundum, facta est: altera,*

Google

Bethaniae, *sextiduo ante tertium Pascha. Mulier apud Lucam* peccatrix *hactenus fuerat: secus, Maria.* Joh. 11, 1. *s. Dubitavit denique* Simon Pharisaeus, *num propheta esset Jesus*: Simon leprosus, *praesente Lazaro resuscitato, non jam habuit quod dubitaret.* Harm. p. 302.] — ἁμαρτωλὸς, *peccatrix*) Peccatum mulierum praecipuum, impudicitia. — καὶ ἐπιγνοῦσα, *et cognoscens*) Καὶ *et* particula, a multis omissa, redundat: sed tamen gratiam sermoni addit, uti ו in ויבחר 1 Chron. 28, 5. Repetita post parenthesin videri possit et particula, ad dirimendam mentionem *peccatorum* et *conversionis.* — ἐν τῇ οἰκίᾳ, *in domo*) Amor eam impulit, ut non exspectaret commodiorem occasionem alibi.

v. 38. ὀπίσω, *pone*) ut quae non jactaret, quod faceret. Amor eam docuit facere, quod non amanti videretur ineptum, quodque nemo postularet a servo: et docuit eam sine institutione humana. Similia exempla, c. 17, 15. 19, 37. — θριξὶ) *capillis*, passis, ut in luctu. Exquisitissima veneratio.

v. 39. εἰ, *si*) Imo si tu, Simon, scires, qualis haec jam esset femina, aliter judicares.— προφήτης, *propheta*) [*Talem populus* v. 16. *Eum dixerat.* V. g.] Antea dubitarat Simon, nunc celeriter affirmat contrarium. — ἐγίνωσκεν ἄν, *norisset*) Ne hoc quidem sequitur, plane prophetam non esse, qui hominem aliquem obvium non norit. — ἅπτεται, *tangit*) Ne tactum quidem, nedum totum negotium ferendum putabat.

v. 40. ἔχω, *habeo*) Comis praefatio. Hunc pharisaeum non appellat *hypocritam.* — διδάσκαλε, *Magister*) Simon aliquid modestiae habebat.

v. 42. μὴ ἐχόντων, *non habentibus*) Ergo non solvitur debitum subsequente amore et grato animo. — ἀγαπήσει, *amabit*) Futurum. Debitor, qui non est solvendo, ante remissionem *fugit* potius.

v. 43. ὀρθῶς) כן LXX ὀρθῶς. — ἔκρινας, *judicasti*) contra te ipsum. v. 47.

v. 44. ταύτην, *hanc*) Ipso suo habitu praesenti mulier Simonem refutabat, et omnes commovebat. — σοῦ, *tuam*) Major ergo hic erat Simonis obligatio, quam mulieris. — οὐκ ἔδωκας, *non dedisti*) Simon tractavit Jesum, ut solet tractari conviva non honoratus. — τοῖς δάκρυσιν, *lacrumis*) Dominus observavit omnes circumstantias piae actionis. Ps. 56, 9. Lacrumae, aquarum pretiosissimae.

v. 45. φίλημα, *osculum*) Hoc Simon praetermiserat ex parvitate amoris: ceteroqui ne discipulorum quidem quisquam aut amicorum legitur faciem Domini, praecipuum quiddam habentem, c. 9, 29. deosculatus, sed summus amor, hic, v. 38. et summa familiaritas, Joh. 13, 25. longius substitit. Ne parvulos quidem Ipse osculatus legitur. Unus proditor (novitas enim osculi non abhorrebat a proditione) ore impuro temeravit faciem Domini: alias intacta mansit et illibata a carne peccaminosa.

v. 46. ἐλαίῳ, *oleo*) Huic opponitur μύρον *unguentum* pretiosius, compositum. *Oleum*, simplex, et apud Judaeos propter frequentiam olearum, minus pretiosum. — τοὺς πόδας, *pedes*) non ausa caput ungere.

v. 47. αἱ πολλαὶ, *multa*) quae ei objectas, Simon. Articulus refertur ad v. 39. — ὅτι, *quod, quia*) Remissio peccatorum, Simoni non cogitata, probatur a fructu, v. 42. qui est evidens, et in oculos incurrit, quum illa sit occulta. Adde antitheton, quod in textu sequitur, *cui autem* etc. Ad Simonem revincendum, citatur legis complementum, *amor*, ut criterium remissionis peccatorum, pro captu Pharisaei: ad mulierem ipsam, *fides* eam salvasse dicitur. Prior sermo plus aenigmatis; alter plus proprietatis habet. quo plus quisque amori in hac re prae fide tribuit, eo Simoni est similior, et a sensu mulieris atque ipsius Domini remotior. Amor, criterium remissionis, etiamsi is, qui amat, non ita de remissione cogitet. — ᾧ δὲ, *cui autem*) Clementer dictum. i. e. *tu, cui*: vi antitheti. Alioqui non desunt, qui etiam sine magnis delictis praeviis valde diligant. — ὀλίγον, *parum*) comparate, et ad hominem, decuplo minus. v. 41. — ἀγαπᾷ, *amat*) sed

tamen amat, modo remissionem sit nactus. Multitudo peccatorum remissorum exacuet in electis aeternum amorem erga Deum.

v. 48. ἀφέωνται, *remissa sunt*) Remissio mulieri non datur nunc primum, sed confirmatur. Maximi peccatores saepe fiunt vasa gratiae amplissima. Etiam in mensa usus est Salvator clavibus.

v. 49. τίς οὗτός ἐστιν, *quis est hic*) Resp. Est Filius hominis. — καὶ) *etiam*. Majus est peccata remittere, quod ad rem attinet, quam aegrotum miraculose sanare.

v. 50. εἶπε δὲ, *dixit autem*) Jesus mulierem confirmat adversus omnes dubitationes. Idem dictum, c. 8, 48. 17, 19. 18, 42. — πίστις, *fides*) non *amor*. Fides ad nos spectat: amore convincuntur alii. — πορεύου εἰς εἰρήνην) Sic LXX, 1 Sam. 1, 17. Sic infra, c. 8, 48.

CAPUT VIII.

v. 1. Αὐτὸς διώδευε κατὰ πόλιν καὶ κώμην, *Ipse transibat per urbes et pagos*) Magna facilitas Filii Dei. [*Migrationum ejus non est quod* numerum *inire studeamus. Singuli Evangelistae diversis eas occasionibus commemorant: omnis nempe conversatio Jesu verbis factisque bene omnibus faciendo absolvebatur.* Harm. p. 315.]

v. 2. τεθεραπευμέναι, *sanatae*) Eo ostendebatur Jesu potentia, mulierum pietas, quod sequebantur. [*Quae, utut neque navigationi Gadarenensi, a Luca mox memorandae, sed reapse antegressae, neque, ut videtur, itineri ad festum scenopegias clam instituto et per solum Johannem descripto, interfuerint; ab hoc tamen temporis puncto, quod anni certe intervallo a Passione abfuit, id omnino egerunt, ut Jesu Domino adhaererent atque ministrarent: nam in hoc ipso comitatu Hierosolymas venerunt; quapropter Lucas* c. 23, 49. 55. *nomina earum repetere supersedet, ad hunc ipsum locum*, c. 8, 2. *respiciens.* Harm. p. 315. s.] Comitatus ex miseria summa ad summam felicitatem admissus, ut cohors Davidis veterana. Hoc moris fuit apud Judaeos (ut notat Simonius,) ut feminae, praesertim viduae, doctores sublevarent ex re familiari, et idcirco eos in itineribus comitarentur.

[1]) v. 3. ἰωάννα, *Johanna*) femina viri amplissimi. [2]) sed eam in familia Jesu praecedit Maria Magdalena. — ἐπιτρόπου) *procuratoris*. — διηκόνουν, *ministrabant*) Harum memoria, magnum liberalitatis praemium. Sed illo tempore multi eas sine dubio stolidas mulieres putarunt.

v. 4. τῶν κατὰ πόλιν) *Ex quavis urbe* erat cohors aliqua. — ἐπιπορευομένων) Ἐπὶ refertur ad multitudinem populi.

v. 5. ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον, *seminans seminatum semen*) Conjugata attentionem excitant.

v. 8. ἑκατονταπλασίονα, *centuplum*) Matthaeus et Marcus addunt, *sexaginta, triginta*. Lucas, unum genus ponens, summum, ut moris est, exprimit; quo cetera includuntur.

v. 12. ἀπὸ τῆς καρδίας, *a corde*) Magna potentia diaboli. [*qui tamen minus valet in classem tertiam et secundam, h. l. memoratas, quam in primam.* V. g.] — πιστεύσαντες, *credentes*) Verbo per *fidem* salvamur. v. 13. Fides, fructus verbi proprius.

v. 13. δέχονται, *accipiunt*) Initium fidei. — πρὸς καιρὸν) Sic 1 Cor. 7, 5.

---

1) μαρία, *Maria*] Hanc, ob miseriam pristinam, vel tum aversati fuerint homines delicatiores: at eximio apud Jesum loco habita est. *V. g.*

2) Hujus publica sequela non videtur nihil eo contulisse, quod Herodi de Jesu aliquid innotuit, c. 9, 7. *V. g.*

Digitized by Google

v. 14. καὶ πλούτου) Repete ὑπὸ, coll. Marc. 4, 19. Constr. cum συμπνίγονται *suffocantur*. — πορευόμενοι, *proficiscentes*) sine celeri et conspicuo defectu, quin etiam cum profectu quodam. Haec enim vis verbi יכך πορεύομαι. Simultanea sunt incrementa in bono et malo non solum in universis, Matth. 13, 30. sed etiam in singulis. — οὐ τελεσφοροῦσι) *non ferunt frugem absolutam* ac maturam, *fidem* ipsam, ita, ut assequantur τέλος finem fidei, salutem animarum. v. 12. coll. 1 Petr. 1, 9. Plutarch. τελεσφόρα δένδρα.

v. 15. [1]) καλῇ καὶ ἀγαθῇ) Vid. Matth. 7, 17. Frequens compositum καλοκἀγαθός. Καλὸς sonat quiddam respectivum, ἀγαθὸς absolutum. — κατέχουσι, *retinent*) non ut in via. — καρποφοροῦσιν, *fructum ferunt*) non ut in spinis. — ἐν ὑπομονῇ, *in patientia*) non ut in petroso. ὑπομονὴ uni Hebraico תקוה respondet. Est robur animi spe bona sustentatum. Ea fructificationem ita praecedit, ut etiam comitetur: ideo hic ponitur in fine. Summa Christianismi.

v. 16. τὸ φῶς) *lumen*, non lychnum. Natura hominis non magis, quam materia lychni, ex sese lumen habet. nam hoc extrinsecus additur, id est, divinitus, per verbum. Idcirco lychnus non quaerit per se conspici, sed inservit, ut lumen conspiciatur: bonusque auditor, lychno similis, ita semper audit, ut quam plurimis splendore suo prosit; et vicissim ipse indies splendore augetur.

v. 17. γὰρ, *enim*) Lux jam nunc amat videri: quia tota erit revelanda.

v. 18. [2]) δοκεῖ, *videtur*) *Videtur* habere, qui non utitur. Jam, si id quoque aufertur, quid tandem misero supererit?

v. 20. λεγόντων) Genitivus absolutus: i. e. *cum dicerent*. לאמר Sic LXX, 1 Chron. 17, 24. etc.

v. 21. [3]) οὗτοι, *hi*) Demonstrativum. [4])

v. 23. κατέβη) *descendit*, ex aëre.

v. 24. ἐπιστάτα ἐπιστάτα, *Magister Magister*) Epizeuxis, affectui respondens.

v. 25. ποῦ, *ubi*) Erat fides aliqua, sed non praesto erat.

v. 27. [5]) οὐκ ἐνεδιδύσκετο, *non induebatur*) Satanas, ubi potest, eo miseriae hominem redigit, ut etiam decorum naturale negligat. Deus amat ordinem, decus, mensuram etc.

v. 29. γὰρ, *enim*) Causa expulsionis et conjuncti cum ea doloris majoris. — ἠλαύνετο, *agebatur*) summa vi, coll. v. 33. et sine ratione sua, v. 35.

v. 31. εἰς τὴν ἄβυσσον, *in abyssum*) תהום LXX, ἄβυσσος saepe. Conf. Ap. 9, 11. 20, 3. In abysso 1) non adorantur a malis hominibus. 2) hominibus nocere non possunt. 3) pro pabulo miseriam habent, nec dum tamen cruciari in custodia illa videntur. Potestas Jesu Christi etiam super animalia, daemones, abyssum porrigitur. Idque agnovere daemones.

---

1) ἐν τῇ καλῇ γῇ, *in bona terra*] Talis ne non conseratur, seminis nonnihil satius est in viam etc. projici. *V. g.*

2) πῶς, *quomodo*] quo eventu et fructu. *V. g.* — ἀκούετε, *audiatis*] vos inprimis, qui instituendis aliis dicati estis. *V. g.* — ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, *quisquis enim habuerit*] adeoque factis dictisve id egerit pro virili, ut verbum seu lumen aliorum oculos feriat. *V. g.*

3) μήτηρ μου, *mater mea*] Vid. v. 2. *V. g.* — ἀδελφοί μου, *fratres mei*] v. 1. fin. *V. g.*

4) v. 22. καὶ ἐγένετο, *et factum est*] *Trajectionem* h. l. apud Lucam, itemque apud Marcum, obtinere, *ostendit b. Auctor Harm. ev.* §. 49. *ibidemque*, p. 264. eam eventuum seriem veritati maxime consentaneam judicat, ut se invicem excipiant 1) *vespera*, qua Christus navigationem parari jussit (Marc. 4, 35. Luc. 8, 22.); 2) *mane*, quo investigatus a multitudine etiam aliis praedicare se debere affirmavit (Marc. 1, 35. s. Luc. 4, 42. s.); 3) *navigatio* et *praeconium* in universa Galilaea, navigatione partim prius partim posterius. (Matth. 8, 23. Marc. 4, 36. s. 1, 39. Luc. 8, 22. s. 4, 44.)

5) ἀνήρ τις, *vir quidam*] Singulare obsessionis exemplum. *V. g.*

Digitized by Google

[1]) [2]) v. 43. ἰατροῖς, *medicis*) Lucas, medicus, ingenue scribit. — προσαναλώσασα) πρὸς, praeter calamitatem corporis. — οὐκ ἴσχυσεν — θεραπευθῆναι) *non potuit — sanari:* i. e. non potuere sanare medici.

v. 47. οὐκ ἔλαθε, *non latuisse*) Voluerat Jesum latere. — ἐνώπιον, *coram*) Fides pellit verecundiam intempestivam.

v. 50. καὶ σωθήσεται, *et servabitur*) ex morte. Verbum ad spem dandam aptum.

v. 51. ἰωάννην καὶ ἰάκωβον, *Johannem et Jacobum*) Johannem praeponi aliquando, eo minus mirum est, quod Petro etiam solus Johannes interdum additur. c. 22, 8.

v. 53. εἰδότες, *scientes*) Ergo hi omnes debuere miraculum agnoscere.

v. 54. ἡ παῖς, *puella*) Minime omnium Lucas Hebraica posuit vocabula.

CAPUT IX.

v. 1. [3]) Πάντα, *omnia*) omnium generum omnia, quae occurrerent. — θεραπεύειν, *sanare*) Hoc pendet a *dedit*.

v. 3. ἔχειν, *habere*) Infinitivus potest aut in Imperativum aut in Gerundium resolvi.

v. 4. ἐκεῖθεν, *exinde*) Unus ex domo et ex urbe sit exitus.

v. 6. κώμας, *pagos*) Urbes non excluduntur, sed multo magis praesupponuntur. v. 5.

v. 7. διηπόρει, *haesitabat*) Qui fidem non habent, variis aliorum opinionibus misere possunt circumagi. [*Et qui genio suo indulgent, eorum inquietudo, utprimum spiritualium rerum nonnihil in eos incidit, statim excitatur.* V. g.]

v. 8. ἐφάνη, *apparuit*) Inter *excitatus est* et *resurrexit* hoc ponitur; nam Elias non erat mortuus.

v. 9. ἐζήτει, *quaerebat*) Quivis e plebe id facilius potuit consequi. Jesus aulam non intrabat: Herodes aula, ob Jesum, exeundum non putabat. [4]) [5])

v. 14. ἀνὰ πεντήκοντα, *quinquageni*) Numerus commodus propter quinarium panum: et erant centies quinquaginta viri. Marc. 6, 40.

v. 18. [6]) προσευχόμενον, *precans*) Jesus Patrem rogarat, ut discipulis se revelaret. Nam argumentum precum Jesu colligi potest ex sermonibus actionibusque insecutis. c. 6, 12. 13.

v. 23. ἔλεγε, *dicebat*) Occasionem sermonis exponit Matthaeus: quo praesupposito, Lucas satis habet sermonem ipsum posuisse. — πρὸς πάντας, *ad omnes*) etiam ad eos, qui de Passione Domini non audierant.

---

1) v. 39. σοὶ, *tibi*] Quilibet eorum, quae sibi divinitus contigerunt, testis est gravissimus. *V. g.*

2) v. 42. μονογενὴς, *unigenita*] c. 7, 12. *V. g.*

3) συγκαλεσάμενος, *convocans*] Itaque non vulgaris ea res fuit. *V. g.*

4) ἰδεῖν αὐτὸν, *videre eum*] Num Johanni similis esset, numve in gratiam Herodis miraculum esset editurus? *V. g.*

5) v. 11. δεξάμενος αὐτοὺς, *suscipiens eos*] Jesu adhaere, eiqui, siquidem juvat, nomen profitere tuum. Susciperis. *V. g.*

6) καὶ ἐγένετο, *et factum est*] Memorabilis terminus, a Matthaeo, Marco et Luca simul notatus (Matth. 16, 13. Marc. 8, 27.). Universi novo hic concentu ultimam Salvatoris profectionem ad septentrionales terminos terrae Israëliticae inchoatam sistunt. Prope Caesaream Philippi discipulos privatim quaerit: Quem nam esse me homines ajunt? eosque de passione sua instruit. Tum ita iter suum dirigit, ut omnem denique terram Israëlis bono semine conserat. Factâ transformatione Capernaum repetit, mediam inde Samariam et Galilaeam peragrans; porro trajecto Jordane ad terram Judaeae ex eo latere pergit, ac tandem salutatâ Bethabarâ et Jordane iterum trajecto Hierichuntem venit atque Bethaniam. *Harm.* p. 867.

Digitized by Google

v. 25. ἀπολέσας, *perdens*) cum posset *salvari*. — ζημιωθεὶς, *jacturam faciens*) cum posset se ipsum *lucrifacere*.

v. 26. καὶ — καὶ — *et* — *et* —) Conjuncta mentio Dei et creaturae. Jud. 7, 18. 20. 1 Sam. 12, 18. Hebr. 12, 23. Ap. 3, 5. 14, 10. [1])

v. 27. τῶν ὧδε ἑστώτων) Hoc ex parallelismo profectum videri possit. *Latinus* enim, *hic stantes*.

v. 28. ἐγένετο) Impersonale. nam cum ἡμέραι subauditur ἦσαν, ut in ὁσημέραι, *quotidie*. Sic Marc. 8, 2. in codd. opt. ἡμέραι τρεῖς προσμένουσί μοι. — καὶ ἰωάννην καὶ ἰάκωβον, *et Johannem et Jacobum*) Ubi valde receptus nominum ordo tenetur, nil singulare inde elici potest: v. 54. ubi autem mutatur ordo, nusquam id frustra factum censeri debet. Hic Lucas Jacobo, pridem occiso, Johannem adhuc notiorem rei maximae testem praeponit; contra ac Marcus c. 5, 37. qui videlicet ante Lucam scripsit [2]).

v. 29. εἶδος) *aspectus*, qualitas faciei adspiciendae. — ἕτερον, *alius*) Lingua terrena non sufficit ad exprimenda proprie coelestia. sic pii, ἀλλαγησόμεθα, *mutabimur*. 1 Cor. 15, 51. — ἐξαστράπτων, *effulgurans*) ab intra, gloria corporis translucente, et poros vestimenti permeante.

v. 30. ἄνδρες δύο, *viri duo*) Non angelos fuisse hos, quis crederet, nisi nomina humana adderentur?

v. 31. ἐν δόξῃ, *in gloria*) Similes Domino suo erant in hac scena. [*et majorem gloriae gradum post mortem et glorificationem Christi videntur adepti. Resurrectionis atque transformationis exemplum sunt hi duumviri.* V. g.] — ἔξοδον, *exitum*) ex mundo. conf. Hebr. 13, 12. s. Idem verbum, 2 Petr. 1, 15. Res magna: vocabulum valde grave, quo continetur Passio, Crux, Mors, Resurrectio, Adscensio. Antitheton, εἴσοδος, *ingressus*. Act. 13, 24.

v. 32. σὺν αὐτῷ, *cum eo*) Hac formula Petrus Jacobo et Johanni praefertur. — ὕπνῳ, *somno*) Conf. Gen. 2, 21. [*Mediante somno isto quarumvis cogitationum atque imaginum terrenarum oblivio eos cepit.* V. g.] — διαγρηγορήσαντες) *cum e somno se recepissent.* [*eo nunc alacriores facti.* V. g.] Noctem fuisse, credibile est. v. 37. — εἶδον τὴν δόξαν αὐτοῦ, *viderunt gloriam ejus*) Id iisdem verbis descripsit, qui interfuit, Petrus, 2 Ep. 1, 16. s. et Johannes, c. 1, 14.

v. 34. [3]) ἐκείνους, *illi*) Ref. ad Mosen et Eliam.

v. 43. ἐξεπλήσσοντο, *percellebantur*) mente. — μεγαλειότητι) μέγας, Deus: μεγαλεῖα, opera. — θαυμαζόντων, *mirantibus*) etiam sermone. — εἶπε, *dixit*) Pro uno hoc verbo *Gothus* sic habet: *Quath Paetrus, Fan, du vre veis ni mahledum usdreiban thamma: ith Jesus quath: thata kuni ni usgangith nibai in bidom jah in fastubnja: quath than.* Id est, *dixit Petrus, Domine, quare nos non valuimus ejicere illum? Et Jesus dixit, Hoc genus non exit nisi in precibus et jejunio. Tum dixit* etc. Conf. App. crit. Ed. II. ad h. l. Si Lucas ipse haec scripsit, Petrus, cum ceteris, rerum a Domino magnificentissime gestarum admiratione perculsus, ad condiscipulorum infirmitatem sese aggregat, neque se, si adfuisset, plus valiturum fuisse in spiritum immundum, confitetur. Itaque causam requirit. [4])

---

1) τῶν ἁγίων ἀγγέλων, *sanctorum angelorum*] qui comitatu suo glorificationi DEI ejusque Filii inservient. *V. g.*

2) *Jacobum et Johannem habet* Vers. germ., *marginem* utriusque Editionis *potius, quam* Gnomonem h. l. *secuta*. E. B.

3) νεφέλη, *nubes*] Haec, ut ex sequentibus patet, ad ima se dimisit. *V. g.* — εἰς τὴν νεφέλην, *in nubem*] ex qua vox DEI prodibat. Tantae admissionis est sanctorum Virorum uterque. Ex. 34, 5. 1 Reg. 19, 13. *V. g.*

4) *Omittit tamen incisum hoc* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

[1]) v. 44. ὑμεῖς, *vos*) Arcanum est. — εἰς τὰ ὦτα, *in aures*) Primus gradus capiendi: *cor* discipulorum adhuc minus capiebat hanc rem. v. 45. — τούτους, *hos*) Possit hoc etiam ad antecedentia referri. — παραδίδοσθαι, *tradi*) Aequilibrium cogitationum de laude et de passione. conf. anteced. h. v. et v. 35. 20. 22. In laetitia recordandum est crucis: et cognitio majestatis praeparat ad verbum crucis.

v. 45. αἴσθωνται, *sentirent*) Ἐπίγνωσις *cognitio* parit αἴσθησιν, *sensum*. quum illa deficit, hic deficit.

v. 46. εἰσῆλθε, *ingressa est*) Caro saepe occasionem sumit ad suos motus; ubi omnia ei sunt contraria.

v. 38. γὰρ, *enim*) Humilitatis est, parvulos curare: magnitudinis, Deum suscipere.

v. 49. ὁ ἰωάννης, *Johannes*) De hoc confer v. 54. [*ubi, cum fratre Jacobo, eximium itidem zelum post glorificationem exseruit*, V. g.]

v. 50. ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν ἐστιν, *qui enim non est contra vos, pro vobis est*) Sic quoque Marc. 9, 40. quanquam apud Marcum aliqui, apud Lucam plerique Graeci pro ὑμῶν scripserunt ἡμῶν. Usque eo indifferentes fuere librarii graeci in hisce pronominibus confundendis, ut vera lectio non tam ex numero codicum graecorum, quam ex antiquis versionibus, haec pronomina majori discrimine referentibus, et potissimum ex contextu nosci debeat. Quo magis minusve diversa est eorum, de quibus *nos* et *vos* dicitur, conditio, eo plus minusve momenti habet varietas lectionis. Neque hoc loco promiscua lectio est. nam quum de externa conversatione sermo erat, prima persona plurali usus est Dominus; *Transeamus contra, Ecce ascendimus Hierosolyma* etc. Sed quum Interiora agebantur, decenti sermonis discrimine usus est, neque dixit, *nos*, sed *ego* vel *vos*. *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum et Patrem vestrum, et Deum meum et Deum vestrum*, non, *ad Patrem et Deum nostrum*. Quare non dicit, *Qui non est contra nos, pro nobis est*, sed, *qui non est contra vos, pro vobis est*, et alio loco, *Qui non est mecum, contra me est*.

v. 51. ἀναλήψεως, *assumtionis*) Commoda appellatio, praesertim post glorificationem in monte. conf. Act. 1, 2. Unus erat dies *assumtionis* in coelum: sed quadraginta dies a resurrectione, imo etiam hi dies ante passionem, erant instar parasceves. conf. Luc. 2, 22. Instabat adhuc passio, crux, mors, sepulcrum: sed per haec omnia ad metam prospexit Jesus, cujus sensum imitatur stilus Evangelistae. Qui in urbem tendit, et asperam viae partem transire debet, non viam memorat, sed metam, quum dicere vult, quo vadat. [*Loca Luc.* 9, 51. 10, 38. 13, 10. 22. 33. 17, 11. 18, 31. 35. 19, 11. 28. *coll.* 9, 31. *subinde propius Hierosolymas versum deducimt, nec nisi de uno itinere queunt intelligi. — Aliud iter nullum huic itineri et ipsi passioni interponi potest, nisi occulta ista ad festum scenopegias profectio, Joh.* 7, 10. Harm. p. 387.] — τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, *faciem suam*) v. 29. — ἐστήριζε) Ez. 28, 21. שים פנך LXX: στήριξον τὸ πρόσωπόν σου. Et sic saepe. Adde Es. 50, 6. 7. τὸ πρόσωπόν μου οὐκ ἀπέστρεψα ἀπὸ αἰσχύνης ἐμπτυσμάτων — ἔθηκα τὸ πρόσωπόν μου ὡς στερεὰν πέτραν, καὶ ἔγνων, ὅτι οὐ μὴ αἰσχυνθῶ. [*Plurimum in rebus arduis firmum propositum juvat*. V. g.] — εἰς ἱερουσαλὴμ, *in Jerusalem*) v. 31. Fructus apparitionis in monte.

v. 52. ἑτοιμάσαι, *parare*) scil. paranda. Id poscebat multitudo comitum: nec solebat Jesus in diversorio miscere se turbae.

v. 53. ὅτι, *quod*) Aperte constabat, eum petere Hierosolyma. id oderant Samaritae, [*cultibus Judaicis infensissimi*. V. g.] — πρόσωπον, *facies*) Sic LXX.

---

1) v. 40. οὐκ ἠδυνήθησαν, *non potuerunt*] Singularis hic daemon generis fuit. Nam v. 1. *omnium* daemonum potestatem discipuli acceperant. *V. g.*

2 Sam. 17, 11. καὶ τὸ πρόσωπόν σου πορευόμενον ἐν μέσῳ αὐτῶν. Quo facies versa, eo ardor animi vincens omnem difficultatem.

v. 54. ἰάκωβος καὶ ἰωάννης, *Jacobus et Johannes*) qui prae aliis viderant gloriam Jesu, v. 28. cum Petro, qui tamen hic quievit. Postquam de morte Jesu audierant, eo nunc magis vitam ejus tueri conantur. Videntur etiam in animo habuisse illud, quod extat v. 5. Marc. 9, 41. — πῦρ, *ignem*) Non ad hoc erant *filii tonitrui* cognominati. In omnibus elementis, praeter ignem, miracula fecit Christus. Ignis reservatus consummationi seculi. — ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *a coelo*) Ultio inermis in terra, facile manum, vota, suspiria porrigit ad tela coelestia. — ὡς καὶ, *sicut etiam*) Ibi libentius imitamur sanctos, ubi non debemus. — ἠλίας, *Elias*) item contra Samaritas. 2 Reg. 1, 2. ss. Eliam habebant in recenti notitia. v. 8. 19. 30.

v. 55. οἵου πνεύματος, *qualis spiritûs*) ejus nempe Spiritûs, qui est Christi et gratiae. Conferri potest illud, quod, quum Jesus in cruce ipsis Psalmi 22. et 31. verbis adhibitis oravit, tamen non contra hostes, ex psalmis item propheticis, sed pro hostibus oravit. — ὑμεῖς) *vos*. Retunditur provocatio ad Eliam.

v. 56. ψυχὰς, *animas*) pretiosas. — ἑτέραν, *alium*) Optimum consilium et planum. Matth. 2, 12. Num. 20, 21. — κώμην, *pagum*) cujus incolae erant εὐγενέστεροι, quam ii, de quibus v. 52.

[1]) v. 58. οὐκ ἔχει, *non habet*) In v. 53. 56. exemplum extat.

v. 59. ἀπελθόντι, *abeunti*) Dativus. Hic homo *abitum* praesupponit, non petit. Alius *abitus* praecipitur versu 60.

v. 60. διάγγελλε) *nuncia ubique*. Idem verbum Rom. 9, 17. Id summo ardore urgebat Dominus. conf. v. 62. et cap. seq. init. [*Credibile est, et hunc, et eum de quo sequitur, τοῖς LXX adnumeratos brevi postea fuisse.* V. g.]

v. 61. πρῶτον, *primum*) Homo ille adhuc haerebat in affectibus naturalibus. eo minus veniae dandum ei erat. Videtur autem in animo habuisse Elisae exemplum, cui Elias veniam dedit. nam ab *aratro* sumta similitudine (conf. 1 Reg. 19, 19.) Jesus respondet. Regnum Dei expeditiores postulat animas, quam discipulatus propheticus: neque ad Eliam neque ad Elisam sine discrimine provocandum est. v. 53. — ἀποτάξασθαι, *valedicere*) fortasse cum convivio lauto.

v. 62. ὁ ἰησοῦς, *Jesus*) mox LXX missurus. — βλέπων, *spectans*) Qui retro spectat, is, proprie loquendo, *delirat*. — εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, *ad regnum Dei*) tenendum et propagandum.

CAPUT X.

v. 1. Μετὰ ταῦτα, *post haec*) post probationem eorum, qui idonei essent ad legationem vel secus, quorum tres memorantur c. 9, 57. ss. — ἀνέδειξεν, *declaravit*) legatos. — ὁ κύριος, *Dominus*) Describitur hoc loco actus vere dominicus. [v. 2. 3. 9. 11.] — ἑτέρους, *alios*) [*quorum haud quidem diuturna legatio, attamen talis fuit, ut proxime a munere apostolico abessent, nec pauci eorum insequentibus temporibus testimonium de Jesu Christo stabilire possent. Imo vero singuli, qui Jesum viderant, audierant, et fide in Eum conceptâ de Ipso testati sunt, excellentiae apostolicae aliquid analogi habuerunt pro sua parte.* Harm. pag. 391.] Regnum Dei vires acquirit semper majores, et bona

---

1) v. 57. εἶπέ τις πρὸς αὐτὸν, *dixit aliquis ad eum*] Tres h. l. ad sequelam Christi excitati memorantur, quorum duo priores a Matthaeo (c. 9, 19—22.) notati, tertio, in numerum τῶν LXX, ut conjicere licet, adoptato per Lucam, occasione data, junguntur. *Harm.* p. 388.

Digitized by Google

instituta crescunt: inprimisque fructu celeri non caruit officium Christi propheticum. Crevit numerus a XII. ad LXX, inde ad D, et amplius. 1 Cor. 15, 6. — ἑβδομήκοντα, *septuaginta*) *Et apostolorum et discipulorum numerum cernimus a Domino in libris Moysi praefiguratum per XII fontes et LXX palmas in deserto repertas. Ergo LXX legendum est; qui fuit etiam numerus eorum, quos Deus spiritu impertivit, qui in Moyse erat.* L. Valla. Latinum Valla interpretem reprehendit, qui cum aliis habet LXXII. Sequitur δύο, interjectis quatuor verbis. Inde *duos* per festinationem huc retulisse videatur perantiquus librarius. Aut versu 1. scripsit Lucas LXXII praecise, deinde versu 17. rotunde LXX. et alii utroque versu vel LXX vel LXXII posuere. — [1]) ἀνὰ δύο, *binos*) Erant XXXV aut XXXVI paria. — οὗ ἤμελλεν αὐτὸς ἔρχεσθαι, *quo ipse erat venturus*) Sic, apostolis Dominum praegressis, e locis viae, per quam iter faciebant apostoli, utrinque vicinis poterant ad Christum convenire, audire et sanari volentes.

[2]) v. 3. ἄρνας, *agnos*) Sic LXX legati: *ores* XII. apostoli, Matth. 10, 16. [*Utrisque salvum* (*ut ajunt*) *conductum dedit verbo:* Ecce, Ego mitto vos. V. g.]

v. 4. μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε, *neminem in via salutate*) Non inconveniens est, id proprie accipi. Qui valde seria subitaque in re occupatus est, minus potest observare ceremonias civilitatis, facileque eximitur a communi regula decori. Confer 2 Reg. 4, 29. et, simili in re, Luc. 19, 30. seqq. Varia erant hominum genera apud Judaeos a salutandi officio exempta, praesertim religiosi, ut docet Lightfootus. Multis verbis gestibusque salutabant: at taciturnitate retinetur integra animi virtus: et valde pretiosum erat tempus legatorum, (conf. Joh. 20, 17.) valde pretiosa salutatio legatorum v. seq. Matth. 10, 12. Domi attentiores sunt auditores, quam in via: et in via tot legatis multum temporis eripere salutatio poterat. [*Denique ipsa etiam salutationis in via omissio utiliter homines monebat, grave et maturandum esse* τῶν *LXX negotium.* V. g.]

v. 5. πρῶτον, *primum*) Nuncius Dei, initium facere debet ab precatione salutis; antequam objurget homines.

v. 6. ὁ υἱὸς εἰρήνης) qui sit *filius pacis*, pace dignus. — ἐπαναπαύσεται, *requiescet*) eo modo, quem persentiscatis. De vocabulo, conf. 1 Petr. 4, 14. Pax semel egressa, non desinit quaerere, donec inveniat, ubi consistat. — ἐπ᾽ αὐτὸν) Hoc potest ad υἱὸν εἰρήνης primario, ad οἶκον participative referri.

v. 7. τὰ παρ᾽ αὐτῶν, *quae apud illos*) cum frugalitate et parrhesia: ut invenietis. — τοῦ μισθοῦ, *mercede*) Cibum capere licuit: numos non debuere petere, quanquam ne eos quidem prorsus recusare jubentur. Vicissim autem digna est merces operario: non otiandum.

v. 9. ἐν αὐτῇ, *in illa*) in urbe. Sic in tota regione omnes aegroti potuere sanari. — ἤγγικεν, *appropinquavit*) v. 1. fin.

v. 10. πλατείας, *plateas*) circa moenia. Conf. ad Ap. 11, 8. — εἴπατε, *dicite*) publice.

v. 11. πλὴν τοῦτο γινώσκετε, ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ) Primum dicebant nuncii, ἤγγικεν ἐφ᾽ ὑμᾶς κτλ. v. 9. deinde ad contumaces generaliori sermone utebantur, ἤγγικεν κτλ. absque illis voculis, ἐφ᾽ ὑμᾶς, quas tamen multi etiam versu 11. suppleverunt.

v. 13—15. οὐαί, *vae*) Gravissima denunciatio, coll. Matth. 11, 20. ss. nunc per apostrophen repetita, qua ingratae urbes missae fiunt, et innuitur,

---

1) καὶ ἀπέστειλεν, *et misit*] Non dicitur, aegrotorum sanandorum atque daemonum expellendorum potestatem his, ut τοῖς duodecim, concessam esse. *(Conf.* v. 17. *not.) V. g.*

2) δεήθητε οὖν, *rogate igitur*] Hoc mandato Jesus illico et operariorum desiderium provocavit atque rogationem, et rogationi satisfecit. *V. g.*

alias potius, quam eas urbes his LXX legatis adeundas esse, et ceteris ab exemplo harum esse cavendum.

v. 13. χοραζὶν) Sic meae habent editiones, quanquam alii meo nomine χωραζὶν ediderunt. Nonnulli χώρα ζὶν scripsere, calamo ludentes, ut in Appar. p. 473. notavi: serioque ex *Chorazin*, quod Matth. 11, 21. in *oppidis* memoratur, *regionem zin* fecere ii, quos memorat et refutat D. Rus T. I. Harmon. ev. p. 1199. seq.

v. 16. ἀκούει, *audit*) Subaudi, ex antitheto, *qui vero me audit, audit eum, qui misit me.*

v. 17. ὑπέστρεψαν, *reversi sunt*) alii post alios. [*Non diu abfuerant.* V. g. *Missionem et reditum uno scilicet loco memorat Lucas: paucis enim ante passionem dominicam hebdomadibus ablegati, non poterant abesse diutius.* Harm. p. 390.] — [1]) καὶ τὰ δαιμόνια, *etiam daemonia*) Plura in effectu experti sunt, quam Jesus expresserat.

v. 18. ἐθεώρουν, *spectabam*) in spiritu: tum, *quum existis*, vel, *quum egistis*. — ὡς ἀστραπὴν, *ut fulgur*) summa pernicitate. — ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *e coelo*) in quo videtur parvulos, i. e. discipulos, accusavisse Satanas. — πεσόντα) *ruentem:* idque, *rel*, quia vi ejectus erat e coelo; (certe Satanas eo tempore multas accepit plagas, etiam per minores illos: quo pacto τὸ *spectabam* significat, discipulos jam quodammodo ipsos egisse contra Satanam, Domino *spectante*, qui, per eos vincere se, gaudebat:) *rel*, quia potestatem impetrarat obnitendi discipulis, a quibus Satanas vincendus erat; et *daemoniis*, quae ei parent, subvenire et malam rem suam fulcire festinarat. conf. v. 19. Certe πεσεῖν, coll. Act. 27, 26. LXX, συμπίπτειν, נשם 1 Chron. 14, 9. 13. non semper idem est, quod βληθῆναι· Ap. 12, 9. Actio in coelo includit actionem in terra, non contra. Congruit icon, *ut fulgur*: et Satanas postea demum exturbandus dicitur, Joh. 12, 31.

v. 19. δίδωμι) ut dedi, sic porro *do*. — ὄφεων, *serpentibus*) Marc. 16, 18. Appellatio terrestri conveniens hosti; non jam coelesti, ut illud, *ut fulgur*. Parallelus est cum Marc. l. c. locus Act. 28, 3. ss. sed inter Marcum et Lucam est parallelismus verbalis, homonymicus tamen. Muniti sunt fideles contra serpentes proprie et metaphorice dictos. — σκορπίων, *scorpiis*) qui subtiliores serpentibus. — δύναμιν, *rim*) vel, צבא *copias*. *serpentes* et *scorpii*, species: *ris omnis*, genus. — τοῦ ἐχθροῦ, *hostis*) Singularis numerus, de hoste principe. [Matth. 13, 39. Ps. 8, 3.] — οὐ μὴ ἀδικήσῃ, *non laedet*) Majus latebat periculum, quam senserant inexperti.

v. 20. μὴ χαίρετε, *nolite gaudere*) Monitum in prima experientia salutare, de temperando gaudio. Gaudium non vetatur, sed in ordinem redigitur. Qui per philautiam nimis gaudent, possunt Satanae similes fieri. — ὑμῶν) *vestra*, qui mei estis. — ἐγράφη, *scripta sunt*) etsi reclamavit Satanas in coelo: etiamsi in terra non sitis celebres. — ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *in coelis*) in libro, qui est in coelis, quorum regnum annunciatis: in coelis, unde Satanas decidit. Contrarium, de praevaricatoribus, Jer. 17, 13.: *in terra scribentur.*

v. 21. ἠγαλλιάσατο, *exultavit*) Apex fructuum officii Christi eo tempore. Gaudebat ipse gaudium suorum, versu 20. descriptum, *gaudete vero.* — κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, *Domine coeli et terrae*) ex coelo et terra ejicitur Satanas: in coelo et terra regnum Dei stat [2]).

---

1) μετὰ χαρᾶς, *cum gaudio*] Duae suppetebant admirationis hujus rationes gravissimae: 1) quod brevi ante ex lunatico daemonium expellere non valuerant discipuli; 2) quod in instruendis ipsis generatim quidem Dominus aegrotorum sanandorum, at non *daemonum expellendorum* mentionem fecerat. *Harm.* p. 390.

2) νηπίοις, *infantibus*] Tales erant LXX, et ii, qui testimonium eorum receperant. *V. g.*

v. 22. τίς) *quis*, et quam magnus et bonus.

v. 23. καὶ στραφεὶς, *et versus*) Lucas accurate notare solet pausas et flexus sermonum Domini. Orarat Jesus ad Patrem: inde locutus erat de Patre: nunc sermonem dirigit ad discipulos seorsum.

v. 24. προφῆται καὶ βασιλεῖς, *prophetae et reges*) alias valde felices. Utriusque exemplum, Abraham propheta et princeps, Gen. 23, 6. 20, 7. et David, item propheta, et rex, pater tot regum.

v. 25. ἀνέστη, *surrexit*) data opera quaesiturus. — τί ποιήσας, *quid faciendo*) Perinde est, ac si diceret: quid faciendo videbo Solem justitiae? Imo non faciendo, sed videndo videtur. v. 23. Ad hoc *faciendo* respicit verbum *fac:* v. 28. 37. ut ad *vitam*, *vives*. v. 28.

v. 26. νόμῳ, *lege*) Apposite ad νομικὸν, *legis doctorem*. — πῶς, *quomodo*) Textum subsequentem quotidie repetebant Judaei. Non modo saepe, sed etiam rite legendum. [*Scripturae* scopum *oportet ut consequare*. V. g.]

v. 28. τοῦτο ποίει, *hoc fac*) Jesus vicissim πειράζει, *tentat*, jure rectoque, eum, qui tentarat perperam. v. 37. [*Periculum rei faciens experiri poterat, quae sibi deessent, atque ita pleniorem institutionem quaerere. Non dicitur:* par es faciendo. V. g.]

v. 29. θέλων, *volens*) corde non fracto aut contrito: una responsione recta sibi placens. — δικαιοῦν, *justificare*) Qui multa interrogant, non multa facere gestiunt, maluntque se subducere Legi. Qui ea, quae praestanda, et eos, quibus praestanda sunt justa, coarctat, parabilem sibi justitiam fingit. — καὶ, *et*) Particula haec approbat sermonem proxime praecedentem, et tamen aliquid adjungit: mire ad ἦθος facit.

v. 30. ὑπολαβὼν) Sic saepe LXX, pro ענה praesertim in Jobo, de responso copioso. — ἄνθρωπός τις, *homo quidam*) Judaeus, communi nomine appellatus, ob communem etiam cum externis necessitudinem. — τυγχάνοντα) non curantes, viveretne homo ille, an moreretur.

v. 31. κατὰ συγκυρίαν, *casu*) Multae occasiones bonae latent sub his, quae *fortuita* videantur. Scriptura nil describit temere, ut fortuitum: hoc loco aptum est syncategorema ad parabolam; et opponitur necessitudini. — ἱερεὺς, *sacerdos*) Frequens in ea via iter Sacerdotum et Levitarum in urbem et templum. — ὁδῷ, *via*) Etiam in viis, in hospitiis, v. 34. in media vita civili, exerceri potest aut omitti pietas et amor. Ex. 23, 4. s. — ἀντιπαρῆλθεν, *praeteriit*) sine misericordia, Hierosolymam festinans.

v. 34. ἔλαιον καὶ οἶνον, *oleum et vinum*) Valde parabilia sunt, quae maxime sunt necessaria ad amorem praestandum. — ἐπιβιβάσας, *imponens*) cum labore. — ἴδιον, *suum*) quo ipse usus erat. — εἰς πανδοχεῖον, *in hospitium*) Sermo h. l. mire popularis.

v. 35. δύο δηνάρια, *duos denarios*) viginti asses. Biduo poterat redire: diei sumtus, denarius. — ἐπανέρχεσθαι, *redire*) in via ex Hierosolymis per Jericho in Samariam.

v. 36. τριῶν, *trium*) qui erant Sacerdos, Levita, Samarita. Deus non accipit personam; connumerantur tres homines dispares. — πλησίον, *proximus*) Samarita, Judaeo infenso benefaciens, erat proximus: at legisperitus de proximo quaesierat, cui amor exhibendus est. Relata sunt simul. Arguuntur etiam Judaei, qui Samaritas palam aversabantur. Fieri poterat, ut legisperitus quoque indigeret ope Samaritae, quem non habebat pro proximo.

v. 37. ὁ ποιήσας τὸ ἔλεος μετ' αὐτοῦ) LXX, ποιήσω μετ' αὐτοῦ ἔλεος, 2 Sam. 9, 1. etc. Non invitus abstinet legisperitus appellatione propria Samaritae. — πορεύου, *proficiscere*) Nondum erat idoneus hic legisperitus ad discipulatum. — καὶ σὺ, *tu quoque*) Amore populi vel sectae remoto, facilior de-

mum est accessus ad Gratiam liberam et communem. Ergo Samarita, inquis, hoc suo facto *vitam aeternam* consecutus est? coll. v. 27—29. Responderi potest ex Rom. 2, 26. — ποίει, *fac*) Congruit cum ὁ ποιήσας, *qui fecit* [1]).

v. 38. αὐτὸς, *Ipse*) Interdum non intrabat.

v. 39. ἀδελφὴ, *soror*) junior, ut credibile est, et quasi virgo domestica. Martha, loco matrisfamilias. Joh. 12, 2. 3. [2]) Conf. 1 Cor. 7, 32. s. — παρακαθίσασα, *assidens*) Sic plane, *sedebat*, Joh. 11, 20. Antitheton, *distrahebatur*.

v. 40. περιεσπᾶτο) Graecis saepe in Eccl. עבין περισπασμός. — οὐ μέλει σοι, *non curae est tibi?*) Quid tum? *Curae est* res melior. Ipsa Martha miseriae quiddam de se confitetur. — ἡ ἀδελφή μου, *soror mea*) Argumentum quasi ab iniquo. — κατέλιπε) Non dicit, *sinit*, sed, *reliquit*. Hinc collegi potest, aliquid fecisse Mariam διακονίας, sive *ministerii* externi causa, fortasse ante adventum Magistri; sed mox ad operam Magistro dandam se contulisse. — εἰπὲ, *dic*) Non audebat jubere ipsa Martha.

v. 41. μάρθα μάρθα, *Martha Martha*) Epizeuxis valde figens Marthae mentem. — μεριμνᾷς, *curas*) intus. Antitheton, *non curae est?* — τυρβάζῃ, *turbaris*) exterius. Synonymon, περιεσπᾶτο, *distrahebatur*. Vide Eustathium.

v. 42. ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, *uno autem opus est*) Antitheton: *circa multa*. Conf. Sir. 11, 10. 11. graece. *Unum* hoc videtur in eodem genere dici, atque *multa*. Unum, (ἕν, *non*, τὸ ἕν) ad necessitatem victus, sine apparatu distrahente. Congruit δὲ *autem* bis adhibitum. *Unum necessarium*, in genere rerum spiritualium, aeque commendatur, quando ἡ ἀγαθὴ μερὶς *bona illa pars* appellatur: adeoque si ἕν, *unum*, referas ad frugalitatem hospitii, uberior, non modo non tenuior, fit doctrina totius periochae [3]). Nil tamen definio. Dixi, *videtur*. Quod ad rem attinet, sententiae vis non imminuitur. — ἀγαθὴν, *bonam*) meliorem, quam Martha cogitabat: tranquillam, opiparam. — μερίδα, *portionem*) Metaphora ab epulis. — ἐξελέξατο, *elegit*) Quod quaeque anima eligit, eo potitur. Electa anima bonam partem elegisse censetur. tanta est Domini bonitas erga libentes. — οὐκ ἀφαιρεθήσεται, *non auferetur*) Conf. Marc. 4, 25. Confirmata Mariae immunitas.

CAPUT XI.

v. 1. Ὡς ἐπαύσατο, *ut desiit*) Neque enim prius debuerunt interpellare. — τῶν μαθητῶν, *discipulorum*) qui vel audierant verba Domini orantis, vel certe gestus viderant suavissimos. — δίδαξον, *doce*) Hoc ipso jam orant, dum petunt, ut orare doceantur. Jucundissimum Magistro erat, rogari, ut eos doceret, et hoc ipsum docere. Docuerat Johannes suos discipulos orare; sed non sic, ut Deum appellarent *Patrem*, (quanquam reliquis rebus formula Johannis a formula Christi non fuerit longe diversa:) Filii Dei reservatum erat, hanc potestatem suis dare. Dederat jam Matth. 6, 9. s. sed intermiserat aliquandiu,

---

1) ὁμοίως, *similiter*] Nullius nos boni exempli pudere fas est, si vel Samarita fuerit imitandus. *V. g.*

2) Salvatorem t. t. non fuisse Bethaniae, neque Martham Bethaniensem (Joh. 11, 1. 12, 2.) in Galilaea simul domum aliquam possedisse, adeoque aliam esse apud Lucam, aliam apud Johannem l. c. sororum ὁμωνύμων bigam, *b. Auctor judicat. Harm.* p. 392. s.

3) Pari modo c. 17, 21. nequicquam detrahitur *regno DEI* fidelium *interiora* possidenti, etiamsi sermo ad Pharisaeos directus ita intelligatur: Regnum DEI, atque ipse Messias, jamjam praesto est in medio vestri. Neque etiam Phil. 1, 21. *Pauli Vita* non manet Christus, tametsi Paulus dicat: Vita mea, quâ diutius in mundo mihi permanendum est, prorsus ad Christum collineat. *Non est, quod sacrorum verborum, virtute Spiritûs nunquam destitutorum, sensui vel menti ampliorem etiam ubertatem conciliare studeamus. Humani arbitrii abnegatio praestat sane talibus religionis exercitiis.* V. g.

Digitized by Google

discipulos communiter ad orandum exhortans, eosque consuetudini ex formula communi Israëlitica orandi relinquens, (alias enim discipuli exemplum Johannis suos orare docentis non allegassent,) donec in agnitione Patris et Filii satis profecissent. quo facto locupletissimam demum eis Patris in ipso suo, Filii, nomine orandi copiam patefecit. Joh. 16, 23. — ἡμᾶς, *nos*) Conjuncta erat discipulorum causa: hic, qui rogabat, etiam pro ceteris rogabat. — καὶ ἰωάννης, *etiam Johannes*) Bonus doctor vel maxime docere debet suos recte orare. vid. Bernardi scala claustralium. Non potest docere, qui ipse nescit. Sunt autem gradus precum. Johannes docuerat, Christus docuerat orare; nunc, rogatus, provectos amplius docet.

[1]) v. 2. εἶπε, *dixit*) Promtus Magister et verba et modum orandi docet. v. 2. s. 5. s. — λέγετε, *dicite*) Formulam incomparabilem alio tempore Matthaeus populo pluribus verbis; alio Lucas discipulis rogantibus brevius praescriptam recenset. Itaque summa orationum semper est eadem: sed alio tempore omnia αἰτήματα sive *capita precum*, alio quaedam ex omnibus, libero verborum rerumque delectu exercentur. Neque necesse habuit Lucas in numero rogationum, cum Matthaeo, qui tamen non expresse eas septem esse ait, congruere. nam idem beatitudines cap. 6, 20. fs. aliter ac Matthaeus; idem decalogum aliter ac Moses, enumerat. [*Conf. marg.* Vers. germ. *ad h. l.*]

[2]) v. 3. τὸ καθ' ἡμέραν) Conf. Act. 6, 1.

v. 4. καὶ γὰρ, *etenim*) *Enim* denotat remotionem impedimenti, non meritum causae. In tanta brevitate orationis hujus apud Lucam tamen ponitur rogatio pro remissione debitorum.

v. 5. καὶ εἶπε, *et dixit*) Copiose hortatur nos scriptura ad preces. Tota earum ratio in quo sita est? in flagitando, serio. — μεσονυκτίου, *media nocte*) tempore minime opportuno. Deo nullum tempus audiendi et dandi alienum est. — φίλε, *amice*) Familiaris et comis appellatio, loco nominis proprii posita: quae non iteratur versu 7. — τρεῖς, *tres*) unum, pro hospite; unum, pro me; unum, supernumerarium, honoris causa. Mire popularis est h. l. sermo.

v. 6. φίλος, *amicus*) Ergo etiam officium erga alios allegari potest in rogando.

v. 7. κέκλεισται, *clausa est*) vecte, (olim,) qui majore labore removetur. — μετ' ἐμοῦ, *mecum*) Officium parentum, custodire liberos, noctu praesertim. — οὐ δύναμαι, *non possum*) scil. sine magna molestia.

v. 8. λέγω, *dico*) *Et si ille persereraverit pulsans*, vel, *et ille si perseveraverit pulsans*, praemittunt *Latini* codd. plerique omnes. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Glossa videri posset ex Act. 12, 16.: *Petrus autem perseverabat pulsans.* sed suspicionem tollunt *Beda*, *Augustinus*, *Ambrosius*, maximeque *Tertullianus*. *Sed et nocturnus ille PULSATOR*, inquit, *panem PULSABAT*. lib. de Or. cap. 6. Adde lib. de Praecript. c. 11. et 12. et lib. 4. c. Marcion. c. 26. Latinum sequuntur *Armenii* recentiores, et versiones *Anglicanae* vetustae [3]) — διὰ τὸ, *propterea quod*) Deus propter amorem audit: nec molestia afficitur. — τὴν ἀναίδειαν, *impudentiam*) *inverecundiam*, noctu venientis. [*In precibus non timide agendum, sed rogandum, quaerendum, pulsandum.* c. 18, 1. 5. 7. Ps. 55, 18. V. g.] Tali interpellatori minore molestia datur, quam negatur. conf. cap. 18, 5. Consideratus ordo verborum: *dabit sur-*

---

1) τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, *discipulos suos*] Eorum aliquis v. g. Andreas quoque fuerat. Joh. 1. *V. g.*

2) πάτερ, *Pater*] Uno potissimum hoc vocabulo indoles precum Christi ejusque discipulorum ab indole precum fidelibus V. T. nec non Johanni ejusque discipulis frequentatarum distinguitur. *V. g.*

3) *Neque tamen sequitur eum ipsius b. Bengelii* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

gens: *excitatus dabit*. Amicitia ad *dandum* impellere poterat: impudentia pulsare perseverans ad laborem *surgendi* impellit. — ὅσων, *quotquot*) vel si plures sint panes, quam quos summa necessitas postulat. Non incommodius est multos jam dare, quam tres unumve.

v. 9. καὶ δοθήσεται, *et dabitur*) ut amico illi.

v. 11. τίνα — τὸν πατέρα) Articulus τὸν hoc loco vim habet minus definitam: est Appositio. — δὲ, *vero*) Gradatio ab amico ad parentem: et tamen hic quoque accedit τὸ *quanto magis?* v. 13. — ἰχθὺν, *piscem*) scil. αἰτήσει, *rogabit*. — ἀντὶ ἰχθύος, *pro pisce*) Puer anguem pro pisce habere posset.

v. 12. ἢ καὶ, *vel etiam*) incrementum capiente rogandi fiducia. — ὠόν, *ovum*) A necessario ad lautius progreditur rogatio liberorum: nec panis, nec piscis, neque ovum negatur. — σκορπίον, *scorpium*) nocentissimum.

v. 13. [1]) ὁ πατὴρ ὁ ἐξ οὐρανοῦ, *pater ex coelo*) optimus. — πνεῦμα ἅγιον, [2]) *Spiritum sanctum*) donum omnium *optimum*, et cum eo omnia: c. 24, 49. Spiritus sanctus est spiritus bonus, laetus. τὸ πνεῦμά σου τὸ ἀγαθόν. Ps. 143, 10. LXX. Ipse Spiritus sanctus in homine operatur initium desiderandi sui. Magis autem necessarius est animae, quam panis corpori.

v. 14. ἦν ἐκβάλλων, *erat ejiciens*) id est, in eo miraculo versabatur. Haec facta sunt ante meridiem. coll. v. 37.

v. 15. τινὲς, *aliqui*) His occurritur versu 17. s. [*Causam naturâ superiorem negare non poterant*. V. g.]

v. 16. ἕτεροι, *alii*) His occurritur versu 29. s.

v. 17. οἶκος) *familia*. — ἐπὶ οἶκον, *super domum*) id est, *domus super se ipsam divisa, cadit*. Marc. 3, 25. Nomen ponitur pro pronomine reciproco. Matth. 12, 26. Act. 3, 16. Eph. 4, 16. 2 Tim. 1, 18. not. LXX, Lev. 14, 15. Num. 10, 29.

v. 18. καὶ ὁ σατανᾶς) *etiam Satanas:* de quo tamen id minime existimandum est.

v. 20. δακτύλῳ, *digito*) vi aperte divina, et sine ullo labore. Conf. Ex. 8, 19.

v. 21. ὁ ἰσχυρὸς, *robustus*) intrinsecus. Subjectum. — καθωπλισμένος) extrinsecus. *armatus*, i. e. dum armatus est, nemine exuente. Hoc jungendum cum praedicato. — τὴν ἑαυτοῦ, *suam*) Vid. 2 Petr. 2, 19. — τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ, *facultates ejus*) quae in aula asservantur.

v. 22. ἐπελθὼν, *superveniens*) de improviso. — ἐπεποίθει, *confisus erat*) Gloriosior victoria Christi, postquam vicit Satanam tot seculis grassatum et *confisum*. — σκῦλα, *spolia*) quae Satanas generi humano eripuerat. — διαδίδωσι, *distribuit*) Eph. 4, 8.

[3]) v. 27. ἐπάρασα, *attollens*) Bonum esset, neque irridendum, si auditores motum cordis sui inter auscultandum quamlibet simplici ratione prodorent. — ἡ κοιλία, *uterus*) Mulier bene sentit, sed muliebriter loquitur. Id in ordinem redigit Salvator. — μαστοὶ, *mammae*) Conf. de Messia, Ps. 22, 10.

v. 28. μενοῦνγε) Beata dicitur mater tam bene docentis: *verumenimvero* beati sunt, qui docentem sequuntur. sic μενοῦνγε Rom. 9, 20. 10, 18. — οἱ ἀκούοντες, *qui audiunt*) etiam illa ipsa mulier pia. — φυλάσσοντες, *custodientes*)

---

1) πόσῳ μᾶλλον, *quanto magis*] Si tanta est in DEO largiendi proclivitas: quantum quaeso ex parte hominum, utut precantium, torporem subesse putas, quod precibus tam pauca impetrantur! V. g.

2) *Lectionem* ἀγαθὸν, *in margine* utriusque Edit. *postpositam*, *praefert* Vers. germ. E. B.

3) v. 23. μετ' ἐμοῦ, *mecum*] Nemo mortalium suis Jesum viribus juvare poterat, et multi repugnabant Ei: attamen miracula tam stupenda edidit. Est igitur ὁ ἰσχυρότερος, v. 22. *V. g.*

Digitized by Google

qui Christum ejusque verbum gerunt in corde, uti Ipsum tulerat mater in utero. [*Quae tamen ipsa etiam custodivit verbum, beata eo nomine.* Luc. 1, 45. V. g.]

v. 29. τῶν δὲ ὄχλων, *turbis autem*) Id eodem tempore factum. conf. v. 37. init. [1])

v. 30. τοῖς νινευίταις, *Ninevitis*) Itaque Ninevitae scierunt de Jonae triduo; eoque ad poenitentiam adducti sunt: postea autem poena impoenitentibus attracta, eodem propemodum intervallo temporis, quo postea Judaeis; quod utrinque cum tempore ad poenitentiam dato conferri potest. — οὕτως, *sic*) Hoc habet vim promissionis, in longinquum.

v. 31. ἀνδρῶν, *viris*) Quia *mulier* regina sapientiam secuta est.

v. 33. [2]) εἰς κρυπτὴν) Foemininum, Hebraice, pro neutro [3]).

v. 34. ὁ λύχνος, *lychnus*) Lux patet nobis, estque aperta et simplex: nos igitur debemus toti vicissim patere luci.

v. 35. μὴ) *num.* Sequitur enim indicativus.

v. 36. ὅλον φωτεινὸν — φωτεινὸν ὅλον, *totum lucidum — lucidum totum*) Ploce: perfectio partium tendit ad perfectionem graduum. [*Saepe duo verba inverso ordine in duobus ponuntur incisis, ita, ut in utroque inciso prius verbum emphasin habeat.* Matth. 24, 33. 34. Joh. 8, 21. 24. 14, 1. ss. 1 Cor. 7, 22. Gal. 4, 25. Eph. 2, 1. 5. Phil. 2, 7. 8. Jac. 2, 18. 22. *Analogia exemplorum ostendit, non esse inanem subtilitatem.* Not. crit.] — ὁ λύχνος, *lychnus*) ille, de quo v. 33. — τῇ ἀστραπῇ) summo *fulgore* suo.

v. 37. εἰσελθὼν δὲ ἀνέπεσεν, *ingressus autem accubuit*) statim, non *lotus* ante mensam. fortasse lassus erat.

v. 38. ἰδὼν, *videns*) quod accubuerat.

v. 39. [4]) νῦν, *nunc*) Particula habet vim demonstrandi rem praesentem: ideo LXX ponunt pro הִנֵּה *ecce*, 2 Reg. 7, 6. et hoc loco simul involvit antithecton inter externam puritatem et impuritatem; quo pacto *nunc* Latinis saepe valet *atqui*. — τὸ ἔξωθεν) quod est *exterius*, v. gr. poculi mundioris. — τὸ ἔσωθεν ὑμῶν) *interius vestrum*, victus. — γέμει, *plenum est*) instar catini. Primum, ἔξωθεν et ἔσωθεν sunt adverbia: deinde apud Matthaeum, c. 23, 25. s. γέμειν *plena esse* dicuntur poculum et patina; apud Lucam, ipsum pharisaeorum interius. Exterius vasorum est non solum convexum, sed etiam concavum: interius et cor et ratio victus. Rapina utrum materialiter pro re rapta, an formaliter pro rapacitate sumatur, nil interest. Formaliter autem sumitur, quia apud Matthaeum ἀκρασία sive ἀδικία, *intemperantia* sive *injustitia*, apud Lucam πονηρία, *malignitas* adjicitur. Periphrasis esto haec: Vos pharisaei mundum servatis quod exterius est in vase: sed interius vestrum plenum est rapinâ et malignitate. Insipientes, nonne Is, qui *exterius* fecit, vas idem etiam *interius*, scilicet cor fecit? Quod tamen attinet ad ea, quae in vase sunt, date eleemosynam, et ecce omnia, tota ratio victus, munda sunt vobis, quicquid sit de vase, magis vel minus mundiore.

v. 40. ὁ ποιήσας, *qui fecit*) Deus. — καὶ τὸ) Ideo curandum utrumque. Mundum cor decet mundities victûs.

---

1) ἐπαθροιζομένων, *cumulatim irruentibus*] an consecuturum esset signum de coelo. v. 16. *V. g.*

2) οὐδεὶς δὲ, *nemo vero*] Verbo DEI totos nos tradere debemus, ut penitus eo illuminatis alios etiam lucrifacere detur. *V. g.*

3) *Lectionem* κρύπτην (Gewölbe) *praefert margo* Ed. II. *et ex eo* Vers. germ. E. B.

4) εἶπε δὲ ὁ κύριος, *dixit autem Dominus*] Ea, quae hîc sequuntur, in Galilaea prius, deinceps Hierosolymis (Matth. 23, 1—39.) elocutus est Jesus. In Galilaea, h. l., *Prophetas*, inquit, *et Apostolos inter eos mittam.* Tum, Hierosolymis: *Ecce, mitto.* Scilicet propius interea temporis ad ipsam legationem perventum est. *Harm.* p. 398.

Digitized by Google

v. 41. πλήν) Etsi *exterius* ab Eo, a quo *interius*, factum est; *tamen* in homine, qui impuritatem contraxit, alia est ratio *exterioris*, quod per se non inquinat, alia *interioris*, quod maxime purificandum est. — τὰ ἐνόντα) Anonymus apud Suidam (V. ἐνόν·) θυσίαν ἐκ τῶν ἐνόντων καὶ παρόντων προσαχθεῖσαν· ut notat Pricaeus, quem vide ad h. l. Itaque τὰ ἐνόντα sunt non τὸ ἔσωθεν, sed esculenta et potulenta, quae insunt in vasis. Subaudiendum κατά. — δότε, *date*) Saepius dicitur, ποιεῖν *facere eleemosynam*: sed h. l. *dare*, (uti cap. 12, 33.) in antitheto ad *rapinam*. v. 39. — καὶ ἰδοὺ, *et ecce*) Non ait: *et tunc*, sed, *et ecce*, et mox, non, *erunt*, sed, *sunt*. Igitur non dicit, dando eleemosynam puritatem demum conciliari cibo et potui; sed puritatem in creatura Dei esse per se: tantum, eleemosyna data, non manuum lotione, abstergi labem, quam adjunxerant pharisaei per rapinam. — πάντα καθαρὰ) *omnia*, quae insunt in poculo et patina, *munda* sunt vobis. nam haec omnia fecit Deus. v. 40. nil horum hominem inquinat. Matth. 15, 11.

v. 42. ἀλλ᾽ οὐαὶ) Ἀλλὰ, particula transeundi. 2 Cor. 7, 11. — τὴν κρίσιν, *judicium*) in intellectu. Judicium verum dictat, amorem Dei esse praeceptum maximum. [c. 12, 57.] — τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ, *amorem Dei*) in voluntate. [*DEI amorem, inquit, et, propter DEUM, proximi*. V. g.] Qui Deum *amat*, is demum vero *judicio* pollet. 1 Cor. 8, 3. 2. Apud Matthaeum: *misericordiam et fidem*. Videlicet cum amore conjuncta est ea *fides*. 1 Tim. 1, 5. *misericordia* commendatur versu 41. [1])

v. 44. οὐαὶ ὑμῖν, ὅτι κτλ.) Hic non addit Dominus, τοῖς φαρισαίοις, *pharisaeis*, uti addiderat v. 42. et cum sermone vultum quoque ad legisperitos a Domino conversum fuisse, colligere licet ex v. 45. ubi legisperitus quidam id sibi dictum sentit. Illud, γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, librarii quidam ex Matthaeo huc intulerunt. — ἀδηλα, *occulta*) non dealbata. — οὐκ οἴδασιν, *nesciunt*) adeoque inquinantur.

v. 45. [2]) ὑβρίζεις, *contumelia afficis*) Aliud est ὑβρίζειν, *contumelia afficere*, aliud jure ὀνειδίζειν, *exprobrare*.

v. 46. ἑνὶ, *uno*) Gradus: digito uno attingere, digitis tangere, digito movere, manu tollere, humero imponere. Hoc cogebant populum: illud ipsi refugiebant.

v. 47. οἰκοδομεῖτε, *aedificatis*) Hoc per se non videtur fuisse malum; sed quod imitarentur patres suos.

v. 48. καὶ, *et*) Testamini, vos habere illos patres, eorumque facta probatis. Non putabant hoc: et tamen verum erat, et jure eis adscribitur.

v. 49. ἡ σοφία τοῦ θεοῦ, *Sapientia Dei*) Suave nomen. Koheleth, congregatrix. cap. 13, 34. — εἶπεν, *dixit*) Matth. 23, 34. not. — προφήτας, *prophetas*) qui erant in V. Test. — ἀποστόλους, *apostolos*) qui sunt in N. T. — ἐκδιώξουσιν) *persequendo ejicient*. Frequens verbum apud LXX.

v. 50. ἐκζητηθῇ) Hebr. דרש 2 Chron. 24, 22. — πάντων, *omnium*) Omnibus temporibus fuere prophetae; in his etiam Abel. — ἀπὸ τῆς) Constr. cum ἐκζητηθῇ. coll. v. 51.

[3]) v. 52. ἤρατε) *sustulistis*. [*Muneri ecclesiastico sese ingesserant: quos qui posthabebat, eum omnimoda ignorantia tenebat*. V. g.] — τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως, *clavem cognitionis*) i. e. cognitionem veram, Messiae, (c. 20, 41.) quae est clavis regni coelorum. — οὐκ εἰσήλθετε, *non ingressi estis*) in regnum coelorum.

---

1) ταῦτα — κάκεῖνα, *haec — illa*] Viliora — potiora. *V. g.*
2) ταῦτα, *haec*] quae praecedunt, versu inprimis 43. *V. g.*
3) v. 51. ζαχαρίου, *Zachariae*] prophetae. 2 Paral. 24, 20. *V. g.*

Digitized by Google

v. 53. δεινῶς, *vehementer*) Huic vehementiae suberat fraudulentia. v. seq. — ἀποστοματίζειν) Ἀποστοματίζω, *urgeo* (me vel alium) ad promendos *ab ore* sermones. coll. v. seq.

CAPUT XII.

v. 1. Ἐν οἷς) *inter haec.* — τῶν) de iis, qui adesse solebant. — μυριάδων, *myriadibus*) Non tantum adjectivum μυρίων, sed etiam substantivum hoc dicitur de numero magno indefinito. — πρὸς τοὺς μαθητὰς, *ad discipulos*) Ceteri nondum capiebant hanc doctrinam. — πρῶτον, *primum*) Ad discipulos prius: deinde, post unam alteramque interpellationem, etiam populis. v. 54. — ὑπόκρισις, *hypocrisis*) Haec deinde etiam in populo arguitur v. 56. Hypocrisis, fermenti instar, inficit totum hominem, et per unum multos. Hypocrisis est, vel quum malum bono tegitur velo a malis, vel quum bonum tegitur male a bonis. Haec hypocrisis notatur in praesenti, coll. vers. seqq.

v. 2. οὐδὲν δὲ, *nihil vero*) Omnia, et mala, et bona, patefient: et qui patefaciunt, absunt ab hypocrisi. — συγκεκαλυμμένον, *contectum*) remotum ab oculis. *in tenebris.* v. 3. — κρυπτὸν, *occultum*) remotum etiam a notitia: *ad aurem.* v. 3.

v. 3. εἴπατε, *dixistis*) cum timore aliquo.

v. 4. φίλοις, *amicis*) Consilium fidele, et stimulus fortitudinis, et appellatio comis, temperans severitatem sermonis de re ardua. In bello dux milites proeliantes humaniter appellat, fratres etc. — [1]) τὸ σῶμα κτλ.) Μείωσις. — μετὰ, *post*) Resp. *post*, v. 5.

v. 5. ὑμῖν, *vobis*) amicis. — φοβηθῆτε, *timeatis*) Maxima vi ter ponitur hoc verbum. — μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι) Verbum quasi impersonaliter positum. — γέενναν, *gehennam*) Gravis sermo etiam ad amicos.

v. 6. ἕν) *ullus*, impar, supernumerarius.

v. 7. πολλῶν) al. πολλῷ. conf. v. 24.

v. 8. ἔμπροσθεν τῶν ἀγγέλων, *coram angelis*) in judicio novissimo. Congruit appellatio *Filii hominis*, statum conspicuum denotans.

v. 10. καὶ, *et*) Ab abnegatione, v. 9. facilis progressus ad blasphemiam.

v. 11. ἢ τί εἴπητε, *aut quid dicatis*) etiam praeter *apologiae* necessitatem.

v. 13. τὶς) *aliquis*, qui senserat, Jesum esse justum. — ἀδελφῷ, *fratri*) qui fortasse magni facere coeperat Jesum. Facile ii, qui doctorem spiritualem admirantur, eo delabuntur, ut velint eo abuti ad domestica et civilia componenda.

v. 14. ἄνθρωπε, *homo*) Alloquitur veluti alienum. — δικαστὴν, *judicem*) ad jus dicendum. — μεριστὴν, *divisorem*) ad bona dividenda.

v. 15. πρὸς αὐτοὺς, *ad eos*) ad duos fratres, vel, ad auditores: coll. v. 16. Ad discipulos revertitur oratio versu 22. — πλεονεξίας, *avaritia*) quae in causa quamvis justa subesse potest. v. 13. — ἐκ τῶν) Constr. cum ζωή. Vivitur parvo bene.

v. 16. εὐφόρησεν, *uberes fructus attulit*) uno anno vel quotannis. Modus hic ditescendi innocentissimus, et tamen periculosus. -- χώρα) non modo χωρίον.

v. 17. τί ποιήσω, *quid faciam?*) Character animi sine requie quieti, egregie expressus. [*Cistas et arcas replere nituntur: iisque redundantibus nova moliuntur armaria.* V. g.] Eadem formula, cap. 16, 3. coll. v. 4.

v. 18. πάντα, *omnia*) Pauperum nulla mentio.

v. 19. κείμενα, *posita*) quasi praesentia. — ἀναπαύου, *requiesce*) desine

---

1) μὴ φοβηθῆτε, *ne timeatis*] in veritatis confessione. *V. g.*

Digitized by Google

laborare. Conf. Sir. 11, 23. 24. graece. — φάγε, *ede*) Id pridem poterat bono modo.

v. 20. εἶπε, *dixit*) si non per revelationem, at judicio occulto. [*coll.* Jes. 57, 11.] — ἄφρον, *stulte*) Hoc opponitur opinioni prudentiae, de qua v. 17. ss. — νυκτὶ, *nocte*) Noctu pleraque fiunt alloquia divina: noctu multae mortes repentinae. [Job. 27, 20.] — ψυχὴν, *animam*) de qua v. 19. — ἀπαιτοῦσιν) *repetunt*, quibus potestas repetendi data est; quos ipse non nosti, o dives. Locutio elliptica, uti Ap. 12, 6. Sic 1 Sam. 3, 9. in Hebr. ubi LXX secundum Aldinum exemplar plene, ἐὰν καλέσῃ σὲ ὁ καλῶν. coll. 2 Sam. 17, 9. — [1]) τίνι, *cui*) Dativus commodi. Gen. 45, 20.: ὑμῖν ἔσται. Multa sunt divitum, nec tamen sunt divitibus. Nescit dives, cui futura sint: certe ipsi non erunt.

v. 21. οὕτως, *sic*) scil. erit. — ἑαυτῷ, *sibi*) animae suae. v. 19. 22. — μὴ εἰς θεὸν, *non in Deum*) Non dicitur, *non Deo*, uti, *sibi ipsi*. Deo nil accedit aut decedit. *In Deum* dives est, qui divitiis divinitus utitur ac fruitur. [1 Tim. 6, 17.] — πλουτῶν, *divitem agens*) Hoc statum denotat: *thesaurizans*, studium.

v. 22. μαθητὰς, *discipulos*) minus divites. — ὑμῖν λέγω, *vobis dico*) Pronomen verbo praepositum vim habet majorem. vid. *Devar.* de partic. in ἐμοί.

v. 24. κόρακας, *corvos*) homini, cui volucres quoque inserviunt, minime omnium utiles. — ταμεῖον, *penarium*) unde promant, ad seminandum. — ἀποθήκη, *horreum*) quo, quae metant, recondant: ut habent formicae, quo colligant. — ὁ θεὸς, *Deus*) v. 28.

v. 25. τίς δὲ ἐξ ὑμῶν, *quis autem ex vobis*) Antitheton ad Deum, qui corvos, et volucres omnes, et omnia animantia, et homines alit. — ἡλικίαν, *staturam*) Sunt, qui ad longitudinem aetatis referant; sed hanc nemo cubitis metitur. — αὐτοῦ, *suam*) Si *nostra ipsorum* statura non est in potestate nostra; quanto minus omnes creaturae, unde cibum et potum sumimus. — πῆχυν ἕνα, *cubitum unum*) Longitudo hominis aequat cubitos ipsius quatuor: ne *unum* quidem, quintum, addere quisquam curax potest; sive id optet, sive non optet. Non facile quisquam per se palmum aut pedem, nedum cubitum addi sibi optat: sed qui de victu solicitus est, revera etiam inscius majorem staturam optat, quo plus laboris et lucri possit facere.

v. 26. οὔτε ἐλάχιστον, *ne minimum quidem*) Argumentum a majori ad minus est versu 23. nunc argumento a minori ad majus ostenditur, irritas esse curas nostras. Homini jam nato et vigenti ad staturam addere cubitum unum, minimum erat penes Deum omnipotentem, et minus etiam, quam auctus ille quinque panum etc. cap 9, 16. Maximum contra est, quod ille nobis ipsam staturam et robur corporis, quo victus paratur, imo cum corpore animam dedit; et frumenta, vinum, oleum, aromata, poma, baccas, olera, herbas, boves, oves, feras, volucres, pisces, quotannis et quotidie producit, et totam rerum naturam conservat. Haec sunt *reliqua illa*, quae in nostra potestate multo minus sunt, quam longitudo staturae nostrae: et tamen ad nos alendos multo magis pertinent.

v. 28. ἐν τῷ ἀγρῷ, *in agro*) Potest vel cum χόρτον construi, coll. Matth. 6, 30. τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ. vel cum ὄντα, ut sit antitheton, εἰς κλίβανον.

v. 29. καὶ ὑμεῖς, *vos quoque*) ut corvi et lilia. — μὴ μετεωρίζεσθε) Μετέωρος, *sublimis*; unde μετεωρίζεσθαι, *in sublime* vel *in sublimi ferri*. Dicitur de animo vel elato vel fluctuante. Qui curat, huc illuc impellitur, suspensus, *fluctuat*, et vertigine corripitur. Unde, quod Matthaeo μεριμνᾶν est in parallelo, id Lucas μετεωρίζεσθαι dicit. Pricaeus huc confert illud *apud Josephum*,

---

1) ἃ δὲ ἡτοίμασας, *quae autem parasti*] Non raro si quis multa millena parasse et reliquisse dicitur, cum vires vitales maximam partem huic negotio impendisse cogitaveris. *V. g.*

μετέωρον εἶναι καὶ κραδαίνεσθαι· *et apud Suidam*, μετέωροι καὶ πρὸς τὸ μέλλον σαλεύοντες. Cic. I. XV. ad Att. ep. 14. *Ita sum* μετέωρος *et magnis cogitationibus impeditus.*

v. 30. πάντα) Constr. cum ταῦτα.

v. 32. μὴ φοβοῦ, *noli timere*) Locus hic valde benignus est. — μικρόν) Quod *parvum* est, id videri posset habere timendi causam: sed tanto benignius custoditur. Et singulae oviculae sunt parvae; (ut populus debilis dicitur, qui ex debilibus constat, Prov. 30, 25. 26.) et grex est non numerosissimus, si ad mundum comparetur, atque altu facilis, hoc quoque nomine, et pretiosus. [*Splendorem in mundo non aucupantur tales.* V. g.] — ποίμνιον) Suavissimum amorisque plenissimum diminutivum. — εὐδόκησεν) *lubitum est* ipsi. — τὴν βασιλείαν, *regnum*) Grande verbum. v. 31. quidni panem? [*Sane regis filius de cibo, potu et amictu non habet cur sit sollicitus.* V. g.]

[1]) v. 33. πωλήσατε, *vendite*) Dixit hoc Dominus, non *turbis*, quibus tamen viam salutis, illi ipsi tempori convenienter, ostendebat: v. 54. 56. neque apostolis, qui omnia reliquerant prius, neque habebant, quod venderent: sed ceteris *discipulis*. v. 22. 41. Instabat discessus ex Galilaea, c. 13, 32. et ipsa Passio: ac jam discipulos praeparabat, ut deinceps quam expeditissimi essent. Hi enim erant, de quibus Lucas agit Act. 1, 15. 2, 44. etc. ut non dubium sit, quin mox sub hunc sermonem possessiones suas in Galilaea vendiderint. Ceteroqui non injungitur omnibus promiscua omnium facultatum venditio, ut eas in eleemosynam vertant, et ipsi cum familia eleemosynam ab aliis vel petant vel repetant. Veruntamen spiritualis prudentia ex emacibus, etiamsi non copiosissimam habeant supellectilem, vendaces et liberales facit, praesertim tempore postulante. Eccl. 11, 2. Jac. 5, 1. — βαλάντια, *crumenas*) Plurale. Qui mundano more vendit, *crumenam* implet: sed haec *veterascit*, ut ipsum *coelum* naturale. — θησαυρὸν ἀνέκλειπτον, *thesaurum non deficientem*) Thesaurus, crumenae oppositus, est copia rerum ad victum, quae celerrime consumuntur aut corrumpuntur. — ἐν) nempe *in* coelis. Pertinet hoc ad utrumque comma antecedens.

v. 35. ἔστωσαν, *sunto*) Antecedentia et consequentia eorumque connexio maxime quadrat in ea tempora, quae post ascensionem Christi consecuta sunt. de *vendendo*, conf. Act. 4, 34. Vult, suos esse expeditos. — ὀσφύες, *lumbi*) Sic postea Petrus, 1 ep. c. 1, 13. et Paulus, Eph. 6, 14.

v. 36. ὑμεῖς) *vosmet*. — προσδεχομένοις, *exspectantibus*) cum desiderio et gaudio. — πότε) *quando* sit reversurus. — ἐκ τῶν γάμων, *ex nuptiis*) Ergo ante Domini adventum *nuptiae* sunt in coelo. — εὐθέως, *statim*) primo pulsu audito.

v. 37. παρελθὼν διακονήσει) Participium παρέλκον, in re conviviali obvium. c. 17, 7. Sir. 29, 33. (26.:) πάρελθε κόσμησον τράπεζαν. Promissio, de *ministrando*, honorificentissima et maxima omnium. Ita Sponsus amicos excipit solenni nuptiarum die.

v. 38. δευτέρᾳ, *secunda*) Non memoratur vigilia prima: quae erat ipsum nuptialis convivii tempus. — τρίτῃ, *tertia*) Romani in quatuor, Judaei in tres vigilias divisam noctem habebant: et Lucam ad Judaicam divisionem alludere statuit Simonius.

v. 39. γινώσκετε) *nostis*. [2])

v. 41. ἡμᾶς, *nos*) apostolos, discipulos. — καὶ, *etiam*) nobis non exclusis. v. 22. — πάντας, *omnes*) praesentes. conf. v. 1. 4. 15. 22. 54.

---

1) ἑαυτοῖς, *vobis ipsis*] Amplissima usura. Hebr. 10, 34. *V. g.*

2) ἐγρηγόρησεν ἄν, *vigilasset*] Neque id praecipui quidquam fuisset. Horae ambiguitas vigilias et continuas reddit et laudabiles. *V. g.*

Digitized by Google

v. 42. τίς, *quis*) Ad interrogationem Petri non exserte respondet Dominus: sed tamen innuit, se paraboIam loqui ad discipulos proprie (nam oeconomus differt a familia ei commissa:) sermonemque in singulari format, ad hos singulos eo magis acuendos. Deinde v. 54. s. dicit aliquid ad *omnes*, populum reprehendens, qui nec dum agnito adventu Messiae primo, non capiebat doctrinam de secundo adventu. — καταστήσει, *constituet*) Futurum tempus: quia *fidelitas* dignum facit servum, qui constituatur super familiam. Novum *constituet* sequitur v. 44. Gradus a familia ad opes omnes.

v. 45. [1]) ἐσθίειν καὶ πίνειν, *edere et bibere*) Actus. μεθύσκεσθαι, *ebrietati* indulgere, habitus.

v. 46. ἀπίστων, *infidelibus*) Antitheton, *fidelis*, v. 42. Qui cor divisum habet, *dividetur*.

v. 47. τὸ θέλημα, *voluntatem*) qua vigilantia requiritur. — μὴ ἑτοιμάσας) Neutrum, uti c. 9, 52. [*Sequitur* ποιήσας, *respectu servi* ipsius: *nam* ἑτοιμάσας *alios respicit, quos parare debuerat servus.* V. g.] — πολλὰς, *multas*) sc. πληγὰς, *plagas*. Eadem ellipsis 2 Cor. 11, 24.

v. 48. ὀλίγας) non modo pauciores, quam is, qui scivit, sed *paucas*. — ᾧ ἐδόθη πολὺ, *cui datum est multum*) praesertim si ipse ambierit et rapuerit. — παρέθεντο) tanquam *depositum* ii *commiserunt*, quorum erat committere. Personale ellipticum.

v. 49. πῦρ, *ignem*) optandum, ardoris spiritualis. c. 3, 16. Matth. 10, 37. cum conseq. et anteced. Continuat Dominus sermonem a rebus terrenis ad coelestia homines vocantem: et sensim revertitur ad ea, quae ante interpellationem dixerat. v. 13. 12. — βαλεῖν) de coelo, *mittere*. — εἰς τὴν γῆν, *in terram*) Ignis ille non est nativus terrae: non dicit, *in terra*, uti v. 51. — τί θέλω, *quid volo*) Praesens, *volo*, pro, *vellem*, convenit rei valde optatae et certo futurae. *quid ultra velim: si ignis accensus jam sit?* Accensionem praecessit lucta. Accensus est Act. 2.

v. 50. βάπτισμα δὲ) *Sed baptisma*, idque consummatum, debet praegredi ignem, ejusque accensionem. — ἔχω βαπτισθῆναι) Conf. Marc. 10, 38. — πῶς συνέχομαι, *quomodo coarctor*) Joh. 12, 27. Matth. 26, 37. Quo propior passio, eo major affectus. Formula praecedens, *quid volo*, voluntatem ac prolubium merum indicat: sed τὸ, *quomodo coarctor*, (coll. Phil. 1, 23. 2 Cor. 5, 14.) voluntatem per objecta adversa eluctantem innuit. — τελεσθῇ, *consummatum fuerit*) Joh. 19, 30.

v. 51. οὐχὶ) *non* pacem ejusmodi, quae heterogenea, bona et mala, congregat. — διαμερισμὸν, *divisionem*) Vim dividendi habet gladius, Hebr. 4, 12. Et ignis, de quo v. 49. separat heterogenea, et congregat homogenea.

v. 52. πέντε, *quinque*) pater, mater, filius, filia, et nurus. Non additur gener: nam hic aliam constituit familiam. — τρεῖς ἐπὶ δυσὶ, *tres super duobus*) Numeri ad divisionem aptissimi.

v. 54. καὶ τοῖς ὄχλοις, *etiam turbis*) Nam superiora dixerat apostolis. v. 42. not. Imitatores Christi debent subire *divisionem* propter nomen ipsius: multitudo, extra causam illam coelestem, *paci* studere. *Populare* impedimentum gratiae, simultates. v. 58. — ἀπὸ δυσμῶν, *ab occasu*) Ad occasum Judaeis erat mare: unde pluvia. — εὐθέως, *statim*) sine dubitatione.

v. 55. νότον, *austrum*) c. 13, 29. Act. 27, 13. — καύσων) καύσων interdum dicitur ipse ventus ab oriente: sed καύσωνος prognosticon hoc loco est ventus auster. itaque καύσων dicit *aestum*, quem dabat Judaeis ventus ex regionibus ad aequatorem sitis.

---

1) δὲ, *vero*] Ingens differentia tum actionis tum retributionis. *V. g.*

Digitized by Google

v. 56. ὑποκριταὶ, *hypocrytae*) *Hypocrita* dicitur, quisquis partem aut speciem boni affectat, majusque bonum negligit. Dicitur etiam v. gr. ὑποκριτὴς ὀνείρων, *conjector somniorum:* sed hoc loco Dominus sine dubio usitatum verbum hebraicum adhibuit, quo innuitur hypocrita malignus. nam ea tempestatum signa allegantur, quae quilibet plebejus etiam sine peritia physica poterat cognoscere. — τῆς γῆς, *terrae*) v. 54. — τοῦ οὐρανοῦ, *coeli*) v. 55. — καιρὸν) *tempus* Messiae. v. 49. s. — πῶς οὐ, *quomodo non*) Spiritualis *probatio* homini multo facilior esse debebat, quam physica. [*Imo vero a multitudine quae hic requiruntur, ea vel ii detrectant hodie, qui amplissimo loco constituti sunt.* V. g.]

v. 57. [1]) καὶ ἀφ᾽ ἑαυτῶν) *vestra sponte, etiam* sine signis, et citra considerationem hujus temporis. sic ἀφ᾽ ἑαυτῶν, c. 21, 30. conf. Matth. 16, 3. not. [*Vel hoc dicit locutio* ἀφ᾽ ἑαυτῶν: Priusquam Judex sententiam pronunciet, vobisque aliunde res innotescat. *Saepe quis admonitus, quid justum quidve iniquum sit, agnoscere cogitur: at sponte conjicere, satius est. Nabal, qua ratione Davidem excipere debuisset, edoctus postea cognovit: sed prius neglexit considerare.* V. g.] — τὸ δίκαιον, *id, quod* verum et *justum* est, et verae paci conducibile. v. 58. coll. v. 51. et v. 13. de lite fratrum. Christi regnum, *justitiae* regnum.

v. 58. γὰρ, *enim*) Γὰρ, *enim*, saepe ponitur, ubi propositionem excipit tractatio. — ὑπάγεις, *abis*) quamvis invitus. — ἀντιδίκου, *adversario*) actore, cui debes *reddere*, v. 59. — ἄρχοντα, *principem*) *judicem*. — ἀπηλλάχθαι, *liberari*) transactione, et conditione quavis. Compositio amica etiam civiliter suaderi solet. Favorabilis *divisio*. — κατασύρῃ, *pertrahat*) Magna potestas offensae partis quae interdum vinculum animae cum corpore rumpit. — τῷ πράκτορι, *exactori*) exsecutori. Satanas ipse est reus, non exsecutor.

CAPUT XIII.

v. 1. Τῷ καιρῷ, *tempore*) Opportune, coll. c. 12, 57. — ἀπαγγέλλοντες, *annunciantes*) ut re recenti. — πιλάτος, *Pilatus*) Congruit hoc Pilati factum cum inimicitiis adversus Herodem. c. 23, 12. Alterius altera fuit causa. — ἔμιξε, *miscuit*) Euphemia.

v. 2. δοκεῖτε) Metonymia. *putatisne*, vos esse insontes, et fore impunes? Non tam, quid aliis, vel quare acciderit, quam quid nobis accidere possit, quid nobis agendum sit, spectare debemus. [*Hic novellarum praecipuus usus.* V. g.]

[2]) v. 3. 5. λέγω ὑμῖν, *dico vobis*) Dominus hoc profert ex thesauris scientiae divinae. — πάντες, *omnes*) Galilaei et Hierosolymitae. — ὡσαύτως) Hoc significat, *eodem modo:* ὁμοίως, *simili modo:* ὡσαύτως plus est. et respondit eventus: nam Judaei puniti sunt per gentem, ex qua erat *Pilatus:* et eo tempore, paschali, quum sacrificia vigebant: et ferro.

v. 4. ἢ, *aut*) A Galilaeis, instante discessu ex Galilaea, transit oratio ad Hierosolymitanos: coll. v. 33.: a caede per homines inflicta ad casum, qui fortuitus videri posset. — οἱ δέκα καὶ ὀκτὼ, *decem illi et octo*) Profundum judicium, in mortibus multorum conjunctis. — ὀφειλέται, *debitores*) Conf. v. 34. — κατοικοῦντας ἐν ἱερουσαλὴμ) Sic LXX. *in Jerusalem*, urbe ceteroqui sancta.

v. 5. ἀπολεῖσθε, *peribitis*) Factum, in obsidione et clade urbis.

v. 6. συκῆν, *ficum*) arborem, cui per se nil loci est in vinea. Liberrime

---

1) δὲ, *vero*] Quae praecedunt, fidem spectant: haec, amorem. Maximi, quae h. l. proponuntur, momenti esse oportet, quum ex omni quod justum est, hoc unum ad populum commemoret Jesus. *V. g.*

2) ὅτι, *eo quod*] A singularibus calamitatibus minus tuto concluditur ad singularia delicta. *V. g.*

Digitized by Google

Israëlem sumsit Deus. — αὐτοῦ, *sua*) Vineam habet Pater, eamque colit Christus, עבד יהוה coll. v. 8. *Domine:* vel, vineam habet Christus, eamque colunt ministri ejus. — πεφυτευμένην, *plantatam*) studiose.

v. 7. τρία, *tres*) Numerus quodammodo decretorius. Tertium docendi annum incipiebat Dominus, ut vera docet Harmonia evangelistarum. — ἔρχομαι, *venio*) Sermo concisus, uti cap. 15, 29.: *tot annos* (servivi et adhuc) *servio tibi.* — ἔκκοψον, *excinde*) Magna in hoc verbo severitas: magna potestas *Vinitoris.* — καὶ, *etiam*) non modo nil prodest, sed etiam laticem avertit, quem e terra sucturae erant vites, et soles interpellat, et spatium occupat.

v. 8. ἀποκριθεὶς, *respondens*) pro tenero suo affectu in arborem, utpote quam colebat. — ἄφες, *sine*) Hoc affine est argumento a facili, nec sumtuoso. — [*Tantum vel eos jurat intercessio Christi, qui per se dudum periissent.* V. g.] — τοῦτο τὸ ἔτος, *hunc annum*) annum tertium, quo Jesus eos maxime visitavit, c. 19, 42. 44. redemtionemque perfecit et apostolos misit. Act. 2. [*Sequitur ex hac parabola, tria omnino paschata baptismum inter atque resurrectionem Christi intercessisse.* Harm. p. 403.] — κόπρια) *Greg. Naz.* κόπρια περιβαλεῖν. Sing. κόπριον.

v. 9. κἂν, *et si*) Apodosis subauditur: *bene est*, vel, *relinquam:* vel *faciat fructum.* Tantundem. — ἐκκόψεις, *excindes*) Non dicit vinitor, *excindam,* coll. v. 7. sed rem refert ad dominum: desinit tamen pro ficu deprecari. — μέλλον) ἔτος, *venturum annum.* Antitheton, *hunc* v. 8.

v. 11. γυνὴ, *mulier*) Videtur haec pia fuisse mulier; quippe cui non dictum hoc loco, *Remittuntur tibi peccata:* imo dicitur *filia Abraham.* — συγκύπτουσα, *incurva*) Habitus corporis, ab obtutu coeli avertens, congruit cum miseria habendi spiritum infirmitatis.

v. 12. ἰδὼν, *videns*) Videtur mulier habuisse desiderium et fiduciam. — ἀπολέλυσαι, *liberata es*) jamdum. Praeteritum. Eadem locutio, v. 15. 16.

v. 13. ἀνωρθώθη, *erecta est*) Recta statura, nobilitati hominis congruens. — ἐδόξαζε, *glorificabat*) Anima et corpus, post opem, est organon laudis divinae quasi recens paratum. — τῷ ὄχλῳ, *turbae*) oblique. Jesum petebat. [*Mulieri enim necopinatum sine dubio sanationis beneficium fuit.* V. g.] — ἔξ, *sex*) sat multi.

v. 15. ὑποκριταὶ, *hypocritae*) Plurale, ad unum: coll. v. 17. uti c. 11, 46. coll. v. praeced. Erat in archisynagogo aliqua erga Jesum reverentia; neque ex proprio, sed ex communi Judaeorum errore ei obstiterat. [1]) — λύει, *solvit*) Aptissima similitudo. conf. *solvi*, v. 16. — ἀπαγαγὼν, *abducens*) Verba cumulantur, ad *opus* demonstrandum.

v. 16. θυγατέρα ἀβραὰμ, *filiam Abrahami*) non modo *filiam Adami.* Magna antithesis ad jumentum. Omnibus Abrahamidis salutem attulit Christus: qui expertes mansere, ipsorum culpa erat. Conf. de Zacchaeo, cap. 19, 9. — ἰδοὺ δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη) *annis abhinc decem et octo.* Nominativus. Sic LXX secundum exemplar Ald. Jos. 1, 11: ἔτι τρεῖς ἡμέραι ὑμεῖς διαβήσεσθε. Specimen omniscientiae Jesu Christi: de causa morbi, et de duratione, quae nullo documento externo videtur prius innotuisse Domino. הִנֵּה אִבּוּד שְׁמֹנֶה וְאַרְבָּעִים שָׁנָה. Deut. 8, 4. — οὐκ ἔδει; *num non oportebat?*) Valet argumentum et a quotidiana indigentia jumenti, v. 15. et a periculo subito, c. 14, 5. Nec licet excipere: hominem vero, tot annis aegrotum, aliquot horas posse exspectare ad sabbati finem. nam ne in jumento quidem extrema est necessitas, cui tamen succurritur: et in hominum

---

1) *Attamen singularem numerum h. l., post marginem* Ed. 2., *praefert* Vers. germ. E. B.

affliction, ubi tempus est auxilii, vel hora magni momenti est, ut primum aegrotus et medicus inter se occurrunt.

v. 17. κατησχύνοντο πάντες οἱ ἀντικείμενοι αὐτῷ) Es. 45, 16. LXX, αἰσχυνθήσονται καὶ ἐντραπήσονται πάντες οἱ ἀντικείμενοι αὐτῷ. — πᾶς, *omnis*) Huc conferantur versus sequentes. — ἔχαιρεν, *gaudebat*) Nobile gaudium et ingenuum. — γινομένοις, *quae fiebant*) sermone et miraculis.

v. 18. τίνι, *cui*) Conf. c. 7, 31. [*Eadem similia, de* grano sinapis et fermento *Salvator anni fere interallo prius apud Matthaeum* (c. 13, 31. 33.), *itemque apud Marcum* (c. 4, 31.) *proposuerat.* Harm. pag. 404.] — ἡ βασιλεία, *regnum*) Ex Judaeis et gentibus multi erant ingressuri. v. 17. 29.

v. 19. κῆπον, *hortum*) clausum. conf. *abscondidit.* v. 21.

[1]) v. 21. ἐνέκρυψεν, *abscondidit*) ita ut fermentum videretur absorptum. — ἄλευρον) Ἀλεύρου σάτα τρία ex Matthaeo huc relata videntur. ἄλευρον habuisse *Italam* versionem antiquissimam, in Apparatu satis, ut arbitror, evictum dedi: *Ambrosii*que testimonium exhibet non modo commentarius ad h. l. sed etiam Sermo V constanter.

v. 22. εἰς, *in*) Iter eo erat comparatum, valde memorabile. v. 33. c. 17, 11. 18, 31. 19, 11. 28.

v. 23. εἰ ὀλίγοι, *num pauci*) Videtur homo putasse, extra Judaismum nullam fore salutem.

v. 24. ἀγωνίζεσθε, *certate*) Quaestio theoretica, initio vertitur ad praxin: *certate*, per fidem, cum precibus, sanctimonia, patientia. Sequitur tamen etiam responsio ad rem. v. 28. ss. [*Multi quidem sunt, qui salvantur*, v. 28. 29. *sed tales potissimum, quos haud existimasses salvatum iri.* v. 29. 30. V. g.] — πολλοί) *multi*, Israëlitae quoque. Rom. 9, 31. Antitheton ad *paucos.* — οὐκ ἰσχύσουσιν, *non valebunt*) יכל LXX, ἰσχύω, absolute. Agon robore constat, ad Deum praesertim. Non valebunt: quia videlicet praeter propter portam quaerunt, et tandem portam probe clausam perfringere non poterunt. vires ad victoriam nec quaerunt serio nec adhibent. v. 27. fin.

v. 25. ἀφ' οὗ, *ex quo*) Hoc ex abrupto subjunctum habet vim magnam. Apodosis est in τότε *tunc*: neque impedit indicativus ἐρεῖ, *dicet.* coll. Marc. 3, 27. not. — ἐγερθῇ, *surrexerit*) a coena, ut claudat ostium. Non enim sermo est de adventu: nam in adventu non Dominus servis, sed servi aperiunt Domino. c. 12, 36. — ἀποκλείσῃ) *clauserit*, alienis. Nunc, nunc certandi tempus est. — τὴν θύραν, *ostium*) Quae foris stantibus *porta* esse videtur, *ostium* est iis, qui sunt intus, ut in *domo.* — καὶ ἄρξησθε, *et inceperitis*) Hoc quoque pendet ab *ex quo.* nam in apodosi τὸ *quaerent* tractatur v. 26. et τὸ *non valebunt* tractatur v. 27. Tales antea non putarant. O quam *horus* erit miseriae sensus, et serus, et diuturnus. Ut facultas praeteriit, homo velle incipit. Num. 14, 40. — κρούειν τὴν θύραν, *pulsare ostium*) non modo *angustum*, v. 24. sed jam *clausum.* — πόθεν, *unde*) Ratio, sub qua non noscuntur. Ut operarii iniquitatis, cogniti sunt.

v. 26. τότε ἄρξεσθε, *tunc incipietis*) antea aliis nixi praetextibus. [*Qui intimâ Christi communione sibi oblatâ, alienati ab Eo prius manserunt, hos, quum familiares fuisse vellent, ablegabit Ipse.* V. g.] — λέγειν, *dicere*) hoc dicentes: cur non noris nos? [*Quotidianam conversationem nostram inspexisti: in medio Te nostro habuimus.* V. g.] Hoc proprie convenit in eos, qui tum erant. — ἐνώπιόν σου ἐν ταῖς πλατείαις ἡμῶν, *coram te: in plateis nostris*) Itaque non modo coram Christo debemus edere et bibere; sed Christi esse participes: nec plateas modo, sed corda doctrinae salutari patefacere.

v. 27. λέγω ὑμῖν, *dico vobis*) Iterantur eadem verba; stat sententia: sed

---

1) καὶ ηὔξησε, *et crevit*] Exemplum rei habes v. 18. 17. *V. g.*

Digitized by Google

iterantur cum emphasi. — ἀδικίας, *injustitiae*) Ergo *justi* intrabunt. Matth. 5, 20.

v. 28. ἐκεῖ, *ibi*) ibi, quo abire jussi eritis. [*Terrorem istum fac mature consideres, ne quando reapse coyaris experiri.* V. g.] — ὄψησθε) *videbitis*, non gustabitis. Miserum spectaculum. c. 16, 23. Impii contra, spectaculum sanctis vestivum. Jes. 66, 23. 24. — ἀβραὰμ, *Abrahamum*) Patriarchae et omnes prophetae Christum spectarunt: quorum fidem qui non sequuntur, non simul accumbent. — πάντας, *omnes*) Omnes prophetae fuere sancti. De his gloriabantur Judaei, quos eorum patres reprobarant. Mitigatur hic et versu 29. terror paucitatis. v. 23. — βασιλείᾳ, *regno*) v. 29. — ἐκβαλλομένους, *qui ejiciamini)* Praesens. statim incipiet fletus.

v. 29. ἥξουσιν, *venient*) Hic non additur, *multi*. [*ut* v. 24. *et* Matth. 8, 11. *Severior est responsio ad quaestionem abusui facile obnoxiam.* V. g.] — ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν καὶ βορρᾶ καὶ νότου, *ab oriente et occasu et aquilone et austro*) Hoc fere ordine ad fidem conversi sunt populi. Inprimis in meridie adhuc praedicabitur evangelium.

v. 30. ἰδοὺ εἰσὶν — καί εἰσι· *ecce sunt: et sunt*) Praesens cum emphasi, in antitheto ad futurum. v. 29. 24. — εἰσὶν ἔσχατοι, *sunt ultimi*) Hoc refertur ad v. 28. s. Absentia articuli totum sermonem facit indefinitum, denotatque quorundam, non omnium, primorum novissimorumque commutationem, non promiscuam utrorumque rationem. nam venientes a quatuor plagis mundi accumbent *cum* patribus et prophetis, non hi *cum* illis. Matth. 8, 11. — εἰσὶ πρῶτοι, *sunt primi*) Hoc refertur ad v. 24. ss.

v. 31. ἡρῴδης, *Herodes*) Pharisaei, hoc dicentes, non sunt plane mentiti; etenim Herodes *vulpes* appellari meruit, eumque a multis ita appellatum suspicatur Simonius. Optabat autem Herodes, ut hic thaumaturgus, quem suspicabatur esse Johannem, quam longissime removeretur: [*quare saepius Eum de loco in locum agitabat*. Matth. 4, 12. 14, 1. *coll.* 13. Harm. p. 407.] idemque placebat Pharisaeis. hinc utrique contra Jesum conspirarunt. Rursum non serio voluisse Herodes videtur occidere Jesum; nam si Johanne occiso, c. 9, 7. s. timuit, non potuisset non gravius, occiso Jesu, timere: sed conatus est Jesum tentare ac submovere per obtentum juris sui territorialis (conf. Amos 7, 12.) derivatasque inde minas, quas Pharisaei, de suo fortasse exaggeratas, non Herodis, sed suis ipsorum verbis, quasi per amicam admonitionem renunciarunt. Utrisque ergo Jesus, nulla re territus, respondet ex veritate. Herodem *vulpem* appellat, accurato characterismo, ob calliditatem et timiditatem hypocriticam, coll. c. 9, 7. simulatas minas jactantem, negans se per eas a miraculis edendis deterreri: internunciis vero et toti Jerusalem animum ingratum et sanguinolentum exprobrat. v. 33. s. Herodes erat *vulpes*, minor persecutor, comparatus ad magnam persecutricem Hierosolymam. — θέλει σε ἀποκτεῖναι, *vult te occidere*) irritatus fortasse Pilati facto. v. 1.

v. 32. εἴπατε, *dicite*) si audetis. — ἐκβάλλω κτλ., *ejicio etc.)* Non addit, *praedico evangelium*. hoc enim minus capiebat Herodes. Ex bonitate actionum Jesu patet malitia insidiarum Herodis. [1]) — ἐπιτελῶ, *conficio*) urgeo, quia tempus breve est. Cum majestate loquitur adversum hostes: cum humilitate, ad amicos Matth. 11, 5. 12, 27. — σήμερον καὶ αὔριον) Sic LXX, σήμερον καὶ αὔριον. Jos. 22, 18. coll. v. 28. Proverbii instar de futuro; ut saepe de praeterito, χθὲς

1) Post cibationem 5000 virorum, c. 9. rarus est Lucas in commemorandis miraculis in Galilaea per Dominum patratis: in genere tamen h. l. notat, quod in itinere passionem sustinendam constitutus haec effatus sit; quorum tria exempla refert c. 11, 14. 13, 11. s. 14, 2. s. *Harm.* p. 406.

καὶ τρίτην ἡμέραν. Si per Herodem stetisset, ne dies quidem relictus esset Domino. — τελειοῦμαι) *finem nanciscor.* conf. Hebr. 11, 40. Tertio die Galilaea [*Herodis territorio*] exiit, Hierosolymam tendens, ibi moriturus: v. 33. fin. et ab hoc tempore consummationem sibi repraesentavit. [*neque in Galilaeam posthac ante resurrectionem rediit.* Harm. p. 407.]

v. 33. τῇ ἐχομένῃ, *sequenti*) Hoc latius quiddam sonat, quam τῇ τρίτῃ, *tertio* die, quod huic includitur. Non duorum duntaxat dierum iter erat in urbem Jerusalem. v. 22. c. 17, 11. Unde tertius dies non solum consummationis, πλὴν *sed etiam*, ante hanc, profectionis ulterioris erat. [*Si recta via*, inquit, *ad locum tenderem, ubi interficiendus sum, tridui certe itinere opus esset.* Harm. l. c.] — πορεύεσθαι, *proficisci*) Dixerant: *proficiscere*, v. 31. Respondet. Hoc ipsum quod tam subito indicitis, non est unius diei. — οὐκ ἐνδέχεται, *non usu venit*) Phrasis haec admittit exceptionem, v. gr. Johannis Baptistae. — ἀπολέσθαι, *interire*) judicio publico.

v. 34. ἱερουσαλήμ, *Jerusalem*) Non sine causa ad hanc urbem sermo vertitur. Pharisaei necessitudinem cum ea habebant: v. 31. et Herodes ibidem erat insectaturus Jesum. — ποσάκις, *quoties*) v. 7. Ter post baptismum eo venerat. [Joh. 2, 23. 5, 1. 7, 10. Harm. l. c.] — νοσσιὰν, *pullitiem*) Nomen collectivum.

v. 35. ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν) Ἔρημος addidere multi ex Matthaeo. Apud Lucam in Galilaea haec dixit Salvator: neque se deinceps Hierosolymis videndum praebuit, donec post Lazarum resuscitatum in ingressu Ipsius regali dixerunt, *Benedictus qui venit, in nomine Domini.* Igitur ab hoc sermone ac praeludio usque ad ingressum illum *reliquit illis domum ipsorum* [1]), sed tamen nondum *desertam.* At apud Matthaeum, post ingressum regalem, ultimo e templo egrediens, *desertam* domum solenniter declaravit. [*Similem inter Lucae et Matthaei verba differentiam observare licuit* Luc. 11, 49. *not.* Harm. p. 407.] — λέγω δὲ ὑμῖν, *dico autem vobis*) Severe loquitur; et tamen clementer, ut modo notavimus: quin etiam Matth. 23, 39. ἀμὴν *amen* abest, quo apud Lucam inserto nonnulli severitatem intenderunt. Particula δὲ *autem* opponit invicem *solitudinem* domus relictae praesentem et *acclamationem* proxime futuram.

CAPUT XIV.

v. 1. Ἐν τῷ ἐλθεῖν, *cum veniret*) invitatus. v. 12. — ἀρχόντων, *principum*) Pharisaei habuere suos *principes*, eosque plures, eximiae auctoritatis: quam tamen Jesus non est veritus. v. 12. init.

[2]) v. 2. ὑδρωπικὸς, *hydropicus*) ea ipsa de re huc ductus.

---

1) *Eandem h. l.* domum *innui, de qua* Matth. 23, 38., *diverso licet tempore, sermo est, confidenter suppono. Atqui* templum *notari l. c., patet ex* Matth. 24, 1. *ubi statim sub effatum istud gravissimum* de templo abiisse *dicitur Salvator. Quid igitur, si in ipso templo haec elocutus est, demonstrativo* οὗτος *opus habuerit ad aedem istam indigitandam? Sane articulus ὁ tali in casu plus quam sufficiens erat. Largissime praeterea concesserim*, Judaeos *nunquam* suam, *sed* Domini *domum constanter appellasse* templum *(quanquam contrarium docet* S. R. D. S. F. Lorenz *Diss. de* Inductione Israëlis ante finem dierum finienda, *Argent.* 1771. p. 50.) *Atqui vero, qui* σπήλαιον λῃστῶν (c. 19, 46.) *vocare* templum *non dubitavit, Eumne miremur per indignationem* domum Judaeorum *h. l. dicere potuisse? Nunquam populus judaicus* Mosis populum, *quod sciam, se dixit: at* Dominus, *populo iratus, ad Mosen:* tuus *inquit*, populus perdidit, Ex. 32, 7. *Conf. omnino* Jer. 7, 4. 8.; *ubi nomenclatura*, templum Domini, *mendacii arguitur:* Hos. 1, 9. לֹא עַמִּי, non — populus meus: Rom. 2, 28., non — Judaeus, *coll.* Apoc. 3, 9. etc. *Haec responsionis loco ad cel.* D. Ernesti Bibl. Theol. Tom X. p. 184. ss. E. B.

2) ἦσαν παρατηρούμενοι αὐτὸν, *callide observabant Eum*] Dolosis et pravis cogitationibus vehementer violatur sabbatum spirituale. *V. g.*

Digitized by Google

v. 3. ἀποκριθεὶς, *respondens*) cogitationi adversariorum. — νομικοὺς, *legisperitos*) qui tamen legem de sabbato non recte intelligebant.

v. 4. ἰάσατο, *sanavit*) Homine hydropico abutebantur adversarii: sed tamen Jesus ei bene fecit.

v. 5. ἀναστάσει, *extrahet*) cum labore.

v. 7. παραβολὴν, *parabolam*) sumtam a moribus externis, spectantem interna. — ἐπέχων, *attendens*) Attentio in conversatione, res saluberrima.

v. 8. εἰς γάμους, *in nuptias*) Non erant tum nuptiae. itaque parabolae hoc inseritur civilitatis causa. — μὴ, *non*) Conf. Prov. 25, 6. Suam quisque, non aliorum omnium, vocationem novit. — εἰς τὴν πρωτοκλισίαν) *in primam sedem*. huic singulari numero respondet τὸ *honoratior*, et τὸ *ultimum locum*. Superbus non modo nonnullis, sed omnibus se anteponit. Ps. 10, 4. — ἐντιμότερος) Hoc in parabola notat *honoratiorem* apud homines: (LXX, Num. 22, 15.) in scopo, pretiosiorem coram Deo, quamlibet interdum serius venientem. pretiosiores autem omnes alios se ipso ducit humilis. conf. Sir. 10, 7—11, 6. in graeco.

v. 9. ἐλθὼν, *veniens*) Conf. Matth. 22, 11. — καὶ αὐτὸν, *et illum*) Dignitas, et dignitatis gradus, ex vocatione. hoc non iteratur v. 10. nam h. l. est motivum modestiae. — ἐρεῖ) Indicativus, uti mox v. 12. not. — δὸς, *da*) Non additur, *amice*, uti v. 10. additur: *amice*. — ἄρξῃ, *incipies*) Ultimum esse, ignominiosum non est nisi altiora affectanti. — αἰσχύνης, *pudore*) Antitheton: *gloria*, v. 10. Apposite. — ἔσχατον) non modo inferiorem, sed ultimum. Qui semel cedere jubetur, longe removetur.

v. 10. πορευθεὶς, *profectus*) alacriter, ex animo. — [1]) προσανάβηθι) *ascende ad* alios honestos. Prov. 25, 7.: κρεῖσσον γάρ σοι τὸ ῥηθῆναι ἀναβᾶναι, ἢ ταπεινῶσαί σε ἐν προσώπῳ δυνάστου.

v. 11. πᾶς, *omnis*) Gravis vocula. [*Axioma saepius repetitum, idque ponderosissimum*. c. 18, 14. Matth. 23, 12. V. g.]

v. 12. [2]) ἄριστον ἢ δεῖπνον, *prandium aut coenam*) Saepius coenae simplex fieri solet mentio. itaque hoc tempore fuerit prandium. v. 1. 25. — μὴ φώνει τοὺς φίλους, *noli vocare amicos*) id est, *non dico, ut invites amicos* etc. Jesus invitationes ex necessitudine naturali et civili quasi suo loco relinquit: ipse meliores praecipit. humanitatis officia non plane tollit. — πλουσίους, *divites*) Epitheton amicorum, fratrum, propinquorum, qui saepe negliguntur, egeni; maxime vero vicinorum: quibus opponuntur totidem genera alia. v. 13. — μήποτε — ἀνταπόδομα, *ne — retributio*) Hic metus mundo ignotus est, uti metus divitiarum. Prov. 30, 8. Fundamentum verae liberalitatis et αὐταρκείας. Quis velit omnia sibi in hac vita pensari? [*Neque tamen desunt, qui celerrime, largissime atque cumulatissime rependi sibi nihil non desiderant, quin et praerogativas atque opportunitates haud promeritas, multos alios opprimendo, tanta contentione venantur, ac si nulla resurrectio instaret vel remuneratio, imo vero ac si nihil plane detrahendum sit iis, qui effrenata praesentium anhelatione futurorum fidem abnegant. Quanti quaeso constant praesentia haud paucis cedentia in rapinam! Beatus, quem exspectare non pigel. Noli aegre ferre, siquando acciderit, ut aliqua re in mundo excidas. At cave iniquius de aliis judices, quibus postponi te nolens volens persentiscis.* V. g.] — καὶ γενήσεται) De hac constructione, μήποτε καὶ αὐτοί σε ἀντικαλέσωσι, καὶ γενήσεταί

---

1) τὸν ἔσχατον, *ultimum*] Qui vel uni seipsum anteponit, is fieri potest ut cogatur cedere. Juvat igitur infimum sane locum occupare. Nulla facile injuria damni minus tibi intulerit, quam haec, siquidem uccopinatus eâ .teipsum affeceris. *V. g.*

2) τῷ κεκληκότι, *qui vocaverat*] Non pessimae notae hic Pharisaeus fuit, v. 14. *V. g.*

σοι ἀνταπόδομα, cui gemella extat versu 9. judicium ferri poterit ex annot. ad Marc. 3, 27. Ea non observata, multi fecere γένηται.

v. 13. κάλει) *voca*, simpliciter; non, φώνει. v. 12. φωνεῖν clarius et solennius quiddam sonat. — πτωχοὺς, *pauperes*) Tales vocat Deus ipse. v. 21.

v. 14. γὰρ, *enim*) Nil manet sine retributione. — σοὶ, *tibi*) amico Salvatoris. — ἀναστάσει, *resurrectione*) Ante resúrrectionem non est plena retributio, sed potius, in vita, facultas ad sementem ulteriorem; et a morte, quies. Ap. 14, 13. — τῶν δικαίων, *justorum*) Act. 24, 15. [Matth. 25, 46. Joh. 5, 29.]

v. 15. ἀκούσας, *audiens*) eoque tactus. [*Facile tamen suspicere, mundani aliquid cogitationibus ejus de regno DEI subrepsisse.* V. g.] — μακάριος, *beatus*) v. 14. Saepe hoc epitheton raritatem connotat. conf. v. 24. Non sufficit, beatos dicere pios; sed quisque pro sua parte niti debet. conf. v. seqq. item c. 13, 23. s. — φάγεται) *edet*. — ἄρτον) Multi, ἄριστον· sed certior lectio ἄρτον, praesertim accedente verbo φάγεται, coll. v. 1. Tamen tum videtur fuisse *prandium*. v. 12. not. Eo majori attentione dignum est, quod in parabola *coena*, non prandium, proponitur. v. 16.

v. 16. μέγα, *magnam*) et lautam et *multis* satiandis idoneam. Gratiae regnum, quatenus per id intratur in regnum gloriae. — ἐκάλεσε, *vocavit*) Nexus duorum sermonum *convivialium*, ad *beatitudinem* ducentium: *Voca* pauperes ad te; Dei *vocationem* sequere.

v. 17. εἰπεῖν, *dicere*) Observanda gradatio: *dicere, vocatis: introduc, pauperes*: v. 21. *coge, eos qui sunt in viis:* v. 23. Progreditur vocatio ad remotiores, vi semper majore pensans moram. [Vocati *sunt ex Israële*. V. g.] — ἤδη) *jam* nunc. Demonstratur praesens tempus Novi Testamenti.

v. 18. ἤρξαντο, *inceperunt*) Antea prae se tulerant, se exspectare. — ἀπὸ μιᾶς) Ἐλλιπές· ἀπὸ μιᾶς sc. γνώμης, *uno animo* vel *uno consensu*. sive ἀπὸ μιᾶς παραιτήσεως, i. e. *pariter coeperunt recusare*. Sic fere ιλ. β'. εἴγε ποτ' ἔσγε μίαν βουλεύσομεν, nimirum βουλὴν, *si quando una sit sententia consilii nostri*. et alibi, οὐχ ὁσίη, κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι, scilicet εὐχὴ, *non est pia gloriatio*, gloriari *in mortuos*. Et Psalmo 26, μίαν ἠτησάμην παρὰ τοῦ κυρίου, scilicet αἴτησιν. et Psalmo 57, εὐθείας κρίνετε υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, nimirum κρίσεις. *Camerarius*. — [1]) ἀγρὸν, *agrum*) Hoc versu innuitur *ager*, versu sequente *negotiatio*. coll. Matth. 22, 5. Utrumque verbum *emi* dicit cupiditatem, ut esse solet recenti re. Homini mundano, ubi vocationem divinam sentit, omnia vana sunt nova et dulcia. — [2]) ἔχω ἀνάγκην, *habeo necesse*) Saepe concurrunt tempora gratiae acceptissima et mundana negotia *urgentissima*. Hic praetexit fictam necessitatem: alter meram aliarum rerum lubentiam, *proficiscor*, v. 19. tertius, perversam impossibilitatem, *non possum*, v. 20. Hic ergo negat, se *posse*: duo illi negant, se *velle*, sed civilem adhibent paraphrasin. His omnibus mederi poterat sanctum illud *odium*, v. 26. Nec tamen tam in affectu sita est varietas repulsae, quam in objecto, agri, boum, uxoris. coll. Matth. l. c. — ἐρωτῶ, *rogo*) Indignissima et miserrima rogatio, qua recusatur regnum Dei.

v. 19. ἠγόρασα, *emi*) 1 Cor. 7, 30. — πέντε, *quinque*) Emtio non minima.

v. 20. γυναῖκα, *uxorem*) v. 26. Conf. 1 Cor. l. c. v. 29. — οὐ δύναμαι, *non possum*) Hic excusator, quo speciosiorem et honestiorem videtur habere causam, eo est ceteris importunior.

---

1) παραιτεῖσθαι, *excusare*] Agrum emere etc. res in se non malae: at malum est, impediri eis, et necessitatem in terrenis cum impossibilitate in spiritualibus praetexere. *V. g.* — αὐτῷ, *ei*] qui instruxerat convivium. *V. g.*

2) ἠγόρασα, *emi*] Abnegandi mundi causam, spirituali sensu, *aliam* agri emtionem (Matth. 13, 44.), *aliam* arationem (Luc. 9, 62.), *aliam* denique desponsationem (2 Cor. 11, 2.) obtendere juvat. *V. g.*

Digitized by Google

v. 21. ἀπήγγειλε, *renuntiavit*) Ministrorum est, auditorum obedientiam et inobedientiam, per preces, referre ad Dominum. — ὀργισθείς, *iratus*) Ergo plane ex animo vocaverat. — ἔξελθε, *exi*) Sic v. 23. — ταχέως, *cito*) Quia parata jam et quasi adhuc calida sunt omnia: quorum praestantia per alios convivas contra contemtum vindicetur. — πλατείας, *plateas*) majores. — ῥύμας, *vicos*) minores. — [1]) τοὺς πτωχούς, *pauperes*) *Vocati* erant, qui inter Judaeos habebantur optimi, v. 1. 3.: *pauperes in plateis*, publicani et peccatores, c. 15, 1. Matth. 21, 31. — πτωχούς, *pauperes*) quos alias nemo facile invitat. — ἀναπήρους, *mutilos*) quos nulla *mulier* sumat, v. 20. — χωλούς, *claudos*) qui non possunt *proficisci*. v. 19. — τυφλούς, *caecos*) qui non possunt *videre*, v. 18.

v. 22. γέγονεν, *factum est*) Conf. Ez. 9, 11.

v. 23. φραγμούς, *sepes*) mendicorum parietes. — [2]) ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, *coge ingredi*) Non est omnimoda coactio; nam qui plane trahitur aut rapitur, non *ingreditur*. conf. *coëgit*, Matth. 14, 22. 2 Cor. 12, 11. Gal. 2, 14. παραβιάζεσθαι, Luc. 24, 29. Act. 16, 15. Aliter *compulit* Saulus pro Judaismo insaniens, aliter Paulus servus Jesu Christi. [*Quo serior est vocatio, eo fortius urget*. v. 23. Dicere, ducere, cogere *sunt in gradatione*. V. g.] — γεμισθῇ, *impleatur*) Nec natura nec gratia patitur vacuum. Multitudo beatorum: extremis mundi temporibus maximam plenitudinis suae partem nanciscens. [*Congruit praedicta Christi saturatio*. Esaj. 53, 11. V. g.]

v. 24. γὰρ, *enim*) Refertur ad *exi*. Quosvis jam potius quaerit Dominus. [*Nec jam ullus contemtoribus locus vacat*. V. g.] — ὑμῖν, *vobis*) Plurale pertinet ad introductos pauperes etc. — τῶν ἀνδρῶν, *virorum*) hominum amplorum. — ἐκείνων, *illorum*) Pronomen removendi vim habet. Hic quoque valet vulgare illud, Absens carens. — γεύσεται, *gustabit*) nedum perfruatur. Judaei contumaces exciderunt etiam regno gratiae ejusque *gustu*.

v. 26. [3]) οὐ μισεῖ τὸν πατέρα αὐτοῦ, *non odit patrem suum*) *patrem*, etc. secundum eam partem, secundum quam *se ipsum* odisse debet, a Christo aversam. Convenit hic textus in illud maxime tempus, quo pauci vere sequebantur Christum; multi oderant, odio digni. Hoc odium non solum comparate et conditionate debet accipi; sed etiam absolute. nam quisquis maturam cognitionem, gustum, appetitum Dei et bonorum coelestium (v. 16.) a Christo duxit; is habet generosum idemque tamen ab omni acerbitate remotum sui et omnis creaturae vanitati subjectae fastidium atque *odium*. Joh. 12, 25. — ἀδελφούς, *fratres*) conf. v. 12. — ἔτι δὲ, *adhuc vero*) Homini carissimum, ipse. Saepe qui inferiorem sancti odii gradum visus erat assequi, in altiore deficit. — τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν, *animam suam*) se ipsum. — μαθητὴς εἶναι, *discipulus esse*) εἶναι μαθητὴς, *esse discipulus*, v. seq. Utroque loco accentus in pronunciando cadit super verbum prius.

v. 27. καὶ) *et tamen* (non, *et non*) *venit*, ambulatque *post me*, ut vos, quasi vellet esse discipulus meus. conf. Matth. 16, 24. not.

v. 28. πύργον) *arcem*. — καθίσας, *sedens*) dato sibi spatio ad faciendam summam rerum suarum. sic quoque v. 31.

v. 29. [4]) ἄρξωνται, *incipiant*) Non conantem frustra, nemo ridet.

---

1) τῆς πόλεως, *urbis*] Hâc cas gentes innui existimes, inter quas Judaei dispersi erant. *V. g.* [*Conf. tamen not. seq.* E. B.]

2) εἰς τὰς ὁδοὺς, *in vias*] Merus hic paganismus innuitur. *V. g.*

3) εἴ τις, *si quis*] Ubi maxima hominum multitudo confluxit, ibi eximiâ quandoque sermonis severitate usus est Jesus. *V. g.*

4) ψηφίζει, *calculos subducit*] Sumtuum aedificatoriorum supputatio, consultatione bellica non nullius momenti res sunt. Tu vero vide, an aeternae vel salutis vel miseriae caussa curatius unquam deliberaveris. Facilis descensus ad orcum. *V. g.*

Digitized by Google

v. 30. οὗτος, *hic*) Significatur nomen proprium. Vulgo ponunt N. N.

v. 31. ἢ, *aut*) Magnum et arduum Christianismus. comparatur cum rebus magnis et arduis: ut est, in re privata, aedificatio pretiosa, in publica, bellum. Prior parabola exprimit odium patris et matris etc. altera odium animae suae. — βασιλεὺς, *rex*) Christiana militia, regale quiddam. — εἰς πόλεμον, *in bellum*) Conf. Gen. 32, 24.

v. 32. ἐρωτᾷ, *rogat*) Facilius a se impetrat rex, ut exercitum impendat, quam ut pacem roget. haec igitur rogatio pacis exprimit odium animae propriae, quo quis, omni suitate abnegata, merae se gratiae permittit. Possit etiam, mutato schemate, *pax* esse fuga odii apud suos: pax mala.

v. 33. οὐκ ἀποτάσσεται, *non abdicat*) Aedificator pecunias, belligerator copias, discipulus parentes et caritates omnes abnegat et *impendit*. Illi habent apparatum positivum: hic, *negativum*. [*Magnus conatus, discipulatum Christi ambire. Satius abstinet, cui non omnia, quae ad rem faciunt, arrident*. V. g.]

v. 34. ἅλας) *Sal*, sunt discipuli. Matth. 5, 13. Marc. 9, 5. Sal, acre quiddam: sit Christianus. vers. praec. [*Acriter, quod agendum est, et graviter agere nos oportet*. V g.]

v. 35. οὔτε, *neque*) id est, neque immediatam neque mediatam utilitatem affert. Theologus spirituali sale carens ne politicae quidem frugi est. Es. 9, 14. — ἔξω, *foras*) Severitas, etiam in sermone.

CAPUT XV.

v. 1. Πάντες, *omnes*) non modo plurimi: *omnes*, qui ibi erant. [*Apparet h. l., quomodo Salvator iis, qui ad Eum congregati sunt Eique adhaeserunt, id ipsum praestiterit, quod Hierosolymitanis, siquidem voluissent, praestitisset. Scilicet gallinae ad instar, pullos alis protegentis et fovent is, eos habuit*. Harm. p. 415.]

v. 2. διεγόγγυζον) *murmurabant inter* se.

v. 3. τὴν παραβολὴν ταύτην, *parabolam hanc*) versu 4—10. Prior pars declarat curam et gaudium Redemtoris; altera, Dei.

v. 4. τίς, *quis*) Ovis, drachma, filius perditus: peccator stupidus, sui plane nescius, sciens et voluntarius. — ἑκατὸν, *centum*) Ex magnitudine gregis patet solicitudo pastoris pro ove una. — ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deserto*) ubi pascitur grex. — πορεύεται, *proficiscitur*) In recuperanda anima non homo, sed Deus, laborat quasi. v. 8. — ἕως, *usque dum*) Antea non desistit. v. 8. Ideo Jesus Christus secutus est peccatores usque ad victum quotidianum, usque ad mensas, ubi maxime peccatur.

v. 5. ἑαυτοῦ, *suos*) Poterat servi opera uti: sed amor et gaudium ipsi operam dulcem reddit.

v. 6. ἐλθὼν εἰς τὸν οἶκον, *veniens domum*) Jesus Christus plane in ascensione domum rediit; nam coelum ejus domus est, Joh. 14, 2. et tum maxime certiores fecit coelites de rebus suis gestis in terra. 1 Tim. 3, 16. Hinc ἔσται *erit*, futurum, v. 7. at, γίνεται *fit*, praesens, v. 10. Permuta haec verba inter se paulisper: videbis differentiam. — συγκαλεῖ) *convocat*) Activum: Medium, συγκαλεῖται, v. 9. *convocat ad se*. — φίλους, γείτονας, *amicos, vicinos*) Diversa genera coelicolarum, quin etiam angelorum. v. 10. *Vicini* homines non eandem, sed proximam habent *domum; amici, voluntate* conjuncti sunt. — τὸ) *illam*, quam nostis. Coelites sciunt amissionem et recuperationem animarum. — [1]) ἀπολωλὸς, *quae periit*) *quam perdidi*, v. 9. Ovis, animal, quasi sponte perit, prae drachma.

1) μου, *meam*] In amissa etiam jus competit pastori. *V. g.*

Digitized by Google

v. 7. ὑμῖν, *vobis*) Gravissime hoc gaudio refutatur Pharisaeorum murmur. — χαρὰ) *gaudium* solenne et festum, audita re salutari, in terris gesta. — [1]) ἐν τῷ οὐρανῷ, *in coelo*) Pastor, Jesus Christus, amicos et vicinos habet vel maxime *spiritûs justorum*; qui eo magis participes sunt hujus gaudii, quia majorem habent cum hominibus necessitudinem. Versu 10. gradatio fit ad *angelos*, qui illo loco nominantur potius, quia ibi non spectatur Christus *homo*. Neque angeli id cognoscere dicuntur ex conversatione cum homine; nam non omnes cum uno sunt homine: sed ex Domini revelatione, quae spiritibus justorum aeque potest obtingere. conf. Hainlini Sol temp. f. 80. et Ven. Weismann. H. E. P. I. pag. 106. Sic angelis contradistinguuntur reliqui coelites Ap. 18, 20. seqq. — ἑνὶ, *uno*) et multo majus, de multis. v. 1. — ἢ) id est, μᾶλλον ἤ. cap. 18, 14. LXX, Ps. 118, 8. 9. Haec clausula non additur. v. 10. — οὐ χρείαν ἔχουσι, *non egent*) quia cum pastore sunt: et *poenitentiam* pridem nacti sunt. Justus est in via: poenitens, redit in viam.

v. 8. γυνὴ, *mulier*) Significatur ἡ σοφία, *Sapientia*, sive Koheleth; vel רוח *Spiritus* sanctus, sicuti *Filius*, v. 4. et *Pater*, v. 11. Varius est hominis habitus ad Deum. — σαροῖ, *verrit*) Id non fit sine pulvere, ex parte hominis.

v. 9. συγκαλεῖται, *convocat*) statim. — τὰς φίλας καὶ τὰς γείτονας, *amicas et vicinas*) Copiae angelicae per se non habent sexum: spectantur tamen ut vel domi vel foris agentes, Hebr. 1, 14. not. foris, habitu virili, bellis apto: domi, habitu pacifico et feminino.

v. 10. γίνεται) *fit;* non modo *fiet*. Apertissime hoc loco de coelo agitur; uti etiam de inferno, c. 16, 23. eodem sermonis tractu. Vide nexum c. 16, 1. 14. ss.

v. 11. εἶπε δὲ, *dixit autem*) Habet haec parabola quiddam divisum a prima et secunda.

v. 12. ὁ νεώτερος) ὁ ἕτερος. Matth. 21, 30. Notantur *bini* filii dissimiles. — τὸ ἐπιβάλλον) Sic, τοῦ καρποῦ τοῦ ἐπιβάλλοντός μοι λαβεῖν, 1 Macc. 10, 29. (30.) — μέρος, *partem*) Quilibet suam *partem* a Deo accipit. — αὐτοῖς, *illis*) etiam majori filio, non roganti, usufructu tamen, ut apparet, nondum tradito: v. 31.

v. 13. ἀσώτως) Verbum magna proprietate positum. ἄσωτος ὁ δι᾽ αὐτὸν ἀπολλύμενος. Arist. l. 4. Eth. c. 1. ubi ἀσωτία est excessus liberalitatis cum intemperantia conjunctus. [*In eo statu mortuus fuit patriae.* v. 24. V. g.]

v. 14. αὐτὸς ἤρξατο, *ipse coepit*) Fames eum non in postremis corripiebat.

v. 15. τῶν πολιτῶν, *civium*) etsi ipse non factus est ibi *civis*. Quem reditus ad frugem manet, is saepe etiam in medio errore suo (Joh. 11, 52.) quiddam a propriis mundi civibus divisum retinet. — ἔπεμψεν, *misit*) Magna indignitas. — χοίρους, *porcos*) Vilis conditio, pro Judaeo praesertim.

v. 16. γεμίσαι, *implere*) Quo major inanitas, eo major appetitus. — τῶν κερατίων) Syrus: חרובא, unde sententia partim nata videtur, partim confirmatur eorum, qui non de leguminum siliquis, sed de fructu siliquae arboris, καρούβια dicto, (unde Gall. *carrouges*) accipiunt, quo et pauperrimi mortalium et porci vescerentur: ut censent Maldonatus, Bochartus, Drusius, Simonius, et ante hos nescio quis in Lexico Graeco X. virali Basileae 1584 edito. Adde Buxt. Lexicon Talm. qui col. 821 docet, חרוב esse arboris speciem. Certe omnia κεράτια sunt *siliquae*: omnes *siliquae* haud scio an κερατίων nomine appellentur.

v. 17. εἰς, *in*) Nutrimenta sensus diffundendi (non inepte Galli dicunt *se divertir*,) defecerant. Initium reditus pendet a summo miseriae: qua *furor* peccandi defervescit, ut homo *ad se*, et mox ad Deum redeat. Poenitentia, conversio.

---

1) ἔσται, *erit*] Futurum: quo reditus Christi in patriam innui videtur. *V. g.*

[1]) v. 18. ἀναστὰς, *surgens*) Primordia poenitentiae, accurate indicata. — πάτερ, *Pater*) *Patris* nomen manet, etiamsi degeneres sint filii. — εἰς τὸν οὐρανὸν, *in coelum*) Conf. v. 7.

v. 19. ποίησόν με) *utere me.* — ἕνα) *uno* quovis. — μισθίων, *mercenariorum*) qui vel ex alienis sumuntur.

v. 20. καὶ, *et*) Dictum, factum. — εἶδεν, *vidit*) reducem, famelicum, nudum. coll. v. 22. — [2]) δραμὼν, *currens*) ex domo. conf. ἐξενέγκατε, *proferte*, v. 22. Parentes alias non facile occurrunt filiis. — κατεφίλησεν) *deosculatus est.* [*Qui clementiorem salutationem sperare poterat filius, si vel optime rem suam, quum peregre esset, egisset?* V. g.]

v. 21. εἶπε, *dixit*) Ea comitate non est abusus filius, quo minus, quae destinarat, dicere institueret. Poenitentia seria non satisfacit sibi una otiosa cogitatione.

v. 22. εἶπε, *dixit*) Non eloquitur filius omnia, quae dicere statuerat: vel quod ex obvii Patris comitate, accensa filialis fiducia omnem servilem sensum absorberet; vel quod Patris comitas sermonem filii abrumperet. — πρὸς τοὺς δούλους, *ad servos*) Filio respondet re ipsa. — ἐξενέγκατε, *proferte*) in publicum. Si res maximas et optimas gessisset hic filius, non posset majorem sperare honorem. — τὴν) *illam.* — πρώτην) *primam*, praecipuam. Contra, *currus secundus*, Gen. 41, 43.

v. 23. τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν) Jud. 6, 25. τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν καὶ μόσχον δεύτερον ἐπτασετῆ. Articulus singularem praestantiam notat. — εὐφρανθῶμεν, *laetemur*) Summa vi hoc verbum iteratur, v. 24. 32.

v. 24. οὗτος, *hic*) Carmen et hymnus cum rhythmo, saepe repetitus, v. 32. cum symphonia, v. 25. Carmine usi veteres in magno affectu. Gen. 37, 33. 1 Chron. 13, (12.) 18.

v. 25. ἐν ἀγρῷ, *in agro*) lanquam *serviens.* v. 29. — χορῶν, *choros*) exultantes.

v. 27. ὁ ἀδελφός σου, *frater tuus*) Argumentum commovens. — ἥκει) Hesychius, ἥκει, ἔρχεται, ἢ ἦλθεν. — ἔθυσεν, *mactavit*) *Vitulum mactatum* prae *stola, annulo, calceis,* memorare dicitur *puer*, quia praecipuum cum symphonia et choris nexum habet. Inde etiam filius major id allegat, v. 30. antequam fratrem tam pulcre amictum videret. — ὑγιαίνοντα) *salvum.* Jos. 10, 21. בשלום LXX. ὑγιῆ.

v. 28. οὐκ ἤθελεν, *noluit*) Magna iniquitas. — ἐξελθὼν, *egressus*) Magna lenitas Patris.

v. 29. τοσαῦτα ἔτη, *tot annos*) Antitheton: *quum*, v. 30. — δουλεύω, *servio*) Confessio servitutis. Non addit, *Pater.* — ἔδωκας, *dedisti*) nedum *mactares.* — ἔριφον, *haedum*) nedum *vitulum.* v. 27. — φίλων, *amicis*) Antitheton: *scortis.*

v. 30. οὗτος, *iste*) Sic c. 18, 11. not. — ὁ καταφαγών σου τὸν βίον, *qui consumsit tuum victum*) Invidiose loquitur frater major. — ἦλθεν) *Venit*, dicit, ut de alieno loquens: non, *rediit.* — αὐτῷ, *illi*) Dativus commodi. [Heluoni isti, *ait natu major.* V. g.]

v. 31. εἶπεν, *dixit*) Querelae duplici dupliciter respondet. — τέκνον, *fili*) Amanter appellat: [*laetitiâ de reditu filii perditi perfusus.* V. g.] nec statim abjicit invidum fratrem Pater. — πάντοτε, *semper*) neque ideo opus est, *laetari* instituto peculiari. v. 7. fin. — μετ' ἐμοῦ, *mecum*) Praestat cum patre lae-

---

1) ἐγὼ δὲ ὧδε, *ego vero hic*] Vocula ὧδε, *hic*, post ἐγὼ δὲ, vim habet. *Not. crit.*

2) καὶ ἐσπλαγχνίσθη, *et misertus est*] Hoc vero est, ne vultum quidem adducere, vel frontem rugare. Jer. 3, 12. *V. g.*

Digitized by Google

tari, quam cum amicorum grege. v. 29. — πάντα, *omnia*) Praerogativa populi Judaici. — τὰ ἐμά, *mea*) Non opus est, externas quaerere *amicitias*. — σά ἐστι, *tua sunt*) Nam frater junior partem suam acceperat: et natu major successionem habebat in bona paterna praecipuam. Possunt multa esse filiorum Dei, quorum pleno usufructu non gaudent. Adeo non debebat frater natu major conqueri, haedum sibi nunquam datum.

v. 32. ἔδει) Non solum illud significatur, *deberes tu gaudere*: sed hoc, *gaudium debuit institui domi nostrae*. Est enim quasi apologia ad querelam, versu 30. expressam. coll. v. 2. [*Mira patris facilitas!* V. g.] sic ἔδει, non, *oporteret*, sed, *oportuit*, Act. 1, 16. — ὁ ἀδελφός σου οὗτος, *frater tuus iste*) Antitheton: *filius tuus iste*. v. 30.

CAPUT XVI.

v. 1. Μαθητὰς, *discipulos*) Hi discipuli non sunt duodecim illi, qui omnia reliquerant, et potius erant *amici faciendi:* sed qui fuerant publicani. Ac Dominus jam gravius loquitur *cum* discipulis, qui fuerant publicani, et severius: quam *pro* his ad alios. Filius cum gaudio recuperatus non quotidie symphonias habet, sed ad officium redire docetur. — διεβλήθη) Verbum mediam vim habet. Conf. c. 15, 30. *Delatus* erat oeconomus, vere, quaecunque fuerit mens deferentis. — διασκορπίζων, *dispergens*) Praesens, praeterito incluso. Idem verbum, c. 15, 13. Parabola non spectat ad omnes oeconomos; qui potius per totum oeconomiae tempus debent fidem praestare: 1 Cor. 4, 2. sed ad eos, qui longo oeconomiae spatio rem male gesserunt. Tota mundi ratio est *dispersio* in bonis externis, quatenus in loca non sua conferuntur; etsi plerique injusti videntur *congregare*. [*Enimvero, qui in* dispergendo *alacritatem praestat, is* congregat *in coelo*. V. g.]

v. 2. τί τοῦτο, *quid hoc*) Loquitur homo dives quasi de re nec opinata. Deus homini credit. — ἀκούω, *audio*) ex querelis. Deus *audire* innuitur, quasi non *videret* ipse. ita oeconomus sibi permittebatur. — τὸν λόγον) *libellum*.

v. 3. σκάπτειν· ἐπαιτεῖν, *fodere: mendicare*) Mors nec laborandi nec rogandi relinquit locum. Cohel. 9, 10. Ornamentum parabolae in apodosi, quoad res fert, accommodatur. Plenaria innuitur ἀπορία oeconomi, si careat perfugio ad debitores Domini. — αἰσχύνομαι, *pudet me*) Dixeris: ex nimia modestia et sensu suae indignitatis.

v. 4. ἔγνων, *novi*) Subito consilium cepit.

v. 5. ἕνα ἕκαστον, *unumquemque*) ut quam plurimos sibi obligaret. ergo duo exempli duntaxat gratia subjunguntur in seqq.

v. 6. δέξαι) *accipe* a me. — γράμμα, *scriptum*) syngrapham. — ταχέως, *raptim*) furtim. — πεντήκοντα, *quinquaginta*) Magna donatio. v. 7. Magno paratur amicus.

v. 7. σὺ δὲ, *tu vero*) Conjunctio indicat, oeconomum non seorsum cum quovis egisse debitore.

v. 8. ἐπήνεσεν) non solum ratum habuit oeconomi consilium, sed cum approbatione *laudavit*. — ὁ κύριος, *dominus*) oeconomi. v. 3. 5. — τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας, *oeconomum injustitiae*) Dicitur *injustus* non tantum propter pristinam bonorum heri sui dispersionem, sed etiam propter novum consilium, quo L batos olei et XX coros tritici intervertit, et debitoribus ex alieno condonavit, ut sibi prospiceret. Confer inter se v. 4. et 9. *ut, quum*, bis. Ex hac porro *oeconomi injustitia* denominatur ipse *mamonas injustitiae*, v. 9. perinde uti paulo post *injustus* primum dicitur de homine, et ex eo deinceps *mamonas injustus*, v. 10. 11. *Injustus* autem fuit oeconomus non erga debitores heri sui, sed erga herum ipsum: itaque injustus est homo, qui mamona non praecise

Digitized by Google

utitur ad Dei, ut sic loquamur, commodum, sed ad suum ipsius. Ea *injustitia* vel est crassa, nefaria, poenam cumulans: uti describitur post hanc parabolam, versu 10. s. vel, mollito per parabolam vocabulo *injustitiae,* subtilis, ingenua, innoxia. nam ut *justus* dicitur secundum quid Es. 49, 24. sic *injustitia,* 2 Cor. 12, 13. not. Bona videlicet ea, quae *mamonae* vocabulo notantur, *aliena* sunt, eo sensu, quo spiritualia et aeterna ex opposito *nostra* sunt. v. 12. Ex alienis autem bonis quisquis suum quaerit et percipit commodum, *injustus* est. Admirabilis igitur est indulgentia, et conniventia *quasi* nimia, quod Deus nobis concedit, imo consulit, ut ex suis bonis amicos paremus nobis. *Jus* haberet Ille postulandi, ut nos, oeconomi, bona sua praecise ad Ipsius (ut sic loquar) commodum dispensaremus, nullo nostro usu: nunc vult, ut rationem utilitatis nostrae generoso admisceamus vel substituamus arbitrio. Sic Deus de suo *jure* decedit: magna facilitate, cui similis illa, de qua Rom. 3, 4. not. Id quum *improbe,* i. e. strenue accipimus et amplectimur, *injustitiam* admittimus, sed talem, quae non modo non reprehenditur ipsa, verum etiam cum laudabili prudentia est conjuncta. O quanto et injustiores et imprudentiores sunt, qui in bonis Dei sibi unice dulces sunt! Omnis quidem *injustitia* peccat contra Deum; et sic *injustitia,* quae mamonae adscribitur, uti vulgatissimam fuisse phraseologiam ממון שקר docet Lightfootus, qui confert exemplum Zacchaei, famoso significatu et vulgari posset accipi: sed eadem h. l. sita est in illo ipso oeconomi facto, quo sibi amicos paravit: idque nos adigit ad significatum *injustitiae* reconditum. Frequens autem est et suavis saepe et grandis catachresis, qua vocabulum non bonae rei tamen in bonam partem, non extante aptiore altero, adhibetur. Talia sunt ἄλογον, *quod non reputatur:* ἀχάριστον, *pro quo nulla gratia digna referri potest:* talia, ἐξέστημεν· καταναρκᾶν et ἐσύλησα, 2 Cor. 5, 13. 11, 8. et, quae propius huc spectant, διὰ κενῆς Job. 2, 3. 9, 17. ἐσκλήρυνας αἰτήσασθαι 2 Reg. 2, 10. οὐ νόμος Jer. 49, 12. βιασταὶ ἁρπάζουσιν Matth. 11, 12. ἀναίδεια Luc. 11, 8. Si nimis quaesita censetur haec interpretatio, *injustus* dici existimetur mamonas, quia non *jure* fert appellationem *bonorum.* — ὅτι, *quoniam*) Jesus rationem addit ad parabolam, quare oeconomus tantam prudentiae laudem consecutus sit. — οἱ υἱοὶ —) *Filii hujus seculi* (c. 20, 34.) sunt, qui huic mundo tenebris obsito ejusque bonis student: *filii lucis* (1 Thess. 5, 5. Eph. 5, 8.) qui in hoc *mundo* viventes, lucis bona quaerunt, quae dat *Pater luminum*, Jac. 1, 17. Sublimis est haec sententia, coelesti ore Jesu Christi dignissima. — φρονιμώτεροι, *prudentiores*) Comparativus, isque improprius et minuens. nam prudentia mundi non meretur *prudentia* dici in positivo. vis comparativi jam in ὑπὲρ est. — ὑπὲρ, *supra*) Filii lucis non valde curant hunc mundum. ideo facile eos hac in parte excellunt filii hujus seculi, et *laudem* praeripiunt. neque tantam in spiritualibus prudentiam et vigilantiam re ipsa semper adhibent. Matth. 25, 5. Vix curant, quod necesse est: mundani plus, quam opus est. *[Vix quisquam lucis filius vel 50 olei batos vel 20 coros tritici impenderit, ut Sancti cujusdam favorem sibi conciliet: at seculi hujus homines magno quandoque pretio amicum sibi vel patronum acquirunt.* V. g.] — εἰς τὴν γενεὰν, *in generationem*) εἰς, *in* limitat. *[Sublimioris nimirum prudentiae vel scintillula praestabilior est mundanae prudentiae apice. Haec enim, sive civilia negotia, sive bellica, sive mercaturam, sive literas, sive artificia etc. spectes, caducum usquequaque scopum habet: ista ad metam extremam contendit, quae sola maximi momenti est, utut vulgo posthabita et neglecta prorsus ab hominibus seculi.* V. g.] Fructus prudentiae mundanae terminatur in annis non multis. Antitheton, *aeterna.* v. seq.

v. 9. ποιήσατε — ἵνα ὅταν — δέξωνται, *facite — ut quum — sint recepturi*) Repetuntur omnia ex v. 4. — φίλους, *amicos*) non singuli singulos, sed plures. v. 5. not. *[id quod obolis vel teruncii haud sane praestiteris.* V. g.] Hic,

quod rarum est, creditorem amat debitor. sed heu! quid est, non modo carere amicis talibus, sed inimicos, praesertim suspirantes, clamantes, sibi parare per rapinas, fraudes etc. — ἐκ τοῦ μαμωνᾶ, *ex mamona)* non modo per restitutionem ablati, sed etiam per beneficentiam, eleemosynam, facilitatem, indulgentiam, uti Job, c. 31, 20. — ἵνα, *ut)* Non sufficit sola liberalitas: sed haec tamen grande impedimentum introitûs in aeterna tabernacula removet. — ἐκλίπητε, *defeceritis)* in morte, ubi oeconomia a nobis reposcitur. *[Cohel.* 9, 10.] חדל LXX, ἐκλείπω, etiam de justis. sed hoc loco innuit, vi parabolae, talem exitum muneris ac vitae, qui miser esset, nisi parati essent amici. — δέξωνται, *sint recepturi) amici,* vel in hac vita, vel in futura. Coelestium bonorum heredes dicent: Haec *nostra* esse jussit Pater: (v. 12.) haec etiam vestra, qui nobis benefecistis, esse volumus. Judicium divinum multos habet et deprecatores et subscriptores. 1 Cor. 6, 2. *[Scilicet non ii duntaxat indigitantur, quibus benefecerit aliquis, sed omnes omnino, qui ante moribundum ad aeterna tabernacula transierunt, vel suum inibi locum habent. Omnium enim communis est caussa. Atque optime in filiis ac servis DEI collocantur beneficia.* V. g.] Si nullae amicorum in hac re partes essent, quid opus esset, amicos parare? — αἰωνίους, *aeterna)* Hoc opponitur τῇ ἐκλείψει, *defectui.* — σκηνὰς, *tabernacula)* Sic appellantur propter securitatem, amoenitatem, et *contubernii,* tanquam hospitii communicati, commoditatem. Non additur *sua,* ut v. 4. *domos suas,* quia *tabernacula* sunt Dei.

v. 10. ὁ πιστὸς, *fidelis)* Hoc arcte cohaerere cum antecedentibus repetita mamonae mentio indicat. neque tamen *prudentiam* jam, sed *fidelitatem* commendat Dominus. Etenim *fidelitas* prudentiam parit, et dirigit. Conjugata, πιστὸς, ἀληθινὸν (נאמן) et πιστεύσει. — ἐν ἐλαχίστῳ, *in minimo)* Theologia de *maximis* et *minimis.* namque hinc antitheton *multo* etiam superlativi vim, ut רב, assequitur. — ἄδικος, *injustus)* Oppositum, πιστὸς, *fidelis.*

v. 11. ἐν, *in)* i. e. quum tantilla res agitur. — ἀδίκῳ, *injusto)* *Injustus mamonas* opponitur *vero:* et per metonymiam consequentis dicitur pro *minimo* ac vili; quia videlicet propter vilitatem *injustis* etiam ac perfidis hominibus committitur ac datur: imo his maxime; quia hi toti in eum involant et incumbunt, eumque pro unico suo bono habent. v. 25. Omne magnum per homines aut nuper aut pridem contraxit aliquid ex iniquo. Translatio dominiorum tot seculis quid potuit possessionibus affricare? quanquam in praesenti possessorum bona esse fides potest. — πιστοὶ, *fideles)* Bona externa dantur ad explorationem. — οὐκ ἐγένεσθε, *non facti estis)* deposita, quae in vobis erat, perfidia. haec significatio verbi γίνομαι. — τὸ ἀληθινὸν, *verum*) Jesus loquitur e sensu coelesti. *Verum* bonum, spirituale atque aeternum. Hujus pretiositas non perinde potest objici periculo *perfidae* administrationis. Nullum in mamona damnum fit. — τίς, *quis*) h. e. Non ego, nec Pater meus. — πιστεύσει, *credet*) in hac vita, ubi periculum perfidiae.

v. 12. ἀλλοτρίῳ, *alieno*) in bonis mundi externis, in pabulo ventris. 1 Cor. 6, 13. 1 Tim. 6, 7. Alio respectu carnalia, non spiritualia, *nostra* dicuntur. 1 Cor. 9, 11. Imo aliena sunt homini, antequam *fidelis* fit, omnia Dei bona, etiam ea, quae ceteris sunt minora ac priora: ubi *fidelis* factus est, omnia ei *sua* fiunt, etiam maxima et summa. — τὸ ὑμέτερον, *vestrum*) quod est filiorum et heredum Dei. c. 6, 20. 1 Cor. 3, 22. Re ipsa idem, quod *verum.* v. 11. — ὑμῖν, *vobis*) Qui salute excidit, habere tamen potuit. — δώσει, *dabit*) Nomini *verum* convenit verbum *credet,* respicitque unice hanc vitam, in qua tempus est probationis: pronomini *vestrum* convenit verbum *dabit,* spectatque praecipue vitam futuram, in qua nullum est periculum perfidiae. Quare quia in altera parte locum habet perfidia, in altera non habet: causa, cur iis, qui in iniquo

gitized by Google

mamona non praestitere fidem, vera non sint committenda, est rerum veritas et dignitas, nulli periculo exponenda: causa, cur iis, qui in alienis fidem non praestitere, sua non sint danda, est eorum, qui ea ut *sua* accepturi fuerant, indignitas, tantae hereditatis incapax. Uno eodemque studio et iniqua et vera administrare; una eademque anima et alienis et suis frui nemo potest.

v. 14. καὶ οἱ φαρισαῖοι, *etiam pharisaei*) Sermo habitus erat ad discipulos, audientibus pharisaeis. — φιλάργυροι, *avari*) quales facillime omnium scandalum captant. — ἐξεμυκτήριζον, *irridebant*) doctorem simplicitatis. *[eâ sese prudentiâ instructos esse opinati, ut DEI servilium et Mamonae egregie combinare possent.* V. g.]

v. 15. οἱ δικαιοῦντες — ἀνθρώπων) justa aliqua facitis, inde *justos vos esse putatis, simulatis et putamini.* Antitheton, *noscit.* — καρδίας, *corda*) Cor, sedes justitiae et injustitiae. *[Efficacissime hoc axioma et convincere malos valet et sinceros confirmare.* V. g.] — τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν, *quod in hominibus altum*) quae hominibus inter homines videtur esse summa justitia. conf. c. 18, 14. *exaltans.* Subsequentis sermonis nexus hic est: Justificatio sui coram hominibus et elatio cordis, nutrit avaritiam, et ridet simplicitatem coelestem: v. 15. et contemnit evangelium: v. 16. et solvit legem, v. 17. id quod ostenditur exemplo pharisaeis dictu maxime necessario. v. 18. Omnia complectitur sermo de divite et Lazaro.

v. 16. ὁ νόμος, *lex*) Subaudi praedicatum, *prophetizarerunt*, ex antitheto, *evangelium praedicatur.* — καὶ πᾶς, *et omnis*) cap. 15, 1. — βιάζεται) *vi ingruit* pia. Resolve: πᾶς, (βιαζόμενος,) εἰς αὐτὴν διὰ τῆς βίας εἰσέρχεται.

v. 17. δὲ, *vero*) Etsi, Christus, adsum, cum evangelio; tamen legem non tollo. Matth. 5, 17. s. Refutat pharisaeos antinomos. Nullum enim adest vestigium vel mentio transitus ullius a pharisaeis ad Sadducaeos. In v. 16—18. notatur pharisaicus legis contemtus et abusus, et perennitas legis ipsius; et huc pertinet scopus sermonis totius de divite et fratribus ejus, coll. v. 29. — πεσεῖν) διαπίπτειν בטל Jos. 21, 45.

v. 18. πᾶς ὁ ἀπολύων, *omnis qui demittit*) Divortii quoque causa vel penes dimittentem vel penes pharisaeos judicesque poterat esse avaritia, v. 14. ob quaestum ex divortii libello. Hic abusus tum valde regnabat. *[Deserta adulterii exceptio non erat hujus loci: eo enim casu pars perfida seipsam reapse segregat.* V. g.]

v. 19. ἄνθρωπος, *homo*) Haec parabola (est enim parabola, etsi historia subesse potest) non solum abusum bonorum externorum per avaritiam et superbiam, sed etiam superbum contemtum legis et prophetarum redarguit. coll. v. 14. ss. Dives, exemplar pharisaeorum: Lazarus, exemplum pauperum spiritu. utrorumque status in hac vita et in futura ostenditur. — πορφύραν καὶ βύσσον, *purpuram et byssum*) colorum pulcra temperie.

v. 20. ὀνόματι, *nomine*) Lazarus nomine suo notus in coelo: dives non censetur nomine ullo, v. 25. genealogiam tantum habet in mundo, v. 27. s. Etiam in parabola locus est nomini proprio. Ez. 23, 4. Revera tamen Hierosolymis talem illo tempore Lazarum fuisse, ex Hebraeorum traditione refert Theophylactus. — ἐβέβλητο, *jacebat*) membris captus. Fames hujus et nuditas opponitur victui et amictui divitis. Character animae Lazari colligendus est partim ex conditione ipsius externa, partim ex opposito divitis charactere. — πυλῶνα) *portam*, magnae domus: procul, sic tamen, ut dives moveri posset ad misericordiam, et ipse mensam ejus videret. Antitheton, *sinus.* conf. Act. 12, 13. not.

v. 21. ἐπιθυμῶν, *cupiens*) Adeo nil habebat *altum.* v. 15. — [1]) ἀλλὰ καὶ) *quin etiam.* Particula haec, subaudito *non solum* in priore membro, subsequen-

1) ἀπό τῶν ψιχίων, *ex miculis*] Immunitas Lazari ab omni cupiditate mundana indicatur. *V. g.*

Google

tia intendere solet. — οἱ κύνες) *canes*, proprie dicti. Solitudo notatur nudi et abjecti Lazari. Magnum antitheton, *angeli*. v. 22. — ἐρχόμενοι, *venientes*) non Lazari, sed sua causa; quasi cadaver esset. — ἀπέλειχον, *delingebant*) Linguae caninae structura ac saliva corpori minus affecto lenimentum affert: sed ulceribus obsito dolorem exasperat. — ἕλκη) *ulcera*, purulenta.

v. 22. ἀπενεχθῆναι) *Ablatus est*, ex loco alieno in patriam. — αὐτὸν, *eum*) animam ejus: si quidem etiam Abraham qua animam innuitur; quanquam *sinus* ejus, et Lazari *digitus*, uti divitis *lingua*, memoratur. — εἰς τὸν κόλπον, *in sinum*) ut filius germanus, coheres et commensalis Abrahae, in coelorum regno accumbentis. [Matth. 8, 11.] Sermo concisus. nam sinus praesupponit convivium; convivium, regnum coelorum. Pervenit Lazarus in regnum coelorum; imo ad convivium; imo in Abrahae gremium. Lazarus deinde penitius Abrahae conjunctus, dicitur esse ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ, v. 23. in plurali. Bonum mortuorum statum Judaei appellabant *gremium Abrahae*, et *hortum Eden*, coll. c. 23, 43. Vid. Lightf. ad h. l. — καὶ, *et*) Saepe uno tempore moriuntur duo homines, qui in vita erant proximi. — ἐτάφη, *sepultus est*) cum apparatu. Clausula eorum, quae dives accepit. v. 25.

v. 23. ᾅδῃ, *inferno*) Neque Abraham neque Lazarus erat ἐν τῷ ᾅδῃ, quanquam nondum contigerat mors et descensus Christi. Differunt

ᾅδης et *gehenna*

ut totum et pars:

ut praesens et futurum, post diem judicii:

ut receptaculum singulorum, et malorum universorum. ᾅδης multo latius patet, quam *gehenna*. conf. Gen. 37, 35. ubi sane Jacobus nec suam nec Josephi animam despondet. In prima, quam dedimus, differentia ipse ᾅδης et ipsa gehenna spectantur: in tertia, incolae. Abrahamus fuit ἐν τῷ ᾅδῃ latissime dicto, ut Gen. l. c. ᾅδης dicitur: sed apud Lucam opponuntur inter se ᾅδης et Abrahae sinus. — ἐπάρας, *tollens*) Flebile spectaculum, ex profundis. — [1]) τὸν ἀβραὰμ, *Abrahamum*) sed non Deum ipsum. quare neque ad Deum clamare potest: *miserere mei*. — κόλπους) Plurale. a pectore ad genua.

v. 24. αὐτὸς) *ipse*. non jam opera servorum utitur, mendicus ipse. — πάτερ, *pater*) Gloriatio carnis. resp. *fili*, v. 25. — πέμψον, *mitte*) Adhuc vilipendit Lazarum heluo, adhuc Mosen. v. 30. — ἵνα βάψῃ, *ut tingat*) Hoc verbo non semper innuitur magna aquae copia: derivatur hinc βαπτίζω. Ne tenuissima quidem levatio obtingit. Hoc sane ἄκρατον *merum* est. Ap. 14, 10. ἡ τῆς ἐλεημοσύνης σταγὼν ἀμίκτως ἔχει πρὸς τὴν ἀπήνειαν. *Misericordiae divinae gutta non miscitur cum* epulonis *immanitate*. Chrysostomus. — γλῶσσαν, *linguam*) Lingua maxime peccarat.

v. 25. τέκνον, *fili*) Correlatum infertur ex relato, *pater Abraham*. nomen proprium hic non additur. nam Abraham non novit hunc filium amplius. *Filium* appellavit etiam Achanem miserum Josua cap. 7, 19. — μνήσθητι, *recordare*) Mortui retinent memoriam rerum pristinarum. v. 27. — ἀπέλαβες) *abstulisti* lubens. Id in vita non putarat dives. Magnum et bonorum et adversorum pretium: nam sementis est in hac vita. — τὰ ἀγαθὰ, *bona*) חלקם Ps. 17, 14. — ἐν τῇ ζωῇ σου) Sic LXX, ἐν τῇ ζωῇ αὐτῶν. ibid. — τὰ κακὰ, *mala*) Hic non additur *sua*. — νῦν δὲ, *nunc vero*) Argumentum ab aequo: cur sic fiat. — παρακαλεῖται, *solatio afficitur*) super aerumnis pristinis. 2 Thess. 2, 16. Non vacat ei abire. — ὀδυνᾶσαι, *cruciaris*) mere.

v. 26. καὶ, *et*) Argumentum ab impossibili. — ἐπὶ) Hoc cumulat causas repulsae. conf. ἐπὶ, c. 3, 20. σὺν πᾶσι τούτοις, c. 24, 21. — ὑμῶν, *vos*) Ergo

---

1) ἐν βασάνοις, *in cruciatibus*] Longo ante diem novissimum intervallo; quin ante mortem Christi. *V. g.*

Digitized by Google

multi in inferno sunt. — χάσμα, *hiatus*) Distantia inter sinum Abrahae et infernum. — ἐστήρικται, *firmatus est*) Hoc verbo praeciditur heluonis rogatio. — οἱ θέλοντες) *volentes*, si possent. — διαβῆναι) διαβαίνω, libere: διαπερῶ, vectus. — οἱ ἐκεῖθεν) Concise, pro οἱ ἐκεῖ, ἐκεῖθεν.

v. 28. πέντε, *quinque*) Fortasse quinque fuere pharisaei, qui Dominum maxime irriserant, v. 14. nec legem et prophetas audiebant, v. 16. 29. et epuloni, si minus foris, certe intus erant similes. Sane novit Dominus indolem et numerum etiam talium. v. 15. Sextus frater erat, qui in inferno clamabat: contra sex illos, unus, septimus, ex Abrahami posteris in Abrahami sinum pervenit Lazarus. — ἀδελφοὺς, *fratres*) securos. — ἵνα μὴ, *ut ne*) In inferno non est *solamen miseris socios* etc. pro epulone. Vid. tamen Ez. 32, 31. Heluo antea immisericors nunc misericordiam, sed divinae non respondentem, exserit. Pejor in voluptate, quam in cruciatibus inferni.

v. 29. λέγει, *dicit*) Non respondet Abraham de eo, an Lazarus mitti a sese posset ad fratres illius. a terra certe nec coelum nec infernum hiatus ille dirimit. — μωσέα, *Mosen*) Prosopopoeia (pro Lege) apta, in antitheto ad Lazarum. Perinde est, ac si Mosen coram haberent. [*Nobis praeterea Christi sermones ac testium Ejus scripta suppetunt, quibus et resurrectio Ejus ex mortuis adseveratur.* V. g.] Scopus hujus sermonis, commendare scripturam, quam contemnebant pharisaei, avari, v. 14. justificantes et efferentes sese, v. 15. legem contemnentes, v. 17. quem totum sensum pharisaicum scriptura absorbet. Moses et prophetae hic considerantur, maxime ut de Christo Jesu testantes, v. 16. quem irridebant, v. 14. — ἀκουσάτωσαν, *audiunto*) Severe hoc dicitur. Nemo cogitur. Auditu fideli salvamur, non apparitionibus. Herodes, audire non cupiens, miraculum non cernit. Minus aperte, minus copiose in V. T. agitur de statibus post mortem; atque id tamen sufficere debet ad poenitentiam. Errant, qui putant, demum per mysteria illa profanos lucrifactum iri.

v. 30. οὐχὶ, *non*) Non norat dives in vita oeconomiam salutis; vilipendiumque Scripturae miser, relicto luxu, secum intulit in infernum. Hinc consilium dedit minime Theologicum. Putat, ut ipse nunc afficitur, sic superstites mox affectum iri. Intuere Lazarum viventem: sic non opus erit Lazaro post obitum apparente. Profani homines postulant, uno momento sibi primum palpabiliter et sine fide monstrari veritatem rerum invisibilium: scrutinium, fidem, patientiam refugiunt. — τὶς, *aliquis*) Lazarus, aut alius. — ἀπὸ νεκρῶν, *a mortuis*) Ergo non crediderat dives, nec credebant fratres ejus, esse infernum aut beatitudinem. Sadducaeismus professus et sectarius non infertur hinc, sed atheismus practicus, quo etiam non modo Sadducaei, sed Pharisaei quoque laborabant cum omni sua hypocrisi. Erant revera empaectae, v. 14. Et probabile est, *quinque* pharisaeos individualiter prae ceteris notari versu 28. — μετανοήσουσιν, *poenitentiam agent*) Poenitentia opus esse, omnes sciunt, vel sine apparitionibus: sciebat etiam heluo in inferno; quamvis non caperet, Mosen et prophetas huc facere.

v. 31. οὐδὲ ἐὰν — ἀναστῇ, πεισθήσονται, *neque si — surrexerit, persuadebitur eis*) Dives dixerat, *si — profectus fuerit, poenitentiam agent:* nunc antecedens hypotheticum crescit; consequens tamen decrescit. Multa sunt ex mundo invisibili documenta; (Matth. 27, 53.) sed non ad hoc praecipue, ut poenitentiam agant mortales. Resuscitatus est Lazarus alter, neque credidere, Joh. 11, 44. 53. Πείθεσθαι, itemque ἀπειθεῖν, modo ad intellectum, modo ad voluntatem refertur: saepe ad utrumque.

CAPUT XVII.

v. 1. Μαθητὰς, *discipulos*) uti c. 16, 1. — ἀνένδεκτόν ἐστι) οὐκ ἐνδέχεται, *non usu venit*, c. 13, 33. — ἐλθεῖν, *venire*) per pharisaeos praesertim. [*eorumque cavillationes.* c. 16, 14. V. g.]

Google

v. 2. τούτων, *horum*) Hoc pronomine demonstrat Lucas, in medio fuisse parvulos.

v. 3. προσέχετε ἑαυτοῖς, *carete vobis*) Non solum nolite scandalum aliis dare, v. 1. s. aut ab aliis accipere, in vos peccantibus, h. v. sed etiam *cavete*, ne vobis scandalo sitis. Matth. 18, 8. 9. Conf. Gal. 6, 1. fin. — ἄφες, *remitte*) Sic Deus nobiscum agit.

v. 4. τῆς ἡμέρας, *die*) Hoc multi perperam transferunt ad locum Prov. 24, 16. quasi justus in *die* septies laberetur, et quidem in *peccata*. — ἐπιστρέψῃ, *convertat se*) Antitheton: *peccaverit*. — μετανοῶ, *poenitet me*) Sic aperte dicere, non modo non turpe, sed etiam salutare est: animus offendentis et offensi egregie sanatur. [*Pari modo etiam apud DEUM non generatim tantum, sed singulorum lapsuum causâ, quorum conscii sumus, deprecari nos expedit*, V. g.]

v. 5. εἶπον, *dixerunt*) Moti suavitate sermonis v. 4. optabant uberius frui benignitate divina. — οἱ ἀπόστολοι, *apostoli*) quibus maxime opus erat magna fide. — τῷ κυρίῳ, *Domino*) Appellatio hic posita innuit, valde solenne fuisse petitum. — πρόσθες, *adde*) Divinam Jesu virtutem agnoscunt. Id agit Jesus v. 6. et v. 7—10. — πίστιν, *fidem*) scandala vincentem, offensas donantem.

v. 6. εἰ, *si*) Hoc *SI* ipsum acuit et extendit ad fidem animos contendentes. [*Expositâ fidei efficaciâ ipsa fides augetur*. V. g.] — συκαμίνῳ) שקמים LXX, συκάμινοι. *morus*, arbor obvia in Palaestina. 1 Reg. 10, 27. Ab ea distinguitur interdum συκομορέα. c. 19, 4. Vide lexicographos, et Bezam ad h. l. Caprificus, arbor *radicatissima*. — φυτεύθητι, *plantare*) cum radicibus, in mari mansura. Tale quiddam fit ipsis fidelibus. — ἐν τῇ θαλάσσῃ, *in mari*) Erant prope mare. coll. Matth. 17, 20. 27. — ὑπήκουσεν ἄν, *obediret*) *Obedientialem* potentiam appellant Metaphysici. Agnitio divinae omnipotentiae, quam fides apprehendit, fidem auget.

v. 7. τίς, *quis*) scil. est. — δὲ, *vero*) Fide apprehenditur omnipotentia divina, v. 6. beatius *vero misericordia*, et gratia, eaque mera. v. 7. seqq. Conf. cap. 10, 20. — ἐξ ὑμῶν) *ex vobis*, hominibus, vel discipulis. Bartholomaeus dicitur fuisse nobilis. — δοῦλον, *servum*) Christus dum fidem auget, videtur imminuere. Magnae fidei et orationi substernitur humilis paupertas in spiritu, et profundus sensus nostrae ἀχρειότητος, *inutilitatis* et debiti. Ps. 147, 11. 123, 2. — ἀροτριῶντα, *arantem*) toto die. unde sequitur, *coenem*. — εὐθέως, *cito*) Antitheton, *postea*, v. 8. Itaque construendum, *cito accumbe*. Alii, *dicit cito*: remissiore sensu. Nam sive hoc sive illud herus servo dicit, dicit ei statim, ut ingressus est ex agro. *Cito* cupiunt *accumbere*, qui missis ceteris officiis fidem sibi summam conferri oportere putant. Placent autem Deo, qui modeste incedunt, nil postulant arroganter. — παρελθών, *accedens*) c. 12, 37. not. — ἀνάπεσε) Alii, ἀνάπεσαι. Sed aoristus uterque hujus verbi in activo, non in medio, usitatus est.

v. 8. ἕως, *donec*) usque dum, et quam diu.

v. 9. ἐποίησε, *fecit*) arando pascendove. — οὐ δοκῶ) Μείωσις.

v. 10. ὅταν ποιήσητε, *quum feceritis*) Erat apud apostolos intentior consideratio obedientiae hactenus praestitae, praesertim cum viderent aliorum contumaciam scandalosam c. 16, 14. Ab ea recordatione Dominus eos revocat. — [1]) ὅτι) ὅτι bis eandem vim habere videtur, per anaphoram. — δοῦλοι ἀχρεῖοι, *servi inutiles*) Emphasis est in nomine, *servi*, et omnis servus debet se *inutilem* fateri, ex eo, quia servus est, qui omnia debet, qui si delinquit, plagas meretur:

---

1) λέγετε, *dicite*] Subintelligendum: *Sic magna evadet fides vestra*. Fidei obstaculis, inter quae temeritas et sui confidentia primum facile locum occupat, e medio sublatis, sponte fides crescit. Tum enim boni Domini mera gratia liberum habet locum. *V. g.*

si omnia facit, nil meretur: nil factum reputare debet; nulla gratia ei habenda, cujus est postulare nihil magni aut negotii aut praemii. Utilitatibus nostris carere potest Deus, solus bonus. Rom. 11, 35. Matth. 19, 17. David, ἔσομαι ἀχρεῖος ἐν ὀφθαλμοῖς σου. 2 Sam. 6, 22. ubi sequitur antitheton, δοξασθῆναι, non sine mentione *servorum*. Miser est, quem Dominus *servum inutilem* appellat, Matth. 25, 30. beatus, qui se ipse. De voce ἀχρεῖος vide Eustath. Est Metonymia consequentis. Dicite: *sumus serri inutiles*: id est, non major gratiarum actio debetur nobis, quam si nihil egissemus. Job. 9, 21. 10, 15. Etiam angeli possunt se servos inutiles appellare Dei. Et servus hominis potest se dicere servum inutilem, quamlibet utilis hero. Ratio est, 1) ipsa conditio servi. 2) accedit, respectu Dei, beatitudo ipsius. Act. 17, 25. Ἀχρεῖος dicitur vel transitive, qui alteri non est utilis: vel intransitive, qui sibi nil proficit: idque rursum vel sua sponte, ut David se fore dicit (non in Hebr. sed) in Graeco: vel involuntarie, uti servus. — ὠφείλομεν, *debebamus*) tanquam servi. In hoc verbo est emphasis, prae verbo *fecimus*.

v. 11. διὰ μέσου, *per medium*) in confinio. [*Salvatoris memoria, ex Galilaea per Samariam in Judaeam profecti, profunde hoc miraculo hominibus infixa fuit*. Harm. p. 416.]

v. 13. ἦραν φωνήν, *sustulerunt vocem*) id quod vix ferebat morbus. Vocem gratus Samarita pie adhibuit iterum versu 15.

v. 14. ἱερεῦσι, *sacerdotibus*) pluribus: quia plures erant leprosi. Hierosolymis, longo itinere. Sic Samarita ad fidem Israëlis adducitur. [*quare* reversus *esse dicitur*, v. 15. V. g.] Hoc jussu indicatur praevia sanatio.

[1]) v. 16. σαμαρείτης, *Samarita*) v. 11.

v. 17. οἱ δέκα, *decem*) Specimen omniscientiae.

v. 18. οὐχ εὑρέθησαν, *non inventi sunt*) novem. — ὑποστρέψαντες, *reversi*) Pars praedicati. [*Hierosolymâ domum redeuntibus brevis ad Jesum migratio fuisset; neque tamen accedere non gravati sunt*. V. g.] — δοῦναι, *dare*) Id ultro facere debuerant. — ἀλλογενής, *alienigena*) quem videri poterat ceterorum societas adjuvisse; qui magis, quam ipse, devincti erant ad gratias agendas.

v. 19. πορεύου, *proficiscere*) Non decebat tum, Samaritam diu adesse.

v. 20. πότε, *quando*) De *tempore* quaerunt potius, quam de *loco*, quem sine discrimine putabant fore Jerusalem. Et de tempore et de loco respondet Dominus, sed multo aliter, ac putabant. Conf. v. 37. cap. 19, 11. seqq. [*A Luc. 17, 20. ad c. 18, 14. continua est ad quaestionem istam responsio; et quae c. 17, 22 — 37. habentur, ea repetiit Salvator Matth. 24. etc.* Harm. p. 419. *Plena periculi res est, neglectis praesentibus prudentiae exercitium protendere ad futura*. V. g.] — μετὰ παρατηρήσεως, *cum observatione*) *cum* tali pompa, ut gradatim et successive observari possit τὸ πότε et τὸ ὧδε, *tempus* et *locus*. Correlata sunt: nuncii, quos hi *observantes* vellent dicere *hic aut ibi;* et hi *observantes* ipsi, qui τὸ *hic aut ibi* requirunt.

v. 21. οὐδὲ ἐροῦσιν, *neque dicent*) ii, qui demonstrant regnum. Congruit verbum sine nomine positum. Mundus non agnoscit nuncios regni. — [2]) ἰδοὺ γὰρ, *ecce enim*) Animum debetis advertere; tum jam praesto esse videbitis regnum. Hoc *ecce* verum ponitur contra *ecce* frustra speratum. *ecce enim* non stat sub *dicent*. — ἐντὸς, *intra*) Non debetis spectare in tempora futura, neque in loca remota. nam intra vos est regnum: sicut rex Messias est in medio vestri. Joh. 1, 26. 12, 35. *Intra*, non respectu cordis singulorum pharisaeorum (tametsi revera Christus habitat in corde suorum, Eph. 3, 17.) sed respectu totius

---

1) v. 15. φωνῇ μεγάλῃ, *voce magna*] quae ipsa, in laudem DEI, sanationis factae testimonium fuit. Rauca videlicet leprosorum vox est. *V. g.*

2) ὧδε — ἐκεῖ. *hic — illic*] *Hic* tempus praesens connotat; futurum, *illic*. *V. g.*

populi Judaici. Rex, Messias, adeoque regnum, est praesens: videtis et auditis. LXX, ἐντὸς, קרב de iis, quae sunt in homine: sed h. l. sermo est de pluribus. Sic LXX, et Hervag. Deut. 5, 14. ὁ ἐντὸς τῶν πυλῶν σου. Raphelius confert illud a Xenoph. ὅσα ἐντὸς αὐτῶν καὶ χρήματα καὶ ἄνθρωποι ἐγένοντο. i. e. *intus apud se in castris.* — ἔστιν· *est*) Praesens, apposite, cum emphasi. Non potest dici, *venit*, sed, *praesto est*. Joh. 3, 8.

v. 22. μαθητὰς, *discipulos*) qui id prae pharisaeis capiebant. — ἐλεύσονται, *venient*) Significat Jesus, tempus praesens regni Dei, dum pharisaei quaerunt, quando veniat, praeteritum fore. Responsio complectitur eventus ulteriores, v. 24. ss. et propiores, v. 31. ss. — ἐπιθυμήσετε, *cupietis*) Sermo hypotheticus: nam *cupiditatem* illam postea sedavit Paracletus, apud Christianos duntaxat. c. 24, 49. 52. [*Praesentibus utere!* V. g.] — μίαν) *unum* diem talem, quales nunc habetis multos: Matth. 9, 15. quia me oculis cernitis; (vide, de appellatione *Filii hominis*, ad Matth. 16, 13.) et coelum apertum. Joh. 1, 52. Post ascensionem *unus*, isque maximus, dies talis superest, novissimus. v. 30.

v. 23. ἐροῦσιν, *dicent*) contra ac fit in regno Dei. v. 21. Sic autem dicunt in papatu, gratiam locis affigente. Praecipue de aetate apostolica textus agit. — ἰδοὺ, *ecce*) hic est, scil. Filius hominis, i. e. Jesus Christus. Non innuuntur pseudochristi eorumque asseclae; sed verum Messiam non vere indigitantes. — μὴ ἀπέλθητε, *ne abeatis*) simpliciter. — μηδὲ διώξητε, *neque persequamini*) cum ardore. Saepe aviditas impellit, quo vera ratio non ducit.

v. 24. ἡ ἀστράπτουσα, *fulgens*) dum est in fulgore. Non potest monstrari. — τῆς ὑπ᾽ οὐρανὸν) Saepe *terra* ἡ ὑπ᾽ οὐρανὸν, apud LXX, in Job et alibi. — οὕτως, *sic*) celerrime, latissime. — τῇ ἡμέρᾳ) *die* novissimo. Matth. 26, 64.

v. 25. πρῶτον, *primum*) antequam ingreditur in illam gloriam, in qua venturus est. — ἀποδοκιμασθῆναι, *reprobari*) ita, quasi is non esset rex. Post mentionem gloriae statim iterum de passione. — ταύτης, *hac*) hac aetate. Innuitur, non ista aetate fore diem Filii hominis.

v. 26. καθὼς, *sicut*) Novissima tempora conveniunt cum cataclysmo, ratione universalitatis; cum Sodoma, ratione ignis. — καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις, *etiam in diebus*) Primo ipse dies revelationis Filii hominis v. 30. appellatur Dies Filii hominis: deinde etiam ii dies, qui illum antecedunt; extremi dies exspectationis, Hebr. 10, 13. conf. phrasin Ps. 119, (118.) 84. πόσαι εἰσὶν αἱ ἡμέραι τοῦ δούλου σου; Etiam ante coronationem vel nuptias tempus aliquod regi vel sponso tribuitur. Similis pluralis, c. 9, 51. not.

[1]) v. 28. ἐν ταῖς ἡμέραις λὼτ, *in diebus Lot*) Gen. 19, 14. — ἠγόραζον, *emebant*) Jam magis varius erat mundus tempore Loti, quam tempore Noe: quanto magis nostro, artibus mercaturae, navigationis, belli, fori, scholae, curiae, etc. ad summa evectis.

v. 30. ἀποκαλύπτεται) Praesens, *revelatur* subito, visibilis.

v. 31. ἐν ἐκείνῃ, *in illo*) *illo*, in quo veniet regnum Dei. Innuitur dies obsessae Hierosolymae: coll. v. 34. not. qui multas communes rationes habet cum die novissimo. conf. v. 22. Destructis Hierosolymis, liberrime propagatus est Christianismus. c. 21, 28.

v. 32. τῆς γυναικὸς λὼτ, *uxoris Lot*) quae non fecit, quod praecipitur versu 31. Si proprietatem verborum Gen. 19, 26. et varietatem interpretationum, a Wolfio ad h. l. curate enumeratam, expendas, huc res redibit: Respexit uxor Loti, segniusque viro fugit, et sic citra Zoar, calamitate illa, de qua angeli mo-

---

1) v. 27. coll. v. 33. Quanta quaeso eorum, qui temporalibus se totos immergunt, ab iis differentia est, qui in eo toti occupantur, ut egregie coram Filio hominis stare detur in die apparitionis Ejus. *V. g.*

Google

nuerant, et suppari Sodomis morte se involvit. nam extremus miraculosae et horrendae pluviae margo miseram corripuit et exanimavit, et corpus ejus repente afflavit, texit, tinxit, percussit, immutavit, ut ea, quae minus *cucurrerat*, plane consisteret. Statua quippe dicitur cadaver illud erectum et conditum; et statua, non sulphuris, sed, quod mitius, et tamen affine, salis. coll. Deut. 29, 22. Marc. 9, 49. Lacus asphaltites, mare salis, idem. Si in medium imbrem incidisset, statim consumta tota fuisset: sed dum eam lambit ignis, obriguit. Nec tamen dubium est, quin cadaver aut paulo post sepultum fuerit, (ut solent cadavera nivibus, aquis, arenis, et obruta et eruta, aut divinitus interfecta, Lev. 10, 5.) aut, sale liquescente, in corruptionem abierit. Certe nec Mosis nec Christi tempore statua illa extitisse dicitur: atque Hic *recordamini* ait, non, *intuemini*.

v. 33. ζητήσῃ, *quaesierit*) v. 31. 32. — ψυχήν, *animam*) Intelligendum de toto homine, praescindendo a vita naturali vel spirituali, quae determinatur ex eo, quod adjicitur in sermone. — ζωογονήσει) Act. 7, 19. not.

v. 34. ταύτῃ τῇ νυκτὶ, *hac nocte*) Non dicit, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ coll. v. 31. Matth. 26, 31. Hodie sunt, inquit, qui ad tempora illa longe alia pervenient. Conf. *hic*, c. 9, 27. Eadem generatione eventus secutus est. Matth. 24, 34. — εἷς) Sic codd. plurimi: diciturque, εἷς, — ὁ ἕτερος· uti ἑνὸς — τοῦ ἑτέρου, c. 16, 13. et πέντε — καὶ αἱ πέντε, Matth. 25, 2. Mox versu 35. Millius ἡ ante μία item omissum, idque in Stephani quoque textu, notare supersedit.

v. 36. δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ κτλ.) Apud Lucam quoque hunc versiculum exhibent testes pervetusti. Neque eum ex Matthaeo huc traductum, patet ex aliis apud Lucam, atque apud Matthaeum, verbis, et ex alio versiculorum ordine [1]). Duas periochas habet Matthaeus, de *agro* et *mola*; tertiam addit Lucas, de *lecto*: perinde ut alibi Matthaeus duas habet periochas de sequela Jesu Christi, c. 8, 19. s. quibus tertiam addit Lucas c. 9, 61. s. item, ille duas, de pane et pisce, c. 7, 9. 10. hic tertiam de ovo, c. 11, 12.

v. 37. ποῦ, *ubi*) Ubi erit hoc, quod v. 34. s. describitur? — ὅπου, *ubi*) Per periphrasin indicat Dominus τὸ *ubi*, interrogatus de adversis, uti versu 21. de regno [2]).

CAPUT XVIII.

v. 1. Δὲ καὶ, *autem etiam*) de praeparatione ad futura illa. conf. v. 8. — πρὸς τὸ) id est, *quod attinet* ad insigne illud caput de precibus. — πάντοτε, *semper*) *nocte dieque*. v. 7. — προσεύχεσθαι, *precari*) Duae parabolae agunt de precibus: haec, v. 1. ss. et altera, v. 9. ss. Prima dedocet nos segnitiem, altera confidentiam in nobis ipsis: duo extrema notabilia. Opposita enim sunt τὸ *segnescere* et *confidentia* mala, v. 1. 9. sicut *confidentia* bona et *segnescere*, 2 Cor. 3, 4. 4, 1. Eph. 3, 12. 13. — μὴ ἐκκακεῖν, *non segnescere*) Congruit *clamor*, v. 7. Exemplum, v. 39.

v. 2. θεὸν — ἄνθρωπον, *Deum — hominem*) Horum respectuum alteruter certe plerosque mortalium movere solet, et *injustitiam* (v. 6.) judicum cohibere. — μὴ φοβούμενος) Solemus φοβεῖσθαι potentiam, ἐντρέπεσθαι existimationem.

v. 3. χήρα, *vidua*) quae facile laeditur, nec facile defenditur inter homines. Talis *ecclesia* mundo videtur. — ἐκδίκησον) Hinc ἐκδίκησις dicitur, v. 7. Conjugata, ἀντίδικος et ἀδικία. — ἀντιδίκου, *adversario*) 1 Petr. 5, 8.

v. 4. ἐν ἑαυτῷ, *in se ipso*) ultro. — τὸν κτλ.) Symbolum athei potentis.

---

1) *Haec ratio est mutatae ejus, quae in* Ed. maj. *habetur, sententiae. Nam et margo* Ed. 2. *et* Vers. germ., *praeeunte* Gnomone, *incisum istud de agro recipiunt.* E. B.

2) τὸ σῶμα, *corpus*] Universa gens judaica, Hierosolymis festo paschatos congregata. — οἱ ἀετοὶ, *aquilae*] Romani. *V. g.*

Digitized by Google

v. 5. ἐκδικήσω αὐτὴν, *vindicabo illam*) mea causa. — ὑπωπιάζῃ, *suggillet*) Hyperbole, judicis injusti et impatientis personae conveniens. Huc ref. εἰς τέλος. nam ἐρχομένη est quasi παρέλκον, quo praetermisso sententia tamen quodammodo integra est, quod tamen, adhibitum, orationem facit suavem, moratam etc. Crescebat viduae importunitas in petenda ope.

v. 6. εἶπε, *dixit*) interposita, pro acuendis auditoribus, justa pausa.

v. 7. θεὸς, *Deus*) Judex justissimus. — ποιήσῃ τὴν ἐκδίκησιν, *faciet vindictam*) Haec verba maxima cum vi iterantur mox. — τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ, *electorum suorum*) Sermo est de iis electis, in specie, qui illo tempore erant, evasuri per excidium urbis. — βοώντων, *clamantium*) ut in angustiis, ad postulandam vindictam. [*alia quaris ope destitutorum. Haec Davidis fuit anchora sacra.* Ps. 55, 17. 18. V. g.] — [1]) μακροθυμεῖ) Insignis lectio [2]). Constructionis in ea vim facile quivis perspiciat, hac e textu educta sententia: *Electi clamant ad Deum, at Deus* μακροθυμεῖ *longanimis est super eos.* Prioris membri verbum in textu transit in participium βοώντων, *clamantium:* alterius membri verbum stat immotum, μακροθυμεῖ, *longanimis est.* Plura hujus constructionis a multis passim sollicitatae exempla congessi ad Marc. 3, 27. Laudatur autem ea hoc loco *longanimitas* Dei, qua et malorum injuriam et sanctorum aerumnam ita spectat, (conf. Es. 64, 11.) [Ps. 83, 2.] ut non protinus finem utriusque faciat, quamvis homines putent, ipsius in malos iram, et in sanctos misericordiam, finem celerrimum postulare. Tandem fit, quod Sir. 35, 22. (al. 32, 18.) de justis dicitur, οὐδὲ μὴ μακροθυμήσει ἐπ᾽ αὐτοῖς Κραταιός.

v. 8. ἐν τάχει) et faciet et *celeriter* faciet. — πλὴν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐλθὼν ἆρα εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς; *verumtamen filius hominis veniens num inveniet fidem in terra?*) πλὴν, *verumtamen* non tam preces piorum, (quippe quorum fides clamans ad miram paucitatem et parvitatem redacta erit) quam bonitas et justitia divina rem accelerabit. πλὴν, *verumtamen*, et ἆρα, *num*, magnum τόνον habet, oratione negante per interrogationem temperata. Nam veniet, antequam deficiat fides piorum. Non dicit, fidem fore universalem; neque fidem ait plane fore nullam *in terra* iniquitatibus et calamitatibus referta, in qua ne diluvii quidem tempore nulla fides fuit. Hebr. 11, 7. Esse debuerunt, qui Messiam primo venientem exciperent cum fide: Luc. 1, 17. multo magis igitur esse debebunt fideles, quibus deinceps veniat exspectatus [Ps. 72, 5. 7. 17.] Matth. 24, 31. 23, 39. 25, 1. s. 2 Thess. 1, 10. 1 Thess. 4, 17. 1 Cor. 15, 51. Hebr. 9, 28. Ap. 22, 20. — ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *filius hominis*) cui datum judicium. Joh. 5, 22. 27. — ἐλθὼν, *veniens*) de coelo. nam sequitur antitheton, *in terra.* Ex verbo *inveniet* participium habet vim futuri: estque sermo de adventu ad *vindictam.* 2 Thess. 1, 8. id est, de adventu ad novissimum judicium conspicuo; ut appellatio Filii hominis infert. conf. c. 17, 24. 20. εὑρήσει, *inveniet.* conf. c. 7, 9. — τὴν πίστιν) *fidem,* qua pii confidunt in Domino, et ad illum clamant. *Spes meliorum temporum* hoc dicto neque confirmatur, neque infirmatur. Meliora tempora excipiet tempus pessimum et securitatis plenissimum, a fide alienissimum, in ipsum *adventum Filii hominis* incurrens.

v. 9. καὶ πρός τινας, *etiam ad quosdam*) Antea dixerat ad *discipulos*, ad perseverantiam in orando hortans: nunc a temeritate et confidentia perversa *quosdam* deterret. — πεποιθότας ἐφ᾽ ἑαυτοῖς, *confisos in se ipsis*) in se ipsis, non in gratia Dei, in orando. v. 10. Antitheton, πίστιν, *fidem,* erga Deum, v. 8. Sic, πέποιθεν ἐπὶ τῇ δικαιοσύνῃ αὐτοῦ, Ez. 33, 13. — ὅτι, *quod*) In eo enim ipsa quaestio

---

1) ἡμέρας καὶ νυκτὸς, *interdiu noctuque*] Singuli nocte dieque clamant: at universorum clamor prorsus sine dubio continuus est, neque unquam cessat. *V. g.*

2) *quam utut sequiorem judicaverit margo* Edit. maj., *alteri tamen, post marginem* Ed. 2. *praefert* Vers. germ. E. B.

Google

vertitur, quis orans habeatur justus. — δίκαιοι, *justi*) justificatione non egentes, v. 14. Oppositum, *peccatori*, v. 13. — ἐξουθενοῦντας, *nihili facientes*) injustitiae opinione. — τοὺς λοιποὺς, *reliquos*) cunctos et singulos. v. 11.

v. 10. ἀνέβησαν, *ascenderunt*) e domo sua. v. 14. Templum erat in sublimi. conf. *descendit*. ibid. [*Maxime sane una saepius itio refert*. V. g.] — προσεύξασθαι, *precatum*) In precibus, de quibus hactenus a v. 1., totus status animae exercetur. — φαρισαῖος, τελώνης, *pharisaeus, publicanus*) Ex utroque genere exemplum insigne.

v. 11. σταθεὶς, *stans*) fidenter, loco solito. hoc reciprocum plus notat, quam ἑστὼς neutrum, mox. — πρὸς ἑαυτὸν) *penes se ipsum* orans, sibi auscultans, quasi neminem ferens sibi proximum. conf. *in se ipsis*, v. 9. — εὐχαριστῶ, *gratias ago*) Hac formula pharisaeus Deum quidem laudare videtur, [*jure enim ac merito pro liberatione ex naturali pernicie grates DEO, siquidem vere id atque humiliter fiat, persolvuntur*. V. g.] sed revera sibi uni de sua felicitate gratulatur. de se uno loquitur. — οἱ λοιποὶ, *reliqui*) Duas classes pharisaeus facit: in alteram conjicit totum genus humanum; altera, melior, ipse sibi solus esse videtur. — ἅρπαγες, *rapaces*) Primum genus peccatorum statuit illud, sub quo publicanum contineri putat; ut illum et in genere cum ceteris et in individuo notet. Congruit illud poëtae veteris: πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. Vid. Gataker. misc. posth. c. 10. — οὗτος, *hic*) Id vero est digito ostendere. Es. 58, 9.

v. 12. νηστεύω, *jejuno*) Ostentat pharisaeus se erga Deum per preces praesentes; et respectu sui, jejunando; et erga alios, per decimas etc. esse justum. — δὶς, *bis*) feria II et V. — τοῦ σαββάτου, *sabbato*) hebdomade. Synecdoche. — πάντα ὅσα, *omnia quaecunque*) Jactat possessiones.

v. 13. μακρόθεν, *e longinquo*) non ausus accedere. — ἑστὼς) nec σταθεὶς, nec in genua procumbens, ne spectetur orans. — οὐρανὸν, *coelum*) In poenitentia vel timor praevalet, vel pudor. Pudor magis ingenuus est, quam timor: c. 15, 18. 21. Ez. 16, 52. melius, cor liquefactum, quam mere contritum terrore et metu poenae. Arenae, contrito saxo, duritiem retinent: ex lapideo carneum cor, placet Deo, ut opus ipsius, et gloriam ei dat magis. — ἔτυπτεν, *percutiebat*) prae dolore animi. ubi dolor, ibi manus. Jer. 31, 19. — στῆθος, *pectus*) conscientiae sedem. — ἱλάσθητί μοι, *propitius esto*) Non audet mentionem Dei, et sui, immediate conjunctam facere. Divinae clementiae fidit. [*Eadem et vere poenitentium et hypocritarum haec oratio est. Nimirum e Scriptura verborum officia hi suffurantur; et ubi in formulas incidunt istic celebratas, latebras in iis quaerunt, ab ipsa earum virtute utut alienissimi. Sic latronem, in extremis gratiam quaerentem; sic Paulum, de imbecillitate sua gloriantem, praeterunt*. V. g.] — τῷ ἁμαρτωλῷ) qui *peccator* sum. De nemine alio homine cogitat.

v. 14. εἰς τὸν οἶκον, *domum*) sive ea Hierosolymis fuisse in parabola cogitatur, sive in eo loco, ubi parabola est pronunciata. conf. de *domo*, c. 1, 56. — ἤπερ ἐκεῖνος) Alias, ἢ ἐκεῖνος. Utrinque subauditur μᾶλλον, uti c. 15, 7. 1 Cor. 14, 19. Pharisaeus plane non justificatus est: nam ἐταπεινώθη, *humiliatus fuit*.

v. 15. καὶ τὰ βρέφη) *etiam infantes*. Adeo agnovere humanitatem Jesu. [*Trans Jordanem haec evenerunt, in itinere Hierosolymitano*. Matth. 19, 1. 13. V. g.]

v. 16. προσκαλεσάμενος, *advocans*) eo magis, comi voce et nutu. — αὐτὰ, *illos*) Magna demissio. Conf. v. 19. Jure igitur nobis commendat humilitatem. v. 14.

v. 17. παιδίον, *puerulus*) παιδίον, *puerulus*, ad δέξασθαι, *accipiendum*, habet aliquid jam de usu rationis: sed βρέφος, *infans*, minorem etiam gradum dicit, *tactui* Salvatoris opportunum. v. 15. 16. [*Maximam partem coelestis regni consortium puerulis constat*. V. g.] — ἄρχων, *princeps*) isque juvenis. Matth. 19, 20. [*Non tanta vi ordinis dignitas, quantâ res familiaris hunc, juvenem licet, retraxit*. V. g.]

gitized by Google

v. 20. τίμα, *honora*) etiamsi sis *princeps*. v. 18.

v. 22. διάδος, *distribue*) ipse. Id magnam laetitiam afferre solet piis.

[1]) v. 27. δυνατὰ, *possibilia*) Exemplum in Zacchaeo, c. 19, 2. 9.

v. 30. ἀπολάβῃ) *recipiat*. — καιρῷ, *tempore*) Id propius significat, quam si diceretur, αἰῶνι, *seculo*.

v. 31. παραλαβὼν, *assumens*) privatim. Matth. 20, 17. — πάντα τὰ γεγραμμένα, *omnia scripta*) Jesus plurimi fecit ea, quae scripta erant. Verbum Dei, quod in Scriptura est, norma est omnium, quae fient, etiam quae fient in vita aeterna. — τῷ) Dativus exprimit vim ὑ praefixi; i. e. *quod attinet*: inestque dativus commodi. v. 33. fin.

v. 32. ἐμπαιχθήσεται, *illudetur*) per ludicra. — ὑβρισθήσεται, *contumeliis afficietur*) serio.

v. 34. καὶ, καὶ, καὶ, *et, et, et*) Gradatio. — τὸ ῥῆμα τοῦτο, *verbum hoc*) a Domino prolatum. — οὐκ ἐγίνωσκον) *non agnoscebant*: ut quiddam novum et inauditum abhorrebant. sic, *non agnosco*. Rom. 7, 15. Sentiebant, aliquid asperum dici, Matth. 16, 22. sed sensu non procedebant, quo debebant.

[2]) v. 36. τοῦτο, *hoc*) celebritas haec.

v. 38. υἱὲ δαυὶδ, *fili David*) Non offenditur fides coeci, quod Jesus diceretur *Nazarenus*.

[3]) v. 43. ἰδὼν, *videns*) Jesu miraculum: visu donati sanctum gaudium.

CAPUT XIX.

v. 1. Διήρχετο, *transibat*) Igitur Zacchaeus habitavit in ulteriore oppidi parte, et arbor illa erat in oppido ipso.

v. 2. ἀρχιτελώνης, *princeps publicanus*) Vir inter suos amplissimus: cujus conversionem credibile est multos esse secutos. — πλούσιος, *dives*) Per hunc sanatur, quod exemplo suo turbarat dives alius. cap. 18, 23.

v. 3. ἐζήτει, *quaerebat*) Igitur antea non norat Jesum facie.

v. 4. προδραμὼν, *praecurrens*) magno studio. — ἀνέβη, *ascendit*) Externa morum civilitas non pateretur virum amplissimum in arborem conscendere: sed vincit fides. — συκομορέαν, *sycomorum*) Sycomorus, arbor mediae inter ficum et morum naturae; magnae proceritatis. conf. c. 17, 6. not. — ἐκείνης) ὁδοῦ, χώρας. ἐλλείπει διὰ, uti c. 5, 19. not. Alii suppleverunt.

v. 5. Ζακχαῖε, *Zacchaee*) Nomine se appellari, Zacchaeus non potuit non et admirari et laetari. — σήμερον, *hodie*) v. 9. — οἴκῳ, *domo*) v. 9. — δεῖ με, *oportet me*) salutis tuae causa. v. 10.

v. 7. πάντες διεγόγγυζον, *omnes murmurabant*) ex haesitatione potius, quod ad majorem partem attinet, quam cum indignatione. [*Conf.* c. 15, 2. V. g.] — εἰσῆλθε, *ingressus est*) et quidem, quod alias non solebat, ultro condicens. [*Id pluris est, quam edere cum peccatoribus eo modo, qui memoratur* c. 15, 2. 5. 30. V. g.]

v. 8. σταθεὶς, *stans*) animo deliberato et promto. — τὰ ἡμίση) plurale. LXX, Jos. 13, 31. — ἐσυκοφάντησα, *defraudavi*) Ingenua confessio, voluntaria restitutio [4]).

---

1) v. 23. περίλυπος ἐγένετο, *contristatus est*] Multo plus in laetitia sua consecutus est dives Zacchaeus, c. 19, 6. *V. g.*

2) v. 35. τυφλός τις, *coecus quidam*] de cujus socio vid. Matth. 20, 30. not.

3) v. 39. πολλῷ μᾶλλον, *multo magis*] Hac ratione cujusvis generis interpellationes retundere juvat. *V. g.*

4) τετραπλοῦν, *quadruplum*] ex lege. Israëlita fuit Zacchaeus, v. 9. Congruit nomen hebraicum. *V. g.*

Digitized by Google

v. 9. πρὸς) *ad* illum: nec tamen plane directe. Conf. πρὸς, Rom. 10, 21. — σήμερον, *hodie)* Notari potest *dies*, quo Christi esse incipit homo antehac perditus. Phil. 1, 5. Act. 2, 41. 16, 34. conf. Joh. 4, 52. — σωτηρία, *salus*) Sic, *salvatum* v. 10. Congruit cum *Jesu* nomine. — οἴκῳ, *domui*) quae modo infamis erat. Fidem Patrisfamilias fere sequuntur sui. — αὐτὸς) *ipse* princeps domus. — υἱὸς ἀβραάμ, *filius Abrahami)* ut nomen quoque Zacchaei Hebraeum docet.

v. 10. τὸ ἀπολωλὸς, *perditum*) quod perditum erat, et per amissionem et per interitum. Respondet enim participium duobus verbis, *quaesitum et salvatum.* Ideo Salvator venit ad peccatorem, domum.

v. 11. προσθεὶς εἶπε, *addens dixit*) Parabola igitur, quae sequitur, arctissimam connexionem habet cum antecedentibus: item cum consequentibus, v. 28. — δοκεῖν, *putarent*) Putant Hebraei, Messiam fratres, in mundo sparsos, in Galilaea congregaturum, et in urbem Hierosolymorum tanquam sedem regni ducturum esse: sic incepturum regnare, et multum in monte oliveti versaturum. Non dissimilis tum rerum facies erat. [*Neque erronea in se opinio eorum fuit; sed minus opportune rem concipiebant.* V. g.] Verum judicium eos docet Dominus. v. 27. 41. — ἀναφαίνεσθαι, *apparere*) modo conspicuo, in terra, in urbe, sine vi humana.

v. 12. εὐγενὴς, *nobilis*) Summa sane *nobilitas* Jesu. Non putabant autem, tantum Ipsi esse imperium, quantum vel servis suis dat. v. 17. [*Diversam hanc ab ea parabolam esse, quae* Matth. 24, 14. Marc. 13, 34. *memoratur, ex arcto sermonis nexu apud Lucam cum antecedentibus concludendum est.* Harm. p. 437.] — μακρὰν, *longe*) in coelo. — λαβεῖν, *ut sumeret*) ut si generosus Italus principatum in populares quaerat in aula imperiali Germaniae. — ἑαυτῷ) *sibi* sua virtute. — βασιλείαν, *regnum*) Huc ref. *regnare.* v. 14. 15. 27. — ὑποστρέψαι, *reverteretur*) de coelo, ad suos. v. 15.

v. 13. δέκα, *decem*) singulis servis, singulas minas. — πραγματεύσασθε, *negotiamini*) Id praeceptum sensu convenit cum illo celebri: γίνεσθε καλοὶ τραπεζῖται. — ἔρχομαι, *venio*) *Venio*, inquit; non, *redeo.* Secundus adventus multo solennior.

v. 14. πολῖται, *cives)* ut erant Hierosolymitani. — ἐμίσουν) *odium concipiebant.* vid. v. 47. — ἀπέστειλαν, *miserunt*) post ejus profectionem. — τοῦτον, *istum*) Fastidiose loquuntur.

v. 15. ἐπανελθεῖν, *rediret*) Id spectat adventum Christi gloriosum. — βασιλείαν, *regnum*) gubernationem ipsam. — φωνηθῆναι, *ut vocarentur*) per angelos.

v. 16. ἡ μνᾶ σου, *mina tua*) Non sibi, sed bono Domini servus adscribit vim.

v. 17. δέκα, *decem*) Non pro una mina data, sed pro decem lucrifactis datur praemium. Gradus praemiorum. coll. v. 19. — πόλεων, *urbes*) Urbs pro mina: minâ ne tugurium quidem emeretur. Magna rerum amplitudo ac varietas in regno Dei, quamvis nondum cognita nobis.

v. 20. ἕτερος, *alter*) duobus prioribus oppositus. — ἐν) *in* sudario, sterili.

v. 22. ἐκ τοῦ στόματός σου, *ex ore tuo*) Impiis non panduntur interiores rationes judiciorum divinorum: sed tantum pro captu suo convincuntur.

v. 23. τράπεζαν, *mensam*) hodie, *Banco.*

v. 24. παρεστῶσιν, *adstantibus*) Angelis.

v. 25. εἶπον, *dixerunt*) ex admiratione, sine invidia.

v. 26. γὰρ, *enim)* Interpellatio, versu 25. expressa, praeteritur.

v. 27. ἐχθρούς, *hostes*) non jam *cives:* nam *oderant*, v. 14. — ἐκείνους, *illos*) Junge cum *hostes*, coll. not. 1. nam *illos* refertur ad v. 14. et hinc infertur *hostium* appellatio. — ἐπ᾽ αὐτούς) Reciprocum. — κατασφάξατε, *mactate*)

Digitized by Google

Gradus poenarum. coll. v. 26. — ἔμπροσθέν μου, *coram me*) Justum spectaculum.

v. 28. ἀναβαίνων, *ascendens*) obviam veniens parabolae complemento.

v. 29. ὡς, *ut*) Accurate notantur momenta profectionis. sic. v. 36. 37. 41. 45. — ἐλαιῶν, *olivarum*) v. 37.

v. 32. εὗρον, *invenerunt*) cum incremento fidei et gaudio. [*Non potuere, Domino huic obsequentes, frustrari.* V. g.]

[1]) v. 34. εἶπον, *dixerunt*) iisdem verbis, atque mandatum erat.

v. 37. ἐγγίζοντος, *appropinquante*) ad urbem. — χαίροντες αἰνεῖν, *gaudentes laudare*) Conjuncta: hymni et gaudia.

v. 38. [2]) βασιλεὺς, *Rex*) Nobilis erat in populo motus: [*quamvis habitus externus haud esset regius.* V. g.] sed tamen non intelligebant profunde, quae dicebant. conf. v. 11. et Joh. 12, 16. — εἰρήνη ἐν οὐρανῷ, *pax in coelo*) c. 2, 14. not.

v. 39. φαρισαίων, *pharisaeorum*) Molesti interpellatores. [*Nimium videtur inflatae atque invidae hypocrisi, quicquid non est vulgare et quotidianum: at nescit reprimi divina virtus.* Harm. p. 445.]

v. 40. οἱ λίθοι, *lapides*) Virtus semel ex Deo profecta non redit re infecta. Invenit, quod agitet; quicquid rerum sit. *Lapides* erant in eo loco. — κεκράξονται) Utuntur LXX hoc verbi tempore.

v. 41. ἰδὼν, *videns*) Novus gradus appropinquandi. Aspectus movebat. Eo ipso postea in loco Romana fuit obsidio. vid. ad Matth. 24, 15. — [3]) ἐπ᾽ αὐτῇ, *super ea*) non super se, conf. c. 23, 28.

v. 42. εἰ) *utinam!* לוּ LXX, εἰ, Jos. 7, 7. — ἔγνως, *cognovisses*) *quae ad pacem tuam* faciunt. conf. v. 44. — καὶ σὺ) *tu quoque*, discipulorum exemplo. v. 37. — καί γε) *et sane* etiamnum post tot dies acceptabiles. — ἡμέρᾳ σου, *die tuo*) die plane singulari. v. 44. fin. Ps. 118, 24. — ταύτῃ, *hoc*) post tot alios dies, cum posses saluti tuae consulere. — τὰ) Hoc pendet ab ἔγνως. — εἰρήνην, *pacem*) Antitheton, *hostes*. versu seq. [*Connotatur pax coelestis, coll.* v. 38. V. g.] — ἐκρύβη, *occultata sunt*) justo quoque judicio Dei.

v. 43. ἡμέραι) *dies*, multi. quia unum diem non observas. v. 42. — καὶ, καὶ, καὶ, *et, et, et*) Tres gradus angustiarum. — συνέξουσι, *prement*) Titus muro condito omnem exitum praeclusit.

v. 44. τὰ τέκνα σου, *et liberos tuos*) Aetas praesens notatur, ad XL annos, uti c. 23, 28. Matth. 24, 34. — ἐν σοὶ, *in te*) Paschae tempore congregatus erat populus, quum urbs cingeretur. — [4]) ἀνθ᾽ ὧν, *quia*) Varias vastatae urbis causas a variis peccatis repetiere Judaei, ut notat Lightfootus: vera causa hoc loco indicatur [5]).

v. 45. [6]) ἱερὸν, *templum*) arcem religionis, ubi conspecto ejus zelo debebant agnoscere, quae *pacis* forent.

v. 46. γέγραπται, *scriptum est*) Vid. Matth. 21, 13. not.

---

1) v. 33. λυόντων, *solventibus*] publice, nemine salutato. *V. g.*

2) λέγοντες, *dicentes*] Id ipsum h. l. impletum est, quod in Galilaea praedixerat Salvator, c. 13, 35. *Harm.* p. 445.

3) ἔκλαυσεν, *flevit*] En tibi mansuetum Regem, inter ipsa discipulorum jubila! Jesus super Hierosolymis lacrymatur: nec tamen quenquam cogit. *(V. g.)* Ecquis vero gladium oris Ejus perferet, quum apparebit equo albo vectus? Apoc. 19, 11. etc. *Harm.* p. 446.

4) λίθον ἐπὶ λίθῳ, *lapidem super lapide*] in ipso etiam urbis templo. *V. g.*

5) οὐκ ἔγνως, *non cognovisti*] Rom. 10, 19. neque etiam voluisti, c. 13, 34. *V. g.*

6) καὶ, *et*) Lacrymas generosus insequitur Zelus. *V. g.*

Digitized by Google

[1]) [2]) v. 48. ἐξεκρέματο) ἡ δὲ ψυχὴ αὐτοῦ ἐκκρέμαται ἐκ τῆς τούτου ψυχῆς Gen. 44, 30. Populi assiduitas aditum hostibus obstruebat.

CAPUT XX.

v. 1. [3]) Σὺν τοῖς πρεσβυτέροις, *cum senioribus*) Hi non recurrunt v. 19.

v. 3. εἴπατε, *dicite*) Resp. *dic*, v. 2.

v. 6. καταλιθάσει, *lapidabit*) Non erat populi, sacerdotes et scribas prophetam quamlibet verum rejicientes lapidare: sed saepe etiam perversum multitudinis studium per accidens subservit bonae causae.

v. 9. ἤρξατο, *coepit*) postquam scribae novam ei causam dederant. — λαὸν, *populum*) muniendum contra interpellationem antistitum. [*et scandalum crucis imminens*. V. g.] — χρόνους ἱκανοὺς, *tempora longa*) post introitum populi in terram Canaan. [*qui annis plus* 1500 *ab eversione Hierosolymorum per Romanos abfuit*. V. g.]

v. 10. ἐν καιρῷ, *in tempore*) fructuum. — δείραντες, *verberantes*) Gradatio: *verberantes, verberantes et contumelia afficientes, vulnerantes*. qualis etiam illa: *emiserunt, ejecerunt*.

v. 11. προσέθετο πέμψαι) Hebraismus LXX viralis.

v. 13. ἴσως) Ἴσως semel est in N. T. et semel apud LXX pro אוּלַי 1 Sam. 25, 21. denotat, humanitus, opinionem, conjecturam, spem rationi congruentem: (uti etiam auctores profani ἴσως pro *forte* adhibent.) in re, significatur divinae bonitatis simplicitas sapientissima.

v. 14. λέγοντες, *dicentes*) Scriptura gravi ac vero sermone exprimit ipsam mentem hominum, quam ipsi saepe non tam malam putant. conf. v. 16. Aliter Deus, in veritate; aliter homines, sibi assentantes, peccata pendunt. — ἀποκτείνωμεν, *occidamus*) c. 19, 47.

v. 16. μὴ γένοιτο) Sic LXX Hebraeum חלילה reddunt. Hoc dicunt: *absit*, ut heredem interficiamus. conf. vers. seq. et Joh. 12, 34. [*Frequenter homines id malitiae, quod DEUS ipsis exprobrat, recusant in se agnoscere*. V. g.]

v. 17. ἐμβλέψας, *intuitus*) ad acuendam animi illorum circa semet ipsos attentionem. Accentus, gestus, vultus, saepe vim verborum facit expressiorem. — γεγραμμένον, *scriptum*) Matth. 21, 42. not.

v. 18. ἐκεῖνον) magnum *illum* lapidem, de quo pridem in Psalmo praedictum.

v. 19. ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, *eadem hora*) crescente odio. coll. c. 19, 47. — καὶ ἐφοβήθησαν) καὶ, *sed, timuerunt*. — γὰρ, *enim*) Ref. ad *quaesiverunt*. — πρὸς αὐτούς, *ad ipsos*) in ipsos.

v. 20. [4]) λόγου) Idem casus, v. 26. ῥήματος. — τῇ ἀρχῇ) *potestati* principum Judaicorum, et deinceps Pilato.

v. 21. ὀρθῶς, *recte*) rigide, sine flexu.

[5]) v. 31. [6]) καὶ οἱ ἑπτὰ, *etiam septem*) id est, reliqui de septem.

---

1) v. 47. διδάσκων, *docens*] Regem id quam maxime decuit. *V. g.*

2) καθ' ἡμέραν, *quotidie*] Gratiosa visitatio! *V. g.*

3) διδάσκοντος, *docente*] Ambulavit, docuit, Evangelium praedicavit in templo ut *in sua* prorsus aede. *V. g.*

4) δικαίους εἶναι, *justos esse*] Tanquam si de conscientia solliciti essent quaerentes. Eam qui curat, liquidum reapse responsum aufert. *V. g.*

5) v. 27. ἀντιλέγοντες, *contradicentes*] Veritas est antiquissima: error nova est adversus istam contradictio; quanquam pro antiquiori etiam opinionem suam habeant subinde errantes. *V. g.*

6) Versu 28. lectio ἐξαναστήσει praeferenda est. Persaepe post Subjunctivum est Indicativus. Vid. LXX Deut. 20, 5. *Not. crit.*

Digitized by Google

v. 34. οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, *filii seculi hujus*) qui subjacent legi mortalitatis; ne piis quidem omnibus exceptis. [*qui, quales erunt, non jam sunt.* V. g.] Antitheton, *filii Dei.* v. 36.

v. 35. καταξιωθέντες, *digni habiti*) Sane magna dignatio. sic c. 21, 36. — τοῦ αἰῶνος ἐκείνου καὶ τῆς ἀναστάσεως, *seculum illud et resurrectionem*) Etiam ante resurrectionem fit ingressus in *seculum illud.* — ἐκ νεκρῶν, *ex mortuis*) Omnes resurgent: sed pii resurgent *ex* impiis, de quibus non praedicatur *resurrectio*, sed animae cum corpore conjunctae interitus profundior. Sic Act. 4, 2.

v. 36. οὔτε, *neque*) Habent corpus ita perfectum, ut nec legi matrimoniali, nec morti, quae successioni fratrum locum fecit, subjaceant. Status firmior Adamicô. — ἰσάγγελοι γὰρ, *similes enim angelis*) Aetiologia, cur tum nuptiae nullae. — υἱοὶ τοῦ θεοῦ, *filii Dei*) perinde ut angeli. — τῆς ἀναστάσεως) resurrectionis, immortalitatem complectentis. antitheton ad *mori*, et Ploce. — ὄντες) Resolv. *quia sunt.*

v. 37. καὶ Μωσῆς) non modo prophetae ceteri, sed *etiam Moses.* — λέγει, *dicit*) verba Dei de Se loquentis perscribens.

v. 38. πάντες, *omnes*) Abraham, Isaac et Jacob, et omnes hominibus defuncti, quorum Deus est Deus. *Hominibus* defuncti sunt; αὐτῷ, *ei*, Deo vivunt. — γὰρ, *enim*) Haec ipsa est conclusio, in qua locus erat *ergo* particulae: sed pro ea *nam* ponitur, uti Rom. 3, 28. hoc sensu: adhibita est argumentatio; nam hoc caput veritatis erat demonstrandum. — αὐτῷ, *ei*) Deo, non mortalibus. Ita autem vivunt Deo, ut Deo fruantur. [1 Petr. 4, 6.] — ζῶσιν) *vivunt*, anima: atque adeo vivent, anima et corpore. Tempus totum animae a corpore sejunctae est veluti momentum respectu conjunctionis primitus intentae et aeternum duraturae: et respectu Dei, cui futura sunt minime remota, imo praesentissima. Rom. 4, 17.

v. 39. καλῶς εἶπας, *bene dixisti*) Hoc quoque nomine veritas libere dicenda, quod, cum offendat nonnullos, aliis tamen probetur.

[1]) v. 42. ἐν βίβλῳ ψαλμῶν, *in libro Psalmorum*) Eo tempore jam pridem uno corpore collecti legebantur Psalmi. [2]) [3])

C A P U T XXI.

v. 1. Ἀναβλέψας, *suspiciens*) ab auditoribus ad alios. *[Quicquid egeris, ad te quoque tuamque actionem et mentem suspicit Jesus.* V. g.]

v. 2. τινὰ καὶ χήραν) *aliquam, eamque viduam.* [4])

v. 5. ἀναθήμασι, *donis*) Erant varia monumenta pretiosa illuc in perpetuum dedicata. vide Josephum. *[Talia hodie sunt* v. *gr. vexilla, cippi, et id genus reliqua, in templis suspendi et erigi solita.* V. g.]

v. 6. ταῦτα, *haec*) Subjectum. sequitur praedicatum, quod subdividitur in subjectum et praedicatum. *Haec* sunt ejusmodi, ut *dies veniant* etc. Sic LXX, 2 Reg. 1, 4.: ἡ κλίνη ἐφ᾽ ἧς ἀνέβης ἐκεῖ, οὐ καταβήσῃ ἀπ᾽ αὐτῆς.

---

1) v. 41. πῶς λέγουσι, *quomodo dicunt*] Exegetae, doctores. *V. g.*

2) v. 45. παντὸς τοῦ λαοῦ, *omni populo*] Ab hominibus noxiis publice dehortari, summae necessitatis res est. *V. g.*

3) v. 46. θελόντων, *volentium*] Saepe rem in se non malam vitiat voluntas. *V. g.*

4) v. 3. ἀληθῶς, *revera*] Cum Marco multoties Lucas conspirat: sed locutiones hebraicas Marcus amat prae Luca. Lucas graecum ἀληθῶς frequentius ponit, quam hebraicum ἀμήν. Sic reliqui Evangelistae largi sunt in adhibenda voce *Rabbi*, quâ Lucas utitur nunquam. Ut Paulus gentium apostolus fuit: sic Lucas, Pauli comes, ad gentes potissimum in scriptis suis respexit. *Harm.* p. 474.

Digitized by Google

v. 7. οὖν, *igitur*) Particula admirandi, cum assensu. — σημεῖον, *signum*) Quaestioni de signo utraque pars responsionis satisfacit. v. 11. 25.

v. 8. ὁ καιρὸς ἤγγικε, *tempus appropinquavit*) tempus Messiae. Res in thesi, vera. Marc. 1, 15. Verus Messias multos characteres habet, quorum unus est, tempus verum, adventus utriusvis. Sed falsi Messiae et impostores falsum tempus Hierosolymae, regno Dei illustrandae, tum jactarunt, cum vastitas ingrueret. v. 24.

v. 9. πολέμους, *bella*) inter aequales. — ἀκαταστασίας, *seditiones*) inferiorum contra superiores, et dissidia intestina, quibus κατάστασις *constitutio* populorum tollitur. Haec sunt *bellorum* ulteriorum praeludia. Hoc inprimis capite Lucas verba Domini, ut ea Matthaeus et Marcus referunt, variata oratione interpretatur. v. 15. 20. etc. Ita, pro *bellis et rumoribus bellorum*, apud illos, hic *bella et seditiones* dicit.

v. 10. τότε ἔλεγεν αὐτοῖς, *tunc dicebat illis*) Indicatur brevis pausa interjecta. v. 29.

v. 11. φόβητρά τε καὶ σημεῖα, *terriculamentaque et signa*) ἓν διὰ δυοῖν. Haec videntur fuisse in inferiore regione coeli: coll. v. 25. ubi majora sequentur. Non omnia prodigia sunt contemnenda. vide Josephum, iterum.

v. 12. πρὸ, *ante*) πρὸ hic non tam tempus notat, coll. Matth. 24, 9. quam momentum rerum, uti 1 Petr. 4, 8.

v. 13. ἀποβήσεται, *evadet*) exitu salutari. Phil. 1, 19. — ὑμῖν, *vobis*) Marcus c. 13, 9. *illis*. *Apostoli* functuri erant testimonio ad *illos*.

v. 14. θέσθε, *ponite*) Id unum laborate, ne laboretis. *[Optimum scilicet studium est, DEO se committere.* V. g.]

v. 15. ἐγὼ, *ego*) Matth. 10, 20. id attribuitur Spiritui *Patris:* nunc Jesus loquitur pro statu exaltationis *suae*. — δώσω, *dabo*) praesentissimus vobis semper. — στόμα, *os*) Huc ref. mox *contradicere*. Saepe martyribus, etiam lingua exsecta, datus est sermo, in Africa, Belgio etc. Vid. Wits. Misc. T. 2. p. 901. seqq. [1]) — σοφίαν, *sapientiam*) Huc ref. mox *resistere*. Sapientia, potentia. — ἀντικείμενοι, *qui adversantur*) Hoc facile: non facile, *contradicere, resistere.*

v. 16. καὶ ὑπὸ) *etiam a parentibus*, non modo ab alienis. *[De Petri vel Johannis* (Marc. 13, 3.) *minus consentaneum est h. l., quam de reliquorum apostolorum discipulorumve parentibus cogitare.* V. g.] — θανατώσουσιν, *occident*) quosdam: ut Jacobum, Johannis fratrem.

v. 18. θριξ, *pilus*) Proverbialis locutio. — οὐ μὴ ἀπόληται, *non peribit*) videlicet sine speciali providentia Dei, sine praemio, ante tempus. Plerique, aut certe aliqui, apostoli vixerunt ultra vastationem Hierosolymorum.

v. 19. ὑπομονῇ ὑμῶν) *in patientia vestra*, ad quam vocati estis. Paradoxon. Mundus animam suam obtinere conatur vim vi repellendo. Sancti non ita. Ap. 13, 10. — κτήσεσθε) salvas *obtinebitis*, (Matth. 24, 13.) cum usufructu vestri. — ψυχὰς, *animas*) etiamsi cetera amittatis. *[Patientia omnium maxime conducit. Obnitendo et recalcitrando pessime res agitur.* V. g.]

v. 20. στρατοπέδων) *exercitibus*, legionibus. — γνῶτε, *scitote*) Obsidio non solvetur. Judaei obstinati, cum obsidio jam ad summa venisset, tamen putarunt, obsidionem solutum iri.

v. 21. [2]) αὐτῆς, *ejus*) urbis: in qua interim manendum fuit. c. 24, 47. 49.

---

1) *Et conf.* Casp. Sagittarii *de Martyrum Cruciatibus*, Ed. II. 1696. p. 285. sqq. *Adde, quae notavimus ad* Marc. 16, 17. E. B.

2) τότε, *tunc*] Omnis humana prudentia ubi deficit, ibi veri nominis Christiani Magistri sui ac Domini verbo juvantur atque ductu. *V. g.*

Digitized by Google

— οἱ ἐν ταῖς χώραις, *qui in regionibus*) qui habitant in oppidis et pagis. vid. ad Matth. 24, 16.

v. 22. ἐκδικήσεως) *ultionis plenae.* Matth. 23, 35. Corripit ultio non fugientes. v. 23. Ex. 9, 19. s. Qui non fugit monitus, et involvitur, habeat. Magnam emphasin hoc verbum habet. 2 Macc. 6, 14. — γεγραμμένα, *scripta*) v. gr. apud Danielem.

v. 23. ἐπὶ τῆς γῆς, *in terra*) etiam extra Judaeam. Eadem phrasis, v. 25. sed majori vi, v. 35. — [1]) ἐν τῷ λαῷ τούτῳ, *in populo hoc*) qui tantam gratiam coelestem spreverit. *[Parcitur hac in caussa* Israëlis *nomini.* V. g.]

v. 24. ἔσται πατουμένη) Hoc plus sonat, quam πατηθήσεται, *calcabitur. erit calcata,* nec non profanata. conf. not. ad 1 Tim. 1, 9. Congruit pristini nominis *Jebus* etymon. Sic, *urbem sanctam calcabunt menses quadraginta duos* etc. Ap. 11, 2. ss. quanquam ibi de uno quodam eoque praecipuo, apud Lucam autem de omnibus calcationis *temporibus* agitur. sane quomodocunque XLII menses illos resolvas, Jerusalem jam diutius calcata est a Romanis, Persis, Saracenis, Francis, Turcis, et posthac calcabitur, donec impleantur *tempora gentium.* Sunt autem *tempora gentium* tempora ad ipsam calcationem urbis definita gentibus: eaque terminabuntur ad earum conversionem consummatissimam. Rom. 11, 25. Ap. 15, 4. nam sane gentes calcantes tantisper minus credunt. *tempora gentium* dicuntur, uti *tempus ficuum, tempus mortuorum.* Marc. 11, 13. Ap. 11, 18. Non infertur hinc, templum cultumque umbratilem instauratum iri: sed tamen multi tum ibi erunt, ut ne hodie quidem nulli sunt, cultores Christiani nominis, et erunt ex populo Israël; eodemque postremo incurret Gog et Magog. Ap. 20, 9. ἄχρι, *donec,* tacite limitat. Ab hoc versu ad v. 27. summatim comprehenduntur tempora omnia vastationem urbis insecutura usque ad finem omnium rerum. — καιροὶ ἐθνῶν) *tempora gentium* propria. Non dicitur αὐτῶν, *illarum,* sed nomen *gentium* iteratur, ad ostendendam eventus cum praedictione convenientiam. Non additur articulus. *Tempora Israëlis,* quae perpetua fuissent, si obedisset, Ps. 81, 16. interpellantur per *tempora gentium.* Haec *tempora* habuere sua intervalla, ut seculo IV. XII. Plurale. Tempus quoddam gentium impletum est imperante Constantino; et tum remisit conculcatio Jerusalem: sed non in perpetuum. Tempora, quibus Hierosolyma tenuere Christiani, fuere brevia intervalla, si conferas ad tempora, quibus urbem tenuere gentes.

v. 25. σημεῖα, *signa*) diversa ab iis, de quibus v. 11. — ἐν ἡλίῳ, *in sole*) Sermo proprie accipiendus: quia *terra, mare, coelum* distincte enumerantur. *[Quae in primis Creationis diebus memorantur, ea inverso hic ordine posita sunt: 1) sol et luna cum astris. 2) terra et mare. 3) coelum.* V. g.] — [2]) συνοχὴ, ἀπορίᾳ, ἀποψυχόντων) *Angor, haesitatio, exanimatio,* sunt in gradatione. — ἐθνῶν) *gentium* cunctarum: quibus opponuntur *homines* singuli, etiam Judaei. v. seq. — ἤχους) Vulgo ἠχούσης. Atqui non dicitur *sonare mare et saltum.* sed maris est ἦχος *sonus, et* σάλος *saltum,* quo auditus et visus percelluntur. conf. Psalm. 46, 4. ἤχησαν καὶ ἐταράχθησαν τὰ ὕδατα αὐτῶν. ἦχος etiam neutrum est, ut docuimus in Appar. crit. p. 546. *[Ed. II. p. 208.]* Quatuor sunt incisa, terroris aeque significationem habentia: καὶ ἔσται ΣΗΜΕΙΑ ἐν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ καὶ ἄστροις· καὶ ἐπὶ τῆς γῆς ΣΥΝΟΧΗ ἐθνῶν· ἐν ΑΠΟΡΙΑ ἤχους θαλάσσης καὶ σάλου· ΑΠΟΨΥΧΟΝΤΩΝ ἀνθρώπων κτλ. Illud, ἐν ἀπορίᾳ arctius cum subsequentibus, quam cum antecedentibus connectitur, sive ἤχους καὶ σάλου sit genitivus objecti sive temporis. Genitivus objecti hoc quidem loco insolentem videri possit atque contortam dare constructionem, quia ἀπορίᾳ, si *penuriam* de-

---

1) *Omissioni particulae* ἐν *tum* utriusque Edit. *margo, tum* Vers. germ. *favet.* E. B.
2) ἐπὶ τῆς γῆς, *super terra*] v. 26. 35. *V. g.*

gitized by Google

notat, genitivum materiae habere solet, ut ἀπορία σίτου, χρημάτων κτλ. sed non desunt locutiones similes, ἡ ἐξουσία ὑμῶν, *potestas vestri*, 1 Cor. 9, 12. τὸ ὑμέτερον ἔλεος, *misericordia erga vos*, Rom. 11, 31. ὁ φόβος τῶν ἰουδαίων, *timor ab Judaeis*, Joh. 7, 13. ταραχαὶ σκιᾶς θανάτου Job. 24, 17.: ubi ταραχαὶ sunt בלהות ut בהלה est ἀπορία Lev. 26, 16. Si id non satisfacit, ἦχους καὶ σάλου debet accipi pro genitivo temporis, ut χειμῶνος, νυκτὸς, σαββάτου. [1])

v. 26. φόβου καὶ προσδοκίας, *timore et expectatione*) *timor* praesentium, *expectatio* futurorum. Ne sancti quidem prorsus erunt immunes a terrore quodam: coll. c. 24, 37. 38.: sed mox se colligent. — αἱ γὰρ δυνάμεις, *virtutes enim*) Hoc jam non solum signum, sed unum *eorum, quae supervenient.*

[2]) v. 28. ἀρχομένων, *incipientibus*) Conf. *initium*, Matth. 24, 8. hinc *his* ref. ad v. 8. s. 10. ss. et h. l. agitur de praeparatione ad propiora: versu *autem* 34. seq. de praeparatione ad novissima. — ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε, *suspicite et allevate*) ut respondentem exspectationi vestrae eventum cernatis quamprimum, et cum gaudio amplectamini. conf. c. 24, 5. Job. 10, 15. *Caput* tollere, LXX, ἀνακύψαι. Iidem, ἆραι κεφαλήν, Jud. 8, 28. — ἀπολύτρωσις, *liberatio*) a multis aerumnis, v. 12. 16. s. Liberatio ab aerumnis Judaicis. *[Stantibus nimirum cum Urbe ac Templo, umbris levitici regnum DEI seu christianae religionis liberum exercitium nondum expedito fruebatur loco. Cum aestatis hoc suavitate comparatur*, v. 30. 31.: *sed antiqua prius tollenda erant.* V. g.]

v. 29. συκῆν, *ficum*) arborem frequentem et tempestivam. — πάντα) *omnes* arbores, bonas et malas.

v. 30. ἀφ' ἑαυτῶν, *a vobis ipsis*) etiamsi nemo vos doceat. Hoc etiam in apodosi subauditur. — γινώσκετε) *nostis.*

v. 31. ἡ βασιλεία, *regnum*) cui urbs vetus cedere debet. *[Vide* c. 9, 27. *Occisis malis vinitoribus, vinea aliis fuit elocata.* Matth. 21, 41. 43. V. g.]

v. 32. [3]) πάντα γένηται, *omnia fiant*) Sermo est de iis, quae erant in quaestione, v. 7. quaeque tractantur v. 8—24., quanquam ne appendix quidem plane excluditur, v. 25—27. namque initio semel facto, cetera nunquam intermittunt, sed semper fiunt, et volvuntur ad finem.

v. 34. μήποτε βαρηθῶσιν, *ne graventur*) βάρος dicit torporem somnolentum. Matth. 26, 43. — ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ, *in crapula et ebrietate*) κραιπάλη, *crapula* est, quam ebrietas hesterna peperit. — μερίμναις βιωτικαῖς, *curis vitae*) plantandi, parandi vestes, hortos, domos. c. 17, 27. 28. — αἰφνίδιος) *subitus*, nec opinatus, improvisus. Idem epitheton, 1 Thess. 5, 3. Huc ref. *enim*, v. 35. — ἐφ' ὑμᾶς, *super vos*) His opponuntur ceteri, meri *terricolae*; quorum character exprimitur c. 17. versu cit. — ἐκείνη, *ille*) novissimus. Antitheton ad *haec*. Congruit universalitas; v. seq.

v. 35. ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς) LXX, Jer. 25, 29.: ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ τῆς γῆς. conf. ὑμᾶς, *vos*, v. 34. not.

v. 36. ἀγρυπνεῖτε, *vigilate*) Marc. 13, 33. — ἐν παντὶ καιρῷ δεόμενοι, *in omni tempore orantes*) c. 18, 1. *omni tempore*, sive *haec* proxima futura spectentur, [ταῦτα πάντα, *citeriora, urbi eventura*, Not. crit.] sive *dies ille*, *Filii hominis*. v. 28. 34. Haec clausula complectitur totum sermonem, de urbe et de universo. — ἐκφυγεῖν, *effugere*) subito. — σταθῆναι) De vi verbi vid. ad Matth. 12, 25.

---

1) θαλάσσης, *maris*] prae gaudio. Ps. 96, 11—13. 98, 7—9. *V. g.*

2) v. 27. ἐρχόμενον, *venientem*] ad judicium. v. 36. — ἐν νεφέλῃ, *in nube*] Singularis. Conf. not. ad Matth. 24, 30. *V. g.*

3) ἡ γενεὰ αὕτη, *haec generatio*] Hunc sermonem inter et vastationem Hierosolymorum 40 annorum spatium intercessit. *V. g.*

Digitized by Google

[1]) v. 38. πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζε, *omnis populus mane veniebat)* Longe aliter paulo post, c. 23, 18.

CAPUT XXII.

v. 1. Ἡ λεγομένη, *dictum)* Praesupponit Lucas, hos, ad quos scribit, non omnes scire, quid fuerit Pascha Judaicum. Sic Joh. 2, 13. add. Joh. 19, 40. 42.

v. 2. [2]) γὰρ, *enim)* Causa, cur quaesierint modum. [*Miserrimus timor, a gaudio nefando exceptus*, v. 5. V. g.]

v. 3. εἰσῆλθε, *ingressus est)* Tempus rei indicatur Joh. 13, 27. [*Ante azymorum diem horrenda res dictu contigit*, v. 7. Joh. 13, 1. V. g.]

v. 4. τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς στρατηγοῖς, *pontificibus et ducibus militiae)* Diversa hominum genera conspirabant. στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ, duces Judaeorum, *(Officiers.)* qui templi excubiis praeerant. v. 52. Act. 4, 1. coll. 1 Macc. 4, 60. 61.

v. 5. ἐχάρησαν, *gavisi sunt)* ut re optata nec opinata. — συνέθεντο) *pacti sunt.*

v. 7. ἦλθε, *venit)* De *propinquitate*, non de ipso *adventu* diei azymorum, hoc interpretatur Sosimus Perastianus Cephaloniensis, hoc consilio, ut pascha in sabbatum detrudat. vid. Cl. Hermanni Hist. controv. de Azymo p. 489. Atqui hoc *venit* multo strictius est, quam *appropinquavit*, v. 1. Quare plane ipsum adventum diei azymorum notat Lucas, perinde ut Matthaeus et Marcus.

[3]) v. 8. πέτρον καὶ ἰωάννην, *Petrum et Johannem)* Petrus anteibat amplitudine: et tamen Johannes erat familiarior. [*Horum uterque dum perageret mandata, norem reliquos, proditore excluso, in fide etiamnum confirmare eo magis Jesus potuit.* V. g.]

v. 13. εὗρον, *invenerunt)* cum gaudio fidei.

[4]) v. 15. καὶ, *et)* Describitur versu 15—18. quaedam quasi prolusio S. Coenae. coll. Matth. 26, 29. — ἐπεθύμησα, *cupivi) Cupierat*, discipulorum causa, quibus in hac ipsa demum valedictione se magis patefacere voluit: sua causa, quia statim erat intraturus in gloriam suam. — τοῦτο) *hoc* singulariter memorabile. — πρὸ, *ante)* Declaratur illud *hoc*. [*Vix tantum temporis hostes Ei relinquebant: attamen eo usque differre rem coacti sunt, dum et convivium paschale et reliqua plura transissent.* V. g.]

v. 16. ἕως ὅτου, *usque dum)* Tum erit convivium coeleste. v. 30. — πληρωθῇ, *impleatur)* Agnus paschalis, typus regni coelestis. — ἐν τῇ βασιλείᾳ, *in regno)* v. 18. 30.

v. 17. δεξάμενος) Δέχομαι dicitur de eo, quod praebetur. Jesus egit, ut paterfamilias: poculum sibi porrigendum curavit. — ἑαυτοῖς, *vobis ipsis)* Videtur ipse bibisse prius: coll. v. praecedd. non item v. 20.: coll. Matth. 26, 26. not.

v. 18. γὰρ, *enim)* Id est, nolite exspectare, dum ego amplius hic bibam. — ἀπὸ τοῦ νῦν) Habet hoc notabilis pars codicum. Respondet τῷ οὐκέτι v. 16. ἀπ᾽ ἄρτι, Matth. 26, 29.

---

1) v. 37. τὰς ἡμέρας, *per dies*] Ad dies proxime praecedentes hoc spectat, coll. c. 19, 47. Nam Salvator Matth. 23, 39. 24, 1., templum reliquit. Id quod Lucas postponit, utpote cum c. 22, 1. 2. cohaerens; quanquam apud Matthaeum et Marcum sermonis Jesu nonnihil interlabitur. *Harm.* p. 482.

2) καὶ ἐζήτουν, *et quaesiverunt*] Idem Judas quaesivit, v. 6. Pessimum studium! *V. g.*

3) ἔδει, *oportuit*] ex legis praescripto. *V. g.*

4) v. 14. ἡ ὥρα, *hora*] vespertina, agno paschali destinata. *V. g.*

Digitized by Google

v. 19. τοῦτο, *hoc)* ***Hoc poculum*** dicitur v. 20. sed h. l. non additur ***panis:*** quia ***panis*** non tam apte congruit termino complexo, quam ***poculum.*** — τὸ ὑπὲρ, *quod pro)* Ut in V. T. unius ejusdemque victimae pars est oblata Deo, pars ab Israëlitis comesta: sic unum illud corpus, quod Jesus Christus Patri obtulit, accipiunt Christiani in S. Coena. ὑπὲρ, ***pro,*** i. e. ἀντὶ, Matth. 20, 28. — διδόμενον, *datur)* in mortem. — ποιεῖτε, *facite)* edite. *Facere* non habet h. l. notionem sacrificialem. Injuria est in unicum sacerdotem N. T. potestatem et dignitatem sacerdotalem coram Deo tribuere ministris S. C. — ἀνάμνησιν, *recordationem)* vid. 1 Cor. 11, 25. 26. not. [*In* primo ***isto*** actu ***praesentem adhuc Jesum habebant, adeoque recordationi non erat proprie locus.*** Futura ***itaque hoc vocabulo prospiciuntur.*** V. g.]

v. 20. ὡσαύτως, *similiter)* Ergo duas partes S. Coenae nec separare debemus, nec confundere; quasi panis sine poculo sufficiat, aut cum corpore jam sumatur sanguis. Incivile veteres duxere ***panem bibere:*** neque nostrum est ***potum Domini edere.*** — τὸ ποτήριον, ***poculum)*** ***sumens dedit.*** τὸ habet vim relativi ad v. 17., ubi memoratur poculum cum vino. Namque nomen, bis positum, persaepe primo loco non habet articulum; deinceps, habet. Matth. 2, 1. 7. 1 Cor. 8, 1. Hebr. 2, 8. — μετὰ τὸ δειπνῆσαι) ***post coenam*** non sacramentalem: facto transitu ad majora et ultima. — ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, ***novum testamentum in sanguine meo)*** Aequipollet illi phrasi, ***sanguis meus,*** qui est ***novi testamenti.*** conf. not. ad 1 Cor. 10, 16. Sic dicitur, ***promissio Spiritus,*** i. e. ***Spiritus promissus,*** Gal. 3, 14. — τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, ***qui pro vobis effunditur)*** Hoc est pars praedicati, (nam poculum plenum non effunditur, sed ebibitur:) et cum illo commate, ***in sanguine meo,*** per appositionem jungitur, qualis 2 Cor. 8, 23. 11, 28. not. Ap. 1, 5. LXX, Lev. 6, 8. al. 15. Gen. 21, 33. Deut. 33, 16.

v. 21. πλήν, *verumtamen)* Antitheton inter *quod datur* v. 19., et ***tradentis*** h. l. Suavissimum sermonem Jesu cum discipulis, [v. 15—20.] mox abruptum iri significat. [***simulque subinnuit, se, proditoris operâ, jamjam subtractum iis fore, adeoque sui*** recordationem ***discipulis in posterum esse celebrandam.*** V. g.] Haec particula argumento est, Judam interfuisse coenae dominicae. coll. v. 14. Continuum esse hunc sermonem, ex eo patet, quod Lucas ne formulam quidem illam, qua saepe utitur: ***et dicit***, hic posuit. — ἡ χεὶρ, ***manus)*** quae S. Coenam sumsit, quaeque hostibus perfidam fidem dedit. [***sumtis*** 30 ***argenteis.*** V. g.] Sic Theodosio dixit Ambrosius: ***Istasne adhuc stillantes injustae caedis cruore manus extendes, iisque sanctissimum Domini corpus prehendes?*** [1]) [2])

v. 24. δὲ καὶ) Non modo proditor, ***sed etiam*** undecim molestiam exhibuere Domino. — φιλονεικία, ***contentio)*** periculosa. conf. v. 31. [***Intra urbem omnino contentio ista contigit: ad quam sedandam quae locutus est Jesus, iis Lucas praeter alia praedictionem de Petro abnegaturo jungit, quam Matthaeus et Marcus post exitum ex urbe memorant.*** Harm. p. 516.] — τίς δοκεῖ, ***quis videatur)*** quis sit, omnium suffragiis. — μείζων) ***major***, ut primus, secundus, tertius etc. Non modo de maximo erat quaestio.

v. 25. εὐεργέται) Aristot. Eth. 1, 8. c. 13. βασιλεῖ πρὸς τοὺς βασιλευομένους φιλία ἐν ὑπεροχῇ εὐεργεσίας. Conf. Not. ad Chrys. περὶ ἱερωσ. p. 452. Sic 2 Macc. 4, 2. Onias dicitur ὁ εὐεργέτης τῆς πόλεως. — καλοῦνται) Medium. Hunc titulum sibi vindicant.

---

1) μετ' ἐμοῦ, *mecum*] Non, *vobiscum*, ait. Proditorem igitur a reliquis discipulis segregans, sibi uni jam cum isto, tanquam hoste quidem, rem esse docet. *V. g.*

2) v. 22. κατὰ τὸ ὡρισμένον, *secundum id quod definitum est*] Quid definitum sit vel destinatum, ex Scriptura licet cognoscere. v. 34. Marc. 14, 21. *V. g.*

by Google

v. 26. [1]) νεώτερος, *junior)* aetate vel discipulatu.

v. 27. γὰρ, *enim)* Suo exemplo propositum probat. — ἐγὼ, *ego)* Jesus in prima persona loquitur, ubi sermo est de ministrando: antea in tertia, *quis enim major?* — ἐν μέσῳ ὑμῶν, *in medio vestri)* aequo loco. Provocat ad praesens.

v. 28. δὲ, *autem)* Plus vobis obtinget, quam speratis: non primatus qualiscunque inter vos, sed singulis *regnum.* [*Egregie sane producere Suos Dominus novit. Hanc ipsam praerogativam tum temporis eis aperuit, quum periculum eâ superbiendi minus immineret.* V. g.] — πειρασμοῖς, *tentationibus)* Discipuli, post *tentationem* in deserto, vocati. Tota igitur vita Jesu Christi *tentationum* [*a Satana, mundo, scribis etc. exhibitarum,* V. g.] plena fuit, per quas intravit in gloriam: et sic fidelium. Etiam Christus discipulos tentavit. [*Bene steterunt in omnes partes.* Joh. 6, 68. V. g.]

v. 29. κἀγὼ) *et* vicissim *ego.* Sensus est: et ego vos in tentationibus periculosis vestris illaesos praestabo (conf. Ap. 3, 10.) usque dum intretis in regnum. Sed id concise exprimitur. nam introitus in regnum praesupponit conservationem in tentationibus. [*conf.* Joh. 6, 39.] — διατίθεμαι) nunc, his ipsis verbis. Promissio ponitur ante admonitionem. v. 31. Flacius et Beza: *paciscor.* E. Schmidius: *testamento dispono.* Verbum *morienti* conveniens. Hebr. 9, 15. s. [*Latius tamen mox patet, ubi de* Patre *sermo est.* V. g.] — μοι, *mihi) qui persevéraví.* — βασιλείαν, *regnum)* In regno solet esse regalis et splendida diaeta et victus, et regalis potestas ejusque exercitium. utrumque promittitur versu seq. [*Tum vero quaestio,* quis major sit, *omnium facile memoriâ exciderit. Ista tanta bona qui considerat, nullo negotio posthabebit mundum.* V. g.]

v. 30. ἵνα ἐσθίητε, *ut edatis)* non ut *ministrantes.* v. 27. — ἐπὶ τῆς τραπέζης μου, *super mensa mea)* Opponitur haec *mensae hospitis.* v. 12. — καθίσησθε, *sedeatis)* in regno meo. Matth. 19, 28. — φυλὰς, *Tribus)* Singuline singulas?

v. 31. σίμων σίμων, *Simon Simon)* Gravissima epizeuxis. Petrus quoque *contentionem* habuerat, v. 24. fidei inimicam. Joh. 5, 44. — ἰδοὺ, *ecce)* Id est, patet hic res ex aperto effectu: quem tamen Petrus non ita putaret a tentatore profectum esse. — ὁ σατανᾶς, *Satanas)* Judâ non contentus. v. 3. — ἐξητήσατο, *expetivit) ex* praesidio vestro. Satan postulavit, dedi sibi Petrum, uti Jobum: sed Salvator eum repulit. Antitheton, ἐδεήθην, *rogavi.* — ὑμᾶς· περὶ σοῦ, *vos: de te)* Senserat magnam in Petro fidem et tamen magnam etiam labilitatem Satanas, eoque victo putabat omnes victos fore: at Jesus, servato Petro, cujus ruina ceteros traxisset, omnes servavit. Totus sane hic sermo Domini praesupponit, Petrum esse primum apostolorum, quo stante aut cadente ceteri aut minus aut magis periclitarentur. Erat autem primus fide, non imperio. Petri vero successor praetensus, posteaquam a fidei sinceritate descivit, fideique tamen et imperii primatum sibi uni vindicavit, totus misere in cribrum incidit. Primos fere sequuntur ceteri commilitones: primi prae ceteris periclitantur: primi inprimis sua vigilumque cura et precibus muniendi sunt. — σινιάσαι) σινίον, *cribrum.* Hesychius, σινιάσαι, σεῖσαι, κοσκινεῦσαι. cribro agitatur et circumagitur frumentum: idque faciunt homines purgandi ejus causa; sed Satanas, perimendae apostolorum fidei causa, dum eos collideret inter se, extima et intima, summa, et ima conturbans. — ὡς, *ut)* tanta facilitate.

v. 32. ἐδεήθην) Insigne verbum. *Rogavi,* quamvis tu, Petre, nescires,

---

1) ὑμεῖς δὲ, *vos vero*] Depressos hac allocutione, alterâ istâ v. 28. evehit. *V. g.*

Digitized by Google

quid ageretur. Jesus pro discipulis rogavit: adeo Ipsum non potuit *expetere* Satanas. — ἵνα μὴ ἐκλείπῃ, *ut ne deficeret)* Non dicit, *ut ne cribrareris.* Satanas etiamsi cribravit, tamen fidem non plane eripuit. Eclipsin fidei in Petro quaesivit Satanas: sed fidei lux statim iterum in eo post *contentionem* et post abnegationem effulsit. Petrus, illa instabilitate, in occulto tamen vere erat Petrus: quemadmodum Jacobus et Johannes, etsi sermonem exterius subtilem habebant, tamen vere erant filii tonitrui. — [1]) σύ ποτε) Ποτὲ (Joh. 9, 13.) etiam de brevi intervallo dici, docet Eustathius. hoc loco sonat indefinite, *quandoque,* longo aut brevi intervallo. — ἐπιστρέψας στήριξον, *ricissim confirma)* pro eo, atque nunc fratres per te periclitantur. ἐπιστρέφω, verbum resolvendum in adverbium, ut Hebr. שׁוּב conf. ἔστρεψε, Act. 7, 42. — στήριξον, *confirma)* Quod ego tibi facio, tu fac tui similibus, quos antea labefecisti. Fecit hoc Petrus, non multo post, Act. 2. seq. et in utraque sua epistola, ubi hoc ipsum verbum saepe repetitur. 1 Petr. 5, 10. 2 Petr. 1, 12. 3, 17. 16. 2, 14. Ac saepe observes verba Jesu deinceps ab apostolis adhibita. — τοὺς ἀδελφούς σου) *fratres tuos,* inquit, non *nostros.* nam alio modo fratres habet Petrus, alio Dominus. Fratres Petri erant apostoli ceteri, Matth. 23, 8. sed quia hi postea non eguerunt confirmatione Petri, accipiendum est de aliis fidelibus imbecillioribus.

v. 33. μετὰ σοῦ, *tecum)* Hae voculae, praesertim initio positae, emphasin habent. conf. Ps. 18, 30. — ἕτοιμος, *paratus)* Multum sibi credit Petrus. [*Plenâ voluntate et virtute haud vulgari opus fuerat. Non temere suspiceris, Petrum eorum respectu, quae de perseverantia discipulorum Dominique intercessione memorata modo sunt, tantopere sibi confisum esse. Atque utrumque suam quidem, sed non eam quam putabat, efficaciam habuit.* V. g.] — εἰς, *in)* Aerumnae gravissimae, captivitas et mors. [*At non decuit Jesum* in custodia *teneri. Bona agere et docere quum semel coepisset, libere inter ipsas hostium manus, et in cruce, perrexit usque dum efflaret animam.* V. g.]

v. 34. σήμερον, *hodie)* quamvis *paratus* tibi, Petre, videare.

v. 35. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, *et dixit eis)* Hoc pertinet ad excitandam discipulorum vigilantiam, ne suis viribus confidant. — ὅτε) *quum,* non, *quotiescunque.* Nam semel ita missi leguntur septuaginta, cap. 10, 4. semel duodecim. c. 9, 3. [*Cf. not. ad Matth.* 10, 1.] — ἀπέστειλα, *misi)* Praesentes eos aluit Dominus. — βαλαντίου καὶ πήρας, *sacculo et pera)* De differentia vocum vid. ad Matth. 10, 9. 10.

v. 36. [2]) πήραν, *peram) qui habet, tollat.* Id est, nemo vobis erit amicus, hostes multi. — ὁ μὴ ἔχων, *qui non habet)* numos, quibus emat. — τὸ ἱμάτιον, *vestimentum)* quod magis necessarium est, quam *sacculus.* — ἀγοράσει, *emet)* Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Consequens est pro antecedente. id est, homines hoc tempore non modo non beneficos, sed plane hostes habebitis. Ideo apostoli ab hoc die usque ad pentecosten se non modo ut privatos, sed interdum clausos tenuere. Joh. 16, 32. 19, 27. 20, 10. 19.

[3]) v. 37. ἔτι τοῦτο) *etiamnum hoc* extremum, post tot alia. — τὸ) Marc. 15, 28. not. — καὶ, *et)* Ultimus hic gradus ceteros praesupponit. — τὰ περὶ ἐμοῦ, *quae de me)* scripta de Messia, passuro. conf. c. 24, 27. fin. — τέλος

---

1) ἡ πίστις, *fides*] quam superbia urget, Satanasque in discrimen adducit. *V. g.*

2) ἀλλὰ νῦν, *at nunc*] Jesus ubi, tanquam maleficum, hominum se manibus permisit; opportunum non fuit, extraordinariam tutelam discipulis contra mundum praestare. Ea ipsa de causa ordinariis eosdem subsidiis victui atque defensioni inservientibus uti concedit, justo hoc idem tempore ipsis aperiens. *V. g.*

3) μάχαιραν, *gladium*] non ut occiderent quenquam, sed aliorum gladium ut cohiberent. *V. g.*

by Google

ἔχει, *finem habent)* consummationem nacta sunt. Modo, τελεσθῆναι, *consummari.* apud homines, actum est: in re, consummatio est. *finis,* Rom. 10, 4.

v. 38. ὧδε, *hic)* In coenaculo invenerant, aut secum tulerant. v. 49. [*Prius enim gladiis cincti non fuerant: aliàs et illis Dominus eos interdixisset ad legationem instruendos,* v. 35. V. g.] — δύο, *duo)* Conf. Joh. 6, 9. — ἱκανόν ἐστι, *satis est)* i. e. non opus est plus duobus gladiis. Breve responsum ita pronunciavit Jesus, ut discipuli satis possent intelligere mentem ejus de emendo gladio. conf. Joh. 14, 30. Locutio non dissimilis 1 Macc. 2, 33., ἕως τοῦ νῦν ἱκανόν· ἐξέλθετε. Deut. 3, 26., ἱκανούσθω σοί.

v. 39. κατὰ τὸ ἔθος, *secundum consuetudinem)* Sic instante novitate minus perculsi sunt discipuli. — εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, *in montem olivarum)* In hunc montem vacca rufa educebatur mactanda. vid. S. R. Zeller. ad Maimon. de vacca rufa, p. 360. 501. — ἠκολούθησαν, *secuti sunt)* sua sponte.

v. 40. ἐπὶ τοῦ τόπου, *ad locum)* Ipsius *loci* aspectus commovebat Jesum.

[1]) v. 41. ἀπεσπάσθη, *avulsus est)* serio affectu.

v. 42. εἰ βούλει παρενεγκεῖν) Infinitivus pro imperativo frequens Graecis. vid. Ap. 10, 9. not. Atque hoc quidem loco talis enallage modestiam Jesu erga Patrem exprimit: sed magis etiam ipsa aposiopesis verbi παρένεγκε.

v. 43. δὲ, *autem)* Ipsa apparitio signum erat bibendi calicis, et factae exauditionis. Usque adeo hujus agonis profunda non capit ratio humana, ut nonnulli hanc olim periocham praetermiserint. vid. *Apparat.* Ubi cum *calice baptismus* memoratur, *calix* est passio interna, (v. gr. derelictio in cruce:) *baptismus*, externa: (conf. Marc. 10, 38. not.) Ubi solus *calix* memoratur, passio intelligitur universa, ita certe, ut sub interna connotetur externa. — ἐνισχύων, *confortans)* non per cohortationem, sed per corroborationem. Idem verbum, Act. 9, 19.

v. 44. ἐν ἀγωνίᾳ) Ἀγωνία, *summus moeror et angor,* (conf. not. ad Matth. 26, 37.) erat ex oblato illo calice. Idem verbum, 2 Macc. 3, 14. 16. 21. 15, 19. Proprie notat angorem et aestum animi, quem habet *certamen* et opus arduum aggressurus, etiam sine ulla de bono exitu dubitatione. — ἐκτενέστερον, *vehementius)* [2]) animo et voce. Hebr. 5, 7. Potuerunt igitur audire non solum propiores discipuli tres, sed etiam octo ceteri. — ἐγένετο δὲ, *factus vero est)* Declaratur vehementia *angoris.* — ὁ ἱδρὼς, *sudor)* quanquam frigus erat. Joh. 18, 18. [*Elicitus est sudor iste virtute per angelum acceptâ, luctâ, precum vehementiâ et bibendi calicis desiderio.* V. g.] — ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος) θρόμβοι, *grumi,* a θρέψαι, i. e. πῆξαι. θρόμβοι αἵματος, *guttae* spissae et concretae veri *sanguinis.* Vis particulae ὡσεὶ cadit super θρόμβοι, non super αἵματος, ut patet ex epitheto ejusque plurali, καταβαίνοντες. Sanguis per minores guttulas e poris manans, concrescebat propter copiam. Si sudor non fuisset *sanguineus,* mentio *sanguinis* plane abesse poterat, nam vocabulum θρόμβοι etiam per se competebat sudori spisso. — ἐπὶ τὴν γῆν, *super terram)* propter copiam. Eo terra benedictionem accepit.

[3]) v. 46. ἀναστάντες, *surgentes)* Habitus corporis aptus ad torporem superandum.

v. 47. προήρχετο αὐτοὺς) Nonnulli, προήρχετο αὐτῶν. Sed eadem locutio, προῆλθον αὐτοὺς, Marc. 6, 33. quo loco collato, hinc patet, proditorem celerius accessisse ad Dominum, quam cohortem.

---

1) μὴ, *ne*] Non generatim tantummodo preces ut remedium tentationis commendantur; sed materia precum hac vocula indicatur. *V. g.*

2) Factum id in secundo abitu atque tertio. Itaque sub primam supplicationem apparuit angelus, et post singulas orationes Jesum confortasse censendus est. *V. g.*

3) v. 45. καὶ ἀναστὰς, *et surgens*] Patris voluntati deditus. *V. g.*

v. 48. [1]) φιλήματι, *osculo*) Summo amoris signo per summam temeritatem abutitur proditor. coll. not. ad Luc. 7, 45.

v. 49. τὸ ἐσόμενον, *futurum*) praeter ipsorum opinionem hactenus manentem.

v. 50. καὶ, *et*) non exspectato Domini responso. v. 51.

v. 51. εἶπεν, *dixit*) Petro et ceteris. Matth. 26, 52. — ἐᾶτε, *sinite*) Sic Act. 5, 38. — ἕως τούτου) nolite progredi. Sic 1 Macc. 1. c. ad v. 38., ἕως τοῦ νῦν. Lev. 26, 18.: עד אשר ἕως τούτου.

v. 52. παραγενομένους, *qui adrenerant*) Missi erant ministri, sacerdotes ultro venerant. — στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ) Judaicos *excubiarum* in templo *praefectos*. — ἐξεληλύθατε, *exiistis*) subito tumultu.

v. 53. ὑμῶν, *vestra*) vobis non prius data. [*utut pridem vobis exspectata*. V. g.] — ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους, *potestas tenebrarum*) Joh. 9, 4. 14, 30. *tenebrarum*, i. e. Satanae. Abstractum pro concreto. Allusio ad noctem.

v. 55. ἐν μέσῳ, *in medio*) ut ferebat locus.

v. 56. πρὸς τὸ φῶς, *ad lucem*) Id si vitasset, latere magis potuerat.

v. 58. οὐκ εἰμὶ, *non sum*) Dum se negat Petrus, Dominum negat. Et dum se esse negat, esse desinit. Ipsa verba trepidationem ostendunt.

v. 59. ὥρας, *hora*) Semel saucius tota hora se non collegit.

v. 61. ἐνέβλεψε, *aspexit*) Hoc uno nutu, quum loquendi non esset locus, mentem Petri totam excitavit Jesus. Conf. Joh. 1, 43., de aspectu, cujus Petrus postea quoque meminisse potuit.

v. 63. s. [2]) δέροντες· ἔτυπτον· παίσας) Δέρειν, totum corpus: τύπτειν, partem: παίειν, cum vi et dolore. [*Tantam petulantiam nemo mortalium, ac ne maleficorum quidem teterrimus, unquam sustinuit, quantam Christus, Justus ille, fuit perpessus.* Harm. p. 540.]

[3]) v. 68. ἐὰν δὲ, *sin autem*) Conf. Jer. 38, 15. — ἐρωτήσω, *interrogavero*) Interrogando facile convincit Veritas contumaces. [c. 20, 3.]

v. 69. ἀπὸ τοῦ νῦν) *ab hoc puncto*, quum dimittere non vultis. Hoc ipsum erat iter ad gloriam. Sine conjunctione expressus sermo, vim habet. — ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *filius hominis*) Ultimus est hic locus, ubi *Filium hominis* se ipse appellat Jesus.

v. 70. οὖν, *igitur*) Colligebant ex praedicato, v. 69., idque magna cum emphasi. *es*, inquiunt, non, *eris* [4]).

CAPUT XXIII.

[5]) v. 2. Εὕρομεν, *invenimus*) Verbum invidiosum. [*At nec Pilatus invenit nec Herodes.* v. 4. 14. 22. V. g.] — τὸ ἔθνος) Λαὸς, *populus*, Judaeis praebus datur: ἔθνος, *natio*, utrisque. λαὸς, *populus*, sensu politico, eodemque sacro: ἔθνος, *natio*, sensu genealogico sive physico. Joh. 11, 50. 52. conf. Apoc. 5, 9. not. — κωλύοντα, *prohibentem*) quasi Anticaesarem. — καίσαρι, *Caesari*) Nulla re Caesari addictiores fuere, quam odio Christi. Periculosus transitus a spiritua-

---

1) εἶπεν αὐτῷ, *dixit ei*] In confuso strepitu, coll. v. 51. 52. sapientissima agendi ratio, quam Jesus adhibuit, notari meretur. *V. g.*

2) οἱ συνέχοντες, *tenentes*] per totam noctem. *V. g.*

3) v. 64. τίς ἐστιν; *quis est?*] Haud paucis, qui magis ex animo, quam petulans ista colluvies, latere student, posthaec demum dicetur, TU ES; etiamsi ad diem usque novissimum differenda res fuerit. *V. g.*

4) v. 71. αὐτοὶ — ἠκούσαμεν, *ipsi — audivimus*] Contra seipsos testimonium ipsi perhibent. *V. g.*

5) v. 1. ἅπαν τὸ πλῆθος, *Omnis multitudo*] Incendio id quaevis undiquaque corripienti comparaveris. *V. g.*

Digitized by Google

libus ad politica. — λέγοντα, *dicentem*) Declaratur τὸ *perverlentem et prohibentem*. Ex appellatione *Christi regis*, duplicem inferunt calumniosam consequentiam. Hac missa, de illa quaerit Pilatus.

v. 4. ὁ δὲ πιλάτος, *Pilatus autem*) Sentiebat Pilatus, Jesum profiteri se talem regem, qui Caesari nil officeret. Jam enim solus erat, etiam a discipulis desertus. [*Innocentiam Jesu identidem Pilatus confessus est; at singulari modo ternis omnino vicibus*, Luc. 23, 4. 14. 22. *Conf.* Matth. 27, 24. Joh. 19, 4. Harm. p. 547.]

v. 5. γαλιλαίας, *Galilaea*) Dum rem amplificant, Pilato dant rimam.

v. 7. ἀνέπεμψεν, *remisit*) velut ad principem ejus. conf. v. 11. vel: *misit in superiorem* partem urbis.

v. 8. ἡρῴδης, *Herodes*) Potentes minus obvium habuere Jesum: et illi solent esse ultimi in cognoscendis rebus regni Dei. Prima propagatio fidei in J. C. non est facta per potentes mundi.

[1]) v. 10. εὐτόνως, *rigide*) Act. 18, 28. Sacerdotes habent saepe zelum falsum, aulici nullum. unde hi saepe veritatem levius oppugnant, quam illi. Herodes in potestate sua habebat, atque adeo debuit, Jesum dimittere.

v. 11. ἐξουθενήσας, *nihili faciens*) Non tanti putabat Jesum, ut de eo laboraret; quicquid causarentur sacerdotes. Putabat, sapientiam et potentiam Jesu decolasse. — ἐσθῆτα λαμπρὰν, *vestem splendidam*) Vestitum regium. [*quem ipse vel gestasse vel gestare voluisse censeri queat*. V. g.] Herodes videtur contemtim voluisse significare, se nil metuere ab hoc rege. Sed revera eum honoravit inscius veste, ut Pilatus titulo crucis. [*Citius justo timuit Herodes antiquior: hic, ubi regnum Christi propius imminebat, securitati jam indulget. Perversa mundi ratio.* V. g.] — ἀνέπεμψεν, *remisit*) Potuerat et debuerat dimittere potius. [*Itaque remittens innocentem Pilato Pilati seipsum reatui implicuit*. Act. 4, 27. Harm. p. 548.]

v. 12. φίλοι, *amici*) [*ita, ut neuter jam alteri derogare quidquam cuperet*. V. g.] Judaismus et Ethnicismus coepere coalescere, Christianismo nascente.

v. 14. ἐνώπιον ὑμῶν, *coram vobis*) unde videtis rem serio actam. — οὐδὲν εὗρον, *nihil inveni*) Refutatur Judaeorum *invenimus*. v. 2. Itaque *ego* est antitheton, respectu illorum, coll. Joh. 18, 38., et respectu Herodis. v. seq.

v. 15. πεπραγμένον) *quod fecerit* Jesus.

v. 16. παιδεύσας, *castigans*) flagellis. Μείωσις. Hic coepit nimium concedere Pilatus.

[2]) v. 23. καὶ τῶν ἀρχιερέων, *et pontificum*) Etiam decori immemores cum plebe clamabant.

v. 24. ἐπέκρινε) q. d. *superjudicavit*. praejudicium fecerant sacerdotes.

v. 25. θελήματι, *voluntati*) ut facerent, quae voluissent ac vellent. [*Idem si integrum esset eorum aliquibus, qui Christiani volunt audire: quid credas fieri?* V. g.]

v. 27. ἐκόπτοντο, *plangebant*) vel ex communi, vel etiam ex singulari affectu. Κόπτεσθαι pertinet ad gestus: θρηνεῖν ad fletum et vocem flebilem.

v. 28. [3]) ἐφ' ἑαυτὰς — καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ὑμῶν — ἰδοὺ, *super vos ipsas — et super liberos vestros — ecce*) Indicatur, satis prope instare poenam. [*Nimirum calamitas ista infantibus potissimum imminebat, neque tamen ita, ut mu-*

---

1) σημεῖον ἰδεῖν, *signum videre*] Miseri, qui in Christo nonnisi naturalium sensuum pabulum quaerunt. Tale gaudium non conducit. *V. g.*

2) v. 22. οὗτος, *hic*] Sic Barabbae latroni opponitur Jesus. *V. g.*

3) μὴ — ἐπ' ἐμὲ, *ne — super me*] Jamjam ad gloriam Jesu tendebat. Eo modo, qui Zach. 12, 10. indigitatur, deplorari se non prohibet. *V. g.*

Digitized by Google

lieres Jesum deflentes vivendo eam non attingerent. Harm. p. 561.] Ipse etiam urbem, non se ipsum deflevit. c. 19, 41. 18, 31. s. [*Quam multi et multae, quibus caussae deplorandi sui plane sonticae non deessent, hodienum securitati litant!* V. g.]

v. 29. ἐροῦσι, *dicent*) *liberi vestri.*

v. 30. τότε, *tunc*) tum demum magis, quam nunc. — ἄρξονται, *incipient*) steriles, respondentes iis, a quibus *beatae* dicebantur. Dicetur post etiam, Ap. 6, 16. — λέγειν τοῖς ὄρεσι, πέσετε ἐφ᾽ ἡμᾶς· καὶ τοῖς βουνοῖς, καλύψατε ἡμᾶς) Hos. 10, 8. LXX: καὶ ἐροῦσι τοῖς ὄρεσι, καλύψατε ἡμᾶς· καὶ τοῖς βουνοῖς, πέσετε ἐφ᾽ ἡμᾶς. — ὄρεσι, *montibus*) Saepe homines tecti montibus. Magnus terror, ubi id, quod per se horribile est, praesidii loco optatur. Ap. l. c.

v. 31. ὅτι) Hac paroemia vel Jesus docet, cur ipse filias Jerusalem flere jubeat; vel eos potius, qui montibus obrui optant, causam terroris ipsorum allegantes inducit. *Arbor* itaque *viridis*, fuerint juvenes, valentes, vegeti: *arbor arida* (conf. Es. 56, 3. Ez. 21, 3. 31, 3. ss.) senes, debiles, steriles. Insignis locus Josephi l. 6. de B. J. c. 44 f. 968. ed. Lips. *Cum milites interficiendis* Judaeis *defessi essent, et magna superstitum multitudo appareret, jussit Caesar solos armatos ac resistentes caedi, reliquos capi. At illi* μετὰ (res poscit, κατὰ) τῶν παρηγγελμένων *contra ac mandatum erat, senes et debiles* (ΤΟΥΣ ΑΣΘΕΝΕΙΣ) *occiderunt,* (ΤΟ Δ᾽ ΑΚΜΑΖΟΝ) *vegetos autem utilesque incluserunt etc.* Hac igitur summa calamitate disceptabant invicem, ut fieri solet, quis miserior. Facit huc, quod ξύλον notat vel arborem stantem, vel lignum ex arbore caesa, quod item vel *humidum* (sic enim Erasmus ὑγρὸν vertit,) vel *aridum* esse solet. Alias sane Christus est viridissima arbor vitae: homines extra illum, aridum lignum sunt. Joh. 15, 1. s. sed supplicium ejus sane gravius fuit, quam ullius, urbe capta, Judaei.

v. 32. ἕτεροι, *alii*) quorum similis habebatur Jesus. conf. v. 39. et Act. 27, 1. Dignius tamen est Graecum ἕτεροι, quam ἄλλοι. nam magis exprimit dissimilitudinem. — κακοῦργοι] Hoc construe non cum ἕτεροι, sed cum δύο. [conf. v. 33. 41.]

v. 33. κρανίον, *calvariam*) Frequens in topographiis nomenclatura a partibus corporis humani.

v. 34. ἔλεγε, *dicebat*) Primum verbum Jesu Christi in cruce. Septem sunt verba, apud quatuor evangelistas; quorum nullus omnia perscripsit. Ex quo patet, quatuor eorum libros esse quasi quatuor voces, quae conjunctae Symphoniam efficiunt: et modo singulae, modo duae, modo tres, modo simul sonant. Pleraque peregit Salvator in cruce per silentium: septem autem verba habent anakephalaeosin doctrinae nobis profuturae in nostris horis extremis [1]). Respicit enim et hostes, et peccatorem conversum, et matrem cum discipulo, et Patrem coelestem. Possunt etiam VII verba conferri cum VII rogationibus orationis Dominicae. Etiam in ipso verborum ordine latent mysteria, et possunt inde declarari gradus cujusvis persecutionis, afflictionis et agonis Christiani. — πάτερ, *Pater*) Initio et fine crucis, *Patrem* appellat. — ἄφες, *remitte*) Nisi haec rogatio fuisset, flagrante latrocinio atrocissimo poena poterat incipere, ut saepe tempore Mosis. id interpellant preces Patientis, et plenam in posterum cum poenitentia iis, qui eam capturi erant, remissionem impetrant. [*quae annon contigerit militum quadrigae isti, quis scial?* Harm. p. 563.] — αὐτοῖς, *eis*) crucifigentibus.

---

1) *Possit huc non sine fructu conferri hymnus vernaculus b.* Auctoris, *data quondam occasione compositum, cujus initium habet:* Mittler! alle Kraft der Worte etc. *Typis expressum invenire datur in b.* Sen. Urlspergeri Unterricht für Kranke und Sterbende, *Aug. Vind.* 1756, p. 408. *et in* S. R. I. C. Storrii gottgeheiligten Flämmlein etc. Stuttg. 1755. p. 315. E. B.

Digitized by Google

[1]) v. 35. [2]) σὺν αὐτοῖς) cum iis, qui crucifixerant. [*Lucas illusiones, quibus Jesus crucifixus vexabatur, in unum colligit*, v. 35—39. *Ipsa inscriptio ludibrium fuit oculis ethnicis. Quapropter Lucas aceti quoque, a militibus propinati, mentionem prius facit, quam Evangelistarum reliqui.* Harm. p. 566. *Spectati viri talibus alioquin publice non solent misceri: enimvero petulantia et vindictae cupido dignitatis rationem h. l. sustulit. Nemo unquam tantis cavillis, quantis Jesus, irrisus est. Fac Ei gratiam habeas, Ipsiusque inprimis caussa ludibria discas tolerare.* V. g.] — [3]) οὗτος, *Hic*) Demonstrativum cum contemtu.

v. 37. καὶ, *et*) Milites nomen regis; Judaei, et antistites eorum, etiam cetera irridenl. [*Ex inscriptione crucis et antistitum dicteriis excepta haec milites combinarunt.* V. g.]

v. 38. ἦν δὲ καὶ, *erat vero etiam*) Mentio regni jungit versum 37. et 38. — γράμμασιν, *literis*) Tres potissimum linguae sunt adhuc, quibus operam dare debent, qui Christum discunt et praedicant: Hebraea, Graeca, Latina. — ἑβραϊκοῖς, *hebraicis*) Joh. 19, 20. *hebraice* primo loco ponitur. Lucas eo ordine linguas enumerat, quo Pilatus eas collocarat: ordo [*siquidem conjecturae locum concedere velis*, Harm. p. 567.] erat: *Graec. Lat. Hebr.* Johannes, ex more Hebraeorum, ordine naturae et dignitatis. Uterque tamen eo ordine, quo Christus, ejusque *crux* et *regnum* deinceps praedicabatur. Initium in Hebraea lingua factum: postremo tempore Hebraei primas habebunt. Romana nunquam primo loco posita: nec post Romae interitum magno vigore mansura.

v. 39. ἐβλασφήμει, *blasphemabat*) Extrema non flectunt quemvis. [*imo vero tanta est mentis cavillabundae vis, ut vel in suspenso se prodat.* V. g.] Latronem hunc fuisse Judaeum; alterum, ex gentibus: ex utriusque sermone et aliis rebus colligi potest. nam ille Judaeorum more nomen *Christi* exagitat: hic nomen *Regis*, ut milites, sed meliore ratione, animadvertit. Accedit, quod Dominus beatitudinem ei promittens, non ad verba promissionum erga *patres*, sed ad primas origines de *paradiso* alludit. Neque obstat conversi hominis sermo de *Deo* uno. nam fides in *Christum* protinus infert fidem in Deum unum. Considerelur autem *Amen* Hebraeum, v. 43.: quod tamen non necessario Hebraeum praesupponit. coll. Matth. 25, 40. Hinc sententia pristina de latrone converso, gentili, speciem retinet. Scripsi, *colligi potest.* — λέγων, *dicens*) cum frementi impatientia et ferocia.

v. 40. ὁ ἕτερος, *alter*) Hujus resipiscentiam multum adjuvit crux durissima. Rara conversio in molli lectulo. — [4]) οὐδὲ) *ne* times *quidem*: nedum appetas. [Timor, *primum emendatae mentis initium.* V. g.] — φοβῇ, *times*) Ipse ergo timebat. — ὅτι, *quod*) Haec esset causa timendi. — τῷ αὐτῷ) *eodem*, atque Hic et ego.

v. 41. δικαίως, *juste*) Poenitens probat poenam sui peccati. — οὗτος, *hic*)

---

1) τί ποιοῦσι, *quid agant*] Crucifigere se, sciebant utique: at ignorabant, *quem* crucifigerent. Et fuit sane nefanda ista ignorantia, quâ remotâ gloriae Dominum non crucifixissent: attamen gravior etiam culpa est a sciente commissa. *V. g.*

2) ὁ λαὸς, *populus*] non plebs promiscua, ut v. 48.; sed populus Judaicus hîc innuitur. *V. g.* — θεωρῶν, *spectans*] Terribili spectaculo isto populus oculos quidem pascebat; Lucas enim proceres *cum iisdem*, cum populo videlicet, illusisse Salvatori perhibet: at brevi post suffiaminatus est ridendi pruritus, v. 48. *Harm.* p. 564.

3) ὁ τοῦ θεοῦ ἐκλεκτὸς, *DEI electus*] Quem in cruce, ajunt, mori non est conveniens. *V. g.*

4) ἐπετίμα αὐτῷ, *objurgavit eum*] Poenitentiam, fidem, confessionem, orationem, reprehensionem, et quidquid christiano homine dignum est, conjuncta vides. Exquisitissimi exempli hujus abusus periculosus est; plurimum juvat usus legitimus. *V. g.*

Digitized by Google

Viderat latro conversus et audierat processum passionis Dominicae, certe ab éductione ex urbe: vel etiam antea viderat et audierat Jesum. — οὐδὲν ἄτοπον) *nil ineptum*, nil importunum.

v. 42. μνήσθητι, *recordare*) Modeste petit. Recordatio est in longinquum. Exquisitissima oratio. — κύριε, *Domine*) *Dominum* appellat publice, quem ipsi discipuli reliquerant.— ἔλθῃς, *veneris*) de coelo, olim. Antitheton: *hodie*. — ἐν τῇ — σου) *in* regno *tuo*. Regem profitetur, talem, qui mortuus mortuo benefacere possit. Ne apostoli quidem tum de Regno Christi tam pure sentiebant. — βασιλείᾳ, *regno*) Multa *regni* mentio praecesserat. v. 2. 3. 37. 38. Ab adversariis detortam veritatem fides serio accipit.

v. 43. σήμερον, *hodie*) Eo die conversus latro vix sperare poterat mortem: sed huic subservire debuit crurifragium. Sic impleta est Domini promissio. [*Notatio temporis*, hodie, *non referenda est ad verbum* dico, *ut si per tempora nescio quam longa latroni exspectandus fuisset paradisi introitus. Isto die dictum ei fuisse, per se patuit. Numquam Jesus dixit*, hodie dico; dico, *dixit saepius. Legendum itaque*: Hodie mecum eris in paradiso. *Sic potestas et gratia Domini, Ipsiusque etiam promptus introitus in paradisum praedicatur.* V. g. — *Id vero erat* salvare, v. 39. Harm. p. 570.] — μετ᾽ ἐμοῦ, *mecum*) Ergo multo magis Jesus ipse in paradisum venit. [*quae res Mariam Cleopae, Mariam Magdalenam, ipsamque matrem Jesu, cum discipulo dilecto, insigni solatio, adversus acerbissima etiam hominum dicteria, perfudit, ab istarum utrâque ad horum, ut credere fas est, notitiam perlata.* Harm. p. 570.] — ἐν τῷ παραδείσῳ, *in paradiso*) in quo feliciores arbores, quam in Golgatha; cum *immortalitate*. Ap. 2, 7. not. Augustissimam beatae sedis appellationem in profundissima passione Jesus adhibet. Conf. not. ad c. 16, 22. Haec migratio in paradisum differt quidem ab ascensione in coelum, Joh. 20, 17., sed tamen docet, descensum ad inferos laute esse explicandum.

v. 44. ὅλην, *totam*) Tenebrae meridianae ex sole totum hemisphaerium superius; et inferius, luna soli opposita, nec lumen solis nacta, obscurarunt.

v. 46. πάτερ, *Pater*) Spiritum Jesu Pater suscepit: Jesus, fidelium. Act. 7, 59. — παραθήσομαι, *tradam*) re ipsa. [*ut depositum, in morte. Hoc momento, pretiosissimo sane, expiatio facta est.* V. g.]

v. 47. ὄντως, *verera*) Antea dubium spectatoribus videbatur: nunc affirmat. — δίκαιος, *justus*) Hoc justitiae praeconio continetur approbatio omnium sermonum Jesu, etiam doctrinae de Jesu filio Dei, v. 46. Matth. 27, 54., quippe de qua ipsa disceptatum fuerat, etiam apud Pilatum. Joh. 19, 7. Conf. Es. 41, 26. 23.

v. 48. θεωρίαν, *spectaculum*) Qui spectatores duntaxat fuerant, [*per antistites prius concitati ad exclamandum* τὸ Crucifige, *at nunc aliter plane affecti*, Harm. p. 577.] salutaria jam cogitabant, et ad pentecosten Act. 2. praeparabantur: sed qui fecerant, fere erant in aestu. — ταύτην, *hoc*) crucis. — τὰ γενόμενα, *facta*) in morte Jesu. *Spectationem* quaesitam *spectatio* nec opinata comitabatur.

v. 50. ἀγαθὸς καὶ δίκαιος, *bonus et justus*) Rom. 5, 7. not. Omnis homo ἀγαθὸς est etiam δίκαιος; non contra. Lucas totum laudat ante partem. Paulus differentia harum vocum strictius utitur.

v. 51. οὗτος) *hic*, solus. [*Si quid prave te non consentiente succedit, noli certe rem approbare.* V. g.] Nicodemus ἄρχων quidem erat, non autem βουλευτὴς vocatur. — τῇ βουλῇ, *consilio*) v. 1. Phrasis accedit ad Ps. 1, 1. — τῇ πράξει, *actioni*) v. 33.

v. 54. ἡμέρα ἦν παρασκευή, *dies erat parasceve*) Parasceve ponitur quasi epitheton. — ἐπέφωσκε, *illucescebat*) Sabbati initium, vesperi; et tamen

Digitized by Google

illucescebat dicitur: nam etiam nox lumen suum habet, praesertim in plenilunio, quod tum erat.

v. 55. ἐθεάσαντο, *spectaverunt*) quo facilius perendie ungerent. — τὸ μνημεῖον, *monumentum*) v. 53.

v. 56. ἡτοίμασαν, *paraverunt*) Domum habebant in Galilaea. v. 49. Eo majus est officium peregre praestitum, majore sumtu et opera. [*Indefessam sane pietatem et sedulitatem ex fide orundam sentis, quae tamen ipsa jam apud animas istas mirabilem eclipsin passa est.* Harm. p. 583.] — ἀρώματα, *aromata*) sicca. — μύρα, *unguenta*) fluida. — σάββατον, *sabbatum*) Sabbati quies major quiete festi. [*Solum hunc sabbati diem quies Christi sepulcralis totum sibi vindicavit, consideratu eo ipso dignissimum. Quae tum in regno invisibilium facta sunt, ea fideles, dum eorum vel quidquam restabit, imo vero in aeternum, haud mediocriter jurabunt. V. g. Amplissimae profecto res durante sabbati hujus tranquillitate in animabus istis, paridis quidem at exquisitis, imo vero in ipso Salvatore, contigerunt.* 1 Petr. 3, 18. 19. Act. 2, 24. ss. Harm. p. 583.]

CAPUT XXIV.

v. 1. Τινὲς, *nonnullae*) aliae, quae non venerant ex Galilaea.

v. 2. τὸν λίθον, *lapidem*) Lucas nil antea de lapide memoravit: sed ipsa narratione, lapidem advolutum fuisse, praesupponit. (Conf. Joh. 11, 38.)

v. 4. ἄνδρες, *viri*) angeli. v. 23. coll. Matth. 28, 5.

v. 5. τὸν ζῶντα) *eum, qui* non modo revixit, sed plane *vivens est.* [*Exploratissima resurrectionis veritas.* V. g.] — μετὰ τῶν νεκρῶν, *cum mortuis*) in statu et loco mortuorum.

v. 7. τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, *filium hominis*) Hoc repetitur ex sermonibus ante passionem habitis. Ceterum ipse Dominus se post resurrectionem non appellavit *filium hominis*, sed locutus est vel in prima persona, vel *Christi* expressam appellationem adhibuit. — ἁμαρτωλῶν, *peccatorum*) gentilium.

v. 10. ἦν — αἱ) Sic Deut. 27, 9.: καὶ ἐλάλησε μωϋσῆς καὶ οἱ ἱερεῖς — λέγοντες. sic 1 Cor. 9, 6. Nomina hoc demum loco, ut testium, ponuntur.

v. 12. ἀπῆλθε πρὸς ἑαυτὸν, *abivit ad se ipsum*) De re, confer v. 34. de phrasi, Joh. 20, 10. not.

v. 16. ἐκρατοῦντο, *tenebantur*) Oppositum, *aperti sunt*, v. 31.

v. 17. εἶπε, *dixit*) Sapientiae est, facile venire in sermonem salutarem. Joh. 4, 7. s. Act. 8, 30.

v. 18. ὁ εἷς, *unus*) Alterius nomen non ponitur: qui tamen item carus. Sic quoque Joh. 1, 35. 41. Pii non sua, sed aliorum causa, memorantur [1]). — παροικεῖς, *adrena es*) Videtur Galilaeam hic dialectum retinuisse Jesus, quod non pro cive Hierosolymitano eum habet Cleopas.

---

1) Cleopae comitem pridem jam *Origenes* quidem pro Petro habuit, *l. contra Celsum* p. 105. at eo casu aut Petrus verba fecisset, aut Cleopas certe c. 24, 24. distinctius ad relationem Petri provocasset. Accedit, quod horum uterque ab undecim discipulis diserte distinguitur v. 33. — *Harduinus* Kepham, Gal. 2. 1 Cor. 1. 2. 9. 15. discipulum a Petro diversum, et, per locum 1 Cor. 15, 5., Cleopae comitem fuisse suspicatur, *Op. sel.* p. 928. Atqui ex 1 Cor. 15, 9. haud obscure patet, Paulum de Kepha ut apostolo loqui. Quaesieris potius, annon *Simon*, cui Dominus apparuit, discipulus fuerit tum a Cleopae comite tum a Petro etiam s. Kepha distinctus, cui Domini apparitio prius contigerit, quam Petrus ab ambulatione c. 24, 12. memorata ad reliquos redierit? Horum quicquid fuerit, primum certe Salvator mulieribus adparuit; tum discipulorum aliquibus, apostolorum dignitate non conspicuis; denique Simoni Petro, gratiae hujus vel maxime indigo, reliquisque apostolis, qui cum Petro prae reliquis omnibus citius debuerant fidem, eamque sublimiorem, concipere. *Harm.* pag. 603.

Digitized by Google

v. 19. τὰ περὶ) Hoc, interjecta descriptione subjecti, declaratur versu 20. coll. v. 14. 18. fin.

v. 21. σὺν πᾶσι τούτοις, *cum omnibus his*) Hebr. עם כל זה — τρίτην, *tertium*) Itaque etiam post mortem Jesu spem aliquam die primo et secundo habuisse videntur; quam dimittunt eo ipso die, quo spes impletur. — ἄγει) Impersonale.

v. 24. [1]) αὐτὸν, *ipsum.*

v. 25. ἀνόητοι, *insipidi*) Quo tardior celeriorve fides, eo deterior meliorve νοῦς sive *mens* est. Gal. 3, 1. Joh. 1, 50. [*Salutaris reprehensio!* V. g.] — [2]) ἐπὶ, *super*) In medio sunt prophetarum sermones; nec tamen creditis. Sic fere διὰ, Joh. 4, 41. s.

v. 26. ταῦτα, *haec*) Quae vos ad dubitandum accipitis, ea ipsa sunt characteres Christi. — ἔδει, *oportebat*) quia praedictum erat. — παθεῖν, *pati*) Circa hunc articulum maxime se exserit *tarditas* hominum. Matth. 16, 22. [3]) — εἰσελθεῖν, *ingredi*) id quod alia via non poterat fieri.

v. 27. τὰ περὶ ἑαυτοῦ, *ea quae de Ipso*) scripta essent videlicet. Non dubium est, quin eadem loca fuerint, quae apostoli deinceps potissimum allegare soliti sunt.

v. 28. προσεποιεῖτο, *agebat*) *ut qui* iturus esset longius. et iturus fuerat, nisi eum rogassent, et fortasse alio pacto appariturus.

v. 29. μεῖνον, *mane*) Ex amore, ipsius causa, et ex hospitalitate rogabant, ne se committeret itineri nocturno.

v. 30. λαβὼν, *sumens*) solitô ritu.

v. 31. ἄφαντος ἐγένετο) *disparuit.* Id quoque ostendit, Ipsum esse. Priores Jesu resuscitati apparitiones breviores erant, quo plus loci fidei relinqueretur.

v. 32. καιομένη, *ardens*) valde et diu. [*Beatissima sensatio!* V. g.] — ἦν, *erat*) Postmodum magis observarunt, quam in ipso ardore. — ἐλάλει ἡμῖν, *loquebatur nobis*) Id plus est, quam *nobiscum.* [4])

v. 33. αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, *eadem hora*) noctis aut vesperi. Jam non timent iter nocturnum, quod antea dissuaserant ignoto comiti. v. 29. [5]). — συνηθροισμένους, *congregatos*) ut de repentina re.

v. 34. λέγοντας, *dicentes*) Apparitiones utrinque factae, quibus se invicem confirmabant illi, quibus obtigerant. Tales etiam Act. 9, 10. 12. 10, 3. 10. Exod. 4, 27. 28. — ὄντως, *revera*) Abjiciunt pristinam dubitationem: sed non prorsus. v. 37. Marc. 16, 13.

v. 35. ἐγνώσθη) *noscendum se praebuit.* Sic, אתודע LXX, γνωσθήσομαι, Num. 12, 6. Sic, εὑρέθην, Rom. 10, 20.

v. 36. ἔστη) *stetit:* antequam venientem cernerent. — ἐν μέσῳ, *in medio*) Id significantius, quam *in medium.* — εἰρήνη, *pax*) Salutandi formula, a Salvatore ad res majores traducta. Eph. 2, 17. — ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε, *ego sum, nolite timere*) Quatuor haec verba cum Wolfiano codice versiones magno consensu exhibent: et congruunt cum versu 38. 39.

v. 38. διαλογισμοὶ, *cogitationes*) Cogitationes eorum recludit Dominus. — ἀναβαίνουσιν, *ascendunt*) Exquisita phrasis. cogitationes occultae sunt nobis, antequam ascendant.

v. 39. αὐτὸς) *Ipse,* Jesus. — πνεῦμα, *spiritus*) v. 37.

---

1) εἶπον, *dixerant*] Corpus non esse in sepulcro. *V. g.*
2) βραδεῖς, *tardi*] Cito credendum est, ubi DEI aliquod verbum suppetit. *V. g.*
3) τὸν χριστὸν, *Christum*] Israëlis redemtorem, v. 21. *V. g.*
4) διήνοιγεν, *aperuit*] Scriptura aperitur, quum aperitur intellectus, v. 45. *V. g.*
5) ὑπέστρεψαν, *reversi sunt*] impigre. *V. g.*

Digitized by Google

v. 40. τὰς χεῖρας, *manus*) notas. Tactus et visus animam cónfirmant.

v. 41. ἀπιστούντων, *diffidentibus*) Credebant quidem; alias non gauderent: sed gaudio sufflaminabatur fides plena. Magnus affectus et intenta cognitio inter se impediunt.

v. 43. ἔφαγεν, *edit*) libere, sine ulla necessitate. ideo non etiam bibit.

v. 44. εἶπε, *dixit*) ipso videlicet ascensionis die. v. 50. coll. Act. 1, 2. 5. 9. — ἔτι, *adhuc*) Res tristis erat auditu, antequam fieret: nunc laetissima, ut facta est. — ἐν τῷ νόμῳ κτλ., *in lege etc.*) Partitio Hebraei codicis. — προφήταις, *prophetis*) prioribus et posterioribus. Respectu priorum, ponuntur prophetae ante psalmos. De duodecim speciatim, vid. Sir. 49, 12. — ψαλμοῖς, *psalmis*) Hagiographis, quorum primum locum habent Psalmi, insignis portio Scripturarum, in quibus etiam copiosissime de Christo ejusque regno scriptum est. Vid. not. ad Hebr. 10, 8.

v. 45. διήνοιξεν, *aperuit*) Multa in mente nostra removeri obstacula opus est, dum intelligamus. Act. 16, 14. *Aperuit* et virtute sua et sermone suo. — τὰς γραφὰς, *scripturas*) Vide, quam potenter non multo post Petrus *Scripturas* produxerit, Act. 2. seq. quam sapienter etiam, Act. 1, 16. 20.

v. 46. καὶ οὕτως) *adeoque sic.*

v. 47. ἀρξάμενον) Accusativus absolutus, uti Act. 10, 37.

v. 48. 49. μάρτυρες — ἐπαγγελίαν, *testes — promissionem*) Joh. 15, 27. 26.

v. 49. ἀποστέλλω, *mitto*) Praesens. conf. Joh. 20, 17. not. — τὴν ἐπαγγελίαν, *promissionem*) i. e. Spiritum, qui promissus est. Act. 1, 4. 2, 33. nott. Planum hoc illis erat ex colloquio, Joh. 14, 16. s. nam ἀποστέλλεσθαι ut plurimum dicitur de persona, πέμπεσθαι de persona et de re. abstractum pro concreto, convenienter initiis illis. coll. Matth. 4, 17. not. Ita mox, *virtutem*. — τοῦ πατρός μου, *Patris mei*) Pater promisit et dedit per Filium. — ἱερουσαλὴμ, *Jerusalem*) Nam ibi erant accepturi promissionem. [*Destituti hoc mandato urbem sine dubio relicturi fuissent.* V. g.] — ἐνδύσησθε, *induamini*) subito, prorsus. Nudi sumus sine virtute coelesti. Adhuc purificati erant, per verbum, Joh. 15, 3. nunc etiam promittitur amictus. — ἐξ ὕψους) *ex alto*, quo Jesus ascendit. *altum*, pro *coelo*, verbum e poësi sacra. vid. Eph. 4, 8., e Psalmis.

v. 50. [1]) ἔξω, *foras*) ad eum locum, ubi passus erat. [*Insignis locus erat mons olivarum,* Act. 1, 12., *et Bethania praecipue, eorum omnium respectu, quae memorantur* Joh. 11, 1. ss. 12, 1. ss. Luc. 19, 29. ss. Matth. 21, 17. 24, 3. Luc. 22, 39. *Conf.* Zach. 14, 4. Harm. p. 612.] — εἰς) *versus.* — ἐπάρας, *tollens*) Gestus orantis aut benedicentis. Jam non imposuit manus. conf. Joh. 20, 22. not. — εὐλόγησεν, *benedixit*) Haec *benedictio* pertinet ad omnes fideles, nam hos repraesentabant οἱ undecim et qui cum eis erant.

v. 52. προσκυνήσαντες, *adorantes*) sub illam stationem, de qua Act. 1, 11. Christus est Deus. — χαρᾶς, *gaudio*) Non jam desiderabant conspectum Domini. Praeludia pentecostes. Joh. 14, 28. [*Nimirum et de praeteritis gavisi sunt et de promissis in posterum.* Harm. p. 613.] Sic de eunucho et Philippo, Act. 8, 39.

v. 53. διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ, *semper in templo*) c. 2, 37. — αἰνοῦντες, *laudantes*) Fructus gaudii.

---

1) ἐξήγαγεν δὲ, *eduxit vero*] Marcus et Lucas disertam suo loco Ascensionis mentionem faciunt: Johannes (c. 20, 17.) cum Matthaeo (c. 28, 18. 20.) nonnisi in transitu. Resurrectionem Christi qui credit, omnia credit eandem insecuta. Itaque historia evangelica ad resurrectionem usque proprie se extendit. Act. 1, 22. Rom. 10, 9. *Harm.* p. 613.

Digitized by Google

IN EVANGELIUM SECUNDUM [1]) JOHANNEM.

Describitur in hoc libro historia Filii Dei inter homines versantis, eaque

I. primorum DIERUM: ubi scriptor, praemissa totius rei summa, c. I. 1—14
testimonium ab Johanne datum post baptismum Domini, et discipulos primitus allectos, memorat. Hic notatur,
quid acciderit
die primo, 15—19
POSTRIDIE, 29
POSTRIDIE, 35
POSTRIDIE, 44—52
DIE TERTIO, II. 1
POST HOC, 12
II. interjecti BIENNII, per itinera praecipue Hierosolymitana.
I. iter, ad PASCHA I. 13
1. Acta in urbe:
1. Zelus paternae domus. 14
2. virtus et sapientia Jesu. 23—25
3. institutio Nicodemi. III. 1—21
2. Commoratio in Judaea: Johannei testimonii coronis. 22—36
3. Profectio ex Judaea, per Samariam, in Galilaeam: ubi filium regii sanat. IV. 1. 4. 43. 46—54
II. iter, ad FESTUM Pentecostes: V. 1
Hic notantur Acta
1. in urbe: 2—47
2. in Galilaea, ante PASCHA II, et postea. VI. 1. 4. 22—71. VII. 1
III. iter, ad SCENOPEGIAM: 2—13
Hic notantur Acta
1. in urbe:
1. in ipsius Scenopegiae medio et fine: 14. 37—53. VIII. 1
2. deinceps. 2—X. 21
3. in ENCAENIIS: 22
2. trans Jordanem. 40—42
III. postremorum DIERUM, qui erant
I. ante hebdomadem magnam: ubi spectatur
1. biduum extra Judaeam, Lazaro aegrotante et mortuo. XI. 1—6
2. iter in Judaeam: Lazari resuscitatio: Caiphae consilium: Jesu commoratio in Ephraim: adversariorum edictum. 7—57
3. dies sextus ante Pascha: coena Bethaniae: unctio Jesu. XII. 1—11
II. in ipsa Hebdomade magna, quae habebat PASCHA III. Erat
1. die primo et deinceps, Ingressus regius in urbem: Graecorum desiderium: Judaeorum obstinatio: Jesu testificatio: 12—50
2. die quarto, Pedilavium: indicium de proditore: et exitus ejus noctu. XIII. 1—30
3. die quinto,
1. Collocutio,
1. ante coenam paschalem, 31. 36—38. XIV. 5. 8. 22—31
2. post coenam paschalem, subsecuta oratione. XV—XVII.

---

1) Hic Evangelistarum princeps est, quo omnium minime queamus carere; sed permulta, a tribus prioribus exhibita, praesupponens; *omnia* scil. *quae Domini baptismum antecesserunt*, inprimis *nativitatis ejus locum*, c. 7, 42. itemque *nomen Matris Jesu; tentationem in deserto; suum et fratris aliorumque Apostolorum nomen; caussam captivitatis Baptistae ejusdemque mortem; transfigurationem, cui ipse tamen interfuit, agonem denique ad montem olivarum, et calicis deprecationem.* *Harm.* p. 38. Stilo moderno Johannis librum *Supplementum* dixeris historiae evangelicae per Matthaeum, Marcum et Lucam descriptae; ejusque Supplementi *quatuor* constitueris *partes*, quarum prima sit c. 1—5. secunda c. 6. tertia c. 7—10. quarta c. 11—21. *Harm.* p. 155.

Digitized by Google

2. Passionis initium:		
1. in horto:	XVIII.	1—11
2. apud Caipham.		12—27
4. die sexto:		
1. Passio sub Pilato,		
1. in praetorio:	28 — XIX.	16
2. in cruce.		17—30
2. Mors:		30—37
3. Sepultura.		38—42
III. post hebdomadem magnam:		
1. ipso die resurrectionis:	XX.	1
2. octo post diebus:		26—31
3. postea.	XXI.	1—25

CAPUT I.

v. 1. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος· *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*) Hoc tonitru est, a filio tonitrui relatum: haec vox coelestis est, cui conjectura humana nequicquam obloquitur. Nulla ratione orthodoxus quispiam palmarium huncce textum melius confirmare, aut Artemonismum efficacius refutare potest, quam Artemonius ipse, i. e. Samuel Crellius, dum toto illo libro quem inscripsit *Initium evangelii Joannis ex antiquitate ecclesiastica restitutum*, pro θεὸς, θεοῦ scribendum esse contendit. Omnis moles ejus, in fundamento et in aedificio, conjectura mera est: et quo magis compagem cogitationum illius recordor, eo magis in veritate, a primipilario hocce et veterano Unitario tam leviter impugnata, confirmor. Etiam atque etiam hoc declarare, pietatis esse statuo. In apparatu nostro, pag. 559. lin. 11. obrepsit nobis, *si* θεοῦ *legas*, quum res ipsa loquatur, scribendum fuisse, *si* θεὸς *legas*. Quo facilior talis lapsus est, eo magis sequenda est librariorum apud Johannem, θεὸς feliciter retinentium, constantia. Duas Artemonii liber partes habet, quarum prior magis critica est; altera IV Dissertationibus aucta rem magis ipsam spectat. Priorem in Apparatu critico, necessario examinavimus: cum altera *Gnomoni* res est, in quo Artemoniana extra crisin discussum iri, Apparatus declaravit. Sane et honos divinus agitur Dei et Salvatoris nostri; et haec arx fidei Christianae indies magis magisque infestatur; et hic liber Artemonii, (quem unum ex momentosissimis in hoc genere editis judicat Bibliotheca Angl. T. XV. p. 539.) frequentiores, quam expedit, lectores invenit. Sumemus igitur quinque aut sex primos versus Joh. 1. neque ea solum dicemus, quae ad Artemonium refutandum, sed etiam, quae ad Johannem explicandum pertineant. — ἐν ἀρχῇ, *in principio*) Maxima Johannei stili, hoc praesertim loco et simplicitas est, et subtilitas, et sublimitas. *Principium* autem significatur illud, quum esse coeperunt et facta sunt omnia per Logon, v. 3. Ἐν ἀρχῇ, inquit, id est, *in principio*, uti LXX Gen. 1, 1., et Prov. 8, 23. Neque *propinquioris* temporis *principium* hoc loco innui, tota rerum series evincit. principium enim Evangelii fiebat, quum Johannes prodiret, Marc. 1, 1. at Principium, de quo hic agitur, antiquius est Incarnatione Verbi. Vicissim, *altius* est nullum. *In principio* coeli et terrae *creavit Deus coelum et terram:* in eodem principio coeli et terrae, et mundi, v. 10. jam *erat Verbum*, sine ullo principio initiove suo. Ipsum Verbum est mere aeternum: nam eodem modo Verbi ac Patris aeternitas describitur. *erat*, cum primum fiebant, quaecunque esse coeperunt. Artemonius principium Evangelii ab Johanne innui contendit, versumque sic explicat: *In principio* evangelii *erat Verbum: et Verbum* per primam ascensionem in coelum *erat* in eodem principio *apud Deum* etc. Eam explicationem consensu veterum quorundam, Photini et similium, ornare conatur. non labo-

Digitized by Google

ramus; error errorem aeque olim peperit, atque hodie. Argumenta examinabimus. Statuit, epistolam Johannis primam ante Evangelium ejus esse scriptam: epistolaeque initium, evangelii initio a Cerinthi detorsionibus vindicari. Inde infert, *Principium,* 1 Joh. 2, 13. s. esse principium praedicationis evangelicae: itaque ibidem c. 1, 1. et Ev. Joh. 1, 1. principium pari sensu dici. Part. 2. c. 13. Primum, Evangelium Johannes certo scripsit ante cladem Hierosolymorum, ut ostendimus ad cap. 5, 2. de Epistola id ne Artemonius quidem affirmare potest. Evangelium docet veritatem, c. 20, 31. Epistola etiam revincit errores, et magnam rerum inclinationem factam indicat. Johannes Evangelium scripsit, Irenaeo teste, *PROVIDENS blasphemas regulas, quae dividunt Dominum.* l. 3. c. 18. Talis certe erat etiam Cerinthi regula: quam Johannis evangelio non antiquiorem pronunciat Irenaeus, quum l. 3. c. 11. ait, in Evangelio Johannis refutari *errorem, qui a Cerintho et MULTO PRIUS a Nicolaitis inseminatus erat hominibus.* nam interpres, cujus auctoritas alioqui merito tuenda est, plusquamperfectum *inseminatus erat,* ex participio Graeco praeterito, quod Irenaei fragmenta ex Patribus graecis citeriorum seculorum collecta habent, facillime fecit. Vim perfecti temporis prae plusquamperfecto importat collatio capitis 11. cum capite 18., quorum utrumque hic allegavimus, ipsis verbis adhibitis. Sane de detorta a Cerintho epistola Johannis nil habet Irenaeus: atque ipse l. 3. c. 18. citationes evangelii epistolaeque ita contexit, ut illud non obscure ante hanc esse scriptum agnoscat. Itaque uti Petrus empaectas, Paulus apostatas, sic Johannes in evangelio pseudoprophetas futuros refutavit; et in epistola hos, cum venissent, notavit apertius. Sic certe fundamentum, cui permulta superstruit Artemonius, de epistola ante evangelium scripta, incertum esse ostendimus: quanquam nostra non multum refert, uter prior tempore liber sit. Ne in ipsa quidem epistola *Principium* uno semper significatu dicitur: imo epistola ineunte Principium est principium absolutum, omnium rerum, coeli et terrae: et sic quoque Evangelio ineunte. Tantum haec differentia est, quod hic dicitur *in principio;* illic, *a principio.* Artemonius P. II. c. 18. putat, Cerinthum, qui τὸ *a principio* pervertisset, per τὸ *in principio* strictius refutari: at Valentiniani τὸ *in principio* eodem prorsus modo perverterunt. Simplicius dixeris, *in principio,* magis absolute dici: *a principio,* respective, hoc sensu, *in principio et deinceps.* In illo principio erat Verbum, ita, ut etiam ante principium fuerit Verbum. Vid. Prov. 8, 22. fs. ubi *Mem* quater positum, secundo certe et quarto loco LXX vertunt πρὸ, recte: (quanquam id vehementer negat Artem. Diss. I.) nam parallela ibi sequuntur, בראין πρὸ, בטרם πρὸ, לפני πρὸ, עד לא Vid. infra, v. 30. c. 3, 13. 6, 62. 8, 58. 17, 5. 24. Artemonius pag. 76 et passim contendit, Justinum martyrem primum docuisse, Filium Dei fuisse, antequam mundus fieret. Atqui Justinus doctrinam illam tanquam novam laudat, non quo recens excogitata, sed quod Tryphoni ejusque similibus ignota esset. Unum hoc loco proferemus testimonium Ignatii, qui in Ep. ad Magnesianos §. 8. ait, εἷς θεός ἐστιν ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ ΛΟΓΟΣ ΑΙΔΙΟΣ, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών· *Unus est Deus, qui manifestavit se ipsum per Jesum Christum Filium suum, qui est* Verbum *ipsius* aeternum, *non a silentio progressum.* Exceptiones, quibus Artemonius hunc locum P. II. cap. 36. seqq. declinat, ita quaesita sunt, ut lectorem non auferre, sed confirmare debeant. — ἦν, *erat*) non, *fiebat.* Vide differentiam verborum v. 10. 14. 15. c. 8, 58. Pater etiam dicitur ὁ ὢν κτλ. Ap. 1, 4. *Erat* Verbum, antequam mundus *fieret,* in quo deinceps *erat.* v. 10. — ὁ λόγος) *Sermo, Verbum,* sive etiam Latine *Logos,* vid. Not. ad Gregorii Thaum. Paneg. §. 50. [1]) Is Logos,

1) *Qui libellus,* A. 1722. *editus, quum lectorum fortassis maximae parti ad manus non sit; liceat Me subjungere locum citatum, cum notis* Semlerianis *in paraphrasi Evangelii Johan-*

de quo v. 14. Unde appellat Johannes *Verbum*? Ex initio epistolae suae primae, inquit Artemonius P. II. c. 14. et 19. Rectius ex evangelio in epistolam derivari locutionem posse, patet ex supra dictis. In utroque scripto *Logon* appellat, antequam ad *Jesu Christi* nomenclaturam pervenit. Appellat autem ita, non Philonem, nedum Platonem imitatus; sed eodem Spiritu, qui prophetas V. T. sic loqui docuit. Vid. Gen. 1, 3. Ps. 33, 6., ubi LXX, τῷ λόγῳ Κυρίου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν. Ps. 107, 20., ἀπέστειλε τὸν λόγον αὐτοῦ. Hinc frequentissima *Verbi Dei* appellatio in paraphrasi Chaldaica: nec non Sap. 16, 12. 18, 15. Unum idemque mysterium in V. et N. T. simili modo expressum. Deus est Spiritus, sive Mens aeterna: Dei Filius est Logos, Verbum Mentis aeternae intimum idemque exsertissimum. Qui naturam Dei spiritualem spiritualiter novit, naturam *Verbi* hujus item spiritualem novit; intelligitque, quare Verbum etiam prius dicatur, quam Vita et Lux. coll. 1 Joh. 1, 1. s. Hinc quemadmodum saepe apostoli de Christo loquentes, spiritum et carnem invicem contradistinguunt: sic quem Johannes *Logon*, eundem Clemens Romanus, vir apostolicus, *Spiritum* appellat. εἷς χριστὸς ὁ κύριος ὁ σώσας ἡμᾶς, ὢν μὲν τὸ πρῶτον πνεῦμα, ἐγένετο σὰρξ κτλ. id est, *Unus Christus Dominus, qui nos salvavit, quanquam prius erat Spiritus, tamen factus est caro etc.* quem locum exceptiones Artemonii P. II. c. 44. seqq. nobis non eripiunt. *Logos* est, quem Pater genuit, sive dixit, tanquam Filium unigenitum: per quem Pater loquens omnia facit: qui Paterna ad nos loquitur. Ratio, cur *Logos* dicatur, et realis Descriptio, quid sit *Logos*, datur versu 18. Est unigenitus Dei Filius, qui erat in sinu Patris, ejusque Exegetam egit disertissimum. Huic comnati duo subsequentia hoc versu declarationem cum epitasi addunt. — πρὸς τὸν θεὸν, *apud Deum*) ergo distinctus a Deo Patre. πρὸς, pro παρὰ, uti εἰς pro ἐν, v. 18., denotat perpetuam quasi tendentiam Filii ad Patrem in unitate essentiae. Erat apud Deum unice: quia nil extra Deum tum erat. Iterum magis absolute loquitur Johannes hoc loco, quam in ep. I. c. 1, 2., ubi ait, *Vita aeterna erat apud PATREM*, in antitheto ad manifestationem fidelibus factam, ut fierent *filii*. Sic supersedemus differentia illa, quam inter locutionem epistolae et evangelii statuit Artemonius P. 2. c. 18., qui etiam in Diss. II. et passim hoc *esse apud Deum* interpretatur de ascensione Christi in coelum ante baptismum. Sed hoc interpretamentum, *Principio* semel recte explicato, protinus cadit. Si Christus ante passionem calcasset viam ad vitam per ascensionem ejusmodi; non habuisset postea dicere, ***NOTAS FECISTI mihi vias vitae***, Act. 2, 28., et totum ejus iter a nativitate ad illam ascensionem non esset salutare nobis; sed rationes salutis nostrae cum descen-

---

nis prostantibus bona pace nostra conferendum: „Non abludit Gregorius *(quae b. Bengelii ob-*„*servatio est)* ab illo veteri, Ὁ δὲ γὲ τ' ἀνθρώπου λόγος πέφυκ' ἀπὸ θείου λόγου. Porro, quum „idem noster *(Gregorius)* vocabulum λόγος, in divinis, adhibet; interpretamur, ut locus fert, „*Ratio*, libentius *Sermo*, libentissime, *Verbum*. Petavius: *Propius ad Divini* Verbi *simili-*„*tudinem illud interius et in anima consistens* verbum *mentis accedit, atque ab eruditis Patri-*„*bus eo libentius adsciscitur. Habet enim plures opportunitates et similitudinum rationes: quod* „*et spirituale est, minimeque per sese cadit sub sensus: et in mente, unde procedit, manet, nec* „*ab ea disjungitur: et sine eo mens esse nulla, nec ullo temporis spatio, potest.* Omnes illas, „imo etiam ceteras notiones vocabuli λόγος ad hoc mysterium alii contulere patres Graeci, „imo saepe plures in unum conjunxerunt. quo factum est, ut Latini quoque Graecum voca-„bulum cuivis Latino, tanquam foecundius, praeferrent, aut etiam ipsum Graecum ponerent. „Fecimus nos hoc quoque Rhodomani exemplo nonnunquam, et *Logos* potius, quam *Verbum* „aut *Ratio* diximus. — Vide de significationibus divinae appellationis λόγος, si nervos quae-„ris, *Witsium* Tom. II. Miscell. Ex. 3. de Sermone Deo, §. 20. s. sin etiam copiam, *Petavium* „Tom. II. Theol. dogm. I. VI. de Trin. c. 1. sqq. Sapienter Franc. *Junius* Tom. II. Opp. „f. 145. concludit: *Christus vario respectu* Sermo DEI *ac multiplice appellatur. Sic huic re-*„*spectus unus, illi alter esse obtulit. Hoc magis admirabilitatem* multiformis illius Sapientiae „Dei *potest ostendere*. . . . " E. B.

sione subsecuta demum inciperent: quo ipso prima Matthaei et Lucae capita enervarentur. Clara sunt verba Ignatii Ep. cit. §. 6. *Jesus Christus* πρὸ αἰώνων *ante secula apud Patrem erat, et* ἐν τέλει *in fine apparuit.* et Hermae, *Filius Dei omni creatura antiquior est, ita ut in consilio Patri suo ADFUERIT ad condendam creaturam.* Ea citat Artemonius p. 404. s. neque enervare potest. — θεὸς, *Deus*) non modo *apud Deum* erat, sed etiam *Deus* erat. Absentia articuli graeci, in praedicato praesertim, non imminuit significationem Dei veri. LXX 1 Reg. 18, 24. Atque ubi praedicatum ponitur ante subjectum, epitasis est in sermone. c. 4, 24. Porro hoc loco eadem significatio confirmatur ex eo, quod nulla tum erat creatura, cujus respectu Verbum diceretur Deus. dicitur ergo absolute. Urit hoc Artemonium: eoque pretiosior apud nos esse debet haec lectio in Apparatu critico vindicata. In hac arce fidei, in hoc centro certissimo stamus immoti, et nos contra omnes illecebras obfirmamus, quae nos in alia omnia avocare conantur. Nil non experitur Artemonius, ut Christum in Scriptura nusquam *Deum* habitum aut vocatum esse probet; atque ut hoc potissimum loco per *Partem* ejus libri *secundam* decurramus, *Capite I.* sollicitat dicta Joh. 5, 17. s. 10, 29. fs. et Phil. 2, 6. s. quorum sententiam divina Jesu Christi majestate dignam non modo idoneorum interpretum zelus vindicat, sed etiam Artemonianarum exceptionum debilitas illustrat. *Capite II.* negat, Christum a discipulis pro Deo habitum ante passionem. at vid. Joh. 1, 14. 2 Petr. 1, 16. s. Negat, pro Deo habitum post resurrectionem. at vid. Joh. 20, 28. Act. 20, 28. Rom. 9, 5. 1 Tim. 3, 16. Tit. 2, 13. coll. Eph. 5, 5. not. Heb. 1, 10. 3, 4. et sufficeret unus hic locus Joh. 1, 1. animae esurienti et sitienti, simplici et generosae. *Capite III.* objicit, *Deo* semper contradistingui *Christum.* Resp. Non semper, sed plerumque, idque salva Deitate Filii. Instantiam ex 1 Tim. 1, 1. Artemonius invictam sensit. Ibi enim etiam Deus Pater *Salvator* dicitur, neque tamen ea re excluditur Filius. Sic etiam ubi Pater *Deus* dicitur, non id fit in contradistinctione ad Jesum. vide ipsum, quam frigide ibi respondeat. *Capite IV.* parallelismum Joh. 1, 1. et 20, 31. nimis extendit. *Capite V.* disquirit, cur Christus non dicatur Deus, cum revera sit Deus solo Patre minor: causas vero eas affert, quae, quum Christus revera etiam dicatur Deus, invicte confirmant, Christum dici Deum, non eo sensu, quo creaturis, sed eo sensu, quo Patri id nomen tribuitur. *Caput VI.* ut locum Jes. 9, 5., ubi Christus nomine uno ex bis quatuor voculis divinitus composito, *Mirandus consultor, DEUS fortis, Pater perennitatis, Princeps pacis*, appellatur, subterfugiat, parallelum Jes. 10, 21. de Patre locum aperta vi devastat, Versionum veterum in *DEI fortis* appellatione concordem sanitatem dissimulat, earundemque varietatem ab hac re alienam exaggerat. *Capite VII.* locus Ez. 28, 2. 9. a rege Tyri ad τὸν θεάνθρωπον transfertur.

Capite VIII. et sequentibus multa disquirit Artemonius de *Cerintho*, de *Nicolaitis*, de scopo Johannis contra utrosque. Sed primum usque eo male Artemonii libro cum veritate convenire jam constat, ut, in dubio, id merito, quod ille liber approbat, tantisper postponendum sit, dum res per argumenta deciditur. deinde notitia quidem errorum, quos apostoli refutant, ex historia ecclesiastica, quantum potest, adhiberi debet: ab eadem vero notitia non suspenditur summa sanae interpretationis, nedum ipsa lectio genuina. nec ullae praestigiae ex caligine vetustissimarum haeresium conflatae oculos simplicium debent a radiis scripturae per se lucidissimis avertere. qui brevem regiamque fastidiunt viam, in labyrinthos, si volupe est, exspatientur, et in iis jaceant. Quod ad Johannis scopum contra Cerinthum attinet, refutavit Artemonium B. Buddeus in Ecclesia apostolica, p. 425. fs. coll. p. 378. fs. de Nicolaitis. Nos unum notamus: non id agi, quo sensu Cerinthus ipse tandem pateretur Verbum

ed by ogle

Deum dici, (vid. Artemon. p. 340.) sed quo sensu tota Johannis periocha *Verbum Deum*, ingratiis Cerinthi, celebret. Non majorem Cerinthus, opinor, ideam de Christo habuit, quam Artemonius habere se ostendit: cur ergo Johannis verba, Artemonio tantopere invisa, Cerinthum non ferirent? Plura cogitabam: sed ad otium me redigunt haec verba Artemonii p. 381. *Non erat necesse, ut* Cerinthi *omnes persequeretur* Johannes *absurditates. nam et istas, quas persequitur, obiter solummodo et aliud agens persequitur.* Hac una litura Artemonius totam de Cerintho tractationem declarat esse supervacaneam. Johannes enim illud, *et Deus erat verbum*, si non Cerinthi refutandi causa posuit, aliis de causis posuerit oportet, certe ut Socinos et Artemonios refutaret, credentesque praemuniret. Si vacat, ex omnibus sententiis, quas Johannes ponit, formentur sententiae contradicentes, quas ratio male sana vel penes haereticos priscos peperit, vel apud quosvis parere potest. quid profectum erit?

Capite XXIV. et sequentibus *Alogos* excitat, eorumque vice disquirit, quomodo evangelium hoc, quod Alogi non Johannis, sed Cerinthi esse dicebant, ad Cerinthi mentem cogere potuerint vel non potuerint. Resp. Alogi hoc ipsum dictum, *et Deus erat Verbum*, aut a Cerintho profectum putarunt, aut non. Si non putarunt; de Cerinthica dicti mente Alogorum nomine frustra disputatur. sin autem putarunt; tum sensum, quem Cerintho tribuebant, aut verum esse existimavere, aut falsum. si verum; aliis ex causis evangelium oportet Cerintho adscripserint. sin falsum, Cerinthum sub speciosis verbis indigne de Logo sentire censuerunt, ut Artemonius agnoscit p. 426. s. Quid haec singula Johanni obsunt? quid vero etiam attinet ex tanta obliquitate visum distorquere, et per Alogorum Cerinthique speculum intueri dictum, quod recta intueri licet? *Capite XXXVI.* et sequentibus excutit locum *Ignatii* contra Cerinthum, de quo supra ad illud, *In principio.* Capite *XL.* omnia Ignatii loca, ubi Christus Deus appellatur, ipsum Ignatium et ejus interpolatorem inter se committens, subducere conatur, et item Clementis Romani locum, ubi παθήματα θεοῦ commemorantur. Resp. 1) Ut Apostolos, sic viros apostolicos tractat Artemonius. 2) Johannes nobis sufficit, etiamsi Ignatius et Clemens non accederent. 3) Interpolatores aeque potuere in aliis Ignatii locis nomen DEI delere, quam in aliis (hoc enim contendit Artemonius factum esse,) inserere. Jam pag. 131. s. sollicitarat locum epistolae ad Ephes. ubi ait, ab Ignatio Christum dici ἐν σαρκὶ γενόμενον θεὸν, non ante carnem, sed *in carne factum Deum.* atqui Ignatius non construebat *factus Deus*, sed, *in carne factus*, i. e. incarnatus.

Capite XLI. et sequentibus cavet, ne Johannes etiam contra *Ebionaeos* scripsisse existimetur, *et Deus erat Verbum.* Resp. Johannem contra Ebionaeos evangelium scripsisse, statuit Epiphanius et Hieronymus: certe scripsit contra omnes, qui *Deum Verbum* aut negabant aut negaturi erant. Plura de Ebionaeis contra Artemonium habet Buddeus lib. cit. p. 501. ss. 518. ss. *Capite XLIV.* et sequentibus tractat locum *Clementis Rom.* de quo supra ad primam *Verbi* mentionem a Johanne factam. *Capite* demum *XLVII.* paraphrasin exhibet totius loci Joh. 1, 1—18., quae tanquam conclusio praemissis respondet: et refutatis illis item refutata est. Simul admiratur sagacitatem Laelii Socini, qui jam tum exordium Johannis de principio Historiae evangelicae explicaverit, et addit, ansam ei praebere potuisse Andr. Osiandrum, qui in Harmonia evang. Baptismum Christi et *In principio Verbum* conjunxerit. Si ansa haec fuit, sinistre accepit Socinus, quae dextre posuerat Osiander. Sic posuerat pridem Ammonius: sic posuit haud pridem G. Kohlreiffius in Chronol. p. 90. sic etiam D. Hauberus in sua, ne de mea dicam, Harmonia evangelica. Vide etiam, quae notamus mox ad v. 6.

Accedunt *Dissertationes quatuor*: quarum duas priores supra attigimus, duae reliquae ad Hebr. 1. et ad Joh. 8, 58. alibi examinantur. Est omnino totum

opus Artemonii ingeniosum ac literatum; sed item insidiosum, violentum, suspiciosum, interdum ad facetias usque: et vivido colore oeconomiae divinae interioris, in qua valde hospes est Socinianorum vulgus, blanditur; sed gelu mortifero adstrictum manet. Ex iis, quae solvimus, cetera facile solventur. Nos brevitatis nostrae eo minus poenitet, quia praeter P. Wesselingium in Apparatu laudatum, complures egregii scriptores Artemonium refutarunt. *Rabulismi exegetici partis Socinianae a L. M. Artemonio continuati et aucti Specimina* A. 1731. emisit ven. D. Weismannus: deinceps cel. Wolfius eandem incudem tutudit in Vol. II. Curar. in N. T. in extremo, et in Vol. III. et IV. passim. Annoque 1735 *Antiartemonium* edidit, annum aetatis XIV. egrediens, Joh. Phil. Baraterius. — ἦν, *erat*) *erat*, non *factus* Deus, sed verus. Verbum erat Deus, idque in principio. — ὁ λόγος, *Verbum*) Tertio hoc ponitur, vi maxima. Tria commata per gradationem: articulus nota Subjecti. Deitas Salvatoris aperte declarata erat in V. T. Jer. 23, 6. Hos. 1, 7. Ps. 23, 1. ejusque testimonia in N. T. v. gr. Hebr. 1., praesupponuntur. Itaque Matthaeus, Marcus et Lucas hoc agunt, ut probent potius, Jesum, verum hominem, esse Christum. Cumque inde nonnulli demum dubitare coepissent de Deitate Christi, Johannes eam asseruit: scripsitque in hoc libro quasi supplementa evangelica, sicut prophetica in Apocalypsi.

v. 2. οὗτος, *Hic*) *hic* solus. τὸ *hic* complectitur totum versum proxime praecedentem, uti *hic* versu 7. complectitur versum 6. — πρὸς τὸν θεόν, *apud Deum*) Hoc, repetitum, jam ponitur in antitheto ad missionem postea factam ad homines. Repetuntur et in unum coguntur hoc versu tria momenta versu praecedente divisim posita: Hic Logos, qui erat Deus, erat in principio et erat apud Deum. Insigne antitheton, coll. v. 14. uti 1 Joh. 1, 2.

Verbum	
erat in principio Deus	factum est caro,
apud Deum:	et habitavit in nobis.

Atque ipsa hujus versus secundi Congeries hoc antitheton aperte sustentat, intermissa inter versum 2. et 14. *Logi* appellatione.

v. 3. πάντα, *omnia*) Grande verbum, quo *mundus*, i. e. universitas rerum factarum denotatur. v. 10. Omnia, quae sunt extra Deum, facta sunt: et omnia, quae facta sunt, per Logon facta sunt. Nunc demum ab *Esse* Verbi ad *Fieri* omnium venit Theologus. Describitur versu 1. 2. status ante mundum factum; versu 3. in factu mundi; versu 4. tempore humanae integritatis; versu 5. tempore humanae corruptionis. — δι' αὐτοῦ, *per eum*) Oppositum, *sine*. — ἐγένετο, *facta sunt*) Id quodammodo prius est, quam κτίσις *conditus* omnium: et facturam rerum omnium ex nihilo evidenter infert. sic *omnia* prius quiddam sonat, quam ὁ κόσμος *mundus* universus confectus, maximeque genus humanum; ad quem Johannes descendit versu 9. 10. — καὶ χωρὶς, *et sine*) Haec sententia plus quiddam dicit, quam proxime praecedens. Subjectum est, *ne unum quidem:* Praedicatum, *sine eo factum est, quod factum est.* Et ὃ *quod* plane par extat 1 Cor. 15, 10. *gratia Dei sum, quod sum.* — οὐδὲ ἕν, *ne unum quidem*) quamvis excellentissimum. — ὃ γέγονεν, *quod factum est*) in sua specie. Gen. 1, 11. 21. 24. Praeteritum γέγονεν sonat quiddam magis absolutum, quam aoristus ἐγένετο, quanquam latine utrumque dicitur *factum est*. Quae Artemonius p. 333. 402. ss. ex hypothesibus suis commentatur, ea cum ipsis hypothesibus jam refutata sunt.

v. 4. ἐν, *in*) Primum Johannes dicit, *in eo vita erat:* (conf. c. 5, 26.) deinde ipsum appellat *Vitam*. Sic ep. I. c. 1, 1. 2. primum appellat *Verbum vitae*, deinde *vitam:* et ibid. v. 5. 7. Deus dicitur *Lux*, et *esse in luce*. Johannes inprimis imitatur locutiones Domini Jesu. — ζωὴ, *vita*) Post *esse* pro-

xima consideratio est de *vivere*. Nulla tum mors, nulla tum gratiae expers natura. — καὶ ἡ ζωὴ, *et Vita*) Subjectum: Vita, omnibus, quae vivebant, vitam tribuens. — ἦν τὸ φῶς, *erat Lux*) Lux et Vita simul, c. 8, 12. 1 Tim. 6, 16. Phil. 2, 15. 16. ut in opposito אלמות *tenebrae* et *mors*. Vivificatio tamen prior est illuminatione. — τῶν ἀνθρώπων, *hominum*) omnium, in statu integritatis, a quo non est sejungenda consideratio de Logo. *Homines*, nusquam dicitur pro *Adam et uxor ejus*. ita denotat genus humanum. Venit hic Evangelista a toto ad partem, ab iis, quae facta sunt, aut quae vivebant, ad rationalia. Singulorum respectu convenientem ὁ λόγος *Sermo* significationem habet.

v. 5. καὶ, *et*) Ex hoc versu valde illustratur doctrina de malo ejusque ortu. — ἐν τῇ σκοτίᾳ, *in tenebris*) *Tenebrae* hae non dicuntur factae, sunt enim privatio, quam contraxere homines. [*Ille nimirum generis humani status hoc vocabulo exprimitur, qui ab Adami transgressione ad apparitionem usque verae Lucis obtinuit*. V. g.] In tenebris gloria Lucis magis conspicitur. — φαίνει, *lucet*) Vim habet tempus praesens, ut in φωτίζει, v. 9. Semper φαίνει, *lucet*. Lux semper praesto fuit, etiam in V. T. ut mederetur tenebris atque peccato. Idem verbum, φαίνει, *lucet*, de N. T. 1 Joh. 2, 8. — καὶ — οὐ, *et — non*) Simile *et non*, v. 10. 11. — ἡ σκοτία, *tenebrae*) i. e. homines tenebris capti. — αὐτὸ οὐ κατέλαβεν, *eam haud assecutae sunt*) Nimis longe videlicet ab Luce abhorrebant, nimis profunde tenebris immersi erant homines. Quum λόγον ἄσαρκον, *Sermonem sine carne* non assecuti sunt, factus est Caro. v. 14.

v. 6. ἐγένετο) non, ἦν. non, *erat*, dicit Evangelista de Johanne, sed *fiebat*. Quaeritur, quousque extendatur exordium hujus libri. Resp. Nullum est exordium: ipsa tractatio cum initio libri incipit. nam versu 6. evangelista jam describit Johannis officium, testandi de Luce: et versibus quinque primis commemorat, quae antea semper fuerit *Lucis* hujus natura ac ratio. Igitur *hactenus* summa exposita est eorum, quae plane praecedebant Johannem, neque ullo modo ad actionem Jesu Johanne proxime citeriorem trahi possunt, uti trahit Artemonius p. 412. et *nunc* panditur ab evangelista descriptio novorum uberior. Utraque est ordinatissima. — ἄνθρωπος, *homo*) Deus cum hominibus agit per similes, homines: quo facilius capiant et accipiant. — ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, *missus a Deo*) Definitio prophetae. coll. Matth. 11, 9. 10. Participium immediate hic cohaeret nomini *homo*; mediate, verbo *fiebat*. — παρὰ θεοῦ) *a Deo*. v. 33. — ἰωάννης, *Johannes*) Id est, interpres *gratiae divinae*. Magnitudo Johannis, de quo statim mentio fit post superiora. Major per Johannem illata in mundum est cognitio, quam omnibus ante seculis fuerat.

v. 7. εἰς μαρτυρίαν, *in testimonium*) Hoc tangit evangelista iterum v. 15., iterumque v. 19. sed plenissimo tenerrimoque affectu testimonio huic prodromi apostolicum intexit testimonium, per digressiones nobilissimas, quibus rationes officii baptistae exponit, et brevibus ejus sententiis explicationem partim praemittit, partim subjicit, complementumque testimonii ejus declarat. [*ad ipsos Domini sermones, hoc ipso libro deinceps describendos, succincte quasi praeludens*. Harm. p. 153.] Quod Matthaeus, Marcus et Lucas *evangelium*, id Johannes *testimonium* plerumque appellat. illud vocabulum dicit respectum antegressae promissionis: hoc, certissimam scientiam nunciantis. illud de Christo exhibito, hoc de Gloria Jesu Christi, Filii DEI, ex mortuis resuscitati, dicitur. quare in Actis et Epistolis Apostolorum utrumque saepe adhibetur. *Testimonium* est rei, testibus compertae, sub oculos, audientium certe, non cadentis, et tamen necessariae: quare ei respondet *fides*. Sequitur mox declaratio, *ut testaretur de luce*: et τὸ *ut testaretur* tractatur continuo; τὸ *de luce* tractatur v. 9. — ἵνα μαρτυρήσῃ, *ut testaretur*) Summa testimonii erat: *qui post me venit* etc. v. 15. — περὶ τοῦ φωτὸς, *de luce*) *Lucis* appellatione complectitur

Johannes, quae v. 1—5. scripsit. — ἵνα, *ut*) Testimonio egent, qui erant in tenebris. — πάντες, *omnes*) ad quos *venerat*. — δι' αὐτοῦ, *per eum*) *per* Johannem, non εἰς αὐτὸν, non *in* Johannem, sed *in* Christum v. 12. Vis testimonii Johannei porrexit se etiam in notitiam gentium. Act. 10, 37. Διὰ, *per*, sublimiore notione, dicitur de Christo, 1 Petr. 1, 21.

v. 8. ἐκεῖνος, *ille*) Johannem suspicati erant nonnulli esse Lucem. ἐκεῖνος, *ille* remote indigitat.

v. 9. ἦν, *erat*) *Lux* autem ipsa *erat* lux *illa vera, quae illuminat*. Effectus ostendit Subjectum, cui nomen Lucis competit. — τὸ ἀληθινὸν, *vera*) Sequiter mox declaratio, *quae illuminat* etc. Antitheton ad Johannem, lychnum, testem. Conf. de *Veritate*, v. 14. 17. — ὃ φωτίζει, *quae illuminat*) Probatur ab effectu, hanc esse veram lucem. *illuminat*, praesens, respectu temporis, quo *venit*, in opposito ad pristinum. v. 5. — πάντα, *omnem*) omnem, et totum, quatenus homo se non subducit. quisquis illuminatur, ab hac luce illuminatur. Numerus singularis magnam hic vim habet. conf. Col. 1, 28. Rom. 3, 4. Ne unus quidem excluditur. — ἄνθρωπον, *hominem*) qui per se in tenebris est. *omnem hominem*, augustius sonat, quam *omnes*. v. 7. Johannes erat *homo*. v. 6. *Lux*, qua lux, homini contradistinguitur. — ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, *veniens in mundum*) ἐρχόμενον *veniens* est nominativus, et pendet ab ἦν *erat*. Illustre antitheton: *fiebat, missus*, v. 6. et, *erat, veniens:* ubi participium praesens, ut saepe, vim habet imperfecti. confer ὢν, cap. 9, 25. not. et passim. Apud Hebraeos frequens est periphrasis hominis, הבא בעולם *veniens in mundum:* sed in N. T. et praecipue in hoc libro id de solo Christo dicitur, sublimi significatu. *Erat* enim, ante etiam, quam *veniret*. Sic plane c. 3, 19., *Lux venit in mundum:* c. 12, 46., *Ego lux in mundum veni*. Mox hunc versum 9. excipit mentio *mundi* et *adventus* iterata. v. 10. 11. *Missus* etiam dicitur a Patre Filius, sed non eo modo, quo Johannes. *Venit* autem Filius, missus et datus, Matth. 21, 37. Joh. 3, 16. s. cap. 11, 27. Rom. 8, 3. 32. 1 Joh. 3, 8. 4, 9. s. Igitur non demum post missionem factus est Filius, sed plane ante nativitatem ex muliere. Gal. 4, 4.

v. 10. ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, *in mundo erat*) Hoc addit evangelista, ne quis illud, *veniens in mundum*, ita accipiat, ac si Lux antea in mundo plane non fuisset. Ter dicitur hoc versu *mundus:* ter de genere humano, uti versu praec. sed non exclusis, primo certe loco, reliquis creaturis. — δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *per eum factus est*) αὐτοῦ, masculinum, ut mox αὐτόν. Refertur autem ad sensum, tametsi φῶς neutrum est. Artemonius pag. 439. 450. seq. contendit, hic innui dissolutionem rerum omnium, quae tum, cum Christus pateretur, jam futura fuerit, nisi ea per sacrificium ipsius sublata fuisset, eoque confert locum Hebr. 9, 26. Atqui hoc loco ἡ συντέλεια τῶν αἰώνων non dicit finem mundi sub conditione differendum, sed categorice denotat extrema mundi tempora, pluribus temporibus a mundo condito elapsis opposita. Stante tali interpretatione, Israël quoque *factus* dici *per Mosen* posset, qui rupturam sustinuit. Eadem mente Artemonius p. 455. ordinem temporis in incisis hujus versus urget, sed sine causa. Gradatio inest potius, in qua mundum ad agnoscendam Lucem urget ratio illa, *in mundo erat:* sed magis haec, *et mundus per eum factus est* sive esse coepit. — καὶ, *et*) *et* tamen. — ὁ κόσμος, *mundus*) *Mundi nomen in sacris literis IMPIAM GENERIS HUMANI FUTILITATEM indicat*. Camer. not. in Joh. 17.

v. 11. τὰ ἴδια, *sua*) *A mundo*, toto, descendit oratio ad partem. Pridem τὰ ἴδια, *propria*, Messiae erant, quaecunque Israëlis erant, terra, urbs, templum: οἱ ἴδιοι *proprii*, Israëlitae. Matth. 8, 12. Idem autem est adventus in mundum et in propria tempus, post adventum Johannis. v. 6. 7.

Digitized by Google

v. 12. ὅσοι, *quotquot*) etiam tales, qui antea non fuerant ἴδιοι, *proprii*. — ἔλαβον) Differt hoc verbum a καταλαμβάνειν, v. 5. et a παραλαμβάνειν, v. 11. καταλαμβάνω id, quod in proximo est: παραλαμβάνω, quod offertur; λαμβάνω, ultro. παραλαμβάνειν erat Judaeorum, quos spectabat *veritas*: λαμβάνειν etiam gentilium, quos spectat *gratia*. Versu 12. et 13. discrimina externa tolluntur efficacissime. Gal. 3, 26. seqq. — ἔδωκεν, *dedit*) Gloria Christi, Unigeniti. Divinae auctoritatis est, filios DEI facere; ut Lucis est, filios lucis. c. 12, 36. — ἐξουσίαν, *potestatem*) *Potestas* non praecedit tempore γένεσιν τέκνων sive filiationem, quasi duae essent res distinctae: sed ipsa filiatio est haec potestas, sive dignitas. Magna res. Joh. 8, 36. — τέκνα θεοῦ — τοῖς πιστεύουσιν, *filios DEI — his qui credunt*) Duo momenta proponuntur, quorum prius exponitur. v. 13., alterum v. 14., ubi manifestatio Verbi in carne non tam, ut facta est, commemoratur, quam, ut credita est; id quod series rerum inde a v. 6. ostendit. — γενέσθαι, *fieri*) Jesus vero *est* Filius DEI. — ὄνομα, *nomen*) *nomen* Unigeniti. huc enim refertur versus 14. Nexus infertur ex affini vocabulo τέκνα, *liberos*.

v. 13. οἳ, *qui*) Refertur ad τέκνα, *liberos*. Namque ut *acceperunt* et *credentibus* inter se respondent, causamque denotant: sic effectus denotatur in illo *liberos fieri*, idque hoc versu explicatur ulterius. — οὐκ ἐξ αἱμάτων, *non ex sanguinibus*) דמים αἵματα *sanguines* saepe habet sermo Hebraeus, plurali numero, etiam ubi de uno agitur homine: sed ubi de *generatione* agitur, non appellat *sanguinem* vel *sanguines* parentum. Ad generosam vero prosapiam commendandam, *sanguinis* vocabulum apud veteres scriptores et in hodierno usu obvium est: et *sanguines* inde varietatem originum denotant, ex quibus variae praerogativae vel captantur in mundo vel etiam capiuntur. — οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, *neque ex voluntate carnis*) *Caro*, eaque una, est maritus et uxor: et conjugum רצון *voluntas* mutua liberos gignit, qui ex carne geniti caro sunt et filii carnis. Joh. 3, 6. Rom. 9, 8. Decenter *voluntatis* appellatio inter *amorem* sanctum, et inter foedam ὄρεξιν *libidinem* media incedit: neque leniore Johannes utitur vocabulo, quo indigna est caro per se; neque severiore, ne sanctis parentibus nati se excipiant. — οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, *neque ex voluntate viri*) *Voluntas viri*, voluntate carnis continetur: et tamen seorsum memoratur, tanquam pars potior et quodammodo culpatior. Etenim *matrem* habebat Christus, sed *viri* ignaram. Luc. 1, 34.

Haec tria, *sanguines, voluntas carnis, voluntas viri*, filiis hominum ἐξουσίαν, *potestatem, dignitatem* afferunt, nobilem, sed naturalem et humanam. Enimvero his tribus nitebantur Judaei, vel de *majoribus* Abraham, Isaak, Israël, Juda, Benjamin, Levi, Aaron, David etc. vel de *parentibus* utrisque, sed magis de *genitoribus* gloriari soliti, et eapropter se *Deo* non posse non placere putabant: sed haec eadem nil valere, declarat Johannes. — ἀλλ' ἐκ θεοῦ, *sed ex Deo*) Naturali hominum generationi opponitur generatio ex Deo. Et quanquam illa, ut haec, reapse unica est, tamen illa tripliciter expressa triplicem hujus quoque rationem infert. Docemur ergo, *filios Dei* fieri, qui geniti sunt, non, ut filii hominum, quales ipsi quoque ex veteri ortu suo erant, humanitus, sed *ex Deo*: id est, 1) non ex sanguinibus, sed ex *coelesti* et supremo *Patre*, ex quo omnis familia beata et sancta nuncupatur: 2) non ex voluntate carnis, sed ex *amore* illo, cujus filius est ipse *primogenitus* omnis creaturae, Col. 1, 13. 15. et ex *voluntate* illa, quae nos creaturarum *primitias* peperit. Jac. 1, 18. Conjugata sunt אב *pater:* אבה *voluit, amavit*. 3) non ex voluntate viri, sed ex *Spiritu Sancto*. Simile antitheton, Luc. 1, 34. 35. Hi vere sunt filii Dei, et talium filiorum typus erat *Adam*, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri genitus erat, et inde propria quadam ratione erat *Dei*, Luc. 3, 38. et Isaac, Gal. 4, 23. 29. sed sublimiore sensu Johannes filios

Dei describit. — ἐγεννήθησαν, *nati sunt*) De regeneratione non est tantum modus loquendi huic evangelistae proprius; sed doctrina apud Prophetas et Apostolos eximie celebrata. Fideles sunt filii Dei ex *generatione* proprie sic dicta, vitam ex Ipso nacti, indolem ejus referentes, imagine ejus fulgentes; quanto magis ὁ μονογενής, *unigenitus*? Sunt, per hunc, ex *adoptione*. Omnibus modis Deus nos sibi asserit.

v. 14. [1]) σὰρξ, *caro*) Caro (praeterquam quod de nobis denotat naturam corruptam, a Spiritu Dei alienam, v. 13.) denotat corpus humanum, vel, ut hoc loco, hominem ipsum, a parte visibili denominatum. conf. 1 Tim. 3, 16. — ἐγένετο, *factum est*) Non *erat*, ut Artemonius contendit p. 332. 387. sq. 472. [*Non dicitur hic:* factus est alius homo, a Deo missus, cui nomen Jesus, *coll.* v. 6.; *sed:* Verbum caro factum est. *Johannes priusquam ex Elisabeta nasceretur, nullus fuit: at Verbum prius* fuit, *quam Maria mater ejus — quam Abrahamus — quam mundus omnino fieret; et suo tempore Verbum* factum est *caro; i. e. humanam naturam assumsit, ea tamen lege, ut non duo Messiae essent, sed unus: non duo Filii DEI, sed unus.* V. g.] Nusquam in omni literarum genere periocha ulla sub sole reperietur, ubi studiosius servetur differentia verborum εἰμὶ et γίνομαι, quam Joh. 1. Lege ex instituto totum contextum a v. 1. ad 30. et assenseris. Si tempora verborum magno delectu ab Johanne posita agnoscit Artemonius p. 464. cur non ipsa quoque verba? — καὶ ἐσκήνωσεν, *et habitavit*) Ab hoc loco ad finem versus sunt sententiae quatuor: quarum primam per χιασμὸν respicit quarta; secundam tertia; ordine valde apposito.

1) et habitavit in nobis:
2) et vidimus gloriam ejus,
3) gloriam ut unigeniti a Patre:
4) plenus gratiae et veritatis. — ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *habitavit in nobis*) Σκηνὴ, *tabernaculum*: unde σκηνόω. habitavit, ut in tabernaculo, *nobiscum;* vere, nec diu, spectaculum sui praebens. Verba affinia: ἐσκήνωσεν et ἐθεασάμεθα, uti *scena* et *theatrum*. Incola, ὁ λόγος, *Sermo:* caro, tabernaculum et templum. Hebr. 9, 11. Joh. 2, 21. Eaedem literae in שכינה et σκηνή. — ἡμῖν, *nobis*) hominibus, qui caro sumus. — ἐθεασάμεθα, *spectavimus*) nos apostoli, praesertim Petrus, Jacobus et *Johannes*. Luc. 9, 32. Apostoli de eo, quod viderant, solent plurali numero loqui: id quod ad majorem confirmationem pertinet. 1 Joh. 1, 1. 2 Petr. 1, 16. Singulari numero utitur Paulus, 1 Cor. 9, 1. et Johannes baptista, v. 32. — τὴν δόξαν) *Gloriam*, Deitatem. c. 2, 11. — ὡς, *ut*) Particula haec non comparat, sed declarat. Nam ipse λόγος, *Sermo*, est unigenitus. — μονογενοῦς, *unigeniti*) Innuitur generationis divinae veritas et unitas. Spectatur inprimis baptismus Jesu Christi: v. 34. Matth. 3, 17. quanquam ipsam baptizati Jesu historiam a ceteris Evangelistis satis descriptam Johannes decore praetermittit. coll. Matth. 3, 14. — παρὰ, *a*) Constr. cum μονογενοῦς, *Unigeniti:* unius a Patre non solum geniti, sed etiam missi. c. 6, 46. 7, 29. — πλήρης, *plenus*) non, πεπληρωμένος, *impletus*, quod tamen alio respectu de Jesu dicitur Luc. 2, 40. [*Construendum:* Verbum habitavit nobiscum plenum gratiae et veritatis. *Videlicet hoc ipsum indicandum hoc versu proprie fuit: nam* τὸ caro factum est *repetitur ex antecedentibus*. V. g.] — χάριτος καὶ ἀληθείας, *gratiae et veritatis*) Repetitur hoc totum, v. 17. *Gratia* sola nominatur v. 16. [*quâ destituti* Gloriam *perferre non potuissemus*. V. g.] *Veritas* est *gratia* promisso vestita et exserta. Hebr. חסד ואמת Ex. 34, 6. inde Ps. 25, 5. s. 10. 26, 3. 33, 4. 5. 36,

---

1) ὁ λόγος, *Verbum*] Repetit h. l. Johannes priorem denominationem, hoc sensu: Idem ille, qui antehac Verbum, qui Vita, qui Lux erat, idem Caro jam factus est. Quod prius fuerat, id esse non desiit: at factus est, quod non fuerat prius. *V. g.*

Digitized by Google

6. 85, 11. 89, 2. 3. 6. 9. 15. 25. 34. 50. 92, 3. 98, 3. 100, 5. 115, 1. 117, 2. add. Rom. 15, 8. 9. Col. 1, 5. 6. Haec gratia et veritas naturâ ignota est filiis irae et mendacibus: obtingit autem nobis in Filio dilecto, in quo est Patris beneplacitum. Matth. 3, 17. Dicitur *gratia in veritate*, Col. 1, 6. 2 Joh. v. 3. *gratia vera*, 1 Petr. 5, 12.

v. 15. μαρτυρεῖ, *testatur*) Uberius dehinc describitur testimonium Johannis: et periocha a v. 15. ad 28. bimembris quidem est, sed tamen in *unum* utraque pars diem cadit. nam versu 19. non dicitur *postridie* aut simile quiddam: et sermo, quem postridie habuit Johannes v. 29. seq. magis ad priorem periochae partem refertur, quam ad posteriorem. Porro *uni* huic diei ita arcte annectuntur subsequentes dies, ut baptismus Domini, et commoratio in deserto, non interjici, aut subjungi, sed praeponi debeat. Itaque Johannes testans de Eo clamansque, *Hic est, quem dixi*, vel ob oculos habebat Jesum ex deserto reversum, coll. v. 29. 36. vel certe praeclaros de eo sermones audierat. — κέκραγε, *clamavit*) Habet hoc vim praesentis, uti v. 19. *hoc est testimonium:* quia nectitur cum μαρτυρεῖ, *testatur*, atque hoc ipsum vicissim pro praeterito ponitur. Conferunt huc Aristidem, qui ait: ἡ πόλις αὐτὴ συνομολογεῖ καὶ κέκραγε. Clamat Johannes cum fiducia et gaudio, uti magnum praeconem decet, v. 23. ut *omnes* audirent et crederent. v. 7. — λέγων, *dicens*) post baptismum Jesu. — οὗτος, *Hic*) Jesus. Indefinite Johannes dixerat, ante baptismum Domini, de Christo post Johannem veniente, et ipse Jesum facie non noverat: sed in baptismo eum cognovit primo, et mox testatus est, *hunc*, Jesum, esse Christum, Filium Dei. — εἶπον, *dixi*) ante baptismum Jesu. Matthaeus, Marcus et Lucas describunt, quae Johannes baptista dixit ante baptismum Jesu: sed Johannes evangelista memorat, quae Johannes baptista dixit post baptismum Jesu, sic tamen, ut simul se referat etiam ad prius dicta. Versu 15. dicitur ὃν εἶπον, *quem dixi*, non περὶ οὗ εἶπον, *de quo dixi*: quare non opus est, *totum* sermonem subsequentem spectari ut ab Johanne, ante baptismum Domini, prolatum. Sufficit, quod dixerit, *post sese venire* Aliquem multo ἰσχυρότερον, *validiorem*. Cetera verba ἔμπροσθεν κτλ. attexit evangelista, ut ab Johanne Baptista post baptismum illum promulgata. Sermo concisus, ut saepe, hoc sensu: Dixi, *esse qui post me veniat*. Et Hic ipse est, qui post me venit. Hic ipse, inquit, est, qui prior me factus est. (Similis locutio Deut. 33, 18., ubi pariter sub lemmate, *et ad Sebulonem dixit*, id quoque narratur, quod ad Jissacarem dixit) Sed versu 30. est περὶ οὗ, *de quo*: et ibidem τὸ εἶπον, *dixi*, jam notat ea, quae Johannes baptista dixit ipso baptismi tempore, et deinceps, et antea. — γέγονεν, *factus est*) Hoc non dicitur de divina natura, sed de officio Christi: diciturque iterum, v. 27., et tertio, v. 30. ubi ἀνὴρ, *vir*, appellatur. Hoc sensu: *qui mihi erat a tergo, nunc est ante faciem meam, meque antevertit et post se reliquit*. Priores partes nactus est Jesus in baptismo: [*ubi ab ipso DEO DEI Filius proclamatus est prius, quam ullum haberet discipulum*. V. g.] v. 31. 34. c. 3, 30. conf. Phil. 3, 14. ubi ὀπίσω et ἔμπροσθεν sunt opposita. neque ἔμπροσθεν unquam valet *prius*, de tempore; quo pacto nil aliud in hoc commate, atque in sequente innueretur: sed *ante*, de *loco*, et hic, de *gradu*. Γίνεσθαι καὶ εἶναι, *fieri* et *esse*, cum adverbio, saepe significationem adverbii nominalem facit. c. 6, 25. Act. 13, 5. Eph. 2, 13. 2 Thess. 2, 7. 2 Tim. 1, 17. Rom. 7, 3. 16, 7. Sic 2 Sam. 11, 23. ἐγενήθημεν ἐπ᾽ αὐτούς. ἔξω ποιῆσαι Act. 5, 34. Plura exempla collegit *E. Schmid.* ad Marc. 4, 10. — ὅτι, *quia*) Sententia est haec: *Qui post me veniebat, me antevertit et a tergo reliquit, quia longe prior me erat*. Excellentia personae infinita est fundamentum *praecedentiae*, ut sic dicam, in officio. — πρῶτός μου) *prior me*. [*quin Abrahamo* prior, *imo et mundo*. V. g.] Parallelum est illud: *non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus*, v. 27.

Digitized by Google

v. 16. καὶ, *et*) Confirmat evangelista, huic Johannis baptistae praedictioni respondisse eventum, prioresque partes cessisse Christo. nam Evangelistae est hic sermo: nec Baptista v. 17. Jesum aperte appellaret *Christum*. at *plenitudo*, v. 16. refertur ad *plenum*. v. 14. [*Itaque* v. 16. *eorum continuatio habetur, quae coepta sunt* v. 14. V. g.] — ἡμεῖς πάντες, *nos omnes*) Non omnes viderunt, v. 14. omnes acceperunt. Apostoli et ceteri sumentes, Judaei et gentes. — ἐλάβομεν, καὶ, *accepimus, etiam*) Accusativus subauditur, *omne quod ex ejus plenitudine accipiendum erat*, *et* (speciatim) *gratiam pro gratia*. — χάριν ἀντὶ χάριτος, *gratiam pro gratia*) Proximam quamque gratiam satis quidem magnam, gratia subsequens cumulo et *plenitudine* sua quasi obruit. Exemplum vide v. 51. Simillimum ἀντὶ illud Aeschyli in Agam. ὄνειδος ἥκει τό δ' ἀντ' ὀνείδους· et *Chrysostomi* lib. VI. de Sacerdotio, cap. 13. ubi Basilium suum ita loquentem facit: σὺ δέ με ἐκπέμπεις, ἑτέραν ἀνθ' ἑτέρας φροντίδα ἐνθείς. *tu me dimittis, alia pro alia imposita solicitudine*. ubi prior cura, eaque minor, non exemta, sed nova eaque tanta injecta erat, quae priorem illam obscuraret, neque ad eam accessisse, sed ei *successisse* videretur. evolve locum ipsum, si placet, et quae ad eum collegimus p. 516. Hebraei dicunt על ut שבר על שבר Jer. 4, 20. Conf. ib. c. 45, 3. Ez. 7, 26. Ps. 69, 28.

v. 17. ὁ νόμος, *lex*) *iram* parans, et *umbram* habens; moralis et ceremonialis. — ἐδόθη, *data est*) Nullus philosophus tam accurate verba ponit, differentiamque eorum observat, quam Johannes, in hoc praesertim capite: postea dicit ἐγένετο. Mosis non sua est lex: Christi sua est gratia et veritas. — ἡ χάρις, *gratia*) Eleganter omittitur conjunctio. nam et adversativa et copulativa locum habebat. Sic quoque v. 18. Gratiae et veritati cedit lex. c. 4, 23. De gratia, explicatum modo, versu 16.: de veritate mox, v. 18. [*Conf.* 2 *Joh.* v. 3.] — ἰησοῦ, *Jesu*) Johannes, facta semel mentione incarnationis, v. 14., deinceps nunquam hoc significatu ponit nomen λόγος, *Verbum*, toto hoc libro. conf. 1 Joh. 1, 1. 3. ubi item a nomine λόγος, incipit; in progressu *Jesum Christum* appellat. — ἐγένετο, *facta est*) Antea mundus nec scierat nec habuerat gratiam.

v. 18. θεὸν, *Deum*) quem, ut Amorem, ostendit gratia et veritas. — οὐδείς, *nemo*) ne Moses quidem, nedum seniores Mosis tempore, aut Jacob, aut Jesajas, aut Ezechiel. ne angeli quidem, ita viderunt, ut Filius. vid. Not. ad Rom. 16, 25. s. — ἑώρακε, *vidit*) *Nemo vidit*; nemo exposuit: *Filius* vidit, Filius *exposuit*. c. 3, 32. — ὁ ὢν, *qui erat*) Conf. v. 1. ac potius Joh. 6, 62. 1 Joh. 1, 2. Sic ὤν, pro *eram*, c. 9, 25. sic Hebr. יוצא *qui suxit*, Cant. 8, 1. — εἰς τὸν κόλπον, *in sinu*) cap. 6, 46. Prov. 8, 30. Zach. 13, 7. *Sinus* hic est divinus, paternus, foecundus, blandus, arcanus, spiritualis. In lumbis esse dicuntur, qui nascentur homines: in sinu sunt, qui nati sunt. In sinu Patris erat Filius: quia nunquam non — natus. Significatur summa unitas et notitia intima, ex aspectu proximo. — ἐκεῖνος, *Ille*) Epitheton excellentiae et distantiae. — ἐξηγήσατο, *explicavit*) et verbis suis et conspectu sui.

v. 19. οἱ ἰουδαῖοι, *Judaei*) Matthaeus, Marcus et Lucas *Judaeorum* appellationem raro ponunt, Johannes saepissime. videlicet illi primos lectores Judaeos sibi proposuere; Johannes fideles ex gentibus. — ἐξ ἱεροσολύμων, *ex Hierosolymis*) sede illa religionis. — ἱερεῖς καὶ λευίτας, *sacerdotes et leritas*) Testimonio Johannis ad populum intexitur testimonium ad antistites. Haec legatio XL saltem diebus post baptismum Jesu facta indicat, Johannis praeconium non longo intervallo ante baptismum Jesu coepisse. Alias legatio citius facta esset. — ἐρωτήσωσιν, *interrogarent*) nomine publico. c. 5, 33. — σὺ τίς εἶ; *tu quis es?*) cum baptismo tuo. v. 25.

v. 20. ὡμολόγησε, *confessus est*) veritatem. conf. v. 8. c. 5, 33. — οὐκ ἠρνήσατο, *non negavit*) Dum se negavit, Christum non negavit. [*Ps.* 118, 15. 16.]

— ἐγὼ, *ego*) Limitato sermone ansam praebet cogitandi, Christum non longe abesse. — ὁ χριστὸς, *Christus*) Johannem esse Christum, suspicati erant.

v. 21. σύ; *tu?*) Johannes dixerat, *Ego non sum Christus.* De subjecto quaerere perseverant: de praedicato melius quaererent, *Quis est Christus? ubi est?* Huc vero colloquium mox deducit Johannes. — οὐκ εἰμὶ, *non sum*) Erat Elias alter; non erat Thisbites ipse, de quo quaerebant. Omnia a se amolitur, ut Christum confiteatur, et ad Christum redigat quaerentes. — ὁ προφήτης, *Propheta*) ille, de quo Deut. 18, 15. 18. Articulus refertur ad promissionem de propheta omnia docturo, et ad populi exspectationem. Eum tamen non modo diversum a Christo, sed etiam Elia minorem putabant, ut ex sermone gradatim descendente patet, h. l. et v. 25. quanquam populus deinceps *prophetam* eundem atque regem Messiam censuit c. 6, 14. 15. et rursus alium *prophetam*, alium *Christum*, c. 7, 40. 41. — εἶ σὺ, *es tu*) Omnes eos enumerant, de quorum adventu praedictum erat.

v. 22. ἀπόκρισιν δῶμεν, *responsum demus*) Responsum postularat populus, et quam maxime antistites Judaei. — περὶ, *de*) Quisque se ipse nosse debet. [*et, si quid praecipue molitur, instituti rationem in promtu habere.* V. g.]

v. 23. ἐγὼ φωνὴ, *ego vox*) Sermo concisus: *Ego sum* ille, de quo dictum est: *Vox clamantis.* Johannes erat etiam ipse clamans. — εὐθύνατε) ἑτοιμάσατε — εὐθείας ποιεῖτε. Luc. 3, 4. not. — ἡσαΐας ὁ προφήτης, *Esajas propheta*) Olim, inquit, erant *prophetae:* nunc propius est regnum Dei.

v. 24. ἐκ τῶν φαρισαίων, *ex pharisaeis*) qui magni facerent baptismum judaicum; et baptismum Johannis agnoscerent rem esse magni momenti, nonnisi ab homine divinitus misso administrandam. Solet evangelista quasdam quasi parentheses, de causis, de loco, de occasionibus, de finibus, de effectibus, de impedimentis, rerum, actionum et sermonum, et similes epicrises ponere, ex quibus liquidius intelligantur ea, quae sub manu sunt. v. 28. 45. 3, 24. 4, 8. 6, 4. 7, 5. 39. 8, 20. 27. 9, 14. 22. 10, 22. 23. 11, 13. 30. 12, 33.

v. 26. μέσος [1]) ὑμῶν, *medius inter vos*) praesertim baptismi tempore. — ἕστηκεν) *statuit sese.* — οὐκ οἴδατε, *nescitis*) Alloquitur Hierosolymitanos, qui baptismati Jesu non interfuerant: et acuit eosdem, ut illum cognoscere studeant.

v. 27. αὐτὸς) *Ipse.*

v. 28. ἐν βηθαβαρᾷ, *in Bethabara*) Ergo longa via venerant v. 19. — πέραν) *trans*, respectu Jerusalem. — ὅπου, *ubi*) ubi solebat baptizare.

v. 29. ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, *venientem ad se*) post baptismum, ut vidimus. [*et quidem non ipso baptismi die, quo in desertum illico deductus est Jesus. Hoc videlicet loco publice Jesus versari coepit*, v. 35. 44., *post reditum ex deserto victoriae plenum. Venit Jesus ad Johannem eo modo, ut cominus indigitare Eum Johannes posset: neque tamen colloquium Jesus cum eo instituit.* V. g.] — ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, *Agnus Dei*) *Agnum* appellat, innocentem, mactandum: qui obedientiam activam et passivam praestat. 1 Petr. 1, 19. ὁ, articulus, respicit prophetiam de eo sub hoc schemate factam, Jes. 53, 7. etiam sub typo agni paschalis. Atque ipsum pascha tum prope erat: c. 2, 13. Divinitus instructus Johannes appellat *Agnum Dei*: quanquam primo illo tempore appellationis hujus exacta intelligentia, si non ipsum Johannem, certe auditores ejus fugeret. [*Assertâ prius cognitione de* personae *Jesu Christi sublimitate, de Verbo scil. quod Caro factum sit;* officium *deinceps et* beneficium *Ejus principale describit Johannes. Pari modo seipsum Jesus Christus* Filium DEI *discipulis primum agnoscendum praebuit: tum de* passione *sua etc. instruxit.* V. g.] — τοῦ θεοῦ, *Dei*)

---

1) δὲ, *vero*] Antithesis desumenda est ex Ejus praestantia, qui Johannem insecutus est: Iste nimirum Spiritu sancto baptizat, v. 33. *V. g.*

Digitized by Google

Agnus Dei, quem Deus dedit et probat; et de quo Ipse ita testatur: hic solus est Agnus, haec sola victima mihi grata. Hebr. 10, 5. ss. Sic Ps. 51, 19. *sacrificia Dei*, quae Deus agnoscit. Luc. 2, 26. *Christus Domini*. — ὁ αἴρων) Chrysost. *Dicit Johannes* ἀμνὸν ΚΑΙ ΟΤΙ αἴρει κτλ. Vulg. *Ecce Agnus Dei, ECCE qui tollit* etc. Uterque illud ὁ ἀμνὸς, ὁ αἴρων, non per constructionem substantivi et adjectivi, sed per appositionem accepit. *Agnus Dei*, h. e. *Is qui tollit* etc. Atque hoc alterum vel Baptista vel Evangelista adjecit: uti c. 4, 25. Agnus Dei primum a mundo in se recepit, deinde a se ipso devolvit peccati sarcinam. [*Idem plane verbum* 1 *Joh.* 3, 5. V. g.] — τὴν ἁμαρτίαν, *peccatum*) Singularis numerus, cum articulo, summa vi. una pestis, quae omnes corripuit. totum tulit, non ita partem unam tulit, ut alteram non ferret. Idem numerus singularis pluralibus interponitur Jes. 53, 6. 8. 12. *Peccatum* et *mundus* aeque late patent.

v. 30. ἀνὴρ, *vir*) magnus, sine pari. — πρῶτος, *prior*) v. 15. not.

v. 31. οὐκ ᾔδειν, *non noram*) facie, perinde ut vos, v. 26. tum, quum dixi: *Post me venit*. vid. Matth. 3, 14. not. Plane pertinet hoc ad probandum, Johannem divinitus fuisse instructum ad testandum de Christo Jesu. — ἵνα, *ut*) Finem non unicum, sed tamen primarium exprimit, cur venerit aqua baptizans. Act. 19, 4. — βαπτίζων, *baptizans*) Nexus verborum Johannis baptistae, post parenthesin evangelistae mox notandam.

v. 32. ἐμαρτύρησεν, *testatus est*) ut de re sibi ac non populo visa. Quae sequuntur, [*coll.* v. 34.] erant testimonii: quae v. 29. s. [*coll.* v. 15. 27.] dicuntur, erant demonstrationis ex testimonio. Cohaerentibus baptistae verbis evangelista hanc quasi parenthesin interponit: ἐμαρτύρησεν — ὅτι· *testatus est Johannes dicens*. — τεθέαμαι) *spectavi*. — ἐξ οὐρανοῦ, *ex coelo*) Hoc constr. cum καταβαῖνον, *descendentem*. *Descensio*, extrema et infima certe sui parte, aeque determinata erat ad Jesum, atque *mansio*. — ἔμεινεν, *mansit*) cum bona mora.

v. 33. οὐκ ᾔδειν, *non noram*) antequam vidi Spiritum descendentem. — ὁ πέμψας με, *qui misit me*) Deus.

v. 34. ἑώρακα, *vidi*) Spiritum descendentem. — καὶ) *et* inde. — μεμαρτύρηκα) *testis sum factus*. — ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, *Filius Dei*) adeoque Messias. Spectatur illud, quod exstat Matth. 3, 17. [*Quemadmodum scil. Jesus in baptismo suo* Filius DEI *proclamatus fuit, et in tentatione* Filium DEI *se esse asseruit: sic hoc ipsum, quod sit* Filius DEI, *primis his versiculis prolixius explicatur. Opportunum etiam versiculi isti locum heic habent, ad designandam eam personam, de qua Johannes baptista per legationem divinitus ei commissam testatus est. Quae introitum Johannis baptistae antecedunt, v. g. nativitas et baptismus Christi etc., ea dexterrime Evangelista reliquis intexuit.* Harm. p. 154.]

v. 35. τῇ ἐπαύριον, *postero die*) Magni dies: primus testimonii de Jesu, *Messia*, v. 15. s. secundus testimonii de Eodem, et simul de ejus Passione, v. 29. s. tertius, hic, trium discipulorum incuntium: quartus, Philippi et Nathanaëlis adducti. v. 44. Add. c. 2, 1. 12. Singulare est hujus Evangelistae studium in temporibus notandis. — δύο, *duo*) testes futuri.

v. 36. περιπατοῦντι, *ambulantem*) Jam non ad Johannem veniebat: v. 29. neque enim saepius decebat. Semel id fecisse, sat demissum erat.

v. 37. ἠκολούθησαν, *secuti sunt*) ultro a tergo. Primae origines ecclesiae christianae. Primo tempore lactea quadam dulcedine discipulos invitavit Jesus. [*Non reperias, certas Eum horas instituendis discipulis dicasse: sed omnis Ejus conversatio continuam instructionem atque exercitationem perpetuam obtulit, modo nuptiis, modo angustiis in aqua obortis, modo necessitate oeconomica, modo aegroto aliquo, modo discipulorum aliquo lapsu ansam praebentibus. Continuo quasi trivio eos docuit, redarguit, flexit, tulit, monuit, tenta-*

vit, roboravit, confirmavit, veritatisque aliam partem post aliam eis aperuit, et falsorum conceptuum alio eos post alium liberavit, a primis inde temporibus hisce usque ad ascensionem suam. Harm. p. 157.]

v. 39. τί ζητεῖτε; ***quid quaeritis?***) Sciebat, se quaeri. Ait igitur, ***quid quaeritis*** apud me? non, ***quem quaeritis?*** Hac quaestione cor eorum tetigit. Ostendit, se scire, aliquid quaerere illos: et occasionem praebet rogandi, quod vellent. — ῥαββί, ***Rabbi***) Mature hunc titulum Jesu tribuunt. v. 50. Et interpretatio addita ostendit, augusto significato discipulos ineuntes eum Illi tribuisse. — ποῦ μένεις) quaerimus, ***ubi maneas***, ubi μονὴν habeas. Familiaritatem appetunt.

v. 40. εἶδον, ***viderunt***) Messiae documenta videre illi potuere in ejus habitatione, quae erat simplex, tranquilla, munda, silens, frugalis, sine egeno vasorum et librorum apparatu, (conf. 2 Reg. 4, 10.) denique Ipso, eoque solo, digna. — ἔμειναν, ***manserunt***) Constantia discipulos decet. — ἡμέραν, ***diem***) O felix dies! — ὥραν, ***horam***) Festinavit Andreas, vel vesperi, nunciare fratri. [***Bihorio ista Solis occasum praecessere.*** V. g.]

v. 42. εὑρίσκει, ***invenit***) Cum festissima illorum dierum novitate pulcre congruit verbum ***invenit***, hic saepius positum. — πρῶτος, ***primus***) Credibile est, utrumque eorum quaesivisse Simonem, diversis viis. — τὸν ἀδελφὸν, ***fratrem***) Hic deinde superior factus Andrea, quem credibile est natu fuisse majorem. v. 45. — εὑρήκαμεν, ***invenimus***) v. 46. Magnum ac laetum εὕρημα, ***inventum***, XL propemodum seculis a mundo exspectatum. Ex Johanne didicerant, in proximo esse. — ὅ, ***quod***) Id evangelista addit. v. 43.

v. 43. ἐμβλέψας, ***intuitus***) Aspectus efficax. — σίμων ὁ υἱὸς ἰωνᾶ, ***Simon filius Jona***) Haec nomina Salvatori nemo dixerat. itaque hac nomenclatura Petrum totum cepit. conf. v. 49. — κηφᾶς, ***Cephas***) Hoc nomine Petrus etiam deinceps, Syriaco, in Syria praesertim versatus, appellatus est.

v. 44. ἠθέλησεν ἐξελθεῖν, ***voluit exire***) et exiit. c. 2, 1. Collato illo capite 2. praesertim versu 11. patet, ***exeundi*** verbum insigne esse. ***Exiit*** ad agendum, ad rem gerendam.

v. 45. βηθσαϊδὰ, ***Bethsaida***) Hoc videtur eo dici, quod vicina esset patria Nathanaëlis. v. 46. c. 21, 2.

[1]) v. 46. εὑρίσκει, ***invenit***) Philippus vocatus, statim lucrifacit. — τὸν ναθαναὴλ, ***Nathanaël***) Probabile est, hunc inter apostolos esse receptum, et illum ipsum fuisse, qui ***Bartholomaeus*** dicitur, secundario nomine ex patre Tolomaeo, ut Simon ex Jona, Jacobus et Johannes ex Zebedaeo: nam etiam Judas dictus est Lebbaeus vel Thaddaeus. Certe etiam Matth. 10, 3. Philippo jungitur, et Joh. 21, 2., Nathanaël in medio apostolorum ponitur, statim post Thomam: coll. Act. 1, 13. et videtur etiam sorti apostolicae fuisse committendus, Act. 1, 23. nisi jam fuisset in apostolis. Certe fuit amicus Domini aeque carus, sicut principi carus esse amicus potest, qui tamen non ad legationes adhibetur. — λέγει, ***dicit***) voce magna, v. 49. et hilari [2]). — εὑρήκαμεν, ***invenimus***) ego, Andreas et Petrus.

v. 47. δύναταί τι; ***potestne aliquid?***) Itaque multi illic erant improbi. Conf. de tota regione, cap. 7, 52. Modestior tamen et cautior est interrogatio, quam si categorice negaret Nathanaël. Christus virtutem suam non patriae in terra in acceptis retulit. De coelo venit. — ἀγαθὸν, ***bonum***) At quantum ***Bonum***, Christus! c. 7, 12. — ἔρχου καὶ ἴδε, ***veni et vide***) Optimum remedium contra opiniones praeconceptas. Quod Jesus pridie reposuerat discipulis: id jam Philippus

---

1) ἀνδρέου καὶ πέτρου, *Andreae et Petri*] Andreas frater natu major fuerit. Petri tantam dignationem aegre non tulit: attamen proxime ab eo abfuit. *V. g.*

2) μωσῆς, *Moses*] Joh. 5, 39. 46. *V. g.*

aliis reponit. ἴδε, *vide*, i. e. videbis. Saepe imperativus post imperativum habet vim futuri. Gen. 17, 1. Amos 5, 4. Vid. Glass. Phil. Can. XLIII. de Verbo.

v. 48. περὶ αὐτοῦ) *de illo*, non statim *ad illum*. — ἀληθῶς, *vere*) Affirmatio, intimam notitiam ostendens. — ἰσραηλίτης, *Israëlita*) dignus, qui videat angelos Dei ascendentes et descendentes, uti Jacob. v. 52. coll. Gen. 28, 12. Nomen *Israël* nulla creatura gerere posset, nisi divinitus datum; ita amplum est: ἄδολοι *sinceri* eo digni sunt. [*Egregia nimirum virtus est sinceritas*. V. g.] Habet hic sermo indicium 1) omniscientiae: 2) benignitatis. Praeceps fuerat Nathanaël v. 47. Dominus se ei *bonum* praebet.

v. 49. πόθεν, *unde*) Non huic quaestioni respondet Jesus, sed ostendit, se vel plura de Nathanaële scire. — συκῆν, *ficum*) Symbolum pacis et securitatis evangelicae. — εἶδόν σε, *vidi te*) lumine divino. Admonetur Nathanaël de cogitationibus, quas tum habuerat vere Israëliticas et a dolo immunes.

v. 50. ἀπεκρίθη, *respondit*) Lautam sortem affert celeritas considerata credendi. tarditas reprehenditur Luc. 24, 25. — σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, *tu es Filius Dei*) c. 6, 69. Nunc ipse Nathanaël plus fatetur, quam a Philippo audierat: et retractat dubium de *bonitate* Jesu. — ὁ υἱὸς — ὁ βασιλεὺς, *Filius — Rex*) Confessio de persona et officio Christi. — σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ ἰσραήλ, *tu es rex Israëlis*) adeoque etiam meus, quum me agnoscis genuinum *Israëlitam*.

v. 51. εἶδον, *vidi*) Iteratio confirmat. c. 4, 17. s. — πιστεύεις;) Alii sine interrogatione legunt, quam tamen postulat sermo sine particula οὖν aliave ejusmodi subsequens. μείζω τούτων ὄψει. Eadem figura Luc. 22, 52. Simul exprimitur admiratio Domini de promta fide Nathanaëlis, uti Matth. 8, 10. de fide centurionis: et novo documento ostendit Dominus, notum sibi intime esse Nathanaëlem, et hujus fidem confirmat. — μείζω, *majora*) de quibus versu seq. et cap. 21, 25. [*Habenti datur. Perpetuum est donorum operum atque testimoniorum divinorum incrementum*. c. 5, 20. 35. (14, 12.) *Utere primis: sin minus, ipse tibi cunctando dees*. V. g.] — ὄψει, *videbis*) Hoc verbo continetur mansio Nathanaëlis cum Jesu.

v. 52. ἀμὴν, ἀμὴν, *amen, amen*) Matthaeus, Marcus et Lucas in sermonibus Jesu Christi semel solent ἀμὴν ponere, Johannes bis, de quo vid. Jac. Gaillium, tr. de Filio hom. qu. 11. 12. p. 231—239. Idque ceteri quidem faciunt iis in locis, quae non sunt parallela; sed tamen etiam in parallelis. Matth. 26, 21. 34. Joh. 13, 21. 38. unde Salvator aut semper semel, aut, quod magis arbitramur, semper bis videtur ἀμὴν esse praefatus. Matthaei, Marci et Lucae tempore nondum maturum fuit, id commemorare: Johanne scribente, maturum fuit. Sed quare bis? Locutus est Jesus nomine Patris et suo: add. not. ad 2 Cor. 1, 20. et Sermo ejus est Veritas, penes Dicentem et penes credentes: 1 Joh. 2, 8. in re et in verbis. Matth. 5, 37. sunt λόγοι ἀληθινοὶ καὶ πιστοὶ, *fideles et veraces*. coll. Ap. 19, 11. Est epizeuxis Hebraica, uti Psalm. 41, 14. 72, 19. 89, 53. ut מאד מאד *valde valde*. — ὑμῖν, *vobis*) tibi et ceteris. — ὄψεσθε, *videbitis*) Resp. ὄψει, *videbis*, v. 51. Unius magna fides et confessio etiam aliis conficit majora charismata. — τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, *coelum apertum*) i. e. Videbitis maxima signa, quae ostendant, coelum esse apertum. Dominus de coelo descendit, et nunc in terra versatur; atque inde ministri coelestes multum habebunt, quod agant: nam Domino praesto erunt. ἀνεῳγότα, *apertum*, praeteritum, proprie, coll. Matth. 3, 16. et cum continuatione in posterum, Joh. 3, 13. Act. 7, 56. Ap. 11, 12. — τοὺς ἀγγέλους τοῦ θεοῦ, *angelos Dei*) quos eosdem ministros habet Filius DEI unigenitus. — ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας, *ascendentes et descendentes*) *Ascendentes* priore loco ponitur: itaque angelorum commoratio erit in terra. Vidit tale quid *Jacob*, Gen. 28, 12. quanto magis Israëlitae sinceri in N. T. — τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, *filium hominis*) Vid. not. ad Matth. 16, 13.

CAPUT II.

v. 1. Τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ) *tertio die*, post promissum datum. c. 1, 52. Nunc ostenditur specimen. [*Eum inter diem, quo Nathanaël lucrifactus est, et inter nuptias Canae celebratas dies unus intercessit, quo discipuli aliquot, ut credere fas est, accessere prioribus. V. g. Neque angusta nimis erat haec temporis pars itineri ex Bethabara in Galilaeam (et Canam praesertim) perficiendo.* Harm. p. 159.] — γάμος, *nuptiae*) Christus non tollit societatem humanam, sed sanctificat. Etiam aqua sitis restingui poterat: sed in nuptiis vinum Dominus donat; extra nuptias non fuisset casus necessitatis. Magna facilitas Domini: nuptiis interest primo tempore, dum discipulos allicit, per severiores inde vias progressurus ad crucem, in gloriam. — ἡ μήτηρ τοῦ ἰησοῦ, *mater Jesu*) *Mariae* nomen Johannes nunquam appellat; sed ut ex ceteris evangelistis notum praesupponit. conf. not. ad cap. 6, 67. 7, 42. 21, 2. — ἐκεῖ, *ibi*) ut propinqua vel familiaris.

v. 2. οἱ μαθηταὶ, *discipuli*) Plures jam erant discipuli, quam ii existimasse videntur, qui Jesum et discipulos invitarant; eo celerius consumtum est vinum. sed Jesus uberrime pensat tot hydriis vini, quot circiter comites adduxerat. — αὐτοῦ, *ejus*) Colligi hinc potest invitantium pietas.

v. 3. ὑστερήσαντος, *deficiente*) Quot dierum illae nuptiae fuerint, quoto nuptiarum die Dominus venerit, vinumque defecerit, non constat. — οὐκ ἔχουσι, *non habent*) neogami. Hoc dicit: Velim discedas, ut ceteri item discedant, antequam penuria patefiat. In hunc Mariae sensum responsio Jesu non modo non dura videtur, sed amoris est plenissima.

v. 4. τί ἐμοὶ καὶ σοί; *quid mihi et tibi?*) Aliae sunt tuae, inquit, cogitationes, aliae meae. Similiter exercentur discipuli, c. 6, 6. 13, 7. — γύναι) Non dicit, *Maria:* nec, *mater:* sed *femina;* quae appellatio medium tenebat, et Domino praecipue decora erat, c. 19, 26. fortasse etiam propria. Dominus Patrem super omnia spectabat: ne matrem quidem noverat secundum carnem. 2 Cor. 5, 16. conf. not. ad Joh. 20, 13. Inprimisque huic formulae, *quid mihi et tibi*, non congruebat *matris* appellatio. Graecum tamen γύναι, Synonymo carens, civilius sonat, quam *mulier*, *Weib*, quatenus ab altero *femina*, *Frau*, distinguitur: et *mulier* pro *matre* dicitur Jes. 45, 10. — οὔπω ἦκει) *nondum adest*. Idem verbum c. 4, 47. 8, 42. — ὥρα, *hora*) faciendi, quod innuis, i. e. discedendi. Utique *juvandi* hora aderat.

v. 5. λέγει, *dicit*) Maria nondum viderat miraculum ab Jesu editum: v. 11. sed ex ipsius responso sapienter colligebat, id jam agi. — ὅ τι ἂν λέγῃ ὑμῖν, ποιήσατε, *quodcunque dixerit vobis, facite*) Sentit, illum facturum esse aliquid: totam igitur curationem, sibi incumbentem, ipsosque ministros, Illi delegat. Conf. Gen. 41, 55. ὃ ἐὰν εἴπῃ ὑμῖν, ποιήσατε· *quicquid vobis dixerit, facite.*

v. 6. ὑδρίαι, *hydriae*) latiores, quam altiores. nam *jacebant:* erantque capaces, longae, latae, profundae: ex quibus hauriretur. v. 8. — κατὰ) *ad.* — τῶν ἰουδαίων, *Judaeorum*) qui frequentes habebant lotiones. Non inter Judaeos scripsit evangelista. v. 13. c. 5, 1. — μετρητὰς, *metretas*) 2 Par. 4, 5. LXX, χωροῦσα (בַּת) μετρητὰς τρισχιλίους. Hist. Beli v. 2. σεμιδάλεως ἀρτάβαι δώδεκα καὶ πρόβατα τεσσαράκοντα καὶ οἴνου μετρηταὶ ἑξ. his saturabantur LXX sacerdotes, praeter mulieres et liberos. ib. v. 9. nec dubium, quin magnae reliquiae factae fuerint. Hac analogia XV metretae in Cana, plus CLXXV viris praeter mulieres et liberos, non sane pauciores, potandis sufficere poterant; quibus cibandis artabae 30 sive choenices 1530 et oves 100 opus forent. Notanter dico, *hac analogia:* et mox ad τὸ *plus CLXXV*, non ad *CLXXV*, refero illud, *quibus cibandis:* et inde ipsum *plus* valde amplificatur. Conf. 3 Esr. 8, 22. (20.) Matthaeus Hostus metretas XII docet esse (Francofordiae ad Oderam) nossellas

777⅜: sed metretas 18, nossellas 1166⅔. inde medium pro 15 metretis, erunt nossellae 972.

v. 8. ἤνεγκαν, *tulerunt*) i. e. *hauserunt et tulerunt*. Pulcrum obsequium.

v. 9. ὁ ἀρχιτρίκλινος, *architriclinus*) qui rem omnem in convivio gubernabat; peritus dijudicandi gustus. — τὸ ὕδωρ) Articulus nota subjecti. — οὐκ ᾔδει· ᾔδεισαν, *non norat: norant*) *Ignorantia* architriclini comprobat bonitatem vini; scientia ministrorum, veritatem miraculi. — φωνεῖ, *vocat*) non additur, *ad se*.

v. 10. λέγει, *dicit*) ita, ut audirent, qui aderant. v. praec. — τὸν καλόν, *bonum*) Ergo sponsus posuerat vinum, architriclino judice, sat bonum: sed melius dedit Jesus. — ὅταν μεθυσθῶσι) Simpliciter recensetur oratio architriclini, et consuetudo etiam Judaeorum: ebrietas non approbatur. — τετήρηκας, *servasti*) Loquitur, ut ignarus rei gestae. v. 9.

v. 11. ταύτην, *hoc*) Prima Christi miracula singulari copia proponuntur; quia his nixa fidei initia. [*Et prima quidem miracula, h. l. et* c. 5, 8. Matth. 8, 13. s. *non* manu *fecit sed* verbis; *ut manifestum fieret, virtutem esse divinam. Naturalis quandoque hominibus vis inest, ut manibus eorum labes corporis etiam graviores cedant. Aut aliter se habuit virtus Jesu: qui quando deinceps in sanationibus miraculosis manus extendit aliosve ritus adhibuit; eorum id caussâ factum est, quibus contigit beneficium.* Marc. 7, 33. ss. 8, 23. ss. Harm. pag. 159. ss.] — ἀρχὴν, *initium*) Unde jam existimari posset, secutura plura. — καὶ ἐφανέρωσε, *et manifestavit*) atque ita *coepit manifestare* gloriam suam. Antea non fecerat miracula. [Doctrinam *videlicet praemisit signis*. Signorum *hoc initium ubi fecit, doctrinae initium penes discipulos, hoc ipso miraculo confirmatos, nec non penes alios, per Johannem baptistam atque per ipsum Jesum, quantum satis erat, factum prius fuerat. Joh.* 1. Harm. p. 160.] — ἐπίστευσαν) *crediderunt* amplius. [*coll.* c. 1, 51.] Etiam in nuptiis quaerendus fidei profectus. Dehinc parati erant discipuli ad amplectendum, quicquid facturus et dicturus esset Dominus. — μαθηταὶ, *discipuli*) *Mater* pridem crediderat. Luc. 1, 45.

v. 12. κατέβη, *descendit*) a Cana. — καὶ, *et*) Sancta familia. *Fratres* ponuntur ante *discipulos*. Magna fratrum fuerat praerogativa, si usi essent. [*Hi primo hic loco memorantur; nec jam additur Josephus. Non temere suspiceris,* Josephum *duodecimum inter atque trigesimum annum aetatis Jesu obdormivisse, et* fratres *non liberos Josephi germanos (Jesus enim ut* filius, *ita* primogenitus *plane filius Josephi habitus est), sed Mariae ex sorore nepotes fuisse.* Harm. p. 160.] — οὐ πολλὰς ἡμέρας, *non multos dies*) Assuefecit eos peregrinationi: et instabat iter Hierosolymitanum. v. seq. [*Aperte hac phrasi* (*coll.* Act. 1, 5. 13, 31.) mansio *haec distinguitur ab* habitatione *Capernaitica. Ista praecessit; haec secuta est Johannis traditionem.* Harm. l. c.]

v. 13. τὸ πάσχα, *Pascha*) Circa *Paschata* inprimis foecundum fuit officium Christi.

v. 14. βόας καὶ πρόβατα καὶ περιστερὰς, *boves et oves et columbas*) quorum usus erat in sacrificiis. — καθημένους, *sedentes*) in ipsa negotiatione. [*tanto magis fervente, quod Paschatos festum instabat.* Harm. p. 161.]

v. 15. φραγέλλιον, *flagellum*) Zelus admirabilis. — ἐκ σχοινίων, *ex funibus*) pluribus. sic enim erant olim flagella. Nulla erat autem materia minus damni corporibus afferens, quam haec. Neque dicitur hominibus ictum inflixisse: terrore rem perfecit.

v. 16. τοῦ πατρός μου, *Patris mei*) Admiranda auctoritas. [*Templi omniumque festorum Dominum hac occasione Salvator se demonstravit: itaque non erat, cur mirarentur homines, si vel tum ad finem festi usque non permansit, vel deinceps festa non omnia frequentavit, vel sub initium festi adesse neglexit.* Harm. p. 162.]

Digitized by Google

v. 17. ἐμνήσθησαν, *recordati sunt*) Conf. v. 22. cap. 12, 16. de tempore recordationis. it. cap. 14, 26. — ὁ ζῆλος — καταφάγεταί με, *Zelus — comedet me*) Sic LXX, Ps. 69, 10. Revera hostes Jesum postea ob *zelum domus paternae* interfecerunt. — οἴκου, *domus*) v. 16.

v. 18. τί σημεῖον, *quod signum*) Atqui hoc ipsum erat σημεῖον *signum*, quod Jesus miraculose fecerat. [*Quanto armatorum numero opus fore censes, si omnes emtores et venditores foro aliquo confestim depellendi essent?* V. g. *Et eo mirabilius quidem factum istud fuit, quod Jesus, statim a baptismo, hospes Hierosolymitanis esse necdum desierat.* Harm. p. 161.] Signa signis comprobari postulant. Pari perversitate usi sunt c. 6, 30. Matth. 21, 23. — ὅτι] *quod, quum.*

v. 19. λύσατε, *solvite*) Propter hoc ipsum factum, templi purgati, solverunt postea templum corporis. Matth. 21, 23. 46. 27, 40. 26, 61. *Solvite*, i. e. *si solvetis*; imo *solvetis*. Similis imperativus, Sir. 30, 9. 33, 26. *Mulce filiolum* etc. — τὸν ναὸν, *templum*) Corpus Jesu, resuscitandum, est templum et habitaculum Deitatis. Ergo Jesus est Dominus templi Hierosolymitani, quod erat typus corporis Jesu. — τοῦτον, *hoc*) Non dubium est, quin Jesus id, quod evangelista v. 21. addit, adhibito nutu gestuve, Judaeis non observato, suppleverit. — [1]) ἐγερῶ, *excitabo*) Aptum verbum, de aede lapidea et de templo corporis. Recurrit versu 22. Hoc magnifice dicit: Templo corporis mei facere possum, quod volo: c. 10, 17. s. itaque etiam hoc templo ex lapidibus et lignis facto facere possum, quod volo. Postulantes differt: conf. c. 8, 28. neque tamen in praesenti nulla signa fecit. v. 23.

v. 20. ᾠκοδομήθη, *aedificatum est*) ab Herode M. et deinceps. Vide praeter ceteros Witsium in Misc. T. II. p. 311. — καὶ σὺ, *et tu*) Eo magis videntur sermonem Jesu ad literam accepisse, quia *faber* appellabatur. Marc. 6, 3. conf. Matth. 26, 61. 27, 63. Stupor saepe in malitia proficit.

v. 21. περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος, *de templo corporis*) id est, de templo, quod erat corpus Jesu. Conferatur locutio c. 11, 13.

v. 22. ἠγέρθη, *excitatus est*) Resurrectio, non glorificatio, appellatur, quia per resurrectionem impletum est signum. Conf. ἐγερῶ, *excitabo*, v. 19. — ἐμνήσθησαν, *recordati sunt*) *Fides* et *memoria* mutuam opem praestant, h. l. et c. 12, 16. 16, 4. simul etiam laborant. Matth. 16, 8. 9. Ps. 106, 13. coll. v. 12. — τῇ γραφῇ καὶ τῷ λόγῳ, *scripturae et sermoni*) de templo excitato. Utrumque divinum.

v. 23. ἐν τῇ ἑορτῇ, *in festo*) populo congregato. c. 4, 45. — ἐπίστευσαν, *crediderunt*) ut illi, de quibus c. 8, 30. 12, 42. — τὰ σημεῖα, *signa*) Plura signa ab evangelistis commemorantur facta in Galilaea, quam in Judaea et Hierosolymis. v. 1. et cap. 4, 46. s. Nam in Galilaea fecit plurima, Matth. 11, 20. et quae Hierosolymis facta fuerant, tum erant per se notissima.

v. 24. αὐτὸς] *Ipse.* — οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν, *non credebat semet ipsum*) Non descendit in nimiam familiaritatem cum illis; (LXX Job. 29, 24. εἰ ἐγέλων πρὸς αὐτοὺς, οὐκ ἐπίστευον.) non revelavit eis, quae revelare maturum non erat. [*Revera paschatos festo vel nondum vel vix transacto Urbem reliquit, eo quod homines isti ea jam secum agitabant, quae* c. 5, 16. 18. 7, 1. *apertius eruperunt, neque tum jam tempus erat odium illud subeundi. Haec subsentiens procul dubio Nicodemus* noctu *Eum convenit.* Harm. p. 163.] Antitheton, ἐπί-

---

1) ἐν τρισὶν ἡμέραις, *tribus diebus*] Ab hoc ipso tempore, quo Judaeis in mentem primum venit solvere templum corporis Christi (Marc. 14, 58.) usque ad Ejus resurrectionem, quâ templum Ipse excitavit, etiam eo sensu triduum habetur, si diem unum, et paschalem quidem, in hoc figurato sermone, pro uno anno sumas; connumeratis videlicet praedictionis et complementi annis (qui sunt Dion. 28. et 30). *Harm.* p. 162.

Digitized by Google

στευσαν, *crediderunt*. v. 23. — αὐτὸν) *Ipse*, per se, norat omnes. — γινώσκειν, *nosse*) Saepe Johannes ita ponit verbum γινώσκειν, *nosse*, de Jesu cognoscente, omnia, sine hominis indicio. c. 4, 1. 5, 6. etc.

v. 25. ὅτι) *quia*. — τοῦ ἀνθρώπου· τῷ ἀνθρώπῳ, *homine, homine*) Id de toto hominum genere dicitur: versu praecedente, de singulis, sub eo contentis. — αὐτὸς) *Ipse*, sine alio testimonio. — τί, *quid*) videlicet *perfidia*. omnis homo mendax. Euphemiam habet sermo Johannis. In homine est, quod humanum est: in homine novo est, quod divinum, christianum, spirituale est.

CAPUT III.

v. 1. Ἦν δὲ, *erat autem*) Undecim colloquia Jesu numerantur ab Johanne perscripta: ex his nunc incipit primum. — ἄνθρωπος, *homo*) ex iis, de quibus c. 2. in fine; sed nonnihil melior multis.

v. 2. νυκτὸς, *nocte*) *Nunquam non* recipit Christus ad se venientes. — οἴδαμεν, *scimus*) ego et mei similes, *principes* potius, quam *pharisaei*. c. 12, 42. Huic plurali respondet pluralis v. 7. Antecedens ponitur a Nicodemo. consequens: ideo tecum volui conferre. De coelestibus volebat audire et de sublimibus. v. 12. [*at Jesus ad ima eum principia deducit*. V. g.] — [1]) σημεῖα, *signa*) c. 2, 23.

v. 3. ἐὰν μή τις, *nisi quis*) Sermo indefinitus: quem Nicodemus tamen recte ad se applicat. conf. v. 7. *vos*. Sensus est hic: Tua, Nicodeme, opinio ista de Jesu non sufficit: plane *credas*, oportet, et instituto coelesti, etiam *baptismi*, te subjicias. conf. Marc. 16, 16. Haec necessaria Nicodemo doctrina erat. Ideo Jesus hinc exorsus est; ut Nicodemus quidem ansam dederat. — γεννηθῇ, *genitus sit*) Sub schemate primum id proponitur, sermone arduo, ad Nicodemum de ignorantia convincendum; quod deinde propriis verbis, ubi humiliatus est, ostenditur, v. 15. s. [*coll. 1 Joh.* 5, 1.] Idem hoc loco dicitur, quod Matth. 3. vocabulo μετανοίας *resipiscentiae*. hoc enim non occurrit in toto secundum Johannem evangelio. [*Care* opus fidei *nullo negotio perfici opineris: est enim generatio superna*. Regenerationem *vicissim care difficiliorem justo aestimes: fide scilicet absolvitur*. V. g.] — ἄνωθεν) Coll. v. 2. 7. 11. seqq. 31. ἄνωθεν significat *superne*, unde Filius hominis descendit. — οὐ δύναται, *non potest*) Non satis scierat ipse Nicodemus, quid (v. 2.) dixisset. — ἰδεῖν, *videre*) jam nunc, et post hanc vitam: *videre*, cum fructu. — τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, *regnum Dei*) [*Hoc adspirabat Nicodemus; ignorans tamen, quanti* fides in Jesum *ea in re momenti esset*. V. g.] Hoc videt, qui Christum videt. Unde nativitas, inde agnitio.

v. 4. πῶς) Hoc *quomodo*, et *cur*, saepe obstant fidei. v. 9. c. 6, 52. Nicodemus miratur. v. 7. Bene est, quod simpliciter interrogat. — γεννηθῆναι, *gigni*) Debebat Nicodemus etiam assumere τὸ ἄνωθεν, *superne*. id ille praeterit: ideo ait, δεύτερον, *secundo*. — γέρων, *senex*) non modo *adultus*. Nicodemus itaque senex, sua causa interrogat: et venerat ad Jesum annos multo pauciores habentem. — μὴ δύναται; *num potest?*) Animosius objicit Nicodemus. [*atque ita, ut non multum ab irrisione verba ejus abesse videantur. Hinc responsionem sequentem tum distinctiorem paullo, tum aliquanto etiam magis paradoxam atque sereram Jesus format*. V. g.]

v. 5. ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, *ex aqua et spiritu*) Jesus sermonem magis arduum reddit, ad exercendum Nicodemum, simulque declarat differentiam nativitatis supernae et maternae; et nativitatem supernam definit communione cum *Ipso* et cum *Spiritu:* (nam de se et de Spiritu loquitur etiam versu 11.) conf.

---

1) διδάσκαλος, *magister*] Verum id quidem est: sed nequaquam omne tulit punctum. v. 14. 16. *V. g.*

Digitized by Google

1 Cor. 6, 11. Nemo potest Deo frui sine Filio et Spiritu ejus. *Aqua* denotat *Baptismum* Johannis in Christum Jesum, v. 22. 23. quem baptismum collegae Nicodemi, v. 1. omittentes, consilium Dei spreverant: Luc. 7, 30. cum tamen Judaei assueti essent baptismis. Hebr. 9, 10. Et videtur Nicodemus ipse parum magnifice de Johanne ejusque baptismate sensisse, qui nullum signum fecisset. coll. v. 2. Nec solum communio cum Christo, sed etiam cum *Spiritu* ejus est necessaria. Act. 2, 38. Et quia idem Spiritus Christum glorificat, ideo, aquae mentione mox omissa, solius *Spiritus* mentio fit, ex quo renascamur. neque dicit versu 6. *quod natum est ex aqua, aqua est*. Itaque necessitas regenerationis primario, baptismi secundario hic confirmatur. (conf. simile καὶ, *et*, c. 6, 40. *videns et credens:*) alias exigua spes foret de infantibus sine baptismo obdormientibus. Conf. de *aqua* et *Spiritu*, Tit. 3, 5. — εἰσελθεῖν, *intrare*) Resp. *intrare*, versu praec. Crescit severitas sermonis, coll. *videre*, v. 3. Non potest *intrare*, nedum *videre*. *Intrare* domum debet, qui internam ejus structuram vult *perspicere*. Quod non natum est, neque *oculis* neque *pedibus* utitur.

v. 6. σὰρξ, *caro*) vera: sed et caro mera, spiritus expers, spiritui adversa, ex generatione vetusta. — τὸ γεγεννήμενον, *quod natum est*) Hoc in neutro generalius sonat, et notat ipsa prima stamina vitae novae, coll. Luc. 1, 35. vel etiam universitatem regenitorum, coll. Joh. 6, 37. 39. Postea in masculino dicitur, ὁ γεγεννημένος, *qui natus est*, v. 8. quod maturam nativitatem significat. — πνεῦμα, *spiritus*) Quod genitum est ex spiritu, spiritus est: qui genitus est ex spiritu, spiritualis est.

v. 7. ὑμᾶς, *vos*) te et eos, quorum nomine locutus es. (v. 2.) *vos*, ait Jesus; non, *nos*.

v. 8. τὸ πνεῦμα, *Spiritus*) proprie. nam huic, non vento, (de quo tamen conf. Kohel. 11, 5.) *voluntas* et *vox* est: et ex hoc *nascimur*, et qui ex hoc nascitur, sic est, ut hic. Cum vento non immediate compararetur renatus, sed Spiritus ipse. — ὅπου) *ubi, unde*, et *quo:* supra carnem, terram et naturam. opposita: *caro, spiritus;* terra, coelum; natura, gratia. — πνεῖ, *spirat*) in verbo et sono evangelii. 1 Joh. 5, 6. — ἀκούεις, *audis*) jam nunc quoque, dum me audis. audis in *terra*, vocem spiritus. Conf. *terrena*, v. 12. — πόθεν, *unde*) ex *coelo, superne*. — ποῦ, *quorsum*) in *coelum*. conf. *coelestia*. v. 12. — οὕτως) *ita*, uti Spiritus ipse, quem audis, et tamen ignoras. Quod enim spiritus secundum se facit, id facit etiam in eo, qui natus est e spiritu. Spiritus animat hominem. Homo, in quo spiritus spirat, e Spiritu respirat, et *vocem* spiritûs propagat, *voluntate* per spiritum liberata.

v. 10. ὁ διδάσκαλος, *magister*) *doctor* plurimorum auditorum, veteranus, et ceteris, corruptissimis, aliquantum melior. c. 10, 8. not. Emphasin habet articulus. Nicodemus unus ex omnibus doctoribus Israëlis erat, qui ad I. C. venerat, et cognitionem ejus docere posset Israëlem, et sane doctorem postea Israëlis egit, *Justum* defendens et sententia sua, c. 7, 50. et facto, c. 19, 39. quibus duobus locis evangelista mentionem repetit hujus nocturnae collocutionis. — ταῦτα) *haec*, quae Israëlem divinum faciunt.

v. 11. ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, *amen amen dico tibi*) Ter hoc dicitur Nicodemo. — οἴδαμεν, *scimus*) Non associat sibi Jesus Johannem aliumve hominem: c. 1, 18. 6, 46. Loquitur de se et de Spiritu. Conf. de Filio, v. 32. de Spiritu Sancto, v. 8. 34. c. 16, 13. [*et* c. 5, 30.] — λαλοῦμεν) id demum *loquimur*. — οὐ λαμβάνετε, *non accipitis*) [*per fidem scilicet*. V. g.] Plurale, uti v. 2. *scimus*.

v. 12. τὰ ἐπίγεια, *terrena*) Coelesti sensui Jesu Christi sunt ἐπίγεια *terrena*, quae in terris peragenda, nobis, humi repentibus, maxime videntur coelestia. Totus scripturae stilus est συγκαταβάσεως plenus. Regeneratio est ex coelo, non tamen in coelo: est illa quidem in margine coeli. — πῶς, *quomodo*)

Causa, cur scriptura de multis rebus sileat. — τὰ ἐπουράνια, *coelestia*) interiores rationes regni Dei, v. 3. Sap. 9, 16. Coelestia non tam eloquitur versu 13., quam innuit. — πιστεύσετε, *credetis)* Quo minus aliquid videtur rationi credibile, eo magis saepe coeleste est.

v. 13. καὶ, *Et)* proprie poni perspicies, si interrogationem in versu 12. aliquantisper cogitando in categoricum sermonem mutaveris. Versu praecedenti et praesenti notamur, ut alieni a coelo per nos. Sine fide, sermonibus meis et mihi, inquit Jesus, praestanda, non potestis coelestia intelligere aut assequi. Antecedens pro consequente. Simile καὶ, *et*, c. 12, 35. — οὐδεὶς) *nemo* in terra ortus. Angeli non excluduntur plane, c. 1, 52. Fideles non ascendunt, sed ab ascendente trahuntur post Ipsum, quem in baptismo induerunt. [*Fidei necessitas irrefragabilis.* V. g.] — εἰς τὸν οὐρανὸν, *in coelum*) Potissimum loquitur de coelo divinae majestatis. — εἰ μὴ, *nisi*) Hic, praeterito tempore verbi ἀναβέβηκεν, *ascendit*, in futurum mutato, subaudi ἀναβήσεται, *ascendet*. coll. c. 6, 62. Nusquam clarius ante passionem de ascensione sua locutus est Dominus, quam h. l. et in parallelo, c. 6, 62. ubi pariter ascensionem allegat, tanquam rem multo magis arduam creditu, quam ea erant, quae auditoribus incredibilia videbantur. Magnam omnino duo colloquia, cap. 3. et 6. inter se similitudinem habent; alterumque de ortu, alterum de alimento novae vitae agit, coelestia spirans omnia. Salvatori objicitur τὸ πῶς *quomodo:* ille insistit τῷ πόθεν, *unde*, et ποῦ, *quorsum*. — ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, *qui descendit de coelo*) Filius hominis, humana natura assumta, cum antea ut Filius Dei fuisset in coelo, coepit in terra esse. Idcirco Is unus, inquit Jesus de se, in coelum per se ascendere potest et ascendet. Prov. 30, 4. — ὁ ὢν, *qui erat*) in coelo, et, ante creationem coelorum, *apud Deum*. c. 1, 1. not. Ideo videlicet et descendit et ascendet. conf. plane ἦν, *erat*, c. 6, 62.: sic, ὢν, *qui erat*, c. 1, 18. Frequens ὢν imperfecti temporis. c. 9, 25. 19, 38. Luc. 24, 44. 2 Cor. 8, 9. Sic ὢν hoc loco interpretatur Raphelius in appendice annot. ex Herodoto, p. 682. nec solus.

v. 14. καὶ, *et*) Saepe Christus post mentionem glorificationis suae, mentionem passionis fecit. — μωσῆς, *Moses*) Est haec prima, quae a Domino facta legitur, *Mosis* mentio. — τὸν ὄφιν, *serpentem*) Ut serpens ille fuit serpens sine veneno, contra serpentes venenatos; sic Christus homo, homo sine peccato, contra serpentem antiquum. — ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deserto*) ubi nulla erat alia medicina. — ὑψωθῆναι, *exaltari*) in cruce, coelum versus. c. 12, 32. s. [*Nondum distinctius maturo hoc tempore de crucis passione locutus est Jesus.* v. 16. V. g.] — δεῖ, *oportet*) Ideo enim descendit de coelo.

v. 15. ἵνα, *ut*) Iisdem verbis describitur beneficium Filii, v. 15., et Patris, v. 16. [*Gratia Filii celebratur et Patris amor.* V. g.] Conf. cap. 6, 37. not. c. 10, 28. 29. — ὁ πιστεύων, *credens*) Nunc planiorem sermonem instituit Jesus. *Fides* in salvandis est, quod serpentis erecti *aspectus* in sanandis. — εἰς αὐτὸν, *in eum*) ut exaltatum. Crux, scala coeli. — μὴ ἀπόληται, *non pereat*) ex veneno peccati. — ζωὴν αἰώνιον, *vitam aeternam*) ex regeneratione et fide. Est haec in sermonibus Salvatoris primo quoque tempore facta et hoc primum loco relata mentio *vitae aeternae:* quam ipse ut ex V. T. notissimam praesupponit. c. 5, 39. Vid. Dan. 12, 2. Luc. 10, 25.

v. 16. ἠγάπησεν, *dilexit*) Filius novit Patrem, et Patris amorem; et unus optime testatur. conf. v. 35. — τὸν κόσμον, *mundum*) homines sub coelo, etiam perituros: (coll. δὲ, *autem*, v. 19.) quibus alias iratus erat. v. 36. alias non credentibus, non credere, non esset culpa proprie perniciosa. debebant credere, Filium Dei sua quoque ipsorum causa datum esse: ergo eorum causa datus est. conf. omnino c. 12, 47. Mich. Beckius: *Glossam ego (ita me Deus amat, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui novit, me non mentiri,) ex*

obsessa femina Argentorati Anno 1681 *in xenodochio audiri, per quam Satanas latino idiomate ad dictum illud, quod pro universali dilectione Dei etiam ad miseram illam, cui Salome nomen erat, in mundo adhuc degentem extendenda Satanae objiciebam, iteratis vicibus, cum horrendo mugitu his respondit verbis, fideles sunt mundus.* Disquis. hermen. p. 5. — ἔδωκεν) *dedit*, [*in crucem*, V. g.] vere serioque. Rom. 8, 32. Et Christus dedit se ipsum, Gal. 2, 20., vere serioque. — εἰς αὐτὸν, *in eum*) ut a Deo datum amanter.

v. 17. ἵνα κρίνῃ, *ut judicet*) quamvis homines Deum insimulent hujus rei. *judicare*, est per judicium in perniciem commeritam abjicere.

v. 18. κέκριται, *judicatus est*) Hoc verbum ponitur κατ' ἄνθρωπον, *ad hominem*. Qui non credit, jam habet id, quod Filium Dei suspicatur mundo afferre.

v. 19. ἡ κρίσις, *judicium*) i. e. causa judicii. — τὸ φῶς, *Lux*) Post mentionem vitae, mentio lucis, uti cap. 1. Lux, Christus. v. ss. In v. 19. laudatur Lux hypostatica: postea v. 19. in antitheto ad tenebras, quarum nulla est hypostasis, et v. 20. 21. sermo agit de Luce in thesi indefinite, sed ita, ut in hypothesi, in Lucem hypostaticam praecipue conveniat. — ἠγάπησαν, *amarunt*) non rependerunt amorem amori divino. v. 16. — μᾶλλον, *magis*) Comparatio non plane impropria. Amabilitas lucis eos perculit; sed obhaeserunt in amore tenebrarum. conf. Joh. 5, 35. Similis comparatio, cap. 12, 43. — πονηρὰ, *maligna*) Hoc quiddam deterius est, quam φαῦλα, *prava*. v. 20.

v. 20. πράσσων) ποιῶν, v. 21. Malitia est irrequieta; est quiddam operosius, quam veritas. Hinc verbis diversis notantur, uti c. 5, 29. — ἐλεγχθῇ, *demonstrentur*) coarguantur talia esse, qualia sunt; invito eo, qui male agit. Oppositum: φανερωθῇ, *manifestentur*, v. 21. ἐλέγχω verbum huic loco aptum, ex ἐλη et ἔγκω. nam ὁ ἔλεγχος εἰς φῶς ἄγει τὰ πράγματα. — τὰ ἔργα αὐτοῦ) Scite primum dicitur, *opera sua:* de eo, qui fugit lucem. tum, v. 21. αὐτοῦ τὰ ἔργα, *sua opera:* de eo, qui *se* non pudefactum iri novit.

v. 21. ὁ ποιῶν, *qui facit*) ποιεῖν saepe dicitur de studio continenti ut Latinis: *mercaturam facere* etc. — φανερωθῇ, *manifestentur*) Etiam Nicodemus deinceps egit *apertius*. — ἔργα — εἰργασμένα) Conjugata. — ἐν θεῷ, *in Deo*) in luce, virtute et amore ejus, a quo *veritas* omnis.

v. 22. εἰς τὴν ἰουδαίαν γῆν, *in Judaeam terram*) ex Judaeorum metropoli. [*Non tamen diu commoratus est ibi* (*conf. de verbo* διέτριβε c. 11, 54. Act. 16, 12. 20, 6.), *idque pharisaeorum caussâ, qui minus etiam Jesu, quam Johanni, volebant*. c. 4, 1. Harm. p. 165.] — ἐβάπτιζεν, *baptizabat*) c. 4, 1. 2. Non repellebat Johannes eos, qui ultro veniebant, baptizante Jesu: sed tamen eos jam minus invitabat.

v. 23. αἰνὼν, *Aenon*) ab עין *fons*. — τοῦ) Articulus masculino genere indicium regionis. — πολλὰ, *multae*) Sic postulabat ritus immersionis.

v. 24. οὔπω, *nondum*) Hic evangelista praesupponit, quae ceteri de captivitate Johannis baptistae scripserant. — γὰρ, *enim*) Itaque baptizare desiit Johannes, ut in carcerem conjectus est; non prius.

v. 25. οὖν, *igitur*) Respicitur versus 22. coll. v. 26. — ζήτησις, *quaestio*) modesta; non rixa. — ἐκ, *ex*) A discipulis Johannis movebatur quaestio. — μετὰ ἰουδαίων, *cum Judaeis*) illis, qui non jam Johannem, sed Jesum adibant; quum discipuli Johannis adversum eos contenderent, purificationem esse a Johanne petendam. — καθαρισμοῦ, *purificatione*) a peccatis. Marc. 1, 4. coll. Eph. 5, 26. Verbum Judaeis usitatum. conf. Hebr. 9, 13. 14. 2 Macc. 1, 36. 2, 16. Nomina *baptisma, baptismus, baptista*, nusquam adhibet Johannes, v. 5., sed pro baptismo etiam levitico dicit *purificationem*. c. 2, 6.

v. 26. ἦλθον, *venerunt*) Discipuli Johannis non ita perpetuo cum illo

fuere, ut apostoli cum Christo. — ὃς, *qui*) Non nominant Jesum: loquuntur ut de aliquo longe adhuc minus, quam par erat, noto.

v. 27. οὐ δύναται, *non potest*) Quomodo audeam ego, inquit, homines ad me adstringere? — ἄνθρωπος, *homo*) *ego*, inquit Johannes, *qui homo sum*. — λαμβάνειν, *sumere*) sibi. — οὐδὲν, *nihil*) nedum nomen Messiae [1]). — ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *ex coelo*) h. e. a Deo. Modestiam habet haec metonymia.

v. 28. ἔμπροσθεν ἐκείνου, *ante illum*) *illum*, de quo v. 26. Sic v. 30. Jesum Johannes non aperte appellavit Christum: sed tamen ita de eo locutus est, ut facile agnosceretur.

v. 29. ὁ ἔχων, *qui habet*) quemve sequitur sponsa. Ad Jesum omnes veniunt: hinc liquet, Jesum esse sponsum. vide Canticum Salomonis. — φίλος, *amicus*) Sponso carus, sponsum amans. congruit *Johannis* etymon. *Amici* est, *gaudere*. — ὁ ἑστηκὼς, *qui stat*) tanquam apparitor. — ἀκούων, *audiens*) eum cum sponsa loquentem. v. 32. 34. Haec duo participia sunt pars subjecti; praedicatum, χαίρει, *gaudet*. — φωνὴν, *vocem*) qua praesentiam sponsus testatur. v. 32. Haec *vox* sponsam suaviter trahit. — ἡ χαρὰ, *gaudium*) sine tristitia et invidia.

v. 30. αὐξάνειν, ἐλαττοῦσθαι, *crescere, minui*) ut posthac non ad me, sed ad illum veniant omnes. Jos. 4, 14., גִּדֵּל הֵחֵל Κύριος τὸν ἰησοῦν ἐναντίον παντὸς γένους ἰσραήλ. Incrementum Christi ne mors quidem erat impeditura. quare de morte ejus longe aliter evangelistae loquuntur, ac de morte Johannis.

v. 31. ὁ ἄνωθεν, *qui superne*) Haec usque ad finem capitis videtur attexuisse evangelista, baptistae sensui congruentia. conf. not. ad c. 1, 7. Porro haec propositio, *qui superne venit, super omnes est*, per conjugata illa ἄνωθεν, ἐπάνω, *superne, supra*, evidens, mox declaratur per oppositum, *qui est ex terra*. — ἐπάνω πάντων, *supra omnes*) nobilitate, virtute, sermone. Itaque etiam supra Johannem. Johannes respondet ad illud *omnes*, v. 26. — ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστὶ, *qui est ex terra, ex terra est*) Ploce. prius, secundum naturalem ortum, posterius, secundum indolem et statum; quem sequitur loquela consimilis. Respondet illico antitheton, trimembre item. Non dicitur, *qui venit ex terra;* quia etiam *in* terra erat: dicitur autem, *qui superne venit, qui ex coelo venit*, scil. in terram. nam prius erat in *coelo*. — ἐκ τῆς γῆς ἐστὶ, *ex terra est*) Antitheton, *supra omnes est*. — ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, *ex terra loquitur*) quare eum etiam terricolae facilius audiunt. Non metienda est doctoris praestantia spiritualis ex auditorum lubentia.

v. 32. μαρτυρεῖ, *testatur*) Id multo plus valet, quam, *loquitur*. — οὐδεὶς, *nemo*) Tam ardenter optat Johannes, ut Christus omnia obtineat, ut pro eo, quod discipuli dicunt *omnes*, v. 26. Johannes dicat, *nemo*. conf. c. 12, 38. — λαμβάνει, *accipit*) Forma fidei. *Accipiendum*, non solo corpore *veniendum*.

v. 33. ὁ λαβὼν, *qui accepit*) ut Johannes. — ἐσφράγισεν, *obsignavit*) eo ipso, et quasi subscribit, agnoscit penes sese, et ad alios confessus est, Deum, cujus verbo fidem habet, esse veracem; eique gloriam tribuit. Rom. 4, 20. conf. 1 Joh. 5, 10. Vid. de *obsignatione*, Nehem. 9, 38. Dicitur ὁμολογία *confessio*

---

1) Documentis quamplurimis, *Johannem Christum non esse*, constitit. E. gr. I. Johannes *praecursorem* non habuit, sed ipse praecursorem, qualis Christum Dominum decebat, egit: quare et nativitate et introitu et discessu Christum praevit. II. *Signum* Johannes nullum fecit: permulta, Christus. III. Johannes cum baptismo suo Jordani *adstrictus* fuit —: at, in Judaea, Galilaea et regionibus trans Jordanem sitis omnia Christus illustravit. IV. Johannes per tempus notabile *vinculis* detentus, in carcere tandem trucidatus est: Christus citra captivitatem in mortem usque suam, quin et ligatus, atque ipso praesertim supplicii die, in conspectu mundi, quicquid Eum decuit, fecit et locutus est. V. Johannes *capite truncatus* est: Christi corpus miserabiliter quidem mulctatum, at non discerptum fuit, sed in eo statu conservatum, qui resurrectioni tertio die futurae conveniret. *Harm.* p. 166. a.

Digitized by Google

in Ep. ad Hebr. Metaphora a contractibus. — ὁ θεὸς, *Deus*) cujus verbum est Messiae verbum. v. seq. c. 12, 44.

v. 34. ἀπέστειλεν) *misit*, a se. — οὐ γὰρ ἐκ μέτρου, *non enim ex mensura*) Una est datio Spiritus, Christo facta; sub qua nos continemur, quibuscunque mensura contingit. Eph. 4, 7. Joh. 1, 16. Ut nos possemus mensuram accipere, esse aliquem oportuit, qui caperet et prior acciperet sine mensura, ceteros eodem Spiritu baptizaturus. quin etiam nos olim sine mensura habebimus. 1 Cor. 13, 10. 12. Christoph. Cartwright: Prophetis ad mensuram datum fuisse Spiritum, notant Hebraei. *Etiam Spiritus Sanctus*, inquiunt, *qui manet super prophetas, non manet nisi in mensura. Etiam verba legis, quae data erat superne, non data erant, nisi in mensura.* Mellif. Hebr. ad h. l. Porro, quia Christus Spiritum sine mensura accepit, verba Dei perfectissime eloquitur.

v. 35. πάντα, *omnia*) Vid. v. 29. 36. Christi est et Sponsa (v. 29.) et Vita (v. 36.) — ἐν τῇ χειρὶ, *in manu*) Qui ergo in manum Filii non venit, neque ex manu Filii accipit per fidem; non experitur gratiam Filii. Eadem locutio c. 13, 3. Deinde, *sub pedibus*, 1 Cor. 15, 27.

v. 36. ἔχει, *habet*) Praesens, futuro incluso. vid. ad. c. 5, 24. — οὐκ ὄψεται, *non videbit*) Futurum, quo praesens involvitur. — ὀργὴ, *ira*) Nam non experitur *amorem*, quo Pater amat Filium, et in Filio non nisi credentes. — μένει) Alii μενεῖ. [1]) sed vid. vers. 18. ἤδη κέκριται, *jam judicatus est:* ira Dei *manet* super eum; non opus est, ut demum *veniat*.

CAPUT IV.

v. 1. Ἔγνω, *cognovit*) vel nemine nunciante. — [2]) ἤκουσαν, *audierunt*) Conf. c. 3, 25. s. — οἱ φαρισαῖοι, *pharisaei*) aegre id laturi. c. 1, 24. nam Pharisaei volebant, *sibi* adjungi discipulos. Matth. 23, 15. — πλείονας, *plures*) Vid. iterum c. 3, 26.

v. 2. ἰησοῦς, *Jesus*) Sic *Lat.* ἰησοῦς αὐτὸς, *Graeci* αὐτὸς ὁ ἰησοῦς, *Chrysost.* — οὐκ ἐβάπτιζεν, *non baptizabat*) Baptizare, actio ministerialis. Act. 10, 48. 1 Cor. 1, 17. Johannes, minister, sua manu baptizavit; discipuli ejus, ut videtur, neminem. at Christus baptizat Spiritu sancto [3]) [4]).

v. 4. διέρχεσθαι) In ipso *transitu* res magnas egit. — διὰ τῆς σαμαρείας, *per Samariam*) Admirabilis oeconomia, primo praesertim illo tempore. Quod Jesus postea discipulis interdixit, Matth. 10, 5., ipse hoc loco vitavit. Samaritani ad Eum exierunt, v. 30., nec nisi rogatus, biduum eis tribuit. v. 40. Quin etiam colloquium cum Samaritide ita gubernavit, ut rogatus gratiam ei impertiret. v. 15. *[Simili methodo ad Ethnicos usus est* Matth. 15, 21. *s.* Marc. 7, 24. *s.* Harm. p. 171.]

v. 5. συχὰρ) *Sichem* olim, deinceps una litera mutata, *Sichar*, שכר (secundum Hilleri Onomasticon) *merces*, scil. expeditionis Jacobaeae. Gen. 48, 22.

---

1) *Quae lectio, in margine* Ed. maj. *signo* γ *notata, apertius deinceps in* Ed. 2. *minus firmis adnumerata fuit, consentiente Obs.* Gnom. *et* Vers. germ. E. B.

2) ὁ κύριος, Dominus] *Qui factum sit, ut* ab utrinsque Editionis *margine discedat h. l.* Vers. germ., *nomen* Jesus *appellativo* Dominus *praeferens; mihi quidem haud pronum est judicare. Facilius memoriae lapsum subesse suspicor, quam crisin mutatam.* E. B.

3) ἀλλ' οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, *sed discipuli ejus*] Observare h. l. juvat, qua ratione Salvator sensim discipulos suos ad gerendas ministerii partes induxerit. Prima *baptizandi* provincia fuit (diaconorum quasi more) h. l.: tum *regnum coelorum* annunciare (Matth. 10, 7.): tandem *plenam doctrinam* de Jesu Christo DEI Filio, ejusque passione ac resurrectione usquequaque divulgare tenebantur. *Harm.* p. 170.

4) v. 3. ἀφῆκε, *reliquit*] Discipulos, infirmos adhuc, adversus scandalum, ex Pharisaeorum renitentia oriundum, muniturus. *V. g.*

Digitized by Google

Eo nomine hanc regionem prae terra divinitus promissa Jacobus Josepho legare potuit. Ad hoc etymon alludere videtur versus 36., μισθόν, *mercedem*. Neque enim tale etymon contemnitur. c. 9, 7. — ἔδωκεν, *dedit*) Habitarat ibi Jacob, v. 12., et Josepho ex singulari amore dederat praedium.

v. 6. ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, *ex itinere*) Longum iter pedibus fecerat. — οὕτως, *sic*) uti qualiscunque loci opportunitas ferebat, sine pompa, solus, ut qui non prae se ferret exspectationem Samaritidis, sed merae lassitudinis causa quietem vellet capere. Admiranda popularitas vitae Jesu et communitas; quam ipsam prisci Christiani imitati sunt. Vide *Macar.* Apophth. p. 247. 248., de simplicitate Macarii in consuetudine quotidiana cum aliis. Decebat etiam, ut illo tempore non apertius, sed quasi casu se offerret Christus exteris. Matth. 10, 5. 15, 23. s. Οὕτως, *sic*, declarandum ex verbo, cui adjicitur, uti c. 8, 59. Act. 27, 17. 2 Petr. 3, 4. Sir. 32, 1. καὶ οὕτω κάθισον· *sede sic* in convivio, ut nihil aliud agas. Ita h. l. *ita sedit, sicut sedit*. Chrysostomus explicat, ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε, *simpliciter, ut fit*. — ἐπὶ) *super*: (muro aut pariete septus erat puteus:) vel certe, *prope*. uti Marc. 13, 29. ἐπὶ θύραις, *in foribus*. — ὡσεὶ ἕκτη, *quasi sexta*) Meridies. Causa, cur Jesus esset lassus: cur mulier aquam, discipuli panem peterent.

v. 7. [1]) ἐκ τῆς, *ex*) Constr. cum γυνὴ, *mulier*. — δός μοι πιεῖν, *da mihi bibere*) Ab hac, quae indifferens videretur, compellatione, septima mox colloquii vicissitudine, praecise dum discipuli veniunt, Jesus rem mirabiliter perducit ad summum illud: *Ego sum Messias*, v. 26.: ad quod discendum tam longo tempore usi sunt apostoli [c. 16, 31.] Nempe arbor diutius crescit, quam arista. Sic quoque regium duobus effatis ad fidem perduxit. v. 48. 50.

v. 8. γὰρ, *enim*) Praesentibus discipulis, qui hausissent, Jesus non poposcisset a muliere. [2]) — ἵνα, *ut*) cibos emerent. Postea ad docendum missi, docendi causa non intrarunt oppida Samaritana.

v. 9. πῶς, *quomodo*) Simplicitas aperta elucet ex primis sermonibus Samaritidis. — Ἰουδαῖος, *Judaeus*) Ex vestitu aut dialecto colligebat, Judaeum esse. — οὐ γὰρ, *non enim*) Parenthesis evangelistae, causam exprimens, cur novum id visum sit Samaritidi. Congruit Rabbinicum illud: *Hominis Samaritani panem comedere, vinumque ejus bibere nefas est*. — συγχρῶνται, *simul utuntur*) Non negatur omne commercium Judaeorum cum Samaritis: (collato versu praec.) sed familiaritas.

v. 10. εἰ ᾔδεις, *si nosses*) Ignorantia impedit; sed ignorantiae indicium ostendit clementiam Domini, et desiderium in corde mulieris accendit. — τὴν δωρεὰν, *donum*) *Donum* est aqua viva. — τίς ἐστιν, *qui sit*) Loquitur in tertia persona, modeste. Hujus, qui dicit hoc, est dare aquam vivam. Deinde, *quis sit*, aperit. v. 26. — σὺ ἂν ᾔτησας — καὶ ἔδωκεν ἂν) *tu peteres — et daret*: vel potius, *tu petisses et dedisset*. i. e. non modo non mirareris me petentem, sed etiam tu a me ultro petisses. Pronomen σὺ *tu* hoc demum loco potius, quam cum verbo ᾔδεις *nosses* adhibitum, emphaticam facit oppositionem ad illud αἰτεῖς *petis*. Cum particula ἂν imperfectum tempus Johannes solet ponere, ubi sententia id ipsum postulat. ἐπιστεύετε ἄν, ἠγαπᾶτε ἄν, οὐκ ἂν εἴχετε, ἐφίλει ἄν, ἠγωνίζοντο ἄν, c. 5, 46. 8, 42. 9, 41. 15, 19. 18, 36.: sed aoristus aequipollet plusquamperfecto, οὐκ ἂν ἐτεθνήκει, οὐκ ἂν ἀπέθανε, c. 11, 21. 32.: quanquam

---

1) ἔρχεται γυνὴ, *venit mulier*] Vitae communis opportunitates externae Regni DEI progressibus subserviunt. *V. g.*

2) μαθηταὶ αὐτοῦ, *discipuli ejus*] Non jam tum temporis designati erant οἱ δώδεκα, quos tamen huic itineri credibile est interfuisse. Non duo tantum, sed omnes oppidum intrarunt, cujus rei novitate excitati homines mulieri deinceps eo facilius aures praebuisse videntur. *V. g.*

d by Google

in Ep. 1. cap. 2, 19. ipsum plusquamperfectum ponit, μεμενήκεισαν ἄν. Ambigua ergo videri loca possint c. 14, 2. 28. et hic c. 4, 10. εἶπον ἄν, *dicerem, dixissem:* ἐχάρητε ἄν, *gauderetis, gavisi essetis:* ἤτησας ἄν, ἔδωκεν ἄν, *peteres, daret; petisses, dedisset.* Veruntamen, quia scribere poterat, nec tamen scribit, ἔλεγον, ἐχαίρετε, ἤτεις, ἐδίδου· aoristum pro plusquamperfecto accipimus, quemadmodum etiam cap. 18, 30. extat, οὐκ ἂν παρεδώκαμεν, *non tradidissemus:* Gal. 4, 15. ἐδώκατε ἄν, *dedissetis.* Ait ergo Dominus: *tu petisses* a me, antequam ego dicerem ad te, *Da mihi bibere.* Et, *da mihi bibere*, dixerat, ut mulier e converso ab ipso aquam vivam petere disceret. — ἔδωκεν ἄν) Hoc ἄν pendet a priore particula ἄν in actum deducenda prius. — ὕδωρ, *aquam*) Pari modo Jesus ex *pane* allegoriam sumit, c. 6, 27. s. et ex *luce*, cap. 8, 12. quae in natura sunt prima, maxime simplicia, necessaria, communia et salutaria. — ζῶν) quae est *vivens*, et inde vitam afferens. v. 14. c. 7, 38. Eminentiore sensu dicitur hic *aqua vivens*, quam Lev. 14, 5. מים חיים ὕδωρ ζῶν.

v. 11. κύριε, *Domine*) Antea non appellarat *Dominum:* nunc de Deo pie loquentem, etsi nondum cognitum, sic appellat. v. 15. 19. Sic c. 5, 7. Jesum homo, qui eum ignorabat, *Dominum* appellat. Sentiebant utcunque dignitatem ejus.

v. 12. μείζων, *major*) qui majora postules aut praestare possis. conf. c. 8, 53. — πατρὸς ἡμῶν ἰακὼβ, *patre nostro Jacob*) Sic sibi persuaserant Samaritani: falso. Matth. 10, 5. s. — ἰακὼβ, *Jacob*) qui fuit pastoritiae et aquariae rei peritissimus, et in re familiari felicissimus. — ἡμῖν, *nobis*) in Josepho. v. 5. Sic loquitur ex falsa illa hypothesi de Jacobo patre suo. — ἔπιε, *bibit*) Aqua potius usi patriarchae, quam vino. Hoc dicit mulier: Patriarcha ipse hac aqua contentus erat, nec meliorem aquam requirebat. — καὶ τὰ θρέμματα, *et pecora*) boves et oves. Biberunt utique etiam servi et ancillae, qui fere pecora pascunt. Fuerat igitur puteus abundans et longaevus.

v. 14. οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα, *non sitiet in aeternum*) Ergone is, qui aquam, quam dat Christus, semel bibit, a siti omni liber est? Sane aqua illa, quantum in se est, perennem habet virtutem; et ubi sitis recurrit, hominis, non aquae, defectus est: at aquae elementaris potio sitim subinde ad aliquot tantummodo horas sedare valet. — ἀλλὰ, *sed*) Conf. c. 6, 27. — γενήσεται) Ex aqua *fiet* fons, ut e surculo arbor. Fons non sitit. — πηγὴ, *fons*) Antitheton φρέαρ, *puteus.* v. 11. In fidelibus est vena: Pontifex Romanus non est vena illa, ex qua demum derivanda sit fides, sanctitas, beatitudo, rata functio in ecclesia. — ὕδατος ἁλλομένου, *aquae salientis*) Fidelium ubertas. ἅλλεσθαι, *salire*, de aqua, verbum amoenum. — εἰς, *in*) Omnia ex Deo, *in* Deum. — ζωὴν, *vitam*) Vita aeterna, (de qua conf. v. 36.) confluens talium fontium: imo oceanus. Eo perveniam!

v. 15. δός μοι, *da mihi*) Aquam mulier petit, ut Judaei panem, c. 6, 34. pro corpore sustentando. Jam eo res venit, ut mulier dicat, *da;* cui ante sic dictum erat, v. 7. — ἐνθάδε, *huc*) cum labore. Domi cupit habere illum fontem.

v. 16. λέγει, *dicit*) Nunc aditum facit, ad dandam mulieri roganti aquam, meliorem illà, quam rogarat. — ἄνδρα, *virum*) Mulier videtur putasse, se ideo vocare virum juberi, ut ipsam sublevaret in suscipienda domumque ferenda v. 15. aqua, v. 14. promissa. Jesus autem hoc sermone intimam recludit mulieris conscientiam, et poenitentiam praebet, confessionem elicit. v. 29. Nec prorsus ex abrupto id dicit: sed verba illa, *neque veniam huc*, v. 15. et haec, *veni huc*, v. 16. inter se respondent. In eo loco, quem mulier posthac vitare cogitat, datur ei aqua viva.

v. 17. καλῶς, *bene*) i. e. *vere.* Summa gravitas in sermone Domini cum summa comitate. Plana haec affirmatio prorsus convicit Samaritidem.

Digitized by Google

v. 18. πέντε, *quinque*) Quinque conjugia totam fere mulieris vitam complectebantur: et eorum mentione mulieri plane totam ipsius vitam in memoriam revocavit. — ἄνδρας) *maritos* dicit, ut patet ex opposito subsequenti. Mortuine fuerint omnes, an aliis quoque modis aliquos eorum amiserit mulier, ipsius conscientia a Domino commota dictabat. — οὐκ ἔστι, *non est*) Matrimonium hoc sextum non erat legitimum, vel non consummatum, aut desertio aliudve impedimentum intercesserat, ex altera utra parte. Viro nil dicitur renunciasse mulier versu 28.

v. 19. θεωρῶ, *conspicio*) ex scientia tua de rebus occultissimis.

v. 20. οἱ πατέρες ἡμῶν, *patres nostri*) Mulier scrupulum, quem de religione pridem videtur habuisse, hac occasione illico promit, et a propheta erudiri cupit vehementer. Talibus animis occurrit Dominus. Non semper reprehendenda est desultoria interrogatio. *Patres* mulier dicit non modo majores citeriores, sed etiam patriarchas. Ac contra ipsos Judaeos Samaritae nitebantur antiquitate. Rursum, Judaei provocabant ad patres, c. 6, 31. — τούτῳ, *hoc*) Montem Garizim monstrabat mulier. — προσεκύνησαν, *adoraverunt*) Ad *adorationem* tota religio potest reduci.

v. 21. πίστευσόν μοι, *crede mihi*) Ad Judaeos et discipulos saepe Christus dixit, *dico vobis*. v. 35. Uno hoc loco ad Samaritida, *crede mihi*. Illi magis erant obligati ad credendum, quam haec. Hanc proportionem sequuntur formulae. — ὥρα) *Hora* dicitur, non quod breve sit tempus id totum, sed quod prope sit initium c. 5, 25. 16, 2. — οὔτε, οὔτε, *neque, neque*) Non dicit: *et istic, et hic*; sed, *neque istic, neque hic*. Samaritae non sunt compulsi Hierosolyma, Act. 8, 14. et quid postea opus fuit *Crucialis*? quid opus est *peregrinationibus*? Locorum hic discrimen plane tollitur; cui intenti fuerant veteres. Num. 23, 27. vel 31. vid. 1 Tim. 2, 8. Si discrimen manet, ubivis potius quam Hierosolymis adorandum esse, haec verba innuunt. — προσκυνήσετε, *adorabitis*) vos Samaritani et Judaei. Decore loquitur in secunda persona, non in prima: estque προθεραπεία et quasi correctio sermonis, qui in prima persona pro mulieris captu subsequitur. — τῷ πατρὶ, *Patrem*) Familiarissime ad arcem fidei admittit mulierem. coll. Matth. 6, 9. Antitheton, πατέρες, *patres*. v. 20. 12.

v. 22. ὃ οὐκ οἴδατε, *quod non noristis*) Ostendit, quanta laborent ignorantia, quare etiam addit, τῷ πατρὶ, *Patrem*, quod mulier non addiderat. Quanquam ὃ *quod*, quia in subsequente membro repetitur, non objectum adorationis videtur notare, sed formam. hoc sensu: vos nescitis, qua adoratione utamini; nos scimus, quae sit adoratio nostra. — ἡμεῖς, *nos*) Loquitur, velut Judaeus vulgaris; quia Samaritidi nondum cognitus. — ἡ σωτηρία, *Salus*) Sane! Etymon nominis *Jesu*, quem mulier *Judaeum* appellat, v. 9. Conf. v. 42. — ἐστιν, *est*) Sic enim promissum est: Salvatorem ejusque notitiam fore ex Judaeis, et notitiam ex Judaeis ad alios profecturam. [*Gloriosius ad exteros, quam ad Judaeos, de Judaeis Jesus loquitur*. V. g.]

v. 23. ἀλλ', *at*) Non satis habet Jesus, Judaicam adorationem, cognitionem, religionem, Samaritanismo praetulisse, *sed* hoc amplius ostendit, adorationem non modo ea, quae in *monte* isto, verum etiam ea, quae Hierosolymis fieret, praestantiorem, in proximo esse. — καὶ νῦν ἐστὶν, *et nunc est*) Hoc (versu 21. non additum) nunc additur, ne mulier putet, sibi tantisper sedem in Judaea quaerendam esse. Impletum est mox v. 39. 41. — οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ, *veri adoratores*) v. gr. Samaritani, v. 41. — ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ, *in spiritu et veritate*) Continetur hic testimonium de S. Trinitate. *Pater* adoratur *in Spiritu* sancto, et *in Veritate* per *Jesum Christum* facta. Qui Patrem in *Spiritu et Veritate* ut filii adorant, hi super *locorum* et omnium ejusmodi circumstantiarum rationes collocati sunt. — ζητεῖ, *quaerit*) sunt enim rari. Idem verbum Ez. 22, 30.

by Google

v. 24. πνεῦμα, *spiritus*) *Spiritus* quum dicitur Deus, Ens cogitare debemus non modo a corpore et loco remotum, sed etiam virtutes habens spirituales, veritatem, sapientiam, sanctitatem, potentiam etc. Huic naturae Dei respondere debet nostra adoratio; et Deo vivo munera viva offerri. Ebr. 9, 14. Rom. 12, 1. Profundum et admirabile colloquium cum muliercula vix conspecta. Discipulis non tradidit sublimiora.

v. 25. λέγει, *dicit*) cum gaudio de veritate agnita, et studio ac spe agnoscendae, plene, de Messia ipso. — ὁ λεγόμενος χριστὸς, *qui dicitur Christus*) Hoc addit evangelista, ad interpretandum. Chrysost. ad h. l. *Unde Samaritani Christum exspectabant, cum solum Mosen recipierent? Ex ipso Mose.*

v. 26. λέγει, *dicit*) Properavit totum dicere ante adventum discipulorum. Johannes non audivit colloquium: sed postea, dictante Spiritu, perscripsit. c. 14, 26. — ἐγὼ, *ego*) Nusquam directius ipsis discipulis de se dixit.

v. 27. ἐπὶ τούτῳ, *in hoc*) Opportunissime suppetiit tempus ad collocutionem. — ἐθαύμασαν, *admirati sunt*) Admiratio profectum acuit. — μετὰ γυναικὸς) *cum muliere*, illo loco. — τί ζητεῖς; *quid quaeris?*) Non facile existimabant, Jesum Samaritidi spirituale beneficium exhibuisse.

v. 28. ἀφῆκεν, *reliquit*) vel postea impletura hydriam; vel oblita rerum minorum, prae gaudio; et expeditius cursura. Mulier aquam, Jesus cibum postponit. v. 32. [*Sine mora et spontaneo nisu fides ejusque gaudium ac certitudo etiam in alios fertur ad Bonum repertum adducendos.* V. g.]

v. 29. πάντα, *omnia*) Haec sine dubio explanavit civibus mulier, ingenua confessione, quanquam pleraque etiam prius nota essent. — μήτι, *numquid*) Ipsa non dubitat: sed cives ad cognoscendum invitat, donec dicunt, *vere.* v. 42.

v. 30. ἐξῆλθον, *exierunt*) Prompte assensi sunt mulieri, vel etiam prandium reliquerunt. Alii dedignari potuissent tam facile pedem domo aut porta efferre. [*Et multa sane, quae non sine specie objectarent, habuissent: Istone praecise temporis puncto, eoque ipso loco, Messias pridem exspectatus mulieri tali adparuisse censendus esset?* V. g.]

v. 31. ἐν τῷ μεταξὺ, *interea*) Inter abitum mulieris et adventum Samaritarum.

v. 32. ὁ δὲ, *ille autem*) Supersedit igitur prandio, spirituali ardore famem eximente. —. οὐκ οἴδατε, *non nostis*) Hoc augebat admirationem et discendi ardorem. Dulcissimum aenigma.

v. 34. βρῶμα, *cibus*) quo appetitus meus exsaturatur. — τελειώσω, *perficiam*) Nondum erat in medio actionis tempore Jesus, et tamen jam cogitat *finem.* tam serio egit. Idem verbum, c. 5, 36. De re conf. c. 6, 38. 39. fin. — τὸ ἔργον, *opus*) unum, magnum, quod Israëlitas, Samaritas et Gentes omnes complectitur.

v. 35. τετράμηνος, *quatuor menses*) Oppido pauci libri, τετράμηνον. Τετράμηνος dicitur genere communi, uti δίμηνος, ἕκμηνος, ἑξάμηνος, apud Scapulam in μήν. Etiam Glassius h. l. sic legit. Μετὰ τὴν τετραήμερον, Arist. 3. polit. 11. p. 214. — ἔτι τετράμηνός ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται, *adhuc quatuor menses sunt, et messis venit*) καὶ *et* valet *dum:* uti c. 7, 33. 14, 19. Gen. 40, 13. 19. Jon. 3, 4. Quatuor hi menses sunt, *Nisan* extrema sui parte, *Ijar* totus, *Siran* totus, et *Thammuz* prima sui parte. [*Aprili*, apud nos, *Majo, Junio et Julio respondentes.* V. g.] A messe hordeacea differt triticea, quae absolute *messis* dicitur. Alterius initium erat sub Pascha; alterius, non paulo post, Exod. 9, 25. 31. 32. nempe, in Palaestina, sub Pentecosten Exod. 34, 22. Porro serior messis erat in Galilaea, quam in Judaea: (et sic *serius* Jeroboami festum, 1 Reg. 12, 32. coll. Lev. 23, 34.) et Galilaei erant fere, quibus dicitur, *Nonne vos dicitis?* Denique eo anno, quo haec dicebantur, dies 1 Thammuz erat 13 Junii, valde cito, nam postero anno dies 6 Junii ipsam demum pentecosten, ineunte messe triticea,

Digitized by Google

habebat. Revera igitur *quarto mense* post hunc sermonem triticea Galilaeorum *messis* sat celeriter coepit in mense Thammuz. Adde *Harmon. Evang.* §. 27. [1]) — λέγω ὑμῖν, *dico vobis*) Formula hoc loco indicat, mysticum esse sermonem. Antitheton: ὑμεῖς λέγετε, *vos dicitis*, qui magis externa spectatis. v. 32. fin. — τὰς χώρας, *regiones*) Describuntur Samaritae ad fidem maturi, v. 39. qui in *campo* conspiciebantur. v. 30. Messis naturalis majore, inquit, intervallo instat, quam evangelica.

v. 36. καὶ) *et* jam. Tempus N. T. est messis. — ὁ θερίζων, *is qui metit*) Albedinem regionum sequitur, perbrevi intervallo, ipsa messis. — μισθὸν, *mercedem*) ipsam frugem: magnum operae pretium, magnum *lucrum*. Matth. 18, 15. — λαμβάνει, *accipit*) jam, in praesenti. — καρπὸν, *fructum*) multas animas. — ὁ σπείρων, *seminans*) Sementis in Israël traxit post se messem in Judaea, in Samaria et in toto orbe. — ὁμοῦ, *una*) in eadem *vita aeterna*. non alter sine altero. Hebr. 11, 40.

v. 37. ὁ λόγος, *dictum*) Subjectum, *Dictum verum*. Praedicatum, ἐστὶν, *extat*. Proverbium etiam apud Graecos obvium. — ἄλλος, *alius*) Sapientissime instituta successio est in oeconomia divina. prius quidque sementis est respectu messis secuturae. Unus saepe est sator et messor: sed ob spatium interpositum idem quodammodo fit alter a se ipso. Certe quilibet est sator, respectu successorum; et messor, respectu antecessorum: sed haec differentia maxime spectatur inter ministros V. et N. T. — ἄλλος, *alius*) Noli quaerere, cur non citius venerit Messias. In promtu est responsio. Sementis longo intervallo praecedit: messis cito colligit. Oeconomia divina justas habet moras. conf. Rom. 5, 6. not.

v. 38. ἐγὼ, *ego*) Dominus messis totius. — ἀπέστειλα, *misi*) mittere institui (v. 2.) ad Judaeos, missurus in totum orbem. — ἄλλοι, *alii*) prophetae. — ὑμεῖς) Non dicit, *nos*, sed, *vos*. Christus est Dominus. — κόπον, *laborem*) rem labore partam. Neh. 5, 13.

v. 39. ἐπίστευσαν, *crediderunt*) Mira facilitas. Nondum viderant Jesum. coll. v. 40. Magna virtute [*apud sitientes animas istas, talia prius non expertas*. V. g.] testimonium a muliere datum fuerit oportet.

v. 40. μεῖναι, *manere*) semper, vel certe diu. — ἔμεινεν, *mansit*) Samaritae non leguntur tum baptizati. Neque tum ecclesia solenniter extra Judaeam constituenda erat. Credibile est, multos horum baptizatos esse postea. Act. 8, 16. — δύο ἡμέρας, *biduum*) Semel igitur pernoctavit ibi. Uno aquae viventis haustu instructi sunt ad vitam aeternam. v. 14. Sic quoque Aethiops. Act. 8.

v. 41. αὐτοῦ) *Ipsius*.

v. 42. οὐκ ἔτι, *non jam*) Verus fidei progressus. — αὐτοὶ, *ipsi*) Praeclare Augustinus ad h. l. commentatur: *Primo per famam, postea per praesentiam. Sic agitur hodie cum eis, qui foris sunt, et nondum sunt Christiani. Christus nunciatur per Christianos amicos, tanquam illa muliere, hoc est, ecclesia annunciante. Ad Christum veniunt, credunt, per istam famam: manet apud eos biduo, h. e. dat illis duo praecepta charitatis: et multo plures et firmius in eum credunt, quoniam vere ipse est Salvator mundi.* Patet hinc, quomodo accipi debeat decantatum illud: *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoneret* (al. *commoveret*) *auctoritas*. contra ep. fundamenti, cap. 5.

---

1) *Cujus porro succinctas vindicias qui desideraverit, eum ablegare liceat ad meine* Beleuchtung *der* Ernestischen Erinnerungen etc. §. 29. p. 111. sqq. *et praecipue* p. 116. s. *ubi ex* Harm. ev. *Ed. II. ea recentior* b. Auctoris conjectura *producitur, qua illam messem potius, quae mensem* Nisan, *quam illam quae* Thammuz *sibi vindicavit, sermone Salvatoris innui credidit. Quo pacto hic est verborum sensus:* Vos *discipuli cum reliquis hominibus, semente peractâ,* dicere soletis: adhuc quatuor menses sunt, et messis venit; *enimvero* spiritualem sementem *jamjamque* messis spiritualis *etiam, utut longius protracta, excipit.* E. B.

Digitized by Google

Hoc quippe loco non docet Augustinus, sed Manichaeus adversum tenet. — τοῦ κόσμου, *mundi*) non solum Judaeorum. Fides liberat a studio partium: credunt in Jesum, quatenus est *mundi Salvator*, dimissa gloriatione de patribus. [1]) v. 12.

v. 43. ἐξῆλθεν, *exivit*) Samaritis, ut erant mores eorum, quod ab Judaeis varie abhorrebant, utilis erat abitus Jesu.

v. 44. πατρίδι, *patria*) Praesupponit Johannes, ut rem ex cap. 1, 46. 19, 19. et ex ceteris evangelistis notam, Nazaret fuisse Jesu *patriam:* et hinc infert ex testimonio Jesu, cur in *Galilaeam* indefinite, non in patriam Nazaretam ierit.

[2]) v. 46. ὅπου, *ubi*) Illo ipso miraculo fides in regio accensa. — οὗ ὁ υἱός, *cujus filius*) unicus, ut articulus videtur inferre.

v. 47. ἐκ τῆς Ἰουδαίας, *ex Judaea*) Etiam regius sine dubio viderat vel audierat, quae Hierosolymis fecerat Jesus. v. 45. — καταβῇ, *descenderet*) Cana altiore loco sita erat.

v. 48. ἐὰν μὴ, *nisi*) Innuit Jesus, se etiam absenti reguli filio posse vitam dare; et postulat, ut regulus id credat, neque profectionem Jesum postulet suscipiendam cum ipso sanationem apud lectulum *tenuo*. — ἴδητε, *videritis*) c. 20, 29. — οὐ μὴ πιστεύσητε, *non credetis*) i. e. Morbus filio tuo obtigit, ut locus esset opi miraculosae, qua non conspecta non creditis. conf. c. 11, 4., ubi v. 40. locutio ad regium quodammodo inversa datur: si credis, videbis gloriam Dei. Sensus Judaici in miracula suspensi quidpiam fuerat in regio, qui Judaeus fuisse videtur. Id notatur in secunda plurali. Simul autem miraculum promittitur, fidesque prius etiam desideratur, et dum desideratur, excitatur. conf. c. 10, 37. Responsum externa quadam repulsae specie et tacita opis promissione mixtum congruit sensui rogantis ex fide et imbecillitate mixto.

v. 49. κατάβηθι, *descende*) Duplex imbecillitas rogantis, quasi Dominus necesse haberet adesse, nec posset aeque resuscitare mortuum. Atqui etiam ante, quam descendit parens, vitae restitutus est filius ejus.

v. 50. ζῇ, *vivit*) Antitheton: *priusquam moriatur*. v. 49.

v. 51. ἤδη, *jam*) Festinabat ergo, ut, quae credebat, videret. tamen exercitium fidei duravit in diem posterum. Servis quoque credit, antequam videat. — οἱ δοῦλοι, *servi*) qui et ipsi deinde crediderunt. — ἀπήντησαν, *occurrerunt*) Quia aegrotus tam celeriter convaluerat, cupidi erant cognoscendi, quid contigisset, et herum exhilarandi. Mutuum erat gaudium. Sine dubio dixere servi: Hac hora septima herus noster locutus est cum Jesu. — ζῇ, *vivit*) Iisdem verbis, quae Jesus dixerat, rem nunciant.

v. 52. τὴν ὥραν, *horam*) Quo curatius divina opera et beneficia considerantur, eo plus nutrimenti fides acquirit. — ὁ πυρετὸς, *febris*) Hic morbus alias lente recedit. — κομψότερον, *melius*) Amoenum verbum, de convalescente, puero praesertim. Putabat, superatum duntaxat esse mortis periculum: sed sequitur relatio de febri prorsus extincta.

[3]) v. 54. [4]) δεύτερον, *secundum*) Fecerat Hierosolymis signa, c. 2, 23. Hoc igitur *secundum* est, quod fuit in Galilaea, quum eo venisset ex Judaea. [*Haec nimirum Johannis methodus est, ut per* ternarium *incedat*. Tria *signa*

---

1) *Clarius huic Obs. congruit* Vers. germ. *cum* Ed. maj. *N. T. lectionem* ὁ χριστὸς *omittens, quam* Ed. 2. gr., *quae additamentum* ὁ χριστὸς *lectori dijudicandum permittit*. E. B.

2) τιμὴν οὐκ ἔχει, *honorem non habet*] Non de honore suo Jesus, sed de hominum salute sollicitus fuit. Jesum vilipendens quî possit salvari? *V. g.*

3) ἑβδόμην, *septimam*] Proxime a meridie. Neque regium neque servos ejus cunctatos esse credas: itaque longâ iste viâ ad Jesum profectus erat. *V. g.*

4) v. 53. καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη, *et domus ejus tota*] Tali nuncio quid cogitari queat suavius! *V. g.*

Digitized by Google

refert in Galilaea *peracta: primum, in nuptiis* c. 2., *secundum, in regii filio*, A. l.; *tertium, in cibatione* 5000 *virorum*, c. 6.: Tria *itidem* in Judaea: *primum, Pentecostes festo, in aegroto ad Bethesdam*, c. 5.; *secundum, post Scenopegiam, in coeco*, c. 9.; *tertium, in Lazaro defuncto, ante Pascha*, c. 11. *Sic et post Ascensionem* tres *omnino apparitiones descripsit, quibus discipulis se exhibuit Salvator.* c. 21, 14. Harm. p. 174. s.]

CAPUT V.

v. 1. Ἑορτὴ, *festum*) Pentecosten agnoscunt Epiphanius, Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, Theophylactus, Harmonia vetus evangelica ab Ottomaro Luscinio edita, Lyranus, Stapulensis, Erasmus in paraphrasi, Maldonatus, Calvinus, Piscator, Bullingerus in Act. p. 4. conf. Hunnium et E. Schmidium, nec non Brochmandum Syst. T. I. fol. 339. Add. Pflacher. Et *pentecosten* hanc fuisse, evici, ut spero, in *Ordine temporum*, p. 252. [*Ed.* II. p. 219.]

v. 2. ἔστι, *est*) Scripsit Johannes ante vastationem urbis. *Est*, inquit, non *erat*, piscina. Tum etiam loci in templo, gazophylacii, memoria supererat apud auditores, cap. 8, 20. Congruunt ex veteribus ii, qui hunc librum annis XXX, XXXI, XXXII post ascensionem Domini editum scribunt. — ἐπὶ τῇ προβατικῇ) Multi subaudiunt πύλῃ· occurritque sane ἡ πύλη ἡ προβατικὴ Nehem. 3, 1. 32. 12, 39. sed quum multa in libris V. T. portarum Hierosolymis, portarum Romae in historia Romana mentio fiat, tamen nusquam rarove omittitur nomen πύλη, *porta*. Nonnus, ἐν ἐνύδρῳ προβατικῇ· ubi προβατικῇ, penultima producta, substantivi instar est. Camerarius subaudit χώρᾳ, vel simile quidpiam. Ita Chrysostomus l. 2. de Sacerd. c. 4. §. 120. τὴν ποιμαντικὴν dicit, quod nos *Das Pastorat*. Credibile est, portae ovium vicinam fuisse piscinam aeque per se ab ovibus dictam: saepe enim oves in piscina lavantur. Cant. 4, 2. Sic aequipollent κολυμβήθρα ἐπὶ τῇ προβατικῇ, quod Graecus habet Textus, ordine verborum eleganter variato, et κολυμβήθρα προβατικὴ, ut versiones et patres exponunt. Nostro sermone, illud, *ein Teich bey der Schaefferey:* hoc, *ein Schaf-Teich*. — κολυμβήθρα, *piscina*) Circa balnea frequens θεῖον, aliquid divinae opis, est. — ἑβραϊστὶ, *Hebraice*) Non igitur Hebraice scriptus est hic liber. Alias hoc adverbium redundaret. Hellenistae erant igitur, quorum in gratiam Johannes Graece scripsit et fortasse Hierosolymis hunc librum in Asiam misit. conf. c. 1, 39. 42. 43. c. 9, 7. — στοὰς, *porticus*) ab infirmis, vel horum causa, structas apud piscinam.

v. 3. κατέκειτο, *decumbebat*) Ergo multi ibi erant toto tempore: hic certe aeger, quem Dominus sanavit. neminem enim habebat. v. 7. — κίνησιν, *motum*) quo limus excitabatur.

v. 4. ἄγγελος, *angelus*) Multis sine dubio res illa visa est mere naturalis; quia fiebat κατὰ καιρόν. — κατὰ καιρὸν, *temporibus quibusdam*) num per intervalla aequalia? num circa *pentecosten* praecipue? quis scit? — κατέβαινεν, *descendebat*) Praeteritum. Desierat ergo hoc phaenomenon, antequam Johannes scripsit. — ἐταράσσετο, *turbabatur*) Passivo verbo exprimitur phaenomenon in omnium oculos incurrens, quamvis actionem angeli ignorarent. — πρῶτος, *primus*) Habenti dabitur.

v. 6. κατακείμενον, *decumbentem*) Videtur jam non solitus fuisse conari, ut alios anteverteret. — γνοὺς, *sciens*) nemine indice. — λέγει, *dicit*) ultro. Christus et ansam petendi auxilii praebet et ipsam opem.

v. 7. ἀπεκρίθη, *respondit*) De voluntate sanitatis recipiendae nil respondet. Quo certior et propior spes est, eo major est voluntas: spe exili, voluntas sopitur. — οὐκ ἔχω, *non habeo*) Erat homo valde inops, et, ut videtur, rudis. v. 11. not. — βάλῃ, *mittat*) celeriter arreptum, leniter demittat. — πρὸ ἐμοῦ, *ante me*) Amoris fuerat, ut caeteri aegroti uno consensu huic tandem primas concede-

rent: sed omnes avidi sanitatis. *[Utinam tanta esset animae sanandae cupiditas!* V. g.]

v. 8. ἔγειραι, *surge*) Jesus aegrotum non inscensa piscina sanat. Major igitur angelo. — ἆρον, *tolle*) Hoc opus, die sabbati magis conspicuum, pertinebat ad majorem Dei gloriam in Jesu Christo. [*nec non ad errorem de* Sabbato, *Judaeis, doctoribus praesertim, eximendum.* Harm. p. 182.]

v. 10. ἔλεγον, *dicebant*) Interpellatio intempestiva.

v. 11. εἶπεν, *dixit*) et vero, ut factum ostendit, dicendi jus habuit. Cum sanitate agnitionem Jesus dedit homini.

v. 13. οὐκ ᾔδει) *nesciebat*, grabato ferendo intentus, et judaica interpellatione districtus. — ἐξένευσεν, *declinavit*) LXX pro סוּר et נטה ponunt. Jesus fugit strepitum. Matth. 12, 16. s. — ὄχλου, *multitudine*) *Multi* testes erant sanationis.

v. 14. μετὰ ταῦτα, *postea*) vel eodem vel alio die sabbatove. — ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*) Qui diu aegrotarat, eum societas cultus divini publici multo plus movet, quam ceteros. — μηκέτι, *ne posthac*) Antea igitur peccarat ille homo: neque magno posthac peccandi periculo carebat. Conf. cap. 8, 11. Admonitio haec, aliquo post sanationem intervallo, jam magis necessaria erat. — χεῖρόν τι, *pejus quidquam*) gravius quiddam, quam infirmitas vel XXXVIII annorum. — γένηταί, *accidat*) nova, eaque majore, ira Dei.

v. 15. ἀνήγγειλε, *renunciavit*) Morem voluit gerere Judaeis, qui rogarant: v. 12. nec tamen mala mente ad illos retulit. nam quum versu 11. dixisset ὁ ποιήσας με ὑγιῆ, *qui me sanum fecit*, et εἶπεν, ἆρον, *dixit, tolle*, quorum *illud* favorabile erat, *hoc* odiosum videri poterat; cumque Judaei *horum* alterum arripuissent potius v. 12.: ipse *illud* potius reponit hoc versu.

v. 16. ἐδίωκον) *conabantur pellere.* — καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι) Hoc recentiores ex versu 18. huc intulerunt [1]). *Persecutioni* proprie dictae opponitur *conatus occidendi.*

v. 17. ὁ πατήρ μου, *Pater meus*) Quo sensu Jesus dixerit, *Pater meus*, melius intellexerunt vel ipsi Judaei, v. 18. quam Photiniani. Ponitur hic summa sermonum Jesu, quos Johannes deinceps commemorat: inprimisque observanda sunt eloquia illa, quae Jesus interdum ultro tanquam themata sermonum uberiorum proposuit, v. gr. c. 6, 27. 7, 37. 8, 12. — ἕως ἄρτι, *hucusque*) inde a creatione, sine intervallo sabbati. Nam sabbato non tenetur: perpetua quiete non caret. Si non operaretur, ubi esset ipsum sabbatum? — ἐργάζεται, *operatur*) Excellens oratio de divinis *operibus.* — κἀγὼ, *et ego*) Pater non sine Filio: Filius non sine Patre, v. 19. Haec Propositio est, quae explicatur a v. 19. ad 30. (unde versus 19. repetitur versu 30.) confirmatur et vindicatur v. 31. ss.

v. 18. διὰ τοῦτο, *propter hoc*) propter quod debuerant acquiescere. Apologiam ipsam in majus crimen vertunt. — μᾶλλον, *magis*) Gradatio: modo persequebantur; nunc amplius quaerunt occidere. — ἔλυε, *solveret*) facto, v. 8. et dicto v. 17. — ἴδιον· ἴσον, *proprium*: *parem*) *Proprii Patris proprius Filius.* Rom. 8, 32. Solus unigenitus potest dicere, *Pater meus*: de solo unigenito dicit Pater, *Filius meus.* Non solum Patris Filiique nomina saepissime repetiit Jesus, sed etiam intimam Patris ac suam aequalitatem unitatemque commemoravit. *et ego:* v. 17. *unum sumus* etc. c. 10, 30. 38. Haec omnia conjunctim exagitarunt Judaei. — ἔλεγε, *diceret*) Revera dixit Jesus, quod eum dixisse existimabant [2]) Judaei: sed id misere pro blasphemia habuerunt.

---

1) *Itaque incisum istud et margo* Ed. 2. *firmius quam* Ed. maj., *sequestravit, et plane omisit* Vers. germanica. E. B.

2) Quemadmodum scil. duo homines, quorum alter alterius pater est, naturae sunt aequalis: ita Unus ille, cujus *proprius* Pater est summus DEUS, et qui summi DEI *proprius* est Filius, DEO aequalis est. *V. g.*

v. 19. ἀμὴν ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, *amen amen, dico vobis*) Haec affirmatio ter adhibita in hoc sermone. v. 24. 25. — ἀφ᾽ ἑαυτοῦ οὐδὲν, *a se ipso nil*) Hoc gloriae est, non imperfectionis. *non potest fieri, ut Filius faciat aliquid a se ipso*, aut, *ut* judicet, velit, testetur doceatve *quicquam seorsum a Patre*, v. 30. s. c. 6, 38. 7, 16. 17. 28. 12, 49. 14, 10. aut ut ei credatur, isque cernatur seorsum a Patre, c. 12, 44. Haec ex intimo sensu unitatis naturalis et amorosae cum Patre profecta sunt. Defendit Dominus, quod fecerat opus in sabbato, Patris sui exemplo, a quo non discedat. Sic de Spiritu Sancto, c. 16, 13. ubi etiam simillimum huic loco sequitur antitheton. At diabolus ex propriis loquitur: c. 8, 44. et falsi doctoris est in *suo* nomine venire, et ex *suo* corde loqui aut facere. c. 5, 43. Num. 16, 28. 24, 13. — ταῦτα) *haec* omnia et sola. [*nulli prorsus vituperationi obnoxia.* V. g.] — ὁμοίως) *similiter*, illico.

v. 20. φιλεῖ) Qui *amat*, nil celat. — δείκνυσιν, *ostendit*) in coelo. conf. βλέπῃ, *videat*, v. 19. Ostendit, ut idem faciat. Haec ostensio est intimae unitatis. Conferunt huc locum Psalmi 45, 5. *DOCEBIT te res stupendas dextera tua.* — αὐτὸς) *Ipse.* — δείξει) *ostendet*, faciendo. Simul Pater ostendit et facit, et Filius videt et facit; non diversis temporibus. — ἔργα, *opera*) Jesus saepius *opera* appellat quam *signa*, quia in Ipsius oculis non erant miracula. — ἵνα) *usque eo, ut.* — ὑμεῖς, *vos*) Qui nunc odistis, cum admiratione et fide honorabitis. Id factum inprimis sub resuscitationem Lazari. [*Joh.* 11, 43. 45.]

v. 21. γὰρ, *enim*) Declarat, quae sint *majora* illa opera: *vivificatio* et *judicatio*. Ex potestate *judiciaria* fluit *arbitrium vivificandi* quosvis quovis tempore. expende γὰρ *enim* v. 22. Sed *vivificatio* mortuorum est argumentum potestatis *judiciariae*, in oculos nondum incurrentis. expende γὰρ *enim* v. 21. adeoque *vivificatio* prae *judicatione admirationem* movet. Proponuntur haec duo, *vivificatio* et *judicatio*, versu 21. 22. et, inverso per χιασμὸν ordine, tractatur versu 24. exemtio fidelium a judicio, quae ipsa *judicium* praesupponit; versu 25. tractatur *resuscitatio* quorundam mortuorum, ita *admiranda*, ut hanc tamen *admirationem* exsuperet resuscitatio universalis. v. 28. — ἐγείρει, *suscitat*) Sermo bimembris hoc valet: *Quemadmodum Pater suscitat mortuos* (quos vult) *et vivificat*: *ita etiam Filius* (suscitat mortuos) *quos vult* (et) *vivificat*. — νεκροὺς, *mortuos*) corpore. nam corporis mors proprie opponitur morbo: v. 5. et vita aeterna, in quam intratur per resurrectionem corporis, opponitur *judicio* v. 22. — οὓς θέλει, *quos vult*) Nunquam ejus voluntatem destituit effectus. Sententia universalis, uti v. 22. 23.

v. 22. οὐδὲ, *neque*) Pater non judicat solus, nec sine Filio: judicat tamen. v. 45. Act. 17, 31. Rom. 3, 6. Neque obstat h. l. verbum δέδωκε, *dedit*. coll. v. 26. cum v. 21. — γὰρ, *enim*) Quos vivificare *velit*, *judicio* suo decernit Filius. [*Et eum in finem resuscitantur mortui, ut judicentur.* V. g.] — οὐδένα, *neminem*) Huc ref. πάντες, *omnes*. v. seq.

v. 23. πάντες, *omnes*) Rom. 14, 11. — τιμῶσι, *honorent*) vel libenter, judicium effugientes per fidem: vel inviti, judicis iram sentientes.

v. 24. λόγον μου, *verbum meum*) Sermo bimembris hoc valet: *Qui* (verbum ejus, qui misit me, et) *verbum meum audit, et credit* (mihi et) *ei qui misit me*, etc. — ἔχει, *habet*) Jeremias patriarcha Constantinop. in literis ad Tubingenses: *Habet vitam aeternam, et in judicium non venit. vides? statim hanc habet, non autem, habebit.* Congruit μεταβέβηκεν, *transcendit*. De non credente: *jam judicatus est*. c. 3, 18. — ἐκ — εἰς, *ex — in*) Ingens *saltus*.

v. 25. οἱ νεκροὶ, *mortui*) proprie, corpore, ut Jairi filia, juvenis in Nain, et Lazarus: c. 11, 23. ss. qui posteaquam haec dicta fuerant, resuscitati sunt. coll. Matth. 27, 52. s. Sequitur gradatio, *omnes*: v. 28. ubi non repetitur, *hora*, tempus, *praesens*. [— *additur autem* sepulcrorum *mentio, quae, cum Jairi filia et*

d by Googl

juvenis nondum fuerint in sepulcro, h. v. omissa est. V. g.] — ἀκούσονται) Medium: v. 28. rarum.

v. 26. ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, *habere in se ipso*) c. 1, 4.

v. 27. ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου) Nullus additur hoc loco articulus. *quia filius hominis est, judicandi potestas ei data est.* Hic homo homines salvat: hic homo homines judicat. Dan. 7, 13. s. Act. 17, 31. Hebr. 2, 5. ss.

v. 28. μὴ θαυμάζετε τοῦτο, *nolite mirari hoc*) Magna sunt, quae inde a v. 21. dixit, et miranda: sed majora et magis miranda sunt, quae sequuntur. τοῦτο *hoc* refertur ad antecedentia. Norat Jesus admirationem, quae modo extiterat in corde Judaeorum. — ὥρα, *hora*) Vid. ad cap. 4, 21. — φωνῆς, *vocem*) 1 Thess. 4, 16.

v. 29. ἀνάστασιν ζωῆς) *resurrectionem vitae*, vitalem. [1] [2])

v. 30. ποιεῖν, *facere*) Subaudi, *et judicare*. — καθὼς ἀκούω, *sicut audio*) a Patre. Conf. v. 19. *videat*. (c. 16, 13.). — κρίνω, *judico*) Subaudi, *et facio*. — ἀλλὰ τὸ θέλημα, *sed voluntatem*) justam.

v. 31. ἐὰν ἐγὼ) *si ego* solus. Conditio impossibilis, coll. cap. 8, 16. 13. s. — ἀληθὴς) *verum* testimonium: i. e. firmum, irrecusabile.

v. 32. ἄλλος, *alius*) de quo v. 37. Pluralitas personarum. conf. *ille, huic*, v. 38., et *alium*, de Spiritu S. cap. 14, 16. — μαρτυρεῖ, *testatur*) in praesenti cap. 8, 18.

v. 33. ὑμεῖς, *vos*) Ostendit, quomodo Judaei spem suam ubivis potius, quam in ipso Christo figere laborent. I. Vos, inquit, suspicati, Johannem esse Messiam, misistis ad illum, de veritate percontantes: et sane Johannes, occasione illa ipsi data, testatus est veritati, non se, sed me esse Messiam. sed etc. II. Vos iidem putatis, vos in Scripturis habere vitam aeternam, nec quidquam praeterea opus esse; ideo illas scrutari amatis: neque id immerito; nam sane illae sunt, quae testantur de me. sed etc. Hic et de Johanne et de Scripturis Dominus comprobanda comprobat, sed demonstrat admixtum Judaeorum errorem et abusum, majoremque suam suique Patris auctoritatem per se esse, Johannis autem et Scripturae testimonium de se, Christo, subsidiarium quiddam esse, protestatur. Observanda eadem utriusque periochae figura:

v. 33. ss.	v. 39. s.
vos:	*vos:*
et testatus est:	*et ... quae testantur:*
ego vero ...	*gloriam*
sed:	*sed ...*
voluistis ad horam	*non vultis.*

nec dissonat periocha de Mose, v. 45—47.: *Vos in Mosen habetis spem collocatam: sed idem a me est contra vos.*

v. 34. παρὰ ἀνθρώπου, *ab homine*) vel si Johannes sit. [*Non huc res deferenda demum est. Ego quicquid sum, id sum citra humanae auctoritatis beneficium.* V. g.] — τὴν μαρτυρίαν, *testimonium*) honorificum, (coll. v. 41.) de me, erga vos. — ταῦτα, *haec*) de Johanne. — ἵνα, *ut*) Voluntas seria de salute hominum. — ὑμεῖς, *vos*) qui Johannem magni fecistis. Antitheton: *ego*. vestra res agitur.

v. 35. ὁ λύχνος, *lychnus*) Articulus amplificat, et innuit praedicta in V. T.

---

1) τὰ φαῦλα, *prava*] Scire aves, vitaene an judicii in resurrectione partes tuae futurae sint? Praxin itaque tuam, bona sit an mala, percontare: at non ex tuo ingenio, sed ex rei veritate rationes exigere memento. *V. g.*

2) ἀνάστασιν κρίσεως, *resurrectionem judicii*] Incommodum foret, *resurrectionem mortis* appellare: attamen *vitae resurrectioni* opponitur. Itaque resurgent quidem peccatores, sed *ex morte ad mortem*. Non *regeneratio* erit eorum resurrectio, sed abortus. *V. g.*

Digitized by Google

de Johanne. conf. Sir. 48, 1. καὶ ἀνέστη ἠλίας ὁ προφήτης ὡς πῦρ, καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ ὡς λαμπὰς ἐκαίετο. Ceteroqui haec appellatio tenuis est, ad Christum ipsum. — καιόμενος, *ardens*) vehementer, (conf. Sir. l. c. de Elia) et celeriter deflagrans. — καὶ φαίνων, *et lucens*) καὶ *et* notat concomitantiam: dum arsit, luxit; non ultra. — ἀγαλλιασθῆναι, *exsultare*) sine luctu poenitentiali, sine accessu ad me ipsum. Verbum exquisitum. Johanne utendum erat, non fruendum. Judaei habuere medium illud pro fine. Vehementer falsi sunt, qui in Dei verbo ac ministris, sensuum duntaxat externorum aut internorum fructum, ac non Christum ipsum, quaerunt. [— *qui, quum donis ministrorum delectantur, religiosi sibi ac devoti videntur, nec tamen sequuntur istorum institutionem.* V. g.] — ἠθελήσατε πρὸς ὥραν, *voluistis ad horam*) Voluntas vestra non fuit diuturna. — φωτὶ, *lumine*) Splendore, non ardore ejus, capti eratis. — αὐτοῦ, *ejus*) sine progressu ad me, Lucem, *laetitiae* fontem. c. 8, 56.

v. 36. μείζω τοῦ ἰωάννου) *majus*, eo testimonio, quod mihi Johannes dedit. Lychnus orto soli non foenerat lucem. — τελειώσω, *perficiam*) faciam, usque ad τέλος *finem*. — αὐτὰ τὰ ἔργα, *ipsa opera*) Apta et emphatica iteratio.

v. 37. αὐτὸς) *Ipse*, ultra opera. — μεμαρτύρηκε, *testatus est*) Praeteritum. Testimonium illud memoratur c. 1, 33. — οὔτε, *neque*) Versu 36. et 37. init. describitur testimonium de Jesu Christo: versu 37. fin. et 38. describitur Judaeorum infidelitas. — εἶδος αὐτοῦ, *speciem ejus*) Congruit hoc cum capite 1. Ezechielis, ubi copiose describitur *species* similitudinis gloriae Domini, *visa* Ezechieli, qui mox etiam *audivit vocem* Dei. [v. 28.] Idque totum caput erat Haphtara festi versu 1. notati. [*Non ut prophetae* (*v. g. Ez.* 1, 28.), *nedum ut Christus, unquam viderant audierantve. Conf.* Joh. 1, 17. 6, 46. Not. crit. *et* V. g.]

v. 38. ὅτι, *quia*) Itaque, qui credunt, audiendo Filium audiunt Patrem, c. 6, 45., et videndo Filium vident Patrem, c. 14, 9., quamvis antea non audierint neque viderint, c. 1, 18.; et Verbum Patris, idem quod Verbum Filii, habent in sese manens.

v. 39. ἐρευνᾶτε, *scrutamini*) *Hafenrefferus* in editione N. T. Graeco-Latini: *Inquiritis Scripturas*. Cavit, ne quis *scrutamini* pro imperativo acciperet. Ex antiquis indicativum agnoscit etiam *Athanasius* in illud, *Profecti in pagum*. T. I. f. 989. et *Nonnus*. quare *Cyrillus* non debuit vereri, ne ipse solus ita explicasset aut explicaturus esset. Brentius *magni judicii* interpretes esse ait, qui indicativum statuant: et hunc certe confirmat tota orationis structura, coll. v. 33. seqq. maximeque illud: *quia vos existimatis*. Approbat Jesus scrutinium scripturarum, quo non carebant, illo ipso festo multa publice legentes; perinde uti legationem ad Johannem, v. 33., et existimationem de Mose, v. 45.: sed nil horum per se sufficere, addit. Quare nihil damni habet haec explicatio: et aeque saltem diligentes *scrutatores scripturarum* esse solent, qui indicativum, (a Zeltnero et Walchio novissime agnitum,) ac qui imperativum statuunt. Hoc *Scrutamini et non rultis venire* per synonyma reddidit Paulus 2 Cor. 3, 15. 16. Postulavit aliquis, ut proferrentur similia exempla secundae pluralis indicativi, periodum inchoantis. vide ergo c. 7, 28. 12, 19. Matth. 22, 29. 24, 6. 27, 65. 2 Cor. 8, 9. Jac. 4, 2. s. Vicissim imperativus cum ὑμεῖς *vos*, Matth. 28, 5. Marc. 13, 23. Extat imperativus, *scrutamini*, Jes. 34, 16. Poterant illo tempore auditores Jesu Christi, (etiam *Johannis*, propheta majoris, non audito testimonio, *scripturis*que non lectis,) ex solo Jesu Christi sermone, fidem haurire. — τὰς γραφὰς, *scripturas*) Mosis, v. 46., et prophetarum. — ὑμεῖς, *vos*) Hoc jungitur potius cum verbo *existimatis*, quam cum *scrutamini:* continetque elenchum et quasi per anaphoram ponitur, coll. v. 33. not. Sic quoque, *vos*, v. 45. — δοκεῖτε ἔχειν, *videmini habere*) Antitheton: ἵνα ἔχητε, *ut* revera *habeatis*, v. 40. Affine

illud: *spem in Mosen collocatam habetis.* v. 45. — ἐν αὐταῖς, *in eis*) Hoc solo, quod eas scrutamini, putatis vos vitam habere. — ζωὴν, *vitam*) Cur negas, Sociniane, antiquis notam fuisse spem vitae aeternae? — καὶ ἐκεῖναι — καὶ οὐ θέλετε, *et illae — et non vultis*) Duplex epicrisis: altera approbat Judaeorum scrutinium et spem; altera, defectum eorum ostendit. ἐκεῖναι *illae* τῷ αὐταῖς *eis* subjunctum, vim aliquam removendi habet. Propius in Christo, quam in Scripturis, vita habetur.

v. 40. ἐλθεῖν, *venire*) pro eo ac *testimonium Scripturarum* de me postulat [1]).

v. 41. [2]) παρὰ ἀνθρώπων, *ab hominibus*) etiam ab iis, per quos Scriptura scripta est. conf. v. 34., de Johanne, prophetis majore, a quo tamen Jesus testimonium non accepit.

v. 42. ἔγνωκα ὑμᾶς, *cognitos vos habeo*) Hoc radio penetrat corda auditorum. Hoc dicit: *nori* Patrem, v. 32., et *cognovi* vos ab illo alienos. Hoc cum magna miseratione dixit Jesus. Non mea, sed vestra, inquit, causa doleo. — ἀγάπην, *amorem*) quo cognoscor, ut Filius amoris paterni, v. 20., et qui vos doceret gloriam a Deo solo quaerere. [*Non dignoscuntur ab alienis divina, nisi hoc amore.* v. 43. V. g.] — ἐν ἑαυτοῖς, *in vobis ipsis*) Hoc emphasin habet, et causam continet, cur Judaei debeant remitti ad homines in scriptura de Christo testantes.

v. 43. οὐ λαμβάνετέ με, *non accipitis me*) per fidem. — ἄλλος, *alius*) quivis pseudochristus, et antichristus. A tempore veri Christi ad nostram aetatem LXIV Pseudomessiae numerantur, per quos decepti sunt Judaei. vid. Joh. Jac. Schudt *Jüdische Merkwürdigkeiten*, L. 6. c. 27. §. 30.

v. 44. δόξαν παρὰ ἀλλήλων, *gloriam a vobis invicem*) Justum se esse quisque vestrum censet, pro eo atque vos de vobis mutuo existimatis: nec laboratis, ut soli Deo sitis probati. conf. Rom. 2, 29. — καὶ τὴν δόξαν, *et gloriam*) eam, quae est filiorum Dei. c. 1, 12. — παρὰ τοῦ μόνου θεοῦ, *ab eo, qui solus Deus est*) c. 17, 3. — οὐ ζητεῖτε) Hoc pendet ab οἵ, articulo, qui inest in λαμβάνοντες, i. e. οἵ λαμβάνετε.

v. 45. μὴ δοκεῖτε, *nolite putare*) Elenchus novus contra infidelitatem Judaeorum, maxime aptus ad conclusionem. — ἐγὼ, *ego*) demum, sic quasi Moses vos defendat. *Ego* sum conciliator. — ὑμῶν, *vos*) qui mihi non credatis. — μωσῆς, *Moses*) i. e. scripta Mosis. Luc. 16, 29. 2 Cor. 3, 15. — εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε, *in quem vos spem locatam habetis*) v. 39.

v. 46. ἐπιστεύετε ἂν, *credideretis*) Non juvit Judaeos illud: Credimus, vera esse omnia, quae Moses scripsit. Fide explicita opus erat. — ἔγραψεν, *scripsit*) nusquam non.

v. 47. γράμμασιν, *literis*) Antitheton: ῥήμασι *verbis*. Facilius saepe creditur literis pridem receptis, quam sermoni primum audito. — ἐμοῖς, *meis*) coelestia loquentis, prae Mose.

CAPUT VI.

v. 1. Μετὰ ταῦτα, *post haec*) Hic multorum mensium historiam a ceteris evangelistis petendam innuit Johannes. [*Virorum 5000 cibatio unicum est inter baptismum et passionem Christi miraculum, quod Johannes una cum reliquis Evangelistis describit, narrationem eorum hoc ipso confirmans. Aliqua tamen, ceteris haud notata, exhibet* c. 6, 22—70. *et praecipue quidem* Paschatis medii

---

1) ἵνα ζωὴν ἔχητε, *ut vitam haberetis*] Acrius est, quod sequitur infra: *Nisi credideritis, Me esse, moriemini in peccatis vestris*, c. 8, 24. *V. g.*

2) δόξαν, *gloriam*] Magna Jesus h. l. de Seipso dixerat. Jam, quare id faciat, exponit: nimirum ad beatam DEI cognitionem atque amorem ut miseilas animas adduceret. *V. g.*

Digitized by Google

significationem, quâ neglectâ saltus *a praecedente Pentecoste ad sequentem Scenopegiam* nimis amplus *fuisset (anni scil. cum dimidio spatium transvolans), neque ullam Evangelistarum harmoniam datum esset adornari. Hoc unum est Paschatis festum, quo Dominus Hierosolymas non ascendit, baptismum inter et passionem suam.* Joh. 7, 1. ss. Harm. p. 331.] — τῆς) *Mare Galilaeae*, totum: *mare Tiberiados*, pars.

v. 3. ἀνῆλθε, *subiit*) Non post adventum populi, sed tantisper, dum populus appropinquabat. — ἐκάθητο, *sedebat*) Non jussit populum ad se accedere; sed benigne admisit.

v. 4. ἐγγὺς, *prope*) Eo anni tempore magnus erat confluxus hominum. c. 11, 55.

[1]) v. 5. ἔρχεται, *venit*) Veniente populo, jam providit Jesus cibum: conf. v. 6. cibavit autem populum, proxime ante missionem. Matth. 14, 15. — φίλιππον, *Philippum*) Boni doctoris est ex grege discipulorum unum aliquem, cui opus est, interdum provocare. Fortasse Philippus etiam rem alimentariam curabat inter discipulos.

v. 7. βραχύ τι, *paullum*) LXX, βραχὺ μέλι, 1 Sam. 14, 43.

v. 8. ὁ ἀδελφὸς, *frater*) Petrus igitur eo tempore et loco, quo Johannes scripsit, notior fuerat Andrea, vel quia major, vel quia superstes Andreae.

v. 9. παιδάριον, *puer*) Itaque non magnum fuit quinque panum, pisciculis praesertim adjunctis, pondus. — ἕν, *unus*) Nulla erat alia copia. — κριθίνους) *Hordeacei* panes triticeis videntur minores fuisse. Jud. 7, 13. Non dubium, quin hordeacei panis gustus ab omnibus, qui tum comedebant, perceptus fuerit. — τί ἐστιν, *quid sunt*) Formula extenuandi. τίνες ἐστέ; *qui estis?* Act. 19, 15.

v. 10. ποιήσατε ἀναπεσεῖν, *facite discumbere*) Exercetur fides discipulorum et populi. — χόρτος, *gramen*) Commoditas discumbendi. — οἱ ἄνδρες, *viri*) Numerus ex his inibatur, sine mulieribus et liberis. — διέδωκε, *distribuit*) per manum discipulorum. — ὅσον, *quantum*) Id ad panes et ad pisciculos spectat. — ἤθελον, *volebant*) Conf. Ps. 145, 16.

v. 12. ἵνα μή τι ἀπόληται, *ut ne quid pereat*) Facile condit Dominus: sed condita tamen non vult temere interire.

v. 13. κλασμάτων) *fragmentis.*

v. 14. σημεῖον — ὁ προφήτης, *signum — Propheta*) c. 3, 2. 9, 17.

v. 15. [2]) ἁρπάζειν, *rapere*) vi. — βασιλέα, *regem*) Regem eum facere, Patris erat, non populi: neque adhuc tempus erat. [*Idque ipsum fortassis in caussa est, quod nusquam Jesus, dum in terris versaretur,* Bethlehemum, Davidis *patriam, intrasse legitur, utut proxime oppidum istud abfuerit Hierosolymis.* Harm. p. 333.] Jesus, ut populum vitaret, illo jam tempore loca saepe mutavit. — πάλιν, *iterum*) Conf. v. 3. — αὐτὸς μόνος, *ipse solus*) discipulis trajicere jussis. αὐτὸς, παρέλκει eleganter. c. 12, 24.

v. 19. ἢ, *vel*) Norat Spiritus sanctus et Johanni dicere poterat, quot praecise stadia fuissent: sed in scriptura imitatur popularem loquendi rationem.

[3]) v. 21. ἤθελον λαβεῖν, *voluerunt accipere*) Locutio concisa: subaudiendum, *et acceperunt.* — εὐθέως, *statim*) Novum miraculum.

v. 22. ἰδὼν, *videns*) Hoc, post versum 23., (qui non ab ὅτι pendet, sed parenthesin facit,) verbis paululum mutatis repetitur versu 24., et nectitur cum verbo ἐνέβησαν, *conscenderunt.*

---

1) τὸ πάσχα, *Pascha*] Passionem anni intervallo antecedens. *V. g.*

2) ἔρχεσθαι, *venire*] Valde proclivis est a motu spirituali ad temporalia deflexio. *V. g.*

3) καὶ ἐφοβήθησαν, *et timuerunt*] Atra nox, ventus vehemens, mare procellosum, et phantasmatis, quam putabant, propinquitas metum ipsis incutiebant. *V. g.*

Digitized by Google

v. 23. ἐγγὺς τοῦ τόπου] *prope ad locum.*

v. 24. αὐτοὶ, *ipsi*) Antitheton ad Jesum, cujus iter directe; discipulorum, indirecte notavit populus. — πλοῖα, *naves*) Easdem modo *naviculas* πλοιάρια appellavit apostolus. Utraque appellatio vera. — καπερναοὺμ, *Capernaum*) v. 17.

v. 25. πότε, *quando*) tam brevi tempore, tam longa via? Quaestio de tempore includit quaestionem de modo.

v. 26. λέγω, *dico*) Populus ipse non ita se norat, ut eis Jesus ostendit. Adhuc collegerat Jesus auditores: nunc, medio tempore, delectum instituit, per sermonem figuratum de passione sua, ejusque fructu per fidem percipiendo. — οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα, *non quia vidistis signa*) Signis nondum erant ad fidem perducti: v. 29. s. alias fides, non cibi desiderium, eos impulisset ad quaerendum Jesum. — σημεῖα, *signa*) in aegrotis et in panibus. v. 2. 14. — ἐφάγετε, *edistis*) Populus, de victu sollicitus, quotidie sic accipi volebat, et non jam, ut v. 2., signorum spectaculo, sed pastûs desiderio magis alliciebatur, conf. Matth. 14, 20. not. Messis hordeacea erat statim post Pascha: et proxime ante messem annona solet esse carior. Igitur eo anni tempore valde aptum fuerat beneficium erga quinque millia.

v. 27. ἐργάζεσθε, *tractate*) Sic, τὴν θάλασσαν ἐργάζεσθαι, Ap. 18, 17. *Cibo perenni*, inquit, *operam date; sicut magno studio me quaeritis panis causa.* Non respondet Jesus ad Judaeorum *quando:* et sic saepe in sermonibus ea, quae series rerum et status animarum requirit, potius spectat, quam interpellationes loquentium alienas. — μὴ, *non*) Simillima opposita, c. 4, 10. — τὴν ἀπολλυμένην, *pereuntem*) v. 12. 1 Cor. 6, 13. Cibus corporis perit: ergo non confert immortalitatem. — ἣν] βρῶσιν. Non debetis, inquit, postulare a me alimentum corporis, sed animae. Proponitur primum *cibus*, v. 27., deinde *panis*, v. 32., tum proprie *caro et sanguis Jesu Christi*, v. 51. 53. — δώσει, *dabit*) v. 51. — γὰρ, *enim*) Aetiologia pertinet ad μένουσαν, *qui permanet.* — ὁ πατὴρ ὁ θεὸς, *Pater Deus*) Ergo Jesus Christus est Dei Filius. — ἐσφράγισεν, *signavit*) Ostendit eum et distinxit, hoc ipso miraculo, v. 14., totoque testimonio suo, *fide* audientium (v. 29.) vicissim obsignando. c. 3, 33. *Sigillo* id, quod genuinum est, commendatur, et omne, quod non genuinum est, excluditur.

v. 28. τί ποιῶμεν] *quid faciamus:* quid nos operari jubes? v. 27. — τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ, *opera Dei*) opera Deo probata, Deo nos conjungentia.

v. 29. τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, *opus Dei*) illud opus, quod probatur Deo. conf. c. 4, 34. Jesus singularem numerum opponit plurali Judaeorum, qui dixerant, *opera Dei.* v. 28. Vocabulum tamen illorum retinet. Alio sensu, τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, *opus Dei*, Rom. 14, 20. — πιστεύσητε, *credatis*) Proprie exprimitur res, et deinceps metaphorico subinde proprioque sermone describitur.

v. 30. σὺ, *tu*) Sic loquuntur in antitheto ad Mosen, qui ipsis dederit manna, et hoc *signum* habuerit: et a Jesu majus quiddam et magis coeleste postulant; quod ab eo non putant dari posse, neque majorem Mose Jesum agnoscunt. — σημεῖον, *signum*) *Sigillum*, quod versu 27. memoratur, non agnoscunt. — ἴδωμεν, *videamus*) te a Deo missum esse. Atqui viderant, v. 14. 26. 36. — σοὶ, *tibi*) Jesus dixerat: *in me.* v. 29. Saepe tantundem est, *Credo in te*, et, *credo tibi:* sed hic imminuunt Judaei sententiam Domini. — τί ἐργάζῃ, *quid operaris*) Reponunt Domino verbum *operari. Tu jubes*, inquiunt, *nos operari: quid ipse operaris?*

v. 31. ἔφαγον, *ederunt*) Modestius loqui videntur, quam si dicerent: *Moses dedit: ideo patres nostri ei crediderunt: tu da quoque; et credemus tibi. coll. v. seq.* — ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς φαγεῖν] LXX, Ex. 16, 4. ἄρτους ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Ps. 78, 24. ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς. Exod. l. c. v. 15., ἔδωκε — φαγεῖν. Si illud λεπτὸν *tenue* fuit panis verus, ibid. v. 14. Num. 11, 7. cur non

etiam panes orbiculares erunt verus panis? — ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *ex coelo*) *Coelum*, terrae oppositum, latissime sumitur in Psalmo; unde manna etiam *angelorum* sive *coelitum* dicitur *panis*. sed *coelo*, unde manna antiquum venit, opponit Jesus coelum supremum. Huc respiciens Ipse septies dicit, sese *ex coelo* descendisse. v. 32. 33. 38. 50. 51. 58. 62.

v. 32. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *amen amen dico vobis*) Magnam hoc praesertim loco vim habet haec asseveratio, cum Judaei opposuissent, *quod scriptum esset*, v. 31. — οὐ μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *non Moses dedit vobis panem ex coelo*) Subaudi hic quoque, τὸν ἀληθινὸν, *verum*. Moses non fuit, qui manna vobis aut patribus vestris dedit: et manna non fuit ille panis ex coelo verus, corrumpi nescius. Ex. 16, 20. — δίδωσιν, *dat*) Antitheton: δέδωκεν, *dedit*. Jam *aderat* panis. conf. v. 33. — τὸν ἀληθινὸν, *verum*) quem quisquis gustat, non jam aliud signum quaeret; nam in pane gustus ipse criterion est: et *veritas* patefiet olim plane. v. 39. *Veritas* et *vita* saepe hic memoratur.

v. 33. ὁ καταβαίνων, *descendens*) Repete, ἄρτος *panis*. coll. v. 41. 58. — τῷ κόσμῳ, *mundo*) non modo uni populo, uni aetati, ut manna cibavit unum populum, unius aetatis. v. 51.

v. 34. κύριε, *Domine*) Cum reverentia quadam loquuntur, uti v. 25. et poterat ex versu 35. ipsa fides exsistere: sed mox a fide resiliunt. v. 36. 42. Inprimis observandi sunt sermones, quibus auditis Judaei ad credendum inclinabantur. c. 7, 40. 8, 30. — πάντοτε, *semper*) Huc refertur v. seq. fin. — τὸν ἄρτον τοῦτον, *panem istum*) Adhuc putant, sermonem esse de alimento corporis: et hoc petunt. v. 26.

v. 35. ἐγώ εἰμι, *Ego sum*) Petentibus, statim offert sese. — τῆς ζωῆς, *vitae*) et vivus, v. 51., et vivificus. v. 54. — ὁ ἐρχόμενος πρός με, *qui venit ad me*) Sic v. 37. 44. 45. 65. Parallelum, mox: ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, *qui credit in me*. [c. 7, 37. 38.] — οὐ μὴ πεινάσῃ, *non esuriet*) Subaudi, πώποτε, *unquam*, ex fine versus. — οὐ μὴ διψήσῃ, *non sitiet*) Tangit id, quod postea uberius tractat de potu. v. 53. s.

v. 36. εἶπον ὑμῖν, *dixi vobis*) *Dixit*, versu 26. Ut vos, inquit, esse dixi, sic adhuc estis. *et vidistis me*, (et non credidistis: videtis,) et (tamen) *non creditis*. Refutatur, quod dixerant versu 30. *Fac videamus: et credemus.*

v. 37. πᾶν, *omne*) Vocula momentosissima, et, collatis iis, quae sequuntur, consideratu dignissima. nam in sermonibus Jesu Christi, quod Pater ipsi dedit, id, et singulari numero et neutro genere, appellatur *omne:* qui ad Ipsum, *Filium*, veniunt, ii masculino genere, vel etiam plurali numero describuntur, *omnis*, vel, *illi*. Pater Filio totam quasi massam dedit, ut omnes, quos dedit, *unum* sint: id *universum* Filius singulatim evolvit, in exsecutione. Hinc illud, cap. 17, 2., *ut OMNE, quod DEDISTI ei, DET EIS vitam aeternam*. In stilo N. T. Graeco, Johanneo praesertim, ubicunque fastidiosa ingenia soloecam dicerent constructionem, elegantia vere divina, Hebraeis nunquam dura, subesse solet. Id hoc loco inprimis usu venit. Inde hic versus 37. duo cola habet, quae mox iisdem verbis repetitis tractantur: et quidem prius, versu 38. 39., ubi *omne* cum *Patre* memoratur; alterum v. 40., ubi *omnis* cum *Filio* memoratur. Prius per ὅτι *quia*, alterum per γὰρ *enim* connectitur cum versu 37. — δίδωσί μοι, *dat mihi*) per *tractum* illum. v. 44. Praesens. Deinde Praeteritum v. 39., respectu Conservationis. Pater *dat* Filio: Filius *eligit*, i. e. dat quasi sibi. v. 70. Credentes dantur: credentibus datur. v. 32. 65. — πρὸς ἐμὲ) Hoc habet emphasin: aliis locis solet scribi πρός με. — ἥξει, *aderit*) Tantummodo omne illud ad me veniet. Ea loquitur Jesus, quae si Judaei accepturi sint, revera sint crediturі: et convicta eorum infidelitate nunc fidem offert: quaeque antea sub schemate dixerat, nunc proprie edisserit. — οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω, *non ejiciam foras*) Hoc

non modo significat receptionem primam, sed conservationem perpetuam, per omnes vicissitudines et gradus, usque ad resurrectionem, metam illam, quae omnia citeriora praesupponit. v. 39. 40. 44. 54. Est Litotes: *non ejiciam*, sed omni modo tuebor. c. 10, 28. s. qui locus huic loco valde respondet. Conf. ἔξω, *foras*, cap. 15, 6.

v. 38. καταβέβηκα, *descendi*) Hic sermo in multis fluit ex unione personali. Nam *descensus de coelo* natura prior est ortu ex Maria secundum *carnem*.

v. 39. δὲ, *autem*) Declaratur *voluntas* versu 38. memorata. — τοῦ πέμψαντός με πατρὸς — 40. τοῦ πατρὸς τοῦ πέμψαντός με, *ejus, qui misit me, Patris: Patris, qui misit me*) Sic habet lectio antiquissima. Versu 39. mentio *missionis*, et v. 40. *Patris* nomen scite praemittitur. namque versu 39., coll. v. 38. cum *voluntate* Patris proprie congruit *missio*: at versu 40. nomen *Patris* et nomen *Filii* proprie inter se respiciunt. [*Correlata sunt: versu* 39. Missio *(Patris) et* Cura *Christi; versu* 40. Patris *voluntas, et salus in* Filio. Not. crit.] Varietates lectionum praecipuae in *apparatu* notatae summam hujus annotationis non mutant. [1]) — πᾶν, *omne*) Vid. not. ad v. 37. — δεδωκέ μοι, *dedit mihi)* Dantur Filio, quibus fides datur, coll. v. seq. — μὴ ἀπολέσω, *non perdam) Perditioni* opponitur *vita aeterna*. v. 40. c. 3, 15. s. — ἐξ αὐτοῦ, *ex eo*) ex *omni* illo, quod Pater mihi dedit. — ἀναστήσω, *resuscitem*) ad vitam. v. 33. Sic v. 40. 44. 54. Hic finis est, ultra quem periculum nullum. Citeriora omnia praestat Salvator. Dat *signum*, versu hoc et versu 62., sed in futurum, cum Judaei praesens flagitarent. v. 30. *Resuscitatio, mortem* praesupponens, saepe hic memoratur, quia ipse Dominus adhuc erat *moriturus* et *resurrecturus*. conf. c. 11, 25. not. Postea vero apostoli fidelibus potius adventum ejus gloriosum proposuerunt.

v. 40. τοῦτο γὰρ — πατρὸς, *haec enim — Patris*) Vid. not. ad v. 37. 39. — ὁ θεωρῶν καὶ πιστεύων, *qui cernit et credit*) Judaei *videbant*, non *credebant*. v. 36. Ii, qui Jesum spectabant, magnam habebant occasionem ad credendum: et qui eorum credebant, singularem habebant beatitudinis gradum. Matth. 13, 16. — ζωὴν αἰώνιον, *vitam aeternam*) etiam ante diem novissimum, cujus mentio hic *subsequitur*, uti v. 54. Haec duo transponit humana ratio. — ἀναστήσω, *resuscitabo*) Futurum, quale v. 44. et cap. 15, 8. — ἐγὼ, *ego*) Hoc pronomen, v. 39. non positum, nunc ponitur. illic praecedit verbum primae item personae; hic vero tertiae, uti v. 44. 54.

v. 41. ἐγόγγυζον, *murmurabant*) Jesus tamen sciebat. v. 43. — ὁ ἄρτος, *panis*) Arripiunt sermonem *allegoricum:* explicationem *propriis* verbis additam negligunt.

v. 42. οἴδαμεν, *novimus*) vel potius *scimus*. Josephus erat mortuus: sed memoria ejus manebat. — πῶς, *quomodo*) Sic v. 52. *quomodo?* — οὖν, *ergo*) Ob id ipsum debebant cogitare, altiora esse in Jesu.

v. 44. οὐδεὶς, *nemo*) Solet Jesus, antequam errorem animis eximit, errantium pravam dispositionem ipsam redarguere. Id agit v. 44—46.: et simul: praetermisso eo, quod in interpellatione Judaeorum importunum erat, et murmure eorum composito, v. 43. continuat ea ipsa, quae v. 40. dixit. Neque tamen non confirmat suum de coelo descensum: tantum quaestioni *quomodo* non respondet. — οὐδεὶς δύναται, *nemo potest*) Judaei nitebantur suis viribus. id refutat Jesus, eosque docet de tractu Patris observando. — ἐλθεῖν πρός με, *venire ad me*) Ad Christum venire, est fide assequi et agnoscere missionem ejus coelestem, et se illi tradere. — ἐὰν μὴ, *nisi*) Recte igitur facit, qui ad me,

---

1) *Nam per marginem* Ed. 2. (*cui respondet* Vers. germ.) v. 39. *vox* πατρὸς *emittenda, et* v. 40. *lectioni* τοῦ πέμψαντός με *substituenda est lectio* πατρός μου. E. B.

Digitized by Google

inquit Jesus, venit: nam eo ipso sequitur tractum Patris. — ἕλκύσῃ, *traxerit*) Pater misit Filium ad nos: et nos trahit *ad* Filium, virtute amoris sui nos audire et videre faciens. vers. seqq. et 65. [*Idem est, quod dicitur* Filio nos dare, nobisve dare, ut veniamus ad Filium, v. 39. V. g.] Exemplum talis tractus, in Petro, v. 68.: in Paulo, Gal. 1, 15. Idem verbum apud LXX, Cant. 1, 4. Jer. 31, 3.

v. 45. γεγραμμένον, *scriptum*) Refutat Judaeos *scripturâ* abusos. v. 31. — καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ θεοῦ) Jes. 54, 13. LXX, καὶ πάντας τοὺς υἱούς σου διδακτοὺς θεοῦ. — πάντες, *omnes*) Hinc mox infertur *omnis*. — διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, *docti a Deo*) Conf. mox παρὰ, a. Correlata, *omnis qui audiit et didicit: docti*. Illud actum innuit: hoc habitum inde nascentem. — πᾶς, *omnis*) et solus. — παρὰ, *a*) Patre, de Filio. Matth. 11, 27.

v. 46. οὐχ ὅτι, *non quo*) Hac declaratione addita significatur, Patrem audiri tum demum, quum Filius auditur; videri tum demum, quum Filius cernitur. c. 14, 9. — ἑώρακεν, *vidit*) Subaudi, *et audivit:* coll. vers. praec. *qui audivit*. (et vidit.) Sed quia *videre* interius est, quam *audire*, *visio* concinne Filio, *auditus* credenti adscribitur. conf. c. 1, 18. — ὁ ὢν παρὰ τοῦ θεοῦ, *qui est a Deo*) Sic c. 7, 29.

v. 47. ἔχει, *habet*) Praesens. Ubi vitae panis, ibi vita; etiam ante diem novissimum. v. 40.

v. 49. οἱ πατέρες, *patres*) de quibus dixistis. v. 31. — ὑμῶν, *vestri*) *Vestri*, inquit, non *nostri:* quo ipso ostendit, se altiorem habere ortum, quam illi putarant. v. 42. — ἔφαγον τὸ μάννα ἐν τῇ ἐρήμῳ, *ederunt manna in deserto*) Regeruntur Judaeis verba ipsorum. v. 31. — καὶ ἀπέθανον) *et* tamen *mortui sunt*, idque horrenda morte.

v. 50. οὗτος, *hic*) scil. *panis*. — τὶς, *aliquis*) quivis. — καὶ μὴ ἀποθάνῃ, *ac non moriatur*) scil. spiritualiter, uti cibus hic ad vitam spiritualem spectat; annexa resuscitatione corporis.

v. 51. ὁ ζῶν, *vivus*) Hoc participium et ad incrementum orationis facit et ad declarationem, qua ostenditur, non esse sermonem de pane communi. — δώσω, *dabo*) [1]) edendum. — ἡ σάρξ μου, *caro mea*) Novus sermonis gradus. Congruit δὲ ἐπιτατικὸν, *vero*, et *dabo*, in futuro. nam antea non facta est in hoc sermone mentio *carnis*. tum, v. 53., de sanguine. Pater dat *panem verum*, v. 32., qui est Christus ipse: v. 35. Christus dat *panem vivum*, carnem suam. Sermo de *pane*, est magis allegoricus, ad miraculum praecedens accommodatus; de *carne et sanguine*, proprius. — ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, *pro mundi vita*) adeoque pro multis. Marc. 14, 24. Jesus verba sua scienter ita formavit, ut statim et semper illa quidem de spirituali fruitione sui agerent proprie; sed posthac eadem consequenter etiam in augustissimum S. Coenae mysterium, quum id institutum foret, convenirent. Etenim ipsam rem hoc sermone propositam in S. Coenam contulit: tantique hoc sacramentum est momenti, ut facile existimari possit, Jesum, ut proditionem Judae, versu 71., et mortem suam, hoc versu, ita etiam S. Coenam, de qua inter haec verba certissime secum cogitavit, uno ante anno praedixisse, ut discipuli possent praedictionis postea recordari. Tota haec de carne et sanguine J. C. oratio passionem spectat, et cum ea S. Coenam. Hinc separata *carnis* et *sanguinis* mentio constanter. nam in passione sanguis ex corpore eductus est, Agnusque mactatus.

v. 52. ἐμάχοντο, *pugnabant*) non jam solum murmurabant, uti v. 41. — οἱ ἰουδαῖοι, *Judaei*) Observandi gradus: *Judaei*, h. l. *discipuli*, v. 60. 66.:

---

1) *Dubiae tamen originis esse lectionem* ἣν ἐγὼ δώσω, *et* utriusque Edit. *margo innuit, et* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

apostoli, v. 67. — πῶς, *quomodo*) *Quomodo*, iterum: coll. v. 42. Ad neutrum *quomodo* respondet Jesus, sed pergit in suo sermone, et ait: *Sic esse debet.* v. 53. — τὴν σάρκα, *carnem*) Iterum id arripiunt: quod maxime durum videtur.

v. 53. ἐὰν μὴ, *si non*) Judaei quaerebant de possibilitate: Jesus respondet de necessitate. nempe haec illam infert.

v. 55. ἀληθῶς, *vere*) Haec affirmatio opponitur dubitationi Judaicae. — βρῶσις· πόσις) *Cibus*, *potus*, quo tam vere pascitur fidelis, quam cibus et potus corpora pascit. v. 56. fin.

v. 56. ὁ τρώγων, *qui edit*) Qui edit, et quod editur, re ipsa intime conjunguntur.

v. 57. ἀπέστειλέ με, *misit me*) Huc refertur, καὶ ὁ τρώγων με, *et qui edit me*, per fidem. *Cibus* Jesu, facere voluntatem ejus, a quo missus est: c. 4, 34.: *cibus* credentis, edere Christum, et in eo voluntate Patris pasci. — κἀγὼ, *et ego*) *Sicut* apodosin habet in illo, *et qui edit me.* — διὰ τὸν πατέρα, *propter Patrem*) Nam in Patre sum. — καὶ) *etiam.* — ὁ τρώγων με) *qui me*, qui vivo, *edit.* per fidem: v. 29. 35. 40. 64. Sub ea ratione, quod Pater misit Filium, comedimus carnem hujus et credimus in eum.

v. 58. οὗτος, *hic*) id est, *egomet.* v. 57. — ὁ ἄρτος, *panis*) Redit sermo ad ea, quae versu 32. proposita fuere.

v. 59. εἶπεν — διδάσκων, *dixit — docens*) Conf. c. 8, 20. 7, 28.

v. 60. σκληρός, *durus*) Multa sane sunt, quae natura carnalis non potest non horrere in hoc sermone per se suavissimo. Arduus, non durus, est sermo: quo deterriti sunt mali; genuini autem sunt probati, exercitati, confirmati. Vix uspiam sublimius locutum videas Dominum vel seorsum cum apostolis. Id pie admiremur. — τίς δύναται, *quis potest*) Aliter Petrus, v. 68. — αὐτοῦ, *eum*) Hoc videntur dicere: *quis potest Jesum audire?* Conf. c. 10, 20. Caput miseriae, auditum detrectare.

v. 61. ἐν ἑαυτῷ, *in se ipso*) sine indicio externo. — τοῦτο ὑμᾶς σκανδαλίζει; *hoc vos offendit?*) Enallage: id est, *num hac re offendimini?* Passio Christi, scandalum Judaeis.

v. 62. ἐὰν οὖν, *si ergo*) ἐὰν, *si*, habet apodosin subaudiendam, *quid erit?* Id est, multo majora sunt, quae sequentur. si hoc non creditis, quomodo illa, si dicerem, crederetis? (Similis locus, cap. 3, 12.) Et tamen, cum illud videbitis, agnoscetis, vera esse, quae dixi: et admirabimini non meam doctrinam, sed vestram tarditatem, cap. 8, 28. Matth. 26, 64. — ἀναβαίνοντα, *ascendentem*) Vid. ad cap. 3, 13. — τὸ πρότερον, *prius*) antequam descenderet.

v. 63. τὸ πνεῦμα, *spiritus*) Non sola deitas Christi, nec solus Spiritus sanctus significatur, sed universe *Spiritus*, cui contradistinguitur *caro*. *Id, quod Spiritus est, vivificans est.* — ἡ σὰρξ, *caro*) Non est sermo h. l. de carne corrupta; de qua nemo dubitat, quin nihil prosit: neque tamen Jesus carni suae vim vivificandi adimit: alias totum sermonem, utique de carne sua, v. 51. et 53—56. habitum, et totum incarnationis mysterium, tolleret. sed sensus est: *Caro mera nil prodest:* qualem scil. Judaei putabant esse carnem illam, de qua loquebatur Jesus. conf. 2 Cor. 5, 16. Loquitur sub conditione, eaque impossibili, *si sola caro esset:* uti etiam loquitur versu 38. de sua voluntate. Conf. not. ad cap. 5, 31. 19. 22. Caro est vehiculum virtutis divinae omnis vivificantis, in Christo et in credentibus: et Christus, carne mortificatus, spiritu vivificatus, virtutem suam maxime exseruit. 1 Petr. 3, 18. Joh. 12, 24. 16, 7. — οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν, *non prodest quicquam*) ad vivificandum. Ubi vita ex Deo non est, ibi nulla *utilitas* vera. — τὰ ῥήματα) הדברים *verba*, et res illis comprehensae. Correlata: *verba* et *credere*. v. 64. — λελάληκα, *locutus sum*)

Digitized by Google

Non dicit, *loquor*, sed *locutus sum*. Jam enim aversi erant. v. 60. 61. — πνεῦμα, *spiritus*) tametsi de *carne* loquuntur. — καὶ, *et*) adeoque.

v. 64. ἀλλ᾽ εἰσὶν, *sed sunt*) Penes vos culpa est. — τινὲς, *aliqui*) qui etiam alios turbant. — οὐ πιστεύουσιν, *non credunt*) adeoque spiritualiter dicta torquent carnaliter. — ἐξ ἀρχῆς, *ex initio*) Notatur ipsum hujus sermonis tempus, quanquam Jesus etiam ante id tempus semper *scierat*. Sermo hic habitus est anno ante passionem: sed delectus XII apostolorum non toto anno praecessit hunc sermonem. Ergo tum erat *initium*. — τίνες, *quinam*) ex majore discipulorum numero. — καὶ τίς, *et quis*) ex XII discipulis. Judas igitur jam tum id monstri alebat, ex quo postea proditio extitit. Jam tum non credidit, et ex Jesu sermone cum multis aliis discipulis scandalum cepit. Mali, cito mali sunt: boni, cito boni. Gradus funestae malitiae in Iscariota diligenter notavit Johannes, c. 12, 4. s. 13, 2. 27. 14, 22., et singularem adversus illum antipathiam habuit.

v. 65. δεδομένον, *datum*) per tractum gratiae.

v. 66. πολλοὶ, *multi*) Ita purgatus est selectior numerus. [*eo ipso loco* (*Capernaum puta*), *in quo diutissime antehac commoratus fuerat*. Harm. p. 337.] Multitudo promiscua non tanti est, quanti sinceritas. [*Gravissima haec lustratio fuit*. V. g.]

v. 67. τοῖς δώδεκα, *duodecim*) Horum nomina et ipsam appellationem *apostolorum*, praesupponit Johannes, ut ex ceteris evangelistis notam. — μὴ καὶ ὑμεῖς, *num etiam vos*) Parum aberat. In hoc articulo temporis stetisse, juvit. Judas potuisset ceteros secum auferre. — θέλετε; *vultis?*) Jesus neminem cogit, atque hoc ipso arctius sibi suos jungit.

v. 68. [1]) ῥήματα, *verba*) Discipuli, etiamsi rationes speciales sermonum Jesu nondum comprehendunt, tamen fundamentum generale tenent. Nobilissimum fidei implicitae in explicita exemplum. Tota locutio, *verba vitae aeternae — credidimus — filius Dei*, repetitur ex v. 63. 64. 65. Sic Martha c. 11, 27. fidem in J. C. tuetur, quanquam rationes resurrectionis nondum percepisset.

v. 69. ἡμεῖς, *nos*) quicquid alii statuant. — πεπιστεύκαμεν καὶ ἐγνώκαμεν, *credidimus et cognovimus*) ex verbis Jesu. *Fidem* sequitur *cognitio*. 2 Petr. 1, 5. Perversi sunt, qui *cognitionem* prius postulant: *fidem* ea et obedientiam sequitur. c. 7, 17. *Cognovimus*, id est, certum et ratum habemus.

v. 70. τοὺς δώδεκα) Articulus magnam vim habet. — ἐξελεξάμην, *elegi*) Est igitur *aliqua electio*, ex qua aliquis potest excidere. — ἐξ ὑμῶν, *ex vobis*) ex tam paucis. — εἷς, *unus*) Hoc indefinitum indicium ceteros omnes excitavit, et veritatem confessionis eorum a Petro factam comprobavit, Judam vero, quamvis confessioni non contradicentem, exclusit. Hic debebat resipiscere Judas. [*Offensus fuerat miser*, v. 61. *Quare istud*: ad quem abibimus? *in eum posthac non quadravit*. Abiit *same*, ad sacerdotum principes. V. g.] — διάβολος, *diabolus*) non solum sibi malus, sed etiam aliis periculosus.

v. 71. σίμωνος, *Simonis*) Quod nomen gesserit proditoris pater, ceteri silent; Johannes supplet. Lectioni ἰσκαριώτην obstat articulus. Sic enim esset ἰούδαν σίμωνος τὸν ἰσκαριώτην, non τὸν ἰούδαν σίμωνος ἰσκαριώτην. Articulus ponitur inter nomen et cognomen. Etymon *Ludovici de Dieu* ad Matth. 10, 4. retuli, non probavi. *Iscariotae* cognomen habuit et Judas et Pater ejus.

CAPUT VII.

v. 1. Περιεπάτει, *ambulabat*) per aliquot menses post pascha II. [c. 6, 4. *memoratum*]. — οἱ ἰουδαῖοι, *Judaei*) non credentes. — ἀποκτεῖναι, *interficere*)

1) πρὸς τίνα, *ad quem*] Beatum, cujus animo, si vel januam apertam videat, nil quidquam aliud illabitur. *V. g.*

Digitized by Google

[*odio in Eum inde a Pentecoste superioris anni* (c. 5, 18.) *concepto, quod hoc Scenopegias festo revixit, et exarsit subinde vehementius.* Harm. p. 352.] v. 19. 30. 44. c. 8, 40. 59.

v. 3. οἱ ἀδελφοὶ, *fratres*) consobrini. — μετάβηθι, *transi*) ad commorandum. — ἐντεῦθεν, *hinc*) ex hoc obscuro Galilaeae loco. — εἰς τὴν ἰουδαίαν, *in Judaeam*) Ex Galilaea in Judaeam amandant Messiam: deinde ex Judaea in Galilaeam, v. 52. — καὶ οἱ μαθηταί σου, *etiam discipuli tui*) Eo ipso ostendunt, se non esse discipulos. v. 5. Multi discipuli Jesu erant in Judaea, praesertim in festis. — θεωρήσωσι, *spectent*) in festo, Hierosolymis.

v. 4. καὶ ζητεῖ, *et quaerit*) Sermo affirmans, ut patet ex verbo *manifesta*, quod hinc infertur. *nemo* involvit *omnis* et *non: omnis* pertinet ad utramque sententiae partem; *non*, ad priorem: hoc sensu, Omnis, qui facit aliquid, id facit non in occulto, *sed* ita, ut quaerat *ipse* esse in propatulo. καὶ *et* pro *sed*, ut saepe. Diasyrmus. — αὐτὸς) *ipse*. antitheton ad id, quod is *ipse* facit. sic σεαυτὸν, *te ipsum*. — εἰ, *si*) Haec particula saepe plus, non minus, quam *quum*, valet. — ταῦτα, *ista*) quae facis, miracula. — τῷ κόσμῳ, *mundo*) omnibus. Majus, inquiunt, theatrum quaere, praesertim festi tempore.

v. 5. οὐδὲ, *ne quidem*) tam pauci credebant! Non nisi divinis praesidiis fides in Jesum Nazarenum firmata est: domestici ipsi obstitere.

v. 6. [1]) πάντοτε, *semper*) Non opus est, ut demum *veniat* tempus vestrum.

v. 7. ὁ κόσμος, *mundus*) de quo v. 4. — ὑμᾶς, *vos*) mundanos. — ἐμὲ, *me*) conf. v. 1. — μισεῖ, *odit*) Christianos quoque aut summo amore prosequuntur homines aut summo odio. Qui omnibus semper placent, sibi merito suspecti esse debent. — μαρτυρῶ, *testor*) Insigne opus Christi. Ita testatus erat c. 5, 33—47. — πονηρὰ, *mala*) ex Malo. 1 Joh. 5, 19. [*Mundi opera mala esse, ipsi mundani fatentur omnes: at se ipsum excipere nemo non conatur. Accedit, detestabile malum, hypocrisis: alienissimi scilicet ab odio in Jesum Christum videri volunt.* V. g.]

v. 8. οὐκ, *non*) non jam vobiscum, (v. 10.) uti vos suadetis, *ut specter*, in via et in urbe, ascendo. unde, *mansit*. v. 9. ἀναβαίνω, *ascendo*, stricte in praesenti accipiendum: coll. οὐκ, *non*, Matth. 11, 11. ubi praeteritum item stricte accipi debet. Sic οὐ *non* pro οὔπω *nondum*, Marc. 7, 18. coll. Matth. 15, 17. Qui primo die festi non intererat, non videbatur interesse. Ascendit deinde Dominus ad festum, sed quasi *incognito*, nec tam ad festum, quam in templum. v. 10. 14. Unus jam proprie ascensus, ad pascha passionis, Domino erat propositus: de hoc per aenigma loquitur. — ὁ καιρὸς, *tempus*) Sapientia tempus observat. Sermo de tempore ascendendi ad festum est versu 6.: sed de tempore patiendi, ut videtur, hoc versu, coll. v. 30. Hoc iter ad scenopegiam erat iter penultimum Hierosolymitanum.

v. 9. ἔμεινεν, *mansit*) Non voluit ascendere cum iis, qui non credebant: nec tamen festum ipsum fugit illorum causa.

v. 10. ὡς, *ut*) Particula h. l. non comparandi, sed declarandi.

v. 11. ἐκεῖνος, *ille*) Sane nullum Festum sine Christo festum est.

v. 12. γογγυσμὸς, *murmur*) Sermo non audens erumpere, in utramvis partem. conf. v. 13. Idem verbum, v. 32. — ἐν τοῖς ὄχλοις — τὸν ὄχλον, *in turba — turbas*) Sic *Latinus*, permutato plurali et singulari numero. *Murmuri multo* convenit pluralis: hinc inde erat numerus loquentium de Jesu. Singularis congruit opinioni de seductione *plebeculae*. — οἱ, *aliqui*) ex Galilaea potissimum, ut patet ex subsequente antitheto *Judaeorum*.

---

1) οὔπω, *nondum*] Sciebat Jesus, ineunte festo odium Judaeorum gravius adhuc fore, quam interjectis diebus aliquot. *V. g.*

Digitized by Google

v. 14. μεσούσης, *medio*) Copiose describitur haec scenopegia. Initium v. 10. s. medium h. l. et finis v. 37. Festa, aedificationi opportuna erant. — ἀνέβη, *ascendit*) Primus dies festi fuerat d. 11. Oct. ut notavi in *Harmon. evang.* p. 85. (ed. II. p. 140.) adeoque feria III. nam anno illo XXIX Dion. litera Dominicalis erat B. Ergo sabbatum incidit in *medium* festum: et die sabbati frequens prae ceteris medii festi diebus erat auditorium, et opportunus de sabbato sermo. v. 22. — εἰς τὸ ἱερὸν, *in templum*) recta, ita, ut non alibi diverteret prius.

v. 15. γράμματα, *literas*) i. e. studia. Docebat enim. v. 14. — μὴ μεμαθηκὼς, *quin disceret*) Non usus erat schola. Character Messiae.

v. 16. οὐκ ἔστιν ἐμὴ, *non est mea*) non ullo meo *discendi* labore parta. — τοῦ πέμψαντός με, *qui misit me*) Ideo non opus fuit, inquit, me discere humanitus: Pater me docuit. c. 8, 28.

v. 17. ἐάν τις, *si quis*) Conditio aequissima, laetissima. Subaudi, *igitur*. Patris doctrina et Filii doctrina, eadem. Qui ergo consensionem cum voluntate Patris habet, doctrinam Filii agnoscet. — θέλῃ — θέλημα, *velit — voluntatem*) Suavis harmonia. Voluntas coelestis excitat primum voluntatem humanam: deinde haec illi occurrit. — θέλημα, *voluntatem*) ex prophetica scriptura cognitam. — ποιεῖν, *facere*) Methodus cognoscendae veritatis solidissima [1]). — γνώσεται, *cognoscet*) operam dabit, ut cognoscat: vel potius, id assequetur, ut cognoscat. conf. c. 8, 12. 28. 31. 32. 12, 35. 45. 10, 14. Matth. 7, 24. 1 Cor. 8, 3. *Qui faciunt justitiam, eorum demum est nosse vias Domini.* Jes. 58, 2. Conf. futurum medii γνώσομαι, c. 8, 28. 32. 13, 7. 35. 14, 20. Ap. 2, 23. — περὶ τῆς διδαχῆς, *de doctrina*) Articulus habet vim relativam ad v. 16. — ἐκ τοῦ θεοῦ, *ex Deo*) et Dei, v. 16.

v. 18. ὁ) Characteres certissimi. Syllogismus: Qui a se ipso loquitur, suam quaerit, falsus et injustus, gloriam. atqui Jesus non suam, sed enim Patris, a quo missus est, gloriam quaerit. Ergo Jesus non loquitur a se ipso, sed verus et fide dignus est. — τὴν δόξαν τοῦ πέμψαντος, *gloriam ejus qui misit*) Duo hic includuntur: missum esse, et gloriam ejus, qui misit, quaerere. Hoc illius criterium. — οὗτος) *hic* demum. — ἀληθὴς, *verus*) et pro vero habendus. — ἀδικία, *injustitia*) *mendacium:* coll. v. 24. *verum*, justum.

v. 19. μωσῆς, *Moses*) cui creditis. — ὑμῖν, *vobis*) non *mihi*. — τὸν νό-

---

1) *Non possum h. l., quin ad ea, quae cel.* D. Ernesti, *Bibl. th.* noviss. *T. II. p.* 130. *s. monet, aliqua regeram. Aliquam sane* veritatis cognitionem *in eo requiri, cujus* voluntas *ad meliora flectenda sit, nemo unquam negavit. Scilicet, hoc ipso loco, qui sub manus est, ad* doctrinam suam *Christus, Judaeis propinatam, provocat: eandem vero quod plenius* cognoscere *et* ceu divinam *amplecti non potuerunt, quid quaeso in causa fuit? Aut nihil prorsus equidem video, aut* voluntas *perversa obfuit, quo minus in cognoscenda veritate divina ulterius progredi valerent. Fateor, haud mediocriter me commoveri, quum* abusibus *accenseri eam sententiam experior, quâ* veritatis cognitio bonâ voluntate promoveri *creditur.* Veritatis cognitione *emendatur utique (ceteris paribus)* voluntas. *At vicissim* voluntatis *obsequio* penitiorem veritatis *aditum recludi; et hic ipse optimi Salvatoris sermo, et omnis praeterea Scriptura clamat. Tritissimum istud axioma,* timorem Domini sapientiae initium esse, *omni omnium Eruditorum subtilitate superius est. Neque ridendum esse quovis respectu eorum consilium existimem, qui* voluntati *potius flectendae* (fürs Herz), *quam* intellectui *informando* (für den Verstand) *occupari se hac illave* scriptione *profitentur. Supposità nimirum* cognitionis *majori minorive mensurâ fieri omnino potest, imo et debet, ut* vecordes animo *ad ponderanda veritatis, haud penitus ignoratae, momenta et superanda fideliter obstacula excitentur. Verbo:* Habenti datur. *Qui prima cognitionis quasi stamina ita collocat, ut* obsequi DEO *firmiter apud se constituat, is in cognoscenda veritate, quatenus ad salutem conducit, multos brevi superabit, qui (utut literatissimi) DEO se mancipare* nolunt. *Conf. not. ad* Joh. 6, 69. 10, 38. *Nec pudet repetere* Ambrosii *istud:* Noli intelligere ut credas, sed crede ut intelligas. Intellectus merces fidei est. *Atque cum his jam lectorem* DEI reverentem *conferre juvabit, quae breviter at nervose notavit Magnif. Dn. Canc. noster* D. Reuss, *Elem. theol. mor. c. V. §. 23. sq.* E. B.

μον, *legem*) Multa hic *Legis* mentio, v. 23. 49. 51. apposite. namque שמחת תורה *gaudium legis* publica lectione absolutae est postridie dici ultimi scenopegiae: dies octavus pro diverso respectu erat vel pars festi tabernaculorum, vel festum distinctum. prior respectus valet apud Johannem. et eodem festo, septimo quoque anno, legebatur Lex. Deut. 31, 10. — οὐδεὶς, *nemo*) Me reum agitis violatae legis. v. 21. s. At vos cuncti violatis. — τί με, *quid me*) quasi sabbatum violaverim. — ζητεῖτε, *quaeritis*) Quaeritis me interficere. Ergo legem non facitis. Ergo voluntatem Dei non facitis. Ergo non potestis doctrinam meam, quia mei plane dissimiles estis et me odistis, assequi.

v. 20. καὶ εἶπε, *et dixit*) Hierosolymis videntur alii fuisse insidiatores, alii id scisse, v. 25., et ii, qui hic loquuntur, ab iis fuisse remotiores, nec tamen intus meliores. Jesus ostendit, se profundius eos nosse, et hoc radio eos penetrat. — δαιμόνιον ἔχεις, *daemonium habes*) Formula convitiandi atrocissima. Obsessi, amentes. Occultum caedis consilium ipsi Jesu non nisi per daemonium innotescere potuisse putant.

v. 21. ἓν, *unum*) ex innumerabilibus, quae nescitis. [*in homine ad piscinam Bethesdam.* V. g.] — ἐποίησα, *feci*) in sabbato. v. 23. — καὶ, *et*) Involvit vim relativam: *unum* opus feci, quod *omnes* miramini. Si in nullo alio opere meo quicquam reprehendendum cernitis: de hoc uno quoque bene existimare debebatis. — θαυμάζετε, *admiramini*) cum haesitatione. Talis admiratio, Act. 2, 7. 12.

v. 22. διὰ τοῦτο, *propterea*) Hoc mox declaratur per οὐχ ὅτι, *nempe non quia.* coll. c. 8, 47. 10, 17. Talis locutio Marc. 12, 24., ubi vis particulae ὅτι latet in participio. — δέδωκεν, *dedit*) Gen. 17. Ex. 12, 44. Lev. 12, 3. — οὐχ ὅτι, *non quia*) Hoc inciso amplificatur dignitas circumcisionis, respectu sabbati, quo illa sit antiquior adeoque potior.

v. 23. ἵνα μὴ, *ut non*) *quin, ita ut non* solvatur lex; vel, salva lege. — ὁ νόμος μωσέως, *lex Mosis*) lex de sabbato, quae per circumcisionem non violatur. — ἐμοὶ, *mihi*) quasi legem de sabbato violaverim. — χολᾶτε, *irascimini*) Χόλος apud Homerum, ut Eustathius observat, *iram* etiam *diutinam* denotat. Haec ira Judaeorum jam XVI menses duraverat: at novo paroxysmo, ut Jesum videbant, exarsit. — ὅλον, *totum*) Non opponitur totum corpus hominis, parti ei, quae circumciditur; nam a minori ad majus non procedit consequentia, in permissione, hoc modo: licet circumcidere partem; ergo licet sanare totum. Sed totus homo est, corpore et anima, cap. 5, 14., cujus sanatio multo majus, multoque adeo magis sabbaticum et legi probatum est beneficium, quam circumcisionis actus externus per se spectatus, vel etiam circumcisio, etiamsi spectetur ut sacramentum. nam circumcisio est medium; sanatio animae, finis. [*Praeterea non sine* vulnere *peracta est circumcisio*: sanatio *itaque magis convenit sabbato.* V. g.] — ἐποίησα, *feci*) αὐτοκρατορικῶς, summa potestate.

v. 24. μὴ κρίνετε κατ᾽ ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε, *nolite judicare ex aspectu, sed verum judicium judicate*) Eo sabbato, quod in scenopegiae dies incidebat, (inciderat autem sabbatum hoc anno in diem festi quintum) legebatur liber *Koheleth*, cujus magna portio est hoc ipsum de judicio superficiario vitando rectoque tenendo praeceptum. [*Ex aspectu vel (quod idem est) secundum carnem* (c. 8, 15.) *judicatur etiam, quando litera sumitur citra sensum. Christus ipse ex vero judicat.* Jes. 11, 3. 4. V. g.] — τὴν) *Judicium* verum, unum est. Haec vis articuli.

v. 25. ἱεροσολυμιτῶν, *Hierosolymitis*) qui scirent, quid in urbe ageretur.

v. 26. παῤῥησίᾳ, *libere*) Psalm 40, 10. — ἀληθῶς, *vere*) Dubitare poterat populus, an affirmarent principes, Jesum esse Christum: ab hac dubitatione se

Digitized by Google

recipiens populus affirmare incipit de illa affirmatione. — ἔγνωσαν, *sciverunt*) mente et ore.

v. 27. ἀλλὰ, *sed*) Auctoritati humanae crediderunt in Christo repudiando: in Christo agnoscendo tamen non credunt auctoritati humanae. Observari hic possunt Judaica praejudicia. Ratiocinium Judaicum hoc est: *Christus habet ortum ignotum; Jesus non habet ortum ignotum; ergo Jesus non est Christus.* Respondet Dominus versu 28. sq. — τοῦτον οἴδαμεν, *hunc novimus*) c. 6, 42. — οὐδεὶς, *nemo*) Id vere in hoc Messia vero accidit. v. seq. c. 9, 29. nam ne patriam quidem jam norant, v. 42., cum Jesus natus esset Bethlehemi. [*Cogitaverit aliquis, otiosam quaestionem esse, sciatur ortus Christi an nesciatur: at falsa opinio in re admodum exili plurimum sane obesse poterat fidei. Id sequenter observare licet de variis normis malesanis, quibus detineri se mundus patitur.* V. g.]

v. 28. ἔκραξεν, *clamavit*) magno ardore, pro salute hominum; et ob auditorum frequentiam. Minime saepe clamavit Christus, Matth. 12, 19. quare clamores, quos edidit, magnas habuere causas, vid. mox v. 37. c. 11, 43. 12, 44. Hebr. 5, 7. Matth. 27, 50. — κἀμὲ, *et me*) Sunt, qui ironiam hic statuant: sed ironia nunquam usum invenias Dominum. Judaeorum sermo duas habuerat partes, *hunc et Christus:* v. 27. quibus respondens sermo Domini duas item partes habet, *et me: et a me ipso.* Prior est concessiva, et notitiam de Jesu ejusque ortu extrinsecus spectato quodammodo sub loco relinquit; hanc enim ipse nunquam allegare solet: conf. 2 Cor. 5, 16. sed justam notitiam, sui a Patre missi, eos habere negat. coll. v. 33. s. cap. 8, 14. — καὶ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ) *et* tamen *a me ipso* non veni, ut vos putatis. — ἀληθινὸς, *verus*) Haec *veritas* pluris est, quam illud *vere*, de quo quaerebant, v. 26. — ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε, *quem vos non nostis*) Subaudiendum, quod sequitur, *quod ab eo sum, et ille me misit.* Ipsum illud Judaeorum postulatum de Christo, versu 27. expressum, in Jesu extabat.

v. 29. παρ᾽ αὐτοῦ εἰμὶ, *ab eo sum*) Hoc denotat generationem aeternam: ex qua consequitur *missio.* Duo momenta: prius refertur ad *et me*, alterum ad *unde. Sum*, versu hoc et praecedente, refertur ad *est*, quod bis extat versu 27.

v. 30. οὔπω, *nondum*) c. 8, 20.

v. 32. οἱ φαρισαῖοι καὶ οἱ ἀρχιερεῖς) Vid. App. Crit. Ed. II. ad h. l. Respicit huc versus 45., ubi ipse *Latinus* habet, *ad pontifices et pharisaeos. Pharisaei* praeponuntur versu 32. nam ii erant acerbiores, et per eos instigati sunt principes sacerdotum.

v. 33. ἔτι, *adhuc*) Continuat sermonem, quem post v. 29. interpellarant.

[1]) v. 34. ζητήσετέ με, *quaeretis me*) me, quem nunc videtis et spernitis. Verba haec sunt quasi Textus, cui sermones hujus et sequentis capitis superstruuntur. c. 8, 21. s. Talis etiam Textus, cap. 16, 16. — καὶ οὐχ εὑρήσετε, *et non invenietis*) Severius postea dicit, *in peccato vestro moriemini.* c. 8, 21. — ὅπου, *quo*) nempe in coelum. c. 3, 13. Proposuit Dominus talem interdum sermonem, cujus sententia aliqua in praesenti audientibus apparebat; profundior deinceps. conf. cum hoc loco cap. 13, 33. Talis etiam sermo c. 13, 16. coll. c. 15, 20.

v. 34. 36. εἶμι, *vado*) Plurimi, εἰμὶ, *sum.* Omnino ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ait Salvator in cap. 12, 26. 14, 3. 17, 24. quibus in locis sequitur ἔσται, ἦτε, ὦσι. Sed hic ὅπου εἶμι ἐγὼ, quia hic sequitur ἐλθεῖν et πορεύεσθαι, et Dominus, hunc ad Judaeos sermonem repetens, ὑπάγω ait, c. 8, 21. 13, 33. Etiam in prosa εἶμι adhibetur. LXX, Exod. 32, 26., ἴτω πρός με. Prov. 6, 6., ἴθι πρὸς τὸν μύρμηκα. ἴωμεν habet

---

1) μικρὸν χρόνον, *parvum tempus*] Sane: vix enim anni pars dimidia effluxit ab hoc sermone ad passionem. *Harm.* p. 355.

Digitized by Google

Plato in Phaedro, in extremo, et Chrysost. περὶ ἱερωσ. l. VI. c. 12. p. 348. ed. Stutg. Ex Thucydide et Xenophonte exempla notat Camerarius in comm. utr. linguae, pag. 452. Adde Herodianum. Hoc notandum erat, quia εἶμι quasi poëticum a nonnullis repudiatur. Neque vero infructuosa est haec observatio. *Quo vado*, dixit Dominus, quum aliquanto longius abesset a discessu: *ubi sum*, dixit, in ipsa passionis hebdomade, in ipsis sermonibus ultimis. Omnia hanc locutionis differentiam loca modo indicata comprobant: neque obstat locus Joh. 13, 33. 36. nam versu 33. allegatur pristinus sermo ad Judaeos: et versu 36. respicitur Petri quaestio, *Domine, quo vadis?*

v. 35. ποῦ, *quo*) Importunius postea dicunt: *Num interimet se ipsum?* c. 8, 22. — διασπορὰν) Sic LXX, Deut. 28, 25. 30, 4. etc. — τῶν ἑλλήνων, *Graecorum*) sive Judaeorum extra Palaestinam. Putant, se eruturos eum esse per literas, ubicunque gentium inter Judaeos versetur.

v. 36. οὗτος ὁ λόγος, *iste sermo*) Sermonem rhythmo conceptum eo magis tenent. conf. c. 16, 17.

v. 37. ἐσχάτῃ, *extremo*) Septimus hic dies erat; non octavus, quippe qui proprium festum habebat. vid. *F. B. Dachs* ad cod. *Succa*. p. 373., coll. p. 357. 405. Hic septimus maxime solennis in scenopegia dies erat. Lev. 23, 34. Num. 29, 12. seqq. Nehem. 8, 18. 2 Chron. 7, 8. seqq. Atque ipse Jesus hunc diem fecit *magnum*: neque alter dies tantae solennitatis frequentiaeque restabat ante passionem Domini. Ergo tempore usus est [1]). — ἐάν τις διψᾷ, *si quis sitit*) [2]) Appositus sermo, etiam propter ritum illum, quum extremo illo festi die soliti sunt aquam a fonte Siloah haurire et super altare holocausti libare. Vide *Surenhus.* de alleg. V. T. p. 354. [Sitire, *prima animae ad salutem adspirantis proprietas, et character certissimus.* V. g.] — ἐρχέσθω, *venito*) Ap. 22, 17.

[3]) v. 37. 38. ἐάν τις διψᾷ ἐρχέσθω πρός με καὶ πινέτω. ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος) Nova ac plausibilis est interpunctio, ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με· καὶ πινέτω ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ· καθὼς εἶπεν κτλ. sed χιασμὸς durior esset, *sitiens veniat*: *bibat credens.* Nunc indivulsus manet, ac sponte fluit hic sensus: *Si quis sitit, venito ad me, et bibet: credens in me, ex mea abundantia explebitur.* conf. cap. 6, 35. Post imperativum imperativus vim futuri habet, uti mox v. 52., ἐρεύνησον καὶ ἴδε, *scrutare, et videbis.* Neque perimitur subsequentium constructio verborum. Subjectum est, *Qui credit in me:* praedicatum, *sicut dixit Scriptura, Flumina ex ventre ejus fluent aquae virentis.* tantummodo suppleri debet copula *est*, vel potius *erit*, ita fere, uti c. 6, 39. 17, 2. Luc. 21, 6. Hoc autem loco sermo continuatur per Allegatum, et Credens comparatur cum ipso Domino credentium, de quo agit promissio.

---

1) Paschatis et Pentecostes antitypi in sacrificio Christi et Spiritus Sti effusione Hierosolymis ante plenam typorum abolitionem extitere. Ita et h. l. *Scenopegias antitypum* observare datur in hoc ipso festo, quod Salvator Hierosolymis tanto gloriae suae splendore *illuminavit*, insignem istam promissionem Zach. 14. (v. 18. 17. Hierosolymas indigitantem) Hierosolymis repetens, ejusque largissimo complemento, proxime tum exspectando, fidelium animos demulcens. *Harm.* p. 354. s.

2) *De* donis miraculosis *eorum, qui doctrinam apostolicam receperunt, sermonem hoc loco esse; non desunt qui existiment hodie. (Vid.* D. Ernesti *Bibl. theol.* noviss. T. I. p. 791.*) Nec sane quisquam, ista non spectari, jure contenderit, coll.* v. 39. sq. *Nolim tamen universalem hanc et solennissimam promissionem ita* restringi, *ut ea Spiritus sancti dona, quae* omnis anima *vanitatis pertaesa* sitit, *exclusa putes. Nempe locus* Zach. 14, 8., *coll.* c. 13, 1., *haud obscure docet, ea spiritus dona simul certe connotari, quibus opus est omni ad* veram quietem *et* meliorem vitam *perducendo.* E. B.

3) *καὶ πινέτω, et bibat*] Huc deducenda res est. Multi ad Jesum veniunt: sed ipsi sibi desunt, quo minus ipsâ jucundissimâ fruitione, accessum alioquin excipiente, potiantur. *V. g.*

v. 38. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, *credens in me*) *Credere* parallelum est, non verbi *sitire*, sed *venire*. c. 6, 35. Huc ref. *credentes*, v. seq. — καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, *sicut dixit scriptura*) Multa habet scriptura de promissione Spiritus sancti, sub schemate aquae: Jes. 12, 3. 55, 1. 3. Ez. 47, 1. s. Joël. 2, 23. quae Jesus h. l. verbis pronuntiat ad tempus praesens accommodatis. Maxime vero huc pertinet illud Zach. 14, 8., ἐξελεύσεται ὕδωρ ζῶν ἐξ ἱερουσαλὴμ κτλ. etenim illud ipsum caput Zachariae lectum fuerat publice, tanquam Haphtara, primo die scenopegias, quod Jesus, cum venisset medio festi tempore, extremo die repetit *Hierosolymis*. Lectioni die primo non interfuerat: literas non didicerat, v. 15. itaque Lectionis allegatio auditores eo magis commovere debebat. — κοιλίας, *ventre*) בטן penetrale intimum, capacissimum, foecundissimum. Alluditur ad amphoras, quibus ultimo festi illius die aqua ex fonte Siloah per urbem ad sacrarium ferebatur. magnum enim ventrem habebant. — αὐτοῦ, *ejus*) Messiae. Hic est fons, ex cujus abundanti *fluxu fideles accipiunt*. v. 39. — ὕδατος ζῶντος) ὕδωρ ζῶν, Zach. l. c.

v. 39. εἶπε, *dixit*) Jesus. — οὔπω γὰρ ἦν, *nondum enim erat*) *Esse*, pro *adesse*. Matth. 2, 18. Gen. 42, 36. conf. omnino 2 Chron. 15, 3. Refertur γὰρ ad ἔμελλον, et hoc ad futurum ῥεύσουσιν.

v. 42. οὐχὶ, *nonne*) Atqui id ipsum in Jesu verum erat. Cur non animadverterant? admoniti praesertim Matth. 2, 1. s. Anni XXXII non erant tempus immemoriale, praesertim interposita, anno duodecimo, admonitione nova, Luc. 2, 42. — ἀπὸ βηθλεὲμ, *a Bethlehem*) Hoc ut ex evangelistis aliis notum praesupponit Johannes, de Jesu.

v. 43. σχίσμα, *dissensio*) Sic. c. 9, 16. 10, 19. Schisma multiplex esse solet: unius dogmatis vel multorum; et hominum bonorum a malis, vel malorum a bonis, vel bonorum a bonis, vel malorum a malis.

v. 45. ἐκεῖνοι, *illi*) *pontifices*, quos versu 47. interpellant pharisaei.

v. 46. ὡς, *ut*) Character veritatis, etiam idiotas convincentis, prae dominis eorum. [*Haud raro facilius rudiores virtutem verbi Christi, quam sagacissimi, persentiscunt*. V. g.]

v. 48. μή τις, *num quis*) Sic inferunt: in quem non credunt principes, in eum non est credendum. Simili argumentatione ac fremitu utuntur zelotae hodierni, praesertim Romanenses. — ἐκ τῶν φαρισαίων, *ex pharisaeis*) *legem scientibus*, scilicet.

v. 49. οὗτος, *iste*) Hoc ad contemptum pertinet. — τὸν νόμον, *legem*) Saepe *lex* id notat apud Hebraeos, quod nos dicimus *Biblia*. 1 Cor. 9, 8. — ἐπικατάρατοι, *maledicti*) Magnus erat miserorum fremitus. unde metonymia antecedentis et consequentis. i. e. sunt maledicti: credunt in illum: manent maledicti.

v. 50. λέγει, *dicit*) Saepe ii, qui timidi fuerant extra discrimen, in ipso discrimine, veritatis defensores evadunt. [Conf. c. 19, 39.] — εἷς ὤν, *qui unus erat*) Incisum hoc nectitur cum *dicit*.

v. 51. ὁ νόμος, *lex*) quam vos solos scire putatis. v. 49. — κρίνει, *judicat*) id est, judicare docet. — τὸν ἄνθρωπον, *hominem*) quemvis, et hunc. — ἀκούσῃ, *audierit*) Subaudi, *is qui judicat*. [*Regula haec*, audiendum prius hominem esse, quam judicandum, *tantam habet evidentiam, ut vel puerulo pervia sit: attamen summae auctoritatis viri contra eam frequenter impingunt. Insignis pars injustitiae, qua mundus scatet, his ponderatis exularet. Enimvero nusquam ista minus observantur, quam in* Christi *caussa*. V. g.]

v. 52. μὴ, *num*) Aequitatem orationis persentiscunt; quare nil ad eam respondent: tantum ex conclusione ipsa invidiam Nicodemo faciunt, eumque insectantur, quasi omnes et soli Galilaei essent discipuli Jesu. — μὴ καὶ σὺ γαλιλαῖος εἶ;) Sic *Lat.* idque ad mentem Pharisaeorum. ἐκ τῆς γαλιλαίας, pro γαλιλαῖος,

Digitized by Google

ex verbis proximis subsequentibus videntur arripuisse Graeci recentiores. — καὶ ἴδε, *et vide*) i. e. videbis facillime. Provocant ad experientiam: quae tamen non erat universalis. [*Denuo* trivialis formula *recurrit (coll.* v. 27.), *quae, utut videretur nullius momenti esse, sinistre adhibita noxam insignem inferebat. E stupenda eorum multitudine, qui pereunt, vix quenquam invenias, qui non uno alterove hujus generis* πρώτῳ ψεύδει *abreptus, veritatis salutaris efficaciam in se sufflaminet.* V. g.]

v. 53. καὶ ἀπῆλθον ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ) Haec capitis proxime sequentis initium constituere debere, censet Ant. Blackwall de Classicis sacris p. 497. ed. Woll. Si quid mutandum sit, caput VII. terminaveris in τῶν ἐλαιῶν, *olivarum*, ut iidem sint *dierum* in facto, et *periocharum* in textu fines. Res pusilla: sed tamen commodissime retinetur antiqua divisio, ut profectio Jesu ad montem olivarum cohaereat cum ejus ingressu in templum postridie facto.

CAPUT VIII.

v. 1—11. Ἰησοῦς δὲ — καὶ μηκέτι ἁμάρτανε) Sapientia et virtus, quam Jesus in historia adulterae praestitit, tanta est, ut mirum sit, insignem hanc historiae evangelicae partem hodienum a compluribus pro *incerta* haberi. Omittitur etiam in codice ms. *Ebneriano*, sed tantummodo a versu 3. ac sub finem evangelii secundum Johannem ita suppletur, et versui 2. annectitur, ut facile appareat, librarios periocham, pro genuina agnitam, a publica tantummodo lectione removisse. Jo. Lami in libro de Eruditione apostolorum codicem MS. Florentinum IV Evangelistarum Graecum describens ait, *In Evangelio Johannis Jambi in fine scripti sunt. Praecedit index Capitum XIX. Decimum caput omissum fuerat, et extra ordinem in fronte recensitum est* περὶ μοιχαλίδος, De Adultera, *cujus historia in ipso evangelio extat. Scriptio est saeculi XII.* p. 230. — ἐπορεύθη, *ivit*) qui non haberet *domum*. coll. c. 7, 53. — εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, *in montem olivarum*) in eum montem, in quo eum erant postea capturi. c. 18, 2. quum modo frustra conati essent. c. 7, 30.

v. 2. παρεγένετο, *veniebat*) exspectatus. — ἐδίδασκεν, *docebat*) Eo molestiores erant interpellatores. v. 3.

v. 3. κατειλημμένην) תפש LXX καταλαμβάνειν· sed Num. 5, 13. et saepius, συλλαμβάνειν.

v. 4. διδάσκαλε, *doctor*) Ratio, cur judicium ejus requirant. — ἐπαυτοφώρῳ, *in ipso facto*) Talia flagitia plerumque perpetrantur sub *festa*. conf. c. 7, 37. Veritatem hujus historiae comprobant etiam, quae sequuntur, ut v. 12. mentio *tenebrarum*, collato hoc versu, de adulterio, tenebrarum opere: et v. 15. de *judicio*, coll. v. 11.

v. 5. λιθάζειν, *lapidare*) Aut mulier haec sponsa erat, aut sermo scribarum et pharisaeorum est concisus, hoc sensu: *Moses jussit* adulteras *supplicio afficere*, (Deut. 22, 22. ss.) et id supplicium majores nostri *lapidationem* definierunt. v. Grot. ad h. l. — οὖν, *ergo*) Haec particula quaestionem exhibet magis captiosam, quam si aperto antitheto dixissent: *vero*.

v. 6. κατηγορεῖν, *accusare*) violatae legis. Sciebant aequitatem Jesu erga sontes, qui non fori agendi causa in mundum venerat. — δὲ, *autem*) Solent homines otiosi, cogitationibus immersi, interdum gestus varios, etiam scribentium similes habere; quos re seria occurrente, omittunt. Multo alium hic gestum Salvator, re jam a scribis et pharisaeis proposita, adhibet, idque plus semel. — κάτω κύψας, τῷ δακτύλῳ ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν, *inclinans se deorsum, digito scribebat in terram*) Semel scripsit Deus in V. T. Decalogum: semel in N. T. scripsit Christus. scripsit autem digito, neque enim stilo utebatur Sapientia ipsa; et in

Digitized by Google

terram, non in aërem, non in tabellam: scripsit sive pinxit, aut literas verba conficientes, ea ipsa fortasse, quae versu 7. memorantur; aut lineas ductusque nil distincte significantes; utrasvis, quiescente digito vel remanentes vel disparentes. conf. Dan. 5, 5. Scribi solet in futuram memoriam. Itaque haec actio plane ex verbis subsecutis interpretanda videtur, ut hoc Dominus significet: Moses scripsit legem; ego etiam possum scribere. imo Lex Mosis scripta est mea. Vos, Scribae, judicia scribitis in alios; et ego possum scribere in vos. v. 26. Peccata vestra scripta sunt in corde vestro; et nomina vestra in terra. Jer. 17, 1. 13. (quid si *nomina* accusantium scripserit?) Hanc meam scripturam vos nunc non intelligitis; sed *olim*, quid scripserim, toti mundo conspicuum erit, quum libri aperientur, et vestra quoque flagitia patefient omnia. Itaque Jesus I. silenti actione cogitationes adversariorum vagas, festinantes et securas fixit, et conscientiam eorum excitavit. II. significavit, se illo tempore non venisse ad judicia forensia administranda; et malle agere, quod intempestivis accusatoribus otiosum videretur, quam isthuic rei operam dare: (pertinet huc antiqua Glossa, *scripsit in terram*, μὴ προσποιούμενος, *id negotii ad se nil pertinere significans:* pro quo recentiores, καὶ προσποιούμενος) tempus, cum ipse judicem agat et in hanc ream, et in hos actores, et in omnes homines, injustos et justos, omnibus de rebus, non esse, sed olim fore: interim omnia in libros referri; olim terram non esse tecturam flagitia hypocritarum. conf. Jes. 26, 21. Job. 16, 18. Solet enim *scriptio* adhiberi memoriae *in posterum* causa. Ex. 17, 14. Ps. 102, 19. Plane haec actio Jesu Christi habet similitudinem quandam cum ceremonia illa, quae adhiberi solita erat in muliere adultera, Num. 5, 13. 17. 23. s. sed est etiam dissimilitudo. nam lex agit de muliere suspecta; hic locus de deprehensa: et in lege mulier literas per sacerdotem libello inscriptas et aqua elutas, cum aqua et cum pulvere soli bibit; sed literas, quas Jesus in terra ipsa scripsit, mulier non poterat cum aqua, nedum sine aqua bibere. Hinc facile appareat, in actione hac Jesu, quod ad ream attinet, quiddam quasi abruptum inesse et in suspenso relictum, ut significare videatur, esse se judicem quidem, sed judicium non nunc (quare etiam accusatores saucios tantum dimittit in praesenti) sed olim confectum iri, et tum adulteram quoque istam vel poenae vel absolutionis participem fore.

v. 7. ὡς δὲ ἐπέμενον, *cum autem persevererent*) Pro δὲ est *ergo* in *Lat.* plerisque. Ex more Johannis: qui tamen in hac periocha saepius δὲ adhibet, etiam alibi frequentatum, v. gr. c. 9. — ὁ ἀναμάρτητος, *qui peccato caret*) ἀναμάρτητος, si terminationem spectes, est, vel qui peccare non potest, vel qui non peccavit. LXX, Deut. 29, 19.: μὴ συναπολέσῃ ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν ἀναμάρτητον. conf. 2 Macc. 8, 4. 12, 42. Testes in lapidando *primi* esse solebant. [*Hinc* τὸν λίθον *dicitur*, *cum articulo.* V. g.] hi testes omnes aut in ipso illo facto, aut in similibus flagitiis culpam contraxerant, supplicio dignam.

v. 9. ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων, *a senioribus*) Hi maxime perculsi erant. Magna vis verborum Jesu. [*hominum penetralia recludendi.* V. g.] — μόνος, *solus*) nemine eorum remanente, qui causam proposuerant. alii, etiam ex pharisaeis, remanebant v. 2. 12.

v. 10. καὶ μηδένα θεασάμενος πλὴν τῆς γυναικὸς) Glossam antiquis ignotam prodit *praepositio* πλὴν a Johanne nullo in omnibus scriptis loco adhibita; cujus vim passim aliter expressit [1]). — ἐκεῖνοι, *illi*) Jam procul aufugerant.

v. 11. πορεύου, *vade)* Non addit, *in pace*: neque dicit, *remissa sunt tibi peccata tua:* sed, *posthac noli peccare.* c. 5, 14.

---

1) *Itaque omissionem hujus incisi (quam* Ed. maj. *minus probaverat), cum* Ed. 2. *etiam* Vers. germ. *luculenter approbat.* E. B.

Digitized by Google

v. 12. πάλιν, *iterum*) uti cap. 7. Solet Jesus initia sermonum capere a doctrina salvifica: deinde, ubi homines contradicunt, elenchum adjungit. — τὸ φῶς, *Lux*) Sermo conveniens tempori *matutino*, et oppositus operibus tenebrarum, quale est *adulterium*. — τοῦ κόσμου, *mundi*) totius. — ὁ ἀκολουθῶν, *qui sequitur*) Hoc ipso ostendit, nullo modo probari sibi adulterium, quamvis adulteram non condemnarit.

v. 13. εἶπον, *dixerunt*) aperta importunitate. — περὶ σεαυτοῦ, *de te ipso*) Reponunt Domino verba sua, coll. c. 5, 31. sed sensu corrupto. — ἀληθὴς, *verum*) Sermo concisus. Potest homo de se ipso verum dicere, sed id non solet pro idoneo haberi testimonio. Judaei autem, quo vehementius contradicant, testimonium Jesu ne verum quidem esse dictitant.

v. 14. κἂν, *tametsi*) Non loquitur conditionate, sed affirmat, se testari de se ipso. v. 18. Posteaquam multa docuit, postulat ab auditoribus, quod antea non ita postularat. — οἶδα, *scio*) Ex scientia certa et firma proficiscitur testimonium verum. — πόθεν, ποῦ· *unde, quo*) Ad haec duo capita potest referri doctrina de Christo. De illo agitur v. 16. seqq. de hoc, v. 21. seqq. — ὑμεῖς, *vos*) Penes vos culpa est, cur veritatem testimonii mei non assequamini: vos egetis, ut vobis dicam, quod nemo mortalium vobis potest dicere. — ἔρχομαι, *veniam*) Diff. ab ἦλθον, *venerim*. Verbo *venerim* significat Jesus, Se semper scisse: verbo *veniam*, Judaeos ne nunc quidem scire.

v. 15. κατὰ τὴν σάρκα, *secundum carnem*) adeoque *secundum adspectum*. c. 7, 24. [*Antitheton*, superne, v. 23. V. g.] — οὐ κρίνω, *non judico*) Conf. v. 11.

v. 16. ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ, *judicium meum*) Eadem ratio judicii, quae testimonii. v. 14. 17. c. 5, 30. s. *Testimonium*, de Deo et Filio Dei; *judicium*, de hominibus. — ἀληθὴς, *verum*) non secundum carnem. v. 15. — μόνος οὐκ εἰμὶ, *solus non sum*) etiam in judicando. Conf. c. 5, 19. — ὁ πέμψας με, *qui misit me*) Hoc ipso significat, unde venerit.

v. 17. καὶ) *etiam*. — ἐν τῷ νόμῳ τῷ ὑμετέρῳ) *in lege vestra*, ad quam vos refertis. v. 5. — δύο ἀνθρώπων, *duorum hominum*) quanto magis Dei et filii Dei? Hi testes quum *duo* dicuntur, argumentum est ejusdem naturae. Vide de his duobus, Zach. 6, 13. fin. — ἀληθὴς, *verum*) irrefragabile.

[1]) v. 19. ποῦ, *ubi*) Quaerunt, *ubi*, ut sciant, unde *missus* a Patre venerit Jesus. — οὔτε ἐμὲ, *neque me*) Non respondet Jesus statim directe ad interpellationem judaicam, *ubi est Pater tuus?* sed sermonem institutum prosequitur, simulque tamen viam ad respondendum parat. Ostendit enim perversitatem interrogationis, et docet, illos debere prius cognoscere filium, quem in carne videant et audiant, si velint cognoscere Patrem. Nam Filio cognito, cognoscitur Pater. conf. v. 16. 18. ubi Filius ante Patrem nominatur. add. Matth. 11, 27. et infra, c. 14, 9. Pater ubi sit, clare docet v. 23. Atque hoc loco, de Patre rogatus, respondet de Se; mox vicissim de Se rogatus, respondet de Patre; v. 25. 27. quia Ipse et Pater unum sunt. — καὶ, *etiam*) Conf. c. 14, 7. 9. s. — ἤδειτε ἄν, *nosseris*) ita ut non opus esset vobis quaerere, ubi sit. Habet hic locus testimonium clarissimum, de unitate Patris et Filii: quare v. 20. ut mirabile quiddam describitur, quod Jesum non comprehenderint.

v. 20. ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, *in gazophylacio*) eo loco, ubi aliquis facile potuisset capi: ubi maxima erat hominum frequentia. — διδάσκων, *docens*) Considerari hic potest Didactica Christi, ex Johanne speciatim. Christus, Doctor *unus, verus, bonus*. *Unus*, Matth. 23. summa dignitate, v. 8. potestate, v. 9.

---

1) v. 18. καὶ, *et*] Hic *duo* testantes memorantur expresse: accedit tertii, Spiritus sancti testimonium. *V. g.*

auctoritate, v. 10. *Verus*, Joh. 7. nam missus est a Deo, et vera docet. *Bonus*: didacticus. conf. 2 Tim. 2. Tria doctorum genera, Matth. 23. *Prophetae*, *Sapientes*, *Scribae*. *Scribae* titulum non gessit Ipse, sed discipulis reliquit, Matth. 13, 52. Non opus ei fuit discere, Joh. 7, 15.: non nisi semel legit, Luc. 4, 17. *invenit locum*: semel scripsit, Joh. 8, 6. Ideo suo nomine non scripsit libros, ut apostoli, neque usus est apparatu librorum: aliquas tamen epistolas dictavit, Ap. 1. Supersunt duo tituli *Sapientiae* et *Prophetae*. Matth. 12, 41. 42. *Prophetae* nomen alias majus, quam *Sapientis*. In Christo sublimius quodammodo nomen est *Sapientia*, quam *Propheta*. Precatus est: Patris mandata secutus. Discipulos ad se traxit suaviter 1) apud Johannem, c. 1, 38. ss. coll. c. 8. 2) apud Lucam etc. Docuit eos ordine, primo de sua persona, de se ut Christo, 1) praesente populo. 2) praesentibus adversariis. 3) seorsum; tum, de sua passione et resurrectione: docuit primo, sermone aperto; deinde per parabolas, Matth. 13.: primo, in nuptiis; deinde, aliis occasionibus. Docuit aliter *populum*, aliter *Pharisaeos*, aliter *discipulos Johannis*, aliter *suos*. Docuit de jejunio discipulorum Johannis, de baptismo Johannis, Matth. 21. de numismate etc. Docuit operibus potius, quam verbis, Matth. 11, 1. s. docuit etiam gestu et vultu. Luc. 20, 17. Fugit celebritatem, Matth. 12. Docuit interrogans; docuit interrogantes. Discrimen etiam discipulorum invicem tenuit. Docuit aliter ante resurrectionem, aliter post resurrectionem. Praedictio passionis fuit 1) aenigmatica, 2) aperta. Sequebatur valedictio, discessus denique ipse, 1) in passione: 2) in ascensione. Non desiit, donec dixit: *Nunc creditis*, Joh. 16, 31. Confirmavit doctrinam e Scripturis, et per miracula. Discipulos jussit discere experiendo, Joh. 16, 22. 23. init. Occasiones sapienter sumsit. Joh. 4. Brevi colloquio Nathanaëlem, Samaritanam docuit, quod discipuli aliquot annis didicere. Sublimibus auditoribus sublimia proposuit, Joh. 3. Sensim aperuit rem. Joh. 16, 4. 12. 11, 13. Non omnia planissime exposuit: sed justis aenigmatibus involvit. Perspicuitate promiscua multi peccant. Scriptio nostra non migret consuetum doctrinae ordinem. si alicubi diversa erit, non dilabetur ad philosophemata, sed se recipiet ad Scripturam S. Porro, Christus non mansit uno loco, nec semper apud eosdem. vid. Joh. 4, 44. Habuit virtutes boni doctoris, easque ostendit, suaviter et leniter. Matth. 11. Luc. 4. Discipulos misit XII, deinde LXX. sensim precari docuit. Luc. 11, 1. Joh. 16, 24. etc. — οὐδεὶς ἐπίασεν, *nemo comprehendit*) etsi conabantur.

v. 21. πάλιν, *iterum*) Nam dixerat cap. 7, 33. s. quum insidiati essent, ut hoc loco. — ἁμαρτίᾳ, *peccato*) Singularis. una tota perditio, ex infidelitate, per quam omnia peccata vigent. v. 24. Hoc loco emphasis est in priore vocabulo, *peccato*, deinde in priore verbo, *moriemini*. v. 24. — ἀποθανεῖσθε, *moriemini*) morte omnimoda. — ὑπάγω, *vado*) v. 22. c. 13, 33. 36. 14, 4.

v. 22. μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτόν, *numquid interficiet se ipsum*) Pessima cogitatio. imo Judaei illum erant occisuri. Volunt dicere, se eum ubique posse invenire.

v. 23. ὑμεῖς, *vos*) Iterum interpellationem eorum praeterit Jesus; et probat, quae dixit v. 21. coll. c. 3, 13. — ἐκ τῶν κάτω, *ex iis quae infra sunt*) ex terra. — ἐγώ, *ego*) Ostendit, unde sit et venerit, et quo sit iturus; ex mundo ad Patrem. — τούτου, *hoc*) Hoc addito ostenditur, esse etiam alium mundum. c. 9, 39.

v. 24. [1]) ἀποθανεῖσθε, *moriemini*) Judaei ex v. 21. verba graviora neglexerant. cetera assumserant v. 22.; nunc ergo graviora illa repetuntur.

---

1) ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσητε, *nisi enim credideritis*] Credentes Christo adhaerescunt, perque Ipsum eo pertingunt, quo non possent alioquin pervenire. *V. g.*

Digitized by Google

v. 25. s. σὺ τίς εἶ, *tu quis es*) Respiciunt illud: ἐγώ εἰμι, *ego sum.* Interrogant, animo tamen ita perverso, ut non habeant constitutum dicenti credere. — εἶπεν, *dixit*) Non dicitur, *respondit.* Interpellationi judaicae minus directe satisfacit Dominus; sed rei ipsi plane, atque ita, ut in suo sermone progrediatur. Similis quaestio et responsio, c. 10, 24. seq. — τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν καὶ κρίνειν· ἀλλ᾽ ὁ πέμψας με ἀληθής ἐστι, κἀγὼ ἃ ἤκουσα παρ᾽ αὐτοῦ, ταῦτα λέγω εἰς τὸν κόσμον) Unam haec omnia periocham constituunt, cujus et protasis bimembris est et apodosis, ita, ut aptissime inter se respondeant, tali modo:

Principio, quum etiam loquor vobis,
multa habeo de vobis loqui et judicare:
Sed is, qui misit me, verus est;
et ego, quae audivi ab illo, haec dico in mundum.

Quodvis verbum proprio suo significatu sumi hoc loco et debet et potest. I. Τὴν ἀρχὴν, non valet hic ὅλως *omnino*, sed proprie, *principio.* Ostendi id ad Chrysost. de Sacerd. p. 425. seq. nec non ad 1 Cor. 5, 1. atque expendi merentur Raphelii Herodotea p. 293. seqq. *Nonnus cum retinere potuisset* (inquit Joach. Camerarius) τὴν ἀρχὴν, *non obstantibus numeris versus, mutavit* in Ἐξ ἀρχῆς. ὅττι περ ὑμῖν Ἐξ ἀρχῆς ὀάριζον. II. ὅτι est *quod, quum, quia*, uti v. 45., *Ego autem* ὅτι *quod veritatem dico, non creditis mihi.* Expendatur eadem particula, v. 22. 43. 2, 18. 11, 47. 56. etc. III. καὶ, sub initium, non ipso initio, commatis, valet *etiam*: et hoc loco vim praesentis temporis et indicativi modi in verbo λαλῶ intendit; collato καὶ *etiam* 1 Cor. 15, 29. Phil. 3, 8. IV. λαλῶ, *loquor*: i. e. non modo *loqui habeo*, non modo *locutus sum*, sed etiamnum *loquor.* V. ὑμῖν, *vobis*, est Dativus commodi. i. e. *de me, quis sim, loquor, ut credatis et salvemini.* Non facile distinctio ulla plus molestiae peperit exegetis, quam *punctum* post hoc ὑμῖν. *Comma* defendunt codices mss. in apparatu citati, p. 589., et praeter *Chrysostomum, Nonnum, Scaligerum*, qui ibidem memorantur, *Knatchbullus, Raphelius*, nec non *Jac. Faber, Corn. Jansenius, Franc. Lucas.* VI. πολλὰ περὶ ὑμῶν, *multa de vobis*, ob *multam* vestram incredulitatem. Haec erat summa quaerelae Jesu Christi de Judaeis, ubique, hic praesertim, ubi de abitu suo mentionem facere incipit. VII. ἔχω λαλεῖν καὶ κρίνειν, *habeo loqui et judicare.* Huc pertingit τὴν ἀρχὴν, et sic valet plus quiddam, quam πρῶτον. *Nunc primum* longe maxima causa a Judaeis est Domino data loquendi et judicandi de ipsis, postquam tot testimonia audierant, nec tamen crediderant. Similiter νῦν *nunc* ponitur Luc. 11, 39., in elencho, cui magna erat ansa data. Conf. ἤρξατο, *coepit*, Matth. 11, 20. Hic desinit protasis, qua tota idem dicitur, quod c. 6, 36., *dixi vobis, vos et vidisse me, et non credere:* et c. 10, 25. s. ubi ad eandem quaestionem eadem responsio, aliis tantum verbis, iteratur. VIII. Sequitur apodosis ab ἀλλ᾽ incipiens, in qua, *quis sit*, satis aperte significat. IX. ὁ πέμψας με ἀληθής ἐστιν i. e. *quanquam usque adeo non creditis, ut incredulitas vestra maximam causam praebeat, cur vos judicare possem: tamen Is, qui misit me in mundum, verus est. Ipsius fidem infidelitas vestra non tollit.* X. κἀγὼ, ἃ ἤκουσα παρ᾽ αὐτοῦ, ταῦτα λέγω· i. e. *haec* dico, quae ille Verus mihi ad salvandos vos, non ad judicandos, mandavit; quorum summa est, me ab Illo esse missum: haec dico unice, non alia, quae ad vos judicandos pertinerent. c. 3, 17. 5, 45. 12, 47. XI. εἰς τὸν κόσμον. Sermo concisus. i. e. *haec mundo ante ignota pertuli in mundum, et loquor in mundo, ut didantur per testes meos in mundum totum, a fide alienum, at, sive vos credetis, sive minus, crediturum. Vestram contumaciam non moror.* Ex quatuor membris hujus periochae, ineunte hac annotatione designatis, primum et quartum, secundum et tertium, convenientissimo χιασμῷ cohaerent. In protasi et incisum prius, *etiam loquor vobis*, et al-

terum, *multa habeo de vobis loqui et judicare,* et nexus utriusque spectari debet. Est enim antitheton, *etiam loquor*, idque *vobis: habeo loqui et judicare,* idque *de vobis.* Apodosis per se facilis est: sed quomodo ea ad protasin se habeat, non protinus perspiciunt, qui sententiam minus quam verba intuentur. Hi observabunt, *infidelitatem* Judaeorum notari in protasi; *sed* immotam Jesu perseverantiam, in *veritate* salvifica proponenda, declarari *potius* in apodosi, ipsamque simul veritatem de Jesu, *quis sit*, summatim ingeri. confer omnino totum versum 28. *Initium sermonis,* inquit, *ab judicio infidelitatis vestrae, nunc magis etiam quam antea, jure possim facere, prius quam cetera promam: sed non tam tristia de vobis, quam salutaria de me constanter dico.* Permulti haec verba τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, seorsum sumunt: et quidem H. B. Starkius sic resolvit, *Initio* scil. dixi, *quod etiamnum dico vobis.* quae pridem fuerat Nic. Hemmingii explicatio, non longe abeunte in Homiliis Johanne Brentio. Ceteri sic fere: ὃν τινα εἶναί με τὴν ἀρχὴν ἔλεγον, εἰμί. i. e. *sum is quem esse me initio dixi vobis.* quae interpretatio quam facilem infert sententiam, tam multas a verbis textus, si contenderis, discessiones facere deprehendetur.

v. 27. οὐκ ἔγνωσαν, *non norant*) Per hanc epicrisin Johannes admirationem suam significat, ob infidelitatem et coecitatem Judaeorum: uti cap. 12, 37.— τὸν πατέρα, *Patrem*) Pater eum *miserat:* v. 26. et Patre cognito, cognovissent, Jesus *quis* esset. v. 25.

v. 28. ὑψώσητε, *exaltabitis*) in cruce. — τότε, *tunc*) non prius. 1 Cor. 2, 8. — γνώσεσθε, *cognoscetis*) ex re, quod nunc ex verbo non creditis. v. 24. Eventum legimus Matth. 27, 54. Luc. 23, 47. s. Act. 2, 41. 21, 20. — καὶ, *et*) Oratio sic cohaeret: *Ego sum* (id quod aliquando cognoscetis) *et a me ipso facio nil,* etc. Ab h. l. ad finem v. 29. sunt quatuor sententiae. prima incipit, *et a me ipso:* secunda, *et qui:* tertia, *non reliquit:* quarta, *quia.* Ex his secunda et tertia sunt parallelae; itemque prima et quarta. — ποιῶ, *facio*) Subaudi, *et loquor.* — καθὼς — ταῦτα, *sicut — haec*) Similis locutio, ὅσα — οὕτω· *quae — sic.* Num. 32, 31. Vid. *Comen.* in Didact. — λαλῶ) *haec,* quae loquor, *loquor.* Subaudi, *et facio.* Alterum ex altero supplendum.

v. 29. καὶ, *et*) et ideo. — οὐκ ἀφῆκε με, *non reliquit me*) Praeteritum significat, nullo unquam tempore se relinqui. Congruit τὸ πάντοτε, *semper.* — ὅτι, *quia*) Conf. c. 15, 10. — τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ, *quae placita sunt ei*) Argumentum, quo Judaei ad credendum Jesu Christo perducti sunt, idem militat pro omni auctoritate Scripturae S. et religionis Christianae. Semper, ubique, omni modo, ab omnibus postulat, omnes docet, ea omnia, quae Deo sunt placita, et Deo digna. — πάντοτε, *semper*) Haec summa cum suavitate dixit Dominus.

[1]) v. 31. ὑμεῖς, *vos*) qui credere coepistis, quamvis ceteri non credant. — μείνητε, *manseritis*) Act. 13, 43. — ἀληθῶς, *vere*) Non satis est coepisse. sic, ὄντως, *revera.* v. 34. — ἐστὲ, *estis*) jam: modo constetis.

v. 32. τὴν ἀλήθειαν, *veritatem*) de me, misso a Patre: de vobis, vere discipulis meis. — ἡ ἀλήθεια, *Veritas*) cognita, de me; et Ego ipse. Filius enim liberat, v. 36. [*coll.* c. 1, 12.] et est Veritas. c. 14, 6. — ἐλευθερώσει, *liberabit*) Non debemus mirari, Jesum repente injecisse mentionem hanc, cui contradicturi erant Judaei. Semper enim, pro infinita sua sapientia, id potissimum locutus est, quod oppugnaret praejudicia hominum, et hominibus esset saluberrimum; quamvis homines inde litigandi causas caperent. *Libertas* est immunitas filiorum Dei ab omni potestate contraria. [*a peccato videlicet ejusque servitio,* v. 34., *et a morte,* v. 51. V. g.]

---

1) v. 30. ἐπίστευσαν, *credebant*] Tenellum hoc fidei quasi germen fuit. Sed acris insecuta est boni et mali pugna, v. 44. *V. g.*

v. 33. ἀβραὰμ, *Abrahae*) Ad hunc denuo provocant v. 52. — οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν, *nemini servivimus*) Loquuntur de sua aetate. nam majores servierant regi Aegyptiaco et Babylonico. — ἐλεύθεροι, *liberi*) Hoc unum arripiunt: de *veritate* liberante nil movent. Sic quoque versu 22. verba Jesu praegressa mutilarunt. Turba erat promiscua. Aliqui eorum propenso in Jesum animo erant; inimico alii. Illorum nonnulli praecedentibus de fide sermonibus moti ad fidem adspirare coeperant, sed hoc momento pedem retulerunt.

v. 34. ἀπεκρίθη, *respondit*) Jesus exceptioni duplici Judaeorum inverso ordine respondet, et primum orationem de *libertate* pertexit; deinde de *Abrahae* liberis disserit, a v. 37. — ὁ ποιῶν) *qui facitat* peccàtum, *veritati* oppositum. — δοῦλός ἐστι, *servus est*) ipso facto. 2 Petr. 2, 19. Rom. 6, 16.

v. 35. δοῦλος) *servus*, statu; *servilis*, illiberali ingenio, adeoque peccatum faciens. — ἐν τῇ οἰκίᾳ) *in domo* Patris. — ὁ υἱὸς, *Filius*) unigenitus. coll. v. seq. Articulus majorem hic vim habet, quam in antitheto, ὁ δοῦλος. — μένει, *manet*) in domo. Alluditur, quia de Abrahamo quaestio est, ad Gen. 21, 10. 25, 5. coll. Gal. 4, 22. s.

v. 36. ὁ υἱὸς, *Filius*) unigenitus.

v. 37. ἀλλὰ, *sed*) alitis peccatum, occidendi mei consilium. — ὁ λόγος ὁ ἐμὸς, *sermo meus*) sermo veritatis et libertatis. — οὐ χωρεῖ, *non capit*) Antipathiam habent, qui non credunt, adversus Christum et verbum ejus. conf. v. seq. Correlata: homo *manere* debet; sermo *capere*. v. 31.

v. 38. λαλῶ, *loquor*) Subaudi, *et facio*. vide mox. — καὶ, *et*) Sequitur hoc e sententia generali, quae in priore hemistichio praesupponitur: Imitatur quisque patrem suum. — ποιεῖτε, *facitis*) Subaudi, *et loquimini*. quanquam *loquor* magis huic loco congruit de Jesu; et *facitis*, de adversariis. Membrum alterum ex altero supplendum. Sic Malach. 1, 14., *qui habet in grege suo masculum* (et labis expertem) *et votum faciens immolat* (femellam, aut ceteroqui) *inidoneam* victimam.

v. 39. ἀβραὰμ, *Abraham*) Defendere conantur, quod dixerant v. 33. Sentiunt de alio ipsorum patre loqui Jesum. — ἐποιεῖτε) ἂν *subauditur*, uti c. 9, 33.

v. 40. ἀποκτεῖναι, ἄνθρωπον, *interficere*, *hominem*) Solet Jesus appellare se *Filium hominis*; hoc autem loco, *hominem*. nam huic loco respondet, quod v. 44. diabolum appellat *homicidam*. Itaque ad *me* potius, quam ad *hominem*, videtur referri *qui*. — τὴν ἀλήθειαν, *veritatem*) pretiosam, hominibus alias ignotam et vobis exosam. Saepe jungitur *veritas* et *vita*, falsitas et mors. Illae sunt Christi et fidelium; hae, Diaboli et impiorum. v. 44. — οὐκ) *non* hoc, sed plane diversum, dignum amatore Christi. Vid. infra, v. 56.

v. 41. τοῦ πατρὸς ὑμῶν, *patris vestri*) Hujus nomen nondum exprimitur: sed idem mox ut Judaei audent Deum appellare patrem suum, expresse appellatur, *Diabolus*. v. ss. — ἐκ πορνείας, *ex stupro*) Novus importunitatis judaicae paroxysmus. — ἕνα, *unum*) eumque certum. Confirmant, se non esse spurios.

v. 42. ἠγαπᾶτε, *amaretis*) adeo non isto odio capitali me prosequeremini. — ἐξῆλθον, *exivi*) Innuitur terminus a quo. — ἥκω, *adsum*) Innuitur terminus ad quem.

v. 43. διατί, *quamobrem*) Huic particulae mox respondet versus 44. — ὅτι, *quod*) Hoc commate declaratur proxime praecedens. conf. ὅτι, c. 11, 47. 9, 17. — τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν) *loquelam meam*, verissimam. — οὐ δύνασθε ἀκούειν, *non potestis audire*) prae odio vobis innato. Similis epitasis, *non potest*, 1 Cor. 2, 14.

v. 44. ὑμεῖς, *vos*) Elenchus apertissimus. — καὶ, *et*) et inde. — ἐπιθυμίας, *cupiditates*) quas ab initio non potuit perficere, respectu Filii Dei. — θέλετε, *vultis*) obnixe. — ἀνθρωποκτόνος) *homicida*. — ἀπ᾽ ἀρχῆς, *ab initio*) ex quo ali-

Digitized by Google

quid novit de natura humana. — καὶ ἐν — ὅταν, *et in — quum*) Duae sententiae duo contraria exprimentes. utrivis additur ὅτι, *quia*. — οὐχ ἕστηκεν, *non constitit*) Tempus praeteritum et ipsum thema ἵστημι *sto* hoc significant: non assecutus est statum in veritate: (Similis locutio, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν, *in qua statum nacti sumus*, Rom. 5, 2.) i. e. *mendax erat ab initio, perinde ut homicida.* namque hoc comma cupiditatem homicidii memoratam non antecedit, sed sequitur. — οὐκ ἔστιν, *non est*) *Fuit* in illo veritas; sed *non est*. Utprimum autem in illo veritas desiit esse, ipsius culpa; cupiditas homicidii locum habuit, hominemque sub ea ratione, quod in veritate erat, occidere statuit. Ex eo patet, non multo ante peccatum hominis peccasse diabolum, et diabolum non multo ante creatum fuisse, quam peccaret. — τὸ ψεῦδος, *mendacium*) Scriptura non modo mendacium voluntarium, sed etiam errorem ipsum gravi hoc nomine notare solet. Rom. 1, 25. 2 Thess. 2, 9. 11. 1 Joh. 2, 21. 27. — ἐκ τῶν ἰδίων, *ex propriis*) Ortus mali. Contrarium de Christo, cap. 7, 17. — καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, *et pater ejus*) Articulus ὁ vim habet: *atque adeo.* Vocula *ejus* expresse referri potest ad *mendacium*, de quo in colo proximo: sed potius referri debet ad nomen, *mendax*, sensu indefinito repetendum. Nam aliquando relativum expressum vel intellectum pertinet ad subjectum aliud simile. 1 Tim. 2, 15., *Salvabitur* scil. *ea, mulier*, indefinite: tametsi *ea* refertur ad *Evam*. v. praec. Joh. 1, 21.: *nudus exivi ex ventre matris meae: et nudus revertar ILLUC.* Ita hic *Diabolus* dicitur *et ipse mendax, et pater cujusvis mendacis.* Clara est enim oppositio inter Deum et inter Diabolum, inter filios Dei et inter filios Diaboli. Homo mendax, filius Diaboli; non *mendacium soboles* diaboli hoc loco dicitur.

v. 45. ἐγὼ, *ego*) Hoc pronomen cum emphasi ponitur initio sententiae. — ὅτι, *quod*) quin. Veritatis est, non credi a malis. — τὴν ἀλήθειαν, *veritatem*) cui *mendacium* opponitur. — λέγω, *dico*) Antitheton: *loquitur*. v. praec. — οὐ, *non*) Mihi non auscultatis: diabolo auscultatis.

v. 46. ἐλέγχει, *arguit*) Provocat Jesus ad omnium conscientiam. — περὶ ἁμαρτίας, *de peccato*) id est, me errare, et a *veritate* abesse. quis audet id contendere? — διατί, *cur*) Huic *cur* respondet versu 47. *propterea*. Conf. *cur*, v. 43.

v. 47. ἐκ τοῦ θεοῦ, *ex Deo*) tanquam ex patre. — τὰ) ille solus verba Dei audit. — διὰ τοῦτο, *propterea*) Conclusio: vos non estis ex Deo, v. 42., probatur ab effectu: quia non auditis.

v. 48. ἀπεκρίθησαν, *responderunt*) injustissima retorsione, per formulas tum usitatas. — οὐ καλῶς λέγομεν ἡμεῖς; *non bene dicimus nos?*) Cum aliqua adhuc formidine horrendam contumeliam pronunciant. — σαμαρείτης, *Samarita*) alienus a vero Deo veri Israëlis. Respondet Jesus v. 54. fin. et seq. — σὺ) *tu*, inquiunt, non *nos*. — δαιμόνιον, *daemonium*) Ita dixerunt, qui putarunt, sermones Jesu fluxisse ex vesana superbia et arrogantia. Sic patet ratio eorum, quae respondet Jesus, v. 49. ss.

v. 49. τιμῶ τὸν πατέρα μου, *honoro patrem meum*) manifestando nomen ejus. — καὶ ὑμεῖς) *et vos* tamen. — ἀτιμάζετέ με, *ignominia afficitis me*) Id fecerunt v. 48.

v. 50. οὐ ζητῶ, *non quaero*) uti vos putatis; ideoque me contumelia afficiendum statuitis. — ἔστιν, *est*) Non quaero gloriam meam; neque opus est, ut ego quaeram. nam Pater meus eam asserit.

v. 51. ἐάν τις, *si quis*) Probat Jesus ab effectu futuro, quo Pater ipsum sit honoraturus, se suumque verbum nil habere commune cum Diabolo superbo et homicida. — τηρήσῃ, *servarit*) uti ego Patris mei verbum servo. v. 55. *Servare* debemus doctrinam Jesu, credendo: promissa, sperando: facienda, obediendo. — θάνατον, *mortem*) Docet Jesus, se non esse Samaritam. Samaritae erant Sadducaei, hostes immortalitatis, teste *Epiphanio*. Certe Judaei hic lo-

Digitized by Google

quentes id videntur in Samaritas contulisse. Minorem tamen eorum partem eo errore laborasse, assentiar. — οὐ μὴ θεωρήσῃ, *non videbit*) Efficacissimum argumentum contra psychopannychitas.

v. 52. νῦν ἐγνώκαμεν, *nunc cognovimus*) Antea cum dubitatione aliqua locuti erant: v. 48. *nunc* asseverationi Jesu, v. 51., opponunt affirmationem hanc.

v. 53. μὴ σὺ μείζων, *num tu major*) tu, inquiunt, qui servanti verbum tuum promittas immortalitatem, quae Abrahamo et prophetis non obtigit, tantis hominibus. — καὶ, *et*) Resolve: *et* major quam *prophetae*, qui *mortui sunt?* Sane major Christus Abrahamo et prophetis.

v. 54. ἀπεκρίθη, *respondit*) Refutat illa verba: *te ipsum tu.* — ὃν ὑμεῖς λέγετε, ὅτι θεὸς ἡμῶν ἐστι) Simillima constructio c. 10, 36. ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε — ὑμεῖς λέγετε, Ὅτι βλασφημεῖς. Item Gal. 1, 23. Jac. 1, 13., et Jos. 22, 34. in Hebr. Nam LXX αὐτῶν pro ἡμῶν, uti h. l. pro ἡμῶν aliqui scripserunt ὑμῶν. — λέγετε, *dicitis*) falso.

v. 55. οἶδα) Modo dixit, οὐκ ἐγνώκατε· nunc, non, ἔγνωκα, sed οἶδα. ἔγνωκα dicit initium quoddam: at Filii notitia de Patre est aeterna; novit *Patrem* et *gloriam*, quam ipsi Pater tribuit. — ψεύστης, *mendax*) Mendax est, qui vel affirmat neganda, vel negat affirmanda. — οἶδα αὐτὸν, καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ, *novi eum, et sermonem ejus servo*) Primum ait, *novi:* inde, *servo.* est enim Filius. At fideles, illo instituente, *servant verbum:* et sic acquirunt *notitiam.* c. 7, 17. not.

v. 56. ὁ πατὴρ ὑμῶν, *pater vester*) v. 37. 39. — ἠγαλλιάσατο, ἵνα, *exultavit, ut*) Gestivit cum desiderio. Similis sermo Rom. 10, 1. Verba desiderandi sequitur ἵνα, *ut.* Haec ἀγαλλίασις *exsultatio* praecessit visionem; et visionem comitabatur iterum χαρὰ *gaudium.* — τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν, *diem meum*) Diem Majestatis Christi: Phil. 1, 10. [1 Cor. 1, 8.] qui dies omnia Christi tempora, etiam in oculis Abrahae, praesupponit. Alii sunt dies carnis Christi (ut aliis se impendit) alius dies Christi ipsius et gloriae ejus. Hic dies respectu hujus sermonis erat futurus. Ergo gaudium Abrahae diem illum praecessit. — καὶ εἶδε, *et vidit*) Vidit, jam tum in revelatione gloriae meae divinae v. seqq. Hebr. 11, 13. Vidit diem Christi, qui in semine, quod stellarum instar futurum erat, sidus maximum est et fulgidissimum. Et quia hunc diem plane vitalem vidit, mortem non vidit. v. 51. ss. Sic Judaeorum instantia retunditur. Non tamen vidit, ut Apostoli. Matth. 13, 17. — καὶ ἐχάρη, *et gavisus est*) compos voti factus.

v. 57. πεντήκοντα, *quinquaginta*) Contentionis causa amplificant numerum. Dicerent autem: triginta et non multo plures annos; nisi plane obliti fuissent nativitatis Bethlehemiticae. Nunc hoc dicunt: Nondum attigisti semiseculum, sive annum superannuationis, Num. 4. ut Lightfootus observat: unde locutio est adagio non dissimilis. Non est credibile, Jesum propter angores praematuram senectutis speciem contraxisse. Hebr. 1, 9. Matth. 9, 15. 11, 19. — ἀβραὰμ, *Abraham*) Is 1850 annis ante hoc colloquium obierat. — ἑώρακας, *vidisti*) Loquuntur, (et recte hoc quidem, coll. c. 16, 16. 22.) vi correlatorum: Si Abraham tuum diem vidit; tu Abrahamum vidisti.

v. 58. πρὶν ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμί· *antequam Abraham fieret, ego sum*) Refutantur Judaei, qui negabant, Abrahamum jam tum potuisse videre diem illum. *Eram,* inquit Jesus, *jam tum: itaque Abrahamum vidi, et Abraham vidit diem meum. non modo non postea demum esse coepi, sed eram, antequam ille fieret.* Notanda differentia verborum, *fio* et *sum.* Marc. 4, 22. Act. 26, 29. 1 Cor. 3, 18. Est autem sermo concisus, hoc sensu: *Antequam Abraham fieret,* ego eram: et hodie, tanto post obitum Abrahae spatio, *ego sum.* Etenim saepe ita loquitur Johannes, ut protasis et apodosis se mutuo expleant. v. 28. 38. c. 5, 21. 30. 11, 8. 14, 10. 15, 27. Ap. 14, 10. nott. Sic eleganter cohaeret particula *ante* et praesens *sum.* Conf. etiam Col. 1, 17.: *Ipse est ante omnia.*

zed by Google

Et tamen Artemonius in Diss. IV. p. 618. hunc sermonem, audaci Enjedini exemplo, Barbarismum vocat. atqui praesens saepe ita ponitur, ut praeteritum includatur. Luc. 15, 29.: *tot annos* (servivi et adhuc) *servio tibi*. Ibid. v. 31.: *semper mecum* (fuisti et) *es*, ut Gothus interpretatur. LXX Ps. 90, 2., πρὸ τοῦ ὄρη γενηθῆναι σὺ εἶ· ubi distinctionem nullo conatu mutare potest Artemonius. Prov. 8, 25., πρὸ πάντων βουνῶν γεννᾷ με· ubi si modo recte ait Artemonius esse mendum, nil propius est (pro חוללתי) quam γεννῶμαι, quod idem praesens est. Velim videre, quid excogitaret contra Jer. 1, 5.: πρὸ τοῦ με καταπλάσαι σε ἐν κοιλίᾳ, ἐπίσταμαί σε· Artemonius, cum Socino, sic explicat: *Antequam Abraham fiat pater multarum gentium; ego sum*, scil. Christus. et *ego sum* accipit, uti v. 24. 28. c. 13, 19. Marc. 13, 6. Resp. 1) Judaei objecerant Abrahamum ante annos quinquaginta et longe plures defunctum: non spectabatur ab eis Abrahamus Novi Test. futurus. 2) Haec sententia non tulisset gravissimam asseverationem, *Amen amen dico vobis*. Sic enim etiam Judaei, qui tum vivebant, ante Abrahamum fuissent. 3) Verbum *sum* in hoc colloquio de aetate ac tempore ponitur in antitheto ad inchoativum *fieri:* oppositorum autem est eadem ratio, et utrumque verbum absolute debet accipi, uti *erat* c. 1, 1. etc. Absoluta tamen haec significatio alteram illam per consequentiam includit: Antequam Abraham fieret; Hic, qui loquitur, erat; idemque erat is, quem se esse Judaeis affirmabat. — πρὶν ἀβραὰμ γενέσθαι) Γενέσθαι desideratur apud antiquos patres quosdam, Latinos praesertim: sed omissionem non fert usus πρὶν adverbii. Illud quidem certum est, patres illos de Sociniana verbi γενέσθαι, atque adeo totius loci hujus detorsione nil cogitavisse.

v. 59. ἦραν, *sustulerunt*) Habebant pro blasphemo. — λίθους, *lapides*) arma multitudinis. — ἐκρύβη, *abscondit se*) non conferendo se in latebram, sed quod oculis eorum conspicuus esse desiit, modo miraculoso (coll. Jer. 36, 26.) dum templo exivit.

v. 59. et 9, 1. καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, καὶ παρῆγεν οὕτως· καὶ παράγων εἶδεν κτλ.) Haec videtur media esse et genuina lectio; [Vid. App. Crit. Ed. II. ad h. l.] nam ad παρῆγεν aperte refertur παράγων, et οὕτως denotat miraculosam facilitatem discessus. — παρῆγεν — καὶ παράγων, *praeteriit — et praeteriens*) Similis nexus Act. 27. fine, et c. 28. initio. — οὕτως, *sic*) ut si nemo eum peteret.

CAPUT IX.

v. 1. Καὶ παράγων, *et praeteriens*) statim post impetum hostium. — τυφλὸν, *coecum*) qui apud templum mendicabat. conf. Act. 3, 2.

v. 2. ἠρώτησαν, *interrogaverunt*) Cognitam habebant scientiam Magistri. — οὗτος, *hic*) Interrogatio haec discipulorum non debet curiose exquiri: num et quando coecus ille peccare potuerit et inde coecitatem contrahere. Interrogatio, disjunctiva praesertim, nil affirmat: et affirmatio *discipulorum* non cogeret nos ad assensum. — γεννηθῇ, *nasceretur*) *Natum fuisse* coecum, ex aliis audierant discipuli.

v. 3. ἀπεκρίθη, *respondit*) Jesus discipulis apertius respondere solet, quam infidelibus Judaeis. — ἥμαρτεν, *peccavit*) Repete, *ut coecus nasceretur*. [*A singulari casu ad singularem culpam concludere amat humana ratio*. Luc. 13, 2. 4. Act. 28, 4. V. g.] — ἀλλ', *sed*) Conf. c. 11, 4. — ἵνα, *ut*) Potestas Dei. — τὰ ἔργα, *opera*) Plurale. Uno opere cognito, cognoscuntur omnia. Ex operibus elucet Potentia et Gloria et Gratia Dei.

v. 4. νὺξ, *nox*) Christus est lux: ea abeunte, nox venit, non lucem impediens, sed terram obscurans. — οὐδεὶς, *nemo*) Non dicit: *non ego;* sed, *nemo*. Ipse semper operari potuit: sed tamen opportunitatem observavit: Johannes

Digitized by Google

saepe describit Christum de rebus ei obvenientibus ita loquentem indefinite, uti convenit in quemvis pium in talibus rebus. c. 11, 9. 12, 24. 25. Nempe Jesus tentatus est per omnia, sine peccato.

v. 5. φῶς, *lux*) Allegoria ab objecto visûs, quem coeco daturus erat. conf. *ut manifesta fierent*, v. 3. ἡμέρα, *dies*, v. 4.

v. 6. εἰπὼν, *dicens*) audiente coeco. Oravit etiam Jesus, v. 31. — πηλὸν, *lutum*) Saliva munda, pulvere mundo mixta, munda medicina erat. Homo creatus ex terra: nunc creatio visûs indidem. — ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, *super oculos*) Poëticum est, quod Nonnus ne vestigium quidem oculorum in facie coeci hujus fuisse statuit. v. 10.

v. 7. νίψαι, *lava te*) facie. — τοῦ σιλωὰμ, *Siloam*) Nomen huic loco inditum pridem, quia Jesus Christus eo *missurus* erat coecum. Et ab hoc tempore nomen loci erat monumentum miraculi facti. Etymon est in *abi*, *lavare*. — ὃ ἑρμηνεύεται ἀπεσταλμένος, *quod exponitur Missus*) Hoc addit evangelista. conf. v. 11. — καὶ ἦλθε, *et venit*) ante quam ad parentes iret.

[1]) v. 9. ὅμοιος, *similis*) Quidvis prius fingit et putat humana ratio, quam miraculum factum credat. v. 18. Act. 2, 13. Sed eo magis confirmatur veritas.

v. 11. ἄνθρωπος λεγόμενος ἰησοῦς, *homo qui dicitur Jesus*) Non additur articulus, sed participium. conf. c. 11, 54. Nescierat coecus celebritatem Jesu. — ἀνέβλεψα, *visum recepi*) Antea non habuerat videndi facultatem: sed ea tamen homini naturalis est. ideo dicit: *recepi visum*.

v. 13. πρὸς τοὺς φαρισαίους, *ad pharisaeos*) tanquam ad inquisitores.

v. 15. καὶ οἱ) καὶ, *etiam*.

v. 16. παρὰ τοῦ θεοῦ, *a Deo*) Opposita: *esse a Deo*, et *esse peccatorem*. [*Notabile antitheton. In quemvis hominem vel prius quadrat vel posterius.* V. g.] — ὅτι, *quod*) In Theologia characteristica nil praecipitandum.

v. 17. προφήτης, *propheta*) i. e. *a Deo*. v. 16. 33. coll. c. 1, 6. 3, 2. [*Orarerat Jesus in susceptа sanatione*, v. 31.: *eaque re coecus intimam Jesu cum Deo familiaritatem cognoverat*. V. g.] Jucunde observari potest fides apud hunc hominem, dum pharisaei contradicunt, paullatim exoriens. [*Repetitis inquisitionibus agitatus hominum demum auctoritate teneri dedidicit. Ita perversis etiam aliorum moribus utendum est*. V. g.]

v. 18. αὐτοῦ τοῦ ἀναβλέψαντος, *ejus, qui visum receperat*) Haec junguntur ut substantivum et adjectivum, et *ejus* refertur ad *coeci*.

v. 19. πῶς βλέπει) *quomodo* factum est, ut *videat*.

v. 21. οὐκ οἴδαμεν, *haud scimus*) Adhuc non viderant filium suum videntem: sed a Jesu profectum id esse, statim conjecerant. Ideo prior pars hujus versus non assignatur timori. v. 23. — ἡμεῖς, *nos*) Emphasis, in antitheto ad αὐτὸς, *ipse* non semel subsequens. — αὐτὸς ἡλικίαν ἔχει, αὐτὸν ἐρωτήσατε) Sic v. 23. Sed *Latinus*, et inde *Augustinus* et alii, versu 21.: *ipsum interrogate: aetatem habet*. et convenit, quod sequitur: *ipse de se loquetur*. — ἡλικίαν, *aetatem*) idoneam ad dicendum testimonium.

v. 22. ἐφοβοῦντο, *timebant*) usque eo, ut filium [*quem tamen visu donatum esse, impense procul dubio gavisi sunt*, V. g.] solum in periculo relinquerent; et non modo non Christum Jesum esse, sed ne id quidem, ex quo id consequebatur, confiterentur. — ἀποσυνάγωγος, *synagoga ejectus*) quae poena gravissima.

v. 24. ἐκ δευτέρου, *iterum*) Dimissus igitur fuerat post sermonem v. 17. descriptum. — δὸς, *da*) Speciosa praefatio. Dat gloriam Deo is, qui verum confitetur, praesertim in re et causa ardua. — ἡμεῖς οἴδαμεν, *nos novimus*)

---

1) v. 8. οἱ γείτονες, *vicini*] manifestum fuit miraculum. *V. g.*

Digitized by Google

Auctoritate sua conantur hominem idiotam occupare, et movere, ut Jesum dicat peccatorem, nec Filium Dei praedicet. [Videmus, *ajunt. coll.* v. 41. V. g.] — ἁμαρτωλὸς, *peccator)* v. 16.

v. 25. εἰ, *si)* In re, de qua certum nondum habet, tamen non cedit aliorum falsae auctoritati: et magis credit, Jesum non esse peccatorem, quam, esse peccatorem. — τυφλὸς ὢν, *coecus cum essem*) Participium habet vim praeteriti temporis, manifestam ex eo, quod sequitur, *nunc rideo.* conf. Gal. 1, 23.

v. 26. εἶπον, *dixerunt*) Mire se torquent miseri. [1])

v. 27. τί, *quid)* cur? — καὶ ὑμεῖς, *vos quoque*) Fatetur, se velle discipulum Jesu fieri. — θέλετε, *vultis)* Ironia decens et suavis. [*Et sane qui vult Christi discipulus fieri, eum fas est sollicitâ percontatione uti. Non refragatur veritas.* V. g.]

v. 28. ἐλοιδόρησαν, *convicium fecerunt*) Contumelia se afficere illum putabant, quem *discipulum Jesu* appellarent. — ἐκείνου, *illius)* Hoc vocabulo removent Jesum a sese.

v. 29. ἡμεῖς οἴδαμεν, *nos scimus)* Sciebant testimoniis iis, quae hodie quoque sunt irrefragabilia. — πόθεν ἐστὶν, *unde sit*) cum doctrina sua.

v. 30. ἐν γὰρ τούτῳ, *in hoc enim*) Sic, ἐν γὰρ τούτῳ, *in hoc enim*, c. 4, 37. γὰρ *videlicet*, responsioni interdum charientismum addit. — θαυμαστὸν, *mirabile*) Resp. *nescimus. Nescire* et *mirari*, affinia. — πόθεν, *unde*) nempe a Deo. v. 33. 16.

v. 31. ἁμαρτωλῶν, *peccatores*) Crescit fides hominis, coll. v. 17. 24. 25. — τὸ θέλημα, *voluntatem)* Qui Dei voluntatem facit, hujus orantis voluntatem facit Deus.

v. 33. οὐδὲν, *nihil)* non modo eorum, quae ipse facit, sed etiam eorum, quae alii excellentes viri faciunt. Jesus non habebat praesidia externa, quibus mortales niti solent.

v. 34. ἐν ἁμαρτίαις, *in peccatis*) Exprobrant de coecitate pristina. v. 2. — καὶ σὺ) *tuque* tamen. — διδάσκεις, *doces*) Sane praeclara concio est v. 30—33. — ἐξέβαλον αὐτὸν, *ejecerunt eum)* tanquam Christianum, v. 22. Id factum magno ejus bono: sed ipsi produnt odium veritatis, quo laborant. — ἔξω, *foras*) ex eo loco, ubi erant congregati.

v. 35. εὑρὼν, *inveniens)* Quaesierat igitur, postquam a mundo siverat aliquandiu eum exagitari. — σὺ, *tu*) quamvis alii non credant. Pronomen interrogationem hoc loco affirmationi affinem reddit.

v. 36. καὶ τίς, *et quis*) καὶ τί, *et quid:* cap. 14, 22. καὶ τίς, *et quis.* Luc. 10, 29. not. — ἵνα, *ut*) Hoc pendet a *dic mihi*, et *dic mihi* latet in *quis est?* — πιστεύσω *credam*) Gradus fidei erat: Jesum habere pro eo, cui credendum sit, quicquid dixerit.

v. 37. ἑώρακας, *vidisti*) *videre coepisti* his, qui aperti tibi sunt, oculis. — ὁ λαλῶν, *qui loquitur*) Humilis sermo, in tertia persona.

v. 38. Κύριε, *Domine*) Jam augustiore sensu ita dicit, quam dixerat versu 36. — προσεκύνησεν, *adoravit*) Agnitionem sponte sequitur adoratio. *[quam nusquam a quoquam desideravit Jesus; spiritu fidei instruente credentes.* V. g.]

v. 39. Κρίμα, *judicium*) justum et ratum, pharisaico melius. — βλέπωσι,

---

1) τί — πῶς, *quid — quomodo?*) Miraculi certitudinem, dummodo possibile foret, suppressuri erant. Multa omnibus aetatibus extraordinaria eveniunt; complura etiam id genus perhibentur temere. Itaque diligentissima, qua fieri posset, investigatione Verum in his talibus a Falso, Certumve a Dubio dirimi juvaret. Atqui e re sua esse mundus infidelis opinatur, ne quid omnino planum fiat atque expeditum. Ita videlicet cumulatarum praestigiarum praetextu ipsa veritas potest vitari. *V. g.*

Digitized by Google

videant) corpore et mente. — οἱ βλέποντες, *qui vident*) qui se videntes esse putant, ac non agnoscunt coecos. v. 41. — τυφλοὶ, *coeci*) mente.

v. 41. ἁμαρτίαν, *peccatum*) Si diceretis, *coeci sumus*; visum peteretis, et peccatum vestrum jam desiisset. *Peccatum* est etiam in intellectu; nam coecitas visum afficit, et est synonymon peccati.

CAPUT X.

v. 1. Ἀμὴν, *amen*) Arcte haec cohaerent cum praecedentibus. nam ἐκεῖνοι, *illi*, v. 6. refertur ad c. 9, 40. [*Et medio sane tempore inter scenopegiam atque encaenia sermonem hunc paroemialem* v. 1—5. *prolatum existimes: nam versus* 21. *ad miraculum proxime a festo scenopegias factum remittit; et sermones in encaeniis* v. 26—30. *propositi paroemiam istam* (v. 1—5.) *respiciunt.* Harm. p. 363.] — διὰ τῆς θύρας, *per ostium*) per Christum, v. 9. Unus patet legitimus aditus: cetera omnia clausa sunt. — εἰς τὴν αὐλὴν, *in orile*) de quo v. 16. — τῶν προβάτων, *orium*) Haec allegoria continuatur usque ad v. 30. Et videntur *oves* fuisse ante oculos. — ἀναβαίνων, *ascendens*) ultra septa. — κλέπτης καὶ λῃστὴς, *fur et latro*) v. 8.

v. 2. ὁ δὲ εἰσερχόμενος, *qui autem intrat*) per Christum. v. 9.

v. 3. τούτῳ, *huic*) tanquam noto. — ὁ θυρωρὸς, *janitor*) Ut *Pastor*, spectatur Christus versu 11. s. ut *Janua*, versu 1—10. Quemadmodum non indignum Christo est, *Januam* dici, qua intret pastor: sic non indignum *Deo*, *Janitorem* dici. Hebraicum שוֹעֵר honorificentius sonat. De re, vid. Act. 14, 27. Col. 4, 3. coll. Ap. 3, 7. Act. 16, 14. *Spiritum Sanctum Janitorem* dissertatione copiosa A. 1739 stitit *C. Weisius*, Theologus Lipsiensis. — τὰ πρόβατα — τὰ ἴδια πρόβατα —, *oves* — *proprias oves* —) Sic v. 4. per chiasmum inversum *proprias oves* — *oves*. — ἀκούει, καλεῖ, *audiunt*, *vocat*) Correlata. — τὰ ἴδια πρόβατα, *proprias oves*) Omnes sunt propriae, coll. v. 12. sed hoc epitheton magis congruit cum *appellatione* nominatim facta, quam cum *auditu*. [*Pastor genuinus omnibus quidem animabus rite affectis probatur: at singulari modo manifestus est iis, quas praecipue opera ejus juvat.* V. g.] — καλεῖ κατ' ὄνομα, *vocat nominatim*) Etiam oves, ab antiquis, nominibus distinguebantur. — καὶ) *et* sic, dum vocat.

v. 4. ἐκβάλῃ, *emiserit*) Synonymon verbi ἐξάγει *educit*, sed generalius.

v. 5. ἀπ' αὐτοῦ, *ab eo*) tanquam a peste. [*Neque id vel fastum jure dixeris vel pertinaciam vel boni ordinis laesionem.* V. g.] — οὐκ οἴδασι, *non norunt*) ut sequendam: norunt, ut fugiendam. [*Accedit, quod res incognitas, etiamsi bonae fortassis esse queant, citra explorationem non convenit acceptare.* V. g.]

v. 6. οὐκ ἔγνωσαν, *non cognorerunt*) Sic poterant sentire, se coecos esse. c. 9, 41.

v. 7. ἡ θύρα, *ostium*) Christus et ostium, et pastor et Omnia: nemo alius. — τῶν προβάτων, *ovium*) ad oves.

v. 8. ὅσοι ἦλθον, *quotquot venerunt*) Verbum subsequens, εἰσὶ, *sunt*, in praesenti, indicat, ἦλθον, *venerunt*, accipiendum esse de tempore praeterito proximo [1]); et de cursu aliorum proprio, cui opponitur *per me*. v. 9. Dicitur, *qui venerunt*, uti 2 Cor. 11, 4. *quisquis venit*. Neque excludit illos fures et latrones, qui etiam *post Jesum* sine dubio, non modo *ante Jesum*, venerant; quotquot scilicet inter initium praedicationis ejus et inter tempus hujus paroe-

---

1) *Congruit, quod notationem temporis* πρὸ ἐμοῦ *et margo* utriusque Ed. *pro lectione* minus *firma declarat, et* Vers. germ. *plane omittit.* E. B.

Digitized by Google

miae, paulo ante passionem dictae, apud Judaeos docendi munus erant aggressi, antecessorum similes. — κλέπται, *fures*) bonorum, lucro suo, clam. — λῃσταὶ, *latrones*) vitae, ovium damno, aperte. — ἀλλ᾽ οὐκ) *sed*, quamvis isti se offerrent, *non* audiverunt. c. 7, 46. Matth. 7, 29. 9, 36.

v. 9. δι᾽ ἐμοῦ, *per me*) per Christum cognitum et vocantem, qui sum *ostium*. conf. *post te*. Jer. 17, 16. — τὶς, *quispiam*) tanquam ovis. [*et pastor*, V. g.] — σωθήσεται, *servabitur*) securus a lupo. *Salus* et *pascuum* junguntur, uti mox *vita* et *abundantia*. v. 10. — εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται, *ingredietur et egredietur*) Hac phrasi Hebraica denotatur assidua consuetudo cum pastore et magistro. conf. Act. 1, 21. LXX, Num. 27, 17. 21. — εὑρήσει, *inveniet*) sive intret, sive exeat: quum ceteris pascuum sit ignotum. conf. Ex. 16, 25. s.

v. 10. ἵνα κλέψῃ, *ut furetur*) Id proprie *furis* est. Sequuntur pejora. Fur 1) furatur *sui* commodi causa: 2) *aliis* damnum affert, *a*) perimendo oves, *b*) perdendo pabula reliqua. Gradatio est in divisione, non in subdivisione. ἀπώλεια, *perditio* per furem allata non est spiritualis, sed civilis. per eam autem metaphorice describitur noxa spiritualis, perinde ut per *furtum* et per *occisionem*. — καὶ θύσῃ, *et jugulet*) Oppositum, *vita*. — καὶ ἀπολέσῃ, *et perdat*) Oppositum, *abundantia*: de qua Psalm. 23, 1.

v. 11. ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, *Pastor bonus*) ille, de quo praedictum est per prophetas. *Pastor*, cujus propriae sunt oves: *bonus*, qui vitam ponit pro ovibus: cui illae curae sunt. v. 13. Hodie, qui unius oppidi vel pagi pecudes mercede pascunt, pastores dicuntur: sed h. l. nobilior est significatus vocabuli *pastor*. [*Universum Christi munus hac paroemia de* pastore *et* ostio *continetur*. V. g.] — τίθησιν, *ponit*) Hoc quinquies dicitur, summa vi. Hoc summo omnia reliqua beneficia pastoralia praesupponuntur, includuntur, inferuntur. [*Esai*. 53, 10. 6.] — ὑπὲρ τῶν προβάτων, *pro oribus*) Christus hic declarat, qualem se pastorem ovibus praestet. quare hinc non infertur, eum non esse mortuum etiam pro reliquis hominibus.

v. 12. ὁ μισθωτὸς, *mercenarius*) sui commodi causa pascens. — οὐκ ὢν) Saepius cum participio ponitur μὴ, sed οὐκ emphasin hic majorem habet. — ἁρπάζει, *rapit*) *lacerat*, quas potest; ceteras *dispergit*. duae rationes nocendi. Bonus autem pastor, *congregat*. v. 16. — τὰ πρόβατα, *oves*) cunctas.

v. 13. δὲ, *autem*) Habet hoc vim declarandi verbum *fugit* ex versu praecedenti repetitum. — ὅτι μισθωτὸς, *quia mercenarius*) Ploce. De mercede, non de grege laborat. — καὶ οὐ μέλει, *et non est cura*) Constr. cum *fugit*. Observandum antitheton, v. 14. 15.

mercenarius	ego
mercenarius est	pastor bonus
non est cura ei	novi
fugit:	animam meam pono.

v. 14. τὰ ἐμὰ) *meas oves*. — καὶ, καὶ, *et, et*) Semper initium boni fit a Deo et Christo. Ut bonus pastor, et novit, et notus est.

v. 15. καθὼς, *sicut*) Hoc cohaeret cum versu praec. Saepe habitus fidelium ad Christum deducitur ex habitu Christi proprio ad Patrem. c. 14, 20. 15, 10. 17, 8. 21. Matth. 11, 27. Luc. 22, 29. 1 Cor. 11, 3. 15, 28. Ap. 3, 21. — καὶ) *et* ideo. Hinc *noscunt* oves bonitatem Pastoris. — τίθημι, *pono*) Praesens. tota illa vita Christi erat itio in mortem.

v. 16. ἄλλα πρόβατα, *alias oves*) Quae jam *oves* dicuntur, quia *praerisae*. conf. c. 11, 52. ubi *filios Dei* pari ratione appellat. *Alias oves* dicit, non *aliud ovile*. Erant enim dispersae in mundo. — ἔχω, *habeo*) Hoc verbum habet magnam potestatem. — ταύτης, *hoc*) judaico. — δεῖ, *oportet*) propter mandatum Patris. — ἀγαγεῖν, *ducere*) per mortem meam. Non dicit, *educere*, uti

Digitized by Google

v. 3., neque *introducere in hoc ovile:* sed simpliciter, *ducere.* Non opus est illis solum mutare. — ἀκούσωσι) Verbo *oportet* respondet hîc subjunctivus in correlato. — μία ποίμνη, εἷς ποιμήν) *Unus grex,* ut nulli supersint greges falsi scissique: *unus pastor,* ut nulli supersint mercenarii, falsi, mali pastores, pseudopetrus etc. conf. Ez. 34, 23. Zach. 14, 9. Haec unitas gregis, haec unitas pastoris coepit, postquam bonus pastor animam suam posuit, c. 11, 52., et suo tempore, sufflamine omni sublato, consummabitur. De jure, Jesus semper unicus *est* Pastor: de jure et facto igitur unus *fiet.* Suavissime ponitur primum *unus grex,* deinde *unus pastor.* Referuntur ad se *ducere* et *unus grex;* tum, *audient,* et *unus pastor.* Omnes pastor in *unum gregem* ducet: *unum* totus grex *pastorem* audiet.

v. 17. ἀγαπᾷ) *amat* me, et amanter hoc mihi injungit, amanter quasi persuadet, et ego, tametsi ponenda est anima, de amore ejus certus maneo: nam pono, ut recipiam. porro Pater, me amans, mihi oves dat in peculium: quia ejus mandatum, de anima mea ponenda, servo, v. 18. Significatur amor superveniens. Amor Patris non modo erga nos, sed etiam erga Christum, in passione Christi spectandus est; non solum severitas ultrix.

v. 18. οὐδεὶς, *nemo*) Conf. v. 29. — αἴρει, *tollit*) sua potestate et arbitrio. — ἀπ' ἐμαυτοῦ, *a me ipso*) Sua sponte Jesus se hostibus capiendum permisit: et in ipsa cruce, non debilitate ulla, sed cum clamore, spiritum emisit. — καὶ, *et*) Arctissimus nexus rerum duarum, (coll. v. 17. *ut,*) quarum duplicem *potestatem* habet. — ἐξουσίαν ἔχω, *potestatem habeo*) Sic iteratur ἔχωσι, *habeant.* v. 10. add. c. 19, 10. — παρὰ τοῦ πατρός μου, *a Patre meo*) Potestatem suam summam ad Patrem refert.

v. 19. σχίσμα, *dissidium*) Unde ratiocinationes tam variae de Christo? Resp. Cum ignoratur persona ejus.

v. 20. πολλοὶ, *multi*) Summos et dulcissimos sermones pessime sunt accipere soliti. [1])

v. 21. ῥήματα) Hebr. דברים *verba,* coll. anteced. et *opera,* coll. conseq.

v. 22. ἐγκαίνια, *encaenia*) a Juda Maccabaeo instituta. 1 Macc. 4, 59. [*Non ex instituto hujus* festi ecclesiastici *caussâ* (*ut reliquorum, per Legem constitutorum, ergo fecerat*) *Hierosolymas adscendit, sed rebus ita ferentibus interfuit. In festo* Paschatos Joh. 2. 3. *non diu permansit Hierosolymis: diutius paullo, post* Pentecosten, c. 5. *at, itinere ad* Scenopegiam (c. 7, 8.) *perfecto, ut finis coronaret opus,* longiores denique *moras ibi a scenopegias festo* ultra encaenia *fecit.* Harm. p. 364.] — χειμὼν, *hiems*) Hieme festum illud fuisse, non omnibus lectoribus notum supponit Johannes.

v. 24. ἐκύκλωσαν, *circumdederunt*) Quam gratum id fuisset Salvatori, si fecissent in fide! — καὶ ἔλεγον, *et dicebant*) importuno frementis naturae impetu. — αἴρεις, *tollis*) suspensam tenes: i. e. enecas, exanimas nos. conferatur phrasis v. 18. atqui ipsi se ipsos misere enecabant. Diu versatus fuerat inter ipsos, post scenopegiam praesertim. — εἰπὲ, *dic*) Quasi vero nunquam dixerit et ostenderit. v. 25. Mox aperte dicit versu 30. 36. 38. Saepe cogitamus: Si hoc vel illud hoc illove modo expressum audirem aut legerem; credere possem. Sed Deus solus scit, quomodo nobiscum loqui deceat, ad fidem nostram alendam et exercendam. — παῤῥησίᾳ, *libere*) aperte, rotunde.

v. 25. εἶπον ὑμῖν, *dixi vobis*) i. e. Sum Christus. Similis formula, *tu dixisti.* Matth. 26, 64. Dixit autem Jesus saepe, etiam hoc capite. Jesus est Christus. *Dixi vobis* (et non credidistis: dico vobis) *et non creditis.* — καὶ, *et,*

---

1) τί αὐτοῦ ἀκούετε, *quid eum auditis?*] Plena periculi res, ubi vel auditui renunciatur. *V. g.*

Digitized by Google

pro *sed*. coll. v. 26. ἀλλὰ *sed*. — τὰ ἔργα, *opera*) quae vel eos convincere poterant, qui verbis non credunt. — περὶ ἐμοῦ, *de me*) me esse Christum.

v. 26. ὑμεῖς, *vos*) Vestra est culpa. — οὐ γὰρ, *non enim*) Oves enim credunt. v. 3. 14. 16. 27. Hic sermo in encaeniis habitus respicit sermones ante encaenia habitos.

v. 27. 28. τὰ πρόβατα — ἐκ τῆς χειρός μου, *oves — ex manu mea*) Tria sententiarum paria, quorum singula et ovium fidem et pastoris bonitatem exprimunt, per correlata.

v. 28. κἀγὼ, *et ego*) *Sequela* et *rita* arcte connectuntur. c. 8, 12. — οὐ μὴ ἀπόλωνται, *non peribunt*) Medium: (sic, ἀπολέσθαι, c. 17, 12. Luc. 15, 24. Jud. v. 11.) i. e. non perdent sese, *intrinsecus*. conf. 1 Joh. 5, 18. et Joh. 17, 12. not. — καὶ οὐχ, *et non*) nec per ullum hostem *externum* eas e manu mea rapi sinam. — ἁρπάσει, *rapiet*) Futuro includitur verbum auxiliare δύναται, *potest*. coll. v. seq.

v. 29. δέδωκε, *dedit*) Subaudi, eas oves. — μείζων πάντων, *major omnibus*) major hostibus: major ovibus: et (alio sensu,) *major etiam me*. c. 14, 28. — ἁρπάζειν, *rapere*) eas, oves.

v. 30. ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν, *ego et pater unum sumus*) *Unum*, non solum voluntatis consensu, sed unitate potentiae, adeoque naturae. nam Omnipotentia est attributum naturale: et sermo est de unitate Patris et Filii. In his verbis Jesu plus viderunt coeci Judaei, quam hodie vident Antitrinitarii. Si Judaei putassent, Jesum haberi velle tantum pro divino homine, ac non pro Filio Dei, qui tam vere sit Deus, quam filii hominum sunt homines; non dixissent, *tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*, neque blasphemiae eum postulassent. Per *sumus* refutatur Sabellius: per *unum*, Arius. Vid. v. 33. 36. 38. fin. 29. 28. Inprimis etiam prima persona pluralis numeri eximiam de Filio et Patre significationem habet: qua Jesus raro utitur de se et de hominibus. vid. ad Matth. 5, 11.

v. 31. ἐβάστασαν, *portarunt*) Erant igitur saxa magna.

v. 32. καλὰ ἔργα, *bona opera*) Ostendit Jesus, ex *operibus* ferendum esse judicium. v. 37. — λιθάζετε, *lapidatis*) Judaeis jam certum erat. v. 33.

v. 33. περὶ, *de*) ut Latini, *qua de causa*. διὰ, v. 32.

v. 34. ἀπεκρίθη, *respondit*) Judaei dixerant: *Tu ais te esse Deum*, et quidem natura Deum: (nam hanc Deitatem cum humanitate committebat coecitas eorum:) et hanc deitatem naturalem, humanitate non negata, Jesus agnoscit, neque per sermonem subsequentem imminuit, sed tuetur. conf. v. 39., quomodo id quoque acceperint Judaei. Ex his facile respondebitur *Artemonio*, P. II. c. l. Circumdederant Jesum, v. 24., et sic mortem intentabant: tamen sapientia ejus et animi praesentia inconcussa manet. — ἐγὼ) *ego*, Deus. nam ex εἶπα primae personae infertur illud: *ad quos sermo Dei factus est*. v. seq. — θεοὶ, *dii*) Ps. 82, 6. additur parallelum: υἱοὶ ὑψίστου, *filii Altissimi*. itaque etiam v. 36. ad υἱὸς τοῦ θεοῦ, *filius Dei*, subaudiri debet, θεὸς, *Deus*. Nullo modo Deum Jesum ferebant Judaei: quos ipse refutans, Psalmum allegat. Ceterum comparatio ex Psalmo ducta non probat, Christi deitatem esse propinquiorem deitati mortalium, quam Patris aeterni deitati: neque enim ad credentes unquam hunc psalmi locum allegavit.

v. 35. ἐκείνους, *illos*) pusillos, imo etiam reprehensione in psalmo dignos. — εἶπε, *dixit*) Deus, in psalmo locutum se professus. Unde statim expresse dicitur ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, *sermo Dei*. conf. 1 Reg. 18, 31. — πρὸς οὓς, *ad quos*) Causa, cur illi vocentur dii, et cur sensu inferiore. conf. πρὸς, *ad*, Marc. 12, 12. Alii πρὸς interpretantur *contra*. — ὁ λόγος, *sermo*) et quidem sermo illius psalmi, partim *deos* illos *dicens*, partim eosdem reprehendens. — καὶ οὐ, *et non*) Non potest dissolvi scriptura, ne minima quidem ex parte. Firmissimum axioma.

Digitized by Google

Appellatio deorum, quamvis impropria, solvi nequit, semel in scripturam relata.

v. 36. ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε, *quem Pater sanctificavit*) ***Sanctificatio*** haec ita commemoratur, ut sic *missione in mundum* prior, (vid. omnino Joh. 17, 18. coll. v. 19. 17. 1 Petr. 1, 20.) et juxta cum ea, Deitatem Christi, infinito prae iis intervallo, ad quos verbum Dei duntaxat factum est, infert. Quanquam ut majestas est id, propter quod illi dicuntur dii: sic *sanctitas* est id, ob quod Christus dicitur filius Dei. Christus igitur *sanctus* est, ut est *filius Dei: sanctificatus*, ut Filius Dei ὁρισθεὶς, *definitus*, Rom. 1, 4. et σφραγισθεὶς, *signatus*, Joh. 6, 27. Id h. l. patet ex appellatione: ὁ πατὴρ, *Pater*, quam adhibet de Deo, summa cum vi. Ostendit, non opus fuisse, ut ad sese demum fieret verbum Dei. conf. v. 30. Ad ὃν *quem* subaudiendum *ego*, cum quo cohaeret verbum primae personae, *dixi*. — ἀπέστειλεν, *misit*) Haec missio Deitatem filii praesupponit et sic confirmat. [Jehovah Sabaoth misit me, *habet Haphtara Encaeniorum* (v. 22.) *Vid. Zach.* 2, 15. Not. crit.]

v. 37. τὰ ἔργα τοῦ πατρός μου, *opera Patris mei*) ea ipsa divina opera, quae Pater meus facit. c. 14, 10. 11. Operibus connotantur sermones.

v. 38. κἂν ἐμοὶ, *etiamsi mihi*) Credendum etiam fuit: praescindendo ab operibus. — γνῶτε καὶ πιστεύσητε, *agnoscatis et credatis*) *Cognitionem fides* subsequitur apud tardiores. — ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ, *in me Pater, et ego in illo*) *Non aliud ego sum, atque Pater, sic tamen, ut Filius maneam: neque aliud ille, atque ego, sic tamen, ut maneat Pater. Et si quis me norit, Patrem novit et Filium didicit. Si vero minor esset potentia, cognitio quoque falleret. neque enim alia per aliam vel essentia vel potentia disci potest.* Chrys. ad h. l. Hae duae sententiae: *ego et Pater unum sumus:* et, *Pater in me et ego in Patre*, se mutuo exponunt. conf. c. 17, 11. 21.

v. 39. ἐξῆλθεν, *exiit*) sine ullo labore.

v. 40. [1]) ἰωάννης, *Johannes*) Fructus postumus officii Johannis.

v. 41. μὲν, *quidem*) Antitheton inter *Johannem* et *Hunc*, Jesum; non inter opera et dicta Johannis. — περὶ τούτου, *de hoc*) *de hoc*, qui tot *signa* facit. — ἀληθῆ ἦν, *vera erant*) Veritas est vera, etiam antequam agnoscatur.

CAPUT XI.

v. 1. Λάζαρος, *Lazarus*) Ex multis rebus colligi potest, Lazarum juniorem, sorores autem ejus fuisse natu majores. Ab his denominatur pagus: v. 1. et Lazarus tertio loco ponitur. v. 5. Tradit historia ecclesiastica, Lazarum post ascensionem Domini vixisse annos totidem, quot tum natus fuerat, videlicet XXX. — ἀπὸ — ἐκ) Non raro in appositione iteratur praepositio, vel per se, vel per synonymon. 2 Cor. 1, 19. — μαρίας, *Maria*) notior erat inter discipulos, ex iis, quae v. 2. dicuntur: ideo ponitur ante Martham; cum Martha esset natu major. v. 5. 19.

v. 2. ἦν δὲ μαρία, *erat autem Maria*) Johannes pietatem Mariae praesentem erga Jesum (ut alibi impietatem proditoris) ex actu subsecuto c. 12, 3. probat. [*Uno singulari facto, vel bono vel malo*, insigniri *quis in sempiternum potest*. V. g.] Non demum per resusciationem fratris ad tale opus excitata fuit. — τὸν κύριον, *Dominum*) Opportuna appellatio. — ἧς, *cujus*) pro *hujus*. Haec oratio est valde plana.

---

1) καὶ ἀπῆλθε, *et abiit*] Statim post encaenia; ut ex omissione phraseos μετὰ ταῦτα et nominis Jesu patet. — Nec in regionem *transjordanicam* duntaxat, sed postea in *Galilaeam* quoque, atque iterum ex Galilaea in *fines Judaeae* abiit Salvator (coll. Matth. 19, 1. Marc. 10, 1.) quod commemorare Johannes opus non habuit, quum reliqui Evangelistarum, et Lucas praesertim, satis copiose, quid in Galilaea tum fecerit, recenseant. *Harm.* p. 365, coll. p. 420.

v. 3. ὃν φιλεῖς, *quem diligis*) Hoc modestius, quam si dicerent, *qui te amat*, vel, *amicus tuus*. coll. v. 11. — ἀσθενεῖ, *aegrotat*) Consequens *ergo subveni*, eleganter reticent. [v. 31. 32. *Enimvero majora nunc imminebant*. V. g.] conf. c. 2, 3. Magnus hic sororum amor erga fratrem elucet.

v. 4. εἶπεν, *dixit*) Dignum observatu est, qua methodo Jesus discipulos suos et Lazari sorores et populum praepararit ad maximum miraculum fructuose spectandum. — αὕτη, *haec*) i. e. Haec *infirmitas* consentanea est *amori*. — πρὸς θάνατον, *ad mortem*) qua sorores fratrem amitterent. sic LXX, εἰς θάνατον, 2 Reg. 20, 1. — ὑπὲρ, *pro*) Gloria Dei et gloria Filii Dei, una gloria. — ἵνα δοξασθῇ, *ut glorificetur*) Sane. Resuscitatio Lazari tantum est veritatis Christianae argumentum, ut *Spinoza* dixerit, se, si eam credere posset, totum suum systema abjecturum. Atqui veritatem mortis et resurrectionis Lazari demonstrant 1) absentis Jesu mora deliberata. 2) indicium de morte, et praedictio de resurrectione. 3) testium, qui aderant, varietas et multitudo. 4) Judaeorum plurimorum, minime credulorum, fides subsecuta; ceterorumque perversitas. v. 46. s. — δι' αὐτῆς, *per eam*) Per hanc infirmitatem glorificatus est Jesus, quatenus statim multi eum agnovere Filium Dei. v. 45., ceterique Judaei statuerunt eum occidere, v. 46. seq. sic intraturum in gloriam.

v. 5. ἠγάπα, *amabat*) ita, ut constaret omnibus, v. 3. [*Mortem igitur eorum, quos Jesus amat, non est quod valde quis horreat*. V. g.] Motivum resuscitationis et totius actionis eam antegressae. — καὶ, καὶ, *et, et*) Felix familia.

v. 6. τότε, *tunc*) quamvis aliis videri posset maxima esse properandi causa. — ἔμεινεν, *mansit*) Mori est quiddam non ita refugiendum. Lazarus mortuus est aliquantisper ad gloriam Filii Dei.

v. 7. ἔπειτα μετὰ τοῦτο, *deinde post hoc*) post id biduum, sic v. 11., μετὰ τοῦτο, *post hoc*. v. 14. τότε, *tunc*. Jesus discipulorum fidem gradatim erexit ad proficiscendum sine metu in Judaeam, et ad spectandum miraculorum maximum.

v. 8. νῦν ἐζήτουν) *nunc* quaerunt: namque modo *quaerebant*. — λιθάσαι, *lapidare*) Cap. 10, 31.

v. 9. ὧραι, *horae*) Jam longe processerat cursus Jesu; jam multa erat hora: sed tamen adhuc erat dies. — τῆς ἡμέρας, *diei*) vel, *de die*. Cum *die* comparatur totum curriculum vitae, secundum omnes partes. *Status* praesupponitur in Subjecto alio et alio alius et alius: *ambulare* est praedicatum. — τις, *aliquis*) Iterum indefinite. conf. c. 9, 4. fin. Pertinet hoc ad discipulos, qui, etiam sibi, timebant. — οὐ προσκόπτει, *non offendit*) inter medias mundi insidias. — τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου, *lucem hujus mundi*) e sole manantem. Innuitur providentia Patris, respectu Jesu; et providentia Christi, respectu fidelium. — βλέπει, *videt*) Subaudi: *et lux est in eo*: et v. seq. subaudi: *et lucem mundi hujus non videt*. Sed utrinque comma expressum suo praecipue convenit loco. nam interdiu *lux mundi conspecta* sensum lucis, quam quis in se ipso habet, quasi absorbet. Noctu lux mundi non conspecta, penes eum, qui *lucem in se non habet*, sensum defectus auget.

v. 10. ἐν αὐτῷ, *in eo*) in eo, qui noctu ambulat.

v. 11. ταῦτα — λέγει) *Haec dixit, et post hoc* dictum illico *ait*, etc. Conf. v. 7. — λέγει, *dixit*) Dixit eo ipso tempore, quo mortuus erat Lazarus. conf. c. 4, 52. Audierant etiam discipuli de morbo Lazari. v. 3. 4. Mortem nemo nunciarat: et tamen scivit Jesus. — ἡμῶν, *noster*) Quanta humanitate Jesus amicitiam suam cum discipulis communicat! — κεκοίμηται, *obdormiit*) Somnus est piorum mors, coelesti lingua: sed hanc linguam non hic intelligebant discipuli. Incomparabilis est liberalitas divini sermonis: sed hominum tarditas

Digitized by Google

facit, ut scriptura saepe descendat ad tristiorem nostrum loquendi morem. conf. Matth. 16, 11. s.

v. 12. εἰ κεκοίμηται, *si obdormiit*) Saepe saluti est diuturnus somnus. putabant discipuli, somnum ab Jesu immissum esse Lazaro, ut eveniret, quod praedixerat Ipse. v. 4.

v. 15. ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, *me non fuisse ibi*) Cum decoro divino pulcre congruit, quod praesente vitae duce nemo unquam legitur mortuus. Si supponas, mortem non potuisse praesente Jesu invadere Lazarum, sermo duarum sororum v. 21. 32. sublimiorem sententiam assequitur; et illustratur gaudium Domini de absentia sua. — πρὸς αὐτὸν, *ad eum*) eo, ubi jacet mortuus.

v. 16. ὁ λεγόμενος δίδυμος, *qui dicitur Didymus*) Johannes scripsit Graece. — καὶ ἡμεῖς, *etiam nos*) Thomas fortasse necessitudinem quandam propriam cum Lazaro habuerat. — ἵνα ἀποθάνωμεν, *ut moriamur*) Videtur Thomas verba Jesu proxime praecedentia sic accepisse, quasi Jesus cum Lazaro, si adfuisset, moriturus fuisset, et nunc, fide discipulorum adhuc amplius confirmata, Bethaniae decessurus esset, idque per insidias Judaeorum. v. 8. Erat, quasi medius inter hanc vitam et mortem, sine tristitia et sine laetitia paratus ad moriendum; non tamen sine fide. conf. c. 14, 5. Quo pacto ille τὸ πρὸς *ad* in sermone Jesu accepit, uti extat 2 Sam. 12, 23. — μετ' αὐτοῦ, *cum eo*) cum Jesu. Non dissimilis sensus Petri, Luc. 22, 33.

[1]) v. 19. πολλοὶ, *multi*) propter vicinitatem. — τὰς περὶ) Idiotismus. Act. 13, 13. 28, 7. — ἵνα παραμυθήσωνται, *ut consolarentur*) aliquot diebus post sepulturam. Hodie dicimus, *condolere*.

v. 20. μαρία δὲ, *Maria autem*) vel quod nollet Judaeos relinquere solos: vel quod sedens exspectare vellet, dum vocaretur. Erat animo sedatiore. conf. Luc. 10, 39.

v. 21. εἰ ἦς ὧδε, *si fuisses hic*) Sic quoque Maria dicit, v. 32. Ex quo colligi potest, hunc earum fuisse sermonem ante fratris obitum: *Utinam adesset Dominus Jesus*. Scintillam fidei in his verbis latentem excitat Ipse.

v. 22. καὶ νῦν οἶδα, *etiam nunc novi*) Spem ceperat Martha ex iis, quae v. 4. Salvator dixerat. nam ea Marthae renunciata esse, indubium est. [*Laudabilis fidei alacritas*. V. g.] — αἰτήσῃ) Jesus, de se rogante loquens, ἐδεήθην dicit, Luc. 22, 32. et ἐρωτήσω, Joh. 14, 16. (coll. v. 13.) et cap. 16, 26. 17, 9. 15. 20. at nunquam, αἰτοῦμαι· ac Syrus alio verbo utrumque illud, alio hoc verbum expressit. Non Graece locuta est Martha, sed tamen Johannes exprimit improprium ejus sermonem, quem Dominus benigne tulit. nam αἰτεῖσθαι videtur verbum esse minus dignum, quanquam LXX Deut. 10, 12. habent, τί Κύριος ὁ θεός σου αἰτεῖται παρὰ σοῦ;

v. 23. ἀναστήσεται, *resurget*) Non statim addit Jesus mentionem temporis, sed exercet fidem Marthae.

v. 24. ἐν τῇ ἀναστάσει, *in resurrectione*) Hanc ergo credebant Judaei. — ἐσχάτῃ, *ultimo*) Martha longius futurum putat, quod nexus v. 22. et 23. in proximo esse docebat.

v. 25. ἐγὼ, *ego*) praesens, non adstrictus ad futurum. Noli putare, Martha, te differri in longinquum. Mors cedit Vitae, ut caligo Luci, protinus. — ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωὴ, *resurrectio et vita*) Alterum nomen huic tempori et instituto proprie convenit, alterum est frequens. alterum explicatur mox hoc versu, alterum versu 26. Ego sum *Resurrectio* morientium, et *Vita* viventium. Prius agit de credentibus, ante mortem Christi obeuntibus, v. gr. de Lazaro.

---

1) v. 17. τέσσαρας ἡμέρας, *quatuor dies*] Ipso igitur mortis die sepultus erat Lazarus, coll. v. 39. *V. g.*

Digitized by Google

nam Christo praesente, mors nullam praedam non debuit reddere, filiam Jairi, juvenem in Nain. Et credibile est, omnes, qui tum Jesum Christum viderunt cum fide et ante mortem ejus mortui sunt, fuisse in resurgentibus illis, de quibus Matth. 27, 52. 53. agitur. Alterum agit de credentibus post mortem Christi obdormientibus. Mors Christi, mortem enervavit. Ante mortem Christi, mors credentium erat mors: post mortem Christi mors credentium non est mors. c. 5, 24. 8, 51. — ζήσεται, *vivet*) etiam corpore.

v. 26. πᾶς, *omnis*) Hoc, versu 25. non adhibitum, ad majora sermonem profert. — ζῶν, *vivens*) vitam hancce corporis. Antitheton, *etiamsi moriatur*. v. 25. Praecipue agitur de iis, qui tum vivebant et Filium videbant. c. 6, 40. — οὐ μὴ ἀποθάνῃ, *non morietur*) immunis erit a morte, in aeternum. Antitheton, ζήσεται, *vivet*, redivivus. v. 25. Magna differentia inter *mortem* credentium ante mortem J. C. et inter *obitum* credentium post mortem Jesu Christi. Hi plane sunt immunes ab *judicio*. — πιστεύεις τοῦτο; *credis hoc?*) Applicatio in secunda persona, ad omnes et ad singulos, frequens, et hic, per improvisam interrogationem, valde pungens. Sic Martha plane capitur ad fidem.

v. 27. ἐγὼ πεπίστευκα, *ego credidi*) Praesenti animo respondet Martha: *ego hanc fidem suscepi.* — σὺ, *tu*) es Filius Dei, qui in mundum venis. Hoc, de Jesu Christo cognitum, cetera omnia includit. [*Sermoni Jesu fidem se habere testatur, illud non plene intellecto. Analoga haec est Petri fidei* c. 6, 68. 69. — *Multo serenior, ac si dicas:* Credo, quicquid Ecclesia credit. V. g.] — ἐρχόμενος) praesens. Matth. 11, 3. Nam adhuc innotescebat.

v. 28. ταῦτα εἰποῦσα, *haec locuta*) Fides et confessio alacritatem ei attulit. — λάθρα, *clam*) Judaeis. v. 31. — ὁ διδάσκαλος, *Magister*) Ita solebant inter se loqui de Jesu. — φωνεῖ σε, *vocat te*) Aut Jesus expresse jussit Mariam vocari; aut Martha, Eo permittente, Mariam vocavit: atque ita dixit, quo celerius Mariam excitaret. Mariae non obfuit indoles sedata: tamen vocata est, ut interesset miraculo.

v. 30. οὔπω, *nondum*) Jesus omnia fecit cum justa mora. — δὲ) γὰρ, *Copt. Lat. Augustin. Cant.* Lectio media, codicis Lat. *Reuttingensis*, qui neque *autem* neque *enim* habet.

v. 31. ἵνα κλαύσῃ, *ut ploret*) Egregius mos erat, ut lugentes interposito apparatibus funebribus spatio darent sese et indulgerent pietati lacrymarum.

v. 32. ἔπεσεν αὐτοῦ εἰς τοὺς πόδας, *cecidit ad ejus pedes*) Hoc Martha non fecerat. Compensat Maria tarditatem occursus sui. [*Penitissimae reverentiae, ex fide oriundae, specimen.* V. g.]

v. 33. τοὺς συνελθόντας, *qui simul venerant*) v. 31. — ἐνεβριμήσατο, *infremuit*) Ita Jesus austeriore affectu lacrymas hic cohibuit, et mox versu 38. abrupit. eoque major earum fuit auctoritas. v. 36. — ἐτάραξεν ἑαυτὸν, *turbavit se ipsum*) Incredibilis est elegantia hujus locutionis reciprocae. conf. ἔταξαν ἑαυτοὺς, *ordinarunt se ipsos.* 1 Cor. 16, 15. Affectus Jesu non fuere passiones, sed voluntariae commotiones, quas plane in sua potestate habebat: et haec turbatio fuit plena ordinis et rationis summae. Gravius est et tamen ex praesenti loco declarandum venit, quod postea dicitur, τετάραχται κτλ. c. 12, 27. 13, 21. [*Ita neque Christiani sunt* Stoici: *sed non succumbunt suis affectibus. Non agitantur* passionibus *proprie sic dictis.* V. g.]

v. 35. ἐδάκρυσεν, *lacrymatus est*) Non *ploravit*: neque flevit cito: nec demum post aspectum Lazari, sed tum quum maturum erat. Flevit, amanter, v. 36., propter Lazari mortem; non propter ejus reditum in hanc vitam.

v. 37. τινὲς, *quidam*) a fide alieniores. — οὐκ ἠδύνατο; *non poterat?*) Lacrymatus erat Jesus. Inde concludebant, voluisse Jesum conservare vitam Lazari, si potuisset. *potuit*, inquiunt, *debuitque.* sic ἠδύνατο, *potuit.* Matth.

Digitized by Google

26, 9. Concludunt a majori ad minus. Sed majus rursum est, mortuum resuscitare, quam aegrotum aut coecum sanare. Ita concludendum erat: coeco visum dedit; ergo vitam mortuo dare potest. Sed infidelitas omnia in contrarium rapit. — καὶ οὗτος, *etiam hic*) hic, *Lazarus*, juvenis, carus.

v. 38. πάλιν ἐμβριμώμενος, *rursum fremens*) Hoc fremitu Jesus etiam contradictionem judaicam repulit, ne animum ipsius tentaret ad omittendam resuscitationem Lazari etc. Facto eos refutat, non verbis. conf. v. 33. not.

v. 39. ἡ ἀδελφὴ τοῦ τεθνηκότος, *soror mortui*) Causa horroris majoris notatur, ex natura et necessitudine. — ὄζει, *foetet*) Putrefactionis fastidium, etiam apud proximos. Certamen rationis affectusve naturalis, et fidei. — τεταρταῖος, *quatriduanus*) Videtur eodem die, quo mortuus erat, illatus tumulo fuisse Lazarus. v. 17. Similis locutio, τριταῖος, *triduanus*. 1 Sam. 9, 20. 30, 13.

v. 40. εἶπον, *dixi*) Dixit Jesus versu 25. — δόξαν, *gloriam*) corruptioni oppositam.

v. 41. ἄνω, *sursum*) Amovit oculos ab objecto mortalitatis, in coelum. — [1]) εὐχαριστῶ σοι, *gratias ago tibi*) Jesus de eventu certissimus ad miraculum accedit longe maximum. — ἤκουσάς μου, *audisti me*) Ergo Jesus orarat, cum audisset de morbo Lazari. v. 4.

v. 42. ἐγὼ, *ego*) Hoc post aliquam pausam videtur Jesus pronunciasse. — ἤδειν, *noram*) Ostendit Jesus populo, se non ut de re nova sibi, gratias egisse Patri. Multo major erat filialis familiaritas Jesu erga Patrem, quam sermo apud homines capiebat. — πάντοτε, *semper*) etiam post mortem Lazari. — ἀκούεις, *audis*) Exaudiens respondit Pater interdum voce superna, plerumque effectu praesentissimo. — εἶπον, *dixi*) hoc, et gratias egi. sic, εἴρηκα, *dixi*, de re *modo* dicta. c. 15, 15. [2])

v. 43. φωνῇ μεγάλῃ, *voce magna*) non ut incantatores susurrantes. *Magnam vocem* audiebant omnes, qui aderant. — δεῦρο ἔξω, *veni foras*) Tam facile Jesus Lazarum e sepulcro revocavit, quam si non modo vixisset Lazarus, sed etiam vigilasset. v. 11. c. 12, 17.

v. 44. τοὺς πόδας, *pedes*) Duo pedes simul, vel uterque seorsum, involuti fuerant. — χειρίαις) Idem verbum Prov. 7, 16. LXX.

v. 45. οἱ ἐλθόντες, *qui venerant*) v. 19. 31.

v. 46. ἀπῆλθον, *abierunt*) ut alieni.

v. 47. τί ποιοῦμεν; *quid facimus?*) Non ita deliberandum erat, sed credendum. Veruntamen citius cedit mors virtuti Christi, quam infidelitas.

v. 48. οὕτω, *sic*) ut adhuc, inquiunt, reliquimus. — πάντες, *omnes*) merito vero. — οἱ ῥωμαῖοι, *Romani*) Putabant, Romanos id pro seditione habituros. Nec tamen effugerunt Judaei, quod metuebant. [*imo vero contraxerunt sibi hac ipsa agendi ratione.* V. g.] — καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος, *et locum et populum*) Adagii instar, i. e. omnia. τόπος, *territorium*.

v. 49. τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου) *anno illo*, memorabili, quo moriturus erat Jesus. Erat annus primus ac praecipuus in LXX hebdomade, quadragesimus ante vastationem Hierosolymorum, in Judaica etiam historia varias ob causas celebratus. Etiam ante et post, pontifex fuit Caiphas. Quum Evangelium scriberet Johannes, recordabatur, quantus fuisset et quam singularis hic annus, et quantae fuissent inter adversarios partes Caiphae. Ter notat pontificatum ejus in hoc anno. h. l. et versu 51. c. 18, 13. Conf. Act. 4, 6. — ὑμεῖς, *vos*) Reprehendit pontifex tardam assessorum deliberationem, et certus consilii affirmat, rem facillime expediri posse. Non aggrediendum esse populum, sed unum Jesum re-

---

1) πάτερ, *Pater*] Brevis precatio, at prorsus eximia. *V. g.*

2) ἵνα πιστεύσωσιν, *ut credant*] Sic evenit v. 45. *V. g.*

Digitized by Google

movendum. Robore animi ex prophetia orto abutitur Caiphas ad affirmationem politicam.

v. 50. συμφέρει, *expedit*) Caiphas cogitat de utilitate politica, sed Spiritus prophetiae ita eum gubernat, ut verbis utatur ad utilitatem spiritualem exprimendam idoneis. *Caiphas* et *Pilatus* Jesum condemnarunt: uterque tamen testimonium a suo ipsorum sensu alienum perhibuerunt. Caiphas, hoc loco, de *sacerdotali* morte Christi: Pilatus, de *regno*, in titulo crucis. — εἷς, *unus*) 2 Cor. 5, 15. — καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται, *et non tota gens pereat*) Respicit versum 48. fin.

v. 51. ἀφ' ἑαυτοῦ, *a semet ipso*) ut alias solent, qui deliberant. — οὐκ εἶπεν, *non dixit*) Declaratur verbum εἶπεν, *dixit*, quod est v. 49. — ὑπὲρ τοῦ ἔθνους, *pro gente*) Caiphas dixerat, ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, *pro populo*. sed Johannes non jam appellat λαὸν, *populum*, politia exspirante.

v. 52. καὶ οὐχ, *et non*) Ubique occurrit Johannes interpretationi sinistrae: c. 21, 33. idque hoc loco agit, ne quis ex Caiphae verbis colligat, Jesum pro solis Judaeis mortuum esse. Nempe apostolus Christi latius spectat, quam pontifex judaicus. — ἵνα καὶ τὰ τέκνα) καὶ particulam omittunt cod. *Latini* plerique omnes, et *Augustinus*, et cum iis *Lutherus*. Expende. — τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ, *filios Dei*) Filios dicit respectu praecognitionis divinae; et quia revera futuri erant filii Dei. [*utut non Abrahami*, *secundum carnem*, *posteri*. V. g.] — τὰ διεσκορπισμένα, *qui erant dispersi*) Praeteritum denotat non eos, qui sunt in dispersione, sed eos, qui in dispersionem venerunt. Gen. 10, 32. 11, 8.: Antitheta: *populus; dispersi*. Ceteroqui synonyma, *populus* et *filii*. Rom. 9, 26. Adeo nil detrimenti attulit Christus populo, ut ex iis etiam, qui non fuerant populus, populum faceret. conf. c. 12, 20. *s.*

v. 53. οὖν, *ergo*) Respicit versum 50. cum anteced.

v. 54. οὐκέτι, *non jam*) Id non erat timoris. — ἐφραΐμ, *Ephraim*) Vid. 2 Sam. 13, 23.

[1]) v. 55. ἐκ τῆς χώρας) *ex regione* illa, v. 54. perinde ut ex ceteris regionibus. — ἵνα) *ut* purificarent se, et impedimenta comedendi pascha removerent.

v. 56. οὖν, *igitur*) Sciebant hi prae aliis, Jesum non esse procul. — τί) Sermo concisus. *quid videtur vobis?* videtur *non venturus?*

v. 57. δὲ, *vero*) Non contenti eo fuerunt, quod v. 53. memoratur.

CAPUT XII.

v. 1. Πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα) *sex ante diebus, quam pascha foret*. Sic LXX, πρὸ δύο ἐτῶν τοῦ σεισμοῦ, πρὸ τριῶν μηνῶν τοῦ θερισμοῦ. Amos 1, 1. 4, 7. Add. 2 Macc. 15, (36.) 37. Pridie fuerat sabbatum [2]); idque dicebatur Judaeis שבת הגדול *sabbatum magnum*: sicut Graeci hebdomadem subsequentem et singulos ejus dies *magnitudinis* epitheto distinguunt. — εἰς βηθανίαν, *Bethaniam*) Abierat enim inde post resuscitatum Lazarum. c. 11, 54. [Heic loci Salvator (quo ex Ephrem per Hierichuntem accesserat) postquam pernoctasset; postero

---

1) λεγομένην, *dictam*] Obscurus ergo locus fuit. *V. g.* — κἀκεῖ διέτριβε, *ibique tenuit se*] Secessus hic prior fuit adventu in Jericho. Prius enim quam Hierichuntem veniret, solus fuit cum discipulis: Hierichunte autem numerosus populus, ad Eum congregatus, in solenni introitu Eum comitatus est et Hierosolymitanae multitudini obviam duxit. Matth. 20, 17. 29. 21, 8. Marc. 10, 46. *Harm.* p. 431.

2) Itaque *primâ feriâ* hebdomadis magnae *agnus paschalis* veri nominis (coll. Ex. 12, 3.) segregatus est: et ab ista coena, qua ad sepulturam suam Jesus instructus fuit, ad eam coenam, quâ, resurrectionis die, discipulis apparuit, octiduum effluxit. *Harm.* p. 440.

Digitized by Google

die Bethania relictâ Bethphagen, Hierosolymae propiorem, venit asinâque et pullo ex pago regionis istius accersitis solenni vecturâ Urbem intravit. *Harm.* p. 440.] — ἐκ νεκρῶν) *Jesus* habet *Lat.* ἐκ νεκρῶν ὁ ἰησοῦς complures alii. ἐκ νεκρῶν extat v. 9. [1]).

v. 2. ἐποίησαν, *fecerunt*) Bethanienses. — αὐτῷ, *ei*) in honorem ejus. — δεῖπνον, *coenam*) solennem. Convivium, cui Lazarus resuscitatus intererat, potest conferri cum convivio coelesti, cui olim intererunt mortui, cum resurrexerint. — ἡ μάρθα, *Martha*) Alio modo Martha, alio Maria studium suum declaravit, v. 3.

v. 3. ἐκ τῆς ὀσμῆς, *ex odore*) Hoc ipso odore offensus est Judas.

v. 5. τριακοσίων δηναρίων, *trecentis denariis*) L vel LX florenis.

v. 6. οὐχ ὅτι, *non quia*) Hypocrisis est, ubi aliud *dicitur*, aliud *curatur*. Avaritia pauperes praetexit, idque serio interdum: nam lautitiam etiam veram odit. — κλέπτης, *fur*) Tristius dicitur *discipulus fur*, coll. v. 4., quam *fur* simpliciter: et sic, *frater adulter*, et similia. — γλωσσόκομον) Sic LXX pro Hebr. ארון 2 Chron. 24, 8. 10. s. et in Cod. Alex. 2 Sam. 6, 11. Juvat hoc potissimum loco naturam observare stili apostolici. Non laborarunt scriptores sancti, Atticum an barbarum delicatae aures quodque vocabulum forent judicaturae: id quod vel hoc uno argumento satis constare potest, quod, quae Atticistae dispungunt, eorum bona pars in N. T. extat. Videatur ex gr. Phrynichus in γλωσσόκομον, Thomas Magister in ἵνα, Moeris in ἐνετειλάμην, coll. h. l. et Ap. 22, 14., et Matth. 28, 20., ut illi suas eclogas ex ipso N. T. locupletasse videantur. Propriam autem significationem verborum exactissime servant Scriptores sacri. v. gr. Joh. 1, 1. 17. not. Hoc quippe, non illud, ad patefaciendam mentem divinam fuit conducibile. — εἶχε) *habebat*, vel semper, vel, post alios discipulos extremo illo tempore. Videtur Judas ipse has sibi partes sumpsisse: quae ei, tametsi fur erat, tamen relictae sunt. c. 13, 29. — τὰ βαλλόμενα, *quae conferebantur*) Jesus erat egenus. — ἐβάσταζεν, *portabat*) ad usus obvios in victu Salvatoris.

v. 7. εἶπεν, *dixit*) Non redarguit Jesus aperte animum Judae. Rem ipsam potius notat. — ἡμέραν) Hic ipse tum erat *dies*. Matth. 26, 12. not. ἐνταφιασμὸν huncce, *instructionem ad sepulcrum*, sex post diebus (coll. v. 1.) secutura erat mors et sepultura ipsa. Vid. *Ord. Temp.* p. 263. s. [*Ed. II.* 228.] — ἵνα — τηρήσῃ) [2]) Subaudi, *factum est*. Sine eam: factum hoc est, ut servaret etc. Sic ἵνα, c. 9, 3. etc. Apte retunditur διατί *quare*, a Juda injectum, simulque monetur Judas: nam proditio in mortem evaluit. — τηρήσῃ, *servaret*) adeo non erat perditio. Parata prius fuerat in pauperes conferre, si opus esset: sed divino consilio gubernata est, ut asservaret, quamvis ipsa nesciret, quorsum opus foret.

v. 9. ἔγνω, *cognovit*) Odor unguenti et fama unctionis potuit indicium praebere. v. 3. — τὸν λάζαρον, *Lazarum*) Quis hujus spectandi gratia non peteret Bethaniam?

v. 10. ἐβουλεύσαντο) *consultabant*. — ἀποκτείνωσιν, *interficerent*) Ad vitam revocare fuit aliquid: quid vero est *interfectio?* Una erat doctrina, et unum miraculum, cur praecipue Jesum occiderunt: doctrina erat de Jesu Filio Dei; miraculum, resuscitatio Lazari. [*Eo usque animi fide cassi acerbitas procedit, ubi nulla superest elabendi via.* V. g.]

v. 11. [3]) ὑπῆγον, *abibant*) Bethaniam.

---

1) *Idque omittit h. v.* Vers. germ., *retento nomine* ὁ ἰησοῦς. E. B.

2) *Lectio haec, per marginem* Ed. maj. *in aequilibrio quasi posita, palmam nacta est in* Ed. 2. et Vers. germ. E. B.

3) ὃι αὐτὸν, *propter illum*] Neminem sane vel morte affici pigeat, dummodo bene multi ad fidem in Christum ea re perducti lucrifierent. *V. g.*

Digitized by Google

v. 12. [1]) ὁ ἐλθὼν, *veniens*) Ergo Galilaei potius, quam Hierosolymitae. — ἀκούσαντες, *audientes*) Quo minus opinatus fuerat adventus Jesu, eo magis jam erat exoptatus.

v. 13. ἔλαβον, *acceperunt*) non curato interdicto illo, de quo c. 11, 57. — τὰ βαΐα τῶν φοινίκων, *ramos palmarum*) Palmae usus Judaeis frequens. Levit. 23, 40.

v. 14. εὑρὼν, *nactus*) Pauper erat. — ὀνάριον) ὀνάριον, *asellus*, diminutivum, non tam asino opponitur hoc loco, quam *equo* feroci, quo non est usus Dominus.

v. 15. μὴ φοβοῦ, *noli timere*) Majestas tanti Regis timenda erat: sed timorem adimit mansuetudo, cui respondet ratio introitûs.

v. 16. ταῦτα, *haec*) hunc introitum tanti momenti, ejusque praedictionem. — οὐκ ἔγνωσαν, *non cognoverunt*) Institutorum sermonumque divinorum ratio plerumque initio latet. Ideo debemus credere et obsequi, et nos divinae gubernationi tradere. c. 13, 7. 36. 16, 4. 2, 22. Totum opus fidei est amplecti ea, quae nondum capimus, sed olim cernemus. — τὸ πρῶτον, *primum*) tempore discipulatus, ante Domini glorificationem. — ἐδοξάσθη, *glorificatus est*) per resurrectionem et ascensionem. Multa enim deinceps tempore perceperunt. — τότε, *tunc*) Id postea fidem eorum egregie confirmavit. — ταῦτα, καὶ ταῦτα, *haec, et haec*) Suavis repetitio, congruentiam prophetiae et facti exprimens. Ad καὶ *et* subaudi ὅτι *quod*, uti cap. 20, 18. Etenim vis verbi illius *recordati sunt*, magis proprie cadit super *fecisse*, quam super *scripta esse*. — ἐποίησαν, *fecerunt*) et ipsi discipuli, et populus. v. 12.

v. 17. ἐμαρτύρει, *testabatur*) de miraculo, cui interfuerat. — ἐφώνησεν ἐκ τοῦ μνημείου, *vocavit e monumento*) Scitissime exprimitur miraculi magnitudo et facilitas. Facilis est scripturae stilus de rebus maximis, omni sublimitate oratoria sublimior. Resuscitatio Lazari, coronis miraculorum Christi: quorum ordo conferri possit, cum ordine restitutionis generis humani. Cum verbo *vocavit* conferatur illud *Dixit* Gen. 1. — καὶ) *et* sic.

v. 18. ὄχλος, *populus*) populus auditor, a populo spectatore doctus. alteros Matthaeus et Marcus appellant *praecedentes*; alteros, *sequentes*. Colligas exinde, spectatorum alios in urbem ingressos miraculum divulgasse, et sic, pluribus comitantibus, Domino obviam venisse: alios, majori numero, extra portam commoratos, deinde intrantem Dominum secutos esse.

v. 19. θεωρεῖτε) Indicativus citra interrogationem. conf. Act. 21, 20. Approbant Caiphae consilium. — οὐκ ὠφελοῦμεν οὐδέν) Vid. App. Crit. Ed. II. ad h. l. [*Bene est, ubi eo res devenit*. V. g.] — ὁ κόσμος, *mundus*) Hyperbole indignabunda. Si totus mundus, inquiunt, noster esset, ad illum desciscceret. Latet quiddam prophetiae simile. conf. c. 11, 50., et 19, 19. seqq. — ἀπῆλθεν, *abiit*) a nobis. Quomodo *mundum* retinebimus?

v. 20. Ἕλληνες, *Graeci*) Praeludium regni Dei a Judaeis (v. 37.) ad gentes transituri. Circumcisos hos fuisse, non liquet: unum certe colebant Deum Israëlis. — ἐκ τῶν ἀναβαινόντων) *ex iis qui ascendere* solebant. — ἐν τῇ ἑορτῇ, *in festo*) illo, de quo c. 11, 55.

v. 21. βηθσαϊδὰ, *Bethsaida*) Ibi fortasse Graeci illi soliti erant divertere in itinere Hierosolymitano. Vel sciebant, Galilaeos prae Judaeis sibi in ea re inservituros. [*Vel, cum imprudentes Hierosolymis in adversarios Christi incidissent, per hos, ne Ipsum adirent, moniti fuerant*. Harm. p. 450.] — κύριε, *domine*) Sic appellant, ut paene ignotum; conf. c. 20, 15., sed non sine aliqua

---

1) τῇ ἐπαύριον, *sequenti die*] Unius diei, amplissime certe, gesta sunt, quae referuntur ab hoc versu usque ad v. 50. *Harm.* p. 450.

Digitized by Google

veneratione. Noti, plerumque appellabantur nomine. — θέλομεν, *volumus*) Effectus et specimen earum rerum, de quibus v. 31. s. [*Praestitit hoc desiderium desiderio Herodis* Luc. 23, 8. V. g.] — τὸν) Articulus habet vim demonstrandi. — ἰδεῖν, *videre*) Modeste. Non erat adhuc tempus, ut Jesus cum eis loqueretur multa. Vel viderant Jesum antea quoque Hierosolymis, vel de eo audierant. Jesus versabatur in interiore templi parte, quo Graecis non patebat introitus.

v. 22. καὶ λέγει, *et dicit*) Philippus verebatur Graecos solus adducere: cum sodali, audet. [*Rem judicavit pensitatione dignam.* V. g.]

v. 23. ἡ ὥρα, *hora*) Hujus horae multa deinceps mentio est, v. 27. 13, 1. 16, 32. 17, 1. — ἵνα δοξασθῇ, *ut glorificetur*) apud Patrem, Joh. 17, 5. et in conspectu omnis creaturae. Christi glorificatio et gentium conversio in unum tempus incidit.

v. 24. πεσὼν) *quum ceciderit.* — αὐτὸς μόνος, *ipsum solum*) Christus, etiamsi pro nobis mortuus non esset, tamen esse potuisset per se, qui est. — ἀποθάνῃ — καρπὸν, *mortuum fuerit — fructum*) Utriusque rei praevium specimen hic habet locus. v. 27. 32. *Multum* fructum describunt et exhibent tot secula. [*Atque inter eos etiam, qui nostro tempore vivunt, non sunt nulla ejus generis granula. Beatum, qui annumerare se istis jure potest.* V. g.]

v. 25. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *animam suam*) id est, se ipsum. — ἀπολέσει, *perdet*) in *aeternum.* — ὁ μισῶν, *qui odit*) Hoc odium assequitur anima, sensu verborum Christi, quae v. 24. occurrunt, imbuta. — ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ) *in hoc mundo*, visibili, vano, caduco, malo. Hoc non exprimitur in praecedente sententia. nam hic mundus ad *amandam vitam* per se trahit, sed vitam *odisse* in hoc mundo, magna res est. [1])

v. 26. [2]) τις) τὶς *aliquis* hoc versu postponitur, et, deinde, majore emphasi praeponitur. [*Alterum* τὶς *innuit: quantumvis a mundo contemtus fuerit.* V. g.] — ἀκολουθείτω, *sequitor*) eo itinere, quod mihi propositum est. Imperativus promittens, et ex praesentissimo sensu instantis gloriae invitans. — ἔσται, *erit*) Promissio. Conf. Ap. 14, 4. [*Sequela Christi servum eodem per se deducit, ubi Dominus versatur. Verum hinc illinc evagando excidit servus exoptato fine.* V. g.] — τιμήσει, *honorabit*) Grande verbum, congruens cum δοξασθῇ, *glorificetur* v. 23. [*Majori sane honore talis afficitur, quam qui a Magnatum, quaqua orbis patet, maximo excogitari queat, vel togâ sagove meritissimo cuiris vel rivenli vel mortuo exhiberi.* V. g.] — αὐτὸν, *eum*) ut Filii consortem. Rom. 8, 29.

v. 27. νῦν, *nunc*) Jesus varios habuit praegustus passionis suae, per quos sese paravit. Magni momenti hoc νῦν, *nunc*: alterum, v. 31. [*Sic et* c. 13, 31. *Utrumque brevis adhuc temporis indicium sequitur: h. l.*, v. 35., *altero*, (c. 13.) v. 33. V. g.] — τετάραχται, *turbata est*) Decora declaratio. Concurrebat horror mortis et ardor obedientiae. [3]) — καὶ τί εἴπω, *et quid dicam?*) Statim sustinet Jesus animam suam in illo ipso νῦν *nunc.* Sequitur hanc formulam sermo bimembris: et ipsa formula hanc vim habet, ut totum sermonem uno momento cogitatio Ejus concepisse judicetur; quanquam lingua humana pronunciationem

---

1) φυλάξει, *custodiet*) Haec veri nominis est prudentia. *V. g.*

2) ἐμοὶ, *me*) Bis hoc ponitur, magna vi. *V. g.*

3) Sane Jesu Christi, DEI Filii, et gloria et exinanitio omnem captum superat. Inde sacrorum Ejusdem affectuum, cogitationum, sermonum, omnisque cum Patre, cum discipulis, cum ceteris hominibus agendi rationis mirabile *temperamentum* prodiit, principales partes modo hac schesi modo illa sibi vindicante; eâ tamen lege, ut in utroque casu *Decorum*, divina Ipsius Majestate dignum, ac demissio ad miscllos fratres incomparabili prorsus modo conspirent inter se et consentiant. His decenter exprimendis nulla vel sapientia vel dexteritas humana sufficisset: at Evangelistarum exquisitissimus in ea re successus divini profecto stili usum aperte prodit. *Harm.* p. 451.

Digitized by Google

non uno momento caperet. hinc quasi προθεραπείας causa ait, *quid DICAM?* non, *quid eligam?* coll. Phil. 1, 22. — σῶσόν με, *serva me*) Affine illud: *transeat calix.* — ἐκ τῆς ὥρας ταύτης) *ex hora hac* passionis. Hanc enim repraesentabat sibi anima Jesu. v. 23. — ἀλλὰ, *verumtamen*) Affine illud: πλὴν, *verum*, non ut ego volo, sed ut tu. — διὰ τοῦτο, *propter hoc*) Propterea veni in hanc horam, ut venirem in hanc horam, eamque exantlarem. Ploce elliptica.

v. 28. πάτερ, *Pater*) Appellatio amanter iterata congruit cum commutata alloquii materia. — δόξασον) *glorifica*, quovis impendio mei. Id Pater mox accipit: δοξάσω, *glorificabo*. Jam praeteriit ταραχὴ, *turbatio*. — σοῦ τὸ ὄνομα) *tuum nomen* paternum, quod est in me. Ex. 23, 21., tanquam *Filio* tuo unigenito coll. Matth. 3, 17. 17, 5. Itaque vox ter de coelo Filium Dei proclamavit. — καὶ ἐδόξασα, *et glorificavi*) nomen meum. Vid. cap. 17, 5. — πάλιν δοξάσω, *iterum glorificabo*) Ib. et versu 1. Verbo *glorificavi* acceptatur ingressus Christi [*in mundum, connotata commoratione in eo*, V. g.] in horam illam: verbo *glorificabo* promittitur glorificatio nominis paterni per glorificationem Christi ex passione. Ad duplicem sermonem Jesu duplex responsio Patris.

v. 29. ἀκούσας, *audiens*) Sonum audierant, non verba. In maximis revelationibus remanet aliquid, quo fides exerceatur. — βροντὴν, *tonitru*) Ver erat.

v. 30. οὐ δι' ἐμὲ, *non propter me*) Ipse et Pater unum sunt: quare non eget testimoniis externis, quibus confirmetur. Probabile est, tempore secessuum Jesu nulla fuisse miracula in occulto facta. Sic quoque in illustribus beati obitus exemplis, ea quae fiunt, non propter obeuntes fiunt, sed propter superstites. — δι' ὑμᾶς, *propter vos*) cap. 11, 15. 42. [*Eximium sane testimonium hoc fuit, istis haut inferius, quae ad Jordanem et in monte sancto percepta sunt.* V. g.]

v. 31. νῦν, *nunc*) *nunc*, hoc momento. Hoc νῦν, *nunc*, praecise sumendum est, in antitheto ad subsecutam paucis diebus *exaltationem ex terra*. Ab hoc temporis articulo Jesus dulci animae suae labore ad glorificationem sui nixus est magis quam antea. c. 13, 31. 14, 30. 17, 1. Conf. ἄρτι, *jam*, novo gradu, Ap. 12, 10. — κόσμου, *mundi*) non, *a mundo*; non, *in mundum*. Est Genitivus objecti; *judicium de hoc mundo*, quis posthaec jure sit obtenturus mundum. conf. c. 13, 3. 16, 11. Col. 2, 15. Hebr. 2, 14. — ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, *princeps mundi hujus*) Respicitur capite 14, 30. 16, 11. haec appellatio, nusquam alibi obvia. conf. 2 Cor. 4, 4. Mundi potius fuerat adversarius per peccatum et per mortem. — ἐκβληθήσεται, *ejicietur*) Sermo concisus. i. e. judicabitur et condemnabitur et *ejicietur* ex possessione pristina, ut *reus*. Postea, in triumpho ductus, ejectus est ut *actor*, Ap. 12. — ἔξω, *foras*) ex finibus regni, *mihi dati in excelsis*. Congruit mox ὑψωθῶ, *exaltatus fuero*. Ipsum regnum, Christo datum in excelsis, nunquam possedit Satanas, sed limites finesque ejus subinde intravit, ejiciendus.

v. 32. κἀγὼ) *et ego*, ego vero. Oppositum, *princeps mundi hujus*. — ὑψωθῶ, *exaltatus fuero*) Vid. v. 33. et c. 3, 14. — ἐκ τῆς γῆς) *e terra*. conf. Act. 8, 33. In ipsa cruce jam fuit quiddam ad gloriam tendens. — πάντας, *omnes*) etiam gentes. v. 20. Satanas retinere eos non poterit: et ipse loco cedet. Hic respondetur ad rogationem versu 21. memoratam. — ἑλκύσω, *traham*) de terra, sursum. Hoc verbo vis indicatur adversus mundi principem, non jam detenturum captivos.

v. 34. ἡμεῖς, *nos*) Vocula ironiae quiddam hoc loco habet. — ἐκ τοῦ νόμου) *ex Lege*, sub qua prophetae et psalmi comprehenduntur. — μένει, *manet*) Ps. 16, 10. 45, 7. 72, 5. 89, 29. Jes. 53, 8. — [1]) καὶ, *et*) Judaei committunt inter se, quae committenda non erant. Jes. 53, 8. Ipsa mors via ad perennitatem. —

---

1) εἰς τὸν αἰῶνα, *in aeternum*] Magnifice igitur de Christo sentiebant. *V. g.*

πῶς, τίς, *quomodo, quis*) Dupliciter quaerunt: de *exaltatione*, ex v. 32. de *Filio hominis*, ex v. 23. [*coll.* c. 8, 28.] — τίς) *Quis* est, inquiunt, filius hominis, si Christus non est? Atqui filium hominis exaltatum iri dicis; Christus autem non moritur. τίς, *quis*, qualis.

1) v. 35. ἔτι, *adhuc*) Non respondet Jesus interpellationi eorum, sed subjicit, quae eis maxime sunt necessaria. — μικρὸν, *pusillum*) Antitheton, *in aeternum*, v. 34. Judaei putabant, Christum, ubi semel venisset, nunquam non futurum cum ipsis. — ἐν ὑμῖν, *in vobis*) Lux ipsa manet; sed non semper *in vobis*. Sic, ἐν αὐτοῖς, *in illis*. c. 15, 24. Est ἐν pro ב Hebraeo. — περιπατεῖτε, *ambulate*) cum progressu. Ambulandum, non disceptandum. *Fides* non est deses, sed agilis in luce. v. 36. — καταλάβῃ, *comprehendat*) inopinantes. — καὶ, *et*) Conjunctio, pro relativo *qui*. *in quibus tenebris qui ambulat*, etc. sic καὶ, *et*, Luc. 24, 18. — ποῦ) *ubi*, quorsum.

v. 36. υἱοὶ φωτός, *filii lucis*) qui luci *semper* manent conjuncti. c. 8, 35. — γένησθε) *fiatis*; quum per vos non sitis. — ἀπελθὼν ἐκρύβη, *abiens abscondit se*) Hoc ipso significavit, quid posthac futurum eis esset. Matth. 23, 39.

v. 37. τοσαῦτα, *tanta*) tam multa. Epicrisis generalis. — ἔμπροσθεν αὐτῶν, *coram eis*) ita, ut oculis cernerent. — οὐκ ἐπίστευον, *non credebant*) Sequitur amplius: *non poterant credere*. v. 39.

v. 38. ὃν εἶπε, *quem dixit*) Prophetica sunt, non modo quae Dominus ad prophetas, et hi Illius verbis, sed etiam, quae prophetae ad Dominum suis ipsorum verbis dixere. — Κύριε — ἀπεκαλύφθη;) Jes. 53, 1. Sic plane LXX. In Hebraeo Κύριε non extat. Collato ibi versu sequente *Brachium Domini* accipi potest pro Messia ipso. — ἀκοῇ) ἀκοὴ, facultas audiendi; inde id quod auditur, i. e. sermo, testimonium. correlatum, *fides*. — ἡμῶν, *nostro*) prophetarum. — ὁ βραχίων Κυρίου) *brachium Domini*, in miraculis et redemtionis opere exsertum, in evangelio praedicatum. Jes. 52, 10. Ps. 98, 1. 2. — τίνι ἀπεκαλύφθη; *cui revelatum est?*) In se exsertum est; sed coeci non viderunt illud. Fidelis quis est? Resp. Est talis, cui revelatum est brachium Domini.

v. 39. διὰ τοῦτο) *ob id*: quia videlicet praedictum erat justum hoc judicium. Hic subsistit evangelista: quis ultra nitatur? [*Prius* non credunt, *refractarii: tum* non possunt *credere*. *Falluntur, qui, ordine inverso, dictum putant:* Non potuerunt *credere; itaque* non crediderunt. V. g.]

v. 40. τετύφλωκεν, *coecavit*) justo judicio, Deus. Sequitur, commutata persona, *sanem*, ego Messias. — πεπώρωκεν) Opposita: πώρωσις, νόησις, *stupor, intelligentia*. conf. 2 Cor. 3, 14. — ἵνα μὴ) *usque eo, ut ne*. conf. ἵνα, c. 5, 20. — καὶ νοήσωσι τῇ καρδίᾳ καὶ ἐπιστραφῶσι, *et intelligant corde et convertantur*) Haec duo incisa propius cohaerent inter se, per accentus Hebraeos, apud Jesaiam, quam cum ceteris.

v. 41. ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, *quum vidit gloriam ejus*) Pro αὐτοῦ unus alterque scripsit τοῦ θεοῦ, ex v. 43. sed sic enervatur applicatio oraculi Jesajani ad tempora Christi. Divinam Christi gloriam, Joh. 1, 14. 17, 1. s. vidit Jesaias c. 6, 1., ita quidem, uti revelanda erat in N. T. et uti Judaei eam non erant agnituri. — καὶ ἐλάλησε, *et locutus est*) Subauditur ὅτε *quum*, ut ὅτι *quod*, v. 16. Indigitatur *sermo* ille, qui conjunctim cum *visione* memoratur, Jes. 6, 5.

v. 42. καὶ) *etiam*: non modo ex plebe. — φαρισαίους, *pharisaeos*) Hi erant acerbissimi: ipsisque *principibus* formidabiles. [*Plurimum videlicet potestatis, perverso Zelo agitati, affectabant; illi praesertim, qui publico aliquo munere fungebantur*. V. g.] — οὐχ ὡμολόγουν, *non confitebantur*) quamvis animus per fidem convictus ad confessionem urgebat. *non confiteri*, et *negare*, differunt.

---

1) σὺ λέγεις, *tu dicis*] Habemus igitur confessos, quod Jesus Christum se cognoscendum ipsis praebuerit. *V. g.*

Digitized by Google

v. 43. ἠγάπησαν, *amarunt*) Evangelium postulat et operatur abnegationem rerum humanarum. — τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων, *gloriam hominum*) qualis est communio synagogae. [*quae quid valet, si cum jure civitatis Sanctorum et DEI domesticorum comparetur?* V. g.] Qui ignominiam fugit, jam gloriam hominum amat. — τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ, *gloriam Dei*) Gloria ex Deo, obtingit *credentibus et loquentibus.* v. 26. c. 1, 12.

v. 44. ἰησοῦς, *Jesus*) Epilogus, apud Johannem, sermonum Christi publicorum, et recapitulatio. Ideo dicit: *locutus sum,* ut de re praeterita. v. 48. 49. — ἔκραξε, *clamavit*) cupidus salutis humanae. [*Verba* v. 44—50., Qui credit in me etc. *in* ipso abitu *effatus est, quum notabili jam intervallo remotus ab hominibus esset; quare* clamasse *dicitur, ut scilicet illi ipsi, quibuscum locutus erat, audirent, non exclusis reliquis, in templo tum constitutis.* Occultationem *prius memoravit Johannes*, v. 36., *utpote verba*, adhuc pusillum etc. *respicientem*, v. 35. 36. Harm. pag. 452.] — οὐ πιστεύει εἰς ἐμέ, *non credit in me*) Fides ejus non tendit in me solum. 1 Petr. 1, 21. Christus omnia refert et delegat ad Patrem. — ἀλλ᾽ εἰς, *sed in*) Fides in Filium est eadem etiam fides in Patrem, quia Pater *misit* Filium, et quia Filius et Pater *unum* sunt, coll. v. seq. c. 14, 9. s.

v. 45. θεωρῶν, *videns*) ea visione, quam fides comitatur. c. 6, 40. — ἐμέ) *me*, Lucem. v. 46. — θεωρεῖ, *videt*) Spectatione mei attingit Patrem. c. 14, 9. Hic non additur, *non videt me, sed.* nam diversa est ratio *credendi* et *videndi*, quamvis conjuncta. Accedit τὸ *audire*, v. 47. — τὸν πέμψαντά με, *eum qui misit me*) Hic locus iis commendandus est, qui haesitant, quomodo Deum in invocatione sibi debeant proponere. add. cap. 14, 9.

v. 46. φῶς, *lux*) Continuatur sermo ex v. 36. — μὴ μείνῃ, *non maneat*) Eramus igitur in tenebris.

v. 47. ἐγὼ οὐ κρίνω, *ego non judico*) Hoc limitatur tripliciter: *Ego,* solus; et, in praesenti, *non judico;* et, causaliter, *non judico ego*, sed qui non credit, ipse in judicium incurrit, verbo non credens. — ἵνα κρίνω, ἵνα σώσω, *ut judicem, ut salvem*) Ejusdem temporis verba. Vide: non credens est portio mundi, cujus salvandi causa Christus venit. plane hoc patet ex verborum nexu.

v. 48. ἐμὲ, τὰ ῥήματά μου, *me, verba mea*) Quia Christum ipsum repudiabant Judaei, ideo verba ejus non acceperunt. c. 8, 43. — ἔχει) *habet* jam. — ἐκεῖνος, *ille*) Hoc pronomen prospicit in longinquum. — ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, *in novissimo die*) c. 6, 39. Uno die erit et resurrectio et judicium. Magnam vim et ad fideles et ad infideles habet novissimi diei mentio.

v. 49. ὅτι, *quia*) Ratio, cur verbum judicet infidelem: est enim verbum Patris. c. 14, 24. — αὐτὸς) *ipse.* — τί εἴπω καὶ τί λαλήσω) λαλῶ dicitur de sermone copioso et μονοπλεύρῳ· ἔπω, de brevi, et mutuo. c. 16, 17. s. Diff. ut דבר et אמר apud Hebraeos.

v. 50. ζωὴ αἰώνιος, *vita aeterna*) Quare qui verba Christi spernit, vitam aeternam spernit. Vita enim aeterna sita est in agnitione Patris et Filii. c. 17, 3.

CAPUT XIII.

v. 1. Πρὸ, *ante*) proxime ante, pridie. [*feriâ quartâ.* V. g.] In tres partes hic liber dividitur, quarum summa est: *Veni a Patre: fui in mundo: vado ad Patrem.* [1]) [2]) [3]) — ἀγαπήσας, *amore complexus.* [Exordium *quasi* generale *versiculus hic ad ea continet, quae et hoc deinceps capite et sequentibus nar-*

---

1) εἰδὼς, *sciens*] Sic et v. 3. *V. g.*
2) ἡ ὥρα, *hora*] de qua dixerat jam c. 12, 27. *Harm.* p. 489.
3) ἐκ — πρὸς, *ex — ad*] ex pravo hoc mundo ad aeterna sua gaudia. *V. g.*

Digitized by Google

rantur. Harm. p. 489.] — τοὺς ἰδίους, *suos*) v. 18. Antitheton ad alienos, de quibus c. 12. — [1]) ἠγάπησεν, *amavit*) dum puritatem perfectam iis contulit, et humilitatem animae, adeoque capacitatem ad legationem *in mundo* post abitum Jesu obeundam. v. 10. 14. 20.

v. 2. δείπνου, *coena*) indefinite. Ea erat pridie coenae paschalis. — γενομένου, *cum fieret*) Ergo pedilavium sub initium coenae. Confer *surgit ex*, v. 4., et *accumbens iterum*, v. 12. Conspirat etiam communis Judaeorum consuetudo. — ἤδη, *jam*) Particulam omittunt *Chrysost. Aeth. Arab. Lat.* in ms. quibusdam, *Pers. Syr.* sed retinenda est. Respondet ei τότε, *tunc*, v. 27. — βεβληκότος, *cum misisset*) Magna vis. Conjugata, διαβόλου, βεβληκότος. — καρδίαν, *cor*) Occultum adhuc erat propositum Judae. — Ἰούδα, *Judae*) Ne impuritas Judae ceterorum corda corriperet, pedilavio cautum est. conf. v. 11. — Ἰσκαριώτου, *Iscariotae*) Non Simonis, sed Judae cognomen. c. 6, 71. 14, 22.

v. 3. εἰδὼς, *qui sciret*) Conscientia gloriae, et officium servile pedilavii, mire concurrunt. Praefatio gloriae est instar protestationis, ne quid indignum fecisse existimetur Dominus pedes suorum lavans. — πάντα, *omnia*) Quo propius Jesus Christus venit ad passionem, v. 2., eo magis ipse cogitat, eoque clarius scriptura loquitur, de ejus gloria. Sic quoque v. 30. et 31. Pater Filio hoc quasi dixit: Omnia quae a me defecerunt, tibi do: vince quod vis; vindica tibi, quod vis. c. 17, 2. 3.

v. 4. ἐγείρεται, *surgit*) Jesus semper cum recordatione gloriae suae intrandae conjunxit specimina humilitatis. — τὰ ἱμάτια, *vestes*) eas, quae lotionem impedirent.

v. 5. εἶτα, *deinde*) Non dubium est, quin valde exspectarint discipuli, quid pararet. — τόν) Adesse solebat, ubi coenabatur, *pelluvium*, ex metallo, an ex ligno, ut hodie malluvium. Haec vis articuli. — ἤρξατο, *coepit*) novo et admirabili instituto. Rarum Johanni verbum. — νίπτειν, *lavare*) Magna demissio et tamen decora. Non sic angelus Petro fecit. Act. 12, 8.

v. 6. ἔρχεται, *venit*) Non plane ante omnes, sed tamen in primis ad Petrum venisse videtur: in quo ceteri discipuli didicere, non esse obnitendum. Pulcra virtus, ἀπερισπασία, simplicitas obediens fidelium. — κύριε, *Domine*) Ter hîc loquitur Petrus. prima et tertia vice appellat *Dominum:* secunda allocutio est quasi continuatio primae. — σύ μου, *tu meos*) Indigne fert, quasi rem indignam.

v. 7. ὃ, *quod*) Axioma patentissimum. — οὐκ — ἄρτι — δὲ μετὰ ταῦτα) Similis sermo, v. 36. — μετὰ ταῦτα, *posthaec*) Vid. v. 12. (quo pacto verba γνώσῃ, γινώσκετε, *cognosces, cognoscitis?* strictissime cohaerent,) et v. 17., vel etiam Luc. 12, 37. Eventus non modo *posthac*, sed statim celerius incipit, quam promissio sonat.

v. 8. λέγει, *dicit*) Non erat addenda protestatio altera. — εἰς τὸν αἰῶνα, *in aeternum*) Opponit hoc Petrus τῷ μετὰ ταῦτα, *posthaec*. Formula vehemens. 1 Cor. 8, 13. — ἐὰν, *si*) Voluntati Domini debemus cedere. — σὲ) *te*, inquit, non, *pedes tuos*. brevitate praecisa. Qui non lotus est pedes, totus censetur illotus. — οὐκ ἔχεις, *non habes*) Necessitas illius virtutis eis per pedilavium ostensa. Non dubium est, quin admiranda Domini humilitas, discipulorum animas valde mutaverit et liquefecerit. Petrus inprimis egebat. — μετ' ἐμοῦ, *mecum*) Manet ergo Dominus, Jesus.

v. 9. μὴ, *non*) Si lotio me participem tecum servat, totum me lavandum permitto. — χεῖρας, κεφαλὴν, *manus, caput*) Gradatio. Ex majestate Domini us-

---

1) εἰς τέλος, *ad finem usque*] usque ad ipsum abitum suum. Absolutis ad multitudinem sermonibus tanto jam penitiori Jesus erga discipulos familiaritate utitur. *V. g.*

Digitized by Google

que adeo demissa, Petro sensus impuritatis propriae obortus haec verba dictavit. conf. Luc. 5, 8.

v. 10. ὁ λελουμένος) λούω, (unde λουτρὸν,) dicitur de *toto* corpore, νίπτω de parte. — οὐ, *non*) Jesus Petri sensum in ordinem redigit. — πόδας, *pedes*) qui ultimi sunt in lavando, et primi in inquinando. — ὅλος, *totus*) ubi pedes loti sunt. — καθαροὶ, *mundi*) c. 15, 3.

v. 11. τὸν παραδιδόντα, *prodentem*) qui pedilavium acceperat.

v. 12. ὅτε, *quum*) Ab hoc adverbio duo verba pendent, uti cap. 12, 41. — αὐτῶν, *eorum*) discipulorum; recenti aqua in singulos sumta. — ἀναπεσὼν, *accumbens*) ut Dominus. Luc. 22, 27. — τί) *quid*, et *quare*.

v. 13. ὁ διδάσκαλος) Nominativus pro vocativo, extante Luc. 6, 46. — καὶ, *et*) Interdum appellabant *Magistrum*, interdum *Dominum:* eoque se fatebantur *discipulos* et *servos*. — ὁ κύριος, *Dominus*) v. 6. 9. 25. 36. 37. 14, 5. 8. 22.

v. 14. καὶ ὑμεῖς, *etiam vos*) Pedilavium, quod Dominus discipulis adhibuit, pertinebat et ad beneficium conferendae puritatis totalis, et ad paedian docendae dilectionis humilis. v. 34. coll. v. 1. Inde pedilavium discipulorum inter se eo pertinet, ut alter alterum quoquo modo adjuvet ad consequendam puritatem animae; et ut alter alteri pedes lavet, *vel* proprie, 1 Tim. 5, 10., idque serio, si scil. accidat, ut opus sit: est enim praeceptum affirmativum, obligans semper, sed non ad semper; quale etiam illud 1 Joh. 3, 16. *vel* synecdochice, per omne genus officiorum, quae alter alteri etiam servilia et sordida, modo opportuna, praestare potest. Dominus igitur per ipsum pedilavium purificavit discipulos; quare etiam Petrum amanter coëgit: sed discipulis pedilavium mutuum non hoc nomine praecepit. neque adeo tanta est pedilavii literatenus imitandi necessitas, quantam nonnulli statuerunt; quum Johannes v. gr. Thomae pedes nusquam laverit: et tamen major pedilavii Dominici et fraterni similitudo, quam plerique agnoscunt. Hodie pontifices et principes pedilavium ad literam imitantur: magis autem admirandus foret v. gr. pontifex, unius regis, quam duodecim pauperum pedes, seria humilitate lavans. Jam, his observatis, fac legas *Ittigii* diss. de Pedilavio. — ὀφείλετε, *debetis*) mei exempli causa. coll. γὰρ, *enim*. v. 15.

v. 16. ἀμὴν ἀμὴν, *amen amen*) Vis hujus affirmationis pertingit ad v. 17. — μείζων, *major*) Neque debet recusare, quo minus eadem faciat, eadem sustineat.

v. 17. ταῦτα) *haec*, quae ego feci.

v. 18. λέγω, *dico*) quum *beatos* dico. — ἐγὼ) *ego* Dominus: tametsi vos nescitis, praesertim quisque de ceteris. — ἐπ᾽ ἐμὲ, *super me*) Tantum abest, ut fratrum pedes lavet. — τὴν πτέρναν, *calcaneum*) Congruit hic sermo inprimis ad lotionem *pedum;* et ad morem veterem discumbentium ad *panem* edendum. conf. עקב Gen. 3, 15.

v. 19. ἀπ᾽ ἄρτι) *ab hoc tempore*. nam mox iterum dicit, et expressius, v. 21. — πρὸ τοῦ γενέσθαι, *prius quam fiat*) c. 14, 29. — ἵνα, *ut*) Idem scopus c. 14, 29. 16, 4. — πιστεύσητε, *credatis*) Magnum criterium veritatis, praedictorum eventus.

v. 20. ἀμὴν ἀμὴν, *amen amen*) Jesus discipulos v. 1. seqq. suo sensu ac sua puritate ad sanctificationem imbutos, nunc etiam sua auctoritate cohonestat. Qui habet *pedes* ὡραίους *speciosos*, v. 5. Rom. 10, 15., et sese *humiliat*, v. 14. Matth. 18, 4. 5., is potest *legatum* Christi agere. v. 16.

v. 21. ἐμαρτύρησε, *testatus est*) graviter, ut de re occulta. — εἷς ἐξ ὑμῶν, *unus ex vobis*) Hoc omnibus salutare fuit, quod Jesus primum indefinite locutus est.

v. 23. ὃν ἠγάπα, *quem amabat*) [*Sic et* c. 19, 26. 21, 7. 20. V. g.] Magna cura vitat *Johannes* expressam sui appellationem. Optabilius est, *amari* ab Jesu, quam nomine proprio celebrari. Est tamen hoc loco notatio ipsius nominis

Digitized by Google

proprii: (ut Luc. 2, 11. not. Ap. 1, 4., ubi periphrasis est Tetragrammati: adde, si placet, quae notavimus in *Gregorii Thaum.* Paneg. p. 181.) nam Johannes dicitur, qui apud *Dominum gratia* valet. Ideo haec appellatio ponitur etiam, ubi materia substrata eam non valde postulabat: v. gr. c. 20, 2., cum Petro, cujus nomen ponitur. Atque hic, instante passione, prima eximia *amoris* significatio data est Johanni, per revelationem arcani: antea is videtur nescisse, se tam carum esse.

v. 24. νεύει, *innuit*) a tergo Jesu. Medius locus erat honoris: eum tenebat Jesus: supra, Petrus; infra Johannes accubuisse videtur. Magna familiaritas Petri et Johannis. c. 20, 2. 21, 7. 20. *Nutus*, prae sermone, hic decebat. — πυθέσθαι, *ut sciscitaretur*) Sic ferebat opportunitas loci, quo gaudebat Johannes.

v. 25. ἐπιπεσὼν, *rejiciens se*) Nova libertas, qua neque hic neque alius discipulus alias usus est. c. 21, 20. Johannes erat in *sinu* Domini: inde reclinabat se quam familiariter ad *pectus* Jesu, eo ipso tegens animum interrogandi: deinde clam interrogavit. conf. v. 28. — ἐκεῖνος) οὗτως addidere pridem multi. Glossa bona: coll. οὕτως, c. 4, 6. not.

[1]) v. 26. ἀποκρίνεται, *respondet*) Johanni in aurem. — τὸ ψωμίον, *offulam*) Hanc inter loquendum Jesus sumsit in manum. — δίδωσιν, *dat*) Dedit Jesus cum summa longanimitate; et ceteri discipuli sine dubio putarunt, Judam prae aliis esse felicem. Sed cum Judas ne sic quidem resipisceret, factus est Satanae organon singulare, Christo adversissimum. [*Quam prope h. l. Judas a Jesu abfuit! at brevi post, quanto intervallo Jesum gloria, pernicies Judam sejunxit.* V. g.]

v. 27. μετὰ τὸ ψωμίον, *post offulam*) non *cum offula*. — τότε, *tum*) Accurate notatur tempus, conferendum ad Luc. 22, 3. 7. — εἰσῆλθεν, *intravit*) Antea tantum potuit cogitationem *injicere*. v. 2. [c. 12, 4. 6, 71.] Uti oeconomia mali et boni per omnia inter se comparari contrarie potest; sic quoque gradus operationis obsessionisque satanicae et operationis inhabitationisque divinae. — ἐκεῖνον, *illum*) Jam *remote* notat Judam. — ὃ ποιεῖς, *quod facis*) Non jubet facere, sed, si facere pertendat, maturare; eoque se promtum innuit ad patiendum. Judas ex hoc radio omniscientiae poterat sentire, se nosci. — τάχιον, *ocyus*) Sic εὐθέως *statim*. v. 30. Versu 31. causa ostenditur, cur Jesus festinarit.

v. 28. οὐδεὶς, *nemo*) praeter Jesum Johannemque et Judam.

v. 29. εἰς τὴν ἑορτὴν, *in festum*) Gesta haec sunt paullo ante festum, pridie paschatos: nec tamen existimabant, tam prope instare passionem Domini. In ipsam coenae paschalis vesperam haec non conveniunt.

v. 30. ἐξῆλθεν, *exiit*) postea tamen rediit: coll. Matth. 26, 20. vixque potuisset alias prodere. — ἦν δὲ νὺξ, ὅτε ἐξῆλθε) *Erat autem nox, quum exiit.* Similis forma loquendi: *erat autem sabbatum, quum* etc. c. 9, 14. Versu 31. incipiunt, quae postridie dicta sunt.

v. 30. s. ἦν δὲ νὺξ, ὅτε ἐξῆλθε. Λέγει ὁ ἰησοῦς, Νῦν κτλ.) *Nox erat, quum exiret* Judas. Non autem ea nocte ineunte, sed postridie mane *dixit Jesus: Nunc glorificatus est Filius hominis etc.* ut ostendimus in Harmon. evang. §. 174. et 178. Perperam igitur nonnulli incisum hoc, ὅτε ἐξῆλθε, interdum etiam οὖν inserto, cum λέγει, construxerunt.

v. 31. λέγει) *dicit*, postridie, nempe mane, feria V. coll. v. 1. 38. Sermo etiam ex abrupto incipiens sic notatur. c. 18, 26. coll. Luc. 22, 59. Dominus res maximas in corde suo agitatas eloqui incipit: hocque loco scena quasi panditur ad colloquium, quod capp. seqq. continuatur. — νῦν, *nunc*) Articulus tem-

---

1) λέγει αὐτῷ, *dicit ei*] Amor erga Jesum legitimam reddit quaestionem, quae aliis curiositatis notam vix effugeret. *V. g.*

Digitized by Google

poris praecise notatus in praesenti. conf. c. 12, 27. 31. not. Hoc *nunc* determinat se ipsum: *nunc*, inquit, scil. dum haec loquor, quanquam ipsum sermonis tempus ab evangelista non exprimitur, sed ex contextu colligendum datur. Sic, *cras*, Exod. 8, 10. 20. 29. 9, 5. Unde respondetur D. Haubero, *Harm. Anm.* p. 207. Exitus Judae per se nullum cum hac particula nexum habet. [*quanquam eo ipso* momento *Judam id, quod Jesus* v. 27. *maturare jusserat*, fecisse, *et sacerdotum principes ad comprehendendum eum omnia disposuisse, facile sit opinatu.* Harm. p. 497.] — ἐδοξάσθη, *glorificatus est*) Jesus passionem ut breve iter spectat, et metam potius prospicit. — ἐν αὐτῷ, *in eo*) In corde Domini versabatur tum quiddam solidissimum, nec solum spectabat proxime futura, sed penitissimam eorum repraesentationem et gustum habebat, dum se totum ad patiendum conferebat. Quod incunte die pronunciavit Christus, prius quiddam est, quam id, quod postea vesperi petiit a Patre. Joh. 17, 1. 2. Consideretur emphasis τοῦ *nunc*, et differentia vocum *in*, *in*, Joh. 13, 31. 32., et *super*, *apud*, c. 17, 4. 5.

v. 32. δοξάσει, *glorificabit*) per exaltationem. Connexio τοῦ *si* cum τῷ *etiam* est insignis. conf. Col. 3, 3. 4. — ἐν ἑαυτῷ, *in semetipso*) Relatum ἐν αὐτῷ, *in eo*.

v. 33. τεκνία, *filioli*) Hoc loco, praeceptum amoris proferens, primo sic eos appellat. conf. c. 21, 5. — τοῖς ἰουδαίοις, *Judaeis*) Hoc uno loco, cum discipulis loquens, Judaeos appellat, praeterea nunquam, nisi ad Samaritidem, ad Caipham, ad Pilatum, semel. c. 4, 22. 18, 20. 36. Et capp. 14—17. nunquam appellat Judaeos aut Israëlem. — ζητήσετέ με, *quaeretis me*) Non addit, *non invenietis*. — οὐ δύνασθε, *non potestis*) Nondum erant maturi. v. 36. — ἄρτι, *nunc*) Noluit discipulis citius hoc dicere: infidelibus dixit citius.

v. 34. ἐντολὴν καινὴν, *praeceptum novum*) *Novum* dicitur praeceptum, non tam respectu V. T. quam respectu scholae Christi; ob novum modum, de amore eo usque progrediente, ut vita pro amandis sive amatis ponatur, coll. 1 Joh. 3, 16. Antea *sequela* Jesu in singulos gressus direxerat discipulos, amorem implicite complexa: nunc sequi non possunt discedentem; itaque summa officii eis praescribitur. conf. de precibus c. 16, 24., de appellatione amicorum c. 15, 15., de odio mundi c. 16, 4. Inde dicitur *Lex Christi*, Gal. 6, 2. Sic praeceptum ab initio auditum, et praeceptum novum, inter se opponuntur 1 Joh. 2, 7. 8. ἐντολή, *praeceptum*, autem dicitur eo sensu, uti praecipitur non servis, sed liberis. Simul autem dulcissimus *novitatis* gustus additur huic praecepto ex sensu gloriae, cujus commemoratio praecedit. Moses ante obitum magis quam unquam antea, in *Deuteronomio* commendavit amorem Dei: Jesus ante discessum discipulis dat novum praeceptum, ut inter se diligant. sic *secunda lex* et *praeceptum novum* inter se conferri possunt. — ἀγαπᾶτε — ἀγαπᾶτε, *ametis* — *ametis*) Sermo bis ponitur: primum simpliciter, deinde cum epitasi. Tale illud, *pacem, pacem meam.* c. 14, 27. conf. Gen. 48, 5. Ps. 27, 14. 37, 20. 47, 7. 68, 25. 118, 15. s. Ez. 7, 2. *finis: venit finis.*

v. 35. γνώσονται, *cognoscent*) Gnorisma Christianorum, amor. Rom. 14, 18. fin. coll. ibid. v. 15. med. 1 Joh. 3, 10. — ἐμοὶ) *mei*, qui amo usque ad mortem. — μαθηταί, *discipuli*) c. 15, 8. — ἀγάπην, *amorem*) et quidem propter me, et sicut ego amavi.

[1]) v. 36. πέτρος, *Petrus*) Loquitur Petrus h. l. Thomas, Philippus, Judas, c. 14, 5. 8. 22. omnes, c. 16, 29. [*Ipsae interlocutiones istae*, c. 14., *notatae*,

---

1) ἐν ἀλλήλοις, *inter vos*] Homines mundani amant se invicem, c. 15, 19. Discipuli Christi multo plus amant mutuo et amantur. Mundani odio habent Christi discipulos: hos igitur qui amore complectitur, discipulus est ipse. *V. g.*

Digitized by Google

inferre videntur, Petrum et Johannem *parato agno paschali non rediisse. Nec tamen Johannes sermones eo capite contentos describere minus potuit, quam Lucas* c. 1. *etc. Ecquis vel centies auditos lectosve sermones istos describere facile audeat?* Divinitus *datum est sanctis viris. — Sin vero* prius *opineris habitum fuisse sermonem* c. 14., *obvium, quam Petrus et Johannes in urbem abiissent: reliquarum certe narrationum series eo non turbatur; dirimendus tamen hoc pacto erit a clausula,* Surgite etc. *sermo reliquus.* Harm. p. 506. seq.] — ποῦ, *quo*) v. 33. Interrogabat Petrus, ut qui putaret, se posse sequi. Adhaeserat ad Jesum cor Petri. cap. 6, 68. 21, 7. — ἀπεκρίθη, *respondit*) Quaestioni *quorsum* respondet ex intervallo, c. 14, 2. s. 12. 28. 16, 5. — οὐ δύνασαι, *non potes*) Nec res ferebat, nec Petri imbecillitas. hanc autem solam Petrus sua exceptione spectat. Sequebatur Petrus c. 18, 15., sed procul, nec sine detrimento. Matth. 26, 58. — ἀκολουθήσεις, *sequeris*) Cap. 21, 19. 22.

v. 37. ὑπὲρ σοῦ, *pro te*) Imo Jesus pro Petro.

v. 38. ἀπαρνήσῃ, *abnegaris*) ex timore. Tantum abest, ut mori paratus sis. Ter praedicta abnegatio triplex: primum, h. l., deinde apud Lucam; postremo apud Matthaeum et Marcum. Mira cum hac praedictione connexio est versus primi capitis sequentis. Nam antegressae quaestioni, *quorsum proficiscatur*, suavissime respondet, quanquam Petrus et cum eo ceteri tantopere tum vacillabant.

CAPUT XIV.

v. 1. Μὴ) Praemittitur alicubi, καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· idque cel. *D. Hauberus* tuetur, praecipue *in den harmonischen Anmerkungen*, p. 206. Primus sic edidit Erasmus: atque hunc in modum vel ex Erasmo, vel ex Vulgata pariter interpolata, vertit *Lutherus. Universa* antiquitas hoc additamentum refutat, ut ostenderam in Apparatu, p. 595. [Ed. II. 263.] Principio *rationis sufficientis*, quo D. Hauberus utitur, in hanc partem utar, ut cum Erasmo ipso, Luca Brugensi, Millio dicam, librarium unum alterumque, Pericopa sive Lectione ecclesiastica ineunte, hanc formulam, ut saepissime fecerunt, appinxisse. — μὴ ταρασσέσθω, *ne turbetur*) propter abitum meum. c. 13, 33. 16, 6. Perturbationem cordis adimit discipulis, antequam causas perturbationis indicat. Eas apud discipulos norat Dominus, c. 13, 33., et in sequentibus apertius evolvit. Repetitur hoc et intenditur versu 27. [*Neque tantum* c. 13., *sed ulterius etiam* c. 14., *respondetur ad quaestionem Petri* c. 13, 36. *propositam.* V. g.] — πιστεύετε — πιστεύετε, *credite — credite*) Imperativus, perinde ut in parallelo, μὴ ταρασσέσθω, *ne turbator.* Summa homiliae hujus, *Credite:* et hoc, *credite,* versu 11. et deinceps urgetur, donec Indicativus *creditis* efficitur, c. 16, 31. 30. quo effecto, Salvator orat et abit. [*Hinc arctissimus capp.* 14. 15. 16. *inter se nexus patet.* Harm. p. 506.] Ita distingui posset, πιστεύετε· εἰς τὸν θεὸν καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε· ubi poneretur primo verbum per se, instar summarii, uti c. 16, 31., deinde idem cum declaratione. coll. c. 13, 34. not. Sed praeplacet recepta distinctio, ita quidem, ut in priore inciso accentus inter pronunciandum maxime cadat super verbum *credite;* in altero, super *in me:* ut fides antiqua *in Deum,* novo quasi colore tingatur, *in Jesum Christum* credendo. — εἰς ἐμὲ, *in me*) a Deo profectum. c. 16, 27.

v. 2. οἰκίᾳ, *domo*) [*Ostendit jam, quo vadat.* V. g.] Rara appellatio coelestis habitationis: *domicilium,* quo admittuntur liberi, ubi habitat Pater. Jesus per passiones transpicit ad metam. conf. Hebr. 12, 2. 2 Tim. 4, 7. — τοῦ πατρός μου, *Patris mei*) Ineunte hac homilia pronomen saepius addit Jesus *Patris* mentioni: in progressu autem et exitu, postquam suae prae credentibus eminentiae cavit, et discipulos ad fidem excitavit, magis quasi communiter loquitur,

gitized by Google

Pater, scil. meus, idemque vester. — μοναὶ, ***mansiones***) Id ad locum, non ad tempus, pertinet: diciturque in plurali, propter multitudinem eorum, quos capit locus ille communis. — πολλαὶ) ***multae***, quae et angelos et vestros in fide antecessores, et vos et quam plurimos capiant. Ipso plurali numero videtur etiam varietas mansionum innui. nam non dicit ***mansio magna***, sed ***mansiones multae***. Conf. Ap. 21, 16. not. — εἰσὶν, ***sunt***) ***jam nunc***, et ab initio. — εἰ δὲ μὴ, ***sin minus***) nisi jam essent. — εἶπον ἄν) ***dicerem***, vel potius, ***dixissem***. De plusquamperfecto conf. c. 4, 10. not. Quid dixisset? hoc ipsum, quod sequitur: πορεύομαι, ***proficiscor***. Sententiam illustrat parodia simillimi loci, c. 16, 26.: ***non dixi vobis, me locum vobis esse paraturum: etenim jam SUNT mansiones, eaeque multae***. — πορεύομαι, ***proficiscor***) in domum Patris mei. — ἑτοιμάσαι, ***parare***) Non plane negat, se parare locum, coll. v. seq. ubi Ipse id affirmat: sed utrumque inter se temperat. Sed vide, quid situm sit in ordine verborum: versu 2. dicitur τόπον ὑμῖν· ***locum vobis:*** versu 3. ὑμῖν τόπον, ***vobis locum***, priore utrobique vocabulo emphasin habente, uti 1 Cor. 7, 22. not. ***Locus*** ipse paratus est: ***vobis*** parabitur. paratio alia absoluta, alia respectiva. Initium versus tertii, καὶ ἐὰν, ***et si***, non pendet ab εἶπον, ***dixissem***, sed stat per se.

v. 3. ἐὰν, ***si***) Lenis particula pro ὅταν, ***quum***. — ἔρχομαι, ***venio***) Praesens, de adventu celeri. v. 18. Singulare sermonis idioma est, quod Dominus non, ***veniam***, sed ***venio*** solet dicere, etiam alio verbo futuri temporis adjecto. conf. tamen etiam Matth. 17, 11. de prodromo, et LXX 2 Sam. 5, 3. — καὶ, et) Finis abitus mei hoc ipsum infert, ut iterum veniam. — πρὸς ἐμαυτὸν, ***ad me ipsum***) Majestatis plena locutio. Patris domus, Filii domus. c. 16, 15.

v. 4. ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, ***quo ego proficiscor***) Summa eorum, quae antecedunt. — [1]) τὴν ὁδὸν, ***viam***) Propositio eorum, quae sequuntur.

v. 5. θωμᾶς, ***Thomas***) Alius post alium interrogat, pie et suaviter. v. 8. 22., et antea c. 13, 36. — καὶ πῶς, ***et quomodo***) Statuit Thomas, acuta utens ratione, ignorata meta, multo minus sciri viam. [***Ad utrumque, sed inverso ordine, respondet Jesus.*** Via ***est Jesus: per Eum*** quo ***contendere datur? ad Patrem.*** V. g.]

v. 6. ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωὴ, ***via et veritas et vita***) ***Vera via vitae*** appellatur in soliloquiis apud Augustinum, c. 4. Sed majorem vim habet textus, summam complectens doctrinae de Jesu Christo. Etenim quaestioni de ***Via*** respondet hoc, ***Ego sum Via:*** quaestioni de ***Scientia*** respondet hoc, ***Ego sum veritas:*** quaestioni ***Quorsum***, respondet illud, ***Ego sum Vita***. [***Metaphorico sermoni***, Ego sum via, ***explicationis caussâ subjungitur magis proprius:*** Ego et veritas sum et vita. ***Hac*** via ***qui incedit, is demum*** vere ***recto tramite utitur: et hanc viam qui constanter tenet, is*** vitam ***habet in aeternum***. V. g.] Simulque tria proponuntur, (conf. tria, c. 16, 8.) quorum primum, de ***via***, tractatur mox hoc versu: de ***veritate***, v. 7. seqq. 17. de ***vita***, v. 18. 19. s. — πρὸς τὸν πατέρα, ***ad Patrem***) Hoc iterum respondet quaestioni, ***quorsum?*** — εἰ μὴ, ***nisi***) Hoc iterum respondet quaestioni de ***scientia***. Via unica, via certa. — δι' ἐμοῦ, ***per me***) Hoc iterum respondet quaestioni de ***via***.

v. 7. εἰ, ***si***) Hoc ***si*** non plane negat, sed ad progressum trahit animas. v. 28. [***Sic*** Luc. 17, 6.] — ἑωράκατε, ***vidistis***) Praeteritum: videre coepistis, et videtis.

v. 8. ἀρκεῖ, ***sufficit***) ut porro nec interrogare velimus, nec animo turbemur. Hanc αὐτάρκειαν, acquiescentiam, assequuntur capite 16, 30. Confer Ps. 17, 15. 22, 23. 27. 69, 31. 33.

v. 9. λέγει, ***dicit***) Responsio ad ***ostende*** habetur versu 9—11. ad ***sufficit***, habetur versu 12. ss. — οὐκ ἔγνωκάς με, ***non cognovisti me***) Hoc dicitur per

---

1) οἴδατε, ***nostis***] Plura fidelibus tribuuntur, quam ipsi de se existimant, coll. v. 5. *V. g.*

by Google

consequentiam. Si negas, Patrem tibi esse cognitum, negas, me tibi esse cognitum. Atqui me nosti, ergo eo ipso Patrem; propter summam nostri unitatem. — ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα, *qui vidit me, vidit Patrem*) Sicut anima, quae per se non cernitur, cernitur ex eo, quod illa per corpus agit: sic Patrem is videt, qui Christum videt. In omni cogitatione de Deo debemus Christum nobis proponere. Vid. Col. 1, 15. not. Illud, מַלְאַךְ פָּנָיו *Angelus faciei ejus* interpretatur Bechai מלאך שהוא פניו *Angelus, qui Facies ejus est.* Conf. Ps. 139, 7. Chrysostomus: *qui creaturam videt, non etiam Dei videt* (τὴν οὐσίαν) *essentiam.* Si quis me videt, Patrem, *inquit*, meum videt. *si vero alterius esset essentiae, non hoc dixisset. — nemo, qui aurum ignorat, in argento essentiam auri videre potest.* — καὶ πῶς) καὶ videtur repetitum ex v. 5. καὶ v. 9. non habent *N.* 1. *Latini* codd. plerique omnes, *Iren. Augustin.*

v. 10. ὅτι) *quod.* — ἐν τῷ πατρὶ — ἐν ἐμοὶ, *in Patre — in me*) Hoc summam unitatem significat. c. 17, 21. — ἔστι, *est*) Hoc emphasin habet: nam hujus *Esse* consequens est *loqui et facere*, et hoc *Esse* cognoscitur ex verbis et factis. Synonymon mox, *manens.* Elucet hinc unitate in operando prior unitas essentiae. — ῥήματα, *verba*) et *opera.* — αὐτὸς) *Ipse.* — ποιεῖ τὰ ἔργα, *facit opera*) et *loquitur verba.* [*Quae respectu eorum, qui Domino Jesu non familiarius utebantur,* signa *et* miracula *dicuntur, ea in sermone ad discipulos simpliciter* opera *dicit. Ipsi videlicet Christo vulgaria quasi et communia erant ejusmodi opera.* V. g.]

v. 11. πιστεύετέ μοι) *Non creditis* habet Lat. ex alliteratione ad versum praecedentem, qui item habebat, *Non credis quia.* Inde *mihi* [1]) omisit etiam in fine versiculi. *Credite, credite*, epanalepsis. — ὅτι) *quia*: coll. mox, διὰ, *propter.* Credite mihi propter meam ipsam *affirmationem*, credentibus per se firmam. Hoc primum est motivum fidei; quod solus Christus potuit proponere: secundum praebent *miracula*, propter quae etiam apostolis de Christo credi potuit. — ἔργα, *opera*) quae adhuc vidistis, et visuri estis, v. 12, s. [*Haec enim nonnisi divinae originis esse poterant.* Ps. 72, 18. 136, 4. *Alia plane falsorum miraculorum conditio est.* 2 Thess. 2, 9. V. g.] — πιστεύετέ μοι, *credite mihi*) εἰς ἐμὲ, *in me*, versu seq. Qui Christo de se loquenti credit, in Christum credit: qui Petro de Christo loquenti credit, non in Petrum, sed in Christum credit.

v. 12. ἀμὴν, ἀμὴν, *amen, amen*) Sequuntur promissiones et adhortationes suavissime inter se mixtae: atque ita, ut inter loquendum subinde ea attingat, quae in progressu sermonis efficiunt ipsas Propositiones, v. gr. v. 15., de amore; coll. v. 21.: nonnulla etiam per recapitulationem repetat. Imitatur hoc quoque evangelista et apostolus, 1 Joh. 2, 20. not. — ἃ, *ea quae*) i. e. aeque magna. [*Conf.* c. 5, 20. 25.] — μείζονα, *majora*) v. gr. Act. 5, 15. 19, 12. Marc. 16, 17. fin. — ποιήσει, *faciet*) per fidem in me.

v. 13. ὅτι ἂν) Diff. ἐάν τι v. 14. nam ὅτι ἂν et τοῦτο ad se mutuo referuntur. — αἰτήσητε, *petieritis*) Grandis promissio. v. 14. c. 15, 7. 16. 16, 23. 26. — ἐν τῷ ὀνόματί μου, *in nomine meo*) *meo*, Filii Dei. Respicitur illud, *qui credit in me*, v. 12. In V. T. adorabant Deum Abrahami, Isaaci, Jacobi: in N. T. invocatur Deus et Pater D. N. J. C. — τοῦτο ποιήσω, *hoc faciam*) *ego faciam.* v. seq. Declaratur et res et persona. Utrinque respicitur τὸ *faciet*, v. 12. — ἐν, *in*) v. 10. 11.

v. 14. ἐγὼ, *ego*) Hoc jam indicat *gloriam.* v. 13.

v. 15. ἐὰν ἀγαπᾶτέ με, *si amatis me*) Hortatur, statim post fidem, ad amorem. [v. 21.]

---

1) *Quae vocula et ab initio et in fine hujus vers. utut per marginem* Ed. 2. *sequioribus lectionibus haut annumeretur; secundo tamen loco exulat* ■ Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

v. 16. καὶ ἐγὼ, *et ego*) Nexum hujus versiculi cum praecedentibus dat versus 21. — ἄλλον, *alium*) Itaque Jesus Christus est etiam *advocatus*. Consideretur Zach. 9, 12., an sit parallelum. nam hoc ipso in loco dicit, ἐρωτήσω, *rogabo*. Alius paracletus ipse ab alio distinctus est: et alterius officium ab alterius officio differt. Itaque ἡ παράκλησις *advocatio* Spiritus sancti, proprium quiddam habitura erat. conf. c. 16, 7. s. — παράκλητον, *Advocatum*) Hoc vocabulum LXX non habent, et in N. T. solus Johannes id habet. παρακαλεῖν est *advocare*, arcessere patronum: inde παράκλητος, *advocatus* ad praesidium praestandum, defensor, patronus: qui pro aliquo dicit, et ei dicenda suggerit. v. 26. Conf. v. 13. de dicendis ad Deum: c. 16, 8. de dicendis ad mundum. Conjuncta *Paracleti* et *Spiritus veritatis* appellatio occurrit etiam c. 15, 26. illa respondet oeconomiae Christi, coll. 1 Joh. 2, 1., *advocatum Jesum Christum:* haec, oeconomiae Patris, coll. c. 4, 23. de Patre adorando in *Spiritu* et *veritate*. [*Amplissimae h. l. promissiones se invicem excipiunt: de Spiritu sancto*, v. 15—17.: *de ipso Domino Jesu*, v. 18—21.: *de Patre*, v. 22—24. *Iterumque de Spiritu sancto*, c. 16, 12—15.: *de Jesu Domino*, v. 16—23.: *de Patre*, v. 23—28. V. g.] — μένῃ, *maneat*) Sic v. 23. μονὴν, *mansionem*. — εἰς τὸν αἰῶνα, *in aeternum*) non modo annum unum alterumque.

v. 17. τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *spiritum veritatis*) Exquisitissima appellatio. c. 16. versu toto 13. Spiritus, qui veritatem habet, revelat, per cognitionem in intellectu: confert, per praxin et gustum in voluntate: testatur, etiam ad alios, per hos, quibus revelavit: et defendit veritatem illam, de qua cap. 1, 17. *gratia et veritas*. Quare etiam *Spiritus gratiae* dicitur Hebr. 10, 29., ubi praecedit, *testamenti* sc. *novi*. Veritas omnes in nobis virtutes veras facit. Alias est quaedam falsa cognitio, falsa fides, falsus amor, falsa spes; sed non falsa veritas. — ὃ ὁ κόσμος, *quem mundus*) Cum prima Spiritus S. mentione incipit discrimen inter fideles et inter mundum, deinceps saepius recurrens. *Filius* dicitur *in mundum* missus: *Spiritus sanctus* non item. Nec Spiritum S. videt mundus, h. l. nec Jesum posthac, v. 19. — οὐ δύναται λαβεῖν, *non potest accipere*) quamvis Deus omnibus dare velit. — ὅτι, *quia*) Est quasi epanodos. *Mundus non accipit, QUIA non novit: vos nostis, QUIA habetis*. Itaque *nosse* et *habere* ita sunt conjuncta, ut non nosse sit causa non habendi, et habere sit causa noscendi. Conf. c. 4, 10. *Non novit:* ideo non petit. ideo non potest accipere. aliis datur. — οὐ θεωρεῖ, *non videt*) Ergone fideles Eum vident? vident, in operationibus. Vident eum etiam infideles in operationibus; sed non agnoscunt, eum esse, esse spiritum veritatis. quapropter eum accipere non possunt: cum fideles eum non videant tantum, sed etiam agnoscant, eundem esse. — ὑμεῖς, *vos*) Hoc emphasin habet. — γινώσκετε, *noscitis*) Denotat proxime futurum. — ὅτι, *quia*) Ex inhabitatione est notitia intima. v. 21. s. — παρ᾽ ὑμῖν — ἐν ὑμῖν, *apud vos — in vobis*) Differunt particulae. *in* plus, quam *apud*.

v. 18. οὐκ ἀφήσω, *non relinquam*) tametsi id timetis. Gaudebitis ex me et ex *Patre*. Solatium eorum, qui metuebant, ne *orphani* forent. — ὑμᾶς, *vos*) *o filioli*. c. 13, 33. — ὀρφανοὺς, *orphanos*) *Necessitudo* erat discipulis cum Christo, non cum mundo. — ἔρχομαι, *venio*) Praesens celeritatem innuens. *venio* post resurrectionem, praesentia post ascensionem non sublata, sed confirmata. Et, *venio*, inquit, non, *redeo*. Adventus primi continuationes sunt ceteri potius, quam iterationes. Et in praesenti ait *venio*, et mox, *videtis*, et, *vivo*: ex praesentissimo sensu rei, mox et certo futurae. v. 27.

v. 19. οὐκ ἔτι, *non jam*) Act. 10, 41. — θεωρεῖτέ με) *videtis* et videbitis *me*, vivum. Nam futurum importat etiam vis antitheti in οὐκ ἔτι, *jam non*. — ὅτι, *quia*) Causa, cur visuri sint. — ζῶ, *vivo*) non modo *vivam*, sed *vivo*. Ap.

Google

1, 18. — ζήσεσθε, *vivetis*) Futurum; nam vita fidelium sequitur vitam Jesu: et non ex se, sed ex Illo vivunt. conf. c. 6, 57.

v. 20. ἐκείνῃ, *illa*) post parvum illud tempus. — ἡμέρᾳ, *die*) resurrectionis. — γνώσεσθε, *cognoscetis*) magis quam nunc. — ὑμεῖς, *vos*) de quibus v. ss. — ἐν τῷ) *in Patre meo*, vivente. c. 6, 57. Subaudi: *et Pater in me.* Et infer: *Pater in vobis, et vos in Patre.*

v. 21. ἐγὼ, *ego*) item ut Pater meus. — ἀγαπήσω αὐτὸν, καὶ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν) Ex. 33, 13.: εἰ οὖν εὕρηκα χάριν ἐναντίον σου, ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν.

v. 22. οὐχ ὁ ἰσκαριώτης, *non Iscariotes*) Distinguit Judam pium non suo, sed remoto alterius cognomine, notans simul proditorem post transactionem cum adversariis iterum praesentem, sed a tali quaestione alienum. — τί γέγονεν, *quid accidit?*) Arbitratus esse videtur pius Judas, accidisse aliquid, cur mundus ea revelatione privaretur: at per modestiam nil meminit suae praerogativae prae mundo. — ἡμῖν, *nobis*) qui te amamus. — οὐχὶ τῷ κόσμῳ, *non mundo*) v. 17. 19. Sic regni *mundani* opinio discipulis praeciditur.

v. 23. τὸν λόγον μου, *sermonem meum*) Sermo unus est, in hoc versu, respectu fidelium, qui totum servant: *sermones* plures, respectu infidelium, qui discerpunt, v. 24. conf. c. 15, 12. not. et 1 Joh. 2, 4. 5. — τηρήσει, *servabit*) *Servare mandata* ponitur ante amorem; v. 21.: nunc amor ante *servare sermonem*. *Amor* certe respectu, et quidem primario, praecedit *servationem mandatorum*, vid. v. 15., sed sequitur etiam certo respectu, quatenus per servationem mandatorum amor eo magis crescit, et novum vigorem adipiscitur. Itaque *servare sermonem* est medius terminus inter amorem erga Jesum Christum, et inter amorem Patris erga amatorem Jesu Christi. — ἐλευσόμεθα, *veniemus*) ego et Pater. Singularis numerus ἐμφανίσω, *manifestabo*, in pluralem progreditur. — μονὴν, *mansionem*) Correlatum vide versu 2., μοναὶ, *mansiones*, coll. Ap. 3, 20. fin. — μονὴν ποιήσομεν, *mansionem faciemus*) *Mansionem facere* dicitur vel architectus vel incola: hoc loco, *incolae*. Hoc valde sublime est: ideo praeciditur versu 25.

v. 24. ὁ μὴ ἀγαπῶν με, *qui non amat me*) ut *mundus*. v. 22. — τοὺς λόγους μου, *sermones meos*) Et *sermonem* et *sermones*, et *praecepta*, Christi et Dei, servare dicitur pius; non servare, hypocrita: *sermonem* sive *sermones* duntaxat, non servare dicitur, ex professo alienus a Christo. observare sermonem est totum: observare praecepta, est pars. — οὐ τηρεῖ, *non servat*) adeoque non amatur, neque mansionem Patris et Filii in se conspicit. — καὶ ὁ λόγος, *et sermo*) Hoc colon non solum ad priora verba hujus versus, sed etiam ad versum 23. respicit, imo etiam magis, ut ex singulari numero patet. — ὃν ἀκούετε, *quem auditis*) nunc quoque, dum haec loquor vobiscum. — ἀλλὰ, *sed*) Hinc patet ratio, cur, qui verbum Jesu Christi servat, aut non servat, Patrem quoque habeat, aut non habeat.

v. 25. ταῦτα, *haec*) non plura. — λελάληκα, *locutus sum*) Verbum Jesu Christi est verbum fidei. propterea tam saepe dicit: λελάληκα, εἴρηκα, εἶπον, *dixi*. Alia dixit discipulis tempore suae mansionis cum eis: alia, tempore discessus. c. 16, 4.

v. 26. ἐκεῖνος, *ille*) Sic c. 15, 26. 16, 8. 13. 14. — διδάξει πάντα, *docebit omnia*) Non additur hic, *quae dixi vobis*. nam Paracletus ille etiam cetera docuit. c. 16, 12. 13. Neque tamen etiam deinceps universa dogmata apostolis confertim sunt infusa; sed quoties opus eis fuit et occasio tulit, instruxit eos Paracletus ad omnes muneris apostolici partes. — ὑπομνήσει, *commonefaciet*) Exemplum praebet haec ipsa homilia, ab Johanne multo post tempore tam accurate perscripta. Add. Act. 11, 16.

Google

v. 27. εἰρήνην) שלום *pacem* in genere: pacem reconciliationis. [*quali frui potuistis ut Israëlitae.* V. g.] — ἀφίημι, *relinquo*) discedens. Idem verbum, v. 18. Matth. 22, 25. — εἰρήνην τὴν ἐμὴν, *pacem meam*) in specie: pacem filialem. Sic τὴν χαρὰν τὴν ἐμὴν, *gaudium meum*, c. 17, 13. Omnia in Christo nova: etiam praeceptum amoris, c. 13, 34., et ipsa quodammodo fides. v. 1. not. — δίδωμι, *do*) jam nunc. c. 16, 33. Gradationi in nomine, *pacem, pacem meam*, respondet gradatio in verbo, *relinquo, do.* — ὁ κόσμος, *mundus*) in salutationibus inanibus, vel beneficiis duntaxat externis, *cor* non attingentibus, et cum praesentia, conspectu ac vita mortali desinentibus. Mundus ita dat, ut mox eripiat: non *relinquit.* — μὴ ταρασσέσθω, *ne turbetur*) intrinsecus. — μηδὲ δειλιάτω, *neque formidet*) extrinsecus.

v. 28. ἠκούσατε, *audistis*) Alias solet dicere: εἶπον, *dixi,* sed hoc, quod de abitu *dixit*, discipuli valde attenderant, idque cum tristitia. — ὑπάγω, καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, *vado, et venio ad vos*) Respectu mundi ait: *veni et abeo.* c. 16, 28. καὶ, *et* statim. — ἐχάρητε ἄν) *gauderetis*, vel potius, *gavisi essetis.* De plusquamperfecto attigimus aliquid versu 2. *Gavisi essetis,* mea causa, optatam profectionem aggredientis; vestraque causa, amore vos aptos faciente ad cognoscendum abitum meum vobis quoque conducibilem. Amor parit gaudium; per se, et quia servat verbum Christi laetissima omnia aperiens. — μείζων μου, *major me*) Multa ac varia pridem de hoc loco disceptata sunt; quae collegit Dion. Petavius Tom. II. Theol. Dogm. I. 2. de Trin. cap. 2. G. Bullus Def. Fid. Nicaen. Sect. 4. Jo. Casp. Suicer. Thes. Part. II. coll. 1368. Reinecc. ad N. T. fol. 387. Non pauci Graecorum et Latinorum responderunt Arianis, et statuerunt: *Patrem*, non ut Deum, sed ut Patrem ἀγέννητον, Filio, non ut Deo, sed ut Filio, genito, *majorem* dici: neque ea re tolli τὸ ὁμοούσιον. Quibus accedit G. Arnold. *Erang. Bollschafft.* p. 697. Ceteri affirmant, Christum Patre minorem dici ratione naturae humanae; quae locutio comparativa nil inepti habet, coll. 1 Joh. 3, 20. Jesus majorem modo gloriae, modo humilitatis suae sensum et in sua anima sanctissima habuit, et in sermonibus expressit. conf. not. ad Marc. 13, 32. Hoc loco ex sensu ταπεινότητος *humilitatis* suae loquitur: qualis sermo et captui illi, quem discipuli tum habebant, et tempori reique praesenti, quum de profectione ad Patrem agebatur, erat accommodatissimus. Ante ipsam profectionem minor fuerat etiam angelis, Hebr. 2, 9., post profectionem major se ipso, v. 12., Patri par, c. 17, 5.: neque tamen de sola Exinanitione sua loquitur: sed ut *Filius Dei in carne* ad Patrem tendens. *major me,* id est, beatior. Confer hoc vocabulum c. 4, 12. 8, 53. 1 Cor. 13, 13. 14, 5. et de re confer Marc. 10, 18. Haec maxime ratio optabilem fecit profectionem Jesu ex mundo ad Patrem.

v. 29. εἴρηκα, *dixi*) de meo abitu et reditu. Verbum, semen: fides, [*cum pace et gaudio*, V. g.] fructus. — ἵνα, *ut*) Scopus hujus sermonis. sic c. 15, 11. 17. 16, 1. 4. 33.

v. 30. οὐκ ἔτι, *jam non*) Quare haec, quae dico, diligentius tenere debetis. — ἔρχεται, *venit*) jam nunc: ejectus, c. 12, 31., in me incurrit. Sic postea in mulierem illam, Ap. 12, 9. 13. — γὰρ, *enim*) Hostis jam ingruens vel ob brevitatem temporis non sivit loqui; vel non debuit audire; vel discipulis, si plura eis dicta fuissent, eripere potuit. — κόσμου, *mundi*) Etiam tum agitavit mundum princeps mundi, quum mundus Christum crucifixit, principi suo obsecutus. — καὶ, *et*) et non potest impedire, quo minus ex mundo recta eam ad Patrem. — ἐν ἐμοὶ, *in me*) quamvis mortem, cujus potestatem ceteroqui diabolus habebat, nunc adibat Jesus. — οὐδὲν, *nil*) nullam partem juris aut potestatis. Perfecta Christi justitia: decora protestatio. Hic principem mundi amolitur Jesus; altera colloquii hujus parte finiente, mundum. c. 16, 33.

Digitized by Google

v. 31. ἀλλ᾽ ἵνα, *sed ut*) Hoc indicat, versu praecedente καὶ significare *et quidem*. — γνῷ ὁ κόσμος, *cognoscat mundus*) *Mundus*, qui a principe suo tenetur; exuendo tamen, ut mundus desinat mundus esse, et Patris in me beneplacitum agnoscat salutariter. — οὕτως ποιῶ, *me sic facere*) ex amore. c. 15, 10. Recte hic punctum figitur. neque obstat, quod praecedit, ἀλλ᾽ ἵνα· (expendatur ἀλλ᾽ ἵνα, c. 1, 8. 9, 3. 13, 18. 15, 25. 1 Joh. 2, 19. Marc. 14, 49.) hoc sensu, *sed*, scil. impetum principis mundi excipio. Distinctio per colon non est prisca. Vide *Lutheri* Kirchenpostill festo Pentec. Si ἐγείρεσθε, *surgite* esset apodosis, talis nexus esset remotus, multa involvens noëmata. Inter hanc *itionem* et *mundi cognitionem* quam multa intercesserunt. — ἐγείρεσθε, *surgite*) Alacre verbum. Ipse negotium strenue aggreditur, jam surgens ante discipulos. — ἄγωμεν ἐντεῦθεν, *eamus hinc*) in urbem, ad pascha. conf. c. 13, 1. 18, 1. Quae hactenus a c. 13, 31. fluxerunt, feria V acta et dicta sunt, extra urbem. Quae autem capite 15. et 16. et 17. sequuntur, ipsa paschali vespera in urbe sunt dicta, cum hymno solenni, videlicet proxime ante exitum trans torrentem Kedron. Sunt igitur duo sermones, qui hac praecisione dirimuntur. [*quorum tamen communi scopo, sensui et argumento coena Paschatis intermedia jucundissime respondet*. Harm. p. 507.]

CAPUT XV.

v. 1. Ἐγὼ, *ego*) Jesus Christus. — ἡ ἄμπελος, *vitis*) Explicatio paroemiae datur versu 5.

v. 2. κλῆμα, *palmitem*) Suavissima similitudo. Rom. 6, 5. 11, 17. s. 1 Cor. 3, 6. s. — αἴρει· καθαίρει) Suavis rhythmus, etiamsi καθαίρω non, ut κατκίρω, ex αἴρω est. καθαίρω, λέξις θεία καὶ σεμνὴ apud veteres, ut Eustathius notat. Omnia munda et foecunda quaerit Pater coelestis. Mundities et foecunditas se invicem adjuvant. — τὸ) Emphasis. Articulum non habet illud μὴ φέρον. — πλείονα, *uberiorem*) Quae redundant, auferuntur per afflictionem internam et externam: eo ipso augetur fructus. [*Quodsi auferri a te, quae mala sunt, nolis: auferri te ipsum oportebit*. V. g.]

v. 3. καθαροὶ) Dicitur hoc a καθαίρω. v. 2. — λόγον, *verbum*) purissimum. Verbum in se *plane purum* est: inde discipulis *puritatem* sive sanctitatem affert. Conf. διὰ Luc. 1, 78.

v. 4. κἀγὼ, *et ego*) Ex imperativo *manete* prima persona supplebitur per periphrasin: *facite, ut maneatis in me, et ut ego maneam in vobis*. — καθὼς, *sicut*) Hic locus egregie declarat discrimen naturae et gratiae. — ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, *a semet ipso*) Hoc declaratur commate sequente, *nisi etc.* sic, χωρὶς ἐμοῦ, *sine me*. v. 5.

v. 5. οὗτος, *hic*) demum. — ποιεῖν, *facere*) Hoc verbum proprie sumitur. Alibi dicitur, *fructum facere:* sed hic, *fructum ferre*.

v. 6. ἐν ἐμοὶ, *in me*) tanquam in vite. — ἐβλήθη) eo ipso dignus est, qui ejiciatur; atque *ejicietur* certo. Aoristus primus. Sermo ἐὰν μὴ κτλ. est in futuro: et in apodosi τὸ ἐβλήθη denotat id, quod protinus evenit. Similis aoristus, ἐκέρδησας, Matth. 18, 15. — ἔξω, *foras*) e vinea. — ἐξηράνθη, *aruit*) sicut palmes in compitum ejectus. Vid. Matth. 13, 12. — συνάγουσιν, *colligunt*) Ibid. v. 40. s. — αὐτὰ, *eos*) palmites rejiculos cunctos. — καίεται, *ardent*) Simplex verbum magna vi positum, eximia cum majestate.

v. 7. τὰ ῥήματά μου, *verba mea*) puritatem adferentia; *et ego ipse*. Correlata: verba Jesu, quibus obeditur; et preces fidelium, quae exaudiuntur. — αἰτήσεσθε) *petetis*: petere poteritis et voletis. Preces ipsae sunt fructus, et fructum augent.

Digitized by Google

v. 8. ἐδοξάσθη, *glorificatus est*) et *statuit, se glorificari.* — ἵνα, *ut*) Hoc pendet a τούτῳ, *hoc.* — πολὺν, *multum*) Multitudo uvarum honorifica est vinitori. — γενήσεσθε) Alii γενήσησθε vel γένησθε fecerunt, ob ἵνα. *Latinus* habet *efficiamini.* Graece quid legerit, non satis apparet. Idem judicium de aliis versionibus. Non inepta foret constructio, ἵνα φέρητε καὶ γενήσεσθε, coll. not. ad Marc. 3, 27. sed potius sic resolvimus: *In hoc* (*ut* nempe *multum fructum feratis,*) et *glorificatus est PATER meus, et EGO discipulos mihi* honorificos *habebo.* — ἐμοὶ) *mihi,* (coll. Matth. 27, 57.) vel, *mei.* — μαθηταὶ) Hoc praegnanti sensu accipiendum: *discipuli,* me digni. c. 13, 35. Fundamentum Christianismi, fieri discipulum Christi: fastigium, esse discipulum Christi.

v. 9. κἀγὼ) *etiam ego.* — τῇ ἐμῇ, *meo*) erga vos.

v. 10. τετήρηκα, *servavi*) usque ad abitum meum ex mundo. 1 Joh. 4, 17. Ut ex mundo abiit, sic est semper.

v. 11. ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ, *gaudium meum*) quod ego gaudeo, de profectione mea ad Patrem; ex amore proveniens. — ᾖ, *sit*) [1] c. 17, 26. — ὑμῶν, *vestrum*) gaudium vestrum ex meo accensum. — πληρωθῇ, *impleatur*) Dicitur hoc de gaudio discipulorum. nam Jesu gaudium non eget demum *impleri.*

v. 12. ἡ ἐντολὴ, *praeceptum*) Antea, hoc et praecedente capite, in plurali dixit *praecepta.* Omnia uno amore continentur. — ἵνα — καθὼς) *sicut amavi vos,* tractatur v. 13—16. inde *ut ametis inter vos* infertur versu 17.

v. 13. ἀγάπην, *amorem*) erga amicos. Non est hoc loco sermo de inimicis. — ἵνα, *ut*) Hoc iterum pendet a ταύτης, *hoc.*

v. 14. ὅσα, *quaecunque*) non tantum aliqua.

v. 15. δούλους, *servos*) Sic v. gr. c. 13, 16. 13. Idque hoc cap. v. 20. repetitur, sed benignius. — ὅτι, *quod*) Particula hoc versu bis posita antitheton valde illustre reddit. — οὐκ οἶδε, *non novit*) Servus tractatur ut ὄργανον, *instrumentum.* — τί) *quid* rei, qua de causa. — εἴρηκα, *dixi*) modo, nova appellatione, v. 13., et exquisitiore, quam Luc. 12, 4., ubi non opponitur nomenclatura servi. — ὅτι, *quod*) Conf. Gen. 18, 17. Ps. 25, 14. — ἃ ἤκουσα) *quae audivi, facienda* mihi.

v. 16. ἔθηκα, *posui*) Eleganter Castellio: *destinavi,* allegoriam ab *arboribus* exprimens. — ὑπάγητε, *proficiscamini*) Sic הלך 2 Sam. 3, 1., de progressu non loci, sed temporis et gradus. — ὑμῶν — ὑμῖν, *vester — vobis*) *Vobis* seritur, *vobis* metitur.

v. 18. μισεῖ, *odit*) tantum abest, ut *amet* vos. [*Describitur hic* 1) *iniquum mundi odium, generatim,* v. 18—25.; 2) *confirmatio eidem opposita,* v. 26. 27.; 3) *odium cum paroxysmis vehementioribus,* c. 16, 1—4.; 4) *major confirmationis vis,* v. 5—11. V. g.] — γινώσκετε, *scitote*) Sciebant: c. 11, 8. et tamen id ipsum jam magis reputare *jubentur.* v. 20. c. 16, 4. — πρῶτον) *prius.*

v. 19. ἐκ τοῦ κόσμου) *a mundo* ejusque partibus. — τὸ ἴδιον, *suum*) Sua causa, non vestra, vos amaret. *Suum* dicitur pro *vos,* atque sic notatur *Interesse* mundi. — ἐξελεξάμην ὑμᾶς, *elegi vos*) ut ἰδίους, *meos.* c. 13, 1. Fideles non meliores sunt mundo per se, sed ex electione. Haec magnum facit discrimen.

v. 20. εἶπον, *dixi*) c. 13, 16. Matth. 10, 24. — εἰ — ἐδίωξαν· εἰ — ἐτήρησαν, *si — persecuti sunt: si — servaverunt*) *Si* non est mera conditio, sed affirmandi vim habet: et τηρεῖν h. l. est *infensis modis observare,* uti Matth. 27, 36. Gen. 3, 15. *persecuti sunt* bene facientem: v. 24. *observarerunt,* dum

---

1) *Haec quidem lectio in margine* Ed. maj. *inter non probandas relata fuerat: sed mutatâ crisi in* Editione 2. *recepta fuit in* Versionem germ. E. B.

Digitized by Google

loquebatur. v. 22. — καὶ, *etiam*) Matth. 10, 25. Utrumque continetur in πάντα, *omnia*, v. 21.

v. 21. τὸ ὄνομά μου, *nomen meum*) quod scil. non norunt. Subaudi, *et nomen ejus, qui misit me.* — τὸν πέμψαντά με, *eum qui misit me*) Subaudi: *et me.* cap. 16, 3.

v. 22. ἁμαρτίαν) *peccatum* hoc, *infidelitatis*, conjunctae cum odio mei. — οὐκ, *non*) Nunc *peccatum* habent, *excusationem* non habent. Melius eis fuisset, si nil vidissent.

v. 23. μισῶν, *odio habens*) Fidem comitatur amor; infidelitatem, odium. c. 3, 18. 19. — καὶ, *etiam*) Magnitudo peccati illius.

v. 24. ἑωράκασι, *viderunt*) *opera.*

v. 25. ἀλλ᾽ ἵνα, *sed ut*) *sed*, sc. hoc fit. — λόγος, *sermo*) propheticus, verus. — ἐν τῷ νόμῳ αὐτῶν, *in lege eorum*) quam assidue terunt et jactant. Psalmi, pars legis late dictae. conf. Matth. 5, 18. 17. Nos *Biblia* dicimus.

v. 26. δὲ, *vero*) Ignorantiae et odio mundi opponitur testimonium Paracleti et discipulorum. — παρὰ τοῦ πατρὸς, *a Patre*) Spiritus Dei est idem Spiritus Christi. Rom. 8, 9. Gal. 4, 6. Utrumque hic innuitur, nam ut Paracletum mittere dicitur Filius, Patre non excluso: sic Spiritus veritatis a Patre, (non excluso Filio,) dicitur procedere. — ἐκπορεύεται, *procedit*) Ap. 22, 1. Hoc verbo non semper denotatur separatio. LXX. Ex. 25, 35.

v. 26. 27. ἐκεῖνος· καὶ ὑμεῖς, *ille: et vos*) Act. 5, 32.

v. 27. δὲ, *vero*) Antitheton inter futurum *testabitur* et praesens *testamini*. — μαρτυρεῖτε, *testamini*) de me. — ἀπ᾽ ἀρχῆς, *ab initio*) c. 16, 4. ab initio estis, i. e. *ab initio* fuistis, et adhuc *estis mecum*. Similis locutio, 1 Joh. 3, 8. not.

CAPUT XVI.

v. 1. Ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε, *ut ne scandalizemini*) ex odio mundi.

v. 2. ἀλλ᾽) *imo*. — ἵνα) *ut* adeo. v. 32. — δόξῃ, *videatur*) sibi et similibus sui. — λατρείαν προσφέρειν) *munus offerre*. Hodienum Judaei, ut Heinsius annotat, caedem Christiani appellant קרבן *munus*, in quo nulla expiatione opus sit.

v. 4. μνημονεύητε, *recordemini*) cum fide. c. 13, 19. — οὐκ εἶπον) *non dixi*; quamlibet sciens. Sapientissima methodus Christi. Dixerat de odio mundi, sed minus aperte, et parcius, etiam paulo ante. [*Jam, contra odium istud per promissionem Spiritus Sancti munitis apertius ea de re loquitur*. V. g.] Matth. 10, 17. 21. 25. 24, 9.

v. 5. [1]) οὐδείς, *Nemo*) me jam interrogare pergit, cum deberetis maxime. Interrogarant saepe, multis de rebus: et de hac ipsa re c. 13, 36. sed magis cogitantes de discessu, quam de loco, quo iret Dominus. Postea quaerere destiterunt. Itaque Dominus eos etiam interrogationem docet, quae ei, si sponte fecissent, valde placuisset.

v. 6. ἡ λύπη) *tristitia* ista, quae jam erat, invaluit, et interrogationem impedivit. — καρδίαν, *cor*) v. 22.

v. 7. ἐγὼ, *ego*) a vobis non rogatus, mentiri nescius. — ἀλήθειαν, *veritatem*) tametsi veritatem hujus rei non capitis. Omnis veritas sanctis bona est. — συμφέρει, *conducit*) vobis, respectu Paracleti, v. 7. s. et Mei, v. 16. s. et Patris, v. 23. s. — γὰρ, *enim*) Paracleti duplex munus, erga mundum, h. l., et erga fideles v. 12. s. — ἀπέλθω, πορευθῶ, *abiero, profectus ero*) Differunt verba: illud terminum a quo, hoc terminum ad quem magis spectat. — οὐκ,

1) νῦν δὲ, *nunc vero*] Nunc opportune, inquit, res vobis declaratur. V. g.

Digitized by Google

non) Non erat conveniens, Jesum in infirmitate, et Spiritum S. in virtute eodem tempore adesse. c. 7, 39. Act. 2, 33. et Jesu erat, *mittere* illum, non arcessere. — πρὸς ὑμᾶς, *ad vos*) non ad mundum: quanquam mundus *elenchum* ejus sentiet.

v. 8. ἐκεῖνος ἐλέγξει, *ille arguet*) per vestrum praeconium et per opera conversionum et sanationum, cui elencho mundus partim se submittet, partim repugnabit, sed adversus stimulum calces. Commode post verbum μαρτυρήσει, *testabitur*, c. 15, 26., ponitur verbum ἐλέγξει, *arguet*. Ammonius: μάρτυς ἐπ' ἀγαθοῦ λαμβάνεται, ἔλεγχος δὲ ἐπὶ φαύλου. Christus est *bonus*: mundus est *prarus*. — τὸν κόσμον, *mundum*) vobis infensum, universum, cum iis, qui in mundo sanctissimi et potentissimi habentur, nec mihi credunt: Judaeos et gentes perversas. — περὶ, *de*) Tres tituli insignes *de Peccato, de Justitia, de Judicio. Peccato* opponitur *justitia: justitia* est Christi: *judicio* cadit Satanas. Qui de *peccato* convictus est, deinceps vel transit ad *justitiam* Christi, vel cum Satana partem *judicii* habet. Hujus loci impletio habetur in Actis Apostolorum. Vide ibi exemplum elenchi, de *peccato infidelitatis*, c. 3, 13. s. de *justitia*, c. 13, 39. cum antecedenti: de *judicio*, c. 26, 18.

v. 9. περὶ ἁμαρτίας, *de peccato*) Sermo est non de peccato universe, sed de peccato *infidelitatis*, c. 15, 22. quod aberrat a veritate prima. c. 8, 46. not. Et rursum *infidelitas* est confluens peccatorum omnium, et omnibus pejor. Matth. 10, 15. not. Per eam homo excidit omni voluntate Dei. Hebr. 3, 12. — ὅτι) nempe *quod*. et sic vers. seqq. ut evidens est ex conjugatis v. 11.

v. 10. δικαιοσύνης, *justitia*) Mundus Jesum pro nocentissimo habuerat. [*coll.* v. 2. 3.] — ὅτι — ὑπάγω, *quod — vado*) justus, 1 Joh. 2, 1., accessum parans fidelibus. Abitus Christi ad Patrem confirmatus est adventu Paracleti. — καὶ οὐκέτι θεωρεῖτέ με, *et jam non videtis me*) id est, et in eum statum venio, ubi *jam non videtis me*. Est commutatio personae: i. e. et jam non videor. nec tamen sine causa sermo est secundae personae. nam si cujusquam esset, videre Jesum, apostolorum esset: atque horum tamen ipsorum erat credere, et omnes ad credendum invitare. Act. 10, 41. Luc. 24, 52. Rom. 4, 18. s. Hebr. 11, 1. 27. 6, 19. 1 Petr. 1, 8. 21. 2 Cor. 5, 16. 21., ubi expendatur *Justitia*. Contra, quam diu Christus inter homines conspici potuit, nondum parata erat justitia. Hebr. 9, 26. 28. 1 Tim. 3, 16. not. [*Justitia et Gloria, conjuncta sunt*. Rom. 8, 30. V. g.] Ante mortem ille suam, mortalium oculis expositus fuerat: post resurrectionem non item, nisi quatenus opus fuit testes resurrectionis confirmari; quibus ipsis non toto illo tempore conspectus est, sed per vices apparuit, nedum mundo. Et aspectus gloriae ejus, justitiam comitatae, viventibus in carne foret intolerabilis.

v. 11. ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, *princeps mundi hujus*) Satanas, sub ea ratione, quod est princeps mundi, judicatus est. — κέκριται, *judicatus est*) omni potestate ei ademta, in qua genus humanum fuerat; patefactoque hominibus, etiam gentibus alienissimis et idololatria absorptis, reditu sub sceptrum justitiae Christi; iis, qui reditu uti nolunt, eandem demum cum principe mundi partem habituris. Fuit processus gravissimus, quem excepit Exsecutio.

v. 12. πολλὰ, *multa*) de passione, morte, resurrectione Domini, et de iis, quae v. 8. fs. attinguntur, et mox abrumpuntur. Haec *multa* non quaerenda sunt in Traditionibus Romanensibus, quae plus quam elementares sunt, et nunc etiam minus, ab iis, qui Paracletum habent, *ferri possunt*. Quaerenda vero sunt in Actis et Epistolis apostolorum, et in Apocalypsi: hoc ipso nomine magni faciendis. Indicantur etiam versu seq. in fine. [*coll.* c. 14, 16. *not.*] — οὐ δύνασθε, *non potestis*) vel propter *multitudinem* ipsam, vel propter gravitatem. — βαστάζειν) *portare* ea, quae dicere habeo. Paracletus loquetur.

Google

v. 13. ὁδηγήσει, *ducet*) sensim, ut opus erit vobis. — πᾶσαν) *omnem*, non modo eam, quam vobis nunc pro captu vestro dico, v. 7., vel de qua Paracletus mundum arguet, v. 8. s. 1 Joh. 2, 20. 1 Cor. 1, 5. 2, 9. seqq. — τὴν) Articulus demonstrativus: omnem *eam* veritatem, quam nunc vobis habebam dicere. Eadem phrasis, πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, Marc. 5, 33. — ἀλήθειαν, *veritatem*) Scriptura non solet dicere in plurali, ἀλήθειαι, veritates. Veritas est una, tota. Vera utique sunt, *quaecunque audiet*, et, *quae venient*. — οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, *non enim loquetur a semet ipso*) Sic quoque Filius de se loquitur, c. 12, 49. conf. de *audiendo*, c. 8, 40. — τὰ ἐρχόμενα, *venientia*) Haec quoque *vera*: alias non venirent. Veniebant tum crux, mors, vita, gloria. Praesens, *venientia*: de quibus praedictum est per prophetas. Act. 3, 21. Mirabilia Spiritus sancti imminebant jam tum. Apostoli multa praedixere, etiam in suis epistolis: sed maxime huc spectat Apocalypsis: scripta per *Johannem*. — ἀναγγελεῖ, *annunciabit*) Causa, cur Jesus ante passionem suam fere nil praedixerit futurorum, nisi eorum primum et extremum, eversionem Hierosolymae et judicium novissimum. Fons Theologiae propheticae, revelatio Spiritus sancti. ἀναγγελεῖ, *annunciabit* ter dicitur.

v. 14. ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, *ille me glorificabit*) Oeconomia trium testium: Patrem glorificat Filius; Filium Spiritus sanctus. c. 14, 13. 17, 4. — ἐκ τοῦ ἐμοῦ, *ex meo*) Hinc Spiritus sanctus docuit apostolos omnia dicere et facere in nomine J. C.

v. 15. λήψεται) Magna vis codicum, λαμβάνει. [1]). Congruit ἔχει et ἐστὶ, magnifico praesentis temporis significatu: et *acceptio* certe praecedit *annunciationem*.

v. 16. μικρὸν — καὶ πάλιν μικρὸν, *paullum — et iterum paullum*) scil. *est*. In universum, quatriduum. conf. *hora*, v. 21. *nunc*, v. 22. Mollissime de passione sua loquitur. — οὐ θεωρεῖτε· ὄψεσθε, *non spectatis: videbitis*) Praesens, et futurum. θεωρεῖν, ὄπτεσθαι, differunt. nam hoc magis est cum affectu. v. 22. — ὅτι, *quia*) Haec est, et non spectandi, et videndi, causa. coll. v. 10.

v. 17. ἐκ) Subaudi τινές. — καὶ ὅτι, *et quod*) Discipuli duas orationes conjunctas, sibi non intellectas, disjungunt.

v. 18. ἔλεγον, *dicebant*) singuli. Quum *inter se dicentes* haererent, v. 17., seorsum ambigebant. — τοῦτο, *hoc*) Valde demonstrat pronomen h. l. *hoc tandem*. quasi dicerent: nil jam pridem intelleximus minus, quam hoc. Sane nos, post eventum, facile intelligimus: illi tum non item. — οὐκ οἴδαμεν, *nescimus*) Deponunt spem conatumque interpretandi.

v. 19. ὅτι ἤθελον, *eos velle*) *voluntate* laudabili. ipsam interrogationem praevenit bonus Salvator. — μικρὸν, *paullum*) Non sine causa hoc toties repetitur.

v. 20. εἰς, *in*) Tristitia non modo pariet gaudium, sed ipsa in gaudium vertetur, ut aqua in vinum. Ea ipsa res, quae vobis nunc tristis videtur, laeta agnoscetur.

v. 21. ὅταν τίκτῃ, *cum parit*) Hic nondum additur, *prolem*, quia mulier tum magis angustiis ipsis tenetur. — ἄνθρωπος, *homo*) filius aut filia. — εἰς τὸν κόσμον, *in mundum*) Quando majus gaudium vestrum, Jesum videre, *vobis* redivivum.

v. 22. ὄψομαι, *videbo*) v. 16. *videbitis*. Correlata. — χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία) Jes. 66, 14. καὶ ὄψεσθε καὶ χαρήσεται ἡ καρδία ὑμῶν. — οὐδεὶς αἴρει, *nemo tollit*) Praesens, quo significatur, gaudium esse certum, a nullo hoste impediendum, quicquid jam nunc immineat. v. 32.

---

1) *Cui lectioni majus pretium constituit margo* Ed. 2. *quam* Ed. maj.; sed Vers. germ. *inhaesit lectioni* λήψεται. E. B.

Digitized by Google

v. 23. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, *in illo die*) Hoc etiam ad preces, de quibus mox hoc versu, applicatur versu 26. — οὐκ ἐρωτήσετε) *non interrogabitis*, non ex tristitia, uti v. 6., sed ex laetitia. Hujus αὐταρκείας et acquiescentiae praegustus sequitur mox versu 30. Non habebitis, quod me rogetis: liquido cognoscetis omnia: conf. v. 19. 25. c. 21, 12. Res ipsa praesto erit. Ad Patrem ipsum vos applicabitis. — οὐδέν, *nihil*) de his rebus. De regno interrogarunt Act. 1, 6. — ἀμὴν ἀμήν, *amen amen*) De precibus semel iterumque attigerat aliquid: quod qui oraturi essent in nomine Jesu, experturi essent unitatem Patris et Filii: c. 14, 13. et quod qui in Christo manerent et fructum ferrent; quicquid peterent, accepturi essent. c. 15, 7. 16. Nunc ex instituto de iis agit. — ὅσα ἄν, *quaecumque*) Praesto est nobis *charta blanca*, ut Spenerus loquitur. — αἰτήσητε, *petieritis*) etiam de iis rebus, de quibus nunc cupitis ἐρωτᾷν *quaerere* ex me. Precatio est quiddam evidentius et quasi palpabilius, quam fides: itaque Jesus discipulos in precando instituens, ad fidem perducit. — τὸν πατέρα, *Patrem*) Resp. ἐμέ, *me*. Jesus discipulos instituit, ut dimisso desiderio visibilis praesentiae Jesu, ad Patrem accedant. — δώσει, *dabit*) *Faciam*, dixerat c. 14, 13. s. ubi de agnoscendo Patre in Filio: nunc, de Amore Patris, erga credentes, *dabit*, ait.

v. 24. ἕως ἄρτι, *huc usque*) Quotiescunque orabant, *Pater noster*, sic debebant posthac dicere in nomine Jesu Christi. — αἰτεῖτε, *petite*) in nomine meo. — ἵνα, *ut*) Causa, cur jubeat *petere*.

v. 25. ἐν παροιμίαις, *in dictis tectioribus*) Antitheton παῤῥησίᾳ, *aperte*, sine involucro. πάροιμος, qui *propter viam*, non *in via* est. unde παροιμία (cap. 10, 6.) oratio, qua non id ipsum, quod verba sonant, sed tamen non dissimile quiddam (unde etiam παραβολὴ משל dicitur) innuitur. Tale erat illud μικρὸν, *paullum*, v. 16., ubi discipuli dicerent: *hoc quid est*? v. 18. — περὶ, *de*) Eadem particula v. seq. Suave correlatum, *de Patre vobis: Patrem de vobis*.

v. 26. ὀνόματι, *nomine*) Cognitio parit orationem. — οὐ λέγω, *non dico*) Conf. οὐ λέγω, *non dico*, 1 Joh. 5, 16. not. Declarat Jesus, amorem Patris non demum eis sua rogatione conciliari debere, ut exaudiantur. Ex eo potius ipso, quia Patris erant, pro eis rogat, c. 17, 9.

v. 27. Αὐτὸς) *Ipse*, sua sponte. — φιλεῖ ὑμᾶς, *amat vos*) adeoque vos exaudit. — ὅτι, *quia*) Ratio, cur Pater eos amet audiatque. — πεφιλήκατε, καὶ πεπιστεύκατε) *amore et fide prehensum habetis*. Amor et posterior est fide et prior: nam se invicem sustentant. Imo ipsa fides imbibit amorem et amplexum doni coelestis. Hoc loco amor praeponitur, ut eo magis inter se respondeant haec verba, *amat, amavistis. Creditis, me a Deo exisse:* haec verba Dominus discipulis in os inserit, ut ab illis resonet illud, *Credimus, te a Deo exisse*.

v. 28. ἐξῆλθον, *exiri*) Recapitulationem maximam habet hic versus. Sociniani perperam haec verba, ut per *paroemiam* dicta, accipiunt.

v. 29. νῦν, *nunc*) Non exspectant *horam* aliam. v. 25. Jesum vident implevisse promissum citius, quam promisisse putaretur.

v. 30. πάντα, *omnia*) etiam statum cordium. Etiamsi non interrogeris, tamen aptus est tuus sermo omnibus. — καὶ οὐ, *et non*) Unus doctor est, qui non interrogatus satisfaciat discipulis. Multi hodie parum discunt, quia doctores suos, sane non omniscios, nil interrogare solent. — πιστεύομεν, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐξῆλθες, *credimus te a Deo exisse*) i. e. credimus in Deum, et in te credimus. Itaque persuasit Jesus. coll. c. 14, 1., *credite*.

v. 31. ἄρτι πιστεύετε, *Nunc creditis*) Epiphonema totius doctrinae Christi: [*cum insigni animi prolubio propositum*. V. g.] Fides vestra est ἄρτιος, perfecta, apta. nunc habeo, quod (c. 14, 1.) volui et volo. *creditis*. v. 30. 27. c. 17, 7. (νῦν, *nunc:*) c. 20, 29. Nunc progredior. [*Imperativus urgetur a* c. 14, 1. *donec h. l. resultat Indicativus plane categoricus*. Not. crit. *Quoties*

virtutis divinae aliquid in anima se exserit, observari identidem momentum *hujus generis potest.* V. g.]

v. 32. ἰδοὺ, *ecce*) Salvator discipulorum fidem munit adversus ingruentem procellam. — εἰς τὰ ἴδια, *in sua*) quae antea propter me reliquistis. Perfidia Judae, qui *fiscum* habuerat, ad ceteras majores causas *dispersionis* accessit.

v. 33. ἵνα, *ut*) Scopus sermonum horum. — εἰρήνην, *pacem*) cordis non perturbati. c. 14, 1. — νενίκηκα) *vici*, etiam vobis. [1])

CAPUT XVII.

v. 1. Ταῦτα, *haec*) Orat de se, v. 1. s. de apostolis, v. 6. s. iterumque v. 24. s. de credituris, v. 20—23, et hac oratione complectitur omnia, quae a cap. 13, 31. dixit, obsignatque res adhuc gestas, spectans praeterita, praesentia et futura. Tacite innuitur Pentecoste nova instans. Quis non gaudeat, haec perscripta extare, quae cum Patre locutus est Jesus? Hoc caput in tota scriptura est verbis facillimum, sensibus profundissimum. — καὶ ἐπάρας, *et sustulit*) continuo. — εἰς τὸν οὐρανὸν, *in coelum*) Eo jam tendebat. — εἶπε, *dixit*) Orat Patrem, simulque discipulos docet. — Πάτερ) Sic *Patrem* absolute appellat Jesus in hac oratione dulci et prolixa quater, et cum epitheto bis; in universum non nisi sexies, idque fere ineunte nova sermonis parte. v. 1. 5. 11. 21. 24. 25. Nomina Dei non sunt cumulanda in oratione, sed parce et religiose appellanda: ut Hebraeos quoque docere ostendit Hottingerus de nominibus Dei apud orientales. Talis simplicitas appellationis ante omnes decuit Filium Dei: atque ut quisque fidelium animam suam optime in promtu habet ad fiduciam orandi, sic illam maxime potest subsequi simplicitatem. — ἡ ὥρα) *hora* glorificationis. — δόξασον, *glorifica*) Hoc verbum, et nomen δόξα, *gloria*, in tota hac oratione eandem, et quidem summam, vim habent. Et ante glorificationem sui, et post, Filius Patrem glorificavit. Hinc varia glorificatio mutua. v. 4. 5. et v. 1. — σοῦ τὸν υἱὸν, *tuum filium*) Hac appellatione exprimitur, Jesum glorificandum esse, ut Filium decet; ob id ipsum, quia sit Filius. Hic, cum Patre agens, non dicit se *Filium hominis.*

v. 2. καθὼς, *sicut*) Hoc comma respondet inciso illi, *glorifica.* — ἐξουσίαν, *potestatem*) adversum hostem, qui *omnem carnem* subegerat. Col. 1, 13. — ἵνα πᾶν, *ut omne*) Hoc comma respondet inciso illi, ἵνα *ut glorificet.* — πᾶν — αὐτοῖς, *omne — eis*) Vid. not. ad cap. 6, 37. Singulare collectivum πᾶν, *omne*, et ἕν, *unum*, v. 11., congruunt. — δώσῃ) Futurum subjunctivi, ut θεωρήσωσι, c. 7, 3.: nisi enim esset futurum, evangelista videtur scripturus fuisse θεωρῶσι, post praesens ὕπαγε. θήσω, ἔσῃ, καυθήσωμαι, κερδηθήσωμαι. conf. ἵνα ἔσται Apoc. 22, 14. Alii habent, δώσει.

v. 3. ἔστιν) *est;* non modo *affert.* — γινώσκωσι, *cognoscant*) Cognitio in negotio salutis est maximi momenti. v. 26. — μόνον, *solum*) Non excluditur Filius et Spiritus sanctus, conf. μόνος, *solus:* c. 8, 9.: sed dii falsi, quorum cultu idololatrico refertus erat mundus. Et Jesus h. l. de se ipso loquitur, ut Patris *apostolus.* — ὃν ἀπέστειλας, *quem misisti*) Ratio, sub qua Jesus Christus agnoscendus est. Missio praesupponit Filium cum Patre unum. — χριστὸν, *Christum*) Apertissima appellatio, quae deinceps plane invaluit.

v. 4. ἐπὶ τῆς γῆς, *super terram*) Antitheton, παρὰ σεαυτῷ, *apud temet ipsum*, in coelo, v. 5. *Terra* defecerat a Deo. — ἐτελείωσα, *consummavi*) Exponitur illud, *glorificavi.*

v. 5. εἶχον, *habui*) Hic non dicit, *accepi.* Semper *habebat:* nunquam *coepit* habere. — πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, *antequam mundus esset*) Mundi appel-

---

1) τὸν κόσμον, *mundum*] adeoque vestras cum mundo angustias. *V. g.*

Digitized by Google

latione etiam angeli h. l. continentur. Etiam antequam *fieret* mundus, gloriam illam habebat Filius: v. 24. sed cum *fieret* mundus, gloria illa se coepit exserere. Aeternitas Filii Dei. Idem mundi ac temporis initium. quicquid est ante mundum, est ante tempus: quicquid est ante tempus, est aeternum. — παρὰ σοὶ, *apud te*) quia tum extra Deum nil erat. Constr. cum εἶχον, *habebam*.

v. 6. ἐφανέρωσα, *manifestavi*) novo modo. c. 1, 18. — ὄνομα) *nomen* tuum, *paternum*. v. 11. — οὓς, *quos*) Apostoli innuuntur, uti v. 12. [*quorum electioni singularem prorsus orationem praemiserat Jesus*, *Luc.* 6, 12. *Peractis istis precibus Pater eos Ipsi dedit. Atque hi ipsi* fundum *quasi universae credentium multitudinis usque ad finem mundi constituunt*. V. g.] — σοὶ) *tui*, uti v. 9. 10. *tui* erant, per fidem V. T. — ἐμοὶ) *mihi* dedisti, ut sint fideles N. T. — τετηρήκασι, *servaverunt*) Praeclarum est hoc Testimonium. [*Huc refer* τήρησον, τηρήσης (*serva, serves*), v. 11. 15. V. g.]

v. 7. πάντα, *omnia*) Subsumitur versu sequente: *verba*. — παρὰ σοῦ, *abs te*) adeoque vera et solida.

v. 8. ἔλαβον, *acceperunt*) per fidem. — ἐπίστευσαν, *crediderunt*) Ter his precibus memoratur *fides*: apostolorum, h. l. eorum, qui per horum verbum credituri sunt: v. 20. mundi, v. 21.

v. 9. περὶ αὐτῶν, *de eis*) Jesus rogat de fidelibus: Ipse, et fideles, de mundo. — οὐ περὶ τοῦ κόσμου, *non de mundo*) Hoc non absolute accipi debet: coll. v. 21. 23. sed Jesus non rogat pro mundo, hoc loco et tempore, et his verbis, quae in solos fideles conveniebant. v. 11. 15. 17. Eadem dicit Christus Psalm. 16, 4. Non tamen excludit mundum, quum discipulos ex mundo electos commendat.

v. 10. τὰ ἐμὰ, *mea*) et *mei*. — σά ἐστι, *tua sunt*) a te sunt, atque a me ad te referuntur. — ἐμὰ, *mea*) quia mihi dedisti. — δεδόξασμαι, *glorificatus sum*) Tales se praebuerunt, in quibus glorificarer: agnoverunt gloriam meam; i. e. credunt, mea omnia esse tua, et tua mea. — ἐν αὐτοῖς, *in eis*) penes eos. sic ἐν *in*, c. 15, 24.

v. 11. εἰσὶ, *sunt*) et quidem cum periculo. Ideo sequitur: τήρησον, *serva*. — πρός σε ἔρχομαι, *ad te venio*) accessu sacerdotali. v. 19. — πάτερ ἅγιε, *Pater sancte*) Appositissima appellatio. Jud. v. 1. not. Patria Dei sanctitas et sancta Paternitas et Christo aditum fecit dulcem, et fidelibus certum, v. 17. 19. et mundo, dum in malo manet, clausum. *Justum Patrem* appellat v. 25. — ἐν τῷ ὀνόματί σου, *in nomine tuo*) ut porro tui maneant, et a te mihi dati audiant. — οὓς, *quos*) *Cant.* cum aliis ὃ, *quod*. Optimo sensu. αὐτοὺς ὃ dicitur, uti πᾶν — αὐτοῖς, v. 2. not. et congruit mox ἕν, *unum*. Hac locutione non percepta, ὃ alii mutarunt in οὓς, non longe diverso sensu; alii in ᾧ, ut si ὃ sive ᾧ referretur ad ὀνόματι. Pariter versu 24. ὃ, non οὓς, habent *Cant. Copt. Goth.* et v. 12. ᾧ, non οὓς, nonnulli, quibus additur *Copt.* nisi id quoque pro ὃ irrepsit. — ἕν) *unum*, inter se et nobiscum, a mundo divisum. — καθὼς, *sicut*) Non rogat Jesus, ut ipse unum sit cum Patre: rogat, ut credentes unum sint. Illa unitas est ex natura; haec ex gratia. igitur illi haec similis est, non aequalis. conf. καθὼς, *sicut*, v. 16. 18. et de eadem re, v. 21. — ἡμεῖς, *nos*) Sic etiam v. 21. 22. loquitur. Patri Filius ὁμοούσιος, ejusdem essentiae. Moses de Deo et de se vel ad Deum vel ad populum loquens non poterat dicere: *nos*. Neque tamen, propter hanc ipsam ὁμοουσίαν, convenire videtur, ut fideles in orando ad Patrem et Filium dicant: *Vos*. qua tamen locutione nonnulli utuntur Theologi practici.

v. 12. ἐγὼ ἐτήρουν· ἐφύλαξα, *servabam: custodivi*) Jesus rationes conficit cum Patre. ἐτήρουν respicit τήρησον, v. 11. Quod ego adhuc, inquit, feci, tu fac posthac. ἐτήρουν, *servabam*, potestate: ἐφύλαξα, *custodivi*, vigilantia. Eadem verba, 1 Joh. 5, 18. 21. — οὐδεὶς, *nullus*) Hoc ad futura quoque pertinet. c. 18, 9.

gitized by Google

— εἰ μὴ, *nisi*) **Tristis exceptio. — ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας) Articulus valde demonstrat.: *filius ille perditionis:* de quo praedictum est; qui se ipsum perdidit; Act. 1, 25. cui bonum fuisset, *non nasci.* Judam non nominat. conf. Ps. 16, 4. Nos sane Individuorum amissorum reddemus rationem.**

[1]) v. 13. δὲ, *autem*) Antitheton; *eram cum eis: ad te venio.* — λαλῶ, *loquor*) Sine dubio audiebant discipuli loquentem. — ἐν τῷ κόσμῳ, *in mundo*) jam, ante discessum meum. — ἔχωσι, *habeant*) me eos docente ac pro eis rogante. — τὴν χαρὰν τὴν ἐμὴν, *gaudium meum*) c. 15, 11. not.

v. 14. καὶ, *et*) Connexa: Verbum Dei accipere: mundo exosum esse.

v. 15. ἄρῃς, *tollas*) nunc. nam deinceps, *rolo.* v. 24. — ἐκ τοῦ πονηροῦ, *ex malo*) Est ὁ πονηρὸς, *malus,* in quo jacet *mundus;* et qui est in mundo. 1 Joh. 4, 4. Mundus alienus a *veritate.* v. 17.

v. 16. ἐκ, *ex*) Sententia haec extat etiam v. 14., sed alio verborum ordine, qui simpliciter ostendit causam odii mundi, et cum consequenti versu 15. congruit. Nunc autem ἐκ τοῦ κόσμου, *de mundo,* bis priore loco positum, sustinet emphasin, in antitheto ἁγίασον, *sanctifica.* Ex v. 16. deducitur versus 17. et ex v. 18. versus 19.

v. 17. ἁγίασον, *sanctifica*) plane tibi assere.

v. 18. ἀπέστειλας, *misisti*) Missionis fundamentum, sanctificatio. c. 10, 36. — ἀπέστειλα, *misi*) mittere institui, apostolatum contuli. [c. 20, 21. Matth. 28, 19. Marc. 16, 15.]

v. 19. ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, *ego sanctifico me ipsum*) totum me dico et consecro tibi. Illi exeunt in mundum, mea causa: ego adeo ad te, illorum quoque bono. Euphemia, amori Christi conveniens: sanctifico me, mortem, eamque crucis, tolerans. — ἡγιασμένοι, *sanctificati*) Talium demum vera est *Canonizatio,* ab ipso Domino facta. 1 Petr. 3, 18. 2 Cor. 5, 15. — ἐν ἀληθείᾳ, *in veritate*) etiamsi id exterius non appareat. Opponitur hoc sanctimoniae ceremoniali.

v. 20. ἀλλὰ καὶ, *sed etiam*) Christus, Sapientia, est קהלת *Congregatrix.*

[2]) v. 21. ἵνα πάντες, *ut omnes*) Sic, ἵνα ὦσιν, *ut sint,* v. 22. 23. — πάντες, *omnes*) credentes per verbum apostolorum. [*connotatis iis, qui non duodecim istorum ministerio ad fidem perducti sunt: v. gr. Paulo, et multitudine per eum lucrifactâ.* V. g.] Eadem omnibus credentibus, quae apostolis, beatitudo impetratur. — ἵνα καὶ, *ut etiam*) ἵνα, *ut* quasi post parenthesin hic repetitur ex initio versus. — ἐν ἡμῖν ἕν, *in nobis unum*) Emphasin illud ἐν ἡμῖν, *in nobis,* addit ad ἕν *unum* repetitum: et illud ἐν ἡμῖν *in nobis* deducitur ex καθὼς, *sicut* etc. — ὁ κόσμος) *mundus* denique totus. — πιστεύσῃ, *credat*) quum viderit fideles nostri plenos. Sequitur per gradationem, γινώσκῃ, *cognoscat,* v. 23. conf. v. 8. Apud *mundum* prima *fidei* stamina praecedunt ulteriorem et pleniorem *cognitionem:* apud ipsos *fideles cognitionem* solidam plena *fides* subsequitur.

v. 22. δόξαν, *gloriam*) Gloria *Unigeniti* effulget per *filios* Dei fideles. — δέδωκα, *dedi*) Hem, quanta, majestas Christianorum! *dedi,* jam, quamvis occulte.

v. 23. ἐγὼ, *ego*) sc. *sum.* — τετελειωμένοι εἰς ἕν, *consummati in unum*) ad perfectam unitatem perducti.

v. 24. οὓς, *quos*) Redit ad apostolos. v. 25. *hi.* — θέλω, *rolo*) ἐρωτῶ, *rogo,* dixerat v. 9. 15. 20. nunc incrementum sumit oratio. *rolo,* interpretandum; nam *velim* languidius est, rogat Jesus cum jure, et postulat cum fiducia, ut Filius, non ut servus. conf. Ps. 2, 8. Marc. 10, 35. 6, 25. [*Secus, ac pro Se ipso, ad montem oliveti, Matth.* 26, 29. V. g.] — θεωρῶσι) *spectent,* fruentes. — πρὸ,

---

1) ἡ γραφὴ, *Scriptura*] Tanti momenti est Scriptura, ut ipse Christus, vel in soliloquio cum Patre, ad eam provocet. *V. g.*

2) περὶ τῶν πιστευσόντων, *de credentibus*] Credituri h. l. *credentium* nomine veniunt. Pari modo dicitur, *dedi* eis gloriam, v. 21. coll. c. 11, 52. *V. g.*

ante) Constr. cum *amavisti*. Oeconomia salutis fluit ex aeternitate in aeternitatem. Inter aeternitatem et mundi *conditum* nil datur medium. nam *in principio* Deus creavit. [v. 5.]

v. 25. πάτερ δίκαιε, *Pater juste*) Ex *justitia* fluit fidelium prae mundo ad Deum per Christum admissio. — καὶ, καὶ) *et, et.*

v. 26. γνωρίσω, *notum faciam*) Id fecit, v. gr. c. 20, 17. coll. Hebr. 2, 12. — τὸ ὄνομά σου, *nomen tuum*) *paternum*, amantissimum. — ἡ ἀγάπη — κἀγὼ, *amor — et ego*) i. e. tu et *amor tuus; egoque* et amor meus. — ἐν αὐτοῖς ᾖ, *in illis sit*) ut eodem amore, quo me amas, illos ames in ipsis: ut cor ipsorum theatrum sit et palaestra hujus amoris.

CAPUT XVIII.

v. 1. Ἐξῆλθε, *exiit*) continuo. Ergo, quae capp. praec. scripta sunt, dixerat in urbe. — τῶν κέδρων) קדרון Hebraeis dicitur: *Cedron* habet *Lat.* non *cedrorum*. Itaque τῶν a librariis insertum censemus. Complura nomina Hebraica Graeci ad suae linguae sonos flexerunt, ut docet Hillerus in Onom. p. 715. itaque ita locum habere posset τῶν κέδρων· sed nunquam sic habent LXX, nisi 1 Reg. 15, 13. ubi tamen Tigurina editio, adeoque cod. Alex. habet, ἐν τῷ χειμάῤῥῳ τοῦ κέδρων. Alias LXX sine articulo dicere solent, ἐν τῷ χειμάῤῥῳ χοῤῥᾶθ, εἰς τὸν χειμάῤῥουν κεισῶν κτλ. Neque inter LXX interpretum et Johannis tempora τῶν κέδρων usu invaluisse videtur.

v. 2. τὸν τόπον, *locum*) et totius loci rationem. [*Pessimum sane, cum quis bonae causae notitiâ, quam habuerat, abutitur in malam partem!* V. g.] — ἐκεῖ, *illic*) in loco agonis imminentis.

v. 3. τὴν σπεῖραν) *cohortem* peditum *Romanorum* cum *tribuno*: cui contradistinguuntur ministri *Judaeorum*. v. 12. — μετὰ φανῶν) φανός, *laterna*, vid. Hesychium.

v. 4. ἐξελθὼν, *egressus*) Poterat igitur etiamnum discedere. — εἶπεν, *dixit*) ut impetum cohortis a discipulis averteret. v. 8.

v. 6. ἔπεσον, *ceciderunt*) Non debebant porro adversus stimulos calcitrare, Judas praesertim.

[1]) v. 8. ἀπεκρίθη, *respondit*) Bis dicit: *Ego sum*. si tertio dixisset, non cepissent illum. Tertio dicet olim. — τούτους, *hos*) discipulos; quos illi coeci adoriebantur.

v. 9. πληρωθῇ, *impleretur*) Jesus propheta erat. sic v. 32. — οὐκ ἀπώλεσα, *non perdidi*) ne hoc quidem maximo eorum periculo.

v. 10. σίμων, *Simon*) Hunc id fecisse, solus Johannes commemorat: ceteri de Petro reticent. [*Eo nempe tempore, quo Petrus facile periclitari apud mundum potuisset, hi scripserunt: Johannes, postremo loco, citra periculum explevit lacunam.* Harm. p. 531. Conf. c. 21, 19. not. marg.] — ἔχων, *habens*) Vel *habere* gladium, periculosum fuit. — ἀπέκοψεν, *abscidit*) ictu periculoso. — μάλχος, *Malchus*) Credibile est, longo post tempore notum mansisse inter Judaeos et Christianos hunc hominem. Servi nomen ponitur in historia sacra, ut ancillae, Act. 12, 13.

v. 11. τὸ ποτήριον, *poculum*) Respicit Jesus ea, quae dixerat Matth. 20, 22. 26, 39. Itaque Johannes praesupponit ea, quae ceteri evangelistae scripserunt: neque enim ea scribit, quae ll. cc. Matthaeus scripsit. — οὐ μὴ πίω; *non bibam?*) Huc tendebat pugna Petri.

---

1) v. 7. οἱ δὲ εἶπον, *illi autem dicebant*] Insani impetus vehementia tanti ominis considerationem surripuit. *V. g.*

Digitized by Google

v. 13. πρῶτον, *primum*) solum honoris causa. conf. Act. 4, 6. Salvatorem mox ad Caipham inde ductum esse, eo significat Johannes, quod ait, Caipham fuisse sacerdotem magnum, et Petrum cum Jesu intrasse aulam Caiphae. v. 15. fin.

v. 14. ὁ συμβουλεύσας, *qui consilium dederat*) eoque cupidus interimendi Jesu.

v. 15. ἄλλος) sine articulo, *alius*, indefinite, in prima hac mentione. nam mox ὁ relativam vim habet. Vid. E. Schmid. ad h. l. — τῷ ἀρχιερεῖ, *pontifici*) eoque nomine intromittebatur.

v. 16. ἔξω, *foris*) Discipulus, quamlibet notus, (non addidit Johannes, h. l. *occultus*, ut c. 19, 38.) aperte ingrediens, tutior est, quam Petrus timide agens ignotus. Generale religionis odium saepe admittit exceptionem apud familiares, ut iis conniveatur. — εἶπε, *dixit*) rogans, ut sibi liceret Petrum introducere.

v. 17. καὶ σὺ) *tu quoque*, ut multi, et ut comes tuus. Si ancilla nescisset, discipulum illum alium esse *discipulum*, non dubium est, quin eum quoque fuerit interrogatura. Ergo non nocendi causa quaesierat ancilla, sed, ne ipsa in discrimen veniret.[1]) nec majore periculo erat Petrus, quam alter discipulus.

v. 18. πέτρος, *Petrus*) In monte oliveti frigus contraxerat.

v. 19. διδαχῆς, *doctrinâ*) Interrogat pontifex, quasi doctrina Jesu serpsisset in occulto. Sic saepe ex veritate vult mundus rem anguli facere. De doctrina respondet Jesus; de discipulis non opus erat.

v. 20. τῷ κόσμῳ, *mundo*) Sermo valde amplus. *Aperte* significat modum: *semper*, tempus; *in synagoga et in templo*, locum. — ἐν συναγωγῇ) Editi habent, ἐν τῇ συναγωγῇ· ut mox dicitur ἐν τῷ ἱερῷ. sed non temere praetermisit evangelista τῇ articulum. Joh. Harduinus duas tantummodo Hierosolymis synagogas fuisse statuit, alteram indigenarum, alteram Libertinorum, Act. 6, 9. et unam indigenarum synagogam ex hocce Johanneo loco inferre conatur. Op. sel. p. 904. Loquitur autem Dominus de synagogis totius regionis, non urbis modo, adeoque ex hoc loco unitas synagogae in urbe neque refutatur neque infertur. Nomen singularis numeri, ἐν συναγωγῇ, ex absentia articuli vim distributivam nanciscitur: et inde articulus τῷ, templo adjectus, epitasin facit. — ἐν κρυπτῷ, *in occulto*) nil, quod attinet ad doctrinam apud populum. Nam etiam seorsum docuit multa discipulos; quorum tamen summum fastigium nunc etiam coram synedrio confessus est. Matth. 26, 64.

v. 21. τί με) *quid me*, cui non credis? [*Neque tempori conveniebat neque loco, singularia fidei dogmata proponere.* V. g.] — τί) Hoc alterum, *quid*, pendet ab *interroga*. — οὗτοι, *hi*) Indigitat multitudinem praesentem: *vel hi sciunt.*

v. 22. ῥάπισμα, *plagam*) virga, sive baculo. conf. c. 19, 3. not. et Matth. 26, 67. not. — οὕτως, *sic*) *tali modo*. Non poterat *veritatem ipsam* impugnare: *in modo* peccasse Jesum, vult indicare; ut innocentissimus quisque saepe insimulatur ab iniquis. Sed *modum* quoque defendit Jesus; non *male*, sed *bene* se locutum declarans.

v. 23. αὐτῷ) Omittunt hoc *Hirs. Goth. Lat.* in ms. Bodl. vet. *Luther*. — μαρτύρησον, *testare*) *Si male locutus sum, tum demum, ceteris paribus, te-*

---

1) Prius discipulo anonymo, ut Petrum introduceret, concesserat; tum demum verita, ne tempore non opportuno hominem peregrinum intromisisset, ad lucem accessit, et Petrum, qui post brevem accubitum mox iterum surrexerat, repertum compellavit, inter ceteros etiam ministros percunctationes ulteriores ea re concitans. Ancillae et ministris *negando* Petrus respondit. Haec prima fuit abnegatio. Eadem ancilla ejus quoque sciscitationis initium fecit, quae Petrum, in aula focillando tantisper occupatum, deinde in atrium egressum, ad secundam abnegationem impulit. Ministrorum, ut fit, aliqui sedebant, aliqui stabant; Petrus, utrumque per vices. Prima sedentis abnegatio fuit, secunda stantis. Ea dum fiebant, quae c. 18, 19—23. memorantur, ad ignem substitit: quare bis Johannes mentionem stationis infert. (v. 18. 25.) *Harm.* p. 535.

Google

stare etc. testari conatus erat minister per ipsam plagam, sed perperam. — εἰ δὲ, *sin autem*) Hoc habet vim affirmandi.

v. 24. ἀπέστειλεν, *misit*) Unus alterque οὖν supplet, vel δὲ, vel τέ. Nil opus est. Jesum ab Anna ad Caipham fuisse ductum, indicarat Johannes v. 15. in verbo συνεσήλθε, et ipsa totius repetita *pontificis* appellatione: nunc vero id ipsum reassumit, et expressius memorat cum mentione *vinculorum*, in quibus [*et veritatem ingenue confessus est* (Harm. p. 536.) *et*] alapam indignissimam accepit Salvator. Interdum in narratione ponitur aliquid extra seriem temporis, et connectitur cum iis, quae lucem inde accipiunt. c. 5, 9. 9, 14. 11, 30. Act. 4, 22. Jer. 29, 29. cum praecedd. et seqq. Una in aula Pontificis, quanquam in diversis illius locis, ter negavit Jesum Petrus. — δεδεμένον, *vinctum*) v. 12.

v. 25. καὶ σὺ) *tu quoque*, qui adsis, alienus nobis.

v. 26. οὗ ἀπέκοψε, *cujus abscidit*) Hominem feriit Petrus: ab ejus propinquo infestatur. Tristis talio.

v. 27. ἐφώνησεν, *cecinit*) De poenitentia Petri praesupponit Johannes ea, quae ceteri scribunt evangelistae. add. c. 20, 2. s.

v. 28. αὐτοὶ) *ipsi*. — ἵνα μὴ μιανθῶσιν, *ne inquinarentur*) domo Pilati a *fermento* non purgata. Deut. 16, 4. — φάγωσι τὸ πάσχα, *ederent pascha*) Sic 2 Chron. 30, 22. ויאכלו את המועד *et comederunt festum.*[1]) Τὸ πάσχα non potest esse accusativus temporis, *das Fest über*. Immundi tamen edebant communes cibos.

v. 30. εἰ μὴ, *si non*) Immanis calumnia est, caussam innocentem pro crimine notorio tractare. Pilato volunt laborem quaerendi adimere, ne de lege ipsorum sit solicitus; sed tantum ut poenam infligat. — οὗτος, *hic*) Resp. *contra hominem hunc*. v. 29.

v. 31. ὑμῶν, *vestram*) Hoc non sine contemtu Pilatus videtur dixisse; conf. v. 35. neque causam delatam pro capitali habuisse, ut Judaei habebant. — οὐκ ἔξεστιν, *non licet*) Tumultuantis turbae sensum interpretari non est facillimum. Pilatus de se loquitur, penes quem sit potestas. v. 39. Eo certe concedente poterant necare: sed concessione illa uti nolunt, ideo ad jus sibi ademtum provocant. Eoque ipso anno, quadragesimo ante eversam urbem, ademtum esse, Judaica docet historia. Vid. etiam c. 19, 31. Matth. 27, 62.

v. 32. εἶπε, *dixit*) c. 12, 32. s. — ποίῳ, *quali*) tali, qualem infligebant Romani. Judaei eum lapidassent.

v. 33. σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων; *tu es rex Judaeorum?*) Huic rei semper instantem, vario animo, Pilatum inducit Johannes.

v. 34. ἄλλοι, *alii*) Hoc Pilati conscientiam excitabat, ne Judaeis simpliciter crederet. Plane dixerant alii, nempe Judaei, foris nempe, cum Jesus jam introductus fuisset in praetorium. Hanc partem volebat Jesus observari a Pilato: Pilatus priorem partem interrogationis arripit non sine iracundia.

v. 35. μή τι, *nunquid*) Id est, sane non a *me ipso* hoc dico: Judaei dixere

---

1) Non obest haec Johannis observatio sententiae isti, quâ Judaeos *ineuntis* feriae sextae vesperâ (i. e. exeunte feriâ quintâ, *am Donnerstag Abends*) Pascha comedisse ostendimus. (*Vid. not. Gnom. ad* Matth. 26, 17.) Nimirum vox *Pascha* stricto sensu nonnisi *agnum paschalem* dicit, non taurum etc. Quodsi vero Pascha generatim memoratur; agno paschali, ceu parti principali (Deut. 16, 1. coll. v. 2.) *totum festum* per Synecdochen significatur: eâdem scil. ratione, qua *Sabbatum* et feriam septimam proprie, et per consequens totam hebdomadem innuit. His *Lightfootus* (Hor. ad h. l.) addit, inquinationem per introitum praetorii nonnisi ad vesperam usque duraturam, adeoque purgatos a comestione agni paschalis non depulsuram fuisse. Quum igitur h. l. de tali esu paschali sermo sit, a quo *ante* vesperam Judaei per inquinationem prohibiti essent; diversa certe a convivio paschali convivii pars indigitatur. *Harm.* p. 544. sq.

Digitized by Google

mihi. — τὸ σὸν, *tua*) cujus rex diceris. — οἱ ἀρχιερεῖς, *pontifices*) ipsi antistites. — τί ἐποίησας; *quid fecisti?*) Stringit Pilatus quaestionem, de Jesu rege.

v. 36. βασιλεία, *regnum*) Ter nominat Jesus *regnum*. — οὐκ, *non*) Solum dicit Jesus, unde non sit regnum suum, scilicet non ex hoc mundo: unde autem sit, nempe de coelo, non exprimit. Innuit tamen, quum dicit, se venisse in mundum. — ἐκ) Notanda particula *ex*. Vid. Ap. 11, 15. not. Nam ἐν et ἐκ differunt, supra, c. 17, 11. 14. ἐκ praecise notat originem, ut mox ἐντεῦθεν, *hinc*. [Conf. Erklär. Offenb. p. 553. V. g.] — κόσμου τούτου, *mundo hoc*) Ideo Christus non diu in hac vita commoratus est. — εἰ ἐκ, *si ex*) *Ex mundo hoc* emphatice ponitur ineunte commate. *Mundus* regna sua tuetur armorum pugna. — ὑπηρέται, *ministri*) qui non sunt de hoc mundo. — ἠγωνίζοντο, *pugnarent*) Unumquodque agens agit in sua sphaera. — παραδοθῶ, *traderer*) Id jam agebat Pilatus v. 31. — νῦν, *nunc*) Particula adversativa, non temporis.

v. 37. ἐγώ. ἐγὼ, *ego. ego*) Potens anadiplosis. — εἰς τοῦτο, *in hoc*) Sic bis. Prius potest referri ad comma praecedens, de *rege*, ut innuatur *natus rex;* Matth. 2, 2., alterum, ad subsequens, de *veritate*. conf. οὗτοι, καὶ οὗτοι, Deut. 27, 12. s. — γεγέννημαι, *natus sum*) Significatur hic nativitas humana. Divinam non capiebat Pilatus. Declaratur tamen, non totum Jesu ortum contineri nativitate humana, quum, *veni in mundum*, subjungitur. — τῇ ἀληθείᾳ, *veritati*) Veritas, quae antea populo dicta erat, in passione etiam principibus et gentibus praedicatur. est hic igitur praedicationis apex. Omnes audierunt et viderunt Christum: etiam Pilato oblata est veritas. Regno ex hoc mundo opponitur regnum veritatis. — πᾶς, *omnis*) Jesus provocat a coecitate Pilati ad captum fidelium. — ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας, *qui est ex veritate*) *Esse ex veritate* praecedit: *audire* sequitur. — ἀκούει, *audit*) cum lubentia et intelligentia. Et hi sunt cives regni Christi. — τῆς φωνῆς, *vocem*) veram de regno.

v. 38. τί ἐστιν ἀλήθεια; *quid est veritas?*) Pilatus putat, mentionem veritatis non quadrare ad sermonem de regno. Regnum ille tantummodo scit nectere cum potentia, non cum veritate. Atqui regnum libertatis est regnum veritatis: nam veritas liberat. Hic debuerat Pilatus serio quaerere: sed ita quaerit, ut confiteatur, se non esse ex veritate. Sermo Jesu erat Pilato aenigma: et hoc fatetur Pilatus. *In fine sermonis ait demum*, τί ἐστιν; *quid est?* Sir. 22, 8.

v. 39. ἐν τῷ πάσχα, *in pascha*) Ergo pascha eo die erat. Eoque die populus congregatus Pilatum rogavit.

CAPUT XIX.

[1]) v. 2. Οἱ στρατιῶται, *milites*) Traditio Jesu a Pilato successive est facta. Vide *Harm.*

v. 3. ῥαπίσματα, *verbera*) calamo. Marc. 15, 19.

v. 4. ἴδε ἄγω, *ecce duco*) tanquam non iterum introducturus. Pilatus vult videri deliberate agere.

v. 5. φορῶν, *gestans*) Pilatus non repressit petulantiam militum. Rara lu-

---

1) v. 1. Τότε — ἐμαστίγωσε, *Tum — flagellavit*] Opinionem de *flagellatione iterata* a *binis columnis*, quarum altera Hierosolymis, altera Romae ostentari solet, derivandam censet *Korte* in Itinerario — Judaeis crucifixionem, quam ex more flagellatio praecedebat, urgentibus, Pilatus consilium cepit Jesum flagellandi, et pro re nata vel dimittendi (Luc. 23, 22.) vel cruci adjudicandi. Posterius, ob acerrimas populi flagitationes, non semel quidem simulque, sed sensim superavit. Inde Lucas l. c. v. 24. non ἔκρινε, ait, sed ἐπέκρινε. — Cessit Pilatus Judaeis, eorumque voluntati, quem ipse dimittere maluerat, invitus tradidit: quam tamen traditionem flagellatio demum, cum insecuta irrisione, excepit. Tum nova commiseratione permotus denuo Pilatus dimittere Jesum tentavit, et, quum ultimum in tribunali consedisset, (Matth. 27, 19.) frustratus iterum, plenâ denique sententiâ Jesum tradidit. *Harm.* p. 564. sq.

Digitized by Google

dicrorum et seriorum hic mixtura. — λέγει, *dicit*) Pilatus. Pilato enim respondent versu 6. — ἴδε ὁ ἄνθρωπος, *ecce homo*) Sic v. 14., *ecce rex vester*. Gradatio. Similis nominativus, v. 26. s.

v. 6. ὅτε, *cum*) Voluerat Pilatus commiserationem movere, sed crudelitatem eorum auget. — λέγοντες, σταύρωσον, *dicentes, crucifige*) Matth. 27, 22. Alium enim et alium Pilati sermonem recusarunt hoc celeusmate, *crucifige*. [*A flagellatione facta, ex more recepto, concludunt ad crucifixionem.* V. g.]

v. 7. νόμον, *legem*) cujus pars erat praeceptum de blasphemis occidendis. — ὀφείλει, *debet*) Reatum denotant. Imo alia suberat *debitio*. Hebr. 2, 17. — θεοῦ υἱόν, [1]) *Dei filium*) Pilatus appellarat *hominem*. v. 5. Hoc arripuisse videntur Judaei.

v. 8. μᾶλλον, *potius*) Non assensus est Judaeis, de interimendo Jesu, sed *potius* timuit, ne peccaret in filium Dei.

v. 9. πόθεν, *unde*) Rogas, Pilate? divinitus et superne erat: ut Ipse versu 11., dum tacere visus erat, innuit. coll. c. 18, 36. 37.

v. 10. ἐμοὶ, *mihi*) Hoc cum severitate dictum.

v. 11. οὐδεμίαν, *nullam*) neque crucifigendi, neque dimittendi, neque aliam ullam. — δεδομένον, *datum*) *Datum* erat *habere potestatem*. — διὰ τοῦτο, *propterea*) quia me plane non nosti. — ὁ παραδιδούς μέ σοι, *qui tradebat me tibi*) Hic erat Caiphas. Pilatus, qualicunque mentione Filii Dei audita, timuit: Caiphas, quum Jesum ex Ipso audisset Dei Filium, eum blasphemum dixit, et mortis reum judicavit.

v. 12. [2]) πᾶς, *omnis*) Non addito *enim* orationi ἀποτομίαν et vim addunt.

[3]) v. 13. ἐπὶ τοῦ βήματος, *in tribunali*) Tribunal extra praetorium erat, in Gabatha. — λεγόμενον, *dictum*) Non additur, *Graece*. nam Johannes scripsit Graece. conf. v. 17. — λιθόστρωτον, *Lithostrotum*) pavimentum vario lapidum genere stratum et quasi pictum. De lithostrotis vid. Amoen. lit. T. VII. p. 19. seqq. — γαββαθὰ, *Gabatha*) locus editus et conspicuus.

v. 14. ἦν δὲ, *erat autem*) Causa, cur et Judaei et Pilatus vellent, actionem perduci ad exitum. Parasceve proxime instabat. sic, ἦν, *erat*, cap. 5, 1. Omnis feria sexta dicitur parasceve: [*Marc.* 15, 42. *Luc.* 23, 54.; *unde* Rabbinis *tota dies, quam Sabbatum excipit*, vespera *audit*. Harm. p. 557.] et quotiescunque pascha in feriam septimam incidebat, erat parasceve paschae. [*Hoc vero loco quum* Pascha *in ipsam* feriam sextam *incideret*, Parasceve *seu* praeparatio *non* ad Pascha *fuit vel* ante Pascha, *sed* in Paschate *potius*, ad sabbatum (*ut recte vertit* Lutherus). *Sollicite Marcus et Lucas ll. cc. cavent, ne* parasceve Paschatis *intelligatur: atque ipse etiam Johannes* v. 41. 42. sabbati parasceven *diserte memorat. — Pascha modo hanc modo illam feriam occupavit: enim vero quemadmodum in exitu ex Egypto, testantibus Hebraeorum antiquissimis, Pascha in feriae sextae primordium incidit: ita, quotiescunque hanc feriam Pascha sibi vindicavit, memorabilis ea res fuit. Pascha nostrum* Christus *est: primum pascha* in Egypto, *et* Pascha passionis *Christi eam inter se convenientiam habent, quae digna fuit notari a Johanne hac ipsa phrasi. Conf. Ord. tempp.* p. 266. (*Ed. II.* p. 230.) Harm. p. 557. sqq.] — τρίτη, *tertia*) Plerique ἕκτη, *sexta*, certo errore: quem errorem esse agnoscit eruditissimus vir, *Carl Gottlob Hofmann* in Introductione Pritiana N. T. p. 370. 377. Ejusdem ubique

---

1) *Huic verborum ordini* utriusque Editionis *margo favet: sed* Vers. germ. *habet:* Zu einem Sohn Gottes. *Attamen haec ipsa ordinis mutatio subservit emphasi exprimendae, quae per textum originalem vocem* θεοῦ *potius afficit, quam vocem* υἱόν. E. B.

2) ἔκραζον, *clamabant*] Ad Pilatum introvocabant, ex dio in praetorium. v. 9. 13. *V. g.*

3) ἀντιλέγει, *contradicit*] Mundus regnum Christi sub praetextu politico identidem conatur infestare. *V. g.*

Digitized by Google

generis horas Evangelistae memorant, etiam Johannes; et hoc praecipue loco, ubi de parasceve agitur, Judaica hora innuitur. atqui non alias Judaei horas habebant appellabantve, atque eas, quarum prima mane, duodecima vesperi erat: Joh. 11, 9. unde *sexta*, *septima*, *decima* occurrit Joh. 4, 6. 52. 1, 40. *Tertia* plane hora erat, qua crucifixus est Dominus: et postea a sexta ad nonam fuere tenebrae. Marc. 15, 25. 33. *Pio et grato, Domine Jesu, agnoscimus animo, diuturnitatem temporis, quod in cruce pendens exantlavisti.* — καὶ λέγει, *et dixit*) Pilatus neque irrisit, neque credidit; sed quoquo modo Judaeos commovere conatus est.

v. 15. ἀπεκρίθησαν, *responderunt*) Et tamen Caesarem, si possent, libenter sustulissent. Jesum negant usque eo, ut omnino Christum negent. Act. 17, 7.

v. 19. ἔγραψε, *scripsit*) non curans, quid Judaeis esset placiturum. — Ἰησοῦς ὁ ναζωραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, *Jesus Nazarenus Rex Judaeorum*) Marcus expressit solum praedicatum, *rex Judaeorum:* Lucas item, praefigens, *Hic est*: Matthaeus: *Hic est Jesus rex Judaeorum.* Johannes ipsa Pilati verba exprimit: quae sine dubio eadem in tribus fuere linguis.

v. 20. πολλοὶ, *multi*) sibi in testimonium. [*Inscriptio, atque ipsa crux, quando sublata fuerit, non memoratur.* V. g.] — ὅτι, *quia*) Nam longe ivissent minus multi. — τῆς) Constr. cum ἐγγύς. — ὅπου) Refer ad τόπος.

v. 21. οἱ ἀρχιερεῖς) Sic habent *Syr. Arab. Anglosax.* non adjecto τῶν ἰουδαίων, quod in ceteris monumentis legitur. Persaepe memorantur οἱ ἀρχιερεῖς, neque unquam dicuntur οἱ ἀρχιερεῖς τῶν ἰουδαίων, et hoc loco τῶν ἰουδαίων facillime librarii ex verbis subsequentibus arripuere. Si tamen Johannes sic scripsit, notavit odium, quo *Judaeorum* pontifices a *Judaeorum* Rege abhorrebant. — ἐκεῖνος, *ille*) Jam ut remotum appellant. C. 18, 30. dixerant: οὗτος, *hic.*

v. 22. ὃ γέγραφα, *quod scripsi*) Pilatus suae auctoritati consulere cogitavit: divinae auctoritati subserviit. [*In ipso procuratore* prophetici *aliquid h. l. contigit, ut in Pontifice*, c. 11, 51. V. g.] — γέγραφα, *scripsi*) Ploce. *scripsi*, i. e. non scribam aliter.

v. 23. στρατιῶται, *milites*) quatuor. — καὶ τὸν χιτῶνα, *et tunicam*) acceperunt. — ἄραφος, *inconsutilis*) sancto corpori Salvatoris conveniens. Expende, quae Fabricius in Centifolio, p. 407., de diaeta Salvatoris collegit. Neque Is vestes unquam scidit.

v. 24. [1]) ταῦτα, *haec*) quae inter se dixerant.

v. 25. εἱστήκεισαν, *stabant*) Matrem suam Johannes, modeste, non memorat, Salomen, quae etiam adstitit. — ἡ ἀδελφὴ, *soror*) Nullus Mariae *frater* memoratur. Ipsa erat heres patris sui, et jus regni Davidici in Jesum transmittebat.

v. 26. τὸν μαθητὴν, *discipulum*) Probabile est, eminus etiam stetisse Thomam, c. 20, 25. et ceteros. — λέγει, *dicit*) Non utitur longa valedictione, mox eos iterum visurus. — ὁ υἱός σου, *filius tuus*) Ita Jesus nomine suo quasi impertito Johannem honoravit. *filius*, inquit, *tuus, cui te committas.* Jesus etiam praebuit exemplum amoris erga superstites: sed eo amore perfunctus, matrem amandavit, et cum solo Patre ad postremum egit.

v. 27. ἡ μήτηρ σου, *mater tua*) et naturali et spirituali necessitudinis aetatisque gradu; cujus curam mei vice geras. Hoc consequens, amor ex brevi sermone Jesu facile deduxit. Satis jam penetrarat gladius animam Mariae: nunc cavetur, ne audiat et videat severissima, tenebras, derelictionem, mortem. — ἔλαβεν, *accepit*) Fortasse non ausus erat, nisi jussus. — εἰς τὰ ἴδια, *in sua*)

---

1) λάχωμεν, *sorte experiemur*] Rarus eventus, neque tamen non praedictus. *V. g.*

Digitized by Google

domum. Magna fides Mariae, cruci Filii adstare; magnum obsequium, ante mortem ejus abire. [*Illico certe discipulus indicia dedit, morem se praebiturum esse voluntati Jesu, ac deinceps matrem ejus in sua recepit; sive eâ ipsa id horâ ante mortem Domini et lateris percussionem (quo pacto Johannem ad crucem rediisse oportet,* v. 35.) sive *postea demum factum sit. Hierosolymis igitur domicilium Johanni fuit, in quo temporibus insequentibus commorata est Mater Jesu.* V. g.]

v. 28. μετὰ τοῦτο, *post hoc*) *post hoc* unum proxime praecedens. [*post* partitionem vestium, *quâ scriptura proxime a Johanne citata complementum nacta fuit.* V. g.] [1] τοῦτο diff. a ταῦτα c. 11, 11. Illud nunquam sumitur adverbialiter. — εἰδὼς, *sciens*) Etiam fideles agonizantes sentire possunt exitum propinquum. — πάντα, *omnia*) v. gr. quae v. 24. extant, de rebus etiam minoribus. — τετέλεσται, ἵνα τελειωθῇ) Verbum τελέω convenit rebus: τελειόω Scripturae sacrae. Verbum διψῶ *sitio* et verbum τετέλεσται, *consummatum est*, arcte connexa sunt. Sitis fuerat in corpore Jesu, quod derelictio in anima. In itinere pedestri habuerat lassitudinem, in navigatione, somnum; in deserto pridem, famem; nunc postremo in cruce sitim summam et torrentissimam, post sudorem, itiones, sermones, flagella, clavos. Inter illa omnia non dixerat, *dolet*: nam dolores, in Scriptura praedictos, res ipsa loquebatur: sitim, in quam omnia confluunt, ac desinunt, loquitur, potum petens. nam et sitim et potum Scriptura praedixerat. Solet et maxime sentiri sitis et demum restingui, cum labor exantlatus est. ἵνα *ut* potest necti cum λέγει, *dicit*.

v. 29. ὑσσώπῳ) *Hyssopus* in illis climatibus nostrate major apte tenebat ramusculis suis spongiam aceti plenam. — περιθέντες, *circumponentes*) scil. spongiam.

v. 30. τετέλεσται, *consummatum est*) Hoc verbum in corde Jesu erat versu 28. nunc ore profertur. [— *et profertur quidem* ante mortem, *quae tamen ipsa eorum, quae* consummanda *erant, praecipuum sane caput fuit. Scilicet labor erat peractus: vaticinia, ne potu quidem excluso, erant completa, atque eo nunc res omnes tendebat, ut per mortem spiritum suum in manus Patris traderet. Verissime igitur praeterita cum certissime et proxime futuris uno laeto verbo complexus est.* Harm. p. 574.] — κλίνας, *inclinans*) praesenti animo. — παρέδωκε, *tradidit*) Quod *traditur*, permanet.

v. 31. ἐν τῷ σαββάτῳ, *in sabbato*) Ratio haec specialis includit generalem illam, de qua Deut. 21, 23. — γὰρ, *enim*) Causa, cur parasceve juberet maturare. — μεγάλη, *magna*) concurrente sabbato et festo: adde, quod accedebat Quies Domini in sepulcro. — ἐκείνου) Hoc commodius est, quam ἐκείνη. [2] Nam praecedit vocabulum σαββάτῳ, et ad id refertur. — κατεαγῶσιν, *frange-*

---

1) *Alia paullulum conjectura est, quam his fere verbis exhibet* Harm. p. 569.: Videtur phrasis μετὰ τοῦτο universum potius *crucifixionis actum*, quam *alloquium* ad matrem et discipulum v. 26. 27. memoratum, ut *immediate praecedens*, respicere. Johannes enim Mariâ in domicilium suum deductâ, ad crucem rediit, v. 35. unde colligere licet, eam non solum *ante tenebras* ex dio domui illatam esse, sed *post primum* etiam Jesu crucifixi verbum, ad *Patrem* directum, *secundum* illico *matrem* spectasse, sub cruce observatam. *Ponderet aequus Lector, quibus rationibus ea, quae* Gnomon *de horum eventuum ordine habuit, cum iis, quae tum ex* Harm. ev. *tum ex.* Vers. germ. *nunc apposuimus, conciliari optime queant.* E. B.

2) *Attamen* ἐκείνη *praefert margo* Ed. 2.; Versione germ. *judicium* Gnomonis *sequente.* — *Vicissim*, Harm. ev. p. 579. s. *primas dat lectioni* ἐκείνη, *haec porro subjungens:* „Johannes universe tales lectores in animo habet, qui non sunt Judaei, sed instructione de rebus „judaicis egent, c. 2, 13. 4, 9. 5, 1. 6, 4. 7, 2. 11, 55. 19, 40. 42. Hac de causa generatim „hic *Sabbati*, quaevis reliqua festa (Deut. 23, 3.) superantis, magnitudinem notat: quanquam „*ille* Sabbati *dies* nonnihil singulare habuit, quod et azymorum dies ingrederetur, et septem „Sabbatorum, Pascha et Pentecosten dirimentium, primus esset, et ob manipulum postridie „offerendum studio plus quam vulgari observaretur.“ E. B.

Digitized by Google

renfur) Augmento locum hic esse negat Thomas Magister, et legit κατεάγωσιν, instar τετύφωσιν, ex κατέαγα. In verbo καταγῆναι. Atqui etiam ἀνεῳχθῆναι dicitur Luc. 3, 21., a extra indicativum manente etiam in aoristo. Crurifragium clava olim peractum, ut hodie rota. — ἀρθῶσιν, *tollerentur*) *corpora.*

v. 32. τοῦ πρώτου καὶ τοῦ ἄλλου, *primi et alterius*) Etiam conversis saepe restant dolores, et par cum impiis miseria corporis externa. ἄλλος *alius* dicitur, non *secundus:* ex quo colligi posse videtur, *primum,* qui celerius a doloribus sit liberatus, conversum illum dici.

v. 33. τὸν ἰησοῦν, *Jesum*) cui destinatum crurifragium distulerant, diuturnioris doloris causa. — ὡς εἶδον, *ut viderunt*) improviso. Itaque hi milites, rebus suis occupati, non observarant mortem Jesu.

v. 34. λόγχῃ, *lancea*) quae non tangeret ossa. Vulnus tamen fuit patulum, non modo digiti, sed manus capax, c. 20, 27., ac plane letale, si viventi cuipiam infligeretur. — πλευράν, *latus*) sinistrum fortasse, coll. Ps. 91, 7. — εὐθέως ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ, *continuo exire sanguis et aqua*) Quod sanguis exiit, mirum: quod etiam aqua, magis mirum: quod utrumque statim, uno tempore, et tamen distincte, maxime mirum. Ex qua corporis regione, ex thorace an ex corde etc. exierit, quis definiet? Aqua erat pura et vera, perinde ut sanguis purus et verus: et post sanguinem aqua fluxisse dicitur, ut Salvator se totum effudisse agnosceretur. Ps. 22, 15. Verbum ἐξῆλθεν verti potest *exivit,* vel, *exierunt.* Et veritatem et magnitudinem miraculi et mysterii ostendit asseveratio Spectatoris ejusdemque Testis. Conf. 1 Joh. 5, 6. 8. not.

v. 35. ὁ ἑωρακὼς, *qui vidit*) Johannes, ut apostolus. — μεμαρτύρηκε, *testatus est*) Johannes, ut evangelista. *Vidit,* dum factum est. itaque, postquam matrem Jesu celeriter in sua receperat, Johannes ad crucem redierat, fructum insignis hujus spectaculi reportans. — καὶ, *et*) adeoque. — ἀληθινὴ, *rerum*) irrefragabile apud omnes. — κἀκεῖνος, *et ille*) Is qui vidit, scit se vera dicere. — οἶδεν, *scit*) certus, in spiritu quoque, non modo in sensu. — λέγει, *dicit*) ore, literis. c. 21, 24. — ἵνα, *ut*) Finis affirmationis magnae. ἵνα, *ut,* pendet a *testatus est.* — ὑμεῖς) *vos*, quibus hic liber legitur. c. 20, 31. — πιστεύσητε, *credatis*) non solum, haec vera esse; sed, Jesum esse Christum. Correlata, *testatus, verum*: et *scit, credatis. Scit, se verum dicere,* et profitetur, se verum dicere, ut *etiam vos credatis.*

v. 36. ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ, *os non confringetur ejus*) Pro αὐτοῦ, ἀπ᾽ αὐτοῦ habent cod. aliqui Graeci, ex LXX, nescio an etiam versiones. αὐτοῦ convenit magis rei ipsi apud Johannem, imo etiam בו Hebraico apud Mosen, LXX, Ex. 12, 46., καὶ ὀστοῦν οὐ συντρίψετε ἀπ᾽ αὐτοῦ· Num. 9, 12., καὶ ὀστοῦν οὐ συντρίψουσιν (Alex. οὐ συντρίψεται) ἀπ᾽ αὐτοῦ. At etiam Psalm. 34 (33), 21., ἓν ἐξ αὐτῶν (τῶν ὀστέων) οὐ συντριβήσεται. Cum Mose congruit Johannes, quod ὀστοῦν singulari numero ponit: cum Psalmo, quod καὶ particulam praetermittit, non praetermissurus, si Mosaicum ועצם respiceret, coll. c. 6, 45. καὶ ἔσονται, et quod οὐ συντριβήσεται dicit. Itaque Psalmus Mosen, Johannes Psalmum, nec non Mosen respicit. Pascha erat typus, 1 Cor. 5, 7., et typus passione Christi est impletus. Ossa Jesu Christi non sunt perpessa comminutionem; nec caro corruptionem. Dirissimum suppliciorum, crux: et tamen quodvis aliud corpori mox resuscitando minus aptum fuisset.

v. 37. ὄψονται, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, *videbunt in illum, quem pupugerunt*) εἰς construitur cum ὄψονται. Zach. 12, 10. LXX, καὶ ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ᾽ ὧν κατωρχήσαντο. דקר pro דקר legerunt, quanquam id negat Lampius. *Punctio* facta est in cruce: *risus*, vel cum luctu poenitentiali, vel cum terrore conjunctus, aliis temporibus fiet. *Punctionis* ergo causa hoc allegat Johannes.

v. 38. μετὰ δὲ ταῦτα, *post haec autem)* Nil tumultuarie factum. — κε-

Digitized by Google

κρυμμένος, *occultus*) Sic LXX, Ez. 12, 6. 7. 12. κεκρυμμένος. Non mansit *occultus* aut Joseph aut Nicodemus. v. 39.

[1]) v. 41. ἐν τῷ τόπῳ, *in loco*) Crux ipsa non fuit in horto.

CAPUT XX.

v. 1. Εἰς τὸ μνημεῖον) *ad sepulcrum.* — τὸν λίθον, *lapidem*) ex more advolutum. c. 11, 38.

v. 2. καὶ πρὸς, *et ad*) Ex praepositione repetita colligi potest, non una fuisse utrumque discipulum. Una tamen exierunt, postquam alterum alter investigaverat. Non dicitur etiam matri Jesu nunciasse Maria Magdalena. Domi illa se tenuit. — ἐφίλει, *diligebat*) Ceteris locis, ἠγάπα, *amabat*. conf. not. ad c. 21, 15. — τὸν κύριον, *Dominum*) Retinet illa magnam existimationem de Jesu v. 13. — οὐκ οἴδαμεν, *non novimus*) Loquitur etiam ceterarum mulierum, vel discipulorum nomine, quos sciebat, eadem de re laborare. [*Suspicabatur forsan Josephum corpus Jesu nonnisi ad tempus in sepulcro suo reposuisse, dum alium locum exquireret.* V. g.]

v. 3. ἐξῆλθεν, *exiit*) ex urbe.

v. 4. προέδραμε, *praecurrit*) Suaviter hîc animadverti possunt fidei in Petro et amoris in Johanne characteres spirituales. — τάχιον, *celerius*) Johannem natu minorem decebat major celeritas; Petrum, natu majorem, major gravitas. Neuter alterius, uterque ipsius rei rationem habet.

v. 5. οὐ μέντοι εἰσῆλθεν, *non tamen introivit*) Ideoque non vidit *sudarium* etc. Videtur timore fuisse retentus.

v. 6. τὰ ὀθόνια κείμενα, *lintea jacentia*) Κείμενα, *jacentia*, praeponitur v. 5. τὰ ὀθόνια, *lintea*, praeponitur h. l. in antitheto ad *sudarium*. Idem participium, ter positum, significat, non fuisse ea tumultuarie et festinanter projecta. Angeli sine dubio ministrarunt resurgenti, eorumque alter *lintea*, alter *sudarium* composuit. conf. v. 12. Credibile est enim, angelos jam adfuisse, quamvis Petrus et Johannes non viderint. conf. Matth. 28, 2.

v. 8. εἶδε καὶ ἐπίστευσεν, *vidit et credidit*) *Vidit*, non adesse corpus Jesu, *et credidit*, id fuisse translatum, ut dixerat Maria Magdalena. v. 2. Conf. v. seq.

v. 10. ἀπῆλθον) *abierunt*: quasi nil jam superesset in hac re agendum. — πάλιν, *iterum*) ut antea. conf. cap. 16, 32. Matth. 26, 56. — πρὸς ἑαυτούς, *ad se ipsos*) domum. v. 2. conf. *Wolfii* Curas ad h. l. — οἱ μαθηταὶ, *discipuli*) Petrus et Johannes, ceteris nuncium allaturi.

v. 11. εἱστήκει, *steterat*) majore perseverantia. — πρὸς τῷ) Dativus. v. 12. — ἔξω, *foris*) Id denotat profundum pietatis affectum. nam alias flentes solitudine, cum possunt, utuntur.

v. 12. καθεζομένους, *sedentes*) quasi opera quapiam perfunctos, et exspectantes aliquem, quem docerent.

v. 13. γύναι, *mulier*) Quasi ignotam honorifice alloquuntur. sic v. 15., γύναι, *mulier*; κύριε, *Domine*: coll. v. 16., μαρία, *Maria*. — τί κλαίεις; *quid fles?*) Flendum potius fuisset, si mortuum invenisset.

v. 14. εἰποῦσα ἐστράφη, *locuta vertit se*) Non attendit, quis quid in sepulcro loqueretur. Jesum quaerit.

v. 15. ὁ κηπουρὸς) Articulus indicat, magnum fuisse hortum, qui non posset esse sine *hortulano*. — κύριε, *domine*) Quum sic olitorem appellat, ipsa tenui conditione fuisse videtur. — αὐτὸν, *illum*) Putat, hortulano statim con-

---

1) V. 39. καὶ νικόδημος, *et Nicodemus*] Cujus fides sex jam antehac mensium intervallo aliqua confessione (c. 7, 50.) sese exseruerat; jam vero egregio prorsus opere manifestatur. *Harm.* p. 581.

Digitized by Google

stare, quem velit. — ἀρῶ, *tollam*) ex horto. Parata est novum sepulcrum quaerere.

v. 16. λέγει, *dicit*) vultu et accentu solito. [*quam vocem quanta suavitate piam animam perfudisse existimes!* V. g.] — ἐκείνη, *illa*) statim credens.

v. 17. μή μου ἅπτου, *ne me tetigeris*) Id illa facere volebat adorabunda: sed Jesus prohibet. nam 1) tangere non opus erat, cum illa jam crederet. 2) instabat, cum ascensione, conditio fidei sublimioris, nullum tactum quaerentis. 3) sine mora nunciandum erat discipulis. conf. Luc. 10, 4. — οὔπω, *nondum*) Hac particula indicat Dominus, proxime instare ascensionem, et discipulos debere maturare. Se enim illorum causa morari, cum statim ascendere posset. — γὰρ, *enim*) Aetiologia: ne tangito; *nam* celeriter debes abire nunciatum. postea tu, et ii, quibus nunciaveris, poteritis et videre me et tangere. — δὲ, *vero*) Antitheton: *nondum ascendi; ascendo.* — ἀδελφούς μου, *fratres meos*) Vid. ad Matth. 25, 40. [*Alia ratio est sermonis Matth.* 12, 50. V. g.] Fratres appellat; nam Pater ipsius est idem Pater eorum: fratrumque appellatione animum erga eos, qui per fugam et abnegationem indigni erant facti omni gradu pristino, propitium significat, omnemque resurrectionis fructum eis offert: mox etiam *missionem* renovaturus, imo amplificaturus. v. 21. — ἀναβαίνω, *ascendo*) Plus ultra! Non dicit: *resurrexi*; neque, *ascendam*: sed, *ascendo.* Hoc jam censetur *praesens* ascensionis tempus. Luc. 9, 51. not. Ita cum ascensione statim nectitur mentio adventus gloriosi. Vid. Act. 1, 11., ubi semel dicitur, *veniet*; deinde semper *venit*, in praesenti. Hinc discipuli ipsi erant collecturi, festinandum sibi esse, ut Jesum viderent. Hanc ascensionem, ut instantem, saepe dixerat sub verbo ὑπάγω, *abeo.* — πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ θεόν μου καὶ θεὸν ὑμῶν, *ad Patrem meum et Patrem vestrum, et Deum meum et Deum vestrum*) Christus Deum appellavit *Deum suum*, ter: in cruce, Matth. 27, 46., post resurrectionem, h. l. et in Apocalypsi, c. 2, 7. not. Alias *Patrem suum* appellare solet. Utramque appellationem hoc *primum* loco conjungit: *Patrem* appellat, quatenus habet ex eo Ortum; *Deum*, (nunquam, *Dominum suum*,) quatenus eum habet pro Fine suo: et ostendit, se omnimodam necessitudinem habere cum Deo. Similem autem necessitudinem cum Patre et Deo largitur fratribus. nec tamen dicit, *nostrum*: sed *meum et vestrum.* Nos per Illum: Ille, singularissime et primo. Hic quoque valet illud: Deus (Paterque) viventium, non mortuorum. conf. c. 14, 19.

v. 19. [1]) διὰ, *propter*) Ratio, cur discipuli essent congregati, et januae clausae. — ἦλθεν, *venit*) discipulis non cogitantibus, nedum aperientibus. — εἰρήνη ὑμῖν, *pax vobis*) Opportunissima salutatio, qua timor culpae per fugam contractae pellebatur, et scandalum sanabatur. Usitata formula, singulari virtute. [*Ter eadem formula repetitur*, v. 19. 21. 26. *Eximia dona paschalia: Pax: missio: Spiritus sanctus: remissio peccatorum.* — *Abiturus* pacem *eis reliquerat et dederat*, c. 14, 27. 16, 33. *Jam* pacem *eis affert.* V. g.]

v. 20. ἔδειξεν, *ostendit*) confestim. — ἐχάρησαν, *gavisi sunt*) Subtilitatem habet stilus Johannis. Nam gaudium erat magnum. — ἰδόντες, *videntes*) v. 18. — τὸν κύριον, *Dominum*) et quidem redivivum.

v. 21. πάλιν, *iterum*) Vim prioris salutationis nondum plane ceperant. ideo iteratur, atque adeo cumulatur. — εἰρήνη, *pax*) Fundamentum *missionis* ministrorum evangelii. 2 Cor. 4, 1. — καθὼς, *sicut*) Patris apostolus, Christus: Hebr. 3, 1. Christi, Petrus et reliqui. Non disserit multa de sua resurrectione; sed evidentiam ejus praesupponit, et ulteriora dat mandata. — ἀπέσταλκα· πέμπω)

---

1) τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, *prima sabbatorum*] Non sabbatum fuit, sed resurrectionis dies, feria prima. *V. g.*

Digitized by Google

Differunt duo verba: in ἀποστέλλω spectatur voluntas mittentis et missi; in πέμπω, voluntas mittentis, praescindendo a voluntate missi. — πέμπω, *mitto*) Et hoc, et antecedentia et consequentia, parallela sunt cum Jes. 61, 1.

v. 22. καὶ) *et* confestim. — ἐνεφύσησε, *afflavit*) novo vitae vigore. Remotius hoc erat, quam osculum, et tamen valde efficax. Post resurrectionem non tetigit mortales, quamvis contrectandum se permisit suis. Sic Ez. 37, 9., ἐλθὲ τὸ πνεῦμα, καὶ ἐμφύσησον εἰς τοὺς νεκροὺς τούτους, καὶ ζησάτωσαν. — καὶ λέγει, *et dicit*) Sicut ex ore meo, inquit, accipitis afflatum, sic ex mea plenitudine accipite Spiritum. [*quem antehac habuerant quidem: sed postea largiori mensura acceperunt. Afflatus h. l.* medius *est inter istas exhibitiones.* V. g.] — πνεῦμα ἅγιον, *Spiritum sanctum*) quo duce legationem vestram geratis. Act. 13, 9. Arrha Pentecostes.

v. 23. ἄν τινων) *si quorumdam.* — ἀφῆτε· κρατῆτε, *remittatis: retineatis*) Vid. not. ad Matth. 16, 19. — ἀφίενται — κεκράτηνται, *remittuntur — retenta sunt*) Illud, praesens; hoc, praeteritum. Mundus EST sub peccato conf. c. 3, 18. 36. 15, 6. Tam latam potestatem nemo unquam propheta in V. T. accepit, quam apostoli hoc loco. [*Hi scilicet ob profundam animorum explorationem atque eximiam virtutis mensuram, accedentibus praeterea manifestis iisque sensus ferientibus miraculis, modo plane singulari vel* remittere *poterant vel* retinere. *Neque tamen ejusmodi potestas non* omnibus *competit, qui* Spiritu sancto instructi sunt, *sive publico verbi ministerio fungantur sive minus. Imo vero,* Evangelii verbum *iis, qui Spiritui sancto locum concedunt, in remissionem peccatorum cedere potest, etiamsi non fiat mediantibus* ministris. *Parallela sunt huic loco* Marc. 16, 16. Luc. 24, 47. V. g.]

v. 24. ὁ λεγόμενος, *dictus*) Formula interpretandi, par illi, ὃ λέγεται, *quod dicitur.* v. 16. Inter Graecos magis innotuit Thomas nomine Graeco. — οὐκ ἦν μετ' αὐτῶν, *non fuerat cum eis*) quia fortasse remotius habuerat domicilium, et sero de resurrectione audierat. Postea tamen particeps factus est doni, quod v. 21—23. memoratur. Nam Spiritum nec tempus excludit, nec locus. Num. 11, 26.

v. 25. ἔλεγον, *dicebant*) Paullo post venisse videtur. — ἑωράκαμεν, *vidimus*) Sine dubio locuti sunt etiam de manibus et latere. — ἐὰν μὴ, *si non*) Professa incredulitas. Et videre postulat et tangere; utroque sensuum genere. [*Reliquis certe discipulis* (*coll.* v. 20.) *recusat esse inferior.* V. g.] neque dicit: si videro, credam; sed solummodo: nisi videro, non credam. Neque existimat, se visurum esse; etiamsi ceteri se vidisse dicant. Sine dubio visus est sibi valde judiciose sentire et loqui; sed incredulitas, dum aliis judicii defectum tribuit, ipsa saepe duritiem et in ea tarditatem alit ac prodit. Marc. 16, 14. Luc. 24, 25. — ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, *in manibus ejus*) Utitur verbis discipulorum. v. 20.

v. 26. μεθ' ἡμέρας ὀκτὼ, *post dies octo*) iterum feria prima. Interjectis ergo diebus nulla fuerat apparitio. [*Tu vero quot octidua, ne octennia dicam, incredulitatem fovisti?* V. g.] — τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *januis clausis*) Nondum plane desierant timere. — εἰρήνη, *pax*) tertium. v. 19. 21.

v. 27. τῷ θωμᾷ, *Thomae*) Antea crediderat: ideo ne nunc quidem abjicitur. — φέρε, *fer*) admove. — τὸν δάκτυλόν σου, *digitum tuum*) Thomae regeruntur verba sua. quam putes illum admiratum esse omniscientiam et bonitatem Salvatoris. Si Pharisaeus ita dixisset: *nisi videro* etc. nil impetrasset: sed discipulo pridem probato nil non datur. — ὧδε, *huc*) Demonstrativum. — ἴδε) tange et *vide*. Thomas dixerat: ἐὰν μὴ ἴδω, *si non videro.* — πιστὸς, *credens*) Dixerat, *Non credam.*

v. 28. αὐτῷ, *ei*) Itaque Jesum appellavit *Dominum et Deum*, et quidem

d by Google

suum: congruenter sermoni illi, qui extat v. 17. neque haec verba meram exclamationem faciunt. Discipuli dixerant, τὸν κύριον, *Dominum:* nunc Thomas, ad fidem revocatus, Jesum non modo Dominum, ut antea agnorat ipse, et resuscitatum, ut condiscipuli affirmabant, agnoscit; sed etiam deitatem ejus altius, quam quisquam adhuc, confitetur. Est autem sermo per affectum subitum abruptus, hoc sensu: Domine mi et Deus mi, credo et agnosco, te esse Dominum meum et Deum meum: habetque appellatio absoluta vim enunciationis. Similis vocandi casus bis extat v. 16., item Hos. 2. fin. Artemonius Part. 1. cap. 24. coll. praef. p. 20. et pag. d. 2., novam explicationem affert, qua Thomas *Dominum*, Jesum; et *Deum*, Patrem in eo inseparabiliter existentem appellaverit: sed sic Thomas non utrumque *ei*, Jesu; sed alterum Jesu, alterum Patri dixisset, per repentinam, admirationi Thomae minime respondentem, apostrophen. Si haec fuisset Thomae mens, Johannes non adjecisset, αὐτῷ, *ei*. Thomas antea non expresse denegarat fidem Deo Patri, sed Christo: ergo nunc non patri, sed Christo iterum credit expresse. [*Approbatur haec confessio versu seq.* V. g.]

v. 29. ἑώρακας, *vidisti*) et tetigisti. — πεπίστευκας, *credidisti*) fidem adhibes. — μακάριοι, *beati*) Non negatur beatitudo Thomae, sed rara et lauta praedicatur sors eorum, qui citra visum credunt. nam etiam ceteri apostoli, cum vidissent, demum credidere. [*Vix dubium est, quin Apostoli multitudinem fidelium, qui Jesum non viderant, majoris fecerint quam seipsos.* V. g.]

v. 30. πολλὰ, *multa*) c. 2, 23. 3, 2. 6, 2. 7, 31. — ἐποίησεν, *fecit*) ante passionem, et post resurrectionem. nam additur, *coram discipulis suis*. Discipuli viderunt signa praeter alios, ante passionem; [*ita tamen, ut discipulorum quilibet omnium fere signorum spectator, adeoque testis legitimus fuerit.* V. g.] soli, post resurrectionem. de utrisque agitur in hoc libro; sed proxima praecipue spectat hoc symperasma, quod commode, sub mentionem fidei Thomae, fidem omnibus tanquam scopum libri commendat. — τούτῳ, *hoc*) Johannis. adde, etiam ceterorum evangelistarum.

v. 31. ἵνα, *ut*) Scopus evangelii. Haec sane, quae scripta sunt, adjunctis etiam iis, quae Matthaeus, Marcus, Lucas scripsere, gloriam Christi copiose demonstrant. Videatur Synopsis miraculorum omniscientiae et omnipotentiae Jesu Christi, in *Harmonia evangelica* p. 381. 383. (ed. II. p. 605. 609.) [1])

---

1) *Duplicem hanc* Synopsin, *pro more hactenus a nobis observato, in gratiam lectorum quorundam h. l. subjicere animus est. Omniscientiae argumenta reservamus ad c.* 21, 17. *Omnipotentiae* documenta edidit, quum aquam in vinum convertit Joh. 2, 6. ss.: | templum purgavit, c. 2, 13. ss. Marc. 11, 15. ss.: | febrim depulit, c. 4, 47. coll. 52. Matth. 8, 14. s.: | leprosum (Matth. 8, 2. s.) quin decem simul leprosos mundavit, Luc. 17, 12. ss.: | paralyticos sanavit, Matth. 8, 5. ss. 9, 2. ss.: | daemonia refrenavit et ejecit, Marc. 1, 23. s. Matth. 8, 28. s. 9, 32. s. 12, 22. 15, 22. ss. Marc. 9, 17. ss. Luc. 11, 14.: | morbis diuturnis annorum 12, 18, 38. medelam attulit. Matth. 9, 20. ss. Luc. 13, 11. ss. Joh. 5, 5. ss.: | coecos (Matth. 9, 27. s. Marc. 8, 22. s. Matth. 20, 30. s.), quin et natum coecum (Joh. 9, 1. ss.) visu donavit: | manum aridam restituit, Matth. 12, 10. s.: | vento et mari (Matth. 8, 26. Marc. 6, 51.), nec non piscibus imperavit, Luc. 5, 4. s. Matth. 17, 27. Joh. 21, 6.: | virorum modo quinqnies modo quater millia pauculis panibus saturavit, Matth. 14, 18—21. 15, 34—38.: | mortuos suscitavit, Matth. 9, 18. ss. Luc. 7, 11. ss. Joh. 11, 1. ss. | discipulis etiam potestatem dedit miracula edendi, Matth. 10, 1. 14, 28. s. Luc. 10, 9. 17. 19. Marc. 16, 20. His accedit ficûs exsecratio, Matth. 21, 18.: | efficacia verbi, *Ego sum*, *missos hos facite*, Joh. 18, 4. ss.: | sanatio Malchi, Luc. 22, 51.: | convivium miraculosum, Joh. 21, 9. Saepius aegrotorum *turbae* sanatae sunt, Matth. 4, 23. Luc. 5, 17. Matth. 9, 35. 12, 15. Marc. 6, 5. Matth. 14, 14. Marc. 6, 54. ss. Matth. 15, 30. 19, 2. 21, 14.; daemoniaci praecipue, Matth. 4, 24. s. 8, 16. Marc. 1, 39. Luc. 7, 21. 8, 2. Generatim etiam statim sub initium signa *multa* memorantur, Joh. 2, 23. In *Ipso* Salvatore prorsus mirabilia sunt: jejunium, Matth. 4, 2.; | evasio ex hostium manibus, Luc. 4, 29. 30. Joh. 8, 59.: | ambulatio in mari, Matth. 14, 25.: | transformatio in monte, Matth. 17, 1. ss.: | mors, resurrectio, apparitiones, ascensio, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joh. 19. cum seqq. *Jesus est Christus, DEI Filius. Harm. l. c.*

Digitized by Google

CAPUT XXI.

v. 1. Μετὰ ταῦτα, *post haec*) plus octo diebus, ut videtur, interjectis. nam non jam exspectarant *manifestationem*. v. 4. Exemplo probat Johannes, plura signa in promtu esse. c. 20, 30. [*Appendix quasi libri est hoc caput*. V. g.] — ἐφανέρωσεν ἑαυτόν, *manifestavit se ipsum*) Id grandius sonat, quam ἐφάνη, *apparuit*. — ἐπὶ τῆς θαλάσσης, *ad mare*) sic tamen, ut ipse non intraret mare, post resurrectionem. conf. Ap. 21, 1.

v. 2. ὁμοῦ, *simul*) uno loco, domi, septem. — θωμᾶς, *Thomas*) jam eo minus absens, eoque magis confirmandus et confirmatus. — ναθαναὴλ, *Nathanaël*) c. 1, 46. not. — οἱ τοῦ ζεβεδαίου, *filii Zebedaei*) Johannes scripsit hunc librum: nam alius scriptor illum cum fratre statim post Petrum nominasset. Praesupponitque, ut rem ex ceteris evangelistis notam, qui fuerint filii Zebedaei, quisve Zebedaeus. — ἐκ τῶν μαθητῶν, *ex discipulis*) apostolis aliisve.

v. 3. ὑπάγω ἁλιεύειν, *eo piscatum*) necessitatis, non lucri, causa. v. 5. illustre exemplum αὐτουργίας, operis, manu peracti, salva gravitate apostolica. — καὶ ἡμεῖς, *nos quoque*) Jam non tantopere timebant. — εἰς τὸ πλοῖον, *in navem*) quae *naricula* dicitur. v. 8.

v. 4. πρωΐας, *mane*) cum satis diu laborassent.

v. 5. παιδία, *filioli*) Nomen aetatis. Appellat quasi ignotus, amanter, e sublimi, ut Sapientia *aeterna*. — προσφάγιον, *opsonium*) v. gr. piscem. — οὔ, *non*) Ars sibi non constat: sed v. 6. divina benedictio sibi constat.

v. 6. δεξιὰ, *dextra*) Certissimus jussus. Eo pisces coëgit virtus Domini. — ἑλκύσαι) Majorem vim innuit verbum σύρειν v. 8.

v. 7. λέγει, *dicit*) Vita quieta citius observat res divinas, quam activa: et haec tamen occasionem praebet, nec fructu excidit apud sanctos. — ἐπενδύτην) Suidas, ἐπενδύτης, τὸ ἐσώτατον ἱμάτιον. Sed LXX מעיל vertunt ἐπενδύτην. — διεζώσατο, *accinxit se*) Reveritus est Petrus praesentiam Domini, cum condiscipulis familiarius versatus antea. — γυμνὸς) Exuerat τὸν ἐπενδύτην. — ἔβαλεν ἑαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν, *jecit se in mare*) citius nando, quam navi, perventurus ad Dominum. conf. Matth. 14, 28. Per ignes et undas trahit amor Jesu.

v. 8. γὰρ, *enim*) Celeriter hi quoque venire poterant. — τὸ δίκτυον, *rete*) a Petro relictum.

v. 9. βλέπουσιν, *vident*) de improviso. Miraculum. — ὀψάριον, *piscículum*) unum. — ἄρτον, *panem*) unum. v. 13. Jesus discipulos convivio excepit: et cibo, quem unus edere conviva posset, satiavit omnes.

v. 10. ἐνέγκατε, *ferte*) Ita cernebant discipuli, piscem illum tam verum esse piscem, quam ceteros. — ἀπὸ, *de*) Reliquam copiam licuit asservare. — ἐπιάσατε, *cepistis*) Domino dante ceperant: et tamen illos cepisse, comiter dicit. — νῦν, *nunc*) Demonstrativum, ut attenderent. Antitheton v. 3. fin.

v. 11. ἰχθύων μεγάλων, *piscium magnorum*) quos *piscículos* modo appellarat magnus Dominus v. 10. Ita habebant victum, usque ad iter in Judaeam. — ἑκατὸν πεντήκοντα τριῶν, *CLIII*) Mirabile est, sic prae Luc. 5, 6. hoc loco exprimi numerum ipsum (cujus ratio tum discipulos magis afficere potuit) quamvis tam propinquus esset numerus valde rotundus *CL.* cui ὡς *quasi* etiam addi potuisset, uti v. 8. Numerus CLIII est memorabilis. Hieronymus in Ezech. 47. *Ajunt, qui de animantium scripsere naturis et proprietate, qui* ἁλιευτικὰ *tam latino, quam graeco didicere sermone, de quibus Oppianus Cilix est poëta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quae omnia capta sunt ab apostolis, et nihil remansit incaptum, dum et nobiles et ignobiles, divites et pauperes, et omne genus hominum de mari hujus seculi extrahitur ad salutem.* conf. Matth. 13, 47., *ex omni genere.* — οὐκ ἐσχίσθη, *non est scissum*) Nova circumstantia miraculosa.

Digitized by Google

v. 12. δεῦτε, *venite*) Dominus discipulos convivio accipit. In v. 9. est praeparatio ad prandium. — ἀριστήσατε, *prandete*) vos. Jesus non necessum habebat edere. Ex mentione *prandii*, coll. v. 4., *mane*, patet, *manifestationem* durasse multas horas. — οὐδείς, *nemo*) Magna gravitas hujus convivii. — εἰδότες, *scientes*) Syllepsis.

v. 14. τρίτον, *tertium*) Sermo est de apparitionibus solennioribus, hic commemoratis, quae *discipulis* obtigere conjunctim. [*Videlicet jam* c. 20, 14. 19. 26. tres *Salvatoris apparitiones commemoraverat Johannes, si ea, quae* Mariae Magdalenae *obtigit, in computum veniat. Hoc vero* c. 21. *quum aliqua de Petro et Johanne appendicis loco subjungere consultum duceret; unam quoque apparitionem addit, ut earum, quae* apostolorum compluribus *contigere,* tres *omnino in hoc libro extarent.* Harm. p. 609.] Thomas quoque bis interfuit.

v. 15. ὅτε, *cum*) Inter comedendum plus fuerat silentii. Silentium, ineunte convivio, non solum civilitatis est, sed etiam modestiae et temperantiae convenit. — ὁ ἰησοῦς) Omittit hoc *Byz.* et *Lat.* olim, ut ex *Augustino* patet. Neque habebat cod. *Reutlingensis* manu prima. — ἀγαπᾷς με, *amas me*) Ter interrogat Dominus, *Amas me plus his? amas me?* φιλεῖς, *diligis me?* Ter respondet Petrus, *diligo te.* ἀγαπᾷν, *amare*, est necessitudinis et affectus: φιλεῖν, *diligere*, judicii. Alii hoc faciunt discrimen, ut ἀγαπᾷν, sit simpliciter amare, φιλεῖν ita, ut aliquem osculari gestiamus: et firmat hoc discrimen *Eustathius*; sed Petrus ad quaestionem Domini ἀγαπᾷς με non videtur ἐμφατικώτερον responsurus fuisse φιλῶ. Ubi non expressa differentia, alterum altero connotatur. Jesus, constituta fide, de amore nunc interrogat: et hic *Pastoris* character est. Ab hac amoris conditione pendent, quae v. 15. seqq. et v. 18. s. memorantur. — πλεῖον τούτων) *magis, quam hi*, condiscipuli tui. Sic οὗτος *hic*, v. 21. Antea Petrus se *plus his* praestiturum dixerat, Matth. 26, 33. nunc autem simpliciter dicit, *amo te*; non addit, *plus his.* Prae ceteris tamen se modo ostenderat Domini cupidissimum, versu 7. — σὺ οἶδας, *tu scis*) Contrarium documentum ediderat Petrus per nuperam abnegationem: nunc argumenti loco adhibet provocationem ad scientiam et omniscientiam Jesu. — βόσκε, *pasce*) Illud *plus his* indicio est, Petrum hic restitui in locum suum, quem amiserat per abnegationem; simulque quiddam ei prae condiscipulis tribui, sed nihil, a quo ceteri excludantur. nam sane etiam hi amabant Jesum. c. 16, 27. Desinat tandem hoc ad se, et ad se unum, rapere, qui nec amat nec pascit, sed depascit, per successionis Petrinae simulationem. Non magis Roma, quam Hierosolyma aut Antiochia aut quivis alius locus, ubi apostolum Petrus egit, Petrum sibi vindicare potest: imo Roma minime, caput *gentium*. nam Petrus erat in apostolis *circumcisionis*. Unum Romae proprium est, quod apostolorum, etiam Petri sanguis, in ea reperietur. Ap. 18, 20. 24. — τὰ ἀρνία μου, *agnos meos*) Jesus est Dominus agnorum et ovium. Amat gregem suum, et amatori suo committit.

v. 16. ποίμαινε, *pasce*) Hoc verbum iteravit Petrus Ep. 1. cap. 5, 2. — πρόβατα, *oves*) *Agnos* habet *Lat.* iterum; quanquam res, ut mox videbimus, eodem recidit. Longe frequentissima apud veteres erat allegatio hujus dicti: *Pasce oves meas.* Itaque in Johannem formulam Veterum intulere recentiores, et secundo hoc loco ἀρνία scripsisse videtur Johannes [1]); recentioresque Graeci arripuisse πρόβατα· ut tres sint versu 15. 16. 17. sententiae: βόσκε τὰ ἀρνία μου· ποίμαινε τὰ ἀρνία μου· βόσκε τὰ πρόβατά μου. Tribus hisce sententiis grex Petro commissus in tres aetates distribuitur: primaeque aetatis grex, appellatione *ag-*

---

1) *Secus lectio dijudicatur in marg.* utriusque Ed., *et in* Vers. germ.; *ubi nonnisi primo loco* (v. 15.) *voc. ἀρνία probatur: attamen res ipsa*, tres periodos *exhibens*, *utrinque conspirat.* E. B.

Digitized by Google

norum venit; tertiae, *ovium*, (nunquam tamen sine *agnis* subolescentibus:) secundae igitur *ovium* teneriorum adhuc, sive *agnorum* jam robustiorum. Discrimen *nominum*, quod graeca lingua aegre capiebat, discrimen *verborum*, βόσκε et ποίμαινε, compensat. βόσκειν est pars τοῦ ποιμαίνειν. Neque, si sermo Hebraeus has verborum differentias non cepit, opportuna Graecorum verborum proprietate Johannes sensum Domini non potuit exprimere. Tali sensu *Syrus* post verbum *pasce* versu 15. 16. 17. tria diversa nomina ponit, quibus *agni, oviculae, oves* respondent. Pariterque *Ambrosius* in Luc. 24. scribit: *Denique tertio* Petrus *non* agnos, *ut primo, quodam lacte rescendos; nec* oviculas, *ut secundo; sed* oves *pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret. Oviculas* Petro et *oves* commendatas ait *Maximus* in serm. de SS. Petro et Paulo. Neuter quidem horum versu 16. προβάτια legit, ut Bellarminus contendit lib. I. de Rom. Pont. cap. 16., miras ovium classes, pontifici subjectas, quaerens: sed certe veteres illi gradationem trium sententiarum agnoverunt, quae cum 1 Joh. 2, 13. seq. amoenissime congruit. Ab hoc sermone ad mortem Petri erant 36. anni: atque id tempus hic ipse sermo in tres periodos ferme aequales dividit. Primum pavit Petrus tenellam ecclesiam christianam, sive *agnos*, quorum appellatio cum illa *discipulorum* in Actis appellatione congruit, cui deinde *fratrum* appellatio successit. vid. ad Matth. 10, 1. seq. In secunda periodo oves adduxit, rexit, congregavit. In tertia, ecclesiam ex Judaeis et gentibus collectam pavit, usque ad martyrium.

v. 17. τὸ τρίτον, *tertium*) Conf. c. 13, 38. Numerus decretorius. — ἐλυπήθη, *tristatus est*) Sic justam cepit sollicitudinem. — καὶ εἶπεν, *et dixit*) Hic, quasi defatigatus, se totum effundit.

[1]) v. 18. ἀμὴν ἀμήν, *amen amen*) Etiam post resurrectionem, gravissimam hanc formulam adhibuit Dominus. — νεώτερος, *junior*) Comparativus complectens annos Petri usque ad limen senectutis. — ἐζώννυες σεαυτὸν, *cingebas te ipsum*) uti v. 7. — περιεπάτεις, *ambulabas*) uti v. 3. — ὅπου ἤθελες, *quo volebas*) Sic fecerat versu 7. — γηράσῃς, *senueris*) Indicatur, Petrum perventurum esse ad senectutem, 1 Petr. 5, 1., sed non longe in senectutem. — ἐκτενεῖς, *extendes*) cruciariorum ritu, manus tuas, ligno crucis transverso alligandas. — σὲ ζώσει, *te cinget*) fune. — οἴσει, *feret*) ad stirpem crucis, toto corpore affigendum. Alligabantur cruci, dum clavi essent infixi. Antitheton: *ambulabas*. — ὅπου, *quo*) nempe in locum, ubi crux depangatur. Ita exponendus est hic locus, ut non conveniat in quodvis supplicium. — οὐ θέλεις, *non vis*) secundum naturam.

v. 19. σημαίνων, *significans*) Tales praedictiones interdum iis obtingunt, qui amore et fidelitate excellunt. — ποίῳ, *quali*) Scripsit Johannes librum ante mortem Petri: et praedictioni Domini per Johannem commemoratae respondit

---

1) Κύριε σὺ πάντα οἶδας, *Domine Tu omnia nosti*] Largissime nimirum Jesu Domini *OMNISCIENTIAM* cum reliquis discipulis expertus erat Petrus. Hujus ea primum testimonia colligamus, quae apud *Johannem* extant. Scivit Jesus, quis Simon esset, c. 1. 42.: | mentem et actionem Nathanaëlis, v. 47. 48.: | interiora hominis cujuscunque, c. 2, 25.: | facta mulieris Samaritanae, c. 4, 29.: | quae Ipse acturus erat, c. 6, 6.: | Judae aliorumque perfidiam, c. 6, 64. 70.: | Lazari obitum, c. 11, 11.: | horam suam venisse, c. 13, 1.: | Judae proditionem, v. 8.: Petri abnegationem, v. 38.: discipulorum quaerendi cupiditatem, c. 16, 19.; et omnia, v. 30.: | singula, quae manebant Ipsum, c. 18, 4.; eorumque consummationem, c. 19, 28. Scivit porro, ex *reliquorum Evangelistarum* relatione, hominum cogitata, Marc. 2, 68. Luc. 6, 8. 7, 47. (coll. v. 39.) Matth. 12, 25. 16, 8. Luc. 9, 47. 11, 17. Item, Salomonis quis vestitus fuerit, Matth. 6, 29.: | quid Sodoma, Tyrus et Sidon, si opera Christi vidissent, facturae fuissent, c. 11, 21. 23. Praedixit passionem suam, Matth. 16, 21. Marc. 8, 31. Luc. 9, 22. etc.: vastationem Hierosolymorum, Luc. 19, 43. Matth. 23, 35. ss. 24, 2. ss. Luc. 23, 28. ss.: | res, introitum Ipsius in urbem et convivium paschale concomitaturas, Marc. 11, 2. ss. 14, 13. 15. 27.: | aliaque id genus permulta. *Harm.* p. 609. sq.

Digitized by Google

eventus, paucis post annis. Conf. c. 12, 33. — δοξάσει, *glorificaturus foret*) Maxime patiendo, non solum agendo, sancti glorificant Deum. — λέγει, *dicit*) continuo. — ἀκολούθει μοι, *sequere me*) seorsum; ad audienda, quae tecum solo agam; tum, ut crucem subeas. v. 18. 22. c. 13, 36. [*Id per totum vitae curriculum alacritatem Petro in sequela Christi conciliavit.* V. g.] Haec *sequela* importabat non tam similitudinem mortis Jesu Christi et Petri per crucem, quae jam significata erat; quam mortem Petri a morte Domini non maximo intervallo sejunctam, si id ad mansionem Johannis conferatur. nam sequitur, *quid ad te? Sequere me,* primum dixerat discipulis. Initii continuatio Christianismum absolvit. Hic maxime Ignatii animus erat, *Christum assequi.*

v. 20. ἐπιστραφείς, *conversus*) *Sequi* ergo instituerat. *Jacobo* ante Petrum et Johannem defuncturo, nil praedicitur: ex quo ipso citam consummationem sui potuit colligere. — ὃς καὶ, *qui etiam*) Ut antea, in coena illa, ita nunc quoque locum quaerebat et se familiariter insinuabat, propemodum magis, quam Petrus libenter perferret. — ἀνέπεσεν ἐπὶ τὸ στῆθος, *accubuerat super pectus*) Sermo concisus: i. e. *accubuerat* in sinu Jesu, et sic demum applicarat se *ad pectus* ejus. c. 13, 23. 25. — ἐν τῷ δείπνῳ, *in coena*) insigni illa, pridie coenae paschalis.

v. 21. λέγει, *dicit*) Cogitabat, se unum nunc sequi jussum esse. — τί, *quid*) Facilius nos ipsos voluntati divinae impendimus, quam curiositatem circa alios, aequales praesertim aut suppares, deponimus.

v. 22. λέγει, *dicit*) Occultiora sunt fidelibus divina consilia circa fratres, quam circa impios. conf. v. 20., de proditore. — ἐὰν, *si*) Nunquam Dominus amicis quamlibet inepte rogantibus meram dedit repulsam. quare ne hîc quidem severitate mera reprimit Petrum, sed aliquid benigne subinnuit; sicut etiam αὐτὸν, *illum,* relativum, lenius est, quam si τοῦτον, *hunc,* demonstrativum, ei reponeretur. Est igitur amphibolia et gravis et suavis. nam conditio, *si,* non affirmat, si accipiatur sermo de adventus complemento: categorice etiam valet sermo, si de primordiis adventus. Et sane senserunt fratres, τὸ *si* non plane rigide a Domino esse adhibitum; quanquam id ipsum non debuerant totum tollere. v. 23. — αὐτὸν, *eum*) Sic Johanni ad quaerendum minus promto (nam antea quoque non nisi exstimulatus quaesierat, v. 20.) sed tamen quaerere optanti, indicatur, quid ei futurum sit. Minus curiosis plus revelatur. — θέλω, *volo*) Potestas Jesu in vitam et mortem suorum. Rom. 14, 9. — μένειν, *manere*) *remanere* in terra. 1 Cor. 15, 6. Contra, mortui, ἀπελθόντες, *qui decessere.* Augustinus interpretatur, *exspectare.* mansionem quidem sequitur exspectatio; sed *mansionis* notio salva veritate perstat. — ἕως ἔρχομαι, *donec venio*) i. e. donec ego revera ero *veniens* gloriose, adeoque Johannes de me in praesenti testari poterit, *Ecce venit.* Vastationem Hierosolymorum continuo excipit tempus Domini venientis. Matth. 23, 39. 24, 29. not. quem adventum Johannes in apocalypsi describendum nactus est. Praecipui apostoli ex duodecim erant duo, Petrus et Johannes. ille, fundamentum; hic, coronis: si tertius addendus, est Jacobus, primus ex iis martyr, qui quidem huic convivio quoque interfuerat potius, quam colloquio. Petro, crux; Johanni, apocalypsis illa magna per aenigma hoc loco promissa est. Et inter hunc sermonem Domini interque obitum Johannis medius quasi articulus fuit martyrium Petri; annis aerae receptae XXX, LXVII, XCVIII, haec sibi momenta vindicantibus. Hoc pacto demum plenius perspicitur antitheton: Petrus Jesum ex mundo proficiscentem *sequitur* per mortem: v. 19. not. at Johannes *manet* in mundo, donec Idem veniat. Sane crucem Petri aequiparat ministerium Johannis in scribenda et mittenda apocalypsi, propter res gravissimas ei tantisper exantlandas: Ap. 1, 17. 10, 9. s. neque ea ecclesiae minus fructuosa est. Videlicet Johannes, superatis periculis, in vita mansurus erat,

d by Google

dum maturum foret, defunctis pridem collegis tantum non omnibus, Judaeorum re sublata, constitutaque ecclesia christiana, apocalypsin administrare, cujus prora ac puppis est frequens illud ac solenne: *venit: venio: venito.* Cap. 1, 7. 22, 20. etc. Decuit enim, apocalypsin non edi citius, et tamen edi per apostolum. Quare hoc loco promissio Johanni quondam cum aliis data, Matth. 16, 28. not. nunc ad Johannem solum singulari, excellenti ac nova ratione contrahitur. Saepe res tum dicitur fieri, quum ea ut futura repraesentatur: vid. not. ad Act. 13, 33. quare Dominus in illa vividissima repraesentatione prophetica et apocalyptica *venire* dicitur. Neque solum in visione, sed in Johannis oculis et affectu, et ab illo solennissima denunciatione, et ipso potissimum Johannis obeuntis tempore, ac deinceps, re ipsa est *Veniens* potius, quam *venturus.* Namque manente Johanne, evenire coepit impletio, data ipsi quoque septimo angelo tuba. Ap. 11, 15. not. Atque ut cuncti XL dies post resurrectionem erant dies ascensionis, Joh. 20, 17. not. sic brevissimo post ascensionem intervallo est tempus adventus ad judicium, quia nullus alius est interpositus gradus. Act. 1, 11. Nam ab ascensione sessio ad dextram non differt, nisi ut ab actu status ipse. Itaque Christus *exspectat, paratus.* Hebr. 10, 13. 1 Petr. 4, 5. Hujus adventus mentione omnia citeriora, quae apocalypsis habet, continentur. Una est hora ultima, in quam etiam antichristi adventus incidit. 1 Joh. 2, 18. Sub apocalypsin Johannes abiit et obiit, (conf. Luc. 2, 26. 29.) post magnas afflictiones, morte naturali, ut Daniel, c. 12, 13., cum quo multa habuit communia. Denique illa sententia, *donec Johannes scribet apocalypsin,* tam vere proprieque potuit his verbis proferri, *donec venio,* quam vere proprieque Johannes tum, quum apocalypsin scripsit, *Dominum venire* scripsit. Sic uterque adventus Dominici primi et secundi prodromus et nuncius uno fuere nomine, Johannes baptista et Johannes apostolus. Historia V. T. digesta est per vitas patriarcharum regumque et per hebdomadas Danielitieas: apocalypsis autem praedixit periodos historiae N. T. subsecuturae. Totam catenam auream in medio explet primum vita Jesu Christi; deinde mansio Johannis, qui etiam solus ex evangelistis paschata omnia et annos inter baptismum Christi et inter tempus hujus colloquii interjectos memoravit; solus ex omnibus *chronographum* omnium temporum N. T. egit. Vide, quanta dignatio erga discipulum dilectum. — τί πρός σε, *quid ad te?*) Hoc Petri curiositatem in ordinem redigit; sed multo magis innuit, cursum ejus jam fere peractum, Johanne adhuc opus faciente, et adventui Domini subserviente. Petrus martyrio consummatus est aliquot annis ante vastationem Hierosolymorum: eam vastationum subsequitur adventus Domini. — σὺ, *tu*) Gravis jussus et clemens. — ἀκολούθει μοι, *sequere me*) Imperativo continetur futurum. tuum hoc age; illi superstiti sua relinque. Pariter sermo de Johanne non solum, quid fieri velit Dominus, sed quid futurum sit, innuit.

v. 23. ὁ λόγος, *sermo*) Vide, quanto firmior sit litera, quam sermo. *Sermo* etiam apud fratres, citra fraudem, ex errore interpolatus est: *manus* apostolica medetur, hodienum salva. Ipsi traditionum patroni et antiquis et novis pugnant libris. — ἀδελφοὺς, *fratres*) VII illos, v. 2., et reliquos aetatis illius, aut potius eos, qui Johanne scribente vivebant. Alias non opus fuisset, errorem tam sero refutare; qui apostolo diu vivente videbatur confirmari. *Fratrum* appellationem didicere ex c. 20, 17. — ἐκεῖνος, *ille*) Hoc pronomen facit ad amplificandum. — οὐκ ἀποθνήσκει, *non moritur*) Hoc substituunt pro verbis aliis, omisso ἐὰν, ἕως, *si, donec,* antithetoque inter *sequelam* et *mansionem* nimis extenso. Agnoverunt tamen, adventu ipso Domini sublatum iri omnem mortalitatem. Specimen imbecillitatis, quae manebat in intellectu discipulorum ante Paracleti adventum: imo specimen universae sinisteritatis humanae in accipiendis verbis Christi, apocalypticis praesertim, quorum hoc loco strictura est. — καὶ οὐκ, *et non*) Diligen-

ter occurrit Johannes explicatióni alienae et erroneae, ne tribueretur Christo effatum, quod non esset Christi. nam *mortuo* Johanne, videri potuisset aliud ei a Domino praedictum esse, aliud venisse. In verbis divinis omnes apices praecise tenendi sunt: et maxime cavendum, ne quid addatur. Ap. 22, 18. [*Leviuscula enim verborum immutatione, et quae nullius momenti esse videatur, sensus genuinus detorqueri potest.* V. g.] Talem curam in referendis Christi verbis adhibuit Johannes ceterique evangelistae. Non totidem iisdemque omnia voculis retulerunt, sed tamen plane ex Domini sententia, ut perinde possint et debeant accipi, ac si totidem et eadem verba essent.

v. 24. οὗτος, *hic*) Itaque illa etiamnum tempestate *manebat* discipulus, mansioque ostendebat, tot annis interjectis, veritatem verborum Domini, et potentiam *voluntatis* ejus. — ὁ μαρτυρῶν) *qui testabatur*, sermonibus, superstes. Respondet τὸ γράψας, *qui scripsit*. — καὶ οἴδαμεν, *et scimus*) Hoc colon ipse potuit Johannes praescribere ecclesiae, quae non invita id publice legeret, et cum fideli assensu agnosceret. Sin ecclesia hoc addidit, non plus derogat auctoritati operis, quam versiculus ille, quem epistolae ad Romanos intexuit Tertius: aut (si hoc addere licet) Sleidani Commentariis adjecta de ejus obitu clausula, ab ipso fortasse inchoata, et ab amico perfecta.

v. 25. ἔστι, *sunt*) Praesens. praesentia erant menti Johannis: nec dubium est, quin multa in sermonibus narrare solitus fuerit. — καὶ ἄλλα, *etiam alia*) Nullum detrimentum inde patitur res Christiana, quod quaedam, quae apostoli scripsere, hodie non extant; nam ne hoc quidem obest, quod multa eorum, quae Jesus fecit et dixit, ne perscripta quidem sunt. — καθ' ἕν, *singulatim*) quod ad facta, eorumque singulas circumstantias attinet. — οἶμαι, *opinor*) Hoc verbo mitigatur amplificatio. Singularis numerus ostendit, Johannem scripsisse hunc versum. — τὸν κόσμον, *mundum*) Augustissimam habuit Johannes existimationem de multitudine miraculorum Christi. — χωρῆσαι, *capere*) Hoc non de capacitate geometrica, sed morali accipiendum est. *Fideles* caperent; quibus tamen satis scriptum est. c. 20, 31. Mundus sese amplius distineret: huic ergo ipsa brevitate moderata consulitur. Ipsi libri tales, qualem Johannes scripsit hunc, aequarent bibliothecas multas: (quanto autem minus caperet mundus libros de ceteris rebus, quas facit Jesus exaltatus?) et librorum exemplaria extitissent plurima; et critici commentatoresque multo sibi plus negotii datum arbitrati essent. Hujus epiphonematis addendi occasionem Johanni dedisse videtur jam tum sedulitas multorum in multiplicandis apographis, et pia fidelium admiratio, versu 24. expressa; ut dicat: *Multo major esset vestra admiratio, si non modo haec, quae scripsi, sed etiam cetera nosselis. Non omnia dixi.*

ANNOTATIONES AD ACTA APOSTOLORUM.

Liber hic, quo Lucas *Acta Apostolorum*, Petri maxime et Pauli refert, medius est inter evangelicos et epistolicos, eoque *centralis*. Continet non solum recapitulationem evangelicae historiae, sed etiam continuationem historiae Christi, eventum praedictionum ejus, et quodammodo supplementum per ea, quae discipulis antehac infirmioribus, per Paracletum largius impertiit. vid. omnino Joh. 16, 12. s. Continet etiam semina et stamina omnium rerum, quae in Epistolis exponuntur. Libri evangelici agunt de capite, Christo: Acta ostendunt, easdem res geri in corpore ejus, quod Spiritu ejus vegetatur, a mundo vexatur,

Digitized by Google

a Deo defenditur et exaltatur. Summa habetur Eph. 1, 20. 22. Christique discessus et Paracleti adventus faciunt, ut hic liber majorem cum Epistolis, quam cum evangelicis libris habeat similitudinem. *Multis ignotum plane hunc librum* Chrysostomus sua aetate fuisse testatur incunte prima in eum homilia. Utinam hodie tanta ei cura impenderetur, quantam impendi decet. Ostenditur hic doctrina Christiana, ejusque methodus erga Judaeos, Gentes, Fideles; id est, erga convertendos et conversos. Ejusdem obstacula apud singulos homines, genera hominum ordinesque et populos. Propagatio Evangelii, et magna illa inter Judaeos et Gentes revolutio. Victoria Evangelii, pervenientis ex uno conclavi in templa, domos, plateas, fora, campos, hospitia, carceres, castra, aulas, currus, naves, pagos, urbes, insulas; ad Judaeos, gentes, praetores, duces, milites, eunuchos, captivos, mancipia, foeminas, pueros, nautas; in Areopagum, Romam denique. Vindicta in hypocritas, malos imitatores, hostes et adversarios. Conservatio apostolorum et ecclesiae. Fructus incomparabiles in vita et morte. Nervi characteresque quam plurimi et argumenta pro veritate et efficacia religionis Christianae. Specimen disciplinae et occonomia, ipsaque idea ecclesiae Christianae et muneris evangelici.

Partes sunt VII.

I.	PENTECOSTE, cum antecedentibus.	Cap. I. II.
II.	Acta in JERUSALEM et in omni Judaea, et in Samaria, inter CIRCUMCISOS.	Cap. III. — IX. XII.
III.	Acta in CAESAREA, et receptio GENTIUM.	Cap. X. XI.
IV.	Cursus PRIMUS inter gentes, Barnabae et Sauli.	Cap. XIII. XIV.
V.	Legatio et consilium HIEROSOLYMITANUM, de Judaeorum et Gentium EADEM conditione.	Cap. XV.
VI.	Cursus ALTER Pauli.	Cap. XVI. — XIX.
VII.	Cursus TERTIUS, ROMAM usque.	Cap. XIX, 21. — XXVIII.

Distinctius hae partes resolvuntur in Ordine temporum, cap. VI.

Applicatio omnium partium ad nostra tempora quomodo instituí debeat, pulcre ostendit *Justus Jonas* in Dedicatione Annotationum ad hunc librum Anno 1524 editarum: *Res ipsae,* inquit, *quae* nunc nostro seculo *geruntur, clariorem reddunt nobis non modo hunc librum, sed et reliquam etiam scripturam, cum plane hoc videamus* pati *nunc rere pios* —. *Fiunt* miracula *non minora quotidie, quam tunc facta sunt. quis enim tam celerem* cursum *verbi, quis hanc* subitam mutationem rerum *non miraculum maximum esse ducat? Quis Lutherum jam nostra aetate Evangelii praeconem hactenus a tot mundi sapientibus et potentibus pugnatum, fremente papa, invito Satana, invitis omnibus inferi portis, tamen superstitem, non Paulo contra XL virorum conjurationem et tot callidas insidias hostium servato, jure comparet? — Suaves homines sic putant apostolos consuluisse posteritatis otio, et sic perpessos esse catenam Evangelii, ut nunc eo* tranquillius *monachi et sacerdotes molliter curent cuticulam, quasi vero Satanas nunc sit nullus, aut mundo et carni nunc cum Evangelio conveniat.*

AD CAPUT I.

v. 1. Μὲν, *quidem*) Apodosin, de *libro* hoc altero, res ipsa exhibet, particulam δὲ *vero* absorbens. — λόγον, *sermonem*) λόγος, Latinis *liber*, tantam solet habere longitudinem, ut lector cupidus una lectione absolvere possit. Prodest igitur, interdum unum librum, v. gr. Evangelium secundum *Lucam*, simul perlegere. Auctoritas libri alteriusutrius redundat in alterum Lucae. Maximus adhuc in oeconomia Christi limes est hoc tempus a resurrectione usque ad ascensionem: in eo prior Lucae liber desinit, alter incipit, non tam apostolorum, quam Spiritus sancti Acta describens, sicut prior liber Acta Jesu Christi habet. — περὶ πάντων, *de omnibus*) summatim videlicet. coll. Joh. 21, 25. — ἤρξατο ποιεῖν

Digitized by Google

— ἄχρι) *coepit facere — usque:* id est, *fecit ab initio*, conf. *incipiens*, v. 22. Initia et exitus pertexuit Lucas, i. e. omnia, considerate. — ποιεῖν, *facere*) per miracula et actiones sanctas. — διδάσκειν, *docere*) per sermones.

v. 2. ἐντειλάμενος, *praecipiens*) Qui discedunt, solent *praecipere*, *mandare*, ut opus est, et quod satis est. Versu 3. generatim exprimit Lucas, quid Dominus dixerit apostolis per illos XL dies: sed versu 2. 4. seqq. declarat, quid dixerit illo die ascensionis. coll. v. 5. fin. et v. 9. init. Ad eum enim ipsum diem perduxerat Lucas Evangelium suum: et ab eo Apostolorum Acta orditur. — τοῖς ἀποστόλοις, *apostolis*) Appellatio conveniens totius libri argumento: *discipulatus* jam exibat. — διὰ, *per*) Constr. cum *praecipiens*. Is ipse, qui praecipiebat, Spiritum S. habebat, Luc. 4, 18., et cum mandatis eum dedit apostolis, Joh. 20, 22., mox daturus uberrime. Sic ante ascensionem dedit *arrham pentecostes*. — ἐξελέξατο) *elegerat*. Luc. 6, 13. Joh. 6, 70. De Juda seorsum agitur v. 16. seq. — ἀνελήφθη) *sursum receptus est*.

v. 3. παρέστησεν ἑαυτὸν, *stitit se ipsum*) Grandis oratio. Suavis regressus: *assumtus est, stitit, virum, passionem.* — παθεῖν, *passionem*) ad mortem usque. — τεκμηρίοις, *argumentis*) per visum, auditum, tactum etc. unde certo et liquido scirent, et *Ipsum* esse, et *vivere*. — δι᾽ ἡμερῶν τεσσαράκοντα) *per dies XL.* non perpetuo, sed per intervalla. Contra, *decem* duntaxat, non *quadraginta* dies, ab ascensione ad pentecosten: *triduum*, mortis. — ὀπτανόμενος, *apparens*) per apparitiones bene longas. Joh. 21, 12. — περὶ τῆς βασιλείας, *de regno*) Haec summa erat, etiam ante passionem, sermonum Christi.

v. 4. συναλιζόμενος, *conventum agens*) Hoc non dicitur de omnibus apparitionibus, v. 3., sed de ultima, eaque frequenti et maximi momenti. Lectionem ab aliis solicitatam et notionem verbi hujus probat Hesychius, συναλιζόμενος, συναλισθεὶς, συναχθεὶς, συναθροισθείς. — μὴ χωρίζεσθαι, *ne discederent*) Facile reliquissent Jerusalem, ubi crucifixus fuerat Dominus. — τὴν ἐπαγγελίαν) Ammonius: ὑπισχνεῖται ὁ τῷ αἰτήσαντι δώσειν ὡμολογήσας· ἐπαγγέλλεται δὲ ὁ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ δώσειν ὡμολογήσας. Quae verbi Graeci proprietas, ubi de divinis promissionibus agitur, exquisite observanda est. — ἠκούσατε, *audistis*) Dixerat hoc ipsum Luc. 24, 49. Atque hic parallelismus ad arctissimum nexum pertinet utriusque libri Lucae. Stilus ex relativo recitativus, uti c. 23, 22., item post verbum *praecipere*.

v. 5. ὑμεῖς, *vos*) mei. Matth. 3, 11. Hoc late patet. Act. 11, 16. — βαπτισθήσεσθε, *baptizabimini*) a me. Matth. l. c. — οὐ μετὰ πολλὰς, *non post multos*) Numerus dierum non definitus exercebat fidem discipulorum.

v. 6. συνελθόντες, *convenientes*) Facilius putabant conjunctim se impetraturos esse responsum. — τούτῳ, *hoc*) intervallo, post dies non multos veniente. — τὴν βασιλείαν, *regnum*) cujus sedes Hierosolyma, v. 4., at latitudo, maxima, v. 8., et indoles divinior, quam interrogantes tum interpretabantur verba Domini. v. 3. fin. Luc. 22, 16. — τῷ ἰσραὴλ, *Israëli*) Dativus emphasin habet. Apostoli, *re* praesupposita, quaerebant de *tempore:* et pariter se habet subsequens responsio.

v. 7. οὐχ ὑμῶν ἐστιν, *non vestrum est*) Non dicit, *non est vestrum*, sed, *non vestrum est*, ut emphasis sit in *vestrum*. conf. omnino, *non vos, alii*, Joh. 4, 38.: et, *non tibi*, 2 Chron. 26, 18.: et, *non vobis et nobis*, Ezr. 4, 3. Repulsa comis est, et gravis descriptio *Reservati* divini: nec tamen ea ad reprehendendum, sed ad docendum spectat. Non dicit, *non est juris et officii vestri, quaerere:* sed ait, *Non vestrum est nosse:* non vestrae potestatis hoc esse jussit Pater, sed suae potestati reservavit, ut ipse sciat et faciat. conf. Matth. 24, 36. *Non vestrum* est, inquit: unde non licet colligere, ne aliorum quidem posthac fore. Revelatio oeconomiae divinae habet suos gradus. 1 Petr. 1, 12. Matth. 11, 11. Ap. 1, 1. — χρόνους ἢ καιροὺς, *intervalla vel tempora*) Interrogatio disci-

pulorum corrigitur, et vocabulum generale, χρόνῳ, *intervallo*, per alterum additum, χρόνους ἢ καιρούς, *intervalla vel tempora*, magis determinatur, ut alibi ostendimus. Generatim observetur hoc loco, longius quiddam esse χρόνον, quam καιρόν. c. 7, 17. 20. Justus Jonas: *Satis est, vos scire ex Scripturis, futurum, ut restituantur omnia; sed quando futurum sit, hoc DEI est.* — οὓς, *quae*) Tempora DEO reservata indagare, curiositatis est: revelata non curare, animi pusilli aut somnolenti. Dan. 9, 2. 1 Petr. 1, 11. Ap. 13, 18. Quae apostolorum nondum erat nosse, per Apocalypsin postea sunt significata. Generalius enunciatum non derogat revelationi speciali subsecutae. Petro quoque hoc loco dicitur, *Tuum non est*, plane uti Joh. 21, 22. 23., *quid ad te?* — ὁ πατὴρ, *Pater*) Matth. 20, 23. 24, 36. — ἔθετο, *posuit*) Ergo *res* ipsa firma est: alias nullum ejus rei *tempus* esset. — ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ, *in sua potestate*) Tempore ulterioris revelationis, et ipsius maxime complementi, etiam ea, quae antehac in Patris potestate fuerant sita, noscuntur.

v. 8. ἀλλὰ, *sed*) Antitheton inter id, quod discipulorum erat, vel non erat; tum inter id, quod illo tempore futurum erat, et inter id, quod in ulteriora reservatum erat. — μάρτυρες, *testes*) doctrina et sanguine: non reges mundi; quanquam regnum DEI per illud ipsum testimonium propagabitur. — ἱερουσαλὴμ — γῆς, *Jerusalem — terrae*) Gradatio. vid. v. gr. c. 8, 1. 4. 5. 27. — σαμαρείᾳ, *Samaria*) Samaritanas urbes antea intrare non debuerant. Sine dubio nunc mirum id visum est apostolis.

v. 9. νεφέλη, *nubes*) Itaque per se non disparuit Dominus.

v. 10. ἄνδρες — λευκῇ, *viri — alba*) Conf. Matth. 28, 3. not. *Vir*, pro angelo. c. 10, 30. 3. 22. Luc. 24, 4. not. Sed conf. etiam Luc. 9, 30. not. [*Itaque vel* angeli *fuerunt vel* homines. V. g.]

v. 11. γαλιλαῖοι, *Galilaei*) In apparitionibus, quae singulis obtingunt, nomen proprium adhibuere angeli; pro quo adhibetur h. l. nomen patriae, sub quo omnes continentur. Ex Galilaea nunquam vel certe raro fuerat propheta; at omnes apostoli. — τί, *quid*) Simile *quid*, c. 3, 12. — ἐμβλέποντες, *intuentes*) cum mora in coelum, quod nunc aspicere nil attinet, quum Jesus non cernitur. — οὕτως, ὃν τρόπον, *sic, quemadmodum*) Similis locutio, c. 27, 25. 2 Tim. 3, 8. — ἐλεύσεται, *veniet*) Ascensio potius Christi, quam adventus ad judicium, in Scriptura ut *reditus* describitur. *Venire* dicitur, non solum, quia antea non venerat ad judicandum, sed quia adventus gloriosus multo erit illustrior. Mundus non crediderat, Filium DEI *venisse:* respectu credentium dicitur *redire*. Joh. 14, 3. Tum revelabitur, in die suo. Verbum, *venit*, jam in prophetia Henochi positum. Jud. v. 14. *Veniet*, modo visibili, in nube, cum tuba, cum comitatu, et eodem fortasse loco, v. 12. adde Zach. 14, 4., cum annot. Michaëlis, et Matth. 24, 27. not. Non ii, qui ascendentem viderunt, dicuntur venturum *visuri*. Inter ascensionem et inter adventum gloriosum nullus interponitur eventus, eorum utrique par: ideo hi duo conjunguntur. Merito igitur apostoli, ante datam Apocalypsin, diem Christi, ut valde propinquum, proposuerunt. Et congruit majestati Christi, ut toto inter ascensionem et inter adventum tempore sine intermissione exspectetur.

v. 12. ἐλαιῶνος, *oliveti*) ubi agon fuerat. — ἐγγὺς, *prope*) quinque stadiis. — σαββάτου ὁδὸν, *Sabbati iter*) quantum Judaeo licebat iter facere die Sabbati, citra lassitudinem, ad duo millia cubitorum. Colligit hinc Chrysostomus, die *Sabbati* eos reversos esse in urbem: malim statuere, proprium in toto oliveti monte ascensionis locum hac ab urbe distantia notari.

v. 13. ὑπερῷον) Sic LXX עֲלִיָּה reddunt. Joh. Gregorius: ὑπερῶα *in Scripturis erant loca in ea parte domus, quae erat a solo remotissima, a Judaeis ad preces privatas separata, versus Salomonis templum spectantia aut locum illius: quibus ob consecrationem et convenientem recessum apostoli utebantur*

more Christiano. Obs. c. 3., ubi copiose ὑπερῷα describit. — πέτρος, *Petrus*) Constr. cum ἀνέβησαν, *ascenderunt*. De ordine apostolorum vide ad Matth. 10, 2. Petro, primo, articulus prae ceteris additur, c. 3, 11. 4, 13. 19. 8, 14., quanquam non semper, c. 3, 4. Per hos paucos et contemtos homines, sine ullis praesidiis humanis, Christus mundum ad obedientiam fidei perduxit.

v. 14. ὁμοθυμαδὸν, *unanimiter*) Haec particula saepe in Actis, convenienter argumento libri: extra Acta, non nisi semel in N. T. ponitur. Rom. 15, 6. — τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει) de differentia horum verborum vid. 1 Tim. 2, 1. not. — σὺν γυναιξὶ, *cum mulieribus*) Luc. 24, 10. 1 Cor. 9, 5. — μαρία, *Maria*) cujus ultima h. l. mentio in N. T. Haec et sanctitatis et senectutis nomine eximie habita inter sanctos, testimonium praebuit omnium rerum, quae inde ab Annunciatione factae fuerant. — ἀδελφοῖς, *fratribus*) consobrinis. Hi quoque lucrifacti, tametsi initio non crediderant.

v. 15. ἀναστὰς, *exsurgens*) ut solent verba facturi. Haec oratio Petri ante Pentecosten illam habita, tamen non discipulatum, sed apostolatum refert, ex Joh. 20, 22. — ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *insimul*) in illo nempe loco. Aliis locis plures poterant esse discipuli, extra urbem maxime. — ὡς ἑκατὸν εἴκοσι, *quasi centum viginti*) Hujus numeri decima pars erant apostoli. εἴκοσιν et εἴκοσι scribi, docet Eustathius. — εἶπεν — ἄνδρες, *dixit — viri*) Parenthesis inter propositionem et tractationem, uti Gen. 6, 9. seq.

v. 16. ἄνδρες ἀδελφοὶ, *viri fratres*) Id beatius, quam *viri Athenienses*. Appellatio honoris et amoris, concilians auditores. — ταύτην, *hanc*) in Psalmo 69. et 109.

v. 17. ὅτι, *quod*) Ratio, sub qua Judas hic memoratur, quia habuerat *munus*. v. 20. — κατηριθμημένος, *annumeratus*) Triste est, *numerari*, non manere. — κλῆρον, *sortem*) *Sors* dicitur, quicquid alicui citra suam operam obtingit. — τῆς διακονίας, *ministerii*) Sic frequentissime in hoc et sequentibus libris dicitur ministerium N. T., sed in V. T. LXX interpretes pro שרת *apparere* plerumque dicunt λειτουργεῖν, quod ipsum sonat magnificentius quiddam. Apostoli autem humilitatem expeditam secuti sunt. — ταύτης, *hujus*) nostri.

v. 18. ἐκτήσατο, *possedit*) *emit*. Judas quidem non solvit argentum, Matth. 27, 5., sed tamen aut emere constituerat, conf. 2 Reg. 5, 26., aut initio emtionis facto occasionem dedit, ut Sacerdotes eam consummarent. Non credidit miser, causam Jesu durabilem fore: et in posterum, si ea labaret, sibi et suis (Ps. 109, 9.) domicilium destinarat, quo se reciperent, et de victu prospicere voluit. Alii exponunt: ἐκτήσατο, *paravit*, scil. non sibi, sed aliis revera. — πρηνὴς γενόμενος, *projectus in faciem*) Species mortis, quam Judas sibi conciverat, (Matth. 27, 5. not.) tum satis nota erat. Igitur ea praesupponitur h. l. et adduntur, quae secuta sunt, nempe cadaveris contumeliose projecti situs pronus, quum honeste defuncti componantur supini. Illustrari locus potest ex libro eleganter Graeco 3 Macc. 5, 41. (43.:) ubi Rex Judaeis infensissimus comminatur, τὸν ναὸν πυρὶ πρηνέα καταστήσειν· *se templum per ignem solo esse* aequaturum. πρηνῆ γενέσθαι non significat *praecipitem se dare*. — ἐλάκησε μέσος, *crepuit medius*) Hesychius, ἔλακεν, ἐψόφησεν. Et μέσος, *medius*, orationem facit expressiorem. Cohaeret verbum cum πρηνὴς, uti Sap. 4, 19., ῥήξει αὐτοὺς ἀφώνους πρηνεῖς. — σπλάγχνα, *viscera*) Ipse prius deposuerat *viscera* misericordiae. Ps. 109, 16.

v. 19. γνωστὸν ἐγένετο, *innotuit*) illud videlicet, quod v. 18. ineunte memoratur. — τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, *ipsorum lingua*) Hoc, et interpretamentum subsequens, *hoc est ager sanguinis*, Lucas orationi Petri addidit pro Theophilo et lectore Hebraica non intelligente.

v. 20. γενηθήτω κτλ.) Ps. 69, 26. LXX, γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτῶν ἠρημω-

μένη, καὶ ἐν τοῖς σκηνώμασιν αὐτῶν μὴ ἔστω ὁ κατοικῶν. — ἔπαυλις] id est, οἴκημα εὐτελές, Eustathio. — αὐτοῦ] Hebr. et LXX, αὐτῶν. Subsumitur autem de Juda, pro instituto praesenti. Justus Jonas: ***Rejectione Judae et subrogatione alterius indicatur Judaeorum abjectio et omnium, qui missum ad se Christum persequuntur.*** [1]) — μὴ ἔστω, *ne sit*) Id impletum, quum ad sepulturam peregrinorum cessit ager. — καὶ τὴν — ἕτερος] Ps. 109, 8. Sic plane LXX. — ἕτερος, *alter*) Matthias in individuo non designatus est apertius, atque ita sorti sanctae mansit locus.

v. 21. δεῖ, *oportet*) Sic v. 16. — τῶν] Genitivus pendet ab ἕνα, et resumitur in τούτων, ordine rei et verborum eleganter conveniente. — εἰσῆλθε, *intravit*) in privatum. conf. Joh. 10, 9. not. — ἐξῆλθεν, *exivit*) in publicum. — ἐφ' ἡμᾶς, *super nos*) ut Magister. Praepositio congruit non modo cum *intravit*, sed etiam cum *exivit*.

v. 22. ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος ἰωάννου, *a baptismate Johannis*) Ab hoc articulo historia J. C. apud Marcum habet *Initium* ipsum. Ceteri Evangelistae paucis expediunt antecedentia. — ἕως, *usque*) Usque ad diem ascensionis porriguntur testimonia XII apostolorum de Domino Jesu ejusque resurrectione. — τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ, *resurrectionis ejus*) Qui resurrectionem Christi credit, omnia credit, quae praegressa et secuta sunt. De resurrectione Christi plurima Petro mentio in Homiliis et Epistola priore. Ut apostolus est testis resurrectionis Christi, sic Christianus est, qui eam credit. Illo tempore tantundem virtutis opus erat, ut aliquis crederet, rem esse gestam, quam ut crederet, in ea re gesta salutem esse. quare qui illud credidere, totam fidem suscepere. Hodie, quum rem gestam nemo in ecclesia vocat in dubium, multi in eo subsistunt, neque tamen certitudine rei gestae ad fidem totam perveniunt. — ἕνα, *unum*) Nam non debebant esse plures, quam XII, neque adeo uterque simul sumendus erat.

v. 23. δύο, *duos*) Huc pervenire poterant fideles, consilio; non ultra. Ideo hic demum *sors* incipit, qua res gravis divinae decisioni committitur, et immediata apostoli peragitur vocatio. Hodie quoque in eligendis episcopis sorti locum esse posse censet Justus Jonas ad h. l. et memorabile exemplum refert Comenius in Hist. eccl. Slav. §. 60. Habet etiam b. *Riegerus* Böhm. Br. Vol. 3. p. 36. — ὃς ἐπεκλήθη, *qui cognominatus est*) Eo cognomine videri poterat praeferri debere; nisi postea demum hoc cognomen nactus est, ut agnosceret, quamvis Matthias electus esset, ipsum tamen sua laude non excidisse.

v. 24. σὺ, *tu*) tu ipse. Apostolus debebat immediate esse vocatus. Jesum invocant, *Dominum*. v. 21. nam hujus erat apostolum eligere. v. 2. c. 9, 17. 26, 16. Joh. 6, 70. — καρδιογνῶστα, *qui corda nosti*) *Cor* debet esse rectum in ministro Evangelii. c. 8, 21. 2 Cor. 1, 12. 1 Thess. 2, 4. *Cor* facit, ut unus sit praeferendus alteri, qui certe aeque bonus erat foris. — πάντων, *omnium*) etiam horum duorum. — ἀνάδειξον, *ostende*) Id factum, ipsius sortis eventu. Jesus post resurrectionem saepe apparuit: nec tum apostolatum Matthiae detulit; sed post ascensionem.

v. 25. εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, *in locum suum*) in locum plane proprium, divisum a ceteris apostolis. [*rel ab eorum etiam reliquis, qui pereunt.* V. g.] quaesierat ἴδιον, *proprium* quiddam: v. 18. *proprium locum*, superstitum oculos fugientem, in regione mortis nactus est.

v. 26. ἔδωκαν, *dederunt*) miserunt. — κλήρους αὐτῶν, *sortes eorum*) Josephi et Matthiae. [*Prudenti consideratione* duos *ex universa multitudine* in delectum *produxerant: at inter hos binos* decidendi *non jam alia, nisi sortitionis via restabat.* V. g.] Dum secum habebant apostoli Dominum, non usi

---

1) ἔρημος, *desertum*] Haec omnium rerum sors est, quas in mundo possident impii. *V. g.*

Digitized by Google

sunt sorte: neque post adventum Paracleti ea sunt usi, c. 10, 19. 16, 6. ss. sed in uno hoc intermedio tempore, et in uno hoc negotio usi sunt, convenientissime. — συγκατεψηφίσθη, *annumeratus est*) Omnes acquievere in electionis divinae ostensione. Non dicuntur manus novo apostolo impositae. erat enim prorsus immediate constitutus.

CAPUT II.

v. 1. Ἐν τῷ συμπληροῦσθαι, *dum complebatur*) Multa simul convenere inter se implementa praedictionum. — τῆς πεντηκοστῆς, *pentecostes*) Hoc vocabulum non habent LXX int. extat autem Tob. 2, 1. 2. Macc. 12, 32. Pentecoste Sinaitica in V. T. et Pentecoste Hierosolymitana in N. T. duas habent longe omnium clarissimas et omni atheorum exceptione majores DEI patefactiones, legalem et evangelicam: Ps. 68, 8. 10. e monte et e coelo: terribilem et benignam. — ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό, *cuncti unanimiter in eodem loco*) Conjunctio societatis, animorum, loci. quinam fuerint et quid egerint, vid. c. 1, 14. 15. Non modo erant apostoli, sed etiam ceteri.

v. 2. ἄφνω, *repente*) Sic ad judicium quoque revelabitur Christus. — φερομένης) Aptum verbum. — πνοῆς, *spiraminis*) Pendet ab ἦχος, *sonus*. — οἶκον, *domum*) Saepe οἶκος partem domus, ut Latinis *oecus*, denotat. Domus erat *templum*, Luc. 24, 53., omnibus illo die festo, illa diei parte adeundum: *oecus*, pars templi: pars *oeci totius*, τὸ ὑπερῷον, c. 1, 13. — καθήμενοι, *sedentes*) quiete, mane. v. 15.

v. 3. αὐτοῖς, *illis*) Constr. cum *apparuerunt*, sed ita, ut vis pronominis redundet etiam ad *dispertitae*, διαμεριζόμεναι. Atque hoc valet *distributae*, sed in praesenti, coll. v. 45. Non dicitur, σχιζόμεναι, quasi linguae in ore fuerint *fissue*; neque διαιρούμεναι, *divisae*, quasi aliud duntaxat aliis eloquium ardens fuerit datum. Intermedium verbum adhibetur, διαμεριζόμεναι. — γλῶσσαι, *linguae*) Sumitur h. l. metaphorice, ut לשון passim, et לְשׁוֹן אֵשׁ Es. 5, 24. ut notentur *linguae quasi igneae*. Manet tamen magna pars proprietatis, quia de *loquela* agitur. Erant flammulae verticī singulorum insidentes, non ex ore eorum prodeuntes. nam sequitur: *seditque*, videlicet Spiritus sanctus, v. seq. qui super eos venit, c. 1, 8. specie illa linguarum. non additur articulus αἱ, qui denotaret naturales oris apostolorum linguas, nunc miraculose affectas. — ἐκάθισέ τε, *seditque*) scil. ὁ καθίζων, *sedens*. conf. ἐκάθισαν, *consederunt*, Ap. 20, 4. Ellipsis apta. nam non illico, sed paullo post constitit, sessorem hunc esse Spiritum S. — ἐφ' ἕνα ἕκαστον, *super unumquemque*) Conf. omnino ἐπὶ, *super*, Joh. 1, 32. 33. [*Hoc spiritûs et ignis baptisma fuit.* V. g.]

v. 4. καὶ, *et*) Describuntur interna, cum suo effectu, ut v. 3. externum symbolum. — ἅπαντες, *cuncti*) cuncti illi, de quibus v. 1. 14. 15. c. 1, 14. seq. varia aetate, sexu, conditione. infra, v. 17. s. — ἤρξαντο, *coeperunt*) Id antea nunquam factum. — λαλεῖν, *loqui*) sine labore, expedite. — γλώσσαις, *linguis*) Miraculosa varietas non in auribus auditorum erat, sed in ore loquentium. cap. 10, 46. 19, 6. Marc. 16, 17. 1 Cor. 12, 10. Haec familia, totius mundi linguis DEUM celebrans, erat instar totius mundi, linguis suis DEUM laudaturi. — καθὼς, *sicut*) 1 Cor. 12, 11. — ἐδίδου, *dabat*) ut loquerentur sine labore, et tamen libere. — ἀποφθέγγεσθαι, *profari*) cum sobrietate et virtute. v. 14. c. 26, 25. Justus Jonas: *Moses, qui typum gerit legis, impeditae linguae fuit: — Evangelium vero loquitur lingua ignita et flammante.*

v. 5. κατοικοῦντες, *habitantes*) Hi non ad pentecosten duntaxat venerant, quanquam verbum *habitandi* limitatur versu 9. et 10. [*Hierosolymas ideo, ut videtur, habitatum concesserant, quod tempus adventantis Messiae impletum erat: quare illico adesse, in votis habebant.* V. g.] — ἰουδαῖοι, *Judaei*) Nam ex

Digitized by Google

gentibus nemo aderat, sed Judaei variarum gentium. — τῶν) Subaudi *terrarum*. Luc. 17, 24. not.

v. 6. φωνῆς, *voce*) de qua v. 4., nec non v. 2. conf. ‏קל‏ φωνὴ, Ex. 4, 8. Ps. 19, 4. — τὸ πλῆθος, *multitudo*) de qua v. 5. — συνεχύθη, *confusa est*) Varii erant homines et animorum motus.

v. 7. ἐξίσταντο, *stupebant*) v. 12. — γαλιλαῖοι, *Galilaei*) adeoque unius dialecti. Galilaeos esse, norant ex eo, quod erant discipuli JESU.

v. 8. καὶ πῶς, *et quomodo*) Periodus concluditur v. 11. Nam illud: *quomodo nos audimus unusquisque lingua nostra, in qua nati sumus*, per se abrupte sonans, coll. v. 6., post longam parenthesin, qua oratio decore suspenditur, reassumitur his verbis: *audimus eos loquentes* etc. Admirationi eximie congruit sermo. Conf. quae de tali parenthesi notavimus ad *Gregorii Thaum.* Paneg. §. 94. Varias et dialectos, v. gr. Ponticam, Asiaticamque Graecam, et linguas, referebant apostoli.

v. 9. πάρθοι, *Parthi*) Non dubium est, quin omnium gentium Judaei, Hierosolymis quidem *habitantes*, scierint Hebraice: quare haec linguarum varietas, in V. T. inaudita, indicat, Evangelium ad gentes omnes, ipsarum linguis, perventurum esse. Porro series illa, qua populi enumerantur, denotare videtur ordinem partim Geographiae, partim conversionis gentium. Primo ponuntur posteri Semi, deinde Japheti, nec non Chami; ex Asia, Africa, Europa, iterum ex Asia. *Parthorum* natio, eo tempore imperio pollens, prima ponitur. — οἱ κατοικοῦντες, *qui habitamus*) vel *qui habitabamus*. Hoc participio adhibito commodior fit appellatio gentium, quae sequuntur. — ἰουδαίαν, *Judaeam*) cujus dialectus differebat a Galilaea. v. 7. Sic etiam indigenis dabatur miraculum. *Armeniam* legit *Augustinus*: eaque inter *Mesopotamiam Cappadociamque* jacet. sed vetustam sane *Armeniorum* linguam sub alia quadam gente hic nominata innui, existimare licet. — τὴν ἀσίαν, *Asiam*) *Asiam* stricte dictam. Articulus facit epitasin, ut notetur regio quam remotissima ad occidentem.

v. 10. αἴγυπτον, *Aegyptum*) Haec inprimis regio Judaeis abundabat. — τὰ μέρη, *partes*) plures. — κυρήνην, *Cyrenen*) urbem Libyae ad occidentem, adeoque remotioris etiam. — οἱ ἐπιδημοῦντες ῥωμαῖοι, *advenae Romani*) Romae nati, sed nunc Hierosolymis domum habentes. Hi videntur post ceteros antea enumeratos Hierosolymam venisse. Soli ex Europaeis Romani jam memorantur.

v. 11. ἰουδαῖοι τε καὶ προσήλυτοι, *et Judaei et proselyti*) Multos illis temporibus proselytos e Romanis eorumque libertinis et fuisse et pulsos fuisse, patet ex Tacito, l. 2. Annal. cap. 85. Non tamen ex Romanis solum, sed etiam ex ceteris gentibus *proselyti, Judaeis* oppositi, hoc loco innuuntur. — κρῆτες, *Cretes*) Creta insula insulas in hac enumeratione repraesentat. Multa prophetae praedixerant de ‏אִיִּים‏ *insulis* convertendis: harumque plures, occidentem spectantes, in ipsis Actis occurrunt. — λαλούντων, *loquentes*) psalmis Davidicis, eo tempore usitatis, vel etiam locutione recenti. — τὰ μεγαλεῖα, *magnalia*) magnas virtutes, magna opera.

v. 12. πάντες, *omnes*) religiosi. v. 5. Conf. v. seq.

v. 13. χλευάζοντες, *irridentes*) Mundus incipit a *ludibrio:* inde progreditur ad *quaestionem*, c. 4, 7., ad *minas*, v. 17., ad *carceres*, cap. 5, 18., ad *verbera*, v. 40., ad *caedem*, c. 7, 58. — γλεύκους) *musto* vel *dulci* vino, praeteriti aut praesentis anni, aliove potu valido. — μεμεστωμένοι, *repleti*) Homines naturales solent res supernaturales naturalibus causis imperite et impudenter tribuere. conf. c. 26, 24.

v. 14. σταθεὶς, *stans*) Omnes gestus, omnia verba Petri, summam *sobrietatem* indicant. — δὲ, *autem*) occasione utens. Apostoli semper occasionem habuere, nunquam dimisere. [*Non loco, non tempori certo etc. adstricti erant.*

Liberrimâ utebantur, eâque tanto efficaciore, proponendi ratione. V. g.] — ἐπῆρε, ***sustulit***) cum parrhesia. — ἀπεφθέγξατο) Scite ponitur hoc verbum, pro εἶπε, ***dixit:*** in hoc sermone solennissimo et ardentissimo, ac sobrio tamen. conf. Act. 26, 25. — ἄνδρες, ***viri***) In hac veteri appellationum simplicitate multo plus inest gravitatis, quam hodie, ubi in titulis tot epitheta ***Nobilitatis, Dignitatis*** etc. cumulantur. Habet autem haec oratio tres partes, quarum quaelibet ab hac appellatione incipit. v. 22. 29. sed crescente familiaritate sermonis, v. 29. addit, ***fratres,*** facto jam interim conversionis initio. — ἰουδαῖοι, ***Judaei***) in Judaea nati. — ἅπαντες, ***cuncti***) Hebraico sermone loquebatur Petrus, quem unum omnes intelligebant. — τοῦτο, ***hoc***) Tali exordio non uteretur ebrius. Decenter monet et rogat Petrus.

v. 15. ὑπολαμβάνετε, ***existimatis***) Non dicit, ***Aliqui ex vobis illudunt.*** Clementer loquitur. — οὗτοι, ***hi***) Loquitur in tertia persona, se ipso et ceteris apostolis non exclusis. ipsum defendebat etiam oratio sua, ceteros cum ipso apostolos, ***statio*** ipsa: et illi, quos docet, sic dixerant, οὗτοι, ***hi,*** v. 7. — τρίτη, ***tertia***) Ebrius fere nescit horam: nec mane facile quisquam inebriatur, ibi praesertim, ubi domi est. 1 Thess. 5, 7. Erat dies pentecostes festus: et diebus festis Judaei abstinebant epulis usque ad meridiem. vid. Petiti var. lect. c. 15. [Tertia ***Judaeis hora fuit, quae nobis nunc nona est ante meridiem.*** V. g.]

v. 16. ἀλλὰ, ***sed***) Hi non sunt poti, inquit, sed Spiritu repleti. — τοῦτο, ***hoc***) Sapienter haec dicuntur ante illa, quae v. 22. commemorantur. Mentio adventus gloriosissimi ad judicium omnia, quae de Jesu Christo dicuntur, splendidiora reddit et efficaciora.

v. 17. s. καὶ ἔσται κτλ.) Joël 3, 1—5. LXX, καὶ ἔσται μετὰ ταῦτα καὶ ἐκχεῶ — καὶ ἐπὶ τοὺς δούλους μου — καὶ δώσουσι τέρατα ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς αἷμα — πρὶν ἐλθεῖν — σωθήσεται. — ἐσχάταις, ***novissimis***) Omnes dies N. T. sunt dies ultimi: atque hi ultimi jam longe processerunt. — πνεύματος, ***Spiritu***) Suave antitheton: ***de Spiritu meo, super omnem carnem.*** — πᾶσαν, ***omnem***) Promissio non ad solam Pentecosten illam pertinet. v. 39. Apud Joël dicitur, ***Spiritum meum:*** per Petrum, ***de Spiritu meo,*** respectu Pentecostes illius speciatim. — καὶ, ***et***) Describuntur homines omnis sexus, aetatis, ordinis. — προφητεύσουσιν, ***prophetabunt***) Prophetia, insigne charisma, praecipuum documentum DEI in hominibus operantis. — ὁράσεις κτλ. ***visiones etc.***) in vigilia et somno. Apud juvenes maxime vigent sensus externi, visionibus opportuni: apud senes sensus interni, somniis accommodati. Apostoli erant ***adolescentes:*** et convenienter Petrus ***adolescentes*** praeponit, cum Joël senes praeponat. Petro obtigit ***visio*** c. 10, 17. Paulo item, etiam noctu, c. 16, 9. Non tamen adolescentes a somniis, neque senes a visionibus excluduntur. — ἐνυπνίοις) Sic cod. plerique, et sic ***Alex.*** etiam apud Joël. Alii ἐνύπνια et saepius quidem LXX habent ἐνύπνιον ἐνυπνιάζεσθαι· sed hoc loco neque commode, vel etiam grandiore significatu dicitur, ἐνυπνίοις ἐνυπνιασθήσονται [1]). Talis locutio, ὅρκῳ ὤμοσεν. v. 30. — καί γε) ***et sane.*** — δούλους μου, ***servos meos***) Intelliguntur servi secundum carnem, diversi a liberis, v. 17., sed iidem servi DEI.

v. 19. τέρατα, ***prodigia***) Magnas revelationes gratiae comitantur judicia in malos. Num. 14, 20. seqq. Jud. v. 5. et horum repraesentatio admonet de illa accipienda. [***Spiritus sancti continua est effusio, diversis licet modis fiat.*** V. g.] ἐν τῷ οὐρανῷ, ***in coelo***) De his v. 20. — ἐπὶ τῆς γῆς, ***super terra***) De his statim hoc versu, per χιασμόν. Talia signa edita sunt ante passionem Christi, quae v. 22. memorantur: sed ita describuntur, ut includantur etiam ea, quae facta sunt

---

1) Gnomon *itaque, relicta crisi* Ed. majoris, *marginem* Ed. 2. *lectioni* ἐνυπνίοις *palmam decernentem, sequitur.* E. B.

Google

ipso passionis et resurrectionis tempore, tum in vastatione Hierosolymorum, maxime vero ea, quae novissimum diem praecedent. Matth. 24, 29. Prophetia a temporibus extremis remota summatim et uno conspectu omnia complectitur. Sic plane clausula Malachiae (coll. Matth. 11, 13. s. not. 17, 11. s. not.) directe spectat adventum Johannis baptistae, eique clausulae incidenter subnectitur mentio *diei terribilis*, novissimi. — αἷμα, *sanguinem*) caedes et bella. — πῦρ, *ignem*) incendia. — ἀτμίδα καπνοῦ, *vaporem fumi*) Fumus crassus desinit in vaporem subtilem.

v. 20. ὁ ἥλιος, *sol*) Haec proprie accipienda sunt. Matth. 24, 29. not. — αἷμα, *sanguinem*) colorem sanguineum, subnigrum. conf. Gen. 49, 11. — τὴν ἡμέραν Κυρίου, *dies Domini*) dies judicii extremi, non exclusis ceteris revelationibus divinae gloriae, illum praegredientibus. — ἐπιφανῆ) יוֹם נוֹרָא LXX ἐπιφανῆς, non semel.

v. 21. [1]) ἐπικαλέσηται, *invocaverit*) Omnes orationum species hoc verbo continentur. Delectatus est Melanchthon inprimis vocabulo *invocationis*. [*Invocatio innuitur talis quae fit* in spiritu. V. g.] — σωθήσεται, *salvus fiet*) effugiet poenas; beatitudinem assequetur. [*In ipso etiam* fine, *qui universae creaturae terribilis erit*. V. g.] Luc. 21, 36.

v. 22. ἰησοῦν τὸν ναζωραῖον, *Jesum Nazarenum*) quem nostis. Hic ipse summam praebet omnium sermonum apostolicorum. c. 3, 13. etc. Hunc sine variatione praedicarunt; et semper animas lucrifecerunt. — ἀποδεδειγμένον, *demonstratum*) evidentissime. — τέρασι, *prodigiis*) quae sunt praeludia eorum, de quibus v. 19.

v. 23. ὡρισμένῃ, *definito*) Occupatio, cur Judaeis id permissum in tantum Virum fuerit: et praevia consolatio, c. 3, 17. 18. coll. Gen. 45, 5. — βουλῇ καὶ προγνώσει, *consilio et providentia*) Consilium (de quo conf. c. 4, 28.) ponitur ante providentiam. Itaque providentia permultum dicit. Subsecuta est eam etiam praedictio. c. 3, 18. — ἔκδοτον) *deditum*. — ἀνόμων, *iniquorum*) Iniqui, *lege* carentes, Pilatus cum suis gentilibus, per quos Judaei id patrarunt.

v. 24. λύσας, *solvens*) Congruit hoc verbum cum vocabulo חֲבָלִים quod Lat. *funes* denotat, sed etiam de doloribus parturientis dicitur. — τὰς ὠδῖνας, *dolores*) ex quibus nova vita orta. *Dolores mortis* expertus est Jesus, dum obiit. In morte, τετέλεσται· adeoque post mortem, dolorum nihil; paulo post, in resurrectione, facta est solutio non *dolorum*, sed *vinculorum*, quae dolorem attulerant, dum obiret. — ᾅδου) Dicuntur ὠδῖνες θανάτου et ὠδῖνες ᾅδου, Psalm. 18, (17.) 5. 6. Apud Lucam plerique θανάτου scripserunt, fortasse molliendi sermonis opinione: sed antiqua lectio ᾅδου magis congruit cum versu 27. 31. [2]) — οὐκ ἦν δυνατὸν, *non erat possibile*) propter praedicta v. 25. et causas in iis commemoratas. Huic respondet *oportet*, c. 3, 21. Hinc toties *semel* illud, de morte Christi. Rom. 6, 10. not. — ὑπ᾽ αὐτοῦ, *ab illo*) ab *Inferno*, quamlibet potenti hoste.

v. 25. εἰς αὐτὸν, *in eum*) in Christum. — προωρώμην — εἰς ᾅδου — ἐγνώρισάς μοι κτλ.) Ps. 16, 8—11. LXX, προωρώμην — εἰς ᾅδην — ἐγνώρισάς μοι κτλ. — προωρώμην, *providebam*) Hoc ipsum eodem Psalmo paulo ante, v. 2., sic expressum: *Bonitas mea praeter te nulla.* — ἐκ δεξιῶν μου ἐστὶν, *a dextris meis est*) ad me tegendum.

v. 26. ἡ γλῶσσά μου, *lingua mea*) Sic LXX interpretati sunt כבוד Hebraeum poëticum. quod quid significet, colligi potest ex Ps. 30, 13. coll. v. 10., ubi opposita sunt *pulvis* et *gloria*, perinde uti Ps. 7, 6. et ex Ps. 57, 9. ubi *glo-*

---

1) πᾶς, *omnis*] Omnes hujus generis homines, et soli. *V. g.*

2) *Lectionem* θανάτου *praetulerat* Ed. maj.; *sed* ᾅδου, *praefert* Ed. 2. *cum* Gnom. *et* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

ria medium est inter *cor* et *instrumenta* et ex hoc ipso dicto, ubi *gloria* medio inter *cor* et *carnem* loco ponitur. Denotat igitur ipsum naturae florem, qui vel maxime per *linguam*, vocem, cantum se exserit. nam *carni gloria* idem est, quod *flos* gramini sive *herbae*, 1 Petr. 1, 24. sive *decor vultus*, Jac. 1, 11. — ἔτι δὲ, *insuper vero*) *etiam, adeo.* Epitasis.

v. 27. τὴν ψυχήν μου, *animam meam*) me ipsum, quod ad *animam* attinet. Subsequens sententia spectat *corpus*. — εἰς ᾅδου) scil. τόπον. ᾅδης est quasi *sepulcrum* animarum. לִשְׁאוֹל LXX, εἰς ᾅδην זוב cum ל Lev. 19, 10. Ps. 49, 11. Job. 39, 14. Erat in inferno: non est relictus in inferno. — τὸν ὅσιόν σου, *sanctum tuum*) Hebr. *Gratiosum tuum.* Christus est, in quo Patris beneplacitum requiescit.

v. 28. ἐγνώρισάς μοι, *notas fecisti mihi*) Vid. Hebr. 9, 12. not. — ὁδοὺς ζωῆς, *vias vitae*) quibus pervenitur ad vitam, et ambulatur in vita. LXX, ὁδοὺς, Hebr. דֶּרֶךְ in singulari. — μετὰ τοῦ προσώπου σου, *cum facie tua*) *quum tecum sim.* Hebr. 9, 24.

v. 29. ἐξὸν) scil. ἔστω. Neutrum frequens sine verbo: ellipsis hoc loco morata. — μετὰ παῤῥησίας, *libere*) Davidem magni faciebant Judaei; de quo dicendum erat aliquid minus favorabile, quo magis augeretur gloria Christi. Est igitur hoc loco προθεραπεία, praevia sermonis mitigatio. — πατριάρχου, *patriarcha*) Hoc nomen majoris est dignitatis, quam nomen regis. Id quoque ad προθεραπείαν facit. — τὸ μνῆμα αὐτοῦ, *sepulcrum ejus*) idque cum ipso Davidis corpore corrupto. Molliter loquitur. — ἐν ἡμῖν, *inter nos*) Israëlitarum monumenta, loca, instituta, mores, familiae, adagia, mirifice conveniebant cum Scriptura V. T. Sic quoque libri N. T. conveniunt cum statu rerum subsecuto.

v. 30. προφήτης, *propheta*) unde Psalmus XVI est *propheticus*. — εἰδὼς, *sciens*) per prophetiam Nathanis. Post hanc igitur David cecinit Psalmum 16. — ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν, *jurejurando juravisse*) Ps. 132, 11. coll. v. 2. — καρποῦ τῆς ὀσφύος, *fructu lumbi*) De propagatione loquitur Scriptura cum mirabili et proprietate et verecundia. *Seminis* periphrasis. — καθίσαι) *collocare.* — αὐτοῦ, *ejus*) Davidis.

v. 31. προϊδὼν, *providens*) visione *prophetica.* — ἐλάλησε, *locutus est*) Psalmo illo 16. — τοῦ χριστοῦ, *Christi*) Petrus sic argumentatur: David non locutus est de se ipso, ut res ostendit. Ergo locutus est de Christo, ex mortuis resurrecturo. Quomodo autem ex promissione de regno infertur resurrectio? Resp. Quia antea non capessiverat Christus regnum, et quia regnum futurum erat aeternum. Agnovit igitur David indolem regni Messiae. — ἡ ψυχὴ αὐτοῦ) Omittit hoc *Latinus.* Habet enim: *neque derelictus est in inferno:* ubi masculinum, *derelictus*, ostendit, scienter hoc posuisse interpretem. Congruunt alii testes pervetusti. [1]) Supplerunt recentiores ex v. 27.

v. 32. τοῦτον τὸν ἰησοῦν, *hunc Jesum*) v. 23. 36. — ἀνέστησεν, *resuscitavit*) ex mortuis. — οὗ, *cujus*) nempe DEI, qui id fecit. c. 5, 32. 10, 41. 1 Cor. 15, 15.

v. 33. τῇ δεξιᾷ) Sic quoque c. 5, 31. Hebraeum לִימִין LXX solent reddere ἐκ δεξιῶν, etiam Ps. 110, 1., ad quem locum Petrus respicit, et tamen dicit τῇ δεξιᾷ, quod semel habent LXX Jes. 63, 12. Christus *dextrâ DEI* exaltatus est ad dextram DEI. — οὖν, *igitur*) Confirmata resurrectione Christi, ascensio non potest in dubium vocari. Ideo haec primo asseritur per se, deinde etiam ex Ps. 110. confirmatur. — ὑψωθεὶς, *exaltatus*) Exaltatio proprie facta est in ascensione. — ἐξέχεε, *effudit*) v. 17. — τοῦτο ὃ νῦν) Latini recentiores, *hunc*, *quem*, pro *hoc*

---

1) *Inde et h. l. margo* Ed. 2. *cui* Gnomon *cum* Vers. germ. *respondet*, *lectionem breviorem*, *in* Ed. maj. *minoris aestimatam*, *ad notam* β *evexit.* E. B.

Digitized by Google

quod nunc. Subaudiebant πνεῦμα, *spiritum.* Graece neutrum genus est, Latine masculinum. est autem absoluta locutio, *hoc,* novitatem doni hujus ineffabilis eleganter denotans. νῦν, *nunc,* a quibusdam omissum, habet *Irenaeus.* — βλέπετε καὶ ἀκούετε, *videtis et auditis*) Habetis rerum testimonia non illudenda.

v. 34. οὐ γὰρ δαυὶδ, *non enim David*) Dilemma: Propheta loquitur aut de se, aut de Messia. conf. c. 8, 34. Non de se, v. 29. ergo de Messia. vid. Matth. 22, 44. not. — δὲ, *autem*) Ergo alter est, isque Messias, qui ascendit. — αὐτὸς) *ipse.* — κάθου, *sede*) Haec sessio necessario infert ascensionem. differunt enim, ut actus et status; et ipse actus interdum per *sessionem* denotatur.

v. 36. ἀσφαλῶς, *certo*) Hoc Petrus magna vi proclamavit. conf. c. 4, 10. 13, 38. γνωστὸν, *notum.* — καὶ κύριον [1]) καὶ χριστὸν, *et Dominum et Christum*) Allegarat Petrus promissionem de *Christo* datam Davidi, et Psalmum, quo David *Dominum* eundem dixit. nunc igitur *Domini* titulum infert ex v. 34. et ex Psalmo 110., ac titulum *Christi* ex v. 30. et ex promissione Davidi data repetit, utrumque nervum hac anakephalaeosi conjungens. Particula καὶ *et* geminata, quanquam priore loco a quibusdam neglecta, orationem valde vividam facit. [2]) Deinceps constanter in N. T. Jesus exaltatus innuitur appellatione *Domini,* v. 47. etc. praeterquam ubi respicitur יהוה Hebraicum, pro sensu locorum V. T. explicandum. — αὐτὸν, *eum*) scil. *hunc.* Plane demonstrat. — ἐποίησε, *fecit*) ita quidem, ut JESUS etiam antea fuerit Dominus et Christus. v. 34. — ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, *vos crucifixistis*) Aculeus in fine.

v. 37. κατενύγησαν, *compuncti sunt*) Gen. 34, 7. ויתעצבו κατενύγησαν. — εἶπον, *dixerunt*) Apostoli non soliti sunt finem dicendi prius facere, quam auditores, quomodo affecti essent, ostendissent. Si hodie auditores, quid in corde sentirent, illico significarent, multo certior et uberior omnium foret aedificatio. — τοὺς λοιποὺς, *reliquos*) Agnovere, conjunctam apostolorum esse causam. — [3]) ἄνδρες ἀδελφοὶ, *viri fratres*) Non ita dixerant prius.

v. 38. μετανοήσατε) *resipiscite,* scil. erga DEUM. Sic hoc versu innuitur S. Trinitas. [*Conf.* c. 3, 19.] — βαπτισθήτω, *baptizetur*) Loquitur, ut de re jam omnibus nota: nam et Johannes et Christus *baptismum* dederant. — ἐπὶ τῷ ὀνόματι ἰησοῦ, [4]) *in nomine Jesu*) Vid. not. ad Matth. 28, 19. — ἁμαρτιῶν, *peccatorum*) illius peccati, quod Christum crucifixistis, (de hoc enim peccato praecipue angebantur,) et ceterorum omnium. — λήψεσθε, *accipietis*) perinde ut nos. Nos vobis documento sumus.

v. 39. ὑμῖν, *vobis*) Hoc plus notat, quam *vestra.* Conf. Luc. 2, 10. — ἐστιν, *est*) *extat* impleta. c. 3, 25. s. 14, 32. — ἡ ἐπαγγελία, *promissio*) doni hujus. — πᾶσι, *omnibus*) adeo non solis apostolis. — τοῖς εἰς μακρὰν, *qui longe sunt*) LXX, Jes. 57, 19. εἰρήνην ἐπ᾽ εἰρήνῃ τοῖς μακρὰν καὶ τοῖς ἐγγὺς οὖσι. Apostoli interdum tetigere mysteria, quorum declaratio plenior postmodum per ipsos erat exitura: et iis tantisper tetigere verbis, quae et sermoni V. T. et praesenti ipsorum, vero, sed nondum pleno sensui, et intentioni divinae per eos ulterius se declaraturae mirabiliter congruerent. Hoc loco Spiritus S. per Petrum ea locutus est, de gentibus, cito, magno numero, citra circumcisionem, adsciscendis, coll. Eph. 2, 13. quae Petrus ipse postea cap. 10. non illico percepit; et tamen cum Esaja congruebant: et verba etiam haec apta sunt sensui illi, quem postea cepit. Omnia Scripturae verba scientissime sunt electa. De re, expende,

---

1) καὶ κύριον αὐτὸν καὶ χριστὸν, *lectio firmior, per marginem* Ed. 2. E. B.

2) *Eamque per repetitionem vocularum* zu einem *aliquatenus expressit* Vers. germ. E. B.

3) τί ποιήσωμεν, *quid faciamus?*] Verae conversionis initium, ad hanc quaestionem ubi perventum est. *V. g.*

4) *Pleniorem lectionem,* Ἰησοῦ χριστοῦ *praefert margo* Ed. 2. *quem sequitur* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

primum, c. 3, 26. Rom. 2, 10. *cum*, Rom. 15, 10. Eph. 2, 19. 3, 6. Insimul est euphemia, quod non appellantur *Gentes*. — ὅσους ἂν κτλ. *quoscunque etc.*) LXX, οὓς ὁ Κύριος προσκέκληται. Joël cap. cit. v. 5. — προσκαλέσηται) *vocaverit ad se*. Haec vis verbi medii. — Κύριος) יהוה *Dominus*. — ὁ θεὸς ἡμῶν, *Deus noster*) omnium nostrum.

v. 40. πλείοσι, *pluribus*) Instandum, donec res confecta sit. — διεμαρτύρατο, *testificatus est*) Hoc pertinet ad antecedentia. — παρεκάλει, *exhortabatur*) Hoc ad ea, quae sequuntur. — σώθητε, *salvamini*) *salutariter discedite*, sine mora. Deducitur hoc e v. 21. et repetitur versu 47. Conjugata nominis *JESU*. *Salutis* initium est in conversione, non demum in obitu. Eph. 2, 5. — τῆς σκολιᾶς ταύτης) *ista prava*, de qua v. 13. Aptum Judaeis epitheton: quorum nonnulli perseverabant irridere.

v. 41. οἱ) Id est, qui non in compunctione subsistebant, sed *libenter* et revera obtemperabant. Character Pentecostes N. T. — ἀποδεξάμενοι) Subjectum, non pars praedicati. *receperunt* sermonem omni acceptione dignum. 1 Tim. 1, 15. — ἐβαπτίσθησαν, *baptizati sunt*) Subaudi: *et acceperunt donum Spiritus sancti*. v. 38. — καὶ, *et*) et sic. — προσετέθησαν, *appositae sunt*) Anten fuerant duntaxat CXX nomina: et tamen ter mille circiter animae dicuntur *appositae*, quia prius tamen fuerat caput et corpus. Sic, *apponebat*, v. 47. — ὡσεὶ τρισχίλιαι, *ter mille circiter*) Admiranda efficacia Evangelii.

v. 42. προσκαρτεροῦντες, *perseverantes*) omnibus aliis rebus relictis. — κοινωνίᾳ, *in communione*) omnium bonorum internorum et externorum, actionum et consiliorum. conf. de facultatibus, Rom. 15, 26. — τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, *fractione panis*) id est, victu frugali, communi inter ipsos. confer tamen v. 46. not. Christianismus omnium et singulorum non modo ex cultu sacro, sed etiam ex victu quotidiano aestimatur.

v. 43. φόβος, *timor*) Habebant enim DEUM praesentem. Hic timor prohibuit, ne persecutores, antequam maturum esset, in novos Christianos erumperent. — διὰ τῶν ἀποστόλων, *per apostolos*) itaque non per omnes alios.

[1]) v. 45. κτήματα, *possessiones*) agros, domos, cap. 5, 1. 8. — ὑπάρξεις, *substantias*) rerum mobilium. — ἐπίπρασκον, *vendebant*) Dictum Domini, Luc. 12, 33. brevi ante ad discipulos dictum, in omnia tempora conveniens, maxime in praesens conveniebat. [*Sic postea in vastatione Hierosolymorum non habebant, quorum jacturam facerent; et omnia interim optime collocata erant. Imminentes temporis calamitates non ad parcimoniam, sed ad liberalitatem prudentiores permovent. Cohel.* 11, 2. *Jac.* 5, 3. V. g.] — διεμέριζον, *distribuebant*) Differt passivum διεδίδοτο, *dividebatur*. c. 4, 35. Subinde crescebat multitudo. Dividebant ipsi credentes: apostoli: septem diaconi. — αὐτὰ, *ea*) cuncta communia, etiam ex bonis venditis. — καθότι, *prout*) non ut in mundi societatibus, ubi quisque pro magnitudine sortis collatae, non pro sua indigentia, de communi accipit.

v. 46. προσκαρτεροῦντες κτλ.) Quatuor momenta: *perseverantes*, *frangentes*, *sumebant*, *laudantes*. cum primo horum quartum, cum secundo tertium proprie cohaeret. — ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*) publice: uti κατ' οἶκον, *domi*, privatim. — κλῶντες, *frangentes*) Hebr. שבר *frangere* vel *dare frangendum*. Significatur victus quotidianus, cum quo persaepe conjuncta erat Eucharistiae administratio. c. 20, 7. not. 1 Cor. 11, 20. s. nam in his Actis nullam plane mentionem fieri S. coenae, quum baptismi tam crebra sit, non est verisimile: fit autem tecte, ut tum solebat, 1 Cor. 10, 15. et minus frequenter. Scriptura inter ea, quae satis

---

1) v. 44. πάντες, *omnes*] ex diversissimis licet nationibus oriundi. Ab ista unitate quantis queeso intervallis absumus hodie! *V. g.*

Digitized by Google

nota sunt, et inter ea, quae occulta esse convenit, medium iter tenet sapientissime. — τροφῆς, *cibi*) Christianismus immunitatem a curis terrenis et simplicitatem amat, abhorretque a varietate artium et professionum. Talem vitam commendat totus liber Coheleth. — ἀγαλλιάσει, *exsultatione*) Fructus fidei et character veritatis. — ἀφελότητι, *simplicitate*) sine cura futuri et sine invidia, quod ad ditiores; sine pudore perverso, quod ad pauperiores attinet.

v. 47. χάριν, *gratiam*) favorem. Hunc inveniunt, qui *DEUM laudant*. — ὁ δὲ κύριος, *Dominus autem*) Jesus. — τοὺς) Articulus emphaticus. nullus erat dies sine talibus, qui salvi fierent. — τῇ ἐκκλησίᾳ) Est haec *Chrysostomi*, ut videtur, glossa per *Syrum* et alios propagata. Non habent antiquiores. [1]) [*Varie appellatur coetus fidelium, donec, constitutionem suam nactus, demum* ecclesiae *nomen habet cap.* 5, 11. Not. crit.]

CAPUT III.

v. 1. Ἐπὶ τὸ αὐτό, *una*) Hoc initio positum, emphatice significat conjunctionem Petri et Johannis. Hesychius: ἐπὶ τὸ αὐτό, ὁμοῦ, εἰς τὸν αὐτὸν τόπον. — πέτρος) Alii πέτρος δὲ scripserunt, ἐπὶ τὸ αὐτό praecedentibus verbis annectendum putantes. Commodius alii, sed recentiores, δὲ post ἐπὶ τὸ αὐτό inseruerunt. Lectio brevis, absque δὲ, media est et antiqua. [2]) — τὴν ἐννάτην, *nonam*) consuetam, opportunam precibus, sobrietatis nomine, ante coenam. c. 10, 3. [*Haec tertia nobis hora est a meridie. Eo tempore qui animum colligere soleret precibusque vacare, fructum inde haud vulgarem percepturus esset. Nulla est per se temporis differentia. Sed laborem, quum ferret maxime, praecidere vel interpellare, eximiae obedientiae specimen est. Circa meridiem privatim Petrus oravit*, c. 10, 9. V. g.]

v. 2. καί τις ἀνὴρ, *et quidam vir*) Copiose describitur homo, in quo Petrus primum edidit miraculum. — ἐβαστάζετο) Medium. — θύραν, *januam*) qua multi intrabant. πύλη *porta*, v. 10. dicitur. — ὡραίαν, *Speciosam*) Hebr. *Porta Susan*, eodem sensu. — τοῦ αἰτεῖν, *ut peteret*) quamvis mendicos non habere debebat populus.

v. 3. ἠρώτα ἐλεημοσύνην λαβεῖν, *rogabat, ut eleemosynam acciperet*) Simillima locutio 1 Macc. 11, 66., ἠξίωσαν αὐτὸν τοῦ δεξιὰς λαβεῖν. Multi λαβεῖν apud Lucam omittunt. [3])

v. 4. ἀτενίσας . . . βλέψον, *intuens . . . aspice*) Magna vis obtutus. c. 13, 9.

v. 6. ἀργύριον καὶ χρυσίον, *argentum et aurum*) Id exspectabat mendicus. — οὐχ ὑπάρχει μοι, *non est mihi*) Non dubium est, quin etiam iis, qui non erant de communitate fidelium, datae fuerint eleemosynae: sed Petrus tum vel nil habebat secum, in via ad templum, vel non tantum dare poterat, quantum ad pauperem sublevandum opus esset. Vide abstinentiam apostoli in tanta administratione. c. 2, 45. coll. c. 4, 35. — ἰησοῦ χριστοῦ, *Jesu Christi*) Jesus est Christus.

v. 7. αὐτὸν, *eum*) Claudi erat, tantummodo se permittere virtuti in ipsum incurrenti. — αἱ βάσεις καὶ τὰ σφυρὰ) De utroque vocabulo Graeco multum disputatur. Omnes partes in claudo ambulante corroboratas innuit Lucas. βάσεις sunt *Pedes*, qui praecipuum *robur* in genibus habent: σφυρὰ, abusive dicuntur

---

1) *Hinc etiam h. l. limam subiit crisis* Ed. maj., *quae* omissionem *vocum* τῇ ἐκκλησίᾳ non probandam *judicaverat. Margo* Ed. 2. *decisionem lectori reliquit: at* Gnomonis hanc ἐπίκρισιν *sequitur* Vers. germ. E. B.

2) τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς, *horam precum*] Preces publicas ab adultis quoque et honoratioribus hominibus frequentari fas est. *V. g.*

3) *Omittit etiam* Vers. germ. *b. Auctoris, utriusque* Edit. graecae *crisin imitata.* E. B.

Digitized by Google

tali, ut apud Callimachum, οὐδὲν ἐπὶ σφυρὸν ὀρθὸν ἀνέστη· proprie, malleoli, sive infimae partes cruris. Proprie locutus est *medicus* Lucas. Conf. Psalm. 18, 37.

v. 8. καὶ περιπάτει, *et ambulabat*) etsi nunquam didicerat ambulare. Nova pars miraculi. — ἁλλόμενος, *saliens*) Alacritas laudabilis. [*in honorem DEI exserta*. V. g.] Jes. 35, 6.

v. 10. θάμβους, *stuporis*) in affectu. — ἐκστάσεως, *ecstaseos*) in intellectu.

v. 11. [1]) ἔκθαμβοι, *exsternati*) Id complectitur stuporem et ecstasin.

v. 12. ἀπεκρίνατο, *respondit*) iterum occasionem nactus. — τί θαυμάζετε, *quid miramini*) Habebant causam admirandi: sed debebant agnoscere Dominum, a quo profectum erat beneficium, non haerere in opere ipso aut in organis divinis. — δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ) Saepissime jungitur δύναμις καὶ ἐξουσία· quare *Syr.* et *Latini* nonnulli, pro *virtute aut pietate*, arripuere, *virtute aut potestate*, ac porro alii apud *Irenaeum*, quum haec viderentur esse synonyma, *et potestate* omiserunt. Affinis quoque pictura, εὐσέβεια, ἐξουσία, *pietas, potestas*, praesertim in compendio scriptionis Latinae. Haec duo, *virtutem*, *pietatem*, homines in organis divinis spectare solent. quare *Petrus a se removet tam physicam potentiam, quam meritoriam, totumque adscribit DEO et Christo Domino*. H. de Bukentop lib. II. de Vulgata, p. 285.

v. 13. ὁ θεὸς, *Deus*) qui promissionem dedit patriarchis et patribus. *Deus Abrahami et Isaaci et Jacobi, Deus patrum nostrorum*, appellatio frequens in Actis, prae ceteris libris N. T. et illi periodo temporum conveniens. — τῶν πατέρων ἡμῶν, *patrum nostrorum*) eorundem, Abrahami et Isaaci et Jacobi, coll. Ex. 3, 6. 15. s. an eorum, qui vixere v. gr. tempore Mosis et Samuelis sive Davidis, v. 22. 24. 25., quibus item promissum? Apud Mosen priore loco ponitur appellativum, *patrum*; apud Lucam, propria, *Abraham et Isaac et Jacob*. Apud Mosen certe est appositio: est etiam, ut arbitramur, apud Lucam. Promissum hoc praestitit DEUS: ergo credendum. — ἐδόξασε, *glorificavit*) etiam ante passionem ejus. Matth. 11, 27. 17, 5. Joh. 12, 28. 8, 50. 10, 36. 13, 3. 31. 17, 5. 2 Petr. 1, 17. Luc. 2, 32. Hebr. 3, 3. 5, 5. Alii referunt ad *glorificationem* Jesu Christi per praesens miraculum speciatim, vel ad totam ejus exaltationem, vel ad utrumque conjunctim. Alte incipit oratio versu 13., quare ordinem rerum et temporis textusque eundem censemus. — τὸν παῖδα αὐτοῦ, *Ministrum suum*) Vid. Matth. 12, 18. not. [*Humano more dixeris*, Prémier Ministre, *propter muneris amplitudinem*. V. g.] — ὑμεῖς μὲν, *vos quidem*) Hoc eo pertinet, ut ad *compunctionem* et *resipiscentiam* perducantur. — παρεδώκατε, *tradidistis*) Qui vobis datus erat, hunc vos *tradidistis*, cum debuissetis omni studio *gloriam* ejus agnoscere, ipsumque amplecti et retinere. — ἠρνήσασθε, *negastis*) Hoc proprio opponitur *judicio* Pilati, Jesum *dimittere* conantis. — πιλάτου, *Pilati*) quem coecum fuisse, minus mirum est, quam vos. Ostendit hoc loco Petrus, Judaeos repugnasse sententiae DEI et hominum verae de Jesu.

v. 14. ὑμεῖς δὲ, *at vos*) Observandae quatuor, sive duae potius bimembres, partes sermonis: *Deus* —, *quem vos quidem* —. *Vos autem* — *quem Deus* —. Dicit enim Petrus I Factum DEI, et consequens ex parte Judaeorum, II Factum Judaeorum, et consequens ex parte DEI. — τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον, *Sanctum et Justum*) Antonomasia illustris. Unum JESUM dicit. Is *Sanctus*, qua *Minister* Dei, quem DEUS *glorificavit*. Etenim קדש et כבוד *Sanctitas* et *Gloria* eandem paene notionem habent. Idem Justus (c. 7, 52. 22, 14.) etiam Pilati judicio. Praeterea praedicatio *Sanctitatis* JESU, opponitur opinioni de

---

1) πᾶς ὁ λαὸς, *omnis populus*] eorum, qui ad preces publicas convenerant. v. 1. *V. g.*

Digitized by Google

virtute apostolorum; ***Justitiae*** praedicatio, *pietati*, v. 12. — ἠρνήσασθε, *negastis*) Iteratur hoc verbum, alio respectu. *Negarunt* regnum: v. 13., *negarunt* sanctitatem et justitiam. v. 14. — ἠτήσασθε, *petistis*) Vel si Pilatus vobis Barrabam obtulisset, debuissetis Jesum dimittendum rogare. — ἄνδρα φονέα, *virum homicidam*) Sequitur magnificum antitheton: *auctorem vero vitae*. Hic erat Christus etiam ante passionem mortis.

v. 15. οὗ, *cujus*) Vid. c. 2, 32. not. — μάρτυρες, *testes*) Testes egerant versu 6., collato versu 16.

v. 16. ἐπὶ τῇ πίστει, *super fide*) *Fides nominis Jesu* dicitur ex eo, quod hoc nomen est nomen πιστὸν, *fidele, firmum:* et huic *fidei* respondet mox *fides, quae per eum est*, fides, quae erat in Petro, et esse coeperat in claudo illo. Correlata: *nomen* Christi, et *fides* sanctorum. — θεωρεῖτε καὶ οἴδατε) *videtis* in praesenti, *nostis* de praeterito. — τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *nomen ejus*) Nominativus, pro pronomine, *illud*, quod referretur ad *nominis*. Similis constructio 2 Chron. 28, 9.: *in ira Domini Dei patrum vestrorum super Juda dedit* (Dominus) *eos in manum vestram*. 1 Sam. 24, 6. *percussit cor Davidis eum* (Davidem.) Deut. 9, 4., *ob malitiam gentium illarum, Deus delet illas*. Eleganti regressu Petrus ab effectu ad causam concludit, et magna cum vi *nomen* toties nominat. — ἡ δι' αὐτοῦ, *quae est per eum*) Christo ejusque nomini non solum factum, sed etiam fidem ipsam Petrus acceptam refert. *Per* Christum fides nostra ex DEO est et in DEUM tendit. 1 Petr. 1, 21.

v. 17. καὶ νῦν, *et nunc*) ועתה formula transeundi a praeterito ad praesens. — ἀδελφοὶ, *fratres*) Appellatio, comitatis et misericordiae plena. — οἶδα, *scio*) Loquitur Petrus ad cor illorum, benigne. Ideo potius dicit, *scio*, quam *scimus*. — κατὰ ἄγνοιαν, *per ignorantiam*) c. 13, 27. — ἄρχοντες, *principes*) Hi non erant praesentes, sed populus. Praejudicium auctoritatis tollit Petrus, idque rursum benigne.

v. 18. δὲ, *vero*) In re a nobis male gesta hoc quoque considerandum, quid boni sub ea re DEUS fecerit. — ἃ προκατήγγειλε, *quae praenuntiavit*) Hoc opponitur *ignorantiae* Judaeorum. — πάντων, *omnium*) Hoc magnam vim sermoni addit. — παθεῖν τὸν χριστὸν αὐτοῦ) Sic Graeci codices idonei cum *Irenaeo* et *Syro*. Id est, *pati Unctum ipsius*. Idque plane congruit cum cap. 4, 26. Alii pronomen αὐτοῦ ipsius scripserunt post illud, *per os omnium prophetarum*, uti extat Luc. 1, 70. — οὕτω, *sic*) huc via.

v. 19. μετανοήσατε οὖν καὶ ἐπιστρέψατε, *resipiscite igitur et convertimini*) Hic et cap. 26, 20. *poenitentia* ponitur ante *conversionem*: Jer. 31, 19. *conversio* ante *poenitentiam*. Prius ponitur *conversio*, quum significatur receptus hominis a peccato et reditus ad cor suum; post *poenitentiam* ponitur, quum significatur in resipiscente applicatio sui ad DEUM. — εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι, *ut deleantur*) Alluditur ad *aquam* baptismi. — τὰς ἁμαρτίας, *peccata*) etiam illud, quod in Jesum patrastis. — ὅπως ἂν, *ut*) sic ὅπως ἂν, Matth. 6, 5. Luc. 2, 35. et (pro Hebraeo למען) Act. 15, 17. Rom. 3, 4. ἂν, particula potentialis, *si* scil. *poenitentiam agitis*, non totum sermonem conditionalem facit, sed ad auditores pro sua parte acuendos pertinet. — ἔλθωσι, *veniant*) etiam vobis. Nam per se tempora illa futura erant, etiamsi auditores illi non auscultassent: (conf. Zach. 6, 15., ubi pariter est conditio particularis:) sed respectu auditorum poterant magis minusve promoveri. Ideo dicuntur καιροὶ *tempora* sine articulo. — καιροὶ, *tempora*) Conf. v. 21. not. — ἀναψύξεως, *refrigerationis*) Alluditur ad *auram* N. T. plenam gratiae, cedente omni aestu. — ἀπὸ προσώπου, *a facie*) Omnis laetitia pura est a facie Domini, quum clementer nos aspicit. Ps. 44, 4. Num. 6, 25.

v. 20. ἀποστείλῃ, *mittat*) *Misit*, versu 26. nec tamen jam dicitur, *remit-*

Digitized by Google

tat, sed iterum, *mittat*. conf. c. 1, 1. not. — προκεχειρισμένον) Vix uspiam reperiunda lectio, προκεκηρυγμένον. Non *praenuntiat* hic Petrus Christum, sed *paratum* declarat. Idem verbum cap. 22, 14. 26, 16. Ex. 4, 13. Jos. 3, 12. conf. Luc. 2, 31. *Paratus* est, ut a nobis accipiatur, ut a Deo mittatur. Hesychius, προκεχειρισμένον, προβεβλημένον, ἡτοιμασμένον. sic enim legendum, pro ἠτιμασμένον.

v. 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, *qui oportet coelum quidem capiat*) Particula *quidem* apodosin, cui alias *autem* servit, repraesentatam habet in *mittat*, versu 20. *Coelo capi*, i. e. *cohiberi*, *concludi*, violenta est interpretatio, quasi coelum Christo majus sit; et inimica celsitudini Christi supra omnes coelos. Eph. 4, 10. Non tamen nullo sensu dici potuit: *coelum suscipit Christum*. *admittit* scil. ut thronus Regem legitimum, quamvis Christus antea fuerit exinanitus, nec adhuc a mundo agnitus. Sed multo augustior et Scripturae sermoni convenientior est haec sententia: *Christus capit coelum*. et sic οὐρανὸν commodius etiam caret articulo. Idem est, quod λαβεῖν βασιλείαν, *accipere regnum*, Luc. 19, 12. et βασιλεύειν, *regnare*, 1 Cor. 15, 25. Neque obstat vis verbi δέχομαι, quasi coelum debeat esse continens, quo Christus contineatur. Basilius Seleuciensis Or. 11., δέχεται ἡλίας καταγώγιον ἁμαρτίας ἐλεύθερον. nec dissimile illud Or. 14., πῶς ὁ οὐρανὸς σαγηνεύεται. Accedant, quos *K. Schmidius* huc contulit. Euripides, οὐκ ἦλθες ἐν δέοντι, δέξασθαι δόμους, *non venisti opportune*, *has aedes occupatum:* et Demosthenes, οὐδὲ διδόντων ὑμῖν τῶν καιρῶν ἀμφίπολιν δέξασθαι δύναισθ' ἄν. *ne si ipsa quidem opportunitas Amphipolin vobis traderet, eam occupare possetis.* Porro hanc quoque emphasin habet verbum δέξασθαι, ut denotet rem oblatam. Nam Pater Filio dixit: *Capesse coelum: sede a dextris meis: sede in throno meo, quod est coelum.* Denique δέξασθαι *accipere* habet notionem inchoativam, et tamen in praesenti dicitur δεῖ, *oportet*, non ἔδει, *oportuit*, quanquam ascensio non heri aut nudius tertius fuerat facta. Loquitur videlicet Petrus de re, quae ad adventum Christi de coelo gloriosum collata, erat adhuc quasi praesens, praesertim respectu auditorum jam jam ad fidem accedentium. — ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, *donec erunt spatia restitutionis*) id est, donec ea implebuntur. Sic ἄχρις ἡμερῶν πέντε, *ipsos quinque dies*, c. 20, 6. ἄχρι καιροῦ, *ad tempus*. c. 13, 11. Similes locutiones, Luc. 21, 24. Gal. 4, 2. Hebr. 3, 13. Ap. 7, 3. 15, 8. 17, 17. 20, 3. Complectitur Petrus totum cursum temporum N. T. inter Ascensionem Domini et gloriosum ejus adventum, in quibus eminet lauta illa aetas apostolica, v. 24., et respondens ei conditio ecclesiae, post apostasiam et calamitates diutinas, ex Judaeis simul et Gentibus *constituendae*. Justus Jonas: *Christus*, inquit, *est ille Rex, qui nunc accepit coelum, regnans interim per evangelium in Spiritu, donec restituantur omnia, id est, reliquiae Judaeorum et gentes convertantur*. Rom. 11. Ἀποκατάστασις est rerum ex turbis in priorem ordinem *restitutio*. Dices: Num ergo unquam omnia tali fuere in statu, cui restituenda sint? Resp. 1) Fuere, quod ad initia certe attinet: conf. Matth. 17, 11. quare apostoli etiam supra, cap. 1, 6., hoc verbo usi sunt. 2) Spectatur intentio divina et promissio: ut *visum recipere* dicitur coecus natus, quia Visus est naturale bonum. Expende verbum השיב ἀποκαθίστημι, Jer. 16, 15. 24, 6. 50, 19. Ez. 16, 55. Omnium restitutio facta erit, quum omnes hostes scabellum erunt pedum Christi: 1 Cor. 15, 25. quod sensim fit nunc, et celeriter aliquando confiet. — πάντων, *omnium*) *Universitas coelo* opponitur, ut parti. — ὧν) pro ἃ, *quae*. — ἐλάλησεν, *locutus est*) דבר fatus est. — [1]) προφητῶν, *prophetarum*) Mosis, v. 22. et ceterorum, v. 24. Huc refertur γὰρ, *enim*. v. 22.

1) τῶν ἁγίων, *sanctorum*] Omnes prophetae sancti fuerunt: omnes coelum sunt ingressi, Luc. 13, 28. Qui ut malefici repelluntur, prophetae non fuerunt, utut vaticinati

v. 22. προφήτην κτλ.) Deut. 18, 15. seqq. LXX, προφήτην ἐκ τῶν ἀδελφῶν σου ὡς ἐμὲ ἀναστήσει σοι Κύριος ὁ θεός σου, αὐτοῦ ἀκούσεσθε κατὰ πάντα, — καὶ λαλήσει αὐτοῖς καθ' ὅτι ἂν ἐντείλωμαι αὐτῷ. καὶ ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, ὃς ἐὰν μὴ ἀκούσῃ τῶν λόγων αὐτοῦ, ὅσα ἂν λαλήσῃ ὁ προφήτης ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ. — ἐκ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, *ex fratribus vestris*) Non dicit Moses, *ex fratribus nostris:* nam loquitur DEI nomine. Nec Mosi unquam promissus est Christus; nam non ex ejus tribu aut posteritate venit. planeque Moses et Christus inter se opponuntur. — ὡς ἐμέ, *tanquam me*) Israëlitae non habuerunt ideam prophetae majoris, quam Mosen, qui singularis plane in V. T. propheta fuit. Num. 12, 8. Deut. 34, 10. Huic ergo unus similis Jesus. Moses *instituit* divinitus ecclesiam Israëliticam: Christus *instituit* divinitus ecclesiam suam. Cum Mosis prophetia mox conjunctus erat effectus, eductio ex Aegypto: cum Christi prophetia conjunctus est mox effectus, redemtio. Domini vocem non potuit sustinere populus; Mosen audire optavit: Christum audire multo est optabilius. Moses omnia et sola ea, quae Dominus mandavit, locutus est populo, uberrime: Christus, multo magis. Atque ita respondet Mosi Christus, ut etiam major sit, ratione personae divinae, et muneris Evangelici. Hebr. 3, 2. s. coll. Num. cap. cit. v. 7. Similitudo non officit excellentiae, Matth. 22, 39., et particula ὡς *tanquam* pertinet ad comparandum non solum par cum pari, sed etiam minus cum majori, Matth. 5, 48., et majus cum minori. Malach. 3, 4. — αὐτοῦ, *eum*) prae me. — ἀκούσεσθε, *audietis*) audire debebitis et poteritis.

v. 23. ἔσται δὲ, *erit autem*) והיה formula modalis, attentionem excitans. — ἥτις ἐὰν, *quaecunque*) Innuitur, multos hunc Prophetam esse audituros; multos non audituros. — ἐξολοθρευθήσεται, *exterminabitur*) Pro Hebraeo, *ego requiram ab illo*, ponitur solenne illud de כרת *excidio*. Ut peccati stipendium mors est: sic peccati atrocis, mors atrox, id est, excidium.

v. 24. πάντες, *omnes*) Eandem in sententiam allegantur prophetae in Ap. 10, 7. — δὲ, *vero*) Resp. μὲν, *quidem*. v. 22. — ἀπὸ σαμουὴλ, *a Samuel*) Inter Mosis et Samuelis tempora non fuit multa prophetia, donec Mosi uni firma esset constituta auctoritas, ad quem ceteri deinceps forent dijudicandi. Deinde, quum regnum introductum est, prophetia *de regno Christi* viguit: et per ipsam Samuelis matrem prima est *Regis* et *Messiae* mentio facta, ac deinde frequentata. 1 Sam. 2, 10. 35. etc. — τῶν) Repete, ἀπὸ τῶν. — καὶ προκατήγγειλαν) καὶ *etiam*. — ταύτας, *hos*) Multa, quum tempus est, simul implentur.

v. 25. ὑμεῖς, *vos*) qui *hodie* vivitis. — τῶν προφητῶν, *prophetarum*) qua prophetarum, id est, prophetiarum. Sic cohaeret, quod sequitur, *et testamenti*: uti Dan. 9, 24., *Visio et propheta*. Ad vos, inquit Petrus, pertinent prophetiae et testamentum. Obligat auditores. — καὶ ἐν τῷ σπέρματί σου ἐνευλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς) Gen. 22, 18. LXX, καὶ εὐλογηθήσονται (al. ἐνευλογηθήσονται) ἐν τῷ σπέρματί σου πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς. A Petro appellantur πατριαὶ *familiae*, quasi sub involucro illo, de quo ad c. 2, 39. egimus. Conf. de hoc loco, Gal. 3, 8. 16. nott.

v. 26. πρῶτον, *primum*) Praevium indicium, de vocatione gentium. — ἀναστήσας, *suscitans*) ex *semine* Abrahami. — παῖδα) v. 13. — εὐλογοῦντα, *benedicentem*) Id deducitur ex v. 25. — ἐν τῷ ἀποστρέφειν) Activum: *in avertendo*. Christus est, qui avertit et nos a malitia, et impietatem a nobis. Rom. 11, 26. Res non est humanarum virium. — πονηριῶν) *malitiis*, quibus *benedictio* sufflaminatur. Πονηρία et improbitatem et miseriam notat.

---

sint, Matth. 7, 22. coll. Joh. 11, 51. Bileam propheta quidem fuit, at non in Israële, sed penes Balakum duntaxat. *V. g.*

CAPUT IV.

v. 1. Λαλούντων, *loquentibus*) Divinitus res gubernata est, ut prius eloquerentur, quod satis esset, in templo; deinde etiam in synedrio, quo ire non licuisset, nisi ducti fuissent. — ἐπέστησαν, *supervenerunt*) *Crux semper comitatur verum Evangelium.* Jonas. — οἱ ἱερεῖς, *sacerdotes*) qui laborabant de sacerdotio. — ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *praefectus templi*) qui laborabat de republica, ut summus praefectus, cui suberant praefecti excubiarum in templo. Luc. 22, 4. — οἱ σαδδουκαῖοι, *Sadducaei*) qui laborabant de doctrina sua.

v. 2. διὰ τὸ διδάσκειν αὐτοὺς, *quod docerent*) Hoc *aegre ferebant* Sacerdotes, propter suam auctoritatem; praefectus templi, metu rerum novarum. — καταγγέλλειν, *annuntiarent*) Hoc *aegre ferebant* Sadducaei, resurrectionem negantes. quorum error unico exemplo, Jesu Christi maxime, refutabatur penitus.

v. 3. εἰς τήρησιν, *in custodiam*) Sic Petrus et Johannes in fide acuebantur. — αὔριον, *crastinum*) *Crastinus* dies hic dicitur pro *postero*, per Mimesin. [*Ea nocte quanta existimes in animabus grandium apostolorum evenisse!* V. g.] — ἑσπέρα, *respera*) c. 3, 1.

v. 4. τῶν ἀνδρῶν, *virorum*) cum mulieribus ergo et liberis multo major. Huic summae, *quasi millium quinque*, includi videntur, qui c. 2, 41. memorantur. Deinde, post alias accessiones, c. 5, 14. 6, 1. 7., factae sunt complures myriades. c. 21, 20.

v. 5. αὐτῶν, *eorum*) Judaeorum. — τοὺς ἄρχοντας καὶ πρεσβυτέρους καὶ γραμματεῖς, *principes et seniores et scribae*) qui conspicui erant imperio, consilio, doctrina. — εἰς ἱερουσαλήμ, *in Jerusalem*) ex vicinia: nisi εἰς ponitur pro ἐν. [1])

v. 6. τὸν ἀρχιερέα, *princeps sacerdotum*) Hoc subauditur etiam de *Caipha.* — ἀλέξανδρον, *Alexander*) Frequens Judaeis nomen ex Alexandro M.

v. 7. ἐπυνθάνοντο, *interrogabant*) multis verbis, quasi res ignota esset aut obscura. Resp. *notum.* v. 10. — δυνάμει, ὀνόματι, *virtute, nomine*) Relatum illis aliquid fuerat ex verbis Petri. c. 3, 6. 12. 16. Et hoc ipsum Petrus egregie repetit v. 10. 12. — ἐποιήσατε, *fecistis*) Ambigue loquuntur. non dicunt: *sanastis.*

v. 8. πλησθεὶς, *repletus*) illo ipso momento. Virtus, quae in illo habitabat, se exseruit. Sic c. 13, 9. Ut praesens quodque tempus poscit, sic DEUS organa sua movet. At πλήρης, *plenus*, dicit habitum, Act. 6, 3. 5. — ἄρχοντες, *principes*) Initio honorem eis habet. Aliter, quum in oppugnando perseverant, v. 19., iterumque c. 5, 29. Conf. c. 7, 2. init. cum v. 51.

v. 9. εἰ, *si*) i. e. quum. praesentem jam ἀνάκρισιν *quaestionem* innuit. — ἀνακρινόμεθα, *examinamur*) per quaestionem judicialem. — εὐεργεσίᾳ, *beneficio*) cum alias dijudicari debeant, qui *malum fecerunt.* Non additur articulus: sed sequitur, ἡ σωτηρία, *salus*, v. 12., ubi articulus epitasin facit. Christus σωτὴρ καὶ εὐεργέτης, *Salvator beneficentissimus.* vid. Chrysost. de sacerd. p. 208. — ἐν τίνι, *in quo*) Interrogarant proceres: *qua virtute, quo nomine.* Id Petrus, mutato adjectivo, quo determinatius respondeat, assumit; et de *potestate* ac *nomine* statim etiam respondet, v. 10. — οὗτος, *hic*) qui adest v. 10. 14. — σέσωσται, *salvus factus est*) Huc ref. ἡ σωτηρία, σωθῆναι, *salus, salvari*, v. 12., ex notatione nominis *Jesu.* v. 10. [*Salus corporis animae salutis quasi typus est et speculum.* V. g.]

v. 10. γνωστὸν, *notum*) Hoc Petrus, ut magnus praeco, elata voce dixit. Brevi totum dicit. — ὑμῖν, *vobis*) proceribus.

---

1) *Et sane lectionem* ἐν, *post marginem* utriusque Ed. gr., *praefert* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

v. 11. οὗτος, *Hic*) Severiorem illationem adhibet ad principes, quam c. 3, 17. ad populum. — ὁ λίθος, *Lapis*) Articulus remittit ad prophetiam. vid. Matth. 21, 42. not. — ὑφ' ὑμῶν, *a vobis*) Hoc cum parrhesia additur. — εἰς κεφαλὴν γωνίας, *caput anguli*) Id exponitur v. seq. Ipsa aedificantium reprobatio Lapidem comprobat.

v. 12. ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ, *in alio nemine*) i. e. plane in Hoc uno salus est. In hoc plane figitur illud, *in quo*. v. 9. — ἡ σωτηρία, *Salus*) promissa, optata, qua omnem miseriam effugimus: salus corporis et animae. coll. v. 9. Magna vis articuli. — γὰρ, *enim*) *Datum* sit oportet atque editum divinitus *nomen*, in quo sit salus. Non est *nostrum*, salutare nomen designare vel excogitare: non est Romae, defunctos canonizare. — ἕτερον, *alterum*) Id respectu τοῦ ἄλλῳ, *alio*, vim habet ἐπιτατικήν. *Ammonius:* ἕτερος μὲν, ἐπὶ δυοῖν· ἄλλος δὲ, ἐπὶ πλειόνων. conf. 1 Cor. 12, 8. s. 2 Cor. 11, 4. Gal. 1, 6. 7. nott. — ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, *sub coelo*) i. e. in omni terra. c. 2, 5. Terrigenis salute opus erat: et Salvatorem oportuit in terra salutem pangere. Matth. 9, 6. — τὸ δεδομένον, *datum*) quod datum sit, ex coelo. — ἐν ἀνθρώποις, *in hominibus*) Unus est mediator: alter non est in toto genere hominum. 1 Tim. 2, 5. — ἡμᾶς, *nos*) nos, omnes.

v. 13. θεωροῦντες) *spectantes*. — παῤῥησίαν, *libertatem*) Nomen παῤῥησία, et παῤῥησιάζομαι verbum, in hoc libro perfrequens, ejus quippe argumento conveniens, characterem exprimit verae religionis. Urbem et orbem hac parrhesia vicerunt. — καταλαβόμενοι, *noscentes*) nunc, vel etiam antea. — ἄνθρωποι, *homines*) Hoc tenuius, quam *viri*. — ἀγράμματοι, *illiterati*) qui aegre legerent aut scriberent, vix ultra progressi in literis etiam sacris. — ἰδιῶται, *idiotae*) privati, piscatores videlicet; neque illis adeo artibus praediti, quibus politici et eloquentes homines nituntur. Ἀγράμματος est rudis, ἰδιώτης rudior. Vide, quae de hoc vocabulo notavimus ad *Chrysost.* de Sacerd. §. 413. *Per hujuscemodi homines contemtos coram mundo SEMPER fecit Deus praedicari verbum suum.* Justus Jonas. — ἐπεγίνωσκόν τε, *agnoscebantque*) nunc demum. nam paullo ante minus curarant.

v. 14. σὺν αὐτοῖς, *cum eis*) Petro et Johanne. — ἑστῶτα, *stantem*) firmo talo. — οὐδὲν εἶχον, *nil habebant*) quamvis vellent. v. 21. Ipsi ajunt, *non possumus*. v. 16.

v. 16. τί ποιήσομεν; *quid faciemus?*) Qui sic quaerunt, his paratum est responsum: *Credite*. — τοῖς) Casus sextus. — φανερὸν, *manifestum*) scil. *est*. Et hinc pendet ὅτι γνωστὸν κτλ.

v. 17. διανεμηθῇ) Totum pro *gangraena* habent. Ea enim sic describitur, 2 Tim. 2, 17. — ἀπειλῇ, *minis*) Nil agitis, proceres. Habent hi homines, quo confugiant. v. 29. — τούτῳ, *isto*) Non dignantur appellare *nomen Jesu*. c. 5, 28.

v. 18. φθέγγεσθαι, *loqui*) sermone familiari. — διδάσκειν, *docere*) in concionibus.

v. 19. ἀποκριθέντες, *respondentes*) aperte et rotunde. Non utuntur arte, dum dimissi sint. — ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, *in conspectu Dei*) Multa mundus pro justis habet, quae coram DEO non sunt justa: et vice versa. — ἀκούειν) *audire*, pro *obedire*. Qui non obtemperat, is vel audit invitus. — μᾶλλον, *potius*) Eorum antistitum salva demum apud sanctos fortes est auctoritas, qui nil contrarium DEO statuunt aut jubent. — κρίνατε, *judicate*) Communicatio. Non facile mundus tanta perversitate suas leges contra DEI causam tuetur, ut naturalis aequitas etiam in intellectu plane obruatur.

v. 20. ἡμεῖς, *nos*) Jam faciunt, quod vixdum prohibuerant antistites, et jus suum defendunt. — οὐ δυνάμεθα μὴ λαλεῖν, *non possumus non loqui*) Amos 3, 8. [*Incredibilem vera cordis plenitudo vim habet*. V. g.]

Digitized by Google

v. 21. προσαπειλησάμενοι) *amplius minati.* — πάντες, *omnes*) Saepe populus est sanior, quam qui praesunt.

v. 22. πλειόνων, *plus*) Inveterata fuerat claudi nati infirmitas. — ἐφ' ὃν) *super quem.*

v. 23. ἀπήγγειλαν, *renuntiaverunt*) Quamvis id nollent proceres, tamen non peccarunt apostoli. — οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι, *principes sacerdotum et seniores*) Non nominantur *Sadducaei*, qui partim sub illis continentur, c. 5, 17., partim non erant assessores.

v. 24. ὁμοθυμαδὸν ἦραν φωνὴν, *unanimiter sustulerunt vocem*) Petrus etiam hic verba videtur praeivisse: sed ceteri quoque voce sunt usi. [*Tanto magis ea re animorum devotio inflammata fuit. V. g.*] — δέσποτα) *Domine* familiae fidelium. — σὺ, *tu*) Enunciatio, cujus subjectum: *Tu DEUS, qui fecisti omnia;* tum, subaudito *es*, sequitur praedicatum, *qui dixisti.* — ὁ ποιήσας, *qui fecisti*) Altum hoc exordium in solennioribus adhibitum orationibus. Jer. 32, 17. Nehem. 9, 6. Ideo in *coelo, terra, mari* fit voluntas DEI; neque in terra debet voluntas hominum opponi aut praeponi. frustra conantur homunciones. Creator etiam per miracula eos refutat.

v. 25. ἵνατί — αὐτοῦ) Ps. 2, 1. 2. Sic plane LXX. — ἐφρύαξαν) Verbum hoc proprie de equis dicitur, ferociter *fremere.* — κενὰ) Est hoc instar adverbii. sic LXX, παρακαλεῖτε κενά. Job. 21, 34. Interrogationi in priore hemistichio, parallelum est hoc verbum in altero.

v. 26. οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, *reges terrae*) Omnia mundi regna Evangelium oppugnarunt aliquando. — οἱ ἄρχοντες, *principes*) Horum instar, *Pilatus;* ut *regum, Herodes.* Accurate respondent prophetia et eventus. Deinceps Herodes, non Pilatus, etiam apostolos legitur afflixisse.

v. 27. συνήχθησαν, *convenerunt*) Id repetitur ex v. 26. — ἐπ' ἀληθείας, *vere*) ut res ipsa demonstrat. — παῖδά σου, *Ministrum tuum*) cujus typus David. nam hic eodem nomine appellatur v. 25. — ὃν ἔχρισας, *quem unxisti*) Hic est rex unctus Domini. v. 26. Psalm. 2, 2. 6. — ἡρῴδης, *Herodes*) Hic, cum Jesum in potestate sua haberet, tamen non dimisit, sed Pilato remisit, consentiens in ea, quae erat facturus Luc. 23, 7. ss. 13, 31. — λαοῖς, *populis*) Pluralis, repetitus ex Psalmo, poëticus. Unus alterque cod. λαός, sed λαοῖς respicit versum 25. conf. 1 Reg. 22, 28. ac plane Psalmo 2. respondet praesens oratio fidelium, ut collatio docet:

reges,	*Herodes:*
principes,	*Pontius Pilatus:*
gentes,	*gentes:*
populi,	*populi Israël.*

Agit psalmus ille de *regno* Christi: quare in hostibus Herodes potius et Pilatus memorantur, quam Caiphas pontifex, qui versu 29. includitur.

v. 28. ποιῆσαι, *facere*) Plura facere, cum vellent, non potuere. Constr. cum *convenerunt*, non cum *unxisti.* Nam subjectum verbi *facere* sunt hostes congregati, de quibus praedictum erat. conf. c. 2, 23. 3, 18. — ὅσα, *quaecunque*) non pauciora, sed nec plura. — ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή σου, *manus tua et consilium tuum*) Notabilis ordo verborum. Manus Dei citius sentitur, quam consilium. Potentia innuitur et sapientia. — προώρισε) *praefiniit.*

v. 29. ἀπειλὰς, *comminationes*) Plurale. v. 17. 21. — παῤῥησίας, *libertate*) quicquid illi minentur. — λαλεῖν, *loqui*) Non petunt, ut sibi liceat non loqui, nedum ut alii mittantur; nam certi erant de sua vocatione.

v. 30. ἐν τῷ, *in*) *in extendendo*, id est, dum extendis. Sermonem comitantur miracula, eique stimulum addunt. c. 14, 3. Marc. 16, 20. — ἐκτείνειν σὲ, *extendas*) Saepe in V. T. laudatur brachium Domini *extentum.* — εἰς ἴασιν, *ad*

Digitized by Google

sanationem) v. 22. — γίνεσθαι) Repete ἐν τῷ, *dum fiunt*. Namque non possum construere εἰς γίνεσθαι, non interveniente articulo: itaque εἰς ἴασιν construitur cum ἐκτείνειν. Comma debet esse non ante εἰς, sed post ἴασιν, *dum extendis — et dum signa fiunt*. Sic planum est. — ὀνόματος, *nomen*) v. 17.

v. 31. ἐσαλεύθη, *motus est*) Documentum, omnia per Evangelium commotum iri. c. 16, 26. — ἐπλήσθησαν, *repleti sunt*) denuo. — μετὰ παῤῥησίας, *cum libertate*) Parrhesia illico eis collata est, uti v. 29. orarant, eamque prima quaque occasione inter se et ad alios exseruerunt.

v. 32. ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία, *cor et anima una*) *in credendis et agendis*. Egregius character. — οὐδὲ εἷς, *ne unus quidem*) in tanta multitudine. Summus gradus concordiae. — ἔλεγεν, *dicebat*) Hoc ipso praesupponitur, *proprietatem* possessionis non plane fuisse deletam. — κοινὰ, *communia*) Sic ferebat directio divina; fidelium numerus magnus ille quidem, sed non tantus, quantus postea; imminens mutatio status Judaici. Magistratus tum non interpellarunt, quo minus ecclesia et singuli Christiani facultates suas, prout ipsis placeret, dispensarent. v. 34. s. 6, 1. s. 11, 30. 24, 17. 1 Cor. 16, 1.

v. 33. ἀπεδίδουν, *reddebant*) Certi certos faciebant alios. — οἱ ἀπόστολοι, *apostoli*) Horum id proprie erat. nam viderant. Horum eximia fuit mensura. c. 5, 12. — χάρις, *gratia*) Gratia DEI et favor populi.

v. 34. οὐδὲ γὰρ ἐνδεής τις, *neque enim quisquam egens*) Sic hodie esse debebat, etiam sine communione bonorum, quae non nisi summo fidei et amoris flori convenit. — πωλοῦντες, *rendentes*) Praeclare collocarunt opes suas, antequam urbem Romani vastarent. Ut Israëlitae ab Aegyptiis, sic Christiani ab Judaeis lucrifecere.

v. 35. καὶ ἐτίθουν, *et ponebant*) uti milites arma submittentes. Significabant, apostolos, divina gubernante sapientia, arbitrium omne rerum habere.

[1]) v. 36. ὁ ἐπικληθεὶς, *qui cognominatus est*) Novum specimen majestatis apostolicae, fidelibus cognomina dare. — υἱὸς παρακλήσεως, *filius consolationis*) Cognomen evangelicum. Etymon explicat *de Dieu* ad h. l. et Hiller. Onom. p. 300. — λευίτης, *Levites*) Pro Leviticis, Christiana vigent. Sequuntur etiam sacerdotes. c. 6, 7. — κύπριος τῷ γένει) Sic, ποντικὸς τῷ γένει, ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει. c. 18, 2. 24.

v. 37. ὑπάρχοντος αὐτῷ ἀγροῦ, *cum esset ei ager*) extra terram Israëlis, in qua Levitis nulla portio fuerat.

CAPUT V.

v. 1. Ἀνανίας σὺν σαπφείρῃ, *Ananias cum Sapphira*) *Gratiosa* et *pulcra* nomina, mores mali.

v. 2. ἐνοσφίσατο, *fraudarit*) Peccatum Achan et Ananiae in multis simile, principio ecclesiae V. et N. T. idemque verbum ἐνοσφίσατο *fraudarit* de Achane dicitur Jos. 7, 1. Ille tamen in V. T. ore Dei, manu hominum interemtus; hic, in N. T. manu divina, ore apostoli. Simile item peccatum Judae et Ananiae. — ἀπὸ τῆς τιμῆς, *de pretio*) Videntur non credidisse hi duo, rem Christianam diu mansuram. — συνειδυίας, *conscia*) Gravius peccarunt, cum potuissent se invicem dehortari. — ἐνέγκας μέρος τι, *afferens partem quandam*) proinde ac si totum esset. Ananias tamen totum attulisse videri voluerat: itaque non multum interverterat.

v. 3. ἐπλήρωσεν, *implerit*) audacia et fraude, te non obsistente. Ipse Ananias fortasse non existimavit, Satanam subesse. Plenitudo cordis Satanica,

---

1 καθότι, *prout*] Non prout plus minusve quivis tradiderat. *V. g.*

Digitized by Google

summus malitiae gradus. — ψεύσασθαί σε) *ut falleres*, quantum in te est: quasi Spiritus sanctus nesciret fraudem tuam. v. 9. ψεύδομαι cum accusativo, Deut. 33,29. inde Ps. 66, 3. it. Job. 6, 10. 8, 18. aliquanto plus notat, quam cum dativo. — τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *Spiritum sanctum*) qui in nobis est, (conf. 2 Cor. 13, 3.) 1 Thess. 4, 8. et quo dirigente bona ecclesiae administrantur.

v. 4. μένον, *manens*) id est, dum manebat invenditus ager. — σοὶ ἔμενε, *tibi manebat*) Libera res fuit communio bonorum. — ἐν τῇ σῇ ἐξουσίᾳ, *in tua potestate*) Propositum merum, si votum absit, non obligat ad faciendum aliquid, quod per se bonum est, nec tamen necessarium. conf. Joh. Val. Schmidii diss. jur. Lipsiae habita A. 1712 de Proposito in mente retento nihil operante. §. 18. — τί ὅτι, *quare*) Liberrime peccavit Ananias et cum diuturna proaeresi. — ἔθου, *posuisti*) Idem peccatum et ab homine et *a Satana*. — τῷ θεῷ, *DEO*) Quae DEO te dare professus es, intervertisti. Ratio *Spiritus sancti* continetur sub ditione particulae ἀλλὰ, *sed*, non sub ditione particulae οὐκ, *non*. Itaque haec est sententia: Ananias mentitus est *DEO et ejus Spiritui*, non hominibus et Petro. Aude, si potes, Sociniane, ita dicere: Mentitus est non Spiritui S. et Petro, sed DEO. Mendacium Ananiae, ut est mentitus Spiritui S. et ut mentitus est DEO, idem prorsus peccatum est, et aeque grave; imo gravius quodammodo, ut est mentitus Spiritui S. conf. Marc. 3, 28. Firmissimum argumentum, quo probatur, Spiritum S. esse Personam, et Personam Deitatis.

v. 5. πεσὼν, *cadens*) Terror Ananiae, specimen terroris, quo percellentur impii in judicio, citra exanimationem. — ἐξέψυξε, *exanimatus est*) Hoc verbo mors misera denotatur. v. 10. c. 12, 23. Judic. 4, 21. Vers. LXX. Alex. Quaeres, cur tanta poena et tam repentina mors inflicta hoc gratiae N. T. pleno tempore? coll. Luc. 9, 55. 56. Resp. I. Discipuli sua voluntate ignem poposcerant in Samaritas: nunc Spiritus sanctus Petrum regit. II. Jesus, illo exinanitionis statu, Samaritanis fuerat ignotus, eisque postea praedicandus: Ananias et Sapphira evidentissime cognorant gloriam Christi et praesentiam Spiritus sancti, et uberrimam habuerant occasionem salutis. III. Ananias et Sapphira peccarunt atrocissime, liberrime, mutuo consensu, et mensuram peccati subito impleverunt. IV. initio illius oeconomiae salutare multis fuit exemplum in eis editum, et timor ex illo. V. quod gravitati poenae in corpore accessit, in anima *potuit* decedere. — φόβος, *timor*) vim refringens exempli pessimi. — τοὺς ἀκούοντας, *qui audierunt*) non modo super eos, qui viderunt. Sic v. 11.

v. 6. οἱ νεώτεροι, *juniores*) Hos docebat rem exsequi. — συνέστειλαν) *composuerunt*. — ἔθαψαν, *sepelierunt*) illico. Neque enim mora opus erat.

v. 7. διάστημα, *spatium*) Mulier, vas infirmius, longius habuit poenitentiae spatium. Pretiosum trihorium! — μὴ εἰδυῖα, *nesciens*) Nam si scisset, confessio ejus nil magnum fuisset. Neque digna erat, quae sciret; quum Spiritum Domini tentasset.

v. 8. ἀπεκρίθη, *respondit*) mulieri, cujus introitus in coetum sanctorum erat instar sermonis. — εἰπέ μοι, *dic mihi*) Hortatur eam ad dicendum, quod res esset. — εἰ τοσούτου, *tantine*) Hic summam, ut videtur, expressit Petrus. — οἱ πόδες, *pedes*) Id expressius, quam si diceretur, *qui sepeliverunt*.

v. 10. εὗρον, *invenerunt*) post reditum.

v. 11. ἐκκλησίαν, *ecclesiam*) Prima hic (coll. cap. 2, 47. not.) mentio, atque adeo specimen nativum, ecclesiae in N. T. constitutae, per evangelium evocatae, ab Judaismo sejunctae, per baptismum Christo insitae, per communitatem omnimodam conglutinatae, per Ananiae Sapphiraeque excidium *disciplinatae*. Interim appellavit Lucas *discipulos* et *copiam nominum: omnes credentes: numerum virorum: multitudinem credentium*. c. 1, 15. 2, 44. 4, 4. 32. — πάντας, *omnes*) Etiam nos *timere* debemus. — τοὺς ἀκούοντας, *audientes*) Audierunt sine dubio

Google

etiam antistites Judaeorum: neque tamen ea de re litem Petro intenderunt. Ananiae delictum erat jam manifestum: et poena erat aperte miraculosa.

v. 12. ἅπαντες, *cuncti*) credentes. — στοᾷ, *porticu*) loco capaci.

v. 13. τῶν λοιπῶν, *reliquorum*) extra credentes. — κολλᾶσθαι, *se conjungere*) familiariter.

v. 14. πλήθη) Pluralis grandis. Jam non initur numerus, uti c. 4, 4.

v. 15. ὥστε, *ita ut*) Hoc pendet a v. 12. initio. — κατὰ τὰς πλατείας, *secundum plateas*) Praepositio habet sensum distributivum sine articulo, v. 42. non cum articulo, c. 8, 3. — κλινῶν καὶ κραββάτων) *Lectus* sumtuosior: *grabatus*, tenuior. — πέτρου, *Petro*) Qui Jesum abnegarat, nunc eo magis erat conspicuus in fide. — αὐτῶν, *illorum*) Vid. App. Crit. Ed. II. ad h. l. de additamento: *et liberabantur ab infirmitate sua.* Incisi hujus vis habetur versu 12. et 16.[1])

v. 16. ἅπαντες, *omnes*) Nullum jam erat ἀπότευγμα, nullus conatus irritus, ut ante, Matth. 17, 16.

v. 17. ἀναστὰς, *exsurgens*) Non sibi quiescendum ratus est. — τῶν σαδδουκαίων, *Sadducaeorum*) Ad hos multi se aggregarunt, quo magis oppugnarent resurrectionem Jesu Christi. — ζήλου, *zelo*) Impotentia hujus affectus ex tota eorum actione elucet.

v. 19. ἄγγελος, *angelus*) *Undique invenietis, has magnas consolationes non contigisse, nisi valde afflictis.* Justus Jonas. — τὰς θύρας, *januas*) c. 12, 10. 16, 26.

v. 20. πορεύεσθε, *ite*) illico. — σταθέντες, *stantes*) liberrime. — ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*) publice, ut antea. — τῷ λαῷ, *populo*) quum proceres audire nolunt. — πάντα, *omnia*) sine imminutione. — τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης, *verba vitae hujus*) Id est, *haec verba vitae.* coll. v. 32. Sic apud Hebraeos adjectivum saepe convenit posteriori substantivo. conf. c. 13, 26. *Verba vitae,* Joh. 6, 68., sine timore praedicanda, de vita Christi et fidelium.

v. 21. γερουσίαν) Verbum LXX virale.

v. 23. κεκλεισμένον, *clausum*) Angelus iterum clauserat. v. 19.

v. 24. διηπόρουν, *haesitabant*) Mundus, Dei servos exagitans, innumerabilibus sese haesitationibus implicat, et culpam in illos confert. c. 12, 18. 16, 20. 17, 6.

v. 25. ἑστῶτες, *stantes*) Antitheton: *posuistis.*

v. 26. οὐ μετὰ βίας) *non cum vi:* qua alias non abstinuissent. Saepe importunitas multitudinis, per se non bona, conducit bonae causae. Luc. 20, 6.

v. 27. ἐπηρώτησεν, *interrogavit*) expostulans.

v. 28. παραγγελίᾳ, *praecipiendo*) Pudet dicere: *minando.* coll. c. 4, 17. nam non poterant punire. — παρηγγείλαμεν, *praecepimus*) Vide crassam calliditatem hostium Evangelii. Edicta, leges et interdicta, quae a testibus veritatis DEO obsequentibus non possunt non infringi, pro lubitu et faciunt et extorquent et fingunt, ut insontes quasi sontes plectantur. O iniquitas! — τούτῳ — τούτου, *isto — istius*) Fugit appellare *Jesum.* Petrus appellat et celebrat. v. 30. 31. — τὴν ἱερουσαλήμ, *Jerusalem*) in qua nos, inquiunt, excubamus. — βούλεσθε, *vultis*) Verbum invidiosum. Non id volebant apostoli, sed ex vero docebant, Jesum ab Judaeis nefarie fuisse interemtum, ac simul viam ostendebant, qua virtutem *sanguinis* Jesu ad gratiam et salutem experirentur. — ἐπαγαγεῖν) Sic Jud. 9, 24. ἐπαγαγεῖν τὴν ἀδικίαν — καὶ τὸ αἷμα αὐτῶν ἐπιθεῖναι ἐπὶ ἀβιμέλεχ. — ἐφ᾽ ἡμᾶς, *super nos*) Ipsi, paulo ante, sanguinem Justi in se receperant, verbis, Matth. 27, 25. et re ipsa, mox v. 30. [*Hic adversariorum mos est. Opportunitatem nacti feroces, insanos atque truculentos se exhibent: tum, victoriâ ad partes oppositas vergente, nolunt vel facto vel consilio tantopere peccasse.* V. g.]

---

1) πέριξ, *circumcirca*] Longius identidem latiusque res progreditur. *V. g.*

Digitized by Google

v. 29. πέτρος, *Petrus*) Quamvis Petrus jam praeter ceteros senserat odium mundi, tamen loquendi et agendi partes a se non amolitur. Idem non jam utitur titulo, uti cap. 4, 8. quin haec est quasi continuatio sermonis, cum incremento severitatis. — Θεῷ, *Deo*) qui per angelum jussit loqui. v. 20. — ἀνθρώποις, *hominibus*) qui tacere jubetis.

v. 30. τῶν πατέρων, *patrum*) Cap. 3, 13. — ἤγειρεν, *suscitavit*) ex semine Davidis. c. 13, 23. 3, 22. Hanc enim suscitationem spectabant promissiones patribus datae. Idem verbum, Luc. 1, 69. — διεχειρίσασθε) Antea dixerat, ἀνείλετε, ἀπεκτείνατε, ἐσταυρώσατε, nunc severiore phrasi utitur. — ἐπὶ ξύλου, *in ligno*) In ligno, initium peccati: in ligno, expiatio.

v. 31. ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα, *Principem et Salvatorem*) Auctorem salutis, Hebr. 2, 10. Id est, exaltavit illum, ut sit princeps et Salvator. c. 2, 36. — ὕψωσε, *exaltavit*) Exaltatio resurrectionem ex mortuis praesupponit, vel etiam includit. Phil. 2, 9. — δοῦναι, *ad dandum*) Poenitentia est *donum* laetum, non triste negotium. c. 11, 18. 2 Tim. 2, 25. — μετάνοιαν, *poenitentiam*) qua Jesus accipitur, ut *princeps*. — ἄφεσιν, *remissionem*) qua accipitur, ut *Salvator*. — ἁμαρτιῶν, *peccatorum*) etiam illius peccati, quod in Jesum admisistis. v. 28.

v. 32. καὶ, *et*) et inde. — δὲ, *vero*) Haec particula amplificat. Spiritus sancti testimonium majus est, quam apostolorum. — τοῖς πειθαρχοῦσιν, *obedientibus*) Deus, inquit Petrus, dedit nobis Spiritum sanctum: is ad testandum nos impellit et nos obsequimur. v. 29. Notanda, coll. v. 36. 37. 40. ubi πείθεσθαι, extat, utriusque verbi ex Ammonio differentia: πείθεσθαι μὲν τὸ ἑκουσίως συγκατατίθεσθαι· πειθαρχεῖν δὲ, τὸ κελεύοντι πεισθῆναι. Conf. Act. 27, 11. 21.

v. 33. διεπρίοντο) *findebantur* cordibus. c. 7, 54. Sic *findor* Latini dicunt. — ἐβουλεύοντο) *consultabant*.

v. 34. ἀναστὰς, *surgens*) ut plura dicturus. — ἐν τῷ συνεδρίῳ, *in concilio*) Undique potest DEUS excitare defensores. — φαρισαῖος, *Pharisaeus*) Resurrectionem mortuorum credens, a Sadducaeis negatam. — τίμιος, *in pretio habitus*) magnae existimationis. — παντὶ τῷ λαῷ, *omni populo*) quamvis proceres, Sadducaei v. 17., eum non tanti aestimarent. — ἔξω, *foras*) Sic leniebatur procerum iracundia. — βραχύ τι, *paululum*) Moratus sermo.

v. 36. πρὸ, *ante*) Pulcrum est, exemplis consilia munire. Ea Gamaliel prudenter praemittit, deinde consequens addit. — ἑαυτὸν, *se*) Character falsae doctrinae. c. 8, 9. — εἰς οὐδὲν, *ad nihilum*) non solum consilia eorum, sed ipsi ad nihilum venerunt. Quot miseri homines a falsis ducibus in perniciem perducti sunt!

v. 37. μετὰ, *post*) Alius ergo Theudas fuerit oportet, quem Josephus huic Judae postponit. — ταῖς ἡμέραις, *diebus*) tempore tum noto et novis rebus opportuno.

v. 38. λέγω ὑμῖν, *dico vobis*) Haec formula hoc loco blandum quiddam habet potius, quam severum. — ἐάσατε, *sinite*) ut agant, quod agunt. Causae aperte bonae, assentiendum; aperte malae, resistendum. Sed in re subita, nova ac dubia, et ad adversarios incensos, eximie salutare est Gamalielis consilium. — ἢ, *aut*) Significat, *opus* potius, quam *consilium* esse appellandum. Certe apostoli non suo, sed divino *consilio agebant* omnia. — καταλυθήσεται, *dissolvetur*) solvi poterit et solvetur, vel per vos, vel per alios, vel per se.

v. 38. 39. ἐὰν ᾖ, εἰ ἔστιν, *si sit, si est*) Illud mere conditionaliter; hoc, illi quippe oppositum hoc loco, categorice sonat. Ideo etiam in secunda, non in prima plurali hoc alterum eloquitur Gamaliel.

v. 39. μή ποτε καὶ, *ne quando etiam*) Moratus particularum usus. *Etiam* significat, praeter conatum irritum, reos illos *etiam* improbitatis fore. Hoc incisum pendet a sensu incisi proximi: *non potestis*, neque adeo debetis, *dissolvere*. —

Digitized by Google

θεομάχοι) Hoc verbum Symmachus non semel pro Hebr. ראשים posuit. Conjugata, θεοῦ, θεομάχοι. [*Magnus talium est numerus.* V. g.] — εὑρεθῆτε, *inveniamini*) in exitu.

v. 40. ἐπείσθησαν) *assenserunt*, hactenus, ut ne occiderent apostolos. neque enim mentem saniorem induebant assessores. — δείραντες, *verberantes*) Id adhuc non fecerant Judaei, deinde majora inflicturi. Etiam mundus per gradus procedit, vel odio crescente, vel per speciem aequitatis.

v. 41. χαίροντες, *gaudentes*) Character veritatis, gaudium in afflictionibus, verum, profundum, purum. — ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος, *pro nomine*) sc. *hoc*. Nonnulli addidere, τοῦ ἰησοῦ, τοῦ κυρίου ἰησοῦ, τοῦ χριστοῦ. Locutio absoluta, uti 3 Joh. v. 7. Lev. 24, 11. Nomen *Jesu* expresserat Lucas versu praecedente. Eo refertur hic versus cum eleganti ellipsi pronominis. — κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι, *digni habiti sunt contumeliam pati*) Eximium oxymoron. sic, *donatum est, ut patiamini*, Phil. 1, 29. conf. 1 Petr. 2, 19. [*Contumelia coram hominibus, dignatio coram DEO.* V. g.]

v. 42. οὐκ ἐπαύοντο, *non desinebant*) quicquid prohiberet mundus. — τὸν) Nunciabant, Jesum esse Christum.

CAPUT VI.

v. 1. Πληθυνόντων) scil. ἑαυτούς. In *multitudine* facilis est causa *murmuris*. — τῶν ἑλληνιστῶν, *Hellenistarum*) Erant Judaei extra Palaestinam nati; quibus v. gr. Graeca erat vernacula praeter *Hebraeam* linguam: ut hodie quoque multi sunt Judaei Lusitani, Germani etc. — παρεθεωροῦντο, *praeteribantur*) sine malevolentia. Non sufficiebant apostoli ad omnia. — αἱ χῆραι, *viduae*) quarum etiam in sancta societate facilior oblivio, viris rem suam magis urgere valentibus.

v. 2. ἡμᾶς, *nos*) apostolos. — καταλείψαντας, *relinquentes*) Non poterant utrumque simul curare: quare id, quod nobilius est, tuentur. Periculosum est, relinquere ea, quae praecipue demandata sunt. Id saepe imprudentibus accidit. Longe hoc seposuerunt episcopi, rebus mundanis ita impliciti, ut spiritualia, extra solennem pompam, fere absorbeat principatus. — διακονεῖν τραπέζαις, *ministrare mensis*) Locutio indignitatem aliquam exprimit. Antitheton, *ministerium verbi*. v. 4. *Diaconorum* in ecclesia primitiva quae partes fuerint, copiose disquiritur: sed res possit paucis comprehendi. Apostolorum, evangelistarum, episcoporum, praecipuum munus fuit, praedicare verbum DEI: secundarium, curam quasi paternam (etenim ecclesia initio instar familiae erat) gerere victûs, pauperum praesertim, peregrinorum, viduarum, etc. *Diaconi* autem, utriusque sexus, constituti sunt proprie pro eadem cura victûs: et in eam partem permultum operae impendere necessum habuerunt in ecclesia Hierosolymitana; ceteris in locis, vel plus vel minus: quod reliquum erat operae, praedicationi verbi impenderunt.

v. 3. μαρτυρουμένους, *testimonio praeditos*) contra quos nulla militaret iniquitatis suspicio, quamvis nullo opus esset jurejurando, satisdatione, syngrapha etc. conf. 2 Reg. 12, 15. 22, 7. Post Ananiam in re sua tam severe punitum nemo tam celeriter in re aliena fidem falleret. — ἑπτὰ, *septem*) Hi non initio, sed post apostolos et per apostolos constituti sunt. In ecclesiae regimine multa DEUS reliquit temporibus: sed nil sine Deo ecclesia debet constituere. Quinque circiter millia virorum fuerant c. 4, 4. nunc cum accessionibus interea factis numerus is erat effectus, ut singula facile millia singuli diaconi curarent. — πλήρεις, *plenos*) Res est non levis, bona ecclesiae dispensare. etiam in quaestore et diacono, qua tali, debent esse dona administrantia et sanctificantia. [*Scil. non pro rapina aestimanda sunt bona ecclesiastica, sed spirituali modo atque tali administranda, quali septem isti, vel ipsi etiam apostoli, siquidem superstites*

essent, uterentur. Ipse DEUS aliquando rationem reposcet. V. g.] — κατασταθήσομεν) Indicativus, uti 1 Cor. 6, 5. Eph. 6, 16. Phil. 2, 20.

v. 4. τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου, *orationi et ministerio verbi*) Potiores sunt preces ministerio sermonis. — προσκαρτερήσομεν, *incumbemus*) unice vacabimus. Hae partes sunt nobilissimae, quas nemo episcopus alteri, quasi ipse majoribus rebus intentus, delegare potest.

v. 5. παντὸς, *omni*) Pulcher consensus, cum obsequio. — στέφανον, *Stephanum*) Ex nominibus Graecis ad alias causas (ex. gr. ne Hebraei praevalerent Hellenistis in distributione victûs) additis recte colligitur, hos VII fuisse partim Hebraeos, partim Hellenistas. Multi Judaei habuere nomina Graeca. — πλήρη, *plenum*) Hic excelluit: ceteri non excluduntur. v. 3. — πίστεως, *fide*) non modo fidelitate, sed fide spirituali. — παρμενᾶν, *Parmenan*) *Parmenionem.* Sic exprimit Chronicon Alexandrinum. — προσήλυτον, *proselytum*) Ad proselytum confugere poterant proselyti. Proselyti spectati etiam possunt adhiberi muneribus.

v. 6. προσευξάμενοι, *orantes*) apostoli. Aliud subjectum verbi prioris, *statuerunt*, aliud posterioris. c. 8, 17.

v. 7. ηὔξανε, *crescebat*) servata concordia et assiduitate in verbo DEI. — ὄχλος, *multitudo*) Dicitur ὄχλος etiam numerus non maximus c. 1, 15. Luc. 5, 29. 6, 17. Joh. 12, 17. quare nil improbabile hoc loco dicitur. De *sacerdotibus* minus spei esse potuisset: nunc horum exemplo alii eo plures moventur. Reliquus *populus* proximo commate innuitur. [1])

v. 8. στέφανος δὲ, *Stephanus autem*) Stephanus rerum externarum causa constitutus, tamen etiam spiritualia exsequitur. In ecclesia bona, omnia tendunt ad sublimius: in morbida, vergunt ad deterius.

v. 9. ἐκ τῆς συναγωγῆς — ἀσίας, *e synagoga — Asia*) Descriptio haec tota unius ejusdemque synagogae, quae erat Hierosolymis, florentissima, omnium oculos in se convertens, constans ex nationibus externis, Europaeis, Africanis, Asiaticis. v. gr. a *Cilicia* habebat Saulum. Unde porro valde verisimile fit, Gamalielem illum legis doctorem, quippe Sauli praeceptorem, huic ipsi synagogae ac seminario praefuisse, eoque vel inscio vel invito hunc tumultum esse excitatum. — λιβερτίνων, *Libertinorum*) Vocabulum Romanum. nam multi Judaei Romae erant: c. 18, 2. 28, 17. et qui eorum bellis superioribus capti Romamque perducti fuerant, horum multi, *libertate* facile recuperata, (nam Romani non delectabantur Judaeis) Hierosolymam redierant, et fortasse multos proselytos, ejusdem conditionis, id est, *libertinos*, secum adduxerant. vid. Reineccii Annot. h. l. Itaque pro Romanis *Libertini* appellantur. adde not. ad cap. 2, 10. — τῶν ἀπὸ) Construe, ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν ἀπὸ κιλικίας.

v. 10. τῇ σοφίᾳ, *sapientiae*) *Validissimum*, sapientia. — καὶ τῷ πνεύματι, *et Spiritui*) Epitheton, *sancto*, non additur, uti v. 3. 5. additur. Adversarii sentiebant, Spiritum esse in Stephano; Spiritum sanctum in eo esse, non sciebant.

v. 11. τότε, *tunc*) Confugium succumbentium. — εἰς, *in*) Calumniatores primum loquuntur hic indefinite; tum definite, v. 13. s. — τὸν) *ipsum.* Articulus ἐπίτασιν significat.

v. 12. συνεκίνησαν, *commoverunt*) Κινεῖσθαι *moveri* inprimis dicitur, quod non movetur ratione. c. 21, 30. — τὸν λαὸν, *populum*) qui valebat multitudine. — τοὺς πρεσβυτέρους, *seniores*) qui valebant auctoritate. — τοὺς γραμματεῖς, *scribas*) qui valebant doctrina.

v. 13. οὐ παύεται, *non desinit*) Invidiam facere conantur. — ῥήματα

---

1) ὑπήκουον τῇ πίστει, *obediebant fidei*] *Fides* h. l. testimonium evangelii denotat, fide dignissimum: quare aliis locis dicitur, *evangelio obedire*, Rom. 10, 16. 2 Thess. 1, 8., atque inde, *obedientia fidei*, Rom. 1, 5. 16, 26. Exhibet nobis DEUS testimonium suum: quod qui recipit ut verum, is submisse aures praebet, adeoque praestat *obedientiam*. *V. g.*

Digitized by Google

λαλῶν, *verba loqui*) Eadem phrasis, Luc. 12, 10. — τοῦ νόμου, *legem*) v. 14. fin. conf. c. 21, 28.

v. 14. γὰρ, *enim*) Vide consequentiam ex verbis optimis inique tractam v. 13. — οὗτος, *hic*) Demonstrativum, uti Deut. 9, 3., sed ab adversariis Stephani adhibitum ex acerbitate, contemtim. coll. Luc. 15, 30. not. — καταλύσει, *destruet*) Quaelibet calumnia arripit aliquid ex vero. Stephanus, jam enim maturum erat, innuerat aliquid de iis, quae eventura erant. Et videtur de abrogatione rituum paene plus vidisse, quam Petrus ante responsum Spiritûs, c. 10, 19. coll. antecedd.

v. 15. ὡσεὶ πρόσωπον ἀγγέλου, *tanquam faciem angeli*) Gloria fidelium abscondita saepe etiam ex corpore elucet, praesertim ex cruce alta, et in coelo. Etiam Mosis facies splenduit. Scriptura cum aliquid eximie laudat, *divinum* appellat c. 7, 20., vel certe *angelicum:* et angelis *splendor* adscribitur, et angeli sine dubio aderant Stephano.

CAPUT VII.

v. 1. Ὁ ἀρχιερεὺς, *princeps sacerdotum*) tanquam praeses. — εἰ, *num*) Interrogatio servit convenientiae apologiae Stephani ad crimina adversariorum. ἄρα *ergo* habet speciem aequitatis et admirationis. Summa est haec: Ego agnosco DEI gloriam, patribus revelatam, v. 2., *Mosis* vocationem, v. 34. s., *Legis* majestatem, v. 8. 38. 44., *templi et loci hujus* sanctitatem, v. 7. fin. 45. 47. Et quidem templo antiquior est lex; lege, promissio. DEUS quippe se Abrahamo et Isaaco et Jacobo eorumque filiis et dedit gratuito DEUM et praestitit: v. 2. s. 9. s. 17. s. 32. 34. 45., atque hi fidem et obedientiam DEO praestitere, v. 4. 20. s. 23., praesertim in tuenda lege, v. 8., et terra. v. 16. Interim DEUS neque initio, neque semper postea, praesentiam suam huic uni loco alligavit; nam etiam ante templum et extra terram hanc se cognoscendum et colendum praebuit: v. 2. 9. 33. 44. neque patres eorumque posteros plane huic loco affixos fuisse, peregrinationes eorum ostendunt, v. 4. s. 14. 29. 44., et exilium. v. 43. fin. Vos autem semper mali fuistis, v. 9., *Mosi* repugnastis, v. 25. s. 39. s., *terram* aversati estis, v. 39., DEUM reliquistis, v. 40. s., templum superstitiose coluistis, v. 48., DEO ejusque Spiritui obstitistis, v. 51., prophetas ipsumque Messiam interfecistis, v. 52., *legem* non servastis, v. 53. Ergo DEUS non tenetur vobis, nedum vobis solis. Solent in Scriptura superiores historiae, re ab initiis repetita, commemorari; sed ita, ut pro ratione instituti alia percurrantur, alia praetermittantur. vid. cap. 13, 17. s. Deut. 33, 2. s. Ps. 106, 7. s. Ez. 20, 5. s. Hab. 3, 3. s. Hebr. 11, 3. s. ubi de fide, ut hoc loco de infidelitate agitur. Opportunissimamque hoc solenni tempore ac loco Stephanus, cum apostoli testimonium de Jesu Christo potius gererent, rerum veterum instituit anakephalaeosin: quae etiam specimen praebet *Historiam ecclesiasticam* sapienter enucleandi. Quare nullo modo assentiri Erasmo aliisque debemus, quibus *multa in hac oratione non ita multum pertinere videntur ad id, quod instituerit* Stephanus. Sane dignissimum plenitudine spiritus, fidei et virtutis est hoc testimonium: et quanquam non ponit enunciationes enunciationibus adversariorum directe contradicentes; tamen ad omnia nervose respondet. Neque dubitari potest, quin Stephanus, expeditis praeteritis ac praesentibus, illaturus aliquid fuerit de futuris, destructione templi, abrogatione legis ceremonialis, ac poena populi, coll. v. 43. fin. plura autem de Jesu Nazareno vero Messia; coll. v. 37. nisi ejus *oratio clamoribus obstrepentium Judaeorum* (ut idem Erasmus commode monet) *interrupta fuisset*. Unica est haec oratio copiosa hujus libri a teste Christi, qui non esset apostolus, habita; documentum Spiritûs pretiosum.

Google

v. 2. ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, *fratres et patres*) pro diversa aetate. Stephanus, juvenis. — ὁ θεὸς τῆς δόξης, *DEUS gloriae*) Summa laudis divinae. *Gloria*, divinitas conspicua. Magnifica appellatio innuit, DEO Abrahamum et se totum, et posteritatem, et terram et bona omnia sibi posterisque promissa et exhibita, in acceptis, et nil expensum retulisse. — ὤφθη, *apparuit*) ut DEUS gloriae, conspiciendum se exhibuit. — τῷ πατρὶ ἡμῶν, *patri nostro*) Inde hoc beneficium etiam ad Abrahami *progeniem* pertinuit. — πρὶν ἢ, *priusquam*) conf. v. 4. fin.

v. 3. ἔξελθε — δείξω) Sic Gen. 12, 1. LXX, nisi quod inferunt, καὶ ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου. — γῆς, *terra*) Hoc inferebat egressum e Chaldaea. — συγγενείας, *cognatione*) Hoc inferebat deinceps egressum ex Haran, quo venerat familia Abrami. v. 4. Pars familiae adultior remansit in Mesopotamia, junior in Haran. neque enim Thara plane solus ibi remansisse censebitur. Qui Abramum etiam ex Haran secuti sunt, sua sponte sunt secuti. Abram non jussus est secum ducere: et ni secuti essent, tamen exisset ex Haran. conf. Gen. 11, 31. 24, 4. — ἣν ἂν, *quamcunque*) Non norat Abram, quae terra foret. Hebr. 11, 8.

v. 4. χαλδαίων, *Chaldaeorum*) quorum terra ad *Mesopotamiam* pertinebat. — μετὰ, *postquam*) Abram, dum Thara vixit in Haran, domum quodammodo paternam habuit in Haran, in terra Canaan duntaxat peregrinum agens: mortuo autem patre, plane in terra Canaan domum unice habere coepit. Non caret mysterio, quod Abrami pater non intravit terram Canaan: sic enim constitit, non jure hereditatis mundanae hanc ei et posteris obvenisse. — νῦν, *nunc*) hodie.

v. 5. οὐδὲ βῆμα ποδὸς, *ne vestigium quidem*) Agrum illum, de quo v. 16., non ex donatione divina accepit Abraham, sed emit, ipsa emtione peregrinum eum esse docente. — ἐπηγείλατο, *promisit*) Gen. 12, 7. — αὐτὴν, *eam*) totam. — οὐκ ὄντος αὐτῷ τέκνου, *cum soboles ei non esset*) Ne Ismaël quidem adhuc natus erat; neque spes ulla prolis, ob Sarae sterilitatem. Ex promissione erat et hereditas et posteritas ipsa. Hoc comma facit ἐπίτασιν, ut illud, *ne vestigium quidem.*

v. 6. δὲ, *autem*) Antitheton, inter *promissionem* et tempus impletionis *exspectandum.* — ὅτι ἔσται τὸ σπέρμα αὐτοῦ πάροικον ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ, καὶ δουλώσουσιν αὐτὸ καὶ κακώσουσιν, ἔτη τετρακόσια· καὶ τὸ ἔθνος — ἐγὼ) Gen. 15, 13. s. LXX, ὅτι πάροικον ἔσται τὸ σπέρμά σου ἐν γῇ οὐκ ἰδίᾳ, καὶ δουλώσουσιν αὐτοὺς καὶ κακώσουσιν αὐτοὺς καὶ ταπεινώσουσιν αὐτοὺς, τετρακόσια ἔτη. τὸ δὲ ἔθνος — ἐγώ. — ἀλλοτρίᾳ, *aliena*) Aegyptus tum non nominata. conf. ᾧ ἐὰν, *cuicunque.* v. 7. — κακώσουσιν) Comma ab aliis omissum, res ipsa, (de qua mox,) postulat, et accentus Gen. 15, 13. — ἔτη τετρακόσια, *annos quadringentos*) Hi anni non modo ad servitutem Aegyptiacam, (quae diu post obitum Joseph et fratrum ejus, multiplicato populo, coepit, v. 15. seqq.) sed ad totam peregrinationem in terra aliena sunt referendi. [*a nato Isaaco ad exitum usque ex Aegypto.* V. g.] Anni CCCC in populo, anni XXXX in homine, periodus memorabilis; etiam in Israël et Mose. Eo autem ipso indicatum fuit, laetam habitationem in terra Canaan multo postea fore diuturniorem.

v. 7. καὶ λατρεύσουσί μοι ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ) Ex. 3, 12. LXX, καὶ λατρεύσετε τῷ θεῷ ἐν τῷ ὄρει τούτῳ. Haec Moses sibi dicta refert de loco Horeb, non exclusa terra Canaan. ibid. v. 8. Nam si latria in Horeb fuit signum missionis Mosis, Ex. 3, 12., multo magis latria in terra Canaan signum fuit. Itaque oracula ad Abram et Mosen facta Stephanus contexit, hoc sensu: *Exibunt ex terra servitutis* (hoc utrique dictum) *et venient in Horeb, et servient Domino in hoc loco; et inde venient in terram Canaan, et Domino servient.* Haec ita contexens nervose ostendit: (1.) illud, quod Mosi dictum erat de cultu Israëlis erga DEUM, jam Abrami tempore divinitus intentum et significatum fuisse: (2.) ideo doctos eos in Horeb fuisse DEO servire, ut in terra Canaan perpetuo eum cole-

Google

rent: v. 44. (3.) cultum in Horeb valde fuisse a populo imminutum, v. 40. s. et potius tandem in ingressu terrae Canaan praestitum. v. 45. Servient mihi, dicitur, non, Aegyptiis; libere, ut Sacerdotes.

v. 8. καὶ οὕτως, *et sic*) post datum foedus circumcisionis. nam Ismaël antea natus erat. οὕτως, *sic*, incluso tempore, ut πῶς *quomodo*. Rom. 4, 10. — πατριάρχας, *patriarchas*) Magnifica appellatio, ex LXX int.

v. 9. [1]) ἀπέδοντο εἰς αἴγυπτον, *rendiderunt in Aegyptum*) *abalienarunt*, qui mox *in Aegyptum* abductus est. Sermo concisus, et sic LXX, Gen. 45, 4.

v. 10. ἐκ πασῶν, *ex omnibus*) 2 Tim. 3, 11. not. — κατέστησεν αὐτὸν ἡγούμενον ἐπ᾽ αἰγυπτον καὶ ὅλον τὸν οἶκον αὐτοῦ] Ps. 105, 21. LXX, κατέστησεν αὐτὸν κύριον τοῦ οἴκου αὐτοῦ, καὶ ἄρχοντα πάσης τῆς κτήσεως αὐτοῦ.

v. 12. ιακὼβ, *Jacob*) Fideles quoque experiuntur communes vitae miserias, sed suo bono.

v. 13. ἀνεγνωρίσθη, *recognitus fuit*) *recognosci se fecit*. Gen. 45, 1. LXX, ἀνεγνωρίζετο τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ.

v. 14. ἑβδομήκοντα πέντε, *septuaginta quinque*) Sequitur Stephanus sive Lucas septuaginta interpretes, utpote tum notissimos; qui Gen. 46, 27., vel etiam Deut. 10, 22., cum in Hebraeo, Samaritano et Josepho sint LXX, LXXV numerarunt, uti etiam Philo, uno Manassis filio et uno nepote, duobusque Ephraimi filiis et uno nepote additis. Gen. cap. cit. v. 20.

v. 16. καὶ, *et*) Paraphrasin loci habeamus hanc: *Mortuus est Jacob et patres nostri* (nominatim Joseph:) *et* (quia exemplo Abrahami et Sarae, Isaaci et Rebeccae, in terra promissionis quiescere voluerunt, Gen. 50, 13. 25. ideo) *translati sunt in Sichem* (et in sepulcrum Hebronense:) *et positi sunt* (in praedio Sichemitico et) *in sepulcro* (Hebronensi,) *quod emerat Abraham* (et Jacob) *pretio argenti* (et centum agnis) *a filiis Emor (patris) Sichem* (et ab Ephrone.) Complicantur enim inter se binae historiae notissimae, geminae emtionis: (evolve Gen. 23. et 33.) et geminae sepulturae. Gen. 50. et Jos. 24. Hoc loco utraque historia partes omissas, vi relatorum, ex altera subaudiri postulat. Justam haec ita constringendi causam Stephano in re aperta dedit brevitas ardori Spiritûs aptissima. Accedit autem, quod ut Jacob in sepulcro Hebronensi, Joseph in agro Sichemitico sepulti sunt, sic reliqui patres in Aegypto defuncti, vel aliqui eorum, ad utrumque illorum dicuntur aggregati. Nam Josephus lib. II. ant. c. 4. eos Hebrone tumulatos scribit: Hieronymus in Ep. ad Pammach. de opt. gen. int. docet, eorum sepulcra, sua etiam aetate, extitisse in Sichem et a peregrinis visitari solita. Ex quo Franc. Junius Libr. I. Parall. 92. colligit, partem hic, partem illic sepultam esse, prout commodum posteris videretur; Pererius in Gen. fol. 672. eos e Sichem in Hebron fuisse translatos. Quae singula referre quum Stephano nimis longum fuisset, miro compendio omnia indigitavit. Igitur lectio ἀβραὰμ integra manet: neque opus est conjectura, ιακώβ. Praeclare Flacius ad h. l. *Non vacat Stephano percurrenti tam multas historias, singulas distincte narrare: ideo duo diversa sepulchra, loca et emtiones in unam constringit, ita ut in priore quidem historia rerum emtorem nominet, omisso venditore: contra in posteriore nominet rerum venditorem, omisso emtore, veluti per diametrum ex illis quatuor contrahentibus duos copulando. — Ut igitur maxime emendaretur nomen emtoris, nondum tamen esset verum, Jacobum esse sepultum in Sichem. Abrahamus emit locum sepulturae a filiis Heth*, Gen. 23., *sepultus ibi est Jacob*. Gen. 49. et 50. *Jacobus emit agrum a filiis Hemor*, Gen. 33., *sepultus est ibi Josephus*. Jos. 24. *Habes hic typum istorum contractuum, et quo-*

---

1) ζηλώσαντες, *invidentes*] Ostendit Stephanus, majores Judaeorum durae jam cervicis fuisse. *V. g.*

Digitized by Google

modo Stephanus duas emtiones in unam contraxerit. Haec Illyricus. Videatur etiam Glassius in Ellipsi. Tali modo idem Stephanus paulo ante, v. 7., duo oracula ad Abrahamum et Mosen in unum contraxit: Ex. 3, 12. Gen. 15, 16.: et versu 9. *venditionem* Josephi et deportationem *in Aegyptum* adunavit: et infra versu 43. Amosi dictum et migrationem *Babylonicam* ex Jeremia jungit. Sic v. 24., quendam (Israëlitam) *injuria affectum:* — *Aegyptium* (injuria afficientem.) *Semiduplex* ejusmodi oratio si nobis fere insolens videtur, Hebraeis non videbatur. Geminum exemplum noscemus infra ad Hebr. 12, 20. In scribendo, hiatus ejusmodi saepius calamo signari solent: locum vero habent etiam in sermone: ubi in re notissima et loquentis audientiumque animo praesentissima, dicitur, quod opus est, et reliqua, quae flumini orationis officerent, dicta putari debent. — μνήματι, *sepulcro*) Peregrinis illis primus fuit *sepulcri* emtus fundus. nam patriam coelestem appetebant. — τοῦ συχέμ) τοῦ scil. πατρός. Parente celebrior fuit filius, quare is a filio denominatur. Emmor pater Sichemi.

v. 17. καθὼς) Id plus, quam ὡς. *Sicut* tempore eventurum promiserat Deus, sic evenit, procedentibus quatuor seculis.

v. 19. μὴ ζωογονεῖσθαι) scil. τὰ βρέφη. Verbum LXX virale, Exod. 1, 17. s. et alibi saepius.

v. 20. ἐν ᾧ καιρῷ, *quo in tempore*) tristi, opportuno. — ἀστεῖος) Ita LXX, Ex. 2, 2., Hebraeum טוב exprimunt. Specimen piae physiognomiae. — τῷ θεῷ, *DEO*) Sic LXX, 1 Sam. 16, 12., ἀγαθὸς ὁράσει Κυρίῳ. Jon. 3, 3., πόλις μεγάλη τῷ θεῷ. Quicquid excellens est, divino munere excellit. — μῆνας τρεῖς, *menses tres*) Cogitare potuissent, irritum esse laborem, tamen periturum esse filiolum: sed laborem susceperunt, et res longissime ultra spem successit. — πατρὸς) scil. αὐτοῦ. sic 1 Cor. 5, 1. Gal. 4, 2.

v. 21. ἐκτεθέντα δὲ αὐτὸν) Accusativus absolutus, uti c. 26, 3. — εἰς υἱόν, *in filium*) ut eo loco sibi esset, quo filius.

v. 22. ἐπαιδεύθη, *eruditus est*) ut regno destinatus. Conf. Hebr. 11, 26. — σοφίᾳ, *sapientia*) Hanc Aegyptii didicerant ab Joseph, Psalm. 105, 22. hanc Salomo vincebat, 1 Reg. 4, 30. haec magni habita adversariis Stephani, *Alexandrinis.* c. 6, 9. — δυνατὸς, *potens*) Haec *potentia* erat pluris, quam omnis *sapientia*, quam Stephanus tamen ad commendandum Mosen memorat, Aegyptiorum; neque haec potentiam illam peperit, sed promissio et fides. Hebr. 11, 24. s. Saepe junguntur sapientia et potentia. — ἐν λόγοις, *in sermonibus*) eloquentia; quamvis deerat pronunciatio. Ex. 4, 10. — ἐν ἔργοις, *in operibus*) virtute.

v. 23. ἐπληροῦτο, *implebatur*) Omnium rerum est maturitas. prius non moliendum. — τεσσαρακονταετὴς χρόνος, *quadraginta annorum tempus*) Mosis vita, ter XL anni. v. 30. 36. — ἀνέβη ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτοῦ, *ascendit in cor ejus*) Valde congruens phrasis. Potest aliquid esse in profundo animae, quod postea emergit, et in cor, tanquam in insulam ex illo mari, ascendit. Videri poterat temere in mentem venisse Mosi; et tamen divinitus agebatur Moses. — ἐπισκέψασθαι, *visere*) quamvis ipse felix, et illi miseri essent. In aula minus exactam potuit habere scientiam de fratrum aerumna: itaque prodiit. — τοὺς ἀδελφοὺς, *fratres*) Motivum amoris, quod Moses etiam aliis adhibuit. v. 26.

v. 24. πατάξας τὸν αἰγύπτιον, *percutiens Aegyptium*) Sic LXX, Ex. 2, 12.

v. 25. ἐνόμιζε, *existimabat*) Sciebat ergo Moses, cur fecisset. — συνιέναι, *intelligere*) Ex uno saepe documento judicium faciendum est de pluribus instantibus. — οὐ συνῆκαν, *non intellexerunt*) Socordia et oblivione res magnae saepe negliguntur. Haec populi renitentia videtur Mosen postea induxisse, ut recusaret negotium.

v. 26. ὤφθη, *apparuit*) ultro, ex improviso. — συνήλασεν, *redegit*) vi lenitatis. — εἰπὼν, *dicens*) Exemplum correctionis fraternae.

Digitized by Google

v. 27. ἀπώσατο, ***repulit***) peccatum peccato addens. — τίς — αἰγύπτιον) Sic LXX, Exod. 2, 14. — τίς, ***quis***) Sub praetextu deficientis vocationis humanae saepe repelluntur organa DEI. — ἄρχοντα, ***principem***) Videntur nescisse, quantus vir esset Moses in aula. ***Principis*** est, ***judicare.***

v. 28. ὃν τρόπον, ***quemadmodum***) Ea saepe sciuntur, quae non arbitramur sciri de nobis.

v. 29. ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ, ***ad dictum hoc***) ut hunc sermonem audivit. — πάροικος, ***advena***) In Aegypto, tanquam Pharaonis filiae filius, domi esse coeperat: nunc peregrinatur illinc quoque.

v. 30. ἄγγελος, ***angelus***) Filius DEI. v. seqq. Moses initio haud scivit, quis esset, sed mox **e** ***voce*** agnovit. — πυρὶ φλογὸς, ***igne flammae***) majestatem DEI, qui aderat, significante.

v. 32. τῶν πατέρων, ***patrum***) Hi mox nominantur. — σοῦ, ***tuorum***) Quem DEUS vult adhibere ad opem aliorum, eum ipsum prius in fide confirmat. — ἔντρομος γενόμενος, ***tremefactus***) Revelatio coelestis incipit a terrore hominis, inexperti maxime, et desinit in solatium. Terrore praeparantur organa divina.

v. 33. τῶν ποδῶν, ***pedum***) Qui pedes discalceat, toto corpore rite se habere censetur. conf. Joh. 13, 10. — ὁ γὰρ τόπος, ***locus enim***) Sanctitas locorum dependet a voluntate et praesentia DEI libera, estque ambulatoria.

v. 34. τοῦ λαοῦ μου, ***populi mei***) Ipsi fere jam nesciebant, se esse populum DEI; et tamen erant. — τοῦ στεναγμοῦ, ***gemitum***) Suspiria, ἐκ στενοῦ, eximium objectum auditionis divinae. — κατέβην, ***descendi***) Nam antea non visus erat adesse.

v. 35. τοῦτον, ***hunc***) Sic, ***hic***, ter, v. seqq. anaphora grandi. — ἠρνήσαντο, ***negaverunt***) quadraginta ante annis negarant. Accurate notantur in libro DEI, quae mortales adversus DEUM loquuntur: et unius hominis dicta et facta adscribuntur etiam illis, qui eodem sunt animo. Rom. 1, 32. Negari aliquid potest vel sola voluntate. — ἄρχοντα καὶ δικαστὴν, ἀρχηγὸν καὶ λυτρωτὴν) Gradatio. ἄρχων, princeps: ἀρχηγὸς, dux primus. δικαστὴς, ***judex***, vindicat privatum a privato; λυτρωτὴς ***redemtor***, gentem a gente. Sic quoque Jesum, quem Judaei negarant, DEUS fecit Dominum. — ἐν χειρὶ) בְּיַד dicitur hebraice. — ἀγγέλου, ***angeli***) v. 30. s. Vid. L. de Dieu ad h. l.

v. 36. γῇ — θαλάσσῃ) ***Terrae marisque*** mentio augustam facit orationem.

v. 37. προφήτην, ***prophetam***) Ostendit Stephanus, se non committere Mosen et Christum, neque id facere debere accusatores. Idem locus citatur cap. 3, 22. not.

v. 38. οὗτος, ***hic***) Moses. — γενόμενος) Constr. cum μετά. — ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ) Non populus h. l. sed congregatio populi denotatur. — μετὰ τοῦ ἀγγέλου — καὶ τῶν πατέρων, ***cum angelo — et patribus***) Medius ergo erat Moses. Non dicit Stephanus, ***cum angelis***, sed ***cum Angelo***, foederis. — ἐδέξατο, ***accepit***) non confinxit. — λόγια, ***verba***) ***oracula.*** λόγιον diminutivum, ob singulorum enunciatorum brevitatem. Omnis periocha, incipiens ab illa formula, ***Et locutus est Dominus ad Mosen***, per se est λόγιον. ***Decalogus*** potissimum spectatur. — ζῶντα, ***viva***) ***viva*** dicit, non ***vivificantia.*** Laudat legem. Ignea est: viva est. Deut. 33, 2.

v. 39. γενέσθαι, ***fieri***) nam tum maxime tempus erat se subjiciendi. — ἀπώσαντο, ***repulerunt***) Mosen cum lege.

v. 40. ποίησον — οὗτος, ὃς — αὐτῷ) Ex. 32, 1. LXX. ἀνάστηθι καὶ ποίησον — οὗτος ὁ ἀνὴρ, (Al. ἄνθρωπος) ὃς — αὐτῷ. — ποίησον θεοὺς, ***fac deos***) Verbo nomen hoc refutabatur ipsum. nam dii facti non sunt dii. — οἳ προπορεύσονται, ***qui praegrediantur***) Tamdiu sedere et exspectare, molestum putabant, prae

Digitized by Google

Aegypti desiderio. — τί γέγονεν αὐτῷ, *quid acciderit ei*) an sit ad nos rediturus, quidve sit allaturus, et quando.

v. 41. ἐμοσχοποίησαν, *vitulum fecerunt*) Scelus valde notum significatur insigni noviterque cuso verbo. Aegyptios, quorum deus Apis bos erat, imitati sunt. — ἀνήγαγον θυσίαν) Rara phrasis. Sed sic quoque 1 Reg. 3, 15., ἀνήγαγεν ὁλοκαυτώσεις. — τῷ εἰδώλῳ, *idolo*) Erant *idololatrae*, quamvis nomen Domini praetexerent. — εὐφραίνοντο, *laetabantur*) magna cum pompa. — ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτῶν, *in operibus manuum suarum*) DEO convenit laetari in operibus manuum suarum; et nobis, in operibus manuum ejus. Idololatrae sunt homines, qui laetantur in operibus manuum suarum.

v. 42. ἔστρεψε, *convertit*) quia patres nostri ἐστράφησαν, *aversi* sunt. v. 39. — παρέδωκεν, *tradidit*) saepe, a tempore vituli facti usque ad tempora *Amosi* et deinceps, crescente subinde populi contumacia. — τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, *militiae coeli*) v. gr. Marti et Saturno. vid. v. seq. Antiquissima idololatria, ceteris speciosior. *Exercitus* dicitur propter multitudinem, ordinem, virtutem. — τῶν προφητῶν, *prophetarum*) duodecim. — μὴ — μοι ἔτη — ἐρήμῳ οἶκος ἰσραήλ; — ῥεμφὰν — ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς — ἐπέκεινα βαβυλῶνος) Amos 5, 25. s. LXX, μὴ — μοι οἶκος ἰσραὴλ ἔτη — ἐρήμῳ; — ῥαιφὰν — ἐποιήσατε ἑαυτοῖς — ἐπέκεινα δαμασκοῦ. Duas partes habet Amosi dictum; quarum prior confirmat versum 41., de culpa populi; posterior, initium versus 42., de judicio DEI, annexa mentione transportationis. — σφάγια, *victimas*) Domino obtulerant; sed neque illi soli, neque semper, neque corde perfecto et lubenti.

v. 43. καὶ, *et*) atque ideo. — καὶ ἀνελάβετε, *et suscepistis*) Hebr. ונשאתם *et tulistis*, tanquam fercula, non sine pompa. Id in eremo patratum esse non multo post vitulum factum, patet ex v. praec. Erat idololatria clandestina (aliter enim Moses non dissimulasset) sed tamen crassa et frequens. — τὴν σκηνὴν, *tabernaculum*) sacrarium portatile. — καὶ τὸ) Apud Amos commata quatuor hoc ordine leguntur: *Et tulistis tabernaculum (Malcechem) regis vestri et (Cijun) statumen imaginum vestrarum; stellam Dei vestri, quam fecistis vobis.* ubi secundo commati tertium, nullo jam את praemisso, subjicitur per appositionem: quae causa est, cur LXX int. (quos Stephanus sequitur) haec duo commata salvo sensu potuerint trajicere; et cur ad horum alterum in Hebraeo, ad alterum in Graeco referatur comma quartum. *Moloch et Cijun* ex nominibus appellativis facta erant propria, eaque apud Amosum construuntur, cum respectu ad significationem, ut appellativa, ne grave illud suffixum כם excludatur, sic tamen, ut alludat ad propria: unde LXX expresse ut propria transtulere. Quod Amoso *Cijun* notat, id LXX interpretibus *Remphan* notare, ex eadem trajectione commatum liquet: Saturnum scilicet, ut Moloch Martem. vid. *A. Mülleri* Specimen Glossarii sacri pag. 13. *Selden. de* diis Syr. et ad illum *Andr. Beyerus*, *Buddei* H. E. V. T. Per. II. p. 768. seqq. Amosi interpretem Aegyptium fuisse, ex hac Aegyptiaca Saturni appellatione speciose colligit *Humfr. Hodius* lib. II. de Bibl. c. 4. fol. 115. s. *Joh. Christoph Harenbergius* in peculiari disquisitione, Chijun sive Rephan arbitratur fuisse Nilum, quem Aegyptii per Saturni sidus repraesentarint. De Sole, utrumque interpretatur P. E. Jablonski: utrumque de Saturno, Sam. Petitus. — τὸ ἄστρον, *sidus*) Sic dicitur Saturnus, cujus stellam referebat simulacrum; prae Marte, quem sub humana figura colebant. — τοῦ θεοῦ ὑμῶν, *dei vestri*) R. Isaac Caro planetam Saturnum appellat sidus Israëlis, ad omnium astrologorum consensum provocans. vid. Lud. de Dieu ad h. l. Exprobrandi causa ter ponitur *vestrum*. — ῥεμφὰν, *Remphan*) Ante hoc vocabulum (quod varie scribitur,) distinctio ex accentibus Hebraicis et ex ordine verborum ponenda fuerat: qua tamen LXX int. supersederunt. Cum autem notio τοῦ *Cijun* haberet aliquid ad Judaeos coarguendos aptum, quod proprio ῥεμφὰν iidem LXX

Google

non exhausere, Stephanus id supplevit verbo προσκυνεῖν *adorare*, sive כוּן a כּוּה derives (ut אוּב ab אהב et היה pro הוה) sive a כון coll. conjugato להכין Jes. 40, 20. τὸ ῥεφὰν, et, inserta a Graecis μ ante labialem alteram, ῥεμφὰν, eandem, quam תרפים (de quo alii) videtur habere originem: et hinc ortum nomen *Remphis* regis Aegyptii. *Moloch* satis planum est. — τοὺς τύπους, *figuras*) Subtilitas idololatriam non excusat. — ἐπέκεινα βαβυλῶνος, *ultra Babylonem*) i. e. trans Damascum et Babylonem: nam Amos et LXX, ἐπέκεινα δαμασκοῦ. Amosi tempore Damascum ob bella Syriaca horrebant: Babel locus transportationis nondum appellabatur: Stephanus igitur supplevit: et revera ultra urbem Babylonem abducti sunt. 2 Reg. 17, 6. Unde idola arcessierant, eo deportati sunt poenae causa. Aegyptum cogitabant: longe alio migrabant. Conferatur similis ampliatio allegationis, c. 15, 17. not. δαμασκοῦ, loco βαβυλῶνος, alicubi legi notat *Wecheliana* editio: idque ex vetustis exemplaribus petitum arbitratur, et ferme approbat, Humphr. Prideaux in Nexu Hist. sacrae cum externa, Part. I. pag. 14. 15. ed. Germ. Lectiones Wechelianae ubi nullis aliis codicibus muniuntur, Bezae annotationibus ortum debent. Plane ex LXX int. in Justinum, quem Beza allegat, derivatum est δαμασκοῦ.

v. 44. ἡ σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου, *tabernaculum testimonii*) Sic LXX pro Hebraeo אהל מועד Ex. 27, 21. etc. — κατὰ τὸν τύπον, *secundum formam*) Hebr. 8, 5. not. Hic typus melior erat, quam illi, de quibus v. 43.

v. 45. διαδεξάμενοι, *suscipientes*) longa successione. — ἐν, *in*) quum subegerunt populos. — τῇ κατασχέσει, *occupatione*) מורשה LXX, κατάσχεσις· ירש κατέσχε.

v. 46. εὗρε χάριν, *invenit gratiam*) Felix, qui gratiam invenit. Nil melius. — ᾐτήσατο εὑρεῖν, *petebat invenire*) ardenter. Psalm. 132, 2. seq. — σκήνωμα) Psalm. cit. v. 5. משכן LXX σκήνωμα. Hoc plus quam σκηνή.

v. 47. σολομὼν, *Salomo*) Tamdiu Israël sine *templo* fuit. — οἶκον, *domum*) Tenue hoc loco et opportunum vocabulum, pro *templo*.

v. 48. οὐχ, *non*) Particula, ineunte sententia, magnam vim habet. Eadem protestatio Salomonis in ipsa dedicatione templi. 1 Reg. 8, 27. — ὁ Ὕψιστος, *Altissimus*) Conveniens appellatio. Hunc nulla moles capit. — χειροποιήτοις, *in manufactis*) Antiqua est haec lectio [1]), cui recentiores adjecere ναοῖς, ex cap. 17, 24. χειροποίητα LXX absolute dicere solent pro *idolis*: pro *sacrariis* etiam, Jes. 16, 12. Elegantissimeque Stephanus vocabulo ναοῖς abstinet, superstitionem refutans. *Manufactura* divina, *universitas* rerum. v. 50.

v. 49. ὁ οὐρανὸς κτλ.) Jes. 66, 1. 2. LXX, Οὕτως λέγει Κύριος, ὁ οὐρανός μοι θρόνος, ἡ δὲ γῆ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν μου· ποῖον οἶκον οἰκοδομήσετέ μοι; καὶ ποῖος τόπος τῆς καταπαύσεώς μου; πάντα γὰρ ταῦτα ἐποίησεν ἡ χείρ μου. — καταπαύσεως, *requiei*) Gentes diis suis fecere *pulvinaria*. Redarguitur falsus templi usus.

v. 50. ἡ χείρ μου, *manus mea*) indefessa.

v. 51. σκληροτράχηλοι, *duri cervicibus*) *Cor* et *lingua* in confitendo: *cor*, et *aures* et *collum*, in suscipiendo desideratur. Graviter reprehendit Stephanus Judaeos; nec tamen nimis cito. nam antea comiter fuerant invitati per apostolos. — ἀπερίτμητοι, *incircumcisi*) Justum opprobrium. conf. v. 8. — τῇ καρδίᾳ, *corde*) Tales se ostendunt v. 54. — τοῖς ὠσὶν, *auribus*) Tales se ostendunt. v. 57. — ὑμεῖς, *vos*) non nos, testes Jesu. Judaeos veteres, collato versûs fine, includit. — ἀεὶ, *semper*) Summa tractationis: *semper*, quotiescunque vocamini. — τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, *Spiritui sancto*) testanti de Jesu, per prophetas, et de tota

---

1) *Eamque secus ac in* Ed. maj. *factum fuerat*, et *margo* Ed. 2. *praefert*, et Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

veritate. — ἀντιπίπτετε, *in adversam ruitis*) Toti aliter affecti erant, atque apud Jesaiam eodem capite 66, v. 2. postulatur, *Respiciam ad misellum et contritum spiritu, et trementem super verbo meo.* — ὡς οἱ πατέρες ὑμῶν, καὶ ὑμεῖς, *ut patres vestri, sic vos*) Utrumque declaratur versu 52.

v. 52. καὶ ἀπέκτειναν, *et occiderunt*) Hoc vulgo cum iis, quae sequuntur, construitur: aptius autem connectitur cum verbo ἐδίωξαν *persecuti sunt.* [1]) nam, *quem prophetarum non*, idem est, sed cum affectu, quod, *omnes prophetas*: unde construas, *omnes prophetas, qui praenunciabant* etc. Syllepsis. — περὶ τῆς ἐλεύσεως, *de adventu*) Unde tam saepe dicitur ὁ ἐρχόμενος, *Veniens.* — τοῦ δικαίου, *Justi*) Insignis antonomasia. Verus Messias, Justus justitiae auctor. — νῦν, *nunc*) *Nunc* respondet voculae *prae* in *praenunciantes.* — προδόται, *proditores*) ad Pilatum. Ref. ad *persecuti sunt.* — φονεῖς, *homicidae*) reddente eum Pilato. Ref. ad *occiderunt.*

v. 53. οἵτινες, *qui*) Ex eo, quod in Christum patrarunt, convincit eos non servatae legis. conf. Joh. 7, 19. — ἐλάβετε, *accepistis*) cum subjectione, primitus. — εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, *in dispositiones angelorum*) Majestatem legis hoc indicat. Gal. 4, 14. Angeli in Sinai sub specie flammae apparuerunt. conf. Gal. 3, 19. Hebr. 2, 2. εἰς, *ad*, uti Rom. 4, 20. Judaei acceperunt legem, ut eo habendam loco, quo habendae essent constitutiones angelicae, cum summa reverentia. Angelos Deus ministros habet: hinc quod angelicum, idem divinum est certo. — οὐκ ἐφυλάξατε, *non custodistis*) cum omnibus *phylacteriis* vestris. Qui in Christum credit, legem statuit: qui Christum tollit, legem tollit. Postrema Stephano reticenda fuisse, ratio putaret; quia jam apologiam perfecerat. Sed in statu confessionis omnia sunt dicenda, quae gloria DEI et salus auditorum postulat.

v. 55. πλήρης, *plenus*) Crescente furore hostium, in Stephano crescit robur spiritus, omnisque fructus Spiritus. — ἀτενίσας, *intuitus*) *Coeli* obtutu inprimis erigi potest animus violenta morte obeuntium. — εἶδε, *vidit*) Non dicitur Jesus Stephanum allocutus. — δόξαν θεοῦ, *gloriam DEI*) splendorem ineffabilem, qui effulget in coelo tertio. — ἑστῶτα, *stantem*) quasi obvium Stephano. conf. v. 59. Nam alias ubique, *sedere*, dicitur. Egregie Arator:

Lumina cordis habens coelos conspexit apertos,
Ne lateat, quid Christus agat: pro martyre surgit.
Quem tunc stare *videt, confessio nostra* sedentem
Cum soleat celebrare magis. Caro juncta Tonanti
In Stephano favet ipsa sibi: Dux praescius armat,
Quos ad dona vocat.

v. 56. ἰδοὺ, *ecce*) Confessio fidei, a praesenti experimento. [*Ab hoc ipso momento fortius, quam antehac, vita aeterna illuxit Stephano.* V. g.] — θεωρῶ, *video*) Hostium non erat *videre*, sed *credere*, si eorum esset fides. — τοὺς οὐρανοὺς, *coelos*) Id plus, quam *coelum*, v. 5. — τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, *filium hominis*) Lucas, v. praec. *Jesum* appellat. Non Lucas, sed Stephanus, Jesum vidit. conf. not. ad Matth. 16, 13., de appellatione *Filii hominis.*

v. 57. κράζαντες, *clamantes*) ne Stephanus audiretur. A verbis, minis, verberibus, carceribus facilis ad caedem progressus. — ὥρμησαν, *impetum fecerunt*) antequam suffragia expedissent judices.

v. 58. ἔξω τῆς πόλεως, *ex urbe*) Injurium in urbem Stephanum putant, eoque indignum, qui in ea moriatur. — ἀπέθεντο, *deposuerunt*) quo essent expeditiores. — νεανίου, *adolescentis*) Saulus jam tum inter eos aliqua dignitate fuisse

1) *Huic judicio clarius respondet margo* Ed. 2. *et* Vers. germ. *quam* Ed. maj. E. B.

Digitized by Google

videtur. Sic provisum tamen est, ne manum admoveret. c. 26, 10. — σαύλου, *Sauli*) *De progenie forsitan regis Saul erat.* Valla. Certe ejusdem tribus erat.

v. 59. κύριε ἰησοῦ, *Domine Jesu*) Adhuc confitetur Stephanus.

v. 60. θεὶς, *ponens*) Prius non potuit: orare tamen potuit, animo expeditior, quam corpore. Simul genua posita magis proprie congruunt deprecationi pro peccato hostium. — φωνῇ μεγάλῃ, *voce magna*) cum parrhesia, ut audirent tumultuantes. — κύριε, *Domine*) Eundem Dominum appellat Jesum. Hunc morientes invocare debent. — ἁμαρτίαν, *peccatum*) Salva patientia, peccatum potest dici peccatum. — ἐκοιμήθη, *obdormivit*) Lugubre verbum et suave. Hic protomartyr ipsos apostolos (mirum) omnes habuit superstites.

CAPUT VIII.

v. 1. Σαῦλος, *Saulus*) Arcte hoc annectitur antecedentibus. Lapidatur Stephanus? placet Saulo. Fit persecutio ecclesiae? idem adjuvat. v. 3. — ἡμέρᾳ, *die*) Non differebant adversarii. — διωγμὸς, *persecutio*) Unum fluctum sequuntur plures. — πάντες, *omnes*) doctores. v. 4. 5. Nam alii, et, horum causa, apostoli, remanebant. v. 2. 3. — διεσπάρησαν, *dispersi sunt*) Sic Evangelium latius est propagatum. Ventus flammam auget. v. 4. — πλὴν, *praeter*) Eo majore periculo erant apostoli: neque tamen existimarunt, se debere prae ceteris securitati suae consulere. Pericula sustinere debent, qui majore gradu et mensura fidei sunt; quamvis multa ex eis pendere videantur.

v. 2. συνεκόμισαν, *curaverunt*) Sanctum officium. conf. c. 9, 37. — εὐλαβεῖς, *religiosi*) qui DEUM timebant prae hominibus, quamlibet persecutoribus.

v. 3. [1]) εἰσπορευόμενος, *intrans*) tanquam Inquisitor. — καὶ γυναῖκας, *ac mulieres*) quibus alias facilius parcitur.

v. 4. οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες διῆλθον, *qui ergo dispersi erant, diversi iverunt*) Haec ipsa verba post longam quasi parenthesin reassumuntur cap. 11, 19. et hoc filum ita continuatur. Verbum διέρχεσθαι, *pertransire* in Actis saepe significat doctrinam ubique sparsam.

v. 5. φίλιππος, *Philippus*) Sublato Stephano, surgit Philippus, collega ei proximus. [*Evangelista alibi dictus*, V. g.] Neque enim hic de Philippo apostolo agitur. coll. v. 18. 25. — εἰς πόλιν, *in urbem*) Non additur articulus. Erat urbs una e multis Samaritanis. — ἐκήρυσσεν, *praedicabat*) aperte. — τὸν χριστὸν, *Christum*) Summa evangelii.

v. 6. ἐν τῷ ἀκούειν αὐτοὺς) *cum audirent*, quae *dicebantur* et fiebant.

v. 7. πνεύματα, *spiritus*) Nominativus, accusativo casu subaudiendus cum τῶν ἐχόντων *habentium*. Observatu dignum est, quod Lucas in Actis nunquam ponit vocabulum *daemonia*, de obsessis loquens; quod ipse tamen in Evangelio saepius etiam posuit, quam ceteri evangelistae. Ex quo colligas, obsessionis vim post mortem Christi esse debiliorem. 1 Joh. 3, 8. Col. 2, 15. Ebr. 2, 14.

v. 8. χαρὰ, *gaudium*) Proprius fructus et character veritatis Christianae. v. 39. c. 11, 23. 16, 34. etc. Rom. 14, 17. [2 Cor. 1, 24.]

v. 9. ἀνὴρ, *vir*) Talem etiam adversarium invenit Paulus c. 13, 6. — προϋπῆρχεν, *ante erat*) Non semper, qui prior tempore, idem potior jure. v. 11. c. 13, 6. Cum solus erat, potuit applausum invenire: sed lux veniens tenebras pellit. Magna virtus regni DEI. v. 7. 13. Ex. 9, 11. — μαγεύων, *magiam faciens*) Sunt ergo magi et magia. Ex. 7, 11. 22. 8, 7. — τῆς σαμαρείας, *Samariae*) Gentis hujus error ubi ad summum venit, veritas adest.

v. 10. ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, *a parvo ad magnum*) Alias saepe diver-

---

1) τὴν ἐκκλησίαν, *ecclesiam*] Hierosolymis; quotquot remanserunt ibi. *V. g.*

Digitized by Google

sus est plebis et procerum sensus. Locutio proverbialis *a parvo ad magnum* late patet, pro materia substrata contrahitur ad hoc vel illud genus *magnorum* et *parvorum*. — λέγοντες, *dicentes*) in suis acclamationibus. — ἡ δύναμις, *Potentia*) Abstractum, idque cum articulo.

v. 11. προσεῖχον, *attendebant*) Repetitur verbum ex v. praec.

v. 12. δὲ, *vero*) animadversa Simonis fraude.

v. 13. ἐπίστευσε, *credidit*) Agnovit, virtutem DEI non esse in se, sed in Philippo. Facilius Simoni fuit, quam Samaritanis, fidem suscipere. sensit enim ille virtutem sua majorem. Non tamen pertigit ad fidem plenam, justificantem, cor purificantem, salvantem: tametsi ad eam pervenisse, speciose videretur, donec se aliter prodidit. — βαπτισθεὶς, *baptizatus*) Hinc, coll. v. 22. patet, baptismum apud hypocritas vel relapsos non esse iterandum. — σημεῖα, καὶ δυνάμεις μεγάλας, γινόμενα) Epitheton *magnitudinis* magis convenit in δυνάμεις, et participium γινόμενα magis in σημεῖα ad fidem moventia. Similis quoque varietas Eph. 2, 1. ss. τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις· ἐν αἷς — ἐν οἷς κτλ. Alii μεγάλας, alii γινόμενα mutarunt.

v. 14. δέδεκται, *accepit*) Δέδεκται, ἐδέχθην, δεχθήσομαι, significatione passiva frequens. c. 15, 4. quare hoc loco interpretari possis: *accipere facta est*. Simplicius tamen est: *accepit*. conf. c. 17, 7. — ἀπέστειλαν, *miserunt*) Qui mittitur, aut a majori mittitur, aut a pari. Collegii apostolici major fuit auctoritas, quam Petri et Johannis singulatim. Hodie Pontifex Rom. non diceretur mitti a quoquam.

v. 15. προσηύξαντο, *oraverunt*) In ministerio evangelii preces non minus valent, quam sermones. Perfectus ergo minister esse nequit, qui orare nequit. DEI enim res referri debent ad homines, et hominum res ad DEUM.

v. 18. θεασάμενος, *spectans*) iterum novum quiddam. coll. v. 13. — τῶν ἀποστόλων, *apostolorum*) Erat igitur donum apostolicum. Non habebat Philippus evangelista: habebat tamen Ananias apud Paulum. c. 9, 17. — χρήματα, *pecuniam*) Inde *Simoniae* vocabulum. Non pro charismate, sed pro labore merces datur et accipitur. Matth. 10, 10.

v. 19. τὴν ἐξουσίαν, *potestatem*) Primum ipse debuerat orare, ut sibi daretur Spiritus sanctus. Volebat apostolis par fieri, et Philippo major. Superbia mater haeresium et abusuum; ut patet in Simone mago, patre haereticorum. — ᾧ ἐὰν, *cuicunque*) post baptismum, vel etiam citra baptismum.

v. 20. εἴη, *sit*) Anathema personae et rei. Ligat Petrus. — τὴν δωρεὰν, *donum*) Matth. 10, 8. — ἐνόμισας κτᾶσθαι, *statuisti comparare*) νομίζω de intellectu et voluntate dicitur. Sic 2 Macc. 7, 19. μὴ νομίσῃς ἀθῶος ἔσεσθαι. [*Cordis praecipue et peccatum est et reatus*. v. 21. 22. V. g.]

v. 21. οὐκ ἔστί σοι μερὶς οὐδὲ κλῆρος) *non est tibi pars* pretio, *nec sors* gratis. μερὶς et κλῆρος juncta etiam Deut. 18, 1. et Jes. 57, 6. coll. Ps. 16, 5. — ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ, *in verbo hoc*) in hac re, de qua locutus es. Sinceritas religionis nil adulterinum sibi admisceri patitur. — γὰρ, *enim*) In ministro et consorte evangelii cor rectum esse debet. *Cor*, arx boni et mali. — οὐκ ἔστιν εὐθεῖα, *non est rectum*) id est, valde distortum est. [*Intentionum spiritualium cum temporalibus permixtionem non fert cordis rectitudo*. V. g.]

v. 22. μετανόησον οὖν, *poenitentiam itaque age*) Poenitentia prius adesse debet: deinde licet dona gratiae quaerere. sermo concisus: resipisce, (et discede) ab ista malitia [1]). — εἰ ἄρα, *si*) Vis dubitandi cadit super poenitentiam et preces Simonis, non super remissionem doli, poenitenti sperandam.

---

1) καὶ δεήθητι, *et precare*] Utcunque aliquis perditus fuerit, ipse tamen orare potius, quam aliorum intercessione niti debet, v. 24. *V. g.*

Digitized by Google

v. 23. εἰς, *in*) Ipsum ***Simonem*** appellat ***fel amarum***, etc. eumque significat et talem jam esse, et mox aliis nocere posse. conf. εἰς v. 20. c. 4, 11. 5, 36. 7, 5. 21. 13, 47. — πικρίας, ***amaritudinis***) Hebr. 12, 15. — σύνδεσμον ἀδικίας) Sic LXX, Jes. 58, 6. — ὁρῶ, *cerno*) ex factis quoque tuis.

v. 24. δεήθητε, ***precamini***) Petrus dixerat, ***Ora DEUM.*** at Simon ait, ***Orate vos.*** Sensit ergo vim elenchi apostolici. Nemo debet aliorum precibus duntaxat niti. Hebr. 13, 18. — ὅπως, ***ut***) Poenae metum, non culpae horrorem fatetur. Propter hanc tamen declarationem videtur non statim rejectus fuisse ab ecclesia. — ὧν εἰρήκατε, ***quae dixistis***) Hic abrumpitur historia Simonis magi, cujus res reliquae, quo tempore Lucas scripsit, notae erant, et partim hodie in H. E. memorantur. Scriptura satis habet origines signasse: cetera temporibus reliquit et extremo judicio.

v. 25. διαμαρτυράμενοι, ***testificati***) perfuncti testimonio per omnes dido. — εἰς ἱερουσαλήμ, ***Jerusalem versus***) nam quod in via egerunt, id subjicitur. Hierosolymis ut plurimum manere adhuc erat apostolorum. — πολλὰς, ***multas***) Operationes divinae facile succedunt: humana consilia, cum solicitudine.

v. 26. ἄγγελος, ***angelus***) Angelus jubet surgere: Spiritus, accedere. v. 29. Munitur Philippus, ne timidius agat, post Simonis fraudem. — κατὰ μεσημβρίαν, ***meridiem versus***) Hoc ei pro hodego fuit. In omnes mundi plagas cito pervenit evangelium. c. 11, 19. — ἐπὶ, *ad*) Nondum dicitur, quid sit inventurus. Semper exercetur fides et obedientia. Sic quoque c. 13, 2. — αὐτὴ) Alias, αὕτη· sed ad designandum aliquid, ut h. l. αὐτή ἐστιν ἔρημος, adhiberi solet הוּא αὐτὸς ἱεροβάαλ, αὐτός ἐστι γεδεών. Jud. 7, 1. et sic 2 Reg. 18, 9. 1 Chron. 7, 31. 8, 12. 27, 6. 32. 2 Chron. 5, 2. Monebatur Philippus, ut in viam desertam, non in frequentiorem alteram, se conferret. [***Gaza nimirum desolata per tempus jacuerat; adeoque vine usum interea temporis cessasse fere credibile est, coll.*** Lev. 26, 22. ***Eo mirabilius est indicium hoc angelicum.*** V. g.]

v. 27. κανδάκης, ***Candaces***) ***quod nomen***, inquit Plinius, ***multis jam annis ad reginas*** (Aethiopiae) ***transiit*** [1]).

v. 28. ἀνεγίνωσκε, ***legebat***) clata voce. v. 30. Legendum, audiendum, percontandum, etiam in itinere, etiamsi parum intelligas. Habenti datur. Scriptura [***prae omnibus libris mundanis, quamlibet evidentibus,*** V. g.] lectorem, quamlibet parum intelligentem, suavitate afficit ac retinet, perinde ut aromata etiam per involucra odorem transmittunt.

v. 29. εἶπε, ***dixit***) Spiritus S. est persona. c. 1, 16. 10, 19. 20. 13, 2. 21, 11.

v. 30. ἤκουσεν, ***audivit***) Notus Philippo textus erat. — ἆρά γε, ***numquid***) Mira allocutio ad ignotum eumque magnum hominem. In sancta conversatione sine circuitu agendum de re ipsa. Non fecit initium Philippus, ut vulgo fit, v. gr. de tempestate, de novis rebus.

v. 31. γὰρ) Elegans particula, hoc sensu: ***quid quaeris?*** Fatetur ignorantiam. — ἐὰν μή τις, ***nisi quispiam***) Qui primam Jesu notitiam habet, prophetas vel sine homine hodego potest intelligere. — παρεκάλεσέ τε, ***rogavitque***) Erat in eunucho modestia et ardor discendi.

v. 32. ἡ δὲ περιοχὴ, ***locus autem***) Ex illo 53. Esajae capite multi non solum Judaei, sed etiam Athei conversi sunt. nonnullos habet historia: omnes novit DEUS. — ὡς πρόβατον — κείροντος αὐτὸν — ταπεινώσει αὐτοῦ — τὴν δὲ γενεὰν κτλ.) Sic LXX, Es. 53, 7. 8. nisi quod αὐτὸν, αὐτοῦ et δὲ non habent. — ἤχθη) ***duci se passa est***, ovis. ἤχθη pendet a πρόβατον, et ἄφωνος ab ἀμνός. nam apodosis incipit in οὕτως ***sic***. conf. accent. Hebr. ὡς pro καθώς· Rom. 5, 18.

---

1) προσκυνήσων, ***adoraturus***] Pridem circumcisionem quoque videtur accepisse. V. g.

Digitized by Google

2 Cor. 11, 3. Non est icon, sed comparatio. — ἄφωνος, *sine voce*) vocem, cum habeat, nullam edens, ut si nullam haberet.

v. 33. ἐν, *in*) *quum* humiliatus fuit, *statim* judicium ejus sublatum est. *Justificatus est.* 1 Tim. 3, 16. — γενεὰν, *aetatem*) et inde *progeniem*. Utrumque jungitur Jes. 53, 10., *videbit semen: extendet dies.* et v. 11., *videbit. satiabitur.* Sensus est: aliorum hominum aetas est v. gr. LXX annorum: at Messiae aetas est ineffabilis. — ὅτι) כי *quia*. Nexus inter statum exinanitionis et exaltationis. — αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς, *tollitur a terra*) Perbrevis vita Jesu Christi, ad patres Luc. 3. collata, *in terra* fuit: *excisus est*, Dan. 9, 26. luculentissimo argumento, *generationem* ejus alibi esse fixam.

v. 34. δέομαί σου, *oro te*) Simplex et candida interrogatio. — περὶ τίνος, *de quo*) Cuivis textui applicari potest haec quaestio: *de quo?* et, *quem ad finem?* — περὶ ἑαυτοῦ, *de se*) Prophetae non est *de se ipso* multum loqui, sed de Christo. — ἢ, *an*) Dividendo, propius venitur ad decidendum. — ἑτέρου, *altero*) Quis ille alter, nisi *Christus?* de quo omnes *prophetae* testantur. — τινὸς, *aliquo*) Valde adhuc indefinite quaerit eunuchus.

v. 35. ἀνοίξας, *aperiens*) Jam erat locutus aliqua: sed nunc ad dicendum se confert. Sic c. 10, 34. — ἀρξάμενος, *incipiens*) Commoda ratio doctrinae, ordiri a textu oblato, et reliqua, quae dicenda sunt, subnectere. c. 13, 17. Luc. 4, 21. — ἀπὸ, *a*) A quolibet Scripturae textu, non modo a tam illustri, quam hic erat, deveniri potest ad Jesum: et tum late patet dicendi campus. — τῆς γραφῆς, *scriptura*) quae sane de *Ministro Domini* (sic enim apud Jesajam appellatur Christus) agit. Et saepe ex solo praedicato hoc subjectum agnoscitur. Matth. 2, 23. 8, 17.

v. 36. κατὰ τὴν ὁδὸν, *secundum viam*) Etiam circumstantiae itineris gubernatae sunt divinitus. Regnum DEI accommodat sese ad circumstantias externas, sine vi: ut aër omnibus corporibus cedit, et tamen omnia permeat. c. 13, 5. 14. 16, 13. 17, 2. 17. 21, 3. — τί κωλύει, *quid prohibet*) Paratus erat submittere se, si quid etiamnum superesset, et cupidus. Intus *fides*, foris *aqua* praesto erat. — βαπτισθῆναι, *baptizari*) Audierat igitur ex Philippo de *baptismo*. Credibile est, eunuchum fuisse circumcisum. nam huic se obtulit Philippus; Cornelius Petrum arcessivit. Petrus initio dubitavit: c. 10, 14., Philippus non dubitavit. Saltem actio cum eunucho tum fuit occulta. Nam in Cornelio fixum est initium vocationis gentium.

v. 37. εἰ πιστεύεις ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, *si credis ex toto corde*) Subaudi, ex interrogatione praegressa, *tum nil prohibet te baptizari.* Alii σωθήσῃ, *servaberis*, vel, ἔξεστιν, *licet*, supplerunt. Ne lector paucitatem testium pro lectione breviore miretur, meminerit, quae in Apparatu de multitudine codicum Graecorum, hoc versu carentium, notavi. Eadem ratio est responsionis ab eunucho datae, cui vicissim nomen χριστὸν addidere multi, ubique celebratum. Non extat id in cod. ms. *Berolinensi* Latino, aliisque. — ὅλης, *toto*) magis, quam Simon. v. 13. Philippus a Simone mago deceptus, tamen non dubitat eunuchum credentem baptizare. [*Caute agit; at non diffidentius justo.* V. g.]

v. 38. ἀμφότεροι, *ambo*) Comitibus eunuchi quid factum fuerit, non memoratur. — φίλιππος, *Philippus*) Hic priore loco ponitur; nam major erat, ut baptizans, eunucho, qui baptizabatur.

v. 39. ἥρπασε, *rapuit*) miraculosa celeritate, sine Philippi actione aut opera, longe; ut opus erat in loco invio. Talia saepe prophetis acciderunt. 1 Reg. 18, 12. 2 Reg. 2, 16. Idem verbum, 2 Cor. 12, 2. 4. 1 Thess. 4, 17. Hoc ipso discessu confirmata est eunuchi fides. Pari trajectu apostolus unus alterque etiam, si aliud iter non patuit, in Americam *potuit* pervenire. — γὰρ) proprie, *enim*. Non vidit amplius, neque videre curavit, propter gaudium.

Digitized by Google

Qui nactus est Scripturam et Christum, jam carere potest homine hodego. Manus non leguntur eunucho impositae. [1])

v. 40. εὑρέθη, *inventus est*) In via nec Philippus ipse videtur scisse, ubi esset, vel quid ipsi accideret, nec quisquam alius eum vidit. — τὰς πόλεις, *urbes*) inter Gazam et Caesaream, ut erant Joppe, Lydda etc. Hic quoque, uti in urbe Samariae, apostolis auditores praeparavit. c. 9, 32. — εἰς καισάρειαν, *Caesaream*) In hac urbe insigni domum fixit, commeatum sanctorum adjuturus. c. 21, 8. seq.

CAPUT IX.

v. 1. Ἔτι, *adhuc*) Sic in summo fervore peccandi ereptus et conversus est. Conf. c. 22, 3. seqq. 26, 4. seqq. nam eo Lucas, ut Scriptura solet, multa differt de tota re et de sermone Ananiae. — τῷ ἀρχιερεῖ, *ad principem Sacerdotum*) Hujus *auctoritas* etiam Damasci movebat Judaeos. v. 14.

v. 2. εἰς δαμασκόν, *Damascum*) Magna ibi seges erat. — τῆς ὁδοῦ, *viae*) Religio, *via*: in qua ambulandum, non otiandum. — δεδεμένους, *vinctos*) Multum indulsit Judaeis potestas civilis Damasci. v. 14. 24.

v. 3. ἐν δὲ τῷ πορεύεσθαι, *inter proficiscendum*) Alias, qui iter faciunt, non facile capiunt apparitiones, propter motum et strepitum. — ἐξαίφνης, *desubito*) Quum DEUS subito et vehementer adoritur peccatorem, summum est beneficium et immensa fidelitas. Sic dedocetur Saulus spirare caedem, dum ardor ad summa venit, et quod ei defuerat ad diuturnitatem discipulatus, id compensatur terrore, omnia ejus intima penetrante. quo ipso etiam contra periculum neophytorum subitus munitur apostolus. — αὐτὸν, *eum*) Evidentissima apparitio. v. 7. 8. Non dissimilis visio Constantini, qua crucem vidit: aeque certe credibilis, ac somnium Alexandri M. de pontifice Hebraeorum. Historia est apud Josephum, lectu dignissima.

v. 4. φωνὴν, *vocem*) severam, et tamen gratiae plenam. c. 22, 14. — σαοὺλ, *Saul*) JESUS Saulum prius novit, quam Saulus JESUM.

v. 5. τίς εἶ, *quis es?*) Conscientia ipsa facile diceret: Jesum esse. — ἐγὼ, *ego*) *Is quem persequeris, sum ego Jesus.* — ὃν σὺ διώκεις, *quem tu persequeris*) Iteratur verbum, cum σὺ *tu* pronomine emphatico. Hoc ipsum verbum Saulus, semel perterrefactus, subinde sibi in memoriam redegit. In conversione voluntas hominis frangitur et liquescit; divina suscipitur. c. 16, 30. De talis terroris efficacia conf. Ex. 20, 20. 2 Sam. 6, 9. 1 Chron. 22, 30. Conversio Pauli solidissima praebet argumenta pro veritate fidei Christianae, v. 21., estque singulare exemplum gratiae gratuitae amplissimae.

v. 6. ἀλλὰ) Pro hac particula, longior periocha, σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν· τρέμων τε καὶ θαμβῶν εἶπε, Κύριε τί με θέλεις ποιῆσαι; καὶ ὁ κύριος πρὸς αὐτὸν, illata est. Glossam hanc esse, ex parallelo c. 26, 14., et ex paraphrasi compositam, prodit multiplex inter paucos, periocham referentes, discrepantia. Vid. Appar. crit. Ed. II. ad h. l. [*qui hanc periphrasin, ex parallelismo natam, plane refutat. Copiosius id fit in* Defensione N. T. *seorsum edita A.* 1739 et *A.* 1745. (*App. Ed. II. P. IV. n. IX.*) Not. Crit.] — εἰς τὴν πόλιν, *in urbem*) Iter jubetur Saulus prosequi et urbem intrare, sed alio jam animo. Sine hoc jussu nescisset, quid sibi faciendum esset. Iis primum locis nomen Jesu Saulus, ubi persecutus erat, confessus est. c. 26, 20. — λαληθήσεται, *dicetur*) Debuit Saulus exspectare et se submittere ministerio, posteaque Cornelius. cap. 10, 5. Eo ablegavit alterum Jesus, alterum angelus, verbis ob id

---

1) χαίρων, *gaudens*] Animae rite dispositae quantum boni semel simulque obtingere potest! *V. g.*

Digitized by Google

ipsum paucis. Periculo non vacant, qui sine communione hominum idoneorum quaerunt viam coeli. συγκατάβασις admiranda est, quod Dominus agit nobiscum per similes nostri. — τί σε δεῖ ποιεῖν, *quid te oporteat facere*) De hoc quaesierat Saulus: hoc ei Ananias dixit. v. 17. Cetera ab ipso Domino didicit apostolus.

v. 7. οἱ συνοδεύοντες, *qui comitabantur*) quorum quibusdam usurus fuerat tanquam lictoribus. — εἱστήκεισαν, *stabant*) Ceciderant illi quoque, c. 26, 14., sed ante Saulum surrexerant sua sponte. — ἀκούοντες, *audientes*) Cap. 22, 9. *lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt.* Videbant igitur lumen, c. 26, 13. s. sed non Jesum ipsum: audiebant vocem solam, non vocem cum verbis. conf. Joh. 12, 29. — μηδένα, *neminem*) Non dicitur, *Jesum non videbant*, sed, *neminem videbant*. nesciebant enim, Jesum Saulo esse conspectum.

v. 8. ἠγέρθη, *surrexit*) verbo Christi, c. 26, 16. — ἀνεῳγμένων, *apertis*) Itaque, qui Saulum cernerent, non putassent, illum non videre.

v. 9. ἡμέρας τρεῖς, *tridium*) Notabile spatium. Quiescente visu et gustu, intime recollectus est in solitudine, per preces. v. 11. Dignum est conversionis negotium, cui totos dies impendat homo, cum trahitur. Id si non ultro facit, DEI bonitas eum lectulo affigit. — μὴ βλέπων, *non videns*) Nec tamen coecus dicitur, quia non erat poena. conf. c. 13, 11.

v. 10. ἦν δὲ, *erat autem*) Ananias et Saulus non videntur antea inter se fuisse noti. — μαθητὴς, *discipulus*) non apostolus; ne apostolorum discipulus videretur Saulus: sed *discipulus* gregarius, quo magis humiliaretur Saulus, et ne tamen ab Anania doctus videretur. — ὁ κύριος, *Dominus*) Jesus.

v. 11. πορεύθητι, *vade*) Sic ad Saulum c. 22, 10. et sic iterum v. 15. ad Ananiam, πορεύου, *vade*. — ἰδοὺ, *ecce*) Ostensus est Ananiae Saulus orans. Orantes videt Jesus. — γὰρ, *enim*) Vis aetiologiae maxime pertinet ad illud, *Vidit — Ananiam*. — προσεύχεται, *orat*) Omnes motus spirituales confluunt, et exercentur, in orando.

v. 12. [1]) ἀνανίαν, *Ananiam*) Hoc *nomen* Saulus inter visionem aut aure aut mente accepit. — ὅπως ἀναβλέψῃ, *ut visum recipiat*) Effectus singularis manuum imponendarum exprimitur; communior, subauditur v. 17. fin.

v. 13. ἀπὸ πολλῶν, *a multis*) Insignis persecutor fuerat Saul. — τοῖς ἁγίοις σου, *sanctis tuis*) Sancti sunt Christiani jam nunc. Christus habet sanctos, ut suos: ergo est DEUS.

v. 14. τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου, *qui invocant nomen tuum*) Descriptio Christianorum. v. 21. 1 Cor. 1, 2. Hac phrasi LXX ut plurimum illam Hebraeam קרא בשם exprimunt.

v. 15. ἐκλογῆς — παθεῖν, *electionis — pati*) Connexa sunt haec. *Electionis* mentio omnem Ananiae dubitationem dispellit. Ipse προορισμὸς Rom. 8, 29. coll. v. 28. adversa in secunda convertit. — τοῦ βαστάσαι, *ut portet*) Officium arduum, splendidum et beatum. — τὸ ὄνομά μου, *nomen meum*) Huc ref. *pro nomine meo*, v. 16. — ἐνώπιον, *coram*) publice. — ἐθνῶν, *gentibus*) Gentes primo ponuntur. nam Paulus gentium apostolus. Nomen Christi Paulus, conversionem suam commemorans, portavit coram populo, c. 22. et coram gentibus ac regibus. c. 26.

v. 16. ἐγὼ γὰρ, *ego enim*) i. e. age tu, Anania, quae juberis: nam ego curabo cetera, ut Saulus sit meus et maneat. — ὑποδείξω, *ostendam*) re ipsa, in toto ejus cursu. Ananiae, non ipsi Saulo, hoc praedicitur: Sauli erat, obsequi. — παθεῖν, *pati*) tantum abest, ut alios posthac sit oppugnaturus. Initium vide versu 23. 29.

---

1) καὶ εἶδεν, *et vidit*] Visiones binae, quarum altera respondet alteri, uti h. l. apud Ananiam et Saulum, omnem fallacis phantasiae suspicionem tollunt. Idem in Cornelio etiam et Petro observandum, c. 10. *V. g.*

Digitized by Google

v. 17. ἀδελφὲ, *frater*) necessitudine veteri Judaica, et nova Christiana. — ἐπιθεὶς, *imponens*) ante ipsum baptismum. conf. c. 10, 44. s. — εἶπε, *dixit*) Non omnia Ananias, de Saulo sibi dicta, Saulo refert. Sauli non erat scire, quanti ipse jam esset.

v. 18. εὐθέως, *confestim*) Miraculum. — ἀπέπεσον, *deciderunt*) Saulus, Christo conspecto, prae splendore non videt: Anania, quem Ille misit, veniente, visum recipit. — ὡσεὶ λεπίδες, *veluti squamae*) humore in oculis arefacto. — ἐβαπτίσθη, *baptizatus est*) ab Anania: edoctus a Domino.

v. 19. ἐνίσχυσεν) Neutrum. Sic, ἐνισχύσωμεν, 1 Chron. 19, 13. — ἐν δαμασκῷ, *Damasci*) Quae Paulus ante conversionem fecerat in malam partem, eadem postea vel ipse in bonam partem fecit, iisdem in locis, vel ab Judaeis perpessus est.

v. 20. εὐθέως, *continuo*) Alii post conversionem sunt, ut flumina, statim a capite lata et profunda; alii post longiorem tractum. Saulus, statim apostolus, triduo tantum profecerat, quantum alii multis annis non proficiunt. [*Penitissima, quae praecesserat, humiliatione praemunitus est contra periculum*, νεοφύτους *alioquin imminens*. V. g.]

v. 22. συνέχυνε, *confundebat*) ita, ut ipsi sibi contradicerent. Oppositum ex parte Sauli, συμβιβάζων, *confirmans*. Neque tamen iis nunc armis adversus Judaeos pugnat, quibus et ipse pugnarat adversus credentes, et ab Judaeis jam oppugnatur.

v. 24. παρετήρουν, *custodiebant*) adjuvante praetore. conf. 2 Cor. 11, 32.

v. 25. καθῆκαν, *demiserunt*) Factum hoc paucis innotuerat, antequam Paulus 2 Cor. 11, 31. fs. commemoravit. Lucas res Pauli intimas norat.

v. 26. παραγενόμενος, *cum venisset*) tribus post annis. Gal. 1, 18. Hoc triennium etiam Paulus transilit. c. 22, 17. — τοῖς μαθηταῖς, *discipulis*) modeste; non statim apostolis. — ὅτι ἐστὶ μαθητὴς, *eum esse discipulum*) tantum aberat, ut crederent, esse eum apostolum.

v. 27. βαρνάβας, *Barnabas*) Cum hoc deinde Saulus conjunctionem habuit singularem. — πρὸς τοὺς ἀποστόλους, *ad apostolos*) Petrum et Jacobum. Gal. 1, 18. 19. — διηγήσατο, *exposuit*) Qui adversarius antea fuerat, merito *probat* se mutatum.

v. 31. ἐκκλησία, *ecclesia*) Sic cap. 16, 5. de *ecclesiis*. [*Vim habet numerus singularis*. Not. crit.] — καθ' ὅλης κτλ. *per totam Judaeam et Galilaeam et Samariam*) Anakephalaeosis. — εἰρήνην, *pacem*) converso Saulo, persecutore praecipuo. — πορευομένη) Sic, ὑπάγητε, Joh. 15, 16. not. Utroque loco est ἓν διὰ δυοῖν. Sic, ἐπορεύετο χεὶρ τῶν υἱῶν ἰσραήλ. Jud. 4, 24. — φόβῳ — παρακλήσει, *timore — consolatione*) Temperamentum egregium. *Consolatio*, pax interna: εἰρήνη, *pax* externa, cum *timore* Domini, sublato hominum metu. — ἐπληθύνετο, *multiplicabatur*) numero credentium.

v. 32. διὰ πάντων) Masculinum. coll. ἐν οἷς, c. 20, 25.

v. 33. ὀκτὼ, *octo*) Audierat de Christo sine dubio, sanante omnes illo tempore.

v. 34. ἰᾶται, *sanat*) non modo, *sanet*. conf. v. 40. c. 3, 6. 14, 10. Haec oratio confirmat praesentiam et potentiam Christi divinam.

v. 35. [1]) τὸν σάρωνα, *Saron*) *Saron* tractûs nomen, in quo Lydda oppidum. hinc articulus adjectus. — ἐπὶ τὸν κύριον, *ad Dominum*) Jesum Christum. *Ad Dominum converti* dicuntur ii, qui V. T. jam antea amplexi erant c. 11, 21. 2 Cor. 3, 16. *ad Deum converti* dicuntur gentes. Act. 15, 19. 20, 21.

---

1) πάντες, *omnes*] Lydda, Josepho teste, vicus fuit, urbis ambitum aequans. Numerosa igitur haec fuit conversio. *V. g.*

Digitized by Google

v. 36. ἔργων, *operum*) Haec opera, vestium conficiendarum, magni aestimata sunt, magno praemio remunerata. v. 39. — ἐλεημοσυνῶν, *eleemosynarum*) Joppae igitur non fuit communio bonorum.

v. 38. οἱ μαθηταὶ, *discipuli*) Itaque hi non habuere donum miraculorum. — δύο, *duos*) de re gravi. [*Sperabant futurum esse, quod reapse consecutum est.* V. g.] — μὴ ὀκνῆσαι, *haud gravari*) Fides non tollit civilitatem verborum; qua hic usi sunt. LXX, Num. 22, 16. ἀξιῶ σε, μὴ ὀκνήσῃς ἐλθεῖν πρός με. — διελθεῖν, *transire*) Innuunt, etiam aliis in via fructuosum fore iter Petri. — ἕως, *usque ad*) Argumentum a facili.

v. 39. συνῆλθεν αὐτοῖς, *venit cum illis*) Humilitatis indicium. coll. v. 43. — μετ' αὐτῶν οὖσα, *quum esset cum ipsis*) i. e. antequam obiret.

v. 40. ἐκβαλὼν, *ejectis*) Ardori precum apta solitudo omnimoda, et magno miraculo: eoque major deinde fuit apud omnes admiratio ac fides. — ἀνεκάθισε) *resedit*. Luc. 7, 15.

v. 41. καὶ, *et*) *et* speciatim [1]).

v. 43. ἱκανὰς, *sat multos*) Plus fecit, quam rogarant. v. 38. — σίμωνι, *Simonem*) propinquum fortasse loco [2]).

CAPUT X.

v. 1. Ἀνὴρ, *vir*) Hactenus descripta omnia inter circumcisos gesta sunt: nunc etiam venitur ad gentes. — ἐν καισαρείᾳ, *Caesareae*) Jam non ignota ibi erat doctrina salutis. c. 8, 40. Conf. infra, v. 37. Unde Petrus prophetas allegat v. 43. Hierosolyma sedes tum erat regiminis Judaeorum ecclesiastici; Caesarea, civilis. Metropoles, quas cetera sequebantur, cepit evangelium, per illos divinos idiotas praedicatum: sic deinde Philippos, Athenas, Corinthum, Ephesum, ipsam Romam. — κορνήλιος, *Cornelius*) Frequens apud Romanos nomen. — ἰταλικῆς, *Italica*) Horum militum magna pars vivebat, quo tempore haec scripta sunt: poterantque illi testes esse. οἱ τῆς σπείρης τῆς ἰταλικῆς πεζοὶ, *cohortis Italicae pedites* memorantur etiam ab Arriano, ut observat *C. G. Schwarzius* in Diss. de cohorte Italica et Augusta p. 42.

v. 2. σὺν, *cum*) Connexio arcta heri et familiae, ducis et militum. v. 7. — οἴκῳ, *domo*) Conf. cap. 11, 14. — τῷ λαῷ, *populo*) Apud multos Judaeos magna tum erat paupertas. Pauperum vicem DEUS rependit. Favorem Cornelii erga Israëlitas gratia DEI erga Israëlem remuneratur. — δεόμενος, *orans*) *Preces* et *liberalitas* commendantur hic; accedit *jejunium*. v. 30. Benefici faciunt, quod DEUS vult: precantes iidem quod volunt, DEUS facit.

v. 3. ἐν ὁράματι, *in visione*) non in ecstasi, ut Petrus. — φανερῶς, *manifeste*) ita ut nulla sensuum fallacia Cornelium, talibus rebus haud assuetum, sollicitare posset. — ἐννάτην, *nonam*) Ea nobis est tertia fere, a meridie: quo tempore sensus solent esse vegeti.

v. 4. ἔμφοβος γενόμενος, *timore correptus*) ex angeli splendore. v. 30. — κύριε, *domine*) Sic appellat angelum, ut ignotum. — προσευχαὶ, *precationes*) Hae praecedunt: *eleemosynae* sequuntur, quanquam respectu hominum magis conspicuae. v. 2. — ἀνέβησαν, *ascenderunt*) Non dicit angelus, se eas obtulisse. v. 31. Ascenderunt tamen, instar sacrificii. Ap. 8, 4. Angeli non dicuntur ἱερεῖς, sed tamen λειτουργοί. Laetus nuncius. O quam multa in terram cadunt, non ascendunt. — εἰς μνημόσυνον, *in memoriam*) Precandum et benefa-

---

1) ζῶσαν, *virentem*] Hoc pacto tempus ei, ulterius benefaciendi, suppetebat. *V. g.*

2) βυρσεῖ, *coriarium*] Quanta popularitate insignis Apostolus in externis hic usus est, post magnum facinus in ipsa Joppe patratum, et ante negotium grande, Caesareae suscipiendum! *V. g.*

Digitized by Google

ciendum, etiam si non statim sentias effectum. [*Quanta suavitate perfusum esse hoc indicio Cornelium existimes!* V. g.]

v. 5. μετάπεμψαι, *arcesse*) Cornelius non mittitur ad Petrum, sed hunc arcessere jubetur, utne videretur factus esse proselytus, atque ut innueretur, sic ad gentes, suo quasque loco, venturum esse evangelium. — πέτρος, *Petrus*) Cognomen gentibus non ingratum; perinde ut *Pauli*.

v. 7. ὡς, *ut*) primum. v. 33. — ἀπῆλθεν, *discessit*) non repente disparuit. — δύο, *duos*) Hodie splendidiores legationes accipit, qui Petri successor putatur.

v. 8. ἅπαντα *cuncta*) Familiaritas pia erga domesticos. [*quam illustribus etiam hominibus, nullo auctoritatis dispendio, facile suadet gratiae divinae experientia.* V. g.] Cornelius prudenter (pro confirmanda suorum fide subsequente) eloquitur, Petrus prudenter silet de visione. v. 21. coll. v. 28. — ἀπέστειλεν, *misit*) Non opus erat epistola.

v. 9. δῶμα, *tectum*) Non habebat ὑπερῷον domus coriarii. — προσεύξασθαι, *orare*) Tempus ante prandium vel coenam (v. 3.) precibus opportunum. — ἕκτην, *sextam*) prandii, et, ante id, precum. Ps. 55, 18. Occurrit inscius tantae revelationi.

v. 10. ἐγένετο, *factus est*) sub preces. — πρόσπεινος, *esuriens*) legitimo cibi tempore; modo tamen quodam, ut videtur, extraordinario. Cum statu facultatum naturalium congruunt symbola apparitionum. — γεύσασθαι, *gustare*) Verbum temperantiam exprimens. — παρασκευαζόντων, *parantibus*) scilicet iis, quorum erat *parare*. Etiam quum facultates naturales non quiescunt, tamen invalescere potest operatio divina. — ἔκστασις, *mentis excessus*) Preces aptum faciunt ad recipiendam revelationem: et *ecstasis* munit hominem contra suum ipsius spiritum.

v. 11. τὸν οὐρανόν, *coelum*) Vas non solum e terra sublatum est in coelum, sed prius e coelo demissum. Itaque gentium receptio in coelum praesupponit originem primam hominum coelestem. Et in coelo prius sunt typi rerum, quae deinceps in terra fiunt ad salutem hominum. conf. Hebr. 8, 5. — σκεῦος, *vas*) mappam. — τέσσαρσιν, *quatuor*) pro totidem plagis mundi. — ἀρχαῖς, *extremitatibus*) Hae non in unum nodum constrictae, sed singulae coelitus erant suspensae. c. 11, 5.

v. 12. πάντα τὰ τετράποδα καὶ τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς, *omnes quadrupedes et reptilia terrae*) *Omnium* quadrupedum nomine complectitur Lucas etiam *feras*, quas tamen recentiores librarii huc intulerunt, ex cap. 11, 6. [1]) His symbolis non solum significatum est, licere Petro omnibus gentium cibis vesci: sed, ipsos gentiles, quos antea denotarant animalia immunda, jam esse mundos. v. 28.

[2]) v. 14. μηδαμῶς, *nullo modo*) Ecstasis relinquit homini libertatem in ea re, quae repraesentatur. c. 22, 19. Ceteroqui signum est virtutis corroboratae, etiam ligatis sensibus, v. gr. in somnio, defendere conscientiam. Prima exceptio, quum DEUS aliquid arduum jubet, interdum veniam habet: c. 22, 19. s. sed debet abesse iteratio. Joh. 13, 8. Ex. 4, 13, Deut. 3, 26. Ez. 4, 14. Ex cunctatione Petri clarius elucet voluntas DEI. Eoque facilius potuit ferre Petrus dubitationem fratrum. c. 11, 2. s. — οὐδέποτε, *nunquam*) Qui semel aliquid fecit, facilius iterat. Vide igitur, ne quid mali primo facias. Petrus semper fuerat observans legis.

v. 15. ἐκαθάρισε, *purificavit*) pura fecit et declaravit. De coelo enim nil nisi purum demittitur. Hujus verbi probe memor mansit Petrus, c. 15, 9. Conf.

---

1) *Inde lectionem* καὶ τὰ θηρία, *quam haud omittendam censuit* Ed. maj. *sequiorem judicat* Ed. 2., *et omittit etiam* Vers. germ. E. B.

2) v. 13. φάγε, *ede*] Talis h. l. cibus Petrum manebat, quali Christus ipse satiatur, Esaj. 53, 11. *V. g.*

Digitized by Google

de Paulo c. 13, 2. not. — σὺ, *tu*) minor DEO. v. 26. c. 11, 17. — μὴ κοίνου, *noli communia dicere*) Nil est tertium aut medium inter purum et commune.

v. 16. ἐπὶ τρὶς, *tertio*) Numerus decretorius, rem confirmans, et celeritatem proximam significans. conf. Gen. 41, 32.

v. 17. ἐν ἑαυτῷ, *intra se*) Implicite indicatur, Petrum jam non fuisse in ecstasi. coll. c. 12, 11. — διηπόρει, *haesitabat*) Apostoli non caruere cura cognoscendi. — ἰδοὺ, *ecce*) Saepe, quae piis *intus* et *extra uno tempore* obveniunt, mutuo sese recludunt. Quae ita conveniunt et concurrunt, sapienter sunt expendenda. — διερωτήσαντες) *rogando penetrantes*. — σίμωνος, *Simonis*) Nomina per angelum indicata et percontantibus et Joppensibus admirationi fuere.

v. 18. φωνήσαντες, *vocantes*) crescente jam parrhesia.

v. 19. ἰδοὺ, *ecce*) Paullatim praeparatus erat Petrus ad capiendum hoc novum monitum Spiritus. Gradatim ducuntur fideles, quoad satis est in re qualibet praesenti. — ἄνδρες, [1]) *viri*) Non audierat Petrus tres viros vocantes.

v. 20. μηδὲν διακρινόμενος, *nihil dubitans*) Requisitum summe necessarium bonae actionis. Saepe dubitatio diuturna subito, cum opus est, piis in vita vel in obitu eximitur.

v. 21. ὃν ζητεῖτε, *quem quaeritis*) Sic quaerentibus addebatur animus.

v. 22. δίκαιος, *justus*) Occupatio. — μεταπέμψασθαι, *arcessere*) Alias ipse Cornelius non dubitasset ad Petrum venire.

v. 23. εἰσκαλεσάμενος, *introrocans*) Petrus pedem domo non extulerat. — ἐξένισε, *recepit hospitio*) non diffisus peregrinis: non fastidiens gentes. Primo gentes venerunt ad Judaeos: deinde hi ad illos. — τῇ δὲ ἐπαύριον, *postero autem die*) In re quamvis bona non requiritur semper summa festinatio. — τινὲς, *aliqui*) sex. c. 11, 12. Non jussi erant divinitus; ac tamen pie fecerunt. Multa saepe relinquuntur libertati piorum: in quibus tamen occulta DEI manu reguntur. Postea constitit, quam utile fuerit, tot testes adfuisse. c. 11, 12. — συνῆλθον, *simul ibant*) Sanctus comitatus, X hominum varii ordinis.

v. 24. ἦν προσδοκῶν, *exspectabat*) Non immerserat se tantisper aliis negotiis, sed huic rei totus vacabat, totoque hoc tempore praeparabatur. — τοὺς συγγενεῖς, *propinquos*) Regnum DEI propagatur, ut saepe ferunt externae circumstantiae. Συγγενεῖς, *propinqui* sunt ab una stirpe, etiam collaterales. — τοὺς ἀναγκαίους, *necessarios*) *Necessitudo* latius patet, quam *propinquitas*, estque etiam affinitatis, viciniae, collegii etc. — φίλους, *amicos*) Non omnes propinqui et necessarii sunt amici. Convocavit, quos libenter interfuturos existimavit. [*Fuerunt itaque homines ipsi Cornelio haud absimiles*, v. 2. *Amicitia cum bonis malisve culta quoties quaeso necopinantibus vel in quaestum cedit vel in fraudem!* V. g.]

v. 25. εἰσελθεῖν, *ut intraret*) domum. — συναντήσας, *obviam veniens*) cum gaudio et honoris causa. — ἐπὶ τοὺς πόδας, *ad pedes*) Petri. — προσεκύνησεν, *adoravit*) Non addit Lucas, *eum*. Euphemia.

v. 26. ἤγειρε, *erexit*) Cur osculum pedum non modo admittitur, sed ordinaria ceremonia est Papae? [2]) — ἄνθρωπος) *homo*, non *Deus*. Hac causa et elationem nostri et aliorum admirationem moderari debemus. Non debemus mortales, sed dona DEI in illis suspicere. [*Ut Galatae Paulum* (Gal. 4, 14.), *sic Petrus Cornelium exceperat*. V. g.]

v. 27. συνομιλῶν, *colloquens*) familiariter. — εἰσῆλθε, *intravit*) in partem Domûs interiorem. — πολλοὺς, *multos*) laetam messem.

---

1) *Lectionem* ἄνδρες τρεῖς, *per margines* Edd. grr. *pro minus firma declaratam, recepit tamen* Vers. germ. E. B.

2) κἀγὼ, *et ego*] ut Cornelius, v. 28. Non dicitur Cornelius adorasse *Petrum*: neque tamen Petrus eum non reprimit. *V. g.*

Digitized by Google

v. 28. ὑμεῖς) *vos* ipsi. Omnes alloquitur, suo, non etiam comitum, nomine. — προσέρχεσθαι, *accedere*) id quod etiam minus est, quam κολλᾶσθαι *conjungi*. — ἀλλοφύλῳ, *alienigenae*) Euphemia. — καὶ) pro ἀλλὰ, *et* pro *sed*. — ἐμοὶ, *mihi*) Hoc emphasin habet. — [1]) ἔδειξε, *ostendit*) Verbum proprie positum. v. 11. Parce loquitur de sua dubitatione et de visione occulta. — ἄνθρωπον, *hominem*) Hoc in extremo ponitur eleganter: involvit aetiologiam, et orationis universalitatem intendit.

v. 29. ἀναντιῤῥήτως, *sine contradictione*) Nam cum DEO rem prius expedierat. — πυνθάνομαι, *interrogo*) Suas quisque loquendi partes habet. [*Atque* interrogando *plura loquendi opportunitas facile paratur*. V. g.]

v. 30. ἀπὸ, *ab*) ab initio diei, qui retro quartus est, usque ad diem praesentem et hanc ejus horam. — τετάρτης, *quarto*) Primus (retrorsum, quartus) dies erat visionis et legationis: secundus, adventus legatorum: tertius, profectionis Petri: quartus, adventus apud Cornelium. [v. 3. 9. 23. 24.] — ἤμην νηστεύων, *eram jejunans*) Non innuitur jejunium quatuor dierum, sed diei retro quarti. [*Laudabilia haec fuerant: attamen humili simplicitate refert Cornelius*. V. g.] [2])

v. 33. καλῶς ἐποίησας, *bene fecisti*) Formula approbandi. Laudat Petrum, qui venire non dubitarit. v. 28. — ἐνώπιόν σου, *coram te*) Antiquissima lectio. [3]) τοῦ θεοῦ, pro σοῦ, librarius facile sumsit, vel ex fine versus hujus, vel ex v. 31. — πάρεσμεν, *adsumus*) Cornelius domi suae ita loquitur, quasi apud Petrum esset ipse cum suis. Religiose praeparati erant. Terra bona erat: inde fructus celerrimus. v. 44. — τὰ προστεταγμένα σοὶ, *quae mandata sunt tibi*) Non videtur antea dictum fuisse Petro, quod diceret.

v. 34. ἐπ᾽ ἀληθείας καταλαμβάνομαι, *rere percipio*) ex omnium rerum concentu. [*Ipsa Cornelii narratio plenam Petro rei cognitionem suggessit*. V. g.] — οὐκ ἔστι προσωπολήπτης, *personam non accipit*) Petrus non putarat antea, Deum esse *personarum acceptorem*. sed nunc primum illud experitur, ex quo luculentissime conspicitur, DEUM non esse *personarum acceptorem*. — ὁ θεὸς, *Deus*) Ad hunc omnia referuntur. v. 38. 40. ss.

v. 35. ἐν παντὶ ἔθνει, *in omni gente*) Non *indifferentismus religionum*, sed *indifferentia nationum* hic asseritur. Patet hoc etiam ex opinione contraria, de circumcisis duntaxat gratis DEO, ex qua se extractum fatetur Petrus. Non plane ignarus fuerat Cornelius doctrinae de Christo, et famae de Jesu Christo, v. seqq., quamvis circumcisionem, DEO ita providente, non acceperat. Quapropter multo aliter cum illo loquitur Petrus, quam Paulus postea, evangelio ad remotiores progrediente, cum idololatris egit. Cap. 14. et 17. Hinc etiam v. 43. ad prophetas generatim provocat; quod Paulus ll. cc. non fecit; nec tamen, ut ad Judaeos ubique solet, testimonia prophetica speciatim allegat. — ὁ φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, *qui timet eum et operatur justitiam*) pro modulo primae cognitionis ex lumine naturae ac potius ex verbo revelato haustae. Descriptio indefinita, rei et exordio apta. Tales homines vario gradu eleganter describuntur. v. gr. c. 17, 4. 11. 12. — αὐτὸν, *eum*) Deum verum. — δεκτὸς) *acceptabilis*: cui gratia etiam sine circumcisione possit obtingere. Respondet verbum λαβεῖν, *accipere*, cap. 15, 14., ubi hic ipse locus respicitur.

v. 36. τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλε) Hebraismus, ex quo את valet, *hoc est*, uti Hagg. 2, 5., τὸν λόγον, ὃν διεθέμην ὑμῖν. ed. Basil. sive Aldin. Addit Ludovicus

---

1) ὁ θεὸς, *DEUS*] Unius veri DEI cognitionem apud Cornelium supponere Petrus potuit. v. 34. 36. *V. g.*

2) τὴν ἐννάτην ὥραν, *horam nonam*] Israëlitas hac in re imitatus fuerit Cornelius. c. 3, 1. *V. g.*

3) *quam* Vers. germ. *praefert, marginem* Ed. 2. *potius, quam* Ed. maj. *secuta*. E. B.

Digitized by Google

de Dieu loca Zach. 7, 7. 8, 17. 2 Reg. 9, 25. Alii tamen olim apud Lucam, τὸν λόγον ἀπέστειλε· (coll. Ps. 107, 20. LXX, ἀπέστειλε τὸν λόγον αὐτοῦ) ut subaudiatur τοῦτον [1]), coll. Matth. 19, 22. Joh. 7, 40. etc. Certe Petrus illud Jesajae c. 9, 7. דבר שלח in mente habuisse videtur, idque ad ea, quae ibi praecedunt de *Pacis* Principe atque imperio, retulisse; ut dicat: Bonum illud, quod Israëli per Messiam obtigit, idem vestrum est. Utrumque tamen locum accipio de verbo doctrinae. conf. Act. 13, 26. Non construitur, τὸν λόγον οἴδατε. Norant novi auditores historiam, de qua mox; non item adhuc rationes interiores, de quibus hoc versu. — ἀπέστειλε, *misit*) Deus. Ellipsis nexum hujus versus cum v. 34., ex quo expletur, confirmat. *misit* autem Deus, quum Filius ejus venit; et *evangelizavit*, locutus per illum. — εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην, *evangelizans pacem*) pacem DEI hominumque, Judaeorum et gentium. Es. 57, 19. Eph. 2, 17. — διὰ, *per*) Constr. cum *pacem:* ex eo, quod Christum continuo appellat *Dominum omnium*, etiam gentium. coll. v. 42. 43. Unus Dominus, omnes pace continet. — πάντων, *omnium*) Masculinum. Christus omnium Dominus: et Deus, in Christo, omnium Deus. v. 34. Eph. 4, 5. 6.

v. 37. ὑμεῖς οἴδατε, *vos scitis*) ex documentis adventu meo antiquioribus. [*Pleniore itaque relatione opus non habebant.* V. g.] — ἀρξάμενον) Participium vel per se, vel adverbii loco, coll. Luc. 24, 47. Absolute dicitur, Graecismo eleganti et frequenti. — ἀπὸ τῆς γαλιλαίας, *a Galilaea*) Joh. 1, 44. 2, 1. Ei regioni satis vicina Caesarea, ab Hierosolymis remotior. v. 39. — μετὰ, *post*) Johannes, limes inter V. et N. T. — τὸ βάπτισμα, *baptismum*) celeberrimum illud institutum.

v. 38. ἰησοῦν — ὡς ἔχρισεν αὐτὸν ὁ θεὸς, *Jesum — quomodo unxit eum Deus*) Hoc per appositionem cum *verbum* junctum pendet a *scitis*. Itaque ἰησοῦς ὡς ἔχρισται in constructione idem valet, ac si diceretur: τὰ περὶ ἰησοῦ, ὃν ἔχρισεν ὁ θεός. Sententia haec est, Jesum, et quidem ut Christum, eis innotuisse. — ἔχρισεν αὐτὸν, *unxit eum*) in baptismo inprimis. Matth. 3, 16. 17. Luc. 4, 1. 14. 18. — πνεύματι ἁγίῳ καὶ δυνάμει, *Spiritu sancto et virtute*) Spiritus sancti mentio saepe ita fit, ut addatur mentio ejus speciatim, quod convenit cum re praesenti: ut hoc loco, ubi opera Christi praedicantur, additur, *virtute*. Sic, *plenos Spiritu sancto et sapientia:* c. 6, 3. *plenus Spiritu sancto et fide:* c. 11, 24., *replebantur gaudio et Spiritu sancto*: c. 13, 52. Conf. illa: *Spiritus et veritas, spiritus et vita.* Joh. 4, 23. 6, 63. Jungitur sic nomen concretum et abstractum, uti 1 Petr. 4, 14. — εὐεργετῶν, *benefaciens*) Omnia miracula Christi hominibus attulere salutem, non damnum. *Beneficia*, genus. sequitur species insignis, *sanationes*. — πάντας, *omnes*) Magna inprimis eo tempore fuerat multitudo obsessorum et aegrotorum. — καταδυναστευομένους, *oppressos*) injusta vi. — μετ' αὐτοῦ, *cum illo*) Parcius loquitur, pro auditorum captu, de Majestate Christi.

v. 39. καὶ ἡμεῖς, *et nos*) Hoc vim habet ἐπιτατικήν. Resp. *vos*, v. 37.

v. 41. οὐ, *non*) *non* jam, ut ante mortem. — οὐ παντὶ τῷ λαῷ, *non omni populo*) Regnum ejus est regnum fidei, per *testes* propagandum, eosque divinitus probatos et firmos; et regnum coeleste, non mundanum; non vani splendoris, sed (ut Justus Jonas loquitur) *sub formis crucis* latens. — ἡμῖν, *nobis*) Appositio nominis et pronominis. — συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ, *edimus et bibimus cum illo*) per biennium et amplius, ante passionem. Denotatur hac phrasi, de qua conf. Joh. 15, 27., conversatio diutina: neque unquam apostoli soliti sunt commemorare, se cum Jesu *post* ejus *resurrectionem* edisse; hoc enim Jesus ad ipsorum, non ad aliorum convictionem fecit; qui etiam Luc. 22, 18. 16. de vino posthac non bibendo latius erat locutus, quam de paschate (in oppositione

---

1) *Consentit* Vers. germ.; *quamvis margo* utriusque Ed. gr. *omissionem voc.* ὃν *pro minus firma declaraverit.* E. B.

Digitized by Google

ad quemcunque cibi usum) non edendo. Itaque μετὰ *post* pendet a v. 40. Illis apparuit Christus resuscitatus, qui antea in illum crediderant; et qui testari possent, eum, qui resurrexisse diceretur, vere esse Jesum, quem antea novissent.

v. 42. παρήγγειλεν ἡμῖν, *praecepit nobis*) Deus. c. 5, 29. — τῷ λαῷ, *populo*) Resp. v. 41. init. — διαμαρτύρασθαι, *testari*) Subaudi: etiam gentibus. c. 1, 8. Matth. 28, 19. — αὐτὸς) *Ipse*. — ὡρισμένος, *definitus*) decreto immobili. — κριτὴς, *judex*) Hoc nomen omnem gloriam Christi synecdochice exprimit, fideliumque respectu coronidem denotat beneficiorum Christi. 2 Tim. 4, 8. coll. Hebr. 12, 23. Judicabit etiam Judaeos, qui eum condemnarant; etiam Romanos, qui Caesaream sedem habebant regiminis Judaici; etiam mortuos, ex quibus resurrexit, suo tempore resurrecturis. 1 Petr. 4, 5. [*Conf.* c. 17, 31. *Sic Dominus Jesus quoque Judicem se prius testatus est, quam adscensionis suae mentionem faceret*, Joh. 5, 22. V. g.]

v. 43. πάντες, *omnes*) ii, quorum extant, et quorum non extant libri. c. 3, 24. — προφῆται, *prophetae*) In hoc sermone nondum citarat Petrus testimonia V. T. et nunc, dum generatim *prophetas* allegat, res initio sermonis, c. 11, 15., protinus, ut oeconomiae circa gentes convenit, apud tales auditores conficitur. — μαρτυροῦσιν, *testes sunt*) uti *nos*, v. 39. Non utitur Petrus hic *promissionis* per prophetas descriptae vocabulo. — ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *remissionem peccatorum*) quae caput est omnium beneficiorum. — πάντα, *omnem*) etiam ex gentibus.

v. 44. ἔτι, *adhuc*) Scatebat Petrus ad dicenda multo plura: c. 11, 15. sed ubi Spiritum auditores quoque acceperunt, audiendi opera, et loquendi, peregit, quod suum est. [*Ex praeconio fidei accipitur Spiritus*. Gal. 3, 2. V. g.] — ἐπέπεσε, *cecidit*) modo conspicuo. Alias baptismus susceptus est ante adventum Spiritus sancti. Sed hoc loco dubitari potuerat, an citra circumcisionem forent baptizandi. Ideo statim super auditores verbi *cecidit*. Liberum gratia habet ordinem.

v. 45. ἐπὶ τὰ ἔθνη, *in gentes*) Sic una appellatur domus, vel quia hinc colligebat, etiam ceteros Spiritum S. esse accepturos: nam uno admisso, jam nulli clausa est *janua*; recteque ab exemplo ad omnes concluditur: c. 11, 18. 14, 27., vel quia ἐθνικοὺς *gentiles* dicere incommodum erat.

v. 46. γὰρ, *enim*) Ab effectu concludunt. — γλώσσαις, *linguis*) variis.

v. 47. τὸ ὕδωρ, *aquam*) *Aquam*, pro *baptismo*, dicit per ταπείνωσιν. Dato majore, illud, quod minus est, additur a dante, ab accipiente non spernitur. Non dicit: Jam habent Spiritum; ergo aqua carere possunt. Non circumciduntur: et tamen baptizantur. Ergo multo major baptismi ratio. conf. c. 15, 8. s. qui locus docet, non fuisse circumcidendos. et tamen baptizandos censuit Petrus. — κωλῦσαι, *prohibere*) c. 11, 17. — τὶς, *quisquam*) aut ego, aut fratrum ullus.

v. 48. προσέταξε, *jussit*) Non baptizavit sua manu: aderant alii, quibus id decore demandari poterat. v. 45. conf. 1 Cor. 1, 17. — κυρίου, *Domini*) Christi Jesu. — ἐπιμεῖναι) *manere amplius*. — ἡμέρας τινὰς, *dies aliquos*) Aurei dies.

CAPUT XI.

v. 2. Διεκρίνοντο, *disceptabant*) i. e. Dubium de ea re sibi esse ostendebant.

v. 3. ἀκροβυστίαν ἔχοντας) Benigne loquuntur: non appellant *incircumcisos*, sed *praeputium habentes*. coll. Gen. 34, 14., ἀνθρώπῳ ὃς ἔχει ἀκροβυστίαν. — εἰσῆλθες καὶ συνέφαγες, *intrasti et una edisti*) Speciosa adhuc, eaque gravis et duplex accusatio. Justas autem *intrandi* causas habuit Petrus, et, postquam intrasset, causas etiam *una edendi* nactus est.

v. 4. ἀρξάμενος, *incipiens*) *Instituit* loqui, pluribus verbis. — ἐξετίθετο, *exponebat*) Non aegre tulit Petrus, se rogari; neque postulavit, se vel sine ex-

Digitized by Google

positione rationum, omni exceptione collegarum et fidelium omnium majorem haberi. Non optimae mentis aut causae indicium est, cum papa vel asseclis ejus moleste ferre illud, *quid facis?* Cum mansuetudine Petrus respondet de re, quam ipse antea non facillime ceperat.

v. 10. ἐπὶ τρὶς, *tertio*) Congruebat *ternarius* virorum, v. 11.

v. 13. τὸν ἄγγελον, *angelum*) Loquitur, addito articulo, ut de re sibi jam valde nota.

[1]) v. 16. ἐμνήσθην, *recordatus sum*) Conf. Joh. 14, 26. de Paracleto omnia discipulis in memoriam redacturo. In verbis Christi semina erant totius cursus evangelii.

v. 17. τὴν ἴσην, *parem*) Sic 2 Petr. 1, 1. Aeque beati sunt, qui immediate vel mediate acceperunt Spiritum S. — ἡμῖν, πιστεύσασιν, *nobis, quum credidimus*) Non quia circumcisionem, inquit, sed quia fidem habebamus, Spiritus sanctus donatus est nobis. — ἐγὼ, *ego*) ego, merum organon. Fratres quaesierant tantum de cibo cum gentibus capto; Petrus satisfacit etiam de baptismo eis collato: et recte a se factum esse, non solum a divino mandato, sed etiam ab eventu divinitus coronato confirmat.

v. 18. ἐδόξαζον, *glorificabant*) Signum firmi assensus. — ἄραγε, *ergo*) Non statim apertum erat Judaeis, salutem etiam ad gentes perventuram esse; nunc, cum pervenit, hoc major est sancta fidelium admiratio. ἄραγε, *ergo*, plenam approbationem exprimit. Haec *poenitentia* denotat totam status spiritualis mutationem, et specimen est conversionis omnium gentium. — ἔδωκε, *dedit*) Magnum donum. c. 5, 31. not. [*quod quidem extimescit mundus.* V. g.] — εἰς ζωὴν, *ad vitam*) Nam ubi remissio peccatorum, ibi vita. [*Ez.* 18, 23.]

v. 19. ἐπὶ στεφάνῳ, *super Stephano*) Vis in Stephanum, progressa est ad alios. — διῆλθον ἕως, *perambulaverunt usque*) Sic quoque v. 22. Etiam locis citerioribus evangelizarunt. — φοινίκης, καὶ κύπρου, καὶ ἀντιοχείας, *in Phoenicen et Cyprum et Antiochiam*) *Phoenice* erat ad septentrionem: *Cyprus*, ad occidentem: *Antiochia*, ad orientem. — ἰουδαίοις, *Judaeis*) talibus, quales erant ipsi dispersi.

v. 20. κυρηναῖοι, *Cyrenaei*) c. 13, 1. 2, 10. Hi, cum Cypriis, magis assueti erant cum gentibus versari. — ἕλληνας) Communior lectio, ἑλληνιστάς. [2]) Sed *Hellenistae* opponuntur *Hebraeis*, c. 6, 1. coll. c. 9, 29. *Judaeis* h. l. opponuntur *Graeci*, ut passim. [ἰουδαῖοι *sunt vel* Hebraei *vel* Hellenistae. c. 6, 1. Not. crit.] Recte probat hanc lectionem Usserius ad A. M. 4045.

v. 21. χεὶρ κυρίου, *manus Domini*) potentia spiritualis, per evangelium se exserens. Sic, *brachium Domini*, Joh. 12, 38.

v. 23. παρεκάλει, *hortabatur*) Optima *hortatio*, quae *gaudio* stimulatur. — προθέσει, *destinatione*) c. 27, 13. Contrarium Hebr. 3, 12. — προσμένειν, *adhaerere*) Actus, *converti:* status, *adhaerere.*

v. 24. ἀγαθὸς καὶ πλήρης πνεύματος ἁγίου καὶ πίστεως, *bonus et plenus Spiritus sancti et fidei*) Gal. 5, 22.

v. 25. εὑρὼν, *cum invenisset*) Probabile est, Saulum delituisse.

v. 26. ἐνιαυτὸν ὅλον, *annum totum*) Quantulum hodie putatur annus sine fructu exactus. Multis annis hodie multi non multum proficiunt. — χρηματίσαι, *ut nominarentur*) χρηματίζω (scil. με) reciprocum sive neutrum, inde etiam passivum. Verbum insigne: quo notatur appellatio usu communi recepta. — τοὺς μαθητὰς, *discipuli*) quippe quorum jam permagna multitudo erat. — χριστιανοὺς,

---

1) v. 15. ἐν — τῷ ἄρξασθαί με, *quum inciperem*] Quanta cordis in Petro plenitudo fuerit! *V. g.*

2) *Hanc praetulerat* Ed. maj., *sed* Gnomoni *et margo* Ed. 2. *respondet*, et Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

Christiani) cum jam antea dicti fuissent *Nazaraei* et *Galilaei*. *Christianorum* nomen, [*Christo adhaerentium*, V. g.] ut ipsum Christi nomen, in se praeclarum, apud externos invisum. conf. 1 Petr. 4, 16.

v. 28. ἀναστὰς, *surgens*) in coetu. — ἐσήμανε, *significavit*) Quod apud ceteros sagacitas naturalis aut politica, id apud fideles providet Spiritus. [*Magno huec res emolumento fuit fratribus in Judaea. Rerum futurarum indicium nunquam, ubi rite collocatur, usu suo destituitur.* V. g.] — μέλλειν ἔσεσθαι, *futuram fore*) Futurum duplex.

v. 29. μαθητῶν, *discipulorum*) Non dicit Lucas, *Christianorum*. Initio nomen *discipulorum* inter ipsos solenne manebat: *Christianorum* eosdem nomine distinxere alii, praecipue amiciores spectatores. — ὥρισαν, *definierunt*) Qui *definiunt*, facilius deinde effectum dant. v. 30. — ἐν τῇ ἰουδαίᾳ, *in Judaea*) Judaeos benignitas fidelium Antiochenorum valde confirmavit de soliditate conversionis eorum.

v. 30. πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους, *ad seniores*) [*quorum operâ distribueretur fratribus.* V. g.] Itaque munus *septem* diaconorum et communio bonorum non jam sic se habebat, ut initio: sed neque sic, ut hodie. — βαρνάβᾳ καὶ σαύλου, *Barnabae et Sauli*) *Vides hic, quam pro gravi et serio negotio habeant hanc collationem in pauperes sanctos; alias tantos viros, adeoque ipsos duces verbi, Paulum et Barnabam, non adhiberent. Sic supra audivimus* cap. 6., *gravissimos et spiritualissimos homines Diaconos fuisse constitutos. Sic* 2 Cor. 8. *Paulus dicit, se ad hoc negotium non adhibuisse, nisi qui essent spectatae fidei. Et nos hodie satis esse putamus, ut quibusvis uderis obviis hoc tantum negotium committamus.* Justus Jonas.

CAPUT XII.

v. 1. Κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν καιρὸν, *illo autem tempore*) Ecclesia apostolica habuit temperatam quietem et persecutionem. quarum altera utra ubi multum invalescit, Judicium divinum severius aut veniet aut abest. — κακῶσαι, *affligere*) Ars mundi. Fecit id Herodes animi causa, temporis causa, gratiae causa.

v. 2. ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν ἰωάννου, *Jacobum, fratrem Johannis*) Alter horum fratrum primo, alter longo post tempore reliquit mundum. Eo tempore Lucas scripsit, quum Johannes, superstes, notior erat, quam Jacobus, qui ab Johanne denominatur.

v. 3. ἰδὼν, *videns*) Duo stimuli, male agendi et bonum omittendi: studium placendi et timor. alter pejor, alter acrior, etiam apud reges. — τοῖς ἰουδαίοις, *Judaeis*) Hi ex conscientia, sed perversa, infensi erant; Herodes ex petulantia, fidelium impensa, illis vult gratificari. — τῶν ἀζύμων, *azymorum*) Eodem quondam anni tempore Jesum ceperant. populus erat congregatus.

v. 4. τέσσαρσι τετραδίοις, *quatuor quaternionibus*) ut per vices vigilias agerent, et pluribus locis. v. 10. — ἀναγαγεῖν, *producere*) Talia gerebantur in editis locis. ideo ἀνάγω ponitur, idque per metonymiam antecedentis pro supplicio consequenti.

v. 5. προσευχὴ, *oratio*) Philem. v. 22. — ἐκτενὴς) *vehemens*. — ὑπὲρ αὐτοῦ, *pro eo*) Precabantur de re etiam tali, quae cum facta erat, incredibilis eis videbatur, v. 15. Mira et subtilis fidei et precum est natura. Cur non orarant item pro Jacobo? quia celeriter interfectus fuerat.

v. 6. ὅτε, *quum*) Auxilium, periculo ad summa veniente, missum, ostendit, rem non esse fortuitam. [*c.* 23, 11.] — κοιμώμενος, *dormiens*) Frequens mentio dormientium in periculo, aut cum fide, aut cum torpore. — μεταξὺ, *inter*) Omnia munita putarant hostes. — τὴν φυλακὴν, *custodiam*) Locus innuitur.

Digitized by Google

v. 7. φῶς, *lumen*) miraculosum. — οἰκήματι, *habitaculo*) Vocabulum generale, pro *carcere*, speciali.

v. 8. εἶπε, *dixit*) Non ipse angelus Petrum induit: neque enim opus erat. Decorum observatum. — περίζωσαι, *circumcinge te*) Zonam, sandalia, vestem aut Petrus ipse ad somnum deposuerat, aut custodes detraxerant: nunc induere jubetur. Adhuc liberum *ambulandi* tempus erat Petro. Joh. 21, 18.

v. 10. καὶ δευτέραν, *et secundam*) in qua videtur fuisse etiam militum pars. — αὐτομάτη, *ultro*) ita, ut nec Petrus manum admoveret, nec ab angelo admotam videret. — ῥύμην μίαν, *vicum unum*) ne dubitandum esset Petro, quam domum peteret. v. 12. — ἀπέστη, *abstitit*) Jam enim ipse Petrus sibi suppetebat.

v. 11. εἶπε, *dixit*) animo praesenti, grato, pio, laeto. — οἶδα ἀληθῶς, *scio vere*) Antitheton, *putabat*, v. 9. Cum viso interno congruebant omnia foris. — ἐξείλετό με, *eripuit me*) Nondum erat tempus, ut Petrus defungeretur. Joh. l. c.

v. 12. συνιδὼν, *considerans*) quid videlicet agendum esset. Idem verbum c. 14, 6. — συνηθροισμένοι, *congregati*) media nocte.

v. 13. τοῦ πυλῶνος, *atrii*) ante domum ipsam. πύλη est *porta:* πυλὼν amplius quiddam sonat, et dicit vel portam magnam vel etiam atrium ei proximum, Subdiale clausum. Petrus per portam intravit in atrium, et deinde in domum. Quod Marcus c. 14, 68. προαύλιον dicit, est πυλὼν Matth. 26, 71. — προῆλθε, [1]) *processit*) Oppositum, *introcurrens*. v. 14. — ὑπακοῦσαι, *ad subauscultandum*) יען LXX ὑπακούειν.

v. 14. εἰσδραμοῦσα, *introcurrens*) celeriter.

v. 15. μαίνῃ, *insanis*) [2]) Formula, in re, cui fides non habetur. — διισχυρίζετο, *affirmabat*) secus ac solent, qui insaniunt aut dormitant. — ὁ ἄγγελος αὐτοῦ, *angelus ejus*) Ita colligebant ex similitudine vocis. Ex sententia sanctorum illorum, de Petri, quem morti proximum putabant, angelo audito, non potest firmiter concludi de singulis angelis singulorum hominum custodibus. [*Scriptura uni sancto homini complurium potius angelorum tutelam frequenter tribuit.* V. g.] Loquitur tamen etiam Petrus definite, cum articulo τὸν, v. 11.: cum alias ad pronomina possessiva non addatur semper articulus. conf. Matth. 19, 28. Act. 3, 2. etc.

v. 17. κατασείσας, *motum faciens*) modeste; ne clamor fieret. Loquebantur multa, admirantes. — ἰακώβῳ, *Jacobo*) superstiti. — ταῦτα, *haec*) ut sciant, quid acciderit. — ἐπορεύθη, *profectus est*) In persecutione saepe unus potissimum petitur, et huic licet fugere prae ceteris. c. 17, 14. Petrus postea rediit. c. 15, 7. — εἰς ἕτερον τόπον, *in alterum locum*) non valde longinquum.

v. 18. ἐν τοῖς στρατιώταις, *in militibus*) Viderant hi fidem, patientiam, preces Petri: nec tamen desierant illum incessere. — τί ἄρα, *quidnam*) Singulari locutione exprimitur perturbatio militum.

v. 19. ἀπαχθῆναι, *duci*) Locum justi subit impius. — ἀπὸ τῆς ἰουδαίας, *ab Judaea*) cum pudore, de Petro non exhibito.

[3]) v. 20. ἦν δὲ, *erat autem*) Irrequieta vitae ratio. — θυμομαχῶν, *animo bellans*) θυμομαχεῖν dicitur, qui animo duntaxat infenso in hostem invehitur, viribus vel amissis jam, ut ex Polybio docet Raphelius, vel nondum collectis. Vel sine armis, annona negata, Tyrios et Sidonios Herodes premere poterat, ut fit in emporiis. — πείσαντες, *placantes*) Ita Christiani quoque, Domino providente,

---

1) *Lectionem* προσῆλθε *praetulerat* Ed. maj.; *sed lectionem* προῆλθε *in margine* Ed. 2. *a signo* ε *ad signum* γ *elevatam, cum* Gnomone *exhibet* Vers. germ. E. B.

2) *Sunt, qui* signum interrogationis *huic verbo subjiciant. Sed rem in medio relinquit* utriusque Ed. gr. *margo.* E. B.

3) καισάρειαν, *Caesaream*] Ibi extinctus est. *V. g.*

Digitized by Google

annonae ibi caritate levati sunt. conf. 11, 28. — τὸν ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος, *cubicularium*) Tales saepe multum possunt apud reges. [*et pace, ob annonae caritatem, eo magis indigebant.* V. g.] — εἰρήνην, *pacem*) Nesciebant, quo progressurus esset rex offensus. — ἀπὸ τῆς βασιλικῆς, *a regia*) Repete, χώρας, *regione*. Etiam a Salomone Hiram rex Tyri petierat annonam pro domo sua. 1 Reg. 5, 9.

v. 21. τακτῇ δὲ ἡμέρᾳ, *statuto autem die*) Iudorum solennium pro salute Caesaris: ut ait *Josephus*, l. 19. Ant. Jud. c. 8. qui hanc Herodis impietatem et poenam copiose describit: *Amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta, quae radiis exorientis solis perculsa et dirimum quendam fulgorem emittens, venerationem cum horrore inculiebat spectantibus. mox que adulatores perniciosi alius aliunde acclamantes, deum consalutabant, rogantes, ut faveret propitius. hactenus enim ut hominem reveritos; nunc agnoscere et fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. hanc impiam adulationem ille nec castigavit nec repulit. — Secuta sunt ventris tormina statim a principio vehementia. conversis igitur in amicos oculis: En, inquit, ego ille vestra appellatione deus vitam relinquere jubeor, fatali necessitate conarguente vestrum mendacium: et quem immortalem salutastis, ad mortem rapior —. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente confectus vitam finiit. —* πρὸς αὐτούς, *ad eos*) Inter auditores credibile est, fuisse Tyriorum et Sidoniorum legatos.

v. 22. θεοῦ φωνὴ, καὶ οὐκ ἀνθρώπου, *dei vox, non hominis*) *Divinas* laudes oratoribus, principibus praesertim, ab acclamantibus interdum tributas esse, demonstrat Ferrarius lib. 3. de acclam. cap. 13. et 14. Sed solennitas impietatem formularum auget, non minuit.

v. 23. παραχρῆμα, *confestim*) Celerrime occurritur imminutioni honoris divini. conf. c. 14, 14., nec non Ap. 19, 10. — ἄγγελος Κυρίου, *angelus Domini*) angelus bonus. De gravi hac circumstantia nil habet Josephus, qui multa minora persequitur. Adeo differt historia divina et humana. Angelus Domini eduxit Petrum: Angelus Domini percussit Herodem. Utrumque ab angelis factum esse, non viderunt mortales; sanctis duntaxat innotuit. — οὐκ ἔδωκε, *non dedit*) Quod laudatus sit, non reprehenditur; sed quod laudem acceptarit. Hoc sacrilegium celeriorem meruit poenam, quam caedes Jacobi et alia crimina. [*Percussione factâ confessus est (ex Josephi relatione) Herodes, reatum se contraxisse.* V. g.] — σκωληκόβρωτος, *vermium esca*) quantum mutatus! Vermes homini in morte maxime naturales, et minime naturales, prout mortem ii vel sequuntur vel praecedunt. Insignes persecutorum mortes. Evangelium superat, v. 24.

v. 25. ὑπέστρεψαν, *reversi sunt*) Antiochiam. c. 11, 30. — συμπαραλαβόντες, *adsciscentes*) Jerusalem erat plantarium operariorum. — ἰωάννην, *Johannem*) v. 12. Hic quoque nomen habuit et Hebraeum et peregrinum. Conf. c. 13, 1. 8. 9. Congruit haec nominum varietas Judaeorum et gentium ineunti conjunctioni.

CAPUT XIII.

v. 1. Τὴν οὖσαν) *quae* jam *erat*, florens. c. 11, 20—27. unde ceteris mitti doctores poterant. conf. cap. 15, 35. — προφῆται, *prophetae*) verbi divini virtute pollentes, qui firmam habebant cognitionem rerum divinarum, cum facultate proponendi. — λούκιος, *Lucius*) Idem nomen Rom. 16, 21. — μαναήν, *Manaen*) aulae tentatione liberatus. — σαῦλος, *Saulus*) Complures jam annos apostolatum gesserat, sed Antiochiae inter veteranos, insigni modestia, infimo loco contentus erat, uti David etiam post unctionem oves pascebat. Deinde Barnabae adjunctus, eoque deinceps superior. v. 9. 13. Aliquantisper modo hic, modo ille praeponitur; et Barnabas quidem in Epistola publica, c. 15, 25.

v. 2. λειτουργούντων, *ministrantibus*) per exercitium verbi et precum, et jejunia. v. 3. — ἀφορίσατε, *segregate*) Id fecerunt. v. seq. Hoc ipso verbo nixus est Paulus Rom. 1, 1., *segregatus*. *Omnia eo tendunt, ne quisquam in ullo loco doceat, quo non sit a DEO vocatus.* Justus Jonas. — δή, *igitur*) videlicet quum vos ipsos offertis. — καὶ τὸν) Articulus Saulum Barnabae aequat, prae aliis, qui v. 1. sine articulo ei junguntur. — εἰς τὸ ἔργον, *in opus*) Apostolorum non erat valde diu manere uno in loco. c. 11, 26. — δ) Accusativus pendet a praepositione in προσκέκλημαι. — προσκέκλημαι, *vocavi*) Ergo vocatio aliqua ad Barnabam et Saulum ipsum interna pervenerat; quae nunc per os aliorum reiteratur: (conf. not. ad Luc. 24, 34.) ut hi quoque scirent vocationem illorum, eique subscriberent. Correlata, προσκέκλημαι, ἀφορίσατε, *vocavi*, *segregate*. Saepe Paulo, quae ad ipsum pertinerent, per alios significata sunt. Idem verbum Exod. 5, 3.: ὁ θεὸς τῶν ἑβραίων προσκέκληται ἡμᾶς.

v. 3. νηστεύσαντες, *jejunantes*) denuo. coll. v. 2. Sic fecerunt quoque c. 14, 23. [*A multis minoris, quam par est, habentur jejunia.* V. g.] — ἐπιθέντες, *imponentes*) Paulo iterum (coll. c. 9, 17.) impositae manus.

v. 4. ἐκπεμφθέντες) *emissi*, quocunque eundum foret. [1]) — κύπρον, *Cyprum*) Barnabae patriam. c. 4, 36.

v. 5. ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *in synagogis*) Ut occasiones se obtulere, sic iis usi sunt. v. 7. 14. 42. Paulatim apertius ad ipsas gentes producti sunt. c. 14, 14. 21. — ὑπηρέτην, *ministrum*) Fides non tollit gradus varios functionum. Barnabas et Paulus divinitus nominati: atque his liberum fuit alios adsciscere. In aliis rebus major, in aliis minor optio.

v. 6. πάφου) *Paphos* erat urbs occidentalis; *Salamis*, orientalis. — μάγον ψευδοπροφήτην, *magum pseudoprophetam*) Duo praedicata valde conjuncta. — βαριησοὺ, *Barjehu*) *Barjehu* nomen perinde ut *Jehu* per se virile erat, sed mago pseudoprophetae ad aucupandam divinitatis opinionem perquam opportunum fuit. Collectanea sunt *Jehu* et *Jehovah*: quae etiam ratio esse videtur, cur Syrus *Barjehu* interpretatus sit *Bar Schumo*. In *Barschumo* et in *Elymâ* Syria Graeca Hermanni von der Hardt p. 110. 114. *coecitatis* notionem statuit: sed vel ex eo, quod *Barschumo* frequentissimum Syris nomen est, ut ex Assemanni Bibliotheca or. T. 2. c. I. patet, gratior ejus quaerenda est notio. Ludovicus de Dieu interpretatur *filium ulcerum, medicum ulceribus medentem:* sicut *Elymas* ei est חלומא *sanator*. Illum *Barjehu* Paulus, arrogantiam parodia retundens, *filium diaboli* appellat.

v. 7. ἦν σὺν τῷ ἀνθυπάτῳ, *erat cum proconsule*) ἀνθύπατος, *proconsul*, vulgo dicebatur pro *propraetore* vel *pro quaestore* Cypriorum. Cum *Sergio Paulo erat* vel versari solebat Elymas. Hunc ille vel voluntate sua tulerat, vel necessitate quadam perpessus erat. *Prudentiae* tamen fuit, non praestigiis ejus retineri, sed veritatem quaerere. *Prudentia*, sobrie, vigilanter, moderate agens, memorabilis virtus in iis, qui potestatem, in magistratu, pro ratione habere possent. — οὗτος, *hic*) quippe *vir prudens*. Prudentia Sergium non fecit aptum ad fidem sed minus ineptum.

v. 8. ὄνομα, *nomen*) *Barjehu* et *Elymas*, nescio quo modo, synonyma sunt. Vid. L. de Dieu, Hiller. et al. — διαστρέψαι, *avertere*) Idem verbum. v. 10.

v. 9. ὁ καὶ παῦλος, *qui etiam Paulus*) Paulus, deposito nomine veteri, quod ex circumcisione gesserat, novum aequipollens cognomini קטון; quod eum gessisse, particula καὶ innuere videtur, ineunte apostolatu, accipit, ex prima sua evangelica versus occidentem inter Graecos victoria, mutata unica literula, non errore Graecorum Cypriorum, sed consilio divino, convenienter et opportune.

---

1) ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου, *a Spiritu sancto*] v. 2. 9. *V. g.*

Digitized by Google

Causa est vel externa vel interna. extrinsecus videtur nomen proconsulis secutus, quod is amicum se Paulo, fortasse in confirmando Romanae civitatis jure, praebuerat: haec enim esse solebat assumendi nominis ratio. vid. Cic. l. 13. fam. ep. 35. et 36. Interior causa est, quod ipse Sergius Paulus, primitiae expeditionis hujus, spiritualem cum apostolo necessitudinem esset consecutus. Erat praeterea hoc nomen gentibus, quarum mox apostolus erat, familiare et prae *Saul* Hebraico gratum, respondens ejus staturae, 2 Cor. 10, 10. et sensui, Eph. 3, 8. coll. Ps. 68, 28. — πλησθεὶς, *impletus*) actu praesenti, adversus magum acrem. Ideo Barnabas ei cedit, ab hoc momento. v. 13. — πνεύματος ἁγίου, *Spiritu sancto*) Joh. 20, 22. 23.

v. 10. ὦ) Interjectio, *O*, proprie cohaeret cum Substantivis *fili* et *inimice:* sed his, gravissimam correptionem significantibus, praemittitur aetiologia, *plene* etc. — δόλου, *dolo*) Notatur *pseudopropheta*. — ῥᾳδιουργίας, *versutia*) Notatur *magus*. — υἱὲ διαβόλου, *fili diaboli*) Id quoque convenit *mago*, et tali homini, qui non solum ipse malus est, sed etiam alios vetat meliores fieri. — ἐχθρὲ πάσης δικαιοσύνης, *inimice omnis justitiae*) Id quoque convenit *pseudoprophetae:* verus propheta docet *justitiam*, eamque in Christo. — οὐ παύσῃ, *non desines*) Nunc certe tempus fuerat desistendi a malitia etiam antehac exserta. Non desistere, *diabolicum*. Multi hoc per Interrogationem pronuntiant. — τὰς εὐθείας, *rectas*) Rectitudo et simplicitas, character doctrinae divinae.

v. 11. τὸν ἥλιον) *solem*, ac lucem. Circa solem multum occupatam fuisse Elymae magiam, verisimile est. — ἄχρι καιροῦ, *ad tempus*) Non opus fuit, a Luca definite indicari tempus. Duplex miraculum: incussa coecitas, et determinatio temporis. — ἀχλὺς, *caligo*) intrinsecus. — σκότος, *tenebrae*) foris. — ἐζήτει, *quaerebat*) Criterium coecitatis.

v. 12. τὸ γεγονὸς, *factum*) Saepe, quae obstitere veritati, victa inserviunt. — διδαχῇ, *doctrinae*) Miraculo acuebatur attentio ad doctrinam.

v. 13. οἱ περὶ τὸν παῦλον, *Paulus et qui cum eo erant*) Jam Pauli potior, quam Barnabae ratio habetur. — πέργην τῆς παμφυλίας, *Pergen Pamphyliae*) Nomen regionis additur; quia *Perge* minus nota per se erat. — ἀποχωρήσας, *discedens*) vel quod labores itinerum non ferret, vel quod inter gentes versari dubitaret. Lautam occasionem amisit.

v. 14. ἀντιόχειαν τῆς πισιδίας, *Antiochiam Pisidiae*) aliam ab ea, de qua v. 1. — ἐκάθισαν, *sederunt*) habitu auditorum. Antitheton: *surgens*. v. 16.

v. 15. τὴν ἀνάγνωσιν, *lectionem*) solennem, qua Moses anno vertente perlegebatur per sabbata, et lectiones Mosaicis congruentes in Prophetis prioribus et posterioribus adjungebantur. *Elias in Thisbi in voce* סבר *prophetarum lectionem post Antiochi demum Epiphanis tempora, quum legis lectio palam et severe esset interdicta, ortam docet: relentam vero deinceps.* L. de Dieu. — οἱ ἀρχισυνάγωγοι, *principes synagogae*) qui alio loco in synagoga se tenebant. Singulae synagogae singulos principes habebant. itaque vocabulum hoc loco sumitur latius, ut ἀρχιερεῖς in plurali. vid. Rhenferd. op. philol. p. 430. — εἴ ἔστι, *si quis est*) Non omnes appositi ad dicendum, nec omni tempore. [*Nec parum sane confert ad aedificationem, ubi semper ad eos defertur disserendi provincia, quibus maxime opportunum est, eâ quidem lege, ut hi ipsi non progrediantur ulterius, quam libere fluit oratio. Temporis conditio quando tenuis est, Deum fas est exorari, ut egestati humanae dignetur subvenire.* V. g.] His duumviris nunquam deerat, quod dicerent. — ἐν ὑμῖν, *in vobis*) Aptos eos ad docendum esse, variis jam indiciis constare potuerat. — παρακλήσεως, *exhortationis*) abs qua nomen *Barnabae*.

v. 16. κατασείσας, *commovens*) ne vel prima verba non audirentur. — ἄνδρες, *viri*) Recurrit appellatio v. 26. 38. — καὶ οἱ φοβούμενοι τὸν Θεὸν, *et qui*

Digitized by Google

timetis Deum) Hi erant proselyti, non exclusis gentibus. coll. v. 17. 26. 43. c. 14, 1.

v. 17. ὁ Θεὸς, *Deus*) Tali commemoratione conciliabantur animi, cum viderent, Paulum consentire libris V. T. convincebantur de obligatione sui erga Deum opt. max. et invitabantur ad fidem habendam promissioni et impletioni. Sex versibus v. 17—22. tota anakephalaeosis V. T. expeditur: cetera de N. T. agunt.—τοῦ λαοῦ τούτου, *populi hujus*) Paulus maxime eos alloquitur, quos appellat *timentes DEUM*, et loquitur *de* Israële, v. 23. donec v. 26. magis directe etiam Israëlitas alloquitur. — ἐξελέξατο, *elegit*) Electio divina *exaltarit* populum; non populi meritum aut dignitas ulla. Ez. 20, 5. — πατέρας, *patres*) Abrahamum et posteros.

v. 18. 19. καὶ — ἐτροφοφόρησεν κτλ., *et — gestavit etc.*) Sermonis hujus principium, v. 17. 18. 19., tria habet verba graeca, partim rara, partim plane singularia in sacris literis: ὕψωσεν, ἐτροποφόρησεν, κατεκληρονόμησεν· quorum primum Es. 1, 2., secundum et tertium Deut. 1, 31. 38. occurrunt. Atque haec duo capita, Deut. 1. Es. 1. hodienum in uno sabbato leguntur: unde, utrumque eo ipso sabbato, et quidem Graece lectum fuisse, Paulumque ad eam potissimam lectionem Mosis et prophetarum, v. 15. respexisse, satis firmiter concludimus. Nam etiam *judicum* mentio, v. 20., cum Haphtara, Es. 1, 26. congruit: et Judaeis solenne est, sermones eorumve exordia a sabbatica lectione in synagoga sumere. [*Eadem etiam anni pars tum fuit, qua templum cum urbe et per Chaldaeos olim vastatum fuerat, et vastandum deinceps per Romanos.* V. g.] Nunc quod ad verbum ἐτροποφόρησεν attinet, pro quo insignes codices habent, ἐτροφοφόρησεν, extra controversiam pridem est, respici eo locum Deut. 1, 31., ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ ἐτροφοφόρησέ σε Κύριος ὁ Θεός σου, ὡς εἴ τις τροφοφορήσαι ἄνθρωπος τὸν υἱὸν αὐτοῦ. Hebr. נשׂא *tulit*, simpliciter: quomodo? per tolerantiam, an per beneficentiam? Resp. *Tulit* Deus, non modo *duxit*. populum Israëliticum in *deserto*, beneficentissima, eaque plane singulari ratione, quae proprie illi conveniret aetati tenellae, qua populus non ipse se tulit, ut homo adultus, sed Deus eum, ut parvulum nec dum sibi suppetentem, gestavit, ut neque de victu, neque de amictu, neque de profectione essent soliciti. Atque hanc singularem *ferendi* rationem Scriptura de populo in deserto loquens ab omni alia distinguit. vid. Deut. 8, 2. 5. 15. 32, 10. ss. Jes. 63, 9. fin. Hos. 11, 1. ss. Amos 2, 10. Neh. 9, 21., quo loco conjugatum extat, διέθρεψας· et conf. Num. 11, 12. ὡσεὶ ἄρτι τιθηνὸς τὸν θηλάζοντα. Et huc spectat quoque locus Deut. 1. et hic Paulus: unde recte, *nutrivit*, reddit *Laud.* 3. cum *Aeth. Arab.* et *Syro.* Nam *mores* populi *tulit* Deus antea quoque, Ez. 20, 9. et postea Ps. 106, 43. s. Quare si semper aliud esset τροποφορεῖν, aliud τροφοφορεῖν, plane ἐτροφοφόρησε legendum esset, quod verbum extat quoque 2 Macc. 7, 27., et in Macar. homil. 46. §. 3. Sed eodem sensu dicitur, ἐτροποφόρησεν. Duplex enim hujus verbi vis est, prout vel a τρόπος, vel a τροφὸς (non a τροφή) deducitur. nam ρ ante φ in π transit, sicut non ἀφή, θαφὴ, ἐγχειρίζα, ὀγεθηγία, φέφυκα, χιθὼν, ἔγω, ἀμφέγω, (unde tamen ἔξω, ἀμφέξω) sed ἀφὴ, ταφὴ, ἐπεχειρίζα, ὀχετηγία, πέφυκα, χιθὼν aut χιτὼν, ἔχω, ἀμπέχω scribitur, fuga plurium aspirationum, quae tanta est, ut librarii passim scriberent; οἱ φαρισαῖοι, αἱ ἡμέραι, εἰς ὁ κτλ. A τρόπος deductum adhibet Scholiastes Aristophanis, qui in versibus his,

Οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν,
Μάλιστα μὲν λέοντα μὴ 'ν πόλει τρέφειν.
Ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν·

postremam phrasin verbo τροποφορεῖν reddit. Ran. Actu 5. scen. 4. f. 185. Et Tullius l. 13. ad Att. Epist. 29. τὸν τύφον μου τροποφόρησον. Sed in Sacris etiam ii, qui τροποφορεῖν scribunt, tamen τροφοφορεῖν sentiunt. Codex Cantabrigiensis

Digitized by Google

Graece habet ἐτροποφόρησεν, et tamen Latine, *ac si nutrix aluit*. Constit. apost. habent, ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς ἐν παντοίοις ἀγαθοῖς. l. 7. c. 36. Et sic plane Ephraim Syrus, ὥσπερ νήπιον —, οὕτω καὶ αἱ ψυχαὶ αἱ χάριτος θείας μέτοχοι γενόμεναι, τροποφοροῦνται ἐν τῇ γλυκύτητι καὶ ἀναπαύσει τοῦ πνεύματος, κτλ. fol. ult. ed. Oxon. E contrario τροποφορεῖν, a τρόπος, in testimoniis certe modo allatis, consensum aliquem infert: Deus vero mores populi in deserto minime approbavit. προσώχθισα, inquit, Hebr. 3, 10. coll. Ex. 23, 21. 32, 10. Ps. 106, 23. Jes. 63, 10. Ez. 20, 13. Deinde etiamsi de inculpata *morum* malorum *tolerantiâ* possit accipi, id tamen hoc loco, ut Millius ait, *fortasse ne verum quidem est. quomodo enim mores eorum per annos XL. in deserto pertulit Deus, quos omnes, praeter unum et alterum, prostravit in deserto?* Neque ea notio instituto apostoli congrueret: implicite enim Israëlitas accusaret; quod eum statim in exordio, tam leni praesertim, facere voluisse, non est verisimile. τρέπω et τρέφω in etymo verbi hujus jungit Procopius Gazaeus, declarans illud ἐτροποφόρησεν, Deut. 1. ὁ σύμμαχος ἐβάστασε, φησί. κυρίως δὲ σημαίνει τὸ τοὺς παῖδας δυσκολαίνοντας τρέπειν καὶ μεταφέρειν διὰ συμψελλισμῶν καὶ συγκαταβάσεως. vid. Hoeschel ad Orig. c. Cels. p. 480. Certe quicquid boni notio a vocabulo τρόπος habet, tamen manet. nam plane etiam τροφὸς cum cetera praestat, tum inprimis parvuli morosi mores tolerat: et Deus mores Israëlitarum toleravit, sed multis etiam aliis eos modis ἐτροφοφόρησε. Ps. 78. toto. Conf. App. Crit. Ed. II. ad h. l. Dicendum est etiam aliquid de verbo κατεκληρονόμησεν. Notat id non modo *hereditatem sumere*, sed etiam *hereditatem dare:* Jud. 11, 24. et hoc Lucae loco optimis codicibus nititur. perpauci, κατεκληροδότησεν. Eadem varietas apud LXX, Deut. 1, 38. — ὡς τεσσαρακονταετῆ χρόνον, *circiter quadraginta annorum tempus*) Paulus beneficia DEI erga populum chronologica methodo recensens simul ansam auditoribus praebet cogitandi de longitudine seculorum ab Exodo usque ad Christum, invitatque auditores, ut Jesum eo magis agnoscant esse Christum. conf. Matth. 1, 17. not.

v. 19. ἔθνη ἑπτὰ, *gentes septem*) Deut. 7, 1. [*Decem omnino fuerunt* (*Gen.* 15, 19—21.): *at* septem *deletae sunt per Josuam*. V. g.]

v. 19. 20. ὡς ἔτεσι κτλ.] Uberiorem hic locus considerationem postulat.

I. *Antiqua lectio tenenda est.*

Permulti codices, at minus antiqui, sic habent: ὁ θεὸς ..... τὴν γῆν αὐτῶν. καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι κτλ. Minus multa, sed tamen antiquiora et potiora documenta [1]) sic, ὁ θεὸς ..... τὴν γῆν αὐτῶν, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα. Καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κοιτὰς κτλ. Igitur *quasi annorum* 450 mentio cum *distributione terrae*, non cum *judicibus* connectitur. Clausulam de *quasi annis* 450 facile praetermiserunt librarii minus antiqui, et in subsequenti periodo suppleverunt.

II. *Distributio terrae non est initium periodi, quasi annorum CCCCL, sed meta.*

In notando *tempore* dativus casus vel accusativus promiscue interdum adhibetur: sed hic considerate inter accusativum non semel positum, dativus semel ponitur. v. 18 — 21. Accusativus simpliciter respondet quaestioni, *quamdiu?* sed dativo innuitur, quantum annorum ab initio rei intercesserit, dum res ipsa eveniret. conf. Joh. 2, 20. Si Paulus diceret ἔτη, *annos*, sermo inferret, distributam esse Israëlitis terram, *quasi annos* 450 possidendam, usque ad *promissionem* videlicet datam Davidi de Messia: nam tota ceteroqui possessio erat multo diuturnior. Grotius annos ferme 450 numerat ab Exodo ad illud tempus, quo David ex arce Sion ejecit ejectos pridem ex urbe Jerusalem Jebusaeos. *Tantum tem-*

1) *Quae margo* Ed. 2. *nec non* Vers. germ. *(seposità crisi* Ed. maj.) *sequitur.* E. B.

Digitized by Google

poris, inquit, *impensum fuit ad collocandam gentem Hebraeam in illis sedibus.* Imo vero *tota gens* in illis sedibus per Josuam collocata est: Jos. 11, 23. 14, 15. 19, 51. 21, 43. 45. quanquam *totam terram* ipsis datam occupavere segnius. Jud. 18, 1. Quare *occupatio* terrae non magis includitur *quasi annis* 450, quam possessio terrae occupatae. Quum vero ἔτεσιν *annis* dicit Paulus, innuit, ab eo tempore, cum Deus patres elegit, promissione iis data, et a patrum peregrinatione, usque ad terrae distributionem, fuisse *quasi annos* 430. Hos *quasi annos* 450 Tabella monstrat.

A. M. 2046 Isaac nascitur.
2485 Sihon et Og debellantur.
2486 Jordan trajicitur.
2491 Caleb inprimis portionem accipit.
Terra distribuitur, deinceps possidenda.
2492 Radix annorum sabbaticorum.
2493 Agriculturae initium.

Vid. *Ord. temp.* pag. 3. s. 66. [*Ed. II. p.* 56.] qui initium quidem agriculturae minus commode refert, p. 424. 85.: [*Ed. II. p.* 364. 74. *s.*] quare hoc loco dilucidius reddidi. Annus 2492 esset ipse sabbaticus, si tum jam sabbatici numerati fuissent: alioqui *septem* anni agriculturae fuissent, non sex: debebant autem tantum *sex* esse. Initium agriculturae abest a nato Isaaco annis 447, qui sunt quasi 450: praesertim quum postea quoque fuerit, quae occuparetur, terra. In hanc fere sententiam ipsa lectio communior graeca flectitur a Millio.

III. *Lectio graeca recentior nos non retinet.*

Anni Judicum ab Othniel ad mortem Eli sunt 339, et servitutum anni seorsum, 111. Summa, 450. Sic numerum inisse videntur, qui lectionem mutarunt. Sed revera multo brevior est tota Judicum periodus, a distributione terrae ad ipsam mortem Sauli regis. nam ab Exodo ad templum fundatum sunt tantummodo 480 anni. Nos, veterem lectionem amplexi, non necessum habemus in *annis quasi* 450 ad *Judices* accommodandis operam consumere, cave de re ad conjecturam confugere, quae 350 pro 450 legit, ut Lutherus, constanter, et multi alii, apud Jac. Dorncrellium, fecerunt.

v. 20. μετὰ ταῦτα, *post haec*) *haec*, versu 17—19. memorata. — ἔδωκε, *dedit*) Beneficium erat. — κριτάς, *judices*) Judicum tempora inprimis fuere lauta, nec servitutes magnam eorum temporum partem confecerunt. itaque Paulus mentionem *Judicum* ex illa Haphtara Jes. 1, 26. repetit. — τοῦ προφήτου, *prophetam*) Ante Samuelem, rari prophetae; postea, permulti.

v. 21. σαοὺλ — βενιαμὶν, *Saul — Benjamin*) Ejusdem nominis et tribus fuerat Paulus. — ἔτη τεσσαράκοντα, *annos quadraginta*) Hic Samuelis *prophetae* et Sauli *regis* anni in unam summam conferuntur. nam inter unctionem Sauli regis et mortem ejus non erant XX anni, nedum XL. 1 Sam. 7, 2.

v. 22. μεταστήσας, *amovens*) Opportune hoc dicitur: hinc enim intelligi poterat, DEI oeconomiam admittere varietatem. — αὐτὸν, *illum*) Regnum Sauli mox in filio ejus exspiravit. — ἤγειρεν, *suscitavit*) Hoc plus notat, quam *dedit*: significat enim firmitudinem. — ᾧ, *cui*) Constr. cum μαρτυρήσας *testans*. — μαρτυρήσας, *testans*) ut de re penitus in pectore inclusa. — εὗρον δαυὶδ, *Invenio Davidem*) Sic LXX, Ps. 89, 21. εὗρον, *inveni*, ut quiddam rarum, nec coactum. — τὸν τοῦ ἰεσσαὶ, filium *Jessae*) 1 Sam. 16. — ἄνδρα κατὰ τὴν καρδίαν μου, ὃς ποιήσει πάντα τὰ θελήματά μου) 1 Sam. 13, 14. LXX, ζητήσει Κύριος ἑαυτῷ ἄνθρωπον κατὰ τὴν καρδίαν αὐτοῦ, καὶ ἐντελεῖται Κύριος αὐτῷ. κτλ. — κατὰ τὴν καρδίαν μου, *secundum cor meum*) Vis scire, quid rectum, quis rectus? Expende ad cor

Dei. Omnia debemus ad cor Dei, sed cor DEI non ad nostrum cor exigere. — ὃς, *qui*) Typus Christi. — θελήματα) *voluntates*, multas pro negotiorum varietate.

v. 23. κατ' ἐπαγγελίαν, *secundum promissionem*) 2 Sam. 7, 12. *Promissionis* mentio, ansa *fidei*, ad hos auditores. — ἤγαγε, *duxit*) Sic codd. optimi. [1]) Multi, ἤγειρε, ex v. 22. at הֵבִיא LXX, ἄγειν, Jes. 48, 15. Dan. 9, 24. Expendatur maxime illud Zach. 3, 8. *Ecce ego* ἄγω *adduco servum meum, Orientem.* — σωτῆρα, *Salvatorem*) Sic, σωτηρίας *salutis*, v. 26. Alludit ad notationem nominis *Jesu*, quod exprimitur etiam v. 32.

v. 24. πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ, *ante faciem ingressus ejus*) Miram emphasin, ob propinquitatem Messiae jam tum praesentis, notat L. de Dieu. coll. Num. 19, 4.

v. 25. τὸν δρόμον, *cursum*) Multorum praestantissimorum servorum DEI celeriter confecta sunt munera: ideo *cursus* dicitur. — τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι; οὐκ εἰμὶ ἐγώ) *quem me arbitramini esse: non sum ego:* habet *Latinus* interpres. Ex quo Lutherus, *Ich bin nicht der, dafür ihr mich haltet.* Nam Lutheri aetate Latina exemplaria, quae ille in Actis *interdum* sequebatur, (c. 4, 9. 5, 6. 9, 31.) fere carebant signo interrogationis. At hoc loco valde excitata est oratio, cum interrogatione, quae Latinis postea editionibus hic quoque addita est. τίνα hoc loco pro ὄντινα possitne dici, nec ne, non quaerimus. Ait Raphelius, negat Wolfius.

v. 26. ὑμῖν, *vobis*) Applicatio. *Vobis* pertinet ad totum auditorium, simulque facit antitheton ad Hierosolymitas, coll. v. seq. γὰρ, *enim*. quanquam γὰρ *enim* etiam nexui servit inter ἐπλήρωσαν *impleverunt* et ἐξαπεστάλη *emissum est*. Luc. 24, 46. s. Paulus Hierosolymitanis, non toti nationi, adscribit necem Messiae. — ἐξαπεστάλη) Elegans decompositum: Sermo, divinitus *missus*, Act. 10, 36. ex Hierosolymis *emissus* est in remota loca.

v. 27. 28. καὶ τὰς — καὶ μηδεμίαν) καὶ, καὶ, *cum, tum*. φωνὰς *pendet ab* ἐπλήρωσαν, non ab ἀγνοήσαντες. — τὰς φωνὰς, *voces*) claras, consonas, multas. — ἀναγινωσκομένας, *quae leguntur*) Admonentur auditores. coll. v. 15. — κρίναντες, *judicantes*) condemnantes Hunc. — ἐπλήρωσαν) Sequitur compositum, ἐκπεπλήρωκε, v. 32. cum epitasi.

v. 28. μηδεμίαν αἰτίαν, *nullam causam*) Innocentia Christi. — εὑρόντες, *invenientes*) etsi quaesiere.

v. 29. γεγραμμένα, *scripta*) Ultra non poterant. In Jesu impleta omnia.

v. 31. τοῖς συναναβᾶσιν, *his, qui simul ascenderant*) Profectio illa ultima et ceteras omnes praesupponit, et per se est momentosissima. — οἵτινες νῦν εἰσι, *qui nunc sunt*) Nil commemorat Paulus de sua ipsius visione; non enim opus erat, huc descendere initio: neque de se dicit quidquam a Barnaba sejunctum. quare v. 32. generalius loquitur. — αὐτοῦ, *ejus*) Christi. c. 5, 32. conf. c. 2, 32. not. — λαὸν, *populum*) Resp. ὑμᾶς *vobis*, v. seq.

v. 32. τὴν) Sensus: εὐαγγελιζόμεθα, ὅτι τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίαν ὁ Θεὸς ἐκπεπλήρωκε. Conf. ὅτι, c. 16, 3. — ἐκπεπλήρωκε) Rarum verbum, nusquam alias nec in V. nec in N. T. adhibitum de promissione *expleta*. — ἀναστήσας ἰησοῦν) *quum suscitavit Jesum*, et nobis praesentem exhibuit. A suscitatione hac absolute dicta (uti c. 3, 22.) distinguitur suscitatio e mortuis. v. 34. [2]) Utrumque ex V. T. confirmatur.

v. 33. [3]) ἐν τῷ ψαλμῷ, *in Psalmo*) Kimchi hunc Psalmum a Davide sub

---

1) *Hinc margo* Ed. 2. *signum* δ, *quod* Ed. maj. *lectioni* ἤγαγε *adjecerat, evexit ad signum* β, *suffragante* Vers. germ. E. B.

2) *Quem significatum vocis* ἀναστήσας *confirmat etiam cel.* D. Ernesti, *Bibl. th. Th. IV.* p. 477. E. B.

3) ἡμῖν, *nobis*] ut nos, nostra aetate, complemento perfrui queamus primi. c. 3, 26. *V. g.*

Digitized by Google

initia regni scriptum esse censet. Hierosolymis tamen eundem scriptum esse, colligas ex Act. 4, 27. *in urbe hac*. Etenim *Sion* memoratur Ps. 2, 6. Sine epitheto numerali *Psalmum* Lucas memoravit. [1]) (vid. Apparat. crit. p. 622. [*Ed. II. p. 294. sq.*] et adde *Hesychium* presbyterum in Wolfii Anecdotis Graecis, T. III. p. 175.) alias non *primum*, non *secundum* alii postea aliique scripsissent; imo dubitatio, primusne an secundus esset Psalmus, apud veteres nunquam fuisset exorta. Cur non etiam Psalmum 15. vel 16. dixisset Lucas, saltem v. 35., qui versum hunc 33. respicit? — υἱός μου εἶ σύ· ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε) Sic LXX, Ps. 2, 7. — υἱός μου, *filius meus*) Sententia est haec: *Tu, Jesu, es filius meus, adeoque verus Messias*. conf. not. ad Hebr. 5, 5. — σὺ) *tu*, unus, Messias. Respicit Paulus, dum summam citat, Psalmum totum, notissimum auditoribus, maximeque versum 2., ubi expressa *Messiae* mentio. Pronomina σὺ, ἐγὼ, *tu*, *ego*, mira esse vi excipiunt. — σήμερον, *hodie*) Sane ab aeterno est Filius DEI: sed aeternitas nunquam vocabulo *hodie* significatur. Quare, *ego hodie genui te*, dicitur hoc sensu: *hodie definii, declarari, te esse Natum meum*. Generatio proprie dicta praesupponitur. *Dixit* Dominus: *filius meus* etc. tum, quum caneretur psalmus: conf. Hebr. 4, 8. s. not. et item tum, quum Christus nasceretur ut filius David. Saepe autem res tum dicitur fieri, quum ea ut facta aut futura repraesentatur. 2 Chron. 9, 6. προσέθηκας *addidisti*; Jos. 22, 31., ἐῤῥύσασθε *liberastis*; et sic Hebr. 1, 6. Act. 1, 18. not. Plura sacris collegit Glassius l. 3. tr. 3. can. 15. nonnulla e profanis Linacer l. 2. in extremo. Subsumi potest *hodie* illud, quod extat Luc. 2, 11. coll. ibid. c. 1, 32. seq. 35. Subinde particula *hodie* dicit tempus praesens, uti Deut. 31, 2. Jos. 14, 11. Est igitur locutio concisa, uti Joh. 8, 58.: *antequam Abraham fieret, ego* (eram, et hodie) *sum*. Sic: *Ego te genui*; idque *hodie extat, quod ego te genuerim*. conf. Hebr. 10, 8. s. not.

v. 34. ὅτι, *quod*) Paulus non quasi praesupposita resuscitatione perpetuam probat Christi vitam; alias v. 37. diceret, *non videbit corruptionem*, in futuro: sed ipsam resuscitationem, coll. v. seq. probat, et injicit, conjunctam cum ea esse vitam perpetuam. Quaestio erat de resurrectione ipsa Christi, non, ea praesupposita, de vita perpetua. — μηκέτι, *posthac non*) Ne semel quidem vidit Christus corruptionem. Itaque μηκέτι sic resolvas: μηκέτι *non amplius* ibit in mortem, quam alias solet subsequi διαφθορὰ *corruptio*. conf. οὐκέτι, *posthac non*. Rom. 6, 9. — ὅτι δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια δαυὶδ τὰ πιστὰ) Jes. 55, 3. LXX, διαθήσομαι ὑμῖν διαθήκην αἰώνιον, τὰ ὅσια δαυὶδ τὰ πιστά. — τὰ ὅσια δαυὶδ, *Sancta Davidis*) חסדי דויד *gratias Davidis*. Christus חסיד v. 35. τὸ τοῦ χριστοῦ, חסדים termino abstracto. Estque plurale, Jes. 63, 7. *gratia pro gratia*, Joh. 1, 16. *gratia et veritas*, ib. v. 17. Sunt divinae illae gratiae, in Christo promissae Davidi, et a Davide tantopere exspectatae. conf. v. 23. — τὰ πιστὰ) הנאמנים *certas*, firmas, solidas, quae plane nomen suum tuentur, (Rom. 11, 6.) quae se invicem sustentant: quarum aliae alias antecedunt, aliae alias necessario sequuntur, quibus plane innitendum, quaeque in aeternum constabunt. conf. אמן *amen*, 2 Cor. 1, 18. 20. מכות נאמנות νόσους πιστὰς, *plagas certas*, Deut. 28, 59. Conf. ibid. c. 32, 20., ubi coll. v. seq. filii, in quibus non est (אֱמוּן LXX, πίστις) *fides*, sunt *non filii*. Jesaias ἐκ παραλλήλου praemisit: *foedus aeternum*. Hinc necessario sequitur *resurrectio Christi*. Hebr. 13, 20. nam sine ea non potuere populo DEI obtingere beneficia Messiae. Conjugatum et correlatum ad ea est אמונה πίστις, *fides*.

v. 35. ἐν ἑτέρῳ) in *alio*, Psalmo, vel potius loco. nam v. praec. allegatur Esajas. — λέγει, *dicit*) David nomine Messiae. — οὐ δώσεις, *non dabis*) Vid. not. ad c. 2, 27.

---

1) *quod magis aperte ostendit margo* Ed. 2., *quam margo* Ed. maj. E. B.

Digitized by Google

v. 36. δαυὶδ, *David*) Occurritur exceptioni, Psalmum agere de Davide: et hoc refutat Paulus ab eventu, conf. c. 2, 29. s. simulque docet, ὅσα δαυὶδ non dici, quod David ea daturus esset, sed quod Davidi exspectata essent. — ἰδίᾳ γενεᾷ) Casus sextus, construendus cum ὑπηρετήσας, *postquam sua generatione ministravit*. Davidis partes non extendunt se ultra modulum aetatis vulgaris. 2 Sam. 7, 12. Huic brevi tempori opponitur perpetuitas Messiae, c. 8, 33. [*Cuilibet homini finem vitae spatium obtingit: quo, ad finem praecipue vergente, prout quis utitur, sic in futuro mundo vel bene habet vel male; haud secus, ac si a primo mundi conditi die ad postremum usque dierum vel bene se vel male gessisset. Non desunt, qui vel alios vel se ipsos, opinione subinde non prorsus vana, necessarios existimant, multum de istorum suove obitu quiritantes. Enimvero quilibet* suis diebus *rohutati divinae ministrare satagat. Idem DEUS, qui antehac mundum rexit, reget etiam posthac. Novam identidem bonorum segetem jubet efflorescere.* V. g.] — ὑπηρετήσας, *ministrans*) Dic, cur hic? homo, in mundo. Praeclarissime spatium suum impendit David. v. 22. — βουλῇ, *rohutati*) Messiam maxime spectanti. Constr. cum ὑπηρετήσας, *ministrans*, coll. Sap. 19, 6. — ἐκοιμήθη) שכב obdormivit. — προσετέθη, *appositus est*) Hoc verbum ad corpus quidem etiam, ut Germanicum *beygezen*, sed simul ad animam refertur, animaeque immortalitatem praesupponit.

v. 37. ἤγειρε, *suscitavit*) Hic non notatur resuscitatio ex mortuis; quippe quae ipsa in conclusione evincitur: sed, *quem Deus suscitavit*, est *Sanctus DEI*, v. 35., ut haec Subjecti descriptio contineat aetiologiam.

v. 38. διὰ, *per*) Constr. cum ἄφεσις *remissio*. — καταγγέλλεται, *annunciatur*) nostrâ operâ. Correlatum, *fides*, v. seq.

v. 39. ὧν) Repetatur ἀπὸ ex proximo. — οὐκ ἠδυνήθητε, *non potuistis*) Non modo, *non potestis*, sed, *nunquam potuistis*, etiamsi conaremini. — νόμῳ, *lege*) quam colitis. v. 15. Judaeis non tam familiarem debemus putare fuisse legis divisionem in moralem et ceremonialem, quum utraque simul vigeret, quam nobis est hodie. quare hic locus de universa lege agit. Moses est Moses, sive de ritibus, sive de moribus praecipiat: et a diverso Christus est Christus. — ἐν τούτῳ, *in Hoc*) Antitheton ad *legem Mosis*. — πᾶς, *omnis*) sive legem habens, sive non habens: sive Judaeus, sive ex gentibus. nam ex his aderant nonnulli. v. 42.

v. 40. βλέπετε, *videte*) Admonitio, adhuc sine reprehensione; sed tamen seria. — ἐν τοῖς προφήταις) *in XII prophetis*, nempe Hab. 1, 5.

v. 41. ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ) Sic LXX, pro Hebraeo ראו בגדים. Videri poterant legisse בגדים. Etiam Syr. int. *transgressores*. Derivunt ab Arab. בגא elate *se gessit cum injuria*. vid. Gebhard. in XII proph. min. p. 1017. ex Pocockio. — καταφρονηταὶ, *contemtores*) Summa et caput perditionis, socordia. — καὶ θαυμάσατε) LXX, καὶ ἐπιβλέψατε, καὶ θαυμάσατε θαυμάσια. — ἀφανίσθητε, *colorem amittite*) vultu; prae vehementia admirationis; quae in Hebraeo והתמהו vel verbo vel terminatione verbi geminata significatur. Imperativus hanc vim habet, ut contemtores relinquantur stupori suo. — ὅτι) LXX, διότι. — ἔργον) LXX ὃ tantum habent. — ὃ, *quod*) Generaliter exprimitur judicium in Judaeos: deinde v. 46. id apertissime indicatur. — οὐ μὴ πιστεύσητε, *non credetis*) *Hab.* 1. *Contra incredulitatem eorum, qui non crediderunt verbo promittenti liberationem ex potentia Chaldaeorum. Illa verba prophetae haud dubie tunc contra quosvis incredulos tanquam generale proverbium usurpata sunt inter pios.* Justus Jonas. — ὑμῖν) Non habent hoc LXX.

v. 42. ἐξιόντων) Multi Judaei, Paulum audire abnuentes, *exibant* ante tempus. v. seq. conf. c. 28, 25. 29. — παρεκάλουν, *rogabant*) contra ac Judaei. — εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, *sequenti sabbato*) μεταξὺ, adverbiale, denotat sab-

Digitized by Google

batum inter dies reliquos, a Paulo et Barnaba Antiochiae transigendos, interjectum, et *ad easdem res* tractandas opportunum. Propria *Sabbati* notio servanda est, quam diu res patitur.

v. 43. σεβομένων) *colentium* Deum. De his vide ad c. 17, 4. — προσλαλοῦντες, *alloquentes*) familiarius. — ἔπειθον, *suadebant*) Ingruebat tentatio. — τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ) *gratiae DEI*, quam ex evangelio acceperant.

v. 44. ἐχομένῳ, *sequenti*) proximo. Nullum aliud sabbatum inter haec duo interjectum erat.

v. 45. τοὺς ὄχλους, *turbas*) etiam ex gentibus. — ἀντέλεγον, *contradicebant*) Mox crevit contradictio. nam subsequitur, βλασφημοῦντες, vel, ut alii legunt, ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες, *contradicentes et blasphemantes*. Si plenior haec lectio praevalet, [1]) est iteratio verbi, superaddito altero, uti Jud. 4, 24. 1 Reg. 20, 37. Jes. 19, 22. Jer. 12, 17. Tales sibi relinquuntur. c. 18, 6. 19, 9. 28, 24. 28.

v. 46. παῤῥησιασάμενοι, *libertate usi*) Qui alios impediunt, inprimis sunt publice coarguendi. — ἀναγκαῖον, *necessum*) etsi non eratis digni. Ostendit, se non fiducia obsequii illorum praedicasse. — ἀπωθεῖσθε, *repellitis*) Oppositu, *repellere verbum DEI, et glorificare verbum Domini*, v. 48. — οὐκ ἀξίους, *non dignos*) Magna erga vos est dignatio divina; vos autem non estis digni: Matth. 22, 8. et quanquam nos auditu indignos putatis, et vos solos vita aeterna dignos censetis, tamen ipsi in hoc *judicium*, vos indignos esse, ultro incurritis, et perinde est, ac si diceretis: Indigni sumus. Est igitur metonymia antecedentis. Oppositum, *gaudebant*, v. 48. — τῆς αἰωνίου ζωῆς, *aeterna vita*) ibid. — ἰδοὺ, *ecce*) Demonstrat rem praesentem. Ingens articulus temporis: magna revolutio.

v. 47. ἐντέταλται, *praecepit*) nos emittendo, v. 4., et occasionem voluntatis et praedictionis suae implendae offerendo. — ἡμῖν, *nobis*) Saepe fit, ut unum idemque dictum propheticum alios prae aliis ad complementum sui urgeat. Ita Paulum hoc dictum, et illud, quod Rom. 15, 21. citatur. Aliud exemplum, 2 Reg. 9, 13. 25. — τέθεικά σε εἰς — γῆς) Jes. 49, 6., ἰδοὺ δέδωκά σε εἰς διαθήκην γένους, εἰς φῶς — γῆς. — σὲ, *te*) Messiam.

v. 48. ἀκούοντα) *audientes*, lucem sibi obtingere, idque pridem esse praedictum. — ἔχαιρον, *gaudebant*) gratissima pietate. [*Optimae indolis indicium!* V. g.] — ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, *quotquot erant ordinati ad vitam aeternam*) *Judaeis*, qui se ipsos vita aeterna indignos judicabant, aperte opponuntur ex *gentibus* hi, qui ad eandem vitam ordinati, fidem suscipiunt. sic enim solet a Scriptura homini adscribi pernicies ipsius; sed salus ejus, DEO. Rom. 9, 22. not. Innuitur ergo DEUS, qui gentes ad vitam aeternam ordinarit. Etenim homo *ordinare se* (si modo sic loqui fas est) ad vitam aeternam non potest, nisi *credendo*. At hic memoratur ordinatio fide prior: ergo ordinatio divina. Non tamen de aeterna praedestinatione agit Lucas: nam vere quidem, *quos praecognovit* Deus, *eos etiam praefiniit; et quos praefiniit, hos etiam vocavit;* divinamque adeo praecognitionem sequitur fides, et ex hac cognoscitur illa: Rom. 8, 29. 30. 1 Thess. 1, 4. sed Lucas simpliciter hic dicit, *quotquot erant ordinati*, quanquam Vulgata *praeordinatos* dicit. ac scriptor divinus quidem, sed idem historicus, in causis salutarium eventuum nusquam electionem ab aeterno factam, sed praesentem gratiae operationem per evangelium (ex electione quidem fluentem) allegare solet. Correlata ergo sunt illa, *Salus offertur: verbum accipitur*. c. 2, 40. 41. *Dominus apponit multos, qui credunt*. ibid. v. 47. c. 5, 14. *Manus Domini est cum evangelizantibus: multi credunt*. c. 11, 21. *Dominus Paulum ministrum constituit: Paulus obedit*. c. 26, 16. 19.

---

1) *cui minus favet margo* Ed. 2. *et* Vers. germ., *quam* Ed. maj. E. B.

Digitized by Google

Deus mittit: gentes audiunt. c. 28, 28. conf. Matth. 21, 43. Eph. 2, 8. Phil. 2, 13. 12. etc. Eam igitur *ordinationem* describit Lucas, quae ipso auditus tempore facta est: ***crediderunt***que, ut Aretius commentatur, ***in hac concione***, τεταγμένοι, ***hoc est, quibus ad illam horam donum DEI erat datum, ut crederent.*** Perinde est, ac si diceret Lucas, ***Credidere, quoscunque Pater traxit eo tempore, et Filio dedit:*** Joh. 6, 44. 37. ***QUORUM COR tetigit et APERUIT DOMINUS***; uti Lucas in loco plane simili loquitur, eandem τάξιν *ordinationem* exprimens, Act. 16, 14. s. coll. 1 Sam. 10, 26. ***quibus Dominus fidem donavit,*** Phil. 1, 29. Confer Raphelii annotationem insignem et copiosam in Herodoteis. Ipsum verbum τάττω, *ordino*, nusquam dicitur de aeterna praedestinatione, tam variis alioqui locutionibus expressa: dicitur autem persaepe (pro Hebr. שׂוּם et כּוּן de iis, quae DEUS in tempore ordinat. τάξω σὲ εἰς τέκνα, Jer. 3, 19. τάξω αὐτὴν ὡς γῆν ἄνυδρον, Hos. 2, 5. τάξει αὐτοὺς (Luth. *und wird sie zurichten*) ὡς ἵππον εὐπρεπῆ, Zach. 10, 3. adde Ez. 16, 14. Hab. 1, 12. 3, 19. Malach. 1, 3. Job. 14, 13. Neque obstat hoc loco praeteritum, ἦσαν τεταγμένοι· haec enim forma loquendi non semper in longinquum retrospicit. Joh. 13, 5. *Erant* ordinati, non *fuerant*: neque unico momento peracta erat ipsa ordinatio. coll. v. 44. 43. 42., et Joh. 4, 39. 35. 30. Jam τὸ ὅσοι *quotquot* praeclare exprimit ordinationis divinae virtutem, et *respondentem* ei auditorum promtitudinem atque multitudinem. Omnes ii ac soli, qui ordinati erant, credidere: non, ceteros credere, noluit DEUS; 1 Tim. 2, 4. non enim malos homines DEUS, sed homines mali ipsi se indignos judicant vita aeterna: neque hi, qui credidere, absolute ad fidem coacti fuere: sed gratia se tum inprimis copiose praebuit; et hinc auditores se praebuere obedientes, ut non repellerent, coll. v. 46., sed acciperent libenter, coll. c. 17, 11., et quidem ita frequentes, ut apostoli in illo oppido, postea reversi, non haberent, quos facerent discipulos, sed quos confirmarent. c. 14, 21. 22. Idcirco hic praecipue locus magnificam et singularem locutionem postulavit, quae huic conveniret puncto temporis, quo gentes prae contumacibus Judaeis ad fidem adducebantur: id quod initium erat ac specimen conversionis earum ulterioris. Magnos enim et supra spem opemque hominum etiam sanctorum positos successus solet Scriptura singulari cum emphasi adscribere gratiae divinae. Matth. 24, 24. 2 Thess. 2, 13. Ap. 13, 8. at talis successus a Luca notatur. Duas res haec ordinatio ad vitam aeternam includit: 1) ***portam fidei apertam***, ut locupletior multo quam antea facultas daretur omnibus intrandi, et animarum maturitatem ejusmodi ad fidem suscipiendam, qualis describitur Joh. 4, 35. quo pacto apud Zosimum ii, quibus aliquid injungitur vel negotium datur, οἱ εἰς τοῦτο τεταγμένοι dicuntur. 2) praesentissimam et efficacissimam *operationem gratiae* divinae, quae fidem auditoribus conferebat. Illud fluebat ex voluntate antecedente: hoc, ex consequente. Si prius spectetur, antitheton est ad Judaeos hoc modo: Judaei *fuerant* ordinati ad vitam aeternam: Matth. 22, 8., sed non crediderunt, verum repulerunt verbum DEI: et se vita aeterna non dignos judicarunt: tum gentes sunt ordinatae, et hae crediderunt. Si posterius spectetur, antitheton est ad eosdem Judaeos, qui *non fuerant* ordinati. Utrumque dici verbo τεταγμένοι, *ordinati*, colligas ex ὅσοι *quotquot*. Si prius tantummodo spectaretur, τὸ ὅσοι *quotquot* videtur nimis amplum fore: si posterius tantummodo spectaretur, τὸ ὅσοι *quotquot* videtur nimis anguste poni. nam hoc ipso multitudo innuitur, non restricto, sed amplo sensu. Cum praepositione εἰς *ad* construitur τεταγμένοι, *ordinati*. neque enim hoc participium absolute accipiendum est. Desinant omnes, festivum ac floridum Lucae epiphonema tristi et suspicioso interpretamento obfuscare.

v. 50. γυναῖκας) Per *mulieres* multa saepe impedimenta vel adjumenta adferuntur regno DEI.

v. 52. μαθηταὶ, *discipuli*) quum viderent Paulum et Barnabam, de quibus v. 51., plenos gaudii et Spiritus sancti. non enim hi duo hic *discipuli* dicuntur. vid. not. ad Matth. 10, 1.

CAPUT XIV.

v. 1. Κατὰ τὸ αὐτὸ, *simul*) Sic LXX, 1 Sam. 31, 6. — οὕτως) *eo modo* et successu. Vim auxerat persecutio.

v. 3. [1]) ἐπὶ, *super*) Objectum. — μαρτυροῦντι, *testante*) Dominus testimonio miraculorum firmavit sermonem gratiae. — λόγῳ τῆς χάριτος, *verbo gratiae*) Praeclara definitio evangelii.

v. 4. ἐσχίσθη, *scissa est*) Ingens differentia religionis et philosophiae vel ex schismatibus apparet; quae in fide gravia, in philosophia paene ludicra sunt.

v. 6. κατέφυγον, *confugerunt*) Confugium piorum amplissimum, vel terra, vel coelum.

v. 9. ἀτενίσας, *intuitus*) Prudentiae spiritualis est, observare motus auditorum, afflictorum praesertim. — πίστιν, *fidem*) fidem passivam de miraculo. Dum claudus verbum audit, vim sentit in anima: unde intus movetur, ut ad corpus concludat.

v. 10. ἀνάστηθι, *surge*) Non expresse allegat Paulus nomen Jesu, quippe paullo ante in sermone ipsius memoratum.

[2]) v. 11. κατέβησαν, *descenderunt*) Saepe gentes talem descensum diis suis, Jovi praesertim καταβάτῃ, adscripserunt. vid. J. H. a Seelen Medit. exeget. p. 453. 458.

v. 12. Δία, *Jovem*) Jovem colebant Lystrenses: Jovem σωτῆρα appellabant veteres: pro Jove potissimum igitur Barnabam habebant.

v. 13. τοῦ ὄντος πρὸ, *qui erat ante*) Ergo idolum et fanum habuerunt extra portam. — ταύρους, *tauros*) Inprimis *taurus* Jovi immolari solitus. — στέμματα, *coronas*) tauris imponendas. Properabant. — θύειν, *sacrificare*) cultum divinum exhibere.

v. 14. διαῤῥήξαντες, *dirumpentes*) Ipsa actione indecora decore suscepta ostenderunt, se non esse deos. neque Deus negat se ipsum; hi autem negant se esse deos. *saliunt* etiam et *clamant*, ut in incendio aliove periculo subito et magno.

v. 15. λέγοντες, *dicentes*) Cum hoc sermone conferri potest alter ille ad Athenienses sublimiora audire postulantes. c. 17. — ὁμοιοπαθεῖς ὑμῖν ἄνθρωποι, *vestro more affecti homines*) non dii hominibus similes facti. Festinant, aetiologiam praemittentes, antequam se homines esse dicant. Deus, ἀπαθὴς, *sine passione*. — ματαίων, *vanis*) אֱלִילִים quales sunt Joves, Mercurii, eorumque familia. Ne *deos* quidem eos appellare dignatur. — ζῶντα, *vivum*) Ita saepe appellatur Deus, in opposito ad idola. — οὐρανὸν, γῆν, θάλασσαν, *coelum, terram, mare*) Inde tria gentibus genera deorum.

v. 16. ὃς, *qui*) Occupatio, ne Lycaones putent, se ex suis parentibus audituros fuisse haec eadem, si vera essent. — παρῳχημένας, *praeteritis*) οἴχεσθαι dicitur, quod perit, et frustra praeterlabitur. Vid. omnino 4 Esr. 9, (13.) 14—22., coll. 1 Petr. 1, 18. de *vano* victu; et contra, de fidelibus, Act. 13, 36. — εἴασε, *sivit*) Magnum judicium. Referri huc potest Heidanus Orig. de erroris, lib. sexto etc. — πάντα, *omnes*) Multitudo errantium non tollit errorem. — ὁδοῖς αὐτῶν, *vias ipsarum*) idololatriae, quam ipsae iniverunt.

---

1) Ἱκανὸν — χρόνον, *tempus non breve*] violentiae haud rati cedendum esse. *V. g.*

2) καὶ περιπάτει, *et ambulabat*] etiamsi prius nunquam tentaverat. *V. g.*

Digitized by Google

v. 17. οὐκ ἀμάρτυρον, *non expertem testimonii*) Nam habuere gentes testimonium a DEO, de DEO. Ac jam plane *jubet*. c. 17, 30. — ἀγαθοποιῶν, *benefaciens*) Testimonium DEI etiam in poenis exseritur; sed magis proprie in beneficiis, ex *coelo* videlicet. Hos. 2, 21. — οὐρανόθεν, *de coelo*) Sine dubio Paulus coelum hic nutu manuve designavit. Coelum sedes DEI. conf. *descenderunt*. v. 11. — ὑετοὺς,) *Pluviâ* coelum, terra, mare inter se copulantur. Pulcre igitur hoc loco nominatur, et fortasse tum *pluvia* erat. — διδοὺς, *largitus*) in macrocosmo. — καιροὺς, *tempora*) Soles, ventos et anni tempora. — ἐμπιπλῶν, *implens*) in microcosmo. — τροφῆς, *cibo*) in corpore, quotidie. — εὐφροσύνης, *laetitia*) in animo; temporibus festivis.

v. 18. 19. τοὺς ὄχλους, *turbas*) Hae ab extremo ad extremum impulsae. [*Sunt, qui talem saltum animo concipere nequeunt. Atqui non dicuntur* eo ipso die *Judaei undiquaque interrenisse: neque vero inter gentiles tam subitanea mutatio pro impossibili habenda est, coll.* c. 28, 4. 6. V. g.]

v. 19. τὸν παῦλον, *Paulum*) Hic verba fecerat. v. 12. Barnabas periculorum particeps, c. 15, 26., tamen minus exosus erat.

v. 20. κυκλωσάντων, *circumdantibus*) tanquam sepeliendum. — εἰσῆλθεν, *intravit*) magna fiducia; confirmaturus fideles. [*Barnabas etiamnum in urbe fuit*. V. g.]

v. 21. ἱκανοὺς) *bene multos*. — ὑπέστρεψαν, *reversi sunt*) salutari opera.

v. 22. καὶ ὅτι) Eadem particula v. 27. — ὅτι, *quod*) Hoc et ad consolandum pertinet et ad hortandum. — διὰ, *per*) Hoc tutum iter.

v. 23. χειροτονήσαντες, *cum constituissent*) Magnum incrementum: novum exemplum antistitum ex ipsis recens conversis sumtorum. — παρέθεντο, *commendaverunt*) Hoc verbo indicatur fides erga Christum, et amor erga sanctos. Congruit valedicentibus. c. 20, 32.

v. 24. παμφυλίαν, *Pamphyliam*) regionem, cujus urbes, *Perge* et *Attalia*, ad mare.

v. 26. ἀπέπλευσαν) *renavigarunt*. — παραδεδομένοι, *traditi*) c. 13, 2. נתונים. — τῇ χάριτι) *gratiae* (c. 15, 40.) manaturae ad multos. — ἐπλήρωσαν, *complerunt*) Verbum jucundissimum.

v. 27. συναγαγόντες, *cum congregassent*) hujus rei causa. Sic c. 15, 30. — ἀνήγγειλαν, *renuntiarunt*) retulerunt, ad eos, qui divinae vocationis conscii, successum avide exspectarant. [*Vera relatio de cursu evangelii multiplicem saepe frugem afferre potest*. c. 15, 3. 4. 12. *Quam rarae sunt hujus generis historicae homiliae!* V. g.] — μετ᾽ αὐτῶν, *secum*) Conf. μετὰ *cum* c. 15, 4. Luc. 1, 58. 10, 37. — θύραν, *ostium*) Joh. 10, 1. s. Ps. 118, 19. conf. Act. 10, 45. not εἴσοδον, *introitum* appellat Paulus 1 Thess. 1, 9.

CAPUT XV.

v. 1. Κατελθόντες, *descendentes*) quasi suppleturi, quod Paulus et Barnabas praetermisissent. — ἐδίδασκον, *docebant*) data opera.

[1]) v. 2. στάσεως) Vocabulum μέσον. — πρὸς) *adversum*. — ἔταξαν, *ordinarunt*) fratres. — ἀναβαίνειν, *ascendere*) Conf. de tempore et causis hujus itineris, Gal. 2, 1. seqq. — παῦλον καὶ βαρνάβαν, *Paulum et Barnabam*) Poterant hi auctoritatem suam tueri, et negare decisionem Hierosolymis petendam: nam se habere Spiritum sanctum. Ceteri poterant contendere, duos illos non debere esse legatos, sed alios liberioris judicii. Sed utrinque omnia fiunt modeste et candide. Facilius fuit ex Ethnico Christianum facere, quam Pharisaicam obnunciationem

---

1) τῷ ἔθει μωϋσέως, *more mosaico*] Veluti scriptum est in lege Mosis. V. g.

Digitized by Google

vincere. — καί τινας, *et quosdam*) Laetum est habere socios et fidei et itineris. — τοὺς ἀποστόλους καὶ πρεσβυτέρους, *apostolos et presbyteros*) Alter ab apostolis ordo erat presbyterorum. Hebr. זקנים *seniores*.

v. 3. προπεμφθέντες, *deducti*) Frequens et sanctum officium. — διήρχοντο, *pertransibant*) etiam in via propagantes regnum DEI. — ἀδελφοῖς, *fratribus*) qui erant in Phoenice et Samaria.

v. 4. ἀπεδέχθησαν, *susceptisunt*) solenniter. — ἐκκλησίας, *ecclesia*) Ecclesia ponitur ante Petrum et reliquos apostolos ipsos. — ἀνήγγειλαν, *renuntiarunt*) Hierosolyma, dum apostoli ibi manebant, metropolis erat ecclesiarum, quo omnia erant referenda. v. 33. Hac ipsa expositione via muniebatur ad decisionem. — μετ' αὐτῶν) δι' αὐτῶν, v. 12. *cum ipsis* et *per ipsos*. Apostoli erant, ut ministri et ut organa. [*Quid tecum, homo; tecum, verbi minister, quid DEUS egit? Nestine allegare nonnihil?* V. g.]

v. 5. ἐξανέστησαν, *surrexerunt*) ante ceteros, Hierosolymis. — φαρισαίων, *pharisaeorum*) Etiam conversos subinde comitatur pristina intellectus, voluntatis et affectuum ratio. — πεπιστευκότες, *qui crediderant*) qui a Judaismo ad Christianismum transierant [1]). — τὸν νόμον μωϋσέως, *legem Moysis*) Conf. v. 24. De universa lege loquuntur. c. 13, 39. not. Neque tamen hoc loco expressior legis moralis mentio requirenda est. nam Paulus etsi justitiam ex ea esse negaret, tamen legem statuebat. Rom. 3, 31. Ideoque pharisaei credentes, cum dicerent, sine circumcisione salutem obtineri non posse, non habuere causam expressius dicendi, sine lege morali salutem obtineri non posse; tametsi ab hac ipsa sententia non longe abessent, quam idcirco Petrus refutat, v. 10. 11.

v. 6. συνήχθησαν, *convenerunt*) *ex* professo. Specimen boni concilii.

v. 7. πολλῆς, *magna*) Plerumque, praegressa humani studii disceptatione, divina sequitur Decisio. Vide Jobum. — ἀναστὰς, *surgens*) ut verba faceret. — πέτρος, *Petrus*) Ultima haec in Actis mentio Petri: — ἀρχαίων, *antiquis*) c. 10. — ἐν . . . .) Simillima constructio, 1 Chron. 28, 4. 5. ἐξελέξατο ἐν ἐμοὶ — εἶναι βασιλέα — καὶ ἐν τοῖς υἱοῖς τοῦ πατρός μου ἐν ἐμοὶ ἠθέλησε τοῦ γενέσθαι με εἰς βασιλέα — καὶ ἀπὸ πάντων τῶν υἱῶν μου — ἐξελέξατο ἐν σολομῶντι τῷ υἱῷ μου καθίσαι (αὐτὸν) ἐπὶ θρόνου κτλ. Sententia Petri est: DEUS per Israëlitas, et nominatim per me, gentes vocavit: et addit, *in nobis*, ne rem ad se solum redigat. Sic quoque verbum σπουδάζω accusativum cum infinitivo habet 2 Petr. 1, 15. — ἀκοῦσαι, *audire*) Verus Christianus est, de quo dici potest, quod h. l. dicitur ad finem v. 9. — τοῦ εὐαγγελίου, *evangelii*) Hic et c. 20, 24., id est, bis tantummodo, *evangelii* nomen ponitur in hoc libro, et saepius dicitur *via, sermo, doctrina Domini*. Nam *evangelii* appellatio magis congruit initiis.

v. 8. ὁ καρδιογνώστης, *qui novit corda*) qui *cor*, non carnem *spectat*. — ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς, *testimonium perhibuit illis*) Duo verba, utrumvis cum participio: ἐμαρτύρησε, δοὺς· καὶ οὐδὲν διέκρινε, καθαρίσας. αὐτοῖς, Dativus, uti c. 10, 43. — αὐτοῖς, *illis*) Illos placere sibi, testatus est dato Spiritu sancto. Gal. 3, 5.

v. 9. τῇ πίστει, *fide*) ex auditu evangelii hausta, v. 7. 5. fin. idque sine circumcisione, sine lege. — καθαρίσας, *purificans*) Puritatis sedes, *cor*. Repetitur hoc verbum ex cap. 10, 15. — αὐτῶν, *eorum*) Qui habet Spiritum sanctum et fidem, (id quod ipso sensu spirituali percipitur,) is habet libertatem et puritatem, nec jam subjicitur legi.

v. 10. νῦν) *nunc* demum, quasi τὰ ἀρχαῖα *illa antiqua*, inquit Petrus, nil sint. Apostrophe ad pharisaeos, et severus elenchus. — τί πειράζετε ἐπιθεῖναι ζυγὸν κτλ., *quid tentatis imponere jugum*) Post πειράζετε, τὸν θεὸν inseritur a plerisque; ex phrasi Scripturae frequentissima. Brevior autem lectio, τί πειρά-

1) δεῖ, *oportet*] Non exspectabant apostolorum sententiam. *V. g.*

Digitized by Google

ζετε ἐπιθεῖναι ζυγόν; valde facilem habet et locutionem et sententiam. Conf. App. crit. Ed. II. ad h. l. — ζυγὸν, *jugum*) Conf. Jes. 10, 27. βάρος, *onus:* v. 28. Petrus non circumcisionem per se vocat jugum; sed totam legem, cujus pars insignis erat circumcisio, qua abrogata, toti legi metuebant pharisaei. Nectit ergo consequentiam (sub metonymia consequentis expressam, uti c. 5, 9. Gal. 2, 14. fin.) hoc modo: dum statuitis, sine circumcisione salutem obtineri non posse, totius legis jugum imponitis cervicibus discipulorum. conf. Gal. 5, 1. not. Cumque ab hac totius jugi impositione illi non abhorrerent, (quae ipsa deinde radix Galatismi fuit,) Petrus hoc quoque praecidit, et circumcisioni ac potius totius Legis jugo opponit non plane agnitam ab illis Gratiam Christi salvantem; praemisso etiam Caesareensium exemplo, qui et sine circumcisione et sine lege justitiam sint adepti. — τῶν μαθητῶν, *discipulorum*) Jam sunt discipuli, non demum fieri debent. — ὃν οὔτε, *quod neque*) Causa abrogationis. — οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν, *neque patres nostri*) quibus cur imposita tamen lex fuerit, Paulus passim docet. Nisi aliquando imposita fuisset, nemo agnovisset, jugum ferri non posse. Non dicit h. l. Abrahamum, Isaacum et Jacobum, quibus circumcisio promissionis sigillum, non jugum fuit; sed Israëlitas sub Mose. — οὔτε ἡμεῖς) *neque nos;* praesertim libertate semel gustata.

v. 11. Κυρίου ἰησοῦ, *Domini Jesu*) Non additur ἡμῶν *nostri:* quia solenni hoc loco significatur *Dominus omnium.* — πιστεύομεν, *credimus*) nos credimus, *quod* salvemur; vel potius credimus, *ut* salvemur: fide ad salutem enitimur. — σωθῆναι, *salvari*) De *Salute* agebatur. v. 1. — κἀκεῖνοι, *etiam illi*) scil. de quibus v. 7. Est enim antecedens v. 7—9. consequens v. 10. 11. Et dicuntur ἐκεῖνοι, *illi,* ob tempus satis remotum. v. 7. Patres, qui ne ipsi quidem ferre potuerint jugum, a paritate rationis comprehenduntur sub verbo πιστεύομεν, *credimus,* sicuti sub verbo ἰσχύσαμεν, *valuimus,* adeoque sub *gratiam* jugo opponitam rediguntur. Petrus sic argumentatur: quomodo gentes sunt salvatae olim Caesareae, eo modo discipuli praesentes. Argumentum procedebat pridem a Judaeis ad gentes: c. 10, 47. 11, 15. 17. Gal. 2, 15. s. et nunc idem profertur a gentibus prius conversis ad reliquas. Hanc sententiae Petrinae summam repetit Jacobus, v. 14.

v. 12. ἐξηγουμένων, *narrantes*) Quo ipso confirmata est sententia Petri.

v. 13. μετὰ, *postquam*) Omnia fiebant ordine.

v. 14. συμεών) *Simon* habet *Lat.* Jacobus, Hebraeorum apostolus, Hebraico nomine Petrum appellat. — ἐξ ἐθνῶν λαὸν, *ex gentibus populum*) Egregium paradoxon. Et quia nomen pristinum ἐθνῶν, *gentium,* retinent; hinc infert Jacobus, eos populum DEI fore, etiamsi per circumcisionem non aggregentur ad populum Judaicum. — ἐπὶ) Eadem particula, [1]) c. 2, 38. 4, 17. s. [2])

v. 15. τούτῳ) *huic rei.* — συμφωνοῦσιν, *consonant*) Petrus experientiam, et eam quidem, quae ipsi obtigerat, produxit, per se αὐτόπιστον validamque, non minus, quam v. gr. Abrahae tempore. Jacobus Scripturam propheticam superaddit. Pulcra harmonia. — οἱ λόγοι, *sermones*) multi, quorum continuo unus, Amosi, explicite allegatur.

v. 16. μετὰ ταῦτα ἀναστρέψω καὶ ἀνοικοδομήσω τὴν σκηνὴν δαυὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀνοικοδομήσω καὶ ἀνορθώσω αὐτήν· ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν κύριον, καὶ — τὸ ὄνομά μου ἐπ' αὐτοὺς — ταῦτα) Amos. 9, 11. 12. LXX, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν δαυὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ ἀνοικοδομήσω τὰ πεπτωκότα αὐτῆς, καὶ τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀναστήσω· καὶ ἀνοικοδομήσω αὐτὴν, καθὼς αἱ ἡμέραι τοῦ αἰῶνος· ὅπως

---

1) *Cujus tamen omissionem h. l. praefert margo* Ed. maj. *et* Ed. 2. E. B.

2) τῷ ὀνόματι, *nomine*] Demonstratur hoc v. 17. *V. g.*

Digitized by Google

ἐκζητήσωσί με οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων καὶ — τὸ ὄνομά μου, λέγει — ταῦτα. — μετὰ ταῦτα, *posthaec*) Hebr. *In die illo.* Utrumque refertur ad N. T. — ἀναστρέψω) אשוב *revertar*. verbum pro adverbio: *rursum aedificabo.* — τὴν σκηνὴν δαυὶδ, *tabernaculum David*) Alias dicitur *domus David*, *solium David*: sed hic, *tugurium David*, quia ad magnam tenuitatem res ejus redactae erant. Saepe sub allegoria rei architectonicae describitur ecclesia N. T. etiam ex gentibus exstruenda Ps. 102, 14. ss. Eph. 2, 20. *Tabernaculum Davidis*, id est Christi. [*Ecclesia, in qua Christus, Davidis antitypus, habitat et regnat.* V. g.]

v. 17. ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον, *ut requirant ceteri hominum Dominum*) Hebr. sic: *ut potiantur reliquiarum Edomi.* Jacobus et ceteri in concilio videntur hebraice locuti. Utrinque firmatur Jacobi sententia: nam quae *Edomi* ratio, eadem est *gentium omnium.* Conferatur docta Ludovici de Dieu animadversio ad h. l. De utrisque οἱ κατάλοιποι *reliqui* sunt, qui ex magnis calamitatibus supersunt. Rom. 9, 27. Zach. 14, 16. etc. Et potissimum nititur Jacobus v. 14. illis verbis: ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου, *super quos invocatum est nomen meum.* quod comma ex accentibus Hebraicis et *Edomitas* et *omnes gentes* complectitur. Nec temere factum, ut LXX int. in ea verba discederent, quae latius sonantia declarandae latitudini gratiae inservirent. — πάντα, *omnes*) *sine respectu personarum et operum.* Jonas. — ἐπικέκληται, *vocatum est*) Delectatus est hac phrasi *Jacobus*, Ep. cap. 2, 7. — ἐπ' αὐτοὺς, *super illos*) ut sint mei. — ποιῶν, *faciens*) Praesens tempus cum emphasi. conf. v. seq. Est haec apud Judaeos Germanos Haphtara verno tempore legi solita.

v. 18. γνωστὸν ἀπ' αἰῶνος, *notum a seculo*) Hoc infert Jacobus ex praedictione ipsa et ex ejusdem verbis, *dies aeternitatis* allegantibus, ad quae apostolus postliminio alludit. Verba paullo ante in notis descripsimus. DEUS praedixit ἀπ' αἰῶνος *a seculo* Luc. 1, 70. itaque ab aeterno scivit. quare non debemus id tanquam novum et mirum fugere. DEUS circumcisionem non ita dedit, ut semper duraret illa: nam eodem tempore praedixit conversionem gentium. Illustre Axioma: uti Sir. 23, 20., πρινὴ κτισθῆναι, τὰ πάντα ἔγνωσται αὐτῷ· *antequam conderentur, omnia ei cognita sunt.* Ex quo divina praescientia demonstratur *omnium* rerum. nam omnia DEI opera, praemia praesertim et poenae, praesupponunt omnes motus, etiam liberos, creaturarum. — τὸ ἔργον αὐτοῦ, *opus ipsius*) Singularis numerus eximiam habet emphasin. Refertur ad illud ὁ ποιῶν ταῦτα, *qui facit haec.* v. 17.

v. 19. παρενοχλεῖν) παρὰ *praeter.* fides quieta non obturbanda.

v. 20. ἐπιστεῖλαι, *mittere*) *epistolam.* Initium *scripturarum* N. T. — τῶν ἀλισγημάτων — αἵματος, *a contaminationibus — sanguine*) Haec erant, quae inprimis offendere possent studiosos Mosis. ἀλίσγημα proprie dicitur de cibis impuris. — τῶν εἰδώλων, *simulacrorum*) 1 Cor. 8. — τῆς πορνείας, *fornicatione*) quae gentibus parum turpis erat habita. Quare etiam Paulus Corinthiis conjunctim et idolothyta dissuadet et fornicationem prohibet. 1 Cor. 8, 1. 6, 13. Fornicatio v. 29. c. 21, 25. postremo loco ponitur, non interpellatis iis, quae ad rem cibariam spectant: sed hic cum *idolothytis* jungitur, quia cum idolorum cultu frequens. Observa etiam, articulum h. l. saepius adhiberi; quo expressior fiat sermo: v. 29., nunquam, quo lenior fiat. Capite 21, 25. bis adhibetur. — τοῦ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος, *suffocato et sanguine*) Haec non ideo prohibentur, quod per Noachum, sed quia per Mosen interdicta sint, v. seq. [*Et in convictu communi insigne Judaeis scandalum fuit*, suffocato et sanguine *vesci, quorum naturali etiam horrore complures tenentur.* V. g.] πνικτὸν *suffocatum* dicitur, quicquid sanguine non rite emisso mactatum aut interemtum est.

v. 21. μωσῆς γὰρ, *Moses enim*) Non modo prophetarum, v. 15., sed etiam Mosis dicta respondent Petri sententiae, sed Moses notior est, quam ut oporteat

testimonium ejus citari. Saepe τὸ γὰρ facit ad aetiologiam dicti, ut hic sit sensus: *Prophetas* citavi, non *Mosen*, cujus consensus est apertior. vid. Deut. 32, 21. Hoc dictum videtur Jacobus in mente habuisse: sed per euphemiam hoc loco non allegare voluisse. item Gen. 12, 3. etc. Moses novitatem circumcisionis, prae promissione, memorans, rem valde probat. — ἀρχαίων, *antiquis*) Idem verbum, v. 7. *Antiquissimum* quodque in ecclesiasticis, ac potius in divinis institutis, respiciendum est. — κηρύσσοντας, *qui praedicent*) solenniter.

v. 22. ἔδοξε, *placuit*) Grave verbum. v. 25. 28. 34. Synonymon, κρίνω, *judico* v. 19. unde τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα, *dogmata judicata*. c. 16, 4. — ἐκκλησίᾳ, *ecclesia*) Haec quoque suas partes habebat. — ἐκλεξαμένους) Resolve, ἵνα ἐκλεξάμενοι ἄνδρας πέμψωσι. — ἐξ αὐτῶν, *ex eis*) quibus fidem essent habituri. Omnibus modis cavebatur, ne Paulus sententiam concilii videretur pro suo referre arbitrio. — καὶ σίλαν, *et Silam*) *Silvanus* comes Pauli Timotheo praepositus. 2 Cor. 1, 19. et utr. Thess. 1, 1. inde diminutivum *Silas*. c. 17, 10.

v. 23. γράψαντες, *scribentes*) Quis epistolam dictarit, scripseritve, quave lingua, non exprimitur. Nil poterat suspicionis esse. Nulla alia hodie extat epistola data ab ecclesia primitiva, quamvis multae fuerint. c. 18, 27. 1 Cor. 7, 1. 2 Cor. 3, 1. γράψαντες casu recto cohaeret cum πέμψαι. conf. 2 Cor. 10, 2. 8, 23. not. — διὰ, *per*) Sermo concisus: *scripserunt*, et διὰ χειρὸς αὐτῶν *per manum eorum* miserunt. — τάδε, *haec*) Multa ex Petri et Jacobi orationibus in hanc epistolam relata sunt. — συρίαν, *Syriam*) Non mirandum est, libros N. T. mature in Syriacum sermonem esse translatos. — χαίρειν) *gaudere*, vere. v. 31. Non semper utuntur fideles formulis ardentissimis, sed quotidianas interdum formulas ponunt sublimiore sensu. sic v. 29. ἔρρωσθε *valete*. Sic Jac. 1, 1. χαίρειν *salutem*. Petrus, aliis verbis. Unde colligas, epistolam *hanc* ab Jacobo esse contextam in concilio, cum Jacobi *sermone* inprimis consonam. v. gr. παρενοχλεῖν *obturbare*, et ταράττειν, *turbare*, v. 19. 24. ἀπέχεσθαι *abstinere*. v. 20. 29.

v. 24 ἐτάραξαν, *turbarerunt*) Non parcunt iis, qui dubitationes invexerant. Idem verbum eadem de re, Gal. 5, 10. Observanda simplicitas, gravitas et brevitas epistolae. — ἀνασκευάζοντες) Verbum apud LXX nunquam, in N. T. hoc uno loco positum. Glossarium apud Pricaeum: *destruit*, καταλύει, ἀνασκευάζει. Hesychius: ἀνασκευάζει, μετατιθέναι. Conf. ergo μετατίθεσθε, Gal. 1, 6. [*Immensas haec res noxas infert*. V. g.]

v. 25. ἡμῖν, *nobis*) Versu 28. majore vi dicitur, *Spiritui S. et nobis*. — γενομένοις ὁμοθυμαδὸν, *in unum sensum ingressis*) De verbo γίνομαι cum adverbio, vid. ad Joh. 1, 15. — ἄνδρας, *viros*) doctores graves, non unum, sed duos saltem.

v. 26. παραδεδωκόσι, *qui tradiderunt*) adeoque probatissimis.

v. 27. διὰ λόγου, *verbis*) Antitheton ad *literas*. — τὰ αὐτὰ) *eadem*, quae mox scribuntur. Hanc propositionem excipit Tractatio v. seq. γὰρ, *enim*.

v. 28. τῷ ἁγίῳ πνεύματι, *Spiritui Sancto*) Hic revelavit, quid in ea re statuendum esset. — ἐπιτίθεσθαι) *imponi*, per quosvis doctores. Hoc verbo usus erat Petrus, v. 10. — τῶν ἐπάναγκες) *quae sunt ferme necessaria*, ex hypothesi et ad tempus, partim etiam semper. ἐπὶ in compositione interdum minuit, ut ἐπίξανθον, *prope gilvum*.

v. 29. πορνείας, *fornicatione*) Codices nonnulli, atque adeo *Irenaeus, Cyprianus, Aethiops, addunt*: καὶ ὅσα μὴ θέλετε ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖτε. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. *Quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, pariter etiam vos facite illis: haec est Lex et prophetae*. Matth. 7, 12. Itaque hac clausula carere non posse synodicam hanc epistolam, putavere pridem nonnulli. Agnoverunt illi quidem, in Synodo quaestionem etiam fuisse de lege morali. Falsum certe legis moralis usum, credentes ex pharisaeis tuebantur, quasi

Digitized by Google

per eam justitia et salus esset assequenda. Eundem falsum usum, non legem ipsam moralem, ipsam vero legem ceremonialem, removet Synodus. Quare ad abstinentiam ab idolothytis etc. non opus fuit addi illud, *quaecunque non vultis vobis fieri, aliis nolite facere.* — εὖ πράξετε, *bene vobiscum agetur*) Nil deerit, nil oberit πρὸς τὸ εὖ πράττειν, ad felicitatem Christianam nil vos turbabit. v. 24. Hoc quoque pertinet ad *consolationem*. v. 31.

v. 30. ἀπολυθέντες, *dimissi*) solenniter. v. 33. [1])

v. 31. ἀναγνόντες, *cum legissent*) publice. — παρακλήσει, *consolatione*) Huc ref. παρεκάλεσαν *consolati sunt*. v. 32.

v. 32. καὶ αὐτοὶ, *etiam ipsi*) perinde uti prophetico Spiritu et epistola erat scripta et Barnabas Paulusque praediti. — προφῆται, *prophetae*) c. 13, 1. not. *Prophetae* est παρακαλεῖν καὶ ἐπιστηρίζειν, *consolari et confirmare*. conf. 1 Cor. 14, 3.

v. 33. ἀπελύθησαν, *dimissi sunt*) peractis mandatis.

v. 34. ἔδοξε δὲ τῷ σίλᾳ ἐπιμεῖναι αὐτοῦ) Habent hunc versiculum editores omnes: neque ex Rob. Stephani eum textu removit Millius, qui tamen glossema esse putat. Res in ambiguo est per codices graecos, et per rationes ex contextu petitas. unde proclivitatem in utramque partem notavimus in Apparatu, p. 625. s. quanquam ibidem, et in margine, obelum praetulimus [2]). Jam vero *Graecos* codices, versiculum referentes, amplectimur, praesertim quum versiones, *Aethiopica* et *Arabica*, apud Lud. de Dieu, eum habeant, neque *Coptica* in excerptis a La Crozio missis refragetur. In aliis, quum Lucas, et nomine, et nominis etymo, et reapse a Sila diversus (vid. *Ord. temp.* p. 278. Ed. II. p. 239.) scripsisset, ἀπελύθησαν — πρὸς τοὺς ἀποστείλαντας αὐτούς· ἔδοξε δὲ τῷ σίλᾳ ἐπιμεῖναι αὐτοῦ, ab αὐτοὺς ad αὐτοῦ saltus est admissus, qui in codice *Alex.* et aliis, in exegetis Graecis, de quibus hoc loco Antimillius Whitbii silet, et in Syriaca quoque versione, hiatum dedit. Gratiam habeo amicissimo D. Haubero, qui mihi hujus loci curatius perpendendi causam dedit. Ceterum idem Silam Hierosolymam isse, redeundi animo, et inde *mansionem* ei Antiochenam adscribi, existimat.

v. 36. ἐπιστρέψαντες, *revertentes*) Saluberrimum consilium: et tamen ultra etiam ductus est deinde Paulus, magis magisque in occidentem. — δή] Particula excitandi. — πῶς ἔχουσι, *quomodo se habeant*) in fide, amore, spe. [*Eandem curam et postea Paulus habuit*, 1 Thess. 3, 5. V. g.] Nervus *visitationis* ecclesiasticae. Lector: *Quomodo habes?*

v. 37. 38. συμπαραλαβεῖν, μὴ συμπαραλαβεῖν, *simul assumere, non simul assumere*) Contradictio sententiarum, vivide expressa.

v. 37. μάρκον, *Marcum*) suum propinquum. Marcus videtur decreta in concilio libera admissione gentium, novam cepisse alacritatem: sed c. 13, 13. praetermiserat occasionem probandi sui in cruce tum subsecuta; ideo Pauli severitatem experitur, qui tamen eum postea rursus admisit. Col. 4, 10. 2 Tim. 4, 11. Potest aliquis manere in numero fidelium, et quidem loco insigni, et tamen amittere speciale quoddam axioma; agnosci pro pio, et tamen excludi a dignitate quadam. Conf. Ez. 44, 10.

v. 38. παῦλος δὲ, *Paulus autem*) Barnabas ante Paulum fuerat in Christo: sed nunc Paulus rectius incedit. — ἠξίου, *censebat*) Id plus rationis habet, quam ἐβουλεύσατο, *consulebat*, apud Barnabam. vid. Luc. 9, 62.

v. 39. παροξυσμὸς, *acutus animorum motus*) Sive Barnabas aliquanto

---

1) τὴν ἐπιστολὴν, *epistolam*] Hac epistola Scriptura N. T. inchoata fuit. *V. g.*

2) *At secus res habet in margine* Ed. 2., *quem sequitur* Vers. germ. *Et jam conferre juvabit*, Ap. crit. Ed. II. *ad h. l.*

Digitized by Google

ante minus laeto animo magnitudinem junioris collegae, Pauli, adspexit; sive praesens duntaxat haec contentio erat, vehementia notatur hoc verbo. Barnabas aequitate, Paulus veritate nitebatur. Non alterius peccati majus est periculum in collegis sanctis et magnis. *Ampla gratia, potens fides, quae in medio mundo, in medio peccato, inter tot insidias Satanae, in tam incredibili infirmitate carnis, tamen sanctificat, tamen sustentat atque servat.* Justus Jonas. — ἀπο χωρισθῆναι, *discedere*) Hanc quoque separationem direxit Dominus ad bonum. Nam sic ex uno pari facta sunt duo: et Paulus pro uno collega pari plures subordinatos nactus, erat expeditior. Paulus etiam postea benignam Barnabae mentionem fecit, 1 Cor. 9, 6. — ἐκπλεῦσαι) *enavigare*, alio cursu. Infinitivus pendet ab ὥστε. Vehementior apud Barnabam fuit paroxymus: ex eo enim deducitur Barnabae navigatio magis, quam Pauli profectio. — κύπρον, *Cyprum*) patriam, revisurus, quomodo se haberet. v. 36. coll. c. 13, 4.

v. 40. σίλαν, *Silam*) pro Barnaba: et mox Timotheum pro Marco. — παραδοθεὶς, *traditus*) Optimus commeatus. quo etiam minor majorem impertire potest.

v. 41. διήρχετο, *perambulabat*) v. 36.

CAPUT XVI.

v. 1. [1]) Ἕλληνος, *Graeci*) non additur, *credentis*.

v. 3. λαβὼν) Hoc παρέλκει. — διὰ τοὺς ἰουδαίους, *propter Judaeos*) Nam propter credentes non jam opus erat. v. 4.

v. 4. αὐτοῖς, *eis*) *fratribus*.

v. 5. ἐστερεοῦντο, *corroborabantur*) sublata disceptatione, c. 15, 1. Rarum incrementum, numero simul et gradu.

v. 6. διελθόντες) *cum peragrassent*, non prohibente Spiritu. nam Galatica regio non erat pars Asiae, hic nominatae. Phrygia pars erat Asiae, et in ea jam, quod satis erat, dixerant. — κωλυθέντες, *vetiti*) per quoddam dictamen internum. Saepe renisus animi, cujus causam non sentiunt pii, non est aspernandus. Vicissim de impulsu ad agendum vid. c. 18, 5. 17, 16. — λαλῆσαι, *loqui*) Nondum erat maturum: Macedoniae nunc destinati erant; alii poterant ad Asianos venire. quin etiam *Lydia* erat Asiana. Ac postea uberrime factum est, c. 19, 10.

v. 7. μυσίαν, *Mysiam*) quippe Asiae partem. — [2]) βιθυνίαν, *Bithyniam*) distinctam ab Asia provinciam. 1 Petr. 1, 1. Alias non *tentassent*. — οὐκ εἴασε, *non sivit*) perinde ut in Asia.

v. 9. ὅραμα διὰ τῆς νυκτὸς, *visum per noctem*) Non dicitur fuisse somnium; tametsi nox erat. sic. c. 18, 9. Nullum aliud somnium in N. T. memoratur, nisi quae Josepho obtigere, primis illis temporibus, Matth. 1. et 2., et Pilati, ethnici, uxori. Act. 2, 17. verba ex Joële repetuntur. Nox opportuna discendae voluntati divinae. — ἀνὴρ, *vir*) qui non Lydiam, nec fortasse Commentariensem, sed potius omnes ex *Macedonibus* crediturus, etiam si ipsi adhuc non scissent, repraesentavit. ait enim: *fer opem NOBIS*. Fuit angelus, vel imago quaedam. uti c. 10, 11. — μακεδὼν, *Macedo*) quem ex veste vel lingua aliove indicio Paulus dignoscebat, re postea respondente. Adhuc non venerat Paulus in Europam. — βοήθησον, *fer opem*) per evangelium, v. 10., adversus Satanam, adversus coecitatem.

v. 10. εἶδε, *vidit*) Unus vidit Paulus: omnes tamen reguntur. — ἐζητήσα-

---

1) μαθητής τις, *discipulus quidam*] Paulus jam antehac evangelium ibi praedicarat. *V. g.*

2) ἐπείραζον, *tentarunt*] Sortem si adhibere consuevissent, hoc certe loco haud neglexissent ea ratione rem experiri. *V. g.*

Digitized by Google

μεν, *quaesivimus*) quaesita nave. Incipit hic sermo in prima persona pluralis numeri. Interfuit igitur scriptor hujus itinerarii, Lucas. Troade Philippos Paulum comitatus est; et deinde Philippis Troada, c. 20, 6., et ultra. — συμβιβάζοντες, *certo statuentes*) Tantum habebant ex hoc viso certitudinis, quantum opus erat ad iter suscipiendum. Justus Jonas: *Jam etiamsi non contingat talis visio, quemlibet sua fides et Spiritus docebit, etiamsi vocetur per homines, an sua vocatio sit ex DEO, et an DEO placeat.* — προσκέκληται, *arcessierit*) Itaque Dominus jam ibi erat, et praeviam ejus apud Macedonas praesentiam adumbrabat visio. v. 9.

v. 11. εὐθυδρομήσαμεν, *recto cursu venimus*) Secundus cursus auxit fiduciam illorum. Salvete vero, inquit adhuc Europa.

v. 12. πρώτη τῆς μερίδος, *prima illius partis*) Citerior, Asiam versus, Macedoniae pars, habebat Neapolin; ulterior, Philippos. Strymon fluvius interfluebat. Neapolin cur transierint, nulla causa indicatur: fortasse nulla erat ibi synagoga, nulla certe commorandi ratio. Inde primum, ex ordine viae quoque, in *illa* Macedoniae parte oppidum erant Philippi. Articulus habet vim demonstrativam. Supervacua conjectura, πρώτης pro πρώτη τῆς. v. *Baumg.* I. H. E. 318. — κολωνία) *Colonia*, Romana. κολωνίαν penacuit Xiphilinus.

v. 13. ἔξω, *extra*) Judaei vel sua vel aliena voluntate remotos a gentibus conventus agitabant. — παρὰ ποταμὸν, *juxta flumen*) Ad aquas saepe sacra facta, et templa exstructa. Id opportunum puritati corporis. Etiam citra hanc causam acta, sive tellus prope aquam, aptior est et amoenior, quam medius campus. — ἐνομίζετο) Νομίζεται id, quod legis, juris, moris est. — προσευχὴ, *oratio*) Neque domus neque actus orandi hic significatur, sed institutum. v. 16. Ibi solitus erat haberi conventus, precum causa; sive ibi aedes fuit, sive nulla fuit. De *domo* synagogae non dicitur, οὗ ἐνομίζετο συναγωγὴ εἶναι. — καθίσαντες, *sedentes*) Non statim contulere se ad docendum. — γυναιξὶ, *mulieribus*) Si adfuissent alii viri, qui verba facerent, Paulus non statim coepisset loqui. c. 13, 14. s.

v. 14. λυδία, *Lydia*) nomen mulieris hujus, vel cognomen nomine notius. *Thyatira*, urbs, est in *Lydia*, ut pleraeque urbes, quae etiam in Apocalypsi occurrunt. — πορφυρόπωλις, *purpuraria*) Lydiae mulieres, arte purpurandi celebres. inde etiam mercimonium. — πόλεως, *civitatis*) Vel simpliciter patria, vel etiam commercium urbis, quod Lydia sustineret, notatur. — σεβομένη τὸν Θεὸν, *colens DEUM*) Hauserat aliquid ex prophetis. — διήνοιξε, *aperuit*) Διανοίγεσθαι *aperiri* proprie dicitur de oculis: et cor habet oculos. Eph. 1, 18. Cor clausum per se: sed DEI est, id aperire. Sic 2 Macc. 1, 4., διανοίξαι (ὁ Θεὸς) τὴν καρδίαν ὑμῶν, *aperiat Deus cor vestrum.*

v. 15. οἶκος, *domus*) Quis credat, in tot familiis nullum fuisse infantem? et Judaeos, circumcidendis, Gentiles, lustrandis illis assuetos, non etiam obtulisse eos baptismo? — παρεκάλεσε, *deprecata est*) Animus fidelium adhaeret iis, per quos lucrifacti sunt. — εἰ, *si*) hoc loco non dubitationem, sed vim petendi exprimit. — κεκρίκατε, *judicastis*) Judicarant, baptismo collato. — παρεβιάσατο, *coegit*) Malae speciei vitandae causa non statim obtemperarunt; ne viderentur propter victum in Macedoniam venisse.

v. 16. πύθωνα) Hesychius: πύθων, ὁ ἐγγαστρίμυθος. quanquam πύθων latius denotat quemlibet, ex quo πυθέσθαι datur. — ἐργασίαν) *Quaestum* fraus alit; vera religio tollit.

v. 17. κατακολουθήσασα, *subsecuta*) prope, multum, a tergo. conf. ἐπιστρέψας, *conversus*. v. 18. — οὗτοι, *hi*) Praeclara verba: verum tali testimonio non erat opus, sed repressione ejus, ne videretur Paulus commercium cum hoc spiritu habere. Erat spiritus non a pessimis; quia non citius commovit Paulum: sed tamen expelli dignus.

Digitized by Google

v. 18. διαπονηθεὶς, *dolens*) honoris sui, fugâ; divini, amore. — ἀπ᾽ αὐτῆς, *ab ea*) Probabile est, hanc ancillam conversam esse.

v. 19. ἰδόντες, *videntes*) Atqui sic debebant cogitare: Spiritus Python aut vere laudavit Paulum, aut non vere. Si non vere, falsus est spiritus: si vere, cur adversemur Paulo?

v. 20. στρατηγοῖς, *praetoribus*) Hi potestatem militarem simul et civilem administrabant; inferiores tamen, quam οἱ ἄρχοντες, *principes*. v. 19. coll. v. 22. not. — ἐκταράσσουσιν, *conturbant*) Volunt dicere: *ex* pace in turbas traducunt. — πόλιν, *civitatem*) Suberat utilitas privata; publica obtenditur. — ἰουδαῖοι, *Judaei*) Invidiosa appellatio. Antitheton: *Romani*.

v. 21. ἔθη, *mores*) Omnia omnium philosophorum dogmata mundus aut admisit aut adoptavit: sed veritatis evangelicae hic character est, ut habeat quiddam corruptioni humanae singulariter et inimicum et invisum. — ἃ οὐκ, *quos non*) Sed impios *mores* licet tenere? — ῥωμαίοις, *Romanis*) Frequens exceptio civitatis mundi adversus regnum DEI. Hodienum *Romanitas* Paulo repugnat.

v. 22. συνεπέστη) ἐπέστη *cum* ancillae dominis. — περιρήξαντες, *detrahentes*) Ipsi praetores vestimenta Pauli et Silae detraxerunt; nam sequitur demum, ἐκέλευον *jubebant*. — αὐτῶν, *eorum*) Pauli et Silae.

v. 23. ἐπιθέντες, *cum imposuissent*) Non statim dicunt, se esse Romanos; aut in tumultu non sunt auditi. Non semper omnibus praesidiis omni modo utendum: divino regimini auscultandum. — παραγγείλαντες, *praecipientes*) Magis placandae, ut videtur, turbae causa, quam quod Paulum et Silam sontes putarent. v. 35.

v. 25. μεσονύκτιον, *media nocte*) solenni eis, ut verisimile est, hora. Occupatio nocturna sanctorum vigilantium. — προσευχόμενοι, *orantes*) verberibus, cruore, fame macerati. — ἐπηκροῶντο, *audiebant*) cum prolubio. — οἱ δέσμιοι, *vincti*) His novum erat *acroama*.

v. 26. πάντων, *omnium*) etiam captivorum, quorum in animis magna conversio consecuta.

v. 27. ἔξυπνος, *expergefactus*) repente.

v. 28. μεγάλη, *magna*) ut retineret hominem. — μηδὲν, *nihil*) Fides Christiana vitam futuram pandit; et tamen homines efficacissime ab αὐτοχειρίᾳ *inferenda sibi vi* revocavit. — ἅπαντες γὰρ, *universi enim*) Multa erant graviora, cur non deberet se interficere: sed Paulus id arripit, quod maxime opportunum erat.

v. 29. φῶτα, *lumina*) plurale; ut luceret in toto carcere.

v. 30. κύριοι, *domini*) Sic Joh. 12, 21. Pridie non sic eos appellarat. Non audierat hymnos Pauli, v. 25. nam dormierat. v. 27. sed tamen vel antea vel postea senserat, quis esset Paulus. — σωθῶ, *salvus fiam*) *Salutis* nomen vel ex ancillae quoque sermone, v. 17., vel unice ex conscientia perculsa desumsit.

v. 31. Κύριον, *Dominum*) Non agnoscunt se *dominos*. — οἶκος, *domus*) Mentio *domus* tremebundum eo magis erigit. Herum saepe sequitur domus.

v. 33. ἔλουσεν, *lavit*: ἐβαπτίσθη, *baptizatus est*) pulcra vice. — παραχρῆμα, *continuo*) Mirabile momentum.

v. 34. τράπεζαν, *mensam*) Fides alacrem, prudentem, liberalem facit.

v. 35. ἀπόλυσον, *dimitte*) Magna mutatio sententiae. conf. ἀσφαλῶς *diligenter*. v. 23. Porro tali modo custos et in fide confirmatus et magna solicitudine liberatus est. quid enim alias faciendum ei fuerat? Sic David, ne bellaret contra Israël. 1 Sam. 29. — ἐκείνους, *illos*) Loquuntur ut de alienis.

v. 37. ῥωμαίους, *Romanos*) Tarsenses, cives Romani. Paulus *Romano* nomine non utitur principaliter, sed κατ᾽ ἄνθρωπον alia de causa. In regione nunc primum adita persecutio speciosior potuerat opinionem vitae scelestae

Digitized by Google

afferre, et evangelio officere. quare Paulus semel testatum facit, se esse innocentem. Hierosolymis nota erat apostolorum innocentia: quare cum silentio tulerunt omnia. — οὐ γὰρ) Hoc ἀποτομίαν, austeritatemque quandam habet justam. neque enim acerbitati locus erat apud apostolum, praesertim tam gratioso tempore. v. 26. 33. — αὐτοὶ, *ipsi*) non per *lictores*.

v. 40. ἐκ τῆς φυλακῆς, *ex carcere*) ex loco statuve custodiae, quo se receperant, ne commentariensi periculum afferrent; vel ex superiore parte domus. — ἰδόντες, *videntes*) Ostendunt, se non coactos esse properare. — τοὺς ἀδελφοὺς, *fratres*) itineris comites, recensve conversos. — παρεκάλεσαν, *consolati sunt*) ne offenderentur adversis.

CAPUT XVII.

v. 1. Ἀμφίπολιν καὶ ἀπολλωνίαν, *Amphipolim et Apolloniam*) urbes item Macedoniae. — ἡ συναγωγὴ, *synagoga*) cujus erant non solum Thessalonicenses, sed etiam aliarum civitatum Judaei. Nam ad urbem, non ad domum pertinere videtur ὅπου *ubi*. — εἰωθὸς, *consuetudinem*) Quaesivit bonas occasiones in locis ordinariis. — σάββατα, *sabbata*) non exclusis diebus interjectis. — τρία, *tria*) Numerus completus.

v. 3. διανοίγων καὶ παρατιθέμενος, *adaperiens et insinuans*) Duo gradus, ut si quis nucleum, fracto cortice, et recludat et exemtum ponat in medio. Fides est clavis. Huic binario verborum mox respondet, ὅτι, καὶ ὅτι, *quod, et quod*. Tractavit ordine haec duo capita: 1. quae essent praedicata Messiae in V. T. 2. ea propria esse Jesu. conf. ad Matth. 16, 21. — παθεῖν, *pati*) ad mortem. — οὗτος, *Hic*) Subjectum. *hic, JESUS, quem ego annuntio vobis*. Praedicatum: *Christus*.

v. 4. ἐπείσθησαν, *crediderunt*) Antitheton, οἱ ἀπειθοῦντες *non credentes*.

v. 5. — προσεκληρώθησαν, *adjuncti sunt*) Insigne verbum: *sors illorum facti sunt*. unde ecclesia κλῆρος, *sors*. 1 Petr. 5, 3. — τῶν τε σεβομένων, *et de colentibus*) Frequens in hoc libro vocabulum, praecipue de Graecis religiosis: c. 13, 43. 50. 16, 14. 18, 7., sed de Graecis iis, qui synagogas adibant, v. 17. Omnes per se sunt oleastri; sed oleaster oleastro ad insitionem minus ineptus est: et ubi minor importunitas naturalis, ibi facilior transitus ad fidem. — γυναικῶν, *mulierum*) Hae prae viris interesse solebant rei divinae. Cic. ad Terentiam: *dii, quos tu castissime colnisti; hominesque, quibus ego semper servivi*. — πρώτων, *primariarum*) quae illustre praebebant exemplum.

v. 5. ἰουδαῖοι, *Judaei*) cum tantus esset progressus. *Locus: qui primi sint ad persequendum evangelium, nempe ii, qui soli jactant se sanctos et religionis magistros*. Jonas. — ἀγοραίων) qui venales in *foro* stabant ad omnem operam. [1]) — ὀχλοποιήσαντες) ὄχλος, manus, numerus, hominum. — ἐθορύβουν) θορυβέω, active, ut Sap. 18, 19.

v. 6. μὴ εὑρόντες, *cum haud invenissent*) v. 10. — τὸν ἰάσονα, *Jasonem*) Zelus exardescens, quum eos, quos petit, non invenit, proximos arripit. — βοῶντες, *clamantes*) cum vehementia. — οἱ) Loquuntur ut de hominibus valde notis, et tamen confuse. conf. c. 21, 28. — ἀναστατώσαντες, *qui concitant*) Calumnia.

v. 7. ὑποδέδεκται, *suscepit*) clam. Haec notio verbi, Jac. 2, 25., sed non Luc. 19, 6. — οὗτοι πάντες, *hi omnes*) Eos, qui fugerant, et qui aderant, notant.

v. 9. λαβόντες) οἱ πολιτάρχαι. — λαβόντες τὸ ἱκανὸν) τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι est *satisfacere*: Marc. 15, 15. ἱκανὰ δοῦναι, *satis dare*: λαβεῖν τὸ ἱκανὸν, *satis accipere*. Correlata. Chrysost. ad h. l. ὅρα πῶς ἱκανὰ δοὺς ἱάσων ἐξέπεμψε παῦλον,

---

1) πονηροὺς, *malos*] Talium subsidio non utitur veritas. *V. g.*

Digitized by Google

ὥστε τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ αὐτοῦ. Jason sponsorem se pro Paulo praebuit.

v. 10. ἐξέπεμψαν) *emiserunt* Thessalonica, et miserunt *Beroeam*. — ἀπῆεσαν, *abierunt*) novo periculo, fortiter.

v. 11. εὐγενέστεροι, *generosiores*) Judaeis Thessalonicensibus. Vere nobiles animae, quae in rebus divinis faciles sunt. — ἀνακρίνοντες, *scrutantes*) Character verae religionis, quod se dijudicari patitur. [*Miseri, qui tali scrutinio prohibent alios: beati, qui legitime id ipsum exercent.* V. g.] Προθυμία καὶ ἀνάκρισις *promta voluntas et scrutinium accuratum*, bene conveniunt. — ταῦτα, *haec*) quae v. 3. exprimuntur.

v. 12. ἐξ αὐτῶν, *ex eis*) Judaeis. — γυναικῶν, *mulierum*) quas *viri* sequebantur.

v. 13. κἀκεῖ σαλεύοντες, [1]) *etiam illic commoventes*) Magna intemperies.

v. 14. ὡς ἐπὶ) ὡς cum ἐπὶ, ἐς, πρὸς, saepe πλεονάζει, ut docet *Heupelius* de dialectis pag. 69., et sic LXX, ὡς πρὸς θάλασσαν, Ez. 41, 12. sed h. l. ὡς proprie ponitur pro *velut*. Iter videbatur ad mare fieri; sed Athenae petebantur. Ipse fortasse Paulus aut Silas et Timotheus tum nesciebant, quo ferretur v. seq.

v. 15. καθιστῶντες) *constituentes*, i. e. curantes, in tuto locantes. — παῦλον, *Paulum*) qui sua sponte non cedebat periculo.

v. 16. ἐκδεχομένου, *cum exspectaret*) Non statim in animo habebat loqui Athenis: sed tamen mox, non exspectatis sociis, insigni et extraordinario zelo stimulatus rem gerit miles Christi. Saepe solus ita rem gessit. Gal. 2, 13. s. 2 Tim. 4, 16. — [2]) κατείδωλον) *idolis refertam*. Ejusdem formae composita, κατάκαρπος, κατάσκιος.

v. 18. [3]) συνέβαλλον) *congrediebantur*. — τί, *quid*) Superbia rationis saturae et fastidiosae. — σπερμολόγος) Hesychius: σπερμολόγος φλύαρος, καὶ ὁ τὰ σπέρματα συλλέγων, καὶ κολοιῶδες ζῶον. confer Eustathium. *Semen* Pauli non caruit fructu: philosophiae Atheniensium caruere fructu. Henr. Bullingerus: *Nuspiam* Paulus *minore cum fructu quam Athenis docuit. nec mirum, cum ibidem fuerit ceu lustrum et latibulum quoddam philosophorum, qui semper extitere praesentissima verae pietatis pestis.* — ξένων, *peregrinorum*) quae Athenienses antehac non habuerint. — καταγγελεὺς, *annuntiator*) Hoc verbum eis rependit Paulus. v. 23. — ὅτι) Hoc *quia* refertur ad illud: *Alii vero dicebant*. — ἀνάστασιν, *resurrectionem*) Putabant, Paulum loqui ita de Jesu, ut si per resurrectionem factus esset δαιμόνιον· non ipsam ἀνάστασιν *resurrectionem* pro dea sibi offerri putarunt. — εὐηγγελίζετο, *annuntiabat*) brevi collocutione, qua eorum animum tentabat. coll. v. seq.

v. 19. ἄρειον πάγον) Dicasterium erat in *colle* (id Graece πάγος) arci Cecropiae opposito, extra civitatem, a *Marte* appellatum. Eo Paulum, paene tanquam reum, duxere. — δυνάμεθα γνῶναι) Formula percontandi, ut apud Latinos: *Possum scire?* Habet autem apud hos Atticos ironiam. nam spermologus, qualem Paulum putabant, rimarum plenus est: neque sibi quicquam dici posse putabant, quod non pernossent prius. — καινὴ) Si quid *nori* habeat, audire cupiunt. — ἡ ὑπὸ σοῦ λαλουμένη, *quae a te dicitur*) data opera.

v. 20. ξενίζοντα, *nova*) Idem verbum, 1 Petr. 4, 4. 12.

v. 21. ἀθηναῖοι, *Athenienses*) Elegans horum characterismus sequitur. —

---

1) *Lectionem pleniorem*, σαλεύοντες καὶ ταράσσοντες, *quamvis per marginem* utriusque Ed. gr. *pro minus firma declarata sit, exhibet tamen* Vers. germ. E. B.

2) παρωξύνετο, *Zelo corripiebatur*] Aegre tulit, res idololatricas praevalere, neque tamen invadendi eas ansam jamtum habuit. *V. g.*

3) τινὲς, *aliqui*] Haud caret periculo, contemnere aliquem, priusquam, qualis sit, resciveris. *V. g.*

Digitized by Google

ἐπιδημοῦντες) *commorantes;* unde mores iidem. — εὐκαίρουν, *vacabant*) Praeteritum, quo notatur, quales tum auditores habuerit Paulus. Curiositas cedit fidei. — λέγειν, *dicere:* ἀκούειν, *audire*) Duo genera. [*Utrumque sine fructu; et eo pacto, ut prioribus, etiamsi bona fuerint, noviora semper praeferantur. Commune vitium, et perquam exitiosum.* V. g.] — καινότερον, *magis novum*) Nova statim sordebant: *noviora* quaerebantur. Inde frequens Graecis comparativus καινότερος. Eodem utitur Chrysost. de Sacerd. §. 418., de Paulo, τοὺς καινοτέρους διωγμούς· et *Theophr.* in Charactere τοῦ λογοποιοῦ. οἷος ἐρωτᾶσαι· ἔχεις περὶ τοῦδε εἰπεῖν καινόν; καὶ ἐπιβαλὼν ἐρωτᾶν, μὴ λέγεταί τι καινότερον; *Noviora* autem quaerebant, non modo in iis, quae quotidie accidunt; sed, quod nobilius videtur, in philosophicis.

v. 22. ἐν μέσῳ, *in medio*) Amplum theatrum. [*Unus Christi nuncius rem h. l. habuit cum sapientiae humanae nervo.* V. g.] — ἔφη, *ait*) Ut apud Lycaonas Theologiam naturalem catecheticam, sic Athenis acroamaticam proposuit, mirabili sapientia, subtilitate, plenitudine, civilitate. Quaerunt illi nova: Paulus oratione apostolico-philosophica incipit ab antiquissimo et venit ad novissima: quae utraque illis nova erant. Ostenditque rerum omnium originem et finem; de quibus tantopere disceptabant philosophi, et Stoicos juxta atque Epicureos aptissime revincit. — κατὰ πάντα, *per omnia*) plane. — ὡς δεισιδαιμονεστέρους) δεισιδαίμων, *religiosus*, verbum per se μέσον, adeoque ambiguitatem habet clementem et exordio huic aptissimam, in quo apostolus, uti c. 22, 3. Judaeos, ita h. l. gentes leniter tractat, donec subsequente declaratione, εὗρον γὰρ, *inveni enim*, ad elenchum vergit. Itaque δεισιδαίμονας eos vocat, qui in religione timorem per se non malum habebant citra notitiam, sive qui ἀγνοοῦντες εὐσεβοῦσιν *ignorantes colunt* Numen. v. seq. Mitigat etiam orationem comparativus: et particula ὡς *ut* declarat et lenit. Adverte, lector: Impietas et falsae religiones, quotquot sunt, quantae quantae sunt, quod ad animam pertinet, *timores* sunt: sola *religio Christiana* hoc habet, ut nobilissimas hominis facultates et affectus expleat, timoremque liquidum et cum timore fiduciam, amorem, spem, laetitiam afferat. — ὑμᾶς θεωρῶ, *vos video*) Magna perspicacia et parrhesia. Unus Paulus contra Athenas.

v. 23. διερχόμενος, *transiens*) Non diu Athenis commorari voluit Paulus: Silam et Timotheum jussit quam celerrime ad se venire; et tamen ante eorum adventum Athenas reliquit. v. 15. 16. c. 18, 1. 5. Innuit ergo, non sibi deesse, quod agat, etiamsi Athenienses Paulo non darent operam. *Spermologum* se non esse, re ipsa docet. — ἀναθεωρῶν, *videns*) Sapienti omnia, in quae incidit, inservire possunt: sed ex multis optima deligit, ut Paulus unam aram, ceteris missis, allegat. — σεβάσματα) *opera, rei sacrae ergo condita.* — ἐπεγέγραπτο, *inscriptum fuerat*) Plusquamperfectum, moratum. Atheniensibus hujus aetatis vel major jam vel minor tribui poterat ignorantia, quam auctoribus *inscriptionis.* — ἀγνώστῳ Θεῷ, *IGNOTO DEO*) Ne articulus quidem additus ab Atheniensibus. Diogenes Laërtius: *Quum Athenienses aliquando peste laborarent, Epimenides lustravit urbem, pestemque compescuit hoc modo: Sumpsit oves nigro et candido vellere, duxitque in Arium pagum, atque inde quo vellent abire permisit, his qui illas sequebantur mandans, ubicunque illae recubuissent, singulas macta rent* τῷ προσήκοντι Θεῷ peculiari Deo: *atque in hunc modum quievit lues. Ex eo jam hodieque per Atheniensium pagos* βωμοὺς ἀνωνύμους aras sine nomine *inveniri certum est.* Pausanias, in Phalero βωμοὺς fuisse ait θεῶντε ὀνομαζομένων ἀγνώστων καὶ ἡρώων· quae verba ita distinguenda videntur, ut alios statuerent θεοὺς ὀνομαζομένους, alios ἀγνώστους. Philostratus 6, 2. σωφρονέστερον περὶ πάντων θεῶν εὖ λέγειν, καὶ ταῦτα ἀθήνησιν, οὗ καὶ ἀγνώστων θεῶν βωμοὶ ἵδρυνται. Tertullianus contra Marcionem: *Invenio plane diis ignotis aras prostitutas, sed*

Digitized by Google

Attica idololatria est. Graeca Scholia hanc adferunt inscriptionem: θεοῖς ἀσίας καὶ εὐρώπης καὶ λυβίης, θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ. Sed testem hujus inscriptionis nullum proferunt. Hieronymus Comm. in Ep. ad Titum: *Inscriptio arae non ita erat, ut Paulus asseruit*, Ignoto Deo: *sed ita*, Diis Asiae et Europae et Aphricae: diis ignotis et peregrinis. *Verum quia Paulus non pluribus diis indigebat ignotis, sed uno tantum ignoto deo, singulari verbo usus est, ut doceret, illum suum esse deum, quem Athenienses in arae titulo praenotassent.* Confer *C. Reineccii* not. ad h. l. Omnibus invicem perpensis apparet, fuisse primo unam quandam aram, hac inscriptione: *Ignoto DEO*, uni videlicet summo illi omniumque conditori, mortalibus impervestigabili. cujus arae exemplo, ad veterum philosophorum mentem, non dissentiente aenigmate Epimenideo, erectae, Athenienses struxerint alias plures, *Ignoto Deo* dicatas; donec superstitione semper in deteriora relabente, alii unam saepe aram *diis ignotis* conjunctim inscriberent, in tam multis unum certe, qui attenderet, propitiusque esset, se nacturos rati. Atque huc fortasse tendit illud plusquamperfectum ἐπεγέγραπτο *inscriptum erat*, ut Paulus significet, pristinam formam, *Ignoto Deo*, recentioribus formulis, *diis ignotis*, esse verborem. Sic Lucanus lib. II. *dedita sacris* Incerti *Judaea* Dei. Luciani philopatris τὸν ἐν ἀθήναις ἄγνωστον ἐρευρόντες *Ignotum, qui Athenis est, inrenientes:* non obscura ad Lucam allusione. Non dissimile quiddam de Romanis memorat Gellius l. 2. c. 28. — εὐσεβεῖτε, *colitis*) Verbum lene, ad gentes. — τοῦτον, *hunc*) Vagam Atheniensium coecorum intentionem figit Paulus. *Ignotum*, inquit, non tamen *peregrinum* praedico vobis. — ἐγὼ καταγγέλλω, *ego annuntio*) quicquid de me sentiatis.

v. 24. ὁ ποιήσας, *qui fecit*) Sic demonstratur Deus unus, verus, bonus, a creatura diversus, ex creatione conspicuus. — κόσμον, *mundum*) mox, *coelum et terram.* — κύριος, *dominus*) Ps. 50, 9. s. — χειροποιήτοις, *manufactis*) Sequitur, *a manibus.* — κατοικεῖ, *habitat*) Antitheton de hominibus v. 26. bis.

v. 25. οὐδὲ, *nec*) Negatio pertinet ad προσδεόμενος. Προσδεῖσθαι dicitur, qui habet aliquid, sed cum indigentia aliqua. 2 Macc. 14, 35. σὺ, κύριε, τῶν ὅλων ἀπροσδεὴς ὑπάρχων, εὐδόκησας ναὸν κτλ. — θεραπεύεται) Medium. — τινός) Duplex antitheton πᾶσι et πάντα. Neutro τινός connotatur masculinum. — διδούς) *dedit* et *dat.* — πᾶσι) *omnibus* viventibus et spirantibus, summe προσδεομένοις *indigentibus.* De homine specialiter, v. seq. — ζωὴν, *vitam*) Huc ref. *vivimus.* — πνοὴν, *spiritum*) *halitum.* Huc ref. *movemur.* Per spiritum continuatur vita. Hoc momento spiro, alterum subsequens momentum non est in potestate mea. — τὰ πάντα, *omnia*) Huc ref. *sumus.*

v. 26. ἓξ, ἑνὸς) Accedit apud plerosque, αἵματος· quod haud scio, an ipse legerit *Irenaeus.* aeque subaudiri posset ἀνθρώπου, ex eo, quod sequitur, πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων [1]). Certe antitheton est, ἑνὸς, πᾶν, *unius* et *omne.* — πᾶν ἔθνος, *omne genus*) Non dicit, πάντα ἔθνη *omnes nationes.* Omnes una gens sumus. — ὁρίσας, *definiens*) Deum esse, qui hominibus terram dederit habitandam, probat Paulus ab ordine temporum et locorum, summam Sapientiam gubernatoris indicante, omnia humana consilia vincentem. Deut. 32, 8. 2, 5. 9. ss. Ps. 74, 17. 115, 16. — προστεταγμένους) Sic LXX, Jer. 5, 24. κατὰ καιρὸν πληρώσεως προστάγματος θερισμοῦ. et Sir. 39, 16. 18. πᾶν πρόσταγμα ἐν καιρῷ αὐτοῦ ἔσται. ἐν προστάγματι αὐτοῦ πᾶσα ἡ εὐδοκία. — ὁροθεσίας, *terminos*) per montes, flumina etc.

v. 27. εἰ, *si*) Via patet; Deus inveniri paratus est: sed hominem non cogit. Ita liberum eum esse voluit, ut, quum homo Deum quaerit et invenit, id respectu DEI sit quodammodo quasi contingens quiddam. — ἄραγε) Haec particula faci-

1) *Margo* Ed. II. *ut et* Vers. germ. *decisionem lectori relinquit.* E. B.

lem conatum innuit. — ψηλαφήσειαν, *attrectarent*) Id medium inter *quaerere* et *invenire*. *Tactus*, sensuum crassissimus et infimus, convenienter hic dicitur de gentibus. — καίτοιγε, *quamvis*) Particula h. l. non tam concessivam vim habet, quam ἐπιτατικήν, ut augeatur inveniendi facilitas. Non necesse est hoc universum pernosci: quilibet ex se uno potest argumentum capere. — οὐ μακρὰν, *non longe*) Litotes. id est, plane prope, intime; propinquitate praesentiae et necessitudinis. Ratio perversa eum putat esse *longe*.

v. 28. ἐν αὐτῷ) *In ipso*, non in nobis. ἐν *in* dicit praesentiam ex necessitudine intima efficacissimam, ut non possimus sentire nos ipsos, quin sentiamus illum. — ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμὲν, *vivimus et movemur et sumus*) Sunt tria illa, *vita et halitus et omnia*. v. 25. ἐσμὲν, *sumus*, quicquid sumus, qui sine illo nil essemus. *Esse* innuitur ejusmodi, quod motum, ut motus vitam sequitur. Cyprianus: *In Patre sumus, in Filio vivimus, in Spiritu S. movemur et proficimus.* — τινὲς τῶν καθ' ὑμᾶς, *quidam ex vestris*) ποιητῶν addunt multi [1]): et poëta quidem erat Aratus, cujus testimonium Paulus allegat, docens, Deum esse Spiritum: sed graviter poëtae vocabulo et Arati nomine abstinet. — τοῦ) pro αὐτοῦ, *ejus*, DEI. — γένος, *genus*) Est hic articulus Theologiae naturalis; neque in Theologia Christiana ita debet urgeri, ut non plus tribuatur ceteris necessitudinis nostrae vinculis cum DEO in Christo. αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα, *Ipsius enim sumus factura*. Eph. 2, 10. — ἐσμὲν, *sumus*) nos omnes, homines, mente praediti.

v. 29. οὐκ ὀφείλομεν, *non debemus*) Clemens locutio, praesertim in prima persona plurali. *Divinum quiddam inspiravit nobis. ergo cum genus simus Dei, et vitam habeamus ac spiritum, stultum est credere, muto lapidi aut argento inesse numen, cum haud dubie summa vita sit, quae nobis vitam dedit.* Jonas. — χαράγματι) Casus sextus. — τέχνης, *artis*) externae. — ἐνθυμήσεως, *cogitationis*) internae. — τὸ θεῖον) Conveniens appellatio *Dei* apud homines ab ejus cognitione adhuc remotiores. — ὅμοιον, *simile*) Inter Deum et materiam homo est quodammodo medius. Homo non est similis metallo. Ergo Deus multo minus est similis metallo: nam homo, Dei genus, Deo similis est. Neque solum hoc loco similitudo negatur, sed quaecunque congruentia, quae fundamentum praebeat faciendi simulacri, ex quo sperari possit, Naturam Dei delectari talibus. Atheniensibus statuae non erant pro diis; at Paulus ne repraesentandi quidem vim eis relinquit.

v. 30. χρόνους, *tempora*) longa, quae et vos et antiquiores aliae gentes consumsistis. Etenim Athenienses, Aegyptiorum coloniam, ab Iside ejusque peplo nunquam retecto, inscriptionem illam, *Deo ignoto*, sumsisse docet Gottfr. Olearius Diss. de Gestis Pauli in urbe Athen. — τῆς ἀγνοίας, *ignorantiae*) *Ignorantia* objicitur Atheniensibus? Hanc ipsi sunt fassi. ἀγνώστῳ *ignoto*. ἀγνοοῦντες, *ignorantes*. v. 23. — ὑπεριδὼν) Frequens verbum apud LXX int. de re, quae non curatur, et sine ope propitia vel sine animadversione severa relinquitur. Est enim verbum μέσον medium, huic loco aptissimum. Gen. 42, 21. Lev. 20, 4. Num. 22, 30. Deut. 21, 16. 22, 1. 3. 4. Job. 31, 19. Et Deus dicitur ὑπεριδεῖν Lev. 26, 44. coll. v. 43. Deut. 3, 26. Zach. 1, 12. Ps. 55, 1. 78, 59. 62. Job. 6, 14. Itaque Paulus hoc dicit: Deus transmisit tempora ignorantiae, sine poenitentiae, fidei, ac judicii praedicatione, ut si ipse non animadverteret, nec valde displiceret ei tantus error humanae gentis. Conf. Matth. 20, 7. et Act. 14, 16. εἴκασε *sivit*, quanquam Paulus Athenis severius loquitur, quam ad Lycaonas locutus erat. nam illos comiter invitarat; hic per speciem commina-

---

1) Utriusque Editionis *margo*, *suffragante* Vers. germ., *in medio relinquit decisionem*. E. B.

Digitized by Google

tionis agit. — τὰ νῦν, *nunc*) Hic dies, haec hora, inquit Paulus, terminum dissimulationis divinae, et majorem aut gratiam aut poenam affert. — παραγγέλλει, *denuntiat*) etiam per Paulum. — πανταχοῦ, *ubique*) Ubique praedicatur poenitentia; quia omnes judicabuntur. Poenitentes effugiunt. — μετανοεῖν) *resipiscere*, ab ignorantia etc. Paulus homiliae ex Theologia naturali desumtae tamen admiscet nonnulla ex Theologia revelata. conf. v. 27. 28. Nam etiam gentes lucrifiunt per doctrinas supernaturales.

v. 31. μέλλει κρίνειν, *judicabit*) Apte hoc in *Areopago* dictum, ubi jus dicebatur. Addit mox Paulus mentionem *justitiae*, uti apud *judicem* Felicem. c. 24, 10. 25. — [1]) ἐν ἀνδρὶ, *in Viro*) Sic appellat Jesum, pro captu auditorum. Plura erat dicturus audire cupientibus. *in* constr. cum *judicabit*. — ᾧ) pro ὅν, *quem*. — ὥρισε, *definivit*) scil. judicem. c. 10, 42. — πίστιν παρασχὼν) Deus Jesum e mortuis resuscitavit, eaque re *demonstravit*, Jesum esse gloriosum judicem omnium. De hac ipsa phrasi conf. Not. ad Chrys. de Sacerd. p. 450. et de usu verbi παρέχειν Camerar. comm. utr. ling. col. 328. seq. Deo *fidem* παρασχόντι omnes *fidem* habere debent. Itaque poenitentiam et fidem hic quoque Paulus praedicat: cumque fides Atheniensibus plane ignota sit, elegantissime ad eam duntaxat alludit phrasi illa. Quae ceteroqui etiam innuit, neminem cogi. — ἀναστήσας, *quum suscitavit*) De nexu resurrectionis Christi, et praedicationis universalis, vid. c. 13, 32. not. Luc. 24, 46. s. Paulus ne hunc quidem sermonem conclusit sine mentione resurrectionis Christi.

v. 32. ἐχλεύαζον, *irridebant*) interpellantes Paulum. Principale motivum fidei accepere pro scandalo, ex superbia rationis. Et hoc uno sic arrepto, cetera omnia repudiant. — εἶπον, *dixerunt*) promtiore animo.

v. 33. οὕτως, *sic*) ancipiti auditorum obsequio: nullo edito miraculo. — ἐξῆλθεν, *exivit*) Non obtrusit se.

CAPUT XVIII.

v. 1. Χωρισθεὶς, *digressus*) quasi invitus, cito. Idem verbum v. seq. Non diu Athenis mansit Paulus. Homines multa intelligentia praediti facile tantum audiunt, quod satis est, si volunt accipere. — ἀθηνῶν, *Athenis*: κόρινθον, *Corinthum*) In illa urbe, literae et philosophia; in hac, mercatura maxime florebat. Inde utriusque urbis habitus ad evangelium pulcre inter se conferri possit. Multo majorem fructum Corinthi Paulus habuit, quam Athenis.

v. 2. προσφάτως) Sic LXX, Deut. 24, 5. — ἐληλυθότα, *qui venerat*) Postea reverterunt, Rom. 16, 3., post varias peregrinationes. — τοὺς ἰουδαίους, *Judaeos*) Romani, pro sua elatione, non curarunt Judaeos et Christianos discriminare. Judaeos natione, expulit.

v. 3. εἰργάζετο, *opus faciebat*) in urbe tam splendida. — σκηνοποιοὶ, *tabernacularii*) Judaei solebant studiis doctrinae adjungere opificia.

v. 5. συνείχετο τῷ λόγῳ, *urgebatur verbo*) Virtus verbi intus Paulum ursit. Conf. Jer. 20, 9. 23, 9. ubi accedit parallelismus verbalis, ἐγενήθην ὡς ἄνθρωπος συνεχόμενος ἀπὸ οἴνου, *factus sum ut homo, qui vino urgetur*. Pro λόγῳ, πνεύματι scripserunt alii, ex v. 25., vel ex cap. 17, 16. [λόγῳ, *insignis lectio*. Not. crit.] Quisque etiam in sua anima debet talem συνοχὴν vim constringentem observare, et, ubi justam sentit, sequi. id summam laetitiam; sed negligere, dolorem affert. Acuebant Paulum, quae Silas et Timotheus nunciarant.

v. 6. ἐκτιναξάμενος, *excutiens*) Gestus intelligitur ex adjecto sermone. — αἷμα) *sanguis*, anima. Opposita sunt vita et mors: vita, anima; mors, sanguis

---

1) τὴν οἰκουμένην, *terram habitabilem*] Conf. v. 26. *V. g.*

Digitized by Google

effusus. conf. 1 Sam. 22, 22. — ἐπὶ) Hebraeis עַל *super*. Hoc notat reatum *incumbentem*. — καθαρὸς ἐγὼ, *mundus ego*) Sic dicere non potest, quisquis testimonio non perfunctus est prius. — πορεύσομαι, *vadam*) Ita mutavit Paulus hospitium; neque tamen se plane subtraxit Judaeis melioribus, quos eo ipso fecit attentiores.

v. 7. [1]) ἰούστου, *Justi*) ex gentibus. — συνομοροῦσα, *vicina*) ut ii, qui synagogam frequentabant, tamen porro possent audire doctrinam de Jesu Christo.

v. 8. ἐπίστευσε τῷ Κυρίῳ, *credidit Domino*) Ipse Dominus Jesus testabatur per Paulum. c. 14, 3. — ἀκούοντες, *audientes*) Crispi conversionem, Pauli sermonem.

v. 9. μὴ φοβοῦ, *noli timere*) Huc ref. διότι *quia*, prius. — λάλει, *loquere*) Huc ref. διότι *quia*, alterum, mox.

v. 10. ἐγὼ, *ego*) Fundamentum fiduciae. — οὐδεὶς, *nemo*) Impletum est hoc, v. 14. s. — ἐπιθήσεταί) *admovebit se*. Neutrum, frequens apud LXX. [2])

v. 11. ἐκάθισε, *sedit*) Cathedra Pauli Corinthia, Petri Romanâ testatior. — ἐνιαυτὸν καὶ μῆνας ἕξ, *annum et menses sex*) Longum tempus. sed tanto tempore quantillum hodie lucri fit? Doctores et auditores in culpa sunt.

v. 12. γαλλίωνος) Hic *Gallio* Senecae frater erat, ob morum facilitatem ac dulcedinem a Seneca et aliis commendatus. Tali characteri convenit actio Gallionis hoc loco. — ἀνθυπατεύοντος) Achaja tum proprie *proconsularis* provincia erat. — ἀχαΐας, *Achajae*) cujus metropolis Corinthus.

v. 13. ἀναπείθει) *persuadendo excitat*. tranquilla prius omnia fuisse dictitant.

v. 14. εἶπεν, *dixit*) Vel quod Paulo faveret, vel quod Judaeos contemneret. — ἀδίκημα, *injuria*) civilem actionem postulans. — ῥᾳδιούργημα, *scelus*) criminali actione dignum. — ἀνεσχόμην, *sustinerem*) Sane judicem decet ἀνοχὴ, *tolerantia*, recte functurum officio. Judaeos Gallion sibi molestos innuit.

v. 15. εἰ, *si*) Neglectim loquitur Gallio: ut mox, τούτων, *istorum*. — ζήτημα) *Quaestiones* non amant tales viri. c. 23, 29. 25, 19. 20. Certe quaestionum causa, quamvis de maximis religionis capitibus, nemo vinculis aut morte debet affici. c. 23, 29. 25, 25. — περὶ λόγου) *de doctrina*. — ὀνομάτων, *nominibus*) At magni est quaestio de nomine Jesu. Gentilium nomina erant fabulae atque umbrae. Singulare quiddam habet religio Christiana, a qua cognoscenda abhorruit humana ratio, in aliis rebus omnibus curiosissima.

v. 17. ἐπιλαβόμενοι, *prehendentes*) in gratiam Gallionis. — σωσθένην, *Sosthenem*) Crispi successorem. v. 8. coll. v. 13, 15. not. Hic Sosthenes praeerat accusationi: postea conversus. 1 Cor. 1, 1. — οὐδὲν, *nihil*) quamvis ex *quaestione* nata esset *injuria*. — τῷ γαλλίωνι, *Gallioni*) Graecis contra Judaeos conniventi.

v. 18. ἱκανὰς, *complures*) dum componerentur animi, et ne videretur aufugisse. — ἀποταξάμενος, *valedicens*) sermone, conventu publico. — συρίαν, *Syriam*) v. 22. fin. — σὺν αὐτῷ, *cum eo*) Beatus comitatus, Ephesum usque. — πρίσκιλλα, *Priscilla*) Viro praeponitur uxor, spectatior. — κειράμενος, *radens*) Ut moris erat in voto. c. 21, 24. Num. 6, 18. — ἐν κεγχρεαῖς, *Cenchris*) Relicta Corintho habitum capitis sumsit Judaicum, ad Judaeos proficiscens. Hoc

---

1) ἐκεῖθεν, *illinc*] Sic et c. 19, 9. *V. g.*

2) λαὸς — πολὺς, *populus multus*] Athenis quum tam pauci fidem suscepissent, plurimum jam confortatio eum juvit: atque in Corinthiis tolerandis eximiam deinceps patientiam exhibuit, dum gens ista lucrifieret, cujus facile pertaesus alioquin fieri potuisset. 2 Cor. 10, 6. *V. g.*

Digitized by Google

iter Paulus Judaeis potius dedit. v. 19. — εὐχήν) *Votum* hoc, cujuscunque rei fuit, proprie non fuit Naziraeatus, sed Naziraeatui affine. idque Paulus hoc nomine videtur suscepisse, ut necessitatem sibi imponeret celeriter peragendi iter hoc Hierosolymitanum. v. seqq.

v. 20. ἐρωτώντων, *rogantibus*) Non semper sub plausibili hominum invitatione praesens est vocatio divina.

v. 21. εἰς ἱεροσόλυμα [1]), *Hierosolymis*) Huc refertur versus 22. Species *festi* non exprimitur hoc loco: aliquot post annis eo properavit ad *pentecosten*. c. 20, 16. — ἀνακάμψω, *revertar*) Id factum, c. 19, 1. Interim crevit desiderium illorum.

v. 22. ἀναβὰς, *ascendens*) Hierosolyma. v. 21. — τὴν ἐκκλησίαν, *ecclesiam*) primariam, ex qua propagatae sunt reliquae.

v. 23. διερχόμενος, *perambulans*) Nova visitatio ecclesiarum.

v. 24. ἀλεξανδρεὺς, *Alexandrinus*) Urbs illa, sedes doctrinarum. — λόγιος) *doctus, eloquens*. Omnes artes in regno DEI, si absit typhus, utiles fieri possunt: sed inprimis adsit oportet *facultas Scripturarum*, et fervor Spiritus, quo vel mediocres artes corroborantur. Et tamen fructus est *gratiae*, non artis. v. 27.

v. 25. τῷ πνεύματι) *Spiritum* habebat non ea ratione, de qua c. 19, 6., sed modo communi. — ἐλάλει, *loquebatur*) privatim. — ἐδίδασκεν, *docebat*) publice. — ἀκριβῶς, *diligenter*) nullam occasionem praetermittens. Sequitur, *diligentius*, v. 26. — μόνον, *tantum*) Non excluditur notitia de Christo quaelibet: sed nondum audierat Apollo de morte, resurrectione, Paracleto. c. 19, 2. s.

v. 26. ἤρξατο, *coepit*) Habenti dabitur. — ἀκούσαντες, *audientes*) Dijudicarunt, quid ei deesset. — ἐξέθεντο, *exposuerunt*) privata institutione. Qui Jesum Christum novit, potentes in Scriptura docere potest. Et hi ab illis facile docentur.

v. 27. βουλομένου, *cum vellet*) Bonorum hominum bona voluntas adjuvanda. — διελθεῖν, *transire*) Audierat sine dubio, quae Paulus gessisset, in illis locis, Corinthi praesertim. — προτρεψάμενοι) *hortati eum*, currentem incitantes. — ἔγραψαν, *scripserunt*) Commendationis argumenta colligi possunt ex v. 24. s. — τοῖς μαθηταῖς, *discipulis*) qui erant Corinthi, vel etiam in via. — συνεβάλετο) *contulit*, copia sermonum utilium. Huic verbo annecte διὰ, *per*. *Credenti, per gratiam*, qua pollet, omnis omnium facultas *fructuosa* redditur. — τοῖς πεπιστευκόσι, *ad fidem adductis*) *Rigavit* Apollo, non *plantavit*: et Judaeos convincere magis poterat, quam gentiles convertere.

v. 28. τὸν) Articulus emphaticus in praedicato. nam subjectum ipso nomine proprio satis determinatur.

CAPUT XIX.

v. 1. Ἀνωτερικὰ, *superiora*) c. 18, 23. — μαθητὰς, *discipulos*) Christianos, quos non viderat c. 18, 19. Fortasse interjecto tempore Ephesum venerant. Semper nova messis subnascitur.

v. 2. πνεῦμα ἅγιον) Non additur articulus: sermo indefinitus pro parte eorum, qui interrogantur. — πιστεύσαντες) *quum fidem suscepistis*. — οἱ δὲ) *illi autem* aperte dixerunt. — οὐδὲ) *i. e. nec hoc quidem audivimus, alios esse, qui eum accipiant*. Nam neque Mosen neque Johannem Baptistam sequi potuissent, quin de Spiritu sancto ipso audissent. [*Effusionem igitur Spiritus sancti novo*

---

1) *Breviorem h. l. lectionem praetulerat* Ed. maj.: *sed* Gnomoni *respondent* Ed. 2. et Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

Testamento propriam ignorabant. V. g.] — ἔστιν, *est*) id est, *accipitur.* Vid. Joh. 7, 39. not.

v. 3. οὖν, *ergo*) Haec quaestio admirationem continet: ex quo consequitur, omnes, qui in nomen Jesu expresse baptizati sunt, eo tempore accepisse Spiritum sanctum. Nec quaerit Paulus, an baptizati sint, sed εἰς τί, *in quid;* omnes enim baptizabantur. — ἰωάννου, *Johannis*) Baptisma Johannis, inquiunt, suscepimus, ut doctrinae ejus nos daremus. Latissime igitur propagatum erat Johannis baptisma cum doctrina ejus: sed, ut fit, apud remotiores et posteriores minus pure minusve plene administrata res est.

v. 4. ἰωάννης, *Johannes*) Ab h. l. nulla Johannis Baptistae mentio in N. T. Hic demum totus Christo locum facit. Magna haec fuit actio Pauli. — μετ' αὐτὸν) *post se.* — τουτέστιν εἰς τὸν [1]) χριστὸν ἰησοῦν, *id est, in Christum Jesum*) Sic Johannis baptistae testimonium declaravit Paulus.

v. 5. ἀκούσαντες, *audientes*) Commemorat Lucas, quomodo discipuli Ephesii obsecuti sint Paulo, suscipientes baptismum in nomen *Domini Jesu.* Nescierant enim, baptismo poenitentiae obligatos se fuisse ad fidem in *Jesum Christum:* perinde ut ii, qui Jesum occiderant, quos idcirco omnes Petrus baptizari voluit in nomen *Jesu,* c. 2, 38. quanquam plurimi eorum haud pridem baptizati fuissent ab Johanne. Matth. 3, 5. 6. Apollo contra, qui baptismum Johannis cum plena institutione de *J. C.* acceperat, non est rebaptizatus, cap. 18, 25. neque apostoli rebaptizati sunt. Nam revera unus erat baptismus, qui Matth. 3. et 28. commemoratur: alias in Johanne non fuisset initium evangelii, et S. Coena Matth. 26. baptismo foret antiquior. Matth. 28. Neque hoc versu sermo est de populo per Johannem baptizato. nam Johannes extremo demum suo tempore Jesum monstravit. c. 13, 25. quare non potest dici eos baptizasse in nomen Domini Jesu; nisi dicas, Johannem bis baptizasse populum, primo ad poenitentiam, deinde in nomen Domini Jesu. Justus Jonas: *Rebaptizabantur, qui erant baptizati Johannis baptismate, eo quod Johannes non esset autor justitiae neque dator Spiritus, sed solum praedicaret Spiritum et gratiam, paulo post conferendam per Christum, qui solus est causa et autor justitiae.* — ἐβαπτίσθησαν, *baptizati sunt*) Manus imposuit Paulus: actum baptismi aliis reliquit. [2])

v. 6. καὶ, *et*) Simillimum exemplum aliquorum, qui primo baptizati erant in nomen JESU, deinde Spiritum S. acceperunt, extat c. 8, 12. 15. s. — ἦλθε) *venit* promte. — ἐπ' αὐτοὺς, *super eos*) Cognorunt igitur jam ex effectu, esse Spiritum sanctum. v. 2.

v. 7. ὡσεὶ, *fere*) Non opus fuit praecisum numerum notari. conf. 1 Cor. 1, 16.

v. 8. διαλεγόμενος, *disserens*) Sancta occupatio. v. 9.

v. 9. ὡς — πλήθους, *cum — multitudine*) Causa justae separationis, convicia publica adversus veritatem. — ἀποστὰς, *secedens*) Reliquit illis synagogam suam, contentus minore schola, et exquisitiore numero. ἀποστὰς ἀφώρισε *secedens segregavit:* suo facto commovit ceteros bonos. [*atque ita contra scandalum obtrectatorum eos munivit.* V. g.] — καθ' ἡμέραν, *quotidie*) non modo sabbato aut dominico die. — σχολῆ, *schola*) loco synagogae.

v. 12. χρωτὸς, *corpore*) χρὼς, *cutis, pars extima corporis.* Hic plane ad summum venit vis miraculosa. — σιμικίνθια, *semicinctia*) quibus praecingebantur olim. — ἀπ' αὐτῶν, *ab eis*) Saepe morbum concitasse leguntur spiritus maligni, qui naturalis videretur.

---

1) *Vocem* χριστὸν, utriusque Edit. *margo, subsequens* Vers. germ., *omittendam censet.* E. B.

2) τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, *Domini Jesu*] Hac ratione Johannes omnem denique locum concessit Domino Jesu. *V. g.*

Digitized by Google

v. 13. ἐπεχείρησαν, *conati sunt*) Atqui nil temeritati in his rebus est loci. conf. Hebr. 11, 29. 1 Macc. 5, 57. ss. de praepostera imitatione. — περιερχομένων, *circumeuntibus*) ut solent circulatores. — τοὺς ἔχοντας, *habentes*) Hoc plurale: singulare, v. 15. Si semel successisset, saepius ausuri fuerant. — ὀνομάζειν, *nominare*) cum tamen ceteroqui alieni ab illo et vacui a virtute fidei manerent. *Dicunt*, quem Paulus praedicat, *quasi dicerent: tentabimus, an hoc nomine exeant daemonia. breviter, non erat fides in eis: Satanas autem nullis orationibus, nullis operibus vincitur, sed sola fide in verbum DEI. proinde et callidissimus spiritus videns hic illos non habere fidem, neque verbum DEI cordibus infixum, ridet. Expulsio Satanae ex daemoniacis adumbratio tantum est expulsionis Satanae alias ex omnium hominum cordibus. Sicut autem illusit hic iis, qui expulsionem e daemoniacis tantum literali invocatione nominis Jesu moliuntur sine fide: ita derisit, hodieque ridet eos, qui operibus conati sunt se ab ejus potestate liberare, sacerdotes et monachos etc. nam tum primum coepit eis dominari, et tractare plane eos, ut voluit. callidissimus spiritus est Satan, prae cujus robore et astutia omne lumen rationis nihil est. Non cognoscitur ejus astutia, nisi per Spiritum S. neque expellitur, nisi in vera fide, et a spiritualissimis.* Justus Jonas. — ὀνομάζειν τὸ ὄνομα, *nominare nomen*) Phrasis frequens apud LXX. In Hebraeo שם τῷ verbum הזכיר vel נקב vel קרא additur. — ἰησοῦν, *Jesum*) *Jesum appellant simpliciter, cum dicere deberent Salvatorem mundi, resuscitatum.* Chrysost.

v. 14. ἑπτὰ, *septem*) Quo ipso numero confisi videntur exorcistae, juxta cum axiomate gentis et patris. Hodie septem filii vel filiorum septimus, censetur, haud scio, an sine superstitione, vi salutari pollere, ad sanandos morbos.

v. 15. τίνες, *qui*) Hoc contemtum indicat. [*Quid profecisti, si de Jesu, vel et veris ejus consortibus referre multa noveris, virtute tamen ipse vacuus? Tu quis es?* V. g.]

v. 16. καταχυριεύσας, *invalescens*) Spiritum malum irritarunt. — ἀμφοτέρων, *amborum*) Recentiores, αὐτῶν, ex alliteratione ad αὐτῶν proxime sequens [1]). Septem filii Scevae id facere solebant: *duo* id fecerunt in hoc casu, quem Lucas memorat, coll. v. 13., ubi τῶν *iis* spectat ad septem: τινὲς, *quidam*, ad duos. Saepe latet tale quid in una textus vocula, quod absque ea vocula ex re ipsa nemo suspicatus esset.

v. 17. ἐμεγαλύνετο, *magnificabatur*) Gravius habiti sunt hi exorcistae, quam ille quidam, qui daemonia ejiciebat, Luc. 9, 49. seq. Sed iidem, a Paulo non prohibiti, tamen ipsa sua clade *pro* causa Christiana erant. Contumelia eorum, qui sinistre agunt, inservit gloriae divinae, et existimationi servorum DEI vera virtute praeditorum.

v. 18. τε, *que*) In Scevae filios intuiti ceteri magis se removerunt ab omni malitia. — ἤρχοντο, *veniebant*) *ultro*. Efficacia verbi divini, intimos penetrans animarum recessus, ut sua sponte fateantur, quod neque ulla sinceritate naturali, neque tormentis ullis adducti confiterentur. — ἐξομολογούμενοι, *confitentes*) Ex hoc verbo patet, actiones illas fuisse actiones malas ante susceptam fidem patratas. — ἀναγγέλλοντες, *annunciantes*) Initium confessionis, difficile: facilior deinde expositio rei totius. eaque indicium est animi, peccatorum dominio soluti.

v. 19. ἱκανοὶ, *multi*) Etiam magi possunt converti. c. 8, 13. — τὰ περίεργα, *curiosa*) artes magicas, magna varietate. Μείωσιν habet haec appellatio. — συνενέγκαντες, *comportantes*) magno consensu. — τὰς βίβλους, *libros*) Vera

---

1) *Lectionem* αὐτῶν ἀμφοτέρων *probat margo* Ed. 2.; *et voc.* ἀμφοτέρων *exhibet etiam* Vers. germ. *Alia fuerat Crisis* Ed. maj. E. B.

religio tollit malos libros: et talibus refertus fuerat mundus. Ephesus libros curiosos et malos, invalescente verbo Domini, combussit tanquam anathema: vicissim Ephesus bonis postea libris potita, imo depositaria sacrorum librorum facta est. Ad Ephesios quoque missa extat epistola Pauli: Ephesi erat Timotheus, quum Paulus utramque ad eum epistolam scripsit. Porro ad Paulum martyrio proximum *libros* ex Asia Romam perferre jussus est Timotheus, 2 Tim. 4, 13. qui libri, non dubium est, quin fuerint de Scripturae sacrae libris; neque ii de V. T. quorum ubique copia erat, sed ipsius Pauli, vel etiam aliorum apostolorum scripta, eaque *membranacea* potissimum, durabilitatis gratia. Ea *venientem* Paulus Timotheum tuto *ferre* jussit, non venditurus, opinor, eleemosynae causa, sed ut ea Timotheo, quem in munere evangelico sibi quodammodo successorem destinarat, ante martyrium committeret coram, maximas ob causas. Pretiosissima cimelia Timotheus, ut existimare fas est, post Pauli martyrium (conf. Hebr. 13, 23.) Ephesum aut in illam regionem reportavit. Ibidem Johannis scripta, post Johannis quoque obitum, eximie viguerunt. De Evangelio Johannis autographo vid. Appar. crit. p. 602. coll. p. 420. Johannis epistolae, ultimusque primae versiculus, in Ephesum inprimis conveniunt. Apocalypsis ex Patmo Ephesum missa primum, Ephesi primum lecta est. Quorsum hoc? In Appar. p. 770. 884. [Ed. II. p. 480. 620.] non inepte sperari scripsi, fore, ut autographa apostolorum, suis munita criteriis, aliquando luci restituantur. quid si eorum aliqua Ephesi delitescant? et item Thessalonicae? vid. not. ad 1 Thess. 1, 1. Opinio est, nil amplius, non tamen ridenda, innoxia quippe, imo utilis, ad criticos a temeritate deterrendos, ne, si nimium delirent, ipsa primaeva exemplaria eos redarguant olim. — κατέκαιον, *comburebant*) [*anathematis nomine*, V. g.] Id melius erat, quam vendere, etiamsi pecunia in pauperes fuisset erogata. — ἐνώπιον πάντων, *coram omnibus*) Insigne spectaculum. — ἀργυρίου μυριάδας πέντε) *quinquaginta* drachmarum *millia*. Drachma fere respondet denario: de quo egi ad *Cic.* ep. pag. 76. 452. 723. Proxime accedit moneta Argentinensis, quae valet 12 *kreuzer*, 3 *heller:* ut 5 drachmae sint 1 fl. et paulo plus; 50,000 drachmae plus 10,000 fl. Magnae bibliothecae pretium.

v. 20. ηὔξανε, *crescebat*) extensive. — ἴσχυεν, *invalescebat*) intensive.

v. 21. ἐπληρώθη, *expletis*) Non hic jam quiescendum sibi censuit Paulus, sed ita, quasi nil egisset, in posterum anhelat. Ephesum Asiamque obtinet: in Macedoniam et Achajam condicit: Hierosolymam spectat: Romam cogitat; inde in Hispaniam. vid. Rom. 15, 26. cum anteced. et conseq. Nemo Alexander, nemo Caesar, nemo alius heros ad *Parvi* hujus Benjaminitae magnanimitatem accedit. Veritas de Christo, et fides atque amor in Christum, amplificavit cor ejus instar arenae maris. Ordine tamen agit: *his expletis*. Sane ad justam maturitatem res Christiana pervenerat in Asia. v. 9. 13. s. 18. — ἔθετο ἐν τῷ πνεύματι, *proposuit in Spiritu*) Hoc de proposito sancto: de malo, ἔθου ἐν τῇ καρδίᾳ σου, *posuisti in corde tuo*. c. 5, 4. Placuit Pauli destinatio Domino: namque Ipse addit promissum. cap. 23, 11. Vide vigorem Pauli, c. 20, 2. not. — διελθὼν, *transiens*) Constr. cum πορεύεσθαι *ire*, non cum ἔθετο *proposuit*. nam nondum erat in Macedonia. — [1]) δεῖ, *oportet*) Respondit Dominus, *oportet*. c. 23, 11. — ἰδεῖν, *videre*) Generose loquitur. Multa adversa manebant *visurum* Romam. id Paulus non curat.

v. 22. διακονούντων, *ministrantium*) Multos tum habebat in negotio evangelii. v. 29.

---

1) Ἱερουσαλήμ — ῥώμην, *Hierosolymas — Romam*] Duae metropoles: ecclesiastico altera, altera politico respectu. *V. g.*

by Google

v. 24. ναοὺς ἀργυροῦς, *aedes argenteas*) aediculas argenteas vel clinodia, quae formam templi Dianae referrent. Talia etiam numismata fiebant, exemplum habet in Bibliis Hedingerianis margo Palaestinae.

v. 25. ἐργάτας, *operarios*) Alii erant τεχνῖται, *artifices* nobiliores; alii ἐργάται *operarii*. — ἡ εὐπορία, *quaestus*) Hujus praetextu saepe premitur fides.

v. 26. οὗτος, *hic*) Demonstrativum ad incendendos animos. — οὐκ εἰσὶ, *non sunt*) *Sunt*ne ergo, Demetri?

v. 27. ἡμῖν, *nobis*) Dativus commodi. — ἀλλὰ καὶ, *sed etiam*) Efficax sermo, quem utilitas et superstitio acuit. — μεγάλης, *magnae*) Solenne Dianae epitheton. Hinc mox, μεγαλειότητα *majestatem*. conf. v. 28. 34. 35. Nomina quoque ἄρτεμις et *Diana* magnitudinem notare, docet Hilleri *Onom.* p. 795. 634. 625. — εἰς οὐδὲν λογισθῆναι) Sic LXX, 1 Sam. 1, 13. ἐλογίσατο αὐτὴν εἰς μεθύουσαν. — καθαιρεῖσθαι, *destrui*) Misera *majestas*, quae sic *destruitur*. — αὐτῆς) *ipsius*. — ὅλη, *tota*) Multitudo errantium non efficit veritatem.

v. 28. ἀκούσαντες, *audientes*) artifices et operarii.

v. 29. ὥρμησαν, *impetum fecerunt*) Demetrius cum globo suo. — θέατρον, *theatrum*) idemque forum. — Γάϊον καὶ Ἀρίσταρχον, *Cajum et Aristarchum*) quum Paulum ipsum non invenissent. Aristarchus idem erat, qui recurrit. c. 20. coll. c. 27, 2. at hic alius Cajus, Macedo; alius Cajus, Derbaeus, c. 20, 4. quamquam sunt, qui pro uno habeant.

v. 30. βουλομένου, *volente*) Magna parrhesia. 1 Cor. 15, 32. not. Nulla militaris audacia par huic fortitudini. Volebat Gajum et Aristarchum defendere, Dianam redarguere. — οὐκ εἴων αὐτὸν, *non permiserunt ei*) Voluntas bona, quae impeditur, tamen et bona esse potest, et bene impediri. — οἱ μαθηταὶ, *discipuli*) Videntes, Paulum maxime peti. v. 26.

v. 31. τῶν ἀσιαρχῶν, *de Asiae principibus*) iis, qui remp. gerebant, et eo tempore sacris Dianae praeerant.

v. 32. οὐκ ᾔδεισαν, *nesciebant*) Aptus character populi tumultuantis. [*Frequenter id usu venit imprudentibus Zelotis.* V. g.]

v. 33. προεβίβασαν, *produxerunt*) Faciebant hoc auctores tumultus, cum quibus conspirabant Judaei adversus Christianos. — Ἀλέξανδρον, *Alexandrum*) Videtur ille ipse fuisse faber aerarius, de quo 2 Tim. 4, 14. artificii causa notus Demetrio. — προβαλόντων, *propellentibus*) praesidii sui causa. — κατασείσας τὴν χεῖρα) Haec phrasis vehementiorem quendam gestum innuit, quam illa ex parallelismo a quibusdam surrogata: κατασείσας τῇ χειρί. *Latinus* quid legerit, minus apparet. — ἀπολογεῖσθαι, *causam dicere*) pro Judaeis, contra Christianos.

v. 34. ἐπιγνόντες δὲ) Casus rectus pro obliquo. *Mutatione*, inquit Camerarius, *non insolita in Graeco sermone, secundum haec: ἄμφω δ' ἑζόμενα γεραρώτερος ἦεν Ὀδυσσεύς.* — ἐκ πάντων, *ab omnibus*) Nolebant audire Judaeum. Sic periculum Christianis depulsum.

v. 35. ὁ γραμματεὺς) *actuarius*. — τίς γάρ ἐστιν, *quis enim est*) Aliter dicturus fuerat Paulus. [*cujus tamen praeconio indigna fuit insaniens multitudo.* V. g.] Ambigua tamen est oratio scribae, et vel temporis causa, vel etiam ex animo sic loqui potuit. nam etiam v. 37. dicit, *vestram* deam, non *nostram*. — ἐφεσίων, *Ephesiorum*) Repetito nomine proprio celebritas eorum significatur. — νεωκόρον) Perinthii, Herculis νεωκόροι, alii populi aliorum deorum; Ephesii, Dianae. vid. J. H. a Seelen medit. exeget. p. 523. — οὖσαν, *esse*) Eo ipso tempore dignitate illa gaudebant Ephesii. vide Gregorii observ. c. 10. Magnus igitur erat hominum ad ludos sacros confluxus. — διοπετοῦς) Simulacrum Dianae *ab Jove* coelitus *delapsum* putarant.

v. 36. ὑπάρχειν, *esse*) Verbum appositum ad tumultuantes placandos. non dicit, *fieri*, nec, *manere*: sed medium quiddam exprimit.

v. 37. ἠγάγετε, *duxistis*) raptim, in theatrum, tanquam ad tribunal vel ad supplicium. — τούτους, *istos*) v. 29. — οὔτε, *neque*) i. e. nec re templum, nec verbis Dianam laeserunt. — οὔτε βλασφημοῦντας, *neque blasphemantes*) Apostoli non collegere multa absurda ex mythologia, sed proposuere veritatem DEI, et in genere vanitatem idolorum, v. 26. Qui credebant, ipsi postea rejecere deastros.

v. 38. πρός τινα, *adversus aliquem*) Paulum non appellat scriba prudens. — ἀγοραῖοι) scil. ἡμέραι. — ἀνθύπατοι, *proconsules*) Uno tempore unus erat proconsul: sed scriba dicit in plurali, de eo, quod nunquam non esse soleat.

v. 39. τῇ) ordinariâ.

v. 40. τῆς σήμερον) sc. ἡμέρας. c. 20, 26. — αἰτίου) Masculino genere hoc accipit Vulgatus: sed neutrum in hoc libro frequens est. — περὶ οὗ οὐ δυνησόμεθα) Negatio geminata. c. 10, 47. — συστροφῆς) quae στάσεως speciem habet. Lene vocabulum, prudenter adhibitum.

CAPUT XX.

v. 1. Μετὰ, *post*) Nil egit Demetrius. Paulus remansit, dum tranquilla essent omnia.

v. 2. ἐκεῖνα, *illa*) Macedoniae. — λόγῳ πολλῷ, *multo sermone*) Inprimis hoc tempore scatebat Paulus, v. 7. 9. 11. quare etiam epistolas tum scripsit complures. — ἑλλάδα, *Graeciam*) eam, quae media erat inter Macedoniam et Achajam.

v. 3. ποιήσας) Nominativus a Luca positus, antequam occurreret ei praedicatum, obliquum casum postulans. Talia non solum Hebraei, sed etiam Graeci et Latini habent. — μῆνας τρεῖς, *menses tres*) quo tempore etiam Corinthios vidisse videtur, sed *in transitu*. 1 Cor. 16, 7. — αὐτῷ — μέλλοντι ἀνάγεσθαι, *ei, navigaturo*) In hoc ipsum iter Pauli Syriacum intendebant insidias. — εἰς τὴν συρίαν, *in Syriam*) c. 21, 3. — ἐγένετο γνώμη, *placitum est*) Interdum generali, interdum speciali vocatione nitebantur. — ὑποστρέφειν, *reverti*) Propositum etiam sanctum potest interdum mutari. conf. c. 19, 21., ubi Paulus semel voluerat ire per Macedoniam. Apparet, voluisse Paulum, peragrata Macedonia et Achaja, Hierosolymam proficisci. Atqui tum quidem Hierosolymam non venit, sed iterum per Macedoniam reversus est. Iter Hierosolymitanum et Romanum postea alia via processit; mutato duntaxat cursûs ordine.

v. 4. συνείπετο, *comitatus est*) Suavis comitatus. — ἄχρι τῆς ἀσίας, *usque in Asiam*) In Asia pars eorum discessit, pars mansit cum Paulo. v. 6. 13. s. Trophimus una ivit Hierosolymam, c. 21, 29., Aristarchus Romam. c. 27, 2. — θεσσαλονικέων, *Thessalonicensium*) Sic appellantur Aristarchus et Secundus. nam Cajus erat Derbaeus: Timothei patria jam notata, Lystra, Derbae vicina. — ἀσιανοὶ, *Asiani*) ex Asia stricte dicta.

v. 5. ἐν τρωάδι, *Troade*) Nomen regionis et oppidi.

v. 6. ἡμεῖς, *nos*) Iterum una erat scriptor libri.

v. 7. συνηγμένων ἡμῶν, *cum congregati essemus*) ut jam tum solebant, *die Dominico*. Itaque credibile est, *fractione panis* hic denotari convivium discipulorum cum eucharistia conjunctum, praesertim quum esset tam solennis valedictio. — διελέγετο, *disserebat*) Doctores spirituales non debent strictius alligari ad clepsydram, praesertim solenni et raro tempore.

v. 8. λαμπάδες ἱκαναὶ, *lampades copiosae*) ut omnis abesset suspicio scandali.

v. 9. νεανίας) παῖς. v. 12. — καταφερόμενος· κατενεχθεὶς) Unum participium diversi temporis: quanquam etiam thema ἐνέγκω plus dicit, quam φέρω. Sedentem somnus occupavit: somno depressus cecidit.

Digitized by Google

v. 10. ἐπέπεσεν, *incubuit*) Hoc gestu non est usus Christus: est autem eo usus Elias, Elisa et Paulus. — μὴ θορυβεῖσθε, *nolite turbari*) In rebus maximis prohibita fuit trepidatio. Ex. 14, 13. 1 Reg. 6, 7. Jes. 8, 6. Templum sine strepitu coagmentatum. In bello desiderata populi tranquillitas. — ἐν αὐτῷ ἐστιν, *in eo est*) Itaque loquitur Paulus, ut terrorem subitum eximat. non igitur nimium presse accipienda sunt ejus verba. Non addit, *adhuc;* neque, *iterum:* sed simpliciter affirmat, puerum esse vivum; perinde ac si ne lapsus quidem esset. Miraculum erat evidens. conf. Matth. 9, 24.

v. 11. κλάσας ἄρτον, *frangens panem*) Haec fractio panis erat propria Pauli, iter facturi, diversa ab ea, quae pridie fuerat. v. 7. — ὁμιλήσας, *locutus*) familiariore sermone, post sermonem graviorem, de quo v. 9. — οὕτως, *sic*) nulla quiete interjecta.

v. 12. ἤγαγον) *ducebant*, non *ferebant:* nil debilitatus erat. — ζῶντα, *viventem*) Ne per accidens quidem detrimenti quicquam ex Paulo ceperunt. 2 Cor. 7, 9.

v. 13. ἦν διατεταγμένος) Significatio media. v. Bud. comm. col. 898. *Sic de se ipso constituerat.* — πεζεύειν) *pedestre iter facere* maluit, terrâ, quamvis nox fuerat insomnis; quamvis Assus oppidum erat difficili et periculoso aditu, ut notat Eustathius.

v. 15. τρωγυλλίῳ) Nomen loci, ut in Wirtenbergia, *Korb*, eodem significatu, pagus dicitur aliquis. — ἤλθομεν, *venimus*) celeri cursu.

v. 16. ἔκρινε) *judicavit*. nam Ephesus erat a tergo. — χρονοτριβῆσαι) Ne in Asia quidem *trivisset tempus* sine fructu Paulus; sed triturum tamen se fuisse statuit, si majores fructus omisisset. — τὴν ἡμέραν, *diem*) Accusativus temporis. — πεντηκοστῆς, *pentecostes*) Tempus urgebat. v. 6. In festo, magni conventus: magna lucrifaciendi occasio.

v. 18. ὑμεῖς ἐπίστασθε, *vos scitis*) Felix, qui sic exordiri potest, conscientiam auditorum testando. — ἐπέβην, *ingressus sum*) Id plus notat, quam *veni:* significat enim, *pedem intuli.* — πῶς) Sequitur ὡς, v. 20., instar anaphorae. — τὸν) Relativum.

v. 19. δουλεύων, *serviens*) Egregia idea Servi Domini. — τῷ κυρίῳ) *Domino*, cujus est ecclesia. — μετὰ, *cum*) *Demissio animi, lacrymae, tentationes*, sunt concomitantia: ipsum *servire* describitur v. seq. — ταπεινοφροσύνης, *humili sensu*) Hunc Ephesiis quoque commendat Eph. 4, 2. — δακρύων, *lacrymis*) v. 31. 2 Cor. 2, 4. Phil. 3, 18. Character Pauli. Lacrymae sanctae, apud homines ac viros de rebus naturalibus nunquam aut raro plorantes, egregium praebent specimen efficaciae et argumentum veritatis Christianae. Cum his tamen consistit *gaudium.* v. 24. Adde v. 37. not. — πειρασμῶν, *tentationibus*) Insidiae Judaeorum varie utique tentarunt et exercuerunt animum Pauli. — τῶν ἰουδαίων, *Judaeorum*) Gentium apostolus jam quasi de alienis loquitur.

v. 20. οὐδὲν ὑπεστειλάμην, *nihil subtraxerim*) v. 27. Erant, quae alios potuissent adducere ad subtrahenda multa vel certe aliqua: timor, favor hominum etc. — τῶν συμφερόντων, *utilium*) Haec docenda sunt: reliqua praecidenda. — ἀναγγεῖλαι, *annuntiarem*) Huc ref. *publice.* — διδάξαι, *docerem*) Huc ref. *per domos, privatim.* Ne *apostolico* quidem muneri tam late patenti publica praedicatione satis fiebat. quid *pastoribus* faciendum?

v. 21. τὴν) Summa eorum, quae utilia sunt, summa doctrinae Christianae, summa consilii divini, Poenitentia et Fides. — εἰς, *ad*) resipiscentiam, qua homines se recipiunt *ad Deum.* Refer ad *Graecos*, modo: atque *fidem* refer ad *Judaeos*, qui se recipiunt *ad Christum;* paulo ante. Est chiasmus, ut Philem. v. 5. not.

v. 22. καὶ νῦν ἰδοὺ ἐγὼ, *et nunc ecce ego*) Haec per anaphoram graviter

Digitized by Google

repetuntur v. 25. — δεδεμένος τῷ πνεύματι, *vinctus spiritu*) Sciebat Paulus, se vinctum iri: animoque jam sic affectus erat, ut vinctus, neque aliud quicquam poterat in animum inducere. — μὴ εἰδὼς, *ignorans*) Non debemus apostolos putare omniscios. Pendebant ex ductu divino per fidem. Sciebat Paulus de aliis; v. 25. 29. de se, debebat fide implicita uti.

v. 23. [1]) κατὰ πόλιν, *per civitates*) Omnium intererat scire, et omnes proficiebant, videntes obedientiam Pauli, et avidius audientes posthac non videndum. Patebat etiam hinc magnitudo afflictionum. Quae ad ipsum Paulum pertinebant, Paulo per alios indicata sunt. [*Conf. c.* 21, 4. 11.]

v. 24. οὐδενός) *nullius* rei adversae. — ἐμαυτῷ, *mihi ipsi*) quod ad me attinet. [c. 21, 13.] Phil. 1, 21. s. Abnegatio sui. — ὡς, *uti*) scil. pretiosum duco. — τελειῶσαι, *consummare*) Consummavit interjecto bene longo tempore. 2 Tim. 4, 7. 8. — δρόμον, *cursum*) celerem. — τῆς χάριτος, *gratiae*) N. T. — τοῦ Θεοῦ, *Dei*) Hoc nomen magna vi iteratur. v. 25. 27.

v. 25. οὐκέτι ὄψεσθε, *posthac non videbitis*) Sapienter hoc jam loco id inserit Paulus. Sic enim vehementius cetera animos movent. — ὑμεῖς, *vos*) Sequitur declaratio, *omnes etc.* Rediit Roma in Asiam compluribus post annis apostolus: sed interea defuncti aliove delati sunt fere *omnes* isti. Sensus certe hic est: *scio*, ea mihi eventura, quae, citra singularem ductum divinum, eumque mirabilem, praecidant vobis facultatem videndi mei. Metalepsis, uti c. 21, 4.

v. 26. διὸ, *quapropter*) Hoc deducitur ex v. 20. — μαρτύρομαι, *testor*) *Conscientia vestra mihi testis erit.* Haec vis verbi medii. — σήμερον, *hodie*) Hoc magnam declarandi vim habet. — καθαρὸς, *mundus*) Haec cura debet esse valedicentis.

v. 27. γὰρ, *enim*) Ergo qui subduxit, quae annunciare debuerat, non est purus a sanguine auditorum.

v. 28. προσέχετε, *attendite*) Hanc curam a me in vos devolvo. v. 31. — ἑαυτοῖς) primum, *vobis*, deinde *gregi*. — τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *Spiritus sanctus*) Spiritus sanctus mediate, per Paulum eos constituit. conf. c. 14, 23. Sed quae non est vere a Spiritu S. facta vocatio, ne mediata quidem dici meretur. — ἐπισκόπους, *episcopos*) Hoc tempore appellatio episcoporum nondum erat solennis et propria: sed valet h. l. id, quod etymi vis postulat, et competit in omnes *presbyteros*, quorum vocabulum ex ecclesia Judaica magis solenne erat. Postea Timotheus et Titus, quos Apostoli modo quodam singulari praefecerant presbyteris, appellati sunt episcopi: neque tamen presbyteri non appellati etiam sunt episcopi Tit. 1, 7. 5. 1 Petr. 5, 2. 1. Phil. 1, 1. — τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, *ecclesiam Dei*) Alii τὴν ἐκκλησίαν κυρίου, multi cum versione *Sclavonica*, τὴν ἐκκλησίαν κυρίου καὶ Θεοῦ. Saepe Paulus *ecclesiam Dei*, in ep. ad Thess. Cor. Gal. Tim. appellat, nunquam *ecclesiam Domini*: neque omnino *Dominum et Deum* (particula *et* interposita) dicit. Manet ergo, *ecclesiam DEI*: quamquam si hoc loco *ecclesiam Domini* diceret Paulus, ex parallelismo V. T. esset *ecclesia Jehovae*. — ἣν περιεποιήσατο, *quam acquisivit*) Hic ergo grex est pretiosissimus. — ἰδίου, *proprium*) Est ènim sanguis Filii DEI. 1 Joh. 1, 7.

v. 29. ἐγὼ, *ego*) Firma praedictio. — εἰσελεύσονται, *intrabunt*) aliunde. Antitheton: *ex vobis ipsis*. v. 30. De utrovis genere pestium apud Ephesios vid. Ap. 2, 2. 6. — μετὰ, *post*) Statim sub apostolorum abitum et obitum ecclesia magnam puritatis suae partem amisit, ut patet ex illorum praedictis, monitis et querelis. De Ephesia ecclesia vid. epp. ad Tim. et scripta Johannis. — μετὰ τὴν ἄφιξίν μου) Hesychius: ἄφιξις, ἔφοδος, παρουσία. Conf. Rom. 16, 19. not. neque unquam ἄφιξις *discessum* significat. Zosimus lib. 5., μετὰ τὴν ὀνωρίου εἰς τὴν

1) πλὴν ὅτι, *nisi quod*] Generatim vincula et afflictiones Paulo indicata sunt. *V. g.*

Digitized by Google

ῥάβενναν ἄφιξιν, i. e. ***Honorio Ravenna Bononiam profecto.*** Eusebius lib. 6. Demonstr. evang. cap. ult. μετὰ τὴν εἰς ἡμᾶς ἄφιξιν (τοῦ χριστοῦ) ὁ νεὼς ἐπυρπολεῖτο. Sensus igitur est: ***primum venit Paulus: deinde venient lupi.*** conf. Joh. 5, 43. — λύκοι, ***lupi***) Allegoria. — μὴ φειδόμενοι, ***non parcentes***) Μείωσις, i. e. perniciosissimi. Pastoris est φείδεσθαι ***parcere.***

v. 30. ἀποσπᾶν) ***abstrahere,*** a simplicitate erga Christum et ab unitate corporis. Character falsi doctoris, ut velit, ex se uno pendere discipulos.

v. 31. γρηγορεῖτε, ***vigilate***) Verbum pastorale. — νύκτα — ἕκαστον, ***nocte — unumquemque***) Haec magna vigilantia. [***quae si apostoli est, quanto magis pastoris!*** V. g.]

v. 32. τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, ***verbo gratiae ipsius***) Descriptio evangelii. v. 24. — τῷ δυναμένῳ, ***qui potest***) Ref. ad ***Deo.*** Saepe Potentia DEI allegatur: nam de voluntate paterna certi sunt fideles; Potentiam experientur. Homines sancti optant; DEUS potest. Rom. 16, 25. Eph. 3, 20. Jud. v. 24. 2 Tim. 1, 12. — ἐποικοδομῆσαι, ***superaedificare***) DEUS per Paulum aedificarat: Deus etiam sine Paulo poterat superaedificare. — δοῦναι, ***dare***) Finis fidei. — ἐν, ***in***) Communio sanctorum. 2 Thess. 2, 1. — ἡγιασμένοις, ***sanctificatis***) Sic appellantur, Judaeis credentibus non exclusis, credentes ex gentibus c. 26, 18. ideo dicitur ἐν ***in*** non σὺν ***cum,*** ut Ephesii includantur. Eodem sensu dicuntur κλητοὶ ἅγιοι ***vocati sancti.*** Rom. 1, 7. 1 Cor. 1, 2. Credentes autem Judaei, gentibus non exclusis, dicuntur ἅγιοι ***sancti*** peculiariter. Rom. 15, 25. 26. 31. 1 Cor. 16, 1. 15. Eph. 2, 19. 3, 8. 2 Thess. 1, 10. Ps. 148, 14. vid. Rom. 11, 16. — πᾶσιν, ***omnibus***) Horum notitiam et memoriam habebat Paulus permagnam. Omnes ergo complectitur.

v. 33. ἀργυρίου, ***argenti***) Altera pars valedictionis. Omnia expromit Paulus. Sic Samuel, 1 Samuel 12, 3.

v. 34. αὗται, ***hae***) callosae, ut videtis.

v. 35. πάντα — ὅτι) i. e. ut ***omnia,*** sic hoc quoque, ***quod*** etc. Si hoc non ostendissem, non ***omnia*** ostendissem. — ὑπέδειξα, ***ostendi***) ipso exemplo. — ὑμῖν, ***vobis***) episcopis. Hos suo monet exemplo, comiter, sine praecepto. Ideo v. 33. non dicit, ***nullius vestrum,*** quod per se apertum erat; sed ***nullius*** scil. etiam auditoris. — τῶν ἀσθενούντων, ***infirmorum***) in fide. 1 Cor. 9, 6. 22. — μνημονεύειν, ***recordari***) cum ipso obsequio. — τοῦ λόγου, ***dicti***) Sic cod. antiqui, et cum iis Latinus. Media lectio. Alii τὸν λόγον, plerique τῶν λόγων, ex alliteratione ad τῶν praecedens. μνημονεύετε τοῦ λόγου, Joh. 15, 20. — αὐτὸς) ***Ipse.*** — εἶπε, ***dixit***) Sine dubio multa JESU dicta, memoriâ tenuere discipuli, quae hodie non leguntur. — μακάριον) ***beatum,*** divinum. Dare, est beatum Deum imitari, et remuneratorem habere. Luc. 14, 14. — διδόναι, ***dare***) Dationis divinae specimen, v. 32. — λαμβάνειν) ***accipere,*** quamvis licito modo. Alia mundi sententia est, a poëta veteri apud Athenaeum lib. 8. c. 5. his expressa senariis:

Δημοσθένης τάλαντα πεντήκοντ' ἔχει·
μακάριος, εἴπερ μεταδίδωσι μηδενί.
καὶ μετροκλῆς εἴληφε χρυσίον πολύ.
ἀνόητος ὁ διδούς, εὐτυχὴς δ' ὁ λαμβάνων.

v. 36. θεὶς, ***ponens***) exardescente Spiritu, publice. c. 21, 5.

v. 37. ἱκανὸς, ***magnus***) Tenerrimi et suavissimi affectus hic regnant. Nullus liber in mundo paria facit cum Scriptura, etiam quod ad τὰ ἤθη καὶ πάθη mores et affectus spectat. — πάντων, ***omnium***) Vel lacrumae, quantopere aetates hominum degenerent, argumento sunt. Olim et viri, et viri boni, ipsique heroës (vel inter gentes) ad lacrumandum faciles, etiam gregatim, Jud. 2, 4. s. 1 Sam. 30, 4.: nunc cum omnia sint effeminatiora, mulieribus tamen et pueris lacrumarum venia datur. De piis lacrumis pulcre disserit ***Joh. Hornbeck*** l. 6. Theol. pract. c. 8.

Digitized by Google

v. 38. ὀδυνώμενοι, *dolentes*) Quantus olim erit dolor, carere conspectu DEI, angelorum et electorum?

CAPUT XXI.

v. 1. Ἀποσπασθέντας, *avulsos*) non sine desiderio magno, cum vi. — κῶ) Hoc pro κῶν, Attice dici, scribit Gaza.

v. 3. τύρον, *Tyrum*) ubi Christianos fore praedictum est Ps. 87, 4. Confer cum illo Psalmo, de Philistaeis et Aethiopibus, Act. 8, 40. 27.

[1]) v. 4. ἀνευρόντες) *iterum invenientes*, cum quaesissemus. Modo erant soli, modo cum fratribus. — ἑπτὰ, *septem*) ut etiam sabbato ibi uterentur. Paulus festinabat, sed bono modo. — ἔλεγον, *dicebant*) Spiritus significabat, Paulo imminere vincula: inde rogabant discipuli eum, ne iret.

v. 5. ἐγένετο ἡμᾶς ἐξαρτίσαι) Id plus est, quam si diceret ἐξηρτίσαμεν, *explevimus. contigit, ut* sine impedimento commoraremur Tyri. — τὰς ἡμέρας) *dies*, quos statutos habueramus. — σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις, *cum mulieribus et liberis*) magno numero, praeter morem mundanum. — ἔξω, *extra*) longa via, per urbem tantam. [2])

v. 6. ἀσπασάμενοι, *valedicto*) Hinc pendet et *ascendimus*, et *redierunt*.

v. 7. τὸν πλοῦν, *navigationem*) totam ex Macedonia. c. 20, 6. — τοὺς) eos, quos ibi esse noveramus.

v. 8. εἰς καισάρειαν, *Caesaream*) Hic inprimis Paulo vincula praedicuntur, quo venturus erat vinctus. c. 23, 33. — τοῦ εὐαγγελιστοῦ, *Evangelistae*) c. 8, 5. 35. 40. — ὄντος) *qui erat* e septem. c. 6, 5. Probabile est, Paulum nonnihil cum Philippo egisse de cura pauperum: v. 15. quanquam communio bonorum non fuerit, nisi Hierosolymis; nec duraverit, nisi ad dispersionem illam, de qua Cap. 8, 1.: quo tempore, quae in promtu erant, inter migrantes et manentes, pro ratione indigentiae divisa fuisse, existimare licet. Alias Philippus non potuisset inde discedere. ibid. v. 5. 40.

v. 9. προφητεύουσαι, *prophetantes*) Has tamen non ita, uti Agabum, decuisset praedictio et repraesentatio vinculorum Pauli. Philippus evangelista: filiae prophetantes. propheta major est, quam evangelista. Eph. 4, 11.

v. 11. αὐτοῦ) *suus*, non Pauli. Quo propius Paulus venit, eo expressior praedictio eum praeparat. — λέγει) ‫אמר‬ *dicit*.

v. 12. παρεκαλοῦμεν, *rogabamus*) Paulus norat, in illa praedictione vim esse praecepti: comites et incolae non norant.

v. 13. συνθρύπτοντες, *affligentes*) Apostoli non plane fuere expertes humanorum affectuum. — δεθῆναι) *vinciri*. v. 11. — ἑτοίμως ἔχω, *paratus sum*) Qui paratus est, ei leve onus est.

v. 14. μὴ πειθομένου, *non obsequente*) Saepe movetur aliorum causa, qui sua non movetur. Hinc perspicitur constantia Pauli. — ἡσυχάσαμεν, *acquievimus*) Pia modestia. — τὸ θέλημα, *voluntas*) Hanc agnoscebant Paulo cognitam.

v. 15. ἐπισκευασάμενοι, *parati*) Sequior lectio, ἀποσκευασάμενοι, adventui congruens. Tum vero discedebant, eleemosynasque Hierosolymam portabant. c. 24, 17. Ea erat ἐπισκευή. Hesychius, ἐπισκευασάμενοι, εὐτρεπισθέντες.

v. 16. καὶ) scil. τινές. — παρ᾽ ᾧ) Resolve: ἄγοντες ἡμᾶς πρὸς μνάσωνα, παρ᾽ ᾧ κτλ. — ἀρχαίῳ, *antiquum*) Pulcrum elogium.

---

1) τὸν γόμον, *vecturam*] Ita frequenter ad externas mundi opportunitates regnum DEI se accommodat: at res mundanas in occulto ad regni sui progressus DEUS dirigit. *V. g.*

2) ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν, *ad litus*] non pompae, sed valedictionis causa. *V. g.*

Digitized by Google

v. 18. ἐπιούσῃ, *postero*) sine mora. — σὺν ἡμῖν, *nobiscum*) ut de consensu nostro constaret. Gal. 1, 2.

v. 20. πόσαι μυριάδες, *quot myriades*) Conf. Jer. 3, 14. seqq. Apud hos omnes paulatim exspiravit circumcisio: et ex his sine dubio magna pars commixta est cum gentibus, quae credidere. Quare semen Abrahae tot seculis non tanto numero, atque putares, periit.

v. 21. κατηχήθησαν, *auditu acceperunt*) Non modo rumore, sed sermone magno, rem veram excedente, hoc eis persuasum est. — τοῖς ἔθεσι, *moribus*) Judaicis.

v. 22. τί οὖν ἐστι; *quid ergo est?*) Formula frequens. — συνελθεῖν, *convenire*) ut audiant, quae Deus per te fecit. [*et qualis sit doctrina tua.* V. g.] v. 19. c. 14, 27.

v. 23. λέγομεν, *dicimus*) Consilium hoc a prudentia spirituali, non carnali, profectum est. Ipse Paulus tale quiddam susceperat jam c. 18, 18. — ἡμῖν, *nobis*) Erant igitur quatuor illi viri Christiani.

v. 24. παραλαβών, *assumens*) tanquam eorum praecipuus. — δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς, *impende super illis*) Magnum beneficium et magni zeli indicium censebatur, Naziraeis egenis sumtum sacrificiorum praestare. — ἵνα, *ut*) Innuitur, qua in re Paulus paria cum viris illis facere debeat. Viri illi, sumtum nacti, potuere demum tonderi talem in finem. — γνώσονται, *cognoscent*) ex ceremonia tam conspicua. — πάντες, *omnes*) v. 22. — οὐδέν ἐστιν) *nihil est*, falsum est. — [*Manifestae sunt antitheses v.* 21. *et* 25. V. g.] — καὶ αὐτός, *etiam ipse*) non modo alios non deterrens. Gentes non cogebantur: Judaei non prohibebantur circumcidere. Constr. cum φυλάσσων, *custodiens.*

v. 25. ἐθνῶν, *gentibus*) Antitheton ad Judaeos ipsumque Paulum. A paritate rationis id aeque ad Judaeos pertinebat, excepta conditione illius temporis. — ἡμεῖς, *nos*) ipsi. — κρίναντες φυλάσσεσθαι) Interjecta verba, μηδὲν τοιοῦτον τηρεῖν αὐτοὺς, si μὴ, periphrasin sapiunt. [1]) Non habent antiqui.

v. 26. τότε, *tunc*) Magna facilitas. — διαγγέλλων) *professus.* — τὴν ἐκπλήρωσιν, *expletionem*) futuram. v. 27. Num. 6, 9. 13.

v. 27. αἱ ἑπτὰ) αἱ habet vim relativam ad dies illos, de quibus v. 26.

v. 29. σὺν αὐτῷ, *cum eo*) Soliciti esse debemus, sed non nimis soliciti, in conversatione sancta, quamlibet parum placitura improbis. Paulus Trophimum non introduxit in templum; neque eum tamen plane vitavit Judaeorum causa. — ἐνόμιζον, *putabant*) Zelotae *putantes* saepe errant.

v. 30. αἱ θύραι, *januae*) ne templi tutela uteretur Paulus.

v. 31. ἀποκτεῖναι, *interficere*) verberibus v. 32. — ἀνέβη, *ascendit*) in turrim Antoniam, ubi Romanorum solebat esse praesidium et castra. — φάσις, *fama*) subita.

v. 32. ἐξαυτῆς, *statim*) Putabat, periculosam moram esse. v. 38.

v. 33. ἐπελάβετο, *apprehendit*) Haec captivitas Paulo et praesidio fuit, et occasionem attulit evangelizandi tutius, contra omnem tumultum, c. 22, 22., et plane ibi, quo alias non patuisset aditus. v. 40. — cap. 28, 31. — ἐπυνθάνετο, *interrogabat*) turbam, promiscue, ut in primo aditu. v. 34. — τίς, τί, *quis, quid*) Duo capita percontandi, et de sanctis et de improbis.

v. 34. παρεμβολὴν) *castellum*, quod Romana praesidia tenebant.

v. 35. συνέβη, *accidit*) Verbum auxiliare, affine τῷ ἐγένετο *factum est.*

v. 36. γὰρ, *enim*) Vis et impetus patet ex clamore.

---

1) *Hinc lectio brevior, utut in* Ed. maj. *pro infirmiori declarata, per* marginem Ed. 2. *firmioribus accensetur. Et* Vers. germ. *exprimit quidem periphrasin istam, sed uncis inclusam.* E. B.

Digitized by Google

v. 37. μέλλων, *cum in eo esset*) Praesentissimo sapientiae coelestis ductu Paulus hunc aptissimum orationi capit locum. — εἰ ἔξεστί μοι; *licet mihi?*) Modeste alloquitur.

v. 38. οὐκ ἄρα; *nonne*) Tribunus militum ita colligebat: Paulus Graece loquitur; ergo est Aegyptius. [*Inde ab Alexandri M. temporibus in Aegypto florebat lingua graeca.* V. g.]

v. 39. μὲν) Μὲν ineunti sermoni ἦθος addit. c. 22, 3. [1] [2]

CAPUT XXII.

v. 1. Πατέρες, *patres*) Aderant etiam antistites et senes. — νυνὶ, *nunc*) Hactenus per tumultum non audierant. Respicit apologia ad c. 21, 28. nam ut ibi, ita hic quoque, mentio fit de persona Pauli, v. 3. de populo et de lege, v. 3. 5. 12. de templo, v. 17. de docendis omnibus, v. 15—17. 21. deque veritate doctrinae: v. 6. ss. agitur autem nervose, angusto tempore.

v. 2. τῇ ἑβραΐδι, *Hebraea*) Multi videntur antea nescisse, de viro agi, qui vel hebraice sciret.

v. 3. ἐγὼ, *ego*) Hac apologia refutatur clamor ille, de quo c. 21, 28. Maximis de causis et singulari ratione Paulus de se ipso tam multa dicit h. l. ut c. 26, 4. s. conf. 1 Petr. 2, 9. — μὲν, *quidem*) Sequitur δὲ, *sed*, v. 6. — ἀνὴρ, *vir*) Singularem habet ἐνάργειαν et evidentiam hic sermo. — παρὰ τοὺς πόδας, *ad pedes*) Vicissim doctor est a *capite* discipuli. 2 Reg. 2, 3. Doctor sedet: discipulus inferiore loco sedet, aut stat. aliquando etiam procubuere discipuli. — ἀκρίβειαν, *veritatem*) rationem exquisitam, Pharisaeorum propriam, c. 26, 5. — ζηλωτὴς τοῦ θεοῦ, *studiosus Dei*) ζηλωτὴς verbum μέσον est in utramque partem. ζηλωτὴς θεοῦ *studiosus DEI* dicitur, uti ζῆλος θεοῦ *studium in Deum*, Rom. 10, 2. Uterque locus quiddam ex mimesi habet: nam Judaei putabant, se tantum tribuere Deo, quantum detraherent Jesu Christo. — καθὼς, *sicut*) Argumentum concilians. — ὑμεῖς, *vos*) c. 21, 28. 36.

v. 4. ταύτην, *hanc*) Christianam. Primum indefinite loquitur. — δεσμεύων, *vinciens*) Verbum opportunum, a *vincto* adhibitum.

v. 5. μαρτυρεῖ μοι, *testatur mihi*) Posse eum testari, patebat: velle eum, Paulus non dubitat. hinc benigne loquitur. Gravius postea, c. 26, 5. — ἀδελφοὺς, *fratres*) Judaeos. c. 2, 29.

v. 6. [3]) περὶ μεσημβρίαν, *circa meridiem*) Omnia facta sunt liquido.

v. 10. τέταχταί σοι, *ordinatum est tibi*) Ordinatio divina est sphaera piorum: quicquid agunt, ordinationis illius repraesentatio est.

v. 12. κατοικούντων, *habitantibus*) Subaudi, *ibi*, ut c. 13, 1. Ananiam bene norant. Habitantes hi videri possint opponi Judaeis circumeuntibus. c. 19, 13.

v. 14. ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, *Deus patrum nostrorum*) c. 3, 13. not. — προεχειρίσατό σε, *constituit te*) Confirmat Ananias, hanc apparitionem Paulo obtigisse ex gratia, non ex ira. — τὸ θέλημα αὐτοῦ) *voluntatem suam*, justam, quae proposita est in Christo. c. 20, 27. Joh. 6, 38. s. — ἰδεῖν τὸν δίκαιον, *videre Justum*) Singulare beneficium. Christus semper justus, et nunc plane etiam

---

1) λαλῆσαι, *loqui*] Quantâ prudentiâ extemplo Apostolus rerum opportunitate usus est! Ubicunque multitudinem conspexit, verba faciendi cupiditas eum invasit. c. 19, 30. *V. g.*

2) v. 40. ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν, *super gradibus*] Quantum Paulo commodum captivitas sua sub ipsum initium conciliavit. *V. g.*

3) μοι, *mihi*] Egregia res, cum quis conversionem suam recte valet enarrare. Multi sic lucrifiunt, nisi indurati fuerint ultra modum. v. 19. *V. g.*

Digitized by Google

ab alieno peccato, quod ei fuerat impositum, immunis est. Hebr. 9, 28. Hunc post accessum ad Patrem 1 Joh. 2, 1. nunc non videmus. Joh. 16, 10. et tamen conspectus est Paulo. *Justus* autem; quia omnem Patris voluntatem explevit per se, et explet in nobis. Haec ejus justitia est summa evangelii, cujus testis fit Paulus. Hunc Justum vidit Paulus etiam deinceps. v. 18. c. 26, 16.

v. 15. μάρτυς, *testis*) ex visu et auditu. v. 14. — πάντας, *omnes*) etiam gentes.

v. 16. τί μέλλεις; *quid moraris?*) Celeriter, inquit, contende a dolore ad pacem. — ἀπόλουσαι, *abluere*) baptismo suscepto.

v. 17. ὑποστρέψαντι, *revertenti*) Primus Pauli reditus memoratur c. 9, 26. Hunc dativum excipit genitivus, προσευχομένου μου, cui respondet ablativus, *orante me*, majorem habens conjunctionem cum *ecstasi*. — ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*) Ostendit, se legitimum honorem habere *templo*.

v. 18. αὐτὸν, *eum*) Jesum. v. 8. — σπεῦσον, *festina*) propter insidias tibi structas, et quo citius praedices alibi. — οὐ παραδέξονται, *non recipient*) Ταπείνωσις. i. e. *repugnabunt* testimonio tuo.

v. 19. αὐτοὶ, *ipsi*) Paulus existimavit, conversionem sui tam efficax esse argumentum, quo etiam Judaei moverentur: sed Dominus respondet, gentes potius commotum iri.

v. 20. καὶ αὐτὸς, *etiam ipse*) Conversus retinet humilem memoriam peccatorum, eaque semper confitetur.

v. 21. εἰς ἔθνη, *in gentes*) Innuit, quamvis non directe, etiam ad *Romanos* nuncium de Jesu Christo pertinere.

v. 22. τούτου, *hoc*) de *gentibus*. Neque de *JESU* libenter audiebant. — γῆς, *terra*) Indignum statuunt, quem terra ferat.

v. 23. κονιορτὸν βαλλόντων, *pulverem jacientibus*) vehementissimo animi aestu.

v. 24. ἄγεσθαι, *duci*) a gradibus. — μάστιξιν ἀνετάζεσθαι, *flagellis ex eo quaeri*) ut quam celerrime confiteretur. — ἐπεφώνουν, *acclamarent*) *Acclamare* dicuntur auditores verba facienti. c. 12, 22.

v. 25. προέτειναν, *protenderunt*) quo planius expositum esset Pauli tergum ad verbera. Hic actus protendendi nec centurioni, qui tantummodo adstabat, nec tribuno, qui ne adstabat quidem, adscribitur; sed iis, de quibus v. 29. initio. — τοῖς ἱμᾶσιν) *loris*, quibus eum adstringebant, plagis excipiendis aptantes. Μάστιγες, *flagella* intentabantur, sed ab iis differunt ἱμάντες; *lora*, ad ligandum eum, qui *flagellis* explorabatur. — ἄνθρωπον ῥωμαῖον, *hominem Romanum*) Facinus erat, ut Cicero ait, vincire civem *Romanum*: scelus, verberare. Adversus vincula v. 29. jus civitatis non allegavit Paulus, nam haec praedicta erant; allegavit adversus verbera, ut corpus vitamque tueretur, evangelium posthac praedicaturus. — καὶ, *et*) et quidem. — ὑμῖν, *vobis*) Emphasis. Nam nusquam licebat.

v. 26. τῷ χιλιάρχῳ, *tribuno*) qui abfuerat. — γὰρ, *nam*) Imo majores suberant causae *videndi*, v. gr. quod esset servus DEI.

v. 28. ἐγὼ δὲ καὶ, *ego vero etiam*) Parrhesia Pauli.

v. 29. [1]) ἐφοβήθη, *timuit*) ob magnam poenam. — καὶ ὅτι] Hoc pendet non ab ἐπιγνοὺς, sed ab ἐφοβήθη.

v. 30. κατηγορεῖται, *accusaretur*) Accusationem adhuc nullam audierat, sed aliquam subesse intellexerat. — ἔλυσεν, *solvit*) aliquantisper: nam c. 23, 18. iterum *vinctus* dicitur. conf. c. 24, 27. 26, 29. — ἐκέλευσεν, *jussit*) Adeo immi-

---

1) εὐθέως, *statim*] Si quid contra filiorum DEI quendam moliris; confestim, ubi talem esse resciveris, desiste. *V. g.*

Digitized by Google

nuta erat auctoritas populi. — συνελθεῖν, *convenire*) in locum solitum. — καταγαγὼν, *deducens*) ex castris in urbem inferius sitam.

CAPUT XXIII.

v. 1. Ἀτενίσας, *intuens*) vultu bonam conscientiam profitente; exspectans etiam, num quis antistitum aliquid esset interrogaturus. — ἐγὼ, *ego*) Hac protestatione consecutus est, ut nil sibi pristinarum rerum crimini dari; sed illud, quod v. 6. fin. dicturus erat, tanquam unica suae captivitatis causa allegari posset. c. 24, 21. — συνειδήσει, *conscientia*) c. 24, 16. 2 Cor. 1, 12. Loquitur Paulus praecipue de statu suo post conversionem. nam de statu pristino nemo ei controversiam movebat. Et tamen in pristino quoque statu, quanquam in errore versabatur, conscientiae fuerat obsecutus, neque quicquam commiserat, cur in foro externo reus fieret. Nunc, quum bona vetera non abjecit, sed meliora accepit, ex praesenti statu lux in pristinum sese refundebat. — τῷ Θεῷ, *Deo*) quanquam non omnes homines id probarent.

v. 2. δὲ, *autem*) Nemo quamvis iniquus indigne ferre debuerat Pauli sermonem. Plura dicturum interpellat. [*vel et mendacii conatur arguere.* V. g.] — ὁ ἀρχιερεὺς) *summus sacerdos:* non e multis, de quibus c. 22, 30. — ἐπέταξε, *jussit*) sine ulla causa. — αὐτῷ, *sibi*) Ananiae. — στόμα, *os*) velut indigna loquentis.

v. 3. τύπτειν μέλλει, *percutiet*) Talio praedicitur. — τοῖχε κεκονιαμένε) *Paries dealbate,* foris calcem albam, intus lutum habens. calx, species et color justitiae; intus, injustitia. Calcis illius albedine praestrictos habebat oculos ipse pontifex, ut injuriam prae jure amplecteretur. Fortasse etiam *canos* capillos aut *albam* vestem habuit. — καὶ, *etiam*) καὶ in ipso sermonis corripientis initio valet *ergo*: sed hic, sub initium, *quoque* valet proprie. *tu quoque,* non modo ceteri; tu, qui defensor legis vis videri.

v. 4. τοῦ Θεοῦ, *Dei*) Sanctitatem pontificis obtendunt.

v. 5. οὐκ ᾔδειν, *nesciebam*) Paulus, quamvis complures annos abfuerat, c. 24, 17., tamen norat *principem sacerdotum,* c. 22, 5., cum etiam ceteros nosset, v. 6., et, si ignorasset, ex ipso eum loco, quo sine dubio sedebat, adstantiumque numero, nunc nosse poterat: neque ita tumultuarius erat *consessus*, ut locum pontifex non insignem caperet. Itaque, *nesciebam*, modeste dictum, interpretere, *non veniebat mihi in mentem.* sic, *haud scio*, 1 Cor. 1, 16. conf. ibid. c. 12, 2. not. et cap. 15, 34. not. Phil. 4, 15. Luc. 9, 55. 2 Sam. 19, 22. Lev. 5, 4. Convenientissime haec locutio varium ἦθος apostoli exprimit, partim respectu adstantium, quos ita mitigavit, praesertim addita appellatione *fratrum,* et allegato interdicto Mosis de non maledicendo principibus: partim respectu Ananiae; cujus ratio et jussus quemvis potius, quam sacerdotem summum indicaret: partim respectu ipsius Pauli, quem commotio singularis elevarat in Spiritu interius, qua perfunctus mox ad commune illud de non maledicendo principibus sese recepit. Tali ratione Paulus saepe de iis, quae divinitus agebat, per modestiam sic judicabat et loquebatur, quasi humanitus facta essent. vid. Rom. 15, 15. 1 Cor. 9, 17. s. 2 Cor. 11, 8. s. cum annott. Libertatis hujus causam attingimus in notis ad 1 Cor. 7, 25. Porro ex eo, quod diximus, etiam illud liquet, quomodo Paulus eum, quem duntaxat *judicem sedere* norat, salva lege, quae universe de *principibus* agit, sic alloqui potuerit.

[1]) v. 6. ἔκραξεν, *clamavit*) aperta confessione, ut omnes in turba audirent. c. 24, 21. Hic in bonam partem valuit illud: *Dirige et impera.* Non usus est

---

1) γέγραπται, *scriptum est*] Ex. 22, 28. *V. g.*

Digitized by Google

Paulus calliditate rationis aut stratagemate dialectico; sed ad sui defensionem simpliciter eos invitat, qui propius aberant a veritate. — φαρισαῖός εἰμι, *Pharisaeus sum*) ex disciplina pristina; et etiamnum, quod attinet ad fidem resurrectionis. — υἱὸς φαρισαίου) υἱὸς φαρισαίων habent alii, quorum testimonium *Tertulliani* corroborat antiquitas [1]). *Filium* autem *pharisaeorum* Paulus se appellat, non *praeceptores* innuens, quo sensu tautologia esset, *Pharisaeus, pharisaeorum filius*; neque Paulus plures praeceptores memorat, c. 22, 3., sed unum Gamalielem: verum quod parentes vel patrem et avum aut proavos, pharisaeos habuisset. conf. 2 Tim. 1, 3. Tali modo Climax est, *Pharisaeus, pharisaeorum filius*. — ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως, *spei et resurrectionis*) ἓν διὰ δυοῖν. nam *resurrectionem sperabant*. — ἐγὼ κρίνομαι, *ego judicor*) *Praesenti judicio, cujus praesidem Ananias agit*, inquit Paulus, *eo res devenit, ut spes et resurrectio mortuorum impugnetur*. Antecessores Ananiae, Sadducaei fuerant, c. 5, 17. et nunc etiam ipse Sadducaeus erat. Plus viginti jam annis a resurrectione J. C. elapsis non tam indesinenter praeconium de J. C. ejusque resurrectione, quam ipsum dogma de resurrectione mortuorum, pridem ipsis invisum, insectabantur, uti jam illi quidem fecerant cap. 4, 2. pharisaei autem a fide christiana, in hac parte, propius remoti erant. Itaque Paulus eos sibi conciliat, Sadducaeis eo magis frementibus. Hic ergo tum status est factus controversiae, quem Paulus serio et constanter deinceps memorat. cap. 24, 15. 21. 26, 6. s. 28, 20.

v. 7. τὸ πλῆθος, *multitudo*) assessorum, utrivis sectae adsentientium.

v. 8. μήτε πνεῦμα, *neque spiritum*) *Spiritus* angelo oppositus, dicit hic spiritum hominis defuncti. conf. v. 9. not. Matth. 14, 2. Luc. 24, 37. — ὁμολογοῦσι) *agnoscunt*. — τὰ ἀμφότερα, *utraque*) Alterum horum est resurrectio, alterum angeli aliique spiritus. Congruit differentia particularum μηδὲ, μήτε, *non vero, neque*, quarum illa negationi addit vim adversativam, haec copulativam.

v. 9. κραυγὴ μεγάλη, *clamor magnus*) turpiter. — γραμματεῖς, *scribae*) Quaelibet secta habet *literatos*, et idiotas: illi solent esse os partis suae. — πνεῦμα, *spiritus*) Resurrectionem defendebat Paulus; nunc etiam caput de spiritibus urgent pharisaei contra Sadducaeos. — ἐλάλησεν αὐτῷ, *locutus est ei*) Ex sermone Pauli accipiunt, quod arridet: coll. c. 22, 6. s. cetera abjiciunt. — ἢ ἄγγελος, *aut angelus*) Hoc non dixit Paulus; sed pharisaei addunt adversum Sadducaeos. Hic praeciditur sermo: sciteque refert Lucas scribarum verba per tumultum abrupta, suspensa apodosi ad particulam εἰ, *si*, uti ad κἂν, *etsi*. Luc. 13, 9. [*Aposiopesis*. Not. crit.]

v. 10. ὁ χιλίαρχος, *tribunus*) Quid putes militem de rixa tanti collegii cogitasse? Pejora deinde auditurus erat. v. 21. — ὑπ' αὐτῶν, *ab illis*) Alii defendebant, irruebant alii.

v. 11. τῇ δὲ ἐπιούσῃ νυκτὶ, *sequenti autem nocte*) Quum ad summum venere pericula, tum maxime Dominus se aperit cum solatio suo. Promissiones divinae, ut populo in V. T. sic sanctis singulatim datae sunt maxime tum, quum omnia eis videri possent desperata. conf. v. 16. c. 27, 23. 2 Tim. 4, 17. — ὁ κύριος) *Dominus*. Jesus. Quod Paulus in spiritu sibi proposuerat, c. 19, 21., id nunc maturo tempore confirmat Dominus. Accessit declaratio tertia per angelum DEI, c. 27, 23. Atque ab hoc capite 23. summa hujus libri versatur in testimonio apostolico Romae per Paulum peracto. 2 Tim. 4, 17. Quodsi principatus Petrini defensores hoc vel totum vel ex dimidia duntaxat parte Petro adscriptum invenirent, quam id urgerent? — διεμαρτύρω, *testatus es*) maxime diebus proximis. — ἱερουσαλὴμ, ῥώμην, *Jerusalem, Romae*) Duae metropoles

1) *Non* Editionis maj., *sed* Edit. 2*dae marginem sequitur* Gnomon, *cum* Vers. germ. E. B.

orbis. — δεῖ, *oportet*) Periculum in oculis DEI est nihil. Ipsa impedimenta prosunt. — καὶ, *etiam*) Habenti dabitur. — εἰς ῥώμην, *Romae*) Promissio in longinquum, complectitur omnia citeriora. Paulus Romae testabitur: ergo Romam veniet: ergo Judaeorum insidias et maris discrimina et viperae noxam effugiet.

v. 12. λέγοντες, *dicentes*) summa temeritate, etiamsi justam habuissent causam. quam perplexi erant, quum perficere non possent?

v. 14. τοῖς ἀρχιερεῦσι, *ad principes sacerdotum*) quorum tamen erat prohibere. — μηδενὸς, *nihil*) nec cibi nec potus.

v. 15. ὑμεῖς, *vos*) Huc annectitur illud, *cum synedrio*. Fraudem et vim conjungunt. — ἐμφανίσατε) scil. ἑαυτοὺς. coll. v. 22.

v. 16. ἀκούσας, *audiens*) Rem minus occulte gerebant, non putantes fore, qui rem Paulo aut tribuno deferret.

v. 17. ἕνα) *unum;* nam plures erant. — χιλίαρχον, *tribunum*) Huic ipsi dicere tutius erat.

v. 19. ἐπιλαβόμενος, *prehendens*) ut fiduciam adolescentis confirmaret.

v. 21. μὴ πεισθῇς) *ne morem gesseris.* — ἕτοιμοι, *parati*) ad occidendum.

v. 23. δεξιολάβους διακοσίους, *stipatores ducentos*) Sive δεξιολάβους legas, sive, ex uno codice vetustissimo, δεξιοβόλους, ignotum est militum genus, de quorum utrovis paucula notavit Grotius. Eo magis mirere, *ducentos* eorum hic parari jussos. Arabs apud Erpenium et Ludovicum de Dieu habet *octoginta*. Si alii testes ad Arabem accesserint, διακοσίους ex praecedentibus irrepsisse videri possit. Certe contra plus XL zelotas multo major numerus *militum* excitatus est.

v. 24. κτήνη τε παραστῆσαι, *et jumenta parare*) A stilo recitativo hic venitur ad relativum, contra ac versu 22. nam in recitativo diceretur διασώζητε *salvum perducatis*, non διασώσωσι *salvum perducerent*. Convenit autem stilus relativus cum re ipsa; quod tribunus non statim significaret, quae esset profectionis causa. — ἐπιβιβάσαντες, *imponentes*) Semel equitasse scribitur Paulus; nec sua sponte conf. c. 20, 13. — ἡγεμόνα, *praesidem*) Subjungitur in *Latinis* recentioribus: *Timuit enim, ne forte raperent eum Judaei et occiderent, et ipse postea calumniam sustineret, tanquam accepturus pecuniam.* Et sic Biblia Germanica Moguntiae A. 1462. excusa, omissis his verbis, *tanquam accepturus pecuniam.*

v. 25. ἐπιστολὴν περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον) 1 Macc. 15, 2., ἦσαν (ἐπιστολαὶ) περιέχουσαι τὸν τρόπον τοῦτον. — τύπον) *exemplum.* Hoc sine dubio Latine scriptum et in archivis Romanis servatum Romanos postea de veritate historiae apostolicae, hanc cum legerent, convicit.

v. 27. τὸν ἄνδρα, *virum*) Sic appellat, honoris causa, iterum v. 30. — ἐξειλόμην, *eripui*) De verberibus tacet Lysias. Eadem arte Festus utitur, cap. 25, 20. 25. — μαθὼν, *ut didici*) Non didicit antea, sed postea.

v. 30. μηνυθείσης) Hinc, ut ex verbo nuncupandi, pendet infinitivus μέλλειν.

[1]) v. 34. ἐκ ποίας, *ex qua*) Civis Romanus erat Paulus: ideo quaerit Felix de provincia.

v. 35. διακούσομαι, *audiam*) Beatius fuisset, audire quamprimum. — φυλάσσεσθαι, *custodiri*) Sic Paulo tempus obtigit, quo posset quiete orare et meditari.

CAPUT XXIV.

v. 1. Πέντε, *quinque*) Properant. Intervenisse videtur sabbatum. — ἀνανίας, *Ananias*) infensus Paulo. — ῥήτορος, *oratore*) Hoc uno in tota scriptura

1) v. 33. εἰς τὴν καισάρειαν, *Caesaream*] In hac metropoli Pauli commoratio insigne evangelio subsidium attulit. Ceterum inter medios ipse gentiles constitutus h. l. fuit atque peregrinos. *V. g.*

Digitized by Google

loco *rhetor* et *rhetoris* nomen occurrit. — τερτύλλου, *Tertullo*) Videtur fuisse Italus. — ἐνεφάνισαν) Intransitivum. c. 25, 2. 15. 23, 15. 2 Macc. 3, 7. 11, 29.

v. 2. κληθέντος, *vocato*) benigne. non *ducebatur*, uti c. 25, 6.

v. 3. πολλῆς, *multa*) Oratio plane dissimilis Paulinae, verae, modestae, ac solidae sine fuco. Felix erat homo flagitiosus et Judaeis exosus. — εἰρήνης) *Pax*, bonum maxime optandum in republica. — κατορθωμάτων) Verbum per se grande; quod Tertullus ex philosophia sumsit: quare non additur epitheton. Sequuntur alia ejusdem commatis. — προνοίας, *providentiae*) Hoc vocabulum saepe diis tribuerunt.

v. 4. δὲ, *autem*) Innuit, plura dici potuisse in laudem Felicis. Versu 3. subaudias *quidem*.

v. 5. εὑρόντες) pro εὕρομεν. — ἄνδρα λοιμὸν) Sic 1 Macc. 15, 3., ἄνδρες λοιμοί. — στάσεις) Sic codd. opt. [1]) Alii στάσιν, Invidiosum inter Romanos et Judaeos verbum, *seditio*. — πρωτοστάτην) *principem*. — ναζωραίων, *Nazarenorum*) Christianorum ex Domini cognomine cognomen, quod Paulus non recusat. v. 14.

v. 6. ἐπείρασε, *conatus est*) Verbum hoc de conatu vel mero vel efficaci potest accipi: aptum igitur erat ad calumniam.

v. 8. παρ' οὗ, *ab quo*) i. e. a Paulo.

v. 9. συνεπέθεντο) Appositum verbum. τὰ ἔθνη τὰ συνεπιτιθέμενα — συνεπέθεντο εἰς κακά. Zach. 1, 15. Et sic alibi. Pauci h. l. συνέθεντο. — φάσκοντες, *dicentes*) simulata gravitate.

v. 10. [2]) νεύσαντος, *innuente*) Gestus, gravitati judicis congruens. — ἐκ πολλῶν ἐτῶν, *ex multis annis*) sex septemve. Bonam causam habenti optata est judicis peritia. c. 26, 3. — κριτὴν, *judicem*) Non assentatur Paulus. — εὐθύμως) Ita cod. vetusti. Deinde codices recentiores, εὐθυμότερον. [3])

v. 11. δεκαδύο, *duodecim*) Demtis quinque, de quibus v. 1., erant septem dies: et de his septem vid. cap. 21, 17. 18. 26. 27., ubi expendatur verbum ἔμελλον, et sensus est: cum ea fierent, quae Paulus v. 26. susceperat. porro cap. 22, 30. 23, 11. 12. 32. — ἀνέβην, *ascendi*) Caesaream. Ex Caesareensibus *cognoscere* Felix *poterat*.

v. 12. ἱερῷ, *templo*) Refutat Tertullum. v. 6. adde v. 18. — ἐπισύστασιν) Decompositum. In templo *frequens* erat populus: eam frequentiam non *cumulavit* Paulus. — συναγωγαῖς, *synagogis*) Hierosolymitanis cap. 26, 11. — κατὰ τὴν πόλιν, *in urbe*) Jerusalem. v. 11. κατὰ, cum articulo, non habet vim distributivam.

v. 13. νῦν, *nunc*) primum.

v. 14. ὁμολογῶ, *confiteor*) Verbum forense, idemque sacrum, opportune adhibitum. Confessio ingenua, voluntaria, plena, de *fide*; hoc versu: de *spe*, v. seq. de *amore* vi. 17. Huic confessioni qui accedunt, eadem injuria, qua Paulus, *haereseos* accusantur. — ὁδὸν, *viam*) Fatetur se esse de iis, quos Tertullus Nazoraeos appellarat. — λέγουσιν αἵρεσιν, *dicunt haeresin*) Hanc appellationem Paulus corrigit, non quo tum esset odiosa, sed quod non satis digna. αἵρεσις, *secta*, est humani arbitrii; *via*, divinitus praescripta. Dixerat, quantum satis fuisset ad defensionem: sed nunc, ansa scite capta, confessionem addit. — πα-

---

1) *Itaque et h. l. margo* Ed. 2. *ab* Ed. maj. *recedit, et cum crisi recentiori conspirat* Vers. germ. E. B.

2) ὁ παῦλος, *Paulus*] Simplici narratione infringit Paulus exaggeratam accusationem. *V. g.*

3) *Inde lectio* εὐθύμως, olim *signo* δ *notata, in margine* Ed. 2. *ad signum* β *elevata est, consentiente* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

τρώῳ, *patrio*) Confutat Paulus praejudicium *noritatis*. — νόμον, *lege*) Iterum refutat Tertullum. v. 6. — γεγραμμένοις, *scriptis*) de Jesu Nazareno. v. 5.

v. 15. ἔχων, *habens*) Id plus, quam προσδέχονται, *exspectant*. — δικαίων τε καὶ ἀδίκων, *justorum aeque atque injustorum*) Opportuna distributio. nam in *foro* dicebat.

v. 16. ἐν τούτῳ, *in hoc*) hanc spem dum habeo. — αὐτὸς, *ipse*) ego; quicquid illi faciunt. — ἀσκῶ, *studeo*) Hoc verbum, cum illo, *haeresin*, allegoriam facit. Utrumque in historia philosophica obvium. — πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους, *ad Deum et homines*) Congruit, quod sequitur: *eleemosynas et oblationes*.

v. 17. πλειόνων, *plures*) Qui diu abfuit, non potuit res novas moliri: debuerat autem humanius excipi, praesertim eleemosynas facturus.

v. 18. ἐν οἷς, *in quibus*) scil. rebus, studiis. — ὄχλου — θορύβου) Ὄχλος, turba hominum: θόρυβος, turba rerum. ὄχλος est aliquid magis fortuitum: θόρυβος, *turba*, vehementius quid et cum proaeresi tentatum notat. — τινὲς δὲ) Δὲ est genuinum, per codices plurimos. Subaudi, εἶδον, *viderunt*.

v. 19. οὓς, *quos*) Nunquam majores soloecismos mundus etiam contra suas leges committit, quam in persequenda fide.

v. 20. στάντος μου) *quum steti*. Statio illa memoratur c. 22, 30.

v. 21. περὶ) *de*, resurrectione mortuorum nunquam non Paulus mentionem injicit.

v. 22. ἀνεβάλετο, *distulit*) Consilia dilatoria, tuta mundo in rebus divinis. — ἀκριβέστερον, *accuratius*) Per hos praesides *accuratu* notitia rei Christianae Romam perlata est.

v. 23. τηρεῖσθαι, *servari*) tutum praestari. — ἄνεσιν, *requiem*) Sic potuit propagare evangelium. Id moleste ferebant Judaei; neque impedire poterant.

v. 24. παραγενόμενος, *adveniens*) in praetorio Herodis, ubi captivus tenebatur Paulus, coll. Act. 23, 35.; Felix autem non videtur ibidem fuisse, sed peculiarem domum habuisse. — τῇ γυναικί, *muliere*) Accuratus sermo. Non erat haec legitima *uxor*, sed, relicto priore marito, Felici nupserat. — Ἰουδαίᾳ, *Judaea*) ex familia Herodum. Vid. Joseph. l. 20. ant. c. 5.

v. 25. διαλεγομένου, *disserente*) Paulus non curavit se insinuare per curiosos discursus. Cum sermone de fide in Christum conjunxit etiam, quae dicenda essent ad Judicem Felicem, et ad eundem Felicem atque Drusillam. [*quae ne legitima quidem Felicis uxor fuit*. V. g.] — τοῦ) Articulus, non primo et secundo, sed tertio capiti ex iis, quae hic enumerantur, additus, epitasin habet. — ἔμφοβος γενόμενος, *expavefactus*) Veritas facit, ut Felix etiam vinctum reverentur. [*Ecquis non expavefiat? — expavefactus vero ad poenitentiam et fidem compelli se patiatur, ut amori cedat pavor?* V. g.] — τὸ νῦν ἔχον, *in praesenti*) Tale *praesens* in hac vita neglectum, singulos olim damnatos rodet. Periculosa dilatio. — καιρὸν δὲ λαβὼν) Pro λαβὼν plerique scripsere μεταλαβὼν, ex alliteratione ad μετακαλέσομαι [1]). LXX, Ps. 75, (74,) 3., ὅταν λάβω καιρόν. [*Id ipsum tempus* opportunum *fuerat*. V. g.]

v. 26. ἐλπίζων, *sperans*) Mala spes: oculus nequam. — χρήματα, *pecuniam*) quam tot Christiani amore Pauli collaturi forent. conf. v. 17. 23. Sic thesaurum evangelii omisit infelix Felix.

v. 27. διετίας, *biennio*) vinculorum. Felicis munus coepit ante vincula Pauli, anno interjecto: quanquam gradatim Judaeae potitus est. unde Paulus Act. 24, 10. recte dicere potuit, eum *ex multis annis* judicem esse huic populo. conf. Ord. temp. p. 285. — ἔλαβε, *nactus est*) invitus, ut colligi potest ex v. 10. 24.—

---

1) *Hinc margo Bengelii* recentior *praefert* λαβὼν, *quod* antiquior *lectionibus minus firmis accensuerat*. E. B.

Digitized by Google

χάριτας καταθέσθαι, *gratificari*) ut Judaeorum gratia prosequeretur decedentem. sic χάριν καταθέσθαι, c. 25, 9. φιλίαν καταθέσθαι, 1 Macc. 10, 23. Homines mundani, sibi invicem gratificaturi, manus porrigunt adversus ea, quae DEI sunt. cap. 25, 9.

CAPUT XXV.

v. 1. Τρεῖς ἡμέρας) *triduum*; sat cito.

v. 2. ἐνεφάνισαν, *apparuerunt*) Tantis temporum intervallis non cessat Judaicus zelus. v. 24. Tanto justius complexus est Paulus gentes. — παρεκάλουν, *rogabant*) Hinc pendet ὅπως *ut* v. 3.

v. 3. εἰς ἰερουσαλὴμ, *Jerusalem*) ubi Festus erat jam.

v. 4. ἀπεκρίθη, *respondit*) Festi studium in tuendis Regalibus Paulo inservit. Scite exprimit Lucas animum procuratoris novi adeoque insolentis. — ἐν τάχει, *celeriter*) Vid. v. 6. — μέλλειν ἐκπορεύεσθαι) *exiturum*, ad jus dicendum.

v. 5. δυνατοὶ) *qui valent*, ad iter faciendum. ἦθος urbanum Festi exprimitur, respondentis Judaeis, molestiam viae causantibus. — συγκαταβάντες, *descendentes simul*) mecum. Forum non sequitur actorem. — εἴ τι, *si quod*) Non simpliciter credit Judaeis. v. 10. fin. — ἐν τῷ ἀνδρὶ, *in viro*) Sic *Lat.* cum codd. opt. τούτῳ additum a recentioribus.

v. 6. οὐ πλείους ὀκτὼ ἢ δέκα) *non amplius, quam octo aut decem*, habet *Latinus*. Atque huic lectioni suffragantur vetusti codices Graeci, cum versione *Coptica*. Proba locutio. [1]) sic, οὐ πλείους ἡμέραι δεκαδύο κτλ. c. 24, 11. 4, 22. 23, 13. Alii omittunt οὐ, vel etiam ὀκτὼ, vel οὐ πλείους. Octo aut decem dies, sat breve tempus (v. 4.) pro commoratione novi praesidis in urbe Jerusalem. Intra id tempus non commode poterat Pauli causam tractare.

v. 7. περιέστησαν, *circumsteterunt*) periculum intentantes. — πολλὰ, *multa*) Ubi *multa* colliguntur crimina, saepe ne unum quidem verum est. — καὶ βαρέα, *et gravia*) Ea quae fuerint, significatur v. seq. — φέροντες, *ferentes*) cum clamore. v. 24.

v. 9. θέλεις; *vis?*) Poterat Festus Paulo non rogato decernere; sed conscientia eum retinebat, et res divinitus gubernabatur, ut Paulo daretur causa *appellandi*. — ἐπ' ἐμοῦ, *penes me*) Hoc Festus speciose addit. Respondet mox Paulus: ἐπὶ τοῦ βήματος κτλ. *ad tribunal* etc.

v. 10. ἑστώς εἰμι, *sto*) scil. hic, Caesareae. — κάλλιον, *melius*) quam alii. — ἐπιγινώσκεις, *cognoscis*) Conscientiam Festi tangit.

v. 11. ἀδικῶ) Praesens absolutum (uti Col. 3, 25.) quo praeteritum involvitur, ut apud Chrys. de Sacerd. sect. 55. fin. οὐκ ἀδικῶ. conf. c. 26, 31. πράσσει. — τὸ ἀποθανεῖν) Id ipsum agi, notat articulus. — οὐδείς, *nemo*) Modeste, i. e. tu non potes. — ἐπικαλοῦμαι, *appello*) Licet interdum in causa DEI adhibere remedia juris. Arripit Paulus subsidium profectionis Romanae. c. 23, 11.

v. 12. συμβουλίου, *concilio*) Hoc constabat ex iis, qui cum praetore erant. — πορεύσῃ, *ibis*) Haec videtur Festus terrendi Pauli causa dixisse.

v. 13. βερνίκη, *Bernice*) Agrippae soror. — τὸν φῆστον, *Festum*) novum praetorem.

v. 14. πλείους, *plures*) Festus rem Pauli negligenter tractat. — ἀνὴρ, *vir*) Totus Festi sermo redolet praetorem novum.

v. 16. ῥωμαίοις, *Romanis*) Utinam nil eorum, quae Romani facere non solebant, apud Christianos fieret.

v. 17. ἀναβολὴν μηδεμίαν, *dilationem nullam*) Hoc per se non malum.

---

1) *Quae pluris aestimatur in marg.* Ed. 2., *et* Vers. germ. *quam in* Ed. maj. E. B.

Digitized by Google

v. 18. ὑπενόουν, *suspicabar*) ex tanta eorum contentione. — ἐγὼ, *ego*) hospes adhuc.

v. 19. [1]) ἰδίας) Sane Judaei gentibus ἴδιον *proprium* quiddam habere visi sunt. Agrippas non erat Judaeus: alioqui Festus non sic cum eo loqueretur. Erat, ex Herodum familia, Idumaeus, Proselytus, sed, ut fit, apud magnos homines, sine insigni studio. Festus ergo Agrippam pro Ethnico habere poterat. confer etiam c. 26, 27. — δεισιδαιμονίας, *religione*) Verbum μέσον, in bonam partem, sed saepius in malam adhibetur. — περί τινος, *de quodam*) Ita miser Festus loquitur de eo, cui omne genu flectetur. [*Si credere detrectatis, empaectae et contemtores! qui sit* Quidam *iste: videbitis omnino cum plangore et lamentatione.* V. g.] — τεθνηκότος, *mortuo*) *Crucem* aut nescivit aut non curavit Festus.

[2]) v. 20. ἀπορούμενος, *haesitans*) Debebas, Feste, quaerere. Elegans constructio, ἀπορούμενος ζήτησιν. Exempla habet Scapula. — ζήτησιν) ζητήματα, *quaesita*, v. 19. ζήτησις, *quaestio. Quaesitum, quaestionis* objectum.

[3]) v. 21. τηρηθῆναι, *servari*) Hoc verbo prodit Festus, se voluisse Paulum Judaeis condonare. — σεβαστοῦ) *Augusti.*

v. 22. ἐβουλόμην) pro, βούλομαι· morata enallage. — καὶ αὐτὸς, *egomet*) Prudenter. Si ipse cognoscas, plura videbis et audies, quam alii referunt. [*Plenus videlicet mundus est mendaciorum: at nusquam ineptius proterviusve mentiri mos est, nisi quum* de sanctis *vel personis vel rebus quaestio inciderit.* V. g.] — αὔριον) Idem dies, Festo, αὔριον *cras*; Lucae, ἐπαύριον, *postridie.* v. 23.

v. 23. φαντασίας, *pompa*) frequentia, ornatu, ceremonia. [*Ingens ministrorum amplioris atque inferioris ordinis numerus adfuit.* V. g.] — ἀκροατήριον, *auditorium*) capax, praetoris. — χιλιάρχοις, *tribunis*) militaribus. — ἀνδράσι — πόλεως, *viris — civitatis*) Hi erant magistratus civiles. — ὁ παῦλος, *Paulus*) Huic magnae laetitiae fuit tam illustris occasio.

v. 24. ἡμῖν, *nobis*) mihi et Agrippae. — ἄνδρες, *viri*) Bernicae parcit Festus, quo minus captivum repraesentet mulieri. — θεωρεῖτε) Indicativus: *videtis.* coll. c. 3, 16. 19, 26. 21, 20.

v. 26. τῷ κυρίῳ, *domino*) Caesari. Nuper orta erat haec *domini* appellatio.

CAPUT XXVI.

v. 1. Ἐπιτρέπεται, *permittitur*) Eleganter, impersonaliter. *conceditur*, a Festo, ab Agrippa. Agrippas cupiebat audire. — ὑπὲρ, *pro*) non modo *de* te. [*Id Paulus agit quidem; sed eo pacto, ut* de Christo *potius dicat.* V. g.] — ἐκτείνας τὴν χεῖρα, *extendens manum*) vinctam. Id et Pauli parrhesiae et auditorum attentioni conveniebat.

v. 2. περὶ, *de*) Paulus et crimen judaicum refutat, et fide urgente plura dicit. Est hic sermo ultimus plenior, qui extet, Pauli, dignus incrementis ejus spiritualibus. — ὑπὸ ἰουδαίων) Non addit articulum. non enim plane omnes Judaei Paulum accusabant. — βασιλεῦ ἀγρίππα, *rex Agrippa*) Magnam vim habet compellatio in secunda persona, singulari praesertim, et proprio nomine. v. 27. — ἡγημαι ἐμαυτὸν μακάριον, *aestimo me beatum*) gratulor mihi.

v. 3. γνώστην ὄντά σε) Duo accusativi, Attice: i. e. praesertim *quum sis*

---

1) ζητήματα, *quaestiones*] Magna est quaestionum varietas. Levissimae subinde pro gravissimis habentur, et pro levissimis gravissimae. Quaestiones de Jesu ex animo fac plurimi aestimes. *V. g.*

2) ζῆν, *vivere*] Vivit sane. Verum id quidem est; non fictitium. *V. g.*

3) εἰς ἱερουσαλήμ, *Hierosolymas*] Silet hîc Festus consilium suum periculosum, quod partium studio abreptus ceperat adversus Saulum. *V. g.*

Digitized by Google

gnarus. v. Heupel. de Dialectis, Can. 98. Raphel. ex Xen. et Arriano. γνώστης, qui notitiam habet et quaerit. Talis non erat Festus. c. 25, 20. — ἐθῶν, *consuetudinum*) in practicis. — ζητημάτων, *quaestionum*) in theoreticis. Hoc vocabulo usus erat Festus, absente Paulo. c. 25, 19. Et Paulus divino ductu id repetit et explanat.

v. 4. μὲν οὖν) Οὖν facit accessum ad tractationem: μὲν, non sequente δὲ, mollit sermonem. v. 9. Magnam ἐνάργειαν, *evidentiam* habet haec narratio. — βίωσιν, *vitam*) actionem in vita. — τὴν ἐκ νεότητος, τὴν ἀπ' ἀρχῆς, *quae ab adolescentia, quae ab initio erat*) id est, ab ineunte adolescentia. sic ἄνωθεν, *primitus.* v. seq.

v. 5. προγινώσκοντες) *noscentes* me, *antequam* ego dicam. — ἐὰν θέλωσι, *si velint*) Nolebant autem, quia persentiscebant, in conversione Pauli, etiam respectu vitae anteactae, efficacissimum esse argumentum pro veritate fidei Christianae.

v. 6. καὶ, *et*) Haec, quae versus 6. 7. 8. habent, quasi per parenthesin dicuntur; ut Paulus ostendat, se id ipsum, quod *pharisaei* recte statuant, de resurrectione mortuorum, non abjecisse, sed vere asserere. De nexu v. 5. et 9., cui particula μὲν οὖν inservit, confer c. 22, 3. 4. Nempe Pharisaismus ad persecutionem impulerat Paulum. — νῦν) *etiamnum.* — ἐλπίδι, *spe*) Vim habet repetitio: *sperat; de qua spe,* v. 7. — ἐπαγγελίας, *promissionis*) Firma igitur *spes.* — ἕστηκα, *sto*) hoc die. — κρινόμενος, *judicio subjectus*) hoc tempore.

v. 7. εἰς ἣν, *in quam*) spem. — τὸ δωδεκάφυλον, *duodenarius tribuum*) Etiam X tribus bonam partem redierant ex oriente, sed ex διασπορᾷ in διασποράν. Jac. 1, 1. 1 Petr. 1, 1. In illa enim loca, quae Jacobus et Petrus memorat, primitus X tribus non abductae fuerant. ll. cc. Omnes habuere spem resurrectionis. — καταντῆσαι, *devenire*) Verbum Paulo frequens. Eph. 4, 13. Phil. 3, 11. Tota religio nostra tendit in futurum.

v. 8. ἄπιστον, *incredibile*) ἄπιστα *incredibilia* veteres dixere fabulas poëticas. vid. Chrysost. de sacerd. §. 226. 590. sic *incredibile* duxit resurrectionem Festus. c. 25, 19. — ὑμῖν, *vobis*) Apostrophe, respectu Judaeorum; (neque enim Agrippas erat Judaeus: v. 3. 7., ubi ἡμῶν facit antitheton ad proselytos, tales praesertim, qualem notavi Agrippam. c. 25, 19. not.) et parrhesia, ad praesentes auditores. Festo sic respondet, ut si sermonem ejus audisset. c. 25, 19.

v. 9. ἔδοξα ἐμαυτῷ, *visum erat mihi ipsi*) etiam prae aliis. — δεῖν, *oportere*) Tanta vis errantis conscientiae. — πολλὰ ἐναντία, *multa contraria*) non ut alii, qui nec colunt, nec laedunt. Haec *contraria* Pauli sermo insigni incremento enumerat. — πρᾶξαι) ἐποίησα, mox. Differunt verba, ut alibi notamus.

v. 10. τῶν ἁγίων, *sanctorum*) Sic appellat, convenienter orationi ineunti, Christianos, vocabulo a Judaeis ad hos translato. — ἐγὼ, *ego*) Emphasis. — τὴν) Articulus significat, sine *potestate* Paulum hoc non potuisse facere: et principes sacerdotum facultatem generalem dedisse omnibus, qui vellent persequi. — κατήνεγκα ψῆφον) Rara phrasis. *Calculum adjecit* Paulus, quum recte fieri censuit.

v. 11. συναγωγὰς, *synagogas*) Hierosolymitanas. — ἠνάγκαζον βλασφημεῖν, *cogebam blasphemare*) Hoc omnium tristissimum. Resipiscite, hostes evangelii. Si Franc. Spiera, cui vis allata, tam graviter luit, quid tandem iis fiet, qui vim afferunt, nec cum Saulo resipiscunt?

v. 12. ἐπιτροπῆς, *jussu, permissu*) Paulus erat *Commissarius.* Ἐπιτροπὴ, *Commission*, unde ἐπίτροπος. vide Esth. 9, 14. in LXX.

v. 13. εἶδον, *vidi*) de improviso. — βασιλεῦ, *Rex*) Opportunissime, in hac epitasi narrationis, *regem* figit. — ὑπὲρ, *supra*) Gloria Christi.

v. 14. τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ, *Hebraica lingua*) Ipse Paulus h. l. non loquebatur hebraice. nam c. 22, 7. hebraice loquens, hoc, *hebraica lingua,* non ad-

Digitized by Google

didit. Hebraea lingua, Christi lingua in terra et e coelo. — σκληρόν σοι, *durum tibi*) Syriacum adagium notat Lightfoot.

v. 15. ὁ δὲ, *ille autem*) ὁ δὲ κύριος habet *Al.* et alii cum *Latino*. Ex cap. 9, 5. ubi Lucae relatio sic habet. Sed Paulus, qui hic loquitur, omittit etiam in cap. 22, 8. Eleganter. Nam postea, continuo, audivit demum, quis esset hic *Dominus*. — ἐγὼ, *ego*) Vivit ergo, Feste. c. 25, 19. Ad verba hujus sermonis, quem Jesus ad Saulum dixit, saepe se refert Paulus, ut mox notabimus. conf. v. 17. s. not. — ἰησοῦς, *Jesus*) ὁ Ναζωραῖος *Nazarenus*, additur c. 22, 8. Id Paulus h. l. non addit, Agrippae parcens, ne ei videatur objicere de Herodum impietate contra Christum. Etiam v. 26. generatim loquitur. — στῆθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου) Sic LXX, Ez. 2, 1.

v. 16. ὧν τε ὀφθήσομαί σοι) *et earum visionum, quas tibi* posthac *impertiar.*

v. 17. ἐξαιρούμενος, *eripiens*) Multis sane periculis eripuit Dominus Paulum. Idem verbum cap. 12, 11. et alibi, eodem sensu. Significat Paulus, hanc libertatem, qua nunc in ipsis vinculis gaudeat, sibi fuisse promissam cum profectione ad gentes. — οὓς) *quos.* Refertur et ad *populum* judaicum et ad *gentes.* v. 20. — νῦν ἐγὼ) νῦν, absque ἐγὼ, habent perpauci: plures, ἐγὼ, absque νῦν. Facile hanc vel illam inter plures perbreves voculas omiserunt librarii. Junctim *Latinus* retinet, *nunc ego.* [1]) *Ego* denotat auctoritatem mittentis: *nunc* demonstrat tempus praesens. — ἀποστέλλω, *mitto*) Epocha *apostolatus* Paulini cum hoc ipso conversionis articulo incipit. c. 9, 15. 20. 27. Gal. 1, 12. 15. s.

v. 18. ἀνοῖξαι, *aperire*) Aperit, qui mittit Paulum, v. 23. et aperit per Paulum, qui mittitur. Egregia conversionis totius hoc loco est descriptio. conf. Jes. 42, 6. 7. — αὐτῶν, *eorum*) Judaeorum et gentium. — τοῦ ἐπιστρέψαι) Non additur αὐτοὺς, ut mox additur ad λαβεῖν· quare ut ἀνοῖξαι, sic ἐπιστρέψαι dicitur de Paulo; (ut accipit Versio Neograeca, Beza et alii:) et τοῦ declarat, uti Luc. 1, 73. not. — ἀπὸ σκότους εἰς φῶς, *a tenebris in lucem*) Hoc magis ad populum pertinet; illud, quod sequitur, magis ad gentes, coll. v. 20. not. εἰς *in* lucem, 1 Petr. 2, 9. conf. Col. 1, 12. s. 1 Joh. 1, 7. 2, 9. s. Ap. 21, 24. φῶς hic sine articulo, uti v. 23. — ἐξουσίας, *potestate*) quae valde crassa fuit apud idololatras. conf. Col. 1, 13. s. — σατανᾶ, *satanae*) *Satanas* opponitur *DEO*, ut Christo antichristus. — τοῦ) Anaphora. — ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *remissionem peccatorum*) Id ad *populum* nominatim pertinet. c. 2, 38. κλῆρον *sortem*, ad gentes magis. — κλῆρον, *sortem*) Conf. iterum Col. 1, 12—14. — ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, *in sanctificatis*) vid. Cap. 20, 32. not. — πίστει, *fide*) Constr. cum λαβεῖν *accipere.*

v. 19. ὅθεν) *Inde*, facultatem accepi obediendi. — οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς, *non factus sum inobediens*) Litotes. i. e. plane statim obedii. Gal. 1, 16. Ne Pauli quidem conversio irresistibilis fuit. De Judaeorum sententia Paulus debuisset esse *inobediens:* id negat ipse. — οὐρανίῳ, *coelesti*) adeoque efficacissimae.

v. 20. μετανοεῖν, *resipiscere*) Id magis ad Judaeos pertinet. — ἐπιστρέφειν, *converti*) Id magis ad gentes pertinet. Nam *ad Dominum* Christum *converti* dicitur in hoc praecipue libro de Hebraeis: c. 11, 21. not. *ad Deum converti* dicitur de gentibus. c. 14, 15. 15, 3. 19. 1 Thess. 1, 9.

v. 21. ἕνεκα τούτων, *horum causa*) Nunc omnia dextre confert Paulus ad defensionem.

v. 22. ἐπικουρίας, *opem*) Ammonius: βοηθεῖ μὲν ὁ συνών· ἐπικουρεῖ δὲ ὁ ἔξωθεν εἰς βοήθειαν ἥκων. Quum Judaei omnes Paulum vel oppugnarent vel non defenderent, *Deus* auxilio repente misit Romanos *ex castris.* Sic promissio, quam Jesus dederat, v. 17. praestita est. — τυχὼν) Respectu nostri, non respectu

---

1) *Cui lectioni margo* Ed. 2. *potius, quam* Ed. maj. *favet. Atque crisin posteriorem sequitur etiam* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

DEI, talia sunt *fortuita*. — ἕστηκα, *steti*) *sto* salvus. — μεγάλῳ, *magno*) ut in praesenti. — μελλόντων) Genitivus pendet ab ὧν. — καὶ) *et*, nominatim, Moses, propheta eximius. — εἰ) *an*. Eleganter. Res erat liquida: Judaei in *quaestionem* vocarant. v. 3. — παθητὸς, *pati potis est*) Negarant Judaei, Messiam posse pati. — πρῶτος, *primus*) 1 Cor. 15, 23. — φῶς, *lumen*) v. 13. 18. — μέλλει καταγγέλλειν, *annuntiabit*) per evangelium, ut praedictum est.

v. 24. μαίνῃ παῦλε, *insanis, Paule*) Insanis Feste. Videbat Festus, naturam non agere in Paulo: gratiam non vidit. quare furorem putat esse judaicum, cujusmodi furor erat apud gentes ex fabulis suis. Non habitum maniae, sed actum Paulo tribuit. conf. c. 12, 15. — γράμματα, *literae*) Pro Pedantismo Festus habet ardorem apostolicum.

v. 25. κράτιστε φῆστε, *excellentissime Feste*) Insani non utuntur nominibus et vocabulis honoris. Sic quoque Festum refutat Paulus. — ἀληθείας καὶ σωφροσύνης, *veritatis et sobrietatis*) *Sobrietas* opponitur furori: *veritas* confirmatur v. seq. Utraque manet etiam, ubi vehementissime agunt homines DEI. — ἀποφθέγγομαι, *eloquor*) Aptum verbum.

v. 26. ἐπίσταται, *scit*) Patet hoc. nam etiam *Christianum* nomen sciebat. v. 28. Interpellatione Festi refutata urget Paulus propositum, apte et pedetentim rediens a Festo ad Agrippam. — παῤῥησιαζόμενος, *libertate utens*) Libera fiducia erat, quam Festus *maniam* appellabat. — οὐκ ἐν γωνίᾳ) non in *angulo*, sed inspectante genere humano.

v. 27. τοῖς προφήταις, *prophetis*) His qui credit, Paulo credit, ipsique Christo. — οἶδα, *scio*) Hic regem ita tenet Paulus, ut vix obniti possit. [*Eo artificio frequenter uti juvat strenuos doctores: at auditor, qui constringi se sentit, victas dare ne cunctetur!* V. g.]

v. 28. ὁ δὲ ἀγρίππας, *Agrippa autem*) Contemtim Rex loqui nonnullis videtur: verius dixeris, bonum in eo fuisse motum. coll. v. 27. 29. — ἐν ὀλίγῳ) Ipsam hanc locutionem non reperias apud LXX. sed tamen synonyma eodem genere neutro posita, quibus Hebraicum כמעט Latinum *propemodum*, *tantum non*, exprimitur, ita quidem, ut effectus ipse, in re praeterita excludatur, in re futura varie includatur. priore modo fere additur παρά· παρὰ μικρὸν, παρὰ βραχὺ, παρ' ὀλίγον. Ps. 72, (73.) 2. 93, (94.) 17. Prov. 5, 14. Lat. *paene*. Altero modo ἐν ponitur: ἐν τῷ μηδενὶ, Ps. 80, (81.) 15. ἐν τάχει, Ps. 2, 12. Lat. *nullo negotio, facile, celeriter*. quae notio huic loco, qui item ἐν habet, pulcre congruit. Occurrit ergo hic, Festus, sine Christo: Paulus, Christianissimus: Agrippas, in bivio, cum optimo impulsu.

v. 29. εὐξαίμην ἂν τῷ θεῷ, *vota DEO fecerim*) Agrippas loquitur tanquam de re arbitrii sui, persuasionem humanam, qualem Paulo tribuebat, admittentis. id Paulus comiter corrigit: nam DEI est donum et opus. — καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ, *et in pauco et in multo*) Paulus regi illud, *in pauco*, regerit; et per quandam parodiam addit, *et in multo*: quorum utrumque et tempus et facilitatem rei notat. quae facilia sunt, plerumque cito fiunt: quae difficilia, tarde. *in multo* pertinet ad Festum, cujus nomini Paulus parcit, et ad alios auditores, Festi similes, quos ad fidem invitat: *in pauco*, vel utrumvis, ad Agrippam. — οὐ μόνον σὲ, *non modo te*) Innuit Paulus, se paratum esse, non modo τὸ ὀλίγον *paucum*, loquendi operam, sed etiam τὸ πολὺ, *multum*, magnum laborem, tolerantiam, ipsamque vitam impendere. — πάντας, *omnes*) Modestiae est, quod hos omnes Paulus non appellat et alloquitur: aspicit tamen et notat. — σήμερον, *hodie*) Hoc plerique cum participio praecedente, Chrysostomus et alii cum verbo subsequente construunt. Et quidem cum verbo insignem vim habet. — γενέσθαι, *fieri*) Repetitur verbum Agrippae. Antitheton, *sum*, mox. — τοιούτους, *tales*) *Christianos*, non solum professione, sed re. Elegans periphrasis. — κἀγὼ, *egomet*)

Digitized by Google

Loquitur Paulus ex sensu suae beatitudinis, cum amore latissimo. conf. 1 Cor. 7, 7. — παρεκτὸς, *cum exceptione*) Suavissima ἐπιθεραπεία et exceptio.

v. 30. ἀνέστη, *surrexit*) Sederant igitur. Pretiosissimum pro Agrippa momentum: quo utrum usus sit, nec ne, olim videbimus.

v. 31. οὐδὲν, *nihil*) Nilne praeterea, auditores, ex illo sermone discere poteratis? Politica reflexio et benignum judicium de tali praecone, rem non conficit. — πράσσει) *agit*, egitque. Non de una actione, sed de tota vita Pauli loquuntur.

v. 32. εἰ μὴ, *si non*) Jam Festus non poterat dimittere. Accedebat timor offendendi Judaeos.

CAPUT XXVII.

v. 1. Ἐκρίθη, *judicatum est*) Profectio Pauli ad Caesarem jam ante decreta erat: nunc tempus constitutum, et iter maritimum. De Paulo proprie *judicatum erat:* Paulum libere sequebantur amici, in his Lucas. — τοῦ) ἐκρίθη τὸ κρίμα τοῦ ἀποπλεῖν. — ἑτέρους, *alios*) Conf. Luc. 22, 37. — σπείρης σεβαστῆς) *cohortis Augustae.*

v. 2. πλοίῳ) Non voluere captivorum causa *navem* sumere talem, qua una totus cursus conficeretur. v. 6. — ἀδραμυττηνῷ) *Adramyttium*, Asiae minoris oppidum, a Pergamo septentrionem versus situm, ut ex Xenophonte observat Raphelius, contra ac tabulae habent Geographicae. — μέλλοντι) Sic sermo pertinet ad navem, coll. v. 6. Μέλλοντες habent alii, ex rhythmo ἐπιβάντες. — τοὺς — τόπους, *loca*) Ut mare navigatur, sic partes maris (τόποι) navigantur. — ἀριστάρχου) *Aristarchus* aut patriam repetebat, aut Romam petebat.

v. 3. φιλανθρώπως, *humane*) Aptum verbum, de officiis inter alieniores. c. 28, 2. Tit. 3, 4. — ἰούλιος, *Julius*) Videtur audisse Paulum, c. 25, 23. — φίλους, *amicos*) qui *Sidone* erant. [*aeque ac* Tyri. V. g.]

v. 4. ὑπεπλεύσαμεν, *subnavigavimus*) Partem Cypri meridionalem volebant praetervehi; orientalem non procul praetervecti sunt. ὑπὸ hic componitur, uti v. 7. 16.

v. 5. πέλαγος) *mare* profundum, a terra remotius. Antitheton, *subnavigavimus.*

v. 7. μὴ προσεῶντος) *non admittente* nos vento ad Cretam.

v. 8. μόλις, *vix*) Constr. cum ἤλθομεν, *venimus.* — καλοὺς) fortasse κατ' ἀντίφρασιν, coll. v. 12. uti *Pontus Euxinus.* — λασαία) Sic optimi codices: duo, ἄλασσα. unde *Thalassa* habet *Lat.* Prosthesin literae *t civitas*, proxime praecedens, ex tertia syllaba dare potuit. Plus tribuimus Asiaticis codicibus, quam Africanis, ubi de nominibus locorum agitur. Creta λέγεται εἶναι ἑκατόμπολις, ut habet Scylacis Periplus. In *centum* oppidis quam multa hodie ignota sunt?

v. 9. ἤδη, *jam*) propter anni tempus. Veteres plus timuere hiemem in navigando, quam nostra aetas. — τὴν νηστείαν, *jejunium*) Denotatur anni tempus, per metonymiam, ab jejunio mensis 7. Lev. 16, 29. [*Expiationis festum, cujus jejunium hoc fuit, illi temporis parti respondet, quae proxime antecedit vindemiam nostram.* V. g.] — παρήνει, *adhortabatur*) ne Cretam relinquerent. v. 21. — ὁ παῦλος, *Paulus*) Illustre exemplum Paulus praebet fidei in rebus etiam maxime externis, cum magna praesentia animi et dexteritate consilii se exserentis et alios excitantis.

v. 10. αὐτοῖς, *eis*) centurioni et ceteris. — ὅτι — μέλλειν) ὅτι interdum habet infinitivum. Polybius: διαδοθείσης φήμης, ὅτι τὰ θηρία τοὺς πλείστους διαφθείρει. Plura ex eo Raphelius. — ὕβρεως) ὕβρις, Lat. *injuria*, saepe dicitur respectu patientis, qui non meritus erat incommodum, tametsi causa agens non peccet. Haec vox ὕβρις navim potissimum spectat: ζημία et navim et animas.

Digitized by Google

— μέλλειν ἔσεσθαι) μέλλει facit orationem modalem, *possit:* et modestiam redolet. [*Non expresse dicit, quid fieri debeat, coll.* v. 21.; *sed periculum duntaxat indicat, ex eo, quod facere placebat, imminens. Ita et* v. 31. V. g.]

v. 11. κυβερνήτῃ, *gubernatori*) qui navem regebat. — ναυκλήρῳ, *nauclero*) cujus erat navis. Hic quoque in potestate centurionis erat. — ἐπείθετο μᾶλλον, *obtemperabat potius*) Artifici in sua arte non semper credendum. Saepe fidelis Christianus, quum maxime opus est, opportuniora loquitur: sed minus auditur. Coh. 9, 15. Fortasse timuit Julius indignationem superiorum.

v. 12. οἱ πλείους, *plurimi*) In periculo suffragia ferunt etiam ii, qui jus non habent: sed plura suffragia non semper meliora. — ἔθεντο βουλήν) *consilium posuerunt:* Pricaeus, Petroniana phrasi. LXX, Jud. 19, 30. θέσθε βουλήν. et sic Ps. 13, (12.) 3. θήσομαι βουλάς. — φοίνικα, λιμένα) φοίνιξ erat oppidi nomen; *portûs*, φοινικοῦς, Ptolemaeo. Prona metonymia. — κατὰ λίβα καὶ κατὰ χῶρον, *ad Africum et ad Corum*) Duobus ventis positis, distinctius exprimitur, quam patens fuerit portus, et quanta appellendi spes, quam si zephyrus duntaxat poneretur, a quo *Africus* meridiem versus, *corus* septentrionem versus declinat.

v. 13. δόξαντες, *rati*) secundo austro. — ἄραντες) *moventes.* Ubi est motus, ibi moles de solo, quod ea premit, levatur. Inde αἴρειν *movere*, metonymia consequentis. — ἄσσον) *propius.* Comparativus contractus ab ἐγγύς, quo passim utitur etiam Herodotus, et Josephus l. 1. ant. c. 20. Vide Bezam, E. Schmidium, Raphelium. Non est h. l. oppidi alias ignoti nomen, quod peterent: nam *Phoenicen* petierant.

v. 14. ἔβαλε) sc. ἑαυτόν· sic ἐπιδόντες, v. 15. ἀποῤῥίψαντας, v. 43. Intransitive. — αὐτῆς) Versio Neo Graeca: τῆς κρήτης κατ᾽ αὐτῆς, in Cretam et a Creta adversum nos. — ἄνεμος τυφωνικός, *ventus typhonicus*) Aristot. de mundo, τυφών ἐστι τὸ ἀστράψαν ἄχρι τῆς γῆς διεκθέον, ἐὰν ἄπυρον ᾖ παντελῶς. dicitur a τύφω, pro θύφω, ut τρέφω pro θρέφω. Plinio Typhon est vibratus ecnephias, praecipua navigantium pestis. l. 2. c. 48. et 49. cumque adeo flatus procellosus sit potius, quam ventus; ideo conjunctim dicitur ἄνεμος τυφωνικός. — εὐροκλύδων) id est, *eurus fluctum concitans.* Apta compositio, παρὰ τὸν εὖρον, quia ἄνεμος· et παρὰ τὸν κλύδωνα, quia τυφωνικὸς. [*Vid. App. crit. P. II. ad h. l. qui lectionem* εὐρακύλων, *multis placitam, non una ratione refutat.* Not. crit. *Praeferunt alii* εὐρυκλύδων, *ex MS.* Petav., *monente cel.* Dr. Ernesti, *Bibl. th. T. VIII. p.* 24. E. B.]

v. 16. περικρατεῖς γενέσθαι τῆς σκαφῆς) *scapham*, quae hactenus navem comitata erat, *retinere* et ex mari extrahere. v. 30. 32.

v. 17. ἣν, *quam*) scapham. — βοηθείαις, *auxiliis*) quae praestabat scapha. — ὑποζωννύντες, *subcingentes*) Gyraldus, libro de Navigiis, c. 15. mitram ait esse funem, quo navis media vincitur. Adde Raphelium. — τὴν σύρτιν, *Syrtin*) versus Africam. — τὸ σκεῦος, *ras*) vela etc. v. 19. quo minore vi agerentur in Syrtin.

v. 18. ἐκβολὴν) *jacturam* mercium.

v. 20. μήτε ἡλίου, μήτε ἄστρων, *neque sole neque astris*) Quibus minus carere poterant veteres ante repertam pyxidem nauticam.

v. 21. πολλῆς) *multa*, frequens, diutina erat. — τότε, *tum*) Ubi mundus exsultat, Christiani abstinent: ubi omnes trepidant, hi bono sunt animo, et ceteros erigunt. v. 36. — ἔδει μὲν, *oportebat quidem*) Non sine causa sic orditur Paulus: bonum consilium dederam, bonum dabo; morem gerite nunc. — κερδῆσαι, *lucrifacere*) Hoc non pendet a μή. κερδῆσαι per euphemiam valet *vitare.* Josephus l. 2. de Bello Jud. c. 16. τόγε τῆς ἥττης ὄνειδος κερδήσετε, *cladis dedecore supersedebitis.* Adde l. 2. Ant. jud. c. 3. Basilius Seleuciensis Or. 19.,

Digitized by Google

ἵνα, εἰ μὲν φθάσας ὁ λόγος ἐπιστρέψῃ τὴν ἔννοιαν, τὴν τιμωρίαν κερδάνωσιν. Casaubonus ad h. l. confert Arist. ἠθ. μεγ. I. 2. καὶ ᾧ κατὰ λόγον ζημίαν ἦν λαβεῖν, τὸν τὸ τοιοῦτον κερδάναντα εὐτυχῆ φαμέν. Sic quoque Latini *lucrificare* dicunt. — ταύτην, *hanc*) quae ante oculos est.

v. 22. καὶ) Particula μὲν praevia postulabat δὲ, sed καὶ modestiam habet [1]). — οὐδεμία, πλὴν, *nulla, praeterquam*) Miranda praedictio. v. 24. 34. 44.

v. 23. εἰμὶ, *sum*) *DEI esse*, summa religionis; qua fides, amor, spes comprehenditur. Correlatum, *DEO servire*. — λατρεύω, *servio*) Id videbant, qui in navi erant.

v. 24. κεχάρισται, *donavit*) Paulus orarat: Paulo donati sunt etiam multi fortasse horum, quod ad animam attinet. Etiam centurio, subserviens providentiae divinae, Paulo condonavit captivos, v. 43. Providentia DEI mirabiliter regnat sub rebus contingentibus, qualis erat hic comitatus. Facilius multi mali cum paucis piis servantur; quam unus pius cum multis reis perit. Navi huic similis mundus. [*Et quanquam praeter opinionem suam permulta filiis Dei debent homines mundani; pessime tamen erga istos affecti sunt*. V. g.] — σοὶ, *tibi*) Non erat tam periculoso alioqui tempore periculum, ne videretur Paulus, quae necessario dicebat, gloriose dicere. — πάντας, *omnes*) non modo, ut Julius, vinctos, v. 43. Hi *omnes*, multi erant. v. 37. Pete animas; donabuntur, spe plures. — μετὰ σοῦ, *tecum*) Paulus, in conspectu DEI, princeps navis, et consiliis gubernator.

v. 25. ἄνδρες, *viri*) quos decet virtus. — τῷ Θεῷ, *Deo*) Fides angelo DEI habita habetur DEO.

v. 26. εἰς νῆσον, *in insulam*) Id factum mox v. 27.

v. 27. τεσσαρεσκαιδεκάτη, *quarta decima*) post relictam Cretam. v. 18. 19. — αὐτοῖς χώραν, *sibi regionem*) Iis, qui vehuntur, terrae moveri videntur.

v. 30. φυγεῖν, *fugere*) in scapha, super aspera loca tutius itura.

v. 31. ὑμεῖς, *vos*) Non dicit, *nos*. De salute captivorum non laborabant milites: suae non timebat Paulus.

v. 32. τότε, *tunc*) Paulus militibus, quid facere deberent, existimandum reliquit.

v. 33. ἄχρι) *donec*. In diluculo plus loci erat hortationi diutinae. — τεσσαρεσκαιδεκάτην, *quartam decimam*) Constr. cum *expectantes:* neque enim tam diu cibo abstinuerant, quamvis fortasse nullum habuerant compositum prandium aut coenam. Ceteroqui dies XIV, ut Wallio videtur, criticus apud navigantes fuit.

v. 34. σωτηρίας, *salutis*) quo valentiores sitis ad enatandum.

v. 35. εὐχαρίστησε, *gratias egit*) Confessio publica. — ἤρξατο, *coepit*) Hujus quoque exempli vis erat. Paulus bono animo cibum capiens animum addit desperatis.

[2]) v. 38. τὸν σῖτον, *frumentum*) certa appellendi spe.

v. 39. τὴν γῆν, *terram*) quam videre coeperant. — αἰγιαλὸν, *litus*) planum. Matth. 13, 2. not.

v. 40. εἴων, *permittebant*) scil. navem et sese cum ea. — τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων) *Gubernacula vinculis* quibusdam annectebantur navi. ea cum laxantur, tunc gubernacula multum in aquas descendunt, et pondere suo navem retinent, quo minus a ventis evertatur. *Grotius*. — τὸν ἀρτέμωνα) *Est*

---

1) παραινῶ ὑμᾶς, *hortor vos*] Paulus, utut posthabitus antea, non tamen indignatur, sed pergit salubria suadere, h. l. et v. 33. *V. g.*

2) v. 37. αἱ πᾶσαι, *omnes*] quarum haud paucas lucrifactas esse non temere existimes. *V. g.*

Digitized by Google

artemon minus illud velum, quod velis majoribus appendi solet, unde et illi nomen. Gyrald. de Navig. T. I. Op. f. 604., ubi multos de ***artemone*** errores refutat. — τῇ πνεούσῃ) sc. αὔρᾳ. Id sexto casu cum verbo κατεῖχον construitur, ut construit vetus interpres Anglicus et Heinsius. Velo, non remis jam tendebant ad litus.

v. 41. εἰς τόπον διθάλασσον, ***in locum bimarem***) Talis locus est v. gr. agger oblongus ex arena densata congestus. dicitur ταινία, ***dorsum, pulvinus,*** Germ. ***sandbank.***

v. 42. βουλὴ, ***consilium***) crudele, iniquum, ingratum. [***Non jam recogitabant milites, quantum debeant Paulo.*** V. g.]

v. 43. ἀποῤῥίψαντας) scil. ἑαυτούς.

v. 44. ἀπὸ, ***de***) de ligneis navis partibus.

CAPUT XXVIII.

v. 1. Τότε) ***tum*** demum. — ἐπέγνωμεν) Sic documenta antiquissima. ἐπέγνωσαν habent recentiores ex cap. 27, 39. Non prius nautae, inquit Lucas, terram cognoverunt, quam nos ceteri. — μελίτη) ***Melita***, infra Siciliam. Conf. c. 27, 17. neque obstat ibi versus 27. nam nomen maris Adriatici late patuit, apud veteres, Jonium versus.

v. 2. βάρβαροι, ***barbari***) Verbum μέσον, per se non contumeliosum. Drusius derivat a Syriaco ***bar***, extra: ut ***barbarus*** dicatur, qui ignota lingua utitur. — γὰρ, ***enim***) Valde laudatur beneficium promtum erga ignotos, multos, quamvis alioqui non sumtuosum.

v. 3. συστρέψαντος, ***cum collegisset***) Exemplum αὐτουργίας. cap. 27, 19. Vincti officium faciebat submisse, aliis quoque inserviens. — φρυγάνων, ***sarmentorum***) in quibus vipera latebat, frigida tempestate. — τι πλῆθος) τι omiserunt recentiores. — ἀπὸ) ἐκ, recentiores. ἀπὸ τῆς θέρμης, ***a calore,*** clarius esse judicat Grotius. Sic, inquit, ἀπὸ τοῦ ἰοῦ, ἀπὸ τῆς λύπης, in causae significatu saepe apud Graecos. — καθῆψε) sc. ἑαυτὴν, ***alligavit se*** manui ejus. vide Suiceri Thesaurum. Mox sequitur κρεμάμενον, ***pendentem.*** v. 4.

v. 4. ἔλεγον, ***dicebant***) praecipiti judicio. Vincula videbant. — φονεὺς, ***homicida***) Inhumanissimum scelus, homicidium; quod in hac vita omnium apertissime punitur. — ἡ δίκη, ***Ultio***) Ultionem aliquam esse, agnoscunt; sed eam pro dea habent, nec, quis sit ὁ Δίκαιος, ***Justus ultor***, norunt. Debile lumen naturae. — ζῇν, ***vivere***) Legem talionis agnoscunt. — οὐκ εἴασεν, ***non sivit***) Jam nullum putant esse Paulum.

v. 5. ἀποτινάξας, ***excutiens***) Quintinus Haeduus in lib. de Bello Melitensi, apud Flacium in h. l. ***Melitae nullum maleficum serpentis genus neque nascitur, neque nocet, aliunde invectum. sunt indigenae quasi terrori serpentibus. scorpiones, dirum alibi animal, inter manus lascivientium puerorum conspiciuntur innocui: vidi qui manderet. quod Paulo viperam admorso pendentem digito citra noxiam excutienti ferunt acceptum.*** Id ***si verum est***, subjicit Illyricus, ***sane statuendum est, singularem DEI benedictionem esse, qui quasi mnemosynon quoddam aeternum praedicati illic evangelii, et tot miraculorum reliquerit: sicut saepe Scriptura testatur, DEUM vel deteriores vel meliores facere terras, ob peccata hominum, aut etiam contra ob suam singularem misericordiam. Sicut manifesta experientia testatur, solum et coelum ipsum Germaniae et omnium septentrionalium regionum longe mitius salubriusque ac fertilius esse, quam olim ante Christum natum fuerit, ut ex scriptoribus fide dignis liquet.*** etc.

v. 6. προσεδόκων, ***exspectabant***) Sciebant, quinam esse solerent effectus

Digitized by Google

talium morsuum. — μεταβαλλόμενοι, *mutati*) Instabilitas rationis humanae: aut latro, inquiunt, aut deus. sic modo tauri, modo lapides. c. 14, 13. 19. Datur tertium: *homo DEI.* De nullo genere hominum majores errores committunt naturales homines, quam de Sanctis.

v. 7. τοῖς περὶ) in loco et in vicinia. — τῷ πρώτῳ, *primati*) Non videtur Publius habuisse imperium, sed opum principatum. — τρεῖς ἡμέρας, *triduum*) primo tempore commorationis nostrae Melitensis.

v. 8. ἐγένετο, *factum est*) Morbus describitur gravissimus, respectu senectutis et varietatis. — πυρετοῖς, *febribus*) febri complicata; vel tali, in quam saepius inciderit. Plurale.

v. 10. τὰ πρὸς τὴν χρείαν, *quae necessaria erant*) post naufragium. [*Denuo comitibus profuit Paulus.* V. g.]

v. 11. τρεῖς μῆνας, *tres menses*) Sic Paulo quies obtigit. [— *et incolis, per Paulum, larga bonorum messis.* V. g.] — παρασήμῳ) *Insignia* in prora erant, ex quibus naves nomina habebant. — διοσκούροις, *Geminis*) Hi erant Castor et Pollux, sive Castores, pro *Jovis filiis* habiti, quos nautae sibi propitios putabant.

v. 13. περιελθόντες, *circumlegentes*) per anfractum. — νότου, *austro*) Finis navigationis commodus.

v. 14. παρεκλήθημεν ἐπ᾽ αὐτοῖς) *Consolationi* nobis fuit aspectus fratrum; eaque nos adduxit, ut septem dies maneremus. Hic quoque humanitas centurionis indulsit Paulo. — εἰς τὴν ῥώμην ἤλθομεν, *Romam venimus*) locum insignem, expetitum. Hic emphasin habet, τὴν ῥώμην, *Romam*, ut notetur urbs diu desiderata: sed in v. 16., ἤλθομεν εἰς ῥώμην, *venimus Romam*, emphasin habet ἤλθομεν *venimus*, ut notetur introitus ipse.

v. 15. οἱ ἀδελφοὶ, *fratres*) Christiani. — ἀπάντησιν, *occursum*) Officia erga peregrinantes, προπέμπειν, ἀπαντᾶν, *prosequi et obviam prodire.* — ἄχρις, *usque*) Alios in Appii foro, alios deinde in Tribus tabernis offendit. — εὐχαριστήσας, *gratias agens*) voti potitus, ut Romam videret. c. 19, 21. Rom. 1, 11. 15, 23. — ἔλαβε θάρσος, *cepit fiduciam*) active. Videbat, Christum etiam Romae esse. Non semper idem impetus etiam in Paulo fuit. Jam obliviscitur molestiarum itineris. Ammonius: θράσος, ἄλογος ὁρμή· θάρσος, ἔλλογος ὁρμή.

v. 16. τῷ παύλῳ) Recentior librarius periphrasin concinnavit: ὁ ἑκατόνταρχος παρέδωκε τοὺς δεσμίους τῷ στρατοπεδάρχῃ. τῷ δὲ παύλῳ κτλ. [1]) Ceteris vinctis quid factum fuerit, nostra nil interest. De Paulo Festum quam mitissime Romam scripsisse, existimare licet, coll. c. 25. et 26. — καθ᾽ ἑαυτὸν) *secum*, ubi ei videretur. Nactus est *hospitium, conductum.* v. 23. 30. — στρατιώτῃ, *milite*) qui catena, ut solebant, junctus erat Paulo, ejusque doctrinam semper audire poterat.

v. 17. μετὰ ἡμέρας τρεῖς, *post triduum*) quieti et precibus datum. — συγκαλέσασθαι, *ut conrocaret*) ad se. v. 23. Vinctus minus commode poterat circuire. — τῶν ἰουδαίων πρώτους, *Judaeorum primores*) auctoritate pollentes. Semper *Judaeos* primo quaesivit. — οὐδὲν, *nihil*) Ex ipsis vinculis potuerant falsam suspicionem capere: huic occurrit Paulus.

v. 18. ἐβούλοντο ἀπολῦσαι, *volebant dimittere*) c. 24, 23. seqq.

v. 19. ἀντιλεγόντων, *contradicentibus*) Clementer dicit. nam intentata nece conati fuerant in Palaestina supprimere Paulum loquentem.

v. 20. ἕνεκεν, *propter*) Initio loquitur cum eis, ut frater, non ut apostolus.

v. 21. οὔτε, *neque*) Hiems fuerat: nec multo ante appellarat Paulus Cae-

---

1) *Hinc brevior lectio et per marginem* Ed. 2. *pro firmiori declarata est, et in* Vers. germ. *recepta.* E. B.

Digitized by Google

sarem. — τῶν ἀδελφῶν, *fratrum*) Judaeorum. — ἀπήγγειλεν, *nuntiavit*) ex professo. — ἐλάλησε, *locutus est*) in sermone quotidiano.

v. 22. γνωστὸν, *notum*) Aliud *notum* rependitur v. 28. — πανταχοῦ ἀντιλέγεται, *ubique contradictionem habet*) Id potius bonae causae indicium, quam malae.

v. 23. πείθων, *suadens*) suavissime. — ἀπὸ πρωΐ ἕως ἑσπέρας, *a mane usque ad vesperam*) Quis non optaret interfuisse?

v. 24. ἐπείθοντο, *assentiebant*) intellectu et voluntate. Et sic alii ἠπίστουν *non credebant*.

v. 25. ὄντες, *cum essent*) Judaei. — πρὸς ἀλλήλους) *inter se*. — ἀπελύοντο) *digrediebantur*. Medium. — εἰπόντος, *dicente*) erga abeuntes. — ἕν) *unum*, maxime aptum, serium. *[Saepe ab uno verbo vel facto occasionem quis arripit resiliendi a bono: imo vero omnibus id ipsum evenit, qui, cum verbum audiant, non salvantur. Miserrima momenta!* V. g.]

v. 26. πορεύθητι, *vade*) Hoc verbum Paulus ad se applicare potuit: nam modo Romam venerat.

v. 27. καὶ ἰάσομαι, *et sanabo*) Indicativus post Subjunctivum, de quo conf. not. ad Marc. 3, 27. isque hoc loco eo firmior, quia apud Esajam post ἐπιστρέψωσι *convertantur* maximam accentus Hebraicus distinctionem hemistichii facit.

v. 28. τοῖς ἔθνεσιν, *gentibus*) quarum caput Roma. Profectionem ad gentes declaraverat Judaeis contumacibus, Antiochiae, c. 13, 46. Corinthi, c. 18, 6. nunc, tertium, Romae; adeoque in Asia, Graecia, Italia. — ἀπεστάλη, *missum*) per apostolum. Ante hoc tempus nullus Romam apostolus, ne Petrus quidem, venerat. — τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, *Salutare Dei*) Etymon nominis *Jesu*. Conf. Luc. 3, 6. not. — αὐτοὶ, *ipsi*) tametsi vos non auditis. — καὶ) *etiam:* non modo missum eis est. — ἀκούσονται, *audient*) Hujus ipsius praedictionis eventu Judaei resipiscere debuere.

v. 29. πολλὴν, *multam*) ut solent, qui veritati impares sunt.

v. 30. ἔμεινε δὲ, *mansit autem*) quicquid Judaei sentirent. — διετίαν ὅλην) *biennium ipsum*, quo tempore elapso liber hic scriptus est, diu ante martyrium Pauli, et sine dubio voluntate Pauli editus. Erat Lucas cum Paulo etiam extremo tempore. 2 Tim. 4, 11. *Fortasse Lucas meditabatur tertium librum, in quo repeteret acta illius biennii; sicut Act. 1. quaedam exposuit tacita ultimo capite evangelii.* Estius. — πάντας, *omnes*) sine discrimine nationis.

v. 31. βασιλείαν, *regnum*) in ipsa sede *imperii* orbis terrarum. Sic mox, περὶ τοῦ κυρίου, *de Domino*. Conf. v. 23. Invidiosa sub Pilato fuerat mentio *regni:* eam nunc Roma fert publice. — παῤῥησίας, *fiducia*) intrinsecus. — ἀκωλύτως, *sine impedimento*) extrinsecus, post superata tot impedimenta. Victoria Verbi Dei. Paulus Romae, apex evangelii, Actorum finis: quae Lucas alioqui (2 Tim. 4, 11.) facile potuisset ad exitum Pauli perducere. Hierosolymis coepit: Romae desinit. [*Atque hoc ipso biennio finiente quartum a mundo condito millennium finitum fuit.* V. g.] Habes, Ecclesia, formam tuam. tuum est, servare eam, et depositum custodire. In V. T. Jesajas, volumen XII prophetarum, Ecclesiastes et Threni, clausulam habent minacem ac severam; unde Judaei versus penultimos laetiores solent sine punctis subjicere. Sed in systemate librorum N. T. omnes clausulae habent secunda omnia.

Digitized by Google

ANNOTATIONES
IN EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.

CAPUT I.

v. 1. Παῦλος, *Paulus*) Epistolae initium, Inscriptio. [1]) Epistolicam formam prae libris V. T. habent scripta N. T. et in his non solum Pauli, Petri, Jacobi, Judae, sed etiam uterque Lucae, et omnes Johannis libri. Plus etiam est, quod ipse Dominus Jesus Christus suo nomine septem epistolas dedit, Johannis manu, Apoc. 2. 3. ac tota Apocalypsis instar est epistolae ab Ipso datae. Non ad servos, sed ad liberos, eosque emancipatos potissimum, epistolae mitti sunt solitae: epistolicumque scribendi genus prae quovis alio accommodatum est ad regnum Dei quam latissime propagandum et ad animas quam locupletissime aedificandas. Plus in hoc quoque genere unus laboravit Paulus, quam ceteri omnes. Namque XIV ejus extant epistolae: quarum varius est ordo, varia divisio. Unam ad Hebraeos, non praefixo nomine suo scripsit: ceteris nomen adjecit; atque hae partim ad ecclesias, partim ad singulos viros datae sunt; eamque hodie seriem obtinent in voluminibus, ut plurimorum quaeque versuum prima ponatur. Multo autem dignior consideratu est ordo chronologicus, de quo egimus in *Ordine temporum*, cap. 6. Eo constituto, et historia apostolica et ipsae epistolae mutuam sibi lucem afferunt: et congruentia noëmatum locutionumque in epistolis uno tempore super eodem rerum statu scriptis cernitur: et incrementum apostoli spirituale cognoscitur. Unam hoc loco divisionem potissimum commemorandam ducimus. Aliter scripsit Paulus ad ecclesias opera sua plantatas; aliter ad eas, quibus facie ignotus erat. Illas epistolas comparare possis cum homiliis pastorum ordinariis: has cum homiliis, quas habent hospites. Illas status ecclesiarum evangelio magis minusve congruens vel dulci vel acri familiaritate replet: hae, evangelium quasi meracius universim et in abstracto propinant. Illae sunt magis domesticae et quotidianae: hae, festae et festivae. Confer not. ad cap. 15, 30. Haec ad Romanos epistola maxime festa est. — δοῦλος ἰησοῦ χριστοῦ, *servus Jesu Christi*) Huic exordio respondet conclusio, cap. 15, 15. seqq. — χριστοῦ — θεοῦ, *Christi — Dei*) Ubique in epistolis Pauli et in toto N. T. consideratio *Dei et Christi* arctissime conjuncta extat. v. gr. Gal. 2, 19. seqq. [*Idque et nobis fas est pervium esse*. V. g.] — κλητὸς ἀπόστολος, *vocatus apostolus*) Subaudi, *Jesu Christi*. Nam, quod praecedit, *servus Jesu Christi*, nunc specialius declaratur. Ad *apostolum*, et ad *vocatum apostolum*, pertinet, *Romanis* quoque scribere. [*Tali videlicet servo mundus universus est obnoxius*. V. g.] Ceteri quidem apostoli per diutinam cum Jesu consuetudinem educati fuerant, et primo ad sequelam ac discipulatum vocati, deinde ad apostolatum producti. Paulus, persecutor antehac, de subito apostolus per vocationem factus est. Ita Judaei erant sancti ex promissione; Graeci, *sancti* ex mera *vocatione*. v. 6. s. Praecipuam ergo *vocatus apostolus* cum *vocatis sanctis* similitudinem et conjunctionem habebat. Simili

1) Quae nostro nunc more Subscriptionis, Inscriptionis et praeviae Salutationis nomine veniunt, ea prisci Graeci et Romani ab epistolarum suarum primordiis ponebant, idque brevissime vulgo, ut si dicas: *Paulus Christianis Romae salutem dicit.* Ea vero ex largissima spiritûs mensura grandi sermonis ubertate Apostolus exprimit, Jesum Christum praecipue Ejusque Evangelium, et suum Apostoli munus evangelicum summopere deprae-dicans. *V. g.*

Digitized by Google

titulo et se et Corinthios afficit 1 Cor. 1, 1. 2. Eaque similitudo refert ὑποτύπωσιν sive repraesentationem illam, de qua 1 Tim. 1, 16. Dum vocat Christus, facit quod vocat, coll. cap. 4, 17., idque celeriter. Act. 9, 3. seqq. 15. — ἀφωρισμένος, *segregatus*) Idem *Pharisaei* etymon fuerat: hoc autem loco Paulus se non solum ex hominibus, ex Judaeis, ex discipulis, sed etiam ex doctoribus *segregatum* a *Deo* significat. *Segregatio* aliqua antecessit vocationem, Gal. 1, 15., et secuta est Act. 13, 2. Atque hanc ipsam spectat in praesenti. — εἰς εὐαγγέλιον, *in evangelium*) Sequitur conjugatum, προεπηγγείλατο, *ante promisit*. v. 2. Promissio erat evangelium promulgatum: evangelium est promissio repraesentata. Act. 13, 32. *Deus promisit evangelium*, id est, promissione comprehendit. Promissio non solum erat promissio evangelii, sed evangelium ipsum.

v. 2. ὅ, *quod*) Sermonis Paulini ubertas in ipsis inscriptionibus se exhibet. quare filum parenthesecon vigilanter observandum est. [*Promisit DEUS, non solum gratiam suam in Filio exhibiturum se, sed etiam universo mundo id ipsum promulgaturum esse. Arrige aures, et ambabus arripe.* V. g.] — προεπηγγείλατο, *ante promisit*) pridem, saepe, solenniter. Veritas promissionis et veritas impletionis se invicem confirmat. — διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ, *per prophetas suos*) Quod prophetae Dei dixerunt, Deus dixit. Luc. 1, 70. Act. 3, 24. — γραφαῖς, *scripturis*) Cap. 16, 26. Etiam voce, non modo literis, usi sunt prophetae; et plus firmitatis in uno populo vox habebat, quam in totius orbis partibus; itaque firmitudo *voci* prae *literis* praerogativam daret: attamen *literis* ad posteritatem ita multum tribuitur, ac si nulla vox fuisset. Adeo scriptura traditioni praevalet. [*Fideles Romani partim exjudaei fuere partim* exgentiles: *atque horum praecipuam Paulus rationem habet*. v. 13. V. g.]

v. 3. περὶ, *de*) Summa *evangelii* est, de *Filio Dei*, *Jesu Christo Domino nostro*. Interponitur hoc loco declaratio, quid denotet appellatio *Filii Dei*. v. 3. 4. [1]) — τοῦ γενομένου) *qui natus est*. Sic Gal. 4, 4. — κατὰ, *secundum*) Particula determinans. v. 4. 9, 5.

v. 4. τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ, *qui definitus est Filius Dei*) τοῦ ait rursum, non καὶ aut δὲ. Articulus facit epitasin, iteratus. Multis in locis, ubi utraque natura Salvatoris memoratur, humana ponitur prius, quia divina demum post resurrectionem ex mortuis evidentissime omnibus est demonstrata. [*Inde est, quod identidem ingeminatur:* Hic: *non alius quisquam.* Act. 9, 20. 22. etc. V. g.] Participium, ὁρισθέντος, multo plus dicit, quam ἀφωρισμένος. v. 1. nam ἀφορίζεται unus ex pluribus, ὁρίζεται unicus quispiam. Act. 10, 42. Illustri illo loco, Psalm. 2, 7. חק idem est quod ὁρισμὸς, quod Pater *determinatissime* dixit, *Filius meus es Tu.* Hunc ὁρισμὸν subsequitur ἀπόδειξις *demonstratio* erga homines. Act. 2, 22. Gloriam *Filii Dei* Paulus inprimis amplificat scribens ad eos, quibus eam non potuerat coram praedicare. Conf. Hebr. 10, 8. s. not. — ἐν δυνάμει, *in potentia*) potentissime, plenissime: ut quum sol lucet in δυνάμει *ri* sua. Ap. 1, 16. — κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, *secundum spiritum sanctimoniae*) Vocabulum קדוש ἅγιος *sanctus*, ubi de *Deo* agitur, non solum inculpatam illam in agendo rectitudinem, sed ipsam deitatem, vel, ut magis proprie dicamus, *divinitatem* sive divinae na-

---

1) JESUS CHRISTUS DEI FILIUS EST. Hoc omnis legitimi accessûs Jesu Christi ad Patrem Deumque suum fundamentum est; itemque nostri per Ipsum, ut *Dominum nostrum*, ad Ipsius nostrumque et Patrem et Deum, qui peculium nos Ipsi tradidit, aditûs. Etiam ante exinanitionem suam Filius DEI Is quidem fuit: sed exinanitione filiatio occultata fuit, et plene demum retecta post resurrectionem. His justificatio Ejus nititur, 1 Tim. 3, 16. 1 Joh. 2, 1.: eaque nostrae justificationis fundamentum est Rom. 4, 25. Hinc non propter opera sua (nam ne Filius quidem Patri quidquam prius dedit, quod Pater Ipsi reddere debuisset), sed ea de caussa, quod Filius esset, in passione sua omnem suam fiduciam in Patre collocavit, nobisque viam pracivit, fidei dux et consummator, Hebr. 12, 2. *V. g.*

Digitized by Google

turae eminentiam denotat. Inde ἁγιωσύνη medium quiddam dicit inter ἁγιότητα καὶ ἁγιασμὸν, coll. Hebr. 12, 10. 14., ut quasi tres sint gradus, *sanctificatio, sanctimonia, sanctitas. Sanctitas* ipsa adscribitur *Deo Patri*, et *Filio*, et *Spiritui sancto*. Cumque hoc loco non memoretur *Spiritus sanctus*, sed *Spiritus sanctimoniae*, disquirendum est amplius, quid ea locutio plane singularis denotet. *Spiritûs* nomen expresse, idque saepissime, *Spiritui sancto* datur: sed *Deus* quoque dicitur *Spiritus*; et *Dominus*, Jesus Christus, dicitur *Spiritus*, in antitheto quidem ad *literam*. 2 Cor. 3, 17. Proprie vero huc conferre juvat, quod *carnis* et *spiritus* antitheton uti hoc loco, ita saepius in sermonibus de Christo occurrit. 1 Tim. 3, 16. 1 Petr. 3, 18. Atque his in locis *Spiritus* dicitur, quicquid Christi est, praeter carnem, [*per ortum ex Davide assumtam*, Luc. 1, 35. V. g.] quamvis mundam et sanctam, et supra carnem, ex generatione a Patre, qui Ipsum *sanctificavit*, Joh. 10, 36.: in summa, *Deitas* ipsa. Etenim ut hoc loco *caro* et *spiritus*, ita cap. 9, 5. *caro* et *Deitas* invicem contradistinguuntur. Hic spiritus non dicitur *spiritus sanctitatis*, quae propria et solennis est appellatio *Spiritus sancti*, quo tamen abundantissime repletus et unctus erat Jesus: Luc. 1, 35. 4, 1. 18. Joh. 3, 34. Act. 10, 38. dicitur autem, uno hoc loco, *spiritus sanctimoniae*, ut simul innuatur *sanctitatis* illius sive divinitatis efficacia, quam resuscitatio Salvatoris et necessario secuta est et potentissime illustrat; adeoque *spiritualis* illa et *sancta* sive divina virtus Jesu Christi glorificati, qui tamen *spirituale* corpus retinuit. Ante resurrectionem latebat sub *carne* Spiritus: post resurrectionem carnem penitus abscondit *Spiritus sanctimoniae:* quanquam non carnem, sed quod carnale est (etiam sine peccato,) deposuit: Luc. 24, 39. Illo respectu, ipse se quondam appellitabat *Filium hominis:* hoc respectu, celebratur ut *Filius Dei*. Status *conspicuus* varie modificabatur. In judicio apparebit Gloria *Filii Dei*, et corpus ejus glorificatissimum. Vid. etiam Joh. 6, 63. not. — ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, *ex resurrectione mortuorum*) Ἐκ non modo tempus, sed nexum rerum (nam Jesu Christi *resurrectio* et fons est fidei et objectum, Act. 17, 31.) denotat. Verbum ἀνίστημι ponitur etiam sine praepositione, ut apud Herodotum, ἀναστάντες τῶν βάθρων· itaque ἀνάστασις νεκρῶν h. l. accipi posset pro *resurrectione ex mortuis*. Sed revera foecundior est sensus. namque innuitur, cum resurrectione Christi penitus conjunctam esse resurrectionem omnium. conf. Act. 4, 2. 23, 6. 26, 23. Artemonius conjicit ἐξαναστάσεως ἐκ νεκρῶν, Part. I. cap. 41. p. 214. seqq. atque ita construit: περὶ ἐξαναστάσεως ἐκ νεκρῶν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ κτλ. *de Filii sui resuscitatione ex mortuis*. Atqui I. aperta est Appositio, *de Filio suo — Jesu Christo:* ergo interjecta verba omnia inter se indivulso nexu construuntur. II. Apertum est antitheton: ΤΟΥ γενομένου ΕΚ ΚΑΤΑ: ΤΟΥ ὁρισθέντος — ΚΑΤΑ — ΕΞ —. III. ἀνάστασις, non ἐξανάστασις, ex ratione stili Paulini, convenit Christo; Christianis vero ἐξανάστασις. conf. ἤγειρε· ἐξεγερεῖ, 1 Cor. 6, 14. Objicit Artemonius, Christum etiam ante fuisse Filium Dei. Luc. 3, 22. Joh. 10, 36. Act. 2, 22. 10, 38. Resp. Paulus h. l. non ipsam Filiationem illam, sed Filiationis ὁρισμὸν ex resurrectione infert: et huc confert Chrysostomus loca Joh. 2, 19. 8, 28. Matth. 12, 39. atque hunc ὁρισμὸν subsequitur praedicatio apostolica. Luc. 24, 47. Itaque aptissima huic exordio est talis mentio resurrectionis, ut Gal. 1, 1.

v. 5. δι' οὗ, *per quem*) per Jesum Christum Dominum nostrum. — ἐλάβομεν, *accepimus*) nos, ego et ceteri *apostoli*. — χάριν καὶ ἀποστολήν, *gratiam et legationem apostolicam*) Sunt haec duo distincta, sed conjunctissima. *Gratia*, et singularis gratiae mensura, *apostolis* obtigit: et ex ea non solum tota eorum legatio, Eph. 3, 2., sed etiam omnes actiones profectae sunt. Rom. 12, 3. 15, 15. 16. 18. Vocabulum ἀποστολὴ extat hoc sensu Act. 1, 25. Apud LXX significat *dimissionem, munus missum* etc. *Gratiae et apostolatui* respondet *obedientia*

fidei. — εἰς ὑπακοὴν πίστεως, *in obedientiam fidei*) ut omnes gentes fiant et maneant *submisse dicto audientes* fidei et doctrinae de Jesu (Act. 6, 7.) adeoque praestent *obedientiam* in ipsa *fide* consistentem. Ex relatione ad *Evangelium* patet natura hujus *obedientiae.* c. 10, 16. 16, 26. 1 Petr. 1, 2. Estque ὑπακοὴ, ἀκοὴ μεθ' ὑποταγῆς. cap. 10, 3. fin. Sic Maria *credens* dixit, *Ecce ancilla Domini.* Luc. 1, 38. 45. — ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, *in omnibus gentibus*) Quemadmodum *omnes gentes* Romano imperio extrinsecus parent, sic *fidei* omnes gentes, ipsique adeo Romani *parere* debent toto corde. — ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ) *pro nomine ejus, Jesu Christi Domini nostri.* Per hunc facta est *gratia:* Joh. 1, 17. pro hoc agunt *legati:* 2 Cor. 5, 20. per hunc *fides* in Deum tendit. 1 Petr. 1, 21.

v. 6. ἐν οἷς) *in quibus* gentibus, ad *fidei obedientiam* per *vocationem Jesu Christi* adductis. — καὶ ὑμεῖς, *etiam vos*) Nil praecipue Romanis adscribit Paulus. coll. 1 Cor. 14, 36. Causam tamen attingit, cur ad Romanos scribat. Mox versu sequente directe eos alloquitur. — κλητοὶ, *vocati*) v. 7.

v. 7. πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν ῥώμῃ, *omnibus qui Romae sunt*) Plerique horum erant ex gentibus, v. 13., admixtis tamen Judaeis. Romae erant, vel nati Romae et educati, vel certe ibi commorantes. In maxima urbe sparsim habitabant, neque adhuc in formam *ecclesiae* redacti erant: tantummodo *nonnulli* in domo Priscae et Aquilae convenire solebant. Rom. 16, 5. Cum *omnibus* cohaeret, quod sequitur, *dilectis* etc. neque enim Romanos idololatras alloquitur. — ἀγαπητοῖς θεοῦ, κλητοῖς ἁγίοις) Duo haec commata, asyndeton habent, et parallela sunt. nam qui Dei est, sanctus est. conf. Hebr. 3, 1. *Dilectos Dei* speciatim dicit credentes Israëlitas: c. 11, 28. *vocatos sanctos*, credentes ex gentibus. Israëlitae, sunt *sancti* ex patribus: Act. 20, 32. not. coll. annot. ad v. 1. hujus capitis 1. sed credentes ex gentibus dicuntur *sanctificati*, vel *vocati sancti*, sancti per vocationem, ut interpretatur Paulus 1 Cor. 1, 2. Duplex est appellatio, cujus priorem partem ad Israëlitas, alteram ad gentes retuli. Conf. v. 5. 6., et adde loca modo citata. Cel. *Baumgartenius* in Expositione Germanica hujus Epistolae saepius a nobis respicienda scribit: „*Hiedurch würde der gottesdienstliche Unterschied der Gläubigen und eingebildete Vorzug der* Israëliten *zu sehr bestätiget worden seyn, den* Paulus *vielmehr bestreitet und abgeschaffet oder aufgehoben zu seyn versichert.*“ Resp. Exordio Pauli praerogativa Israëlitica (quanquam *vocatus sanctus* aeque beatus est, ac *dilectus DEI*) non minus congruit, quam τὸ πρῶτον ipsi Propositioni, c. 1, 16., quod cel. *Baumgartenius* plus satis defendit. — χάρις, *gratia etc.*) Solennis est haec Pauli formula. Vide initia epistolarum ejus, nec non Eph. 6, 23. — ὑμῖν, *vobis*) Subaudi, *obtingat.* — εἰρήνη, *pax*) שלום *pax:* usitata Hebraeis formula salutandi: cui praemittitur χάρις *gratia*, vocabulum Novo Testamento et praeconio apostolico plane congruens. *Gratia* obtingit a Deo: inde status *pacis* est apud hominem. cap. 5, 2. not. — ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου ἰησοῦ χριστοῦ, *a Deo patre nostro et Domino Jesu Christo*) Solennis appellatio apud apostolos, *Deus et Pater, Deus pater noster.* nec saepe, ubi inter sese agunt, dicunt Κύριος *Dominus*, quatenus eo innuitur nomen DEI proprium tetragrammaton: at in V. T. dixerant, *Jehovah Deus noster.* Ratio differentiae: in V. T. erant quasi servi: in N. T. sunt filii; filii autem ita norunt patrem, ut non opus sit, proprium ejus nomen saepe appellari. conf. Hebr. 8, 11. Accedit, quod, polytheismo exstirpato, non perinde opus est, Deum verum nomine proprio a falsis diis discerni. Κυρίου construitur non cum ἡμῶν, nam *Deus* dicitur *Pater Jesu Christi et noster*, non, *noster et Jesu Christi*: sed cum ἀπὸ, uti plane 2 Tim. 1, 2. Una eademque gratia, una eademque pax, a Deo et Christo. Fiducia nostra, et oratio, in Deum tendit, quatenus est Pater Domini nostri; et in Jesum Christum, quatenus nos per sese Patri sistit.

gitized by Google

v. 8. πρῶτον, *primum*) Non semper sequitur *deinde:* idque hoc loco absorpsit affectus. — μὲν) Sequitur δὲ, v. 13. Jam vos *quidem* in fide, inquit, estis, *sed* tamen cupio aliquid conferre vobis. — εὐχαριστῶ, *gratias ago*) Vel in uno hujus epistolae initio vestigia sunt *omnium* motuum spiritualium. In his excellit *gratiarum actio:* et ab ea fere omnes incipiunt epistolae. Sententia categorica est: nacti estis fidem. Gratiarum actio, quae accedit, sermonem facit modalem. conf. not. ad c. 6, 17. Paulus Romae jam id effectum esse gaudet, quod alias sibi, omnium debitori, efficiendum esse duceret. — τῷ θεῷ μου, *Deo meo*) Hoc verbum, *Deus meus*, exprimit *fidem*, *amorem*, *spem*, atque adeo totam religionem veram. Ps. 144, 15. Hab. 1, 12. *Deus meus* est *Deus, cui servio.* v. seq. — διὰ, *per*) Dei munera *per* Christum ad nos, nostrae gratiarum actiones per Christum ad Deum proficiscuntur. — ἡ πίστις, *fides*) In ejusmodi gratulationibus Paulus vel totum Christianismum describit, Col. 1, 3. seqq. vel partem aliquam, 1 Cor. 1, 5. Itaque hoc loco *fidem* commemorat, suo convenienter instituto. v. 12. 17. — καταγγέλλεται, *annunciatur*) Sermo concisus: fidem nacti estis; eam audio; etenim ubique praedicatur. Sic 1 Thess. 1, 8. ait fidem Thessalonicensium *in omni loco* celebrari. — ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, *in toto mundo*) Bonitas et Sapientia divina fidem stabilivit in urbibus primariis, Hierosolymis praesertim et Romae: unde in totum orbem dideretur.

v. 9. μάρτυς, *testis*) Asseveratio pia, de re necessaria, et hominibus, remotis praesertim et ignotis, occulta. 2 Cor. 11, 31. — λατρεύω, *servio*) ut apostolus, c. 15, 16. Testimonium Dei resonat in latria *spirituali:* et qui Deo servit, Deo quam plurimos servire vult et gaudet. 2 Tim. 1, 3. — μνείαν ὑμῶν, *mentionem vestri*) Expressam et explicatam ecclesiarum et animarum *mentionem* faciebat Paulus.

v. 10. εἴπως ἤδη ποτὲ) Particulae cumulatae declarant vim desiderii.

v. 11. μεταδῶ, *impertiar*) coram, per praeconium evangelii, v. 15., sermones fructuosos, preces etc. Hoc propositum Paulus, epistola interim scripta non expletus, retinuit. c. 15, 24. Multo majus est bonum praesentiae, quam literarum, ubi illa obtingit. — χάρισμα πνευματικὸν, *donum spirituale*) Talibus donis abundabant Corinthii, qui Paulum praesentem habuerant: 1 Cor. 1, 7. 12, 1. 14, 1. nec non Galatae. Gal. 3, 5. Ac plane ecclesiae illae, quae *apostolorum praesentia* gaudebant, praerogativas insignes in hoc genere habuere, v. gr. ex apostolica manuum impositione. Act. 19, 2. 6. 8, 17. s. 2 Tim. 1, 6. At Romani adhuc certe multo inferiores in hac parte erant: quare etiam cap. 12, 6. 7. perbrevis est charismatum enumeratio. Itaque subvenire illis cupit, *ut corroborentur.* namque per charismata *confirmabatur testimonium Christi.* 1 Cor. 1, 6. Petrus non magis, quam Paulus, antequam haec epistola scriberetur, Romam venerat, ut ex hoc loco et ex toto epistolae tenore noscitur. nam quod Paulus Romanis impertire cupit, Petrus impertiisset. Porro Baronius hanc epistolam A. LVIII. scriptam censet: martyrium autem Petri fuit A. LXVII. Ergo, si Romae omnino fuit, Romae diu commorari non potuit. — στηριχθῆναι, *corroborari*) Modeste loquitur. *Dei* est *corroborare,* cap. 16, 25. Organon tantummodo se esse, Paulus innuit.

v. 12. τοῦτο δέ ἐστι, *hoc autem est*) Explicat illud, *videre vos,* etc. Non ait, *Hoc autem est,* ut vos in formam *ecclesiae* redigam. Cautio erat, ne *ecclesia* Romana afferret perniciem, tamen postea ortam. — ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ, *et vestram et meam*) Non solum associat sibi Romanos, *in quibus simul excitari cupit,* sed eos etiam praeponit sibi. Alius longe stilus est apostolicus, atque curiae papalis Romanae.

v. 13. οὐ — ἀγνοεῖν, *non — ignorare*) Consueta Paulo formula candorem animi ostendit. — ἀδελφοὶ, *fratres*) Appellatio frequens, sancta, omnibus apta,

Digitized by Google

simplex, dulcis, magnifica. Juvat hoc loco expendere titulos, quibus utuntur apostoli. Nomina propria rarius ponunt, *Corinthii, Timothee* etc. *Fratres* saepissime dicit Paulus; interdum, hortans, *dilecti,* vel, *fratres mei dilecti.* Jacobus, *fratres, fratres mei, fratres mei dilecti:* Petrus et Judas semper, *dilecti:* Johannes, *dilecti,* saepe; semel, *fratres;* plus semel, *filioli,* ut Paulus, *fili Timothee.* — καρπὸν σχῶ, *fructum haberem*) *Habere*, verbum eleganter positum, medium inter *accipere* et *dare.* quod aliis prodest, ipsum Paulum juvat. Id pro *fructu* habet, Phil. 1, 22. Ubique aliquid in foenore positum habere vult. Hanc cupiditatem quodammodo temperat, quum se *debitorem* versu sequente ait. Et *postulat* et *debet.* v. 12. 11. Ex his duobus nervis firmatur versus 15. — καθὼς, *sicut*) Bonum apud quam plurimos se extendit.

v. 14. ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, *Graecis juxta atque Barbaris*) Graecis hos annumerat, ad quos Graece scribit. Haec divisio in Graecos et Barbaros omnes *gentes* complectitur. Sequitur altera, *sapientibus juxta et insipientibus.* namque inter Graecos erant etiam insipientes, inter Barbaros etiam sapientes. Omnibus, inquit, sum *debitor,* ex divino mei ad omnes missu, et omnium servus. 2 Cor. 4, 5. Qui sapientia vel potentia praestant, iis tamen necessarium est evangelium: ceteri, non excluduntur. Col. 1, 28. not.

v. 15. οὕτω, *sic*) adeo. Est quasi epiphonema, et illatio a toto ad partem insignem. — τὸ κατ' ἐμὲ) id est, *meum,* sive *ego,* quatenus non impedior. Sic Ezr. 6, 11., καὶ ὁ οἶκος αὐτοῦ τὸ κατ' ἐμὲ ποιηθήσεται. — πρόθυμον, *promtum*) subaudi *est.* 3 Macc. 5, 23. (26.) τὸ πρόθυμον τοῦ βασιλέως ἐν ἑτοίμῳ κεῖσθαι. — ἐν ῥώμῃ, *Romae*) *sapientibus,* coll. versu praecedente: *potentibus,* collato versu sequente, et 1 Cor. 1, 24. Itaque hoc, *Romae,* iteratur cum emphasi. Roma, caput et theatrum orbis terrarum. — εὐαγγελίσασθαι, *evangelizare*) Latet hic Propositio: *Scribam,* quae coram vellem dicere, de *Evangelio.*

v. 16. οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι, *non enim erubesco*) Remissius, ut in exordio, loquitur: postea dicit, *habeo gloriationem,* c. 15, 17. Mundo evangelium est *stultitia* et *infirmitas,* 1 Cor. 1, 18. quare mundi opinione esset erubescendum, Romae praesertim: sed Paulus non erubescit. 2 Tim. 1, 8. 2 Cor. 4, 2. — τοῦ χριστοῦ, *Christi*) Cur Paulus non appellarit h. l. evangelium DEI aut FILII DEI, bene docet *Baumgartenius;* sed rationes, quas affert, non plus valent ad legendum τοῦ χριστοῦ, quam ad omittendum. Facile rationes ubivis in utramque partem excogitantur: sed testes praevalent, atque hoc loco testes, qui omittunt, sufficiunt. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — δύναμις θεοῦ, *virtus Dei*) magna et gloriosa. 2 Cor. 10, 4. — εἰς σωτηρίαν, *in salutem*) Ut summam evangelii Paulus hac epistola, sic epistolae summam versu hoc et sequente complectitur. Proprius igitur hic locus est ad exhibendum epistolae conspectum. Est in ea

I. Exordium.	Cap. I. 1—15.
II. Propositio, cum summario confirmationis:	
1. de fide et justitia:	
2. de salute sive vita:	
3. de Omni credente, Judaeo et Graeco.	16. 17.
Tribus hisce partibus, quarum prima a cap. I, 18. ad c. IV, secunda a V ad VIII, tertia a IX ad XI tractatur, non solum haec ipsa Tractatio, sed etiam deducta inde Paraclesis, eodem ordine respondent.	
III. Tractatio:	
1) de Justificatione, quae fit	
I. non per opera; nam sub peccato sunt	
gentes,	18.
Judaei,	II. 1.
utrique:	11. 14. 17. III. 1. 9.
II. sed per fidem:	21. 27. 29. 31.
III. ut constat exemplo Abrahami et testimonio Davidis.	IV. 1. 6. 9. 13. 18. 22.

Digitized by Google

2) de Salute: V. 1. 12. VI. 1. VII. 1. 7. 14. VIII. 1. 14. 24. 31.
3) de credente Omni: IX. 1. 6. 14. 24. 30. X. 1. 11. XI. 1. 7. 11. 25. 33.
IV. Paraclesis: XII. 1. 2.
1) de FIDE, et, (quia per fidem lex statuitur, c. III, 31.) de amore, quem fides parit, deque justitia erga homines. 3. — XIII, 10. FIDES expresse nominatur c. XII, 3. 6. AMOR, ibid. v. 9. et cap. XIII, 8. JUSTITIAE definitio, ibid. v. 7. initio.
2) de SALUTE, 11—14. SALUS c. XIII, 11. expresse nominatur.
3) de conjunctione JUDAEORUM ET GENTIUM. XIV. 1. 10. 13. 19. XV. 1. 7—13. Expressa de utrisque mentio, c. XV. 8. 9.
V. Conclusio. XV. 14. XVI. 1. 3. 17. 21. 25.

— ἰουδαίῳ, *Judaeo*) Post deportationem Babylonis omnes Israëlitae, ut Josephus docet, appellati sunt Judaei. hinc Judaeus opponitur Graeco. Alia ratione Graecus opponitur Barbaro. v. 14. — πρῶτον) De hac particula vid. App. crit. Ed. II., ad h. l. [1]) *De fide*, ut ostendi, agit Apostolus c. 1—4., de *salute* c. 5—8., de *Judaeo et Graeco*, c. 9—11. Hujus partitionis cognitio permultum facit ad rectam epistolae intelligentiam. Tertia pars tractationis, de Judaeo et Graeco, particulam πρῶτον neque labefactat neque statuminat. Utitur ea Paulus ad Judaeos magis arguendos, c. 2, 9. 10., sed evangelium credenti Judaeo non magis quam Graeco, virtus DEI est ad salutem.

v. 17. δικαιοσύνη θεοῦ, *justitia Dei*) Saepe *justitia Dei* memoratur in N. T. saepe apud Esajam et Danielem, saepissime in Psalmis. Significat interdum *justitiam* illam, qua *Deus* ipse justus est, juste agit, et justus agnoscitur: c. 3, 5. eamque, ut in hominibus appellatur, vel particularem, vel universalem, qua etiam gratia et misericordia continetur; et quae maxime demonstratur peccatum condemnando et peccatorem justificando. quo pacto *Justitia Dei* essentialis non plane excludenda est a negotio justificationis. c. 3, 25. seq. Inde interdum significat *justitiam* hanc, qua homo (*Dei* dono, Matth. 6, 33.) justus fit et justus est: idque vel justitiam Jesu Christi per fidem apprehendendo. c. 3, 21. 22. vel justitiam illam Dei per virtutes et bona opera imitando. Jac. 1, 20. Paulo, de justificatione loquenti, *Justitia Dei* dicitur illa fidei justitia, quia Deus eam invenit et paravit, revelat et donat, approbat et coronat: conf. 2 Petr. 1, 1. cui idcirco opponitur *propria* hominum justitia. Rom. 10, 3. coll. Phil. 3, 9. Quin etiam nos ipsi dicimur *Justitia Dei*, 2 Cor. 5, 21. Hoc loco, ut in Propositione, denotat *Justitia Dei* totum beneficium Dei in Jesu Christo ad salutem peccatoris. — ἀποκαλύπτεται, *revelatur*) Patet hinc necessitas *Evangelii*, sine quo nec justitia nec salus cognoscitur. *Ostensio* justitiae Dei facta est in morte Christi, cap. 3, 25. seq. manifestatio et revelatio justitiae Dei per fidem, in evangelio. ibid. v. 21. et h. l. Gemina, collato versu 18., hic fit *revelatio*, irae et justitiae. Illa, per legem, parum nota naturae: haec, per evangelium, prorsus ignota naturae. Illa praecedit et viam parat: haec subsequitur. Utrumque, *revelatur*, in praesenti exprimitur, in oppositione ad tempora ignorantiae. Act. 17, 30. — ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, *ex fide in fidem*) Construe, *justitia ex fide*, ut mox, *justus ex fide*. *Ex fide in fidem*, dicit fidem meram. namque justitia ex fide subsistit in fide, sine operibus. εἰς denotat terminum, finem ac limitem. vid. c. 12, 3. et Not. ad Chrysost. de Sacerd. p. 415. Sic 1 Chron. 17, 5.: *eram*, מאהל אל אהל *ex tentorio in tentorium*, ubi non tentorium aliud aliudque notatur, sed tentorium citra domum sive templum. Fides, inquit Paulus, manet fides: fides est prora et puppis, apud Judaeos et gentes, etiam apud Paulum, usque ad ipsam ejus consummationem. Phil. 3, 7—12. Sic pulcre ad ἐκ sonat εἰς, ut ἀπὸ et εἰς, 2 Cor. 3, 18.

---

1) *Minus firmam margo* Ed. 2. *eam judicavit, quum* Ed. maj. *lectori potius judicium reliquisset. Nihil definit* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

de gloria purissima. Euphemia est, quod Paulus opera nondum expresse excludit, quorum tamen in hac Propositione exclusio qualiscunque fieri debuit. Porro propositionis sic institutae fert indoles, ut multa alia hinc inferantur. nam quia non dicitur, ἐκ τῆς πίστεως εἰς τὴν πίστιν, sed indefinite, ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, sic dicemus, *ex una fide in aliam*, ex fide Dei offerentis in fidem hominum accipientium, c. 3, 2. ss. ex fide V. T. et Judaeorum in fidem N. T. et gentium quoque, c. 3, 30. ex fide Pauli in fidem Romanorum, c. 1, 12. ex fidei gradu uno in ulteriores, 1 Joh. 5, 13. ex fide firmorum in fidem infirmorum, c. 14, 1. s. ex fide nostra exspectante in fidem divinitus praestandam per *vitae* donum. — καθὼς, *sicut*) Tria Paulus modo posuit: I. ex fide est justitia. v. 17. II. ex justitia, salus. v. 16. III. *Judaeo et Graeco*. v. 16. Omnia confirmat illud, *Justus ex fide, vivet:* ex prophetico programmate, Hab. 2, 4. Vid. not. ad Hebr. 10, 36. seqq. Idem Spiritus est, qui per prophetas locutus fuit Dicta a Paulo citanda; et quo duce Paulus ea tam apposite et opportune, in hac praesertim epistola, citavit. — ζήσεται, *vivet*) *Virit*, pro *vivet*, Latinorum aliqui pridem scripsere. Sphalma, in una literula, apertum, memoratu et refutatu indignum. Refutat, post *Whithium*, *Baumgartenius*, et a me praetermissum notat.

v. 18. ἀποκαλύπτεται, *revelatur*) Vid. vers. 17. not. — γὰρ, *enim*) Particula incipit tractationem, finita propositione. cap. 6, 19. Matth. 1, 18. Act. 2, 15. 1 Cor. 15, 3. Latini fere omittunt. Primum Pauli argumentum hoc est: Omnes sunt sub peccato; idque lex ostendit. ergo ex operibus legis nemo justificatur. Id tractatur usque ad c. 3, 20. Inde infert: ergo ex fide. c. 3, 21. seqq. — ὀργὴ θεοῦ, *ira Dei*) Ὀργὴ, sine articulo, h. l. at ἡ ὀργὴ denunciatur iis, qui justitiam negligunt. Ira quasi alia in gentes, alia in Judaeos. Justitia et ira Dei quodammodo antitheton faciunt. Justitia mundi obterit reum: justitia Dei, obterit peccatum, peccatorem restituit. Hinc frequens in hac inprimis epistola *irae* mentio, c. 2, 5. 8. 3, 5. 4, 15. 5, 9. 9, 22. ac porro c. 12, 19. 13, 4. 5. — ἀπ᾽ οὐρανοῦ, *a coelo*) Hoc majestatem irati Dei significat, oculumque videntem, et irae latitudinem. quicquid sub coelo est, et tamen non sub evangelio, sub ira est. Ps. 14, 2. — ἐπὶ πᾶσαν, *super omnem*) Paulus, *iram* Dei repraesentans, in abstracto loquitur, de peccato: *salutem*, in concreto, de credentibus. itaque jam per aenigma innuit, *peccatoribus* gratiam esse paratam. — ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν, *impietatem et injustitiam*) Duo haec momenta tractantur v. 23. seqq. [Injustitiam *saepe appellat Paulus*, v. 29., *utpote directe oppositam* justitiae. V. g.] — ἀνθρώπων τῶν) Periphrasis gentium. — τὴν ἀλήθειαν, *veritatem*) cujus est, quicquid bonae frugis habent scripta ethnicorum. — ἐν ἀδικίᾳ, *in injustitia*) Latius jam sumitur vocabulum, quam modo in antitheto ad ἀσέβειαν, uti ἀνομία c. 6, 19. — κατεχόντων, *detinentium*) Veritas in mente nititur et urget: sed homo eam impedit.

v. 19. τὸ γνωστὸν) quod notus est Deus: illa ratio, quod Deus se notum praebet: q. d. *notitudo Dei:* non modo, quod nosci potest. nam v. 21. ait γνόντες. Plato l. 5. Polit. τὸ μὲν παντελῶς ὂν, παντελῶς γνωστόν· μὴ ὂν δὲ μηδαμῇ, πάντῃ ἄγνωστον. — ἐφανέρωσε) Magna proprietate Paulus hoc verbo usus est, ut supra ἀποκαλύπτω.

v. 20. ἀόρατα καθορᾶται, *invisibilia videntur*) Incomparabile oxymoron. Invisibilia Dei, si unquam, certe in creatione facta essent visibilia: sed tum quoque non nisi per intelligentiam videri coeperunt. — ἀπὸ κτίσεως, *a creatione*) Ἀπὸ denotat hoc loco vel *documentum*, uti ἀπὸ, Matth. 24, 32., ut intelligentia patrum a condito mundo, refutet defectionem gentium: vel potius *tempus*, ut respondeat hebraeo מ et sit, *a condito mundo*, et ultra, retrorsum, quo pacto mox congruit ἀΐδιος, *aeterna*. priore modo ἀπὸ cohaeret cum καθορᾶται· altero modo cum ἀόρατα. — ποιήμασι) *operibus* per κτίσιν, *creationem*, productis. Sunt

gitized by Google

opera. ergo est *creatio.* ergo est *Creator.* — νοούμενα) Ii soli, qui νῷ utuntur, καθορῶσι. — καθοράται, *videntur*) nam opera cernuntur. Antitheton, ἐσκοτίσθη. — ἥτε — καὶ) Haec cum ἀόρατα stant in appositione. — ἀΐδιος κτλ., *aeterna etc.*) summa Dei, Deo digna, perfectio in essendo et agendo; uno verbo, θειότης. quod significat *divinitas,* ut θεότης *deitas.* — δύναμις, *potentia*) ex omnibus Dei attributis primum revelata. Singulis Attributis sua opera peculiari modo respondent. [*Esaj.* 40, 26.] — εἰς τὸ) Paulus directe excusationem adimit, non solum de eventu aliquo loquitur. Et hoc colon εἰς τὸ — habet se instar propositionis ad v. seqq. Constr. cum φανερόν ἐστιν. — ἀναπολογήτους, *inexcusabiles*) Sic quoque de Judaeis, c. 2, 1.

v. 21. διότι) Hoc διότι reassumitur ex v. 19. Non ignorantes, sed scientes peccarunt. — θεὸν ὡς θεὸν, *Deum ut Deum*) Haec est ἡ ἀλήθεια, *veritas,* summa convenientia: ubi naturae divinae respondet cultus. conf. Gal. 4, 8., *non naturâ,* de contrario. — θεὸν, *Deum*) aeternum, omnipotentem, glorificatione et gratiarum actione celebrandum. — ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν, *glorificaverunt aut gratias egerunt*) *Gratias agere* debemus ob beneficia: *glorificare* ob ipsas virtutes divinas. contra Hobbesium. Si esse posset mens aliqua extra Deum, a Deo non creata, ea tamen teneretur ad laudandum Deum. — ἢ) *aut* saltem. — ἐματαιώθησαν) Hoc verbum, et ἐσκοτίσθη, habent vim reciprocam. הבל μάταια, ματαιοῦσθαι, saepe dicitur de idolis, eorumque cultu et cultoribus. 2 Reg. 17, 15. Jer. 2, 5. nam objecto suo conformatur mens. Ps. 115, 8. Ματαιότης opponitur τῷ δοξάζειν· ἀσύνετος καρδία, τῷ εὐχαριστεῖν. — διαλογισμοῖς, *cogitationibus*) variis, incertis, stultis.

v. 22. φάσκοντες) *profitentes.* — ἐμωράνθησαν) LXX, Jer. 10, 14. s. ἐμωράνθη πᾶς ἄνθρωπος ἀπὸ γνώσεως — ψευδῆ ἐχώνευσαν — μάταιά ἐστιν, ἔργα ἐμπεπαιγμένα. Passim in hac epistola alludit Paulus ad extrema *Jesajae* et prima *Jeremiae* capita: ex quo apparet, recentem tum ab eorum lectione fuisse sanctum Dei hominem.

v. 23. ἤλλαξαν, *mutarunt*) summâ stultitiâ. Ps. 106, 20. Jer. 2, 11. Eadem impietas et eadem poena tres habet gradus. In primo emphasin habent haec verba: καρδία: καρδιῶν: v. 21. 24. ἐδόξασαν et δόξαν, et ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα. v. 21. 23. 24. In secundo, μετήλλαξαν, cujus verbi iteratio, non tamen sine differentia figurae simplicis et compositae, talionem exprimit, v. 25. 26. ut παρὰ iteratum, ibid. In tertio, οὐκ ἐδοκίμασαν et ἀδόκιμον. v. 28. In singulis poenam exprimit τὸ παρέδωκε. Si homo Deum non ut Deum colit, sibi ita relinquitur, ut se hominem abjiciat, et a Deo, ad cujus imaginem factus erat, quam longissime discedat. — τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου, *gloriam incorruptibilis*) Perfectiones Dei vel positivis vel negativis terminis exprimuntur. Hebraea lingua positivis abundat: negativos fere per periphrasin reddit. — ἐν) Hebr. ב Lat. *pro, cum.* sic ἐν, v. 25. — ἀνθρώπου — ἑρπετῶν, *hominis — reptilium*) Climax descendens. *corruptibilis* constr. etiam cum *volucrium etc.* Saepe formam hominis, avis, quadrupedis, serpentis, commiscuerunt. — ὁμοιώματι εἰκόνος, *similitudine imaginis*) *Imago* est concretum: *similitudo* abstractum, δόξη, *gloriae* oppositum. quo majori *similitudine imago* refert creaturam, eo apertius aberrat a vero.

v. 24. διὸ, *propterea*) Peccati alia poena est ex consequentia physica, v. 27. not. *oportebat*: alia insuper ex justitia vindicativa, ut h. l. — ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις, *in concupiscentiis*) ἐν, non εἰς. Jam aderant αἱ ἐπιθυμίαι, *concupiscentiae.* Quales deos fingebant, tales erant ipsi homines. — ἀκαθαρσίαν, *impuritatem*) Saepe conjungitur impietas et impuritas, 1 Thess. 4, 5., cognitio Dei et puritas mentis, Matth. 5, 8. 1 Joh. 3, 2. s. — ἀτιμάζεσθαι, *dehonestare*) Oppositum *honor.* 1 Thess. 4, 4. Homo non debet se projicere. 1 Cor. 6, 13. s. —

Digitized by Google

ἐν ἑαυτοῖς, *in se ipsis*) per scortationem, mollitiem et alia flagitia. Ipsi sunt materia poenae suae, et impensa ejus. *Quam juste! qui Deum inhonestant, puniuntur de se ipsis.* Joh. Cluverus.

v. 25. τὴν ἀλήθειαν, *veritatem*) quae jubet Deum colere TANQUAM Deum. — ἐν τῷ ψεύδει, *in mendacio*) Mythologiae pretium. ἐν, Lat. *cum*. — ἐσεβάσθησαν, *coluerunt*) interne. — ἐλάτρευσαν, *serviverunt*) externe. — παρὰ) *praeter, prae.* c. 14, 5.

v. 26. πάθη ἀτιμίας, *passiones ignominiae*) Vid. *Gerberi* lib. *unerkannte Sünden*, T. I. cap. 92., *Von der geheimen Unzucht.* Talium plena sunt gentilium scripta. — ἀτιμίας, *ignominiae*) Oppositum τιμὴ, *honor.* 1 Thess. 4, 4. — θήλειαι, *foeminae*) In peccatis arguendis saepe scapha debet scapha dici. Pudorem praeposterum ii fere postulant, qui pudicitia carent. Paulus Romam adhuc non visam sic apertius scribit, ineunte epistola, quam usquam antea. Gravitas et ardor stili judicialis, proprietate verborum non violat verecundiam. — χρῆσιν, *usum*) Subaudi, *sui*. sed est ellipsis. causam habes 1 Cor. 11, 9. *Utendum*, non fruendum. Gravitas stili sacri.

v. 27. ἐξεκαύθησαν, *exarserunt*) πυρώσει abominanda. — τὴν ἀσχημοσύνην, *turpitudinem*) cui ipsa corporis et membrorum conformatio reclamat. — ἣν ἔδει) *quam oportuit*, naturali sequela. — τῆς πλάνης, *erroris*) quo aberrarunt a Deo. — ἀπολαμβάνοντες) Verbum oppositum, de Gentibus: ut ἀποδώσει, respectu Judaeorum. c. 2, 6. In utroque verbo ἀπὸ eandem vim habet.

v. 28. ἔχειν, *habere*) Antitheton, παρέδωκεν, *tradidit*. ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, *habere in agnitione*, plus notat, quam ἐπιγινώσκειν, *agnoscere*. Non plane deerat *agnitio*: sed in eo non ita profecerunt, ut Deum haberent. v. 32. — ἀδόκιμον) Ut ἀδύνατος, ἄπιστος et similia, et active et passive valent, sic quoque ἀδόκιμος. Hoc loco active notatur mens, quae *probat* minime probanda; cui relicti sunt, qui maxime probanda *non probarunt*. Hoc ἀδόκιμον tractatur v. 32., συνευδοκοῦσι· ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, tractatur v. 29—31. — τὰ μὴ καθήκοντα) Μείωσις.

v. 29. πεπληρωμένους) Grande verbum. μεστοὺς, mox. — ἀδικίᾳ, *injustitia*) Hoc, *justitiae* oppositum, primo loco ponitur: *immisericordia*, ultimo. *Justitia* habet *vitam: injustitia mortem.* v. 32. Tota Enumeratio ordinem habet sapientem, per membra novem, in affectibus: duo, in sermone: tria, respectu Dei, et sui, et proximi; et duo, in rebus gerendis: sex, respectu necessitudinum. Confer de contrariis, c. 12, 9. seqq. — πορνείᾳ) Retinendum esse hoc verbum, jam diu agnovi: [1]) Clementi Romano haud lectum esse non apparet. — πονηρίᾳ — κακίᾳ) Πονηρία est *nequitia*, ejus, qui alteri, etiam sine suo commodo, nocere gaudet. κακία est *vitium*, quo alter alteri nil boni conferre potest. πλεονεξία denotat *avaritiam* proprie, ut saepe apud Paulum. alias rarius hoc peccatum ab eo redargueretur. Solet autem jungere cum impuritate. nam homo extra Deum quaerit pabulum in creatura materiali, vel per voluptatem vel per avaritiam. bonum alienum ad se redigit. — κακοηθείας) κακοήθεια, κακία κεκρυμμένη. Ammonius. aliena omnia male arripiens: se alteri molestam exhibens.

v. 30. ψιθυριστὰς, *susurrones*) clam. — καταλάλους, *detractores*) aperte. — θεοστυγεῖς) qui *odiosos* se exhibent contra *Deum*. — ὑβριστὰς) qui omnia bona et salutaria *contumeliose* a *se* repellunt. — ὑπερηφάνους) qui se efferunt supra *alios*. De hoc vitio, et aliis, quae hic notantur, vid. 2 Tim. 3, 2. seq. — ἀλαζόνας) *arrogantes*, ad res magnas et *bonas*. — ἐφευρετὰς κακῶν) *inventores malorum*, novarum voluptatum, novorum quaestuum, novarum artium nocendi, v. gr. in

---

1) *utut margo* Ed. maj. (A. 1734.) *omittendum censuerit.* Gnomoni *respondet* ed. 2. *et* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

bello. 2 Macc. 7, 31. Antiochus dicitur πάσης κακίας εὑρετὴς γενόμενος εἰς τοὺς ἑβραίους.

v. 30. 31. γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας, *parentibus inobedientes, insipientes, refractarios, sine affectione, irreconciliabiles, immisericordes*) Duo terniones, prior apud inferiores; alter apud superiores.

v. 31. ἀσυνθέτους) Verbo ἀσυνθετεῖν LXX Hebraeum בגד et מזל exprimunt.

v. 32. δικαίωμα, *jus*) Regale divinum, quod Deus virtutes probat, vitia odit, improbos morte afficit, jure meritoque, ut ostendat se non esse injustum. Nam dum nefarios morte punit, ipse justificatur. Id Regale etiam gentibus cognitum. — ὅτι) nempe *quod*. — πράσσοντες· πράσσουσι) Hoc verbum, ποιοῦσιν interjecto repetitum, accurate exprimit petulantiam flagitiosorum, divinae justitiae prorsus contrariam. ποιοῦσιν, etiam affectu et ratione. Eadem differentia verborum, c. 2, 3. — θανάτου, *morte*) Lev. 18, 24. s. Act. 28, 4. Subinde improbissima quaeque stirps ex genere humano eradicatur, et tota posteritas ex iis propagatur, qui minus mali fuerant. — ἀλλὰ καὶ, *sed etiam*) Pejus est συνευδοκεῖν, *approbare*. nam qui malum patrat, sua sibi cupiditate abducitur, non sine elencho in se ipsum vel etiam in alios, (conf. *judicans*, c. 2, 1.) et cum approbatione legis. coll. c. 7, 16. sed qui συνευδοκεῖ sive *approbat*, corde et ore, malitiae fructum habet ipsam malitiam, eaque pascitur, et suum reatum alieno cumulat, aliosque in peccando inflammat. pejor est, qui et se et alios, quam qui se unum perimit. Haec vero mens est reproba. Conjugata, ἀδόκιμον et συνευδοκοῦσι. v. 28. not. Huic *approbationi* opponitur *judicatio*. c. 2, 1. Gentes non modo faciunt, sed etiam approbant: Judaeus judicat quidem, non approbans; sed tamen facit. — τοῖς πράσσουσι, *facientibus*) sibi et aliis. conf. Es. 3, 9.

CAPUT II.

v. 1. Διὸ, *quapropter*) Transit Paulus a gentibus ad Judaeos, ut totus sermo subsequens ostendit: et tamen particulam ponit non transitivam, sed illativam; quarum haec, ut valentior, illam absorbet. Gentilis facit mala: Judaeus facit mala. Deinde v. 6. ss. utrosque, Gentes et Judaeos, complectitur. — ἀναπολόγητος, *inexcusabilis*) Defensionem quaerit homo. — ἄνθρωπε, *homo*) De gentilibus capite I. in tertia persona locutus, cum Judaeo in secunda singulari agit; uti lex ipsa non in secunda, sed tertia singulari cum Judaeo agit, quia cum nemine rem habebat nisi cum Judaeo. conf. c. 3, 19. Sed apostolus, qui ad gentes et Judaeos suum sermonem dirigit, Judaeum quidem in secunda singulari alloquitur; communi vero eum nomine appellat, coll. c. 1, 18., neque *Judaeum* agnoscit: v. 17. 28. Eadem differentia tertiae et secundae personae recurrit v. 14. 17. Non dissimile est illud, quod gentes differuntur ad judicium extremum, v. 16.: Judaeis judicium etiam praesens ex lege intentatur, v. 2. — ὁ κρίνων, *qui judicas*) remotus a *complacentia*, c. 1, 32. Paulus gravi verbo utitur. Judaeus se Graeco praefert, v. 19. s. id Paulus jam appellat *judicium*: eoque viam sibi facit ad judicium Dei ostendendum. Philavtiae est, quod homo, quo alios sese pejores putat, eo se meliorem existimat. Gal. 6, 4. Est paregmenon. nam sequitur, κατακρίνεις. Conf. c. 14, 22. 23. 1 Cor. 4, 3. seqq. 11, 29. ss. Jac. 2, 4. — ἕτερον, *alterum*) qui ad te nil attinet: cujus apertior injustitia te nil juvat: ethnicum.

v. 2. οἴδαμεν) *scimus*; te, o homo *judicans*, non docente. — τὸ κρίμα τοῦ θεοῦ) *judicium Dei*; non tuum, qui te excipis. — κατὰ ἀλήθειαν) *ad veritatem* summam, nullo discrimine. δίκαιον, *justum*, v. 5. 6. 11.: et secundum interna, non solum externa. v. 16.

Digitized by Google

v. 3. σὺ) *tu,* prae gentili. quisque se ipse vel sine causa excipit: et sibi assentatur, etiamsi ipse nesciat, quare. — ἐκφεύξῃ; *effugies?*) per rimas, quas quaeris. φεύγει *fugit* reus omnis: ἐκφεύγει *effugit*, qui absolvitur.

v. 4. ἢ) *an.* Homines facile fiunt *contemtores* bonitatis, dum judicium divinum non sentiunt. Particula *an*, ἤ, proprie disjungit opinionem vanam *effugiendi,* et *thesaurizationem irae* apertam, per abusum ipsius bonitatis. — χρηστότητος, ἀνοχῆς, μακροθυμίας, *benignitatis, tolerantiae, longanimitatis*) quum tu et peccasti et peccas et peccabis. [*Benignitate* iram *suam DEUS cohibet*, v. 5.: *tolerantiâ ignotum se quasi tenet, donec* revelatur, v. 5.: *longanimitate* justum *suum* judicium *procrastinat*, *ibid.* V. g.] Mox haec omnia significat τὸ χρηστὸν *benignitas* Dei. Etiam ii potuere et debuere resipiscere, qui olim damnabuntur. — ἀγνοῶν, *ignorans*) Miratur Paulus hanc ignorantiam. — ἄγει) *ducit* suaviter: non cogit necessitate.

v. 5. δὲ, *sed*) Antitheton inter *divitiarum bonitatis* contemtum et inter *thesaurum irae.* — σκληρότητα, *duritiem*) Antitheton, χρηστόν. — ἀμετανόητον καρδίαν) Antitheton, μετάνοιαν. Volebat dicere, ἀμετανοησίαν, a quo verbo recentiores non abhorrent: sed Paulus vitavit verbum insolens. — θησαυρίζεις, *colligis*) etsi tu, o homo, putas te colligere beata omnia. O quid potest homo colligere tot horis vitae suae, in utramque partem! Matth. 18, 24. 1 Tim. 6, 18. — σεαυτῷ) *tibi ipsi*, non alteri, quem judicas. — ὀργὴν — ὀργῆς, *iram — irae*) Δεινότης, sermonis, magna vi. Cur multi non sentiunt iram? nondum est *dies irae.* erit autem. — ἐν ἡμέρᾳ) ἐν, de tempore, praesens notat: εἰς, futurum. Ille dies praesens est Deo. Potest autem hoc construi etiam cum ὀργήν. — ἀποκαλύψεως, *revelationis*) Quum Deus revelabitur, occulta hominis revelabuntur. v. 16. — καὶ δικαιοκρισίας) Particulam καὶ testium copia longe potior et irrefragabile apostoloque dignissimum ἀνοχῆς et ἀποκαλύψεως antitheton (quale est etiam inter ἀνοχὴν et ἔνδειξιν, c. 3, 36. Ps. 50, 21.) corroborat: v. 4., τῆς χρηστότητος, καὶ τῆς ἀνοχῆς, καὶ τῆς μακροθυμίας· v. 5., ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως, καὶ δικαιοκρισίας. Ανοχὴ et ἀποκάλυψις respiciunt Deum, et inter se conferuntur, ut ἀνοχὴ et ἔνδειξις c. 3, 25. s. μακροθυμία et δικαιοκρισία spectant peccatorem: χρηστότης et ὀργὴ ponuntur generatim. Quare non fuit omittenda καὶ particula a quibusdam: quam exhibet etiam Orig. c. Cels. in ms. Basileensi, ut docet Sam. Battierius in Biblioth. Brem. Class. VI. p. 98. Pro ἀποκαλύψεως habet *Alex.* ἀνταποδόσεως. Hanc varietatem ex alliteratione ad verbum ἀποδώσει natam, et aperte absonam, praetermisi antehac, neque ea nunc ad tuendum illud καὶ continuo subsequens utor. Novatum δικαιοκρισίας verbum in re a mortalibus antea non agnita notat Erasmus.

v. 6. ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ) Sic LXX plane Prov. 24, 12. it. Ps. 62, 13.: σὺ ἀποδώσεις κτλ. Dictum hoc, et infra, v. 11. inprimis saepe citatur. — ἀποδώσει) *reddet:* non modo *dabit*, sed *retribuet.* [*Hanc consiliorum tuorum normam fac constituas.* V. g.] — κατὰ, *secundum*) Paulus describit eos, qui vel vitam vel mortem consequentur, generaliter, et pro captu eorum, cum quibus hoc loco res ei est, praescindens adhuc a speciali ratione salutis obtinendae vel amittendae. Ergo hic locus non facit pro merito operum.

v. 7. 8. τοῖς μὲν — τοῖς δὲ, *his quidem — iis vero*) Majus discrimen quam multi nunc putant.

v. 7. τοῖς) sc. οὖσι, coll. v. seq. nam κατὰ (vid. Act. 25, 23.) hic fere ponitur, ut ἐξ, v. seq. nisi quod ἐξ sonat quiddam peccatori naturale; κατὰ, quiddam superveniens. Differentiam videbis, si particulas inter se permutaveris: ἐξ ὑπομονῆς κτλ. Ita τοῖς et ζητοῦσι stant in appositione, per asyndeton. — ὑπομονὴν ἔργου, *patientiam operis*) Sic *patientia spei* 1 Thess. 1, 3. ὑπομονὴ, *patientia*, includit h. l. obedientiam, constantiam, eamque submissam. — ἔργου, *operis*) Magna

Digitized by Google

vis in singulari numero. Phil. 1, 6. Ap. 22, 12. — δόξαν, *gloriam*) Constructio: τοῖς δόξαν κτλ. ζητοῦσιν, (ἀποδώσει) ζωήν· *iis, qui gloriam etc. quaerunt, (reddet) vitam.* Amor purus non excludit fidem, spem, desiderium. 1 Cor. 15, 58. — ζητοῦσι, *quaerentibus*) cum tu, Judaee, tibi non opus esse quaesito putes. [*Industria requiritur.* V. g.]

v. 8. τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας, *iis vero* qui sunt *ex contentione*) Horruit Paulus expresse dicere: *Deus reddet iis,* qui sunt *ex contentione, mortem sive aeternam perniciem.* quare eam rem conscientiae peccatoris ex antitheto praecedente subaudiendam relinquit; *reddet,* non sane vitam aeternam: sermonemque flectit ad ea quae sequuntur. Itaque τοῖς h. l. vim habet ϧ praefixi, notantis *quod attinet,* conf. c. 4, 12. not. Ideo non incommode sequitur, ἐπὶ πᾶσαν —. nam sic quoque Ex. 20, 5., ἐπὶ τέκνα, ἐπὶ τρίτην καὶ τετάρτην γενεὰν, τοῖς μισοῦσί με, Porro ἐξ, *ex,* ut v. 27. et saepe, notat partem sive sectam: iis, qui sunt ex parte sive natione contentiosa, tui, Judaee, similes, Deo refragantes. Character pseudojudaismi, inobedientia, contumacia, impatientia. — τῇ ἀληθείᾳ· τῇ ἀδικίᾳ, *veritati: injustitiae*) Saepe haec duo inter se opponuntur. 1 Cor. 13, 6. 2 Thess. 2, 10. 12. *veritas* continet *justitiam:* et *injustitia* connotat *mendacium.* — θυμὸς καὶ ὀργὴ) LXX, Ps. 78, (77.) 49.: θυμὸν καὶ ὀργὴν καὶ θλῖψιν. θυμὸς infligit poenam: ὀργὴ persequitur culpam. Vocabulorum proprietas perspicitur ex Eph. 4, 31. 32., ubi τῇ ὀργῇ opponitur τὸ χαρίζεσθαι, et τῷ θυμῷ τὸ εὔσπλαγχνον. θυμὸς Stoicis definitur ὀργὴ ἀρχομένη. Nec aspernandum illud Ammonii, θυμὸς μέν ἐστι πρόσκαιρος· ὀργὴ δὲ πολυχρόνιος μνησικακία.

v. 9. θλῖψις καὶ στενοχωρία, *afflictio et anxietas*) θλῖψις, *afflictio,* in praesens: στενοχωρία, *anxietas,* de futuris. θλῖψις, *afflictio* premit: στενοχωρία, aestuat et urget. Job. 15, 20. seqq. Argumentum est in his verbis, de ultrice justitia Dei. nam ira Dei eo tendit, ut creatura peccans, iram et omnia adversa experiens, discat odisse se ipsam, quod contra Deum fecerit. quod justissimum odium sui quamdiu creatura fugit, in poena est. — πᾶσαν ψυχὴν, *omnem animam*) Hoc vocabulo adjuvatur universalitas sermonis. c. 13, 1. — πρῶτον, *primum*) Sic Psalm. 94, 10.: *Qui gentes castigat, nonne arguet* (vos in populo?) Judaei particeps Graecus.

v. 10. δόξα δὲ καὶ τιμὴ, *gloria vero et honor*) *Gloria,* ex divino beneplacito: *honor,* ex divina remuneratione: *et pax,* in praesens et in perpetuum. Nam δὲ, *vero,* exprimit oppositionem inter *ira* et *gloria, indignatio* et *honor, afflictio anxietas*que et *pax.* coll. c. 3, 17. 16. quorum laeta spectantur, ut ex Deo proficiscuntur; adversa, ut ab homine persentiscuntur: haec enim absolute in nominativo ponuntur, cum illa e contrario in v. 7. in accusativo ponantur, ut talia, quae Deus impertiat. Sed cur opponuntur *honor* et *dolor:* quum honoris contrarium sit ignominia, voluptatis dolor? Resp. In hoc praecise loco attendendum ad vocem εἰρήνη, *pax,* quae heic *dolori,* nimirum *afflictioni anxietati*que opponitur. Ceterum Es. 65, 13. *gaudium* (et honor) *pudori* (et dolori) opponitur: utraque parte concise expressa et ex opposito suo supplenda. Praeterea in bonorum genere summum est honor; in poenarum genere, dolor: et summus gradus, inferiores includens, summo gradui opponitur. sic *gloriatio* et *vae.* 1 Cor. 9, 16.

v. 9. 10. κατεργαζομένου· ἐργαζομένῳ) Differentia horum verborum facilius sentitur, quam explicatur: facilius ridetur, quam refutatur. Alia differentia: de poena dicitur, ἐπὶ ψυχήν· nam poena *incumbit,* et anima feret invita: de praemio: παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ, dativus commodi.

v. 12. ὅσοι γὰρ, *quotquot enim*) Gentes: *et quotquot,* Judaei. — ἀνόμως) Hoc bis ponitur per antanaclasin, hoc sensu, οὐκ ἐν νόμῳ, οὐ διὰ νόμου, ut patet ex antitheto. — ἥμαρτον) *peccarunt:* praeteritum, pro judicii tempore. — καὶ ἀπολοῦνται, *etiam peribunt*) *etiam* notat convenientiam modi peccandi et inter-

Digitized by Google

eundi. et *peribunt* ait: neque enim commodum erat dicere, ἀνόμως, *sine lege judicabuntur;* ut mox apte dicit, *per legem judicabuntur.* — ἐν νόμῳ) *cum lege,* non ἀνόμως. i. e. cum legem haberent. — διὰ νόμου, *per legem*) c. 3, 20.

v. 13. οὐ γὰρ, *non enim*) Valde extans Propositio. cujus verba etiam ad gentes spectant; sed ad Judaeos praecipue accommodantur. de illis v. 14. s. de his v. 17. s. quare etiam versus 16. a versu 15. pendet, non a versu 12. Multa turbarunt, qui a v. 14., imo a v. 13. ad fin. v. 15. parentheseos sepem statuerunt. — οἱ ἀκροαταὶ, *auditores*) otiosi, quamlibet seduli. — παρὰ τῷ θεῷ, *apud Deum*) v. 2. — ποιηταὶ, *factores*) nempe, *si* homines se praestiterint *factores.* c. 10, 5. Possunt *facere* ea, *quae sunt legis:* sed totius *legis factores* praestare se non possunt. — δικαιωθήσονται, *justificabuntur*) Hoc verbum, nomini δίκαιοι, *ipso facto justos* denotanti, contradistinctum, involvit conditionem praestandam, et *tum* subsecuturam in die judicii divini declarationem justorum.

v. 14. ὅταν, *quum*) Postquam Paulus judaicum judicium contra gentes perversum refutavit, nunc verum judicium divinum ostendit, contra easdem. De gentibus agitur hic magis directe ad gentes convincendas; et tamen, quod his obiter conceditur, eo fine conceditur, ut Judaeus peragatur gravius: sed v. 26. de gentibus plane incidenter, ad convincendum Judaeum. quare hic ponitur ὅταν, *quum:* illic, ἐὰν, *si.* — γὰρ, *enim*) Causam reddit, cur etiam a gentilibus postuletur, ut sint *factores legis.* nam quum vel tantillum faciunt, obligatos se esse recognoscunt. Et tamen docet, illos per legem naturae sive per se ipsos justificari non posse. Sunt quatuor sententiae: *quum — hi — qui — una testante.* secunda declaratur per tertiam, prima per quartam. — ἔθνη) Non, τὰ ἔθνη· homines aliqui ἐξ ἐθνῶν. Et tamen nullus est, qui plane nihil faciat ἐκ τῶν τοῦ νόμου. Noluit dicere ἐθνικοὶ, quod solet in pejorem partem accipi. — μὴ νόμον· νόμον μὴ, *non legem: legem non*) Nec hic quidem commutatus verborum ordo ratione caret. priore loco emphasin habet *non,* ut amplificetur illud *non habere:* altero loco emphasin habet *legem,* in antitheto ad *sibi ipsis.* Sic quoque νόμος modo sine articulo, modo cum articulo, non sine causa dicitur. v. 13. 23. 27. 3, 19—21. 7, 1. seqq. — φύσει, *natura*) Constr. μὴ νόμον ἔχοντα φύσει, *non legem habentes natura,* [1]) plane ut v. 27., ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία, *ex natura praeputium,* contra ac Syrus, *ex natura legem faciens.* Gentes sunt *natura* (i. e. per se, ut nascuntur, non ut homines, sed ut gentes) legis (scriptae) expertes: cum Judaei sint *natura* Judaei, Gal. 2, 15. adeoque legem (scriptam) habeant *natura.* conf. c. 11, 24. fin. Neque tamen periculum est ullum, ne vis illa constructionis, quam plerique sequuntur, *natura ea, quae sunt legis, faciant,* intereat. nam quod gentes, legem non habentes, faciunt, sane *natura* faciunt. *Legis* vocabulum non philosophico, sed Hebraico usu venit apud apostolum: itaque appellatio *legis naturalis* non extat in Scriptura sacra: v. 12. res ipsa est vera. — ποιῇ, *faciant*) non solum opere, sed etiam motibus intimis. v. 15. fin. — οὗτοι, *hi*) Haec vocula nomen collectivum ἔθνη, *gentes,* flectit ad sensum distributivum. [— quatenus *scilicet faciunt.* V. g.] — νόμος, *lex*) Quod Judaeis est lex; id gentes ipsae sunt sibi.

v. 15. ἐνδείκνυνται, *demonstrant*) sibi, ceteris hominibus, et Deo ipsi quodammodo. — τὸ ἔργον τοῦ νόμου, *opus legis*) legem ipsam cum sua activitate. Opponitur literae, quae est accidens. — γραπτὸν, *scriptum*) Nomen, non participium. nedum infinitivus. Alludit Paulus ex opposito ad tabulas Mosis. Hoc *scriptum* antecedit *factionem* eorum *quae sunt legis,* sed postea quum quis

---

1) *Per hanc interpretationem* comma, *quod in* Vers. germ. *verba* von Natur *praecedit, ad evitandam amphiboliam omitti debere censeas, quanquam* aequivoca distinctione *scienti fortassis volentique b.* Auctor *usus est.* E. B.

Digitized by Google

aut fecit (aut non fecit,) sequitur *demonstratio*, et liquidius apparet permanens illa scriptura. — συμμαρτυρούσης, *una testante*) Allegoria. in judicio sunt actor, reus, testes. testis, conscientia: accusant, vel etiam defendunt, cogitationes. Natura et peccatum ipsum *testatur:* conscientia *una testatur.* — αὐτῶν) *ipsorum.* — τῆς συνειδήσεως, *conscientia*) Nullam facultatum suarum minus in potestate habet anima, quam conscientiam. Sic συνείδησις et λογισμὸς junguntur Sap. 17, 11. 12. — μεταξὺ ἀλλήλων, *inter se invicem*) sicut actor et reus. Hoc, ineunte commate, emphaseos causa ponitur, quatenus *cogitationes cogitationibus* implicatae, opponuntur *conscientiae ad legem* relatae. — τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, *cogitationibus accusantibus*) Resolvunt sic: *una testantibus cogitationibus, quae accusant:* sed *cogitationibus accusantibus* stat per se. — ἢ καὶ, *vel etiam*) Particula *etiam* concessiva ostendit, *cogitationes* longe plus habere, quod accusent, quam quod defendant: ipsaque defensio (coll. 2 Cor. 7, 11. *defensionem*) non est de toto, sed duntaxat de parte facti, quae ipsa rursum debitores totius convincit. c. 1, 20. — ἀπολογουμένων, *defendentibus*) Exemplum, Gen. 20, 4.

v. 16. ἐν ἡμέρᾳ, *in die*) Constr. cum *demonstrant.* neque enim obstat tempus praesens. v. 5. Ac saepe Paulus dicit: *in die Domini*, quod plus dicit, quam *in diem.* 1 Cor. 5, 5. conf. *coram* 1 Tim. 5, 21. not. Quale quidque fuit, tale tum conspicietur, definietur et manebit. In illo die constabit illud in cordibus scriptum legis, apologiam etiam aliquam recte factorum conjunctam habens, quamvis homo in *judicio* succumbat, semet accusatore, propter cetera. Idque infert accusationem vel etiam defensionem (a majori ad minus procedendo) in hac quoque vita constantem, quoties vel ipsum repraesentatur homini judicium futurum, vel praeludia ejus in conscientia, homine inscio, aguntur. conf. 1 Joh. 4, 17. Ac saepe ita loquitur Scriptura de futuris, speciatim de novissimis, ut citeriora praesupponat. Judaeis v. 5. ut Gentibus h. l. judicium futurum intentatur. — τὰ κρυπτὰ, *occulta*) *conscientiam* et *cogitationes.* conf. 1 Cor. 4, 5. Confirmat hoc nexum versus hujus cum praec. Ex occultis vera qualitas actionum etiam ipsis plerumque agentibus ignota pendet. v. 29. Homines judicant ex manifestis, etiam de se ipsis. Judicabuntur etiam manifesta; sed non tum demum: judicantur enim, ex quo patrantur: occulta, tum demum. — τῶν ἀνθρώπων, *hominum*) etiam gentium. — κατὰ, *secundum*) i. e. ut docet meum evangelium. Hoc incisum addit Paulus, quia hic agit cum homine Jesum Christum nondum cognoscente. Evangelium est praedicatio tota de Christo: et Christus judex erit: et judicium in gentes non tam in V. T. quam in N. T. declaratur. Idque dicitur evangelium Pauli, per Paulum praedicatum, etiam gentibus. Act. 17, 31. Articuli omnes doctrinae evangelicae et articulus de judicio extremo valde se invicem illustrant, atque hic ipse respectu fidelium plane est evangelicus. Act. 10, 42. 1 Petr. 4, 5.

v. 17. εἰ δὲ, *si vero*) *Si*, coll. *quum*, v. 14. anaphorae simile quiddam habet: nisi quod ὅταν, *quum*, [*de gentibus*] plus ponit; εἰ, *si* [*de Judaeo*] minus concedit. Post *si* sequitur οὖν, *ergo*, uti ἀλλὰ, *sed*, c. 6, 5. et δὲ, *vero*, Act. 11, 17. conf. Matth. 25, 27. Et protasin longiorem, quae ab εἰ, *si*, incipit, subsequens οὖν, *ergo*, in summam redigit. — ἰουδαῖος, *Judaeus*) Hic apex Judaicae gloriationis (interposita ulteriore ejus descriptione, v. 17—20. additaque refutatione, v. 21—24.) ipse refutatur versu 25. seqq. Descriptio autem gloriationis constat bis quinque commatibus: quorum priora quinque, *requiescis — lege*, ostendunt, quid sibi Judaeus sumat; reliqua totidem, *confidis — lege*, ostendunt, quid is inde sibi amplius ad alios arroget. Utrinque primum respondet primo, secundum secundo, et sic deinceps: atque ut quintum prius, *institutus*, sic quintum posterius, *habentem*, denotat causam: *quia sis institutus: quia ha-*

Digitized by Google

beas. — ἐπονομάζῃ) Medium: *hoc cognomine te vocas, et vocari gaudes.* — ἐπαναπαύῃ) *requiescis* in eo, quod tibi angustiam intentat. paedagogum pro patre habes. — τῷ νόμῳ, *in lege*) Scienter Paulus hoc nomen frequentat. — ἐν θεῷ, *in Deo*) ut qui tuus sit Deus.

v. 18. τὸ θέλημα) *voluntatem*, i. e. quicquid jure placitum est. sic, *voluntas*, absolute, Matth. 18, 14. 1 Cor. 16, 12. Haec autem *voluntas* nulla est praeter voluntatem Dei: sed εὐλάβεια magna facit, ut Paulus non addat, *Dei.* — δοκιμάζεις) *probas*, approbas.

v. 19. ἐν σκότει) *in tenebris* ignorantiae connatae.

v. 20. μόρφωσιν) Sumitur h. l. in bonam partem, respectu Judaei gloriantis: *informationem.* — τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας, *cognitionis et veritatis*) ἓν διὰ δυοῖν. *veritas* hoc loco dicit ἀκρίβειαν doctrinae cognitae; hodie, *orthodoxiam.*

v. 21. οὐ διδάσκεις, *non doces*) Metonymia consequentis. se ipse non docet, qui non facit. — κηρύσσων, *praedicans*) clare.

v. 21. 22. κλέπτεις· μοιχεύεις· ἱεροσυλεῖς, *furtum, adulterium, sacrilegium committis*) atrocissime peccas in proximum, te ipsum, Deum. Ad gentes Paulus ostenderat peccata primum contra Deum, deinde contra se, deinde contra alios. nunc ordinem invertit: nam peccata contra Deum, in gentibus apertissima sunt, in Judaeo non item. — ὁ βδελυσσόμενος, *qui abominaris*) etiam ore. — τὰ εἴδωλα, *idola*) Judaei a captivitate Babylonica ad nostra usque tempora idololatriam, cui antea dediti fuerant, abominantur. neque tamen non interfecerunt Christum, et evangelium gloriamque Dei oppugnant. — ἱεροσυλεῖς, *sacrilegium committis*) quia Deo non das gloriam, quae proprie Dei est.

v. 24. τὸ γὰρ ὄνομα) Es. 52, 5. LXX, δι' ὑμᾶς διὰ παντὸς τὸ ὄνομά μου βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι. Conf. Ez. 36, 20. s. — καθὼς γέγραπται, *sicut scriptum est*) Convenienter hoc incisum hic in extremo ponitur, de re etiam per se evidente: ponitur autem ob Judaeos. c. 3, 19.

v. 25. ὠφελεῖ, *prodest*) Non dicit: *justificat. utilitas* decribitur cap. 3. et 4. Apud Judaeos (credentes) adhuc erat in usu circumcisio. — ἐὰν, *si*) Paulus non modo ad hominem, sed etiam ex sua sententia loquitur: et docet, falli eos, qui circumcisione nitantur, violata lege. — παραβάτης, *transgressor*) Verbum Judaeo horribile, v. 27.

v. 26. ἡ ἀκροβυστία, *praeputium*) id est, incircumcisus. nam huc refertur αὐτοῦ, *ejus.* — λογισθήσεται) Futurum: *censebitur*, justo judicio. v. 25. γέγονεν, praeteritum: jam *facta est.*

v. 27. κρινεῖ, *judicabit*) Quos tu judicas, ii te judicabunt, versa vice, in judicii die. v. 16. Matth. 12, 41. sq. 1 Cor. 6, 2. 3. — τελοῦσα, *perficiens*) Grande verbum. Itaque ἐὰν, *si*, v. 26. conditionalem vim habet, non affirmat. — σὲ, *te*) judicem sui. — τὸν) Articulus non pertinet proprie ad παραβάτην, sed τὸν διὰ dicitur, ut ἡ ἐκ. — διὰ) *cum.* habes literam, sed et abuteris. antitheton, *ex natura, cum litera.* tum, ἓν διὰ δυοῖν, *litera et circumcisione.* De litera et spiritu, vid. ad. c. 7, 6.

v. 28. ὁ ἐν) Periphrasis adjectivi. — ἐν σαρκὶ, *in carne*) Oppositum, *cordis.* v. 29.

v. 29. οὗ, *cujus*) qui laudem quaerit et habet non ex hominibus etc. — ἔπαινος, *laus*) Alludit ad nomen *Judaeus.* יהודך *laudabunt te* Gen. 49, 8. Ideo addit οὗ, non ἧς. Resolv. *Judaeus, qui in occulto est, est ille Judaeus, qui laudem habet*, q. d. vera *Judaitas.* Opponitur *judicio.* — οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, *non ex hominibus*) qui ubi se laudant, *gloriantur.* v. 17. — θεοῦ, *Deo*) qui *cor* spectat.

Digitized by Google

CAPUT III.

v. 1. Τί, *quid*) Frequens Paulo formula inducendi objectionem. — οὖν) *igitur*. si circumcisio, lege non servata, si Judaeus, in aperto, non valet: quid hic habet, quid illa juvat? nulla ergo est Judaeorum praerogativa. negat Paulus consequentiam. Innumerae sunt exceptiones, quas contra doctrinam hac epistola expositam perversitas Judaica et humana profert. omnes eximit Paulus. — τὸ περισσὸν, *praecipuum*) יתר prae gentibus. De hoc agitur v. 2. — ὠφέλεια τῆς περιτομῆς, *utilitas circumcisionis*) De hac vide c. 2, 25.

v. 2. πολὺ, *multum*) Neutro genere. sc. περισσόν. Refertur ad concretum, de Judaeo, magis quam ad abstractum de circumcisione, v. 1. de qua aget c. 4, 1. 9. s. Sic c. 2, 29. οὗ scil. ἰουδαίου. — πρῶτον) i. e. *primum* atque adeo praecipue. non semper sequitur *deinde*. Una hoc loco Pauli instituto aptissima exponitur praerogativa Judaeorum, (reliquae sequentur c. 9, 4. 5.) ex qua ipsa eos mox, finita hac προθεραπεία, tanto magis coarguet. — ἐπιστεύθησαν, *credita sibi habent*) Cui creditur thesaurus, is eum potest vel fideliter et dextre tractare vel secus: ac Judaei Scripturam V. T. varie tractarunt. Ita autem credita Judaeis *eloquia* Dei dicit Paulus, ut *ventura bona*, v. 8. in iis descripta, Judaeorum essent, si ea per fidem reciperent. foecundissima noëmata: Deus est verus, fidelis, credens sua verba hominibus, justus. homo est mendax, perfidus, diffidens, injustus. — λόγια) Diminutivum. Responsa divina saepe habuere brevitatem, ut in Urim et Thummin. λόγιον etiam *sermo* de circumcisione et ceteris praerogativis Israëlitarum.

v. 3. τί γὰρ; *quid enim?*) scil. *dicimus*. v. 5. ubi item μὴ, *num*, sequitur. sic τί γάρ; LXX, Job. 21, 4. — εἰ, *si*) Sic facile objiceret gentilis aemulus. — ἠπίστησαν) Conjugata: ἐπιστεύθησαν, ἠπίστησαν, ἀπιστία, πίστιν. — τινὲς, *quidam*) Euphemia. Atque infideles, quamvis multi, habentur ut *quidam* indefinite; quod non valde sub censum veniant. c. 11, 17. 1 Cor. 10, 7. 1 Tim. 4, 1. — πίστιν) *fidem*, qua fient promissa et *venient bona*. Haec fides manet, etiamsi omnes homines sint *infideles*: manet, inprimis respectu *fidelium*. *Fidem Dei*, respectu *infidelium*, parum agnoscunt, qui universalem gratiam negant. Magni sane habenda est voluntas Dei antecedens etiam respectu reproborum. nam quod non habent, habere tamen poterant. quod ipsum magnam omnino praerogativam eis confert: atque eam si non tuentur, *praecipuum* tamen illud remanet, quod gloria Dei et gloria *fidei* Dei in eis illustratur. conf. *abundavit*. v. 7. *Praecipuum* non est nihili. Convenienter apostolus fidem Dei laudat, fidem nostram asserturus. Conf. 2 Tim. 2, 13. — καταργήσει; *abolebit?*) Futurum: magna vi, in oratione negante. Immota Dei fides.

v. 4. μὴ γένοιτο) Solus Paulus, ad Romanos duntaxat et Galatas, hac formula utitur. — γινέσθω, *fiat*) in judicio. — ὁ θεὸς ἀληθὴς, *Deus verus*) vid. Ps. 116, 12., ubi retributio Dei fidelissima opponitur perfidiae humanae. Hoc, et *mendax*, respicitur mox versu 7. — πᾶς ἄνθρωπος, *omnis homo*) ne Davide quidem excepto. Ps. 116, 11. LXX, πᾶς ἄνθρωπος ψεύστης. Hinc David 1 Sam. 24, 10. dicit, *verba hominis*, i. e. mendacium. — ὅπως — κρίνεσθαί σε) Sic LXX, Ps. 51, 6. Etiam illa sunt prophetica, quae David in agone poenitentiali oravit. — ἂν) *si* usu veniat, si homo ausit experiri. — δικαιωθῇς — νικήσῃς, *justificeris* — *vincas*) fidei et veritatis nomine. Humanus judex judicat ita, ut tantummodo sontis culpa pensetur, nec de sua ipsius ceteroqui justitia agit: sed Deus judicat ita, ut non magis injustitia hominum, quam ipsius *justitia* demonstretur. νικᾶν dicitur plerunque de *victoria* post aleam belli aut sponsionis aut ludi; h. l. de judiciali victoria, quae non potest non ad Deum pervenire. — ἐν τοῖς λόγοις σου) Hebr. בדברך quo uno loco דבר in Kal, extra participium, occurrit. i. e. *quum*

ed by Google

loqui instituis, et homini te insimulanti judicialiter respondere, hominemve peragere. [*In genere agnoscunt quidem homines, DEUM esse justum: at ubi de casibus specialibus agitur, tum suam ipsi caussam tueri amant.* V. g.] — ἐν τῷ κρίνεσθαί σε) Hebr. בשפטך. Simul Deus et κρίνει et κρίνεται. Κρίνεται, media significatione, qualem habere solent verba *certandi*. κρίνονται, qui in jure disceptant. LXX, Es. 43, 26. Jud. 4, 5. Jer. 25, 31. Exemplum Mich. 6, 2. s. nec non 1 Sam. 12, 7. Ineffabilis benignitas, qua Deus ad hominem disceptandi causa descendit.

v. 5. εἰ δὲ, *si vero*) Nova haec instantia per Judaicam personam elicitur ex verbo *justificeris*. v. praec. — ἡ ἀδικία, *injustitia*) quae committitur per *infidelitatem*. — τί ἐροῦμεν, *quid dicemus*) Ostendit Paulus, hoc *praecipuum* non obstare, quo minus Judaei sub peccato sint. — ὁ ἐπιφέρων) *inferens* iram, in Judaeos *infideles*. Articulus vim habet. Est allusio ad Ps. 7, 11. ὁ θεὸς κριτὴς δίκαιος, καὶ μὴ (אֵל pro אַל) ἐπάγων ὀργὴν καθ' ἑκάστην ἡμέραν. — κατὰ ἄνθρωπον, *secundum hominem*) Homo humanitus posset sic cogitare: Mea improbitas subservit gloriae divinae, eamque illustrat, ut tenebrae lucem: ergo non sum puniendus.

v. 6. ἐπεὶ, *alioqui*) Consequentia nectitur a minori ad majus, ut in *negativis* fieri debet: Si Deus injuste ageret, inferens iram in Judaeum injuste agentem: quod jam est absurdum dictu: sane non posset universum mundum judicare. *Affirmative* sic procederet: Qui universum mundum (juste) judicat, is sane etiam in hoc unico casu juste judicabit. Vicissim a majori ad minus concluditur, 1 Cor. 6, 2. — τὸν κόσμον, *mundum*) Nam etiam totius mundi, (Judaeis oppositi, c. 11, 12.) *injustitia commendat justitiam Dei*: et Deus tamen totum mundum injustum judicat, idque juste. Gen. 18, 25. Imo in ipso judicio humana injustitia divinam justitiam maxime illustrabit. Justitiam divini judicii in mundum agnoscit Judaeus: ostendit autem Paulus, eandem esse rationem judicii in Judaeos non credentes.

v. 7. εἰ γὰρ, *si enim*) Aetiologia, per sermocinationem proposita, ad confirmandam objectionem initio v. 5. inductam. — ψεύσματι, *mendacio*) Quae Deus dicit, vera sunt: haec qui non credit, mendacem facit Deum, ipse mendax. — τί) i. e. *quid* etiamnum me purgo, quasi habeam, cur timeam? conf. τί ἔτι, cap. 9, 19. Gal. 5, 11. — κἀγὼ) *ego quoque*, cui veritas Dei revelata est; non modo ethnici. — κρίνομαι) Resp. κρίνεσθαι. v. 4. 6. LXX, Job. 39, 34. (40, 4.) τί ἔτι ἐγὼ κρίνομαι;

v. 8. καὶ μὴ, *et non*) Subaud. *sic facio, sicut* — sed intercedit commutatio numeri sive personae, qualis c. 4, 17. — καθὼς, *sicut*) Nonnulli calumniabantur Paulum: alii sic sentiebant, et suam sententiam a Paulo probari ajebant. — φασί τινες, *inquiunt quidam*) qui suae perversitati nostrum suffragium praetexunt. Haec epistola inprimis ea de causa scripta est, ut tales confutaret Paulus. — ἡμᾶς, *nos*) justitiae Dei assertores. — ὅτι) Hoc pendet praecise a λέγειν. — ποιήσωμεν, *faciamus*) sine timore. — τὰ κακὰ, *mala*) peccata. — ἔλθῃ τὰ ἀγαθὰ, *veniant bona*) Eadem locutio LXX int. Jer. 17, 6. Hoc volunt dicere calumniatores illi: Bona ad veniendum propensa sunt; sed mala viam eis debent praeparare. — τὰ ἀγαθὰ, *bona*) Gloria Dei. — ὧν, *quorum*) i. e. eorum, qui faciunt vel etiam facienda dicunt mala, ut veniant bona. — τὸ κρίμα) *Judicium*, quod isti velut *injustum* subterfugere conantur, singulariter eos corripiet. — ἔνδικον, *justum*) Sic Paulus consequentiam illam quam longissime amandat, et tales responsatores abrupte repellit.

v. 9. τί οὖν; *quid igitur?*) Resumit initium v. 1. — προεχόμεθα;) *habemus* quicquam *prae* gentibus? — οὐ πάντως) Judaeus diceret: πάντως. at Paulus contradicit. Leniter ineunte hoc loco loquitur: (nam aliis locis, ubi dicitur μηδα-

Digitized by Google

μῶς, non potest οὐ πάντως surrogari: et hoc loco illud *nullo modo* tolleret, quòd v. 2. concessit:) deinde vero gravius. — προητιασάμεθα) *ante convicimus*, quam Judaeorum praerogativam commemoravi. Paulus agit cap. 1. et 2. tanquam severus Procurator justitiae divinae; sed tamen noluit singulari numero uti. plurali numero assensum fidelium lectorum exprimit. πάντας, *omnes* Judaeos, *omnes* Graecos. — ὑφ' ἁμαρτίαν) ὑπὸ notat subjectionem tanquam *sub* tyrannidem *peccati*.

v. 10. καθὼς, *sicut*) Sub peccato omnes esse, ex vitiis in genere humano semper et ubique grassatis evidentissime arguitur: perinde ut sanctitas Christi etiam interna describitur per innocentiam sermonum et actionum. Recte igitur allegat Paulus Davidem et Jesajam, tametsi de sua aetate queruntur, idque cum exceptione piorum. Ps. 14, 4. seqq. Nam querela illa exprimit, quales Deus de coelo despiciens inveniat, non quales gratia sua faciat.

v. 10. s. ὅτι οὐκ ἔστι δίκαιος οὐδὲ εἷς κτλ.) Ps. 14, 2. s. LXX, οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός. — εἰ ἔστι συνιῶν ἢ ἐκζητῶν τὸν θεόν. — ἑνός. Genus, *non est justus*. sequuntur partes: affectus et studia, v. 11, 12.: sermo, v. 13. 14.: actiones, v. 15. 16. 17.: gestus et nutus, v. 18. — δίκαιος, *justus*) Aptum verbum, in sermone de *justitia*. — οὐδὲ εἷς, *ne unus quidem*) Quis hic excipiat quenquam? v. 23. ne unus quidem *sub coelo*. Vel unius vel certe paucorum exceptio posset omnibus favorem conciliare: nunc ira eo major.

v. 11. οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν, *non est intelligens*) Sunt sine intellectu ad bonum. — οὐκ ἔστιν ὁ ἐκζητῶν, *non est exquirens*) Sunt sine voluntate ad bonum. *exquirere* significat, Deum esse מבקש Es. 45, 15.

v. 12. ἐξέκλιναν, *declinarunt*) exierunt. Declinatio supponit, omnes antea rectos fuisse. — ἅμα) *simul*, uno tempore. — ἠχρειώθησαν, *inutiles facti sunt*) non habent vires redeundi ad bonum. Et contra his omnibus partibus haerent in malo, vel intus vel etiam aperte. Evaserunt ἀχρεῖοι, *ad usum inepti*. Conjugatum mox, χρηστότης.

v. 13. τάφος — ἰὸς — αὐτῶν) Sic LXX, Ps. 5, 10. 140, 4. — ἀνεῳγμένος) modo *retectum*, eoque foetidissimum *sepulcrum*. — ὁ λάρυγξ, *guttur*) Observa seriem sermonis ex corde manantis per *guttur*, *linguas*, *labia*. totum, *os*. magna peccati pars in verbis est. — ὑπὸ τὰ χείλη) *sub labiis*. nam *in* labiis mel est.

v. 15. ὧν τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει) Ps. 10, 7. LXX, οὗ ἀρᾶς τὸ στόμα αὐτοῦ γέμει καὶ πικρίας καὶ δόλου. — τὸ στόμα, *os*) Hoc et seq. versu describitur vis, ut v. 13. fraus. — ἀρᾶς, *execrationis*) in Deum. — πικρίας, *amarulentiae*) in proximum.

v. 15—18. ὀξεῖς — οὐκ ἔγνωσαν) Es. 59, 7. 8. LXX, οἱ δὲ πόδες αὐτῶν — ταχινοὶ ἐκχέαι αἷμα — σύντριμμα οὐκ οἴδασι. Sic, de pedibus, Prov. 1, 16.

v. 16. σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία) שד ושבר *vastitas et destructio*.

v. 17. οὐκ ἔγνωσαν, *non cognoverunt*) nec sciunt, nec scire volunt.

v. 18. οὐκ — αὐτῶν) Sic LXX, Ps. 36, 2. οὐκ — αὐτοῦ. — φόβος, *timor*) nedum *amor*, de quo multo minus scit natura. Compluribus ex locis, ubi vitiositas humana vel per querelam Dei et Sanctorum, vel per confessionem poenitentium exprimitur, partem verborum perscripsit Paulus, *reliqua* omnia ex iisdem locis repetenda innuens. — ὀφθαλμῶν, *oculis*) Verecundiae sedes in oculis est.

v. 19. ὅσα) *quaecunque*. Multa Legis testimonia modo cumulavit. — νόμος, lex) Ergo testimonium v. 10. s. ex Psalmis productum Judaeos pulsat: neque hi putare debent, Gentes in eis accusari. Paulus contra gentes nullum posuit dictum scripturae, sed illic egit ex lumine naturae. — νόμος — νόμῳ) Δεινότης. — ἵνα, *ut*) Urget Judaeos. — στόμα) *os*, amarum, v. 14. et tamen gloriabundum. v. 27. Judaei maxime notantur, ut per *mundum* gentes. — γένηται,

Digitized by Google

fiat) Mundus semper est *obnoxius*: sed *fit*, peragente eum lege. — πᾶς, *omnis*) ne Judaeis quidem exceptis. *Gentium* reatus ut manifestus praesupponitur: *Judaei* ex *lege* peraguntur. Hi sunt rei: his peractis totus *mundus* reus peractus est.

v. 20. διότι) *propterea, quia*. — νόμου) *legis*, indefinite, maxime moralis: v. 19. 9. c. 2, 21. s. 26. quae sola non *aboletur:* v. 31. cujus operibus Abraham praeditus erat ante circumcisionem susceptam. Paulus negans justificari nos ex legis operibus, fidei oppositis, non legi ulli, totam legem dicit, cujus partes potius, quam species erant ceremonialis et moralis. quarum illa, ut jam tum abrogata, non ita veniebat sub censum; haec non sub ea ratione nos obligat, ut est per Mosen data. Opera legis plane nulla habemus extra gratiam in N. T. nam lex nullas dat vires. Non sine causa Paulus *opera* memorans toties *legis* addit. his enim nitebantur adversarii; meliora, ex fide et justificatione provenientia, nesciebant. — οὐ δικαιωθήσεται, *non justificabitur*) De significatione hujus verbi vid. ad Luc. 7, 35. Apud Paulum certe manifesta est significatio judicialis. v. 19. 24. s. c. 4, 5. cum contextu. De tempore futuro conf. v. 30. not. — πᾶσα σὰρξ, *omnis caro*) Synonymon *mundi*, v. 19., sed cum connotatione causae: mundus ejusque justitia est caro. ergo non justificatur ex se. — ἐνώπιον αὐτοῦ, *coram illo*) c. 4, 2. 2, 29. — νόμου, *legem*) ob id ipsum datam. — ἐπίγνωσις) *Agnitio* peccatorum non justificat per se, sed justitiam deesse sentit et confitetur. — ἁμαρτίας, *peccati*) *Peccatum* et *justitia* directe et adaequate inter se opponuntur. at *peccatum* involvit et reatum et vitium: itaque *justitia* dicit oppositum utriusque. *Justitia* est abundantior. c. 5, 16. Praeclare Apol. A. C. *Bona opera*, inquit, *in sanctis sunt justitiae, et placent propter fidem. ideoque sunt impletio legis.* hinc δικαιοῦν est justum facere, sive justificare; prorsus congruente huic notioni forma verbi in όω, nec difficultas est in verbo derivato, sed in δίκαιος. Is igitur, qui justificatur, traducitur a peccato ad justitiam, id est, et a reatu sive noxa ad innocentiam, et a vitio ad sanitatem. Neque est homonymia sive notio duplex, sed simplex et idem praegnans significatus in vocabulis *peccatum* et *justitia*. qualis etiam passim obtinet in vocabulo ἄφεσις *remissio* et in verbis eam denotantibus, ἁγιάζω, ἀπολούω, καθαρίζω κτλ. *sanctifico, abluo, purifico etc.* 1 Cor. 6, 11. not. Ps. 103, 3. Mich. 7, 18. s. Atque hic ipse praegnans significatus verbi *justificare*, totum beneficium divinum, quo a peccato ad justitiam reducimur, denotans, occurrit etiam v. gr. Tit. 3, 7. coll. 2 Cor. 5, 21. Rom. 8, 4. coll. c. 5, 16. Alibi vero, prout res proposita exigit, ad certam quandam partem restringitur, inprimisque ad liberationem a peccato, quatenus in eo spectatur *reatus*. Et sic semper Paulus, ubi de Deo, peccatorem justificante per fidem, ex instituto agit.

v. 21. νυνὶ) *nunc* facit antitheton, inclusa vi temporis. v. 26. — χωρὶς νόμου — ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, *sine lege — a lege et prophetis*) Suave antitheton. *Lex* stricte et late dicitur. [*Prophetis Davides v. gr. adnumerandus.* c. 4, 6. V. g.] — πεφανέρωται, *manifestata est*) per evangelium Jesu Christi. — μαρτυρουμένη, *testimonium habens*) ex promissione.

v. 22. δὲ, *autem*) Declaratur, quae sit justitia Dei. v. 21. — διὰ πίστεως ἰησοῦ χριστοῦ, *per fidem Jesu Christi*) *per fidem* in Jesum. vid. Gal. 2, 16. not. — εἰς, *in*) Connect. cum *justitia*, v. 21. — εἰς πάντας, *in omnes*) Judaeos, qui sunt tanquam vas proprium. — ἐπὶ πάντας, *super omnes*) gentiles, qui sunt ut solum, recipiens pluvium superabundantem gratiae. Conf. v. 30. — οὐ γάρ ἐστι διαστολὴ, *non enim est distinctio*) Judaei et gentes eodem modo et accusantur et justificantur. Eadem locutio, c. 10, 12.

v. 23. ἥμαρτον, *peccaverunt*) id est, peccatum contraxerunt. Notatur et actus primordialis peccati in paradiso, et habitus peccaminosus, et actus ex eo

fluentes. Saepe praeterita significationem habent inchoativam cum continuatione. talia sunt: ἐπίστευσα, ἤλπικα, ἠγάπηκα, ὑπήκουσα, ἕστηκα, *fidem, spem, amorem, obedientiam suscepi, statui me.* — καὶ ὑστεροῦνται, *et destituuntur*) Ex praeterito, *peccarunt*, fluit hoc praesens, *deficiunt*. eoque verbo omne *praecipuum* Judaeorum, cuncta gloriatio carnis omnis tollitur. illud actum; hoc statuun; utrumque, privationem denotat. *non perveniunt*, c. 9. 31. — τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, *gloria Dei*) Significatur ipsius Dei viventis gloria, *vitam* tribuens: c. 6, 4. ad quam homini, si non peccasset, patuit aditus; sed peccator ab illo fine suo excidit, neque jam eum assequitur, neque gloriam illam, quae in illo effulsisset, ullo modo tolerare potest. Hebr. 12, 20. s. Ps. 68, 2. quo fit, ut *morti* sit obnoxius. nam gloria et immortalitas sunt synonyma, et sic mors et corruptio. at *mortis* ipsius expressiore nulla Paulus mentione utitur, donec consummato justificationis processu et ad *vitam* usque exitu, *mortem* quasi a tergo respectat. c. 5, 12. Itaque summa ipsa status peccati, palmario hoc loco, exquisitissime sic describitur: *absunt a gloria Dei*, i. e. a summo fine hominis aberrarunt. quo ipso omnis connotatur aberratio citerior. At justificati recuperant spem illius gloriae, cum praesentissima tantisper gloriatione, (qua ex sese caruerant, v. 27.) et regnum in *vita*. Vid. omnino c. 5, 2. 11. 17. 8, 30. fin. Itaque oppositum τοῦ *peccarunt* explicatur mox, v. 24. seqq. c. 4. toto, de justificatione: oppositum τοῦ *destituuntur*, cap. illo quinto, coll. c. 8, 17. seqq.

v. 24. δικαιούμενοι, *qui justificantur*) Repente sic panditur scena amoenior. — τῇ αὐτοῦ χάριτι) *Ipsius gratiâ;* non inhaerente nobis, sed in nos quasi propendente. patet ex conjugato χαρίζομαι et χαριτόω. Melanchthon pro *gratia* saepe vocabulo *favoris* et *misericordiae* utitur. *Ipsius* habet emphasin. coll. v. seq. — ἀπολυτρώσεως) ἀπολύτρωσις, *redemtio* a peccato et miseria. *Expiatio* sive *propitiatio* (ἱλασμὸς) et ἀπολύτρωσις, *redemtio* est in fundo rei unicum beneficium, scilicet *restitutio peccatoris perditi*. Haec maxime adaequata et pura idea est, quae nomini *JESU* respondet adaequate. *Redemtio* est respectu *hostium* (de qua re *Koenigii* theologia positiva in loco de *Redemtione* distincte agit:) et *reconciliatio* est respectu *Dei*. atque hic voces ἱλασμὸς et καταλλαγὴ iterum differunt. ἱλασμὸς *(propitiatio)* tollit offensam contra *Deum:* καταλλαγὴ est δίπλευρος, et tollit α indignationem *Dei* adversum *nos*, 2 Cor. 5, 19. β *nostramque* abalienationem a *Deo*, 2 Cor. 5, 20. — ἐν χριστῷ ἰησοῦ, *in Christo Jesu*) Non temere *Christi* appellatio interdum prius ponitur, quam *Jesu*. Ex V. T. fit progressus a notitia Christi ad notitiam Jesu; in experientia fidei praesentis, a notitia Jesu ad notitiam Christi. Conf. 1 Tim. 1, 15. not.

v. 25. προέθετο) *ante* omnium oculos *posuit*. Luc. 2, 31. Πρὸ in προέθετο non connotat tempus, sed est, ut Latinum *proponere*. — ἱλαστήριον, *propitiatorium*) Alluditur ad *propitiatorium* V. T. Hebr. 9, 5. et hoc Graeco vocabulo LXX plerumque Hebraeum כפרת exprimunt. Ex. 25, 17—22. Propitiatio praesupponit offensam. contra Socinianos. — ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, *in ipsius sanguine*) Hic sanguis est vere propitiatorius. conf. Lev. 16, 2. 13. s. — εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, *in demonstrationem justitiae suae*) Hoc quasi post parenthesin repetitur v. seq. ad continuandum orationis cursum. tantum pro εἰς dicitur deinde πρὸς, *ad*, quod quiddam praesentius notat. c. 15, 2. Eph. 4, 12. — ἔνδειξιν, *demonstrationem*) Conf. not. ad c. 1, 17. — διὰ τὴν πάρεσιν, *propter praetermissionem)* Ἄφεσιν, *remissionem*, Paulus in Actis et ad Eph. Col. Hebr. saepe dicit, cum ceteris apostolis: πάρεσιν, *praetermissionem*, non nisi unus hoc uno loco; certe non temere. *Remissio* etiam ante adventum et mortem Christi erat, c. 4, 7. 3. Matth. 9, 2. quatenus dicit applicationem gratiae ad individua. *praetermissio* autem fuit in V. T. respectu transgressionum, donec earum ἀπολύτρωσις fieret in morte Christi, Hebr. 9, 15., quae tamen ipsa ἀπολύτρωσις interdum

etiam ἄφεσις dicitur, Eph. 1, 7. Idem paene est παριέναι, quod ὑπεριδεῖν, Act. 17, 30. hinc Sir. 23, 3. (2.) parallela sunt, μὴ φείδεσθαι et μὴ παριέναι, *in peccata animadvertere*. Ed. Hoeschel. p. 65. 376. πάρεσις, *praetermissio*, non est ἄφεσις, *remissio*, imperfecta; sed longe alia differentia est. illi opponitur *abolitio*, de qua Hebr. 9, 26. huic, τὸ *retinere*, Joh. 20, 23. Simul laudat Paulus *tolerantiam*. Objectum *praetermissionis*, peccata; *tolerantiae*, peccatores, contra quos non est persecutus Deus jus suum. Et haec et illa quam diu fuit, non ita apparuit justitia Dei. non enim tam vehementer visus est irasci peccato, sed peccatorem sibi relinquere, ἀμελεῖν, *negligere*. Hebr. 8, 9. at in sanguine Christi et morte propitiatoria, ostensa est Dei justitia, cum vindicta adversus peccatum ipsum, *ut esset ipse justus*, et cum zelo pro peccatoris liberatione, *ut esset ipse justificans*. cujus idcirco vindictae zelique frequentissima in prophetis, praesertim in Esaja, v. gr. c. 9, 6. 61, 2. mentio est. Et διὰ, *propter* illam *praetermissionem in tolerantia Dei*, opus fuit aliquando fieri *demonstrationem justitiae*. — προγεγονότων) quae *facta* fuerant, *antequam* Christi sanguine expiarentur. conf. iterum Hebr. 9, 15.

v. 26. ἐν) *in*, notat *tempus tolerantiae*. antitheton, *in praesenti tempore*, ubi etiam τὸ νῦν *praesens* respondet τῷ πρὸ *ante* in προγεγονότων. — εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα, *ut esset ipse justus et justificans*) Justitia Dei non modo apparuit, sed revera se exercuit in sanguine Christi. conf. v. praec. not. αὐτὸν, *ipse*, in antitheto ad *justificandum*. Summum hic habetur paradoxon evangelicum. nam in lege conspicitur Deus *justus* et *condemnans:* in evangelio, *justus* ipse et *justificans* peccatorem. — τὸν ἐκ πίστεως) *eum*, qui *ex fide* est. conf. *ex*, cap. 2, 8.

v. 27. ποῦ, *ubi*) Particula victoriosa. 1 Cor. 1, 20. 15, 55. conf. 2 Petr. 3, 4. — ἡ καύχησις, *gloriatio*) judaica, prae gentibus, erga Deum. c. 2, 17. s. 4, 2. Gloriari potest, qui dicere potest: talis sum, qualis esse debeo, justitiae et vitae compos. Eam gloriationem Judaei quaerebant in se ipsis. — διὰ ποίου νόμου) subaudi, ἐξεκλείσθη ἡ καύχησις; vel potius, *per quam legem res perficitur?* Similis ellipsis, c. 4, 16. — οὐχί, *non*) Etiamsi quis ex lege haberet justitiam et mercedem, tamen ad Deum gloriari non posset: conf. Luc. 17, 10. nunc, nullâ ex lege justitiâ, multo minus loci manet gloriationi; et per legem fidei multo magis, quam per legem operum excluditur gloriatio. — νόμου πίστεως, *legem fidei*) Opportuna catachresis vocabuli *lex*. est haec etiam *lex*, quia instituti divini, cui debetur *subjectio*. c. 10, 3.

v. 28. λογιζόμεθα γὰρ) Γὰρ pro οὖν. hoc sensu: haec hactenus. voluimus *enim* probatum dare, *fide etc.* Plerique οὖν. sed id ex v. 27. repetitum videtur; et γὰρ servit argumento, quod contra gloriationem, ex justificatione per fidem v. 22., nunc deducitur. — πίστει, *fide*) Luth. *allein durch den glauben. sola fide*, vel potius, *tantum fide;* ut ipse explicat T. V. Jen. f. 141. Arithmetice sic fit demonstratio:

In quaestionem veniunt duo:	
fides et opera.	2.
excluduntur opera.	1.
superest fides sola.	1.

Uno de duobus subtracto, remanet unum [*coll.* c. 11, 6.]

Ita plane μόνον, *tantum*. v. 29. ita μόνον, ex sensu, addidere LXX, Deut. 6, 13. coll. Matth. 4, 10. Vulgatus, *solum*, Job. 17, 1. etc. πίστει μόνῃ, *sola fide*, Basil. hom. 22. de Humil. quid? de hac ipsa re loquens Jacobus, et abusum dogmatis Paulini refutans, μόνον, *tantum*, addit. c. 2, 24. [*Et* volumina *sane prostant eorum testimoniis referta, qui vocula*, allein, *usi sunt ante Lutherum*. V. g.] Per ipsam fidem justificatio fit, non quatenus est fides, sive opus legis, sed

Digitized by Google

quatenus fides Christi, Christum apprehendens, i. e. quatenus aliquid seorsum habet a Legis operibus. Gal. 3, 12. [*Cave tamen sinistre rem accipias. Sola fides justificat: at nec est nec manet sola. Intrinsecus operatur et extrinsecus.* V. g.] — ἄνθρωπον) אִישׁ *quemvis*, Judaeum et Graecum. coll. v. seq. Sic ἄνθρωπος, *homo*, 1 Cor. 4, 1.

v. 29. ναὶ καὶ ἐθνῶν, *imo etiam gentium*) [— *Lege quamlibet carentium*, V. g.] ut natura docet, et vaticinia V. T.

v. 30. ἐπείπερ, *si quidem*) Infert, si justificatio sit ex lege, gentes non posse justificari, lege carentes: quae tamen etiam Deo gaudeant justificatore. c. 4, 16. — εἷς) εἷς, ὁ θεὸς, *unus*, nempe, *Deus*. ex *unus* pendet *qui*. — δικαιώσει, *justificabit*) Futurum, ut passim. c. 1, 17. 3, 20. 5, 19. 17. 2 Cor. 3, 8. ideo expresse, μέλλοντος, c. 5, 14. μέλλει, 4, 24. Loquitur Paulus tanquam per prospectum e V. T. in Novum. Huc spectant illa, *providens*, Gal. 3, 8. *promissionem*, ib. v. 14. *spem*, ib. cap. 5, 5. Sic Johannes dicitur *venturus*, Matth. 11, 14. 17, 11. *futura ira*, Matth. 3, 7.: ubi prodromi sermo est, praesupponens comminationes. — ἐκ — διὰ, *ex — per*) Judaei pridem in fide fuerant: Gentiles fidem ab illis recens nacti erant. Sic *per*, v. 22. Eph. 2, 8. *ex*, passim. Eandem particularum differentiam omnino conferre par est cap. 2, 27., differentiam rei c. 11, 17. s. — διὰ τῆς) Non dicit, διὰ τὴν πίστιν. non *propter fidem*, sed *per fidem*.

v. 31. νόμον, *legem*) Similis declaratio haec est declarationi Domini, Matth. 5, 17. — ἱστῶμεν, *statuimus*) dum id tuemur, quod lex testatur, v. 20. 21., et dum ostendimus, quomodo legi vere satisfiat, per Christum.

CAPUT IV.

v. 1. Τί οὖν, *quid ergo*) Ex Abrahami exemplo probat 1) justificationem gratuitam, 2) etiam gentibus paratam. v. 9. — τὸν πατέρα ἡμῶν, *patrem nostrum*) Fundamentum consequentiae ab Abrahamo ad nos. — εὑρηκέναι) *invenisse*. Dicitur de re nova, Hebr. 9, 12. Significatque Paulus, viam fidei esse antiquiorem Abrahamo; et Abrahamum, in quo facta est secessio circumcisionis a gentibus, esse primum, cujus exemplum, si cujusquam, videretur adducendum pro operibus: idemque tamen ostendit, id ipsum multo magis militare pro fide. Atque ita rem confirmatam argumentis, deinceps confirmat exemplis. — κατὰ σάρκα, *secundum carnem*) Nusquam dicitur *Abraham pater noster secundum carnem*. Ergo non construitur cum *patrem*. nam τὸ *secundum carnem* in mentione duntaxat patrum additur, ubi de Christo agitur, c. 9, 5., et Abraham mox v. 11. ostenditur pater credentium etiam eorum, quorum ille non secundum carnem pater est. Itaque constr. *invenisse secundum carnem*. Ipsi quaestioni inserit Paulus aliquid ad respondendum faciens, ne vel momentum relinquat Judaicae justitiae et gloriationi adversus Deum.

v. 2. εἰ, *si*) Particula aegre concedens. — γὰρ, *enim*) Causa post propositionem, et cur v. 1. limitarit, *invenisse secundum carnem* [1]). — πρὸς) *ad*. *Non ad Deum ex operibus justificatus est*, adeoque *non ad Deum habet gloriationem*, sed utrumque *secundum carnem*.

v. 3. γὰρ, *enim*) Refertur hoc ad *sed non*. — ἡ γραφὴ, *scriptura*) Eleganter, *scriptura*. non dicit h. l. *Moses*. conf. c. 10, 5. — ἐπίστευσε δὲ ἀβραὰμ κτλ.) Gen. 15, 6. LXX, καὶ ἐπίστευσεν ἄβραμ. κτλ. *credidit*, promissioni de semine copioso, et praecipue de semine Christo, semine mulieris, in quo omnes promissiones sunt ita et amen, et propter quem semen copiosum erat optatum. — ἐλο-

---

1) ἐξ ἔργων, *ex operibus*] Abrahamus ante Legem fuit: hinc nullam Legis mentionem Paulus v. 1—12. infert. *V. g.*

Digitized by Google

γίσθη) λογίζεσθαι, numerare, aestimare, ducere, censere. notat h. l. actum voluntatis benignae. Magna vi frequentatur hoc loco. ἐλογίσθη, passivum, ut λογίζεται, v. 4. 5. *ductum est.* Hebr. *duxit ei* eam, scilicet *rem* sive *fidem*. nam hoc subauditur ex verbo proximo, *credidit.* — εἰς) Sic. c. 2, 26. Act. 19, 27. not.

v. 4. δὲ) *atqui.* Removet Paulus contrarium; ut v. seq. concludat ad illum, qui non operibus nititur, evincatque, Abrahamum non fuisse *operantem.* — ἐργαζομένῳ, *operanti*) si quis revera talis esset. Utrumque *operanti* et *non operanti*, reduplicative sumendum. *operari* et *merces* in Hebr. פעל sunt conjugata. [*Operans h. l. dicit eum, qui operibus* omnia praestat, *quae Lex desiderat*, V. g.] — μισθὸς, *merces*) Antitheton, *fides.* — ὀφείλημα) *debitum* intercedente contractu. Correlata: *meritum* strictissime dictum, et *debitum.*

v. 5. τὸν ἀσεβῆ, *impium*) Hoc ostendit excellentiam fidei, quae statuit, impium justificari. c. 5, 6. Conf. et expende cap. hujus v. 17. fin. Vert. *eum qui impius est.* Justificatio individualis. Efficacissime ostendit hoc verbum, Paulo sermonem esse vel maxime de *morali* lege, cujus operibus nemo justificetur. — κατὰ τὴν πρόθεσιν τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ.) *Secundum propositum gratiae Dei*, habet Lat. interpres vetustiss. et inde *Hilarius* Diac. Scholiastes apud *Hieronymum* etc. Id maxime convenire, Beza agnoscit. Etenim apertum est antitheton: *non secundum gratiam, sed secundum debitum:* et, *secundum propositum gratiae Dei.* Facilis Graecorum librariorum saltus a κατὰ ad καθάπερ. Interjecto inter editionem Apparatus Gnomonisque tempore, sine inconstantia, ad hoc incisum amplectendum, non invito *Beza*, progressus sum: intercedit cel. *Baumgartenius.* Ego meas indicavi rationes, ille suas. Judicent, qui possunt. Sane *opera* et πρόθεσιν, *propositum* opponit Paulus invicem, et quidem tum, quum definite de certis subjectis credentibus, ut h. l. de Abrahamo, agitur.

v. 6. καὶ, *etiam*) post legem datam per Mosen. — δαυὶδ, *David*) Perapposite post Abrahamum introducitur David: quia uterque in Messiae progenitoribus promissionem suscepit et propagavit. Mosi nulla directa promissio data est de *Messia*: quia hic ei opponitur, neque ex Mosis stemmate prognatus est. — λέγει τὸν μακαρισμὸν) *eloquitur illud beati praeconium*, μακαρίζω, *beatum dico.* construendum, λέγει, *eloquitur sine operibus*, i. e. David, rationem salutis homini tribuendae enumerans, nullam plane mentionem facit operum. Efficax persaepe est argumentum a silentio Scripturae. Atqui David, inquis, continuo addit, *nec est in spiritu ejus dolus.* quod tantundem est ac opera allegare. Resp. Non tantundem est. Additamentum hoc non est pars subjecti describendi, sed pars praedicati. quanquam ne tum quidem meritum operum statueretur: neque enim fur, qui delictum fatetur nec dolose id negat, ea sua confessione veniam delicti meretur. Sensus vero est: *beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*: beatus est, *nec est in spiritu ejus dolus.* i. e. de re sua, de remissione peccatorum suorum, certus est. licet ei bene confidere: *spiritus* ejus, cor ejus eum non fallit, ut esset tanquam קשת רמיה *arcus dolosus*, Ps. 78, 57. Etiam *Pinehasi* factum ei ad justitiam imputatum fuit, Ps. 106, 31.; non vero ex intuitu operis, sed erat quasi mera fides. Nec videre quicquam aliud nec audire videbatur prae mero zelo, ut honorem Dei sui tueretur.

v. 7. ἀφέθησαν κτλ.) Sic LXX, Ps. 32, 1. Synonyma: ἀφιέναι, ἐπικαλύπτειν, οὐ λογίζεσθαι, ut peccatum commissum habeatur pro non commisso.

v. 8. ᾧ, *cui*) Vim habet transitus a plurali v. praec. ad singularem, h. v. sicut etiam expressior *viri* et *Domini* mentio accedit.

v. 9. ὁ) Complectitur Paulus, quae modo de Abraham et de David dixit. — περιτομὴν) *num super circumcisionem* solam, per se, praecise? *an etiam super praeputium?* — λέγομεν, *dicimus*) v. 3.

v. 10. πῶς, *quomodo*) Id plus valet, quam *quando.* — οὐκ ἐν περιτομῇ,

non in circumcisione) Nam justificatio describitur Gen. 15. circumcisio, Gen. 17.

v. 11. σημεῖον, *signum*) Ipsa circumcisio signum erat, nota scilicet corpori indita: et *signum circumcisionis* dicitur, uti *dormitio somni*, Joh. 11, 13., et, *virtus pietatis*, id est, pietas virtus. — ἔλαβε, *accepit*) obsequiose. — τῆς ἐν τῇ) τῆς constr. cum πίστεως. coll. vers. seq. — δι' ἀκροβυστίας) διὰ, *cum*, uti c. 2, 27.

v. 11. 12. πατέρα) constr. *ut esset ipse pater omnium credentium cum praeputio, — et pater circumcisionis.* Correlata, *pater* et *semen*.

v. 12. περιτομῆς, *circumcisionis*) Abstractum pro concreto, *circumcisae gentis*. — τοῖς) Hebr. ל v. *Nold.* hac partic. n. 30. 10. 15. 19. 22. Vulgo, *quoad*. sic τοῖς, 1 Joh. 5, 16. Luc. 1, 50. 55. LXX, 1 Chron. 13, 1.: μετὰ τῶν ἀρχόντων κτλ. παντὶ ἡγουμένῳ. adde 2 Chron. 31, 2. 16. Num. 29, 4. — οὐκ — μόνον) Qui ergo tantum ex circumcisione sunt, neque etiam fidem Abrahae sequuntur; his Abrahamus non est *pater circumcisionis*. — ἐκ περιτομῆς, *ex circumcisione*) *Ex* plus valet, quam *in*. *Circumcisio* saltem signum erat, *praeputium* ne signum quidem. — ἀλλὰ καὶ τοῖς) Sic v. 16. — ἴχνεσι, *vestigiis*) Vestigia fidei opponuntur vestigiis circumcisionis externae. non est via a multis trita, sed vestigia sunt, aperta tamen.

v. 13. οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία, *non enim per legem promissio*) Hoc in terminis patet: et promissio data erat ante legem. *per legem*, i. e. *per justitiam legis:* sed non voluit Paulus mentionem justitiae et legis connectere. — ἢ τῷ σπέρματι, *aut semini*) Fundamentum consequentiae ab Abrahamo ad fideles omnes. — τοῦ κόσμου, *mundi*) eoque *omnium* conf. 1 Cor. 3, 21. *Heres mundi* idem est, quod *pater omnium gentium*, benedictionem accipientium. Totus *mundus* promissus est Abrahae et semini ejus per totum mundum conjunctim. Abrahamo obtigit terra Canaan, et sic aliis alia pars: atque corporalia sunt specimen spiritualium. Christus heres mundi, et omnium, Ebr. 1, 2. 2, 5. 10, 5. Ap. 11, 15., et qui in eum credunt Abrahae exemplo. Matth. 5, 5. not.

v. 14. εἰ, *si*) Promissio et fides rem conficit: nec tanquam homogeneum quiddam legem debemus addere. — οἱ ἐκ νόμου, *ii, qui ex lege* sunt) Haec phrasis leniore sensu recurrit v. 16. — κεκένωται — κατήργηται, *inanis facta — abolita est*) Synonyma, sed non permutanda. conf. Gal. 3, 17. 15. Oppositum: *firma*. v. 16. Fides *recipit* plenitudinem bonorum: ergo in contrario dicitur *inanis* fieri, cassari. — πίστις — ἐπαγγελία, *fides — promissio*) Correlata; ordine retrogrado convenienter posita in deductione ad absurdum.

v. 15. νόμος, *lex*) Bis ponitur: primo, cum articulo, definite; deinde indefinite. — ὀργήν, *iram*) non *gratiam*. v. seq. Itaque *lex* non est *promissionis* et *fidei*. — οὐδὲ παράβασις, *ne transgressio quidem*) Non dicit: *ne peccatum quidem*. conf. c. 5, 13. 2, 12. *delictum*, c. 5, 20., et *transgressio* expressius refertur ad legem, quae violatur. Transgressio iram concitat.

v. 16. ἐκ πίστεως, *ex fide*) Ita *ex*, cap. 3, 30. 5, 1. Subaudi, *hereditas*, coll. v. 14. — ἐκ τοῦ νόμου, *ex lege*) Sic, *ex circumcisione* v. 12., ubi ad *ex circumcisione* pertinet *non solum*, sed hoc versu *non solum* pertinet ad τῷ, *ei, qui*.

[1]) v. 17. ὅτι — τέθεικά σε) Sic LXX, Gen. 17, 5. Constructio, τέθεικά σε κατέναντι — θεοῦ, similis est illi: ἵνα εἰδῆτε, ἄρον. Matth. 9, 6. conf. Rom. 15, 3. Act. 1, 4. — κατέναντι — θεοῦ, *coram Deo*) quum coram hominibus nondum extarent illae gentes. — οὗ) id est, κατέναντι θεοῦ, ᾧ ἐπίστευσε. — ζωοποιοῦντος, *vivificante*) Hebr. 11, 19. not. Mortui non sunt Deo mortui: etiam quae non sunt, Deo sunt. — καλοῦντος, *vocante*) Nondum extabat semen Abrahae, et tamen

---

1) πατὴρ πάντων ἡμῶν, *noster omnium pater*] Inde est, quod, utut Christus *Davidis filius* dicatur, fideles tamen non Davidis filii audiunt, sed Abrahami. *V. g.*

Digitized by Google

Deus dixit: Semen tuum sic erit. Multiplicatio seminis praesupponit existentiam seminis. v. gr. Centurio servo, in rerum natura versanti, ait: fac. sed Deus luci, dum ea non est, sic, quasi ea esset, ait: prodi, γενοῦ. Cogita frequens illud יהי Gen. 1. exprimitur transitus a *non esse* ad *esse*, qui fit *vocante* Deo. conf. Ez. 36, 29.

v. 18—21. ὅς, *qui*) Ostendit Paulus, fidem non esse rem tenuem, cui justificationem adscribat, sed vim eximiam.

v. 18. παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν, *praeter spem in spe credidit*) Una eademque res et *fide* et *spe* prehenditur: *fide*, ut res, quae vere edicitur; *spe*, ut res laeta, quae certo et fieri potest et fiet. *praeter spem* rationis, *in spe* promissionis *credidit*. παρὰ et ἐπὶ, *praeter* et *in*, particulae oppositae, insigne oxymoron reddunt. — οὕτως, *sic*) sicut stellae. Gen. 15, 5. LXX quoque: οὕτως — σου. Conf Gal. 3, 8. not.

v. 19. μὴ ἀσθενήσας, *non infirmatus*) Ratio praebere poterat infirmitatis causas. — ἑαυτοῦ — σάῤῥας, *suum — Sarae*) Senectus utriusque conjugis, alterius etiam praevia sterilitas, auget rem, et ortum Isaaci miraculosum comprobat. Docet series historiae, Saram nonnisi cum Abrahamo conjunctam peperisse Isaacum. Novus corporis vigor etiam mansit in matrimonio cum Ketura. — ἑκατονταέτης που, *quum annos haberet circiter centum*) Post Semum, nemo centum annorum generasse Gen. 11. legitur.

v. 20. εἰς, *in*) Promissio erat basis fiduciae. — οὐ διεκρίθη, *non dubitavit*) *Dubitatio* quid sit, patet ex opposito, *corroboratus est*. Notandum contra dubitationem. — δοὺς, *dans*) Arcte cohaerent haec, *dans gloriam Deo, et certus*. — δόξαν) *gloriam* veritatis, (oppositum notatur 1 Joh. 5, 10. in eo, qui non credit:) et potentiae.

[1]) v. 23. δι' αὐτὸν, *propter illum*) multo ante defunctum. — ὅτι, *quod*.

v. 24. [2]) ἐγείραντα, *eum qui excitavit*) Conf v. 17., *vivificante mortuos*. Fides Abrahami ferebatur in id, quod futurum esset et fieri posset: nostra in id, quod factum est. utraque, in Vivificatorem.

v. 25. παρεδόθη, *traditus est*) Sic LXX, Es. 53, 12., καὶ διὰ τὰς ἀνομίας αὐτῶν παρεδόθη. *traditus*, in mortem. Deus Christo mortem non dicitur inflixisse; tametsi ei *dolores* inflixit: sed Christum *tradidisse;* vel Christus, *mortuus*. c. 8, 34. Rem ipsam non nego: vid. Zach. 13, 7. sed locutiones ita se habent, ut magis exprimatur *passio* a Patre injuncta Christo, tum *mors* a Christo exantlata obedienter. — δικαίωσιν, *justificationem*) Verbale. Diff. a δικαιοσύνη, *justitia*. Fides ex resurrectione Christi fluit, adeoque etiam justificatio. Col. 2, 12. 1 Petr. 1, 21. Ratio sub qua in Deum credimus: quia resuscitavit J. C. Nec tamen nos non justificat obedientia J. C. et sanguis ipsius. vid. c. 3, 25. 5, 19.

CAPUT V.

v. 1. Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως, *justificati ergo ex fide*) Hoc comma habet ἀνακεφαλαίωσιν, *summam praecedentium*. conf. *justificationem*. c. 4, 25. — εἰρήνην, *pacem*) non jam *hostes*, v. 10., nec *iram* metuentes. v. 9. *Pacem habemus et gloriamur*, summa cap. 5. 6. 7. 8. [*Hinc tam frequenter Paulus* gratiae *apponit* pacem. V. g.] — πρὸς, *ad*) *erga, versus*. Deus pace nos amplectitur. — τοῦ) Paulus plenam *Domini nostri Jesu Christi* appellationem inprimis ponit tractatione aliqua ineunte vel exeunte. v. 11. 21. 6, 11. 23.: qui tamen versus arctius cohaeret cum antecedentibus, quam cum consequentibus, quorum initio ponitur *fratres*.

---

1) V. 22. διὸ, *propterea*] quod scilicet gloriam DEO dedit. *V. g.*
2) δι' ἡμᾶς, *propter nos*] Abrahami exemplo excitandos. *V. g.*

Digitized by Google

v. 2. προσαγωγὴν, *aditum*) Eph. 2, 18. 3, 12. — ἐσχήκαμεν, *habuimus*) Praeteritum, in antitheto ad *habemus*. v. 1. Justificatio est *aditus in gratiam: pax* est status permansionis in gratia, inimicitiam perimente. Ideo Paulus in salutationibus conjunctim solet dicere: *gratia vobis et pax*. conf. Num. 6, 25. 26. Complectitur et *praeteritum* et *praesens*, et mox, de spe loquens, *futurum*: quare sic construe, *pacem habemus et gloriamur*. — ἐν ᾗ, *in qua*) *Gratia* semper manet *gratia*: nunquam fit *debitum*. — ἑστήκαμεν, *stetimus*) stationem nacti sumus. — καυχώμεθα, *gloriamur*) novo ac vero modo. conf. 3, 27. — ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, *super spe gloriae Dei*) Conf. ib. v. 23. c. 8, 30. Judae v. 24. Christus in nobis, *spes gloriae*. Col. 1, 27. Joh. 17, 22. Igitur *gloria* non est ipsa *gloriatio*, sed objectum ejus solidissimum de futuro.

v. 3. καυχώμεθα, *gloriamur*) Constr. cum v. 11. not. — ἐν ταῖς θλίψεσιν, *in afflictionibus*) Afflictiones in omni hac vita nos *morti*, non *gloriae* videntur tradere, et tamen non modo non sunt adversae, sed spem adjuvant. — ὑπομονὴν κατεργάζεται, *patientiam operatur*) scil. in fidelibus: nam apud infideles sequitur potius impatientia et apostasia. *Patientia* non discitur sine adversis: est non solum promti, sed etiam robusti animi ad perferendum.

v. 4. ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν) Rursum, τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως, ὑπομονήν. Jac. 1, 3. Δοκιμὴ, non facile invenias, qui ante Paulum dixerit. δοκιμὴ est qualitas ejus, qui est δόκιμος. [— *qui per varios casus et rerum discrimina* probatus *est*. V. g.] — δοκιμὴ ἐλπίδα, *probitas spem*) Hebr. 6, 9. 10. 11.: ubi v. 10. est δοκιμὴ, *probitas*, v. 9. et 11. *spes*. Ap. 3, 10. — ἐλπίδα, *spem*) de qua v. 2. fin. In orbem redit oratio: et ad hoc totum pertinet aetiologia, *quia*. v. 5.

v. 5. οὐ καταισχύνει, *non pudefacit*) Ταπείνωσις. id est, summam praestat *gloriationem*, nec fallet. spes erit res. — ὅτι, *quia*) Praesens describitur versu 5—8. Inde spes in futurum infertur v. 9—11. — ἡ ἀγάπη) *amor* εἰς ἡμᾶς *erga nos*: v. 8. ex quo speramus; est enim amor aeternus. — ἐκκέχυται, *effusus est*) abundantissime. Unde hunc ipsum sensum, αἴσθησιν, habemus. — ἐν ταῖς καρδίαις, *in cordibus*) non, *in corda*. Indicatur, Spiritum S. ipsum esse in corde fideli. — διὰ, *per*) Causa describitur totius status praesentis, in quo Spiritus est arrhabo futuri. [*Prima haec est in hac tractatione* Spiritus sancti *mentio. Nimirum ad hunc usque terminum quum perductus est homo, operationem Spiritus sancti notanter denique sentit*. V. g.] — δοθέντος) *datum*, per fidem. Act. 15, 8. Gal. 3, 2. 14.

v. 6. ἔτι, *adhuc*) Constr. cum ὄντων, *quum essemus*. — γὰρ, *enim*) Exponitur amor ille Dei. — ἀσθενῶν, *infirmis*) Ἀσθένεια est *infirmitas* illa animi pudefacti, (conf. init. versus 5.) quae opponitur *gloriationi*: (conf. ad 2 Cor. 11, 30.) Antitheton habes v. 11. ubi haec quoque periocha, cujus initio ponitur *infirmis*, in orbem redit. Infirmitatem, eamque mortalem, (conf. 1 Cor. 15, 43.) habebant

impii, *peccatores*, *inimici*,	quorum oppositum	*boni*: *justi*: *reconciliati*.

Vide, de infirmitate et de robore gloriationis, Ps. 68, 2. seqq. [71, 16. 103, 35.] Es. 33, 24. cap. 45, 24. 1 Cor. 1, 31. Ebr. 2, 15. adde parallel. verbal. 2 Cor. 11, 21. — κατὰ καιρὸν ἀπέθανε, *secundum tempus mortuus est*) בעתה *κατὰ καιρὸν*, Es. 60, 22. Quum infirmitas nostra ad summum pervenerat, tum mortuus est Christus, eo tempore, quod praefinierat Deus, ita, ut nec citius nec serius moreretur, (conf. *in tempore, quod nunc est*. c. 3, 26.) nec diutius in morte teneretur. Limitat Paulus; nec mortem Christi in hoc loco memorare potest, quin idem de DEI consilio et de resurrectione Christi cogitet. v. 10. c. 4, 25. c. 8, 34. Non est otiosa quaestio, cur Christus non venerit citius: vid. Hebr. 9, 26. Gal.

Digitized by Google

4, 4. Eph. 1, 10. Marc. 1, 15. 12, 6. perinde ut illa non est otiosa, cur lex non citius data sit. v. 14.

v. 7. δικαίου· τοῦ ἀγαθοῦ) Masculina. coll. v. 6. 8. ut recte docet *Th. Gatakerus* lib. 2 Misc. c. 9. sed ita, ut mera synonyma esse putet. Ubi de proprietate locutionis et differentia verborum ambigitur, multum juvabit, si vel supponas aliquid tantisper vel transponas. Transpositis itaque h. l. vocabulis lege: μόλις γὰρ ὑπὲρ ἀγαθοῦ τις ἀποθανεῖται, ὑπὲρ γὰρ δικαίου τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν, suppone videlicet etiam, ἀγαθοῦ positum esse sine articulo. Illico perspicies incommodum, quod haberet haec permutatio, apparebitque, et aliquam esse differentiam inter δίκαιον et ἀγαθὸν, et magnam inter δίκαιον et τὸν ἀγαθὸν, ubicunque illa deinceps reperiatur. Sane articulus sic positus Climaca efficit. Omnis bonus est justus: sed non omnis justus est bonus. *Greg. Thaumaturgus*: περὶ πολλοῦ καὶ ΤΟΥ παντός. *Chrysostomus*: μικρὰ ταῦτα καὶ ΤΟ μηδὲν. Hebraeis צדיק dicitur, qui officium legitimum praestat: חסיד qui etiam beneficium. Ille Graecis est δίκαιος, hic ὅσιος. conf. צדק et עבוה Sophon. 2, 3. at h. l. non habemus ὁσίου, sed τοῦ ἀγαθοῦ. Quare differentia illa vocum Hebraicarum rem non conficit. Id autem certum, uti ὅσιος, sic quoque ἀγαθὸς plus dicere, quam δίκαιος. (Vide Matth. 5, 45., et ne ibi quoque mera esse synonyma putes, eandem illam adhibe transpositionem: videbis, *blandi* solis mentionem in *justos*, *utilis* pluviae in *bonos* non ita convenire: item Luc. 23, 50.) Atque hoc loco digniorem, pro quo moriatur aliquis, Paulus judicat τὸν ἀγαθὸν, quam δίκαιον. suntque opposita, ἀσεβεῖς et ὁ ἀγαθὸς, *impii* et *bonus*, tum, δίκαιος et ἁμαρτωλοὶ, *justus* et *peccatores*. Quid igitur? δίκαιος, indefinite, dicitur *homo innoxius*; ὁ ἀγαθὸς, *omnibus pietatis numeris absolutus*, eximius, lautus, regalis, beatus, v. gr. pater patriae. — ὑπὲρ γὰρ) Sejungendi vim γὰρ h. l. ut saepe, habet. — τάχα, τὶς, καὶ, τολμᾷ, *forsitan*, *quis*, *etiam*, *audet*) Haec singula amplificant id, quod v. 8. dicitur. τάχα (pro τάχιστα) minuit affirmationem. τὶς, *aliquis*, plane indefinite ponitur, neque spectatur, utrum in statu irae an gratiae sit ille, qui pro justo aut pro Bono moriatur. καὶ, *etiam*, concessiva, ostendit, cur non simpliciter dicatur, *moritur*, quasi res quotidiana esset; sed dicendum potius esse, *audet mori*, quia magnum quiddam sit et insolitum. τολμᾷ, *audet*, quasi verbum auxiliare, respondet futuro tempori in *morietur*. *audet*, sustinet. — ἀποθανεῖν, *mori*) Vis habere amicos quam certissimos? *bonus* esto.

v. 8. συνίστησι) *commendat*. Elegantissimum verbum. Solent commendari nobis, qui antea ignoti erant nobis aut alieni. conf. *in medium descendit*. Hebr. 6, 17. — δὲ, *vero*) Comparatio haec praesupponit, tantum esse Dei amorem erga Christum, quantus est Dei amor erga sese. Ergo Filius est Deo aequalis. — ἁμαρτωλῶν, *peccatoribus*) Non modo non *boni*, sed ne *justi* quidem eramus.

v. 9. δικαιωθέντες, *justificati*) Antitheton: *peccatoribus*. v. 8. — νῦν, *nunc*) *Recens* tum erat apud fideles memoria mortis J. C. — ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *ab ira*) quae alioqui non desinit. qui non assequuntur gratiam, super eis manet ira.

v. 10. εἰ, *si*) Saepe εἰ, *si*, inprimis hoc et octavo capite hujus epistolae, non tam conditionem denotat, quam consequentiam firmat.

v. 11. καυχώμεθα, *gloriamur*) Tota oratio, a versu 3. ad 11., una constructione sumitur hoc modo, οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν (εἰδότες — ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ) οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν τῷ θεῷ κτλ. Sic *Colinaei* editio, *Barb.* 4. cod. ms. in colleg. praedicatorum apud *Basileam*, *Bodl.* 5. *Cov.* 2. *L. Pet.* 1. *Steph.* ια. *Aeth. Arab. Vulg.* ut illud ipsum, οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα, parenthesi longa interveniente, [*per epanalepsin*, Not. crit.] repetatur, et sententia per eam suspensa elegantissime dulcissimeque expleatur, hac apostoli, serius a nobis perspecta, constructione: *Pacem ha-*

Digitized by Google

bemus, et gloriamur non solum nuper SPE gloriae Dei; sed etiam, in mediis tribulationibus, gloriamur, inquam, *in Deo* ipso, *per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem NUNC reconciliationem accepimus.* Recentiores plerique fecere, καυχώμενοι, ut si constructio esset, *reconciliati salvabimur, et gloriantes*: uti receptior habet lectio. — ἐν τῷ θεῷ) *in Deo*, non *adversus Deum* c. 4, 2. — τὴν καταλλαγήν) *Reconciliationem* et liberationem ab ira insequitur gloriatio de amore, quae plus dicit.

v. 12. διὰ τοῦτο, *propterea*) Respicit totam tractationem superiorem: ex qua haec infert apostolus, non tam digressionem faciens, quam regressum, de peccato et de justitia. Paulinae methodi imitatione agendum primo est de peccato actuali, ex cap. 1. seq. deinde retro de peccati ortu. De peccato illo, quod originale vocant theologi, Paulus minus expresse loquitur: sed enim ad demonstrandum reatum sufficit peccatum Adami; ad demonstrandam corruptionem habitualem sufficiunt fructus tristissimi plurimi. Et ex justificatione homo demum respiciens doctrinam capit de origine mali et reliqua. Specialem tamen nexum altera haec pars cum priore hujus capitis habet. conf. *multo magis* utrinque regnans. v. 9. s. 15. s. namque ipsa *gloriatio* fidelium exhibetur. coll. v. 11. cum v. 21. Includitur hic quoque par ratio Judaeorum et Gentium, atque adeo omnium hominum. — ὥσπερ, *sicut*) Protasis, quam continuat τὸ *et sic.* neque enim *sic etiam* subsequitur. Apodosis, variata oratione, latet in seq. — ἀνθρώπου, *hominem*) Cur nihil de muliere? Resp. 1) Adamus mandatum acceperat. 2) caput erat non solum generis sui, sed etiam Evae. 3) si Adamus non audisset vocem mulieris suae, peccatum non venisset ad plures. Porro cur nihil de Satana, qui prima peccati causa est? Resp. 1) Satanas opponitur Deo; Adamus Christo. at hic oeconomia gratiae describitur, potius, ut est Christi, quam ut Dei. ideo Deus semel nominatur, v. 15., Satanas nunquam. 2) Quid Satanae cum gratia Christi? — ἡ ἁμαρτία — ὁ θάνατος, *peccatum — mors*) Duo mala distincta, de quibus Paulus deinceps copiose. — εἰς τὸν κόσμον) *in mundum* hunc, qui dicitur genus humanum. — εἰσῆλθε, *intravit*) esse coepit in mundo. nam antea non fuerat extra mundum. — καὶ διὰ, *et per*) Ergo mors non potuit intrare ante peccatum. — καὶ οὕτως) *et sic*, scil. per unum hominem. εἰς) *in* omnes, penitus. — διῆλθεν, *transivit*) semel *ingresso peccato*, quod initio non fuerat in mundo. — ἐφ᾽ ᾧ) Ἐφ᾽ ᾧ cum verbo ἥμαρτον eandem vim habet, quam διὰ, cum genitivo, τῆς ἁμαρτίας. Sensus: *per id, quod*, sive, *quia omnes peccarunt.* conf. ἐφ᾽ ᾧ, 2 Cor. 5, 4., et mox ἐπὶ alterum, v. 14. — πάντες) *cuncti.* non agitur de peccato singulorum proprio. omnes peccarunt, Adamo peccante: sicut omnes mortui sunt, salutariter, moriente Christo. 2 Cor. 5, 15. Targum Ruth c. 4. fin. על *Propter consilium illud, quod serpens dedit Evae,* אחתריבו מיתה *rei facti sunt mortis omnes habitatores terrae.* Targum Eccl. c. 7. fin. *Fecerunt, serpens et Eva, ut irrueret in hominem dies mortis et in omnes habitatores terrae. Peccatum* est prius *morte:* sed *mortis universalitas* prius innotescit, quam *universalitas peccati.* Haec ratio ordinis incisorum quatuor in hoc versu.

v. 13. ἄχρι, *usque*) Peccatum in mundo erat, non modo post legem datam per Mosen, sed etiam toto ante legem tempore ab Adamo ad Mosen usque, quo tempore peccatores *sine lege peccarunt.* c. 2, 12.: par enim est ratio omnium ante Mosen et gentium deinceps: sed hoc peccatum proprie non fuit causa mortis: quia sine lege imputatio peccati nulla fit, et per consequens mors nulla est. conf. v. 20. Peccatum ab Adamo omnium malo admissum dicitur ἡ ἁμαρτία, bis, v. praec. nunc, hoc versu, peccatum in communi dicitur ἁμαρτία, sine articulo. — οὐκ ἐλλογεῖται, *non imputatur*) Non est sermo h. l. de negligentia humana, quae peccatum, sine lege, non curet: sed de judicio divino; quod peccatum

sine lege non soleat venire sub censum, ne sub divinum quidem. Conf. ἐλλόγει *imputa*, Philem. v. 18. not. Itaque *peccatum* non notat scelera insignia, qualia Sodomitae ante Mosis tempora luerunt: sed malum commune. Egregie docet Chrysostomus in h. l. Paulum hoc argumento demonstrare, ὅτι οὐκ αὐτὴ ἡ ἁμαρτία τῆς τοῦ νόμου παραβάσεως, ἀλλ᾽ ἐκείνη ἡ τῆς τοῦ ἀδὰμ παρακοῆς, αὐτὴ ἦν ἡ πάντα λυμαινομένη. καὶ τίς ἡ τούτου ἀπόδειξις; τὸ καὶ πρὸ τοῦ νόμου πάντας ἀποθνήσκειν. *non id peccatum, quo lex violatur, sed illud, quo Adam inobediens fuit, omnem dedisse perniciem: nam etiam ante legem omnes esse mortuos.*

v. 14. ἐβασίλευσεν, *regnavit*) Chrysost. πῶς ἐβασίλευσεν; ἐν τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως ἀδάμ. *quomodo regnavit? in similitudine transgressionis Adam.* itaque, *in similitudine*, construxit ille cum *regnavit*. ac possis subaudire, *regnavit, inquam*. conf. c. 6, 5. Morti adscribitur *regnum*, ut *robur*. Hebr. 2, 14. Sane vix ullus rex tot subditos habet, quot vel reges mors abstulit. Immane regnum. Non est hebraismus. Imperat peccatum: imperat justitia. — ἀπὸ — μέχρι, *ab usque*) Triplex est oeconomia circa totum genus humanum. 1) ante legem. 2) sub lege. 3) sub gratia. Ejus oeconomiae vim singuli homines experiuntur. cap. 7. — καὶ, *etiam*) Particula indigitat speciem morientium, quibus prae ceteris parsura mors videri potuisset; adeoque universalitatem mortis confirmat. [*Non in eos tantum*, ait, *qui post Mosis aetatem multa peccata, ex Lege imputanda, commiserunt; sed in eos etiam, multo prius, qui non commisere talia peccata.* V. g.] — ἐπὶ, *in*) Paradoxon, *dominata est mors in eos, qui non peccarant*. Talia amat Paulus in hoc mysterio. conf. v. 19. 2 Cor. 5, 21. Rom. 4, 5. — τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας, *eos qui non peccarant*) Omnes quidem peccata commiserunt ab Adamo ad Mosen, quanquam alii fuere probi, alii flagitiosi: sed quia sine lege peccarunt, sine qua non reputatur peccatum, dicuntur *ii qui non peccarant:* Adam autem, *unus qui peccavit*, v. 16. Nota: si septem illa praecepta Noachi essent, quod dicuntur: Paulus *eos qui non peccarant* descripsisset ab Adamo ad Noachum, non ad Mosen. — ὁμοιώματι, *similitudine)* Sicut Adamus, quum legem *transgressus est*, mortuus est: *pariter* etiam mortui sunt, qui non *transgressi sunt*, vel potius, qui non *peccarunt*. nam Paulus verba variat, de Adamo deque ceteris loquens. Conclusio haec est: Quod homines ante legem mortui sunt, id accidit eis *super similitudine transgressionis Adam*, i. e. quia illorum eadem, atque Adami transgredientis ratio fuit: mortui sunt, propter alium reatum, non propter eum, quem ipsi per se contraxere, id est, propter reatum ab Adamo contractum. Sane unius lapsui mors multorum assignatur immediate. v. 15. Sic non negatur, cujusvis peccati stipendium esse mortem, sed ostenditur, primariam mortis causam esse peccatum primum. Hoc nos peremit: sicut latro post homicidium furatus punitur ob homicidium, nec tamen impune furatus est, furti poena in poenam homicidii confluente, sed ad homicidii poenam vix aestimata. — ἀδὰμ, *Adami)* In uno hoc versu ponitur nomen individui ἀδὰμ, in ceteris nomen appellativum, *homo*. Nomen autem *Jesu Christi*, Adami nomine oblivioni tradito, clare praedicatur. v. 15. 17. — ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος) ὅς pro ὅ, *quae res*, genere congruit cum τύπος. *futurum*, τὸ μέλλον, in neutro dicitur. Hinc sermo in futuro, v. 17. 19. Haec periocha a v. 12. implicite totam comparationem Adami I et II continet, quatenus inter se conveniunt: nam, quae sequuntur, ad differentias pertinent. colligique ex protasi debet apodosis, hoc modo, ad v. 12. Pariter *per unum hominem* justitia *in mundum intravit*, *et per* justitiam vita: *et sic in omnes homines dimanavit* vita, *quia omnes* justificati sunt. Et ad v. 14.: Omnes in vita regnabunt, *ad similitudinem* Christi, qui omnem obedientiam praestitit; *etiamsi* illi per se *non* implevere justitiam. Iterum Chrysostomus: πῶς τύπος; φησίν· ὅτι ὥσπερ ἐκεῖνος τοῖς ἐξ αὐτοῦ, καίτοιγε μὴ φαγοῦσιν ἀπὸ τοῦ ξύλου, γέ-

γονεν αἴτιος θανάτου τοῦ διὰ τὴν βρῶσιν εἰσαχθέντος. οὕτω καὶ ὁ χριστὸς τοῖς ἐξ αὐτοῦ, καίτοιγε οὐ δικαιοπραγήσασι, γέγονε πρόξενος δικαιοσύνης, ἣν διὰ τοῦ σταυροῦ πᾶσιν ἡμῖν ἐχαρίσατο. διὰ τοῦτο ἄνω καὶ κάτω τοῦ ἑνὸς ἔχεται, καὶ συνεχῶς τοῦτο εἰς μέσον φέρει. *Quomodo typus? inquit: quoniam quemadmodum ille iis, qui ex ipso sunt, quamvis non ederunt de arbore, factus est auctor mortis propter comestionem inductae: sic etiam Christus iis, qui ex ipso sunt, quamquam justitiam non praestiterunt, factus est conciliator justitiae, quam per crucem omnibus nobis donavit. Idcirco NUSQUAM NON urget Unum, et identidem hoc in medium affert.* Addatur hoc quoque: quemadmodum peccatum Adami, sine peccatis, quae postea commisimus, mortem attulit nobis; sic justitia Christi, sine bonis operibus, quae deinceps a nobis fiunt, vitam nobis conciliat: etsi, ut quodvis peccatum, sic quaevis actio pia, convenientem accipit mercedem.

v. 15. ἀλλ᾽ οὐχ, *sed non*) Adamus et Christus, secundum rationes contrarias, conveniunt, in positivo; differunt, in comparativo. Convenientiam Paulus primum v. 12—14. innuit, protasi expressa, apodosi tantisper ad subaudiendum relicta. Deinde differentiam multo magis directe et expresse describit. differunt autem (1.)' *lapsus* et *donum*, amplitudine. v. 15. (2.) ille ipse, a quo profectum est peccatum; et hic ipse, a quo profectum est donum, differunt potentia. v. 16. Atque haec duo membra nectuntur per anaphoram, *non sicut*: v. 15. 16. et utrumque complectitur aetiologia. v. 17. Denique hac differentia per modum προθεραπείας praemissa, comparationem ipsam per protasin et apodosin infert atque exsequitur, ratione effectus, v. 18., et ratione causae. v. 19. — τὸ παράπτωμα — τὸ χάρισμα, *lapsus — donum*) Summo studio observanda sunt hoc loco antitheta: ex quibus propria verborum apostolicorum significatio optime colligitur. mox hoc versu et deinde v. 17. *donum* synonymis exprimitur. — οἱ πολλοὶ, *multi*) Hoc *omnes* connotat. etenim articulus habet vim relativam ad πάντας, *omnes*, v. 12. conf. 1 Cor. 10, 17. — ἡ χάρις, *gratia*) *Gratia* et *donum* differunt. v. 17. Eph. 3, 7. *Gratia* opponitur *lapsui: donum* opponitur τῷ *mortui sunt*, estque *donum vitae*. Pontificii pro gratia habent, quod donum est: et quod gratiam, ut illi eam definiunt, consequitur, non habent pro dono, sed pro merito. At nulla est impensa nostra. — ἐν χάριτι χριστοῦ, *in gratia Christi*) Vid. Matth. 3, 17. Luc. 2, 14. 40. 52. Joh. 1, 14. 16. 17. Gal. 1, 6. Eph. 1, 5. 6. 7. Gratia Dei, est Gratia Christi; a Patre in Christum collata, ut in nos ea derivetur. — τῇ τοῦ) Articuli nervosissimi. Col. 1, 19. Praesertim τῇ cautissime additur. quod si abesset, quivis, opinor, illud *unius* pendere potius putaret a *donum*, quam a *gratia*. Nunc constat, Gratiam Dei et Gratiam Jesu Christi praedicari. conf. c. 8, 35. 39. de amore. — ἑνὸς ἀνθρώπου, *unius hominis*) Libenter Jesum Paulus (prae ceteris apostolis, qui Eum ante passionem viderant) *hominem* appellat, in hoc negotio. 1 Cor. 15, 21. 1 Tim. 2, 5. Quis humanam Christi naturam excludat ab officio mediatorio? Paulus hoc versu, ubi nomen *hominis* Christo tribuit, Adamo non tribuit: et v. 19., ubi Adamo tribuit, Christo non tribuit. (conf. Hebr. 12, 18. not.) Scilicet non eodem tempore *humanitatem* et Adamus sustinet et Christus: et aut Adam nomine hominis indignum se fecit; aut nomen hominis vix satis dignum est Christo. Porro denominari solet Christus ab humana natura, ubi agitur de hominibus ad Deum adducendis; Hebr. 2, 6. seqq. a divina vero, ubi agitur de adventu Salvatoris ad nos, et de praesidio, quod ipse nobis praestat adversum hostes. Tit. 2, 13. Nulla hic Deiparae mentio. quae si sine macula fuit concipienda, non patrem, sed tantummodo matrem, habere debuit, uti is, quem peperit. [*Cohel.* 7, 29.]

v. 16. καὶ, *et*) Sententia est haec: *et non, sicut per unum, peccantem* (judicium:) (sic per unum, justitiae auctorem,) *donum*. id est, Ac non eadem

Digitized by Google

est utrinque ratio. — κρίμα, *judicium*) sc. *est*. — ἐξ ἑνὸς, *ex uno*) sc. *lapsu*. nam sequitur antitheton, *ex multis lapsibus*. Unus lapsus, unius hominis: multi lapsus, multorum. [1])

v. 17. τοῦ ἑνὸς — διὰ τοῦ ἑνὸς, *unius — per unum*) Significantissima repetitio: ne peccata per singulos patrata videantur mortem potius peperisse. — ἐβασίλευσε, *regnavit*) Sermo praeteriti temporis ex oeconomia gratiae respicit in oeconomiam peccati: ut mox *regnabunt*, futurum, ex oeconomia peccati prospicit in oeconomiam gratiae et vitae perennis. sic v. 19. — τὴν περισσείαν) Diff. πλεονάζειν et περισσεύειν, ut *multum* in positivo et *plus* in comparativo. v. 20. *Abundantia* gratiae, opponitur uni lapsui. — λαμβάνοντες, *accipientes*) *Accipere* potest vel tanquam neutro - passivum reddi *empfangen*, *erlangen*, *kriegen*, vel active *annehmen*. Illud potius. Relatio tamen ad δωρεὰν, *donum* cum actu *sumendi* melius convenit. In justificatione homo agit aliquid: sed non justificat actus sumendi, quatenus est actus; sed illud quod sumitur sive apprehenditur. *donum* et *sumere* sunt correlata. Porro hoc verbum non adhibetur, ubi agitur de peccato; ex eadem ratione, qua fit, ut in morte non dicamur *regnare*, sed mors *regnavit*: vita vero regnat in nobis, 2 Cor. 4, 12., et nos in vita. h. l. Christus, regnantium rex. Conjuncta quoque *vitae* et *regni* mentio, Ap. 20, 4. *Vitae* appellatio repetitur ex c. 1, 17., et saepe recurrit mox v. 18. 21. et capp. seq.

v. 18. ἄρα οὖν) ἄρα infert, syllogistice: οὖν concludit, fere rhetorice: non enim amplius, nisi in hoc et sequente versu, de hac materia agitur. — ἑνὸς — ἑνὸς, *unius — unius*) Masculinum. patet ex antitheto, *omnes*. *unius* plerumque sine *hominis* positum, summa vi designat *unum* utrumvis. — δικαιώματος — δικαίωσιν) Δικαίωμα est quasi materia δικαιώσει *justificationi* substrata, obedientia, justitia praestita. *Justificamentum* liceat appellare, ut ἑδραίωμα denotat firmamentum, ἔνδυμα vestimentum, ἐπίβλημα additamentum, μίασμα inquinamentum, ὀχύρωμα munimentum, περικάθαρμα purgamentum, περίψημα ramentum, σκέπασμα tegumentum, στερέωμα firmamentum, ὑπόδημα calceamentum, φρόνημα q. *sentimentum*, Gall. *sentiment*. Aristot. l. V. Eth. c. 10. opposita statuit ἀδίκημα et δικαίωμα, atque hoc describit τὸ ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος. id quod tantundem est atque *satisfactio*, vocabulum Socinianis immerito invisum. Exquisitam verborum proprietatem Schematismus exhibet:

	A.	B.	C.	D.
v. 16.	κρίμα,	κατάκριμα·	χάρισμα,	δικαίωμα.
	A.	B.	C.	
v. 18.	παράπτωμα,	κατάκριμα·	δικαίωμα.	
			D.	
			δικαίωσις ζωῆς.	

In utroque versu A et B συστοιχεῖ, itemque C et D. sed A et C ἀντιστοιχεῖ, itemque B et D. Versu 16. describitur negotium ex parte Dei: v. 18. describitur ex parte Adami et Christi: idque in oeconomia peccati minore verborum varietate, quam in oeconomia gratiae. δικαίωσις ζωῆς est declaratio divina illa, qua peccator, mortis reus, vitae adjudicatur, idque jure.

---

1) Pluralis *iste qui clarissime ostendat*, Paulum hîc non agere de peccato originali, quasi unquam existat sine peccatorum aliorum satellitio, *(quod recentiorum nonnemini Postulatum est) equidem fateor me non perspicere. Nimirum et* originali peccato, *et* actualibus *PRAETEREA* singulorum lapsibus *mederi* donum in Christo, *distincte Apostolus docet.* Multa *nimirum sunt* peccata actualia, *quae non ut* consequens necessarium *peccati primi consideranda sunt (alioquin omnis actionum nunc moralitas cessaret:) at* nullum *est peccatum, sive originale audiat sive actuale, cujus condonatio et sublatio non haberi debeat pro* mero χαρίσματος effectu. *Ergo major est* τοῦ χαρίσματος, *quam* τοῦ κρίματος *potentia.* E. B.

Digitized by Google

v. 19. παρακοῆς) παρὰ in παρακοὴ perquam apposite declarat rationem initii in lapsu Adami. quaeritur: quomodo hominis recti intellectus aut voluntas potuit detrimentum capere aut noxam admittere? Resp. Intellectus et voluntas simul labavit per ἀμέλειαν· neque quicquam potest prius concipi, quam ἀμέλεια *incuria*, sicut initium capiendae urbis est vigiliarum remissio. Adam seductus διὰ ῥᾳθυμίαν, *propter levitatem animi*, ut ait *Chrysost.* Homil. XXVII. in Gen. et copiose Hom. LX. in Matth. πόθεν ἠθέλησεν ὁ ἄνθρωπος παρακοῦσαι θεοῦ; ἀπὸ ῥᾳθυμίας κτλ. *unde voluit homo inobediens esse Deo? a levitate animi etc.* Hanc incuriam significat παρακοὴ, *inobedientia*. Oppositum est h. l. ὑπακοὴ, *obedientia*, ex quo egregium de obedientia activa argumentum fluit: sine qua satisfactio Christi non posset appellari *obedientia*. quare toties ut ἄμωμος *irreprehensibilis* laudatur. — καταστα θήσονται, *constituentur*) *Aliud est* justum constitui, *etiam ubi de imputatione sermo habetur, aliud* justificari: *cum illud justificationis fundus et fundamentum existat, et justificationem veram, cui substernitur, necessario praecedat. justus enim quis existat, prius necesse est, quam possit vere justificari. Utrumque autem istud a Christo habemus. nam et satisfactionis Christi meritum homini ex se injusto imputatum, justum eundem jam constituit, quum justitiam ei conciliet, qua justus sit; et justitiae hujus virtute, quae merito illo comparatur, justificatur necessario, ubi id opus fuerit: h. e. jure merito absolvitur, qui hac ratione justus extat.* Thom. Gataker. Diss. de novi instr. stylo, cap. 8. Recte. Apostolus tamen, ut in clausula, talem justorum *constitutionem* videtur praedicare, quae justificationis actum subsequatur, et verbo *inveniri* includitur. Phil. 3, 9. coll. Gal. 2, 17. — οἱ πολλοὶ, *multi*) *omnes homines*. v. 18. 15.

v. 20. νόμος, *lex*) Sublimitati servit articulus praetermissus. — παρεισῆλθε) *subintravit*, per Mosen. v. 14. Antitheton, *intravit*, v. 12. Peccatum, lege antiquius. — πλεονάσῃ, *abundaret*) c. 7, 7. ss. Peccatum sine lege non reputatur: subingressa lege, peccatum ut *abundans* apparuit. Ante legem vero lapsus Adami pro causa mortis haberi debuit. — τὸ παράπτωμα, *lapsus*) Subaudi, καὶ ἡ ἁμαρτία, *et peccatum*. Ad peccatum Adami collata omnia hominum peccata sunt quasi stolones: illud est radix. Ἁμαρτία, in singulari, spectatur ut pestis latissime didita, complectiturque omnia etiam actualia παραπτώματα, v. 16. — ἡ ἁμαρτία, *peccatum*) sive *lapsus et peccatum*. differunt enim. vid. not. ad v. 14. *peccatum*, singulari numero. Joh. 1, 29. — ὑπερεπερίσσευσεν, *superabundavit*) Victi victorem vincens tertius utroque melior est. Hominem vicit peccatum: peccatum vincit gratia. ergo Gratiae vis maxima.

v. 21. ἐν τῷ θανάτῳ — εἰς ζωὴν, *in morte — in vitam*) Differentia particularum ἐν et εἰς. mors habet metam ac terminum: vita est perennis et divinitus intenta. Mors non dicitur aeterna: vita dicitur aeterna. c. 6, 21. ss. — ἡ χάρις βασιλεύσῃ, *gratia regnaret*) Gratia igitur quasi nullum, id est, brevissimum habuit regnum ante lapsum. Credibile est, Adamum non multo post, quam creatus erat, peccasse. — ἰησοῦ, *Jesum*) Jam ne memoratur quidem Adamus: solius Christi mentio viget.

CAPUT VI.

v. 1. Ἐπιμενοῦμεν; *permanebimus?*) Hactenus egit de praeterito et praesenti; nunc de futuro, verbis ad proxime praecedentia accommodatis, de pleonasmo gratiae. Hoc loco proponitur *continuatio* peccati: versu 15., *reditus* ad peccatum victum. Homo, gratiam nactus, potest huc illuc ve se vertere. In hac tractatione Paulus peccato tergum vertit.

v. 2. ἀπεθάνομεν, *mortui sumus*) in baptismo et justificatione.

v. 3. ἢ) *an?* Interrogatio disjunctiva. — ἀγνοεῖτε, *ignoratis*) Doctrina de

Digitized by Google

baptismo fuit omnibus cognita. Formula recurrit cap. 7, 1. cui respondet illa, *annon nostis?* v. 16. c. 11, 2., et 1 Cor. passim. *Ignorantia*, multum officit: scientia non sufficit. — ὅσοι, *quicunque*) Nemo Christianorum jam tum non baptizatus erat. — ἐβαπτίσθημεν) *baptismum admisimus.* Aptissima huic loco *Baptismi* mentio. haec enim, quae hactenus descripsit apostolus, emensus sit oportet dignus Baptismi candidatus adultus. Paulus fere in solennioribus epistolis ad ecclesias (Rom. Cor. Gal. Eph. Col.) missis, quarum initiis apostolum se nominat, *Baptismum* citat: in familiarioribus, (Phil. Thess.) eum praesupponit. — εἰς) *in.* Ratio, sub qua baptizati sumus. — χριστὸν ἰησοῦν, *Christum Jesum*) Christi nomen hic praeponitur, quia id hic magis spectatur. v. 4. Gal. 3, 27. — εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ, *in mortem ejus*) Qui baptizatur, induit *Christum* Adamum secundum; in Christum, inquam, totum, adeoque etiam in mortem ejus baptizatur: et perinde est, ac si eo momento Christus pro tali homine, et talis homo cum Christo pateretur, moreretur, sepeliretur.

v. 4. συνετάφημεν, *una sepulti sumus*) Sepulturae Christi fructus. Mersio in baptismate, vel certe aqua superfusa, sepulturam refert: sepultura mortem ratam facit. — εἰς, *in*) Constr. cum *baptisma.* coll. v. 3. — ὥσπερ — οὕτω, *sicut — sic*) Sermo concisus. *sicut excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris*, sic nos quoque resurgamus: et sicut Christus in gloria Patris, et in ea vita, ad quam resurrexit, regnat perpetuo, *sic et nos in novitate vitae ambulemus.* — διὰ, *per*) *Per* de Patre etiam 1 Cor. 1, 9. extat. — τῆς δόξης, *gloriam*) Δόξα est *gloria* divinae vitae, *incorruptibilitatis*, c. 1, 23., potentiae et virtutis, per quam et Christus resuscitatus est, et nos vitae novae restituimur, Deoque conformamur. Eph. 1, 19. seqq. — ἐν καινότητι, *in novitate*) C. 7, 6. 2 Cor. 5, 15. sg. Haec novitas, in vita consistit.

v. 5. σύμφυτοι) LXX, βουνὸς σύμφυτος, δρυμὸς σύμφυτος, *mons consitus, silva consita*, Amos 9, 13. Zach. 11, 2. qua ratione ὁμοιώματι hic casu sexto sumi possit. Sed Hesychius, σύμφυτον, συμπορευόμενον, συνόν. et sic σύμφυτοι cum Dativo, coll. v. 4. 6., est verbum valde significans. Cluverus: *connaturati; concreti.* Omnis vis vegetativa spiritualis est in Christo, eaque in baptismum collata est. σὺν ponitur ut in opposito, συνεσταυρώθη. Et etymon φύομαι ad θάνατον pertinet et ad ἀνάστασιν. — ἀλλὰ) *at.* Oppositio est inter mortem et resurrectionem. — τῆς) id est, τῷ ὁμοιώματι τῆς ἀναστάσεως. — ἐσόμεθα) sc. σύμφυτοι *erimus*, in vita nova. Futurum. vid. c. 5, 19.

v. 6. ἄνθρωπος, *homo*) Abstractum pro concreto: uti c. 7, 22. et passim. — ἵνα — τοῦ μηκέτι) Observandae particulae: tum tria nomina synonyma, et verba iis adjecta. — καταργηθῇ, *destruatur*) *dominio* suo exuatur. — τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, *corpus peccati*) corpus mortale, scatens peccato, concupiscentiis etc. v. 12. Sic *corpus mortis.* c. 7, 24. not.

v. 7. ἀποθανών, *mortuus*) *peccato.* v. 2. — δεδικαίωται, *justificatus est*) nil jam in eum juris est peccato: coll. v. 6. 9. ut non jam sit *debitor.* c. 8, 12. justus est, ratione praeteriti, a reatu; ratione futuri, a dominio. v. 14.

v. 8. εἰ, *si*) Apodosis cadit principaliter in verbum *una vivemus.*

v. 9. εἰδότες, *scientes*) Hoc pendet a *credimus.* — θάνατος, *mors*) Sine articulo: *ulla mors.* — οὐκ ἔτι, *posthac non*) Nunquam *dominata est in Christum mors*, sed tamen in eum incurrerat, Act. 2, 24., et, si eum tenuisset, ei dominata dici potuisset. quod absit. Noluit Paulus hic dicere, βασιλεύει, *regnat.*

v. 10. ὃ) *quod.* hic plus valet, quam ὅτι, *quod.* — τῇ ἁμαρτίᾳ, *peccato*) Dativus detrimenti, uti v. 11. Peccatum fuerat conjectum in Christum: sed Christus id abolevit morte sua, pro nobis. vere *defunctus.* — ἐφάπαξ) Id plus hoc loco valet, quam ἅπαξ. Sic Hebr. 7, 27. et, ἅπαξ, 1 Petr. 3, 18. — ζῇ τῷ θεῷ)

Digitized by Google

vivit Deo, vitam ex Deo gloriosam, v. 4., divini vigoris plenam, in perpetuum. Nam Deus est Deus viventium.

v. 11. λογίζεσθε, *existimatis*) Indicativus. nam versu sequenti incipit imperativus. Sic, λογιζόμεθα, c. 3, 28. Quo quisque in statu est, eo se censere debet. — εἶναι) Pauci, sed antiqui, omittunt. Legit cel. *Baumgartenius:* ego ambiguum habeo. — ἐν, *in*) Constr. cum *viventes*, neque tamen non etiam cum *mortuos:* v. 8. nisi quod in illa parte potius adhibetur praepositio *cum* et *per*. c. 7, 4. — τῷ κυρίῳ ὑμῶν) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l.

v. 12. μὴ, *ne*) Ad μὴ *ne* refer ἀλλὰ, *sed;* ad μηδὲ, *neque* refer καὶ τὰ μέλη, *et membra* etc. [*Dehortationis et cohortationis hujus eximia vis est.* V. g.] — μὴ οὖν βασιλευέτω, *ne ergo regnet*) Idem verbum c. 5, 21. Synonymon, v. 9. Correlatum, *servire*. v. 6. — θνητῷ, *mortali*) Vos enim, viventes, abalienati estis a corpore vestro. c. 8, 10. — αὐτῇ ἐν) Paraphrasin hoc redolet. Etiam h. l. *Baumgartenius* et ego, uterque tuetur morem suum. — ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ, *in concupiscentiis ejus*) sc. τοῦ σώματος, *corporis*. Cupiditates corporis sunt fomes; peccatum, ignis.

v. 13. μηδὲ παριστάνετε) Majorem vim habet mox aor. 1. παραστήσατε. — τὰ μέλη ὑμῶν· ἑαυτοὺς καὶ τὰ μέλη, *membra vestra: vos ipsos et membra*) Primo consideratur persona Christiani, deinde actiones et munera. Homo in peccato mortuus non commode diceretur *sistere SEIPSUM peccato:* sed vivens potest se sistere Deo. — ὅπλα, *arma*) Allegoria a bello; ut *opsonia* v. 23. — ἀδικίας, *injustitiae*) quae adversatur justae voluntati Dei. — τῇ ἁμαρτίᾳ, *peccato*) Peccatum hic consideratur ut tyrannus. — παραστήσατε, *sistite*) ut Regi. — ἐκ νεκρῶν, *ex mortuis*) Christianus est *ex mortuo vivens:* fuerat mortuus, nunc vivit. Conf. Eph. 5, 14. not. Ap. 3, 1—3. Hic quoque somnus est *mortis* imago. — δικαιοσύνης, *justitiae*) Antitheton, ἀδικίας, *injustitiae*.

v. 14. οὐ κυριεύσει, *non dominabitur*) nec jus habet nec facultatem. invitos non coget ad serviendum sibi. — ὑπὸ νόμον, *sub lege*) Qui sub lege est, ei dominatur peccatum.

v. 15. ὑπὸ, *sub*) c. 7, 2. 14.

v. 16. δούλους, *servos*) Notatur *servitus*, ex qua sequitur *obedientia*. — δοῦλοι, *servi*) Notatur status *servitutis*, qui sequitur *obedientiam*. 2 Petr. 2, 19. — εἰς, *in*) εἰς, *in*, bis pendet a *servi*. — ὑπακοῆς, *obedientiae*) *Obedientia* absolute dicta in bonam partem sumitur. Etiam justitia obedienter agentes sibi promte asserit. — εἰς δικαιοσύνην, *in justitiam*) Subaudi, *et justitiae in vitam*. ex antitheto, coll. v. 20. ss. c. 3, 20. not.

v. 17. χάρις δὲ τῷ θεῷ, *gratia vero Deo*) Idioma Paulinum est, quod propositiones categoricas solet non categorice et nude, sed cum quodam quasi modo, id est, cum significatione affectus, gratiarum actionis, voti etc. efferre. vid. 1 Cor. 14, 18. 2 Tim. 2, 7. not. Ita hujus loci enthymema est: *fuistis servi peccati; sed nunc obedientes facti justitiae.* sed accedit modus moralis: *gratia Deo, quod, quum fueritis servi peccati, nunc obedistis justitiae.* qui tamen modus hoc loco etiam hoc significat, hunc statum Romanorum esse beatum, quem omni modo tueri debeant. Haec observatio faciet, ut multis in locis et sententia sermonis et ardor pectoris apostolici distincte appareat. — ὅτι, *quod*) Sic *quod*, subaudito *quidem*, Joh. 3, 19. — δοῦλοι, *servi*) praesertim in ethnicismo. — ἐκ καρδίας, *ex corde*) Veritas et efficacia religionis christianae. Mali non possunt plane ex animo esse mali, quin eos semper, vel inscios, poeniteat sui et servitutis suae: sed boni ex animo boni sunt et libere. [*Neque ulla hominum doctrina, sed sola divina, cor hominis expugnat.* V. g.] — εἰς ὃν) Resolve: ὑπηκούσατε εἰς τύπον διδαχῆς (coll. εἰς πάντα ὑπήκοοι, 2 Cor. 2, 9.) ᾧ vel εἰς ὃν παρεδόθητε. coll. εἰς, Gal. 1, 6. Casus relativi in locutione concisa expressus, pendet a verbo praece-

Digitized by Google

dente, c. 4, 17., vel subsequente, c. 10, 14. — παρεδόθητε, *traditi estis*) Alias *doctrina* dicitur *tradi*. 2 Petr. 2, 21. Ea phrasis hic eleganter invertitur: estque verbum valde decorum, de iis, qui a peccato liberati, sese dedunt et sistunt, v. 16., magna dominii mutatione, ad illam lautam servitutem justitiae. — τύπον, *formam*) Pulcerrimum verbum. Exod. 25, 40. Christi ea est forma. Gal. 4, 19. — διδαχῆς, *doctrinae*) Norma illa et regula, ad quam sese componit servus, tantum ei per *doctrinam* ostenditur; urgeri eum, non opus est.

v. 18. ἐλευθερωθέντες, *liberati*) Methodi apostolicae huc usque progressae Conspectum hunc habere juvabit:

	I. *Peccatum.*	c. 3, 9.
	II. Peccati ex lege agnitio: sensus *irae: mors* interna.	c. 3, 20.
	III. Revelatio justitiae Dei in Christo per evangelium, contra peccatum, pro peccatore.	c. 3, 21.
	*IV. Centrum Paulinum, *FIDES:* revelationem illam sine exceptione amplectens, et ad justitiam ipsam nitens et enitens.	c. 3, 22.
	V. Remissio peccatorum et justificatio: qua peccatum admissum homini, Deus Judex pro non admisso, et justitiam amissam pro servata ducit.	c. 3, 24.
	VI. Donum spiritus sancti: *amor* divinus in corde effusus: *vita* nova interna.	c. 5, 5. 6, 4.
	VII. *Justitiae* libera servitus in bonis operibus.	c. 6, 12.

Ex hoc conspectu patet, quare Paulus justificationem per fidem solam adversus dubitantes errantesve probans, saepe mentionem faciat doni Spiritus sancti, et aliorum, quae justificationem consequuntur. Ex fide quippe est justitia: justitiam comitatur filiatio: filiationem consequitur donum Spiritus sancti cum clamore, *Abba pater*, et cum vitae novitate. atqui fides et justitia per se non incurrit in sensum: donum autem Spiritus sancti habet effectus valde conspicuos et extantes. conf. *testatus est*, Act. 15, 8. Accedit, quod nobilitas horum fructuum potentissime redarguit vilitatem operum humanorum.

v. 19. ἀνθρώπινον, *humanum*) Humanus sermo frequens et quodammodo perpetuus, quo Scriptura se ad nos demittit. Sermo apertior non semper aptior ad rem ipsam. Accusativus pro adverbio. [*Nostro loquendi modo vertas:* Ich muss es euch nur massiv sagen. V. g.] — διὰ, *propter*) Tarditas intellectus fluit ex infirmitate carnis, i. e. naturae mere humanae. conf. 1 Cor. 3, 3. — [1]) τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν, *iniquitati in iniquitatem*) Ploce, a Syro non observata. τὸ *iniquitati* (cui *impuritas* tanquam pars toti praemittitur) opponitur *justitiae;* τὸ *iniquitatem* opponitur *sanctificationi. Justitia* respondet voluntati divinae: *sanctificatio*, toti quasi naturae divinae. Qui justitiae serviunt, proficiunt: ἄνομοι, *iniqui*, sunt *iniqui*, nil amplius.

v. 20. τῆς ἁμαρτίας, *peccati*) Hic casus vim habet: *peccatum* vos possederat. — τῇ δικαιοσύνῃ, *justitiae*) id est, respectu justitiae.

v. 21. τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε, ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε;) Tota haec periocha vim habet interrogationis negantis. Justos ait habere *fructum* suum in sanctificationem: sed *fructus* nomine haud dignatur ea, quae sunt ἄκαρπα, Eph. 5, 11. Ait igitur: quae vobis nunc pudorem incutiunt, ea antehac non sane fuere

---

1) ἀσθένειαν, *infirmitatem*] Ii, qui sermonem plane apertum usquequaque desiderant, infirmitatis suae notam in hoc ipso agnoscere debebant, neque profundiorem veritatis expressionem aegre ferre, sed pro abundanti beneficio grata mente reputare, si utrovis modo percipere rem ipsis contigerit: sublimius primum, deinde planius, ut Nicodemo Joh. 3, 3. 15. Quae plurimis arrident, ea non sunt optima. *V. g.*

Digitized by Google

fructus. Alii post τότε interrogationis signum ponunt, ut ἐφ' οἷς interrogationi respondeat: sed tum dixisset apostolus, ἐφ' ᾧ, scil. καρπῷ. [Pudoris *hujus contrarium est* sanctificatio, v. 22.: *plane ut* 1 Cor. 1, 28. 30. ignobile *et* sanctificatio *sunt in antithesi. Atqui christianam nunc multitudinem* sanctificationis pudet, *pro re* ignobili *aestimatam. Quanta talibus* mors *imminet! O tempora, o mores!* V. g.] — νῦν, *nunc*] cum resipuistis. — γὰρ) *nam*, pro *autem:* sed majore vi sejungendi. conf. v. 22. fin. δὲ, *autem.* sic γὰρ, *nam*, c. 5, 7. — ἐκείνων, *illorum*) non, *horum.* remote spectat praeterita. — θάνατος, *mors*) Huic nomini nunquam additur epitheton αἰώνιος, *aeterna*, v. 23., non modo in iis, in quibus mors cedit vitae, sed ne in iis quidem, qui in *ignem, cruciatum* et *exitium aeternum* abibunt. Si quis cogitare potest, Scripturam casu, non consilio, quando expresse *aeterna vita* memoratur, oppositum nunquam *aeternam mortem*, sed ubique aliter appellare, idque tam multis in locis; ei equidem aequipollentiam phrasium *exitium aeternum* etc. relinquo. Ratio tamen differentiae vel haec est: Scriptura *mortem*, per prosopopoeian, saepe describit ut hostem, eumque destruendum: *cruciatum*, non item.

v. 22. νυνὶ δὲ, *nunc vero*) Νυνὶ persaepe Paulus adhibuit, semper cum δὲ *vero.* — ἔχετε) *habetis:* vel, *habete.* coll. v. 19. — εἰς ἁγιασμὸν, *in sanctificationem*) Antitheton: ἐφ' οἷς ἐπαισχύνεσθε. Estis sanctum Dei sacerdotium. Videtur respici Amos 2, 11., לנזרים LXX, εἰς ἁγιασμών.

v. 23. τὰ, τὸ) Nota subjecti. — ὀψώνια — χάρισμα, *stipendia* — *donativum*) Mala opera mercedem suam merentur, non bona: nam illa stipendium habent, haec donativum. ὀψώνια, *stipendia*, plurale: χάρισμα, *donativum*, singulare, majore vi.

CAPUT VII.

v. 1. Ἢ, *an*) Interrogatio disjunctiva. Arcte haec cohaerent cum cap. 6, cujus v. 6. 14. 21. verba extant hoc capite recurrentia, καταργεῖσθαι, κυριεύειν, καρπὸς, θάνατος κτλ. Continuatur collatio status veteris et novi. — γινώσκουσι, *cognoscentibus*) Judaeis: quanquam omnium christianorum est legem scire. — ὁ νόμος, *lex*) v. gr. matrimonialis. *Lex* tota ponitur per synecdochen, convenienter incunti periochae, pro *lege matrimoniali.* — τοῦ ἀνθρώπου, *homini*) id est, *mulieri.* v. 2. conf. 1 Petr. 3, 4., ubi *homo interior* exteriorem praesupponit, et parallelismus in eo est, quod *homo* etiam seorsum de *muliere*, non modo de Adamo, viro praedicatur. *Homo* hic in genere: sed versu 2. subsumit Paulus de muliere. — ἐφ' ὅσον, *quoad*) nec diutius, nec minus diu. — ζῇ, *vivit*) Lex. Prosopopoeia. In apodosi vita et mors adscribitur non legi, sed nobis. Hic autem est protasis, in qua ex sensu apostoli legi ipsi adscribitur vita vel mors, et marito. Sermo nititur natura relatorum, quae sunt lex et homo. Ubi alterutra pars moritur, altera censetur mortua. Sic protasis et apodosis cohaerent.

v. 2. ὕπανδρος) Sic LXX. — δέδεται, *ligata est*) Construi potest cum *viro*, et cum *legi.* — τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρὸς) Non incommode statuas appositionem: a *lege, viro.*

v. 3. χρηματίσει) scil. ἑαυτὴν, *subibit appellationem adulterae*, idque vi legis. *Ipsa sibi appellationem* adulterae *contrahet.* — ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ) LXX, Deut. 24, 2.

v. 4. ὥστε) Hoc majorem vim habet, quam si dixisset, οὕτως. — ἐθανατώθητε) *mortificati estis.* id plus notat, quam *mortui estis.* Comparationis summa est: maritus vel uxor, conjugis morte, libertati restituitur. nam in protasi pars moriens est vir: in apodosi pars moriens ea est, quae respondet mulieri. — διὰ τοῦ σώματος, *per corpus*) Magnum mysterium. Cur in expiatione peccati mentio fit pleruque corporis Christi prae anima? Resp. Peccati theatrum et officina

Digitized by Google

caro nostra est: huic medetur sancta caro filii Dei. — ἐγερθέντι, *excitato*) adeoque viventi. — καρποφορήσωμεν, *fructificaremus*) A secunda persona venit ad primam. *fructus* respondet proli: nam similitudo est a matrimonio.

v. 5. ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ) *eramus in carne*, i. e. carnales. vid. oppositum, v. 6. fin. — διὰ, *per*) v. 8. — τῷ θανάτῳ) ei *morti*, de qua v. 13. c. 8, 6.

v. 6. ἀποθανόντες, *mortui*) Sic v. 4., *mortificati estis*, de ea parte, quae respondet mulieri. conf. Gal. 2, 19. ἀποθανόντες *Chrysostomum* quoque legisse, non ἀποθανόντος, ostendi *in der Antwort wegen des N. T.* p. 55. A. 1745. — ᾧ) Plana constructio hoc sensu: per mortem soluti sumus a lege, nos tenente. — κατειχόμεθα) Verbum significans. conf. συνέκλεισε, c. 11, 32. ἐφρουρούμεθα. Gal. 3, 23. — ἐν καινότητι πνεύματος, καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος, *in novitate Spiritus, ac non vetustati literae*) Idem antitheton, c. 2, 29. 2 Cor. 3, 6. *Litera* non est lex per se spectata, quippe quae spiritualis est et viva, v. 14. Act. 7, 38., sed respectu peccatoris, cui Spiritum et vitam dare nequit, sed morti eum relinquit, quin etiam profundius addicit. quanquam ille interim praestare affectet, quod litera ejusque sonus fieri jubet; ut species et nomen remaneat, sicut mortua manus est manus. Per evangelium autem et fidem datur Spiritus, vitam et novitatem tribuens. 2 Cor. 3, 6. coll. Joh. 6, 63. *Vetustatis* et *novitatis* vocabulo Paulus spectat duo testamenta, quanquam credentes jam olim habuere primitias novi; et hodie non credentes retinent reliquias, imo totam vim V. T. Observa etiam *in* semel, non bis, positum. *Vetustati* servivimus, non Deo, conf. Gal. 4, 9., οἷς, *quibus:* nunc, non novitati, sed, *in novitate*, servimus Deo. c. 6, 22.

v. 7. ὁ νόμος ἁμαρτία; *lex peccatum?*) Sic fortasse objiciet, qui audierit, eadem de lege et de peccato praedicari: num lex est peccatum sive causa peccati peccaminosa? conf. v. 13. not. — τὴν ἁμαρτίαν, *peccatum*) Observanda iterum proprietas verborum et differentia:

ὁ νόμος· τὸ λέγειν τοῦ νόμου.
ἡ ἁμαρτία· ἡ ἐπιθυμία.

οὐκ ἔγνων, (a γινώσκω·) οὐκ ἤδειν, (ab οἶδα.) ἔγνων majus est, οἶδα minus. Hinc posterius, cum etiam minor gradus negatur, est in incremento. Ἁμαρτία, *peccatum*, est quasi materia peccans, ex qua *omnis* morbus et paroxysmus *concupiscentiae.* — οὐκ ἔγνων, *non noram*) Saepe Paulus indefinitum sermonem proponit per primam personam, non solum perspicuitatis gratia, sed ex perpetua applicatione ad se ipsum. vid. 1 Cor. 5, 12. 6, 12. Et sic hoc loco. — τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν, *etenim concupiscentiam*) Penitior et reconditior est ἡ ἁμαρτία, *peccatum*: ἡ ἐπιθυμία, *concupiscentia*, magis in sensum incurrit, eademque *peccatum* prodit, ut fumus ignem. Hunc διορισμὸν, hanc contradistinctionem, indicant particulae, τέ γὰρ, *etenim*. et *peccatum*, unum illud malum inhabitans, operatur *concupiscentiam* variam: v. seq. et rursum concupiscentia parit peccatum consummatum. Jac. 1, 15. [*Peccatum latet in homine, ut aestus in potu, qui, si ex sensatione judices, frigidissimus esse potest.* V. g.] — οὐκ ἤδειν) *non noram*, concupiscentiam esse malam. vel potius, non noram ipsam concupiscentiam. motus demum incurrit in oculos. — ἔλεγεν, *diceret*) Dixit autem, per se; tum, in animo meo conf. *veniente*, v. 9.

v. 8. διὰ τῆς ἐντολῆς, *per praeceptum*) Constr. cum verbo seq. uti v. 11. bis. — χωρὶς — νεκρὰ, *sine — mortuum*) Axioma. — νεκρὰ, *mortuum*) sc. *erat:* non ita furebat per concupiscentiam. vel: *est.*

v. 9. ἔζων, *vivebam*) ζῆν h. l. non significat duntaxat *degere;* sed ponitur in expressa antithesi ad *mortem*. Tonus pharisaicus. conf. v. seq. [*Bene* valere, *mihi quidem videbar*. V. g.] — χωρὶς νόμου, *sine lege*) lege amota, procul habita, quasi nulla esset. — ἐλθούσης) Antitheton, χωρίς. — ἐντολῆς, *praecepto*) ἐντολὴ, *praeceptum*, pars est legis, addita expressiore connotatione virtutis

Digitized by Google

coactivae, quae coercet, injungit, urget, prohibet, minatur. — ἀνέζησεν) *revixit*, sicut vixerat, quum per Adamum intrasset in mundum.

v. 10. ἀπέθανον, *mortuus sum*) vitam illam meam amisi. — εὑρέθη, *repertum est*) Sic, εὑρίσκω *reperio*. v. 21. — εἰς ζωὴν, *in vitam*) ratione intentionis divinae primae, et, aliter, ratione meae opinionis, quam mihi habebam *virens sine lege*. *Vita* et laetitiam et agilitatem indigitat: *morte* oppositum innuente. — αὐτὴ) *ipsa*, eadem. Vulgo αὕτη, sed cel. *Baumgartenius* αὐτὴ, recte. Conf. Act. 8, 26. not.

v. 11. ἐξηπάτησε, *decepit*) in avia duxit, sicut latro viatorem. ad vitam me tendere putans, in mortem incidi. — ἀπέκτεινεν, *occidit*) Hic terminus oeconomiae peccati, in confinio gratiae.

v. 12. ἅγιος, *sancta*) Subaudi ex seqq. *et justa et bona*. quanquam haec synonyma potissimum ad defendendum *praeceptum*, cum sua virtute pungente, opus fuit cumulari. *sancta, justa, bona*, ratione causae efficientis, formae, finis; (ut habent *Dorschei Notae ms.*) vel, *sancta*, respectu officiorum erga Deum: *justa*, respectu proximi: *bona*, respectu naturae meae: cui convenit, quicquid praecipitur, nam vita promittitur. v. 10. Ex his tribus epithetis convenientissime tertium assumitur versu seq.

v. 13. τὸ) *igitur, quod bonum est* —. Vis articuli notanda. — θάνατος, *mors*) *malum* maximum, et mortis, mali maximi, causa: κατεργαζομένη *operans*. — ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία, *sed peccatum*) sc. *mihi factum est mors*. neque enim participium κατεργαζομένη *operans* sine verbo substantivo praedicatum constituit. — ἵνα φανῇ ἁμαρτία, *ut appareret peccatum*) Ploce. peccatum, minime *bonum*. Hoc cohaeret cum anteced. — διὰ τοῦ ἀγαθοῦ — θάνατον, *per bonum — mortem*) Paradoxon. et magna vi epitheton *bonum* adhibetur pro substantivo *legem*. — κατεργαζομένη, *operans*) Participium, ita resolvendum: peccatum mihi mors factum est, *quippe quod* mihi vel per bonum patravit mortem. Non est tautologia; nam illud *per bonum* vim superaddit secundae parti hujus sententiae. — ἵνα γένηται, *ut fieret*) Hoc pendet ab *operans*. Sic ἵνα *ut* duplex gradationem facit. Si quis malit anaphoram statuere, sic quoque priorem partem declarabit altera. — καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς) Castellio: *quam peccantissimum*. quia sc. per *bonum*, per praeceptum, operatur *malum*, mortem. — διὰ, *per*) Constr. cum *fieret*.

v. 14. πνευματικός ἐστιν, *spiritualis est*) requirit, ut sensus omnis humanus respondeat sensui Dei: Deus autem est Spiritus. — σαρκικὸς, *carnalis*) v. 18. — εἰμὶ, *sum*) Paulus comparato inter se duplici statu fidelium, pristino in carne, v. 5., et praesenti in spiritu, v. 6., deinceps a descriptione prioris ad descriptionem alterius contendens, id agit, ut et duabus objectionibus, quae ex illa comparatione his verbis formari possent: *ergo lex est peccatum*, v. 7., et, *ergo lex est mors*, v. 13., satisfaciat, et earum solutioni totum intexat processum hominis a statu sub lege ad statum sub gratia cogitantis, suspirantis, contendentis atque enitentis, legisque in ea re functionem ostendat. id, inquam, agit v. 7—25., donec c. 8, 1. s. ad ulteriora pergit. Itaque hoc versu 14. nec particula *enim* ullum omnino, nedum res ipsa tam grandem patitur saltum fieri ab uno statu in alterum. nam Paulus statum carnalem, hoc versu, et spiritualem, c. 8, 4., tum, servitutem versu hoc et 23., libertatemque, c. 8, 2., e diametro inter sese opponit. Utitur autem ante versum 14. verbis praeteriti temporis; tum, expeditioris sermonis causa, praesentis, in praeteritum resolvendis, perinde ut alibi casus, modos etc. facilitatis gratia, permutare solet: et v. gr. mox c. 8, 2. 4., a numero singulari ad pluralem, ibidem v. 9. a prima persona ad secundam transit. Eoque commodius a praeterito tempore ad praesens flectitur oratio, quod status illius legalis indolem tum demum vere intelligat, postquam sub gratiam venerit; et ex praesenti liquidius possit judicare de praeterito. Denique unus ille idem-

Digitized by Google

que status processusque varios habet gradus, vel magis praeterito vel minus praeterito tempore exprimendos; et sensim suspirat, connititur, enititur ad libertatem: inde paulatim serenior fit oratio apostoli, ut videbimus. *Hinc minus mirandum, cur in diversa abeant interpretes.* alii ex priore, alii ex posteriore periochae hujus parte nervos quaerunt, et tamen totam periocham de simplici statu exponere conantur, vel sub peccato, vel sub gratia. [*Notandum in genere, Paulum, ut saepius ita et h. l., inde a* v. 7., *non de* sua persona *loqui, sed sub schemate hominis pugna ista implicati. Ea pugna pluribus hic describitur: ipsum vero negotium, quoad* punctum *quasi* decisivum, *in multis celeriter confit; quanquam fidelibus ad plenam usque liberationem dimicandum est cum hoste.* v. 24. 8, 23. V. g.] — πεπραμένος, *venditus*) Servus venditus miserior est, quam verna: et venditus dicitur homo, quia ab initio non fuerat servus, Idem verbum, Jud. 3, 8. 1 Reg. 21, 25. *Venditus: captus,* v. 23.

v. 15. ὃ γὰρ, *quod enim*) Describit servitutem, ita ut non excuset se, sed ut peccati tyrannidem accuset, et miseriam suam deploret. v. 17. 20. Γὰρ, *enim*, pertinet ad confirmandum τὸ *venditus*. Mancipium indigno domino primum servit cum gaudio, deinde cum moerore, postremo jugum excutit. — οὐ γινώσκω) *non agnosco*, ut bonum: (idem est, quod *bonitatem fateri*, v. 16. in antitheto:) oppositum, *odi*. — θέλω, *volo*) Non dicit *amo*, quod plus esset, sed *volo*, oppositurus mox τὸ *odi*. — πράσσω — ποιῶ) Pervulgata Graecis est differentia verborum πράσσω et ποιῶ. Illud, gravius quiddam, quam hoc. Illud ponitur bis in praesenti, primum in negante sermone, deinde in affirmante. οὐ πράσσω, *non ago*, res non deducitur in actum: ποιῶ, *facio*, intus et extra. Permutantur haec verba v. 19. c. 13, 3. s. haecque permutatio non tantum non contraria est indoli orationis sensim ascendentis, sed etiam eam adjuvat et confirmat. namque v. 15. nondum ita acerbus est sensus mali, quod propterea ne nominat quidem, sed v. 19. valde jam aegre fert *malum* sibi ita imponere. Quo longius anima a *malo* distat, eo major ei cruciatus est, vel minimum *mali* saltem digito uno attingere.

v. 16. σύμφημι, *consentio*) Plus dicit συνήδομαι, *delector*, v. 22. not. Assensus hominis, legi contra semet ipsum praestitus, illustris character est religionis, magnum testimonium de Deo. — καλὸς, *pulcra*) Lex etiam praescindendo a legalitate, pulcritudinem habet. καλὸς, *pulcra*, sanctitatem, justitiam et bonitatem dicit. v. 12.

v. 17. οὐκ ἔτι, *jam non*) Hoc repetitur v. 20. — οἰκοῦσα, *habitans*) v. 18. 20. Id verbum deinde dicitur de Spiritu. c. 8, 9.

v. 18. οἶδα, *nori*) Haec ipsa notitia est pars hujus status, qui describitur. — τουτέστιν, *hoc est*) Limitat. *me* plus est, quam *carne mea:* et tamen *caro* non dicitur ipsum peccatum, (notand. contra Flacium:) sed dicit Paulus: peccatum habitat in carne. Et jam aliquid boni secum vehit hic status, de quo Paulus agit. — θέλειν, *velle*) Accusativus, *bonum*, non additur: et hujus orationis tenuitas tenuitatem τοῦ *velle* exprimit. — παράκειται) *jacet in conspectu*, sine victoria. Antitheton, de perficiendo bono, *non*, mox. Mens mea quaerens, non reperit in re.

v. 20. οὐκ ἔτι) *jam non*: sc. ut antea perficiebam ego. Sensim exoritur serenitas et liberatio aliqua. ἐγὼ habet emphasin, in antitheto ad *peccatum*. Is, qui ait non *volo ego* cum emphasi, pro *non volo* (v. 16.), jam longius a peccato diremtus est.

v. 21. εὑρίσκω) in hac pugna et aerumna *invenio* legem, sine qua vivebam antea. Tantum. Propositio ea, quae extat v. 14., repetitur. — τὸν νόμον) *legem* ipsam, sanctam in se. — τῷ θέλοντι, *volenti*) Dativus commodi. Legem invenio, mihi non peccaminosam aut letalem. Egregia sermonis subtilitate exprimuntur

Digitized by Google

prima stamina harmoniae, amicitiae et consensionis inter legem et hominem. Considerate praeponitur participium, *volenti mihi*, in antitheto ad *mihi* alterum mox absolute positum. Cum *volenti* conf. Phil. 2, 13. — ὅτι) *quia*. — παράκειται, *adjacet*) Hic bilanx commutatur. nam v. 18. voluntas bona *adjacet*, ut pars debilior: nunc malum *adjacet*, ut pars debilior, non mala voluntas.

v. 22. συνήδομαι, *delector*) Hoc quoque jam plus est, quam σύμφημι *consentio*, v. 16. — τὸν ἔσω, *internum*) Hic jam interni, sed tamen nondum *novi* tuetur hominis nomen. sic quoque v. 25. *mente* dicit, non *spiritu*.

v. 23. βλέπω) *video*, ex parte animae superiore, tanquam e specula, quae dicitur νοῦς, *mens*, et in se repositam habet conscientiam. — ἕτερον) *aliam*, alienamque. — μέλεσι, *membris*) Anima est, ut rex: membra sunt, ut cives: peccatum, ut hostis, culpa regis intromissus, plectendi per civium oppressionem. — τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου) *dictamini mentis meae* Lege divina *delectatae*. — αἰχμαλωτίζοντά με, *captivantem me*) qualibet victoria actuali. Duriore rursum verbo utitur, ex sancta impatientia: allegoria, a bello. coll. *repugnantem*.

v. 24. ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος) *me miserum, qui homo sim! Homo*, si peccatum abesset, tam nobilis ac beatus; cum peccato, magis optat, non esse homo, quam talis esse homo. *homo* dicit statum *hominis* per se, ut est natura. Haec quiritatio summum est in lucta, et ex illa homo opis suae nil esse expertus, quasi imprudens incipit orare, *quis me liberabit?* quaeritque liberationem, et exspectat, donec ad illud *quis* palam sese dat Deus in Christo. *Articulus mortis mysticae*. Ex hoc sensu fideles quiddam trahunt usque ad obitum. c. 8, 23. — ῥύσεται, *liberabit*) Vi opus est. Verbum proprie adhibitum. nam ῥύεσθαι, ἐκ ΘΑΝΑΤΟΥ ἕλκειν. Ammonius ex Aristoxeno. — ἐκ) *ex*. — τοῦ σώματος τοῦ θανάτου, *corpore mortis*) corpore ob peccatum mortuo. c. 8, 10. Mors corporis est plena exsecutio mortis illius, de qua v. 13. et tamen in morte sit liberatio. — — τούτου) σῶμα θανάτου τούτου dicitur pro σῶμα θανάτου τοῦτο. conf. Act. 5, 20. not.

v. 25. εὐχαριστῶ, *gratias ago*) Hoc de improviso tanquam perfugium unicum suavissime commemoratur, et nunc demum recte agnoscitur. Sententia categorica est: Deus me *liberabit* per Christum; non meae res opis est. eaque sententia summam rerum innuit: accedit autem modus moralis (de quo ad cap. 6, 17.) *gratias ago*. (Uti 1 Cor. 15, 57. sententia est: Deus dat nobis victoriam: sed accedit ἦθος sive modus, *Deo gratia*.) Et τὸ *gratias* ago tanquam hymnus laetus ex adverso respondet questui miserabili, qui extat v. praec. *me miserum*. — οὖν, *ergo*) Concludit ea, in quae ingressus erat versu 7. — αὐτὸς ἐγὼ) *ipse ego*. — νόμῳ θεοῦ — νόμῳ ἁμαρτίας, *legi Dei — legi peccati*) νόμῳ Dativus, non sextus casus. v. 23. Jam homo est in aequilibrio servitutis et libertatis, idemque tamen ad libertatem anhelans legem sanctam ab omni culpa immunem agnoscit. Raro est aequilibrium merum. Hic lanx boni potior jam.

CAPUT VIII.

v. 1. Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα, *nulla ergo nunc condemnatio*) Nunc venit ad liberationem et libertatem. Non autem ponit adversativam δὲ, *autem*, sed conclusivam ἄρα, *ergo*: (conf. ad cap. 2, 1.) quia jam in fine capitis 7. confinia hujus status attigit. Nunc etiam plane ex diverticulo eximio in viam redit, quae habetur c. 7, 6. Indicio est et posita ibi et hic resumta *nunc* particula, quae tempus praesens (ut Germ. *wirklich*) denotat. Ad *condemnatio* ref. *condemnavit*. v. 3.

v. 1. 2. περιπατοῦσιν· ὁ γὰρ νόμος, *ambulantibus: lex enim*) Suspendit orationem aetiologia per parenthesin (*lex enim mortis: ambulantibus* v. 4.) qua per epanalepsin clausa, orationem complet illud, *sed secundum spiritum*.

zed by Google

ubi τὸ *sed* potius ad *non* v. 1., quam ad *non* v. 4., opponitur. Τὸ *sed secundum spiritum* (ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα) gravissimi testes priore loco praetermittunt: retinet cel. *Baumgartenius*. At continuo tractat Paulus illud, μὴ κατὰ σάρκα, *non secundum carnem:* deinde in progressu addit ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα, *sed secundum spiritum*, v. 4. not.

v. 2. νόμος τοῦ πνεύματος, *lex spiritus*) evangelium cordi inscriptum. coll. c. 3, 27. 2 Cor. 3, 8. *Spiritus* vivificat: et haec *vita* vegetat Christianum. — ἠλευθέρωσέ με, *liberavit me*) Verbum lene, in praeterito: antea posuerat verbum gravius, ῥύσεται, in futuro. Quod homini sub lege difficile videtur, id gratia facillimum reddit, vel potius ipsa facit. Utrumque opponitur τῷ *captivantem*. c. 7, 23. — τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου, *peccati et mortis*) Respicit ea, quae pro lege Dei dixit c. 7, 7. et 13. Observa, quod hic ponitur *et*, ineunte versu non ponitur, in antitheto, *spiritus vitae*, ubi aut est asyndeton, *spiritus, vitae*, aut ita resolvendum, τὸ πνεῦμα τῆς ζωῆς, *spiritus vitae*.

v. 3. τὸ) Habet hoc vim epitheti, sic simpliciter resolvendi: Deus perfecit condemnationem peccati, legi impossibilem. Deus (id quod Lex non poterat, nempe condemnare peccatum, salvo peccatore,) condemnavit peccatum in carne. Τὸ ἀδύνατον *impossibile* h. l. valet active: et Lutheri paraphrasis est ex sensu apostoli. vid. Wolfii Cur. ad h. l. — τοῦ νόμου) *legis*, non modo ceremonialis, sed etiam moralis. nam si lex moralis expers esset hujus *impossibilis*, non opus fuisset, mitti filium Dei. Porro *impossibile*, privatio, praesupponit habitum: olim potuit justitiam et vitam praestare lex. c. 7, 10. Hinc homo primae illius viae vestigia etiam post lapsum tam libenter sequitur. — ἑαυτοῦ) ἴδιον, v. 32., *suum*, in quem nil poterat peccatum et mors. — πέμψας, *mittens*) Hoc quandam quasi elongationem Filii a Patre, ut esset mediator, denotat. — ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, *in similitudine carnis peccati*) Constr. cum κατέκρινε, *condemnavit*. Nos cum carne nostra peccato penitus infecta debueramus morti dedi: sed *Deus, in similitudine carnis* illius (nam similitudinem requirebat justitia) i. e. in carne Filii sui vera eademque sancta, *et* (quidem) *pro peccato, condemnavit peccatum* illud, (quod erat) in *carne* (nostra,) ut nos liberaremur. ἐν *in* constr. cum *condemnavit*. coll. *per*, c. 7, 4. — περὶ ἁμαρτίας τὴν ἁμαρτίαν, *pro peccato peccatum*) Substantivum iteratum, uti Luc. 11, 17. not. *divisa domo, cadit domus*. Sed hic accedit Ploce, ut indicat articulus posteriore tantum loco positus. hi duo termini ad se invicem referuntur, ut *similitudo carnis* et *caro*. Περὶ, *pro*: περὶ ἁμαρτίας est instar nominis, uti Ps. 40, (39,) 7. sic Ebr. 10, 6. 8. Sed hic, in ep. ad Rom. sic resolvo: *condemnavit Deus peccatum eo nomine, quod peccatum est*. Peccatum, *ut peccatum*, est condemnatum. Sic bis ponitur *peccatum*, eodem significatu, (non duplici, ut fit in antanaclasi) sed articulus τὴν addit epitasin. — κατέκρινε, *condemnavit*) omnem vim ademit, confecit, peregit, interemit, *virtute privavit* (conf. *impossibile*, modo.) peccatum, quod in filium Dei erat conjectum. *Condemnationem* enim peccati sequitur etiam exsecutio. Oppositum τοῦ *justificare*. v. 1. c. 5, 18. not. et 2 Cor. 3, 9.

v. 4. τὸ δικαίωμα, *jus*) Antitheton, *condemnatio*. v. 1. — πληρωθῇ, *impleretur*) Id *implementum* describitur mox, v. 5—11.: inde *enim*, v. 5. *Justificatum* sequuntur *opera justitiae*. Peccatum est condemnatum: qui fuerat peccator, nunc recte agit, et lex eum non persequitur. — ἐν ἡμῖν) *in nobis*. — μὴ κατὰ σάρκα, *non secundum carnem*) Antitheton: *in carne*. v. 3. Nunc demum evasit Paulus ad apertum discrimen *carnis* et *Spiritus*. Spiritus denotat vel Spiritum Dei, vel spiritum fidelium. v. 16. Hic est vis nova ab Illo producta in nobis et sustentata: et de hoc sermo est, ubicunque *caro* stat in opposito.

v. 5. οἱ γὰρ, *qui enim*) Ab hoc loco Paulus primario describit statum fide-

Digitized by Google

lium; et secundario, pro eo illustrando, contrarium. — ὄντες, *qui sunt*) Status. — φρονοῦσι, *sentiunt*) Sensus, e statu fluens.

v. 6. φρόνημα, *sensus*) Gall. *sentiment*. Resp. *sentiunt*. v. 5. — θάνατος — ζωὴ, *mors — vita*) in hac jam vita cum continuatione in altera. Conf. c. 6, 23. — ζωὴ καὶ εἰρήνη, *vita et pax*) Addito verbo, *pax*, praeparat sibi transitionem ad v. seq. ubi describitur *inimicitia*.

[1]) v. 8. δὲ) ἐπιτατικόν. — ἀρέσαι) ἀρέσκω h. l. ut saepe, significat, non solum, *placeo*, sed *placere studio*. 1 Cor. 10, 33. Gal. 1, 10. affine, *subjici*, v. praec.

v. 9. πνεῦμα θεοῦ, πνεῦμα χριστοῦ, *spiritus Dei, spiritum Christi*) Testimonium illustre de S. Trinitate, ejusque oeconomia in corde fidelium. conf. cap. 5, 8. 5. 14, 17. 18. 15, 16. 30. Marc. 12, 36. Joh. 15, 26. Gal. 4, 6. Eph. 1, 17. 2, 18. 22. 1 Petr. 1, 2. Act. 2, 33. Hebr. 2, 3. 4. 1 Cor. 6, 11. 13. ss. 2 Cor. 3, 3. s. Ad *Dei* ref. v. 11. et antea ad *Christi* ref. v. 10. Nam Gnorismata hoc ordine procedunt: Qui Spiritum habet, Christum habet: qui Christum habet, Deum habet. Conf. de tali ordine, 1 Cor. 12, 4. s. Eph. 4, 4. s. — ἐν ὑμῖν, *in vobis*) *In*, particula valde observanda hoc capite, v. 1—4. 8—11. 15. de statu carnali et spirituali. Nos in Deo; Deus in nobis. — οὗτος) *hic* demum non est Christi: adeoque haec tota oratio ad eum non pertinet. — αὐτοῦ, *illius*) Christi. Christianus est, qui Christi est.

v. 10. εἰ δὲ χριστὸς, *si vero Christus*) Ubi Spiritus Christi est, ibi Christus est. conf. v. praec. — σῶμα) *corpus*, peccaminosum. nam hic spiritui, non animae, opponitur. — νεκρὸν) Concretum. *mortuum* dicit, pro, *moriturum*, magna vi: morti adjudicatum deditumque. Sic censent, in quibus succedit separatio animae et spiritus, vel naturae et gratiae. — δὲ, *vero*) Oppositio immediata, quae Purgatorium excludit, neque *corpori*, neque *spiritui* accommodatum, neque cum reliqua epistolae hujus plenissimae oeconomia conveniens. v. 30. 34. 38. c. 6, 22. s. — ζωὴ, *vita*) Abstractum. — διὰ, *propter*) Justitia parit vitam, ut peccatum mortem; non vita justitiam. contra Pontificios. — δικαιοσύνην, *justitiam*) *Justus — vivet*.

v. 11. ἰησοῦν, *Jesum*) Mox, in apodosi, *Christum*. Appellatio *Jesu* spectat ad ipsum; *Christi*, refertur ad nos. Illa appellatio, tanquam nominis proprii, pertinet ad personam; haec, tanquam appellativi, ad officium. — ζωοποιήσει, *vivificabit*) Conf. *vita*. v. 6. Haec vita nescit condemnationem. v. 1. — διὰ) *propter*. 2 Cor. 1, 22. Unus idemque est Spiritus, qui Christi est et qui est in fidelibus. ergo ut Christus vivit, sic fideles vivent. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l.

v. 12. ἐσμὲν) *sumus*, nos ipsos agnoscimus et ducimus. Didascalia vergens ad hortationem, (sic *sumus* ponitur etiam Gal. 4, 31.) et praesupponens homines spontaneos. *Debiti* sensum *lubentia* temperat. [*Qualis vero* carnalium *conditio est? Hi nimirum* debitores *sunt, et debitores se confitentur, quoties fieri posse negant, ut vivant spiritualiter*. V. g.] — οὐ τῇ σαρκὶ, *non carni*) Subaudi, *sed spiritui*. Sed hoc eleganter subaudiendum relinquitur. — κατὰ σάρκα, *secundum carnem*) quae nos in servitutem revocare conatur.

v. 13. [2]) τοῦ σώματος) Alii, τῆς σαρκός. Prius defendit cel. *Baumgartenius*: ego in medio relinquo. — ζήσεσθε, *vivetis*) Non dicit, μέλλετε ζῆν, *nacturi estis vitam*; sed, ζήσεσθε, *manebitis in vita*. In poenitentia eorum, in quibus caro dominata erat, et in tentatione eorum, in quibus spiritus regnat, caro et spiritus quasi in aequilibrium veniunt; gratia illos, peccato hos praeveniente: utramcunque in partem homo se vertit, ab ea denominationem accipit. Ab hoc

---

1) v. 7. οὐδὲ — δύναται, *neque — potest*] Inde impossibilitatis praetextus, quo illi purgare se student, qui hoc ipso loco redarguuntur ut carnales. *V. g.*

2) γὰρ, *enim*] Caro pessime retribuit: cui quis velit quidquam debere? *V. g.*

Digitized by Google

loco Paulus plane missum facit carnalem statum, et pertexta ea parte, quam cap. 6, 1. inceperat, purum statum vitalem fidelium describit.

v. 14. ἄγονται) Medium: *ducuntur*, libenter. [*Haec antecedentium* Summa *est: consequentium*, υἱοὶ θεοῦ εἰσιν. V. g.] — εἰσὶν υἱοὶ θεοῦ) Alii, υἱοὶ θεοῦ εἰσιν· vel υἱοί εἰσι θεοῦ. Tres lectiones: quarum primam tuetur *Baumgartenius;* ego alteram, tertia fultam, quatenus υἱοὶ, ob emphasin, praeponitur. Et emphasis me impulit ad hanc varietatem attingendam. — υἱοὶ, *filii*) Filiis datur Spiritus. Gal. 4, 6. Ab hoc loco ingreditur Paulus ad ea tractanda, quae deinde verbo *glorificavit* complectitur. v. 30. Non autem meram describit gloriam, sed ut gustus ejus adhuc cruce diluitur. Est ergo summa: per passiones ad gloriam. intexitur sustentatio in passionibus. Hinc totus sermonis nexus patebit.

v. 15. γὰρ, *enim*) Respicit *filii*, v. praeced. — πνεῦμα δουλείας, *spiritum servitutis*) Spiritus sanctus ne in veteri quidem testamento fuit Spiritus servitutis; sed apud fideles, in quibus habitabat, ita suam vim explicavit, ut tamen subesset sensus et affectus, qui quiddam ex servitute traheret, apud *parvulos*. Gal. 4, 1. — πάλιν) *iterum*, ut antea. Habuerant Romani in gentilismo timorem vanum; sed non spiritum timoris, ut habuerant ii, in quorum locum venerant gentes. Ecclesia omnium temporum est quasi una quaedam persona moralis. sic, *iterum*, Gal. 4, 9. 5, 1. — εἰς φόβον, *in timorem*) Vid. Hebr. 2, 15. not. — υἱοθεσίας, *adoptionis*) Vid. Gal. 4, 1. s. — κράζομεν, *clamamus*) singuli et universi. *Clamor*, sermo vehemens, cum desiderio, fiducia, jure, constantia. Et ipse Spiritus *clamat: Abba pater*. Gal. 4, 6. not. [*Id si, dum viris, nondum expertus es, luge, et experiri stude: sin expertus fueris, cum gaudio fac in eo verseris*. V. g.]

v. 16. τῷ) Spiritus noster *testatur:* Spiritus Dei ipse *una testatur* cum spiritu nostro. [*Spiritus* noster *humanus est*, 1 Cor. 2, 11. *adeoque testimonium ejus in se non est infallibile. Mal.* 2, 16. V. g.] Beati, qui testimonium distincte sentiunt. αὐτὸ τὸ, refertur ad v. 14.

v. 17. συγκληρονόμοι, *coheredes*) ut sciamus, plane magnam esse hereditatem, quam Deus dat nobis: nam Filio suo utique magnam dedit. — εἴπερ, *siquidem*) Haec clausula est propositio nova, respectu eorum, quae sequuntur. — συμπάσχομεν, *una patimur*) Huc ref. *passiones* v. seq. et sic, *una glorificemur*, et *gloriam*.

v. 18. γὰρ, *enim*) Aetiologia, cur modo mentionem fecerit passionis et glorificationis. — τοῦ νῦν καιροῦ, *praesentis temporis*) Crux major in N. T. quam olim fuit, sed est brevis. Καιρὸς, *tempus* breve. *praesens* et *futurum* inter se opponuntur. — πρὸς, *ad*) id est, si comparemus invicem. — εἰς ἡμᾶς) *in nos*. conf. 2 Cor. 5, 2.

v. 18. 19. ἀποκαλυφθῆναι — ἀποκάλυψιν) *Revelatur* gloria: et tum *revelantur* etiam filii Dei.

v. 19. ἀποκαραδοκία) Hoc notat spem rei appropinquantis, et nixum animi cupide in eam inhiantis. *Exspectatio creaturae*, i. e. creatura exspectans. Luth. in Post. eccl. h. l. *das endliche Harren.* — τῆς κτίσεως, *creaturae*) *Creatura* h. l. non denotat angelos, a *vanitate* immunes; nec homines duntaxat quoscunque, quanquam ne vanissimi quidem homines excluduntur, qui etsi in strepitu vitae vanitatem pro libertate habent, et gemitum partim obruunt, partim dissimulant: tamen per tempora sobria, quieta, insomnia, calamitosa, suspiriorum vim, aure divina colligente, emittunt: neque excluduntur gentiles probi: fideles autem diserte opponuntur *creaturae*. Quod superest, denotat creaturarum universitatem, visibilium, (uti κτίσμα *Macario* passim notat *creaturam* visibilem. Homil. VI. §. 5. etc.) et pro suo quodque genus captu. [v. 39. c. 1, 25.] Sicut se habet creatura cuncta ad filios Dei, sic se habent praedicata illius ad praedicata horum

h. l. Mali nec desiderant libertatem, nec assequentur. Ad creaturam ex peccato redundarunt incommoda: ad creaturam ex gloria filiorum Dei redundabit recreatio. — υἱῶν) τέκνων. v. 21. — ἀπεκδέχεται) Ἀπὸ in composito hoc denotat exspectationem rei *speratae* ex promissione. Idem verbum, v. 23. Et sic modo, ἀποκαραδοκία.

v. 20. ματαιότητι, *vanitati*) unde primus, quem Scriptura laudat, fidelium הבל dictus. Et *vanitati* et *corruptioni* opponitur *gloria*, et maxima *vanitas* est idololatria. c. 1, 21. 23. *Vanitas*, abusus et consumtio. ipsi spiritus maligni dominantur in creaturam. — ὑπετάγη, *subjecta est*) Passivum, media significatione, prosopopoeiae tamen quiddam habente. — οὐχ ἑκοῦσα, *non volens*) Nam initio aliter fuit. inde mavult *subjici Christo*. Hebr. 2, 7. s. — διὰ τὸν ὑποτάξαντα, *propter eum, qui subjecit*) id est, propter Deum. Gen. 3, 17. 5, 29. Adamus eam obnoxiam vanitati fecit, non *subjecit*.

v. 21. ἐπ' ἐλπίδι, *super spe*) Constr. cum *subjecta est*. Sic, *super spe*, absolute positum, Act. 2, 26. Et conf. *spe*, v. 24. — αὐτὴ ἡ κτίσις) *ipsa*, videlicet *creatura*. — ἐλευθερωθήσεται, *liberabitur*) Liberatio non fit per plenam destructionem: alias quadrupedes, quum jugulantur, cum voluptate caderent. — ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης, *a servitute corruptionis in libertatem gloriae*) Ἀπό, *a* et εἰς, *in* sunt opposita. *A* notat terminum a quo; *in*, terminum ad quem. *Servitus* et *libertas* est *creaturae: corruptio* et *gloria* hominum, fidelium. *Vanitas* v. 20. est quiddam subtilius, quam φθορά, *corruptio*. Non solum *liberatio*, sed etiam *libertas* illa est meta, ad quam suo modo tendit creatura. — εἰς τὴν ἐλευθερίαν, *in libertatem*) *ut libere serviant gloriae filiorum*. Cluverus.

v. 22. γὰρ, *enim*) Supponit haec aetiologia, gemitum creaturae non esse irritum, sed audiri a Deo. — πᾶσα) *cuncta*. Consideratur, ut unum quoddam totum. conf. v. 28. 32. 39. — συστενάζει, *simul suspirat*) suspiriis junctis. Singulare exemplum habet *Dio Cassius* lib. 39., de *ejulatu* elephantorum, quos Pompejus, contra fidem datam, ut homines interpretabantur, in ludos insumpsit: quo ipse populus ita commotus est, ut imperatori diras imprecaretur. — ἄχρι, *usque*) Innuit, finem fore ejus gemitus et dolorum.

v. 23. οὐ μόνον δὲ, *non solum vero*) Concludit a suspirio forti ad suspirium multo fortius. — αὐτοὶ — καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ, *ipsi — etiam nos ipsi*) Prius *ipsi* refertur per antitheton ad *creaturam*, v. 22. posterius, ad v. 26. de *spiritu*: et tamen unum idemque subjectum denotat; alias dixisset apostolus, αὐτοὶ οἱ τὴν ἀπαρχὴν κτλ. — τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος, *primitias spiritus*) i. e. *Spiritum*, qui est *primitiae*. vid. 2 Cor. 1, 22. not. *Sumus primitiae quaedam creaturarum Dei*, Jac. 1, 18. habemusque *primitias spiritus*. atque idem Spiritus penetrat omnes *creaturas*, Ps. 139, 7.: quo ex loco gemitus creaturae declaratur. *Primitias* habere dicuntur filii Dei, quam diu sunt in via. *Primitias* et bonum primitias sequens qui habent, iidem sunt. — ἔχοντες, *habentes*) Hoc involvit causam, *quia habemus*. — ἐν ἑαυτοῖς, *in nobis ipsis*) Significat, fidelium gemitum longe differre a gemitu creaturae. — στενάζομεν) Στενάζω h. l. et v. 22. significat *cum gemitu desiderare*. coll. 2 Cor. 5, 4. — τὴν) Hic articulus ostendit, appositione, si eam resolvas, hanc contineri sententiam: *redemtio corporis nostri, est adoptio*. — τὴν ἀπολύτρωσιν, *liberationem*) Haec erit in die novissimo, quem sibi jam tum imminere proponebant. Affine ἐλευθερία, *libertas*. Luc. 20, 36. [*Non ea* libertas *innuitur, qua nos liberamur corpore, sed ea, qua corpus morte liberatur*. V. g.]

v. 24. ἐλπίδι) Dativus, non medii, sed modi. ita *salvati sumus*, ut supersit etiamnum, quod speremus, et salutem et gloriam. Limitat praesentem salutem, sed, dum limitat, hoc ipso eam praesupponit. — τί καὶ) *cur etiam* sperat ille id?

oogle

cum visione, non est spe opus. Beati erunt certi de aeternitate suae beatitudinis; quia non egebunt spe: adeoque erunt confirmati.

v. 25. εἰ δὲ, *si vero*) Ex natura spei deducit fidelium exspectationem.

v. 26. καὶ, *etiam*) Non solum creatura omnis suspirat, sed Ipse Spiritus fert auxilium. coll. v. 23. not. 2. Fideles ex utroque latere tales habent, qui cum illis gemunt et communem cum illis causam faciunt: ex uno latere totam *creaturam*, ex altero multo magis *Spiritum*. Quatenus Spiritus gemit, respectus est ad *nos:* quatenus *etiam* auxilium fert, respectus est ad *creaturam*. — συναντιλαμβάνεται) σὺν in hoc composito, ut in συμμαρτυρεῖ, v. 16. — ταῖς ἀσθενείαις) *infirmitatibus*, quae sunt in nostra cognitione et in nostris votis. abstractum pro concreto, *infirmitatibus*, id est, orationibus, quae per se infirmae sunt. — γὰρ, *nam*) Explicat Paulus, quae sint *infirmitates*. — τί — καθὸ, *quid — sicut*) Conf. *quomodo aut quid*. Matth. 10, 19. — ὑπερεντυγχάνει) ὑπὲρ, *super:* uti v. 37. ὑπερνικῶμεν· et, ὑπερεπερίσσευσεν, c. 5, 20. Utrumque ὑπερεντυγχάνει, hoc v., et ἐντυγχάνει, v. 27., praedicatum est de eodem Subjecto, scilicet Spiritu S. Sic fere fieri solet, ut primo verbum compositum in sua emphasi justa ponatur, deinde vero, loco ejus, simplex tantummodo repetatur. Sic Rom. 15, 4. προεγράφη prius: subsequitur genuinum alterum ἐγράφη. — στεναγμοῖς, *suspiriis*) Omne suspirium proficiscitur (thema, στενὸς) ex angustiis. itaque materia suspiriorum est ex nobis: sed formam inducit Spiritus sanctus, unde suspiria, vel ex tristitia, vel ex gaudio, fidelibus sunt ineffabilia.

v. 27. δὲ) Ref. ad *a* privativum in ἀλαλήτοις. — τὰς καρδίας, *corda*) In cordibus habitat Spiritus, et *intercedit*. Christus, in coelo. Qui *scrutatur corda*, est Pater, cui id in Scriptura potissimum tribuitur. — τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, *sensum spiritus*) Conf. φρόνημα v. 6. *Sensum*, nominativus: a plurali, *sensa, sensorum*. — τοῦ πνεύματος, *Spiritus*) sancti. v. praec. — κατὰ) *ad*. κατὰ θεὸν, non κατὰ ἄνθρωπον. (conf. 1 Joh. 3, 20.) ut Deo dignum, eique acceptum et manifestum est. Spiritus sanctus intelligit stilum curiae coelestis, Patri acceptum. Emphasin habet hoc, commate ineunte. — ὑπὲρ ἁγίων, *pro sanctis*) Non additur articulus. *sancti* sunt, et *Deo* propinqui, et auxilio digni, pro quibus *intercedit*.

v. 28. οἴδαμεν δὲ, *novimus autem*) Antitheton: *non novimus*. v. 26. — τοῖς ἀγαπῶσι, *amantibus*) Hic describitur subjectum a fructu eorum, quae hactenus dicta sunt, amore erga Deum; qui *amor* etiam facit, ut fideles *omnia*, quae Deus immittit, dextre in bonam partem accipiant, et omnia constanter pervincant. [*Jac.* 1, 12. *Exemplo est Paulus*, 2 *Cor.* 1, 3—11. V. g.] Mox in *vocatis* denotatur causa, cur huic subjecto tam lautum praedicatum tribuatur. — πάντα συνεργεῖ) *omnia cooperantur*, per suspiria et aliis modis. Sic 1 Macc. 12, 1.: ὁ καιρὸς αὐτῷ συνεργεῖ. — εἰς ἀγαθὸν, *in bonum*) ad glorificationem usque. v. 30. fin. — τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν, *iis, qui secundum propositum vocati sunt*) Nova propositio respectu eorum, quae sequuntur. Anakephalaeosin totius beneficii, in justificatione et glorificatione siti, versu 30. dare instituens, regreditur nunc primum ad summas ejus radices, ex his ipsis fructibus dulcissimis demum noscendas, simulque praeludit capiti nono. πρόθεσις *propositum* est, quod Deus constituit de salute suorum. κλητοῖς, *vocatis*, nomen est, non participium: quia accedit οὖσιν, qui *sunt* vocati. τὸ *propositum* explicatur v. 29. τὸ *vocati*, v. 30.

v. 29. προέγνω) *praenovit*. Hafenrefferus vertit: *antea agnovit*. πρόθεσις *propositum* complectitur πρόγνωσιν *praecognitionem* et προορισμὸν *praedestinationem*. nam et illi et his annectitur *vocatio*. v. 28—30. Eph. 1, 9.: ubi tamen θέλημα, *voluntas* latius patet, quam *praedestinatio*. Et *praecognitionem* certo comitatur *praedestinatio*. nam *praecognitio* tollit *rejectionem*: c. 11, 2. *rejectio* autem et *praedestinatio* sunt opposita. — προώρισε, συμμόρφους, *praedestinavit, conformes*) Declarat, qui sint, quos *praenovit*, nempe ii, qui sunt *conformes* etc.

Hic est *character* praecognitorum et glorificandorum. 2 Tim. 2, 19. Phil. 3, 10. 21. — τῆς εἰκόνος, *imaginis*) Constr. cum συμμόρφους, quanquam σύμμορφον Phil. l. c. dativum regit. Hic cum genitivo magis habet vim substantivi. Similitudo est ipsa *adoptio filiorum*, non crux aut gloria. nam haec sequitur demum *justificationem*, de qua v. 30.: qui autem *filii* Dei sunt, *fratres* Christi sunt. *Conformitatem* cum Filio Dei (Gal. 4, 19.) subsequitur *conformitas* cum ejus cruce aut gloria. Sic Eph. 1, 5., *praedestinans nos in adoptionem filiorum.* — εἰς τὸ) Causa, cur cum *praecognitione* conjuncta sit *praedestinatio*. nempe Christus debet habere multos fratres: haec multitudo autem excideret, aut certe minueretur, si *praecognitio* esset sine *praedestinatione*. *Praedestinatio* vincit omnia impedimenta salutis fidelium, et adversa convertit in secunda. — εἶναι) *ut sit* et conspiciatur. — πρωτότοκον, *primogenitus*) Ipsa resurrectio gloriosa Christi et fidelium est quaedam generatio. Matth. 19, 28.

v. 30. τούτους καὶ ἐδικαίωσεν, *hos etiam justificavit*) Non absolute parem eorum, qui vocantur, justificantur, glorificantur, numerum Paulus statuit: non negat, posse fidelem inter vocationem specialem et glorificationem deficere, cap. 11, 22.; nec negat, eos etiam vocari, qui non justificentur: sed docet, Deum, quantum in ipso est, a gradu ad gradum perducere suos. — ἐδόξασε, *glorificavit*) v. 17—24. Loquitur in praeterito, tanquam a meta respiciens ad stadium fidei, et ex aeterna gloria in ipsam quasi retro aeternitatem, in qua Deus glorificationem decrevit. [Cf. Ps. 16, 3.]

v. 31. πρὸς ταῦτα, *ad haec*) quae cap. 3. 5. 8. dicta sunt. q. d. ultra non possumus ire, cogitare, optare. Et si quis ipsius infidelitatis nomine velit aliquid πρὸς ταῦτα (conf. Luc. 14, 6.) *contra haec* proferre, nil possit. [*Coeli portam hoc loco patere, jure dixeris.* v. 31—39. V. g.] — εἰ) *si*. Conditionalis pro causali, firmiorem facit consequentiam. Plerique statuunt tres periochas hoc loco, quarum quaelibet per interrogationem incipiat in τίς *quis*, cum anaphora, et responsionem habeat subsequentem, quae anthypophora vocatur. Atqui aliam spectavit analysin apostolus. Sunt ab hoc versu quatuor periochae: una, generalis; tres, speciales. quaelibet habet primum gloriationem, de Gratia; mox, interrogationem congruam, adversa omnia provocantem, cui τὸ *persuasus sum* respondet. Prima, generalis, est haec: *si Deus pro nobis, QUIS contra nos?* specialis prima haec, de praeterito: *qui ne suo quidem filio pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: QUOMODO non etiam cum illo omnia nobis condonabit? QUIS accusabit electos Dei?* (ubi in interrogatione consectarium est ex gloriatione de *praeterito:* natura enim rei non ferebat periochàm nonnisi per *praeterita* expressam. Utique duplex etiam *futurum* est in *condonabit, accusabit;* sed id tamen manifestum habet ad *praeterita* respectum. Peccata commissa Deus omnia condonabit. Ob ea commissa nemo jam electos Dei accusare potest. Atque τὸ *quomodo, quis* compinguntur hoc modo in unam eandemque periocham, sed duplex item est respectus. 1) *suo Filio Deus non pepercit.* Ergo *etiam cum illo omnia nobis condonabit.* 2) *pro nobis omnibus tradidit illum.* Ergo *nemo accusabit electos Dei.*) secunda, de praesenti: *Deus justificans: QUIS condemnans?* conf. omnino Jes. 50, 8. 9. tertia, de futuro: *Christus etc. QUIS nos separabit.* etc. futurum enim est in *separabit.* coll. v. 38. fin. Praeteritum et Praesens, fundamentum Futuri. Et saepe ex morte Christi amor infertur. c. 5, 5. seqq. Gal. 2, 20. Ap. 1, 5. Frequens etiam est talis apodosis interrogans, et maxime convenit sermoni animoso. Act. 8, 33. Num. 24, 9. Job. 9, 12. 34, 29. Ps. 27, 1. Es. 14, 27. 43, 13. Thren. 2, 13. fin. Amos 3, 8.

v. 32. ὅστε, *qui*) Prima haec periocha specialis quatuor habet sententias: primam respicit tertia, secundam quarta. Filio non pepercit: ergo nil non condonabit. Filium tradidit pro nobis: ergo nemo accusabit nos propter peccata.

c. 4, 25. *traditus est.* Neque τὸ *quis accusabit* tam arcte cohaeret cum eo, quod sequitur, quam cum eo, quod antecedit. nam Christi traditio pro nobis, omnem *accusationem* prohibet: *accusationem* non prohibet, sed vincit *justificatio.* γὲ suavitatem habet plenam exultationis, uti καὶ, *etiam*, v. 34. iteratum. ὃς, *qui*, habet apodosin, *is*, implicitam verbis subsequentibus. — οὐκ ἐφείσατο, *non pepercit*) LXX, οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σου κτλ. Gen. 22, 16. de Abraham et Isaac: eumque locum Paulus videtur in mente habuisse. Deus paterno suo amori quasi vim adhibuit. — ἡμῶν πάντων, *nobis omnibus*) Alias fere dicitur, *omnes nos, omnium nostrùm*, sed hic *nobis* priore loco positum, majore vi et accentu. Sensus gratiae in *nos* prior est sensu gratiae *universalis.* Multa extant applicationis exempla sine mentione universalitatis. v. gr. 1 Tim. 1, 15. s. universalitas autem deinceps ad ulteriora officia acuenda laudatur. ibid. c. 2, 1. s. — παρέδωκεν) Sic LXX, Es. 53, 6. — καὶ σὺν αὐτῷ, *etiam cum ipso*) Καὶ *etiam* addit epitasin argumento a majori ad minus. Plus fuit, *Filio non parcere:* nunc, *cum Filio*, id est, quum Filium Dei nobis impensum habemus, utique omnia condonabit. — πάντα, *omnia*) salutaria. — χαρίσεται, *condonabit*) Antitheton: *non pepercit.* Quae ex redemtione consequuntur, ipsa quoque *gratuita* sunt.

v. 33. ἐκλεκτῶν θεοῦ, *electos Dei*) v. 29. — δικαιῶν, *justificans*) Opposita: *justificare* et *condemnare.* v. 3. not. Es. 50, 8. s. quem locum antea citavimus, similiter praecedit subinde hypothesis, et sequitur Subjectio, interrogative concepta: ex. gr.

A Propinquus est, qui justificat me:
B 1. quis litigabit mecum? stabimus una.
Hoc videtur tantisper ex sensu V. T. dictum esse, quod *propinquus* sit, cum e contrario apud Rom. dicatur, *Deus justificans*, sine restrictione.
B 2. quis dominus judicii mei? appropinquet ad me.
C En Dominus Deus auxiliabitur mihi:
D quis est *ille* qui *condemnabit me?*

Hîc videtur apostolus *A* assumsisse, et e contrario *B* omisisse, itemque *C* omisisse, et e contrario *D* allegasse.

v. 34. ὁ ἀποθανὼν, μᾶλλον δὲ —, ὃς καὶ —, ὃς καὶ, *mortuus, magis vero —, qui etiam —, qui etiam*) His quatuor momentis respondet series enumerationis contrariorum, v. 35. 38. s. In v. 35. sunt leviora et minora, quae omnia possunt referri ad *mortem* v. 38. quia sunt dispositiones praeviae ad *mortem.* Graviora sunt v. 38. s. Id statim uberius evolvetur. — μᾶλλον, *magis*) c. 5, 10. Fides nostra niti debet morte Christi, sed *magis* etiam eo debet proficere, ut nitatur Ejus resurrectione, regno, adventu. — ἔστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, *est in dextra Dei*) potest servare; ipse et Pater. Non praemittitur mentio ascensionis, nec sequitur mentio adventus gloriosi. nam illa est actus sessionis ad dextram: haec, plane tollit omnia, separationem ab amore Dei intentantia, et glorificationem affert, de qua v. 30. — ἐντυγχάνει, *intervenit*) vult servare; ipse et Pater.

v. 35. τίς ἡμᾶς χωρίσει, *quis nos separabit*) Perpetua in posterum conjunctio cum *amore* Christi et Dei deducitur ex Christi *morte, resuscitatione, sessione ad dextram Dei et interventione.* conf. c. 5, 5. s. 9. s. Hebr. 7, 25. *Quis* autem mox per enumerationem declaratur, sine subsequente aetiologia; ex quo iterum patet, aetiologiam ante *quis nos* esse quaerendam, v. 34. et *quis* ait, non *quid*, quanquam subjicit, *afflictio etc.* quia sub his adversis latent hostes. — τῆς ἀγάπης, *amore*) erga nos. v. 37. 39. Fundamentum, cur ab amore separari non possimus, est amor: fundamentum hujus fiduciae, amor perspectus. — τοῦ χριστοῦ, *Christi*) Cum amore Christi unus est amor Dei. v. 39. — γυμνότης) *penuria vestium*, summa egestatis. 1 Cor. 4, 11. 2 Cor. 11, 27. Sermo fere in-

cedit per paria, *fames ac nuditas* etc. — κίνδυνος, *periculum*) Hypocritae saepe periculis meris succumbunt. — ἡ μάχαιρα, *aut gladius*) instrumentum *mactationis*. Suae mortis genus Paulus nominat. conf. c. 16, 4. Phil. 2, 17. not. Multi martyres, quos alia tormenta conficere non potuere, gladio *consummati sunt*, ἐτελειώθησαν.

v. 36. καθὼς, *sicut*) Declarat, cur versu praec. tam multa adversa enumeret. — ὅτι — σφαγῆς) Sic LXX, Ps. 44, 23. Sic et ecclesia V. T. et multo magis ecclesia N. T. dicere potuit et potest. — ἕνεκα σοῦ, *tui causa*) Sic pati bonum est: aliis de causis irriti sunt dolores, quibus scatet mundus. — θανατούμεθα, *morte afficimur*) Prima classis beatorum fere completur per eos, qui violenta morte obierant. Matth. 23, 34. s. Hebr. 11, 37. Ap. 6, 11. 20, 4. — ὅλην τὴν ἡμέραν) Sic LXX passim. כל היום adagium. *totum diem, omni die.* Matth. 20, 6. Ps. cit. v. 16. 9. — ἐλογίσθημεν, *reputati sumus*) ab hostibus, a nobis.

v. 37. ὑπερνικῶμεν, *exsuperamus*) vim habemus non modo parem et sufficientem, sed longe superantem ad vincenda praecedentia. ne sequentia quidem oberunt. quia Christus, quia Deus major est omnibus. Hac periocha designatur illa summa quasi linea, quam Christianus ante beatam analysin assequi potest. — διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος) Aoristus: *per eum, qui amore suo* nos in Christo *complexus est*, et ob id ipsum per adversa nos probat.

v. 38. πέπεισμαι, *persuasus sum*) victa omni dubitatione. — γὰρ) Minora non obsunt. *nam* majora non oberunt. — οὔτε θάνατος κτλ. *neque mors etc.*) Hoc infertur ex v. 34. ordine admirando:

neque mors nocebit nobis,	nam ***Christus mortuus est:***
neque vita: (conf. c. 14, 9.)	***resurrexit:***
neque angeli neque principatus, neque praesentia neque futura: conf. Eph. 1, 20. s.	***est in dextra Dei:***
neque virtus, neque altitudo neque profundum,	***intervenit.***
neque alia ulla creatura.	

Atque hinc illustratur series verborum. Incedit enim sermo per paria: ***neque mors, neque vita: neque praesentia, neque futura:*** reliqua duo paria per χιασμὸν subjiciuntur: ***neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura ulla;*** sic tamen, ut etiam quaelibet ***virtus et altitudo***, ut ***profundum et quaevis creatura*** conjungantur. Similis χιασμὸς, Matth. 12, 22.: ***ita ut coecus et mutus et loqueretur et videret.*** Quodsi cuipiam receptior enumerationis ordo magis placet, sic legat:

neque mors, neque vita:
neque angeli, neque principatus, neque virtutes:
neque praesentia, neque futura:
neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura ulla:

ut sint quatuor specierum paria; et secundum quartumque par, genus primo ultimove loco adjectum habeat. Sed superiorem illam enumerationis seriem defendit major testium antiquitas. [Vid. App. crit. Ed. II. p. 329. sq.] Receptum verborum ordinem egomet faciliorem agnosco: ac liberum manet lectori judicium. Certe respectus hujus enumerationis ad versum 34, paulo ante demonstratus, ita evidens est et salutari doctrina refertus, ut pro *arbitrario* interpretamento haberi recuset. Nunc eadem incisa singulatim videbimus. — θάνατος, *mors*) *Mors*, maxime terribilis habetur: et primo hic loco ponitur, collato versu 34. ejusque serie, et versu 36. Innuitur ergo mors etiam quae ab hominibus infligitur: vivi comburium, strangulatio, bestiae etc. [1]) — ζωὴ, *vita*) et in ea θλῖψις, *afflictio* etc.

1) Statum *potius* mortuorum *hic innui*, *quam* caedem actualem, *in* Vers. germ. *ex eo suspicatur b.* Auctor, *quod jam* v. 35. *quodvis mortis genus contineatur sub* gladii *mentione.* E. B.

Digitized by Google

v. 35. item vitae diuturnitas, tranquillitas, omnesque *homines* viventes. Horum nil oberit. conf. 1 Cor. 3, 22. — ἄγγελοι, *angeli*) *Angelorum* mentio fit, per gradationem, post implicitam hominum mentionem. conf. 1 Cor. 15, 24. not. Hoc loco et de bonis angelis (conditionate, uti Gal. 1, 8.) et de malis (categorice) accipi potest. (nam hos quoque *angelos* absolute dici, non modo *angelos diaboli*, Matth. 25, 41. reperias.) 1 Cor. 4, 9. 6, 3. 11, 10. 1 Tim. 3, 16. 1 Petr. 3, 22. 2 Petr. 2, 4. Jud. v. 6. Ap. 9, 11. etc. Ps. 78, 49. — ἀρχαὶ, *principatus*) Hi continentur etiam angelorum appellatione, ut ceteri ordines, Ebr. 1, 4. 14. sed speciatim *angeli* videntur appellari, qui saepius reliquis mittuntur. *Principatus* sic dicuntur, atque etiam *throni*, Col. 1, 16. non tamen *regna*. namque *regnum* est Filii Dei. 1 Cor. 15, 25. 24. — οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα, *neque praesentia neque futura*) *Praeterita* non memorantur, ne peccata quidem: nam praeterierunt. *Praesentia* sunt, quae nobis, quam diu peregrinamur, vel mundo toti, dum is finitur, accidunt. Sancti enim spectantur vel singulatim vel conjunctim. *Futura*, quae nobis vel post nostra in mundo, vel post totius mundi tempora occurrent, ut judicium novissimum, conflagratio mundi, supplicium aeternum; vel ea, quae cum jam sint, tamen nobis nominetenus in futuro seculo demum innotescent. Eph. 1, 21. — οὔτε δύναμις, *neque virtus*) Δύναμις saepe respondet Hebraico צבא et *copias* dicit.

v. 39. οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος, *neque altum neque profunditas*) *Praeterita* et *futura* spectant ad differentias temporum: *altum* et *profunditas*, ad differentias locorum. Quam multa, magna, varia, his vocabulis comprehendantur, non novimus, nec tamen timemus. *Altum*, grandi hic stilo, dicitur pro coelo: *profunditas*, pro abysso. coll. cap. 10, 6. 7. Eph. 4, 8. 9. 10. i. e. neque ardua et alta, neque praecipitia ac profunda, non dicam, sensuum, affectuum, famae, faculatum, Phil. 4, 12. nec dicam, murorum, montium, aquarum, sed coeli et abyssi ipsius, quorum vel secura cogitatio externare mentem humanam potest, nos terret. Porro Paulus Graece non dicit, ὕψος, βάθος, ut alibi alio sensu: neque ὕψωμα, βάθυσμα (uti Plutarchus, ὑψώματα τῶν ἀστέρων, et Theophrastus, βαθύσματα τῆς λίμνης) sed ὕψωμα, βάθος· derivativum et primitivum, variumque sonum quasi studio adhibens. ὕψος, nomen primitivum, absolute sonat *altitudinem*, ὕψωμα verbale quiddam, non tam altum, quam altatum sive elatum: ὕψος, Dei est, et coeli tertii; unde nil infestum nobis. ὕψωμα fortasse parechesin habet ad verbum στερέωμα LXX interpretibus frequens: et certe dicitur h. l. de regionibus illis, quas scandere arduum est, et ubi potestates tenebrarum versantur, adversum nos se horribiliter *efferentes*. βάθος, quaqua descendit, nil nocet nobis. — κτίσις, *creatura*) quaecunque sunt, extra Deum, et qualiacunque sunt. Hostes visibiles ne nominare quidem dignatur. — δυνήσεται, *poterit*) etiamsi multa conentur. — χωρίσαι, *separare*) neque vi, v. 35. neque per viam juris, v. 33. s.

CAPUT IX.

v. 1. Ἀλήθειαν, *veritatem*) De nexu vid. not. ad c. 1, 16. Non additur hic articulus: (conf. 2 Cor. 7, 14. 11, 10.) quia non est sermo de veritate omni, sed de re quadam vera in specie, quo sensu etiam ἀλήθειαι in plurali dicuntur in Ps. 12, 2., LXX, 2 Macc. 7, 6. Haec asseveratio praecipue spectat versum 3., ubi *enim* ponitur, uti Matth. 1, 18. Itaque v. 2. ὅτι notat *quia*, et innuit voti causam. Versus 2. per se, sine tanta asseveratione, fidem inveniebat. — λέγω, *dico*) Deliberate loquitur apostolus. — ἐν χριστῷ) ב ἐν interdum facit ad juramentum. — οὐ ψεύδομαι, *non mentior*) Hoc aequipollet commati illi, *veritatem dico*. utrique additur sua confirmatio. Hoc caput passim in phrasibus et figuris ad Hebraismum accedit. — συνειδήσεως, *conscientia*) Criterium veri, in conscientia et *corde*: quam illuminat et confirmat testimonium internum Spiritus sancti.

Digitized by Google

v. 2. λύπη, *tristitia*) In spiritualibus tristitia et (cap. 8. fin.) laetitia in summo gradu possunt esse simul. Sentiebat Paulus, quantis bonis hactenus enumeratis se excluderent Judaei: simulque declarat, se ea, quae dicere habet, non dicere inimico erga suos persecutores animo. — μοι — τῇ καρδίᾳ μου, *mihi — cordi meo*) Haec aequipollent in utroque hemistichio.

v. 3. ηὐχόμην, *optabam*) Verbum imperfecti temporis, vim potentialem vel conditionalem, *si Christus annueret*, involvens. *dolor* erat *indesinens:* at hoc *votum* non videtur h. l. asseri indesinens, neque absolutum. Verba humana non sunt plane apta, quibus includantur motus animarum sanctarum: neque semper iidem sunt motus illi, neque in earum potestate est, tale semper votum ex sese elicere. Non capit hoc anima non valde provecta. De mensura amoris in Mose et Paulo non facile est existimare. Eum enim modulus ratiocinationum nostrarum non capit: sicut heroum bellicorum animos non capit parvulus. Apud ipsos illos duumviros intervalla illa, quae bono sensu ecstatica dici possint, subitum quiddam et extraordinarium fuere. Ne in ipsorum quidem potestate erat, tales actus ex sese quovis tempore elicere. *Dolor* et *tristitia* de periculo et aerumna populi: pudor pro eorum culpa: zelus pro eorum salute, pro tantae multitudinis incolumitate, pro Dei gloria per tanti populi conservationem magis promovenda: ita eos abstulit, ut sui obliviscerentur tantisper. Exod. 32, 32. paraphrasis mea haec fuerit: *Condona eis: si non condonas*, poenam in eos destinatam in me converte, i. e. ut Moses alibi loquitur, *me interfice*. Num. 11, 15. Itaque est liber vitae temporalis, praescindendo ab aeterna, pro ratione et oeconomia et stilo V. T. Conf. Ex. 33, 3. 5. De libro temporalis vitae agitur Ps. 139, 16. — αὐτὸς ἐγώ, *ipse ego*) Constr. cum *esse*. — ἀνάθεμα εἶναι, *anathema esse*) Satis erit contulisse locum Gal. 3, 13., ubi Christus dicitur *factus pro nobis maledictio*. Sensus est: optabam Judaeorum miseriam in meum caput conferre, et illorum loco esse. Judaei, fidem repudiantes, erant anathema a Christo. conf. Gal. 1, 8. 9. 5, 4. Utrum privationem duntaxat omnis boni, et destructionem vel annihilationem sui, an etiam perpessionem omnis mali, eamque et in corpore et in anima, et sempiternam, optaret, aut in ipso voti illius paroxysmo intellectui suo obversantem habuerit, quis scit, an Paulus ipse interrogatus definiret? Certe illud *EGO* penitus apud illum in pausa erat: tantum alios, honoris divini causa, spectabat. conf. 2 Cor. 12, 15. Ex summa fide (cap. 8.) nunc summum ostendit amorem, ex amore divino accensum. Res non poterat fieri, quam optarat: sed votum erat pium et solidum, quamlibet cum tacita conditione, *si fieri posset*. Conf. Rom. 8, 38. *persuasus sum*. Ex. 32, 33. — ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, *a Christo*) Sic ἀπὸ, *a*, 1 Cor. 1, 30. Vel, ut Christus, *maledictio* factus, *a Patre* derelictus fuit: sic Paulus, Christi plenus, *a Christo* destitutus esse Judaeorum vicem optabat, tanquam anathema. Non est sermo de excommunicatione ab aeterna societate ecclesiae. Differunt haec duo. nam κατάρα, קִלָּלָה *maledictio*, majore vi, dicitur quiddam magis absolutum: חֵרֶם *anathema*, aliquid respectivum, Gal. 1, 8. 9. 1 Cor. 16, 22. illud gravius, hoc mitius: illud vim reconciliationis per Christi crucem exprimit, hoc in Paulum magis convenit. neque alterum pro altero aut h. l. aut ll. cc. substitui potest. — τῶν) De tota multitudine sermo est, non de individuis. — ἀδελφῶν μου, *fratribus meis*) Causa amoris tanti. — συγγενῶν μου κατὰ σάρκα, *cognatis meis secundum carnem*) Causa voti, cur votum, ceteris paribus, justum esset. et *cognatis* additum ostendit, *fratribus* h. l. non accipi, ut solet, de Christianis, sed de Judaeis. Christus factus est pro nobis *maledictum*, quia eramus ejus *cognati*.

v. 4. οἵτινες, *quippe qui*) Nunc explicat causam tristitiae et doloris: tantis bonis non frui Israëlem. Magnam adhibet euphemiam. — ὧν ἡ υἱοθεσία — ἐπαγγελίαι, *quorum* est *adoptio filiorum — promissiones*) Sex praerogativae per

paria tria correlatorum enumerantur: ac primo pari spectatur *Deus Pater*; secundo, *Christus*; tertio, *Spiritus sanctus*. coll. Eph. 3, 6. not. — ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα, *adoptio filiorum et gloria*) i. e. quod Israël est filius Dei primogenitus, et Deus gloriae est Deus eorum. Deut. 4, 7. 33. s. Ps. 106, 20. (47, 5.) sed vi correlatorum simul Deus est Pater Israëlis; et Israël est Dei populus. Locutio item concisa, Ap. 21, 7\ conf. c. 8, 18. s. Sunt qui δόξαν *gloriam* accipiant de arca foederis: sed Paulus nil corporeum hic commemorat. Ipse Deus dicitur *Gloria* populi Israël, ea metonymia, qua *Timor* pro Deo dicitur. Gen. 31, 42. 54. — καὶ αἱ διαθῆκαι καὶ ἡ νομοθεσία, *et testamenta et legislatio*) conf. Hebr. 8, 6. Causa, cur *testamenta* ante *legislationem* ponantur, patet ex Gal. 3, 17. Plurale est, διαθῆκαι· quia *testamentum* sive foedus et saepe repetitum, Lev. 26, 42. 45. Eph. 2, 12., et varie; Hebr. 1, 1. et quia erant duae dispositiones Gal. 4, 24., altera promittens, altera promissa. — καὶ ἡ λατρεία καὶ αἱ ἐπαγγελίαι, *et cultus et promissiones*) Act. 26, 6. 7. Eph. 1, 13. Hebr. 8, 5. 6. Correspondent hic per chiasmum *legislatio* et *cultus*, *testamenta* et *promissiones*. Ex *testamentis* fluunt *promissiones*: et per *legislationem* institutus est *cultus*. [*Cultui dignitatem suam conciliarunt promissiones. Promissus autem fuit Spiritus sanctus. Gal.* 3, 14. V. g.]

v. 5. ὧν οἱ πατέρες κτλ.) *Commentationem* ad h. l. et scripsit ven. *Baumgartenius*, et Explicationi hujus Epistolae adjecit. Quae in ea ad me pertinent, explanavi *im Zeugniss.* p. 157. seqq. (ed. 1748.) [c. 11, 28.] — καὶ ἐξ ὧν, *et ex quibus*) i. e. ex Israëlitis, Act. 3, 22. Ad sex praerogativas Israëlitarum modo memoratas accedit nunc septima et octava, de patribus deque ipso Messia. Nobilis est ac sanctus populus *Israël*. — ὁ ὢν) i. e. ὅς ἐστι. sed participium sonat augustius. Doxologiam hoc loco non esse, non inepte probat Artemonius a luctu Pauli: Part. I. cap. 42. sed idem cum sociis contendit, Paulum scripsisse, ὧν ὁ ἐπὶ πάντων, θεὸς κτλ. ut notetur haec praerogativa Israëlitarum, quod Dominus sit Deus eorum: et illud, ὁ ἐπὶ πάντων, interpretatur ita, hanc praerogativam esse omnium Israëlis dignitatum maximam. Sed talis interpretatio τοῦ ὁ ἐπὶ πάντων, coll. Eph. 4, 6., (ut hanc primo amoveamus,) sententiam habet non nisi ex patrocinio hypotheseos oriundam, et tali potius formula, τὸ δὴ πάντων μεῖζον, exprimi postulantem. Conjectura ipsa, ὧν ὁ, apertam textui vim infert. Nam I. ea τὸ κατὰ σάρκα discludit a membro opposito, ubique commemorari solito, κατὰ πνεῦμα. II. Eadem membrum enumerationis ultimum, cui καὶ, *et*, convenienter datur, καὶ ἐξ ὧν κτλ. in duo dividit, et horum alterum duro asyndeto afficit.

Objicit Artemonius: I. Christus nullibi in Scripturis sacris Deus expresse vocatur. Resp. Nullibi? scilicet quia omnia illa loca Artemonius vel alia lectione vel alia interpretatione avertere conatur. Ipse plura unius rei testimonia postulari debere negat pag. 225. De cetero vid. not. ad Joh. 1, 1. Obj. II. Si Paulus scripsit ὁ ὢν, praecipuam praetermisit Israëlitarum praerogativam, quod Deus ille Opt. Max. illorum fuerit Deus. Resp. In eo ipso constiterat *filiatio et gloria*: ergo non praetermisit. neque unquam illud, *Dominus est Deus Israëlis*, exprimitur his verbis: *Tuus, o Israël, est Deus benedictus in secula*. Instat: Etiam in *foederibus* continetur Christus, et tamen mox *Christi* expressam Paulus mentionem facit: quanto magis ipsius Dei Patris? Resp. Ratio dispar est. Omnes praerogativas Israëlis Paulus (patribus obiter cum Christo conjunctis,) ordine temporis commemorat. Itaque Christum commemorat ut exhibitum: at de Deo id non opus erat ita commemorari. Porro Christus singulariter propinquus erat Israëlitis: Deus autem erat etiam gentium Deus. c. 3, 29. Neque tamen Deum, sed Christum apertius repudiabant Judaei. Quid? in ipso nominis *Israël*, adeoque *Israëlitarum* etymo, quod apostolus spectat, v. 4. 6., nomen *El*, *Deus*, in-

oogle

venitur. Obj. III. Patrum stilus dissentit: imo Pseudoignatius eos, qui dicerent Jesum ipsum esse super omnia Deum, Satanae ministris annumerat. Resp. Hac phrasi Sabellianos descripsit incautius: sub quos mox Artemonitas in eadem classe ponit. Ceteroqui patres Paulinam de Christo phrasin saepe de Patre adhibentes eo ipso vim phraseos comprobant: et tamen patribus praestat apostolus. Pluribus Artemonium refellit Wolfius in Vol. II. Curar. ad N. T. p. 802. seqq. — ἐπὶ πάντων, *super omnes*) Pater utique excipitur. 1 Cor. 15, 27. *Christus est ex patribus, secundum carnem: idemque erat, est, et erit super omnes*, quippe *Deus benedictus in secula, Amen!* Encomium idem Patris et Filii, coll. 2 Cor. 11, 31. *Super omnes*, in antitheto ad *ex quibus*, ostendit et προϋπαρξιν Christi ante patres, oppositam descensui ejus ex patribus secundum carnem: et majestatem infinitam, dominiumque gratiae plenum in Judaeos et gentes. conf. de phrasi, Eph. 4, 6. de re, Joh. 8, 58. Matth. 22, 45. Perversi sunt, qui aut hic punctum (nam comma pie poni potest,) figunt; sic enim dicendum fuerat, εὐλογητὸς ὁ θεὸς, si modo tali doxologiae hic peculiaris fuisset locus: (ut post σάρκα. quo pacto illud τὸ κατὰ σάρκα suo careret antitheto. — θεὸς, *Deus*) Impense laetari debemus, quod, in hac solenni descriptione, Christus tam aperte Deus appellatur. Apostoli, qui ante Johannem scripsere, praesupponunt deitatem Christi, ut confessam: quare non directe de illa agunt; sed tamen ubi incidit, gloriosissime eam denotant. Paulus c. 5, 15. Jesum Christum appellarat *hominem;* nunc Deum. sic quoque 1 Tim. 2, 5. 3, 16. altera appellatio alterum sustentat. — εὐλογητὸς, *benedictus*) תִּתְבָּרַךְ. Hoc epitheto subscribitur omni divinae laudi. 2 Cor. 11, 31. — εἰς τοὺς αἰῶνας, *in secula*) *Qui super omnes — in secula*, est *primus et novissimus.* Ap. 1, 17.

v. 6. οὐχ οἷον) *non est hoc ejusmodi.* Judaei putabant, si non omnes Judaei salvarentur, verbum Dei excidere. id refutat Paulus, simul innuens, verbo Dei potius praedictam fuisse Judaeorum defectionem. — δὲ) *autem*, tametsi scil. magnum dolorem de Israële, Christi experte, profiteor. — ἐκπέπτωκεν, *exciderit*) Aptum verbum. 1 Cor. 13, 8. not. Si totus Israël excidisset, Dei verbum excidisset. absit hoc: ergo etiam illud. nam et nunc sunt aliqui, et olim erunt omnes. Complectitur enim haec sententia omnia, quae dicuntur capite 9. 10. 11., et aptissime est expressa. Arcte cohaeret cum antecedentibus versu 2., et tamen respectu subsequentium, ubi τὸ λόγος *verbum* recurrit, inest ingens euphemia et προθεραπεία, ut sermonem tristem prius leniat, quam proferat, uti 1 Cor. 10, 13. — ὁ λόγος, *verbum*) promissionis, Israëli datum. — οὐ γὰρ πάντες, *non enim omnes*) γὰρ, *enim*, incipit tractationem. *non omnes*, clementer dicitur, pro eo, *multi non sunt.* Judaei sic statuebant: *omnes et soli nos sumus populus Dei.* Quare τὸ *omnes* refutatur hic; τὸ *soli* refutatur v. 24. ss. Judaei erant Particularistae: hos ergo refutat Paulus ◻ diametro. Tota ejus tractatio non solum tolerabilis, sed etiam amabilis erit iis demum, qui capita superiora emensi sunt per fidem et poenitentiam: potior enim hic *fidei* ratio. Summa hujus tractationis, ex mente eorum, qui universalem gratiam negant, haec est: *DEUS dat FIDEM, cui vult: non dat, cui non vult.* ex mente Pauli haec: *Deus dat JUSTITIAM credentibus, non dat operantibus: idque verbo ejus nullo modo est contrarium. Imo Ipse et typis et testimoniis declaravit, illos, promissionis filios, recipi; hos, filios carnis, repudiari. Hoc Dei decretum est certum, irrefragabile, justum: huic decreto uti homo populusve quilibet vel auscultat vel renititur, ita vel per misericordiam assumitur, vel per iram rejicitur.* Huc recurrit analysis *Arminii*, excerpta *Calovio* Theol. apost. Rom. Oraculo LXVIII, et adoptata Oraculo LXIX. Conf. plane c. 1, 16. not. Interim Paulus ad eos, quos refutat, ab hoc capite, de justitia, prius illud, de

fide, non valde secernit. neque enim opus erat. — ἰσραὴλ, ἰσραήλ, *Israël, Israël*) Ploce.

v. 7. ὅτι) *quia.* facit haec particula ἐπίτασιν, respectu sententiae praecedentis. — ἀβραὰμ, *Abrahami*) Quod Patrum antiquissimorum filiis accidit, multo magis accidere potest ulterioribus. — ἀλλ᾽ ἐν ἰσαὰκ κτλ. *sed in Isaaco etc.*) Hoc ponitur suppositione materiali. nam subauditur: *scriptum est, idque impletur.* LXX, Gen. 21, 12.: ὅτι ἐν — σπέρμα. Congruit hic etymon quoque nominis *Isaac.* Semen ii sunt, qui *foedus* gratiae cum *gaudio* liberali et puro amplectuntur. Gen. 17, 19.

v. 8. τουτέστιν) Ex parrhesia ponit *hoc est* pro *ergo.* — ταῦτα) הֵם id est, *sunt.* Pronomen substantivum pro verbo substantivo. sic *hi,* v. 6., et fere, *hic,* v. 9. Sermo hoc capite decenter hebraizat. sic v. 28. s.

v. 9. ἐπαγγελίας, *promissionis*) Resp. *promissionis,* v. 8. — οὗτος, *hic*) sc. *est.* — κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι, καὶ ἔσται τῇ σάρρᾳ υἱός) LXX, Gen. 18, 10.: ἰδοὺ ἐπαναστρέφων ἥξω πρός σε κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας, καὶ ἕξει υἱὸν σάρρα ἡ γυνή σου. conf. Gen. 17, 21.

v. 10. οὐ μόνον δὲ, *non solum vero*) Id est: mirum est, quod dixi; quod sequitur, magis etiam mirandum est. Sub Abrahamo, Ismaël: sub Isaaco, Esau: sub Israël, Ismaëlis et Esavi similes defecerunt. — ῥεβέκκα, *Rebecca*) scil. ἐστὶν, i. e. hoc loco occurrit. Mater et mox Isaacus pater nominantur. — ἐξ ἑνὸς, *ex uno*) Isaacus jam erat ab Ismaële divisus: et tamen sub Isaaco ipso, in quo vocatur semen Abrahamo, Esavus dividitur etiam a Jacobo. Ismaël et Isaac non eadem matre, non eodem tempore nati, atque Ismaël etiam ancillae, Isaac liberae filius: Jacob et Esau et eadem matre, eaque libera, et eodem tempore. — κοίτην) Sic LXX pro שכבה saepe, v. gr. Lev. 18, 20. οὐ δώσεις κοίτην σπέρματος, de viro: cui phrasi opponitur ἔχειν κοίτην, de muliere, h. l.

v. 11. μήπω γεννηθέντων, *quum nondum nati essent*) Nil juvat ortus carnalis. Joh. 1, 13. — μηδὲ πραξάντων, *et quum haud fecissent*) Hoc additur, quia in Ismaële posset aliquis existimare, eum non tam ob id esse expulsum, quod esset ancillae filius, quam quod esset illusor. quanquam ancillae filium deinde vernilitas haec tenet, ut sit מצחק et κακόζηλος τοῦ יצחק cui invidet et insultat. — κατ᾽ ἐκλογὴν) In sola electione liberrima πρόθεσις suam rationem sitam habet. conf. κατὰ, c. 16, 25. Tit. 1, 9. Latine diceres, *propositum Dei electivum.* — μένῃ, *maneret*) tolli nescium. Verbo *maneret* praesupponitur, πρόθεσιν, *propositum*, esse prius. — οὐκ ἐξ ἔργων, *non ex operibus*) ne ex praevisis quidem. Vide: *electioni* non opponitur fides, sed opera. — ἐκ τοῦ καλοῦντος, *ex vocante*) *eo, qui* Jacobum *vocavit* superiorem; Esavum, servum. conf. v. 25.

v. 12. αὐτῇ, *illi*) Saepe matribus praedictum est ante conceptum vel partum, quid filiis futurum esset. — ὅτι ὁ — ἐλάσσονι) Gen. 25, 23. LXX, καὶ ὁ — ἐλάσσονι. — ὁ μείζων) *major*, quem ratio putaret debere imperare; sicuti minorem servire. — δουλεύσει, *serviet*) neque id tamen perpetuo. Gen. 27, 40.

v. 13. καθὼς, *sicut*) Cum dicto in Genesi tanto post tempore congruit dictum apud Malachiam. — τὸν ἰακὼβ ἠγάπησα κτλ.) Malach. 1, 2. LXX, ἠγάπησα τὸν ἰακὼβ κτλ. — ἠγάπησα — ἐμίσησα, *amavi — odi*) Sermo non est de utriusque fratris statu spirituali: sed externus status Jacobi et Esavi, perinde ut Isaaci nativitas corporalis v. 9., est typus rerum spiritualium. Non omnes Israëlitae salvati: nec omnes Edomitae damnati. Innuit autem Paulus, ut inter filios Abrahami et Isaaci diversitas fuerit, sic inter posteros Israëlis esse diversitatem. Hactenus demonstravit propositum: deinceps objectionem inducit et refutat. μισεῖν proprie notat *odisse*, imo *valde odisse.* vid. Malach. 1, 4. fin.

v. 14. τί οὖν; *quid ergo?*) *num ergo* hinc insimulari possumus, nos hac

Google

assertione Deum arcessere injustitiae sive iniquitatis? Nullo modo. nam quod asserimus, Dei assertum est irrefragabile. v. seq. — μὴ γένοιτο, *absit*) Judaei putabant, se nullo modo abdicari posse a Deo; gentes nullo modo posse recipi. Ut igitur etiam homo probus adversus flagitatores morosos invidosque majore cum ἀποτομίᾳ agit (ut jus suum vel patroni tueatur, neque alieno tempore liberalitatis suae laudem prodat ac projiciat) quam revera sentit: sic Paulus contra Israëlitas solo suo nomine meritisque fretos potestatem et jus Dei defendit; qua in re iis opportune phrasibus interdum utitur, quibus antehac in disciplina pharisaica videtur assuetus fuisse. Hoc dicit: *Domino Deo nullus homo quicquam praescribere, neque quicquam ut debitum ab eo postulare et contumacius extorquere, neque ei ulla re interdicere aut rationem ab eo requirere potest, cur etiam aliis benignum se praebeat.* Itaque Paulus morosos et invidos interpellatores severiori responso abruptius compescit. Talis locus Luc. 19, 22. s. Nam nemini licet cum Deo quasi ex syngrapha agere. sin; etiam Deus cum homine severius agit. conferatur parabola plane parallela Matth. 20, 13—15.: *non injuriam facio tibi etc.* Alia est igitur sententia verborum Pauli, qua satisfacit responsatoribus operariis: alia, mitior, latet in aenigmate verborum, pro fidelibus. Etiam in sacris Scripturis, praesertim ubi a thesi ventum est ad hypothesin, τὰ ἤθη, (*mores*) non modo οἱ λόγοι, (*rationes*) expendi debent. Et tamen commentarius nullus ita planus esse potest, quem facilius, quam Pauli textum, intelligat operarius.

v. 15. τῷ γὰρ μωσῇ, *Mosi enim*) Multi ab hoc v. ad. v. 18. statuunt objectionem. quo pacto *enim* ponitur, ut cap. 3, 7., et *dices igitur* v. 19. objectionem concludit, versu 14. inceptam. Et sane hac sermocinatione commode exprimeretur ἀνταπόκρισις (*responsatio*) illa, quae v. 20. redarguitur, et deinceps assumtis vel verbis ipsis vel eorum synonymis refutatur. Interim Paulus verba ita exprimit, ut ὁ ἀνταποκρινόμενος eodem tempore sibi ipse respondeat. atque adeo etiam sano sensu per apostoli personam accipi possunt; ut jam conamur ostendere. Moses Exod. 33. pro se et populo oraverat per חן *gratiam* Domini, v. 12. 13. 16. 17., dixeratque postremo: *ostende mihi gloriam tuam.* Respondit Dominus: *Ego transire faciam omne Bonum meum coram facie tua, et vocabo in nomine Domini ante faciem tuam.* וחנתי את־ אשר אחן ורחמתי את־ אשר ארחם *Gratiamque praestabo, cuicunque gratiam praestabo; et misericordiam, cuicunque misericordiam.* v. 19. Ne Mosi quidem sine dilatione Dominus aperuit, cui esset gratiam et misericordiam praestaturus, quamvis de Mose et populo solo Israëlitico, non de gentibus agebatur. Huic igitur Mosi, non modo aliis per Mosen (Μωσῆ, inquit Paulus, ut mox, τῷ φαραώ·) dixit hoc Dominus: *Et praedicatione mea, abundantissimoque deinceps opere eum designabo gratia et misericordia prosequendum, quemcunque gratia et misericordia prosequor.* Quibus verbis significavit se praedicaturum de gratia et misericordia: et mox praedicavit Ex. 34, 5. רחום וחנון ΟΙΚΤΙΡΜΩΝ καὶ ΕΛΕΗΜΩΝ κτλ. εἰς χιλιάδας· addiditque, καὶ τὸν ἔνοχον οὐ καθαριεῖ, ἐπάγων ἁμαρτίας πατέρων κτλ. Itaque ex praedicatione ipsa subsecuta hic sensus praeviae pollicitationis elucet: *Tibi gratiam abundantissimam, eo usque, ut de me rideas, quicquid et cupis et capis, quo porro sentias, gratiam esse, praestabo; quia te gratia semel complexus sum, quam tu gratiam agnoscis. et ceteris de populo misericordiam abundantissimam, quo minus interitum praesentissimum ob idololatriam eis infligam, ut porro sentiant misericordiam esse, praestabo, quia eos misericordia semel complexus sum, quam tu misericordiam pro illis agnoscis.* Hujus sententiae vim expresserunt LXX Int. et Paulus, per differentiam temporis futuri et praesentis: ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω. Estque Ploce, fere sonans, uti infra, c. 13, 7., et hoc loco libertatem

agentis, de quo sermo est, exprimit, uti Exod. 16, 23. Utrumvis autem verbum, per duo commata positum, in priore commate emphasin habet, ut alias fere in commate posteriore. Gen. 27, 33. 43, 13. 2 Reg. 7, 4. Gratiae misericordiaeque agnitionem ex parte Mosis et verorum Israëlitarum simul involvi, patet ex eo, quia Paulus v. 16. *volentem et currentem* in opposito dicit hominem, cui gratia non est gratia, et cui misericordia non est misericordia. את אשר ὃν ἂν bis ponitur, innuitque priore loco Mosen, (cui ex ipsis ejus precibus חנן *gratiae* vocabulum reponitur, ex v. 13., ubi eadem Ploce est:) posteriore loco ceteros, εἰς χιλιάδας, quibus opponuntur peccantes, eorumque filii, nepotes etc. c. 34, 7. Atque ita hoc testimonium apprime convenit ad probandum, non esse injustitiam apud Deum. Haec est sententia fidelibus aperta. Ad operarios autem est abruptior: causa, cur Deus misereatur, non est alia, nisi Ipsius misericordia. nam nulla alia apud Mosen commemoratur, de Mose et Israële. *Miserebor:* h. e. *nemo per vim extorquere quidquam potest; in mea manu, potestate, arbitrio sunt omnia. si aliter ago, nemo me injustitiae accusare potest.* Hoc responsi satis est operario: cui si quid amplius respondetur, id fit ex abundanti.

v. 16. ἄρα οὖν, *igitur*) Sic quoque v. 18. Infert autem h. l. Paulus non ex particula ὃν ἂν, *quemcunque*, sed ex ipso verbo ἐλεῶ et οἰκτείρω. — οὐ τοῦ) *non volentis, neque currentis (hominis)* subaudi *est, negotium*, vel, *voluntas, cursus.* non quo irritum sit, recte velle, et, quod majus est, recte currere, sive contendere, 1 Cor. 9, 26. Phil. 3, 14.: sed quod velle et currere affectatum operariorum nil efficiat. Voluntas humana opponitur gratiae divinae; et cursus humanus operationi divinae. conf. v. 30. 31.

v. 17. λέγει) *dicit*, i. e. Deum sic dicentem ostendit. Conf. c. 10, 20., *dicit.* — γὰρ, *enim*) Probat, esse *miserentis, Dei.* — τῷ φαραὼ, *Pharaoni*) qui *Mosis* tempore vixit. — ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου κτλ.) Ex. 9, 16., LXX, καὶ ἕνεκεν τούτου διετηρήθης ἕως τοῦ νῦν, ἵνα ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν ἰσχύν μου κτλ. — ἐξήγειρά σε) Exod. l. c. הֶעֱמַדְתִּיךָ LXX Int. διετηρήθης (ut Exod. 21, 21. יָמוּד διαμένουν) sed Paulus, pro instituto suo, significantius, ἐξήγειρά σε. Observandum autem probe est, per ἐξεγείρω non exprimi hic verbum הֲקִימֹתִי, uti ponitur Zach. 11, 16., sed הֶעֱמַדְתִּיךָ, quod omnibus locis omnino praesupponit subjectum jam ante productum. vide differentiam הֲקִימֹתִי et הֶעֱמַדְתִּיךָ 1 Reg. 15, 4. Sensus igitur est: Excitavi te regem, valde potentem (in quo ostenderem potentiam meam) et illustrem (propter quem nomen meum praedicaretur per omnem terram.) Itaque haec ἐξέγερσις includit τὸ διατηρεῖν, ut LXX vertunt, leniore verbo; et τὸ ἐνεγκεῖν, quod v. 22. ex hoc ipso Mosis loco infertur. Antecessor magis coeperat pridem premere Israëlem, Ex. 2, 23., nec tamen successor resipuit. Perbreve hujus regnum fuisse, statuit *Ordo temporum*, pag. 161. [Ed. II. 142.] tota igitur ejus statio erat experientia potentiae divinae. Addendum illud, non initio, sed post multos contumaciae excessus Pharaoni hoc esse dictum: neque id vel jam eo pertinuisse, ut ab agnoscendo Jehovah dimittendoque populo deterreretur, sed ut ad frugem perduceretur. — δύναμιν, *potentiam*) qua mersus cum copiis est Pharao. — διαγγελῇ, *annuncietur*) Id fit hodienum.

v. 18. ὃν θέλει, *cujus vult*) Quem autem velit Deus misereri, quem indurare; id aliis locis docet Paulus. — ἐλεεῖ, *miseretur*) ut Mosis. — σκληρύνει, *indurat*) ut Pharaonem. *indurat*, dicit, pro, *non miseretur*, per metonymiam consequentis, etsi τὸ *non misereri* quodammodo durius sonat. Sic, *sanctificatus est*, pro, *non est impurus*, 1 Cor. 7, 14. ἐρρύσασθε, pro, *non tradidistis.* Jos. 22, 31.

v. 19. ἔτι, *adhuc*) etiamnum. Particula valde exprimit morosum fremitum. Ad objectionem h. v. positam Paulus dupliciter respondet: I. Jus Dei in

homines majus est, quam figuli in lutum. v. 20. 21. deinde II. respondet mitius: Deus non est usus jure suo, ne in irae quidem vasa. v. 22. — αὐτοῦ, *illius*) Hoc, pro *Dei* positum, exprimit affectum, quo Deum aversantur responsatores ejusmodi.

v. 20. [1]) ἄνθρωπε) *homo*, pusille, justitiae ignare. — μὴ ἐρεῖ κτλ.) Es. 29, 16.: οὐχ ὡς πηλὸς τοῦ κεραμέως λογισθήσεσθε; μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι αὐτὸ, Οὐ σύ με ἔπλασας. Idem c. 45, 9.: μὴ ἐρεῖ ὁ πηλὸς τῷ κεραμεῖ· τί ποιεῖς, ὅτι οὐκ ἐργάζῃ, οὐδὲ ἔχεις χεῖρας. μὴ ἀποκριθήσεται τὸ πλάσμα πρὸς τὸν πλάσαντα αὐτό;

v. 21. ἢ) *an?* — ἐξουσίαν, *potestatem*) Constr. cum *luti*. Figulus non facit lutum, sed fodit: Deus facit hominem. ergo majorem habet potestatem, quam figulus. Sed potestas et libertas absoluta non infert voluntatem decretumque absolutum. Si Deus totum genus humanum reliquisset in peccato et morte, non fecisset injuste: sed illo jure non est usus. [*Potestatis divinae repraesentatione parcellitur homo, ut omnem posthac suspicacem cogitationum intemperiem contra justitiam divinam dediscat. Matth.* 20, 15. *Ex.* 20, 20. *Job.* 42, 2. 6. V. g.] — φυράματος, *massa*) quae ex *luto* parata est et macerata, partes jam magis homogeneas habens. — εἰς ἀτιμίαν, *in dedecus*) Circumspecte loquitur Paulus: nondum dicit, *in iram*. cum his verbis construendum est *vas*.

v. 22. εἰ δὲ, *si vero*) Haec particula apodosin habet v. 23. in fine ex v. 20. subaudiendam hanc: multo jam major est, Deo, de homine quaerendi; et minor homini, cum Deo expostulandi, causa. Confer ἐὰν, apodosi item subaudita, Joh. 6, 62. Interrogatio est, sed implicita, cum ellipsi, *Quid responsas?* — θέλων, *volens*) Resp. *voluntati*, v. 19. *vult*, v. 18. Paulus loquitur κατ' ἄνθρωπον, adversarii verbis: et sic εἰ valet *quum*. Simul observandus est sermo ejus de vasis irae, parcior; de vasis misericordiae, uberior. *volens demonstrare*, inquit, non, *ut demonstraret*, coll. v. seq. et Eph. 2, 7. — ἐνδείξασθαι — τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, *demonstrare potentiam suam*) Haec repetuntur ex v. 17. — τὴν ὀργὴν, *iram*) Non dicit, *divitias irae*. conf. v. 23. — τὸ δυνατὸν) Hoc *potentiam* significat, non *potestatem*. — ἤνεγκεν, *tulit*) uti Pharaonem tulit. — ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ, *in multa longanimitate*) quae videlicet reprobos ex statu displicentiae ad poenitentiam alliceret. cap. 2, 4. 2 Petr. 3, 9. Multos malos, in magna felicitate hujus vitae et diutina, tolerat Deus, cum eos posset primo quoque tempore morti tradere. Etiam his patuit janua gratiae. Haec longanimitas voluntatem demonstrandae irae humanitus loquendo, praecedit, nec eam demum sequitur. quare ἤνεγκεν interpretandum *tulerat*. Quo ipso validissime refutatur illud, *quis restitit?* v. 19. — ὀργῆς) *irae*, quae sane non sine causa est, sed peccata praesupponit. non dicit, *dedecoris*, neque *in iram*, sed, *irae*. — κατηρτισμένα, *adaptata*) Id internam et plenam, sed non jam liberam dispositionem notat, non destinationem: non dicit, *quae* προκατήρτισε *ante adaptavit*, cum tamen v. seq. dicat, *quae praeparavit*. conf. v. 19. c. 11, 22. not. Matth. 25, v. 34. cum v. 41. et Act. 13, 46. cum v. 48. Praescinditur a causa efficiente: tantum dicitur, quales inveniat Deus, quum iram infert. — εἰς ἀπώλειαν, *in perditionem*) Antitheton, v. 23., *in gloriam*.

v. 23. ἵνα, *ut*) Notat exsertiorem finem et scopum, mediis non exclusis. — γνωρίσῃ, *notas faceret*) Hoc verbum dicitur de re ante non agnita; ideo hic et v. praec. ponitur: ut ἐνδείκνυσθαι *demonstrare* tantum v. 22. ponitur de ira;

---

1) μενοῦνγε, *enimvero*] Severam haec responsio atque vehementiorem indolem redolet. Feroces nimirum compescendi sunt. Deinceps vero suavissimum totius caussae fundamentum retegitur vocatis, v. 24. In hac tractatione qui unum duntaxat membrum resecat a ceteris, eum necesse est, perplexum haerere in tricis: at expeditum iter tenet, qui totam Capitum 9. 10. 11. compagem perpendit. *V. g.*

Digitized by Google

de qua etiam gentiles aliquid sciunt. — ἐπὶ, *super*) Oratio sic cohaeret: *si vero Deus, ut notas faceret divitias gloriae suae,* subaudi, *fecit hoc*, sive, *notas fecit divitias super vasa misericordiae:* de apodosi vid. init. not. ad v. 22. — τῆς δόξης) *gloriae*: bonitatis, gratiae, misericordiae, sapientiae, omnipotentiae. Eph. 1, 6. — ἐλέους) *misericordiae:* v. 15. 16. 18. 23. quae praesupponit pristinam vasorum miseriam. — προητοίμασεν, *praeparavit*) antecedenter ad opera, v. 11., per conformationem omnium circumstantiarum, quas, qui *vocatur*, in primo suae *vocationis* momento sibi salutares invenit, externe et interne. Id infert praepositio in προητοίμασεν. Sic *vas in honorem, paratum*, 2 Tim. 2, 21.

v. 24. οὓς καὶ, *quos etiam*) καὶ, *etiam*, uti cap. 8, 30. Cluverus: *quos (ad gloriam praeparatos) etiam vocavit.* — ἐκάλεσεν, *vocavit*) Antitheton aliqua ratione: *tulit.* Iterum, *vocabo.* v. seq. — ἡμᾶς, *nos*) Hoc noemate Paulus ad Propositionem venit de gratia Judaeis et gentibus obvia: et Particularismum Judaicum refutare, gratiaeque universalitatem defendere instituit. — οὐ μόνον ἐξ, *non solum ex*) Judaeus credens non est eo ipso vocatus, quod Judaeus est: sed vocatus est *ex* Judaeis. Etymon verbi ἐκκλησία. [*Universae huic periochae, nec non adhortationi c.* 14. 15. *exinde deductae, apprime respondet Epistola ad Ephesios.* V. g.] — ἐξ Ἰουδαίων, *ex Judaeis*) Id tractat v. 27. — ἐξ ἐθνῶν, *ex gentibus*) Id tractat v. 25. s.

v. 25. λέγει, *dicit*) Deus. Paulus prius jus Dei in vocandis gentibus et vocationem ipsam asseruit: et nunc demum, eventu ostenso, unum testimonium V. T. ac deinceps c. 15, 9. s. plura allegat, memorabili methodo. Praedictiones, quamvis copiosae et ex implemento clarissimae, tamen prius non facile fidem inveniunt. Nervus allegationis subsequentis non est in verbo καλέσω, *appellabo*, sed in reliquo dicto. ἐκάλεσεν, *vocavit*, ponitur, uti cap. 8, 30. Veruntamen *vocationem* statim comitatur *appellatio*, et quodammodo eam praecedit. — καλέσω τὸν οὐ λαόν μου, λαόν μου· καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην) Hos. 2, 25. LXX, καὶ ἐλεήσω τὴν οὐκ ἠλεημένην· καὶ ἐρῶ τῷ οὐ λαῷ μου, λαός μου εἶ σύ. — ἠγαπημένην, *amatam*) tanquam sponsam.

v. 26. καὶ — ἐκεῖ κληθήσονται — ζῶντος) Hos. 2, 1. LXX, καὶ — κληθήσονται καὶ αὐτοὶ — ζῶντος. — ἐκεῖ) *ibi:* ut non opus sit, illos mutato solo patrio conferre se in Judaeam. conf. omnino Zeph. 2, 11.

v. 27. κράζει) *clamat.* Vid. Es. 10, 22.: ubi accentus quoque conferri possunt. Reclamat Israël: Jesajas majori etiam *clamore* declarat, residuum fore salvum. — ὑπὲρ) *pro* Israële. Gall. *en faveur.* — ἐὰν ᾖ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν ἰσραὴλ — κατάλειμμα — ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς) Es. 10, 22. 23. LXX, καὶ ἐὰν γένηται ὁ λαὸς ἰσραὴλ — κατάλειμμα αὐτῶν — Κύριος ποιήσει ἐν τῇ οἰκουμένῃ ὅλῃ. In extremo Symmachus et Theodotion habent, ἐν μέσῳ πάσης τῆς γῆς. Τὸ ἀριθμὸς intexuit Paulus ex Hos. 2, 1. Si Israël tanto numero fuerit, quantus est arenarum, residuum salvabitur, ex miseria Babylonica et spirituali. In multitudine residui, residuum manere, minus est mirum. *Multi* sunt indurati: *semen* vero paucitatem dicit. v. 29. not. — τὸ) Ubi defectio Israëlis ad summa venit, ibi eo ipso salus incipit.

v. 28. λόγον) rem *auditam*, adeoque *dictam.* Es. 28, 22. — συντελῶν καὶ συντέμνων) Subaudi, ut saepe apud Hebraeos, ἐστί. Conf. Act. 24, 5. 2 Petr. 1, 17. Hebr. כלה ונחרצה et כליון חרוץ Dominus λόγον de Israële συντελεῖ (ut sit כלה) ad poenam fixam; idemque λόγον συντέμνει (ut כלה quidem נחרצה sit) ad terminum poenae. *Dominus* subaudiendum ex seq. τὸ συντελῶν potest accipi vel pro subjecto, vel potius, quia articulus abest, pro parte praedicati. — ἐν δικαιοσύνῃ) משפח צדקה Jes. 10, 22.

v. 29. εἰ μὴ — ὡμοιώθημεν) Jes. 1, 9. LXX, καὶ εἰ μὴ — ὡμοιώθημεν. — προείρηκεν, *ante dixit*) *Ante* eventum, vel ante prophetiam versu 28. citatam. —

σαβαὼθ) Pro Hebraico צבאות in libro 1 Sam. et in Jesaja σαβαὼθ ponitur; in reliquis libris omnibus παντοκράτωρ. Ex quo non infirmam ducas conjecturam, alium interpretem, sive mavis, alios interpretes, duorum illorum, alios ceterorum fuisse librorum. Atque in eodem primo Samuelis libro Scriptura incipit hanc Dei appellationem ponere; quum ejus quasi loco aliae jam antea fuissent adhibitae. Exod. 34, 23. — σπέρμα, *semen*) Denotatur 1) paucitas praesens. 2) copia inde postliminio propaganda. — ὡς σόδομα, *ut Sodoma*) ubi nemo, civis, evasit; nullum *semen* relictum.

v. 30. τί, *quid*) Ex digressione, quam v. 24. in medio coeperat, revertens, totam rem v. 30—32. complectitur summatim; et tractationis a v. 6. ad 23. perductae severitatem mitigat, quam mitigationem nemo capiet, nisi qui viam fidei cognovit. Ex hoc denique tono praecedentia dijudicantur. — κατέλαβε) *sunt assecuta*. [Luc. 13, 29. 24.] — πίστεως, *fide*) v. 33. fin.

v. 31. νόμον δικαιοσύνης, εἰς νόμον δικαιοσύνης, *legem justitiae, in legem justitiae*) *Legem* non dixit v. praec. de gentibus: nunc dicit, de Judaeis. estque Ploce: de Justitia legali et evangelica. Dum unam legem persequitur, alteram non assequitur. Convenienter *legem justitiae* dicit, pro *justitia legis*. Judaei magis legem, quam justitiam spectabant. νόμος, doctrina, תורה. — οὐκ ἔφθασε) *non est assecutus*.

v. 32. ὅτι, *quia*) scil. *persecuti sunt*. — οὐκ — ἀλλ᾽ ὡς) Lexicon Basileense: *ὡς in comparatione dissimilium geminatur, et eleganter in priore membro subauditur alterum, posteriorique parti ὡς tantum adjungitur*. Exempla ibi subjiciuntur ex Aristotele: nos conferamus Joh. 7, 10. 2 Cor. 11, 17. it. Act. 28, 19. Phil. v. 14. Phil. 2, 12.

v. 33. ἰδοὺ τίθημι ἐν σιὼν λίθον προσκόμματος καὶ πέτραν σκανδάλου· καὶ πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται) LXX, Es. 28, 16., ἰδοὺ ἐγὼ ἐμβαλῶ εἰς τὰ θεμέλια σιὼν λίθον πολυτελῆ, ἐκλεκτὸν, ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον εἰς τὰ θεμέλια αὐτῶν· καὶ ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ οὐ μὴ καταισχυνθῇ. Es. 8, 14., καὶ οὐχ ὡς λίθου προσκόμματι συναντήσεσθε, οὐδὲ ὡς πέτρας πτώματι. Talis οὐ καταισχυνθήσεται, *non pudefiet*, atque adeo gloriam consequetur. conf. c. 5, 2. 5. Id *aeternam salutem* connotat. Es. 45, 17.

CAPUT X.

v. 1. Ἀδελφοὶ, *fratres*) Nunc quasi superata praecedentis tractationis severitate comiter appellat *fratres*. — μέν, *quidem*) Hanc particulam solet δὲ sequi: sed δὲ v. 2. absorbetur in ἀλλὰ, *sed*. — εὐδοκία, *beneplacitum*) *Lubentissime* auditurus essem de salute Israëlis. — δέησις, *oratio*) Non orasset Paulus, si absolute reprobati essent.

v. 2. [1]) ζῆλον θεοῦ, *zelum Dei*) Act. 22, 3. not. *Zelus Dei*, si non est contra *Christum*, bonus est. — οὐ κατ᾽ ἐπίγνωσιν, *non secundum scientiam*) Litotes. i. e. cum magna coecitate, congruit mox, *ignorantes*. Flacius: *Judaei habuere et habent zelum sine scientia: nos contra, proh dolor, scientiam sine zelo. Zelus* et *ignorantia* respicitur versu 19.

v. 3. ζητοῦντες, *quaerentes*) omni modo. — οὐχ ὑπετάγησαν, *non subjecti sunt*) neque ὑπήκουσαν *obedierunt*, v. 16. Ὑποταγὴ submittit se τῷ θέλειν divino, *voluntati* DEI.

v. 4. τέλος, *finis*) justitiam et vitam, quam lex ostendit, sed dare nequit, tribuens. Τέλος, *finis*, et πλήρωμα, *complementum*, sunt synonyma. coll. 1 Tim. 1, 5. cum Rom. 13, 10. itaque conf. cum hoc loco, Matth. 5, 17. Lex hominem

---

1) γὰρ, *enim*] Itaque in iis etiam, qui non sunt in statu gratiae, aliquid certe residere potest, quod eos, qui gratia gaudent, compellere ad intercessionem queat. *V. g.*

Digitized by Google

urget, donec is ad Christum confugit. tum ipsa dicit: *asylum es nactus, desino te persequi, sapis, salvus es.* — χριστὸς, *Christus*) Subjectum, *finis legis:* Praedicatum, *Christus* (scil. ὢν, *qui est*) *in* etc. [v. 6. 7. 9.] — παντὶ τῷ πιστεύοντι, *omni credenti*) Tractatur τὸ *credenti*, v. 5. s. τὸ *omni*, v. 11. ss. παντὶ, *omni*, ex Judaeis et gentibus. Caput 9. non est includendum in augustiores terminos, quam Paulus hoc laetiori et latiori capite 10. patitur, in quo regnat τὸ *omnis*. v. 11. seqq.

v. 5. γράφει, *scribit*) litera occidente. Antitheton v. 6. 8.: *dicit*, voce vivida. Par antitheton: *Moses*, in concreto; *quae ex fide est justitia*, in abstracto. — ὅτι ὁ ποιήσας κτλ.) Lev. 18, 5. LXX, ποιήσετε αὐτὰ, ἃ ποιήσας κτλ.

v. 6. ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη, *quae ex fide est justitia*) Metonymia suavissima. i. e. homo justitiam ex fide quaerens. — λέγει, *loquitur*) secum. — μὴ εἴπῃς) *ne dixeris:* nam qui ita dicit, is in lege, quod quaerit, non invenit; et quod in evangelio invenire poterat, non quaerit: justitiam videlicet ac salutem, quae et in Christo est, et credentibus praesto est in evangelio. Et tamen ita dicere necessum habet, quisquis tantum illud ex Mose audit: *faciens vivet.* — καρδίᾳ, *corde*) Fidei tribuitur etiam *os;* nam illa loquitur: at *incredulitas* fere mussat. — τίς κτλ.) Deut. 30, 11—14. LXX, ὅτι ἐντολὴ αὕτη, ἣν ἐγὼ ἐντέλλομαί σοι σήμερον, οὐχ ὑπέρογκός ἐστιν, οὐδὲ μακρὰν ἀπὸ σοῦ ἐστιν. οὐκ ἐν τῷ οὐρανῷ ἐστι, λέγων· τίς ἀναβήσεται ἡμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ λήψεται ἡμῖν αὐτὴν; καὶ ἀκούσαντες αὐτὴν ποιήσομεν. οὐδὲ πέραν τῆς θαλάσσης ἐστὶ, λέγων· τίς διαπεράσεται ἡμῖν εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης καὶ λήψεται ἡμῖν αὐτὴν; καὶ ἀκούσαντες αὐτὴν ποιήσομεν. ἐγγύς σου ἐστὶ τὸ ῥῆμα σφόδρα· ἐν στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ταῖς χερσί σου, ποιεῖν αὐτό. Ad hunc locum haec quasi parodia suavissime alludit, sine expressa allegatione. Loquitur Moses item de coelo, ut Paulus: sed ille deinde ait, *trans mare*, pro quo Paulus orationem *de abysso* dexterrime inflectit, ut e contrario mentionem facere possit resurrectionis Christi ex mortuis. Abyssus est ingens cavitas in globo terraqueo, sub mari simul et sub terra. confer, multis de rebus, Hiob 28, 14. 22. Phil. 2, 10. not. — τίς ἀναβήσεται, *quis ascendet*) Qui ita dicit, ostendit, se velle, sed negat, se posse ascendere, et, descendere, ut e longinquo petat justitiam et salutem. — τοῦτ' ἔστι, *hoc est*) Redarguitur perversitas eorum, qui dicunt: *quis ascendet in coelum?* nam perinde loquuntur, ac si non praesto esset verbum de *Domino coelesti*, quem os credentis confitetur Dominum, v. 9. et qui volunt salutem inde a coelo deducere, volunt Christum (quippe extra quem salus nulla est) e coelo, unde pridem descendit, deducere: atqui hoc fieri non potest. ergo ne illud quidem. In praesenti *hoc est* ter adhibetur magna vi.

v. 7. τοῦτ' ἔστι, *hoc est*) *Hoc* cum *dicere* construitur, ut substantivum et adjectivum. Redarguitur autem iterum perversitas eorum, qui dicunt: *quis descendet in profundum?* nam perinde loquuntur ac si non praesto esset verbum de *Christo ex mortuis resuscitato*, quem cor credentis resuscitatum agnoscit. eodem versu 9. et qui volunt salutem e *profundo terrae* petere, volunt Christum (quippe extra quem salus nulla est) e profundo, quod ille semel in resurrectione reliquit, adducere: atqui hoc fieri non potest. ergo ne illud quidem. Itaque credens neque coelum catenus moratur, neque profundum, rem tam prope habens, quam ipse est sibi. Infidelitas autem fluctuat. vult semper, nec scit, quid velit; quaerit semper, neque invenit quicquam. Itaque profundum cum vertigine intuetur, neque coelum cum laetitia adspicere potest. — χριστὸν, *Christum*) Infidelis *Christum* non suo, id est, Christi nomine aut e coelo aut ex abysso repetit: sed infideli ignoranti nomenclaturam *Christi* suggerit justitia ex fide hic loquens. q. d. illud, quod tu, o infidelitas, coelum et abyssum movens, ad coelum aut abyssum perfugiens, (ut apud Virgilium est, *Acheronta morere,*) quaeris, id

scito extra Christum nec a me cogitari, nec abs te inveniri posse. v. 4. Est locutio hypothetica. Id, quod fieri non potest, ut a coelo aut ex abysso petatur *justitia, procul;* removet Paulus: atque ita unum relinquit perfugium, verbum de Christo, quod est in *proximo.*

v. 8. ἀλλὰ, *sed*) Particula h. l. aut habet vim ἐπιτατικὴν, uti Matth. 11, 8. 9., aut cadit super ἐγγὺς *prope.* — ἐγγύς, *prope*) Christum non debemus quaerere procul, sed intra nos. Dum enim *fides* credere incipit, Christus habitat in corde. Quaeritur non ab iis tantum, qui modo incipiunt, sed etiam a proficientibus. Cant. 3, 1. Ps. 105, 3. 4. Hic enim sermo est, ut si justitia fidei secum ipsa colloqueretur. — ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου) Sic Hebr. sed LXX addunt, καὶ ἐν ταῖς χερσί σου. — τοῦτ' ἔστι) *Verbum, hoc est verbum fidei, prope est tibi.*

v. 9. ἐὰν) *si* modo. — ὁμολογήσῃς, *confessus fueris*) Confessio salvat non per se; alias infantes non possent salvari: sed quatenus fidem includit. — κύριον, *Dominum*) In hac appellatione est summa fidei et salutis. Qui *Dominum* fatetur Jesum, non demum conatur eum ex *coelo* deducere. — ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, *excitarit ex mortuis*) Speciale objectum fidei. Qui credit *resurrectionem* Jesu, non demum conatur eum ex mortuis adducere. v. 7.

v. 10. καρδίᾳ, *corde*) Probatur consequentia a mentione cordis et oris apud Mosen ad fidem et confessionem: quia nempe cor est fidei proprium subjectum, et os confessionis. ideo *corde* et *ore* sententias inchoat.

v. 11. λέγει, *dicit*) c. 9, 33. not. [1])

v. 12. οὐ γάρ ἐστι διαστολὴ, *non enim est differentia*) c. 3, 22. Hic non additur *primum Judaeis*, ut initio, c. 1, 16. — ὁ γὰρ αὐτὸς, *idem enim*) c. 3, 29. 30. — Κύριος, *Dominus*) v. 9. — πλουτῶν) *dives*, et largus. quem nulla quamvis magna credentium multitudo exhaurire potest; qui nunquam necesse habet restrictius agere.

v. 13. πᾶς ὃς ἂν, *omnis quicunque*) Act. 2, 21. not. Hoc monosyllabon, πᾶς, (*omnis.*) toto mundo pretiosius, propositum v. 12., ita repetitur v. 12. et 13., et ita confirmatur ulterius v. 14. 15., ut non modo significet, quicunque invocarit, salvum fore; sed, Deum velle, se invocari ab omnibus salutariter.

v. 14. 15. πῶς, *quomodo*) Climax retrograda: qua Paulus ab ulteriore quovis gradu ad citeriorem argumentatur, et hujus necessitatem, tum ex necessitate ipsam existentiam ejus infert. Qui vult finem, vult etiam media. Deus vult, ut homines invocent Ipsum salutariter. ergo vult, ut credant. ergo vult, ut audiant. ergo vult, ut habeant praedicatores. Itaque praedicatores misit. Omnia fecit, quae ad rem pertinerent. Voluntas ejus antecedens est universalis, et efficax.

v. 14. οὗ οὐκ ἤκουσαν) *quem*, scil. loquentem, in evangelio, v. 15., vel, se offerentem, *non audiverunt.*

v. 15. πῶς δὲ κηρύξουσιν, *quomodo vero praedicabunt*) sc. οἱ κηρύσσοντες, *praedicantes.* hoc verbum, uti antecedentia, in futuro positum est, imitatione Joëlis, apud quem extat τὸ *invocaverit*, v. 13., per prospectum illum ex V. T. in Novum. — καθὼς, *sicut*) i. e. non defuere nuncii. Esajas in spiritu alacres eorum gressus vidit. — ὡς — εἰρήνην, τῶν εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά), Es. 52, 7. LXX, ὡς — ἀκοὴν εἰρήνης, ὃς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά. — ὡραῖοι) ὥρα proprie dicitur de pulcritudine et amoenitate physica. — οἱ πόδες, *pedes*) eminus: quanto magis ora, cominus. — τῶν εὐαγγελιζομένων, *evangelizantium*) qui dum loquuntur, Ipse Dominus loquitur. Es. 52, 7. coll. v. 6.

v. 16. ἀλλ', *at*) Hic demum culpa notatur. — οὐ πάντες, *non omnes*) An-

---

1) οὐ καταισχυνθήσεται, *non pudefiet*] Injustitia et pernicies pudorem inferunt: gloriam, justitia et salus. *V. g.*

Digitized by Google

titheton: *omnis.* v. 11. ss. Culpa est hominum, speciatim Judaeorum. *non omnes,* i. e. fere nemo. confer statim, *quis?* — ὑπήκουσαν) Conf. ὑπὸ in ὑπετάγησαν, v. 3. Etiam ii debuerant et potuerant obedire, qui non sunt obedientes facti. — λέγει) *dicit,* mox sub verba v. 15. citata. Vid. Joh. 12, 38. not.

[1]) v. 17. ἄρα) *igitur.* Ex prophetae querela de auditorum infidelitate infert, non deesse verbum Dei, et praedicationem, tanquam propriam fidei causam et ansam. — ἐξ ἀκοῆς) ἀκοὴ, *auditio,* et hinc *oratio, sermo, praedicatio.*

v. 18. μὴ οὐκ ἤκουσαν; *num non audiverunt?*) *num* facultas audiendi defuit, quando non nisi ex auditu fides est? — εἰς πᾶσαν — ῥήματα αὐτῶν) Sic LXX, Ps. 19, 5. In eo Psalmo est Comparatio, et protasis quidem v. 2—7., apodosis autem v. 8. seqq. Inde liquido eadem ratio Praeconii coelorum et evangelii, omnia penetrans, perspicitur. Comparatio nititur maxime allegatione apostolica, nec textui vim infert. — ὁ φθόγγος, *sonus*) Ps. 19, 5. קו. Id Aquila olim verterat κανών. conf. omnino 2 Cor. 10, 13. Sua cuique apostolo definita erat regio et quasi provincia, quo vox ejus esset perventura. Sed *canon* est tantum singulorum: *sonus* sive *sermo,* ad cunctam terram pertinet.

v. 19. μὴ οὐκ ἔγνω ἰσραήλ; *num non novit Israël?*) Sensus est: Israëlem potuisse et debuisse agnoscere justitiam Dei: sed non voluisse. v. 3. Idque ostenditur nunc ex Mose et Esaja. Paulus cap. 9—11. frequenter appellat *Israëlem,* non *Judaeos.* — πρῶτος μωϋσῆς, *primus Moses*) Moses, sub quo Israël formam populi accepit, jam tum dixit. — ἐγὼ — ὑμᾶς — ὑμᾶς) Deut. 32, 21. LXX, κἀγὼ — αὐτοὺς — αὐτούς. — οὐκ ἔθνει) Latine possis dicere: *Ne-gente.* Quemadmodum populus deos non-deos secutus est: ita Deus, perfidiam populi ulciscens, populum non populum, populum, qui non habebat Deum, populum Israëli plane dissimilem, suscepit. Sic *populi* nomen redit non v. 20., sed v. 21. — ἀσυνέτῳ, *insipiente*) Sapientia populum facit. Job. 12, 2. Itaque populus insipiens est *non gens;* populus, qui Deum non novit, est *insipiens.* גוי est μέσον vocabulum, quo etiam Israël notatur. Epitheton נבל gentes alias notat.

v. 20. ἀποτολμᾷ) Quod Moses innuerat, Esajas *audacter et plane eloquitur.* — εὑρέθην, *inventus sum*) praesto fui. Es. 65, 1. LXX, ἐμφανὴς ἐγενήθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν.

v. 21. ὅλην, *totam*) Es. ib. v. 2. LXX, ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου ὅλην τὴν ἡμέραν πρὸς κτλ. Conf. *totam diem,* c. 8, 36. vid. *J. C. Pfaffii,* de gratia Dei *continua,* dissertatio insignis. — ἐξεπέτασα, *extendi*) Metonymia antecedentis: *sinunt me extendere manus, nec veniunt.* Vel hoc uno verbo refellitur dogma de duplici voluntate divina, beneplaciti et signi. — ἀπειθοῦντα, *non credentem*) corde. — ἀντιλέγοντα, *contradicentem*) ore conf. v. 8. seq.

CAPUT XI.

v. 1. Μὴ ἀπώσατο) *num* totum *abdicarit.* Sic Gideon, in fide expostulans, ait: νῦν ἀπώσατο ἡμᾶς. Jud. 6, 13. At, οὐκ ἀπώσεται Κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ. Ps. 94, (93,) 14. Num abdicavit, inquit Paulus, ita, ut jam non sint populus Dei? Quum c. 10. gratiam erga gentes et defectionem Judaeorum tam graviter exposuit, objici hoc posset. respondet igitur: absit, ut a Deo rejectum dicamus populum ejus: ubi ipsa *populi ejus* appellatio rationem negandi continet. Illud *absit* declaratur (1) de praesenti tempore populi offendentis: et nunc esse aliquos, (conf. Act. 21, 20. not.) et crescente deinceps gentium introitu permultos fore, qui credant ex Israël. hi dicuntur *reliquiae* et *electio,* v. 5. 7. (2) de futuro: ipsum populum aliquando conversum iri. v. 24. not. — ἐγὼ, *ego*) Paulus

---

1) ἡμῶν, *nostrae*] tuorum, inquit, legatorum. *V. g.*

Digitized by Google

ab individuo ad genus mavult concludere in bonam partem, quam a genere ad speciem in contrariam partem: *ego*, persecutor quondam, repelli dignus. Genus, Judaei universi: Species, credentes ex Judaeis (quorum unus erat Paulus in individuo) vel, credituri.

v. 2. προέγνω) *prius agnovit*, ut populum sibi proprium. v. 29. — ἐν ἡλίᾳ, *in Elia*) in historia Eliae, qui in summis erat angustiis, qui solus sibi videbatur; quum ad majorem paucitatem, quam unquam, venisset Israël. — ἐντυγχάνει) Hesychius, ἐντυγχάνει, προσέρχεται. conf. Act. 25, 24. 1 Macc. 8, 32.

v. 3. Κύριε, τοὺς προφήτας σου — τὴν ψυχήν μου) 1 Reg. 19, 14. LXX, ἐγκατέλιπον τὴν διαθήκην σου οἱ υἱοὶ ἰσραὴλ, τὰ θυσιαστήριά σου καθεῖλον, καὶ τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ὑπολέλειμμαι ἐγὼ μονώτατος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου λαβεῖν αὐτήν. Observanda stili apostolici subtilitas: LXX μονώτατος h. l. ut saepe: Paulus, μόνος.

v. 4. κατέλιπον, *reliqui*) ne eos occidat Hasaël, Jehu, Elisa. LXX, l. c. v. 18.: καὶ καταλείψω ἐν ἰσραὴλ ἑπτὰ χιλιάδας ἀνδρῶν, πάντα γόνατα ἃ οὐκ ὤκλασαν γόνυ τῷ βάαλ. Ex verbo *reliqui* derivatur λεῖμμα *reliquiae*, v. seq. — ἐμαυτῷ, *mihi ipsi*) Hoc Paulus addit emphaseos causa, in antitheto ad querelam Eliae de sua *solitudine*. Dominus novit suos. — ἑπτακισχιλίους, *septem millia*) in populo ad miram paucitatem redacto, numerus non parvus, imo ipse totus. 1 Reg. 20, 15. Ex his tota X duntaxat tribuum posteritas propagatur. Hebr. כל i. e. *mere tales*, nullo Baalita admixto. Non dico, eadem fuisse individua 1 Reg. 20, 15. et 19, 18., sed par est numerus 7000, in cap. 20, 15., et, circiter 70 post annis, in cap. 19, 18., post Hasaëlem, Jehu et Elisam. conf. 2 Reg. 13, 7. 14. — ἄνδρας, *viros*) Viri maxime veniebant in censum, et intererant cultui publico. horum igitur conjuges et liberi accedunt etiam ad septem millia. — τῇ βάαλ) Foemininum, subaudito εἰκόνι, *imagini* Baal, ad contemtum, in antitheto, *viros*. Sic LXX quoque Jud. 2, 11. etc. Sub immunitate a cultu Baal continetur immunitas a cultu vitulorum.

v. 5. οὖν, *ergo*) Consequentia a V. T. ad N. T.

v. 6. χάριτι, *gratia*) Alia vis dativi; alia particulae ἐκ cum genitivo. Ille vehiculum potius seu instrumentum innuit, quasi canalem, in sensu puro: haec, magis proprie, causam materialem, principium, fontem. — οὐκ ἔτι, *jam non*) Hoc, quater positum, ostendit vim consequentiae. Absolutum decretum est hoc, quod Deus decrevit: *Justos faciam non nisi ex fide, neminem ex operibus*. Hoc nemo perrumpet. — γίνεται — ἐστὶν, *fit — est*) Subtilis et apta verborum differentia. Natura quaerit opera: fides agnoscit gratiam supervenientem, γενομένην. sic, ἐγένετο, Joh. 1, 17. φερομένην χάριν, 1 Petr. 1, 13. — εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις· ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον, *si vero ex operibus, jam non est gratia: si quidem opus jam non est opus*) Ex inciso illo, *jam non ex operibus*, infertur illud, *Israël non est assecutus*: et ex hoc inciso, *jam non est gratia*, infertur hoc, *electio est assecuta*. Prior pars hujus versus excludit opera; altera gratiam statuit, coll. v. 5. Prior facit protasin; altera apodosin, quae semper est pars magis necessaria, et hoc loco male a nonnullis omissa. Conf omnino c. 4, 4. 5. Eph. 2, 8. 9. Opposita sunt *gratia* et *opus* פְּעֻלָּה LXX ut plurimum interpretantur ἔργον. v. gr. Ps. 109, 20.

v. 7. ἡ ἐκλογὴ, *electio*) praecipue ex Israëlitis. *electio*, i. e. electi, quia electi, assequuntur.

v. 8. ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν) Deut. 29, 4.: καὶ οὐκ ἔδωκε Κύριος ὁ θεὸς ὑμῖν καρδίαν εἰδέναι, καὶ ὀφθαλμοὺς τοῦ βλέπειν, καὶ τὰ ὦτα ἀκούειν, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. Es. 29, 10.: LXX, πεπότικεν ὑμᾶς Κύριος πνεύματι κατανύξεως, καὶ καμμύσει τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν κτλ. Adde Matth. 13, 14. not. ἔδωκεν, *dedit*, justissimo ju-

Digitized by Google

dicio, et dixit eis, *habete.* — κατανύξεως) Κατάνυξις h. l. notat πάθος ex frequentissima punctione in stuporem desinens. In bonam partem sumitur Act. 2, 37., et saepissime apud scriptores asceticos. Latinis, *compunctio.* — ἕως, *usque*) Tacita limitatio. 2 Cor. 3, 14.

v. 9. γενηθήτω — αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς θήραν, καὶ εἰς σκάνδαλον καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς. — σύγκαμψον) Ps. 69, 23. 24. LXX, γενηθήτω — αὐτῶν ἐνώπιον αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν καὶ εἰς σκάνδαλον. — σύγκαμψον. — τράπεζα, *mensa*) שֻׁלְחָן Ps. 69, 23., ubi coll. v. praec. est allegoria. Id est, dum cibum capiunt securi, capiantur. — σκάνδαλον, *scandalum*) H. l. magis proprie accipitur, ut synonyma *laqueus* et *captio.* nam σκάνδαλον, *scandalum,* est illud mobile tigillum in decipula. Respondet מוֹקֵשׁ Psalm. cit. Gradatio: *laqueus* tenet partem, pedem; *captio,* totum: *scandalum* non solum capit, sed etiam laedit. — ἀνταπόδομα, *retributionem*) Culpa igitur eorum intercesserat, non absolutum Dei decretum.

v. 10. σκοτισθήτωσαν — σύγκαμψον) Qui habent oculos obtenebratos, et dorsum incurvatum, sane πταίουσι, *titubant,* v. 11., et ruunt in decipulam.

v. 11. ἔπταισαν) πταίω proprie de *pedum* titubatione dicitur. Conf. Jac. 3, 2. not. Proprietas physica verbi πταίω et de pede et de lingua opponitur significatui morali. — ἵνα πέσωσι) *ut caderent* plane, cuncti, idque sine instauratione? Locutio adagialis. aliquo modo *cecidere,* v. 22., sed non prorsus. — τοῖς ἔθνεσιν, *gentibus*) Ipsum articulum rei gestae habemus Act. 13, 46., *ecce.* — εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς, *ut ad zelum provocarentur*) Israëlitae, ad fidem. v. 14. [*Fac, Lector, tu quoque quavis re ad zelum provoceris, haud mediocriter valiturus gratia.* V. g.] Aliter hoc verbum occurrit c. 10, 19.

v. 12. εἰ δὲ, *si vero*) Duas partes habet hic versus. prior tractatur v. 13. s. posterior, *quanto* etc. tractatur v. 23. s. — κόσμου — ἐθνῶν, *mundi — gentium*) *Mundus* connotat qualitatem, παράπτωμα *lapsum* pristinum; *gentes,* quantitatem sive multitudinem, cui opponitur ἥττημα, *paucitas.* unde τὸ πλήρωμα dicit mox *copias* Israël abundantes gratia. — ἥττημα) *paucitas.* oppositum πλήρωμα, *abundantia.* Es. 31, 8., ἔσονται εἰς ἥττημα. — πόσῳ μᾶλλον, *quanto magis*) Nam ubi multa sunt semina, eorum major est proventus. — τὸ πλήρωμα αὐτῶν, *abundantia eorum*) Subaudi, *erit divitiae gentium.* ergo etiamsi Judaei credidissent initio, non exclusae fuissent gentes. Idem verbum, v. 25.

v. 13. ὑμῖν) *vobis,* non ut vos efferamini, sed ut Judaei invitentur. — διακονίαν, *ministerium*) apostolatum in gentibus. — δοξάζω, *glorifico*) Nempe Paulus amplificat gratiam ethnicis datam, ejusque in ipsos Israëlitas reciprocandam abundantiam. Et hic causam reddit, cur eam gratiam sic amplificet.

v. 14. τὴν σάρκα, *carnem*) i. e. fratres. Es. 58, 7.

v. 15. γὰρ, *enim*) Particula cum propositione connectens tractationem. — ἀποβολὴ, *jactura*) Antitheton, *assumtio:* sed eo sensu, ut Deus dicatur *assumere* per gratiam; homines, ἀποβάλλεσθαι, *jacturam pati,* sua culpa. Super *jactura* Judaeorum gentes *assumtae* sunt et gratiam consecutae. v. 30. — πρόσληψις) αὐτῶν. Hesychius: πρόσληψις, γνῶσις. Conf. προσελάβετο, c. 14, 3. Τίς concludit a minori ad majus. ἀποβολὴ, *jactura,* et πρόσληψις, *assumtio,* sunt contraria: itaque καταλλαγὴ, *reconciliatio,* praemittitur τῆ ζωῆ ἐκ νεκρῶν, *vitae ex mortuis,* quae multo plus dicit. — ζωὴ, *vita*) *mundi.* v. 12. — ζωὴ ἐκ νεκρῶν, *vita ex mortuis*) id quod multo majus et optabilius. Sensus: *vita eorum, qui fuerant mortui.* Ez. 37, 3. fs. ita ἐκ, *ex,* c. 6, 13. 2 Cor. 4, 6. Sermo est de vivificatione totius: ut non sit residua massa mortua. Totius generis humani sive mundi conversio comitabitur conversionem Israëlis.

v. 16. ἡ ἀπαρχὴ, *primitiae*) patriarchae. — ἁγία, *sanctae*) Deo dicatae et acceptabiles. conf. v. 15. cum 1 Tim. 4, 4. 5. — φύραμα, *massa*) Num. 15,

Digitized by Google

20. 21., ἀπαρχὴ φυράματος. — ἡ ῥίζα, *radix*) stirps patriarchalis, naturaliter, nec non ut compos circumcisionis et promissionis spectata. *Vellero*, post Origenem, *radix* est Christus: *rami*, etiam patriarchae, ex quibus natae *primitiae*.

v. 17. σὺ, *tu*) tu *Romane*, gentilis. — ἀγριέλαιος, *oleaster*) calamus *oleastri*. Synecdoche δεινή. [*Id nostra etiamnum aetate tristis experientia clamat. Promiscua multitudo, veri christianismi impatiens, ruditate perquam agresti laborat; ne iis quidem exceptis, qui virtutem atque scientiam haud vulgarem ostentant.* V. g.] — ἐν αὐτοῖς) *inter eos: eos* non refertur ad τὸ *quidam*, sed ad *ramos* in universum. — συγκοινωνὸς) Saepe σὺν dicit Paulus de gentibus. Eph. 2, 19. 22. 3, 6. conf. μετὰ, Rom. 15, 10.

v. 18. μὴ κατακαυχῶ, *noli gloriari contra*) Videant, ne *glorientur contra*, qui negant conversionem Judaeorum. — οὐ σὺ, *non tu*) Subaudi, *scito, memento, non te* etc.

v. 19. ἵνα, *ut*) Haec particula exprimit vim *gloriationis*. confer autem, *propter vos*, v. 28., et τῷ, v. 31.

v. 20. τῇ ἀπιστίᾳ — τῇ πίστει, *infidelitate — fide*) Neutrum (inquit Paulus) absolute. nam si absolute, gloriationi locus esset, quae hic refutatur. *fides*, Dei donum, demissos faciens. — ἕστηκας) *hunc statum es adeptus et adhuc tenes*. oppositum: *eos, qui ceciderunt*. v. 22. — μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ) Prov. 3, 7., μὴ ἴσθι φρόνιμος παρὰ σεαυτῷ, φοβοῦ δὲ τὸν θεόν. — φοβοῦ, *time*) Timor opponitur non fiduciae, sed supercilio et securitati.

v. 21. μήπως) repete, φοβοῦ. — φείσεται) Indicativus, particula μήπως quasi praetermissa, magis categorice sonat. Cum μήπως cel. *Baumgartenius* legi mavult φείσηται. At *Mart. Crusius* ἵνα, ὡς, ὅπως, μὴ, aliquando cum indicativo futuro poni docet, Gramm. Gr. Part. II. pag. 867., et praeter cetera notat illud *Demosthenis*, ὅπως τὰ παρόντα ἐπανορθωθήσεται. Alia exempla collegit *Blackwallus* in class. sacris, p. 432. ed. Woll. ubi hunc ipsum Pauli locum elegantiae nomine laudat. Certe oratio magis categorica timorem movet.

v. 22. χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν, *bonitatem et severitatem*) Sejugatio gravis. — ἐπιμείνῃς, *permanseris*) Est *permanere* in bono, hic: in malo, v. seq. Illud describitur ex parte Dei; hoc, ex parte hominis. Conf. v. 28. 30. s. Non permansit Romanus in bonitate, invecta operum justitia. — ἐπεὶ, *alioquin*) Fideles possunt deficere et labi. — ἐκκοπήσῃ, *excideris*) ferro. non modo ἐκκλασθήσῃ, *defringeris*, ut illi, manu. כרת LXX ἐκκόπτω. Jer. 44, 8. non tamen eo plerumque sensu, quo ἐξολοθρεύω.

v. 23. ἐὰν μὴ, *si non*) Ergo conversio eorum non erit irresistibilis. — δυνατὸς, *potens*) Praecipua objectio esse poterat: quomodo convertentur Judaei, qui tot seculis id agunt, ut se subducant fidei et oracula V. T. a vero Messia deducant et credentibus eripiant? Respondet Paulus: *potentiam* Deus habet. conf. *potens*, c. 14, 4. Et hujus potentiae gloriam, cui nemo gentium obniti potest, ostendet. Magnum igitur opus erit! — πάλιν, *iterum*) non modo minore numero, ut nunc; sed majore, ut antea, quum essent populus Dei.

v. 24. ἀγριελαίου, *oleastro*) Magnum discrimen eorum, qui verbum revelatum vel non habent, vel habent; quantum interest inter oleastrum et oleam. — παρὰ φύσιν) plane *praeter naturam*. nam in re hortensi insitio, quae duas arbores naturae item diversae quidem copulat, calamum, quem fructus sequitur, mitem stirpi silvestri committit: Paulus autem calamum oleastri in oleam dicit insitum esse, ut oleae pinguedinem sequatur. — πόσῳ μᾶλλον, *quanto magis*) Sensim a *posse* venit ad *esse*. Sane incrementum sumit oratio. ante Paulus ex prophetis demonstravit, plures esse malos in Israël, quam bonos: nunc item ex prophetis demonstrat, plures fore bonos, quam malos. Atque hoc ille dum ex-

Digitized by Google

promit, *mysterium* appellat, aptum ad retundendum fastum gentium, ne putent, partes Judaeorum semper inferiores fore.

v. 25. μυστήριον, *mysterium*) Paulus *mysteria* vocat non semper ea dogmata, quae fidelibus initio sunt necessaria cognitu: sed arcana, multis etiam fidelibus ignota, donec illis ea, fidei charitatisve causa, re cogente, ex Scripturis antehac obsignatis aperirentur. Conf. 1 Cor. 15, 51., et, in re pari, Eph. 3, 3. *Mysterium* fuerat vocatio gentium: c. 16, 25. nunc item *mysterium* est conversio Israëlis. [*Itaque diversum quiddam innuitur a tali conversione, qualis Pauli temporibus quotidie prostabat.* V. g.] Utrumque, magna pars illius *mysterii*, quod confirmatur Ap. 10, 7. Porro si mysterium est, patienter ferri debent, qui non agnoscunt tam cito; et sperari tempus, quum omnes agnoscent. — [1]) φρόνιμοι, *prudentes*) *somniantes, ecclesiam Romanam non posse deficere.* Cluverus. Ipsa *mysterii* appellatio fastum lectorum retundit. Hinc repetitur monitum c. 12, 16., quod jam extat v. 20. not. — ἀπὸ μέρους, *ex parte*) Molliter loquitur. nam οἱ πωρωθέντες, *qui indurati sunt*, erant ut arena maris, v. 7. cap. 9, 27. Itaque conversio, quae non erit *ex parte*, sed *omnis Israëlis*, v. seq. erit longe abundantissima. Atque interea etiam semper aliqui convertuntur: cui rei fideles semper invigilare convenit. — πλήρωμα, *plenitudo*) *supplementum copiosissimum.* antitheton: *ex parte.* Nulla remanebit gens, cui non praedicatum fuerit evangelium in toto orbe; etiamsi magna pars hominum mala sit mansura. — εἰσέλθῃ, *ingressa fuerit*) Joh. 10, 9. 16. Ingressum hunc multis jam seculis multa sufflaminant, suo tempore perrumpenda, ut plenitudo gentium, pridem vocata, penitus intret: ac tum Israëlis *obduratio* desinet. Ps. 126, 2. 3. *Ad zelum* christianum Paulus *provocat* Israëlitas: idque praesupponit gentes ante Israëlem conversas, et tamen potest per plenam Israëlis conversionem deinde reliqua copia gentium lucrifieri. v. 11. 12. 15. 31. Ez. 39, 7. 21. ss. 27.

v. 26. καὶ οὕτω, *et sic*) Non dicit, *et tunc*, sed majore vi, *et sic*, quo ipso τὸ *tunc* includitur. nempe ipso introitu gentium terminabitur coecitas Israëlis. — πᾶς ἰσραὴλ, *omnis Israël*) Israël gentibus contradistinctus, de quo v. 25. Dicuntur שאירית et פליטה respectu eorum, qui periere: sed ipsum *Residuum*, in se copiosum, totum convertetur. Mich. 2, 12. — σωθήσεται) Hoc ipsum *Latinus* expressit, *salvus fieret.* non inepte. Sententia haec inest: *plenitudo gentium intrabit, et sic omnis Israël salvus fiet.* sed ἄχρις οὗ *usque dum* mutavit verbum prius, εἰσελεύσεται, in εἰσέλθῃ, manente altero, σωθήσεται. Talia vide notata ad Marc. 3, 27. Sensum expressit Latinus. — ἥξει ἐκ σιὼν — διαθήκη, ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν) Es. 59, 20. 21. LXX, καὶ ἥξει ἕνεκα σιὼν — διαθήκη, εἶπε Κύριος κτλ. Es. 27, 9. LXX, καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ εὐλογία αὐτοῦ, ὅταν ἀφέλωμαι τὴν ἁμαρτίαν αὐτοῦ κτλ. Hebr. *et veniet* גואל לציון *Sioni* (ejusque bono) *Redemtor, et revertentibus a* transgressione *in* Jacob. Paulus c. 3. in descriptione peccati allegarat Psalmum 14. et Esajae caput 59. potissimum: nunc in descriptione salutis eosdem textus conjungit. ἐκ σιὼν, ait, ut LXX, Ps. 14, 7. Venit Redemtor (ἐκ) e Sione, et (ὁ ἕνεκα) bono Sioni. Adventus factus est pridem: fructus ad summa perveniet suo tempore. *Sion* est totum, in bonam partem; *Jacob* h. l. est totum, in partem sequiorem: *revertentes*, sunt pars.

v. 27. αὕτη, *hoc*) de quo v. praec. — παρ' ἐμοῦ, *a me*) Ipse faciet. — διαθήκη, *testamentum*) scil. *tum erit, tum expedietur.* — τὰς ἁμαρτίας) *peccata*, et ortas inde miserias.

v. 28. ἐχθροὶ) *hostes.* Igitur obstinatio Judaeorum non debet allegari in praejudicium conversionis eorundem. Porro dicuntur *hostes*, active; mox *di-*

---

1) ἵνα μὴ, *ne*] Nullum unquam mysterium curiositatis caussa considerandum est: humiliatio semper quaerenda. *V. g.*

Digitized by Google

lecti, passive: (utrumque respectu Dei, non modo respectu Pauli:) malum imputandum homini; bonum proficiscitur a Deo. Sic quoque opponuntur inter se misericordia et infidelitas. v. 30. ss. — δι' ὑμᾶς, *propter vos*) v. 31. 12. 15.

v. 29. ἀμεταμέλητα, *quorum non poenitet*) Axioma vere apostolicum. Absolutum quiddam significatur: nam Deus non in perpetuum cedet infidelitati populi sui. Poenitudo abscondita est ab oculis Domini. Hos. 13, 14. — χαρίσματα, *dona*) erga Judaeos. — κλῆσις, *vocatio*) erga gentes.

v. 30. καὶ) Particulam, obelo quondam a me notatam, recepi dudum [1]): et nunc cel. *Baumgartenii* consensu delector. — ἠπειθήσατε, *increduli fuistis*) *Incredulitas* cadit etiam in eos, qui ipsi non audivere verbum Dei; quia tamen primitus id in Patriarchis, Adamo, Noacho, susceperant.

v. 31. ἠπείθησαν, *increduli fuerunt*) relicti sunt infidelitati suae. — τῷ ὑμετέρῳ, *vestra*) Genitivus objecti, uti τὰ ἐλέη δαυίδ. 2 Chron. 6, 42. רצון דמך Ps. 106, 4. — ἐλέει, *misericordia*) Constr. cum ἐλεηθῶσι, *misericordiam consequerentur*; nam ἵνα, *ut*, saepe transponitur: et versu 30. *incredulitas* Judaeorum praecedit *misericordiam* gentium: quare versu 31. *misericordia* gentium non praecedit *incredulitatem* Judaeorum eandem. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — ἐλεηθῶσι, *misericordiam consequerentur*) misericordiam eam, quae fidem antecedit, nec nisi per fidem, qua retractatur ἀπείθεια, *incredulitas*, agnoscitur et accipitur.

v. 32. συνέκλεισε) *simul concludit*, Judaeos et gentes. conf. Gal. 3, 22. not. Phrasis LXX Int. εἰς θάνατον συνέκλεισε. Ps. 78, 50. — εἰς ἀπείθειαν, *in incredulitatem*) Eph. 2, 2. Qui vim *incredulitatis* experti sunt, tandem purius se ad fidem recipiunt. — ἵνα) *ut*. Res ipsa efficietur. — τοὺς πάντας) *universos*, cunctos. conf. v. 30. 31. — ἐλεήσῃ, *misereretur*) Misericordia Ejus ab illis agnita, v. 6.: fide eis ab Ipso donata.

v. 33. ὦ βάθος, *o profunditas*) Paulus cap. 9. quasi in freto navigarat; nunc, in oceano. *profunditas divitiarum* describitur v. 35., et respicit ad cap. 9, 23. 10, 12. (quare non debet in epitheton resolvi:) *profunditas sapientiae*, v. 34.: *profunditas cognitionis*, v. 34. Conf. de divitiis et sapientia, Eph. 3, 8. not. et Ap. 5, 12. Dignae sunt observatu et collectu differentiae vocum biblicarum. *Sapientia* dirigit omnia ad finem optimum: *cognitio* novit finem illum et exitum. — ὡς, *quam*) Nemo scrutatur, nemo pervestigat, nisi Ipse. Hic et v. 34. s. est chiasmus, coll. anteced. et conseq. *Profunditas* describitur altera parte versus 33. *Cognitio* ipsa, ut diximus, v. 34., *quis enim —: sapientia* ipsa *aut quis —: divitiae* ipsae, v. 35. — τὰ κρίματα, *judicia*) circa infideles. — αἱ ὁδοὶ, *viae*) circa fideles. Gradatio. Viae sunt quasi in plano; judicia, profundiora. ne vias quidem pervestigamus.

v. 34. τίς γὰρ — ἐγένετο) Es. 40, 13. LXX, τίς ἔγνω — καὶ τίς αὐτοῦ σύμβουλος ἐγένετο; *Quis?* i. e. nemo; nisi ipse. — γὰρ, *enim*) Sequitur expressior scripturae allegatio. In dogmatibus probandis adhibetur formula, *scriptum est:* aliis in locis saepe ea praetermittitur. c. 12, 20. — νοῦν Κυρίου, *mentem Domini*) Esajas: את רוח יהוה *Spiritum Jehovah*. Paulus ponit versionem τῶν LXX. Ceteroqui non sunt synonyma רוח et νοῦς. Optima autem est consequentia: nemo capit Spiritum: ergo nemo capit mentem sive sensum Domini. Implicitus est ad SS. Trinitatem respectus. confer, ad τὸ εἰς αὐτὸν v. 36., Es. 34, 16. fin. — σύμβουλος) Non modo neminem fuisse σύμβουλον, dicit Paulus, sed ne nunc quidem esse posse. σύμβουλος autem est vel *particeps consilii*, vel certe *conscius*. nam modo dixit: *quis enim novit mentem Domini?* Et tamen multi in disceptationibus, v. gr. de ortu mali, quae multo profundiores oeconomiae divinae recessus

1) *Conspirat* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

tangunt, quam haec, quae inter v. 32. et 33. ab apostolo religiose abrumpitur, (multum enim interest inter lapsum multorum angelorum totiusque generis humani, et inter casum Israëlitarum,) perinde se jactant, ac si non modo consiliarii Domini, sed etiam quaesitores, patroni, vel judices essent. Scriptura ubique subsistit in eo, quod Dominus voluit, et dixit, et fecit: rationes rerum universalium singulariumve non pandit: de iis, quae nostram superant infantiam, ad aeternitatem remittit fideles, 1 Cor. 13, 9. ss. Ceteros, importunos scrutatores, torquebit et uret sciendi sitis, in aeternum.

v. 35. ἢ τίς κτλ.) Haec verba, apud LXX, Es. cap. cit. v. 14., alii habent; alii non habent. at Job. 41, 2. Hebr. et Vulg. ita habent: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Omnia quae sub coelo sunt, mea sunt.*

v. 36. ἐξ αὐτοῦ καὶ δι αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν, *ex Eo et per Eum et in Eum*) Denotatur Origo et Cursus et Terminus rerum omnium. conf. 1 Cor. 8, 6. [*Porro,* ἐξ αὐτοῦ *divitiarum est*: δι αὐτοῦ, *sapientiae*: εἰς αὐτὸν, *cognitionis*. V. g.] — ἡ δόξα, *gloria*) Divitiarum, Sapientiae, Cognitionis. [*Hac doxologia* Omnipotentiae *simul,* Sapientiae *et* Amoris *divini laus continetur, unde* vires, intellectum *ac* beatitudinem *hauriunt creaturae.* V. g.] — ἀμήν. *amen*) Verbum finale, in quod affectus apostoli, quum ad suprema venit, desinit.

CAPUT XII.

v. 1. Παρακαλῶ, *hortor*) Moses jubet: apostolus hortatur. Solet Paulus hortationes ponere dogmatibus antea tractatis congruentes. Eph. 4. coll. cap. 3. Sic h. l. usus generalis ex tota tractatione continetur v. 1. 2., ut allegationes statim subsequentes demonstrant. Usus speciales, a v. 3. usque ad conclusionem epistolae, ostendimus ad cap. 1, 16. — διὰ τῶν οἰκτιρμῶν, *per miserationes*) Totum noëma derivatur ex cap. 1—5. vocabulum fluit ex antitheto *irae*, c. 1, 18. nam innuitur hoc loco tota oeconomia gratiae sive misericordiae, ab ira nos eximens, et *gentes* inprimis ad officium excitans. c. 15, 9. Qui *misericordia* Dei recte movetur, in omnem Dei *voluntatem* ingreditur. [*At anima irae obnoxia vix quiddam juvatur adhortationibus. Saxum perfundis oleo.* V. g.] — παραστῆσαι, *sistere*) In tanto officiorum catalogo Paulus nil earum rerum habet, quae hodie apud Romanenses fere utramque paginam faciunt. παραστῆσαι, repetitur ex c. 6, 13. 16. 19. *sistere.* Oblatio *vira sistitur;* non mactatur. — σώματα, *corpora*) Antitheton ad nefarium *corporum* abusum apud gentes. c. 1, 24. Sequuntur enim mox plura antitheta, ejusdem capitis respectu. Corpus plerumque impedit animam: corpus Deo siste; anima non deerit. c. 6, 12. Vid. etiam cap. 7, 4. Hebr. 10, 5. Vice versa, *anima* magistratui subjecta, etiam corpore parebit. c. 13, 1. — σώματα, λατρείαν, *corpora, cultum*) Appositio metonymica, corpus et animam innuens. — θυσίαν, *victimam*) peccato mortificato. conf. de hoc sacrificio, c. 15, 16. — ζῶσαν, *virentem*) ea vita, de qua cap. 1, 17. 6, 4. ss. Abominabile est, cadaver offerre. — ἁγίαν, *sanctam*) qualem postulat *sancta* lex. c. 7, 12. — εὐάρεστον, *bene placentem*) cap. 8., maxime v. 8. — τῷ θεῷ, *Deo*) Constr. cum παραστῆσαι, *sistere.* — λογικὴν, *rationalem*) sincerum, (1 Petr. 2, 2.) respectu intellectus et voluntatis. congruit verbum δοκιμάζειν, v. 2. φρονεῖν κτλ. v. 3. Gentium λατρεία, ἄλογος. c. 1, 18. seqq. 25. Judaeorum confidentia, ἄλογος, c. 2, 3. at Christianus omnia recte reputat, et ex beneficio Dei miserentis colligit officium suum. Verbo illi, quod saepe ponit, λογίζεσθαι, cap. 3, 28. 6, 11. 8, 18., nunc respondet epitheton. λογικὸν γάλα, 1 Petr. l. c. est periphrasis *verbi* ipsius, *Lac verbi:* hic vero λατρείας *cultus* epitheton est λογικὴ, *rationalis.* Ἄδολον dicit Petrus: *Verbum* est sincerum, et *cultus* ex verbo est sincerus.

Digitized by Google

v. 2. μὴ συσχηματίζεσθε — ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε) μορφὴ, *forma*, penitius et perfectius quiddam notat, quam σχῆμα, *habitus*. conf. Phil. 2, 6. 8. 3, 21. A *forma* interna non debet abludere *habitus* sanctorum externus. — αἰῶνι, *seculo*) quod totum, neglecta *Dei voluntate*, suitatem sequitur. — δοκιμάζειν, *probare*) Hoc quoque pertinet ad illam μορφὴν *formam* novam. Antitheton, c. 1, 28. [*Dum quis haeret in antiquitate mentis, voluntatem DEI, utut sagacissimus, probare nescit. Modo haec modo ista defendere conabitur, DEUM sui similem opinatus.* V. g.] — [1]) καὶ τέλειον, *et perfectam*) Qui oblationem *viram*, *sanctam*, *bene placentem* sistit, noscit voluntatem Dei *bonam*, viva et sancta requirentem, *beneplacentem*, *et*, cum profectu fidelium, *perfectam*. [Perfectam *hanc voluntatem indignis modis devitant*, *qui ea semper exquirunt*, *quae citra peccatum (ut existimant) perpetrare etiamnum liberum est. Viatorem hi tales agunt*, *qui non tuto tramite, sed extrema ripa, praeter necessitatem, incedere gestiat.* V. g.]

v. 3. λέγω) Flacius: *edico*. Hoc verbum hortationi subsequenti moratae vim addit imperativi. — γὰρ, *enim*) Docet, quid Voluntas Dei velit. — διὰ τῆς χάριτος, *per gratiam*) Ipse Paulus exemplum praebet σωφροσύνης, quam commendat: ne videatur temere hac formula, λέγω, *edico*, qua solus Christus absolute uti potuit, aliis tam ardua praescribere. conf. v. 6. — ὄντι) cuilibet, *qui est inter vos*, vestri ordinis, fidelis. — ἐν ὑμῖν, *in vobis*) Multa erant, cur Romani se viderentur efferre posse, et postea se extulerunt. — δεῖ) *oportet*, pro veritate et officio. — φρονεῖν) *sentire*, et inde *agere*. — εἰς) Particula limitat [2]). — ἑκάστῳ, *unicuique*) Nemo debet se unum pro norma habere, ad quam ceteros exigat, et putare, ceteros plane debere tales esse, et idem et eodem modo agere, atque ipsum. — ὡς) *sicut*. non plus, v. 5., sed nec minus. v. 6. s. ideo δὲ, *autem*, adhibetur v. 6. — μέτρον, *mensuram*) Et fides et fidei mensura est donum Dei. — πίστεως, *fidei*) *ex qua reliqua manant dona:* (Cluverus:) et quidem dona sanctificantia et administrantia. Omnium fons est fides, et, in ipso usu, norma. *fidei*, de qua tractatum capite 1. et seqq. [*Sequitur* amor, v. 9. V. g.]

v. 5. ὁ δὲ καθεὶς) Vid. Marc. 14, 19. not. — μέλη, *membra*) Eph. 4, 25.

v. 6. ἔχοντες, *habentes*) Hoc quoque pendet ab ἐσμέν· est enim apodosis ad v. 4. fin. ἐσμὲν autem notat *sumus*, simulque vergit ad lenem hortationem, uti Gal. 4, 28. not. Inde in singulis partibus hujus enumerationis debet subaudiri imperativus. coll. v. 14. sed ἦθος est, quod Paulus imperativum non saepe exprimit, v. 3. semel praemissum. — χαρίσματα, *dona*) Haec sunt διάφορα, *diversa*: χάρις, *gratia*, una. — προφητείαν, *prophetiam*) Haec princeps charismatum. vid. Act. 2, 17. 18. 11, 27. 13, 1. 15, 32. 19, 6. 21, 9. 10. 1 Cor. 11, 4. s. 12. seqq. Eph. 2, 20. 3, 5. 4, 11. 1 Thess. 5, 20. 1 Tim. 1, 18. 4, 14. Ap. 1, 3. etc. quibus locis collatis, patet, prophetiam esse charisma, quo mysteria coelestia, interdum etiam res futurae, proferuntur in notitiam hominum, fidelium praesertim, cum explicatione prophetiarum scripturae, quae per communes interpretandi regulas non posset elici. Non autem adduntur, in hac tam copiosa epistola, cetera, de quibus ad Corinthios: vid. c. 1, 11. et 1 Cor. 9, 2. nott. — κατὰ, *secundum*) Repete, *habentes*, scil. *donum*, *prophetiam*. et sic deinceps. Sic modo, *secundum gratiam*. Ut homini datur, sic homo debet administrare. — τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *analogiam fidei*) Id est, *ut Deus distribuit* (prophetae cuique) *mensuram fidei*. v. 3., nam ibi jam hoc attigit Paulus, et eo, interjectis aliis, redit. Etiam 1 Cor. 12, 9. 10. 13, 2. *prophetia* et *fides* arcte connectuntur. Petrus 1 ep. 4, 11. eadem de re, ὡΣ λόγια θεοῦ, *tanquam eloquia Dei*. Tantundem

1) τὸ θέλημα, *voluntas*] Ob rationes speciales plurimae subinde quaestiones oriuntur, hoc illudve jure fiat nec ne? Facilis est decisio iis, quibus DEI *voluntas* curae est cordique. Sed probatione opus est atque intelligentia. Eph. 5, 17. *V. g.*

2) σωφρονεῖν, *moderatione uti*] Egregia virtus, σωφροσύνη in spiritualibus. *V. g.*

est, ut si Paulus diceret: *sive prophetiam, in prophetia.* coll. seqq. ne extra fidem et ultra eam feratur, neve quis ex suo corde prophetet, ultra id quod vidit; ac rursum, ne celet sepeliatve veritatem: quantum vidit et novit et credit, tantum eloquatur. vid. Col. 2, 18. Ap. 1, 2. Exemplum talis analogiae ipse praebet 1 Cor. 7, 25. Erasmus: *JUXTA PROPORTIONEM ut intelligas, hoc esse majora dona, quo fides tua fuerit integrior.* sic quoque Corn. a Lapide, Piscator, Petrus Martyr. Basilius M. de Spiritu sancto: *Omnia implet virtute, solum autem digni eum accipere possunt: neque uno* μέτρῳ *modo accipitur, sed* κατὰ ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *ad analogiam fidei distribuit operationem.* c. 9. Chrysostomus: *quanquam enim gratia est, tamen non simpliciter effunditur: sed* τὰ μέτρα *modos ab iis, qui accipiunt, sumens,* in tantum *influit,* in quantum *invenerit vas* fidei *sibi oblatum.* Copiose de hoc loco agit *Lichtscheid* in Tr. Germ. *vom ewigen evangelio,* p. 60. ss. Ut Paulo hic, ita Marco Eremitae unum idemque est μέτρον, *modus,* et ἀναλογία, *analogia,* lib. περὶ τῶν οἰομένων ἐξ ἔργων δικαιωθῆναι, paulo post medium: *rerum* (negotiorum, rerum agendarum) *notitia secundum analogiam exercitii praeceptorum obtingit: veritatis autem* (doctrinae salvificae) *cognitio, secundum mensuram fidei in Christum.* idemque saepe ita vocabulo *analogia* utitur. Apud Paulum tamen vox μέτρον magis limitat, ad modestiam, ad vitandum excessum: ἀναλογία dicit quiddam abundantius, (collatis iis quae sequuntur,) ad vitandum defectum. Omnino in fide, quae creditur, (sic enim vocant Theologi) mirabili analogia congruunt inter se omnia capita; et quivis articulus, de quo quaestio incidit, ad articulos jam firmiter cognitos dijudicari, ad Dictum scripturae liquido explicatum interpretatio ceterorum exigi debet. Estque haec analogia ipsius scripturae et fidei, quae creditur. Sed neque omnia cognoscit unusquisque; neque pari omnia, quae cognoscit, firmitate cognoscit: quae autem firmiter cognoscit, haec ille tenet ea ipsa fide, qua creditur; quare et ipse in prophetando, omnia ad analogiam fidei, qua credit, et ceteri in audiendo, ad analogiam fidei, qua credunt, dijudicare debent. 1 Cor. 14, 29. 37. Hebr. 13, 8. 9. 1 Joh. 2, 20. seqq.

v. 7. s. εἴτε, *sive*) Ploce triplex: *Age,* quod *agis,* ut res nomen suum tueatur. Coh. 9, 10. Eadem ratio sententiarum subsequentium [1]).

v. 8. μεταδιδοὺς) διδόναι, *dare:* μεταδιδόναι, *participare,* ut se non plane exuat, qui dat. — ἐν ἁπλότητι) uti Deus dat: Jac. 1, 5. *simpliciter,* abundanter. 2 Cor. 8, 2. [*neque privati commodi studio impeditus, neque anxia deliberatione, sitne dignus alter beneficio, et justus in dando modus an servetur?* V. g.] — ὁ προϊστάμενος) *qui* alios *curat* et in clientela habet. — ἐν σπουδῇ, *in studio*) Hujus verbi vis late patet. v. 11. 2 Cor. 7, 11. not.

v. 9. ἡ ἀγάπη, *amor*) De fide egit a v. 3. nunc de amore. Versus 9. 10. 11. respiciunt cap. 7. versus 12. respicit cap. 8. versus 13. respicit cap. 9. seqq. de communione fidelium Judaeorum et Graecorum. Versus decimi sexti comma tertium iteratur ex c. 11, 25. — ἀποστυγοῦντες — κολλώμενοι, *aversantes — adhaerentes*) et animo et ejus declaratione, etiam cum periculo et invidia. Explanatur τὸ ἀνυπόκριτος, *non simulatus. Labia mea ODERINT malitiam.* Prov. 8, 7. Hoc recte annectitur *amori.* 1 Cor. 13, 6. Verba valde emphatica. Odio mali qui vacat, non amat vere bonum. Ab hoc loco per paria sententiarum incedit oratio. [*Sunt homines* 1) *qui malo patrocinantur et bonum impugnant:* 2) *qui bonum amant sed malum non ea, qua par est, indignatione aversantur:* 3) *qui malum fastidiunt, sed frigidius justo bonum fovent:* 4) *qui malum aversantur et bono adhaerent ita, ut obscurum in eis esse nemini queat.* V. g.]

---

1) ἐν τῇ διακονίᾳ, *in administratione*] ne quid ultra sibi sumat, neque tamen non satisfaciat officio suo. *V. g.*

v. 10. φιλόστοργοι, *benigni*) στοργὴ, *amor* spiritualis *fratrum*. — προηγούμενοι, *praerenientes*) si non semper gestu et factis, at certe semper animi judicio. id fiet, si alterius bona, et tua vitia potius contemplere. Virtutes homileticae sanctorum. Talmudici: *Quisquis noverit, quod proximus suus consueverit ipsum salutare, praeveniat illum salutando.*

v. 11. τῇ σπουδῇ — τῷ πνεύματι, *studio — spiritu*) Sic instruitur vita externa sive activa, et interna sive contemplativa. — τῷ κυρίῳ δουλεύοντες, *Domino servientes*) Christo, et Deo, servire debemus. v. 1. c. 7, 6. 14, 18. 16, 18. Act. 20, 19. Phil. 3, 3. Ps. 2, 11., ubi *servire* et *gaudere* parallela sunt, ut h. l. [*Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. qui lectionem* χαιρῷ *plane debilem, neque apostolo dignam esse ostendit.* Not. crit.]

v. 12. ἐλπίδι, *spe*) Hactenus de fide et amore: nunc etiam de spe. coll. c. 5. et 8. Deinde de officiis erga alios, sanctos, v. 13., persecutores, v. 14., amicos, alienos, inimicos, v. 15. ss. — χαίροντες, *gaudentes*) Gaudium verum non modo est affectus et beneficium, sed etiam officium christianum. v. 15. Summa Dei comitas: vult, nos gaudere, et gaudio vitam nostram spiritualem exerceri.

v. 13. ταῖς χρείαις) τῇ θλίψει. Phil. 4, 14. Romae inprimis magna erat occasio. Memorabile est, Paulum, ubi expresse de officiis e communione sanctorum fluentibus agit, nil tamen de defunctis usquam ponere. — διώκοντες, *sectantes*) ut hospites non modo admittatis, sed quaeratis.

v. 14. διώκοντας, *persequentes*) Christi causa. — καὶ μὴ καταρᾶσθε, *neque maledicite*) ne animo quidem.

v. 15. χαίρειν, *gaudere*) Infinitivus pro imperativo, Graecis non infrequens, et hic moratus. Subauditur *hortor* ex v. 1. Fletui proprie opponitur *risus:* sed hoc loco (uti 1 Cor. 7, 30.) *gaudium* dicitur, non *risus,* qui Christianis in mundo minus convenit.

v. 16. τοῖς ταπεινοῖς, *humilibus*) Neutrum. praecedit enim, *alta*. — συναπαγόμενοι, *una abducti*) Verbum medium, quo *voluntaria* συγκατάβασις *condescendentia* notatur. qui humilis est, eum superbi putant auferri: sed sic auferri bonum est. sic David ablatus est. — μὴ γίνεσθε φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς) Prov. 3, 7. LXX, μὴ ἴσθι φρόνιμος παρὰ σεαυτῷ. [Conf. Rom. 11, 25.]

v. 17. προνοούμενοι καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων) Prov. cap. cit. v. 4. LXX, προνοοῦ καλὰ ἐνώπιον Κυρίου καὶ ἀνθρώπων. — καλὰ, *pulcra*) Gemma non solum debet esse gemma, sed etiam bene sedere in annulo, ut splendor occurrat in oculos. — πάντων, *omnibus*) Nam multi sunt suspicaces et iniqui. vid. v. seq.

v. 18. εἰ, *si*) *Si pote*, conditionem facit, et potest construi hoc cum versu 17., quatenus saepe bonae actiones, praesertim si circumspectio desit, minus bonae videri possunt nonnullis. — τὸ ἐξ ὑμῶν, *ex vobis*) limitat. nam, per *alios,* non semper est *possibile*. — μετὰ πάντων ἀνθρώπων, *cum omnibus hominibus*) quorum maximus Romae confluxus. Nemo homo ita ferus est, ut non erga quosdam humanus sit: atqui erga omnes pacati, lenes, mites esse debemus. Phil. 4, 5. 2 Tim. 2, 24. Tit. 3, 2. [*Semel quandoque iterumque res tibi per omnem vitam cum homine aliquo intercedit: quocum prouti agis, sic te ipsum deinceps tuamque universam agendi rationem aestimat.* V. g.] — εἰρηνεύοντες, *pacem habentes*) c. 14, 17. 19.

v. 19. ἀγαπητοὶ, *dilecti*) Hac appellatione mitigat iratos: eamque saepe adhibet in adhortationibus ex sensu gratiae divinae erga hortantem et erga hortandos fluentibus. conf. v. 1. — δότε τόπον, *date locum*) Qui se ipse ulciscitur, in ea, quae sunt irae Dei, involat. — τῇ ὀργῇ) *irae* illi, de qua in scripturis tam multa dicuntur; id est, irae Dei, quae sola justa est, et sola meretur ira dici. Ellipsis religiosa. 2 Chron. 24, 18. — ἐμοὶ, *mihi*) scil. *esto*. Deut. 32, 35.:

Digitized by Google

ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω. — ἐκδίκησις, *ultio*) Intulit hinc Paulus: *non vos ipsos ulciscentes.* ἐκδικεῖν, *jure exigere*, exsequi totam litem. — ἐγὼ ἀνταποδώσω, *ego reddam*) i. e. hoc mihi relinquite. [*Facile omnem haec consideratio* vindictae cupiditatem *supprimit. Fac, adversarium tuum non meliorem, te ipsum non pejorem esse opinione tua: iste tamen aut consequetur tandem gratiam divinam, aut non consequetur. Si consequetur; injuriam tibi quoque illatam, vel te non superstite, agnoscet profecto; quo casu accessu ad DEUM prohibere illum simultate tua haud, spero, gesties, sed quavis potius ratione precibus eum tuis juvare. Si non consequetur; DEUS certe propter culpam, qua eum tu liberas, pro sua, supremi judicis, parte grave supplicium ab eo sumere nequaquam negliget.* V. g.] — λέγει κύριος, *dicit Dominus*) Formula prophetica: qua non usi sunt apostoli, nisi in citandis prophetis. quia alia ratio theopneustiae est in prophetis, alia in apostolis.

v. 20. ἐὰν οὖν πεινᾷ — ψώμιζε — αὐτοῦ) LXX. Prov. 25, 21. s. ἐὰν πεινᾷ — τρέφε — αὐτοῦ, ὁ δὲ κύριος ΑΝΤΑΠΟΔΩΣΕΙ σοι ἀγαθά. Formulam *scriptum est* magis adhibuere apostoli ad dogmata, quam ad mores. — ἐχθρὸς, *hostis*) Id inprimis valet de hoste acerbo et vehementi. — ψώμιζε, *ciba*) manu tua. Sic LXX, 2 Sam. 13, 5. Sic vel ferreus hostis mitigabitur. — ἄνθρακας πυρὸς, *carbones ignis*) Omnis vindictae finis est, ut hostem poeniteat sui: ut hostis se tradat in potestatem ultoris. Utrumque facillime consequetur, qui hostem benigne tractaverit. Utrumque describitur hac phrasi insigni. *urit* enim quam maxime poenitudo illa. 4 Esr. 16, 54. et hostis fit ultoris proprius libenter. habebis illum ad nutum. — ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, *super caput ejus*) id est, super ipsum, totum, ea quidem parte, qua maxime sentiet.

v. 21. μὴ νικῶ, *ne vincaris*) νικῶ, medium. Quos mundus victores putat, revera vincuntur. — κακοῦ) a *malo*, hostis tui, et naturae tuae. — νίκα, *vince*) Fortis est, qui ferre potest. — ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακὸν, *bono malum*) Sic quoque c. 13, 3. s. unde amoena connexio.

CAPUT XIII.

v. 1. Πᾶσα, *omnis*) Ad Romanos, quorum urbs erat sedes imperii, copiosissime scribitur de magistratu: idque vim habet apologiae publicae pro religione christiana. Quae etiam causa esse potuit, cur Paulus in hac tam longa epistola, nonnisi semel, et quidem post hanc demum ipsam apologiam, appellationem *regni Dei*, alias tam solennem, adhibeat. c. 14, 17. nam pro *regno, gloriam* appellat. conf. tamen Act. 28, 31. not. Nemo mortalium non debet esse sub magistratu; poenas daturus, si malum fecerit. v. 4. — ψυχὴ, *anima*) Corpora Deo sistenda dixit c. 12, 1., animas praesupponens: nunc *animas* magistratui subditas esse vult. *Anima* est, quae vel bene vel male operatur, c. 2, 9., et mali operis formido sunt imperantes. Nobilitas hominis, non tollit obsequium. — ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις) ἐξουσία ab εἰμὶ, ὑπερέχω ab ἔχω· *esse* prius est, quam *habere*. ὑπερεχούσαις continet aetiologiam. 1 Petr. 2, 13. Gall. *Souverain.* — ὑποτασσέσθω) Antitheton, ἀντιτασσόμενος, v. 2. Conjugata, τεταγμέναι, διαταγή. *subjicitor*: monitum, Judaeis inprimis necessarium. — ἐξουσία, *potestas*) ἐξουσία dicit munus magistratus in abstracto: αἱ δὲ ἐξουσίαι, v. 2., *imperantes*, in concreto. ideo δὲ ἐπιτατικὸν interjicitur. Illa facilius agnoscitur esse a Deo, quam hae. De utrisque affirmat apostolus. Omnes a Deo sunt, qui generatim omnes instituit, et singulas sua providentia constituit. — εἰ μὴ ἀπὸ) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l.

v. 2. διαταγῇ, *ordinationi*) Abstractum, quo concretum connotatur. Sic 1 Petr. 2, 13. κτίσις, *creatura*, abstractum, simul complectitur v. gr. *regem* in concreto. — ἀνθέστηκεν) Praeteritum: id est, *eo ipso resistit.* — κρίμα) *ju-*

Digitized by Google

dicium divinum, per magistratum. — λήψονται, *sument*) Dum potestatem alienam *sumunt*, sua sponte judicium *sument*. Mimesis.

v. 3. οὐκ — ἀγαθῶν, [1]) *non — bonorum*) Id tractatur mox, *vis — in bonum*. — κακῶν, *malorum*) Id tractatur v. 4. *si — patranti*. Mala patrant inprimis etiam rebelles. Sic *enim*, initio versus, propriam vim retinet. — θέλεις, *vis*) Omnes quodammodo *volunt*, sed non perinde se gerunt. — μὴ φοβεῖσθαι, *non timere*) Alius timor praecedit malas actiones, et ab iis deterret: hic manet. v. 7. alius sequitur malas actiones: et ab hoc timore liberi sunt, qui bene agunt. — ἔπαινον, *laudem*) 1 Petr. 2, 14. cum praemio. conf. 1 Cor. 4, 5.

v. 4. θεοῦ γὰρ, *Dei enim*) Anaphora. Divinae providentiae vestigium, quod etiam mali in magistratu constituti bona fovent, mala ulciscuntur. — [2]) σοὶ, *tibi*) Elegantissime hoc ponitur, *tibi*, de bene agente: at de male agente, indefinite τῷ dicitur. — εἰς) *quod attinet* ad bonum, utile. — τὸ κακὸν, *malum*) *Bonum* huic *malo* oppositum notatur v. 3., non v. 4. — φορεῖ) *gestat*, non modo φέρει, *gerit:* ex divino instituto.

v. 5. ἀνάγκη) Hoc in *aliquot mss.* deesse notat cel. *Baumgartenius*. Non nisi in graeco-latinis deest: qui ubi nullos codices Graecos consentientes habent (uti etiam accidit c. 1, 19.) indigni sunt nomine *manuscriptorum*. Hoc non contentionis causa moneo; sed quia eum de N. T. Graeco bene mereri perspectum habeo, qui bilinguium codicum auctoritatem quovis loco imminuit. — διὰ τὴν ὀργὴν, *propter iram*) quae male agenti imminet. v. 4. Patet hinc altera connexio hujus capitis cum praecedenti, ubi vide v. 19., *irae*. — διὰ τὴν συνείδησιν, *propter conscientiam*) quae bonae actionis laudem exspectat a ministro Dei v. 3.

v. 6. λειτουργοὶ, *ministri*) Iisdem appellationibus *ministerium* et *magistratus* ornantur. sic v. 4., διάκονος Conf. Es. 44, 28. Jer. 25, 9. — προσκαρτεροῦντες, *perseverantes*) Utinam id omnes recte facerent.

v. 7. ὀφειλὰς) *debita*. — τῷ) Concisa locutio, uti 2 Cor. 8, 15. not. — φόρον, τέλος) in re. φόρος, genus: τέλος, species. — φόβον, τιμὴν, *timorem, honorem*) animo et verbis gestibusque. φόβος, *respect*, major *honoris* gradus.

v. 8. μηδενὶ, *nemini*) Ab officiis erga magistratus transit ad officia generalia, *mutua*. — ὀφείλετε, *debete*) Incipit nova pars adhortationis. — ἀγαπᾶν, *amare*) Debitum immortale. Cant. 8, 7. fin. Si amabitis, nil debebitis. nam amor implet legem. Amare, libertas est.

v. 9. οὐ μοιχεύσεις, *non committes adulterium*) Paulus liberiore ordine praecepta recenset. — οὐ ψευδομαρτυρήσεις) Hoc a Paulo repositum esse, ego non arbitrabar: arbitratur autem, *Whitbium* conferri *oportere* scribens, cel. *Baumgartenius*. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. [3]). — εἴ τις ἑτέρα, *si quod aliud*) v. gr. *honora patrem*. — ἐντολὴ) ἐντολὴ, *praeceptum*, pars: νόμος, *lex*, totum. — λόγῳ, *sermone*) brevi, facili. — ἀνακεφαλαιοῦται) *summatim continetur;* ita, ut etiamsi de praeceptis specialibus non cogites, tamen nil cuiquam eorum contrarium committas, amore praeditus. conf. *impletur*, Gal. 5, 14. item, *pendet*, Matth. 22, 40. — ὡς σεαυτόν.) Sic *Seidelianus* cum aliis. Alii, ὡς ἑαυτόν. approbante cel. *Baumgartenio*. Ego sigma unum pro duobus scriptum censueram. Qui morem librariorum norunt, facile assentientur. Exempla dedi in Appar. crit. p. 383.

---

1) *Lectionem* — τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ, ἀλλὰ τῷ κακῷ, *praefert margo* Ed. 2. *et* Vers. germ. E. B.

2) διάκονός ἐστιν, *ministra est*] Eadem verba de magistratu Paulus adhibet, quibus evangelii ministerium alias exprimit. Ita et v. 6. *V. g.*

3) *Habet incisum* Vers. germ., *memoriae potius lapsu, opinor, quam criei mutata*. E. B.

Digitized by Google

v. 10. κακὸν οὐκ, *malum non*) Pleraque autem officia in negativo consistunt, aut certe, ubi nemo laeditur, officia positiva sua sponte et cum voluptate peraguntur. Ubi verus est amor, ibi non committitur adulterium, furtum, mendacium, cupiditas. v. 9. [1])

v. 11. καὶ τοῦτο, *et hoc*) sc. agite, ea, quae a c. 12, 1. s. maximeque a c. 13, 8. extant. — καιρὸν) *tempus*, gratiae plenum. c. 5, 6. 3, 26. 2 Cor. 6, 2. — ὥρα, *hora*) sc. *est*. Arctum temporis spatium definit. *horae* ratio habetur ad surgendum. — ἤδη, *jam*) sine mora. mox, νῦν, *in praesenti*. — ἐξ ὕπνου, *ex somno*) Dilucescit, quum homo fidem accipit: et tum somnus cedit. Surgendum igitur, ambulandum, opus faciendum, ne somnus iterum obrepat. Paraclesis evangelica semper PLUS ULTRA tendit: et praesentis status vetustatem praesupponit in comparatione ad ea, quae sequi debent, noviora, Salutis propinquitati respondentia. — ἡμῶν) Constr. cum ἐγγύς, quod continetur in ἐγγύτερον, potius quam cum σωτηρία. namque semper alias aut *salus Dei* dicitur, aut *salus* absolute, non *salus nostra*. conf. de hac *propinquitate salutis*, Gal. 3, 3. 5, 7. Utroque loco supponit apostolus, cursum Christiani semel coeptum subinde amplius progredi et propius ad metam pervenire. Pridem scripserat Paulus ad Thessalonicenses utramque epistolam. ergo quum de propinquitate salutis scripsit, considerate scripsit. conf. 1 Thess. 4, 15. not. Observa: alibi dicit, nos saluti esse propinquos, Hebr. 6, 9., at hic salutem, tanquam diem, nobis esse propinquam. Qui bene coepit, non debet deficere prope metam, sed proficere. — ἡ σωτηρία) *Salus*, in adventu Domini consummanda, quae est meta spei, c. 8, 24., et finis fidei, 1 Petr. 1, 9. Mentio *salutis* repetitur ex cap. 5. et 8. [*Atque ex illa tota tractatione haec adhortatio deducitur, tanto brevior, quanto ista prolixior fuit.* V. g.] — ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν) *quam* tum, *quum* initio *credere coepimus*, et viam c. 1—4. descriptam ingressi sumus. sic, πιστεύειν, *fidem suscipere*, Act. 4, 4. 32. et passim. [*Qui semel bene coepit, is ad salutem subinde propius accedit, vel salus ad ipsum, ut h. l. dicitur, accedit propius. Praeter expectationis alacritatem non habet, quod magnopere curet.* V. g.]

v. 12. ἡ νὺξ) *nox* vitae hujus caliginosae, προέκοψεν, *ad summa venit: dies* salutis plenae appropinquavit, dies Christi, dies novissimus, Hebr. 10, 25., cujus diluculum est totum hoc tempus interjectum inter utrumque adventum Domini. Loquitur Paulus, ut ad expergiscentes, qui non statim capiunt confinium noctis et diei. Qui pridem expergefactus est, ipse novit, quota hora sit. Sed cui demum dici debet, non amplius nox est, dies appropinquavit, is intelligitur spectari ut talis, qui nunc demum expergiscitur. — ἔργα, *opera*) quae vel jacentes patrant: *armorum* nomine indigna. conf. Gal. 5, 19. not. Accedit, quod *opera* ab internis veniunt: *arma* aliunde suppeditantur. nox ne vestes quidem habet; dies, etiam arma. — ὅπλα, *arma*) Hoc repetitur ex cap. 6. *arma*, quae expeditos decent; ut thoracem et galeam. 1 Thess. 5, 8.

v. 13. [2]) εὐσχημόνως) *bono amictu*. — κώμοις καὶ μέθαις, *comessationibus et ebrietatibus*) in nosmet ipsos. κῶμος, *comessatio*, convivium lascivum, cum saltatione et vario tumultu. Sap. 14, 23. 2 Macc. 6, 4. — κοίταις καὶ ἀσελγείαις, *cubilibus et lasciviis*) cum aliis. — ἔριδι καὶ ζήλῳ, *contentione et aemulatione*) contra alios. In v. 13. 14. est chiasmus: α *non comessationibus* — β *non contentione et aemulatione*: γ *sed induite*, in amore, *Dominum Jesum Christum*, δ *et* — *non* — *in cupiditates*. Correspondent β et γ, α et δ.

---

1) οὖν, *igitur*] Amor per se non extinguitur: enimvero bene agere, nisi malo aliquo remoram patiatur, nunquam cessat. Hinc ex mali fuga impletio legis, quae et bonum continet, derivatur. *V. g.*

2) ὡς ἐν ἡμέρᾳ, *tanquam in die*] Qualis in die novissimo spectari cupis, talem nunc fac te geras. *V. g.*

Digitized by Google

v. 14. τὸν) Hic summatim continetur *omnis lux et virtus* N. T. ut omnis salus. [*nullo vitio non excluso.* V. g.] 1 Cor. 6, 11. — ἰησοῦν χριστὸν, *Jesum Christum*) c. 6, 3. s. — σαρκὸς, *carnis*) Respicitur caput 7. et 8. — πρόνοιαν, *curam*) *Cura carnis* nec vetatur hoc loco ut mala, nec ut bona laudatur; sed ut medium quiddam, et tamen quodammodo suspectum, in ordinem redigitur et munitur contra pericula. Πρόνοια *praevia cura* carnis opponitur *spei* sanctae. — ἐπιθυμίας, *cupiditates*) voluptatis et iracundiae. coll. v. 13. [*et c.* 6. 7.]

CAPUT XIV.

v. 1. Ἀσθενοῦντα) Participium lenius est, quam ἀσθενῆ, *infirmum*, adjectivum. — πίστει, *fide*) Adhuc apostolus omnia ad *fidem* refert. — προσλαμβάνεσθε, *assumite*) Idem verbum v. 3. cap. 11, 15. 15, 7. Philem. v. 17. [*Utrisque, Judaeis et gentibus, per fidem obtigit salus: itaque neutra pars alterutram impedire debet, sed utraque alteram juvare.* V. g.] — μὴ εἰς, *non in*) Qui alterum urget ad idem agendum, quod ipse agit, videtur eum assumere; sed tum assumit ita, ut διαλογισμοὶ *cogitationes* ejus in διακρίσεις *dubitationes* impellantur, ut nequeat in suo sensu πληροφορεῖσθαι, *pleno cursu ferri.* τῷ διακρίνειν opponitur τὸ ἀδιαφορεῖν. *dubitationes cogitationum* appellat: nam *dubitantes* plura *cogitant*, quam *loquuntur.*

v. 2. πιστεύει, *credit*) Hoc verbum in praedicato sonat expressius: participium ἀσθενῶν quasi dissimulat infirmitatem edentis olera. — λάχανα, *olera*) cibum (prae carnibus, v. 21.) certissimae libertatis. Gen. 9, 3.

v. 3. αὐτὸν, *illum*) *qui edit* in fide. — προσελάβετο, *assumsit*) v. gr. ex gentibus.

v. 4. σὺ) *tu*, infirme. — τίς εἶ) *quis es*, qui tantum tibi sumas? — ἀλλότριον οἰκέτην, *alienum servum*) Hunc, alio respectu, *fratrem tuum* appellat, ut proposito convenit. v. 10. — κυρίῳ, *Domino*) Christo. v. 6. s. 9. s. 14. s. 18. — στήκει, *stat*) etsi tibi, o infirme, non ita videtur. — σταθήσεται δὲ, *statuetur vero*) si ceciderit; *statuetur*, firma cognitione. — δυνατὸς γὰρ, *potens enim*) Saepe a *posse* ad *esse*, in operibus divinae gratiae, valet consequentia; contra eos praesertim, qui aliter judicant; pro iis, qui sunt infirmi.

v. 5. πᾶσαν ἡμέραν) πᾶσαν ἡμέραν κρίνει ἡμέραν, *omnem diem judicat diem*, omni tempore ex aequo benefaciendum esse judicat. — ἰδίῳ νοΐ) *sua*, non aliena. νοῦς non significat sententiam mentis, sed *mentem.* — πληροφορείσθω, *pleno cursu feratur*) i. e. *quilibet agat, et alter eum agere sinito* (haec vis Imperativi, uti v. 16.) *pro suo judicio*, sine anxia disceptatione, cum hilari obedientia. conf. v. 6. Non est sermo praecise de intellectu. nam haec duo contradictoria: *licet edere, non licet edere*, non possunt esse simul vera; et tamen potest aliquis, qui vel hoc vel illud statuit *pleno cursu ferri in sua mente*, sicut cymba potest vel in angusto canali, vel in spatioso lacu inoffensum habere cursum.

v. 6. εὐχαριστεῖ γὰρ — καὶ εὐχαριστεῖ, *gratias enim agit — et gratias agit*) Gratiarum actio omnes actiones, quae eam non debilitant, extrinsecus diversas, sanctificat. 1 Cor. 10, 30. Col. 2, 7. 3, 17. 1 Tim. 4, 4. Majorem tamen vim habet *enim*, quam *et*. nam gratiarum actio conjunctior est cum esu, quam cum suspensione esus; et in eo, qui *edit*, fidei, illius etiam, de qua v. 22. et conscientiae certae; in eo, qui *non edit*, non fidei quidem illius, de qua v. 22. sed tamen conscientiae inoffensae, et fructus et criterium et quodammodo causa est. — καὶ εὐχαριστεῖ, *et gratias agit*) pro oleribus. v. 2.

v. 7. ἡμῶν, *nostrum*) fidelium. nam ceteri sibi vivunt et moriuntur. — ἑαυτῷ, *sibi ipsi*) Wellerus: *Nemo sibi ipsi debet vivere, neque formaliter, ut sui juris existens sua juxta desideria vitam instituat: neque materialiter,*

Digitized by Google

quod se contentus sibi blandiri velit: neque finaliter, ut vitam ad voluptates referat. — ζῇ, ἀποθνήσκει, *vivit, moritur*) Eadem ars moriendi, quae vivendi.

v. 8. τῷ κυρίῳ, *Domino*) Divina Christi majestas et potestas. — ἐσμεν) *sumus*, non modo esse incipimus.

v. 9. καὶ ἀπέθανε καὶ ἔζησεν, *et mortuus est et revixit*) Hoc congruit cum antecedentibus et consequentibus. καὶ ἀνέστη legit cel. *Baumgartenius*, et verisimilitudinem omissionis per librarios allegat: sed nullam verisimilitudinis causam affert. Mihi adjectio ex hac fit verisimilis, quod notissimam locutionem de Christo, ἀπέθανε καὶ ἀνέστη, 1 Thess. 4, 14. librarii facillime arripuerint: quo facto alii καὶ ἔζησεν omiserunt, alii tamen id quoque retinuerunt, et quidem vel primo loco posuerunt, ut apud *Iren.* l. III. c. 20.; vel medio, ut apud *Syrum*; vel tertio, ut apud *Chrysostomum*, qui tamen in exegesi τὸ καὶ ἀνέστη ipse praeterit. *Whitbius*, quem *Baumgartenius* conferri *oportere* scribit, se ipsum refutat: nam ait, ἀπέθανεν et νεκρῶν, ἔζησεν et ζώντων inter se respondere, (ut etiam *Origenes* observat, c. Cels. p. 103. ed. Hoesch.) ἀνέστη ad quod respondeat, nil reperit. Testimonia patrum, ab illo allegata, in *Apparatu* expedivi. Lectio ἔζησεν firma est; ἀνέζησεν multo debilior. — νεκρῶν, *mortuis*) Morientes et mortui Domino gaudent Jesu, qui mortuus est, et mortem peremit, et diabolum devicit. Hebr. 2, 14. — ζώντων, *viventibus*) Viventes et reviviscentes triumphant cum Goële vivo. Deus vivens est Deus viventium. Matth. 22, 32. Christus redivivus est Dominus reviviscentium. Paulus ponit hic, v. 7. 8. hanc *vitam* ante *mortem;* et in v. 9. per gradationem, post *mortem* illam *vitam*, uti cap. 8, 38. coll. v. 34. *Christus*, inquit, *mortuus est, ut morientibus dominaretur: Christus revixit, ut viventibus dominaretur.* Christus *mortuus* est: ergo *mors* (actus, sive potius passio moriendi et status mortis) ab Ipso nos non divellet. Christus est *resuscitatus:* ergo *vita* (futuri seculi) ab Ipso nos non divellet. Dominium Christi in mortuos tollit *psychopannychiam*, contra quam etiam argumenta solida fluunt ex apparitione Mosis et Eliae, Matth. 17, 3. ex resurrectione sanctorum, Matth. 27, 52. s., ex spe Pauli etc. Phil. 1, 23. 2 Cor. 5, 8. Hebr. 12, 23. Addatur sigillum V, Apoc. 6, 9. not. et ὄχλοι beatorum, Ap. 7. et 14. etc. A judicio de iis, qui foris sunt, ipsi apostoli abstrahebant 1 Cor. 5, 12. Status merendi (verbo in utramque partem late sumto) sine dubio non ultra hanc vitam extenditur. Ab articulo mortis dependet hominis conditio in omnem aeternitatem, quanquam, sine hominis cooperatione, diversi gradus exsistere possint. Conf. Luc. 16, 9. 22. 25. Joh. 9, 4. (coll. Koh. 9, 10.) Gal. 6, 10. 2 Tim. 4, 6. 8. Tit. 2, 12. fin. Ebr. 3, 13. 6, 11. fin. 9, 27. Ap. 2, 10. Rom. 8, 23. etc.

v. 10. σὺ δὲ, *tu vero*) tu, infirmior. Cum hoc apostolus hactenus egit: nunc alloquitur etiam firmiorem, *aut etiam tu.* — κρίνεις, *judicas*) Qui judicat, genua sibi reapse flecti postulat. — [1]) ἐξουθενεῖς, *nihil facis*) animo et facto.

v. 11. γέγραπται, *scriptum est*) Christus est Deus. nam dicitur *Dominus* et *Deus*: Ipse est, cui vivimus et morimur: Ipse jurat per se ipsum. — ζῶ ἐγὼ, λέγει κύριος· ὅτι — καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ θεῷ] Es. 45, 22. s. LXX, ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος — ὅτι — καὶ ὀμεῖται πᾶσα γλῶσσα τὸν θεόν. [2])

v. 12. [3]) δώσει, *dabit*) Lenis adhortatio: nemo involet in partes judicis.

v. 13. κρίνατε, *judicate*) Pulcra mimesis ad id, quod praecedit, *jam non judicemus.* [*Industria opus est ea in re.* V. g.] — πρόσκομμα, *offendiculum*) si

---

1) τοῦ χριστοῦ, *Christi*] DEUS judicabit per Christum. c. 2, 16. *V. g.*

2) ἐξομολογήσεται, *confitebitur*] Serio. DEI juramento respondet juramentum fidelium. Esaj. 45, 28. *V. g.*

3) περὶ ἑαυτοῦ, *de se ipso*] non de alio quoquam. *V. g.*

Digitized by Google

cogatur frater idem facere, v. 20. — σκάνδαλον, *scandalum*) si idem vos aversetur ob factum.

v. 14. ἐν κυρίῳ ἰησοῦ, *in Domino Jesu*) Ex facie Christi resolvuntur optime et certissime omnes casus. *nori et persuasus sum*, rara verborum consociatio, sed huic loco apta, ad confirmandum, adversus *ignorantiam* et *dubitationem*.

v. 15. δὲ, *sed*) Antitheton. Non solum fides, v. 14. *sed* etiam amor adesse debet. — διὰ βρῶμα) μείωσις. conf. Hebr. 9, 10. 12, 16. 13, 9. — λυπεῖται, *contristatur*) Oppositum v. 17. *gaudium*. — οὐκ ἔτι, *jam non*) Proponit sibi aliquem in amore stantem: et innuit, nunquam ex oculis dimittendum esse amorem. Amor et gaudium, non amor et tristitia, conjuncta sunt. — κατὰ ἀγάπην, *secundum amorem*) Hinc patet connexio versus primi cum cap. praec. v. 8. — τῷ βρώματί σου, *cibo tuo*) Ne pluris feceris tuum cibum, quam Christus vitam suam. — μὴ ἀπόλλυε, *ne perdas*) 1 Cor. 8, 11. Perire potest etiam verus frater, pro quo Christus mortuus est amantissime.

v. 16. μὴ, *ne*) Bonum fidelium est libertas, 1 Cor. 10, 29. 30. ex privilegiis regni Dei fluens. Hujus libertatis abusui opponitur *servitus* generosa. v. 18. Apud patres etiam S. Coena appellari solita est τὸ ἀγαθὸν, *bonum*, ut docet *Suicer*. Observ. sacr. pag. 85. quod quidem ab hoc ipso Pauli loco non alienum est, qui 1 Cor. 10, 16. s. eadem de re scribens, argumentum sumit a S. Coena. Sub *bono* fidelium comprehenditur. Dicit autem τὸ ἀγαθὸν, *bonum*, ad ostendendam indignitatem *blasphemiae*, quae committeretur vel ab infirmis, libertatem firmiorum pro licentia habentibus, vel etiam ab aliis.

v. 17. ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, *regnum Dei*) Regnum Dei est, quum homo est in potestate Dei. sic 1 Cor. 4, 20. — βρῶσις καὶ πόσις, *esus et potus*) Non consistit in strenuo et securo usu libertatis, v. gr. ad cibum et potum. — δικαιοσύνη, *justitia*) respectu Dei. Tria hujus descriptionis momenta summam totius epistolae attingunt, ordine. Unica est fidei et vitae, extra articulum de justificatione peccatoris, *justitia*. — εἰρήνη, *pax*) respectu proximi. conf. c. 15, 13. — χαρὰ, *gaudium*) respectu nostri. conf. c. 15, 13.

v. 18. ἐν τούτοις, *in his*) sive edat, sive non edat. ἐν τούτῳ, *Alex.* et alii, *Lat.* Non habet singularis τούτῳ, quo referatur. Ortus esse potest ex alliteratione ad τῷ subsequens. — εὐάρεστος — δόκιμος — *bene placens* — *probatus*) Id agit, unde Deo placeat, et hominibus sese probet probarique ab hominibus debeat: *probatus* etiam iis, quibus non studet placere.

v. 19. εἰρήνης, οἰκοδομῆς, *pacis*, *aedificationis*) Haec duo valde sunt conjuncta. Theologia per se est pacifica, et ad aedificandum comparata. Polemica minus directe facit ad *aedificationem*, etsi interdum adjungi debet. conf. Nehem. 4, 17.

v. 20. μὴ κατάλυε, *noli dissolvere*) Tristes iique magni effectus unius peccati esse possunt. v. 15. — ἕνεκεν βρώματος, *ob escam*) rem minimam. — τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, *opus Dei*) rem maximam: *opus*, quod Deus struit intus in anima, per *aedificationem*, et in ecclesia, per *concordiam*. [*Fides praecipue innuitur. Joh.* 6, 29. V. g.] — κακὸν, *malum*) τὸ *edere*, supple ex consequentibus. non dicit κακὰ, *mala*. — διὰ προσκόμματος, *per offendiculum*) ita ut edendo offendatur alter.

v. 21. μηδὲ, ἐν ᾧ) *neque* scil. edere, bibere, facere quicquam, *in quo* etc. — προσκόπτει) *impingit* et vulneratur, adductus ad te imitandum temere, cum jactura *justitiae*. Ut differt *justitia* et *gaudium*, sic differt jactura utriusque. — σκανδαλίζεται, *scandalizatur*) irretitur et impeditur, abhorrens ab actione tua, cum jactura *pacis*. — ἀσθενεῖ) *infirmus fit*, vel certe manet; 1 Cor.

Digitized by Google

8, 9. s. viribus internis defectus, et haesitans inter imitationem et horrorem, cum jactura *gaudii*. conf. v. 17. כשל LXX ἀσθενεῖν.

v. 22. πίστιν, *fidem*) de puritate cibi. — σεαυτὸν — θεοῦ, *te ipsum — Deo*) Antitheton duplex, ad proximum: uti c. 15, 3. — ἔχε, *habe*) Fundamentum verae prudentiae et dissimulationis. — μακάριος, *beatus*) Haec verba usque ad finem capitis habent antitheton. c. 15, 1. *autem*. — κρίνων, *judicans*) Contraria: *judicare* et *probare*. quibus combinatis exquisite describitur conscientia dubitans, ubi homo rem probat, et tamen suam actionem judicat.

v. 23. ὁ δὲ) Causa, cur firmior non debeat infirmum inducere ad edendum. — ἐὰν φάγῃ, *si ederit*) Hoc et de uno actu et multo magis de esu frequenti accipiendum. — κατακέκριται, *condemnatus est*) Conf. Gal. 2, 11. not. — ἐκ πίστεως, *ex fide*) de qua v. 2. 5. fin. 14. init. 22. Innuitur ergo ipsa fides, qua fideles censentur, conscientiam informans et confirmans; partim fundamentum, partim norma rectae actionis. — ἁμαρτία, *peccatum*) adeoque *condemnationi* obnoxium.

CAPUT XV.

v. 1. [1]) Δὲ, *autem*) Magnum est periculum, nec nisi Dei virtute custodimur: debemus *autem* nos invicem observare. — ἡμεῖς) *nos*. connumerat se, debitorem, ut apostolus, et ut gentium apostolus. — οἱ δυνατοὶ, *potentes*) Conf. Gal. 6, 1. not. — βαστάζειν, *ferre*) Id sane onus est. — ἀρέσκειν) Ἀρέσκω, *placere studeo*. qui sibi placere studet, alteri placere non curat, neque conscientiam ejus moratur. Metonymia antecedentis.

v. 2. εἰς τὸ ἀγαθὸν, πρὸς οἰκοδομὴν, *in bonum, ad aedificationem*) εἰς, *in*, notat finem internum, respectu Dei; πρὸς, *ad*, finem externum, respectu proximi. *Bonum*, genus: *aedificatio*, species.

v. 3. ὁ χριστὸς, *Christus*) qui unus erat vere δυνατὸς, *potens*. conf. v. 1. cum cap. 5, 6.: δυνατοὶ, *potentes*: ἀσθενεῖς, *infirmi*. — οὐχ ἑαυτῷ, *non sibi ipsi*) Admiranda συγκατάβασις. Non sibi, sed nobis. v. 7. 8. Ps. 69, 33.: qui *rident* et *gaudent*, iis ἀρέσκειαν paravit Christus. — ἀλλὰ) *sed*, sc. illud in se suscepit, quod scriptum est. — γέγραπται, *scriptum est*) Ps. 69, 10. coll. v. 11. 12., hemistichio quolibet posteriore. — οἱ — ἐμὲ) Sic LXX. — ἐπέπεσον, *inciderunt*) Jure potuerat Christus gerere se, ut Deum, et divino honore florere: sed non usus est jure suo, propter nos. Phil. 2, 6. Contumelias vero, quibus Deum afficiunt homines improbi, eo dolore persensit, quo ii, qui illas commisere, debebant persentiscere: ipseque eas contumelias et tulit et luit tam patienter, ac si ipse eas commisisset. Tota passio hic innuitur: tum *ministrum* egit. Matth. 20, 28. [*Tum non placuit sibi Ipsi: se ipsum vero interposuit, ut in omnibus, qui DEUM dehonestarant, beneplacitum DEUS caperet. Multa ipsum ferre oportuit, cum patientia.* v. 1. 4. V. g.]

v. 4. γὰρ, *enim*) Causa allegationis modo factae. — προεγράφη) *scripta sunt ante* tempus Novi Testamenti: uti illud, quod v. 3. de Christo scriptum allegatur. — ἡμετέραν) *nostram*, fidelium N. T. c. 4, 24. 1 Cor. 10, 11. — ὑπομονῆς, *patientiam*) cujus exemplum praebuit Christus, *non sibi ipsi placens*. — καὶ) ἓν διὰ δυοῖν. Scripturarum *paraclesis* adducit nos ad *patientiam*. Summa Scripturae sacrae. — παρακλήσεως, *solatium*) quod medium est inter *patientiam* et *spem*. c. 5, 4. *paraclesis* est, quum in anima resonat illud, *tu es* δόκιμος *probatus*. 2 Cor. 1, 6. — τῶν γραφῶν, *scripturarum*) Plurale congruit cum *quaecunque*. [Scripturae *de Christo testantur, ejusque nos exemplo edocent, quid agendum sit nobis quidve omittendum*. V. g.] — τὴν ἐλπίδα, *spem*) Observan-

1) ὀφείλομεν, *debemus*] propter Christum, v. 3. *V. g.*

Digitized by Google

dus articulus. Conf. de *patientia* et *spe*, cap. 5, 4. de *spe*, v. 12. 13. Namque ex hac *patientiae et solatii* mentione deducitur versus 5., et ex mentione *spei* versus 13. — ἔχωμεν, *habeamus*) Prior pars hujus versus agit de usu universae scripturae; altera, de usu maxime Dicti versu 3. citati. Hinc fluit votum duplex, v. 5. 13. conveniens conclusioni appropinquanti.

v. 5. θεὸς τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως, *Deus patientiae et consolationis*) Sic, *Deus spei*, v. 13. *Deus pacis*, v. 33. Appellationes ex re, quae tractatur. Alibi, *Deus gloriae*, *Deus ordinis*, *Deus viventium*, *Deus coeli*. — τῆς παρακλήσεως — τὸ αὐτὸ φρονεῖν — κατὰ] Sic plane Phil. 2, 1. 2

[1]) v. 6. ὁμοθυμαδὸν, *unanimiter*) uno animo credente. — στόματι, *ore*) confitente. — δοξάζητε, *glorificetis*) Judaei et gentes. v. 7. 9. — τὸν θεὸν καὶ πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ, *Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi*) Frequens appellatio, 2 Cor. 1, 3. 11, 31. Eph. 1, 3. Col. 1, 3. 1 Petr. 1, 3. sic resolvenda, *Deus Domini* etc. Eph. 1, 17. et, *Pater Domini* etc. pro eo, quod veteres dixere, *Deus creator* et *Dominus coeli* et terrae, Ps. 124, 8. et *Deus Abrahami et Isaaci et Jacobi*, subscribentes horum fidei. Sic alibi, *Deus et Pater noster*. Gal. 1, 4. Duplicem cum Deo et Patre necessitudinem habet Christus, prae nobis; duplicem nos quoque, per Christum, Joh. 20, 17.

v. 7. ὑμᾶς, *vos*) infirmos quondam: Judaeos et Graecos, sine discrimine. — εἰς δόξαν θεοῦ, *in gloriam Dei*) Constr. cum *assumsit*: coll. v. 6. 8. s.

v. 8. λέγω δὲ, *dico vero*) Declaratur comma praecedens de Christo. — — χριστὸν ἰησοῦν, *Christum Jesum*) Alii, ἰησοῦν χριστὸν, *Jesum Christum*, vel *Christum*. Qui nomen *Jesum* hoc loco praetermiserunt, versum 3. et 7. respexisse videntur. Nomenclatura *Jesu Christi* et *Christi Jesu* non debet promiscue haberi. *Jesus*, nomen est; *Christus*, cognomen. Hoc Judaeis, illud gentibus prius innotuit. Ergo *Jesus Christus* ordine verborum naturali et communi dicitur: ubi autem, inverso verborum ordine, *Christus Jesus* dicitur, officium Christi solenniore quodam instituto spectatur. Idque praesenti loco inprimis congruit. Interdum uno loco uterque verborum ordo obtinet. v. 5. 6. Gal. 2, 16. (not.) 1 Tim. 1, 15. 16. 6, 13. 14. 2 Tim. 1, 9. 10. vide etiam 1 Cor. 3, 11. coll. 1 Tim. 2, 5. — διάκονον, *ministrum*) Apta appellatio. coll. v. 3. Matth. 20, 28. [*Insignis humiliatio! Hic vero* patientia *opus fuit*. v. 4. 5. V. g.] Factus est autem Christus Jesus διάκονος *minister* Patris ad salutem circumcisionis: voluntati Patris inserviit Christus; Pater eum saluti multorum impendit: unde genitivus *circumcisionis* eam vim habet, quam Gal. 2, 7. s. et huic diacono mox adscribitur *imperium*. v. 12. Non repetitur autem haec appellatio v. seq. nam vocatio gentium cum statu exaltationis cohaeret: sed ibi dicitur *glorificarent*. nam major gratiarum actio a gentibus, quam a circumcisione praestatur. — περιτομῆς, *circumcisionis*) id est, Israëlis. — πατέρων, *patrum*) Genitivus vim habet. Matth. 15, 26.

v. 9. διὰ — ἔθνεσι — ψαλῶ) Ps. 18, 50. LXX, διὰ — ἔθνεσι, Κύριε — ψαλῶ. — ἐξομολογήσομαι, *confitebor*) Quod in Psalmo Christus dicit se facturum, id Paulus gentes ait facere: nempe Christus facit in gentibus. Ebr. 2, 12. ubi psalmus 22, ut hic psalmus 18. citatur. In ps. 22. Christus fratribus annunciat nomen Domini: in ps. 18. confitetur Domino in gentibus, et gentes confitentur Ei in Christo. Mox, in psalmo 117. Judaei invitant omnes gentes et omnes nationes. רבים dicit multitudinem, עמים politiam. — ψαλῶ, *psallam*) Gentes psallunt, et laudant, quia misericordiam consecutae sunt. Hebr. זמרה adhibito organo.

---

1) τὸ αὐτὸ φρονεῖν, *item sentire*] Patientia et solatium concordiam promovent. Qui a se ipso dissentit, difficillimum se praebet aliis. Concordia in Christo Jesu fundatur; ut plena spes deinceps in Spiritu sancto, v. 13. *V. g.*

Digitized by Google

v. 10. λέγει) sc. ὁ λέγων. — εὐφράνθητε ἔθνη, μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ) Sic LXX, Deut. 32, 43. Conf. Ps. 67, 5. *gentes in terra.* Imperativus, per apostrophen positus, neque enim gentibus data est promissio, instar est indicativi categorici. — μετὰ, *cum*) Gentes non erant populus: haec misericordia est, quod tamen admittuntur.

v. 11. αἰνεῖτε — καὶ ἐπαινέσατε) Ps. 117, 1. LXX, αἰνεῖτε — ἐπαινέσατε.

[1]) v. 12. ἡσαΐας, *Esajas*) Tria Dicta sine nomine Mosis et Davidis citarat: nunc Esajam appellat, cujus *Haphtara* cum hoc Dicto legitur die octava Paschatis, eo anni tempore, quo haec videtur epistola data. — ἔσται ἡ — καὶ ὁ — ἐπ' αὐτῷ —) Es. 11, 10. LXX, καὶ ἔσται ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἡ — ὁ — ἐπ' αὐτὸν —. — ἡ ῥίζα, *radix*) Christus alibi dicitur *radix Daridis:* Ap. 22, 16. sed h. l. ex Es. l. c. coll. v. 1., dicitur *radix Jessae.* Jessae suo prius, qum Davidis nomine destinatus fuit ortus regum et Messiae ex ejus domo: ortusque ille etiam ex alio Jessae filio sperari potuit. 1 Sam. 16, 7. Sed David rex fuit, non Isai: et regnum Christi, respectu Judaeorum, fuit quodammodo hereditarium, ex Davide, Luc. 1, 32., sed non respectu gentium. Ideo dicitur h. l. non *radix Daridis,* sed, quod proximum erat, *radix Jessae.* Nec Jessae illi, Messias ex eo oriturus, nec gentibus Messias omnino promissus fuerat: et tamen utrisque obtigit. Jessae tamen destinatum fuisse Messiam ea testantur, quae proxime antecedunt, ubi dicitur *radix Jessae,* et locus 1 Sam. 16, 7., ubi de primogenito Jessae dicitur, *reprobari eum.* — ὁ ἀνιστάμενος) Sic LXX interpretati sunt Jesajanum vocabulum נס *vexillum.* Suave antitheton: radix est in infimo; vexillum ad summa surgit, ut etiam gentes remotissimae conspicerent. — ἐλπιοῦσιν, *sperabunt*) Divinus cultus debitus Christo etiam secundum humanam naturam. Gentes antea nullam spem habuerant. Eph. 2, 12.

v. 13. ἐλπίδος, *spei*) Conf. *sperabunt*, v. praec. et mox, *in spe. Deus spei,* nomen Deo gloriosum, gentibus ignotum antea. Nam falsa dea Spes fuerat: cujus aedem Romae, fulmine ictam, Livius libro XXI, iterumque incendio conflagratam, libro XXIV memorat. — χαρᾶς καὶ εἰρήνης, *gaudio et pace*) Respiciatur c. 14, 17. De *gaudio* conf. v. 10. *laetamini:* de *pace*, ibidem, *cum.* — ἐν δυνάμει) Constr. cum περισσεύειν.

v. 14. ἀδελφοί μου, *fratres mei*) Ut ex magna urbe egredientes una saepe via per plures portas ducit: sic hujus epistolae multiplex est conclusio. prima ab hoc versu: secunda, c. 16, 1.: tertia, ibid. v. 17. quarta, ibid. v. 21. quinta ibid. v. 25. — καὶ αὐτὸς ἐγὼ, *etiam ipse ego*) non modo alii hoc de vobis existimant. c. 1, 8. — καὶ αὐτοὶ, *etiam ipsi*) vel sine mea admonitione. — δυνάμενοι, *qui possitis*) Ea facultate ut utantur, hortatur hoc ipso. — καὶ ἀλλήλους, *etiam vos invicem*) non modo quisque se ipsum. conf. 2 Tim. 2, 2. — νουθετεῖν, *monere*) Ad hanc facultatem spectat, ut aliquis sit μεστὸς *plenus bonitatis. plenus,* ex ipsa nova creatione; πεπληρωμένος *impletus omni cognitione, impletus,* diuturna exercitatione; in intellectu et voluntate. sic conjunguntur *bonitas* et *cognitio*, 1 Petr. 3, 6. 7. et illa mulieribus commendatur speciatim, haec viris. Γνῶσις est proprie *cognitio,* et ea *cognitio,* quae vasis infirmioris rationem habet, nanciscitur nomen *moderationis.* revera tamen est *cognitio.*

v. 15. τολμηρότερον, *audacius*) Id est, τολμηρότερον *audacius* feci, qui scriberem ignotis, cum potius ipse venire deberem. In scriptione ipsa, non in modo scribendi, *audaciam* aliquam ait esse positam. A *scripsi* pendet διὰ *propter.* — ἀπὸ μέρους, *ex parte*) Modeste hoc ponit: neque omnem docendi partem, sed tantum unam, *admonendi,* neque hanc totam, sibi sumit. nam subjicit, praemisso ὡς, ἐπαναμιμνήσκων, non simpliciter, ἀναμιμνήσκων.

1) αἰνεῖτε, *laudate*] gratiae et veritatis nomine. Haec enim sequuntur in Psalmo, ubi gentibus acclamat Israël. *V. g.*

Digitized by Google

v. 16. λειτουργὸν, ἱερουργοῦντα, προσφορὰ) Allegoria. Jesus est sacerdos: Paulus, sacerdotis minister: ipsi gentiles sunt *oblatio*, cap. 12, 1. Es. 60, 7. 66, 20., eaque *bene accepta*, quia *sanctificata*, (Joh. 17, 19.) cum suis muneribus. v. 31. — ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *in Spiritu sancto*) quem accipiunt gentes per evangelium Dei.

v. 17. καύχησιν, *gloriationem*) Latum cor Paulo erat. sic v. 15. *audacius:* et v. 20. φιλοτιμούμενον. — ἐν χριστῷ ἰησοῦ, *in Christo Jesu*) Hoc declaratur versu seq. Gloriatio mea in iis rebus, quae ad Deum pertinent, posita est in Christo Jesu. — τὰ πρὸς θεὸν, *in iis, quae ad Deum* pertinent) Limitat Paulus, ceteroqui pauper et abjectus in mundo. 1 Cor. 4, 9. ss.

v. 18. οὐ γὰρ τολμήσω, *non enim ausim*) Id est, animus refugit, sine divino impulsu. — λαλεῖν τι, *loqui quidquam*) commemorare quidquam de rebus meis gestis, vel potius, doctrinam evangelii praedicare. est enim locutio concisa, hoc modo: *non enim ausim loqui quidquam* (aut facere quidquam) eorum *quae non* (loqueretur aut) *faceret Christus per me.* nam sequitur, *verbo et opere.* Theopneustia Pauli. conf. 2 Cor. 13, 3.

v. 19. ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων, *in virtute signorum et prodigiorum*) Id ref. ad *opere.* — ἐν δυνάμει πνεύματος θεοῦ, *in virtute spiritus Dei*) Id ref. ad *verbo.* Gradatio. nam Spiritui Dei plus tribuit, quam signis. — ἀπὸ — μέχρι, *a — usque*) Magnus tractus. — ἰλλυρικοῦ, *Illyricum*) cujus pars Dalmatia. 2 Tim. 4, 10. — τὸ εὐαγγέλιον, *evangelium*) munus evangelii praedicandi.

v. 20. δὲ) *autem.* Declarat, cur illa sibi climata sumpserit. — φιλοτιμούμενον) Accusativus absolutus, neutro genere, ut ἀρξάμενον, Luc. 24, 47. — οὐχ ὅπου, *non ubi*) Hoc majorem habet emphasin, quam si dixisset, *ubi non.* nam indicat, se quasi vitasse illa loca, ubi Christus jam fuisset notus. Ita Col. 2, 1. Gal. 1, 22. ignotus dicitur fuisse Paulus iis, qui antea fidem susceperant. — ἀλλότριον, *alienum*) Fundamentum Paulus h. l. non appellat ipsum Christum, sed operam aliorum in praedicando Christi evangelio.

v. 21. οἷς — συνήσουσι) Es. 52, 15. Sic plane LXX.

v. 22. πρὸς ὑμᾶς, *ad vos*) utpote quibus nomen Christi non jam ignotum est.

v. 23. κλίμασι, *climatibus*) Haec appellatio praescindit a politica distributione orbis terrae. nam hanc non solet sequi evangelium. Etiam Reformationis fructus primo tempore extra Germaniam quoque extitit. — ἐπιποθίαν ἔχων) Id sonat amplius quiddam, quam ἐπιποθῶν.

v. 24. ὡς ἐὰν) Ὡς principalis particula: ἐὰν, *cunque*, παρέλκει. *quocunque modo, aut tempore, aut itinere.* — εἰς τὴν σπανίαν, *in Hispaniam*) ubi evangelium nondum praedicatum est. — διαπορευόμενος, *transiens*) quia Romae jam fundata est fides. — προπεμφθῆναι, *deduci*) Passivum, sensu reciproco, id est, deducendum se curare vel permittere. familiariter, quasi pro jure suo, scribit ad fratres adhuc non visos. — ὑμῶν, *vobis*) Modeste. Romani potius habituri erant, quod *satiarentur* Paulo. — ἀπὸ μέρους, *ex parte*) Significat, se tamen non fore tam diu Romae, quam vellet: aut, Christum esse, non fideles, unde fideles *perfecte* satientur.

v. 25. διακονῶν, *ministrans*) Christi exemplo. v. 8. — τοῖς ἁγίοις, *sanctis*) Vid. not. ad Act. 20, 32.

v. 26. μακεδονία καὶ ἀχαΐα, *Macedonia et Achaja*) Colligi hinc tempus potest epistolae scriptae. Act. 19, 21. — κοινωνίαν, *communionem*) Honesta et aequitatis plena appellatio. — τῶν ἁγίων, *sanctorum*) Non ait: *pauperes sanctos.* Ergo non omnes *sancti* erant *pauperes.* ergo jam cessarat Hierosolymis communio bonorum, post mortem Ananiae et Sapphirae, et post persecutionem, Act. 8, 1.

v. 27. εὐδόκησαν γὰρ, *nam placitum habuerunt*) Subaudi, *inquam.* coll.

Digitized by Google

vers. praeced. init. Bis memorat *placitum;* bis, *debitum.* — καὶ, *et*) Libertas et necessitas in bonis operibus sunt una. — εἰ γὰρ, *si enim*) Haec ratio etiam in Romanos convenit. igitur hos etiam molliter, in epilogo, invitat et monet, ut conferant. conf. c. 12, 13. — ὀφείλουσι, *debent*) debito aequitatis fraternae. 2 Cor. 9, 7. — λειτουργῆσαι, *ministrare*) *Ministrat* inferior superiori.

v. 28. ἐπιτελέσας καὶ σφραγισάμενος) Verba affinia. 2 Reg. 22, 4. וַיְתַם אֶת־ הַכֶּסֶף LXX, καὶ σφράγισον τὸ ἀργύριον. Perfecit Paulus prius: nil abrupit, quamlibet strenuus. Act. 19, 21. σφραγισάμενος, *postquam obsignavero*, non tantum, ut bonam fidem tradentis agnoscant, sed etiam in communione spirituali confirmentur. — ἀπελεύσομαι) *abibo;* vel si nunquam rediturus sim ex Hispania. Haec vis verbi compositi. — σπανίαν, *Hispaniam*) Non videtur Paulus in Hispaniam pervenisse. Saepe in animis piorum existit sanctum propositum, quod etsi non impletur, tamen pretiosum est. 2 Sam. 7, 2. 4.

v. 29. πληρώματι, *plenitudine*) conf. v. 19. Parallelismus realis est in *plenitudine* evangelica, intensiva et extensiva. — εὐλογίας, *benedictionis*) quae conspicua sit et Hierosolymis et Romae. — τοῦ εὐαγγελίου) Omiserunt aliqui. Causa hiatus, τοῦ recurrente, facile noscenda. [1])

v. 30. κυρίου, *Dominum*) Hortatur per *nomen Domini:* coll. *per amorem*, mox. — ἀγάπης, *amorem*) *Amor spiritus* latissime patet: ad te refert etiam quae aliena viderentur. — συναγωνίσασθαί μοι, *una certare mecum*) Ipse oret oportet, qui alios vult orare secum. Act. 8, 24. 22. Orare, *agon* est, praesertim ubi homines resistunt. Solus ex apostolis Paulus preces fidelium pro se ipso expetit: et quidem fere in conclusionibus epistolarum, neque id tamen promiscue. Sic enim non tam ad eos scribit, quos ut filios cum paterna gravitate vel etiam severitate tractat, ut Timotheum, Titum, Corinthios, Galatas; quam ad eos, quos quasi aequales fraterna cum reverentia tractat, ut Thessalonicenses, Ephesios, Colossenses, (apud quos non fuerat,) atque adeo Romanos, itemque Hebraeos. Innectit id eleganter 2 Cor. 1, 11. Phil. 1, 19. Philem. v. 22.

v. 31. καὶ ἵνα, *et ut*) Haec quoque res magna. — εὐπρόσδεκτος, *bene acceptum*) ut Judaei et gentes arctissimo amore copulentur. Liberalitas gentium, propter nomen Jesu praestita, argumentum praebuit Judaeis pro veritate efficaciaque fidei christianae, et gentium legitima communione. 2 Cor. 9, 13.

v. 32. ἐν χαρᾷ ἔλθω, *in gaudio veniam*) *Veniam* respicit partem priorem versus 31. et, *in gaudio*, partem alteram.

v. 33. ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης, *Deus pacis*) Gradatio respectu v. 5. 13.: *Deus patientiae, spei.* sic, *Deus amoris et pacis*, 2 Cor. 13, 11. *Deus pacis*, c. 16, 20. 1 Cor. 14, 33. Phil. 4, 9. 1 Thess. 5, 23. Hebr. 13, 20. [2])

CAPUT XVI.

v. 1. Φοίβην, *Phoeben*) Nomina ex diis gentium sumta retinuere christiani, in memoriam gentilismi relicti. — οὖσαν διάκονον, *quae est ministra*) citra docendi partes. Ea ut *ministra* in hac ipsa legatione erat consideranda. — κεγχρεαῖς, *Cenchreis*) ad Corinthum.

---

1) Omissionem *itaque hujus vocis* Bengelio placuisse, *per errorem vel* S. R. D. Foertschius *in Progr. ad h. l., vel* S. R. D. Ernesti, *in recensione Programmatis, perhibet, Bibl. th. T. V. p.* 474. *Conferatur, s. pl.*, Editionis utriusque *margo (ubi signum* ϑ *omissionem pro lectione* minus firma *declararat), nec non* Vers. germ., *quae, citra parenthesin, exprimit voc.* des Evangelii. E. B.

2) ἀμήν, *Amen* finale Graeci librarii ex usu ejus frequentissimo adjicere amarunt, non dicam in doxologiis, quae *Amen* habent in Ps. 41, 14. 72, 19. etc. sed in votis et librorum clausulis. *Not. crit.*

Digitized by Google

v. 2. ἐν κυρίῳ, *in Domino*) Plurima mentio *Domini, Christi,* in hoc capite. *In Domino:* hodie dicimus, *christiano more.* Phrasis Paulo propria, at frequens. — καὶ γὰρ, *etenim*) Magnum argumentum. 1 Cor. 16, 15. s. Phil. 2, 29. Ampla necessitudo fidelium: Phoebe commendatur Romanis ob beneficia extra Romam posita. — προστάτις, *praestes*) Credibile est, Phoeben fuisse opulentam: quae tamen *ministerium* non subterfugit, apud peregrinos, egenos etc. nec morata est apud cives rei suae intentos opinionem malae oeconomiae. — πολλῶν, *multorum*) Fideles debent gratiam referre non modo ei, qui ipsis, sed etiam ei, qui aliis inserviit.

v. 3. ἀσπάσασθε, *salutate*) Observanda apostoli humanitas, in salutationibus scribendis; fidelium familiaritas, in committendis, v. 21. s. rursum, illius humilitas, in suscipiendis; horum amor, in frequentandis. — πρίσκαν, *Priscam*) Hanc lectionem satis firmat vis testium: πρίσκιλλαν praefert cel. *Baumgartenius. Priscillae* nomen diminutivum Latinum videtur sancta mulier in Italia gessisse, Act. 18, 2., sed gravius *Priscae* nomen in ecclesia. Conjugis nomen hic ante maritum ponitur; quia illa in ecclesia spectatior erat, Act. 18, 18.: vel etiam, quia hic praecessit mentio Phoebes mulieris. — ἀκύλαν, *Aquilam*) Nomina propria, Romana, Hebraea, Graeca, fidelium, promiscue posita, *paradoxas* gratiae *divitias* N. T. ostendunt. — συνεργοὺς, *cooperarios*) docendo, vel tuendo. v. seq.

v. 4. οἵτινες, *qui*) Suis singuli virtutibus officiisve distinguuntur: nunquam vero ita quenquam scriptura laudat, ut causam habeat extollendi sui, sed Deum laudandi et in Deo gaudendi. — ὑπέθηκαν) Vis verbi non incommode declaratur ex nomine ὑποθήκη. — αἱ ἐκκλησίαι, *ecclesiae*) etiam Romae, propter Paulum servatum. Et nos adhuc quodammodo gratias agere debemus Aquilae et Priscillae, vel olim agemus.

v. 5. κατ' οἶκον, *domi*) Ubi Christianus quispiam spatioso utebatur domicilio, locum dedit conventui. Adhuc neque episcopos neque diaconos habebant fideles Romae. Adeo nil tum simile papatui. Non videntur Romae tum plures domesticae fuisse ecclesiae: alias Paulus earum quoque mentionem faceret. Erat igitur Aquila Romae, quod Corinthi Cajus, c. 16, 23. quanquam persecutio eum inprimis attigerat. Act. 18, 2. — ἐπαίνετον, *Epaenetum*) Romae nondum fuerat Paulus, et tamen multos ibi familiares habebat, ex Asia, vel etiam ex Graecia, Palaestina, Cilicia, Syria. Nulla hic Lini Clementisve mentio: unde colligas, eos postea demum Romam venisse. — ἀπαρχὴ, *primitiae*) Plane favorabilis appellatio. 1 Cor. 16, 15. — ἀχαΐας) alii, ἀσίας· idque probat Grotius cum Britannis a Wolfio citatis, quibus haud scio, quam recte, Whitbium consentire, dicat. ἀχαΐας tuetur inprimis *D. Hauberus,* eam ratiocinandi solertiam, qua ipse pollet, nimis liberaliter tribuens librariis. *Bibl. Betracht.* Part. 3. pag. 93. seqq. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l.

v. 7. συγγενεῖς, *cognatos*) Sic v. 11. 21. Erant Judaei. c. 9, 3. — ἀποστόλοις, *apostolis*) Viderant Dominum, 1 Cor. 15, 6.: ideo *apostoli* dicuntur, vocabulo latius sumto, quamvis quidam fortasse post ascensionem Domini ad fidem se contulerunt, per primos Petri sermones. Ceteri poterant esse veterani: et tales agnosco illos plus D fratres. Allegatus ex 1 Cor. locus innuit multitudinem eorum, qui Christum viderant, et apostolico inde testimonio fungi poterant. — πρὸ ἐμοῦ, *ante me*) Venerabiles facit aetas, in Christo maxime. Apud veteres *venerabile erat praecedere quatuor annis.* — γεγόνασιν ἐν χριστῷ) *coeperunt esse in Christo.*

v. 8. ἐν κυρίῳ, *in Domino*) Constr. cum *dilectum,* nam *salutate* v. 6. et passim absolute ponitur.

v. 9. ἡμῶν, *nostrum*) v. 21.

v. 10. τὸν δόκιμον, *probatum*) Incomparabile epitheton. [*Spectatae hic*

Digitized by Google

virtutis fuit. V. g.] — τοὺς ἐκ τῶν) *Aristobolus* fortasse defunctus erat, et *Narcissus* v. 11. nec omnis eorum familia conversa. Nonnulli ex his non videntur Paulo noti fuisse facie, sed fama pietatis. Fides non facit morosos, sed affabiles. Paulum ne gravitas quidem apostolica impediit.

v. 11. ὄντας, *qui sunt*) Ergo pars illius familiae erant ethnici.

v. 12. τὰς κοπιώσας, *quae laborarunt*) etsi nomen habent ἀπὸ τρυφῆς, *a deliciis*, ut *Naëmi*. Probabile est, fuisse has duas sorores secundum carnem.

v. 13. ἐκλεκτὸν, *electum*) Insignis appellatio. 2 Joh. v. 1. 13. 1 Tim. 5, 21.

v. 14. ἀσύγκριτον κτλ., *Asyncritum etc.*) Paulus eos conjungit, quorum propria erat conjunctio necessitudinis, viciniae etc. Nec potuit non valde exhilarare salutatio nominatim facta ad tenuiores, qui se fortasse ne notos quidem apostolo scirent.

v. 16. ἀσπάσασθε ἀλλήλους, *salutate vos invicem*) subaudi: *meo nomine.* — ἐν φιλήματι ἁγίῳ, *osculo sancto*) Erat hic flos fidei et amoris. *Osculum amoris*, 1 Petr. 5, 14. Eo utebantur post preces. *Osculum sanctum* commemorat Paulus, epistolam 1 ad Thessalonicenses, utramque ad Corinthios et hanc ad Romanos concludens. Has epistolas primo tempore scripsit. Mox puritas amoris apud quosdam refrixit; aut abusus extitit. Nam ad Eph. Phil. Col. postea, ex vinculis, hoc osculum non praecepit. Differentia est ratione temporis: non ratione loci. nam *Philippenses* erant in Macedonia, uti *Thessalonicenses*. Differentiam tamen temporis non dico plane unicam osculi jussi aut non jussi causam. In ep. II. ad Thess. non opus fuit tam cito post priorem epistolam id juberi. Galatae tum non erant capaces. — αἱ ἐκκλησίαι [1]), *ecclesiae*) quibuscum fui. c. 15, 26. His significarat, se Romam scribere.

v. 17. ἀδελφοὶ, *fratres*) Dum Christi ecclesias v. 16. animo amplectitur, hortatio subit; qua per parenthesin conclusa, iis, *qui salutantur*, adduntur, *qui salutant.* v. 21. — τοὺς τὰς) Erant igitur Romae tales homines. Conferatur secunda ad Thess. ante hanc ad Rom. scripta, cap. II. — τὰς διχοστασίας, *seditiones*) per quas bonum non bene defenditur. — τὰ σκάνδαλα, *scandala*) per quae malum invehitur. — ἐμάθετε, *didicistis*) Semel didicisse, obligat. 1 Cor. 15, 1. 2 Cor. 11, 4. Gal. 1, 9. Phil. 4, 9. 2 Tim. 3, 14. — ἐκκλίνατε) Conf. στέλλεσθαι, 2 Thess. 3, 6. παραιτοῦ, Tit. 3, 10. conf. 1 Cor. 5, 11. 2 Joh. v. 10. Nondum Romae erat forma ecclesiae. Accomodatum est igitur monitum *singulis* potius, quam universis. Est tamen testimonium in futura tempora in hac ep. ad Rom. ut Canticum Mosis, Israëli praescriptum.

v. 18. οἱ τοιοῦτοι) hi *tales.* notatur substantia cum sua qualitate. — κοιλίᾳ, *ventri*) Phil. 3, 19. — χρηστολογίας) de se pollicendo. — εὐλογίας) de vobis, laudando et assentando. — τῶν ἀκάκων) Verbum μέσον, per euphemiam פתי LXX in Prov. ἄκακος, non semel. ἄκακοι dicuntur, qui tantum carent malitia, cum deberent etiam pollere prudentia, et alienam κακίαν cavere.

v. 19. ὑπακοὴ, *obedientia*) quae est τῶν ἀκάκων. ipsa obedientia, non modo fama ejus, pervenit ad omnes, ubi per frequentem commeatum fideles ex Romanis etiam ad alia loca venerunt, et ipsa eorum obedientia coram observata fuit. Existit hoc modo, ut apud malos mala, sic apud bonos bona infectio, in bono sensu. — πάντας) *omnes*, vos vel etiam alios. — ἀφίκετο) Hesychius: ἀφίκετο, παρεγένετο. — τὸ ἐφ' ὑμῖν, *quod ad vos attinet*) in oppositione ad turbatores, qui curam afferunt, non gaudium. — θέλω δὲ, *volo autem*) Antitheton: obedientia quidem et ἀκακία, ut constat, non deficit vos; sed accedere debet discretio. — σοφοὺς, *sapientes*) Contra atque illi de quibus Jer. 4, 22. σοφοί εἰσι τοῦ κακο-

---

1) *Lectionem* πᾶσαι, *utut per marginem* utriusque Ed. *pro minus firma declaratam, recepit postliminio* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

ποιῆσαι, τὸ δὲ καλῶς ποιῆσαι οὐκ ἐπέγνωσαν. — ἀκεραίους) Si quid mali se offert, dicitote: hoc a me alienum duco. ἀκέραιος hoc loco passive sumitur.

v. 20. δὲ, *vero*) Dei virtus faciet, non prudentia vestra. — τῆς εἰρήνης, *pacis*) Antitheton: *seditiones*. v. 17. Vid. 1 Cor. 14, 33. — συντρίψει) Futurum: *conteret* Satanam, quum apostolos ejus conteret. — τὸν σατανᾶν, *Satanam*) litium satorem. Semel in tota hac epistola hostem nominat: et in omnibus epistolis Satanam novies omnino appellat: diabolum sexies. Nempe Scriptura directe de Deo et Christo agit; indirecte de Satana et antichristo. — ὑπὸ τοὺς πόδας, *sub pedes*) Eph. 6, 15. Quaevis victoria fidei, novum dolorem affert Satanae. — ἐν τάχει) *celeriter*, quod ad initia conterendi pertinet, in periculo subito. — ἀμήν.) Voculam hanc votis adjecere librarii persaepe, quanquam h. l. fere omnes ea carent. Tuetur tamen *Baumgartenius*.

v. 21. συνεργὸς, *cooperarius*) Hic ponitur ante *cognatos*, non tamen ponitur c. 1, 1. quia non fuerat Romae.

v. 22. ἀσπάζομαι, *saluto*) Hoc Pauli vel hortatu vel concessu facili interposuit Tertius. Paulus dictavit: ex quo patet, quam promti fuerint apostoli in libris suis fundendis, sine commentandi molestia. — τέρτιος, *Tertius*) Nomen Romanum. Librarius Romanis sine dubio notus. — ἐν, *in*) Constr. cum *qui scripsi*. Implicita fidei confessio.

v. 23. γάϊος, *Cajus*) Corinthius. 1 Cor. 1, 14. — ὅλης, *totius*) Nam permulti adibant Paulum. — ὁ οἰκονόμος, *oeconomus*) Romanis non potuit non laeta esse fides amplissimi viri. — τῆς πόλεως, *urbis*) sine dubio Corinthi.

v. 24. ἡ χάρις — ἡμῶν) Non legebant Alexandrini. — ἀμήν.) De hac particula modo egimus.

v. 25. τῷ δὲ, *ei vero*) Doxologia claudit, uti tractationem c. 11, 36. sic jam totam epistolam. sic 2 Petr. 3, 18. Jud. v. 25. Extrema hujus epistolae verba plane respondent primis: c. 1, 1—5. praesertim de Potentia Dei, Evangelio, Jesu Christo, Scripturis, obedientia fidei, gentibus omnibus. — δυναμένῳ — κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου, *qui potest — secundum evangelium meum*) Potentia Dei certa est. c. 1, 16. Act. 20, 32. not. — ὑμᾶς, *vos*) Judaeos et gentes. — στηρίξαι) Idem verbum c. 1, 11. — ἀποκάλυψιν) Idem verbum, c. 1, 17. κατὰ ἀποκάλυψιν construendum cum εὐαγγέλιόν μου. — μυστηρίου, *mysterii*) de gentibus *concorporatis*. Eph. 3, 3. 6. — χρόνοις αἰωνίοις, *temporibus aeternis*) ex quo non modo homines, sed etiam angeli conditi sunt, quibus utrisque mysterium initio fuerat incognitum. Eph. 3, 9. 10. Notantur *tempora*, primo sui initio *aeternitatem* quasi praeviam attingentia, et ei quasi immixta; non ipsa aeternitas, cujus quasi rivi sunt tempora. nam *ANTE tempora aeterna* dicitur 2 Tim. 1, 9. Ps. 77, (76.) 6. ἡμέρας ἀρχαίας καὶ ἔτη αἰώνια. — σεσιγημένου, *taciti*) Vetus Testamentum est tanquam horologium in suo cursu tacito: Novum Testamentum est sonitus et pulsus aeris. In Scripturis propheticis praedicta erat vocatio gentium: sed Judaei non intellexerunt.

v. 26. φανερωθέντος, *manifestati*) Col. 1, 26. 2 Tim. 1, 10. Tit. 1, 3. — ἐπιταγὴν, *jussum*) Fundamentum apostolatus. 1 Tim. 1, 1. Tit. 1, 3. — τοῦ αἰωνίου θεοῦ, *aeterni Dei*) Epitheton aptissimum. coll. v. praec. *temporibus aeternis*. Sic Tit. 1, 2. Silentium divinum praesupponit scientiam aeternam. Act. 15, 18. Oeconomia nova nullam in ipso Deo mutationem infert: notum ipsi suum est opus a seculo. Conf. mox, *soli sapienti*. — ἔθνη, *gentes*) non tantum ut sciant, sed etiam, ut fruantur.

v. 27. σοφῷ, *sapienti*) Sapientia Dei glorificatur per evangelium in ecclesia. Eph. 3, 10. *Qui potest*, v. 25. et *sapienti*, h. l. conjunguntur, uti 1 Cor. 1, 24. ubi Christus dicitur *Dei potentia et Dei sapientia*. — ᾧ, *cui*) positum

Digitized by G

pro αὐτῷ, *ei.* sic ὢν, c. 3, 14. conf. 2 Tim. 3, 11. Act. 26, 7. 2 Cor. 4, 6. not. LXX, Es. 5, 28. Et hiulca esset oratio sine pronomine. — ἀμήν. *Amen*) et omnis lector fidelis dicat: *Amen!*

IN EPISTOLAM PRIOREM AD CORINTHIOS.

CAPUT I.

v. 1. Παῦλος, *Paulus*) Constat epistola

I. Inscriptione. c. I. 1—3.
II. Tractatione: in qua
1. Exhortatio ad concordiam, elata carnis judicia deprimens. v. 4 — IV. 21.
2. Elenchus:
1) ob malum non ejectum. V. 1—13.
2) ob judicia perversa. VI. 1—11.
3. Dehortatio a scortatione. VI. 12—20.
4. Responsum de conjugio. VII. 1. 10. 25. 36. 39.
5. de idolothytis. VIII. 1. s. 13. — IX. 27. X. 1. — XI. 1.
6. de muliere velanda. XI. 2.
7. de Coena Dominica. XI. 17.
8. de spiritualibus donis. XII. XIII. XIV.
9. de resurrectione mortuorum. XV. 1. 12. 29. 35.
10. de collecta: de suo et Timothei et Apollo adventu: de summa rei. XVI. 1. 5. 10. 12. 13. s.
III. Conclusione. XVI. 15. 17. 19. s.

— ἀπόστολος ἰησοῦ χριστοῦ, *apostolus Jesu Christi*) v. 17. — διὰ θελήματος θεοῦ, *per voluntatem Dei*) Sic 2 Cor. 1, 1. Eph. 1, 1. Col. 1, 1. 2 Tim. 1, 1. *Mandatum* dicitur 1 Tim. 1, 1. Ratio auctoritatis, ad ecclesias; humilis et promti animi, penes ipsum Paulum. Conf. Rom. 1, 1. not. Namque mentione *Dei* excluditur auctoramentum humanum; Gal. 1, 1. mentione *voluntatis Dei*, meritum Pauli, c. 15, 8. ss. unde hic apostolus eo gratior et promtior. 2 Cor. 8, 5. fin. Sua ipsius voluntate Paulus nunquam factus esset apostolus [1]). — σωσθένης, *Sosthenes*) comes Pauli, Corinthius. Apollo hic non memoratur, neque Aquila. non enim videntur tum cum Paulo fuisse, quanquam in eadem urbe erant. c. 16, 12. 19. In posteriore Timotheum sibi adjungit.

v. 2. τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ, *ecclesiae Dei*) *Ecclesiae* appellationem Paulus ad Thessalonicenses et Corinthios et Galatas scribens familiarius, adhibet: ad ceteros, periphrasi augustiore utitur. *Ecclesia Dei in Corintho:* laetum et ingens paradoxon. — τῇ οὔσῃ, *ei, quae est*) florenti. v. 5. s. Sic, *quae erat,* Act. 13, 1. — ἡγιασμένοις, *sanctificatis*) iis, qui Deo asserti sunt. Jam tractationi praeludens admonet Corinthios majestatis ipsorum, ne se hominibus mancipent. [*Tum in Exordio etiam, v. 4—9., egregiis eosdem encomiis, utut animi elationi vicinos, mactat. Quae a gratia divina derivatur laus, ea humilitatem potius alit, excitationi praeterea subserviens.* V. g.] Participii vis declaratur mox, *vocatis sanctis.* conf. Rom. 1, 7. not. — σὺν πᾶσι, *cum omnibus*) Connect. cum *sanctificatis* et *sanctis*, non cum *ecclesiae.* conf. *nostro* in fine versus. Consequenter tamen epistola pertinet etiam ad reliquos in Achaja fideles. 2 Cor. 1, 1. Nec tamen universalitas ecclesiae includitur in viciniam *Corinthi.* Paulo

1) Voluntatem DEI ducem habere, plurimum juvat. Sua voluntate aliquid moliri, utut nomine admodum speciose commendabile, plena discriminis res est. Facile mundo molestas tali tricas parit et perquam difficiles. *V. g.*

Digitized by Google

de locis Corinthiorum et Ephesiorum cogitanti, in mentem veniebat tota ecclesia. Consideratio ecclesiae universalis animum liberat a studio partium, et flectit ad obedientiam. Ideo Corinthiis ea statim proponitur. conf. c. 4, 17. 7, 17. 11, 16. 14, 33. 36. — τοῖς ἐπικαλουμένοις) *invocantibus*, ita ut ad illum se in adorando vertant, et ex eo sese appellent. conf. v. 10. de auctoritate nominis Christi. [*Illi nimirum adhortationi, quae v. cit. sequitur, viam h. l. parat.* V. g.] — αὐτῶν, *illorum*) prope Corinthum. — ἡμῶν, *nostro*) ubi Paulus et Sosthenes versabantur.

v. 5. λόγῳ — γνώσει, *verbo — cognitione*) *Cognitionem* sequitur *verbum*, in re: et ex hoc cognoscitur illa. Ostendit, tales debere esse Corinthios, quibus non necesse sit scribi. Mirabantur autem illi charismata: ergo mentione charismatum animos eorum sibi conciliat, et viam munit ad elenchum.

v. 6. καθὼς, *sicut*) Corinthiis nil deesse, declarat ex eo, quod testimonium Christi in eis confirmatum sit. Particula demonstrans. — τοῦ χριστοῦ, *Christi*) Christus non modo objectum est hujus testimonii, sed etiam auctor. Act. 18, 8. not. — ἐβεβαιώθη, *confirmatum est*) per se et per concomitantia charismata et miracula. c. 12, 3. 2 Cor. 1, 21. s. Gal. 3, 2. 5. Eph. 4, 7. s. Ebr. 2, 4.

v. 7. ὥστε ὑμᾶς μὴ ὑστερεῖσθαι, *ita ut non egeatis*) Hoc pendet a *divites facti estis*, antitheto. — ἀπεκδεχομένους, *exspectantes*) Character christiani veri vel falsi, revelationem Christi vel exspectare vel horrere. [*Suum aliis MEMENTO MORI relinquens, laetam tu exspectationem urge.* V. g.]

v. 8. ὅς, *qui*) *Deus*, v. 4. coll. v. 9. — ἕως τέλους, *usque in finem*) Antitheton ad *initium, quae data est.* v. 4. Hic *finis* mox describitur hoc versu, coll. c. 15, 24. — ἐν τῇ ἡμέρᾳ, *in die*) Constr. cum *inculpatos*. 1 Thess. 5, 23. Post diem illum periculi nil. Eph. 4, 30. Phil. 1, 6. Nunc sunt dies nostri, quibus operemur; dies hostium, per quos exerceamur: tum erit dies Christi et gloriae ejus in sanctis.

v. 9. πιστὸς, *fidelis*) *Fidelis* dicitur Deus, quia praestat, quae pollicitus est, et quae fideles sibi de Illius bonitate pollicentur. — ἐκλήθητε, *vocati estis*) Vocatio pignus ceterorum beneficiorum. [*cui respondebit finis, v.* 8. V. g.] Rom. 8, 30. [1 Thess. 5, 24.] 1 Petr. 5, 10.

v. 10. [1]) δὲ, *autem*) Connexio exordii et tractationis: Habetis finem et spem; servate etiam amorem. *Fratres*, congruit ineunti tractationi. — διὰ) *per*. Instar obtestationis. — τοῦ κυρίου, *Domini*) Christum Paulus vult Corinthiis unum esse omnia. Ideo hoc primo capite tam saepe Eum appellat. — τὸ αὐτὸ λέγητε, *idem dicatis*) Diversa dicebant. v. 12. — σχίσματα, *schismata*) Antitheton: κατηρτισμένοι *coagmentati*. coll. Matth. 4, 21. *Schisma*, discidium animorum. Joh. 7, 43. 9, 16. — νοΐ, *mente*) intus, in credendis. — γνώμῃ, *sententia*) prolata, in agendis. Resp. *dicatis*.

v. 11. ἐδηλώθη, *significatum est*) Exemplum delationis bonae, nec sine causa celandae. c. 11, 18. — ὑπὸ τῶν χλόης, *ab iis qui sunt Chloës*) Hi homines videntur fuisse et Paulo et Corinthiis inprimis probati, et Chloë matrona, cujus filios Corinthii, cum literis, c. 7, 1. ad Paulum miserint. Miserant Stephanam, Fortunatum et Achaicum, c. 16, 17.: quorum unus alterve etiam Chloës esse potuit, ex Stephana patre. v. 16. 16, 15. — ἔριδες, *lites*) Rem suo nomine appellat.

v. 12. λέγει, *dicit*) gloriabundus. v. 31. c. 3, 21. s. — παύλου, *Pauli*) Gradatio, qua Paulus se infimo loco ponit. Et Kephas, et Paulus, et Apollo, erant ministri genuini et doctores veri, quorum unum prae ceteris jactare majus nefas erat, quam si fidelis Corinthius aliquis se Christianum Paulinum dixisset, ut se a

---

1) παρακαλῶ, *hortor*] Reprehensione quum opus haberent; *adhortationis* formali utitur. *V. g.*

Digitized by Google

pseudapostolis discriminaret. — κηφᾶ, *Kephae*) Petrus non videtur fuisse Corinthi, c. 4, 6. et tamen ibi magni habitus erat. Jure id quidem: sed tamen abutebantur nonnulli; et hunc *Petrismum* (qui postea Romae multo vehementius pullulavit) Paulus aeque ac *Paulismum* detestatur. Quanto minus dicendum aut gloriandum, *Ego sum papae.* — ἐγὼ — χριστοῦ, *ego — Christi*) Hi rectius loquebantur, quam ceteri; v. 2. c. 3, 23.: nisi eo obtentu *ministros* despexerunt. c. 4, 8.

v. 13. μεμέρισται; *divisus est?*) Num non omnia membra sub uno jam sunt capite? cum tamen ille unus pro vobis crucifixus, in illius unius nomen baptizati sitis? Gloria Christi non est dividenda cum servis ejus; neque corporis unitas scindenda, quasi Christus desinat unus esse. — μὴ, *num*) Saepe *num* ponitur in interrogationis inciso secundo. c. 10, 22. 2 Cor. 3, 1. — ἐσταυρώθη — ἐβαπτίσθητε, *crucifixus est — baptizati estis*) Crux et baptismus nos Christo asserit. Relata: redimere, se addicere.

v. 14. εὐχαριστῶ, *gratias ago*) Providentia Dei regnat saepe in rebus, quarum ratio postea cognoscitur. Pia phrasis, pro vulgari illa, *gaudeo*, gravitatem rei indicans. — κρίσπον καὶ γάϊον, *Crispum et Cajum*) Testes adducit. Viros amplissimos Paulus sua manu baptizavit; alios non multos: non ex ambitione, sed quia illi inter primos credidere. Justa aestimatio muneris sui non est superbia. c. 16, 4. Baptismi administratio non tam erat apostolorum, quam diaconorum. Act. 10, 48. Neque id dignitatem baptismi imminuit.

v. 15. ἵνα μὴ, *ne*) Paulus occurrit calumniis, quae, quamlibet iniquae, tamen oriri poterant; easque removet. 2 Cor. 8, 20. — ἐμὸν, *meum*) quasi pro me colligerem coetum.

v. 16. [1]) λοιπὸν, *ceterum*) Valde solicitus est in commemoranda re gesta. — οὐκ οἶδα, *non novi*) sine labore non occurrit memoriae meae. — εἴ τινα, *num quem*) Id est, aut nullum alium, aut vix ullum baptizavi. coll. v. seq. Singulorum memoriae relinquit, per quos sint baptizati.

v. 17. ἀπέστειλε, *misit*) Quo quis mittitur, id agere debet. — βαπτίζειν, *baptizare*) in nomine suo, nedum, meo. Operosa baptismi actio, saepe suscepta, impedisset praedicationem: ceteroqui apostoli baptizarunt, Matth. 28, 19. primos praesertim discipulos. — εὐαγγελίζεσθαι, *evangelizare*) Hoc, respectu antecedentium, est syncategorema; respectu consequentium, Propositio. Ipsa transeundi ratione Paulus utitur tali, cui nescio an congruerent leges eloquii Corinthiaci. [*Itaque* apostolicae *quasi* stultitiae *specimen hoc ipso loco Apostolus praebet: neque tamen non sapientissime omnia ordinata sunt.* V. g.] — σοφίᾳ λόγου, *sapientia sermonis*) [*Cujus gratia majoris me vestrum aliquis minorisve facit, quam reliquos.* V. g.] Frequenter hic adhibentur nomina *sapientia* et *potentia*. *Sapiens sermo* penes mundum habetur, qui nil minus, quam crucem edisserit: sermo autem crucis nil heterogeneum admittit. — ὁ σταυρὸς τοῦ χριστοῦ, *crux Christi*) v. 24. Ignoratio mysterii crucis, totius v. gr. Alcorani fundamentum est. [*Evangelii, quoad initia, summa immutur.* v. 18. 23. 2, 2. Crucem *qui respuit, is et reliquorum expers manet: qui accipit, huic et* virtus *deinceps cum* gloria *innotescit.* V. g.]

v. 18. μωρία, *stultitia*) *et scandalum.* Vide antitheton, *potentia*, mox. Duo gradus salutis: Sapientia et Potentia. Apud pereuntes sublato primo gradu, tollitur secundus: apud beatos, primum secundus praesupponit. — σωζομένοις, *iis qui salvantur*) Praesens, ut in *pereuntibus.* qui evangelium audire coepit,

---

1) καὶ τὸν στεφανᾶ οἶκον, *Stephanae etiam domum*] Achajae scilicet primitias, c. 16, 15. Corinthiorum credentes reliqui per Silvanum, Timotheum, Crispum, Gajum, vel per Stephanae certe domesticos, baptizati fuerint. *V. g.*

Digitized by Google

nec ut perditus nec ut salvatus habetur, sed est quasi in bivio, et nunc aut perit aut salvatur. — δύναμις, *potentia*) *et sapientia.* Sic quoque c. 2, 5.

v. 19. ἀπολῶ — ἀθετήσω) Es. 29, 14. LXX, καὶ ἀπολῶ — κρύψω. verba intermedia eadem sunt, illorum ac Pauli. — ἀπολῶ, *perdam*) Hinc, *destruere.* v. 28. 2, 6.

v. 20. ποῦ σοφός; ποῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου;) Es. 33, 18. LXX, ποῦ εἰσι γραμματικοί; ποῦ εἰσιν οἱ συμβουλεύοντες; ποῦ ἐστιν ὁ ἀριθμῶν τοὺς συστρεφομένους; Hebr. איה סופר איה שוקל איה מספר את המגדלים Proponit prius hemistichium duas interrogationes, quarum prior declaratur hemistichio altero; posterior, versu proximo: (qualis etiam figura Es. 25, 6. *ubi scriba? ubi pensitator? ubi scriba cum turribus? ubi pensitator, cum populo roborato, quem visus tuus non ferat?* Videtur enim locutio proverbialis, cui inservire solet particula את *cum* in tali sermone universalitatem denotans. Deut. 29, 18. Penes scribas curationem aliquam turrium fuisse, colligas ex Ps. 48, 13. s. Pensitatorum appellatio facile convenit copiarum praefectis. Conf. Heinr. Scharbau Parerg. Phil. Theol. P. IV. p. 109—139. qui multa erudite collegit nobisque ad haec cogitanda ansam dedit. Locum Esajae utrumque Paulus contra Judaeos producit; et alterum quidem verbis ita flexis, ut magis conveniant in tempora citeriora; et simul in gentes. v. 22. Sunt qui notari existiment tria doctorum Judaeorum genera חכמים כסרים דרשים. Invenias certe primum et secundum, Matth. 23, 34. Antitheton autem triplex idque insigne est Es. cap. cit. v. 22., ubi sanctorum in Domino gloriatio exprimitur. Hoc autem dicit apostolus: Sapientes mundi non modo non probant et promovent evangelium; sed oppugnant, idque frustra. — τοῦ αἰῶνος τούτου) *hujus seculi*, quod totum est extra sphaeram verbi crucis. — ἐμώρανεν, *stultam fecit*) ita ut rationem divini consilii et beneplaciti non possit mundus exputare. v. 21. — τὴν σοφίαν, *sapientiam*) Antitheta: *sapientiam mundi hujus; in sapientia Dei.* — κόσμου, [1]) *mundi*) in quo Judaei et Graeci.

v. 21. ἐν τῇ σοφίᾳ, *in sapientia*) *quum* tanta Dei sapientia sit v. 25. — οὐκ ἔγνω, *non cognovit*) Ante praedicationem crucis, quamvis creatura creatorem praedicaret, quamvis prophetae eloquentissimi venerant, mundus tamen Deum non cognovit. qui prophetas audivere, sprevere; qui non audivere, hoc animo erant, ut spreturi forent. — διὰ τῆς σοφίας, *per sapientiam*) scil. *praedicationis:* ut patet ex antitheto, *per stultitiam praedicationis.* — εὐδόκησεν ὁ θεὸς) *placitum est Deo*, ex gratia erga nos. Plane videtur Paulus verba Domini imitatus, Luc. 10, 21. — διὰ τῆς μωρίας, *per stultitiam*) Deus cum homine perverso agit per contraria, ut homo se abneget ac Deo gloriam reddat, per *fidem crucis.* — κηρύγματος, *praedicationis*) quippe de cruce.

v. 22. [2]) αἰτοῦσι, *petunt*) ab apostolis, ut olim a Christo. — σοφίαν, *sapientiam*) Christum philosophum sublimem, per demonstrationes procedentem.

v. 23. ἡμεῖς, *nos*) Paulus, Apollo. — κηρύσσομεν, *praedicamus*) methodo potius historica, quam philosophica. — χριστὸν ἐσταυρωμένον, *Christum crucifixum*) sine articulo. Crucis mentio non additur v. seq. Sermo incipit a cruce, c. 2, 2. qui sic accipiunt, iis totus Christus ejusque gloria innotescit: qui non accipiunt, toto excidunt. Act. 25, 19. 17, 32. — σκάνδαλον, *scandalum*) Ut *stultitia* et *sapientia*, sic *scandalum* et *signum* opponuntur. nam *signum* est opus omnipotentiae alliciens, ut saepe synonyma sunt *signum* et *potentia. Scan-*

---

1) *Etiam h. l. pronomen* τούτου, *utut in Vers. germ. omissum*, utriusque Ed. *gr. margo defendit.* E. B.

2) σημεῖα, *signa*] potentes actiones. Non reperias, Corinthi signum editum esse per Paulum. Act. 18. *V. g.*

Digitized by Google

dalum autem, proprie in decipula dictum, res valde debilis. [*Sic res admodum viles* nugarum *hodie* (*germ.* Schwachheiten) *nomine veniunt.* V. g.] Usque adeo crucem Christi horrent Judaei et Graeci, [1]) ut cum ea vel signum et sapientiam repudient.

v. 24. αὐτοῖς) *ipsis*, construe cum *Judaeis, Graecis.* — κλητοῖς, *vocatis*) Huc ref. *vocationem.* v. 26. — χριστὸν, *Christum*) cum sua cruce, morte, vita, regno. [*Non additur h. l.* Crucifixi *cognomen. Superato crucis scandalo, mysterium Christi universum patet. V. g.*] — δύναμιν — σοφίαν, *potentiam — sapientiam*) Experientia potentiae prior est; sapientiae, sequitur.

v. 25. τοῦ θεοῦ, *Dei*) in Christo. — σοφώτερον — ἰσχυρότερον, *sapientius — validius*) v. 30. — τῶν ἀνθρώπων, *hominibus*) Sermo concisus: i. e. sapientius, quam sapientia hominum; validius, quam valentia hominum; quamvis et sapientes et potentes sibi videantur, et definire velint, quid sapiens et potens sit.

v. 26. βλέπετε) *videtis.* Indicativum innuit *enim.* — τὴν κλῆσιν ὑμῶν, *vocationem vestram*) statum, in quo coelestis vocatio vos offendit. sic, *vocatio*, c. 7, 20. — οὐ πολλοὶ, *non multi*) Ergo tamen nonnulli. Subaudi: *vocati sunt.* Ut cum praeconibus evangelii, sic quoque cum auditoribus comparatum est. Ellipsis euphemiam habet. [2]) — κατὰ σάρκα, *secundum carnem*) Affine, *mundi*, mox. *Mundus* secundum *carnem* judicat. — εὐγενεῖς, *nobiles*) qui plerunque etiam sapientes et potentes sunt. [*Eorum societatem, qui vernacula* Freymaurer *audiunt, hoccine charactere distinctam credas?* V. g.]

v. 27. τὰ) Articulus vim habet: *ea* potissimum, *quae stulta sunt* etc. — ἐξελέξατο, *eligit*) [*cumulatim scilicet, Act.* 18, 10. V. g.] Hoc ter ponitur, electio, et vocatio, v. 26., conjuncta. Ez. 20, 5. Haec illius indicium. Electio est judicium divinae gratiae, eos, qui *vocationem* per fidem admittunt, ex communi hominum pernicie eximentis in Christo. Omnis *vocatus* a primo fidei momento est *electus:* et quamdiu in *vocatione* et fide manet, *electus* manet: si quando vocationem et fidem amittit, electus esse desinit: quando in fide fructus affert, *vocationem* et *electionem* confirmat penes sese: si ad fidem redit et credens obdormit, ad statum electionis redit et *electus* obdormit. Atque hi κατ' ἐξοχήν dicuntur *electi* et *praecogniti. Electio* est vel *populorum* vel *individuorum.* De electione *populi* agitur h. l. et Ez. l. c. nec non Act. 18, 10. 1 Thess. 1, 4. et *haec electio* magis incurrit in sensus hominum credentium, quam *electio individuorum.* nam de populo individua quaedam possunt excidere, salva *vocationis* et *electionis* aequali latitudine. Electio quorundam extra ecclesiam est Reservatum divinum ad amussim praeconii evangelici non exigendum. — τοὺς σοφοὺς, *sapientes*) Masculinum, ad exprimendam speciem speciosissimam. cetera neutra, ut in opposito, etiam *stulta.* — καταισχύνῃ, *pudefaceret*) Hoc bis dicitur: deinde *destrueret.* Utroque verbo tollitur *gloriatio*, de re vel magis vel minus voluntaria.

v. 28. τὰ μὴ ὄντα, *quae non sunt*) Genus, sub quo continentur *ignobilia* et *contemta*, nec non *stulta* et *infirma.* Est ergo appositio: cui toti unum illud opponitur, *quae sunt.* — τὰ ὄντα) *quae sunt* quidpiam.

v. 29. ὅπως μὴ, *ut ne*) Antitheton, *ut.* v. 31. — πᾶσα σὰρξ, *omnis caro*) Apta appellatio: *caro* speciosa et tamen caduca. Es. 40, 6. — ἐνώπιον, *coram*) Non *coram* illo, sed *in* illo gloriari possumus.

---

1) *Lectionem* ἴδωσι, *per marginem* utriusque Edit. *lectioni* ἤλθοσι *aequalem, praefert* Vers. germ., *germanis nimirum lectoribus magis perviam.* E. B.

2) σοφοὶ, *sapientes*] Hinc Athenis, quae graecae sapientiae sedes erant, numero tam exiguo lucrifacti sunt homines. *V. g.*

Digitized by Google

v. 30. ἐξ αὐτοῦ, *ex eo*) ***Ex Deo*** estis, non jam τοῦ κόσμου, *mundi*. Rom. 11, 36. Eph. 2, 8. — ὑμεῖς, *vos*) Antitheton ad *multos*, v. 26. Ipsi illi, quos apostolus alloquitur, *vos*, erant *non multi sapientes secundum carnem* etc. — ἐστὲ ἐν χριστῷ ἰησοῦ, *estis in Christo Jesu*) estis Christiani etc. Antitheton: *quae non sunt*, et *estis*: item, *caro* et *Christus*. — ἐγενήθη ἡμῖν, *factus est nobis*) Sic plus dicit, quam si diceret illud: *nos facti sumus sapientes* etc. Factus est nobis sapientia, etc. respectu cognitionis nostrae, et, ante eam, per se, in sua cruce, morte, resurrectione. *nobis*, dativus commodi. — σοφία, *sapientia*) cum antea essemus *stulti*. Miseriam nostram ex nobis praesupponit varietas beneficii divini in Christo. — δικαιοσύνη, *justitia*) cum antea essemus *infirmi*. [*Rom.* 5, 6.] conf. Es. 45, 24. *Jehovah, justitia nostra*, Jer. 23, 6. ubi coll. v. 5. de Filio sermo est: nam Pater non dicitur *justitia nostra*. — ἁγιασμὸς, *sanctificatio*) cum antea essemus *ignobiles*. — ἀπολύτρωσις) *liberatio*, ad summum usque: cum antea essemus *abjecti*, ἐξουθενημένοι.

v. 31. ἵνα, *ut*) scil. *fiat*. — ὁ καυχώμενος, *qui gloriatur*) Non est omnium gloriari. — ἐν κυρίῳ, *in Domino*) non in se, non in carne, non in mundo.

CAPUT II.

v. 1. Κἀγὼ, *et ego*) Ostendit apostolus, se convenienter subservisse consilio et electioni *Dei*. — οὐ) Hoc non construitur cum ἦλθον, sed cum sequentibus verbis. — λόγου ἢ σοφίας, *sermonis aut sapientiae*) *Sapientiam* sequitur *sermo*, rem sublimem oratio sublimis. — καταγγέλλων ὑμῖν τὸ μαρτύριον, *annuntians vobis testimonium*) Sancti homines non tam testantur, quam testimonium, quod Deus dat, annunciant. — τὸ μαρτύριον τοῦ θεοῦ, *testimonium Dei*) per se sapientissimum et potentissimum. Correlatum, *fides*, v. 5.

v. 2. οὐ γὰρ ἔκρινα, *non enim judicari*) Quamvis alia multa scirem, tamen sic feci, ac si nescirem. Minister evangelii si eis rebus, quibus excellit, tamen abstinet, ut Christum pure praedicet, maximum earum rerum fructum capit. Doctrina christiana non debet in gratiam quidem empaectarum et scepticorum, eorumque, qui illos mirantur, aspergi et condiri philosophematis, quasi videlicet per theologiam naturalem convinci possint facilius. qui revelationem contumaciter repudiant, nulla disputatione ex lumine naturae, quod paedagogiae primae duntaxat inservit, lucrifient. — ἔκρινα) Frequens Paulo ad Corinthios verbum hoc cum compositis. v. 13. fs. c. 4, 3. fs. 11, 29. 31. 32. 34. — ἰησοῦν χριστὸν, *Jesum Christum*) Norat Paulus inprimis, quam parvi hoc nomen mundus faceret. [1])

v. 3. καὶ ἐγὼ, *et ego*) Antitheton: *sermo meus*, v. 4. et, *scire*, v. 2. Describit enim rem, praeconem, orationem. — ἀσθενείᾳ, *infirmitate*) Hoc opponitur *robori*. Non debemus cogitare in apostolis statum animae semper lautum et perturbationibus plane vacuum. 2 Cor. 7, 5. 11, 30. Gal. 4, 13. — καὶ ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ πολλῷ, *et in timore et in tremore multo*) Sermo adagialis, notans timorem, qui etiam in corpus ejusque gestum et motum redundat. Marc. 5, 33. Eph. 6, 5. Phil. 2, 12. LXX, Deut. 11, 25. Sic Es. 19, 16. LXX, ἔσονται ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ. [2]) Alia omnia mundus miratur. — ἐγενόμην) *esse coepi*, *apud* vos, erga vos.

v. 4. λόγος, *sermo*) privatus. — κήρυγμα, *praedicatio*) publica. — πειθοῖς) Verbum valde proprium. Antitheton, *demonstratione*. Locum hunc citat Didymus l. 2. de Spir. S. ubi Hieronymus vertit *persuasionibus*, ut sit appositio,

---

1) ἐσταυρωμένον, *crucifixum*] Antitheton sublimis sapientiae, v. 1. *V. g.*
2) Antitheton sermonis eximii, v. 1. *V. g.*

by Google

πειθοῖς λόγοις. a πειθὼ, cui affine πειθή. Hesychius, πειθὴ, πεισμονὴ, πίστις. — σοφίας, *sapientiae*). Cujus sapientiae sermones et argumenta removeantur, declarat v. seqq.

v. 5. σοφίᾳ, *sapientia*) et virtute. — δυνάμει, *virtute*) et sapientia.

v. 6. σοφίαν δὲ λαλοῦμεν, *sapientiam vero loquimur*) Redit, quasi post parenthesin, ad ea, quae c. 1, 23—25. attigerat. *loquimur* habet epanalepsin verbi *praedicamus:* sed *loquimur* est quiddam occultum; coll. v. 7. 13. *praedicamus*, publicum. nam *sapientia* hic denotat non omnem doctrinam Christianam, sed capita ejus sublimia et arcana. Est etiam antitheton temporis praeteriti, v. 1. seqq. et praesentis h. l. — ἐν τοῖς τελείοις) *penes perfectos*, Corinthi aut alibi. Constr. cum *loquimur*. Cognitio Dei et Christi est summa cognitio. Conf. ἐν, c. 14, 11. Phil. 1, 30. *Perfectis* opponuntur non solum mundani et animales, usque ad finem capitis; sed etiam *carnales* et *infantes*. c. 3. init. Hebr, 5, 14. 13. — οὐ — οὐδὲ, *non — neque*) *Seculo* opponitur *Deus*, v. 7. *principibus mundi, apostoli*. v. 8. s. — ἀρχόντων, *principum*) c. 1, 20. Lato vocabulo Paulus utitur, quo et Judaeorum et Graecorum proceres complectitur. — τῶν καταργουμένων, *qui destruuntur*) c. 1, 19. 28. Hoc epitheton pertinet ad principes mundi, et ad mundum ipsum: ex quo constat, sapientiam mundi non esse veram, quia non affert immortalitatem.

v. 7. ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην, *in mysterio, occultam*) Est occulta, antequam expromitur: et quum expromitur, tamen occulta manet multis, imperfectis. — προώρισεν, *praefinirit*) Alludit ad *paravit*, v. 9. — πρὸ, *ante*) Adeo non *destruitur*. v. 6. Sapientia haec mundanam antiquitate longissime antecedit. — αἰώνων, *secula*) Plurale. Oppositum, *seculi hujus*. v. 6. — εἰς, *in*) ut illa sit *gloria* nostra, conf. v. seq. et *gloriatio*. c. 1, 31. — δόξαν) *gloriam*, ex Domino gloriae; v. 8., olim revelandam, tum quum principes mundi *destruentur*. Antitheton ad *mysterium*.

v. 8. ἣν, *quam*) Ref. ad *sapientiam*. — οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων — ἔγνωκεν, *nullus principum — cognovit*) *nullus*, fere nullus; imo plane nullus, qua *princeps*. Antitheton hujus praedicati est in *sed*, v. 9.: subjecti, in *autem*, v. 10. — τὸν κύριον, *Dominum*) qui omnes *principes* vincit. — ἐσταύρωσαν) *Crux*, servorum supplicium. Eo *Dominum* gloriae affecerunt.

v. 9. ἀλλὰ, *sed*) scil. *factum est*, conf. Rom. 15, 3. 21. et 1 Cor. 1, 31. — καθὼς, *sicut*) Ostendit, principes mundi non cognosse sapientiam. — ἃ ὀφθαλμὸς) Es. 64, 3. LXX, ἀπὸ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσαμεν, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν εἶδον θεὸν πλὴν σου, καὶ τὰ ἔργα σου, ἃ ποιήσεις τοῖς ὑπομενοῦσιν ἔλεος. — ἃ, *quae*) *quae oculus non vidit*, sunt ea, *quae paravit Deus*. — ὀφθαλμὸς, οὖς, *oculus, auris*) hominis. — οὐκ ἀνέβη) *non ascenderunt*: i. e. in mentem non venerunt. — ἡτοίμασεν, *paravit*) Hebr. עשה *faciet*. Quae Esajae tempore futura erant, Pauli tempore facta erant. Hinc etiam ille, *exspectantibus*; hic, *amantibus*. conf. *donata*, v. 12., per *gratiam* N. T. cujus fructus consummantur in aeternitate. [*Rom.* 8, 28. *Jac.* 2, 5.]

v. 10. ἡμῖν) *nobis*, apostolis. — ἀπεκάλυψε, *revelavit*) Antitheton: *occultatam*. Conf. Es. 45, 19. 15. Ps. 51, 8., iterumque Luc. 10, 21. — πάντα, *omnia*) v. 9. — τὰ βάθη, *profunda*) maxime occulta. Ps. 92, 6. non modo ea, quae fideles scrutantur. v. 9. et 12., utrinque in fine. Profunda Dei, etiam naturae divinae, non modo regni ejus.

v. 11. τίς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου; *quis enim novit hominum ea quae sunt hominis?*) Ἀνθρώπων omittit *Al.* isque solus: et tamen id dispunctum cupit Artemon. Part. I. cap. 47. Magnopere vero hoc polyptoton, *hominum, hominis, hominis*, ad institutum apostoli pertinet. notat enim similitudinem naturae, quae videatur notitiam dare mutuam sensuum humanorum, nec

zed by Google

tamen dat: quanto minus quisquam sine Spiritu Dei Deum noscet? — τὰ τοῦ ἀνθρώπου) *humana*, interna. — τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου, *spiritus hominis*) Articulus τὸ plane denotat spiritum hominis proprium, non aliunde immigrantem. — τὸ ἐν αὐτῷ, *qui* est *in eo*) Criterium veri, natura conscia. — οὐδείς) *nemo*, omnium extra Deum. Hominem ne homo quidem alter cognoscit: Deus est unus, sibi uni notus. — τὸ πνεῦμα, *spiritus*) A Spiritu Dei non potest sejungi deitas; sicut nec ab hominis spiritu humanitas.

v. 12. τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου, *spiritum mundi*) Eph. 2, 2. — ἐλάβομεν) Spiritus mundi *non sumitur*, sed in eo semper sunt, qui de mundo sunt. Spiritum Dei *accepimus*. — ἐκ, *ex*) Antitheton, *in*. v. 11.

v. 13. καὶ, *etiam*) Sic jungitur *sciamus* et *loquimur*. — διδακτοῖς, *doctis*) doctrina et institutione constantibus. Τὸ σοφίας apud λόγοις non est in epitheton resolvendum. *Sapientia* est scaturigo *sermonum*. — ἀλλ᾽ ἐν, *sed in*) Oppositio immediata: neque dixeris, apostolos naturalem duntaxat, inde ab arte, hinc a spiritu remotam, sermonis facultatem contulisse. — διδακτοῖς) Magis placet lectio, διδαχῇ, *in doctrina* [1]), quam per nos praebet Spiritus [2]) sanctus. Ea *doctrina* complectitur et sapientiam et sermones. — πνευματικοῖς πνευματικὰ, *spiritualibus spiritualia*) hominibus spiritualibus (v. 6. 15.) res et sermones spirituales convenienter interpretamur, ita ut velint et possint accipere. συγκρίνω, σύγκριμα, σύγκρισις, LXX frequentant v. gr. de interpretatione somniorum. Gen. 40. et 41. Dan. capp. 2. 4. 5. 7.

v. 14. ψυχικὸς, *animalis*) qualiscunque, quantuscunque homo est citra Spiritum Dei. Bene Ephraim Syrus: τοὺς κατὰ φύσιν ἀνθρώπους ὁ ἀπόστολος ψυχικοὺς ἐκάλεσε· τοὺς δὲ παρὰ φύσιν, σαρκικούς· οἱ δὲ πνευματικοί εἰσιν, οἱ καὶ τὴν φύσιν εἰς τὸ πνεῦμα μεθαρμοζόμενοι. f. 92. *caro et sanguis*, Matth. 16, 17. not. — οὐ δέχεται, *non capit*) quamvis oblata sint, tamen *non vult* admittere. conf. δέξασθε, *suscipite*, Jac. 1, 21. Hic mox respondet illud, *non potest*. Conf. Rom. 8, 7. Utrique additur aetiologia, per *enim* et *quia*. [*Utrumque antithesin facit ad mentem Pauli* 1 Tim. 1, 15., πιστὸς καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. V. g.] — τὰ τοῦ πνεύματος [3]), *ea quae sunt Spiritus*) Sic, *ea quae sunt Dei*. v. 11. — μωρία, *stultitia*) Ille autem sapientiam quaerit. c. 1, 22. — οὐ δύναται, *non potest*) non habet *spiritum et potentiam*. — γνῶναι, *cognoscere*) *ea quae sunt Spiritus* Dei. — πνευματικῶς) nonnisi *spiritualiter*.

v. 15. ὁ) Pulcre additur hic articulus: ψυχικὸς sine articulo. — πάντα, *omnia*) Neutrum plurale, uti v. 9—14. *Omnia* omnium, adeoque etiam omnes. Neutro comprehenditur masculinum, uti Matth. 11, 27. — αὐτὸς) *ipse*. — ὑπ᾽ οὐδενός, *a nullo*) *animali*.

v. 16. τίς, *quis*) Nemo, qui merus homo sit. conf. Jer. 23, 18. Es. 40, 13. LXX, τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου — ὃς συμβιβάσει αὐτόν; — ὃς, *qui*) Non est hoc interrogativum, sed relativum, quo vis interrogandi, quae est in *quis*, propagatur. valet, *adeoque*. — νοῦν χριστοῦ, *mentem Christi*) Spiritus Patris idem est Filii Spiritus. — ἔχομεν, *habemus*) Id et plus et minus est, quam *cognoscere*. qui habet *mentem Christi*, omnia *dijudicat*, a nemine *dijudicatur*.

CAPUT III.

v. 1. Καὶ ἐγὼ, *et ego*) Locutus est c. 2, 1. de ingressu suo; nunc de progressu. — ὡς σαρκικοῖς, *ut carnalibus*) Id lenius, quam *animalibus*, accedente praesertim mitigatione, *ut parvulis in Christo*, de gradu statim subsecuto.

---

1) *Consentit* Vers. germ.; *quanquam* Editiones graecae *in medio rem reliquerunt*. E. B.

2) *Omissionem epitheti* ἁγίου Vers. germ., *cum margine* Ed. 2. *distinctius*, *quam* Ed. maj., *comprobat*. E. B.

3) *Non dissimulat* Vers. germ. *additamentum* τοῦ θεοῦ, *quanquam omissio*, *per marginem* utriusque Editionis, *firmior aestimatur*. E. B.

Digitized by Google

v. 2. γάλα, *lac*) Ita loquitur, ut Corinthios redigat ad humilitatem. — οὐ, *non*) Subaudi verbum *cibari*, aut aliud affine τῷ *potum dedi*. Doctoris non est docere, quae ipse scit, sed quae auditoribus congruunt. Scriptura est perfecta: nam v. gr. Corinthiis *lac* propinatur; Hebraeis, *cibus solidus*.

v. 3. ὅπου) *ubi*. — ζῆλος, *zelus*) in affectu. — ἔρις, *jurgium*) in sermone. — διχοστασίαι, *dissidia*) in actione. Crescit oratio. *lites* dixerat c. 1, 11. nunc verba multiplicat. sic verbo *gloriari* utitur c. 3, 21., deinde graviori, *inflari*, c. 4, 6. — κατὰ ἄνθρωπον, *secundum hominem*) non *secundum Deum*: humano more.

v. 4. [1]) οὐχί, *nonne*) Nam Spiritus non fert studium partium humanarum.

v. 5. τίς, *quis*) Redit ad institutum. — διάκονοι, *ministri*) Humile verbum, eoque aptum. — δι' ὧν) *per quos*, non in quos. Recte Pelagius ad h. l. *Si nos nihil sumus, quos ministros ipse constituit, quanto magis illi, qui in carnalibus gloriantur?* — ἑκάστῳ, *unicuique*) i. e. *unusquisque, ut illi*. — ὁ κύριος, *Dominus*) Correlatum, διάκονοι *ministri*. — ἔδωκεν, *dedit*) varie. v. sq.

v. 6. ἐφύτευσα — ἐπότισεν, *plantavi — rigavit*) Act. 18, 1. 19, 1. Eadem mente postea *fundamentum* et *ea quae superstruuntur*; *genitorem et paedagogos* dicit. — ηὔξανεν, *incrementum dedit*) v. 10. init. Act. 18, 27. fin.

v. 7. ὁ φυτεύων· ὁ ποτίζων) *plantans, rigans*, qua talis: sive *plantatio, rigatio* ipsa. — ὁ αὐξάνων, *qui incrementum dat*) scil. ἐστὶν, *est*, τι, *quiddam*, atque adeo, quia solus, omnia. Sine hoc incremento granum a primo sationis momento esset instar lapilli: ex incremento, protinus fides germinat. v. 5.

v. 8. ἕν) *unum*; neuter aeque *quidquam* est. Ut in coelo stella alte supra stellam eminet; idiota autem altitudinis differentias non capit: sic Paulus apostolus longe supra Apollo eminebat; sed Corinthii id non intelligebant. neque ea de re admodum eos docet hoc loco Paulus: modo Christi eminentiam asserit. — ἴδιον — ἴδιον, *propriam — proprium*) Congruens iteratio. Antitheton ad *unum*. — μισθὸν, *mercedem*) quiddam salute ulterius. v. 14. s. Oeconomus fidelis accipiet laudem; operarius solers, mercedem. — κόπον, *laborem*) non modo *secundum opus*.

v. 9. θεοῦ, *Dei*) Hoc mox gravem habet anaphoram, et cum emphasi ponitur initio, ter: uti v. 10. *gratia*, et v. 11. *fundamentum*. — συνεργοὶ, *cooperarii*) Sumus *operarii* Dei, et *cooperarii* invicem. — γεώργιον, *agricultura*) Summa antecedentium. γεώργιον, verbum late patens, agrum, hortum, vineam complectens. — οἰκοδομὴ, *aedificatio*) Summa sequentium.

v. 10. χάριν, *gratiam*) Προθεραπείαν adhibet, ne arroganter videatur se *sapientem* dicere. — δοθεῖσαν, *datam*) Erat ergo in Paulo habituale quiddam. — σοφὸς) *peritus*. Tales facit cognitio Jesu Christi. — θεμέλιον, *fundamentum*) Fundamentum est prima institutio. — ἄλλος) *alius*, quisquis est. Eleganter abstinet nomine proprio. Antecessor non videt successorem: et Paulus consulit dignitati Apollo. sic mox, *unusquisque*. nam erant etiam alii. c. 4, 15. — βλεπέτω, *videat*) Ego, inquit Paulus, feci quod meum est: viderint, qui sequuntur. — πῶς) *quomodo*, quam *sapienter*; quam *affabre*.

v. 11. γὰρ, *enim*) Causa, cur tam deliberate dicat, *superstruit*. — οὐδεὶς, *nemo*) ne Apollo quidem. — θεῖναι, *ponere*) Corinthi et ubicunque Christus innotuit. — ἰησοῦς χριστὸς, *Jesus Christus*) Convenienter hic utrumque nomen ponitur.

v. 12. εἰ) *num* conf. *quale*, v. 13. Est interrogatio obliqua, quae signum interrogationis non valde requirit. In v. 13. est apodosis, sive *num* valeat εἰ, sive *si*. — χρυσὸν, *aurum*) Tria genera enumerat, quae ignem ferunt: totidem,

---

1) ὅταν γὰρ, *quum enim*] Vide, quanti momenti esse queat res parum visa referre. *V. g.*

Digitized by Google

quae comburuntur. Illa denotant homines vere fideles; haec, hypocritas: et concreto includitur abstractum, ut connotentur doctrinae verae et solidae, vel falsae et sublestae: utrinque vel majoris vel minoris momenti. Etiam mica auri, aurum est: etiam stipula levissima, ignem pascit. — λίθους τιμίους, *lapides pretiosos*) Hoc non *gemmas* pusillas dicit, sed lapides nobiles, ut *marmor* etc. — ξύλα, *ligna*) In mundo multa recte aedificantur ex ligno; sed non in aedificatione Dei. conf. Ap. 21, 18. s. — καλάμην) *stramen*.

v. 13. ἔργον) *opus*, quod quivis exstruxit. — ἡ ἡμέρα, *dies*) Domini. Sic Hebr. 10, 25. conf. mox cap. 4, 3. 5., ubi ex intervallo, ut solet, clarius loquitur. Non excluduntur plane dies citeriores, qui ignem repraesentant, in adversis, in morte. — δηλώσει, *declarabit*) omnibus. [*Complura, aliquibus certe, prius etiam revelantur: sed extremum Paulus atque certissimum ponit.* V. g.] — ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται) *in igne revelatur* sc. Dominus, cujus dies ille est: vel, opus. 2 Thess. 1, 7. 8. *revelatur*, praesens, quia certum est et propinquum. Ap. 22, 20. — τὸ πῦρ, *ignis*) Metaphora, ut in toto hoc sermone. Significatur ignis diei novissimi et judicii divini, ut patet ex subsequente sermone proprio. c. 4, 5. 2 Cor. 5, 10. [2 Thess. 1, 8.] cui in die illo respondebit ignis visibilis. — δοκιμάσει) *probabit:* non *purgabit*. Hic locus *ignem purgatorium* non modo non fovet, sed plane exstinguit: nam in novissimo demum die *ignis* probabit opus cujusque. ergo ignis purgatorius non praecedit. Neque ipso illo die *purgabitur* opus; sed, quale in utramvis partem *antea* fuerit, probabitur, quum vel manebit vel comburetur.

v. 14. εἴ τινος, *si cujus*) Hinc Paulus ex fratrum constantia sibi gloriam polliceri [*hinc adhortationes etiam depromere*] solet. 2 Cor. 1, 14. Phil. 2, 16. 1 Thess. 2, 19.

v. 15. ζημιωθήσεται, *jacturam faciet*) mercede excidet, non salute. — αὐτὸς) *ipse*. — σωθήσεται, *servabitur*) quia fundamentum *hoc* non deserit. v. 12. — ὡς, *ut*) Particula declarans et limitans: *ut* qui per *ignem* debuerit ire. — διὰ, *per*) Sic διὰ, *per*, Rom. 2, 27. *non citra ignem*. v. 13. Ut mercator naufragus, amissa merce et lucro, servatur per undas.

v. 16. ναὸς, *templum*) Nobilissimum genus *aedificii*. — ἐστὲ, *estis*) vos universi. — τὸ πνεῦμα, *Spiritus*) Inhabitatio Spiritus sancti, et Dei, ejusdem dignationis est. Ergo eadem est Spiritus sancti dignitas, quae Dei. c. 6, 19.

v. 17. φθείρει, *perdit*) per schismata, ex mundi sapientia. — φθερεῖ, *perdet*) talione justissima. Multae sunt poenae, quae non fluunt ex peccato per nexum physicum. — ἅγιος, *sanctum*) divinum, inviolabile.

v. 18. δοκεῖ) Frequens verbum hoc, et λογίζομαι, ad Corinthios: sed δοκῶ magis in priore; alterum, lenius, in posteriore. *si quis est sapiens, et talem se esse cogitat*. Saepe enim, in hac praesertim epistola, δοκῶ hanc vim habet, ut res ipsa non negetur, sed hominis rem illam habentis existimatio de se ipso, vel justa vel inflata, connotetur. c. 7, 40. 8, 2. 10, 12. 11, 16. 14, 37. — σοφὸς, *sapiens*) Hic praescindit a sapientia mundana vel divina. [*Misera sane sapientia, se ipsum* decipere. V. g.] In qua enim quisque sapientia sapere vult, in eodem genere sapientiae se prius stultum autumare debet, ut fiat sapiens.

v. 19. ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν) Eliphaz Jobi 5, 13. LXX, ὁ καταλαμβάνων σοφοὺς ἐν τῇ φρονήσει. Videntur apostoli verba LXX Interpretum maxime tenuisse in locis apud Hellenistas valde notis, v. gr. in Parschijoth et Haphtaroth, item in Psalmis; Hebraica autem, in locis minus usitatis, qualis est hic Jobi locus. Etiam alibi Paulus Jobum spectavit. Phil. 1, 19. not. — ἐν, *in*) non solum dum se sapienter agere putant, sed ita, ut ipsa eorum sapientia sit laqueus.

v. 20. σοφῶν, *sapientum*) LXX ἀνθρώπων, *hominum*. *Cogitationes* non

per se, sed *sapientum* addito, respondet מחשבות Hebraico. Ps. 94, 11., LXX. — εἰσὶ, *sunt*) *homines* videlicet cum suis cogitationibus. vid. Ps. cit. in Hebraicis.

v. 21. ἐν ἀνθρώποις, *in hominibus*) Id pertinet ad extenuandum. — πάντα, *omnia*) non modo *omnes*. — ὑμῶν, *vestra*) Illa vestra sunt; non vos illorum. c. 1, 12. 2 Cor. 4, 5.

v. 22. παῦλος, *Paulus*) Paulus, quasi a se ipso alienus, in tertia persona loquitur, quomodo Corinthii de illo debebant loqui. Et se ipsum, quasi infimum, primo loco ponit. — κηφᾶς, *Cephas*) In Petro quoque gloriabantur: ne id quidem recte. c. 1, 12. not. — κόσμος, *mundus*) Repentinus hic a Petro ad totum mundum saltus orationem facit amplam, cum quadam quasi impatientia enumerandi cetera. Petrus et quivis in toto mundo quamlibet excellens, vel ingenio, vel charismatis, vel munere, ecclesiastico vel politico. *vestra sunt;* vobis inserviunt, etiam inscienter. conf. de *mundo*, v. 19. c. 4, 9. 6, 2. 7, 31. Rom. 4, 13. Gal. 4, 3. — εἴτε ζωὴ, εἴτε θάνατος, *sive vita, sive mors*) adeoque *vivi et mortui*. Conf. Rom. 14, 8. Phil. 1, 21. — ἐνεστῶτα, *praesentia*) in terra. — μέλλοντα, *futura*) in coelo.

v. 23. ὑμεῖς δὲ χριστοῦ, *vos vero Christi*) immediate: non interveniente Kepha. — χριστοῦ — θεοῦ, *Christi — Dei*) Huc resp. c. 4, 1. — χριστὸς δὲ, θεοῦ, *Christus vero, Dei*) c. 15, 28. Luc. 9, 20.

CAPUT IV.

v. 1. Οὕτως, *sic*) Determinat, et ex praecedentibus repetit. — λογιζέσθω, *reputet*) citra gloriationem. c. 3, 21. — ἄνθρωπος, *homo*) איש *homo* quivis, nostri similis. c. 3, 21. — ὑπηρέτας, *ministros*) Luc. 1, 2. — χριστοῦ, *Christi*) in officio ejus: non *hominum*. — οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ, *oeconomos mysteriorum Dei*) Paulus ministros evangelii, ubi eos humillime describit, tamen *oeconomos* agnoscit. vid. Tit. 1, 7. not. Conf. *Christi* et *Dei* cum c. 3, 23. [Mysteria *sunt doctrinae coelestes, quae citra DEI revelationem ignorantur ab hominibus*. V. g.]

v. 2. ὃ δὲ) *Quod porro* Deus *quaerit* et homines *in oeconomis* suis; illud est, *ut aliquis fidelis reperiatur*. Huic paraphrasi respondet versus 3. — ζητεῖται, *quaeritur*) per inquisitionem, cum tempus est. Correlatum *inveniatur*. — πιστὸς, *fidelis*) Eo non contenti erant Corinthii. — εὑρεθῇ, *inveniatur*) Interea quilibet vult fidelis existimari.

v. 3. ἐμοὶ) *mihi*, pro mea parte. — δὲ) *autem*, quamvis fidelis reperiri possim. — εἰς, *in*) Mitigans particula. Non contemno vestrum judicium per se; sed quando Dei judicium cogito, tum vestrum paene *ad* nihilum venit. — ἐλάχιστον, *minimum*) Unius Dei judicium magni fieri debet. — ὑφ᾽ ὑμῶν, *a vobis*) privatim. Antitheton: *ab humano die*, publice. [*Limitat, quae* c. 3, 21. *dixerat:* Omnia sunt vestra. V. g.] — ἀνακριθῶ, *dijudicer*) fidelisne sim, nec ne. Videbantur utique Corinthii sola fidelitate non esse contenti, sed apostolus ἀποτόμως agit. — ἀνθρωπίνης, *humano*) Hoc pertinet ad minuendum. [*Omnes dies, dominico citeriores*, humani *sunt*. V. g.] — ἡμέρας, *die*) Sic appellat in antitheto ad diem Domini. ἡμέρα, *dies* dicta rei agendae. Estque hic abstractum, pro concreto, coll. *vobis:* item, locutio hypothetica; nemo enim fidelium erat apostolo diem dicturus. — ἀνακρίνω, *dijudico*) Non debemus enim nos *dijudicare*, sed *judicare*. ἀνάκρισις est *dijudicatio* unius, respectu aliorum; κρίσις, *judicium* simplex. Felix oblivio boni sui. Sic vehementer refutatur *dijudicatio* Corinthiorum de Paulo.

v. 4. οὐδὲν) *nil*, perfidum. conf. *fidelis*, v. 2. Sic LXX, οὐ γὰρ σύνοιδα ἐμαυτῷ ἄτοπα πράξας, Job. 27, 6. Quem conscientia accusat, is tenetur se dijudi-

Digitized by Google

care. — οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι) *non in hoc*, si me ipse dijudicem, *justificatus sum*. Judicium enim superest. Justificabit me Dominus, v. 5. Paulus vel spectari potest ut judex sui ipsius, vel ut testis. Ut testis scit, se nihil sibi conscium esse. Ut judex non audet ideo se dijudicare, sive pronunciare, se justificatum esse. — ἀνακρίνων με) *dijudicans me*, non refugientem, in suo adventu, v. 5., et justificans. [1])

v. 5. κρίνετε, *judicate*) Non dicit, ἀνακρίνετε, *dijudicate*. propius alludit ad judicium, quod Dominus aget. — ὁ κύριος, *Dominus*) Jesus, cui servimus. v. 1. — καὶ) *etiam*. non modo judicabit, sed judicium proferet. — φωτίσει) φωτίζειν est *lucem inferre in rem*, v. gr. φωτίζειν τὴν νύκτα, Ex. 14, 20. in marg. ed. Wech. *lucem inferre in noctem:* vel, *rem proferre in lucem*. 2 Tim. 1, 10. Utrumque tum fiet. — τὰ κρυπτὰ, *abscondita*) Sane *cor* hominis, *crypta* est. — τοῦ σκότους, *tenebrarum*) quo nulla acies humana penetrat. — φανερώσει, *manifestabit*) ita, ut tum demum nos plane cognituri sitis. — τὰς βουλὰς, *consilia*) quis *fidelis* fuerit, vel minus. — τῶν καρδιῶν, *cordium*) Ut *cor* est, ita actio est *justa* et *laudabilis*, vel secus. — τότε, *tunc*) Eo exspectate. — ἔπαινος, *laus*) Mundus laudat suos principes, duces bellicos, legatos, sapientes, artifices: Deus ministros suos deinde laudabit. — ἑκάστῳ) *cuivis, laudabili*, fideli oeconomo. vos unum duntaxat laudatis, v. gr. Paulum. Sic *quivis*, c. 3, 8. De laude a Deo, vid. Matth. 25, 21. Etiam ii, qui non sunt fideles, laudem exspectant, sed laus eorum erit opprobrium. Itaque vocabulo *laus*, per euphemiam, connotatur etiam contrarium, ut in *probabit* etc. c. 3, 13. 8, 8. 10. not. Sic *benedictio* complectitur etiam *maledictionem*. Gen. 49, 28. 7. Similis locus 1 Sam. 26, 23. (24.)

v. 6. ταῦτα) *haec*, quae inde a c. 1, 10. s. extant. — μετεσχημάτισα, *transfiguravi*) Conf. 2 Sam. 14, 20. *Schema* in eo est, quod Paulus ea, quae Corinthios admonerent, non solum in secunda, sed in prima potissimum persona scripsit, v. 3. 4., ut causae *sensus* moderati, quibus Paulus et Apollo movebantur, eaedem Corinthios moverent, v. 16., et Corinthii de Paulo cogitarent, quomodo Paulus de sese. — μάθητε, *disceretis*) Hoc verbo componit Paulus elatos Corinthios. — γέγραπται, [2]) *scriptum est*) Conf. ככתוב 2 Chron. 30, 5. *Scriptum*, in tota Scriptura, unde modo c. 3, 19. s. citata sunt aliqua: nam praeter eam, et ultra eam, sentire *non oportet*. Rom. 12, 3. 15, 4. Ea canon est respectu omnis sensus spiritualis: et canonem migrare non licet. 2 Cor. 10, 13. In Scriptura, cujus archetypon in coelo est, describitur communis ratio omnium fidelium, qua Dominus quemvis judicabit, et qua quisque solum Christum suspicere, quisque se ipsum censere potius debet, quam iis donis, qua alios antecellit aut se antecellere putat. (Luc. 10, 20.) [*Adde, quod Scriptura DEO soli gloriam tribuit; homini, nullam omnino*, c. 1, 31.; *adeoque humana gloriatio Scripturae contrariatur ejusque universo sensui*. Luc. 16, 15—18. 29. Esai. 66, 2. V. g.] Congruit mox *unus, uno*. Tali modo *boni* omnes, et mali, (Jud. v. 4.) pridem in Scriptura notati sunt. — εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς, *unus pro uno*) Definitio sectae, ubi singuli singulos mirantur et sequuntur. Articulus τοῦ addit emphasin. Unicus minister non est solus. — φυσιοῦσθε) Subjunctivus, pro φυσιῶσθε, ut ζηλοῦτε, pro ζηλῶτε Gal. 4, 17. Est vero irregularis ista forma Subjunctivi, quam nonnulli indicativum vocant. Singularis ratio contractionis. Non enim credibile est, tantum apud haec verba indicativum pro subjunctivo poni. — ἑτέρου, *alterum*) v. gr. contra Apollo.

v. 7. τίς) *quis?* non tu, non alius homo: sed, si modo aliquid habes exi-

---

1) κύριός ἐστιν, *Dominus est*] Jesus Christus, v. 5. Hujus, cum DEO mentio simul injicitur, ut v. 1. *V. g.*

2) *Verbum* φρονεῖν *post* γέγραπται *passim obvium, sed per marginem* utriusque Ed. *in medio quasi relictum, omisit Auctor in* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

mium, Deus solus. — σὲ, *te*) Hoc et ad Corinthium aliquem referri potest, et, mutato *schemate*, ad Paulum. σὲ, *te* ipsum, quantus quantus es: in antitheto ad dona, quae acceperis vel non acceperis. — διακρίνει, *discernit*) vel, discrimine aliquo eximie distinguit. — τί δὲ ἔχεις, ὃ οὐκ ἔλαβες; *quid vero habes, quod non accepisti?*) Sensus: *quicquid habes, non a te, sed a Deo accepisti.* vel: *multa sunt, quae non accepisti; eaque idcirco non habes, nec venditare potes. aut accepisti, aut non accepisti: si non accepisti, non habes. si accepisti, non nisi acceptum habes, citra causam gloriandi.* Is quem Paulus hic alloquitur, est homo, v. gr. Paulus, cujus sensum Corinthius imitari debet. Posterior sensus vim τοῦ *et*, quod mox sequitur, expressiorem facit; et antanaclasin ostendit in *non accepisti: non accipiens.* — ὡς μὴ λαβών, *quasi non accipiens*) quasi a te ipso habeas.

v. 8. ἤδη, *jam*) prae nobis. Congruit mox, *sine nobis.* — κεκορεσμένοι, *saturati*) Gradatio: *saturi, divites, reges.* Oppositum: *esurimus* etc. v. 11. s. Varium ἦθος, incomparabilem asteismum, et copiosum salem, ut duae epistolae ad Corinthios, sic inprimis hic locus habet; ut vel Corinthiorum vel apostolorum respectu, de internis vel externis, de rebus ipsis vel de opinione inflata Corinthiorum, accipiendus sit. Revera lautus erat Corinthiorum status spiritualis; lautus etiam apostolorum. Recte. sed apostolos crux foris macerans retinebat, ne sibi eo placerent: Corinthii etiam in rebus externis lauti, sibi placebant et plaudebant, haud recte. Itaque Corinthii imitabantur filios, qui illustrati parum curant humiles parentes. ex saturitate, fastidium habebant: ex opulentia, insolentiam: ex regno, superbiam. — χωρὶς ἡμῶν, *sine nobis*) Ambiguum novum et aptum. non habetis nos consortes; inde, non habuistis nos adjutores. obliti estis nostri, sicut dicitur, πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. — ἐβασιλεύσατε, *regnaristis*) ad regnum pervenistis. Majestas Christianorum. — καὶ ὄφελόν γε, *atque utinam*) i. e. non invideo vobis, modo vobis revera quam optime sit. 2 Cor. 12, 14. s. — ἵνα καὶ ἡμεῖς, *ut etiam nos*) Ubi vos consummati eritis, otium et finis erit tribulationis apostolicae. — συμβασιλεύσωμεν, *una regnaremus*) Modeste: *robiscum.* conf. c. 9, 23. 3, 22.

v. 9. δοκῶ, *videtur mihi*) Sensus demissus: clemens mimesis. Corinthii ἐδόκουν *videbantur* sibi praecellere. — τοὺς ἀποστόλους, ἐσχάτους, *apostolos, ultimos*) ἔσχατος, *vilissimus.* v. 10. s. Opposita, uno loco posita. Etiam prophetae affligebantur; sed multo magis apostoli. Et prophetae poterant hostes suos tollere, v. gr. Elias: [*tantaque apud homines eorum existimatio erat, ut vel Magnates revereri eos, et honorificis modis aut inequi aut accersere tenerentur,* 2 Reg. 1, 10. 5, 9. 8, 9. 12. V. g.] at apostolorum erat pati et perpeti. v. 12. — ἀπέδειξεν) Latini, *munus ostendere, munus declarare:* de spectaculis. — ἐπιθανατίους) προσδοκωμένους ἀποθανεῖν. vide Hesychium. — τῷ κόσμῳ, *mundo*) Hic subdividitur mox in angelos et homines, articulo non repetito. — καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις, *et angelis et hominibus*) bonis; sed magis, malis.

v. 10. μωροὶ, *stulti*) c. 1, 21. — διὰ χριστὸν — ἐν χριστῷ, *propter Christum — in Christo*) Hoc in sequentibus duobus membris repetendum. Salva veritate, de uno subjecto; vel de diversis subjectis, quorum eadem est ratio; v. gr. de Paulo et Corinthiis, diversa possunt praedicari; pro diverso respectu, quem h. l. *propter* et *in* exprimit. *propter* in servos, *in* in consortes convenit. — ἔνδοξοι) existimatione intensiva: at ἄτιμοι, mox, etiam existimatione simplici spoliati. — ἡμεῖς δὲ, *nos vero*) Hic postponitur prima persona, qua v. seq. pergit.

v. 11. γυμνητεύομεν, *nudi sumus*) Summus inopiae gradus. 2 Cor. 11, 27. [*Tantum abfuit, ut splendore aliquo regni Christi praecones ornati essent. Nos prorsus alios imaginamur.* V. g.] — κολαφιζόμεθα, *colaphis caedimur*) velut servi: adeo non *regnamus.*

Digitized by Google

v. 12. κοπιῶμεν, *laboramus*) quasi necessitate adacti. Id pauci faciebant Corinthii. — εὐλογοῦμεν — ἀνεχόμεθα — παρακαλοῦμεν, *benedicimus — toleramus — rogamus*) i. e. non reponimus convicia, persecutionem, blasphemiam; sed tantum benedicimus. nil aliud licet: id mundus spretum putat.

v. 13. περικαθάρματα· περίψημα) Utrumque vocabulum ponitur pro *purgamentis*. quo denotantur homines non solum abjectissimi, sed piaculares. כפר περικάθαρμα δικαίου, ἄνομος. Prov. 21, 18. τὸ ἀργύριον περίψημα τοῦ παιδίου ἡμῶν γένοιτο. Tob. 5, (18.) 26. adde Jerem. 22, 28., ubi עצב נבזה nonnulli verterunt: περίψημα φαῦλον. Hesychius: περίψημα, περικατάμαγμα, ἀντίλυτρα, ἀντίψυχα, ἢ ὑπὸ τὰ ἴγνη πάντων. περίψημα Eustathio est σπόγγισμά τι ideoque tenuius, quam λῦμα, hoc (λῦμα) mollius quam κάθαρμα, cujus vim τὸ περὶ intendit. quare Paulus dicit περικαθάρματα τοῦ κόσμου, περίψημα non solum *mundi* persequentis, sed *omnium*, quamvis non persequantur nos. *mundus* nos odit; *omnes* nos contemnunt. — ἕως ἄρτι, *usque huc*) Epanalepsis, coll. v. 11. init.

v. 14. οὐκ ἐντρέπων, *non pudefaciens*) Exquisita ἐπιθεραπεία. *Pudefacere* Corinthios potuisset ipsorum ac Pauli dissimilitudo, filiorum et genitoris. Ἐντροπὴ in animo apostoli non finis erat, sed medium: sicut etiam alias dicit, noluisse se eos contristare, cum tamen revera sic factum fuerit. Saepe quendam quasi leporem apostolus, salva gravitate apostolica, adhibet. ex. gr. 2 Cor. 12, 13. not. — νουθετῶ, *moneo*) ut pater. Eph. 6, 4.

v. 15. παιδαγωγοὺς, *paedagogos*) quamlibet evangelicos, *in Christo*, non legales. Opposita: plantare; rigare: fundamentum ponere; superaedificare: gignere; educare. — οὐ πολλοὺς, *non multos*) Unusquisque regenitus pariter non habet multos patres. Non dicit Paulus: *unum patrem;* nam hoc soli Deo convenit: satis tamen declaratur *non multos* per *ego* subsequens. Non solum Apollo excluditur, successor; sed etiam comites, Silas et Timotheus. Act. 18, 5. Spiritualis paternitas singularem necessitudinem et affectionem conjunctam habet, prae omni alia propinquitate. — ἐν γὰρ χριστῷ ἰησοῦ, *nam in Christo Jesu*) Hoc expressius, quam modo, *in Christo*, ubi de aliis, paedagogis, loquitur.

v. 16. παρακαλῶ, *hortor*) Brevis hortatio post longam et veram exempli sui commemorationem, valet. — μιμηταί μου, *imitatores mei*) *ut filii*. Sensum illum, qui in nobis alitur per crucem, vos colite etiam sine cruce, fastu deposito. Imitationem sui proponit illis, quibuscum fuerat. Gal. 4, 12. Phil. 3, 17.

v. 17. τιμόθεον, *Timotheum*) c. 16, 10. — τέκνον μου, *filius meus*) adeoque *imitator*. Paulus Timotheum fratrem appellat, 2 Cor. 1, 1. not. sed hoc loco *paternus* obtinet affectus. — ἀγαπητὸν, *amatus*) cui libenter negotium dedi. — πιστὸν, *fidus*) cui negotium dare potui. — ἀναμνήσει, *admonebit*) Non dicit, *docebit*. norant Corinthii: admonitu opus erat. — τὰς ὁδούς μου, *vias meas*) quas tenui apud vos. — καθὼς, *sicut*) ut διάκονος, *minister*. — ἐκκλησίᾳ, *ecclesia*) Singularis numerus cum emphasi.

v. 18. ὡς, *tanquam*) Quia Timotheum mitto, putant me non venturum. Id valet δὲ *autem* particula. — ἐφυσιώθησάν τινες, *inflati sunt quidam*) Hoc scripsit Paulus in lumine divino: cogitationes illorum in praesenti, dum haec legerentur, nascentes retegens et convincens. Inflabantur variis de rebus, v. seq. c. 5, 2. Eos, inquit, adventu meo compescam. Potuerat forsan etiam hanc inflationem apostolus cognovisse ἐκ τῶν τῆς χλόης (c. 1, 11.) At Corinthii non videntur de dilato apostoli adventu inflati esse, nisi postquam cum hac ipsa epistola Timotheum misit, alterum ipsum. Tum vero subito obortae sunt cogitationes istae inflatae: ipse ergo Paulus non veniet. Vitium Corinthiis frequens, *inflatio*.

v. 19. ἐλεύσομαι, *veniam*) Paulus ecclesias passim, de suo adventu scribens, in officio continet. — ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, *si Dominus voluerit*) Sapienter hanc addit conditionem. Inciderunt deinde nonnulla, ne statim veniret. — γνώ-

Digitized by Google

σομαι) *cognoscam.* Verbum judiciale. Hic et v. 21. paternam ostendit *potestatem,* homo foris adeo abjectus. v. 9. s. — οὐ τὸν λόγον, *non sermonem*) grandem, inanem.

v. 20. οὐ γὰρ, *non enim*) Axioma. — ἐν δυνάμει, *in potentia*) Vim habet articuli absentia, uti Eph. 4, 21. [*Tua Christianismi* potentia *qua in re consistat, perpende.* V. g.]

v. 21. τί θέλετε; *quid vultis?*) Eligite. [*Conf.* 2 Cor. 13, 3. *Sic etiamnum tum quoad caput rei tum quoad varios casus valet istud:* quid vis? Amori *locum fac facias.* V. g.] — ἐν ῥάβδῳ, *cum virga*) paterna. Conf. Es. 11, 4. — ἢ, *aut*) Hoc mallet Paulus.

CAPUT V.

v. 1. Ὅλως, *omnino*) Particulam hanc Paulus alibi nusquam, in hac autem epistola, suo convenienter animo, ter posuit. h. l. et c. 6, 7. 15, 29. atque his et omnibus aliis in locis particula ὅλως *omnino* aut ponitur in oratione negante, aut orationi neganti implicite contradicit. sic Chrys. Hom. 5. c. Anom. *Verumtamen, etsi parum differt homo ab angelo,* ἐπειδὴ ΟΛΩΣ ἐστί τι μέσον, *cum aliquid nihilominus interest, non scimus accurate, quid sint angeli.* Sic h. l. ὅλως nulla debebat in vobis audiri scortatio: at auditur ὅλως. Eadem particulae τὴν ἀρχὴν ratio. — ἐν ὑμῖν, *de vobis*) vestro nomine. — πορνεία, καὶ τοιαύτη πορνεία, *scortatio, et talis scortatio*) Gravis iteratio: quo magis commoverentur Corinthii. — οὐδὲ, *neque*) Infandum flagitium, etiam apud gentes, si aliquot monstra excipias. προθεραπεία commatis subsequentis, ὥστε. Ostendit apostolus, etiam gentes a tali flagitio abhorrere. — γυναῖκα, *mulierem*) Haec sine dubio fuit ethnica: ideo non eam redarguit. v. 12. s. *Pater*, ut existimare licet, obierat. — ἔχειν, *habeat*) uno actu, aut ipso statu. v. 2. 3.

v. 2. καὶ ὑμεῖς, *et vos*) Urget. — πεφυσιωμένοι, *inflati*) [*quasi nulla in vobis culpa resideret,* V. g.] Vis verbi patet ex opposito, *lugere.* — ἐστε, *estis*) adhuc. — ἐπενθήσατε, *luxistis*) Ipse Paulus haec scripsit lugens, imo flens. 2 Cor. 2, 4. lugere debemus de peccatis alienis, 2 Cor. 12, 21., *poenitentiam agere,* de nostris: utrumque, de peccato primo et originali. — ἵνα, *ut*) Non habuistis luctum, qui vos moveret, *ut* etc. — ἀρθῇ, *tolleretur*) Jam in mente habet Paulus, quod scripturus est versu 13. Mitius verbum αἴρειν h. l. quam ἐξαίρειν deinde. [1])

v. 3. ἐγὼ μὲν γὰρ, *equidem*) Antitheton inter poenam leviorem, quae a Corinthiis fuerat statuenda; et gravem, quae a Paulo intentatur. inde etiam v. 2., ποιήσας, *faciens,* leniore verbo; v. 3. κατεργασάμενον, *operatum,* graviore. Postea Corinthii fecerunt, quod debebant; 2 Cor. 2, 6. ideo graviore animadversione in peccatorem (hic, v. 5.) supersederi potuit. Inde gaudium Pauli. 2 Cor. 1, 24. 2, 1. ss. — τῷ πνεύματι, *spiritu*) Col. 2, 5. 2 Reg. 5, 26. — ἤδη κέκρικα, *jam judicavi*) Graviter suspensa manet et vibrat oratio usque ad v. 5., ubi *operatum* reassumitur in *talem.* — ὡς παρὼν, *ut praesens*) Constr. cum *tradere.* ibid. — τὸν οὕτω τοῦτο] Demonstrativum triplex. — οὕτω, *sic*) tam indigne, *sic,* dum frater dicebatur.

v. 4. ἐν τῷ ὀνόματι, *in nomine*) Constr. cum *tradere.* — τοῦ ἐμοῦ πνεύματος, *meo spiritu*) v. 3. — σὺν τῇ δυνάμει, *cum potentia*) *Spiritus* et *potentia* fere sunt synonyma. Paulus de se loquens, *Spiritum* adhibet; de Christo, *potentiam.* conf. 2 Cor. 13, 3. Matth. 28, 20. 18, 20. Hypotyposis i. e. ita, ut virtus Domini statim se exserat.

v. 5. παραδοῦναι, *tradere*) Id apostoli erat, non Corinthiorum. conf. 2 Cor. 13, 10. not. et 1 Tim. 1, 20. not. Specimen summi gradus vindictae in rep. chri-

---

1) τὸ ἔργον, *facinus*] Fuit actio prava, citra matrimonium. *V. g.*

Digitized by Google

stiana, primis illis temporibus conveniens. — ὄλεθρον, *perniciem*) mortem, etiamsi non subitam. Id Hebraeo כרת respondet. conf. c. 11, 30. — τῆς σαρκὸς, *carnis*) qua peccarat. [1 Petr. 4, 6. *coll., quoad* spiritum, Rom. 8, 10. V. g.]

v. 6. οὐ καλὸν, *non bona*) τὸ *non* obnititur securitati Corinthiorum. — τὸ καύχημα, *gloriatio*) Ea per se bonum quiddam est et pulchrum, c. 15, 31., sed ubi non solicite custoditur, laborat, et ad *inflationem* accedit. v. 2. — μικρὰ — ζυμοῖ] Jambicus senarius. Gal. 5, 9. — ζύμη, *fermentum*) unum peccatum, unusque peccator. — φύραμα, *massam*) coetum. — ζυμοῖ, *fermentat*) reatu et exemplo latissime serpente. [*Quanto, eheu! temporum tractu, et quanto gradu universum Christianum orbem, si ab iis quae renovantur discesseris, massam esse oportet colluviemve penitissime fermentatam!* V. g.]

v. 7. τὴν παλαιὰν, *vetus*) ex gentilismo, et naturali corruptione. — ἵνα ἦτε νέον φύραμα, *ut sitis nova massa*) universi, sublato malo. — καθὼς, *sicut*) Tertium hujus versus comma pendet potius a primo, quam a secundo. — ἄζυμοι, *infermentati*) singuli, ex conversione. c. 6, 11. — τὸ πάσχα, *pascha*) Scripta est epistola circa Pascha. c. 16, 8. — ἡμῶν, *nostrum*) Christianorum. Pascha Judaicum, typus paschatis Christiani et novi. — ἐτύθη] *immolatum est*. Paulus loquitur in praeterito. multo magis locuturus erat in praesenti, scopo ejus ita requirente, si sacrificium Missaticum agnovisset. Hesychius: ἐτύθη, ἐσφάγη.

v. 8. ἑορτάζωμεν, *festum agamus*) Vulgatus, *epulemur:* verbo apposito. — παλαιᾷ, *veteri*) Judaismi et Ethnicismi. Genus. — κακίας καὶ πονηρίας] Species. κακία est vitium virtuti contrarium, eique purae, sive τῇ εἰλικρινείᾳ· πονηρία est in iis, qui κακίαν obnixe retinent et defendunt, opponiturque τῇ ἀληθείᾳ. Ammonius: πονηρὸς, ὁ δραστικὸς κακοῦ. conf. v. 13. *Sinceritas* cavet, ne cum bono malum admittat; *veritas*, ne malum pro bono admittat.

v. 9. ἔγραψα, *scripsi*) Nova pars epistolae, superiori congruens. coll. v. 1. — ἐν τῇ ἐπιστολῇ, *in epistola*) ante hanc scripta. Eam Corinthii non satis intellexerant: ideo Paulus jam declarat. Non est dubium, quin Paulus et Petrus et ceteri apostoli multa, quae hodie non extant, scripserint. conf. c. 16, 3. 2 Cor. 10, 10. — μὴ συναναμίγνυσθαι, *non commisceri*) per conversationem. v. 11. fin. — πόρνοις, *scortatoribus*) πόρνος, alias, scortum masculum; sed h. l. dicitur de omni eo, qui scortatur. Subaudi hic quoque ex v. 11., *aut avaris etc.*

v. 10. καὶ) *idque.* — οὐ πάντως, *non plane*) Sermo non est universalis negans, sed particularis negans. Rom. 3, 9. not. — τοῦ κόσμου τούτου, *mundi hujus*) [*ubi in avaros, rapaces etc. nusquam non incidas.* V. g.] Antitheton, *frater*, v. 11. — [1]) ἅρπαξιν, *rapacibus*) Hos potius, quam *fures* appellat: quia *furtum* non apparet. [*Commotantur, qui alienas res vel vi vel injuria captant.* V. g.] Tria flagitiorum genera commemorat, quae sunt contra hominem ipsum, proximum, ac Deum. — ἐπεὶ ὀφείλετε ἄρα, *alioqui deberetis*) Alii ὠφείλετε scripsere, pro ὀφείλετε· sed praesens adhibetur etiam c. 7, 14.: ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστι. Quae sine limitatione expressa scribuntur, non debent semper absolute accipi, si aliquid inconveniens inde consequatur. Locum habet hodie parodia: alioqui deberetis ex terra a Christianis habitata emigrare. Vitandi sunt igitur inprimis, qui inter Christianos prae aliis probi haberi volunt, et tamen sunt *scortatores* etc. — ὀφείλετε, *deberetis*) Sic enim tolleretur omne commercium civile. c. 10, 27. Quod Monachis est perfectio evangelica, id Paulo est ἄτοπον et inconveniens. — κόσμου, *mundo*) qui scatet flagitiosis.

v. 11. ἀδελφὸς, *frater*) Ordinaria appellatio. — ὀνομαζόμενος, *qui nominatur*) Medium. — πόρνος, *scortator*) Enumerantur hic flagitia, quorum nomine alii vitandi sunt: tum cap. 6, 9. s. adduntur plura, quorum nomine sibi quisque

1) πλεονέκταις, *avaris*] lucri sui studiosis. *V. g.*

Digitized by Google

timere debet. — [1]) μηδὲ συνεσθίειν, *ne edere quidem simul*) non modo non *apud talem*, ut hospitem, sed ne *cum* eo quidem, apud tertium. Infimus gradus commercii, quo homines *inter se promiscue agunt*, (v. 9.) *edere simul*. Etiam apud Judaeos חרם excommunicatio tollebat communitatem cibi. Non edendum cum eo, qui non poterit *simul edere* cum sanctis in regno Dei c. 6, 10. Viderit ecclesia hodierna, in qua convivae eucharistici non sunt instar liberorum in una domo, sed instar variorum hospitum in magno diversorio.

v. 12. s. τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε;) Artemonius p. 212. Clerici conjecturam refert, paucisque mutatis eam sic repraesentat: τί γάρ μοι καὶ τοῖς ἔξω; καὶ νῦν οὖν τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε. Multiplex literarum commutatio, qua verbum maxime necessarium κρίνειν obliteratur. Si Pauli sensus fuisset, *quid mihi et externis?* ἐμοὶ tulisset Graecum idioma, non μοι. Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν scil. ἐστί; *quid enim mihi etiam externos judicatio est?* (Verbalia regunt casum verbi: *Curatio hanc rem.*) Simillimae locutiones: ἵνατί μοι ζῆν; Gen. 27, 46. οὐ σοὶ, ὀζία, θυμιᾶσαι, 2 Chron. 26, 18. οὐκ ἔστι γὰρ χαίρειν, λέγει κύριος, τοῖς ἀσεβέσιν, Es. 48, 22. ὅπως μὴ γένηται αὐτῷ χρονοτριβῆσαι, Act. 20, 16. πόθεν σοι ταῦτα εἰδέναι, ***Hippolytus*** de antichristo, cap. 32. Haec ad totam sententiam: nunc verba singulatim expendemus. — καὶ) *etiam*. q. d. Satis negotii mihi, *qui intus sunt*, facessunt.[2]) — κρίνειν, *judicare*) Judicat, qui non *commiscetur*. — οὐχὶ, *nonne*) Ex eo, quod in ecclesia fieri solet, interpretari debuistis monitum meum. v. 9. Cives judicatis, non alienos: quanto magis ego? Sic *judicatis* notabit judicium rectum. Potest autem etiam praevius isque opportunus esse aculeus in Corinthios, qui *eos qui intus erant judicabant*, quum *sanctos* haberent a judiciis *rerum ad victum pertinentium remotos*. c. 6, 1. s.

v. 13. τοὺς δὲ ἔξω, *externos vero*) Cognitio de pernicie aut salute gentium est Reservatum divinum. — κρινεῖ) *judicabit*. Rom. 2, 16. Subaudi: *et hoc judicium nos Deo submisse relinquimus*. Sic propius cohaeret *et* subsequens. — καὶ, *et*) Epiphonema, utrique parti hujus capitis conveniens. Particula καὶ cum tota sententia huc citatur ex LXX, Deut. 17, 7. 19, 19. 24, 7. καὶ, *atque ita*. Non autem praefigitur h. l. illud, *sicut scriptum est:* idque fit vel *severitatis* causa, vel quia ἐξαρεῖτε, Hebr. ובערת apud Mosen de improbo ex populo per supplicium; apud apostolum de improbo ex ecclesia per excommunicationem tollendo ponitur. — τὸν πονηρὸν, *improbum*) v. 2. 9. — ὑμῶν αὐτῶν, *vobis ipsis*) Sic LXX saepe. Antitheton, *externos*, h. l.

CAPUT VI.

v. 1. Τολμᾷ, *audet*) Grandi verbo notatur laesa majestas Christianorum. — τὶς, *aliquis*) vel unus. — κρίνεσθαι) Medium, i. e. κρίμα ἔχειν, v. 7. — ἀδίκων, *injustis*) Omnis *infidelis injustus*, plerumque etiam civiliter. — ἐπὶ τῶν ἁγίων, *sub sanctis*) Christianis. Magnum jus fidelium, etiam civilia negotia inter se componendi: neque debet magistratus sese totum ingerere rebus privatis, nisi eorum, n quibus aditur. Judaeis multa indulgebant magistratus gentium: nec ab Judaeis adhuc in ea parte distincti erant Christiani.

v. 2. οὐκ οἴδατε, *an nescitis*) Sexies hoc uno capite haec formula adhibetur, magna vi. Sciebant Corinthii, et se scire gaudebant; sed contra agebant. — οἱ ἅγιοι, *sancti*) judicati prius ipsi. — τὸν κόσμον, *mundum*) eos universos, qui non

---

1) μέθυσος, *ebrius*] Innuit eum, qui vino se ingurgitat, etiamsi non prorumpat in effrenatas debacchationes. *V. g.*

2) *Attamen haec ipsa particula et minoris aestimatur in* Ed. 2., *quam in* Ed. maj., *et plane omittitur in* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

sunt *sancti*. Antitheton, ἐλαχίστων, *minimis*. cf. c. 3, 22. — κρινοῦσι, *judicabunt*) Futurum; coll. v. 3. Ap. 20, 4. Interponitur praesens, *judicatur*: coll. Joh. 15, 8. Etiam civilis potestatis potiti sunt sancti sub Constantino M. id quod praeludium est futurorum. [*Maximarum rerum Scriptura, tanquam in transitu, radium subinde aliquem exhibet. Superbi talia contemnunt: at humiles corde, sobria videlicet mente, reposta tenent. Occulta Sanctis majestas est, suo tempore revelanda.* V. g.] — ἐν, *in*) Conf. Act. 17, 31. — ἀνάξιοί ἐστε, *indigni estis*) Communicatio.

v. 3. ἀγγέλους, *angelos*) eos, qui non sunt *sancti*: et sic quoque homines malos. Non additur articulus. Gradatio, respectu *mundi*. — βιωτικὰ, *res ad victum pertinentes*) viles, si ad angelos comparentur.

v. 4. τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ) *eos qui in ecclesia sunt vel tenuissimi;* quosvis potius, quam ethnicos. *minimus* quisque vel maxima in rebus externis negotia capit. [*adeoque non ad antiquas quidem* ethnicorum *leges, attamen ex vera* aequitate *dirimere valet.* V. g.] conf. c. 1, 28. 11, 22. itaque καθίζετε *collocate* est imperativus. [*Neque tamen judicum ethnicorum juri quidquam ea re decedere existimandum erat.* V. g.]

v. 5. πρὸς ἐντροπὴν, *ad pudorem*) Compescitur *inflatio* Corinthiaca. c. 15, 34. — σοφὸς, *sapiens*) Sapientiam mirabantur alias: et sapientia ad *dijudicandas* res *facultatem* parit. — οὐδὲ εἷς, *ne unus quidem*) Vel tenuissimus fidelium optatior et sapientior judex, quam impius. — δυνήσεται) futurum: *poterit*, si adhibeatur. — διακρῖναι) *disceptare.* id differt a κρῖναι, *judicare.* — ἀδελφοῦ, *fratrem*) Numerus singularis, pro plurali, ad facilitatem rei notandam: vult, actorem et reum inter se transigere, sine opera judicis.

v. 6. καὶ τοῦτο, *et hoc*) Sic, *et haec*, v. 8. Hebr. 11, 12.

v. 7. ὅλως) Particula morata: c. 5, 1. opponitur implicite τῷ μηδόλως. ὅλως nulla judicia habere debebatis invicem, at habetis ὅλως. — ἥττημα, *defectus*) etiam ex parte ejus, qui justiorem causam habet, et se *vincere* putat. [*Matth.* 5, 39.] non dicit, *peccatum*: hoc tamen facile accedit. v. 8. Opposita sunt *defectus* et *laus*, coll. c. 11, 17. not. *Laus* hic quidem non expresse legitur, sed tamen oppositum tale innuitur, quia non expresse *peccatum* vocat. Id quod *laudatur* est aliquid quasi floridius, quam ipsa actio legi consentanea. Sic in opposito. — ὑμῖν, *vobis*) Similis dativus, c. 15, 32. [1]) — μᾶλλον, *potius*) Hoc, *potius*, non omnes capiunt. Multi nec laedere nec laedi student: laesionem ferre non conantur, quae falsa est mediocritas justitiae. — ἀδικεῖσθε) Medium; ut ἀποστερεῖσθε.

v. 8. ὑμεῖς, *vos*) Emphasis. Antitheton ad eos, a quibus pati debebant. — ἀδικεῖτε, *injuriam facitis*) auferendo. — ἀποστερεῖτε, *fraudatis*) denegando, retinendo. — ἀδελφοὺς, *fratres*) Id auget culpam.

v. 9. ἢ) *an.* — ἄδικοι, *injusti*) v. 8. — βασιλείαν θεοῦ, *regnum Dei*) In hoc regno viget justitia. — οὐ κληρονομήσουσι, *non habebunt haereditatem*) quia non sunt filii Dei. — μὴ πλανᾶσθε, *nolite decipi*) per vos et alios. — πόρνοι — ἅρπαγες, *scortatores — rapaces*) Flagitia Corinthiaca, 2 Cor. 12, 20. s. Romana, Rom. 13, 13. Galatica, Gal. 5, 19. s. Ephesia, 1 Tim. 1, 9. s. Cretica, Tit. 1, 12. Id valet de actu *scortationis etc.* ac multo magis de habitu. — εἰδωλολάτραι, *idololatrae*) Idololatria ponitur inter scortationem et adulterium; nam haec flagitia habebat conjuncta. — μαλακοὶ) *molles.* Etiam manus, in summa solitudine, casta esse debet. Necessarium juventuti monitum.

v. 11. ταῦτα, *haec*) Nominativus, neutro genere pro masculino: vel accusativus, subintellecto κατὰ, ut ἴσα, Phil. 2, 6. Etiam accusativus adverbiascens cum verbo substantivo *sum* construi potest. — ἀλλὰ ἀπελούσασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε,

1) κρίματα, *judicia*] etiamsi causam non injustam concernentia. *V. g.*

Digitized by Google

ἀλλ' ἐδικαιώθητε· *sed abluti, sed sanctificati, sed justificati estis*) Liberati estis plane a *fornicatione* et peccatis impuritatis, circa vos ipsos; *idololatriae* et impietatis contra Deum; *injustitiae* contra proximum: idque, quod et ad reatum et ad dominium attinet. c. 5, 7. 10. — ἡγιάσθητε, *sanctificati estis*) *Sanctus* dicitur in respectu ad Deum. — ἐδικαιώθητε, *justificati estis*) Resp. *injusti.* v. 9. Quid emphaseos apostrophus in ἀλλ' huic verbo prae duobus praecedentibus (coll. 2 Cor. 7, 11.) addat, nolui olim perscribere, ne quis exsibilaret. Expendatur tamen antitheton, *injusti.* Sine apostropho ἀλλὰ emphasin habet: sed ubi ἀλλ' apostrophum habet, accentus et emphasis cadit super verbum subsequens, oppositum vitio ei, quod reprehenditur v. 7 ss. nimirum super ἐδικαιώθητε, *justificati estis,* quia hic sermo est, contra *injustitiam;* et 2 Cor. l. c. ἐκδίκησιν, *vindictam,* quia haec est praecipua pars *studii* ex tristitia sancta. adde Marc. 2, 17. — ἐν τῷ ὀνόματι, *in nomine*) Inde remissio peccatorum. — ἐν τῷ πνεύματι, *in spiritu*) Inde nova vita. — ἡμῶν, *nostri*) Ex his causis docet, nil jam obstare, quo minus heredes esse queant regni Dei.

v. 12. πάντα, *omnia*) Cavet apostolus, ne quis abutatur iis, quae mox dicet de cibis et ventre. conf c. 10, 23. *Omnia* refertur ad ea, quae sequuntur; non ad scortationem, quanquam hoc argumentum principale est, sed ad argumentum accessorium et incidens, de esu ciborum, de quo etiam infra cap. 10, 29. in eodem argumento repetitur: omnia, quae licere possunt, mihi licent. — μοι, *mihi*) Saepe Paulus prima persona singulari eloquitur, quae vim habent gnomes; in hac praesertim epistola. v. 15. c. 7, 7. 8, 13. 10, 23. 29. 30. 14, 11. *Mihi,* cogitare debebat Corinthius. — συμφέρει, *conducunt*) Spectandum illud maxime, quid conducat. — ἔξεστιν· ἐξουσιασθήσομαι) Conjugata. Qui potestate ac libertate non libere utitur, ex sua potestate exit, et in alienam, v. gr. *meretricis,* v. 15. coll. c. 7, 4. transit. Stolidus esset viator, qui, in medio campo viam habens, semper in ripa et margine undis proximo ambularet. At sic multi vivunt, etiam in piis habiti. *Potestas* penes fidelem, non penes res, quibus utitur, esse debet. [*Libertatem, in se bonam, tollit abusus libertatis Gal.* 5, 13. 1 *Petr.* 2, 16. V. g.] Ipsum, *non ego,* habet *potestatem,* cum attentione ad se ipsum. *Non ego!* alius audeat per me. Hoc fidelis statuit respectu sui; respectu proximi ait: *non omnia aedificant.* c. 10, 23. — τινὸς) *ulla re.* Neutrum, ut πάντα.

v. 13. τὰ βρώματα, *escae*) scil. ἐστὶ, *congruunt.* a cibis ad venerem non valet consequentia. — καὶ ταύτην καὶ ταῦτα, *et hunc et hanc*) Demonstrativum, bis, de tempore praesenti: *hunc* praecedit: esca est propter ventrem. — καταργήσει) *destruet,* et quidem non solum ita, uti *corpus* destruitur in morte. Ex antitheto ventris et corporis colligas, differentiam sexuum fore etiam in statu angelis simili. Quae destruentur, per se liberum habent usum. Col. 2, 20. seqq. Marc. 7, 18. *non potest.* Eleganter hic et v. seq. ponitur *autem* pro *enim.* nam concessioni subjungitur severa denunciatio, interdicto, laeta declaratio. τῷ *destruet* ex adverso respondet *exsuscitabit.* — τὸ δὲ σῶμα, *corpus autem*) Corpus hic non opponitur alvo, sed cibis. [1]) — πορνείᾳ, *scortationi*) Abstractum. — τῷ κυρίῳ, *Domino*) Christo. Huic debetur corpus: nam corpus ipse assumsit, nosque sanctificavit; et corporis resurrectione ei jungimur. — τῷ σώματι, *corpori*) Quanta dignatio!

v. 14. ἤγειρε — ἐξεγερεῖ, *suscitavit — exsuscitabit*) [*Praeludit hic Paulus ad ea, quae explicatius* c. 15. *pertractaturus erat.* V. g.] Simplex verbum, convenienter, de primitiis; compositum, rarum, de massa dormientium. Ἐξ in compositione saepe dicit consummationem. Usus ex resurrectione carnis nostrae.

---

1) *Ventri tamen* corpus *oppositum censet h. l.* Vers. germ., *quae in margine haec habet:* Ventre corpus multo est nobilius. E. B.

Digitized by Google

peccatum semel in carne patratum nunquam fiet infectum. — διὰ, *per*) Hoc Paulus maluit cum resuscitationis, quam cum destructionis mentione connectere. — δυνάμεως, *potentiam*) Quis ergo dubitet? Deus est omnipotens.

v. 15. σώματα, *corpora*) sive totum sive partes spectentur. — ἄρας οὖν τὰ μέλη τοῦ χριστοῦ, ποιήσω πόρνης μέλη;] Nonnulli codices ἆρα, pro ἄρας. ἆρα οὖν saepe dicit Paulus; sed talibus in locis, ubi ex prolixiori sermone conclusio subnectitur: ἄρας huic loco magis congruit, idque habent optimi testes, in his *Irenaeus*, et summa in hoc participio inest ἐνάργεια, indignitatem rei quasi depingens. *tollens*, ultro alienans, *membra Christi faciam meretricis membra?* Sic saepe παρέλκει participium φέρων, de quo egi ad Chrysost. de Sacerd. pag. 394. ad illud, φέρων ἑαυτὸν κατεκρήμνισε. — ποιήσω, *faciam*) Non enim simul possunt esse *meretricis membra* et *Christi*.

v. 16. ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ, *qui adhaeret meretrici*) Syllepsis. i. e. *meretrix et is qui ei adhaeret*. nam sic proprie cohaeret praedicatum, *unum corpus est*, congruitque, *hi duo*. — ἔσονται, *erunt*) Hoc primario dicitur de conjugibus: applicatur autem, ob paritatem rationis, ad eos, qui sine foedere una caro fiunt. Per foedus fit mulier *mulier viri*, antequam vir ei *adhaeret:* et in eo potissimum est ratio, cur sint indissociabiles. alias etiam ii, qui scortantur, indissociabiles forent.

v. 17. τῷ κυρίῳ, *Domino*) Christo. Eadem syllepsis. — ἓν πνεῦμα, *unus spiritus*) tam arcte, quam conjuges sunt unum corpus. Experire.

v. 18. φεύγετε τὴν πορνείαν, *fugite scortationem*) Severitas cum fastidio: *fugite;* nam periculum propinquum est. — πᾶν ἁμάρτημα, *omne peccatum*) etiam gulositas et ebrietas: (conf. v. 13.) etiam autochiria. [— *etiam* idololatria, *utut gravius ceteroquin peccatum sit*. V. g.] Gravius est abuti membris Christi, quam cibo aut vino, et ventre: et foedius, a flagitio, est corpus scortatoris, quam cadaver etiam hominis sua manu interfecti. Non dissimilis comparatio, Prov. 6, 30. seqq. — ἐκτὸς, *extra*) Peccat quidem cum corpore et per corpus; sed non εἰς *in* corpus: non terminatur peccatum ejus in corpore; ac laedit quidem, sed non alienat corpus: magis peccat in κοιλίαν, *ventrem*, quam in *corpus*, ut distinguit apostolus. Tales sententiae morales non morose urgendae sunt, nec secundum summam ἀκρίβειαν. Videntur viscera, quae proprie ad oeconomiam animalem spectant, abolenda, nec in resurrectione restituenda esse. Ad ossa Scriptura respectu boni et mali, poenae et praemii, multum refert, tanquam ad partes solidas: unde non vana conjectura est, intensissimum dolorem, et sic etiam intensissimum gradum laetitiae et voluptatis futurum esse in ossibus.

v. 19. ἢ, *an*) Suaviter limitatur τὸ *proprium* v. 18. Ita nostrum est corpus, ut sit templum Dei, i. e. habitaculum proprium et perpetuum. — τοῦ ἐν ὑμῖν, *qui in vobis*) Hoc vim habet aetiologiae. Spiritus sanctus est in vobis, ergo estis templum ejus. — οὗ) *quem*, spiritum. — καὶ οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν, *et non estis vestri*) Hoc concinne sequitur: sed tamen arctius cohaeret cum *emti estis*, et in construendo et pendet ab ὅτι, *quod*.

v. 20. ἠγοράσθητε, *emti estis*) toti estis juris alieni. *Vendere* dicitur pro *alienare; emere, sibi vindicare*, et hic quidem proprie; nam additur *pretii* mentio. — τιμῆς, *pretio*) Hoc majorem vim sic habet, quam si epitheton esset adjectum. Sic quoque cap. 7, 23. — δοξάσατε, *glorificate*) Epiphonema. Errant, qui putant, intrinsecus duntaxat vel extrinsecus duntaxat colendum esse Deum. — ἐν τῷ σώματι ὑμῶν, [1]) *in corpore vestro*) Rom. 12, 1. Phil. 1, 20.

---

1) *Quae sequuntur usque ad finem hujus commatis, ea per marginem* utriusque Ed. *pro lectione non genuina declarantur: quapropter et in* Vers. germ. *nonnisi per parenthesin extant. Consentit* Not. crit. *ad h. l.*: ὑμῶν, περὶ) Lectio firma. Agitur h. l. de *corporis* usu et abusu. E. B.

CAPUT VII.

v. 1. Περὶ δὲ ὧν ἐγράψατε, *de quibus autem scripsistis*) Eleganter rem initio exprimit, generatim potius, quam speciatim. Saepe apostoli in epistolis de conjugio agunt: unus Paulus, semel, nec sua sponte, sed interrogatus, coelibatum suadet, idque lenissime. [*Tantum abest, ut praeceptis humanis ea res obtrudi debuerit.* V. g.] — καλὸν, *bonum*) Hoc congruit cum affectu capitis praeced. Conf. infra, v. 7. 8. 26. 34. med. 35. fin. 40. *Bonum*, pulcrum, conveniens, ob libertatem et immunitatem a *debito*, de quo v. 3. et ob potestatem sui integram, v. 4. quum e diverso *tactus*, de quo v. 1., semper *pudorem* habeat comitem apud castos. — ἀνθρώπῳ, *homini*) in genere, etiamsi non sit christianus. v. 7. 26. — γυναικὸς, *mulierem*) et sic, mulieri, non tangi. Relatorum uno etiam in iis, quae sequuntur, involvitur alterum.

v. 2. διὰ, *propter*) conf. *propter*, v. 5. — τὰς πορνείας, *scortationes*) Corinthi grassantes, [*ethnicisque, et* Graecis *praecipue, ne in peccatis quidem habitas*, V. g.] ad quas facile illicerentur coelibes. Plurale vagas libidines notat, eoque magis opponitur unitati conjugis. — τὴν ἑαυτοῦ) *suam;* ut mox, ἴδιον, *proprium*. Eadem variatio, Eph. 5, 22. 25. ἑαυτοῦ *suam* innuit dominium maritale. Utroque verbo excluditur omnis communitas, quae est in polygamia. conf. v. 4. Porro, quae est ratio, cur vir debeat habere mulierem, eadem est, cur debeat retinere, *propter scortationes*. Hinc refutatur etiam *concubinatus*. nam concubina aut est uxor, aut non est. si non est, peccat: si est, manere debet. v. 10. s.

v. 3. ὀφειλὴν, *debitum*) Id explicatur v. seq. Idem officium Graecis χάριν, poëtis φιλότητα dici, docet Gatakerus. ὀφειλομένην εὔνοιαν dixit paraphrasis hujus loci. [ὀφειλὴν, *lectio nativa et simplex*. Not. crit.]

v. 4. ἰδίου, *sui*) Hoc cum *potestatem non habet* elegans facit paradoxon. Jus utrinque est aequale.

v. 5. μὴ ἀποστερεῖτε) Sic LXX, Es. 21, 10. τὴν ὁμιλίαν αὐτῆς (תִּגְרָעֵ) οὐκ ἀποστερήσει. Congruit hoc verbum cum verbo *debendi*. v. 3. — εἰ μή τι ἂν, *nisi forte*) Valde limitat. Ubi hae conditiones adsunt, non est privatio, sed abstinentia. — ἵνα σχολάζητε, *ut vacetis*) Magnam σχολὴν atque otium hic dicit apostolus. Abstinentia praevia servit precibus. [Jejunium *adjecere Graeci jejunatores*. Not. crit.] Alias etiam malas habere causas potest abstinentia. — καὶ πάλιν, *et iterum*) De intervallis talibus eorumque modo vide Seldenum in uxore Hebraica. — ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *simul*) Hoc non dicit ipsam consuetudinem, sed opponitur priori sejunctioni. — πειράζῃ, *tentet*) ad scortationem. etc. v. 2. — ὁ σατανᾶς, *Satanas*) qui inter exercitia virtutis sublimioris maximam quaerit ansam nocendi. Non facile est tentatio sine Satana praesumenda. — ἀκρασίαν, *incontinentiam*) v. 9.

v. 6. τοῦτο) *hoc*, quod inde a v. 2. dictum est. — κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ᾽ ἐπιταγήν) Vid. v. 25. not.

v. 7. θέλω) *volo* equidem, v. 32. Paulus gustarat dulcedinem coelibatus: eadem alios gaudere, cupiebat. Possit τὸ *volo* etiam absolute accipi, pro *optandum est*. conf. c. 6, 12. not. ut alias dicit οὐκ ἦν θέλημα, *es wollte nicht seyn*. — γὰρ) *enim*, proprie. Ref. ad v. 6. — ὡς καὶ ἐμαυτὸν, *sicut etiam me ipsum*) coelibem. Videntur Corinthii exemplum Pauli spectasse. v. 8. — χάρισμα, *donum*) Quod in homine naturali est naturalis habitus, id in sanctis fit *donum*. *Charisma* h. l. est totus habitus animae et corporis apud Christianum, quatenus v. gr. conjugium aut coelibatus ei magis convenit, cum actionibus utrique statui cohaerentibus, secundum praecepta Dei. In statu autem involuntario certius auxilium gratiae apud pios.

Digitized by Google

v. 8. λέγω δὲ, *dico vero*) Conf. v. 12. ubi expressius. — τοῖς ἀγάμοις, *coelibibus*) utriusque sexus. coll. v. 10. s. — χήραις, *viduis*) Viduos et viduas dicit. — μείνωσιν, *maneant*) in libertate. — ὡς κἀγὼ, *ut etiam ego*) Sine uxore tum fuisse Paulum, perspicuum est: conf. c. 9, 5.: et quanquam hic etiam de viduis loquitur, tamen ille videtur potius fuisse coelebs, quam viduus. conf. Act. 7, 58. et deinceps.

v. 9. κρεῖσσον, *melius*) Hic comparativus positivum non tollit. v. 38. — ἢ πυροῦσθαι, *quam uri*) Vehemens verbum. Etiam continens potest habere, quicum luctetur, etiamsi non uratur. *Thomas Aquinas* in h. l. uri, *id est, concupiscentia superari. concupiscentia enim est calor quidam noxius: qui ergo concupiscentia impugnatur, calescit quidem, sed non* uritur, *nisi humorem gratiae perdat a concupiscentia superatus.* Haec *ustio* detrudit tandem in gehennam ignis.

v. 10. [1]) παραγγέλλω οὐκ ἐγὼ, *praecipio non ego*) Simile zeugma, *vivo autem non jam ego.* Gal. 2, 20. Vis verbi *praecipio* affirmate nectitur cum *Dominus.* — ὁ κύριος, *Dominus*) Christus, qui hac de re docuerat Matth. 5, 32. 19, 4. s. vel etiam Paulo hac de re locutus est. coll. v. 12. — μὴ χωρισθῆναι, *non separari*) *Separatur* pars ignobilior, mulier; *dimittit* nobilior, vir: inde conversa ratione etiam mulier fidelis dicitur *dimittere:* et vir infidelis, *separari.* v. 13. 15.

v. 11. ἐὰν, *si*) Hoc quoque in fine hujus versus de viro accipiendum. — καὶ χωρισθῇ) *etiam separata fuerit*, contra praeceptum.

v. 12. τοῖς δὲ λοιποῖς) *ceteris vero*, in matrimonio viventibus. — ἐγὼ, *ego*) Vid. v. 25. not. — λέγω, *dico*) non ait, *praecipio*, uti v. 10. hoc scilicet, quod versu 12. s. 15. s. et quidem maxime versu 15. s. dicitur. nam si versus 12—14. seorsum spectentur, ex versu 10. fluunt. — συνευδοκεῖ, *consentit*) Multi esse poterant, qui vel dubitarent, vel non abhorrerent a fide. — μὴ ἀφιέτω, *ne dimittat*) In V. T. arctior erat haec regula. Respici h. l. differentiam V. et N. T. colligitur ex v. 18. 15. not.

v. 13. γυνὴ, *mulier*) *soror.*

v. 14. ἡγίασται) *sanctificatus est*, ut pars fidelis sancte uti possit, neque dimittere debeat. conf. 1 Tim. 4, 5. Verbum ponitur valde significans; quia conscientiam ubique expeditam Scriptura nobis praestare vult. — ἐν τῇ γυναικὶ) *respectu mulieris*, cum qua libenter manet. sic ἐν, c. 14, 11. Non additur πιστῇ, *fideli*, κατ' ἄνθρωπον. nam vir *infidelis* nescit, quid sit *fides.* — ἐπεὶ ἄρα, *alioqui*) Nam partus sequeretur conditionem parentis *infidelis.* Est matrimonium christianum: est soboles christiana. — τέκνα, *liberi*) qui parente fideli et infideli nascuntur. — ἀκάθαρτα, *impuri*) ut ii, qui utroque parente infideli nascuntur, quamvis non sint spurii. — ἅγιά ἐστιν, *sancti sunt*) Ab hoc differt ἡγίασται, ut *sanctum fieri* a *sanctum esse:* sed sanctitas ipsa liberorum, et parentis *infidelis*, eadem est. dicit puritatem aliquam, quae non solum facit, ut proles sit legitima, non adulterina; qualem habent etiam ii, qui e matrimonio duorum infidelium nascuntur; sed propinquiorem aliquam cum ecclesia necessitudinem et apertiorem januam ad fidem ipsam importat, perinde ut si ex utroque parente christiano essent. Conf. Rom. 11, 16. Exemplo est Timotheus, Act. 16, 1., qui hanc epistolam tulit: multique tales in subole Corinthiaca esse potuere. [*Maritus alias praefertur: at uxoris fides plus etiam, quam infidelitas mariti, valet.* V. g.]

v. 15. ὁ) ἢ ἡ ἄπιστος. — χωριζέσθω, *separator*) suas sibi res habeat. fra-

---

1) τοῖς — γεγαμηκόσι, *matrimonio junctis*] quum uterque conjux credentium e numero est. Antitheton τοῖς λοιποῖς, v. 12.; ubi alterutra pars est infidelis. *V. g.*

Digitized by Google

ter sororve sit aequo animo: ne putet, mutandum sibi esse, quod mutare nequit. [*Fidelis pars in gratiam partis infidelis non tenetur fidei renunciare.* V. g.] — οὐ δεδούλωται) *non est mancipi.* Libertas eo justior in hac parte, quia parti fideli non multum opis paratum erat a magistratu infideli. quanquam etiam hodie ratio illa valet a libertate et pace; sed cum exceptione illa, *maneat extra conjugium.* v. 11. — ἐν δὲ εἰρήνῃ, *in pace vero*) Axioma; ab internis etiam ad externa procedens. Antea fuerat *inimicitia.* Eph. 2, 15.

v. 16. τί γὰρ, *quid enim*) Ideo non debes nimis anxie laborare; sed tranquillitatem animi retinere tui. Pro modo spei, conandum. — ἄνδρα, γύναικα, *virum, mulierem*) a te, adeoque a fide abhorrentem. — σώσεις, *servabis*) Conjux conjugem, quoad potest, debet ad salutem perducere.

v. 17. εἰ μὴ, *si non*) q. d. *si hoc non est*, sive, *ceteroqui.* A *conjugibus* (v. 10.) ad quemlibet externum vitae statum digreditur. — ἑκάστῳ, *unicuique*) Resolve: *unusquisque ambulato, sicut distribuit ipsi Deus.* — ἐμέρισεν, *distribuit*) v. 7. — ὡς κέκληκεν, *sicut vocavit*) quo quemque statu vocatio coelestis invenit. — ὁ κύριος, *Dominus*) Christus. — περιπατείτω, *ambulato*) Haec conclusio, ex *jussu* et *permissu* contemperata, repetitur et declaratur v. 20. et 24. Vocatio superna non abolet status externos. Quod quis citra eam fecit aut facturus fuit, in ea fieri licere, docet Paulus. — καὶ οὕτως, *et sic*) Doctrina universalis: in qua etiam Corinthii possunt acquiescere.

v. 18. μὴ ἐπισπάσθω, *non adducat*) Complures, qui a Judaeis ad gentes defecerant, praeputia sibi quodammodo, chirurgico artificio, recuperarunt. 1 Macc. 1, (15.) 16. vide *Reineccium* ad h. l. Id nonnullos, qui ex Judaeis Christiani facti erant, imitatos esse, ex Pauli monito colligi potest.

v. 19. οὐδέν ἐστι, *nihil est*) Conf. c. 8, 8. Sic quoque, a paritate rationis, nil est *servitus, libertas; conjugium, coelibatus.* — τήρησις, *servatio*) Axioma insigne. — ἐντολῶν, *praeceptorum*) Etiam circumcisio praecepta erat: sed non in perpetuum, ut amor.

v. 20. ἐν τῇ κλήσει, *in vocatione*) Status, in quo vocatio quemque offendit, instar vocationis est.

v. 21. μή σοι μελέτω, *ne tibi curae sit*) ne anxie quaesieris libertatem. sic, *noli quaerere.* v. 27. — μᾶλλον χρῆσαι, *potius utere*) *utere, facultate libertatis assequendae*, vel potius, *utere servitute.* nam qui liber fieri posset, habet herum benignum, cui servire praestat, quam alias sequi conditiones. 1 Tim. 6, 2. conf. v. seq. initium. idcirco versu 23. non dicit, *nolite esse*, sed *nolite fieri servi hominum.*

v. 22. ἀπελεύθερος, *libertus*) Ἐλεύθερος, *liber*, etiam is, qui nunquam serviit; ἀπελεύθερος, *libertus*, qui servierat. — κυρίου, *Domini*) *Christi*, ut mox dicitur. — ὁ ἐλεύθερος κληθεὶς, *qui liber vocatus est*) Initio versus *vocatus* ponitur ante *servus:* hic *liber* praeponitur τῷ *vocatus*, emphaseos causa, ut includatur etiam is, qui ex vocatione facultatem libertatis assequendae nanciscitur. Conf. de ordine verborum, Gal. 4, 25. not.

v. 23. ἠγοράσθητε, *emti estis*) Deo. [*ut servi Christi.* V. g.] — μὴ γίνεσθε, *nolite fieri*) Status internus et externus debet congruere, quantum consequi licet, et hic illi subservire. *fieri* hic proprie dicitur ad eos, qui non *sunt* servi. [*Qui liber est, libertatem ne abjiciat.* Not. crit.]

v. 24. παρὰ θεῷ, *apud Deum*) Antitheton ad homines. Rom. 14, 22. Qui Deum semper spectant, sanctam circa externa habent indifferentiam. Limitatur tamen hac ratione illud, quod v. 20. dixerat. Potest enim v. gr. ex servo fieri liber, non mutato statu apud Deum.

v. 25. παρθένων, *virginibus*) utriusque sexus. v. seqq. sic, *virgo*, Ap. 14, 4. — οὐκ ἔχω, *non habeo*) Non dicit: *non habemus.* Exspectabant Corin-

Digitized by Google

thii mandatum speciale, per revelationem, quae Paulo obtingeret. — γνώμην δὲ) Vocabulum hic et v. 40. exquisite positum, ut mox νομίζω. *Aristoteles* proprietatem Graecorum vocabulorum, in Ethicis praesertim, accurate designans, sic ait: ἡ καλουμένη γνώμη ἡ τοῦ ἐπιεικοῦς ἐστὶ κρίσις ὀρθή. iterumque, ἡ δὲ συγγνώμη, γνώμη ἐστὶ κριτικὴ τοῦ ἐπιεικοῦς ὀρθή. ὀρθὴ δὲ ἡ τοῦ ἀληθοῦς. l. 6. Eth. Nic. c. 11. Copiosior ibi disputatio extat, qua tota lecta distinctius percipietur, quid sit γνώμη καὶ συγγνώμη. Imperat ἐπιταγή· γνώμη censet, affinemque habet συγγνώμην, (quae est γνώμη ad alterius statum animumve accommodata,) ut in re facta, sic etiam in facienda. Vide v. 6. et 2 Cor. 8, 10. 8. ubi harum utraque opponitur τῇ ἐπιταγῇ. Utraque spectat τὸ συμφέρον *commodum* ejus, cui consulitur: eodem versu 10. et hic, 1 Cor. 7, 35. Earum rerum, de quibus hoc capite agitur, talis est natura, ut ipsae partim sub ἐπιταγὴν, partim sub συγγνώμην et γνώμην cadant. Decorum autem erat, ut ἐπιταγὴ nomine Domini perscriberetur, γνώμη et συγγνώμη nomine apostoli. Itaque de ea re, quae sub ἐπιταγὴν cadit, Dominus expresse dederat apostolo, quae scriberet: sed de hac re, quae sub γνώμην cadit, non opus fuit dari. Namque apostoli nil scripsere non θεόπνευστον, sed interdum habuere revelationem et mandatum speciale: c. 14, 37. 1 Thess. 4, 15. cetera deprompserunt ex habitu fidei, quae in eis ex misericordiae dominicae experientia extiterat: h. v. et ex thesauro Spiritus Dei. v. 40. Atque in his potuere pro varietate negotiorum et personarum, ut sanctus ferebat affectus, varios liberrime adhibere modos, et de suo jure decedere, se ipsos deprimere aut reprehendere, alios sibi anteferre, rogare, deprecari, hortari, 2 Cor. 6, 1. 7, 8. 11, 17. not. ac jam severius agere, jam lenius. quo pacto v. gr. νομίζω mollius dicit Paulus, quam λέγω. v. 26. 12. Itaque hic quoque, citra ἐπιταγὴν, tamen ea scripsit, quae menti Domini, γνώμην duntaxat hanc dari volentis, exacte convenirent. Eodem autem tempore fideliter indicat, ex quo quidque principio scripserit; (a qua modestia quam longe quaeso abiit stilus papae?) documentumque praebet, non debere eos, qui a Dei Spiritu et verbo jam satis praesidii habent, extraordinarium quidpiam postulare. — ὡς ἠλεημένος, *tanquam misericordiam consecutus*) Misericordia Domini fideles facit: fides verum Casuistam. — ὑπὸ κυρίου, a *Domino*) Christo. — πιστὸς, *fidelis*) fidem habens Domino: fidem praestans et Ipsi et hominibus.

v. 26. διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, *propter praesentem necessitatem*) Fames sub Claudio, Act. 11, 28. valde diutina fuit, et gravis, in Graecia inprimis. Itaque consilium hoc Pauli, ex parte certe, accommodatum erat ad tempus. — ἀνθρώπῳ, *homini*) utriusque sexus. — οὕτως, *sic*) uti est. v. 27.

v. 27. δέδεσαι — λέλυσαι, *alligatus es — solutus es*) In ipsis verbis est argumentum. *Alligatus uxori*, saepe retinetur, ut, cum culpa, vel sine culpa, liberalitatem et alias virtutes minus laute exercere possit, quam vellet. In verbo λέλυσαι, *solutus es*, latet participium, et participium habet vim nominis, ut *solutus* denotet non solum eum, qui uxori desiit esse alligatus, sed etiam eum, qui nunquam alligatus fuit. Similis phrasis, Job. 39, 5. — μὴ, *ne:* bis) Id est, non cogeris quaerere.

v. 28. τῇ σαρκὶ, *carne*) Non *spiritu*, cui *afflictio* est peccatum, quod hic nullum. — ἐγὼ δέ, *ego autem*) Paterno affectu scribit. v. 32. — φείδομαι, *parco*) Magis arduum et forte est, matrimonium, quam coelibatum bene gerere.

v. 29. τοῦτο δέ φημι, *hoc vero dico*) Eadem formula, c. 15, 50. ad explanandum, in summa. — ἀδελφοὶ, *fratres*) Solet Paulus, de rebus praesertim externis scribens, digressiones inserere multo nobilissimas, Spiritu semper ad optima quaevis vocante. — ὁ καιρὸς) *tempus* praesens, vel mundi, v. 31. c. 10, 11. vel singulorum, flendi, gaudendi etc. — συνεσταλμένος) *angustum*, expeditae libertati contrarium. v. 26. — τὸ λοιπὸν, *ceterum*) Particula valde hic oppor-

tuna. [*Innuit, non multum abesse a consummatione seculi.* V. g.] — ἵνα, *ut*) tempus denique est ejusmodi, *ut* debeant etc. [*Sunt, qui superflua vitae* commoditate, *qui vagabundis* cogitationibus, *qui pertinaciori* literarum *studio, qui* conviviorum *atque* oblectationum *diuturnitate et frequentia multum temporis consumunt; et virtutis est paenes mundanos, ubi quis dies noctesve vel dimidias, vel totas adeo, verborum et rerum inanitatibus modo haut inremoto traducere cum sodalibus norit. Quodsi vel precibus vacandum, vel liberorum educationi invigilandum, vel amoris officium proximo exhibendum est, tum vero temporis penuria obstat: immo, ne perpendere quidem vacat, quanto ista reatu constent.* V. g.] — γυναῖκας, *mulieres*) et sic, *liberos, amicos, patronos.* Nil debemus proprium existimare. — μὴ, *non*) Sic abnegatio christiana proprie exprimitur. Ea carent, qui habent, ut qui habeant, et diu habituri sint. — ὦσι, *sint*) Hoc subauditur etiam v. sqq.

v. 30. οἱ χαίροντες, *gaudentes*) Non dicit: *ridentes.* [Rom. 12, 15. *De* nuptiis *etc. hic cogites; ut de obitu* conjugis *etc. in praecedentibus.* V. g.] Temperate loquitur pro valle lacrymarum. — ὡς μὴ κατέχοντες, *tanquam non tenentes*) Post *emere* epitasin facit *tenere;* quemadmodum post *uti, abuti* v. seq. unde patet, tria cola praecedentia habere Plocen. namque uti Paulus hortatur, ut *docens doceat,* et quisque, quod in bono agit, agat, Rom. 12, 7. sic in mundo *gaudentes gaudent:* at hoc idem ille prohibet.

v. 31. οἱ χρώμενοι, *utentes*) Videtur Paulus hoc pro illo, et *vendentes,* posuisse, quia ex omni usu mundi, *venditio* per se maxime convenit peregrinatoribus. Utendum, non fruendum. — ὡς μὴ καταχρώμενοι] *tanquam non abutentes.* Compositum Graecum et Latinum non *perversitatem* usus tantum, sed *abundantiam* notat. — παράγει) *praeterit,* omni momento; non modo *praeteribit.* — τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου, *habitus mundi hujus*) mundus ipse, ejusque *habitus,* qui est nubere, flere, gaudere, emere etc. Hebr. חֹבֶשׁ Ps. 39, 7. 73, 20. Dum homo v. gr. ab anno XX aetatis ad XL progreditur, pristinas fere necessitudines amisit, novis tenetur.

v. 32. ἀμερίμνους, *sine cura*) non modo sine afflictione, v. 28., sed etiam sine cura animum distrahente. — ὁ ἄγαμος, *coelebs*) videlicet si statu suo velit sapienter uti. — τοῦ κυρίου, *Domini*) Christi. — ἀρέσει) *placitum se praestet,* per sanctimoniam corporis et spiritus.

v. 33. πῶς ἀρέσει, *quomodo placeat*) Verbum placendi repetitur ex v. praeced. et complectitur hoc versu omnia officia mariti, quae conjux in societate vitae omni postulare potest.

v. 34. μεμέρισται καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος) Id est, *dirisa quoque est mulier et virgo:* non tantum mas coelebs et mas, qui uxorem ducit, divisas sibi partes habent, sed etiam uxor et virgo (sexus feminini) quam maxime diversas sibi partes habent. Sunt, qui verbum μεμέρισται, particula καὶ *etiam* praeposita, alia interpunctione connectant cum verbis antecedentibus: sed Paulus refert ad ea, quae sequuntur. *Dirisio* videlicet inter conjugium et coelibatum, quorum generum utrumvis alias sibi aliasque partes vindicat, magis pertinet ad mulieres, quam ad viros. nam viri adjutorium mulier: majoremque status sui mutationem subit mulier, quam vir, matrimonium contrahendo. conf. v. 39. 40. Accedit, quod praecipue de virginibus sermo est. v. 25. Ideo verbum μεμέρισται huic potissimum loco aptum est: neque obstat *singularis* numerus, quo minus id cum *muliere et virgine* construatur. Sic 2 Reg. 10, 5. in Hebr. *et MISIT praefectus domus, et praefectus civitatis, et seniores, et nutricii.* Sic infra, c. 9, 6. ἢ ΜΟΝΟΣ ἐγὼ καὶ βαρνάβας κτλ. — ἵνα ᾖ ἁγία, *ut sit sancta*) Sic *placet* Domino, si sit sancta, tota Ei dedita. *Sanctitas* hic plus quiddam dicit, quam versu 14.

Digitized by Google

v. 35. αὐτῶν, *ipsorum*. — βρόχον, *laqueum*) *Laqueus*, metus peccati, ubi non est peccatum: vel etiam coacta servitus. Laqueo trahuntur inviti. conf. Prov. 7, 21. LXX. Facile pro *laqueo* habetur, quod maxime *conducit*. — εὔσχημον) Antitheton ἀσχημονεῖν, v. seq. — εὐπάρεδρον) Affine verbum, προσεδρεύειν. c. 9, 13. Exemplum, Luc. 10, 39. — τῷ κυρίῳ, *Domino*) Dativum regit εὐπάρεδρον, ut παρεδρεύω. — ἀπερισπάστως) Declaratur τὸ εὐπάρεδρον. nam opposita sunt *apta assessio* et *distractio*. *Sedere*, adjuvat animam devotam. Conf. Luc. 10, 39. 40. Simile quiddam Paulus de vidua dicit, 1 Tim. 5, 5.

v. 36. τὶς, *aliquis*) parens. — ἀσχημονεῖν) scil. ἑαυτόν. — τὴν παρθένον αὐτοῦ) *virginem, suam* filiam. — νομίζει, *existimat*) Antitheton: *existimo*, v. 26. — ἐὰν ᾖ ὑπέρακμος) si ἀκμὴν annorum praetermittat citra nuptias, quasi spreta a procis. — ὀφείλει, *debet*) [*eo quod melius consulere filiae nescit*, V. g.] Antitheton: *non habens necessitatem*. v. seq. — οὐχ ἁμαρτάνει, *non peccat*) Suaviter res exprimitur per incisa.

v. 37. ἕστηκεν) *constituit se*, constitutum habet. Egregia hoc loco synonymia, descriptioque libertatis. — μὴ ἔχων ἀνάγκην, *non habens necessitatem*) ob quam coelibatum conjugio, v. 26. vel conjugium coelibatui praeferat. — ἐξουσίαν) *arbitrium*, nulla re interpellante. — ἔχει, *habet*) pro *habens*. nam *non* et *autem* ad se invicem referuntur. Eadem enallage, Col. 1, 6. not. — περὶ, *de*) Nam saepe alia voluntas est, alia potestas. — ἰδίου, *propria*) Eleganter notatur libertas. [*Qui voluntatis jam divinae curam habent, in eas ii saepe cogitationes adducuntur, ac si una duntaxat via datum esset consequi, quae voluntati divinae respondeant. Immo vero plenam DEUS quoad res Legi suae consentaneas* libertatem *homini concedit. Deut.* 36, 6. V. g.] — κέκρικεν) *judicatum habet*. — καλῶς ποιεῖ, *bene facit*) non modo non peccat. καλῶς *perbene*.

v. 38. ὥστε, *igitur*) Observandum, quanto studio, quanta fide et copia Paulus huic loco immoretur. — καὶ) *etiam*.

v. 39. ἐν κυρίῳ, *in Domino*) ut Christus hic quoque sit omnia. Mixti inter se habitabant christiani et infideles: christianos ergo christianas jubet ducere.

v. 40. μακαριωτέρα, *beatior*) v. 1. 28. 34. s. Luc. 23, 29. — δοκῶ, *videor mihi*) Corinthii *videbantur sibi* plus quam par erat, de se; et minus de Paulo. Id verbum Paulus eis ἀστείως reponit. — κἀγὼ) *ego quoque*, non minus certe, quam quivis vestrum. — πνεῦμα θεοῦ, *spiritum DEI*) cujus consilia sunt spiritualia, divina.

CAPUT VIII.

v. 1. Περὶ — οἴδαμεν, *de — scimus*) Hoc, parenthesi, quae sequitur, conclusa, reassumitur v. 4. — ὅτι) *quia*. Declaratur τὸ *scimus*. — γνῶσιν, *cognitionem*) Non audit articulum [1]), non nimium concedens. — ἔχομεν, *habemus*) Loquitur in prima persona, de se, et reliquis firmioribus in fide; latius, in tertia, v. 7. Sic facile conciliatur τὸ *omnes* et *non in omnibus*. — ἡ γνῶσις, *cognitio*) sine amore. [*Etiamsi de doctrinis fundamentalibus, maximeque necessariis atque arduis sermo sit*. V. g.] — φυσιοῖ, *inflat*) quum quis sibi placet. conf. δοκεῖ, *videtur sibi*, v. 2. — ἡ δὲ ἀγάπη, *amor vero*) *cognitione* recte utens: amor, erga Deum, v. 3. et erga proximum. — οἰκοδομεῖ, *aedificat*) quum quis proximo placet. *Scientia* tantum dicit, *omnia mihi licent:* amor addit, *sed non omnia aedificant*.

v. 2. εἰδέναι, *scire*) Respicitur τὸ *scimus*. v. 1. Diff. a *cognoscere*. — τι) *aliquid*. Tenue quiddam concedit Paulus. confer comma subsequens. — οὔπω,

1) *Itaque et in* Vers. germ. *abesse h. l. articulus debebat*. E. B.

Digitized by Google

nondum) instar tironis. — καθὼς, *quemadmodum*) videlicet per viam amoris, a Deo.

v. 3. τὸν θεὸν, *Deum*) Amorem Dei sequitur amor proximi. — οὗτος, *hic*) *qui amat.* — ἔγνωσται) *cognitus est.* Cognitionem passivam sequitur cognitio activa c. 13, 12. Habetur hoc verbo egregia metalepsis: cognitus est, adeoque cognovit. Gal. 4, 9. not. Est cognitio mutua. — ὑπ᾽ αὐτοῦ) ab Ipso.

v. 4. βρώσεως) Rem versu 1. propositam determinat propius: *de esu igitur etc.* — οὐδὲν) Praedicatum: *nihil.* cujus vim auget oppositum, *in mundo.* חדר 1 Sam. 12, 21. LXX, οὐδέν. Conf. c. 10, 19. not. [*Ligni lapidisve pars: praeterea*que nihil. V. g.]

v. 5. λεγόμενοι, *dicti*) Deus dicitur Unus ille potentissimus: inde per homonymiam *dii dicuntur* angeli, propter naturam spiritualem potentes, et homines imperio potentes. — ἐν οὐρανῷ — ἐπὶ γῆς, *in coelo — super terra*) Deorum provinciae sunt apud gentes distributae in coelo et terra cum mari: quorum tamen utrumque Dei est. — θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοὶ, *dii multi et domini multi*) Ps. 136, 2. 3.

v. 6. ἡμῖν) *nobis*, credentibus. — ἐξ οὗ τὰ πάντα, *ex quo omnia*) Ergo nobis unus Deus. — τὰ πάντα, *omnia*) per creationem. — ἡμεῖς, *nos*) credentes. — εἰς αὐτὸν, *in eum*) Finis fidelium. — καὶ εἷς, *et unus*) Christus, objectum cultus divini et religiosi. Apostoli etiam hanc ob causam, ut polytheismi speciem vitarent, Christum saepius appellavere Dominum, quam Deum, ubi ad ecclesias ex gentibus scripserunt. — κύριος, *Dominus*) Haec appellatio notionem *filii Dei*, adeoque etiam *Dei* in se complectitur, cum idea Redemtoris. — δι᾽ οὗ, *per quem*) Probatur dominium Christi: *per illum* cuncta sunt *ex* Deo. — δι᾽ αὐτοῦ, *per illum*) Per illum nos venimus εἰς *ad* Patrem. Schema hujus periochae sic habet:

ex quo omnia } per creationem: *et nos* { *ad ipsum,*
per quem omnia } { *per ipsum.* per restitutionem.

v. 7. ἀλλ᾽) Nos habemus γνῶσιν, *cognitionem:* sed alii non perinde habent. — τινὲς, *aliqui*) Antitheton *omnes.* v. 1. Aliqui, Judaei, idolum abominantes; Graeci, idolum reverentes. c. 10, 32. — τοῦ εἰδώλου, *idoli*) Sic affecti sunt [1]), quasi idolum non sit nihil; vel certe, quasi idolothytum inde sit inquinatum. — ἕως ἄρτι, *usque huc*) cum jam *scientiam* debebant habere. — ὡς) *ut.* hinc discrimen pendet. — μολύνεται, *inquinatur*) Verbum appositum, per metaphoram a carnibus. — βρῶμα, *esca*) Indefinite positum. v. 13. — ἡμᾶς, *nos*) scientiam habentes, vel non habentes. — οὐ παρίστησι) neque ad placendum, in judicio, neque ad displicendum, πρὸς τὸ ὑστερεῖσθαι. συνίστημι, *commendo:* at verbum μέσον, παρίστημι, ut patet ex Ep. Athanasii πρὸς ἀμοῦν, ubi parodian instituit: φυσική τις ἔκκρισις ἡμᾶς οὐ παραστήσει πρὸς τιμωρίαν. sic v. 10. ut verbum μέσον οἰκοδομηθήσεται adhibetur. Est hoc fundamentum ἐξουσίας. coll. δὲ, v. seq. — οὔτε — περισσεύομεν· οὔτε — ὑστερούμεθα, *neque — abundamus: neque — deficimus*) quia utrinque manet gratiarum actio. Rom. 14, 6.

v. 9. ἡ ἐξουσία, *potestas*) *Potestatis* et *libertatis* vocabulum frequens in hac tractatione. c. 9, 1. 4. etc. conf. c. 6, 12. — ὑμῶν, *vestra*) quam obnixe tuemini. v. 11.

v. 10. εἰδωλείῳ) Vocabulum aptum ad deterrendum. Extat 1 Macc. 1, (47.) 50. 10, 83. 3 Ezr. 2, 10. — οἰκοδομηθήσεται, *aedificabitur*) Antiphrasis:

---

1) *Lectionem* συνηθείᾳ *h. v. lectioni communi* συνειδήσει *praeferre cum* Heumanno Bengelium, *cel.* D. Ernesti *perhibet*, Bibl. th. noviss. T. I. p. 511.; *idque cum approbatione quidem, sed nullo fundamento. Videlicet* margo Bengelianus *antiquior lectioni* συνηθείᾳ *signum* γ, *recentior autem signum* δ *subjecit, et* Versio germanica *vocem* συνειδήσει *distincte expressit.* E. B.

Digitized by Google

tu deberes *aedificare* ad bonum; sed impellis ad malum. [*Magna exemplorum vis.* V. g.] — τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν, *idolothyta edere*) His ipsis verbis exprimitur horror infirmi, tamen edentis.

v. 11. ἀπολεῖται, *peribit*) jacturam faciet fidei, et, nisi eam recuperat, salutis ipsius. Rom. 14, 23. [*Vide, una actio, parum in externis referre visa, quantas eventorum consequentias habere queat.* V. g.] — δι' ὃν) *propter quem. Propter* magis, quam *pro* convenit loco praesenti; ut doceamur, quid nos fratrum *causa* debeamus. — ἀπέθανεν, *mortuus est*) ex amore, quem tu sic minime imitaris.

v. 12. τύπτοντες, *verberantes*) sicut jumentum lassum verberibus urgetur. Eleganter ait, *verberantes*, non, *vulnerantes*. nam *vulnus* cernitur; verbera, minus. *Verberatis* fratres, vel facitis, ut ipsi se feriant. — εἰς χριστὸν, *in Christum*) cui conjuncti sunt fratres. Emphasin accentus in hoc inciso habet illud, *in Christum*; in priore, *peccantes*.

v. 13. κρέα, *carnes*) Quo certius vitarem carnem idolo immolatam, toto genere carnium abstinerem. — σκανδαλίσω, *offenderem*) Commutatur persona: modo dixit, *si cibus offendit*.

CAPUT IX.

v. 1. Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος;) Duo haec membra trajicit receptior hodie lectio. atqui Paulus primo ponit thesin, *Liber sum:* deinde aetiologiam, *Apostolus sum:* et inest ἓν διὰ δυοῖν, hoc sensu, *competit mihi libertas non solum christiana, sed etiam apostolica*. Tractatio χιασμὸν habet. nam in ea prius sibi vindicat *Apostolatum*, mox, v. 1—3.: deinde *libertatem*, eamque apostolicam, asserit v. 4. s. 19. Quod in adjectivo *liber* est, id in substantivo est ἐξουσία, *potestas*, v. 4. coll. c. 8, 9. — οὐχὶ — ἑώρακα; *nonne — vidi?*) Vide firmitudinem apostoli. — τὸ ἔργον μου, *opus meum*) *Rerum* testimonium, validissimum.

v. 2. ὑμῖν, *vobis*) ad quos veni: qui evangelium suscepistis. non potestis negare. ὑμῖν, *quod ad vos attinet*. Similes Dativi, v. 21. — ἡ γὰρ σφραγὶς, *sigillum enim*) Ex ecclesia fidelium, argumentum sumi potest pro veritate evangelii, et religionis christianae. — ἀποστολῆς, *apostolatus*) Poterat etiam aliquis, qui non erat apostolus, per evangelium adducere homines ad fidem, ut Philippus, Epaphras, alii: sed Paulus *sigillum vocationis*, non cujuscunque, sed *apostolicae* suae vocat Corinthios; quia signa apostoli habuit, 2 Cor. 12, 12. Rom. 15, 18. s. neque Corinthii fidem solum, sed etiam singularem charismatum abundantiam acceperunt. 1 Cor. 1, 7.

v. 3. ἡ) Anaphora cum ἡ σφραγὶς. — ἀπολογία, *defensio*) Plus sibi sumit pontifex Rom. volens esse ἀνυπεύθυνος. — τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσιν, *iis qui me dijudicant*) qui de meo apostolatu ambigunt.

[1]) v. 4. μὴ οὐκ ἔχομεν, *num non habemus*) A singulari ad pluralem venit, *collegas* includens. — φαγεῖν καὶ πεῖν, *edere et bibere*) sine labore manuum.

v. 5. ἀδελφὴν γυναῖκα, *sororem uxorem*) In casu recto haec est propositio: *haec soror est uxor mea*. quare *sororis* nomine non tollitur matrimonium. — περιάγειν, *circumducere*) Sermo concisus: pro, *habere et circumducere*. non enim habebat uxorem. Non ex habendo, sed ex circumducendo, sumtus afferebatur ecclesiis. — ὡς, *sicut*) Pertinet hoc etiam ad v. 4. — οἱ λοιποὶ, *ceteri*) Articulus ostendit, omnes reliquos sic fecisse. Etiam de Johanne cogitare licet. — καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου, *et fratres Domini*) Act. 1, 14. Gal. 1, 19. — καὶ κηφᾶς, *et Cephas*) Gradatio. coll. c. 3, 22. not.

v. 6. τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι) *supersedendi opere manuario*.

---

1) αὕτη ἐστὶ, *haec est*] quod scil. vos muneris mei sigillum estis. *V. g.*

Digitized by Google

v. 7. τίς, *quis*) Pulcre confertur minister evangelii cum milite, vinitore, pastore. Loquitur apostolus de eo, quod communiter fieri solet, etiamsi jam tum fuissent, qui propriis stipendiis milites fuerint, *Volontaires*. — φυτεύει, *plantat*) c. 3, 6.

v. 8. καὶ) *etiam*. Non modo non *secundum hominem*, sed ipsa lege approbante id dico.

v. 9. οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα) Sic LXX, Deut. 25, 4. — ἀλοῶντα, *triturantem*) Hodie equi triturant in nonnullis Germaniae locis. — μὴ τῶν βοῶν, *num bores*) Id non plane negatur, boves curae esse Deo. nam qui bovi trituranti os obturasset, peccasset contra legem. Sed conclusio procedit a minori ad majus. Specimen tractandi leges Mosaicas, circa animantia latas.

v. 10. πάντως, *omnino*) Ipsi interrogationi inseritur vocula ajendi. — ὅτι) nempe, *quod*. — ἐπ' ἐλπίδι) לבטח LXX solent reddere ἐπ' ἐλπίδι. conf. Act. 2, 26. — ὀφείλει, *debet*) Commutatio personae. Debitum est penes remunerantes, non penes laborantes: alias hi peccarent non accipiendo. Sic de *praecepto*, v. 14. Conf. *debui*, 2 Cor. 12, 11. — ὁ ἀροτριῶν, *arans*) Hic quoque boum labor. Videtur adagium; quale illud: *Spes alit agricolas*. — τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ [1]), *spei suae*) Abstractum pro concreto: *fructuum, quorum spe aratit* is, qui nunc triturat. — μετέχειν, *particeps fieri*) scil. *debet*. *Spei suae particeps fieri*, periphrasis verbi *triturare*. Nempe qui arat, arat *spe* triturandi et edendi: qui triturat, potitur ea *spe*, quam in arando habuit, et triturat in *spem* edendi.

v. 11. ὑμῖν, *vobis*) Non dicit, *vestra*, ut mox. — μέγα, *magnum*) Conf. 2 Cor. 11, 15. 14. ubi exponitur, *mirum*.

v. 12. ἄλλοι, *alii*) apostoli veri, v. 5. aut falsi, 2 Cor. 11, 20. — ὑμῶν) *vestri*. — μᾶλλον, *potius*) propter majorem laborem. — τῇ ἐξουσίᾳ ταύτῃ) Vim habet iteratio: *potestate ista*. — στέγομεν) στέγω, proprie, *tego*; inde, *protego, defendo*: item, *dissimulo, dissimulanter fero et tolero*. h. l. et cap. 13, 7. Contra, οὐ στέγειν, *non ferre*, in affectu vehementi, erumpente. 1 Thess. 3, 1. 5. [*Hac tolerantia opus est Evangelii ministro. Tali enim arrogantiae seu avaritiae nomine exprobrantur, quae virtutis esse censentur inter politicos*. V. g.] — ἵνα μὴ ἐγκοπήν τινα δῶμεν, *ne impedimentum ullum afferamus*) i. e. ut quam maxime promoveamus. Expeditiores, plus operis faciunt, et minus sumtuum afferunt. Hinc coelibatus sacerdotum in papatu, et militum in republica.

v. 13. τὰ ἱερὰ) *rem sacram*. — ἐκ τοῦ ἱεροῦ) *ex aede sacra*. — θυσιαστηρίῳ, *altari*) Si Missa esset sacrificium, plane Paulus versu sequenti apodosin huc accommodasset.

v. 14. ὁ κύριος, *Dominus*) Christus. Matth. 10, 10.

v. 15. ἔγραψα, *scripsi*) modo. — μᾶλλον, *potius*) Constr. cum *mori*. Ratio tantae asseverationis explicatur 2 Cor. 11, 7. seqq. — τις, *aliquis*) qui victum ex evangelio vel det mihi vel dari dictitet.

v. 16. γὰρ, *enim*) Declarat, in quo sit illa *gloriatio*. — εὐαγγελίζωμαι, *evangelizem*) Id sumendum exclusive: si evangelizem, neque id faciam gratis; si nihil praeterea faciam. — ἀνάγκη, *necessitas*) Debitio tollit gloriationem. — οὐαὶ δὲ, *vae vero*) *vero*, intensivum: non modo non habeo gloriationem, sed etiam *vae*. Jon. 1, 4. Ex. 4, 14. Jer. 20, 9.

v. 17. ἑκὼν, *volens*) Hic ponitur pro *gratis*. unde *mercedem habeo* facit oxymoron. *mercedem* autem et *lucrum* definit v. seqq. Saepe Paulus de suis rebus loquens, αὔξησιν et μείωσιν, catachresi non absimilem, et abnegationi sui convenientem, solet adhibere. poterat *volens* evangelizare, et tamen mercedem

---

1) *Breviorem lectionem*, ἐπ' ἐλπίδι τοῦ μετέχειν, *cujus nec in margine* Ed. maj., *nec in* Gnom., *nec in* Vers. germ. *vestigium est, praefert margo* Ed. 2. E. B.

Digitized by Google

accipere a Corinthiis: sed si mercedem acciperet, id sibi imputat pro praedicatione ab invito facta. sic v. seq. usus *potestatis* esse poterat citra *abusum*; sed illum ipsum pro hoc sibi imputat. conf. Rom. 15, 15. 2 Cor. 11, 8. s. 1, 24. 2, 5. 7, 2. 3. — οἰκονομίαν πεπίστευμαι, *dispensatio mihi credita est*) Non possum me subducere, tametsi mercede illa excidam. Iterum oratio exclusiva, uti v. 16.

v. 18. ἵνα, *ut*) Respondet interrogationi. — θήσω) Futurum subjunctivi. — εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι) *ut ne abutar*: i. e. ut me ab abusu quam longissime removeam.

v. 19. ἐκ πάντων, *ex omnibus*) Masculinum, ut mox, *omnibus*, coll. *plures*. liber ex omnibus eram: i. e. nemo me habuisset sibi obnoxium. — ἐδούλωσα, *servum exhibui*) *Servus* se totum ad alium accommodat. — τοὺς πλείονας, *plures*) Articulus habet vim relativam ad *omnes*, i. e. *quam plurimos eorum*. — κερδήσω, *lucrarer*) Congruit hoc verbum cum consideratione *mercedis*.

v. 20. ὡς ἰουδαῖος, *tanquam Judaeus*) in iis rebus, quae non sunt *lege* definitae. sequitur enim, *tanquam sub lege*, quanquam etiam ii, qui Noachicas leges observarunt, homines *sub lege* inter Judaeos et ἀνόμους medii, dici poterant. — ὡς ὑπὸ νόμον) μὴ ὢν αὐτὸς ὑπὸ νόμον, subjungitur in vetustissimis monumentis. [1]) Facile omissum in aliis, νόμον recurrente. — τοὺς) Articulus hic non tam emphaseos, quam necessitatis causa videtur positus, sequente ὑπὸ, *sub*.

v. 21. ἀνόμοις) Hic ponitur eo sensu, quem etymi vis praecise parit, ut, ἀνυπότακτον. Ebr. 2, 8. — ὡς ἄνομος, *tanquam sine lege*) praetermittendo, quae praetermitti possunt, in ceremonialibus. — μὴ ὢν ἄνομος, *qui non sim sine lege*) Paulus non fuit *anomus*, nedum *antinomus*. — μὴ ἄνομος θεῷ, ἀλλ' ἔννομος χριστῷ) χριστοῦ, θεοῦ ἐστι, c. 3, 23.: unde, qui est ἄνομος θεῷ, est etiam ἄνομος χριστῷ. qui est ἔννομος χριστῷ, est ἔννομος θεῷ. de Lege Christi, conf. Gal. 6, 2. not. Clementius ἔννομος, dicitur, quam ὑπὸ νόμον.

v. 22. τοὺς ἀσθενεῖς, *infirmos*) Articulus non additus ad ἰουδαίους, nec ad ἀνόμους· additus ad ἀσθενεῖς, quia de his praecipue sermo est; c. 8, 7. et hi facile omnes lucrifiunt, si recte tractentur. — γέγονα, *factus sum*) Verbo sic posito oratio ab ἐγενόμην commode traducitur ad praesens ποιῶ.

v. 23. ἵνα συγκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι) Σὺν et γίνομαι magnam habent modestiam. Ea, quae sequuntur, referuntur ad hunc versum, tanquam ad Propositionem. — αὐτοῦ, *ejus*) Evangelii, et salutis: collato verbo, *servarem*.

v. 24. οὐκ οἴδατε; *haud scitis?*) Similitudo a re Corinthiis valde nota. — [2]) εἷς, *unus*) Etiamsi sciremus, *unum* fore salvum; tamen operae pretium esset, currere. [*Enimvero de iis quid fiet, qui aliorum tueri se torpore non desinunt? Conf. c.* 10, 5. V. g.] — οὕτω τρέχετε, ἵνα καταλάβητε, *sic currite, ut comprehendatis*) Paulus ad finem usque capitis de se loquitur; nondum directe Corinthios cohortatur. itaque hic videtur per sermocinationem illa induci cohortatio, qua athlothetas et paedotribas, et spectatores uti solitos docet *P. Faber* l. 2. Agonist. c. 32. *Chrysostomus* Homil. in illud, ἐὰν πεινᾷ. et Caesarius quaest. 29. Nam non semel reticetur verbum *inquit, inquiunt*. c. 5, 13. 15, 32. 33. Eph. 6, 2. Col. 2, 21. Ps. 137, 3. Jer. 2, 25. 51, 9. Itaque hic quoque sensus est: *ita*, inquiunt, *currite:* pertinetque comma hoc ad protasin, quae v. seq. initio continuatur. οὕτω, *ita*, particula laudandi juxta atque hortandi. Phil. 4, 1. — τρέχετε, *currite*) Omnes incitantur; quasi singuli sint accepturi, non unus. — ἵνα, *ut*) quo.

v. 25. πᾶς, *omnis*) Multa genera erant certaminum. — δὲ, *autem*) Ἐπί-

---

1) *Adeoque tum in margine* Ed. 2. *a signo* γ *ad signum* β *elevatum, tum in* Vers. germ. *ipsi contextui insertum est.* E. B.

2) πάντες, *omnes*] Conf. c. 10, 1. *V. g.*

Digitized by Google

τασις. Cursus erat in levioribus; lucta, ad quam mox alluditur, in gravioribus certandi generibus. — πάντα, *omnia*) subaudi κατὰ, *ad, per.* — ἐγκρατεύεται, *continet se*) Admirabilis erat diaeta athletarum. Vide eundem *Fabrum*, eundemque Chrysostomum de Sacerd. l. 4. c. 2. in extremo. — ἐκεῖνοι) *illi*, qui currunt et luctantur. Christiani spectacula reliquerunt. — φθαρτὸν, *corruptibilem*) ex oleagine, malo, apio, picea. Non solum corona, sed etiam memoria ejus perit.

v. 26. ἐγὼ) *ego*, pro mea parte. — οὕτως) *sic*, ut dixi v. 23. conf. οὕτω, *ita*, v. 24. — οὐκ ἀδήλως, *non in incertum*) Scio, quid petam, et quomodo. qui liquido currit, metam recta spectat et recta petit, omnem sarcinam abjicit, et sermones adstantium negligit, ipsoque interdum lapsu incitatur. — πυκτεύω, *pugilem ago*) Pugilatum cursui prae ceteris certandi generibus adjicit Paulus. — ὡς οὐκ ἀέρα δέρων, *non quasi aërem verberans*) In *sciumachia*, quae certamini serio praemitteretur, solebant aërem verberare. conf. *aërem*, c. 14, 9.

v. 27. ὑπωπιάζω) Eustathius: ὑπώπια φασὶ τὰς περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς πληγάς· ἐξ ὧν ἐκ μέρους καιριωτάτου, καὶ τὸ ὑπωπιάζειν, καὶ σώματος ὑπωπιασμὸς μεταφορικῶς, ὁ κατὰ σύντηξιν. Idem docet, in pede esse πρόσκομμα, quod in capite ὑπώπιον. itaque cum ὑπωπιάζω conf. πρόσκομμα et τύπτοντες, c. 8, 9. 12. — τὸ σῶμα, *corpus*) Antagonista propinquus. Rom. 8, 13. 1 Petr. 2, 11. — δουλαγωγῶ) manum corpori, veluti *mancipio*, injicio, idque *compesco*. conf. de servo, Sir. 33, 25. ὑπωπιάζω, ut *pugil:* δουλαγωγῶ, ut *cursor*. Illi verbo, hoc postponitur. illud magis actum, hoc statum notat. illud gravius, quam hoc: initio enim majore opus est austeritate, dum subigitur corpus. — κηρύξας) Κήρυκες apud agonas erant. [*qui coronas victoribus, nomina eorum nuncupantes, imponebant.* V. g.] — ἀδόκιμος, *reprobus*) indignus brabeo, corona. Vocabulum agonisticum.

CAPUT X.

v. 1. Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, *nolo autem vos ignorare*) Formula pertinet ad totum locum. nam historiam norant Corinthii. conf. c. 9, 13. Particula [1]) *autem* transfert sermonem a singulari, c. 9, 26., ad pluralem. — οἱ πατέρες ἡμῶν, *patres nostri*) Corinthiorum quoque. nam gentes in locum Judaeorum successerunt. [*Antecessores nostri*, ait, *respectu communionis cum DEO.* V. g.] — πάντες, *omnes*) Aegypto exierant, ne uno quidem ex tanta multitudine aut per vim aut morbi causa detento. Ps. 105, 37. Commemorantur quinque beneficia divina, v. 1—4., et totidem peccata patrum, v. 6—10. — ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν, *sub nubem erant*) Ex. 13, 21. s. — διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον, *per mare transierunt*) Ex. 14, 29.

v. 2. καὶ πάντες εἰς τὸν μωϋσῆν ἐβαπτίσαντο, *et omnes in Moysem baptizati sunt*) καὶ, *et sic.* Reassumit, quod v. praec. de nube et mari attigit; ostenditque, quorsum utrumque pertineat. baptizati sunt in nube, quatenus sub eam erant; et in mari, quatenus per id transierunt. Nec nubes eos, nec mare madefecit, nedum tinxerit; (quanquam ex nube illa miraculosa pluviam lapsam fuisse, ex Ps. 68, 9. 105, 39., nonnulli conjiciunt:) neque baptismi appellatio apud Mosen extat. Paulus autem percommode sic appellat, 1. quia nubes et mare sunt naturae aqueae: (quare etiam Paulus de columna ignis silet.) 2. nubes et mare patres oculis subduxit et reddidit, sic fere, quomodo aqua eos, qui baptizantur. 3. per nubem et per mare initiati sunt: atque initiatio ut Col. 2, 11. per circumcisionem, sic h. l. per baptismum, mutua inter V. et N. T. metaphora, conf. cap. 5, 7., describitur. Baptizati sunt autem in Mosen, tanquam servum Dei, Ex. 14, 31., quia ei credere coeperant, atque ut ei posthac crederent. conf. εἰς, *in.*

1) *Attamen particulae* γὰρ *tum in margine* utriusque Edit. *tum in* Vers. germ. *palma decernitur.* E. B.

Digitized by Google

Rom. 4, 20. ἐβαπτίσαντο, medium, *baptismum susceperunt*. Versu 1. innuitur, quid Deus eis praestiterit: versu 2., quid patres acceptarint. Plura, quam duo, fuerunt Sacramenta V. T. si annumerentur haec extraordinaria sub exitum ex aegypto. — καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ, *et in mari*) *In* repetitum, indicat novum gradum.

v. 3. καὶ πάντες, *et omnes*) Tres superiores articuli spectant baptismum: hic et subsequens, S. Coenam. Si plura essent N. T. sacramenta, ceteris quoque simile quiddam posuisset Paulus. — τὸ αὐτὸ) *eundem*, respectu Patrum cadentium vel non cadentium; non respectu illorum ac nostri. nam in N. T. non est manna Mosaicum. conf. *ex uno*, v. 17. — βρῶμα, *cibum*) Ex. 16, 14. — πνευματικόν, *spiritualem*) Manna, spiritualis cibus erat, non per se, Joh. 6, 32., nec solum ratione praefigurationis: sed quia Israëlitis una cum cibo corporis alimentum animarum *ex Christo* datum est, manna externo longe nobilius. conf. v. seq. Atque ab hac parte potiori fit denominatio. conf. Ps. 78, 24. 25. Et erat cibus spiritualis non solum credentibus, sed etiam, ex parte Dei, ceteris.

v. 4. πόμα, *potum*) Respicitur potius Ex. 17, 6. quam Num. 20, 8., ubi etiam pecudis mentio. — γὰρ, *enim*) Qualis Petra, talis aqua. — ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, *ex spirituali sequente petra*) Non additur articulus τῆς. Populus non norat, quae esset petra. idcirco Paulus postliminio addit: *petra vero erat Christus*. Haec petra spiritualis dicitur *sequens*: non quo sequeretur populum, nam praecibat potius; sed quia, quamvis jam tum vere praesens erat, v. 9., tamen postero tempore demum innotuit. conf. de verbo ἀκολουθεῖν, *sequi*, 1 Tim. 5, 24.: de ordine rerum naturalium et spiritualium, 1 Cor. 15, 46.

v. 5. ἀλλ', *sed*) etsi tot habuere signa praesentiae divinae. — οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν, *non in pluribus eorum*) Observandus *non* particulae situs. Ratio conjiceret, utique ἐν τοῖς πλείοσιν, *in pluribus*, *beneplacitum habere* Deum. id negat apostolus. Notat non solum eos, qui mox speciatim describuntur, sed multos simul alios. — ὁ θεὸς, *Deus*) cujus judicium unius valet. — κατεστρώθησαν, *prostrati sunt*) magnis cumulis, magna vi. Hoc verbum posuere LXX. Num. 14, 16. — γὰρ, *enim*) Eventus docuit, non placuisse eos. — ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deserto*) citra terram promissionis.

v. 6. ταῦτα, *haec*) beneficia, quae populus accepit; et peccata, quae idem admisit. — τύποι, *exempla*) quibus erudiamur nos, unde discamus, quid nobis, si paribus beneficiis affecti, pari modo peccemus, exspectandum poenarum esset. — εἰς τὸ μὴ, *ut ne*) Beneficia describuntur eo ordine, quo apud Mosen, diversis Exodi capitibus; delicta, cum poenis, alio ordine. Fundamentum delictorum, concupiscentia. mox, idololatriae mentio maxime ad propositum facit, v. 7. 14., et cum idololatria conjuncta esse solebat scortatio, v. 8., tentatio, cum murmuratione, v. seqq. Ea potissimum delicta memorantur, quae ad Corinthios admonendos pertinent. — ἐπιθυμητὰς) Verbale hoc habent LXX. — κακῶν, *malorum*) Rom. 14, 20. — ἐπεθύμησαν, *concupierunt*) Num. 11, 4.

v. 7. γίνεσθε, *efficiamini*) Hoc et v. 10. in secunda persona proponitur; nam Paulus erat extra periculum idololatriae; *murmurationis* vero etiam objectum: cetera in prima: utrumque decore. Sic 1 Petr. 4, 1. 3., in secunda persona. — τινὲς αὐτῶν, *aliqui eorum*) Notandum *aliqui*. ubi *aliqui* incipiunt, facile sequitur major multitudo, et in peccatum et in poenam ruens. — ἐκάθισεν κτλ.) Sic LXX, Ex. 32, 6. — φαγεῖν καὶ πιεῖν, *edere et bibere*) Id apposite allegatur. conf. v. 21. — παίζειν, *ludere*) Innuitur festum laetum (*lasciva saltatione circa* vitulum *celebratum*, V. g.); idemque inane, ob idolum.

v. 8. ἐπόρνευσαν, *scortati sunt*) Num. 25, 1. — εἴκοσι τρεῖς χιλιάδες, *viginti tria millia*) *Viginti quatuor millia* dicuntur l. c. v. 9. Eos plaga divina abstulit: praeterea vero principes suspensi fuere, et judices jussi sunt *viros suos*, quibus praecerant, Baal Peori junctos, interficere. Moses aeque ac Paulus eos numerat,

quos *ipsa ejus diei plaga* absumpsit. Num. 25, 18. Cur ergo Paulus mille detrahit? Praecisus mortuorum numerus, ut existimare fas est, inter utrumque rotundum medius, si placet, 23600, et ex traditione notus fuerat. Subtilitates aliorum interpretum non sequimur.

v. 9. μηδὲ ἐκπειράζωμεν) Compositum, ut Matth. 4, 7. Simplex sequitur mox. — τὸν χριστὸν, *Christum*) Commemorat Paulus quinque beneficia, v. 1—4., quorum quartum et quintum arcte connexa erant: et quinque crimina, quorum quartum et quintum item arcte connexa erant. In mentione quinti beneficii expresse memorat Christum: et in mentione quarti criminis indicat, id commissum fuisse in Christum. [*Vid. App. P. II. ad h. l. ubi lectio* χριστὸν *adversus Artemonium defenditur.* Not. crit.] — ἐπείρασαν, *tentaverunt*) Num. 21, 5. *Christus*, Deus. Ex. 17, 2. Saepe ea, quae in V. T. de *Domino* enunciantur, in N. T. dicuntur de *Christo*. Rom. 14, 10. s. *Tentatioque* illa, qua populus peccabat, singulari ratione *Christum* offendit. Exod. 23, 20. s. 32, 34. Es. 63, 9. nam quum ex Petra, quae Christus erat, bibissent, v. 4., tamen de aquae defectu querebantur. Num. 21, 5. Proinde etiam, a serpentium ardoribus, exaltato serpente, *Christi* typo, servabantur. Quomodo Abraham vidit Christi diem: quomodo Moses opprobrium Christi amplexus est: sic Israëlitae tentarunt Christum. expressius tamen Christum tentare poterant Corinthii.

v. 10. μηδὲ γογγύζετε, *neque murmurate*) Conf. v. 22. Objectum murmurationis in V. T. *secundarium* fuere, Moses et Aaron. — ἐγόγγυσαν, *murmuraverunt*) Num. 16, 41. Apud Mosen *murmur* erat ante *tentationem:* Paulus vero *murmur* post *tentationem* ponit ultimo loco, tanquam simillimum ei peccato, in quod incidere poterant Corinthii. qui infirmior est (coll. v. 22.,) non debet *murmurare*. Ex. 16, 8. 10. fin. — ἀπώλοντο, *perierunt*) Ibid. v. 49. — ὀλοθρευτοῦ, *exterminatore*) Conf. Sup. 18, 22. 25. Hebr. 11, 28. not.

v. 11. πάντα, *omnia*) Reassumit, quae dixit v. 6., et in hac anakephalaeosi addit, *omnia*, quod cum *typi* stat in appositione. — τύποι[1]) *exempla*. — ἐκείνοις, *illis*) Constr. cum *contingebant*. — ἐγράφη, *scripta sunt*) Usus Scripturae V. T. maxime in N. T. viget. Ea *initio* non fuit perscripta. — τὰ τέλη τῶν αἰώνων, *fines seculorum*) οἱ αἰῶνες, cuncta, etiam priora *secula;* τὰ τέλη, in N. T. coll. Rom. 10, 4. Pluralis habet vim magnam. omnia concurrunt et ad summa veniunt: beneficia et pericula, poenae et praemia. conf. v. seqq. Restat, ut Christus veniat vindex et judex: quod dum fit, ipsi fines plures, includunt varias periodos inter se succedentes. — κατήντησεν, *devenerunt*) quasi de improviso. Non dicit, *qui in fines devenimus*. Idem verbum, c. 14, 36.

v. 12. ὁ δοκῶν) *qui* stat, et id ipsum *existimat*. — ἑστάναι, *stare*) *in beneplacito Dei*. v. 5. — μὴ πέσῃ, *ne cadat*) v. 8. 5.

v. 13. πειρασμὸς, *tentatio*) Tentatio humana est, ubi negotium est homini vel cum semet ipso vel cum aliis sui similibus, homini superabilis. huic opponitur *tentatio daemoniaca*. conf. v. 20. 14. — ὑμᾶς) *vos*. Majora expertus Paulus: Corinthii, inexperti, securiores erant. — οὐκ εἴληφεν, *non cepit*) οὐκ, inquit, non οὐκέτι. Loquitur ergo de tentatione quadam, quae in medio sit. Ad εἴληφεν, *cepit* confer Luc. 5, 5. 26. 2 Cor. 12, 16. — πιστὸς δὲ, *fidelis vero*) Sermo concisus, cujus membrum alterum ex altero supplendum. Adhuc non graviter tentati estis; id non vestro, sed Dei praesidio debetis: sed nunc major tentatio imminet; in ea quoque tuebitur vos Deus: sed vos etiam vigilate. Ita *vero* vim suam porrigit ad v. 14. *Fidelis* est Deus in praestanda ope, quam et verbum ejus et pristina opera *pollicentur*. — πειρασθῆναι,

---

1) *Lectionem* τυπικῶς, *in margine* Ed. 2. *a signo* ι *ad signum* γ *elevatam, exhibet* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

tentari) ab hominibus aut daemoniis. — δύνασθε, *potestis*) scil. *sufferre*. ex fine v. — σὺν, *cum*) Deus nos sinit modice tentari: et simul exitum providet. — καὶ, *etiam*) indivulso nexu. — ἔκβασιν) *exitum*, qui fit paulatim, etiam dum aliqua *sufferenda* restant. Idem vocabulum, Sap. 2, 17. 8, 8. 11, (14.) 15.

v. 14. ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας, *ab idololatria*) Consequens ponitur, quo magis deterreantur Corinthii, pro antecedente: id est, fugite idolothyta, eorumque usum religiosum, quatenus sunt idolothyta. Hac cautione praemissa, usum eorum civilem licitum quidem esse, sed tamen hunc quoque cautum esse debere, docet v. 23. ss.

v. 15. φρονίμοις, *prudentibus*) quibus pauca verba, de hoc arcano, sufficiunt ad *judicandum*. — κρίνατε ὑμεῖς, *judicate vos*) vobis relinquo judicandum.

v. 16. τὸ ποτήριον, *poculum*) Poculum ponitur ante panem; quia considerationi *cibi* magis ex instituto immoratur, v. 21.: ponitur tamen, quia inseparabile. Ordo hic commutatus argumento est, corpus Christi seorsum accipi, non quatenus sanguinem habet concomitantem. In mentione alimenti magis spectatur cibus, quam potus: sed in mysterio redemtionis saepius nominatur sanguis, quam corpus Christi. Hinc ordo promiscuus Paulo. — τῆς εὐλογίας, *benedictionis*) Eo distinguitur a poculo communi. Matth. 26, 27. — ὃ εὐλογοῦμεν, *cui benedicimus*) Plurale, ut in *frangimus*. subaudi, *nos*, antistites et fideles, pro sua quisque parte, conf. c. 5, 4. Omnes, qui simul benedicunt, et frangunt, eo arctius ingrediuntur in communionem. — κοινωνία, *communio*) Praedicatum hoc in abstracto positum indicat, Subjectum item in abstracto debere accipi: *poculum, quo utimur*, i. e. *usus poculi*. (conf. Marc. 7, 30. not.) qui de hoc poculo bibit, est particeps sanguinis Christi. sic v. 18., *edentes*. Innuitur summa realitas. coll. v. 19. not. — τοῦ αἵματος, *sanguinis*) effusi. Porro qui particeps est sanguinis et corporis Christi, particeps est etiam sacrificii in cruce peracti, conf. v. 18., particeps denique ipsius Christi. conf. oppositum, v. 20. fin. — τὸν ἄρτον) Similis constructio, c. 7, 17. LXX, Num. 32, 4. Hic denuo subauditur τῆς εὐλογίας, panis *benedictionis*. — τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ, *corporis Christi*) *corporis*, pro nobis traditi. conf. oppositum, v. 20. init. Corpus Christi est etiam ecclesia, v. seq. sed hic innuitur ipsum corpus Christi, cui *sanguis* contradistinguitur.

v. 17. ὅτι, *quoniam*) Probat, poculum et panem esse *communionem*. nam panis per se non facit, ut vescentes sint unum corpus; sed panis id facit, quatenus est *communio etc.* — εἷς ἄρτος, *unus panis*) scil. *est*. [*et quidem talis, qui frangitur, corporisque Christi* communionem *infert*. V. g.] — οἱ πολλοὶ, *multi*) fideles. — ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου, *ex uno pane*) adeoque etiam ex uno calice.

v. 18. τοῦ θυσιαστηρίου, *altaris*) adeoque *Dei*. Is, cui offertur, ea, quae offeruntur, altare, super quo offeruntur, communionem habent: uti patet ex versibus sequentibus. conf. Matth. 23, 20. s.

v. 19. τί, *quid*) In protasi posuit argumentum a sacris christianis et judaicis: nunc apodosin daturus, προθεραπείαν adhibet per occupationem, ipsamque apodosin εὐλαβῶς, in v. 20., implicite ponit: qui idolothyta edit, communionem, cum daemoniis, colit. *Idolum* [1]) est lignum, praeterea nihil: idolothytum, est frustum carnis, praeterea nihil: at poculum illud et ille panis, de quibus v. 16., non est merum poculum, non panis merus.

v. 20. ἀλλ', *sed*) scil. *dico*. — δαιμονίοις, *daemoniis*) prae idolis. — κοινωνοὺς, *socios*) Qui sacrificiis gentium, daemonia invitantibus, aderant, daemoniis fenestram aperiebant ad sese invadendos. — θεῷ, *Deo*) in cujus communione esse debetis. Deut. 32, 17.: ἔθυσαν δαιμονίοις, καὶ οὐ θεῷ. Conf. Baruch 4, 7.

---

1) *Inverso ordine*, εἰδωλόθυτον *praeponendum*, εἴδωλον *postponendum esse*, utriusque Ed. *margo innuit: sed lectionem textus* Vers. germ. *sequitur*. E. B.

Digitized by Google

v. 21. οὐ δύνασθε) ***non potestis***, sine maximo peccato. — κυρίου, ***Domini***) Christi. — τραπέζης κυρίου, ***mensae Domini***) S. Coena convivium est, non sacrificium; in mensa, non in altari.

v. 22. παραζηλοῦμεν) ***irritamus***? nempe per idololatriam. v. 7. Ex. 20, 5. Affine הלאות ἀγῶνα παρέχειν. Es. 7, 13. Sic Deut. cap. cit. v. 21., αὐτοὶ παρεζήλωσάν με ἐπ᾽ οὐ θεῷ. — ἰσχυρότεροι, ***validiores***) ut effugere possimus ***zelum*** ejus accensum? [Debilior ***citra periculum irritatur: secus***, validior. V. g.]

v. 23. συμφέρει, ***conducunt***) v. 33. Potestas, qua ἔξεστιν omnia, datur a ***Deo***: συμφέρον, utilitas est ***mea***: οἰκοδομὴ, aedificatio, est ***alterius***.

v. 25. [1]) μηδὲν ἀνακρίνοντες, ***nihil dijudicantes***) utrum sit idolothytum, nec ne. Saepe curiositas plus nocet, quam simplicitas. — διὰ τὴν συνείδησιν, ***propter conscientiam***) alienam, v. 29. cui consulitur taciturnitate, ne commoveatur.

v. 26. τοῦ κυρίου, ***Domini***) non ***idolorum***. Ps. 24, (23) 1., τοῦ κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. Ps. 50, (49) 12., ἐμὴ γάρ ἐστιν ἡ οἰκουμένη καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. — πλήρωμα, ***plenitudo***) etiam omnes cibi.

v. 27. θέλετε πορεύεσθαι, ***vultis ire***) Id Paulus non valde probat, nec prohibet.

v. 28. τὸν μηνύσαντα καὶ τὴν συνείδησιν, ***indicantem et conscientiam***) ἓν διὰ δυοῖν. μηνύω notat indicium rei serium.

v. 29. τὴν ἑαυτοῦ, ***tuam ipsius***) coll. v. praec. vel potius, quia ibi sermo est in plurali, ***meam ipsius***, coll. eo, quod mox sequitur. — ἑτέρου, ***alterius***) de quo v. 28. — ἡ ἐλευθερία μου, ***libertas mea***) i. e. ***ego, cum libertate*** conscientiae meae. sic mox, ***ab aliena conscientia***, ab alio, cum ejus conscientia impedita. — κρίνεται, ***judicatur***) i. e. conscientia illius infirma non potest meam conscientiam libertate privare. — ἄλλης) ***aliena***. Hoc vim habet majorem, quam si dixisset, ***alterius***.

v. 30. ἐγὼ, ***ego***) Hoc facit ad ***potestatem***. — τί βλασφημοῦμαι; ***quid blasphemor***?) ab eo, qui libertatem non capit. i. e. nemo potest me ***reprehendere*** (sed gravius est βλασφημεῖν) quasi contra ***meam*** conscientiam faciam. — ὑπὲρ οὗ, ***pro quo***) i. e. cur pro mea gratiarum actione mihi probra ingeruntur? — εὐχαριστῶ, ***gratias ago***) Gratiarum actio cibum omnem sanctificat: auctoritatem idolorum, negat; Dei, asserit. 1 Tim. 4, 3. s. Rom. 14, 6.

v. 31. εἴτε, ***sive***) Magnum axioma. Conf. Jer. 22, 15. 16. — εἴτε τι ποιεῖτε) ***sive facitis aliquid***, quod vel magis vel etiam minus commune sit, quam edere et bibere. [***Summae aequitatis est, in omnibus verbis nostris factisque considerare, num in DEI gloriam cedant***. 2 ***Cor***. 9, 12. 1 ***Petr***. 4, 11. V. g.] — εἰς δόξαν θεοῦ, ***in gloriam Dei***) cum gratiarum actione et proximi aedificatione.

v. 32. τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ, ***ecclesiae Dei***) ecclesiae sanctae, ex Judaeis et gentibus vocatae. Eadem appellatio, c. 11, 16. 22.

v. 33. πάντα) κατὰ πάντα. — πᾶσιν, ***omnibus***) Judaeis, Graecis, Christianis. — ἀρέσκω, ***placeo***) in conscientia illorum. — ἵνα σωθῶσι, ***ut serventur***) Ex eo dijudicandum ***utile***.

CAPUT XI.

v. 1. Μιμηταί μου, ***imitatores mei***) Hunc versum priori addit, ut ostendat, summum exemplum esse Christi, non suum. — χριστοῦ, ***Christi***) qui ***non sibi ipsi placuit***, Rom. 15, 3., sed se ipsum saluti nostrae impendit. Eph. 5, 2.

v. 2. ἐπαινῶ, ***laudo***) [***Veri limites capitum***. Not. crit.] Non alibi tam expresse laudat Paulus ullos, ad quos scribit: hic autem scribere instituit de re quapiam, quae proprie non cadit sub παραγγελίαν. conf. v. 17.: qua in re si tamen

---

1) πᾶν, *omne*] ad differentiam ciborum quod attinet, v. 26. *V. g.*

Digitized by Google

rationibus ab ipso allatis, et mori sanctorum, v. 16., quem ut stringentiorem postremo ponit, obsecuturi sint, *laude* dignos fore statuit Corinthios, neque eos aut *Petri aut suam indignationem incursuros* esse edicit. — πάντα) κατὰ πάντα. — μου, *mei*) Constr. cum *meministis;* vel cum *omnia*, c. 16, 14. — παρέδωκα — παραδόσεις, *tradidi — traditiones*) Hoc dicitur de doctrinis sive coram sive per literas impertitis, sive ad mysteria sive ad ritus spectent: v. 23. c. 15, 3. 2 Thess. 2, 15. magis tamen de ritibus. Versu 23. dicit, se, de coena dominica, et accepisse et tradidisse: sed hoc loco tradidisse se dicit; accepisse, non dicit.

v. 3. δὲ, *autem*) De hac re Paulus antea Corinthiis nihil videtur praecepisse, sed nunc primum, cum opus esse intelligeret, scripsisse. *volo*, apertam facit professionem animi. — ὅτι, *quod*) Etiam ritualia ex moralibus resolvenda, ut eis congruant. Dices: Quomodo virum ad aperiendum caput, mulierem ad operiendum movet una eademque capitis (i. e. Christi virive) ratio? Resp. Christus non conspicitur: vir, conspicitur. sic velamen ejus, qui Christo subest, non conspicitur; ejus, quae viro subest, conspicitur. — ἀνδρὸς, γυναικὸς, *viri, mulieris*) etiamsi non vivant in matrimonio. v. 8. seq. — ἡ κεφαλὴ, *caput*) Alludit haec appellatio ad caput proprie dictum, de cujus habitu agit. v. seq. Affine illud vulgatum, *Principal.* Articulus ἡ mox bis est ex hoc inciso subaudiendus. — κεφαλὴ χριστοῦ, *caput Christi*) c. 3, 23. 15, 28. Luc. 3, 23. 38. Joh. 20, 17. Eph. 3, 9., ubi Deus omnia per Christum condidisse dicitur: ergo Christi caput est. — ὁ θεὸς, *Deus*) v. 12.

v. 4. προσευχόμενος ἢ προφητεύων, *orans aut prophetans*) praesertim in *ecclesia*, v. 16., et *conventu*. v. 17. — κατὰ κεφαλῆς, *in capite*) Habitus capitis, partis praecipuae, toti corpori dignitatem affert. [Facies *inprimis, ubi de velamine sermo est, spectatur.* V. g.] — ἔχων) *habens*, i. e. *si habeat.* Viri Corinthii non velabantur: et in eo ipso mulieres imitabantur viros. ad eas ergo refutandas Paulus conditionate loquitur de viro. — τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, *caput suum*) caput, proprie dictum, ut modo hoc versu, coll. not. ad v. 6. Alias vir operto capite orans, plus peccaret in Christum, quam mulier in virum, capite aperto.

v. 5. πᾶσα δὲ γυνὴ, *omnis vero mulier*) δὲ *vero* facit epitasin. Toto hoc loco mulier potissimum, Corinthia praesertim, admonetur. — προσευχομένη ἢ προφητεύουσα, *orans aut prophetans*) Ergo ab his officiis mulieres non plane sunt exclusae: certe Corinthiae id faciebant, quod quatenus liceat, Paulus differt ad cap. 14., nempe extra conventum solenniorem. — ἀκατακαλύπτῳ, *non velato*) Velamen natura poscit: sed sinciput cum facie, et occiput, quousque velandum sit, moribus populorum relinquitur. Verisimile est, Jesum et discipulos ejus fuisse operto capite, Israëlitico more. unde regula non est universalis, neque antiquior Paulo. Et παράδοσις erat, non regula stricte dicta, sed institutum, *eine Verordnung.* Quaeritur hoc loco, quid de *Capillamentis* habendum sit? Primum ea pro περιβολαίῳ sive tegmine capitis non habenda videntur: nam sunt comae imitamentum, et, ubi ea tenuior, supplementum, hodie interdum valetudinis causa prope necessarium, ac faciem nihilo magis velant, quam capillus cujusque viri proprius: neque enim, si mulieres talibus uti solerent, eae pro sat velatis haberentur. Itaque caput viri vix magis, dum orat, quam dum non orat, per ea dehonestatur. Revera tamen capillamentum, prolixum praesertim et silvae suae luxuria a similitudine comae naturalis degenerans, est quiddam adventitium, et ortum aetatemque habet a superbia vel certe a mollitie vel voluntaria vel falsam necessitatem contrahenti: *ab initio non erat sic; neque ita semper erit.* Paulus, si hodie eum consulere possemus, eos, credo, qui capillamenta jam gerunt, non cogeret protinus ex toto abjicere; sed eos certe, qui nondum gerere coeperunt, ut quiddam viros eosque orantes minime decens, in perpetuum dedoceret. — ἑστι, *est*) Talis mulier non differt a rasa.

v. 6. κειράσθω, *tondeatur*) Quale occiput est natura in viro et muliere; tale fere sinciput esse decet cultu. v. 14. s. Imperativus permittens, sed permissio habens mimesin sive deductionem ad inconveniens. Dedecet rasura moniales. — αἰσχρὸν, *turpe*) Sic, *dedecus*, v. 14. Oppositum, *decorum*, v. 13.: *gloria*, v. 15. — τὸ κείρασθαι ἢ ξυρᾶσθαι) Hoc plus est, quam illud. Mich. 1, 16., ξύρησαι καὶ κεῖραι. ξυρᾶται sinciput: κείρεται occiput. Gradatio apud Micham, l. c. sequitur, in *latitudine* rasurae.

v. 7—10. οὐκ ὀφείλει κτλ., *non debet etc.*) Magis liber est viro, praesertim extra actum orandi et prophetandi, habitus capitis, quam mulieri. — κατακαλύπτεσθαι, *velari*) Versus 7. et 10. exactum habet antitheton. Observa primum, *non debet* et *debet*. deinde aspice diagramma: Vir *non debet* velari: quia vir est *A* imago Dei *B* et gloria Dei. at mulier *debet* velari: *C* quia est gloria viri; *D* et propter angelos. Vir, inquit, est imago Dei; subaudi, *et Christi*, ex v. 3. (vid. v. 8. coll. v. 12. ἐκ, *ex*, de viro et de Deo; at διὰ, *per*, de muliere:) non solum propter ipsam potestatem in mulierem, sed etiam propter potestatis causas, scil. quia mulier est ex viro: est autem ex viro, *quia* (γὰρ) propter virum condita est. At vir propius et ex Deo et sub Deo est; et sic Deum repraesentat. Porro quia vir est imago Dei, est idem gloria Dei. *conf. gloria*, 2 Cor. 8, 23. *Mulier autem est gloria viri:* quia vir caput et dominus mulieris. Non, *imago et gloria viri*; sed tantum, *gloria viri*, ait, sermonem quasi suspendens. Gloriam autem viri esse probat v. 8. et 9. quasi per parenthesin: ex quo etiam colligi potest, cur vir sit *imago et gloria Dei*. Nunc quum mulier est gloria viri, posset eadem dici imago viri: sed hoc Paulus alio sermone rependit, et ait, *propterea*, quia scil. mulier est gloria viri, debet velari *propter angelos*. etenim in diagrammate, quod modo posuimus, *D* habet se ad *A*, uti *C* ad *B*. Hujus brevissimi noëmatis sententia [*in notis ad* Vers. germ. *eodem prorsus modo expressa*,] ex ipsis verbis adjectis elici debet: mulier *se tegat* propter angelos, i. e. quia etiam angeli teguntur. sicut ad Deum se habent angeli: sic ad virum se habet mulier. Dei facies patet: velantur angeli. Es. 6. Viri facies patet: velatur mulier. Neque eo pacto vir supra angelos effertur: sed consideratur duntaxat, quatenus Deum repraesentat erga mulierem, quod de angelis dici nequit. Velari autem maxime debet mulier orans et prophetans. nam viri prae muliere est orare et prophetare: quum ergo mulier eas partes sumit, tum maxime opus est aliqua protestatione, mulierem tamen viro inferiorem esse merito libenterque. Externusque corporis habitus, humilitatem cordis, angelis non pervii, ostendens, et ordo, ipsos angelos delectat: qui etiam ordinem tuentur, et res humanas spectant in ecclesiae coetu: c. 4, 9. Eph. 3, 10. conf. Eccl. 5, 5.: ubi LXX πρὸ προσώπου θεοῦ· ab angelis ad increatum angelum concluditur ut a minori ad majus. adde Ps. 138, 1. Sin minus, mulier ea deformitate offendit angelos, Matth. 18, 10. 31. Offendere autem angelos eo minus debet, quia mulier etiam aliquanto magis, quam vir, tutela angelorum eget. Eget autem magis, ob infirmitatem propriam, perinde ut minores. Matth. l. c. coll. not. ad Greg. Thaum. Paneg. 160. sicut etiam *daemones* magis insidiantur mulieri, 2 Petr. 2, 19. fin. cum seductione et devictione proportionem habet jus adversus seductum et devictum. atqui mulier prior devicta fuit. *vel etiam* eam magis appetunt impuri illi quamlibet spiritus, quos ob pabuli aviditatem Graeci φιλούλους vocant. conf. Matth. 8, 31. 12, 43. Haec magna viri prae muliere excellentia temperatur versu 11. 12., per ἐπιθεραπείαν, ne vir se efferat, neve mulier se contemtam putet. Jac. Faber Stapulensis: *Vir immediate factus est a Deo, imago et similitudo Dei, ad ejus gloriam: mulier vero mediante viro, quasi velamine inter eam et Deum posito. medium enim, ut interstitium et velamen quoddam est. Ad quod mysterium designandum, cum vir se convertit ad Deum, quod maxime aut orans aut prophetans facit, detecto*

capite, quasi nullum inter se et Deum velamen habens, suae creationis honorem, ut est, Deo offerens, id facere debet: mulier autem capite velato, suam creationem agnoscens, et ut decet, honorem Deo offerens: secundo loco, et gloria viri intermedia. est enim vir prima et immediata gloria Dei: mulier mediata et secunda, et immediate gloria viri, et ipsius viri gratia facta. Idem Stapulensis: *Et vir et angeli*, inquit, *immediate creati sunt a Deo; et ideo nullum velamen in hujus rei symbolo debet habere vir, cum convertitur ad Deum, non secus ac angeli: at mulier non solum propter virum habere debet, sed etiam propter angelos. superbia enim esset, si creationem suam angelis faceret aequam, cum hanc potestatem habeat mediante viro. Quid est enim, mulierem potestatem habere, et debere quidem habere in capite, nisi mediante viro, mediante capite, qui vir ejus est?* Haec cordatus lector ad nostra dextre attemperabit.

v. 8. οὐ γὰρ, *non enim*) Sicut ad primum virum se habet mulier sua; sic totum genus mulierum ad viros. — ἐξ ἀνδρὸς, *ex viro*) ex viri costa.

v. 10. ὀφείλει, *debet*) Hoc verbum differt a δεῖ, *oportet*. ὀφείλει notat obligationem, δεῖ necessitatem; illud morale est, hoc quasi physicum: ut in vernacula *wir sollen und müssen*. — ἐξουσίαν ἔχειν) *potestatem habere, super capite*. Ex antitheto illo versus 7. et 10. patet, *potestatem* idem esse, quod κάλυμμα, *tegumentum*. sic Gen. 20, 16., כסות עינים LXX, εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σου· *in tegmen*, i. e. in testimonium intemeratae castitatis matrimonialis. E diverso caput mulieris e viri *potestate* per adulterium egressae vel certe ea de re suspectae ἀποκαλύπτειν *aperire* jussus est sacerdos, Num. 5, 18. Cum utroque loco illo congruit praeclare hic locus: tantum ἐξουσία *potestas* vocabulum aptius hic fuit, quam τιμὴ, *honor*. Nec plane alienum fuerit conferre illud Ps. 60, 9.: *Ephraim robur capitis mei*. Ἐξουσίαν dicit Paulus per metonymiam elegantem, signi pro signato; vel etiam clementem, relati, pro correlato, ὑποταγὴ aut simili: nisi potius est signum, quo protestetur et confiteatur mulier, se, quanquam oret ac prophetet, tamen viro esse inferiorem; qua demum conditione *potestas* ei obtingit orandi et prophetandi, sine signo illo non exercenda. Atque haec appellatio eo est convenientior, quod affinis est τῷ δόξα, *gloria*, v. 15. et ἐξουσία etiam de angelis dicitur.

v. 11. ἐν κυρίῳ, *in Domino*) *in Christo*, per quem et vir et mulier et conditi et redemti sunt. Respectu Christi, h. l. et respectu Dei, v. seq. jam magis disparet differentia viri et mulieris, Gal. 3, 28., quam respectu angelorum. Itaque versus 9. 10. 11. et 12. in clausulis sibi eleganter respondent.

v. 12. ἡ γυνὴ ἐκ τοῦ) Hic duntaxat et v. 10. adduntur articuli. In v. 10. est relativa vis ad v. 9., et in versu 12. ad v. 11. — ἐκ — διὰ, *ex — per*) Differunt particulae. mox, de Deo, etiam *ex* dicitur. — πάντα, *omnia*) vir, mulier, et alterius utrius mutua ab altero dependentia.

v. 13. ἐν ὑμῖν αὐτοῖς, *in vobis ipsis*) sine longa explicatione. — ἔστι) *estne?* Directa interrogatio, uti c. 6, 5. — γυναῖκα — τῷ θεῷ, *mulierem — Deo*) Exprimit Paulus saltum, quem mulier non velata faciat, et *virum* et *angelos* praetergrediens. Egregia hypotyposis, quamlibet brevis.

v. 14. οὐδὲ αὐτὴ) *ne ipsa quidem* natura, ex qua facillime omnes discunt.— ἡ φύσις) *natura*, ejusque de decoro lumen. — ἐὰν κομᾷ) *si* magnam *habeat comam*, instar *tegminis*. non enim plane tonsus esse jubetur. — ἀτιμία, *dedecus*) scil. si id sine causa faciat. nam interdum etiam viros decet coma. Num. 6, 5. 2 Sam. 14, 26. Act. 18, 18. Qui comam quamlibet longam habebat Nazir, debuit eam retinere.

v. 15. ἀντὶ περιβολαίου, *pro tegmine*) Non quin accedere debeat *tegmen*

Digitized by Google

artificiale: sed quod coma prolixior documento sit, capitis quam maxime velandi. naturae debet respondere voluntas. — δέδοται, [1]) *data est*) per naturam.

v. 16. εἰ δὲ, *sin autem*) Praecisio, uti c. 14, 37. Perspicit Paulus, nonnulla posse excipi: sed ea reprimit auctoritate. — δοκεῖ φιλόνεικος, *videtur contentiosus*) Talis disputator putaret, se recte contendere: sed Paulus appellat *contentiosum*. hoc dicit: *si quis vult contendere, idque se jure facere autumat*. Habet haec periocha aliquid ad Corinthios modestiam docendos potius, quam ad omnes obligandos spectans. conf. 2 Cor. 2, 9. Nam inprimis φυσίωσιν eorum compescit. conf. c. 14, 34—38. — ἡμεῖς, *nos*) doctores vestri, ex Hebraeis. — συνήθειαν, *consuetudinem*) ut mulier caput non tegat, orans praesertim. — αἱ ἐκκλησίαι τοῦ θεοῦ, *ecclesiae Dei*) quae non contemni debent. c. 14, 36.

v. 17. τοῦτο) *hoc*, quod sequitur. — παραγγέλλω, *jubeo*) Domini nomine. v. 23. Cap. 14, 37. — οὐκ ἐπαινῶν, *non laudans*) Oppositum: *laudo*. v. 2. Hoc antitheto duae partes hujus capitis arcte connectuntur. in altera erant probi; in altera peccabant Corinthii. — εἰς τὸ κρεῖττον, *in melius*) Conventus fidelium semper debebat proficere in melius. — εἰς τὸ ἧττον, *in deterius*) adeoque *in judicium*. v. 34. Initio Paulus loquitur mitius. Paronomasia, κρεῖττον, ἧττον.

v. 18. πρῶτον, *primum*) Hoc, non subsequente *deinde*, moratam facit orationem. Conventus etiam in usu charismatum poterat apud Corinthios fieri in melius. c. 14. — ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, *in ecclesia*) *Ecclesia* hic vergit ad significationem loci. ἐπὶ τὸ αὐτὸ, v. 20. [*ubi omnia ad concordiam fas est componi*. V. g.] — σχίσματα) *schismata*, non modo in sensibus, c. 1, 10., sed etiam in coetibus, v. 21. — μέρος τι, *ex parte*) Excipit innocentes: et miti sermone utitur. — πιστεύω, *credo*) salvo amore. c. 13, 7.

v. 19. καὶ αἱρέσεις, *etiam haereses*) *Schismata* et *haereses* hoc loco de una re dicuntur; neque *etiam* pertinet ad faciendum discrimen; sed hoc significat: non modo multa bona, neque modo *offendicula*, c. 8, 9., sunt penes vos, sed etiam haereses sive diversas sententias et plerunque nascentia ex iis schismata esse oportet. Harum necessitas tum et est, et conducit piis, ubi admixti eis sunt *minus probati*. Schisma est discessus mutuus; haeresis, discessus unius partis, ab unitate ecclesiae, vel in fide, vel in cultu. — οἱ δόκιμοι, *probati*) Tales ergo certe nonnulli erant. Sermo ἀστεῖος· nam voluit dicere: ut *minus probati* fiant palam.

v. 20. συνερχομένων οὖν ὑμῶν, *convenientibus ergo vobis*) *Ergo* facit ad reassumendum sermonem v. 18. — οὐκ ἔστι φαγεῖν) *non est edere*. i. e. *non contingit edere:* esus impeditur, videlicet, quia panis avertitur. ideo notanter ait, *edere*. Locutio indefinita. [*Man kommt nicht dazu, wegen Abgang des Brots und Weins*. Not. crit.] Interdum perveniebant ad coenam dominicam ipsam edendam: v. 26. interdum excludebantur, nonnulli certe, qui tardius adveniebant, non exspectati. v. 33. Sic ἐστὶ cum infinitivo, Hebr. 9, 5. Sic non semel Chrysostomus. vid. ad l. 2. de Sacerd. p. 388. Similis usus verbi γίνεται. Act. 20, 16. Sic אין לשמור 2 Chron. 5, 11. אין לבוא Esth. 4, 2. οὐκ ἔστιν ἄραι· LXX, 1 Chron. 15, 2. οὐκ ἔστι πρός σε ἀντιστῆναι, 2 Chron. 20, 6. et plane Gen. 6, 21., καὶ ἔσται σοι καὶ ἐκείνοις φαγεῖν. — κυριακὸν, *dominicam*) Antitheton: *propriam* v. seq.

v. 21. ἕκαστος, *unusquisque*) G. Raphelius: *Moris fuit Athenis*, inquit, *Socratis aetate, ut, qui ad coenam conveniebant, ipsimet singuli aliquid obsonii afferrent: quod non semper in commune apponebant, sed plerumque quisque suo vescebatur*. inde inducto Xenophontis testimonio, infert: *Quem*

1) *Voc.* αὐτῇ, *cujus omissio per marginem* Ed. 2. *a signo* γ *ad signum* ε *detrusa est, exhibetur in* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

morem, indicio est hic ipse apostoli locus, illa etiam tempestate a Corinthiis, jam Christianis, eatenus servatum fuisse, ut celebraturi S. Coenam, si non alios etiam cibos, panem certe et vinum in ecclesiam afferrent, ex quibus deinde partes sumebantur, quae consecrabantur in eucharistiam. Primum enim ἴδιον δεῖπνον *vocat Paulus sine dubio, quem quisque cibum domo attulerat, in quem quasi jure suo irruebant, non exspectatis ceteris. Deinde* οἱ μὴ ἔχοντες v. 22. *non alii possunt intelligi, quam tenuiores, in quorum conspectu non sine contemtu ipsorum intemperanter epulabantur ditiores, ante distributionem coenae dominicae, cujus fruendae causa aderant pauperes, cibis nullis praeterea sibi paratis.* — προλαμβάνει, *praesumit*) cum deberet exspectare, v. 33. — ἐν τῷ φαγεῖν, *in edendo*) Sermo de pastu corporis, v. 33. s. a quo S. Coena longissime differt. — καὶ, *et*) *et alius quidem* (non habens) *esurit* (et sitit:) *alius vero* (habens, saturatur et) *ebrius est.* Alter plus justo habet sibi, alter minus.

v. 22. γὰρ, *enim*) Interrogando urget. — οἰκίας, *domos*) v. 34. — τῆς ἐκκλησίας, *ecclesiam*) cujus melior pars, pauperes. Jac. 2, 5. — τοῦ θεοῦ, *Dei*) Dignitas ecclesiae. — καταφρονεῖτε, *contemnitis*) quum id, quod *domi* facere poteratis, in ecclesia facitis seorsum. — μὴ ἔχοντας, *non habentes*) *Habentes*, locupletes: *non habentes*, egeni. — οὐκ ἐπαινῶ, *non laudo*) Μείωσις. Valde reprehendendi estis.

v. 23. ἐγὼ γὰρ παρέλαβον, *ego enim accepi*) immediate. *Magna ergo veneratione ad id augustissimum mysterium accedere oportet, quod, dum in terris adhuc esset, instituit Dominus, ut ex Matthaeo, Marco et Luca aperte cognoscitur: et quod, ubi coelos scandit, revelatione sancto apostolo ejus Paulo facta, adhuc innovavit.* Jac. Faber Stapulensis. — ἀπὸ τοῦ κυρίου, *a Domino*) Jesu Christo. — παρέδωκα, *tradidi*) coram. — ὁ κύριος ἰησοῦς, *Dominus Jesus*) Hoc, *Jesus*, considerate additur. Modo dixerat, *a Domino*. — ἐν τῇ νυκτὶ, *in nocte*) Inde *Coena* dicitur. Conf. Ex. 12, 6. quanquam de agno paschali tempus diei expresse praeceptum est; de Eucharistia, non item. — ᾗ παρεδίδοτο, *qua prodebatur*) Hoc plane considerate sic effertur. nam proditio abrupit conversationem Jesu cum discipulis. conf. not. ad v. 26.

v. 24. ἔκλασε, *fregit*) Ipsa fractionis mentio, distributionem involvens, refutat *proprietatem* Corinthiacam. v. 21. — τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *quod pro vobis frangitur*) Apud Lucam, *quod pro vobis datur.* In S. Coena, cum pane *fracto*, corpus Christi, quod pro nobis in mortem datum est, sumitur et editur, tanquam verus cibus: quanquam nisi *fractio* panis tum communi pridem usu recepta esset, Dominum adhibiturum eam fuisse, nemo spoponderit. Passio natura prior est, quam eucharistia: ideo institutio S. Coenae quam proxime ante mortem Christi facta est. Itaque corpus Christi dicitur *datum* respectu passionis per se: *fractum*, respectu passionis corpus Dominicum ad edendum aptantis; et τὸ *datum* connotari, docet τὸ *pro vobis*, ut sit locutio concisa, hoc sensu, *Quod pro vobis* datur et vobis *frangitur*. Haec ad communem quidem lectionem, quae habet κλώμενον, ex verbo ἔκλασε proxime praecedente: sed Alexandrina lectio non habebat participium, ut patet ex libro *Cyrilli* contra Nestorium quarto; [1]) unde alii supplevere διδόμενον, ex Luca. Nervosa sententia, *corpus meum, quod pro vobis:* uti Joh. 6, 51. in codd. vet. *caro mea pro mundi vita.*

v. 25. μετὰ τὸ δειπνῆσαι, *post coenam*) Itaque vos, Corinthii, a Sacra

---

1) *Hinc et participium* κλώμενον, *et imperativus praecedens*, λάβετε φάγετε, *tum in margine* Ed. 2. *infirmioribus lectionibus, mutata Crisi, annumerantur, tum dubie ponuntur in* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

Coena debetis sejungere epula communia. — ὁσάκις, *quoties*) Non praecipitur, *quoties:* sed saepe edendum ac bibendum esse, indicatur. — πίνητε, *bibatis*) hoc poculum. v. 26. — εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *in mei memoriam*) Hoc Matthaeus et Marcus praesupponit: Lucas semel ponit; Paulus bis, quia ad institutum ejus maxime facit. Sacrificia vetera faciebant ad *memoriam peccatorum:* Hebr. 10, 3. sacrificium corporis Christi, semel peractum, recolitur per *memoriam remissionis.*

v. 26. τὸν θάνατον τοῦ κυρίου, *mortem Domini*) *mortem*, qua Christus immolatus est pro nobis. [*et sanguis ejus a corpore separatus. Hinc sigillatim,* Hoc est corpus meum, *inquit, et sigillatim,* Hic est sanguis meus. V. g.] Sic quoque in apocalypsi *agnus* ut *mactatus* memoratur. — καταγγέλλετε, *annunciatis*) Indicativus, cum *enim*, refertur ad *tradidi.* v. 23. Corinthios ex ipsa eorum praxi qualicunque convincit. *annunciantur* nova: et mors Domini semper nova esse debet memoriae nostrae. Ex. 13, 8., καὶ ἀναγγελεῖς, *et annunciabis:* de Paschate. unde lectio illa paschalis dicitur הגדה *annunciatio.* Etiam *Syro* est indicativus. — ἄχρις οὗ, *usque dum*) Hoc deducit Paulus ex particula ἕως Matth. 26, 29. Quicquid nobis per abitum Christi decedere videtur, id per S. Coenam quasi per quiddam aequivalens compensatur, ut a discessu Domini ex oculis credentium, usque ad adventum ejus visibilem et gloriosum, Ipsum, quem tantisper non videmus, tamen habeamus. *Quod Redemtoris nostri conspicuum fuit, in sacramenta transivit.* Leo M. sermo. 2 de ascens. Ideo dicitur, *in mei recordationem:* qua recordandi ratione non opus fuit, quamdiu ipse cum discipulis fuit; unde etiam S. Coenam non citius instituit, sed ea nocte, qua proditio conversationem Jesu in terra visibilem abrupit: tum vero instituit, ne cum visu etiam memoria intermitteretur. Quaeres: cur non instituerit S. Coenam illis XL diebus inter resurrectionem et ascensionem? Resp. 1) Quia maxime pertinet ad memoriam *mortis* ejus. 2) Sacra Coena est specimen communis quasi convictus cum Christo in coelo: at post resurrectionem suam Christus non edit et bibit cum discipulis; sed tantum edit, et eo tantum fine, ut eos convinceret de se ipso vere resuscitato et praesente. Haec memoria est intima et vividissima, ut est liberorum erga parentes, sponsae vel conjugis erga maritum, fratris erga fratrem, cum fide, amore, desiderio, spe, gaudio, obsequio conjuncta, summam status christiani complexa. Haec ratio viget a clausula ultimi cum discipulis convivii usque ad adventum Matth. 26, 29. Hoc mysterium duo tempora extrema conjungit. — ἂν) quocunque tempore fiat adventus. [1]) Tum *bibetur novum.* Matth. 26, 29. — ἔλθῃ) *venerit,* in gloria. c. 4, 5. Non dicitur *reditus.* Act. 1, 11. not.

v. 27. ὥστε ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον τοῦτον ἢ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ κυρίου ἀναξίως) Pridem ἢ legerunt aliqui pro καὶ, sed manet [2]) καὶ, ut in eo quod subsequitur, *corporis ET sanguinis.* Ex particula ἤ Pamelius ad Cyprianum de Lapsis frustra necessitatem communionis sub utraque specie impugnat. Particula disjunctiva, si quis Paulum ea usum putat, tamen non separat panem et calicem: alias posset calix aeque sine pane, ac panis sine calice sumi. Paulus bis, et cum pane, et cum calice, *recordationem* Domini Jesu, verbis Ipsius, postulat: v. 24. 25. at apud Corinthios, in ea ratione, qua coenam dominicam celebrabant, poterat aliquis simul et panem hunc edere et calicem Domini bibere, et tamen seorsum panem hunc indigne edere, *vel* calicem hunc indigne

---

1) *Immo vero hanc ipsam particulam* ἄν *omittendum potius per codices esse*, utriusque Ed. *margo*, *consentiente* Vers. germ., *innuit.* E. B.

2) *Recentiorem hanc* ἐπίχρισιν, *a crisi* Ed. maj. *abludentem*, *confirmat margo* Ed. 2., *cum* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

bibere, Domini recordatione in alteram utram duntaxat partem violata. v. 21. Quodsi quis jam tum in illa confusione apud Corinthios panem sine calice, vel calicem sine pane sumsit, ob id ipsum indigne sumsit, et reus est factus corporis et sanguinis Domini. — ἀναξίως, *indigne*) Id faciunt, non modo qui plane poenitentia et fide carent, sed qui se non probant. Alia est indignitas edentis, alia esus. *Quidam sane dicunt, quia non indignum, sed indigne accipientem revocet a sancto. Si ergo etiam dignus indigne accedens retrahitur, quanto magis indignus, qui non potest accipere digne?* Pelagius inter opera Hieronymi.

v. 28. δοκιμαζέτω, *probato*) dijudicando se ipsum, dijudicando corpus Domini. v. 29. 31. — ἄνθρωπος, *homo*) quilibet, c. 4, 1. et, per se, indignus. — οὕτως) *sic* demum. — ἐκ τοῦ) Praepositio exprimit circumspectum animum: at τὸν ἄρτον, τὸ ποτήριον, facit sermonem indiscretos exprimentem. v. praec.

v. 29. κρίμα) [*Sine articulo. conf.* v. 32. Not. crit.] *judicium* aliquod, morbum, mortemve corporis. v. seq. ut, qui Domini corpus non discernunt, suo corpore luant. Non dicit, τὸ κατάκριμα, *condemnationem*. — μὴ διακρίνων, *non dijudicans*) Conf. Hebr. 10, 29. — τὸ σῶμα, *corpus*) subaudi, *et sanguinem*. — τοῦ κυρίου, *Domini*) Antonomasia, i. e. *Jesu*. Ecclesia non dicitur *corpus Jesu*, aut *corpus Domini;* sed *corpus Christi*. hic igitur de *proprio corpore Domini Jesu* agitur.

v. 30. διὰ τοῦτο, *propter hoc*) Causam hanc Corinthii non observarant: observari autem hodienum convenit. — ἀσθενεῖς καὶ ἄῤῥωστοι, *infirmi et invalidi*) *infirmi* morbis minoribus et *invalidi* gravioribus. conf. Ap. 2, 22. — κοιμῶνται, *obdormiunt*) Verbum μέσον, praescindens a statu post mortem. 2 Petr. 3, 4. Hic tamen non denotat mortem diram.

v. 31. διεκρίνομεν, *dijudicaremus*) ante factum. — ἐκρινόμεθα, *judicaremur*) post factum. Concinne ponitur verbum simplex et composita; neque statim additur, *a Domino:* sed Paulus deinde aperit, *a Domino castigamur*. Ap. 3, 19.

v. 32. σὺν τῷ κόσμῳ, *cum mundo*) Mundo igitur certa est *condemnatio*, experti *castigationis*.

v. 33. ὥστε, *itaque*) Reprehensionem vitii bene sequitur remedium et consilium, quo simplicius, eo melius. — ἀδελφοί μου, *fratres mei*) Appellatio haec convenit conclusioni.

v. 34. πεινᾷ, *esurit*) quo minus exspectet. Occupatio. — λοιπὰ, *reliqua*) de S. Coena. nam mox in hac epistola item *disponit* de spiritualibus.

CAPUT XII.

v. 1. Περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν, *de spiritualibus autem*) Neutrum. c. 14, 1. Mirere, in aliis epistolis non agi etiam de charismatis, quibus tamen non carebant aliae ecclesiae. c. 14, 36. Gal. 3, 5. 1 Thess. 1, 5. 2, 13. Charismatum in ecclesiis Graecis abundantia potenter refutavit literatam Graecorum, sed inanem, curiositatem. Occasionem Paulo ad Corinthios dedit abusus eorum: vestigiumque hoc sapientiae divinae est, quod singuli libri Scripturae sacrae etiam N. T. proprias quasdam habent tractationes. Corinthii abundabant donis *spiritualibus:* ac tamen habuit Paulus, quod ad eos scriberet, cum de ceteris, tum de hoc ipso capite, idque sine mora. coll. c. 11. fin. Describitur autem I. unitas corporis, v. 1—27. II. varietas membrorum et functionum, v. 27—30. III. fundamentum recte exercendi charismata, v. 31. et cap. seq. toto, per amorem. IV. comparatio charismatum inter se, c. 14. — οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, *nolo vos ignorare*) Hoc per synonymiam, quasi post parenthesin, iteratur versu 3. — — ἀγνοεῖν, *ignorare*) c. 14, 38.

Digitized by Google

v. 2. οἴδατε, *scitis*) Affine verbo *meministis*, quod extat Eph. 2, 11. — οἴδατε, ὅτι, ὅτε ἔθνη ἦτε, πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ὡς ἂν ἤγεσθε ἀπαγόμενοι) Expeditam haec habebunt analysin, si modo nervum hunc tenueris, ὅτι ἤγεσθε, *vos ductos esse:* ut τὸ ἤγεσθε non sit syncategorema, sed ipsum praedicatum. conf. Eph. 2, 12., ubi ethnici et ethnicismus item distinguuntur in enunciatione. Namque pro ὅτι sive ὡς etiam conjunctim dicitur ὡς ὅτι, Germ. *wie dass*, et ὅτι ὡς· idque interjecta alia vocula, ut apud Xiphilinum in Epitome Dionis, λεχθὲν αὐτῷ, ὅτι ἄρα ὡς ἀλέξανδρος ἐλθὼν αὐτὸν διαδέξεται· vel etiam parenthesi longiore, ut apud Xenophontem: ἐνταῦθα γνόντες οἱ μαντινεῖς ὡς, εἰ μὴ ἀποκρούσονται αὐτοὺς, ὅτι κτλ. itaque *quod* Graece geminatur, uti *an* in Hebraeo, Gen. 17, 17., subaudito *inquam*. Porro ἂν cohaeret cum verbo ἤγεσθε· ut apud eundem Xenophontem, καιρὸς δὲ γράψαι ὡς ἂν ὀρθότατα ἑκατέρῳ χρῷτο. ubi Devarius (qui utrumque hoc Xenophonteum nobis commodavit) ἂν δυνητικῶς in constructionis distributione verbo χρῷτο adjungi docet. itaque summa sententiae manebit, si totum ὡς ἂν in construendo seponas, uti 2 Cor. 10, 9., ubi notat *quasi*, quo pacto etiam hic accipi posset. neque enim ἂν facile cum indicativo, qualis est ἤγεσθε, construitur. Jam in ἤγεσθε ἀπαγόμενοι, passivum cum medio, simplex cum composito constructum: *ducebamini et abducebamini;* ductui cuilibet vos permittebatis. Huc redit fere Scholion Chrysostomi, a recentioribus sine causa reprehensum: οἴδατε, ὅτε ἕλληνες ἦτε, πῶς ἀπήγεσθε, ἑλκόμενοι τότε. Adde Castellionem. ἄφωνα, *muta*, epitheton aptum, coll. v. 3. *coeci* ad *mutos* ibatis, muti ad coecos.

v. 3. διὸ, *quapropter*) Infert thesin hanc, *spiritualia* esse apud Christianos omnes et solos, i. e. eos, qui Jesum gloria afficiunt: et fidem in Jesum probari per illa. nam idola nil *spirituale* donant. destructa gentium superstitione, non item opus est donis miraculosis. Vicissim, qui Jesum gloria afficit, Spiritum Dei habet: qui gloria non afficit, Spiritum Dei non habet. 1 Joh. 4, 1. s. Paulus praebet criterium veri contra gentes; Johannes, contra falsos prophetas. — γνωρίζω ὑμῖν, *notum facio vobis*) Incognitae Corinthiis antea fuerant ejusmodi operationes divinae. Ante has Pauli literas minus distinctam habebant cognitionem, non multo ante ex gentilismo erepti. — ἐν πνεύματι θεοῦ, *in Spiritu Dei*) Mox, *in Spiritu sancto*. Deitas et Sanctitas, synonyma, praesertim ubi sermo est de S. Trinitate. — λαλῶν, *loquens*) Hoc latissime patet. nam etiam ii, qui sanationes et virtutes operantur, verbis uti solent. Antitheton ad *muta* idola. — λέγει ἀνάθεμα, *dicit anathema*) ut faciebant gentes, sed magis Judaei. Estque ταπείνωσις. *Non dicit anathema*, i. e. maxime *benedicit*. Opposita, *anathema* et *Dominum*. [*Longanimitatis est, omnem captum superantis, quod* Jesus *Christus, Dominus, ad Dexteram Patris, tanto temporum tractu tantum blasphemiarum cumulum ab infidelibus, et a Judaeis praecipue, qua sunt miseri coecitate, tolerare non recusat*. Christianum *ea consideratio quavis indignatione de quocunque utut minime promerito, opprobrio liberare debebat*. V. g.] — εἰπεῖν, *dicere*) πνευματικῶς, *modo spirituali*.

v. 4. διαιρέσεις, *divisiones*) Hoc vocabulo LXX Hebraicum מחלקת exprimunt, de sacerdotum ordinibus. Conf. *dividens*, v. 11. — δὲ, *vero*) Antitheton inter unum fontem et flumina multa. — χαρισμάτων, *donorum*) Quae v. 1. dixerat *spiritualia*, nunc, post mentionem Jesu, appellat *dona*. — πνεῦμα, *Spiritus*) Hoc versu agitur de Spiritu S. v. 5., de Christo: v. 6., de Deo Patre: et his nominibus congruit appellatio charismatum, ministeriorum, operationum. De Spiritu, tractatur v. 7. seqq. de Domino, v. 12. seqq. de Deo, v. 28. seqq. [Conf. Eph. 4, 4. 5. 6.]

v. 5. διακονιῶν, *ministeriorum*) v. 28. — ὁ δὲ αὐτὸς κύριος, *idem vero Dominus*) Filius Dei, quem Spiritus sanctus glorificat per diaconos illos.

Digitized by Google

v. 6. ἐνεργημάτων, *operationum*) v. 10. — ὁ δὲ αὐτός [1]) ἐστι θεὸς, *idem vero est Deus*) *Deus*, operante Spiritu ejus. v. 11. — τὰ πάντα, *omnia*) Aliquanto latius spectatur operatio Dei, quam munera Christi et charismata Spiritus. — ἐν πᾶσιν, *in omnibus*) Masculinum, coll. *unicuique*, v. seqq.

v. 7. φανέρωσις, *manifestatio*) varia per quam Spiritus sese *manifestat*, per se absconditus. — πρὸς τὸ συμφέρον, *ad id quod conducit*) Id tractatur v. 12. s.

v. 8—10. ᾧ· ἑτέρῳ· ἑτέρῳ, *huic: alteri: alteri*) Genera tria, coll. c. 13, 8.: et inter haec species multas τὸ ἄλλῳ *alii* denotat, singulas sub genere suo. sic etiam c. 15, 39. 40. 41. ἄλλος distinguit species, ἕτερος genera. Vicissim ἄλλος ad genera distinguenda adhibetur, ἕτερος ad species: Hebr. 11, 35. *Prophetia* ponitur hic in secundo potius genere, quam in primo, quia in secundo talia enarrantur, quae magis ad extra, ad infideles, valent, quam quae in primo genere, ad fideles. — διὰ, *per*) Mox κατὰ, *secundum*: ἐν, *in*. singula convenienter adhibita. — λόγος, *sermo*) Sermone exeruntur in ecclesia et sapientia et cognitio. — σοφίας — γνώσεως, *sapientiae — cognitionis*) *Cognitionem* Paulus, praesertim ad Corinthios, varie nominat, vel per se, 2 Cor. 6, 6., vel cum rebus affinibus: *sermone et cognitione*, 1 Cor. 1, 5. coll. 2 Cor. 11, 6. *fide et sermone et cognitione et omni studio*, 2 Cor. 8, 7. *prophetiam* (de mysteriis) *et cognitionem*, adjunctis *linguis*, 1 Cor. 13, 2. 8. *aut in revelatione, aut in cognitione, aut in prophetia, aut in doctrina*, c. 14, 6. *sapientiae et cognitionis*, h. l. Col. 2, 3. Eph. 1, 17. 3, 19. Loquitur ut de rebus, quae Corinthiis sint quotidianae: hodie de ipsarum vocum vi et differentia ambigimus. Illud certum, quod, ubi Deo adscribuntur, in solis objectis differunt: vid. Rom. 11, 33. not. ubi fidelibus tribuuntur, *Sapientia* magis in longum, latum, profundum et altum penetrat, quam *Cognitio*. *Cognitio* est quasi visus; *sapientia*, visus cum sapore. *Cognitio*, rerum agendarum; *sapientia*, rerum aeternarum. quare etiam sapientia non dicitur abroganda, c. 13, 8. et cognitio est frequentior: uti de Corinthiis non tam illam, quam hanc praedicat Paulus. c. 8, 1. 2, 6. *prophetia* est prophetarum; *sapientia*, sapientum; reliqua *cognitio*, scribarum. Matth. 23, 34. Luc. 11, 52. — τὸ αὐτὸ) *eundem*, per quem datur *sermo sapientiae*.

v. 9. πίστις, *fides*) *Fides* hic non dicitur ea, quae omnibus sanctis est communis, sed charisma singulare, idque distinctum a quatuor speciebus illis, quae mox sequuntur, et tamen cum iis magis, quam cum primo illo et tertio charismatum genere, v. 8. et v. 10. fine, conjunctum. Est ergo *Fides* haec ardentissima et praesentissima apprehensio Dei, in Ipsius potissimum voluntate, ad effectus vel in naturae vel in gratiae regno singulariter conspicuos. idcirco conjungitur cum *operatione virtutum*, c. 13, 2. (cujus potissima, quia proximo utilissima, species, *sanationes*:) et cum *prophetia* (cui affines *dijudicationes spirituum*, c. 14, 37.) Rom. 12, 6. Atque ex hac, quam modo vidimus, descriptione patet, quomodo fides communis sive salvifica, et miraculosa, quae charisma est peculiare, vel conveniant vel differant; quomodo altera sine altera, utravis autem sine amore esse possit vel non possit. Omnipotentem Dei voluntatem apprehendere in Christo possunt etiam homines justitiae et amoris expertes: Matth. 7, 22. Voluntatem autem Dei in Christo nobis reconciliatam nonnisi sancti homines. Et in his fides non alia est miraculosa, alia salvifica; sed una eademque: eaque actu primo semper habet vim miraculosam, ipsa enim tota est supernaturale quiddam, Eph. 1, 19., tametsi non semper eo gradu, eave occasione, ut sese exserat. vid. Not. ad Chrys. de Sacerd. §. 416. — χαρίσματα ἰαμάτων, *dona sana-*

1) *Voc.* ἐστὶ *tum per* utriusque Ed. *marginem*, *tum per* Vers. germ. *exulare potius debebat.* E. B.

Digitized by Google

tionum) Non tantum intelliguntur miraculosae sanationes, Act. 5, 15. 19, 12. 28, 8., *sed etiam gratiosa benedictio curationis aegrotorum per naturalia remedia: sicut negari non potest, medicorum alios aliis esse feliciores, quod non tantum peritiae ipsorum, sed inprimis gratiae divinae tribuendum.* E. Schmidius. Potest hoc etiam ad reliqua applicari charismata. quippe ut rex Judae, amissis clypeis aureis, aeneos substituit: sic postquam ecclesia a puris charismatis descivit, Gratia tamen sub humanis studiis et subsidiis sese occultius praebet, idque eo locupletius, quo plus ei loci datur.

v. 10. προφητεία, *prophetia*) vid. ad Rom. l. c. — διακρίσεις πνευμάτων, *discretiones spirituum*) ut possit aliis demonstrare, qualem quisque propheta spiritum habeat. c. 14, 29. — γένη γλωσσῶν — ἑρμηνεία, *genera linguarum — interpretatio*) v. 30. c. 14, 5. 13. 26. s.

v. 11. βούλεται, *vult*) *Spiritus.* sic, *sicut voluit Deus.* v. 18. Singulis dat singula, vel aliqua, varia mensura.

v. 12. οὕτω καὶ ὁ χριστός, *sic etiam Christus*) *Totus Christus caput et corpus est. caput unigenitus Dei filius. et corpus ejus ecclesia.* Augustinus. Congruit Ps. 18, 51., *Unctо suo, Davidi et semini ejus.* sic enim postulat accentus.

v. 13. ἐν ἑνὶ πνεύματι, *in uno Spiritu*) Spiritus S. est in baptismo. — εἰς ἓν σῶμα, *in unum corpus*) ut simus unum corpus, uno quippe Spiritu animatum. — εἴτε ἰουδαῖοι εἴτε ἕλληνες, *sive Judaei sive Graeci*) qui maxime diversa fuerant *corpora*, natura. — εἴτε δοῦλοι εἴτε ἐλεύθεροι, *sive servi sive liberi*) qui maxime diversa fuerant *corpora*, instituto. — πάντες ἓν πνεῦμα) *omnes uno Spiritu* potati sumus. [*Omissio* τοῦ εἰς, *lectio firma.* Not. crit.] Joh. 7, 37. ss. Hinc quoque corporis infertur unitas. Ad S. coenam hic immediate alludi non existimo. confer tamen Marc. 10, 38. not.

v. 14. καὶ γὰρ, *etenim*) Haec protasis de corpore pertingit ad v. 26., et ita instruitur, ut apodosis v. 27. summatim addatur.

v. 15. ἐὰν, *si*) Ignobiliora membra neque a se ipsis abjici debent, v. 15. s. neque a nobilioribus negligi possunt. v. 21. s. — πούς, *pes*) Eleganter pes de manu, auris de oculo loquens inducitur, pars de parte quam simillima. sic enim in hominibus se quisque cum iis, quibus quam simillima dona habet, potius quam cum longe superioribus aut longe inferioribus comparare solet. Thomas Aquinas: *per membra deservientia motui designantur homines dediti vitae activae: per membra deservientia virtuti apprehensivae designantur, qui student vitae contemplativae.* itaque *pedes* statuit esse subditos; *manus*, praelatos: *oculos*, doctores; *aures*, discipulos. — οὐκ εἰμὶ ἐκ, *non sum ex*) Subaudi *propter hoc*, ex commate sequenti.

v. 15. 16. οὐ παρὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ σώματος) Μὴ interrogans negat quidem v. 29., μὴ πάντες ἀπόστολοι; sed οὐκ affirmat. c. 14, 23., οὐκ ἐροῦσιν; Itaque interrogatio, qua nonnulli legunt, οὐ παρὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ σώματος; sensum pervertit. Duplicem, non simplicem, negandi vim οὐ παρὰ τοῦτο οὐκ obtinet, uti Act. 4, 20., οὐ δυνάμεθα μὴ λαλεῖν. 2 Thess. 3, 9., οὐχ ὅτι οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν. Si pes dixerit, *Quia non sum manus, non sum ex corpore*, huic ejus sermoni benigne contradicitur, *non propterea non es ex corpore*, non idcirco desinis esse ex corpore. Simillima phrasis Theophili Antiocheni: οὐ παρὰ τὸ μὴ βλέπειν τοὺς τυφλούς, ἤδη καὶ οὐκ ἔστι τὸ φῶς τοῦ ἡλίου φαῖνον. lib. ad Autol. c. 3. quo item loco παρὰ notat *propter*, uti Deut. 23, 4. Origenes: οὐ διὰ τοῦτο οὐ μοιχεύουσιν. c. Cels. p. 385. Chrysostomus: οὐ γὰρ δήπου ἐν τοῖς δυσχερέσι κοινωνοῦντες, ἐν τοῖς χρηστοτέροις οὐ κοινωνήσετε. ad 2 Cor. 1, 7.

v. 16. τὸ οὖς, *auris*) pars minus nobilis. — ὀφθαλμὸς, *oculus*) pars nobilissima, et maxime ἡγεμονική. conf. Num. 10, 31. Visus praestat auditui v. 17. 21.

Digitized by Google

v. 17. εἰ ὅλον ἀκοή, *si totum auris*) Non dicitur, *et si.* nam subauditur in fine versus τὸ *etc.* vel, *si totum olfactus, ubi gustus et tactus?*

v. 18. καθὼς ἠθέλησεν, *sicut voluit*) Non debemus ultra voluntatem Dei alias rerum causas requirere altiores: *infra* eam voluntatem philosophari fas est; de mundo optimo, ut apostolus hoc loco de corpore humano optimo.

v. 20. ἓν δὲ σῶμα, *unum vero corpus*) Ex hac unitate sequitur mutua membrorum indigentia.

v. 21. χρείαν, *opus*) Huc ref. *necessaria.* v. 22. — ἡ κεφαλή, *caput*) pars summa.

v. 22. ἀσθενέστερα, *infirmiora*) manus, ad oculum collata.

v. 23. ἀτιμότερα, *ignobiliora*) ut pedes. Comparativus molliens: *ignobilia*, gravius erat. Ea autem sic vocat, quae vestibus teguntur. — ἀσχήμονα, *inhonesta*) quae egent cultu. — τιμὴν — περιτίθεμεν) Sic LXX. Esth. 1, 20: περιθήσουσι τιμήν. item Prov. 12, 9. — ἔχει, *habent*) u curatura, quae ab aliis membris praestatur.

v. 24. οὐ χρείαν ἔχει, *non opus habent*) Quid igitur opus, planas genas muscis (*mouches*) distinguere? — συνεκέρασε) *contemperavit.* — τιμὴν, *honorem*) Conf. v. 23. init.

v. 25. ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσι, *pro se invicem curent*) Id explicatur versu seq. Plurale μεριμνῶσι curam omnium membrorum expressius notat, quam si Attice diceretur μεριμνᾷ.

v. 26. συγχαίρει) *gratulantur.* Et hoc, et *compatiuntur*, non solum affectum, sed etiam effectum denotat.

v. 27. ἐκ μέρους, *ex parte*) Hoc addit, quia non soli Corinthii erant corpus Christi et membra. c. 14, 36. Etiam Roma satis habere debebat, si sit *ex parte.*

v. 28. ἐν, *in*) Sic, ἐν, *in*, v. 18. cum eodem verbo *posuit.* — πρῶτον, *primum*) Apostoli, non Petrus seorsum, in primo gradu sunt; ceteri eos sequuntur, natura officii, tempore, dignitate, utilitate. — προφήτας, *prophetas*) Act. 13, 1. — τρίτον διδασκάλους, *tertio doctores*) *Doctores* eminentem locum habent, prae iis ipsis, qui *miracula* edunt. Sub prophetis et doctoribus continentur etiam evangelistae, et pastores, coll. Eph. 4, 11. — ἔπειτα, *deinde*) Cetera genera non distinguuntur numeris. — δυνάμεις, *potestates*) Abstractum pro concreto, etiam in sequentibus. — ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, *opitulationes*, *gubernationes*) *Gubernationes* gerunt, qui clavum in ecclesia tenent; *opitulationes*, qui, cum gubernatores non sint, tamen virtute quadam vel facultate pollent, qua fulciantur alii. conf. c. 13, 3. Haec duo non reassumuntur versu 30. Principes, ut ipsi christianam fidem admiserunt, *opitulationum* et *gubernationum* sibi partes vindicarunt: initio autem ii, qui auctoritate, prudentia, opibus in ecclesia praestabant, eam sublevabant et gubernabant. *Gubernatio* circa externa versatur: ideo Spiritus eam inferiore loco recenset. — ἑρμηνείας γλωσσῶν, *interpretationes linguarum*) Non videtur esse glossema ex v. 10. [1]), nam ibi est ἑρμηνεία γλωσσῶν, singulari numero: et repetitur versu 30. Asyndeton tantundem valet, quantum clausula illa, *et cetera.*

v. 29. μὴ πάντες) *omnes ne?* i. e. non plurimi. — δυνάμεις, *potestates*) sc. *sunt?* nam si Paulus *habent* huc referret, hic exprimeret.

v. 31. ζηλοῦτε, *aemulamini*) Spiritus dat, ut vult: v. 11. sed fideles tamen libere aliud prae alio possunt sequi et exercere. c. 14, 26. Deus operatur suaviter, non cogit. — τὰ χρείττονα, *meliora*) ut quodque amori opportunius est.

---

1) *Plus favet, cum* Gnomone, *lectioni pleniori maryo* Ed. 2., *quam* Ed. maj. *et* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

Theologia comparativa. c. 14, 5. 19. — ἔτι) *quin etiam.* Luc. 14, 26. Non solum hortor, sed etiam methodum et viam sive rationem ostendo. — καθ' ὑπερβολήν) Hoc nomini substantivo vim superlativi conciliat (Rom. 7, 13.) quasi dicat, *viam maxime vialem.* — ὁδὸν, *viam*) Non addit articulum; suspensos nonnihil tenens Corinthios, dum viam explanat. דרך *via* amoris. — δείκνυμι, *ostendo*) Praesens. Jam ardet Paulus et fertur in amorem. Hac ostensione facta, redit ad charismata, ut verbum *aemulamini* iteratum docet, hic et c. 14, 1.

CAPUT XIII.

v. 1. Ἐὰν, *si*) Omnia charismata [*utut eximia suavitate, amplitudine atque utilitate polleant.* V. g.], pro amore ejusque norma, debent aestimari, exerceri, sublimari. Tractationi de charismatis interponit tractationem efficaciorem de amore. Sic in Disputationibus semper revertendum ad ea, quae majorem dant gratiam. — ταῖς) omnibus. — γλώσσαις, *linguis*) Gradatio: *linguis: prophetiam, fidem: distribuero.* — λαλῶ, *loquar*) Tenor amoris facit, ut, quum modo dixerit, *vobis;* nunc tamen in prima persona singulari loquatur. Se non excludit, sub conditione. — καὶ τῶν ἀγγέλων, *et angelorum*) Angeli praestant hominibus; et lingua vel linguae illorum, linguis horum. Linguis autem utuntur ad homines certe. Luc. 1. et 2. — ἀγάπην, *amorem*) quo proximi salus quaeritur. — μὴ ἔχω, *non habeam*) in ipso usu charismatum et in reliqua vita. Sane prophetiam aliaque dona habent multi, charitatis, ejusque fructuum, v. 4. s. expertes. Matth. 7, 22. quae non tam ipsorum, quam aliorum respectu *charismata* dicuntur. — γέγονα) *factus sim,* per defectum amoris. Oratio obtinet ἀποτομίαν. — χαλκὸς, *aes*) *Aes,* v. gr. aereus numus, minus artis habet, quam v. gr. *cymbalum,* v. gr. argenteum. Cum illo conferri possit, qui sine amore loquatur hominum linguis; cum hoc, qui angelorum. — ἠχῶν — ἀλαλάζον, *tinniens — jubilans*) sono qualicunque, lugubri aut laeto; sine vita et sensu. Oratio variat: *nihil sum; nil proficio.* v. 2. 3. Sine amore, linguae sunt *sonus merus:* prophetia, cognitio, fides, *non est, quod est:* Matth. 7, 22. 15. 1 Cor. 8, 1. s. Jac. 2, 14. 8.: impensa omnis, *sine mercede est.* quamlibet talis homo sibi placeat: se aliquid esse putet: magnum praemium sibi polliceatur. Cum amore, subaudiuntur bona istis defectibus opposita.

v. 2. μυστήρια, *mysteria*) Rom. 11, 25. not. Non addit *sapientiam,* quae nulla est sine *amore.* — καὶ πᾶσαν τὴν γνῶσιν, *et omnem cognitionem*) Constr. cum εἰδῶ *noverim,* tanquam cum verbo cognatae significationis, eoque proxime praecedente. Ex iis, quae cap. 12. enumerata sunt, Paulus capite 13. ea, quae sunt insigniora, et quibus opportune opponantur praerogativae amoris, delegit. *Mysteria* sunt rerum reconditarum; *cognitio* complectitur ea, quae sunt magis in promptu et magis necessaria: uti vulgo dicuntur *Wissenschaften,* de rebus naturalibus. — πίστιν, *fidem*) c. 12, 9. not.

v. 3. καὶ ἐὰν, *et si*) Id summum est, quod facere possunt *opitulationes, gubernationes,* c. 12, 28. — ψωμίσω, *distribuero*) Summo loco ponit ea, quae sunt humanae voluntatis, et cum amore quam conjunctissima videntur, ad agendum et ad patiendum. qui *opes* et *corpus* tradit, valde amat, 2 Cor. 12, 15.: sed qui sine *amore* tradit, *animam* sibi retinet. nam animae facultas est amor. ideo in apodosi de *utilitate* loquitur. ψωμίζειν vid. Rom. 12, 20. — παραδῶ, *tradidero*) pro aliis. — ἵνα) *usque eo ut* urar. Dan. 3, 28., παρέδωκαν τὰ σώματα αὐτῶν εἰς πῦρ.

v. 4. ἡ ἀγάπη, *amor*) Naturam amoris describit. non dicit, amor loquitur linguis, habet prophetiam, dat pauperibus; sed, est longanimis. Estque metonymia, pro homine amorem habente. Eos autem potissimum amoris fructus no-

Digitized by Google

minat Paulus, qui in exercendis charismatis necessarii sunt, quos u Corinthiis requirit, et sine quibus prophetiae esse, sed non prodesse possunt. Characterem amoris, quem Paulus Corinthiis, et Characterem sapientiae, quem Jacobus item iis, ad quos scripsit, c. 3, 17., attemperavit, utiliter inter se conferas, adhibito loco 1 Cor. 8, 1. s. — μακροθυμεῖ, *longanimis est*) Amoris laudes duodecim (si ab initio unum par, et a fine duo paria connumeres, uti in notis sequentibus ostenditur) per tres classes enumerantur v. 4—7. prima bimembris est: *longanimis est, benignus est: non aemulatur.* Idem syntheton et antitheton, Gal. 5, 22. 20. *Longanimis* est in malo ab aliis profecto; *benignus*, in bono ad alios propagando: contra, non dolet alieno bono, nec gaudet alieno malo. Etiam asyndeton est in *benignus est.*

v. 4. 5. οὐ περπερεύεται, οὐ φυσιοῦται· οὐκ ἀσχημονεῖ, οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς, *non agit procaciter, non inflatur: non agit indecore, non quaerit sua*) Secunda classis, quatuor membrorum. in primo et secundo tolluntur duo excessus, plerunque conjuncti; in tertio et quarto tolluntur duo defectus item conjuncti. ἀσχημονεῖν enim est, etiam id decorum non observare, eam civilitatem, quam observasse conveniebat: et ζητεῖν τὰ ἑαυτοῦ conjunctum est cum neglectu aliorum, ubi quis tantummodo se ipsum spectat et alios sibi relinquit. Hos duos *defectus* vitat amor. et primo respondet tertium, nam utrumque pertinet ad studium probandi se aliis; secundo opponitur quartum, nam utrumque pertinet ad cavendum studium partium. οὐ περπερεύεται, *non agit insolenter*, cum fastu et ostentatione: rursum, οὐκ ἀσχημονεῖ, *non est inconditus*, impolitus, rudis. [1]) vide quae de verbo περπερεύομαι notavi ad *Gregorii* Paneg. p. 141. seqq. οὐ φυσιοῦται, *non inflatur*, nimiis in alium studiis. conf. c. 4, 6. rursum οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς, *non studet sibi*, nec sibi ab aliis studeri postulat. Non dissimili modo item bis duo membra se invicem respiciunt, (licet alio subinde ordine collocentur, per chiasmum directum vel inversum) versu 7., et praesertim c. 14, 6.

v. 5. s. οὐ παροξύνεται — πάντα ὑπομένει, *non irritatur — omnia sustinet*) Tertia classis, sex membrorum: quorum tertium et quartum, atque adeo secundum et quintum, primum et sextum, inter se respondent. Est enim χιασμὸς, isque retrogradus, valde congruens climaci geminae per gradus negativos et affirmativos. Atque horum omnium objectum personale est proximus; reale, futurum, *amor non irritatur: omnia sperat, omnia suffert*: praeteritum, *non cogitat malum: omnia tegit, omnia credit*: praesens, *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* sed membris ita trajectis concinnitas ordinis Paulini eo magis perspicitur; quem hoc modo repraesentat schema, et cujus nervum et nexum *evidens* ratio ostendit:

1. *non irritatur*
2. *non cogitat malum*
3. *non gaudet super iniquitate*
4. *congaudet autem veritati* — praesens
5. *omnia tegit, omnia credit* — praeteritum
6. *omnia sperat, omnia suffert* — futurum

Ita ordo sibi mutuus constat: et apparet ratio, cur haec postrema *sperat, suffert*, in extremo ponantur, quia nimirum ad *futura* referuntur.
— οὐ παροξύνεται, *non irritatur*) etiamsi studio ardet gloriae divinae, tamen non exacerbatur. conf. Act. 15, 39. — οὐ λογίζεται τὸ κακὸν) *non cogitat malum* ab

1) Ubi amor, ibi vera modestia viget, quae *civilitas* mundanis audit (neque tamen *familiaritas* insolentiae incusari debet): contra, quaevis *morum concinnitas*, in summo suo apice, apud homines seculi, *insolentiae* indolem, propter philautiam, refert. Desinat mundus virtutes jactare: nonnisi vero Christianismo istae conveniunt. *V. g.*

Digitized by Google

altero illatum quasi ulturus. Sic LXX pro חשב רעה saepe. [*Non cogitat: Hic vel ille hoc illudve mihi infert; hoc illudve vel fecit vel promeritus est.* V. g.]

v. 6. ἀδικίᾳ — ἀληθείᾳ, *iniquitate — veritati*) De hoc antitheto vid. Rom. 2, 8. not. — συγχαίρει, *congaudet*) gratulatur, cum laetitia. Veritas omnis *gaudium* alit.

v. 7. πάντα, *omnia*) Quater, *omnia;* videlicet, quae tegenda vel credenda; quae speranda et sufferenda sunt. Quatuor hi gradus pulcre se invicem sequuntur. — στέγει, *tegit*) dissimulat, penes se et penes alios. στέγομεν, *tegimus*, cap. 9, 12. not. — πιστεύει, *credit*) ut tegit *mala* proximi, quae apparent: sic credit *bona*, quae non apparent. — ἐλπίζει, *sperat*) Causam *spei* vide Rom. 14, 4., σταθήσεται. *sperat* item *bona* in posterum, et suffert *mala*. — ὑπομένει, *suffert*) dum spes aliquando nascatur. 2 Tim. 2, 25. Sic laudes amoris quendam quasi orbem efficiunt, in quo extrema et prima sibi invicem respondent. *longanimis est, benignus est: omnia sperat, omnia suffert.* Quartumque hunc gradum suaviter sequitur illud multo majus, *nunquam excidit.*

v. 8. οὐδέποτε ἐκπίπτει, *nunquam excidit*) *non destruitur, non cessat.* semper locum suum obtinet: nunquam e statu suo movetur. conf. ἐκπίπτοντες, Marc. 13, 25. not. — εἴτε δὲ προφητεῖαι, *sive autem prophetiae*) scil. *sunt*. sic c. 15, 11. *Prophetiae*, in plurali, quia multifariae. — καταργηθήσονται, *destruentur*) Sic de prophetiis et cognitione: at de linguis, παύσονται, *desinent*. *Linguae*, floridissimum quiddam, sed minime durabile: quae in Pentecoste Act. 2. primum extiterunt, sed in ecclesia primitiva non tam diu manserunt, quam cetera dona miraculosa. neque habent analogum quidquam in genere perfecto, ut prophetia et cognitio habent, cui cedere debeant: unde ad has prae linguis mox, cum de perfecto agit, respicit. — γλῶσσαι, *linguae*) Hae medio loco ponuntur, quia sunt vehiculum prophetiarum et appendix: at prophetia et cognitio duo genera diversa constituunt. v. 9. 12.

v. 9. ἐκ μέρους, *ex parte*) Non solum hoc dicit: haec prophetia et haec cognitio, quam nos habemus, imperfecta est; nam sic etiam dicendum esset, *ex parte amamus:* sed ipsius prophetiae, excepto uno propheta Jesu Christo, et cognitionis, ea est natura, ut haberi debeat in iis, quae sunt *ex parte*, quia utimur iis in hac vita imperfecta. De locutione conf. not. ad Rom. 15, 15., *audacius scripsi.*

v. 10. ἔλθῃ, *venerit*) suo tempore; per gradus, non per saltum. In spiritualibus aetas imbecillior non debet cupidius affectare maturiora. Venit, quod perfectum est, in obitu, 2 Cor. 5, 7., et in die novissimo. — τότε, *tunc*) non prius. Itaque prophetia et cognitio nunquam plane exspirant in hac vita.

v. 11. ὅτε, *quum*) Cum aetatibus hominis confertur profectus a gratia ad gloriam, singulos fideles et totam manens ecclesiam. — νήπιος, *infans*) Humilitas Pauli. Homo naturalis prae fastu non libenter recordatur infantiae suae: at anima adversis macerata vel primas ortus sui vias fatetur. Job. 10, 10. — ἐλάλουν, *loquebar*) Id refertur ad linguas. — ἐφρόνουν, *sentiebam*) Id refertur ad prophetiam: est enim simplicius quiddam. — ἐλογιζόμην, *ratiocinabar*) Id refertur ad cognitionem: est enim magis compositum. — ὅτε δὲ, *quum vero*) Non dicit: *quum abolevi puerilia, factus sum vir.* Hiems non affert ver; sed ver pellit hiemem. sic est in anima et in ecclesia. — κατήργηκα, *abolevi*) ultro, libenter, sine labore. — τὰ τοῦ νηπίου, *puerilia*) sermonem, sensum, consilium infantile. Abstractum, τά. Homo non tollitur, sed vir fit.

v. 12. βλέπομεν, *videmus*) Respondet apud LXX Hebraicis ראה et חזה 1 Sam. 9, 9. 1 Par. 29, 29., de *Prophetis*. Habetque hic locus synecdochen speciei nobilioris, pro toto genere: et cum verbo *videmus* subaudias, *et audimus.* nam prophetae et vident et audiunt: et visionibus plerumque verba adjungi solita

Digitized by Google

sunt. Evolvisse juverit *Gregorii* Paneg. et insignem, quem ad illum notavimus, Origenis locum, p. 104. s. 217. 218. s. Quod autem visui est *speculum*, id auditui est *aenigma*, cui *lingua* inservit. Cum hoc loco multis de rebus conferas Num. 12, 8. Dicit autem *videmus*, in plurali: *cognosco*, in singulari. ac *videre* et *cognoscere* differunt in genere rerum spiritualium, ut sensus externus et internus in genere rerum naturalium. Nec toto hoc versu *Deum* nominat; sed loquitur de illo, ut erit *omnia in omnibus*. — τότε, *tunc*) Magnum futurorum illorum gustum habebat Paulus. 2 Cor. 12, 2. s. — πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, *facie ad faciem*) פנים אל פנים facie nostra videbimus faciem Domini. Id plus, quam פה אל פה στόμα πρὸς στόμα. Visio, praestantissima fruendi ratio. Concinne posuit verbum βλέπομεν, utrique statui, sed diversa notione, aptum. — γινώσκω· ἐπιγνώσομαι) Compositum multo plus significat, quam simplex: *nosco, pernoscam.* Atque ita Eustathius Homericum ἐπιόψομαι interpretatur, ἀκριβέστατα ἐπιτηρήσω· et ἐπίσκοπος, σκοπευτὴς ἀκριβής· rationemque addit, ὅτι ἡ ἐπιπρόθεσις καὶ ἀκρίβειάν τινα σημαίνει καὶ ἐπίτασιν ἐνεργείας. — καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην, *sicut etiam cognitus sum*) Hoc respondet illi *ad faciem.*

v. 13. νυνὶ δὲ μένει, *nunc vero manet*) Non est proprie sermo de duratione: nam in ea non conveniunt haec tria; sed fides in *speciem*, spes in gaudium terminatur, 2 Cor. 5, 7. Rom. 8, 24. solus amor perstat, v. 8. sed de valore, in antitheto ad prophetiam etc. hoc sensu: omnibus rationibus subductis, haec tria sunt necessaria et sufficientia; stent modo haec tria. haec sunt: haec manent: nil amplius. Christianus potest esse sine prophetia etc. sed non sine fide, spe, amore. conf. de verbo μένω, *maneo*, Rom. 9, 11. 1 Cor. 3, 14. 2 Cor. 3, 11. Hebr. 13, 1. Fides est in Deum; spes, pro nobis; amor, erga proximum. Fides proprie conjuncta est cum oeconomia Patris: Spes, cum oeconomia Filii: Amor, cum oeconomia Spiritus sancti. Col. 2, 12. 1, 27. 8. Quae ipsa etiam ordinis est ratio, quo haec tria enumerantur. νυνὶ *nunc* facit ad epitasin. [*et quae* viatorum *praecipuae partes sint, indigitat.* V. g.] — τρία, *tria*) duntaxat. Necessaria non sunt multa. Saepe Paulus haec tria respicit. Eph. 1, 15. 18. Phil. 1, 9. s. Col. 1, 4. s. 22. not. 1 Thess. 1, 3. 5, 8. 2 Thess. 1, 3. s. Tit. 1, 1. s. Hebr. 6, 10. ss. Interdum fidem et amorem commemorat; interdum fidem, totum Christianismum synecdochice denotans. 1 Thess. 3, 6. 5. In malo sunt, infidelitas, odium, desperatio. — ταῦτα, *haec*) Hebr. הם i. e. *sunt*, scil. majora prophetiis etc. — μείζων) *major*, maximus, *horum*, trium. Amorem non solum anteponit prophetiae, sed etiam iis, quae prophetiam excellunt. Amor proximo plus *prodest*, quam fides et spes per se. conf. *major*, c. 14, 5. Ac Deus non dicitur *fides* aut *spes* absolute, *amor* dicitur.

CAPUT XIV.

v. 1. Διώκετε, *sectamini*) Id plus, quam ζηλοῦτε *aemulamini*, hic, et v. 12. 39. c. 12, 31. — μᾶλλον, *potius*) prae linguis. De *Cognitione* hic non jam expresse agit Paulus: nam ea, respectu aliorum, cum *prophetia* coincidit. v. 6.

v. 2. τῷ θεῷ) *Deo* soli, omnes linguas intelligenti. — ἀκούει, *audit*) i. e. intelligit. — πνεύματι, *spiritu*) v. 14. — μυστήρια, *mysteria*) quae alii potius mirentur, quam discant. Non additur articulus.

v. 3. οἰκοδομὴν, *aedificationem*) Huic generi adduntur duae species praecipuae. παράκλησις, *exhortatio*, tollit tarditatem, παραμυθία, *consolatio*, tristitiam.

v. 4. ἑαυτὸν, *se ipsum*) ea, quae lingua loquitur, intelligentem. — ἐκκλησίαν, *ecclesiam*) totam congregationem.

v. 5. γλώσσαις, *linguis*) Has inprimis colebant Corinthii: quos Paulus non refutat, sed in ordinem redigit. v. 12. — μείζων, *major*) utilior. v. 6. — διερμηνεύει) διὰ eleganter exprimit interventum interpretis inter loquentem lingua et

Digitized by Go

inter auditorem. Si idem ipse, qui lingua loquitur, etiam interpretem agit, tum idem ipse inter se ipsum quodammodo et auditorem intervenit: pro diverso scilicet respectu. — ἡ ἐκκλησία, *ecclesia*) aedificationem *quaerens;* congruit, *accipiat.*

v. 6. ἢ ἐν ἀποκαλύψει, ἢ ἐν γνώσει, ἢ ἐν προφητείᾳ, ἢ ἐν διδαχῇ, *aut in revelatione, aut in cognitione, aut in prophetia, aut in doctrina*) Quatuor genera prophetiae late dictae. duo priora pertinent ad illum ipsum, qui charismate gaudet: duo altera majorem simul propensionem ad audientes afferunt. [1]) De differentia *prophetiae* (quae *revelationi* respondet) et *cognitionis* (cui *doctrina* respondet) vid. ad cap. 12, 8. 10. et de tota re, infra, ad v. 26. seqq. *Prophetia* refertur ad res singulares, antea non valde cognitas, ad mysteria, noscenda demum ex revelatione. *Doctrina* et *cognitio* ex communi fidelium penu depromitur, et refertur ad res in materia salutis obvias.

v. 7. αὐλὸς — κιθάρα, *tibia — cithara*) Duo summa organorum genera: non solum tibia, quae spiritu tibicinis quasi animatur, sed etiam cithara. — τοῖς φθόγγοις, *sonis*) Casus sextus, coll. *per*, v. 9. — πῶς γνωσθήσεται, *quomodo cognoscetur*) quomodo dignoscetur tibia a tibia, cithara a cithara? alius aliusque unius instrumenti sonus, ad alia et alia pertinens negotia.

v. 8. γὰρ, *enim*) servit gradationi: nam inferiorem gradum comprobat ulterior. — ἄδηλον, *incertam*) Unius tubae cantus alius ad alia vocat milites.

v. 9. ὑμεῖς, *vos*) *animati:* coll. v. 7. — διὰ, *per*) i. e. tum, quum lingua loquimini.

v. 10. τοσαῦτα, εἰ τύχοι) εἰ τύχοι, Lat. *verbi gratia*, coll. c. 15, 37. facit, ut τοσαῦτα habeat vim certi numeri. Si homines unquam inire potuissent numerum vocum, Paulus eum voluerat ponere. — οὐδὲν ἄφωνον, *nullum mutum*) Quodvis eorum suam habet *potestatem*, δύναμιν.

v. 11. βάρβαρος, *barbarus*) vid. Act. 28, 2. not.

v. 12. πνευμάτων, *spirituum*) Plurale, uti v. 32. c. 12, 10. Ut unum est mare, et maria multa, sic spiritus unus, et spiritus multi. *Tuba* una, edit sonos multos. — πρὸς τὴν οἰκοδομὴν, *ad aedificationem*) ut quam maxime aedificetur ecclesia.

v. 13. προσευχέσθω) *oret:* et hoc faciet eo fructu et effectu, ut ad linguam accedat interpretatio. v. seqq. Innuitur, precibus hoc impetratum iri.

v. 14. τὸ πνεῦμά μου — ὁ δὲ νοῦς μου, *spiritus meus — mens vero mea*) πνεῦμα, *spiritus* est facultas animae, quum ea Spiritus divini operationem suaviter *patitur:* at νοῦς, *mens*, est facultas animae foras progredientis et cum proximo *agentis:* adtendentis ad objecta extra se posita, res et personas alias, quanquam tamen possit esse ἀπόκρυφος λογισμός. conf. v. 20. not. sic *mens*, v. 19. πνεῦμα, penetrale τοῦ νοός. Eph. 4, 23. coll. Hebr. 4, 12. νοῦς autem a νέω, propter agitationem: conf. Alexand. Aphrod. l. 2. περὶ ψυχῆς, f. 144. ed. Ald. — ἄκαρπος, *sine fructu*) fructum habet, sed non affert. De hoc vocabulo vid. ad Matth. 13, 22.

v. 15. προσεύξομαι, *orabo*) voce. Prima persona singularis pro secunda plurali. — ψαλῶ, *psallam*) cantu vel etiam organo.

v. 16. ἐπεὶ) si id facias solo spiritu. — εὐλογήσῃς, *benedixeris*) Nobilissima species orandi. — ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, *implens locum idiotae*) Locutio haec non est mera *idiotae* paraphrasis, sed complectitur omnes, qui, quamlibet charismatis excellentes, duntaxat eam, qua quis loquebatur, linguam, juxta cum idiota non intelligebant. Eoque magis pudefacit Paulus eum, quem

---

1) *Plane cum his conveniunt, quae in* Moldenhauero *approbat cel.* D. Ernesti, *Bibl. theol. T. VIII. p.* 673. E. B.

Digitized by Google

hoc loco refutat. Frequens Hebraeis locutio, *implet locum patrum suorum*, i. e. majoribus se dignum praebet. — πῶς ἐρεῖ τὸ ἀμὴν, *quomodo dicet amen*) Sic jam tum solebant: nec solum idiotae, sed cuncti auditores dicebant, subscribentes *ei, qui benedicebat*. Atque ita etiam ii, qui non poterant multa verba facere, aliorum verba adoptabant, et suae mentis assensum declarabant. — τί λέγεις, *quid dicas*) Non modo debet scire, te nil mali dixisse, sed etiam, quid boni dixeris.

v. 18. εὐχαριστῶ, *gratias ago*) Gratiarum actionem et προθεραπείαν Paulus adhibet, laudabile quiddam de se dicturus. — πάντων, *prae omnibus*) prae singulis, vel etiam universis. — ὑμῶν, *vobis*) Saepe ii, qui minus habent, plus sibi placent et insolentius faciunt.

v. 19. πέντε λόγους) *quinque sententias*. Numerus definitus pro indefinito: bis millesima pars *myriadis*. conf. Lev. 26, 8.

v. 20. ἀδελφοὶ, *fratres*) Vocativus initio positus suavem vim habet. — τῇ κακίᾳ· ταῖς φρεσὶ) Opportune Ammonius: νοῦς μέν ἐστιν ἀπόκρυφος λογισμός· φρένες δὲ, αἱ ΑΓΑΘΑΙ διάνοιαι. Neque κακία denotat *malitiam*, sed *vitium*, sive, quicquid virtuti opponitur. — νηπιάζετε) *infantes estote*. νηπιάζω, formae ἀκμάζω, πυρράζω. — τέλειοι, *perfecti*) adeoque verum cuique rei pretium statuentes ex usu ejus.

v. 21. νόμῳ, *lege*) etiam prophetas complexa. — ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις) Es. 28, 11. LXX, διὰ φαυλισμὸν χειλέων, διὰ γλώσσης ἑτέρας. ἑτερογλώσσοις, masculinum, vel neutrum. Paraphrasis textum Esajanum ad locum Paulinum accommodans sit haec: *Non audit Me populus iste, consueta lingua loquentem: loquar ergo eis per alias linguas, hostium eis immissorum; sed ne tum quidem mihi auscultabunt*. conf. Jer. 5, 15. Quatenus Deus linguis hostium loqui dicitur, ab illis ad donum linguarum procedit paritas rationis. — οὐδ' οὕτως εἰσακούσονταί μου) Es. 28, 12. LXX, καὶ οὐκ ἠθέλησαν ἀκούειν.

v. 22. εἰς σημεῖον) *in signum*, quo allecti *auscultare* debebant, sed οὐδ' οὕτως *ne sic quidem* auscultant. — εἰσὶν) *exsistunt*. Accentus ad emphasin pertinet. — ἡ δὲ προφητεία, *prophetia vero*) scil. *in signum est*, vel simpliciter, *est*. coll. cap. 6, 13. — τοῖς πιστεύουσιν, *credentibus*) Id sumendum in ampliatione: quatenus prophetia ex infidelibus credentes facit. lingua loquens infidelem sibi relinquit. Sermo Pauli est indefinitus. Infideles fere, ubi linguae in eos incidunt, infideles manent: sed prophetia ex infidelibus fideles facit, et fideles pascit.

v. 23. ὅλη ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *tota in unum*) Id rarum, in tanta urbe. — εἰσέλθωσι δὲ, *ingrediantur autem*) hospitum ritu, vel etiam ex curiositate. — ἰδιῶται, *idiotae*) qui qualemcunque fidei gradum habent, sed charismatis non florent. Sequitur, per gradationem, *aut infideles*; qui non tam facile ingrediebantur, nec tamen arcebantur. Hoc versu loquitur Paulus in plurali, versu sequente in singulari. Plures mali se malis sermonibus impediunt: singuli, facilius lucrifiunt. — ὅτι μαίνεσθε, *vos insanire*) Non enim poterunt ardorem istum a furore discernere. hinc improbe loquentur. conf. Act. 2, 13.

v. 24. πάντες, *omnes*) *singulatim*. v. 31. — εἰσέλθῃ, *ingrediatur*) Exemplum 1 Sam. 19, 20. s. — ἄπιστος, *infidelis*) Huc refertur, *redarguitur*. coll. Joh. 16, 9. — ἰδιώτης, *idiota*) Huc refertur, *dijudicatur*. c. 2, 15. *Elenchus* ille *infidelitatis*, et *dijudicatio* illa *idioticae* ruditatis, fit ipsius prophetiae vi, etiamsi haec sine applicatione ad individua fiat. Atque hi sunt duo gradus; sequitur tertius, *occulta etc.*

v. 24. 25. ἐλέγχεται ὑπὸ πάντων, ἀνακρίνεται ὑπὸ πάντων, (καὶ οὕτω) τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας αὐτοῦ φανερὰ γίνεται· καὶ οὕτω πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, προσκυνήσει τῷ θεῷ, ἀπαγγέλλων ὅτι ὁ θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ἐστι) Prius illud, καὶ οὕτω, alienum est. namque praesens verbi γίνεται, indicat, incisum hoc, τὰ κρυπτὰ — γίνεται, arctius cohaerere cum praecedentibus, ubi sermo fluit in praesenti,

quam cum sequentibus, quae habent futurum προσκυνήσει. — ὑπὸ πάντων, *ab omnibus*) partim loquentibus, partim assentientibus.

v. 25. τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας αὐτοῦ, *occulta cordis ejus*) intima omnia cordis ethnici, talia nunquam experti, et sibi nunc primum innotescentis et de se confitentis. Praecipue enim agitur de *infideli*. *Idiota* obiter additur, ob rationem ejus non plane disparem. Deum vere in fidelibus esse, quilibet in infimo *fidei* gradu ante ingressum in coetum ejusmodi norat. — αὐτοῦ, *ejus*) hospitis non credentis. — φανερὰ γίνεται, *manifesta fiunt*) Dan. 2, 30. fin. — οὕτω) *sic* demum. — πεσὼν, *cadens*) Publica declaratio eorum, qui virtutem verbi in se sentiunt et experiuntur, hodie nimis parce fieri solet. — ἀπαγγέλλων, *pronuncians*) ultro, plane, diserte pronuncians, vel in ecclesia, vel etiam foris. conf. de hoc verbo, *Greg.* Paneg. §. 123. cum Annot. — ὅτι, *quod*) Conf. Dan. cap. cit. v. 46. 47. Argumentum pro veritate religionis, ex operationibus Dei in hominibus divinis, efficacissimum. — ὄντως, *vere*) Confitebitur, vos non furere, sed Deum vere esse in vobis, et verum Deum esse, qui in vobis est.

v. 26. ἕκαστος, *quilibet*) Fructuosior tum erat concio, quam hodie, ubi unus, quocunque est animo, tempus explere sermone debet. — ψαλμὸν ἔχει) *psalmum habet*, habitu vel actu, vel paulo ante, vel jam modo. conf. v. 30. Dabantur eis a Spiritu cantica extemporalia. Habebant singuli *psalmum*, quo Deum laudarent; vel *doctrinam* proximo impertiendam; vel *linguam*, qua sibi loquerentur quisque. Verbum ἔχει, *habet*, iteratum, eleganter exprimit divisam donorum copiam. — ἀποκάλυψιν, *revelationem*) qua Deus homini aliquid pandit: Gal. 2, 2. *revelationem* propheticam. v. 30. 29. — ἑρμηνείαν, *interpretationem*) qua homo homini *linguam* interpretetur. — οἰκοδομὴν, *aedificationem*) Optima norma.

v. 27. εἴτε, *sive*) Specialius explicat, quomodo omnia fieri possint ad aedificationem. — τὶς, *aliquis*) Nunquam debuit unus tantummodo lingua loqui; sed si unus loquebatur, debebat unus alterve subsequi, ad vindicandam Spiritus opulentiam. — τρεῖς, *tres*) *loquantur*. — ἀνὰ μέρος) divisis temporibus, vel etiam locis.

v. 28. ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, *si vero non sit*) Interpretari poterat vel is ipse, qui lingua loquebatur, v. 13. vel alter. — σιγάτω, *taceto*) *qui lingua loquitur*. — ἑαυτῷ καὶ τῷ θεῷ, *sibi ipsi et Deo*) v. 4. 2. — λαλείτω, *loquatur*) privatim.

v. 29. προφῆται δὲ, *prophetae vero*) Antitheton ad *lingua loquentes*. Prophetia stricte dicta opponitur *revelationi*: v. 6. prophetia latius dicta (perinde ut *revelatio*) opponitur *cognitioni*. ibid. iterum, *cognitionem* complectens, opponitur *linguis* v. 4. — λαλείτωσαν, *loquantur*) subaudi, ἀνὰ μέρος, *singulatim*. v. 27. — οἱ ἄλλοι, *reliqui*) sc. prophetae. — διακρινέτωσαν, *dijudicent*) etiam sermone.

v. 30. καθημένῳ) *dum sedet*, auscultans. — ὁ πρῶτος, *primus*) qui antea loquebatur.

v. 31. καθ' ἕνα, *singulatim*) ut semper singuli singulis concedant. — πάντες, *omnes*) Notanda universalitas. — πάντες μανθάνωσι, *omnes discant*) colloquendo, quaerendo, dicendo, auscultando: *omnes*, prophetae. Docendo discitur: loquendo, interrogando, discitur. v. 34. 35. [*Multi quoad spiritualia ideo, quod nihil fere de talibus loquuntur, inepti manent et languidi.* V. g.] — παρακαλῶνται, *confirmentur*) Interdum magis excitat nos alterius sermo, interdum noster.

v. 32. καὶ) *et quidem*. sic καὶ, 2 Cor. 5, 15. 1 Joh. 3, 4. — πνεύματα προφητῶν, *spiritus prophetarum*) Abstractum pro concreto: prophetae, etiam dum aguntur. — προφήταις, *prophetis*) Non dicit: *spiritibus prophetarum*. — ὑποτάσσεται, *subjiciuntur*) non ut propheta veritatem suae prophetiae propter

Digitized by

alterum neget aut abjiciat: 1 Reg. 13, 17. seqq. nam verbum propheticum est supra prophetas: v. 37. sed utne se solum postulet audiri, verum aliis quoque audiendis, dum verba faciunt, det operam, et ex illis ea, quae prae ipso accepere, discat. *subjectio*, silentis, discentis. v. 34. s. [1 Tim. 2, 12.] Omnis actus docendi involvit authentiam quandam. *subjiciuntur*, dicit; non modo *debent* subjici. Dei Spiritus hoc prophetas docet.

v. 33. ὡς, *ut*) Simillima clausula partis proximae, v. 36.

v. 34. αἱ γυναῖκες, *mulieres*) Id scribit Paulus etiam 1 Tim. 2, 11. s. et tamen inprimis Corinthiis hoc scribi expediit. conf. not. ad c. 11, 16. — ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις) *in concionibus vestris*; praesentibus viris, qui loqui possunt. — ἐπιτέτραπται) *commissum est*. — ὑποτάσσεσθαι, *subjici*) ut suam voluntatem alienae submittant. Gen. 3, 16. Ad virum est תשוקה applicatio mulieris, et quidem ut ad dominum suum. — καὶ) *etiam*. conf. c. 9, 8. not.

v. 35. μαθεῖν, *discere*) per sermonem. — θέλουσιν, *volunt*) Occupatio. — ἰδίους) *suos* potius, quam alios. — ἐπερωτάτωσαν, *interrogent*) Viris integrum erat in concione interrogare. — ἐν ἐκκλησίᾳ) *in concione* vel civili vel sacra. — λαλεῖν, *loqui*) vel docendo vel rogando.

v. 36. ἢ, ἢ, *an, an*) Vos, Corinthii, (vos item, Romani,) nec primi nec soli estis. Atqui etiam alibi silent mulieres.

v. 37. προφήτης, *propheta*) Species: *spiritualis*, genus. Ille, prae hoc, eloquio praeditus. — ἐπιγινωσκέτω, *cognoscat*) Non patitur Paulus demum quaeri, an recte scribat. — τοῦ κυρίου, *Domini*) Jesu.

v. 38. εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, *sin autem quis ignorat*) quo minus possit *cognoscere*. si quis ignorat, inquit, vel ignorare se simulat. Argumentum validum apud Corinthios, *cognitionis* avidissimos. — ἀγνοείτω, *ignoret*) q. d. Non possumus ob talem omnia projicere. habeat ille sibi. Qui sibi ita permittuntur, facilius resipiscunt, quam si invitos doceas.

v. 39. ὥστε, *itaque*) Summa. — ζηλοῦτε, *aemulamini*) Id plus, quam *non prohibete*.

v. 40. εὐσχημόνως, *honeste*) quod ad singulos attinet. — κατὰ τάξιν, *secundum ordinem*) invicem.

CAPUT XV.

v. 1. Γνωρίζω, *notum facio*) Constr. cum τίνι *quo* v. 2. conf. Gal. 1, 11. Paulus Corinthiis jam antea notum fecerat evangelium; sed nunc certiores eos facit amplius, *quo modo* illud eis evangelizarit, qua ratione, quo fundamento, quibus argumentis. Antea fuerat *doctrina*, nunc fit *elenchus*, qui versu 34. ἀγνωσίαν *ignorantiam* severe notat. — τὸ εὐαγγέλιον, *evangelium*) de Christo, maxime de ejus resurrectione. Grata appellatio, qua Corinthios allicit: et morata praefatio, qua eos quasi suspensos tenet. — παρελάβετε, *accepistis*) Praeteritum. [*Aeternam haec acceptatio obligationem involvit*. V. g.] — ἑστήκατε, *stetistis*) i. e. statum nacti estis. Praesens, in sensu.

v. 2. σώζεσθε, *salvamini*) Futurum, in sensu. v. 18. 19. — εἰ κατέχετε, *si tenetis*) *Si* hic significat spem, ut patet ex eo, quod sequitur, *nisi etc.*

[1]) v. 3. ἐν πρώτοις, *in primis*) Quae maximi momenti sunt, *in primis* doceri debent. בראשונה LXX ἐν πρώτοις, i. e. *pridem*, 2 Sam. 20, 18.: at, *primo*, Deut. 13, 9. et sic h. l. — παρέλαβον, *accepi*) a Christo ipso. Non ego finxi. conf. 2 Petr. 1, 16. — ὅτι, *quod*) Paulus dicit, se non solum resurrectionem Christi, sed etiam resurrectionem mortuorum inde fluentem, *in primis*

---

1) εἰκῇ, *frustra*] Triste vocabulum. Gal. 2, 2. 3, 4. 4, 11. *V. g.*

Digitized by Google

praedicasse fidei capitibus: quorum fidem susceperint Corinthii, antequam *baptizarentur* in nomen Christi pro ipsis *crucifixi*, adeoque etiam mortui et resuscitati. c. 1, 13. coll. Hebr. 6, 2. — ὑπὲρ) *pro*. Efficacissima locutio, *pro peccatis nostris* abolendis. Gal. 1, 4. 1 Petr. 2, 24. 1 Joh. 3, 5. Sic ὑπὲρ Hebr. 5, 3. Confer plane Tit. 2, 14. Luc. 1, 71—74. 2 Cor. 5, 15. — ἁμαρτιῶν, *peccatis*) quibus *mortem* commeriti eramus. v. 17. — γραφὰς, *scripturas*) *Multa* dicta extant in Scriptura de morte Christi. Testimonium Scripturae praemittit Paulus testimonio eorum, qui Dominum viderunt ex resurrectione.

v. 4. ἐτάφη, *sepultus est*) Matth. 12, 40. [*Arctius hic* sepultura *Christi cum* resurrectione *conjungitur, quam cum morte. Nimirum sub ipsum mortis Christi momentum virtus vitae dissolvi nesciae se exseruit.* 1 *Petr.* 3, 18. *Matth.* 27, 52. *Non receptaculum corruptioni destinatum, Christo Domino sepulcrum fuit; sed conclave vitae adeundae aptum. Act.* 2, 26. V. g.] — ἐγήγερται, *excitatus est*) Eo opportunior est copia sermonis de resurrectione Christi, quia circa tempus paschale scripta est epistola. c. 5, 7. not. Urgendum est pondus materiae de *resurrectione*, quod variis titulis hodienum elevatur. — κατὰ τὰς γραφὰς, *secundum scripturas*) quae non impleri non potuere.

v. 5. κεφᾷ, *Cephae*) Luc. 24, 34. — δώδεκα, *duodecim*) Luc. 24, 36. Probabile est, Matthiam tum quoque interfuisse. ἕνδεκα *Photius* in Amphilochiis et alii.

v. 6. ἔπειτα, *deinde*) progressione facta ad numerum majorem. — ἐπάνω πενταχοσίοις, *plus quingentis*) Illustris apparitio. His omnibus se postponit Paulus. — οἱ πλείους, *plures*) circiter 300 ad minimum. οἱ πλείους, *plerique*, ob id ipsum tam diu in vita divinitus servati, ut essent testes. [*auctoritatem nacti apostolicae affinem*, V. g.] conf. Jos. 24, 31. — μένουσιν, *manent*) in vita. Hos integrum erat percontari. Tales, Andronicus et Junias fuisse censendi sunt, Rom. 16, 7. — καὶ, *etiam*) Hos testes allegare non minoris erat. Hac fide obierant. — ἐκοιμήθησαν, *obdormierunt*) ut resurrecturi.

v. 7. [1]) πᾶσιν, *omnibus*) Apostoli videntur hic plures dici, quam illi duodecim, v. 5.: strictiori tamen sensu, quam Rom. l. c.

v. 8. ἔσχατον δὲ πάντων) *ultimo omnium*: vel potius, *post omnes*, ut se excludat. Etiam post Stephanum. Deut. 31, 27. 29. ἔσχατον τοῦ θανάτου μου κτλ. [*Non excluduntur hac locutione apparitiones* postmodum *insecutae. Act.* 23, 11. V. g.] — ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, *tanquam abortui*) LXX, ἔκτρωμα, Num. 12, 12. Articulus vim habet. Paulus se unum sic appellat, pro statu apparitionis, et pro tempore praesenti scriptionis. Quod inter liberos est ἔκτρωμα *abortus*, inquit, id ego sum in apostolis: et hoc uno verbo se plus deprimit, quam ullis aliis modis. Ut abortus non est dignus humano nomine, sic apostolus negat se dignum apostoli appellatione. Metaphora inde, unde etiam *regeneratio* dicitur. 1 Petr. 1, 3. εἰ in ὡσπερεὶ nonnihil mitigat: *ut si*. docet, non debere hoc nimium premi. — κἀμοί. *etiam mihi*.) Hoc eleganter ponitur in fine periodi.

v. 9. ἐλάχιστος) Latine, *Paulus*, *minimus*. — ὅς, *qui*) Incrementum habet oratio. — ἐδίωξα, *persecutus sum*) Fideles etiam post resipiscentiam imputant sibi, quae semel patrarunt.

v. 10. χάριτι, *gratia*) sola. — ὅ εἰμι, *quod sum*) i. e. apostolus, qui Christum vidi. — οὐ κενὴ, *non vacua*) Probat Paulus auctoritatem evangelii et testimonii sui ab effectu. — αὐτῶν, *illis*) Hoc refertur ad v. 7. — πάντων, *omnibus*) singulis. — σὺν ἐμοὶ, *mecum*) *Cum* particula conveniens, quia dicit *laborari*. conf. Marc. 16, 20.

v. 11. κηρύσσομεν, *praedicamus*) uno ore, omnes apostoli. — ἐπιστεύ-

---

1) Ἰακώβῳ, *Jacobo*] Minori. *V. g.*

Digitized by Google

σατε, *credidistis*) Fides semel suscepta fundat fidem subsequentem: et titubantes non modo obligat, sed saepe etiam retinet firmitas prima.

v. 12. εἰ) *si*. Particula affirmans. — πῶς, *quomodo*) Nexus inter resurrectionem Christi ex mortuis et mortuorum erat Paulo longe evidentissimus. Qui vero resurrectionem in genere pro impossibili habebant, ne Christi quidem resurrectionem credere poterant. — τινὲς) *aliqui*, sine dubio ex gentibus. Act. 17, 32.

v. 13. εἰ δὲ, *si vero*) Instituit regressum, et enumerat, quae v. 3—11. allegavit.

v. 14. κενὸν — κενὴ, *vacua — vacua*) contra ac vos ipsi agnovistis. v. 11. κενὴ, sine vera re. diff. ματαία, *vana*, v. 17. sine usu.

v. 15. ψευδομάρτυρες, *falsi testes*) Non licet praedicare de Deo, quod non ita est; tametsi gloriosum videatur. Falsi testes sunt v. gr. Negotiatores, qui quaestus sui causa terrae motus, eluviones, aliosque magnos casus, e remotis fingunt locis, animasque ceteroqui non nimis credulas ad cogitationes et collocutiones de judiciis *divinis*, in thesi bonas, in hypothesi erroneas inducunt.

v. 17. ἁμαρτίαις, *peccatis*) etiam cocci ethnicismi. v. 34. [*spe vitae aeternae cassi*. V. g.]

v. 18. ἀπώλοντο, *perierunt*) *fuerunt, nulli sunt*. Loquitur Paulus sub conditione: sub ea conditione ethnicus poterat, resurrectionem negans, mortuos perinde aestimare, ac si nunquam fuissent. Neque hic opus erat, a Paulo distincte exprimi, quid sit, *in peccatis esse*.

v. 19. εἰ, *si*) Praecedit hunc versum et v. 18. propositio eorum, quae tractantur v. 20. ss. Et hoc versu est propositio eorum, quae tractantur v. 29—34. — ἐν, *in*) ἐν, *quod attinet*. i. e. si spes nostra in Christo fixa intra hujus μόνον *tantummodo* vitae fines tota vertitur. — ζωῇ, *vita*) Non facile hanc vitam Scriptura *vitam* dicit; saepius, αἰῶνα, *seculum*. hic dicitur κατ' ἄνθρωπον, uti Luc. 16, 25. — ἠλπικότες ἐσμὲν, *speravimus*) *credidimus* cum laeta exspectatione futuri. — ἐλεεινότεροι, *miserabiliores*) Comparativus proprie: nam si superlativi vim haberet, articulus praecederet. *miserabiliores sumus omnibus hominibus*: ceteri *homines omnes* nec falsa spe lactantur, et praesentis vitae fructum libere percipiunt; nos, si mortui non resurgunt, falsa spe lactamur stolide, et, per abnegationem nostri et mundi, certum praesentis vitae fructum amittimus, dupliciter miserabiles. Jam nunc *beati* sunt Christiani: sed non in iis rebus, quibus ceteri homines pascuntur; et sublata spe alterius vitae, praesens laetitia spiritualis imminuitur. Praesentissimum in Deo gaudium habent fideles, et ideo jam sunt beati: sed si non est resurrectio, gaudium illud magnopere debilitatur. Hoc momentum est alterum: prius momentum est, quod Christianorum beatitas non est sita in rebus mundanis. Utroque momento confirmatur felicitas ex spe resurrectionis.

v. 20. νυνὶ, *nunc*) Declarat Paulus, non esse inane praeconium, non esse vanam fidem: abolita esse peccata: non esse nullos, in Christo defunctos: non hac vita terminari spem Christianorum. — ἀπαρχὴ, *primitiae*) scil. οὖσα vel ὤν. *Primitiarum* mentio egregie convenit tempori paschali, quo tempore scriptam hanc epistolam paulo superius notavimus: imo ipsi diei resurrectionis Christi, qui item erat postridie sabbati. Lev. 23, 10. 11.

v. 21. καὶ) *etiam*. ἐπειδὴ γὰρ, *siquidem enim* hic habet apodosin.

v. 22. πάντες ἀποθνήσκουσιν, *omnes moriuntur*) *Moriuntur*, inquit, non in praeterito, uti v. gr. Rom. 5, 17. 21. sed in praesenti, quo apertius in antitheto loquatur de resurrectione etiamnum futura. Et dicit, *omnes*. Moriuntur in Adamo maxime impii; sed Paulus loquitur hic de piis, quorum ἀπαρχὴ *primitiae* Christus est: atque hi ut in Adamo omnes moriuntur, sic etiam in Christo

Digitized by Google

omnes vivificabuntur. Scriptura ubicunque cum fidelibus agit, de ipsorum resurrectione agit primario; 1 Thess. 4, 13. s. de impiorum resurrectione, incidenter. — ἐν τῷ χριστῷ, *in Christo*) Hoc emphasin habet in hoc commate. Posita resurrectione Christi, ponitur omnium vivificatio. — ζωοποιηθήσονται, *vivificabuntur*) Dixerat: *moriuntur*, non, ἀποκτείνονται, *occiduntur*: nunc, non *reviviscent*, sed *vivificabuntur*, virtute non sua.

v. 23. ἕκαστος — ἀπαρχὴ — ἔπειτα) Ter hoc versu subaudiendum ἐστὶ vel εἰσί. Versu 24. item subauditur *est*. — τάγματι) *ordine* divinitus constituto. τάξις tamen est abstractum, τάγμα concretum. Conjugatum, ὑπέταξεν, v. 27. — ἀπαρχὴ, *primitiae*) Vis hujus verbi complectitur vim verbi ἀρχὴ, *initium*, cui ex opposito respondet *finis*. — ἔπειτα — εἶτα) Ἔπειτα magis disjungit: εἶτα magis copulat. v. 5. 6. 7. ἔπειτα, *posterius*, comparativo opposito ad *primum*, v. 46. cujus, *primum*, vis inest in *primitiae* h. l. εἶτα, *postea*, sensu magis absoluto. Disjunctiva vis τοῦ ἔπειτα et copulativa τοῦ εἶτα, clara est v. 5. 6. 7. Conjunguntur enim οἱ *Duodecim* cum *Kepha* per εἶτα· disjunguntur *Quingenti*, et ab his *Jacobus*: Sed copulantur huic, per εἶτα, *Apostoli*. Itaque qui per ἔπειτα memorantur, quasi per parenthesin interponuntur. Sed hic, v. 23. videtur res ambigua. Si dichotomiam instituas, potes vel Christum et eos qui Christi sunt uni membro dichotomiae inserere, atque alteri τὸ τέλος, *finem*: vel Christum, solum, principalissimum, ponere, et alteri lateri eos qui Christi sunt et *postea* τὸ τέλος, *finem* adjungere. Priore modo Christiani sunt appendix capitis sui: posteriore modo Christus retinet suam ubique praerogativam, et cetera in unum coacervantur latus. Priore modo post χριστὸς in textu ponitur comma, posteriore etiam colon: et sic εἶτα sensum magis absolutum, et tamen vim copulativam prae τῷ ἔπειτα retinet. Describit Paulus totum processum resurrectionis, cum iis, quae illam sequentur; eoque ipsam resurrectionem reddit credibiliorem. Nam haec necessario requiritur, ut res eo perducatur, ut Deus sit omnia in omnibus. — οἱ τοῦ χριστοῦ, *qui sunt Christi*) Suave polyptoton, χριστὸς, χριστοῦ. Christiani sunt quasi appendix τῆς ἀπαρχῆς, *primitiarum*. Eodem tempore resurgent impii; sed illi non veniunt sub hunc beatum censum. — ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, *in adventu ejus*) tum erit *ordo* Christianorum. 1 Thess. 4, 16. Non alii post alios resurgent illo tempore. Non appellat Paulus *judicium*; quia cum fidelibus agit.

v. 24. εἶτα, *postea*) post resurrectionem *eorum, qui Christi sunt*, qui, ut *rex*, inter resurrectionem et inter finem, judicium peraget. — τὸ τέλος) *Finis*, resuscitationis omnis. Correlatum *primitiarum*. In hoc fine omnes *ordines* suum nanciscentur complementum. 1 Petr. 4, 7. Rom. 6, 22. Hoc nomen continet vim verborum *tradiderit* et *destruxerit*. Vide, quanta mysteriorum pondera apostolus deducat ex syllabis propheticis עד et כל Ps. 110, 1. 8, 6. Gr. ἄχρις, *usque*, et πάντα, *omnia*. Itaque etiam verba sunt θεόπνευστα. Nam quae horum ratio, eadem omnium est. — ὅταν — ὅταν) *quum* —: nempe, *quum*. Prius declaratur per alterum: et ad prius refertur pars prior versus sequentis; ad alterum, pars altera. Simulac Filius Patri regnum tradiderit, Pater destruet *omne imperium*: et traditio regni fit, ut fiat abolitio *omnis imperii*. — παραδῷ τὴν βασιλείαν, *tradiderit regnum*) Non incipiet tum regnare Pater, sine Filio: neque desinet tum Filius, sine Patre, regnare. nam regnum divinum et Patris et Filii est ab aeterno et erit in aeternum. Sed sermo est de regno Filii mediatorio, quod tradetur; et de regno Patris immediato, cui tum locus fiet. Interjecto tempore Filius negotium, quod ei Pater dedit, gerit, pro suis et per suos, pro electis, per angelos etiam, et apud Patrem, et contra hostes, dum horum vel conatus superest. Regnum, quatenus Pater Filio dedit, Filius Patri tradet: Joh. 13, 3.: nec Pater, quum Filium regem constituit; nec Filius, cum regnum Patri tradit, regnare desinit: atque eo ipso, quod non *abolendum*, sed *Patri tradendum* dicitur, signifi-

catur, id ipsum quoque infinitae esse majestatis. Gloria autem antemundana, etiam post traditionem illam manebit: Joh. 17, 5. Hebr. 1, 8. neque secundum humanam naturam rex esse desinet. Luc. 1, 33. [1]) Si cives novae Jerusalem regnabunt in secula seculorum, Ap. 22, 5.: quanto magis regnabit Deus et Christus? — τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, *Deo et Patri*) Duplex respectus. Consideratur et ut Deus et ut Pater, ad Christum, Joh. 20, 17. etiam exaltatum, Ap. 3, 12. 21. et ad fideles. Col. 3, 17. Consideratur, ut Deus, adversum hostes. — καταργήσῃ, *aboleverit*) *Deus et Pater.* de quo etiam dicitur *ponat* et *subjecit.* Pari ratione sermo ad alium in tertia persona flectitur v. 25. et 29. — πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν, *omne imperium et omnem potestatem et potentiam*) *Imperia et potestates* dicuntur etiam de potestatibus humanis, Tit. 3, 1. saepius autem de angelicis, Col. 1, 16. idque in concreto, ut ipsas denotent substantias: hic autem in abstracto, uti βασιλείαν, de *regno* Filii. neque enim substantiae angelicae destruentur. ἀρχὴ notat *imperium:* huic subordinatur ἐξουσία, *potestas,* magistratus, et δύναμις, *exercitus, copiae.* ἐξουσία et δύναμις, magis conjunctae, commune habent epitheton *omnem.* Significatur hic non modo imperium, potestas, copia hostium, v. 25., qualis est mors, v. 26., sed *omnis,* etiam bonorum angelorum. Nam ubi rex, debellatis hostibus, arma deponit, vacatio datur militibus. neque indignum his est verbum καταργεῖν, *abolere.* c. 13, 8. 2 Cor. 3, 7.

v. 25. δεῖ, *oportet*) Praedictum enim est. — αὐτὸν, *illum*) Christum. — βασιλεύειν, *regnare*) רדה *dominare in medio hostium tuorum.* Ps. 110, 2. — ἄχρις οὗ ἂν, *usque dum*) Ulterius non opus erit. — θῇ, *ponat*) Pater. — πάντας, *omnes*) Inserit hoc Paulus, ut transitum paret ad ea, quae sequuntur. — τοὺς ἐχθροὺς, *hostes*) corporales et spirituales. Subaudi, *ejus,* ex illo, *pedes ejus,* scil. *Filii.* sed elegans est jam ellipsis: quoniam Christus eos, quatenus *Christi* hostes erant, pridem *destruxit;* quatenus nostri, eos *destruet.* Ad peractum jam triumphum ejus residua pars victoriae se habet, ut ad orbem alicujus monarchiae humanae subjugatum margo ejus quispiam aut angulus.

v. 26. ἔσχατος, *novissimus*) Praegnans enunciatio: *Mors* est hostis: est hostis, qui destruitur: est hostis, qui destruitur novissimus. novissimus autem, id est, post Satanam, Hebr. 2, 14., et post peccatum: v. 56. nam eodem ordine invaluerunt; et Satanas invexit peccatum, peccatum peperit mortem. Illi hostes aboliti sunt: ergo etiam mors aboletur. Dices: *Nonne omnium hostium par est ratio? nam quatenus ceteri sunt aboliti, etiam mors est abolita.* 2 Tim. 1, 10. *ergo quatenus mors manet, etiam ceteri hostes manent adhuc: neque adeo mors aboletur ultima.* Resp. Christus, quatenus ipse cum hostibus olim conflixit, primo Satanam, per mortem suam; deinde peccatum, in morte; postremo mortem, in resurrectione devicit: eodemque ordine hostium potestati eripit fideles universos; eodem hostes ipsos destruit. Iterum dices: *Quomodo mors ultima aboletur, si resurrectio mortuorum praecedit abolitionem OMNIS IMPERII?* Resp. Resurrectionem statim sequitur judicium, cum quo conjuncta est abolitio *omnis imperii:* atque hanc statim excipit abolitio mortis cum inferno. Ordo abolitionis describitur Ap. 19, 20. 20, 10. 14. Debet autem sermo accipi reduplicative: hostes destruentur, ut hostes. Namque etiam postea Satanas erit Satanas; infernus, infernus; hoedi, maledicti. Destruentur scilicet prius, ante mortem, hostem novissimum, non ut plane non sint, sicut mors; neque ut non sint, quod audiunt, nempe Satanas, infernus, maledicti: sed ut non sint hostes, resistentes, repugnare valentes. nam fient debellati, imbelles, capti, supplicio affecti, sub pedibus Domini nostri. Abolitio *OMNIS IMPERII* non debet ad abolitionem hostium

---

1) *Eundem locum, coll.* Dan. 7, 14. *huc refert* S. R. D. Moldenhauer *ad h. l., saepissime cum* Bengelio *consentiens, e. g.* v. 32. 49. *etc.* E. B.

Digitized by Google

accenseri: abolitio autem potestatis inimicae juxta Apoc. 19, 20. etiam ante abolitionem mortis fit, quam subsequitur abolitio *OMNIS* potestatis, *OMNIS* imperii. Etiam boni angeli nanciscuntur vacationem. — ἐχθρὸς, *hostis*) Mors, hostis: itaque homini initio non fuit naturalis. Qui negabant resurrectionem, negabant etiam immortalitatem animae. Illa vindicata, haec vindicatur. — καταργεῖται, *destruitur*) Praesens, pro futuro. — ὁ θάνατος, *mors*) Mentione mortis continetur etiam *infernus*, quatenus destruendus. v. 55.

v. 27. πάντα γὰρ, *omnia enim*) ne morte quidem excepta. Psalmus videri posset hac syllaba כֹּל *omnia*, animalia duntaxat et astra, quae appellat, innuere: sed multo eum longius spectare, docet apostolus. *Bona*, subjiciuntur lautissima conditione; *mala*, tristissima. nam haec *abolentur*, et scabellum pedum fiunt. — ὑπέταξεν, *subjecit*) *Deus et Pater*. Conf. ad ὑποταγὴν, Eph. 1, 22. Phil. 3, 21. Hebr. 2, 8. 1 Petr. 3, 22. *subjiciet*, suo tempore: jam *subjecit*, quia *dixit*. — ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ) *Sub pedes ejus* subjecti sunt non modo hostes, sed etiam cetera. Eph. 1, 22. Locutio est synecdochica: *omnia* ei subjiciuntur: et ea quae se opponunt neque subjecta esse volunt, plane ad pedes detruduntur tanquam scabellum. Est sane discrimen inter τὸ *subjici sub pedes* et inter τὸ *dari in manus*. Non tamen illud tam crudeliter intelligere licet: alias non haberet locum exceptio *praeter eum qui subjecit*. — εἴπῃ, *dicat*) propheta. Hebr. 2, 6. — δῆλον, *manifestum*) Nam Pater non subjicitur Filio; *sed* (δὲ, v. 28.) Filius Patri. Summam rerum omnium ex Psalmo potenter et sapienter demonstrat apostolus.

v. 28. ὑποταγῇ, *subjecta fuerint*) ita ut in aeternum mansura sint subjecta. — τότε) *tum* demum. Antea conflictandum semper est cum hostibus. — καὶ) *etiam*. — αὐτὸς) *ipse*, ultro. *Ipse* hic facit antitheton ad *omnia*, ut infinita denotetur excellentia Filii: et praeterea, ut saepe, significat quiddam *voluntarium*: nam Filius se subordinat Patri: Pater Filium glorificat. Gloriosius est nomen Dei et Patris, et Filii, quam Regis. Hoc nomen ab illo absorbebitur, ut antea ex illo fluxerat. — ὁ υἱὸς, *Filius*) Christus, secundum utramque naturam, etiam divinam. id quod non tam ex eo colligas, quia *hic* Filius appellatur, conf. not. ad Marc. 13, 32., quam quia expresse consideratur in relatione ad Patrem. Nec tamen hic sermo est de Filio, quatenus Pater et Filius unum sunt, quae quidem unitas essentiae hic praesupponitur; sed respectu oeconomiae, quatenus Pater ei omnia subordinavit. — ὑποταγήσεται) *subordinabitur*. hoc enim verbum magis et proprium est et dignum, quam, *subjicietur*. Aptissimum verbum ad res diversissimas denotandas. Plane enim alia est subordinatio Filii ad Patrem, alia creaturarum ad Deum. Filius Patri subordinabitur eo modo, quo antea non fuerat subordinatus. namque in regno mediatorio separatus quodammodo fulgor Filii a Patre fuerat: deinceps autem Filius Patri plane subordinabitur. eaque *subordinatio* Filii erit plane voluntaria, ipsi Filio optata atque gloriosa: non enim subordinabitur veluti *minister*, Hebr. 1, 14. coll. anteced. sed tanquam Filius. [*Scilicet in humanis quoque non* subditorum *duntaxat, sed* filiorum *etiam est subordinatio. Luc.* 2, 51. *Hebr.* 12, 9. V. g.] Medium igitur verbum est ὑποταγήσεται, non passivum. *Bonum meum*, inquit, *non est praeter TE*, Jehovah. Ps. 16, 2. Hesshusius: *Subjectio et obedientia Filii erga Patrem non tollunt aequalitatem potentiae, nec essentiae diversitatem probant. Filius in omni aeternitate reverentia summa agnoscit, quod ab aeterno a Patre sit genitus: agnoscit etiam, quod regnum spirituale a Patre acceperit, et dominus totius orbis sit constitutus. Hanc suam sanctissimam reverentiam, subjectionem et filialem amorem, toti creaturae demonstrabit, ut omnis honor Patri aeterno tribuatur. Verum hic nihil decedit Filio; siquidem Pater vult, ut omnes honorent Filium, quemadmodum Patrem. Joh.* 5. Exam. p. 10. — ἵνα ᾖ ὁ θεὸς πάντα ἐν πᾶσι, *ut sit Deus omnia in omnibus*) Significatur hic novum quiddam, sed idem summum,

ed by Google

ac perenne. *Omnia* (adeoque omnes) sine ulla interpellatione, nulla creatura occupante, nullo hoste obturbante, erunt subordinata Filio, Filius Patri. *Omnia* dicent: *Deus est mihi omnia.* Hoc τέλος est, hic *finis* et apex. Ultra, ne apostolus quidem quo eat habet. Ut in Christo non est Graecus, Judaeus, circumcisio, praeputium, barbarus, scytha, servus, liber, sed omnia et in omnibus Christus: Col. 3, 11. sic tum non erit Graecus, Judaeus etc. neque *principatus, potestas* etc. sed Deus omnia in omnibus. Ab impiis in mundo habetur Deus pro nihilo; Ps. 10, 4. 14, 1. et apud sanctos multa obstant, ne sit unus omnia apud ipsos: sed tum erit omnia in omnibus.

v. 29. s. ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν; τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν;] Primum de distinctione hujus versiculi dicemus aliquid. Incisum hoc, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, recte multi cum sequentibus jampridem connectunt. nam ejusdem incisi vim in priore hemistichio exhaurit particula sola ἐπεί. εἰ inchoat sententiam, uti v. 32. bis, et saepe v. 12. seqq. Hinc ad νεκροὶ refertur αὐτῶν, pronomen.[1]) Porro de *baptismo super mortuis* tanta est interpretationum varietas, ut is, qui, non dicam, varietates ipsas, sed varietatum catalogos colligere velit, Dissertationem scripturus sit. Nec martyria, nec baptismi super sepulcris etc. jam tum erant, Corinthi praesertim: sed baptismus super sepulcris, et baptismus pro utilitate mortuorum, ex sequiore hujus ipsius loci interpretatione sumtus est; sicut ignis usus apud Aegyptios et Abyssinos in baptizatis, ex Matth. 3, 11. Saepe, ubi opinione proprior et facilior est interpretatio germana, e longinquo petitur. Nobis notanda I. Paraphrasis: *Alioqui quid agent qui baptizantur super mortuis? si plane mortui non resuscitantur, quid etiam baptizantur super iis? quid etiam nos periclitamur omnem horam?* II. Sensus phraseos, βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *baptizari super mortuis.* baptizantur enim *super mortuis* ii, qui baptismum et christianismum suscipiunt eo tempore, quum mortem ante oculos positam habent, jam jamque vel ob decrepitam aetatem, vel ob morbum aut luem, vel per martyrium *ad mortuos accumulandi*, omni fere fructu hujus vitae carentes, *derelictes* ad mortuos, et mortuis quasi *imminentes.* qui dicere possent קברים לי *sepulcra mihi* praesto sunt. Job. 17, 1. III. Prior versiculi pars est lenior: posterior vero, quae a *si plane* incipit, habet epitasin, in protasi sua per *omnino* et in apodosi per *etiam* expressam, quae duae particulae inter se respondent: eademque apodosis anaphoram habet, duas partes ejus per *quid etiam* jungentem. IV. Nexus sermonis. Argumento de Christi resurrectione, ex qua resurrectio nostra fluit, innectit Paulus *propositionem* duorum (plura quidem sunt quam duo: sed absurda antecedentia repetuntur ex prioribus satis jam refutata:) absurdorum, quae, si mortui non resurgant, si Christus non resurrexerit, emergant: et expedito interim argumento de Christo, v. 20—28., duo absurda illa refutat per *tractationem* paulo uberiorem, ex argumento de Christo nervis auctam. Posterius absurdum (hoc enim evidentiorem habet rationem) de miseria christianorum in hac vita, proposuit versu 19., et tractat versu 29. med. et seqq. *si plane:* similiterque prius, de interitu christianorum defunctorum proposuit versu 18., et nunc tractat vel repetit vel declarat parte versus 29. priore. V. Vis argumenti apostolici: quae per se et evidentissima est et urgentissima. VI. Verborum singulorum constans sibi proprietas. α) *quid facient?* est futurum, respectu salutis aeternae. i. e. frustra erunt, nil agent tales baptizati, si defuncti sopiuntur somno sempiterno. β) *Baptismi* vocabulum notione usitata perstat: et sane in hac epistola Paulus frequentiorem,

1) Vers. germ., *nomen* τῶν νεκρῶν, *loco pronominis*, in *fin. vers.*, *repetens et* a Gnomone *abludit et ab* utriusque Ed. *margine.* E. B.

Digitized by Google

quam in ulla alia, baptismi mentionem fecit. c. 1, 13—17. 10, 2. 12, 13. γ) ὑπὲρ praepositio cum genitivo varie sic quoque posset accipi: de objecto simpliciter, ut Latini dicunt *super, de, quod attinet*: hoc sensu, *ut mortuos, sine consideratione resurrectionis, sibi proponant*; vel de impendendo quasi pretio, *ut mortuos pro nullis reputent*; vel de acquirendo pretio, *ut ad mortuos aggregentur in perpetuum*: sed retinemus proprietatem, qua ὑπὲρ notat *propinquitatem super aliqua re imminentem*; quo modo Theocritus appellat ἀσφόδελον τὸν ὑπὲρ γᾶς, *asphodelum humi nascentem*. Idyll. 26. Plura exempla dant lexicographi, u Thucydide maxime. Sic baptizantur *super mortuis* ii, qui mox post baptismum ad mortuos aggregabuntur: quo pacto *super mortuis* hoc loco dicitur, ut si diceretur *super sepulcro*, uti Luc. 24, 5., *cum mortuis*, i. e. in sepulcro. Neque incredibile est, saepe baptismum apud funera administratum fuisse. δ) Vocabulum *mortuorum* proprie sumitur, de mortuis, in genere, ut articulus quoque poscit, tam late sumtis, quam patet resurrectio. ε) Adverbium ὅλως, Lat. *plane*, adhibet inductus a Paulo Corinthius, resurrectioni morosius refragatus, neque de jacturis commodorum etiam hujus vitae, quae in baptismo fiant, cogitans. et εἰ ὅλως perinde ponitur, ut ἐπειδὴ ὅλως apud Chrysost. homil. 5. c. Anomoeos: *Veruntamen*, inquit, *etsi parum differt homo ab angelo*, ἐπειδὴ ὅλως ἐστί τι μέσον, *quum aliquid nihilominus interest*, *haud scimus accurate, quid sint angeli.* ς) καὶ non παρέλκει, sed intendit vim praesentis temporis βαπτίζονται, *quid agunt, qui baptizantur?* in antitheto ad futurum, τί ποιήσουσιν; *quid agent?* Confer καὶ, 2 Cor. 1, 14. 11, 12. Phil. 3, 7. 8. 4, 10. Nempe eos, qui super mortuis baptizantur, quasi in articulo mortis constituit Paulus, et iis neque in futurum, negata resurrectione, neque in praeteritum, quicquam mercedis remanere ostendit. Videtur Paulus eos redarguere, qui et resurrectionem corporum et immortalitatem animae negabant. Illa vindicata haec satis superque vindicatur. Estque haec συγκατάβασις Scripturae, quod propter imbecilles et simplices non se inmittit in illam subtilem litem, sed rem in ea parte prehendit, quae facilior est demonstratu et tamen demonstrationem partis difficilioris etiam secum vehit. ζ) Duo commata a τί incipientia pulcre cohaerent; cum gradatione, ab iis, qui aliquantisper duntaxat hac vita frui possent, ad *(nos,)* eos, qui diutius frui possent, nisi spem in Christo fixam haberent. — νεκροὶ, *mortui*) Toto hoc capite, in quaestione, *an*, Paulus νεκροὺς dicit sine articulo: deinde hac expedita, in quaestione *quomodo*, v. 35. etc. articulum adhibet. τῶν autem hoc versu vim relativam habet.

v. 30. ἡμεῖς, *nos*) apostoli. c. 4, 9.

v. 31. ἀποθνήσκω, *morior*) non solum periculo semper proposito, 2 Cor. 1, 8. s. 11, 23., sed etiam ipsa *mortificatione* perpetua. Congruit hoc toti sermoni. — νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν,[1]) ἣν ἔχω ἐν χριστῷ ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, *per vestram gloriationem, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.)* In jurando vel asseverando, si humana persona allegatur, ea solet allegari, quae ut dignior praefertur, adeoque interdum tertia, Gen. 42, 15. 16., νὴ τὴν ὑγίειαν φαραώ· interdum prima, 2 Sam. 3, 35., τάδε ποιήσαι μοι ὁ θεὸς καὶ τάδε προσθείη· conf. ibid. v. 9. sed plerumque secunda. 1 Sam. 1, 26. ζῇ ἡ ψυχή σου. ibid. c. 3, 17. τάδε ποιήσαι σοι ὁ θεὸς καὶ τάδε προσθείη. Ita Paulus hic allegat Corinthiorum lautissimum vitae etiam spiritualis statum, suae ipsius morti oppositum, quam pro gloriatione illorum sustinebat: conf. c. 4, 8. seqq. 2 Cor. 4, 12. 15. Phil. 1, 26. Eph. 3, 13. et ideo allegat, ut ipsos Corinthios commoveat. Non attenderunt hoc, qui pro ὑμετέραν scripsere ἡμετέραν. Sequitur prima quidem persona, ἣν ἔχω,

---

1) *Vocativus* ἀδελφοὶ, *tum in marg.* utriusque Ed. *firmioribus lectionibus annumeratus, tum in* Vers. germ. *receptus, exulat h. l.* E. B.

sed singulari numero: ac refertur ἥν non ad ὑμετέραν καύχησιν, sed ad καύχησιν· sic enim interdum relativa solent poni. Gal. 1, 6. 7. Eph. 2, 11., ubi *dicta circumcisio* concretum est, et additur tamen *in carne manu facta*, quod nonnisi abstracto congruit. 1 Tim. 6, 20. s. 2 Tim. 1, 5. Ostendit Paulus, se non temere mori quotidie, sed participem esse gloriationis Corinthiorum. 2 Cor. 4, 14.

v. 32. εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν ἐφέσῳ, τί μοι τὸ ὄφελος; εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν. *si secundum hominem cum bestiis pugnavi Ephesi, quae mihi utilitas? si mortui non excitantur, edamus et bibamus, cras enim morimur*) Incisum hoc, *si mortui non excitantur*, recte pridem sequentibus verbis annectitur: nam in antecedentibus vim ejus repraesentat formula, *secundum hominem:* id est, si humanitus, humano auctoramento, spe vitae praesentis duntaxat, non spe resurrectionis divinitus exspectandae, cum bestiis pugnavi Ephesi etc. — ἐθηριομάχησα ἐν ἐφέσῳ, *cum bestiis pugnavi Ephesi*) Hoc unum certamen Paulus nominatim commemorat, non solum, quia praegrande, sed etiam, quia recentissimum. Ephesi adhuc erat: c. 16, 8. s. atque ibi habuerat, ante epistolam hanc scriptam, discrimen singulare, quod describi videtur Act. 19, 29. s. 2 Cor. 1, 8. quapropter *pugnam cum bestiis*, quâ vita agebatur, appellat. coll. c. 4, 9.: sicut Ephesios Heraclitus Ephesius 400 ante annis θηρία solitus fuerat appellare. conf. Tit. 1, 12., de Cretensibus et Epimenide. — φάγωμεν — ἀποθνήσκομεν, *edamus — morimur*) Sic plane LXX, Es. 22, 13. Id est, utamur corporis et vitae praesentis bonis. Mimesis *colloquii mali.*

v. 33. μὴ πλανᾶσθε) Medium. — φθείρουσιν) *corrumpunt.* Conjugatum, *corruptio,* v. 42. Sententiam Menandri notam subliniore sensu adhibet et opponit symbolo Epicureo, v. 32., mox v. 34. graviorem stimulum adhibiturus. [*Sane pravorum sermonum et* proverbiorum *ingens est in vita humana multitudo, quibus quamplurimi res utui sanctas et salutares repellunt, suamque proteruiam tueri student atque hypocrisin. Ejusmodi dicteria Israëlitis quoque frequentata sunt. Ez.* 11, 3. 15. 12, 22. 18, 2. V. g.] — ἤθη, *mores*) Boni mores sunt, quibus homo a rebus caducis ad aeterna transit. — χρηστὰ) bonos, vel etiam *faciles, leves.* vid. Scap. ad hanc vocem col. 1820. Conf. Rom. 16, 18. — κακαὶ, *mala*) fidei, spei, amori adversa. Contra, boni sermones, de resurrectione, perimunt gulam et pravos mores.

v. 34. ἐκνήψατε) Exclamatio plena majestatis apostolicae: *excutite veternum* sive *crapulam*, v. 32. Sic LXX, ἐκνήψατε οἱ μεθύοντες, Joel 1, 5. Mitius dicit, *vigilate,* in conclusione, c. 16, 13. — δικαίως, *juste*) ea justitia, quae fluit ex vera Dei agnitione. Antitheton, *peccare*, et, *mores corrupti*, v. 33. — καὶ μὴ ἁμαρτάνετε) Imperativus post imperativum habet vim futuri: (Joh. 7, 37. not.) *et non peccabitis,* vel per errorem intellectus, vel per malos sermones, vel per corruptos mores. qui peccatum in voluntate sola, ac non in intellectu collocant, errant adeoque peccant. Argumentis probantibus adduntur commoventia, uti Gal. 4, 12. not. nam Scriptura totum hominem instruit. — ἀγνωσίαν, *ignorantiam*) ἀγνωσία, et *ignorantia,* 1 Petr. 2, 15., et *oblivio*, 3 Macc. 5, 24.: κατὰ πᾶν ἀγνωσίᾳ κεκρατημένος. *Ignorantiam habere* gravior est phrasis, quam *ignorare:* et includit antitheton ad *scientiam,* quae alias Corinthiis placebat. — θεοῦ, *Dei*) adeoque etiam *potentiae* et *operum* Dei. Matth. 22, 29. — τινὲς, *aliqui*) Temperat elenchum. — ἐντροπὴν, *pudorem*) Corinthii magnam sibi *cognitionem* vindicabant. Turpe, ignorantia, somnolenta, unde evigilandum. — ὑμῖν, *vobis*) qui vel ignoretis, vel ignorantes habeatis. Est tamen simul dativus commodi. — λέγω, *dico*) Parrhesia. Severius loquitur, quam initio, de alia re, cap. 4, 14.

v. 35. τὶς) *aliquis,* qui ex ignoratione *modi* rem ipsam audeat negare, quia mors tanta fuerit destructio, et resurrectio dicatur tam gloriosa fore. — δὲ,

Google

vero) ἐπίτασις. — ἔρχονται, *veniunt*) Viventes dicuntur *manere*, v. 6.: mortui, ἀπελθόντες, *abeuntes*, Chrys. de Sacerd. p. 494.: et *redeuntes*, Ps. 90, 3. Coh. 12, 7. At redivivi, *veniunt:* ac potius *venire*, quam *redire* dicuntur, propter summam illam novitatem. v. seqq. Conf. Act. 1, 11. not. Paulus ad Corinthios in quaestione *an* haerentes, quaestionem *quomodo* ita tractat, ut identitatem corporis cadentis ac resurgentis, aliquanto quasi remissius ac parcius, quam alias solet, exprimat.

v. 36. ἄφρον, *insipiens*) Miratur apostolus, quenquam hic haerere posse. adeo certum ipse habebat. Hoc quoque pertinet ad *pudorem*, v. 34. Quaerenti illi de *via* resurrectionis et de *qualitate* corporum resurgentium, respondet primo per similitudinem, v. 36—42. med. deinde citra similitudinem, v. 42. seq. In similitudine protasis et apodosis praeclare inter se respondent: agiturque, de *via* resurrectionis, in protasi, v. 36.: in apodosi, v. 42. *seminatur etc.* tum, de *qualitate* corporum, in protasi, v. 37—41.: in apodosi, v. 43. — σὺ) *tute*, homuncio. — σπείρεις, *seminas*) in agro. Sequitur allegoria copiosa. — οὐ ζωοποιεῖται, *non vivificatur*) ad novum germen. — ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ, *nisi moriatur*) Invertit Paulus objectionem: mors vivificationem non impedit, sed praegreditur et praemonstrat, tanquam sementis messem.

v. 37. οὐ τὸ σῶμα τὸ γενησόμενον, *non corpus, quod nascetur*) *corpus*, speciosum, non jam *nudum*.

v. 38. ὁ δὲ θεὸς, *Deus vero*) non tu, homo; non granum ipsum. — αὐτῷ, *illi*) *grano*. — ἠθέλησε) *voluit*. Praeteritum, respectu creationis, Gen. 1, 11. vel certe, quia *velle* est ante *dare*. — ἑκάστῳ, *unicuique*) non modo semini frugum, sed etiam animantum. Gradatio ad v. seq. — ἴδιον, *proprium*) speciei conveniens, individuo proprium, ex seminis substantia productum. Hoc *proprium* amplius declaratur v. seq.

v. 39. οὐ πᾶσα, *non omnis*) Hoc universaliter negat. Quaelibet species carnis diversa est a ceteris. Docet Paulus, etiam a terrestribus differre corpora terrestria, et a coelestibus coelestia, v. 41.: sed ita, ut utrumvis horum ad differentiam corporis a semine, et corporum coelestium a terrestribus magis illustrandam referat. namque in apodosi nihil de gradibus gloriae ponit, sed hoc sapientibus tanquam per aenigma relinquit existimandum, satis habens ipsam corporum resurgentium gloriam aperte asseruisse. — ἀλλὴ ἀνθρώπων, *alia hominum*) Eleganter omittit vocabulum *carnis*, ubi *humanae* opponit brutorum carnes. κτήνη hoc loco dicuntur quadrupedes omnes; nam eis pisces et volucres opponuntur. — ἰχθύων, *piscium*) Itaque qui piscibus vescuntur, carne vescuntur; idque lautius, varietate delectante.

v. 40. ἐπουράνια, *coelestia*) Sol, luna, stellae. — ἐπίγεια, *terrestria*) vegetabilia, animalia. — ἑτέρα δὲ, *alia autem*) De gloria terrestrium conf. Matth. 6, 28. s. 1 Petr. 1, 24.

v. 41. ἀστὴρ γὰρ, *stella enim*) *Enim* intensivum. Non modo stellae aliam gloriam habent, ac sol, luna, sed etiam, quod majus, una stella subinde aliam vincit claritate. Nulla stella ab altera, nullum corpus gloriosum ab altera plane nihil differt.

v. 42. οὕτω, *sic*) Hoc respicit protasin jam v. 36. coeptam. — σπείρεται, *seminatur*) Verbum amoenissimum, pro sepultura. — ἐν φθορᾷ, *in corruptione*) Non solum *mortui* corporis, sed *mortalis* corporis conditio notatur.

v. 43. ἐν ἀτιμίᾳ, *in dedecore*) in *nuditate*, v. 37.: cui opponitur *gloria*, tanquam *vestitus*, v. 53. 49. — σπείρεται ἐν ἀσθενείᾳ, *seminatur in infirmitate*) Figura continuatur: sed re ipsa, finita similitudine illa, ad novam partem responsionis fit transitus, cujus propositio haec est: *est corpus animale, et est corpus*

Digitized by Google

spirituale. Affinia inter se sunt, *in virtute,* et *spirituale,* Luc. 1, 17. sicut *incorruptio* et *gloria,* v. 42. s.

v. 44. ψυχικὸν, *animale*) quod totum informatur ab anima, constans *carne et sanguine.* v. 50. — πνευματικὸν, *spirituale*) quod totum informatur a spiritu. — καὶ) *atque adeo,* consequenter.

v. 45. γέγραπται, *scriptum est*) Gen. 2, 7. LXX, ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν. Cetera Paulus addit, ex natura oppositorum. — πρῶτος) Id est, *primus:* nam opponitur *ultimus.* at v. 47., πρῶτος, *prior:* nam opponitur δεύτερος, *alter*: et uterque ibi consideratur, ut exemplar ceterorum. ὁ ἔσχατος, *ultimus* aeque atque ὁ δεύτερος, *alter* innuit Christum: non totam speciem humanam in consummatione. — ἀδάμ, *Adamus*) Nomen proprium h. l. sed mox per antonomasian iteratur. — ψυχὴν, *animam*) Hinc, ψυχικὸν, *animale,* v. 44. — ὁ ἔσχατος, *ultimus*) Job. 19, 25. אחרון idem qui גאל dicitur, ut ibidem ex parallelismo gemini praedicati patet. Christus, *ultimus*: dies Christi, *ultimus.* Joh. 6, 39. [Christus, *spiritus.* 2 *Cor.* 3, 17. V. g.] — ζωοποιοῦν, *vivificantem*) Non solum vivit, sed etiam vivificat.

v. 46. οὐ πρῶτον) *non prius.* — τὸ πνευματικὸν, *spirituale*) corpus. Hic versus versum 44. respicit, versu 45. quasi parenthesin faciente, cui deinde versus 47. respondet. — ἔπειτα, *deinde*) Observent hoc ii, qui de origine mali ita disputant, ac si debuissent omnia statim initio non modo bona esse, ut fuerunt, sed etiam talia, qualia erunt in consummatione.

v. 47. ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, ἐκ γῆς, χοϊκός· ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *primus homo, ex terra, terrestris: secundus homo, Dominus ex coelo*) Exacta oppositio. Primus homo, ἐκ γῆς scil. ὢν, *quum ex terra sit,* est χοϊκὸς, *terrestris,* ita affectus, uti χοῦς, χυτὴ terra ac diffluens. ratio, quia *ex terra* est ortus. Haec est protasis: sequitur apodosis, in qua non erat conveniens dicere, *secundus homo, ex coelo, coelestis.* nam terrae quidem hoc in acceptis refert homo, ut sit terrenus: sed Dominus non debet coelo gloriam suam, qui ipse coelum fecit coelum, et per descensum ex coelo se nobis ut Dominum ostendit. Proinde conversa est verborum series, *Dominus, ex coelo.* Verbum *Dominus* in concreto idem notat, quod *Gloria* in abstracto: (Germ. *Herr, Herrlichkeit*:) unde proprie opponitur *terreno.* v. 43. Phil. 3, 20. seq. et ex hac *gloria* fluit incorruptibilitas carnis Christi. Act. 2, 24. 31. Tali pacto defenditur recepta lectio, et varietates, quamlibet antiquae, in *Apparatu* memoratae, amoventur.

v. 49. καὶ καθὼς, *et sicut*) Ex priore statu alterum infert Paulus. — ἐφορέσαμεν, *gestavimus*) veluti vestem. — τὴν εἰκόνα, *imaginem*) Hoc non solum similitudinem, sed etiam dependentiam notat. — φορέσωμεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου, *portemus etiam imaginem coelestis*) Tertullianus, *Portemus, non portabimus: praeceptive, non promissive.* Imo φορέσωμεν, ac tamen promissive. Subjunctivus sermonem facit modalem et moratum, quo Paulus divinam ordinationem (coll. v. 53., *oportet*,) et fidem ei assentientem exprimit. Confer subjunctivum Jac. 4, 13. 15., πορευσώμεθα κτλ. Recentiores fecere, φορέσομεν· eademque varietas est in codd. Origenis c. Celsum, ut notat Sam. Battierius in Biblioth. Brem. Class. VI. p. 102. seq. lectionem φορέσωμεν etiam e *Maximo* περὶ ἀγάπης comprobans.

v. 50. σὰρξ καὶ αἷμα, *caro et sanguis*) Terminus abstractus, [*hominem, quatenus circulatio sanguinis carnem ejus vivificat, immens,* V. g.] uti φθορὰ, *corruptio.* Alterum refertur ad viventes in mundo, alterum ad mortuos. Utrique debent alii fieri. A faecibus vini non tam valde differt spiritus inde extractus, quam ab homine mortali homo glorificatus. — βασιλείαν θεοῦ, *regnum Dei*) plane spirituale, nulla parte animale. Magna mutatio interveniat, *oportet,* dum homo ad regnum illud capax fit. — οὐ δύναται, *non possunt*) Syllepsis numeri. Notatur enim multitudo eorum, qui sunt caro et sanguis. — οὐδὲ — κληρονομεῖ,

neque — hereditate consequitur) Non dicit, *non potest hereditate accipere. caro et sanguis* longius abest, quam ipsa *corruptio:* et *corruptionem* id non posse, per se patet, quanquam certe via est ad *incorruptibilitatem*. v. 36. Vim praesentis colligas ex v. 52. init.

v. 51. ὑμῖν, *vobis*) ne putetis vos omnia scire. — λέγω, *dico*) prophetice. c. 13, 2. 1 Thess. 4, 15. — πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, *omnes quidem non obdormiemus, omnes vero immutabimur*) Latini, magno consensu: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Eamque lectionem, praeter ceteros *Tertullianus* et *Rufinus* sequuntur. Neque tamen Latinus interpres Graeca a nostris Graecis diversa videtur legisse; sed sententiam, ut eam ille quidem accipiebat, expressisse potius, quam verba. Sic enim in hac epistola solet, ut quum c. 12, v. 10. et 28. vertit γλωσσῶν, *sermonum:* et vicissim c. 14, 10., φωνῶν, *linguarum*. itaque οὐ κοιμηθησόμεθα videtur interpretatus: οὐ μενοῦμεν κοιμηθέντες, id est, *resurgemus*. Inde sequebatur, ut mox suppleret *non*, antitheti gratia, uti *non* suppresserat cap. 9, 6., quo item loco Tertullianus vestigia illius premit. Porro ex Latino fictum est ἀναβιώσομεν apud *Veles.* et ἀναστησόμεθα, (quo verbo Paulus in hoc toto capite non utitur,) in *Clar.* manu prima. Ex Graecis nonnulli habent, πάντες μὲν οὖν κοιμηθησόμεθα, ἀλλ᾽ οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα· ubi ex μὲν οὐ facile factum est μὲν οὖν· neque vero apostolus in hoc versiculo de immutatione negare protinus aliquid, sed affirmare et mysterium proferre voluit. Manet lectio textus, ne Latinis quidem ignota codicibus, Hieronymo ex Didymo laudatis. Utrumque autem incisum habet universalitatem: *Omnes quidem*, nos videlicet, quibus mox contradistinguuntur mortui, *non obdormiemus; omnes autem*, iidem nos, *immutabimur*. Idem subjectum utriusque enunciationis. Conf. πᾶς οὐκ, universaliter, c. 16, 12. Rom. 9, 33. Eph. 5, 5. Ap. 22, 3. Act. 11, 8. Spectat sermo non tam ad illos ipsos, qui tum vivebant, exspectantes consummationem seculi; quam ad eos, qui illorum loco tum victuri sunt. v. 52. fin. 1 Thess. 4, 15. not. — ἀλλαγησόμεθα, *immutabimur*) Anima manente in corpore, corpus ex animali fiet spirituale.

v. 52. ἐν ἀτόμῳ, *in momento*) Ne pro hyperbola habeatur, addit phrasin magis popularem, *in ictu oculi*. Eximium opus omnipotentiae divinae! Quis ergo dubitet, quin etiam in morte homo possit subito liberari a peccato? — σάλπιγγι, *tuba*) Plena tubarum descriptio reservata in apocalypsin: aliqua tamen praecerpuntur etiam Matth. 24, 31. 1 Thess. 4, 16. de tuba *ultima;* quod quidem epitheton hoc loco expressum est, tubas priores praesupponens: vel quia Spiritus praeviam Paulo allusionem ad apocalypsin inspiravit; vel quia tubas indefinite aliquas ante *ultimam* esse, Scriptura pridem docet; Es. 27, 13. Jer. 51, 27. Zach. 9, 14. Hebr. 12, 19. 4. Ezr. 5, 4. vel praecipue respectu tubae in *ascensione*. Ps. 47, 6. coll. Act. 1, 11. nam *ultimus* dici potest, ubi duo spectantur tantummodo, v. 45., ne dicam, ubi unum; nullo altero subsequente, Ap. 1, 7. — σαλπίσει γὰρ) *clanget enim* Dominus, per archangelum. 1 Thess. 4, 16. Tubarum usus olim erat diebus festis, ad convocandum. — καὶ) *et* illico. — ἄφθαρτοι, *incorruptibiles*) Proprie dicendum videtur fuisse, *immortales:* nam *incorruptibilitas* induetur per *immutationem*, v. 53., sed *immortalitatem* complectitur *incorruptibilitas*.

v. 53. τοῦτο) *hoc ipsum*, praesens. — ἀφθαρσίαν, *incorruptibilitatem*) per alterationem illam.

v. 54. ὅταν δὲ — ἀθανασίαν, *quum autem — immortalitatem*) Suavissima est horum verborum frequentatio. — τότε, *tunc*) non prius. Certa est Scriptura: ergo certa est resurrectio. — κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος, *absorpta est mors in victoriam*) Es. 25, 8. LXX, κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας. *absorpta est* uno haustu momentaneo. conf. Ap. 21, 4. — εἰς νῖκος) Hebr. לנצח quod LXX non hic, sed alias saepe vertunt εἰς νῖκος.

Digitized by Google

v. 55. ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος;) Hos. 13, 14. LXX, ποῦ ἡ δίκη (νίκη) σου, θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη; Hebr. אהי דבריך מות אהי קטבך שאול h. e. *ubi pestes tuae, mors? ubi exitium tuum, inferne?* vjd. omnino G. Olearii diss. inaug. de redemtione ex inferno. In hoc epinicio *ubi* significat, mortem et infernum antea valde feroces fuisse: nunc conversa res est. θάνατος *mors* et ᾅδης *infernus* saepe promiscue usurpantur; sed tamen differunt, neque enim pro altero utro semper alterum substitui potest. nimirum *infernus* opponitur coelo; *mors*, vitae: et *mors* est prior; *infernus* profundior. *mors* accipit corpora sine animis, *infernus* animas, etiam sine corporibus: non modo impiorum, sed etiam piorum, ante mortem Christi quidem. Gen. 37, 35. Luc. 16, 23. Ideo junctim memorantur; et in gradatione dicitur, *mors et infernus*. coll. Ap. 20, 13. 14. 6, 8. 1, 17.: quibus in locis, evidens est, pro *inferno* non posse substitui *sepulcri* vocabulum. Porro quia hic de corporum resurrectione agitur, ideo *infernus* non nisi semel appellatur, mors saepe, etiam v. seq. — τὸ κέντρον) *aculeus, pestiferum* habens venenum. Paulus *victoriam* et *aculeum* transponit: id quod non solum magis congruit cum synonymorum hebraicorum gradatione, sed etiam commodiorem facit transitionem ad versum seq. ubi *aculeus* et *potentia* sunt affinia. *Stimulus*, κέντρον majus: (conf. Act. 26, 14.) *aculeus*, κέντρον minus: interdum promiscue dici possunt, ubi a quantitate abstrahitur. Etiam contra *aculeum* in spinis potest calcitrari. — ᾅδη, *inferne*) Non denotatur hic aeterni supplicii locus, sed receptaculum animarum, in resurrectione cum corporibus iterum conjungendarum. Nil jam hic de diabolo, coll. Hebr. 2, 14. quia illi prius, quam morti, *victoria* eripitur. v. 26. — νῖκος) LXX, δίκη, an νίκη; Paulus νῖκος iterat suaviter, coll. v. praec. Raritas verbi opportuna ad *epinikion*.

v. 56. ἡ ἁμαρτία, *peccatum*) Si peccatum non esset, mors nil posset. conf. Hos. cap. cit. v. 12. Contra hunc *aculeum* nemo sua vi potuerat *calcitrare*; nemo illud *ubi* cantare. hoc innuit *vero* particula. — ὁ νόμος, *lex*) pro peccato mortem intentans. sine lege peccatum non sentitur: sub lege, peccatum dominatur Rom. 6, 14.

v. 57. τῷ δὲ θεῷ χάρις, *Deo autem gratia*) Nostrae opis id non fuerat. — δὲ) *autem*. tametsi et lex, et peccatum, et mors et infernus nos oppugnarunt, tamen vicimus. Haec est sententia; sed accedit modus sive ἦθος, *gratia Deo*. — τῷ διδόντι, *qui dat*) Praesens, pro statu credentium. [1]) — τὸ νῖκος, *victoriam*) Repetitio, conveniens triumpho. victoriam affecturant mors et infernus. — χριστοῦ, *Christum*) in cujus fide, *legi* morientes, vitam assecuti fuimus. v. 3. seqq.

v. 58. [2]) ἀγαπητοὶ, *dilecti*) Vera consideratio novissimorum accendit amorem erga fratres. — ἑδραῖοι, *stabiles*) ne ipsi declinetis a fide resurrectionis. — ἀμετακίνητοι, *immobiles*) ne per alios deducamini. v. 12. Sic Col. 1, 23. — ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ κυρίου, *in opere Domini*) Christi. Phil. 2, 30. Generatim dicitur *opus*, quod *Domini* causa geritur. Specialior determinatio pendet a circumstantiis cujusvis textus. — εἰδότες, *scientes*) Certum jam habet de assensu Corinthiorum. — οὐκ ἔστι κενὸς, *non est inanis*) i. e. maxime conducibilis. *Inanem* faciebant, qui resurrectionem negabant: hos Paulus etiam in conclusione refutat leniter.

CAPUT XVI.

v. 1. Λογίας, *collatione*) Aptum initio verbum proprium, v. 2. *benedictio* dicitur 2 Cor. 9, 5. — εἰς τοὺς ἁγίους, *in sanctos*) Sic mavult dicere, quam

1) *Attamen lectionem* δόντι, *adeoque* praeteritum *tempus*, *et margo* Ed. 2., *et* Vers. germ. *praefert*. E. B.

2) ὥστε, *itaque*] Gravis h. l. error Paulo refutandus fuerat; neque tamen adhortationem negligit subjungere. *V. g.*

Digitized by Google

pauperes. id facit et ad gravitatem, et ad impetrandum. — διέταξα, *disposui*) auctoritate apostolica, *Galatis* domestica. — γαλατίας, *Galatiae*) Galatarum exemplum Corinthiis, Corinthiorum exemplum Macedonibus, Corinthiorum et Macedonum Romanis proponit. 2 Cor. 9, 2. Rom. 15, 26. Magna exemplorum vis.

v. 2. κατὰ μίαν, *in una*) Dies dominicus jam tum singulari ratione observatus. Sabbato, una erant Judaei et Christiani: postridie, hi res sibi proprias agebant. *Sabbatum*, synecdochice *hebdomas.* Plerumque dicitur ἡ μία σαββάτων, *una*, prima *sabbatorum:* sed hic non additur articulus, ut κατὰ retineat vim distributivam. Consilium facile. Semel, non tam multum datur. Si quis singulis diebus dominicis aliquid *seorsum posuit,* plus collectum fuit, quam quis semel dedisset. — ἕκαστος, *quisque*) etiam non ditissimi. — παρ᾽ ἑαυτῷ) *seorsum;* ut appareat, quid ipse ponat: sive alii parcius sive largius ponant. Nondum habebant aerarium commune in ecclesia Corinthii. — τιθέτω) *ponat,* in concione. — θησαυρίζων, *recondens*) copiose. Verbum gratum. 1 Tim. 6, 19. — εὐοδῶται, *commodum sit*) facilitate animi et opum. Prudentiae christianae est, ut res dant sese, ita in agendo obsequi. Eccl. 9, 10. 1 Sam. 10, 7. — ἵνα μὴ, *ut ne*) Occupatio, ne putent, tum quoque collectum iri: simulque parrhesia, q. d. *non plane vos praeteribo.* — ὅταν ἔλθω, *quum venero*) Coram id agere, nec Paulum juvaret, nec Corinthios. nunc, inquit, generosius facietis: tunc alia agemus. — λογίαι, *collationes*) Haec appellatio, minus favorabilis, moram dissuadet.

v. 3. οὓς ἂν δοκιμάσητε) *quoscunque*, me praesente, *probaveritis*, ut fidos. — δι᾽ ἐπιστολῶν τούτους πέμψω) *hos cum litteris* vestro nomine *mittam.* antitheton: *Paulus ipse.* v. 4. Conf. διὰ, Rom. 2, 27. 2 Cor. 2, 4. — τὴν χάριν ὑμῶν, *gratiam vestram*) Gratiosa appellatio, eoque frequens. 2 Cor. 8, 4.

v. 4. ἄξιον, *dignum*) *si operae pretium erit, ut ipse perferam.* Invitat ad liberalitatem. — κἀμὲ, *etiam me*) Justa aestimatio sui non est superbia. 2 Cor. 1, 19. Paulus se primo loco nominat. — σὺν ἐμοὶ, *mecum*) ut occurratur omni suspicioni. 2 Cor. 8, 20. s.

v. 5. ἐλεύσομαι δὲ, *veniam autem*) Dixerat, *quum venero.* v. 2. — ὅταν μακεδονίαν) Unius apicis uno hoc loco erratum est in editione minore, post datam praefationem novam, repertum: cujus indicium ideo tantum facere cogimur, ut praefationis illius affirmatio, de editione nostra ad literulam usque correcta, sibi constet. — διέρχομαι, *transeo*) Ploce, cujus antitheton sequitur: *transire, commorari.* Quare non est urgendum tempus praesens. Nondum erat in Macedonia, sed id cogitabat. v. 8.

v. 6. τυχὸν) *fortasse.* Familiarissime loquitur. — οὗ ἐὰν, *quocunque*) Modestiae causa non exprimit, quam longe cogitet. Act. 19, 21.

v. 7. ἄρτι, *nunc*) post moram hactenus adhibitam. — ἐὰν ὁ κύριος ἐπιτρέπῃ, [1]) *si Dominus permittat*) Pia conditio. Sanctorum destinationes libertatem aliquam habent, quas bonitas divina varie et antecedit et sequitur.

v. 8. ἐν ἐφέσῳ, *Ephesi*) Ephesi erat Paulus. conf. v. 19. de *Asia.*

v. 9. θύρα, *janua*) Sapientis est, observare occasiones. — ἀνέῳγε, *aperta est*) Ephesi. — μεγάλη καὶ ἐνεργὴς, *magna et efficax*) Tantae occasioni aliquot hebdomadibus satisfacturus erat. coll. c. 5, 7. not. — ἀντικείμενοι, *adversarii*) quibus resistam. Saepe bonum, et, contra ea, malum, simul valde vigent.

v. 10. δὲ, *autem*) Antitheton inter Paulum ipsum et Timotheum vicarium.

---

1) *Lectionem* ἐπιτρέψῃ, *praeeunte margine* Ed. 2., *exprimit* Vers. germ. *Crisin priorem h. l. sequitur* Gnomon. E. B.

Digitized by Google

— [1]) ἀφόβως, *sine timore*) Id fiet, si nemo eum contempserit. Si Paulum nonnulli contempserunt, quanto facilius Timotheum, adolescentem Lystranum. — κυρίου, *Domini*) Christi. — ἐργάζεται, *operatur*) Id par est fieri sine timore. Fundamentum verae observantiae erga antistites.

v. 11. αὐτὸν, *eum*) juvenem. Ps. 119, 141., νεώτερος ἐγώ εἰμι καὶ ΕΞΟΥΔΕΝΩΜΕΝΟΣ. — ἀδελφῶν, *fratribus*) qui item exspectant, vel, item veniant.

v. 12. πολλὰ παρεκάλεσα, *multum adhortatus sum*) Non metuit Paulus, ne Corinthii praesentem Apollo prae se amplecterentur. Apollo, cum Paulus hanc epistolam daret, non aderat. nam nec v. 19., nec cap. 1, 1. memoratur. — μετὰ τῶν ἀδελφῶν, *cum fratribus*) v. 17. Alii sunt hi, atque versu 11. — οὐκ ἦν θέλημα, *non erat voluntas*) Sermo quasi impersonalis: ubi res consideratur, ut volenda vel non volenda, non expresso, cujus sit voluntas; ubi tamen norma est voluntas Dei. conf. Matth. 18, 14. Sic quoque Graeci verbum θέλω adhibent. Act. 2, 12. — ὅταν εὐκαιρήσῃ, *cum opportunum ei fuerit*) *Opportunitas* innuitur non carnalis, sed quae voluntatem Dei sequitur.

v. 13. s. γρηγορεῖτε, *vigilate*) Conclusio, inprimis ad *fidem* et *amorem* hortans. [*Haec omnium eorum Summa est, quae Corinthiis vel Timotheus vel Apollo inculcanda censeret.* V. g.] — ἐν τῇ πίστει, *in fide*) c. 15, 2. 11. 14. 17.

v. 14. ἐν ἀγάπῃ, *in amore*) c. 8, 1. 13, 1.

v. 15. τοῖς ἁγίοις, *sanctis*) Dativus regitur a *ministerium*. *Sanctis*, ex Israële: nam erant *primitiae* ex Achaia. — ἑαυτοὺς, *se ipsos*) ultro. [*Hi ipsi erant, qui Corintho pervenerant ad Paulum.* v. 17. V. g.] Quo magis voluntarium munus in re ardua, eo gratius et laudabilius. 2 Cor. 8, 16. s. Es. 6, 8.

v. 16. καὶ, *et*) vicissim. — ὑποτάσσησθε, *subordinemini*) Resp. ἔταξαν, *ordinaverunt*. — συνεργοῦντι, *cooperanti*) cum aliis. — κοπιῶντι, *laboranti*) per se.

v. 17. χαίρω, *gaudeo*) Paulus, Dei respectu, *gratias agit*, quum dicere poterat, *gaudeo:* c. 1, 14. at quum ad homines scribit, pro *gratias ago* dicit *gaudeo*, vel, *gavisus sum*. Phil. 4, 10. Philem. v. 7. conf. Act. 10, 33. 3 Joh. v. 3. Jam iterum discesserant legati Corinthiorum; ac tamen dicit *gaudeo* in praesenti. nam jucunda manebat memoria, et supponitur praesens pro tempore epistolae Corinthi lectae. — στεφανᾶ, *Stephanae*) Hic videtur fuisse filius Stephanae illius, cujus domus memoratur sine ipso. v. 15. — ὑστέρημα, *defectum*) quatenus mihi defueratis, nec me absentem potuistis ipsi *recreare*.

v. 18. ἀνέπαυσαν, *recrearunt*) Veri fratres, quamvis minores, non frustra veniunt aut adsunt. *Recreatio* sanctorum. — τὸ ἐμὸν πνεῦμα, *meum spiritum*) 2 Cor. 7, 13. — καὶ τὸ ὑμῶν, *et vestrum*) in me. 2 Cor. 7, 3. — ἐπιγινώσκετε, *agnoscite*) Antecedens pro consequente. sic, εἰδέναι, *scire*. 1 Thess. 5, 12. qui id non facit, ἀγνώμων dicitur.

v. 19. πολλὰ, *multum*) pro singulari desiderio. Act. 18, 2. 1. — ἀκύλας καὶ πρίσκιλλα, *Aquila et Priscilla*) Alibi mulier haec prius ponitur; ad Corinthios, postponitur. conf. c. 14, 34. — κατ' οἶκον, *domi*) Hoc par conjugum etiam postea Romae *domesticam* instituit ecclesiam. Rom. 16, 5.

v. 20. ἐν φιλήματι ἁγίῳ, *in osculo sancto*) quo omnes dissensiones absorbeantur.

v. 21. τῇ ἐμῇ χειρὶ, *mea manu*) Igitur dictavit superiora.

v. 22. εἴ τις οὐ, *si quis non*) Paulus amat Jesum: vos quoque omnes eum amate. — φιλεῖ) *amat*, corde: osculatur, opere. resp. φιλήματι, *osculo*. v. 20. nam φιλεῖν dicitur pro *osculari*, Luc. 22, 47., et *osculari* pro *amare*. Ps. 2, 12. — τὸν κύριον, *Dominum*) Hic anteferendus omnibus etiam fratribus, etiam Paulo et Apollo. — ἤτω ἀνάθεμα, μαρὰν ἀθά. *sit anathema, maran atha*) Tantum

---

1) τιμόθεος, *Timotheus*] Epistolae hujus perlator. *V. g.*

Digitized by Google

abest, ut salutem ei dicam, ut potius anathema eum esse jubeam. Anathemati pondus addit τὸ μαρὰν ἀθά. quae formula, familiari Judaeis idiomate expressa, indicat, Judaeorum, pessimo odio Jesum anathema dicentium, c. 12, 3., in anathemate justissime in ipsos recidente consortem illum fore, qui Jesum non amet. sic enim per euphemiam loquitur, pro eo, si quis Jesum oderit. μαρὰν ἀθὰ, i. e. *Dominus venit*. μαρὰν, Syriace, *Dominus noster*, vel simpliciter, *Dominus*. nam Hesychius, μαραναθὰ, ὁ κύριος ἦλθεν κτλ. perinde ut Gallis *monseigneur* idem est quod *seigneur*. Videtur μαρὰν ἀθὰ Symbolum Paulo frequens fuisse, cujus sententiam Corinthii vel jam nossent, vel nunc vehementer commovendi, ex aliis discere possent.

v. 23. ἡ χάρις, *gratia*) Haec est salutatio versu 21. proposita: versu 22. excluduntur indigni. conf. 2 Joh. v. 10. 11.

v. 24. ἡ ἀγάπη μου μετὰ πάντων ὑμῶν ἐν χριστῷ ἰησοῦ, *amor meus cum omnibus vobis in Christo Jesu*) Apostolus amore divinitus accenso non modo eos, qui se Pauli esse dixerant, sed omnes Corinthios amplexatur in Christo Jesu. In solo cod. Alex. omittitur μου· sed plane congruit vocula cum initio et conclusione hujus epistolae. Postea additum ἐγράφη ἀπὸ φιλίππων. Atqui Ephesi scripta est, v. 8.: fortasse tamen Philippis missa, v. 5., quod Corinthiorum legati Paulum eo comitati essent. Certe Aquila et Priscilla, de quibus v. 19., Ephesi erant: Act. 18, 19. inde supra Philippos iter erat Corinthum. Commodiorem conciliandi viam non refugio. confer ord. Temp. p. 282. lin. 4. et 9., et finem paginae 281.

IN EPISTOLAM II. AD CORINTHIOS.

CAPUT I.

v. 1. Παῦλος, *Paulus*) Paulus erga Corinthios, superiore epistola severa pie commotos, amorem apostolicum et στοργὴν pandit, cum repetitione monitorum: et ceteroqui, ut in illa de rebus Corinthiorum scripserat, sic jam de suis rebus scribit, sed cum perpetuo respectu ad Corinthiorum utilitatem spiritualem. Filum autem et nexus totius epistolae est *historicus:* cetera per modum digressionum intexuntur. Nervos vide versu 8. 15. c. 2, 1. 12. 13. 7, 5. 8, 1. 10, 1. 13, 1. de *praeterito, praesenti* et *futuro*. Unde hic epistolae conspectus exsistit: est in ea

I. Inscriptio.	c. I. 1. 2.
II. Tractatio.	
1. In ASIA valde pressi fuimus: sed Deus nos est consolatus. namque sincero animo agimus; etiam in eo, quod non jam ad vos veni, quos decet mihi obsequi.	3 — II. 11.
2. TROADE festinavi in vicinam vobis Macedoniam: cum progressu evangelii, cujus glorioso munere digne fungimur.	12 — VII. 1.
3. In MACEDONIA laetum accepi de vobis nuncium.	2 — 16.
4. Macedonum liberalitatem in hoc itinere perspexi. Quocirca vos id exemplum sequi decet.	VIII. 1 — IX. 15.
5. In via sum ad vos, armatus virtute Christi. Ergo obedite.	X. 1 — XIII. 10.
III. Conclusio.	11 — 13.

— τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς, *Timotheus frater*) Timotheum Paulus, ad ipsum scribens, *filium* appellat; de illo, ad Corinthios et alios, *fratrem*. — τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ, *ecclesiae Dei*) Vim synonymi id habet, quod sequitur, *sanctis*.

Digitized by Google

v. 3. εὐλογητὸς, *benedictus*) Lauta exordiendi ratio, et apostolico spiritui conveniens, in adversis praesertim. — ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν καὶ θεὸς πάσης παρακλήσεως, *pater miserationum et Deus omnis consolationis*) *Miserationes*, fons *consolationis*: conf. Rom. 12, 1.: παρακαλεῖν est *zusprechen*. Eadem saepe ratio hortationis et consolationis. *consolatio*, indicium *miserationum*. [*Et prius miserationum atque auxilii Paulus, quam afflictionum, mentionem facit*. V. g.] Miserationes suas exhibet in ipsa calamitate: neque calamitas sanctorum contraria est miserationi divinae, neque illa apud sanctos contra hanc parit suspicionem: consolationem etiam postea praebet. ideo additur πάσης *omnis*.

v. 4. πάσῃ· πάσῃ· *omni: omni*) Qui in uno genere afflictionum fuit, in eo potissimum potest alios consolari; qui in omni, in omni. Hebr. 4, 15. — θλίψει, *afflictione*) Opposita sunt, ex una parte, παθήματα, *adversa*, et θλίψις, *angustia animi*; quorum altero alterum connotatur: et ex altera parte, σωτηρία, *salus*, et παράκλησις, *consolatio*; quorum altero item connotatur alterum. Frequentatio horum verborum valde sapiet, sed nonnisi expertis. [*Experientiae quanta est necessitas! qua qui caret, quam ineptus magister est!* V. g.] De adversis tractatur a v. 8.: de consolatione, a cap. 7, 2. ss. De solatio generatim loquitur Paulus initio; speciatim tamen spectat illud, quod ex Corinthiorum obsequio hausit. — αὐτοὶ] *ipsi*.

v. 5. τοῦ χριστοῦ, εἰς ἡμᾶς· διὰ χριστοῦ, ἡμῶν, *Christi, in nos: per Christum, nostra*) Suaviter commutantur verba eorumque ordo. — παθήματα· παράκλησις, *adversa: consolatio*) Illa, multa sunt: haec, una, et tamen potior. — οὕτως, *sic*) Ex hac ipsa epistola, ad priorem collata, major post angustias, quae intervenerant, consolandi vis, Corinthiis, priore epistola percussis, opportunissima, adeoque novitas totius interni hominis in dies major praeclare elucet.

v. 6. s. εἴτε δὲ θλιβόμεθα κτλ., *sive autem angimur etc.*) Sententia est haec, εἴτε δὲ θλιβόμεθα, (θλιβόμεθα) ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας· εἴτε παρακαλούμεθα, (παρακαλούμεθα) ὑπὲρ κτλ. *sive autem angimur*, (angimur) *pro vestra consolatione et salute: sive confirmamur*, (confirmamur) *pro vestra consolatione, quae operatur in patientia eorundem adversorum, quae etiam nos patimur, et spes nostra firma pro vobis: scientes, quod sicut participes estis adversorum, sic etiam consolationis*. Quemadmodum Phil. 1, 16. 19. θλῖψις et σωτηρία inter se opponuntur, ita hoc loco θλῖψις *angustia* ministrorum evangelii, et *consolatio salusque* Corinthiorum inter se opponuntur, perinde ut *mors* illorum et *vita* horum, c. 4, 12. Porro uti ex *afflictione* ministrorum evangelii pendet *consolatio* et *salus* Corinthiorum: ita ex *consolatione* illorum pendet *consolatio* horum et *spes* illorum pro his. Participium *scientes* pendet a verbis *angimur* et *confirmamur* subauditis. Ita sibi constant membra hujus periochae, quae aliter aliterque trajecta, in *Apparatu* notamus. Nunc etiam singulatim aliqua declarabimus. — εἴτε, *sive*) Interdum magis sentiuntur adversa; interdum consolatio. — ὑμῶν, *vestra*) Communio sanctorum, in corde Pauli, Titi, Corinthiorum, aliarum ecclesiarum exercita, egregie repraesentatur in hac epistola. c. 2, 3. 4, 15. 6, 12. 7, 7. 13. 9, 12. Haec corda fuere quasi specula, imagines inter se reciprocantia. Conf. Phil. 2, 26. s. — παρακλήσεως, *consolatione*) in anima. — σωτηρίας, *salute*) in re. — τῆς ἐνεργουμένης] Medium. c. 4, 12. Rom. 7, 5. — τῶν αὐτῶν) *eorundem* numero. Pauli *adversa* erant eadem Corinthiorum, qui erant in corde Pauli: c. 6, 12. ad illosque redundabat fructus eorum, quanquam obstiterant, quo minus Corinthum veniret. Declaratur communicatio mutua. — πάσχομεν, καὶ ἡ ἐλπὶς, *patimur, et spes*) Cum mentione afflictionum et patientiae jungi solet spes. v. 10. Rom. 5, 3. s. 15, 4. — βεβαία) *firma* est; firmitatem per res adversas nacta.

v. 8. ἐν τῇ ἀσίᾳ, *in Asia*) 1 Cor. 15, 32. not. Afflictionem illam Asiaticam

by Google

norant Corinthii; magnitudinem vero et fructum nunc declarat Paulus. [*Universa epistola itinerarium refert; sed praeceptis pertextum praestantissimis.* V. g.] — ὑπὲρ δύναμιν) *supra facultatem*, ordinariam. — ἐξαπορηθῆναι, *desponderemus*) Affirmat hic, quod c. 4, 8. alio respectu negat. nam hic de humano, illic de divino loquitur auxilio.

v. 9. ἀλλὰ, *sed*) id est, imo. subaudi *propterea, ipsi etc. ut ne etc.* — τὸ ἀπόκριμα) Hesychius: ἀπόκριμα, κατάκριμα, ψῆφον. ἀποκρίνειν, *perditum judicare*, pro nullo habere. oppositum, *confisi*. Aliter Simonius. — ἀλλ' ἐπὶ, *sed in*) Mira natura fidei, in summis difficultatibus, nullum exitum habere visis. — ἐγείροντι, *excitante*) 1 Cor. 15. copiose scripserat de resurrectione mortuorum: nunc eandem doctrinam identidem attingit, et, veritate ejus apud Corinthios praesupposita, usum urget.

v. 10. ῥύεται, *eripit*) Praesens, respectu ipsius *afflictionis*. i. e. *dum* in morte sumus, eripimur. — ἠλπίκαμεν) *spem sumus nacti*. — ῥύσεται, *eripiet*) ut possim ad vos venire.

v. 11. συνυπουργούντων, *subadjuvantibus*) Ex ἔργον est ὑπουργεῖν. ἔργον, *opus* opis, est Dei: ὑπουργεῖν, *adjuvare*, est apostolorum: συνυπουργεῖν, *subadjuvare*, Corinthiorum. — καὶ) *etiam* vobis, non modo aliis. — [1]) ἐκ πολλῶν προσώπων, *ex multis respectibus*) πρόσωπον, *facies*, respectus. *Respectu* scil. praeteriti, praesentis, futuri: *eripuit, eripit, eripiet*. Non vertimus, *ex multis personis*: id enim continetur in *per multos*. — τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα) *auxilium, quod a gratia nobis obtingit*. — διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ) *per multos gratiarum actione celebretur*. Correlata, χάρισμα et εὐχαριστία. c. 4, 15. — ὑπὲρ ὑμῶν, *pro vobis*) Modo, *pro nobis*, de precibus; nunc, *pro vobis*, de gratiarum actione. In Corinthios redundabat fructus. Neque iterum necesse fuit, post εἰς ἡμᾶς, dicere ὑπὲρ ἡμῶν. [2])

v. 12. γὰρ, *enim*) Nexus: Dei opem et piorum preces non frustra expetimus nobisque pollicemur. — καύχησις, *gloriatio*) etiam in adversis et contra adversarios. — τῆς συνειδήσεως ἡμῶν, *conscientiae nostrae*) quicquid alii de nobis sentiant. — ἁπλότητι, *simplicitate*) intentione in unum scopum per viam rectissimam. — εἰλικρινείᾳ [3]), *sinceritate*) nulla admixta aliena qualitate. — οὐκ ἐν, *non in*) Opposita: *sapientia carnalis*, et *gratia Dei*, suos sapienter regentis. v. 17. s. — ἐν τῷ κόσμῳ) *in mundo* toto, perfido. — περισσοτέρως, *abundantius*) c. 2, 4.

v. 13. ἄλλα) *alia*, contraria. — γράφομεν, *scribimus*) hac epistola. Ad rem praesentem provocat. — ἀναγινώσκετε, *legitis*) in epistola superiore. — ἢ καὶ, *vel etiam*) Plus est ἐπίγνωσις, quam ἀνάγνωσις. — ἕως τέλους, *usque ad finem*) cursus mei. Conf. v. 14. fin. 1 Cor. 4, 5.: unde patet, respectum ad diem Domini non excludi.

v. 14. ἀπὸ μέρους, *ex parte*) Antitheton, *usque ad finem*. v. praec.

v. 15. ταύτῃ, *hac*) de qua v. 12. init. — πρότερον, *prius*) De hoc consilio passim in epistola priore. Constr. cum *volebam*. — δευτέραν χάριν, *secundam gratiam*) Primam gratiam [*divinitus exhibitam*, v. 12.] habuerant primo Pauli adventu: (conf. *amorem primum*, Ap. 2, 4.) secundam secundo suo adventu eis

---

1) τῇ δεήσει — εὐχαριστηθῇ, *supplicatione — gratiarum actio fundatur*] Qui Sanctorum communionem colit, precum is opportunitate nunquam carebit; etiamsi de se ipso quod curaret, nihil haberet reliqui. *V. g.*

2) *Itaque lectio* ἡμῶν *in fine versus*, *per* utriusque Ed. *marginem non probata*, in Vers. germ. *videtur non cogitanti irrepsisse*. E. B.

3) *Lectionem* εἰλικρινείᾳ θεοῦ, *per* Ed. maj. *in aequilibrio positam*, *praefert* Ed. 2., *et plane recipit* Vers. germ. *Sinceritatem* Dei *eam interpretatur cel.* D. Ernesti, *qualem* DEUS desiderat *et* comprobat; Heumannus, *quam* DEUS *ipse* operatur. *Vid. Bibl. th.* T. II. p. 495. E. B.

Digitized by Google

destinarat. *Gratia* per se una est: sed in *habendo* est prima, secunda etc. conf. Joh. 1, 16.

v. 16. προπεμφθῆναι, *deduci*) deducendum me vobis committere.

v. 17. τῇ ἐλαφρίᾳ, *leritate*) plus promittendo, quam praestando. — ἄρα) Lat. *an?* disjunctive. — κατὰ σάρκα, *secundum carnem*) Significat Paulus, si secundum carnem consuleret, sibi potius veniendum fuisse, quam non veniendum. nam qui secundum carnem consulunt, omni modo id agunt, ut *nae* promissionis, quicquid inciderit, appareat in re, pro tuenda constantia. [*sive bona inde sive mala eveniant*, V. g.] Apostolus autem neque inconstans neque carnaliter constans fuit: quorum utrumvis suspicari potuissent iniquiores. Pollicitus erat sub conditione: et deinde adventum distulit magna de causa, quae intervenerat. — τὸ ναὶ καὶ τὸ οὔ·) Vid. App. Crit. Ed. II. ad h. l. Simplex *est et non* [1]) apud Paulum prorsus comprobatur versu sequente, ubi *est et non* negat nimirum de eadem re: quod affirmat v. 17. de diversis rebus. Emphasin in v. 17. habet τὸ ἦ *sit*: ut ex. gr. de homine inconstante dici potest: *Nec* est *nec* non *apud eum invenias*; id est, non potest quis sermonibus ejus fidere: vel ut de constante viro dicas: *Ejus* est *et* non *valet*.

v. 18. πιστὸς, *fidelis*) Sermo categoricus: Doctrina nostra firma est. Accedit modus: *fidelis* est *Deus*, אמן coll. *amen*, v. 20. — δὲ, *autem*) Antitheton inter consilium itineris et doctrinam ipsam. illud justis de causis in re externa mutatum nullam infert inconstantiam doctrinae. Interim ostendit Paulus, qui in rebus externis leves sunt, etiam in spiritualibus leves esse et videri solere. — πρὸς) *apud*, ad. *apud vos*, antitheton, *apud me*. v. 17. — οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ, *non factus est nae et non*) Contradictoria non sunt in Theologia.

v. 19. ὁ γὰρ τοῦ θεοῦ υἱὸς ἰησοῦς χριστὸς, *Dei enim filius Jesus Christus*) de quo summa sermonis nostri est. Observandae tres appellationes conjunctae, firmitudinem ostendentes: tum, naturali ordine positae; neque enim prima cum tertia plane eadem est. — καὶ σιλουανοῦ, *et Silvanum*) *Silam* hunc appellat Lucas, Act. 15, 22. not. — ἀλλὰ ναὶ) *sed Ita* merum, ex parte nostra et vestra. — ἐν αὐτῷ, *in ipso*) *Christus praedicatus* i. e. praedicatio nostra de Christo, facta est *nae in Ipso* Christo. Sic congruit aetiologia versu seq. Omnes promissiones in Christo sunt *nae*. Ergo sane etiam testimonium de ipso Christo, in Christo est *nae*.

v. 20. ἐπαγγελίαι) *promissiones*, declarationes. — τὸ ναὶ — τὸ ἀμήν, *nae — amen*) Suaviter voculis *nae et non* inter se pugnantibus opponuntur voculae congruentes, *nae et amen*. *nae*, per affirmationem; *amen*, per juramentum: vel *nae*, respectu Graecorum; *amen*, respectu Judaeorum: coll. Gal. 4, 6. not. nam *nae* Graecum, *amen* Hebraeum est. vel *nae*, respectu Dei promittentis; *amen*, respectu credentium: conf. 1 Joh. 2, 8. *nae* respectu apostolorum; *amen*, respectu auditorum. — τῷ θεῷ πρὸς δόξαν, *Deo ad gloriam*) Nam Dei veritas in omnibus ejus promissionibus in Christo verificatis glorificatur. — πρὸς δόξαν, *ad gloriam*) c. 4, 15. — δι' ἡμῶν, *per nos*) Constr. cum *est* iterum subaudito. *Quotquot* enim *promissiones Dei* sunt, est in Illo *Nae* et in illo *Amen*. *Deo ad gloriam* (est illud *Nae* et *Amen*) per nos. Τὸ *nae* per nos resonat.

v. 21. ὁ δὲ βεβαιῶν, *qui vero confirmat*) Filius glorificat Patrem, v. 19., Pater *autem* vicissim Filium. — βεβαιῶν, *confirmans*) ut firmi simus in fide Christi. Huic verbo respondet τὸ *obsignans*: alterum est ex Christo et unctione; alterum ex Spiritu, tanquam arrhabone. *Obsignatur*, quod alicujus esse confirmatur, sive sit mancipium, sive literae etc. ut certum sit, ad quem pertineat. conf. 1 Cor. 9, 2. Tropus abstrahit a personis ac rebus, unde desumtus sit. —

1) *Quae lectio quamvis pro minus firma per marg.* Ed. 2. *declarata sit, praeeunte tamen* Gnomone *exprimitur in* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

ἡμᾶς, *nos*) apostolos et doctores. — σὺν ὑμῖν, *vobiscum*) Modeste de se loquitur. — εἰς χριστὸν, καὶ χρίσας, *in Christum, et ungens*) Conjugata. Ex *oleo*, *robur*, h. l. et *bonus odor*. c. 2, 15. Omnia tendunt ad τὸ *nae*. εἰς χριστὸν, in fide *in Christum*.

v. 22. ἀῤῥαβῶνα, *arrhabonem*) c. 5, 5. ἀῤῥαβὼν Gen. 38, 17. s. dicitur pro *pignore*, quod debito soluto redditur: alias autem pro *arrha*, quae datur in antecessum, ut fides fiat de subsecutura praestatione plena. Hesychius, ἀῤῥαβὼν, πρόδομα. *Est enim arra*, inquit Isid. Hispal. *complenda, non auferenda: unde qui habet arram, non reddit sicut pignus, sed desiderat plenitudinem.* Talis *arrhabo* est ipse Spiritus: Eph. 1, 14.: unde etiam *primitias Spiritus* habere dicimur, Rom. 8, 23. Vide *Rittershusii* lib. 7. Sacr. lect. c. 19.

v. 23. ἐγὼ δὲ, *ego vero*) Antitheton facit *vero* particula. *volebam venire: nondum vero veni.* — τὸν θεὸν, *Deum*) omniscium. — ἐπικαλοῦμαι, *invoco*) Jurat apostolus. — ἐπὶ, *super*) Gravis sermo. — ψυχὴν, *animam*) in qua rerum mearum mihi conscius sum, quam perimi nolim. — φειδόμενος, *parcens*) Grande verbum: ideo declaratur mox. *Parcere* potest, qui dominatur: parcit etiam, qui gaudium potius, quam dolorem affert. Hanc vim declarandi confirmat, quod *non quo dominemur* dicit, non, *quod non dominamur*. — εἰς κόρινθον, *Corinthum*) Eleganter, pro *ad vos*, in sermone *potestatem* ostendente. Coram, tristius agendum fuisset: nam praesentia, severior. conf. Ex. 33, 3. Hos. 11, 9. Ideo Titum praemiserat apostolus.

v. 24. κυριεύομεν, *dominemur*) Legitima quoque potestate apostolo uti grave fuerat; idque idcirco appellat *dominari*. conf. 1 Cor. 9, 17. not. de tali genere loquendi. — τῆς πίστεως, *fidei*) Fideles, *liberi*. — συνεργοὶ, *cooperarii*) non *domini*. — χαρᾶς, *gaudii*) ex *fide*. Phil. 1, 25. Antitheton, *tristitia*, c. 2, 1. s. — τῇ πίστει, *fide*) per fidem. Rom. 11, 20. — ἑστήκατε, *stetistis*) neque lapsi estis, quanquam periculum fuerat.

CAPUT II.

v. 1. Ἔκρινα δὲ ἐμαυτῷ, *judicavi autem mihi ipsi*) quod ad me ipsum attinet, meo commodo. antitheton: *vobis*, c. 1, 23. — δὲ, *autem*) Antitheton ad *non jam*, c. 1, 23. — πάλιν, *iterum*) Constr. cum *venire*, non cum *venire, in tristitia. in tristitia* antea scripserat, non venerat. — ἐν λύπῃ, *in tristitia*) duplici. sequitur enim, *si enim ego contristo*, et, *si vero quis contristavit*. Efficit haec anaphora duas partes oppositas, quarum tractatio concinne respondet. *scripsi, ut cognoscerctis: scripsi, ut cognoscerem.* v. 4. 9. *omnium vestrum: omnes vos.* v. 3. 5.

v. 2. λυπῶ, *contristo*) vel coram, vel literis. — καὶ τίς ἐστιν, *et quis est*) Τὸ *si* habet apodosin bimembrem: *et quis, et scripsi. et, et*: cum, tum. — εὐφραίνων με, *exhilarans me*) per tristitiam poenitentialem. — εἰ μὴ, *nisi*) Ei qui mihi laetitiam per poenitentiam affert, tristitiam per objurgationem incussisse non juvat. Mallem, opus non fuisse. — ὁ λυπούμενος, *contristatus*) Notat Corinthios, sed magis illum, qui peccarat. — ἐξ ἐμοῦ, *ex me*) ἀφ' ὧν, *a quibus*, versu seq. Differunt particulae: *a* dicit quiddam liberius; *ex*, quiddam penitius. conf. c. 3, 5. 1 Thess. 2, 6.

v. 3. καὶ ἔγραψα, *et scripsi*) Demonstrat, se jam tum, quum primam epistolam, qua adventum promiserat, dedit, hoc animo fuisse, quem v. 1. explicat. — ἀφ' ὧν, *a quibus*) tanquam a filiis. — ὅτι, *quod*) Ipsum gaudium Paulo non sua, sed Corinthiorum causa est optabile.

v. 4. ἐκ γὰρ, *nam ex*) Volui vos commovere ante adventum meum, ut postea non opus esset. *angustia cordis* peperit lacrymas, *multa multas*. Lacrymarum vestigia in literis, si ipse scripsit, videre poterant Corinthii, signum angustiae. — οὐχ ἵνα) *non* tam *ut* etc. Tristitiae fructus non est tristitia; amoris

Digitized by Google

autem, amor. — λυπηθῆτε, *contristaremini*) Facile dolet, qui a fiente admonetur. — τὴν ἀγάπην, *amorem*) Fons verae correptionis, et ex ea gaudii. — γνῶτε, *cognosceretis*) ex mea fideli admonitione. — περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς, *abundantius in vos*) singulariter mihi commendatos. Act. 18, 10.

v. 5. τὶς, *aliquis*) Clementer jam loquitur, *quis*, et *quid*, v. 10. In utraque epistola pepercit Paulus nomini hujus, de quo loquitur. — οὐκ ἐμὲ λελύπηκεν) *non me contristavit*, i. e. non contristatum habet. — ἀλλ' ἀπὸ μέρους) *tantummodo ex parte* attulit mihi tristitiam. — ἐπιβαρῶ, *onerem*) Id gravius, quam *contristem*.

v. 6. ἱκανὸν) Neutrum, loco substantivi. *satis tali* est, ita ut non possit plus ab eo postulari. ἱκανὸν, verbum forense. Prudentiae christianae est, modum tenere. Bene longum tempus intercessit inter utramque epistolam. — ἐπιτιμία, *objurgatio*) Antitheton, *condonare*, item, *consolari*. — τῶν πλειόνων, *pluribus*) non solum iis, qui praecerant. Ecclesia gerit claves.

v. 7. χαρίσασθαι) Hoc vim habeti ndicativi, *unde potius condonatur:* et indicativus mitissime hortatur. c. 12, 9. Matth. 26, 18. not.

v. 8. κυρῶσαι, *sancire*) κῦρος est penes amorem, non penes tristitiam. majestas regiminis et disciplinae ecclesiasticae sita est in amore. Hic regnat. קר LXX, κυροῦσθαι. Gen. 23, 20. Lev. 25, 30.

v. 9. καὶ ἔγραψα) non modo scribo, sed *etiam scripsi*. — τὴν δοκιμὴν) *documentum*, an sitis filii genuini, amantes, obedientes. — εἰς πάντα, *ad omnia*) ad *objurgationem*, et ad *amorem*.

v. 10. τὶ, *aliquid*) Lenissime loquitur de peccato atroci, sed agnito. — χαρίζεσθε, *condonatis*) Non dubitat, quin faciant, quod scripsit versu 7. — καὶ ἐγὼ, *etiam ego*) Modeste subscribit et se quasi aggregat Corinthiis. — εἴ τι κεχάρισμαι, *si quid condonari*) Res limitatur per *si quid:* ut ostendat Paulus, se veniam a Corinthiis peccatori datam subsequi. Ex praesenti, *condono*, statim fit praeteritum, *condonavi*, dum Paulus haec scribit. — δι' ὑμᾶς, *propter vos*) scil. *condonavi*. — ἐν προσώπῳ χριστοῦ, *in facie Christi*) coram Christo. 1 Cor. 5, 4. — ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν, *ut ne fraudemur*) Detrimentum unius peccatoris, detrimentum commune. Ideo dixit, *propter vos*. — ὑπὸ τοῦ σατανᾶ, *a Satana*) cui tradidit vel traditurus fuit Paulus peccatorem. 1 Cor. 5, 5. Satanas non modo carnem, sed animam perdere *cogitabat:* et maxime nocendi locum quaerit per *tristitiam*.

v. 11. οὐ γὰρ, *non enim*) Vera prudentia ecclesiastica. qui habent *mentem* Christi, non ignorant νοήματα *cogitationes* et molimina hostilia. Conjugata, νοήματα, ἀγνοεῖν.

v. 12. καὶ) *etiam* quamvis. Paulus libenter Troade commoratus esset. — θύρας, *janua*) Nec tamen peccavit Paulus discedens, quia liberum manebat. — ἄνεσιν, *requiem*) Hac primo spiritus, deinde etiam caro coepit carere. cap. 7, 5. Scire cupiebat, quomodo priorem epistolam suscepissent Corinthii. — τῷ πνεύματι, *spiritu*) Inde sensit, non necessum esse, *janua* illa uti. — τίτον, *Titum*) a vobis venturum.

v. 13. εἰς μακεδονίαν, *in Macedoniam*) ubi propior essem et citius fierem certior. [*qualis fuerit prioris epistolae ad vos meae fructus*, V. g.] Haec continuantur c. 7, 2. 5. Interjacetque nobilissima digressio, de rebus tantisper alibi gestis et toleratis; quarum fructum hoc pacto etiam ad Corinthios derivat, apologiae praeludens contra pseudapostolos.

v. 14. τῷ δὲ θεῷ, *Deo vero*) Tametsi Corinthum non veni, Troade non mansi; tamen non deest victoria evangelii, etiam aliis in locis. Accedit sermo modalis: *Gratia Deo*. — πάντοτε, *semper*) Sequitur parallelum, *in omni loco*. — θριαμβεύοντι ἡμᾶς) *qui triumpho nos ostendit*, non ut victos, sed ut victoriae

Digitized by Google

suae ministros. non solum victoria, sed victoriae ostensio denotatur: sequitur enim, *manifestanti*. *Triumphus* oculos; *odor* nares vehementer ferit. — τὴν ὀσμὴν, *odorem*) Ab omnibus sensibus metaphora sumitur ad describendam virtutem evangelii. Hic *visus* (triumphi) et *odor* occurrunt. — αὐτοῦ, *ejus*) Christi. v. 15. — φανεροῦντι, *manifestanti*) Frequens verbum in hac epistola, suspiciones Corinthiacas refutans. sic 1 Cor. 4, 5.

v. 15. εὐωδία) *odor bonus*, i. e. validus, gratus piis, gravis impiis. Christi odor per nos, ut aromatum per vestimenta, sese exerit. — ἐν) *penes*. — σωζομένοις· ἀπολλυμένοις, *qui servantur: qui pereunt*) Utrius generis quisque sit, ex eo patet, prout quisque evangelium accipit. De priori genere agit c. 3, 1. — 4, 2. de altero, c. 4, 3—6. — ἀπολλυμένοις, *pereuntibus*) c. 4, 3.

v. 16. ὀσμὴ θανάτου, *odor mortis*) Habent pro re mortua: inde mortem nanciscuntur jure. — οἷς δὲ, *illis autem*) qui salvantur. Hic versus, collatis antecedentibus et consequentibus, χιασμὸν habet. — καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; *et ad haec quis idoneus?*) Quis? i. e. pauci, nos. Ea sententia modeste innuitur et Corinthiis agnoscenda relinquitur. coll. v. seq. Paulus suam et paucorum ἱκανότητα *sufficientiam* copiose asserit c. seq. et hoc ipsum verbum repetit v. 5. s. ut adversarii videantur vel expresse vel in sensu negasse, Paulum esse *idoneum*.

v. 17. οἱ πολλοὶ, *multi*) Sic c. 11, 18. Conf. הָרַבִּים 1 Reg. 18, 25. Articulus vim habet. *multi*, plerique, ἄοσμοι, *odoris expertes*. Conf. Phil. 2, 21. — καπηλεύοντες) *cauponantes*. qui non id laborant, ut quam plurimum virtutis edant, sed ut quaestum faciant. Loquuntur tales de Christo, sed non ut ex Deo et coram Deo. κάπηλοι *caupones* aliunde mercem sumunt: adulterant: cum quaestu tractant. aliter apostoli in verbo Dei versantur. nam *ex Deo* loquuntur, et *sincere*, et ut Deo se probent. Synonyma, δολοῦντες, *adulterantes*, c. 4, 2. et ἐμπορεύεσθαι, *mercari*. 2 Petr. 2, 3. — ἐξ εἰλικρινείας, *ex sinceritate*) Verbo Dei per se studemus. — ἀλλ᾽ ὡς ἐκ, *sed ut ex*) Gradatio, *sed* iterato. *ut*, declarat.[1]) — κατενώπιον — λαλοῦμεν, *coram — loquimur*) Sic plane c. 12, 19. Semper cogitamus, Deum, ex quo loquimur, praesentem esse loquentibus: homines non curamus. — ἐν, *in*) Sermo, quem *in* Christo habemus, divinitus datur et regitur. — λαλοῦμεν, *loquimur*) Linguam adhibemus: virtus est Dei.

CAPUT III.

v. 1. Ἀρχόμεθα, *incipimus*) Justus aculeus, in illos *quosdam*, qui *coeperant*. — πάλιν, *iterum*) ut antehac factum in epistola priore. sic, *iterum*, cap. 5, 12. — συνιστάνειν, *commendare*) humano more: c. 12, 19. commemorando res alibi gestas. — εἰ μὴ) *nisi*. Particula morata: num ita demum pares sumus ipsi ad nos commendandos, *si non* etiam epistolis egeamus? Alii, ἤ. — τινὲς, *quidam*) *multorum*. c. 2, 17. Hac quoque in re abhorrere se significat a pseudapostolis. illi *egebant*. — ἐξ ὑμῶν, *ex vobis*) ad alios. Hic ergo mos erat Corinthi.

v. 2. ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, *in cordibus nostris*) Vestra fides scripta est in corde nostro: in quo eam et vos ipsos circumferimus, ubique cognoscendam et legendam. Ex corde Corinthiorum reflectebatur ad cor apostolicum. — πάντων, *omnibus*) a vobis et aliis. Argumentum pro veritate evangelica, obviam omnibus, ex ipsis desumendum credentibus. [*c. 4, 2. 1 Cor. 14, 25.*]

v. 3. φανερούμενοι, *manifestati*) Constr. cum ὑμεῖς *vos*. Aetiologia, cur legi possit haec epistola. — χριστοῦ — ὑφ᾽ ἡμῶν, *Christi — a nobis*) Declarat

---

1) *Attamen et particulam* ὡς, *ante* ἐξ εἰλικρινείας, *et particulam* ἀλλ᾽, *ante* ὡς ἐκ θεοῦ, *omittit* Vers. germ., *utut omissio minus probata fuerit per* utriusque Ed. *margines*. E. B.

Digitized by Google

τὸ *nostra*, v. 2. Christus, auctor epistolae. — διακονηθεῖσα) Verbum διακονέω saepe accusativum rei habet c. 8, 19. 20. 2 Tim. 1, 18. 1 Petr. 1, 12. 4, 10. Sic Paeanius: τὴν μάχην διακονούμενος, *pugnam administrans*. l. 7. metaphr. Eutr. Apostoli διηκόνουν *tanquam ministri dederunt* epistolam. Christus per eos lucem, spiritum, in tabulas cordis Corinthiorum intulit, ut scriba atramentum in cartam fert. Ad scribendam epistolam requiritur membrana vel carta, et calamus, non modo *atramentum*. Quod Paulus atramentum sine calamo et carta memorat, est synecdoche: τὸ μέλαν non praecise atramentum notat, sed quamcunque nigredinem, v. gr. etiam carbonum, quibus lapidi aliquid inscribi potest. Totius scriptionis, quae atramento et calamo fit, eadem est ratio, quae decalogi in tabulis lapideis exarati. Lapidi insculptae erant literae, ut cartae inscribitur atra litera. Corda innuuntur Corinthiorum: nam Paulus erat quasi stilus. — οὐ μέλανι, *non atramento*) Synecdoche. nam tabulae apud Mosen, divinitus inscriptae, sine atramento, certe erant materiales. — ζῶντος, *virentis*) Conf. v. 6. 7. — λιθίναις, *lapideis*) v. 7. — πλαξὶ καρδίας σαρκίναις, *tabulis cordis carneis*) Tabulae cordis, genus: tabulae carneae, species. nam non omne cor est carneum.

v. 4. πεποίθησιν, *fiduciam*) qua tales nos esse et statuimus et profitemur. Antitheton, *segnescere*. c. 4, 1. — διὰ τοῦ χριστοῦ, *per Christum*) non per nos ipsos. Hoc tractatur v. 14. fin. et seqq. — πρὸς τὸν θεὸν, *ad Deum*) Hoc tractatur v. 6. seqq.

v. 5. [1]) λογίσασθαι, *cogitare*) cogitando consequi, nedum loqui aut perficere. Inesse quiddam videtur mimeseos. Non enim cogitant, quos Deus agit: id est, nil cogitando fingunt aut elaborant. 2 Petr. 1, 21. — τι) *quicquam*, vel minimum.

v. 6. καὶ, *etiam*) Epitasis. *sufficientiam* dedit nobis, et *sufficientiam* diaconorum N. T. quae multo plus postulat. — ἡμᾶς διακόνους, *nos ministros*) Appositio. — καινῆς, *novi*) Antitheton, *veteris*. v. 14. — οὐ, *non*) *Novi Testamenti: id est, non literae, sed Spiritus*. vid. Rom. 7, 6. seqq. cum annot. — γράμματος, *literae*) Paulus etiam dum haec *scripsit*, non literae, sed *spiritus* ministrum egit. Moses in proprio illo officio suo, etiam cum haud scripsit, tamen in litera versatus est. — πνεύματος, *spiritus*) cujus *ministerium* majorem et gloriam habet et *capacitatem* requirit. — ἀποκτείνει) *occidit*; peccatorem exstimulat ad sensum mortis. nam si peccator vitam haberet, antequam litera venit; vivificatione per Spiritum non esset opus. Huc conf. v. seq. *mortis*.

v. 7. ἡ διακονία, *ministerium*) quo Moses fungebatur. — ἐντετυπωμένη) LXX, κεκολαμμένη. Ex. 32, 16. — λίθοις, *lapidibus*) Fuerunt igitur duae tabulae diversae, non ex uno lapide. Ex. 34, 1. *impressum lapidibus*, est declaratio incisi hujus, *in literis*. — ἐγενήθη ἐν δόξῃ) *nacta est gloriam*. γίνομαι, *fio*, et εἰμὶ, *sum*, v. 8., differunt. — μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι) Ex. 34, 30. ἐφοβήθησαν ἐγγίσαι αὐτῷ. — μωϋσέως, *Moysis*) in sua functione versantis.

v. 8. ἔσται) *erit*. Loquitur ex prospectu V. T. in novum. adde, *spem*, v. 12.

v. 9. κατακρίσεως· δικαιοσύνης, *condemnationis: justitiae*) Per hanc multo magis quam per illam refulget Dei gloria. Litera *condemnat: condemnatio* mortem infligit: Spiritus, cum justitia, vitam affert. — δόξα, *gloria*) Abstractum pro concreto, brevitatis gratia.

v. 10. οὐδὲ δεδόξασται, *ne glorificatum quidem est*) Sequitur mox limitatio, *in hac parte*. Lumen majus obscurat minus. — τὸ δεδοξασμένον, *glorificatum*) Sic LXX, Ex. 34, 29. 35., קרן דבדוֹ δεδόξασται.

v. 11. διὰ δόξης· ἐν δόξῃ, *per gloriam: in gloria*) Particulae convenienter variatae. Subaudi *est*. — τὸ μένον, *quod manet*) Non manet ipsa διακονία, *mini-*

---

1) ἐσμὲν, *sumus*] Hac ipsa etiamnum hora. *V. g.*

Digitized by Google

sterium, et quicquid *ex parte* est, 1 Cor. 13, 10., sed Spiritus, justitia, vita. Ideo neutrum genus adhibetur.

v. 12. ἐλπίδα, *spem*) *Fiduciam* dixit v. 4., nunc *spem*, intuitu ejus, *quod manet*, v. 11. — παῤῥησίᾳ) *aperta agendi ratione.*

v. 13. καὶ οὐ, *ac non*) Subaudi *sumus* aut *facimus*. — κάλυμμα) Sic LXX, l. c. — πρὸς τὸ μὴ) Πρὸς, *ad*, congruentiam notat, coll. Matth. 19, 8. Nam τὸ μὴ ἀτενίσαι erat ante impositionem velaminis: sed ipso splendore Mosis posterius, v. 7. quare illic ὥστε ponitur. Quod de Mose dicitur, Paulus de ministris N. T. negat, nempe totum illud, *ponere velamen, ne inspiciant Israëlitae.* Saepe aliquid inseritur in protasin, quod proprie in apodosin redundet. In v. 7. est ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι. hic πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι. Hic nempe negatur actus, non potentia. Potentia apud Mosen deerat omnibus: apud apostolos, quibusdam. — εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου, *in finem ejus, quod aboletur*) Paulus verba flectit ad allegoriam. *Id quod aboletur*, habet *finem* suum in Christo: v. 14. fin. Rom. 10, 4. eo tendit et terminatur lex.

v. 14. ἀλλ᾽ ἐπωρώθη, *sed obdurati sunt*) *sed* opponitur τῷ *non intendere oculos.* — τὸ αὐτὸ) *idem*, quod Mosis tempore. — ἐπὶ, *super*) i. e. *cum legunt*, et, *tametsi legunt.* — ἀναγνώσει, *lectione*) publica, frequenti, perpetua. Limitat Paulus: velamen non est jam in facie Mosis, aut in scriptis ejus; sed *in lectione*, dum Mosen legunt, et quidem ita, ut Christum non admittant, item, *super corde.* v. 15. — μένει, μὴ ἀνακαλυπτόμενον) *manet* superjacens, *ita ut ne retegatur quidem.* — ὅτι) *quia* non nisi *in Christo aboletur.* Propositio eorum, quae sequuntur. — καταργεῖται, *aboletur*) *vetus testamentum.* conf. omnino v. 7. 11. 13. Non dicit, *abolitum est*, sed *aboletur*, respectu convertendorum.

v. 15. ἀλλ᾽ ἕως, *sed usque*) *Sed* opponitur τῷ *non retegitur.* — ἡνίκα) Hoc uno loco Paulus hoc adverbio utitur: videtur ei haesisse ex recenti lectione τῶν LXX, Ex. l. c. — ἀναγινώσκεται μωϋσῆς, *legitur Moyses*) et quidem obnixe, sine intuitu Christi. sequitur antitheton, *cum vero conversum erit.*

v. 16. ἡνίκα δ᾽ ἂν — περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα, *quum autem — aufertur velamen*) Parodia haec est ad Ex. 34, 34., ἡνίκα δ᾽ ἂν εἰσεπορεύετο μωϋσῆς ἔναντι Κυρίου λαλεῖν αὐτῷ, περιῃρεῖτο τὸ κάλυμμα. Igitur ἡνίκα, non *si*, sed *quum*, plane affirmat, uti versu praec. et apud LXX passim. ἡνίκα ἐὰν, ἡνίκα ἂν, Gen. 24, 41. 27, 40. Ex. 1, 10. 34, 24. Lev. 6, 4. 10, 9. Deut. 25, 19. ἡνίκα δ᾽ ἂν, Ex. 33, 8. 22. 40, 36. — ἐπιστρέψῃ, *conversum erit*) scil. ἡ καρδία, *cor.* Resipiscendo veritas agnoscitur. 2 Tim. 2, 25. Non disputationis, sed conversionis methodus erga Judaeos adhibenda est. — πρὸς κύριον, *ad Dominum*) Christum. v. 14. fin. Insignis appellatio. c. 4, 5. — περιαιρεῖται) περιαιροῦμαι, passivum est, Act. 27, 20. et apud LXX, Lev. 4, 31. 35. sed Medium, apud LXX, persaepe, et quidem eo quoque loco, quem Paulus respicit. Passivam tamen significationem suadet h. l. antitheton versus 15. et 16.: *velamen jacet: velamen aufertur.* Praesens, *aufertur*, emphasin habet.

v. 17. ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν, *Dominus autem Spiritus est*) Subjectum, *Dominus.* Christus non est litera, sed est Spiritus, et *finis legis.* Sublimis enunciatio. conf. Phil. 1, 21. Gal. 3, 16. Particula *autem* ostendit, hoc versu declarari praecedentem. Conversio fit ad Dominum, ut spiritum. — οὗ δὲ τὸ πνεῦμα κυρίου, *ubi vero Spiritus Domini*) Ubi Christus est, ibidem Spiritus Christi: ubi Spiritus Christi, ibi Christus. Rom. 8, 9. s. Ubi Christus et Spiritus ejus, ibi libertas. Joh. 8, 36. Gal. 4, 6. s. — ἐκεῖ) *ibi* demum. — ἐλευθερία) *libertas*, opposita *velamini*, servitutis symbolo. *libertas*, adspiciendi sine timore tali, qualem habebant filii Israël. Exod. 34, 30.

v. 18. ἡμεῖς δὲ πάντες, *nos vero omnes*) *nos*, Ministri N. T. *omnes.* antitheton ad unum *Mosen.* v. 13. — ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ) *facie* nostra *retecta*

Digitized by Google

erga homines. nam erga Deum ne Mosis quidem facies erat velata. Antitheton, *apertum*, c. 4, 3. — τὴν δόξαν, *gloriam*) majestatem divinam. — κυρίου, *Domini*) Christi. — κατοπτριζόμενοι) Dominus nos κατοπτρίζει, *splendorem* faciei suae in corda nostra *tanquam in specula immittens*: nos illum splendorem suscipimus et referimus. Elegans antitheton ad ἐντετυπωμένη, *insculpta*. Nam quae *insculpuntur*, fiunt paullatim: quae *in speculo repraesentantur*, fiunt celerrime. — τὴν αὐτὴν) *eandem*, cum simus multi. Eadem gloriae Christi in tot fidelibus expressio, character veritatis. — εἰκόνα, *imaginem*) *Domini*, gloriosam. — μεταμορφούμεθα, *transformamur*) Dominus *format*, celeri scriptura, imaginem suam in nobis; sicut Moses retulit gloriam Dei. Passivum retinet accusativum; ut in illo: διδάσκομαι υἱόν. — ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, *a gloria in gloriam*) a gloria Domini in gloriam in nobis. Israëlitae a gloria Mosis non erant transformati in similem gloriam. erant enim in litera. — καθάπερ, *sicut*) Adverbium similitudinis. coll. v. 13. *Sicut* Dominus se nobis inprimit, sic per nos exprimitur. Ipse est exemplar; nos, imagines. — ἀπὸ κυρίου πνεύματος) *a Domini* (Christi v. 14.) *Spiritu*. Respicit v. 17., *ubi vero Spiritus Domini*. Si esset appositio, Paulus diceret, ἀπὸ κυρίου τοῦ πνεύματος. Alias dicitur *Spiritus Domini*; sed hic, *Domini Spiritus*, emphatice. Ἀπὸ est, uti cap. 1, 2., et saepe.

CAPUT IV.

v. 1. Τὴν διακονίαν ταύτην, *ministerium hoc*) de quo cap. 3, 6. seq. — καθὼς ἠλεήθημεν, *sicut misericordiam nacti sumus*) Misericordia Dei, per quam *ministerium* accipitur, facit strenuos et sinceros. Etiam Moses *misericordiam adeptus est*, et inde tantam invenit admissionem. Ex. 33, 19. — οὐκ — ἀλλ', *non — sed*) Duplex propositio. altera pars, per χιασμὸν, tractatur mox; prior, a versu 16. Quare ibi repetitur, οὐκ ἐκκακοῦμεν, *non segnescimus*, nil vitii capimus, in loquendo, in agendo, in patiendo.

v. 2. ἀπειπάμεθα) Hesychius: ἀπειπάμεθα, ἀπερρίψάμεθα· ἀπείπαντο, παρητήσαντο, ἀπετάξαντο. *abdicavimus*, et abdicata esse jubemus. — τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, *occulta pudoris*) *Pudor*, gloriae dominicae expers, ex *occulto* agit. eam nos agendi rationem missam esse jubemus. Rom. 1, 16. Antitheton, *manifestatione*, mox, et *loquimur*. v. 13. — ἐν πανουργίᾳ, *in astutia*) Haec opponitur *sinceritati*. *astutia latebras* quaerit: nos non utimur. — μηδὲ δολοῦντες) *neque adulterantes*. — τῇ φανερώσει, *manifestatione*) conf. c. 3, 3. — τῆς ἀληθείας, *veritatis*) evangelicae. — ἑαυτοὺς, *nos ipsos*) ut sinceros. — πρὸς) *ad*. — πᾶσαν) *omnem*, de omnibus rebus. — συνείδησιν) *conscientiam*, c. 5, 11.: non ad judicia carnalia: c. 3, 1., ubi implicite notatur *commendatio quorundam* carnalis.

v. 3. εἰ δὲ, *sin autem*) perinde ut Mosis tempore. — καὶ ἔστι, *etiam est*) *Etiam* intendit vim temporis praesentis in *est*. — τὸ εὐαγγέλιον, *evangelium*) per se apertissimum. — ἐν, *in*) quod ad pereuntes attinet. sic *in*, 1 Cor. 14, 11. — ἐν τοῖς, *in illis*) non in se. — ἀπολλυμένοις, *pereuntibus*) 1 Cor. 1, 18.

v. 4. ἐν οἷς) *ad quos quod attinet*. — ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, *deus aevi hujus*) Grandis sed horribilis descriptio Satanae. [*grandi ejus, at horribili operi, h. l. memorato, respondens*, V. g.] conf. Eph. 2, 2. de re; et Phil. 3, 19. de vocabulo. quis alias putaret, illum posse in hominibus tantae luci officere? Inest autem mimesis aliqua. nam pereuntes, Judaei praesertim, putant, se habere et nosse Deum. *Hujus aevi infidelium*, construxere veteres, quo magis resisterent Manichaeis et Marcionitis. — τοῦ αἰῶνος τούτου, *aevi hujus*) *hujus*, inquit: non enim semper grassari poterit. — ἐτύφλωσε, *occoecavit*) non modo *velavit*. — τῶν ἀπίστων, *infidelium*) Epitheton, subaudito relativo pronomine, ἐκείνων, *illorum*. nam in iis, qui pereunt, maxime sunt ii, qui, cum audierint, non credunt.

Digitized by Google

Fide **recipitur** ***evangelium*** **ad** ***salutem.*** — εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι) [1]) ***ne luceat.*** — τὸν φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου κτλ., ***illuminatio evangelii etc.***) **Mox appellat** ***illuminationem cognitionis*** **etc.** φωτισμὸς, ***illuminatio,*** **est reflexio sive propagatio radiorum ab illuminatis ad illuminandos plures.** ***Evangelium*** **et** ***cognitio*** **sunt correlata, ut causa et effectus.** — τῆς δόξης, ***gloriae***) c. 3, 18. not. — εἰκὼν τοῦ θεοῦ, ***imago Dei***) **Hinc satis intelligi potest, quanta sit gloria Christi. v. 6. 1 Tim. 6, 15. Qui Filium videt, Patrem videt,** ***in facie*** **Christi. Filius Patrem exacte repraesentat ac refert.**

v. 5. οὐ, ***non***) **Non** ***commendamus*** **nos ipsos, c. 3, 1. quanquam pereuntes id putant.** — γὰρ, ***enim***) **Penes nos culpa non est coecitatis illorum.** — κύριον· δούλους, ***Dominum: servos***) **Antitheton. non praedicamus nos ipsos dominos. conf. c. 1, 24.** — δούλους ὑμῶν, ***servos vestros***) **Inde Paulus Corinthios sibi praeferre solet. v. 12. s.** — διὰ ἰησοῦν, ***propter Jesum***) **Ex Illo majestas Christianorum.**

v. 6. ὅτι, ***quia***) **Probat, se veros esse** ***servos.*** — ὁ θεὸς, ***Deus***) ***Deus*** — ***splendere;*** **subjectum: deinde, subaudito** ***est,*** **(uti Act. 4, 24. 25.) praedicatum sequitur,** ***qui splenduit.*** — ὁ εἰπὼν, ***qui dixit***) **qui verbo jussit. LXX,** εἶπεν, **Gen. 1, 3.** — ἐκ σκότους φῶς, ***ex tenebris lucem***) **LXX, Job. 37, 15.,** φῶς ποιήσας ἐκ σκότους. **Magnum opus.** — ἔλαμψεν) ***fulgorem dedit,*** **ipse Lux nostra: luminis non solum autor, sed etiam fons, ac Sol.** — καρδίαις, ***cordibus***) **per se obscuris.** — ἐν προσώπῳ [2]) ἰησοῦ χριστοῦ, ***in facie Jesu Christi***) **qui est Patris unigenitus et imago, et** ***manifestatus est*** **in carne cum gloria sua.**

v. 7. τὸν θησαυρὸν τοῦτον, ***thesaurum hunc***) **descriptum a c. 2, 14. Nunc ostendit, afflictiones et ipsam mortem adeo non obstare ministerio Spiritus, ut id etiam adjuvent, et exacuant ministros, et fructum augeant.** — ὀστρακίνοις, ***testaceis***) **Thesauros antiqui asservabant in** ***ollis.*** **Sunt testacea vasa, sed tamen munda; contra ac vas aureum tamen immundum esse potest.** — σκεύεσιν, ***vasis***) **Sic appellat** ***corpus*** **sive** ***carnem,*** **afflictioni et morti subjectam. v. seqq.** — ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως, ***excellentia virtutis***) **quae in thesauro sita se in nobis, dum servamur, et in vobis, dum locupletamini, exserit. v. 10. s.** — ᾖ, ***sit***) **esse agnoscatur, cum gratiarum actione. v. 15.** — τοῦ θεοῦ, ***Dei***) **non modo** ***ex Deo.*** **Deus non modo semel largitur** ***virtutem,*** **sed semper praestat.**

v. 8. ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ***dum in omni premimur***) **Sic c. 7, 5.,** ***in omni,*** **scil.** ***re, loco.*** **conf.** ***semper,*** **v. 10.** — θλιβόμενοι, ***dum premimur***) **Quatuor participia in hoc versu, ad affectum; totidem in sequenti, ad ea quae foris accidebant, spectant. cap. 7, 5. Construuntur cum** ἔχομεν, ***habemus:*** **et in quovis membro prius comma probat,** ***vasa esse testacea:*** **posterius praedicat** ***excellentiam virtutis.*** — οὐ στενοχωρούμενοι, ***non ad angustias redigimur***) **Nunquam deest** ***exitus.*** — ἀπορούμενοι, ***haesitamus***) **de futuro: ut** ***premimur,*** **in praesenti.**

v. 9. διωκόμενοι, ***persecutionem patimur***) **Plus est** καταβαλλόμενοι, ***dejecti,*** **ubi fuga non patet.**

v. 10. πάντοτε) **Ab hoc differt** ἀεὶ, **v. seq.** πάντοτε, ***toto tempore:*** ἀεὶ, ***quibuvis temporibus.*** **conf.** ἀεὶ, **Marc. 15, 8. Congruunt verba,** ***circumferentes, tradimur,*** **versu hoc et 11.** — τὴν νέκρωσιν, ***mortificationem***) **Haec est quasi actus:** ***vita,*** **habitus.** — τοῦ κυρίου, ***Domini***) **Hoc nomen subaudiendum ter versu hoc et seq. [3]) commode autem primo hoc loco mitigat mentionem** ***mortifica-***

---

1) *Pronomen* αὐτοῖς, *in marg.* Ed. 2. *pluris, quam in* Ed. maj., *aestimatum, exhibet quoque* Vers. germ. E. B.

2) *Nomen* Ἰησοῦ *dubiae lectionis esse, et margo* Ed. 2. *et* Vers. germ. *innuit. Eademque ratio est lectionis* τοῦ κυρίου, v. 10. E. B.

3) *Conf. not. marg. ad* v. 6. E. B.

Digitized by Google

tionis. Mortificatio Domini dicitur, et genitivus innuit communionem, uti c. 1, 5. — ιησοῦ, *Jesu*) Saepius in hoc toto loco Paulus hoc nomen solum ponit, v. 5., quam alias solet. itaque hic singulariter sensit dulcedinem ejus. — περιφέροντες, *circumferentes*) in terris. — ἵνα καὶ, *ut etiam*) Incrementum sumit consolatio. Modo, quater, *sed.* — ἐν τῷ σώματι ἡμῶν φανερωθῇ, *in corpore nostro manifestetur*) *manifestetur in mortua carne nostra.* v. seq. Altero loco nomen, altero verbum, emphaseos causa praeponitur. versu 10. spectatur glorificatio: v. 9. conservatio in hac vita, et corroboratio. *nostro* hic potius addit, quam ineunte versu. corpus est nostrum, non tam in morte, quam in vita. *manifestetur* explicatur versu 14. 17. s.

v. 11. οἱ ζῶντες, *viventes*) Oxymoron. conf. *viventes*, c. 5, 15. Miratur se tantis mortibus, vel etiam aliis ob testimonium Christi jam interfectis, v. gr. Stephano, Jacobo, superstitem. Antitheta, *viventes, mortem: vita, mortua.* — παραδιδόμεθα, *tradimur*) Eleganter et modeste abstinet mentione ejus, qui *tradit.* Extrinsecus traditio videri posset temere fieri.

v. 12. θάνατος, *mors*) corporis. [*per corruptionem hominis externi,* V. g.] — ζωὴ, *vita*) spiritûs.

v. 13. τὸ αὐτὸ) *eundem*, quem [*et Davides habuit et habetis*] vos. conf. v. 14. — κατὰ, *secundum*) Hoc construitur cum *credimus* et *loquimur.* — ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα) sic LXX, Ps. 116, 10. Hebr. ἐπίστευσα, ὅτι λαλήσω. Altero sensu alter includitur. Fides nata mox loquitur: et ex loquela se noscit et auget. — λαλοῦμεν, *loquimur*) sine metu, in media afflictione et morte v. 17.

v. 14. εἰδότες, *scientes*) *fide* magna. c. 5, 1. — παραστήσει) *praesentes sistet.* Hoc verbum est instar hypotyposeos.

v. 15. γὰρ, *enim*) Causa, cur modo dixerit, *vobiscum.* — πάντα, *omnia*) adversa, secunda. — ἡ χάρις, *gratia*) quae nos servat, et vos in vita confirmat. — πλεονάσασα· περισσεύσῃ) Πλεονάζω habet vim positivi; περισσεύω, comparativi. Rom. 5, 20. Itaque cum περισσεύσῃ construendum διά. Πλέον idem quod πλῆρες non est comparativus. — διὰ) *propter* complurium gratiarum actionem, pro illa gratia. Gratiarum actio gratiam uberiorem invitat. Ps. 18, 4. 50, 23. 2 Chron. 20, 19. 21. s. — εὐχαριστίαν, *gratiarum actionem*) nostram vestramque. c. 1, 3. s. — περισσεύσῃ) *abundantius obtingat* nobis et vobis, iterum ad gloriam Dei.

v. 16. διὸ οὐκ ἐκκακοῦμεν, *propterea non segnescimus*) v. 1. not. — ὁ ἔξω, *exterior*) corpus, caro. — διαφθείρεται, *corrumpitur*) per *afflictionem.* — ἀνακαινοῦται, *renovatur*) per spem. v. seqq. Haec novitas omne *vilium* κακίαν arcet.

v. 17. παραυτίκα) *modo.* notatur praesens breve. 1 Petr. 1, 6. Antitheta: *modo, aeternum: leve, pondus: afflictionis, gloriae: secundum praestantiam, in praestantiam.* — καθ' ὑπερβολὴν, *secundum praestantiam*) Etiam illa *pressura*, quae καθ' ὑπερβολὴν, *secundum praestantiam*, est, comparata ad minores afflictiones ceteras, c. 1, 8. tamen est levis, ad gloriam εἰς ὑπερβολὴν, *in praestantiam*, comparata. Oxymoron generosum. — κατεργάζεται) *comparat*, conficit.

v. 18. σκοπούντων) *dum spectamus* etc. Quod quisque pro *scopo* habet, id assequitur. — μὴ βλεπόμενα, *quae non cernuntur*) Aliud significat ἀόρατα, *invisibilia.* nam multa, quae non cernuntur, erunt *visibilia*, confecto itinere fidei. — γὰρ, *enim*) Causa, cur spectent illi ea, quae non cernuntur.

CAPUT V.

v. 1. Γὰρ, *enim*) Aetiologia ad illud: *pressura* parit *gloriam.* — ἡ ἐπίγειος) *quae est in terra:* 1 Cor. 15, 47. Antitheton, *in coelis.* — ἡμῶν, *nostra*) Antitheton, *ex Deo.* — οἰκία τοῦ σκήνους, *domus tabernaculi*) Antitheton, *aedifi-*

Digitized by Google

cium, domum non manu factam. Paulum *tabernacularium* metaphora ab arte sua potuit eo magis afficere. — καταλυθῇ, *dissolutum fuerit*) Mite verbum. Antitheton, *aeternam.* — ἔχομεν, *habemus*) Praesens: illico a tempore salutae domus terrenae. — ἀχειροποίητον) *non factam manu* humana.

v. 2. ἐν τούτῳ, *in hoc*) Eadem phrasis c. 8, 10. et alibi. — στενάζομεν, *gemimus*) Sequitur epitasis, *gemimus gravati*, v. 4. — οἰκητήριον, *domicilium*) οἰκία, *domus*, est quiddam magis absolutum: οἰκητήριον, *domicilium*, respicit incolam. — τὸ ἐξ οὐρανοῦ) *quod ex coelo est. ex* hic denotat *ortum*, ut, *ex terra*, Joh. 3, 31. Itaque hoc domicilium non est coelum ipsum. — ἐπενδύσασθαι, *superindui*) Medium. ἔνδυμα, *indumentum*, corpus; inde *induti*, degentes in corpore: ἐπένδυμα, *superindumentum*, habitatio coelestis et gloriosa, qua etiam corpus, *indumentum*, induetur. Sicut graminis viror et decus est vestimentum graminis, Matth. 6, 30., sic gloria coelestis est domicilium et amictus totius hominis, coelum intrantis.

v. 3. εἴγε καὶ, *siquidem etiam*) Illud, quod v. 2. optatur, locum habet, si nos vivos inveniat dies novissimus. — ἐνδυσάμενοι, *induti*) Corpore induti sumus, v. 4. init. — οὐ γυμνοὶ) *non nudi* a corpore hoc, i. e. defuncti. — εὑρεθησόμεθα) *inveniemur*, a die Domini.

v. 4. καὶ γὰρ, *et enim*) Causa *desiderii.* — στενάζομεν βαρούμενοι, *gemimus gravati*) Proprius sermo. Onus suspiria exprimit. — ἐκδύσασθαι) *exuere* corpus. Non agnoscit fides philosophicum corporis a Creatore dati fastidium.

v. 5. κατεργασάμενος, *parans*) per fidem. — εἰς αὐτὸ τοῦτο) *ad hoc ipsum*, sc. ut ita suspiremus. Rom. 8, 23. — καὶ) *etiam.* Novum indicium. — τὸν ἀρραβῶνα, *arrhabonem*) c. 1, 22. not. — τοῦ πνεύματος, *Spiritus*) suspiria operantis.

v. 6. θαρροῦντες) Antitheta: θαρροῦντες οὖν πάντοτε, θαρροῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν μᾶλλον κτλ. Utrivis parti sua subjungitur explicatio: *cum semper* et in omni vita *confidimus; tum vero confidimus maxime* spe discessus beati. — καὶ) *et.* — ἐνδημοῦντες· ἐκδημοῦμεν) Haec duo verba hic commorationem denotant: at v. 8. ubi commutantur, profectionem. — ἐκδημοῦμεν) *peregrinamur.* In hoc ipso verbo latet causa *fiduciae.* nam peregrinator patriam habet, sive cito sive tardius eo perventurus. Hebr. 11, 14. — ἀπὸ τοῦ κυρίου, *a Domino*) Christo. Phil. 1, 23.

v. 7. διὰ πίστεως, *per fidem*) Non videre, prope tantundem est, atque disjunctum esse. — γὰρ, *enim*) Ref. ad ἀπὸ, *a.* — περιπατοῦμεν, *ambulamus*) in mundo. Sic, πορεύεσθαι, Luc. 13, 33. — οὐ διὰ εἴδους, *non per speciem*) LXX מראה *visionem, adspectum, speciem*, vertunt εἶδος. vid. praecipue Num. 12, 8.: ἐν εἴδει, καὶ οὐ δι αἰνιγμάτων it. Ex. 24, 17. Opponuntur inter se fides et species: fides in morte terminum habet, h. l. Ergo tum incipit species.

v. 8. δὲ, *vero*) Epitasis. coll. v. 6. not. — εὐδοκοῦμεν) *ita decretum habemus, valde gratum nobis fore.* — ἐνδημῆσαι) *domum ire.* v. 6. not. — πρὸς τὸν κύριον, *ad Dominum*) Phil. 1, 23.

v. 9. διὸ καὶ, *ideo etiam*) ut assequamur, quod optamus. — φιλοτιμούμεθα, *contendimus*) Haec una φιλοτιμία, sive *ambitio* legitima. — εἴτε, *sive*) Constr. cum *bene placentes esse.*

[1]) { — ἐνδημοῦντες, *domi versantes*) in corpore.
{ — ἐκδημοῦντες, *decedentes*) ex corpore.
— εὐάρεστοι, *bene placentes*) praesertim in ministerio.

---

1) *Lectionem* εἴτε ἐκδημοῦντες εἴτε ἐνδημοῦντες, *inverso ordine, receptae textus lectioni aequalem constituit* utriusque Editionis *margo. Quodni* not. erit. *(App. Ed.* II. P. IV. *nro.* XIV. p. 896.*)* cum Vers. germ. *comparetur: videtur b. Auctor et* ordinem *et* significatum *verborum*, *qualem*

Digitized by Google

v. 10. τοὺς γὰρ πάντας, *omnes enim*) Convenienter, de morte, resurrectione et vita aeterna agens, etiam de judicio cogitat. Motivum sanctae illius *ambitionis*. — πάντας ἡμᾶς, *omnes nos*) etiam apostolos, sive peregrinantes sive decedentes. — φανερωθῆναι) non modo *comparere* in *corpore*, sed *manifestos fieri* cum occultis nostris. 1 Cor. 4, 5. Etiam peccata fidelium pridem remissa patebunt. nam multa eorum bene facta, poenitentia, vindicta contra peccatum, ut plane dispalescant, requirunt revelationem peccatorum. Si quis fratri ignovit offensam, etiam offensa patebit etc. Sed id fiet ipsis volentibus, sine pudore et dolore. nam erunt alii, ac fuerant. Revelatio illa fiet, indirecte, ad majorem eorum laudem. Consideremus rem altius.

§. 1. Dicta scripturae sacrae de remissione peccatorum sunt longe significantissima. Peccata teguntur: non reperientur: jacta sunt retrorsum: in pelago demersa: dissipata ut nubes ac nebula: sine recordatione. Itaque apud omnes, qui in judicio a dextris stabunt, ne atomus quidem peccati haerebit.

§. 2. Vicissim, Dicta de omnibus omnium hominum operibus in judicium proferendis sunt universalia. Eccl. 12, 14. Rom. 14, 10. 1 Cor. 3, 13. ss. 4, 5. etc.

§. 3. Congruit locus 2 Cor. 5, 10., ubi apostolus ex manifestatione omnium, sive domum euntium sive peregrinantium, coram tribunali Christi, infert *TIMOREM* Domini ac Judicis, v. 11. 12., eumque timorem non modo reprobis, sed etiam sibi et sui similibus cordi esse declarat. Is timor apud sanctos, supposita sententia de peccatis eorum non revelandis, nullus erit. Porro Paulus se et sui similes manifestatum iri dicit non modo eatenus, quatenus rem bene in summa gesserint, sed etiam quatenus ulla ex parte defecerint. Mirabilis est apud eos, qui servantur, mercedis varietas: effectumque demerita habent, non ad poenam quidem, sed tamen ad jacturam mercedi oppositam. 1 Cor. 3, 14. 15. coll. 2 Cor. 1, 14. Phil. 2, 16. 4, 1. Illud, *ut quilibet accipiat* etc. docet, apud justos manifestatum iri defectus quoque. Nam ita demum patebit, cur quivis accipiat hoc mercedis, quod accipit, non minus, non plus. Reddet Dominus cuique, UTI opus ejus erit.

§. 4. Quare dicta §. 1. citata non debemus nimium premere. Peccata electorum praeterita non desinent esse objecta divinae omniscientiae sempiternae, quanquam sine ulla offensa et exprobratione. Et hoc unum pluris est, quam patefactio peccatorum coram omnibus creaturis, si haec etiam perpetua esset, nedum in uno judicii die, ubi non ut commissa, sed ut per poenitentiam retractata et deleta peccata occurrent.

§. 5. Neque apud ipsos electos propria ipsorum peccata desinent esse objectum recordationis suae, quanquam sine ulla molestia. Cui multum remissum est, is multum diligit. Aeterna magni debiti condonati recordatio erit fomentum maximi amoris.

§. 6. Tanta verbi divini est efficacia apud homines in hac vita, ut a spiritu separet animam, Hebr. 4, 12., et occulta cordis recludat, 1 Cor. 14, 25. Pudor admissorum ac remissorum est *animae*, non *spiritûs*. Homines in flagitiis se volutantes, saepe occulta sua jactant: desperati, nihil celant. Gratia vero, multo potentior, plane ingenuos facit suos. Vere poenitentes ad apertissimas confessiones occultorum malorum summa cum lubentia progrediuntur. Act. 19, 18. Quanto magis in illo die ferent, se patefieri, plane absorpta affectuum naturalium teneritudine? conf. 1 Cor. 6, 9. 11. Talis candor magnam pacem et lau-

---

Gnomon *exhibet*, *postea mutasse*. *Nam* Not. crit. *habet:* ἐνδημοῦντες, domum euntes, *non* domi versantes; *et* Vers. germ.: Wir mögen in der Fremde seyn (i. e. ἐκδημοῦντες) oder heimgehen (i. e. ἐνδημοῦντες). E. B.

Digitized by Google

dem confert. Si in judicio esset locus apud justos v. gr. pudori, ea, credo, peccata, quae hodie plurimum teguntur, minus molesta forent, quam ea, quorum hodie minus pudet. Pudet nos hodie eorum maxime peccatorum, quae adversus verecundiam sunt. Jure major esse debebat pudor aliorum peccatorum, ex. gr. adversus tabulam primam.

§. 7. Adamum esse salvum, non dubitamus. at lapsus ejus in perpetuum memorabitur. nam aliter restitutio per Christum facta qui celebrari digne possit in coelo, non capio. Davidis cum Uria negotium, Petri abnegatio, Sauli persecutio, aliorum peccata, ipsis remissa, tamen in V. et N. T. tam diu scripta extant. Si hoc non obstat remissioni pridem factae, ne in judicio quidem extremo mentio peccatorum obstabit remissioni. Non omnis manifestatio delictorum est pars poenae.

§. 8. Tam arctum nexum bona et mala, tam inseparabilem invicem respectum habent, ut bonorum revelatio sine malis intelligi non possit. Quodsi quaedam peccata sanctorum patefient, consentaneum est, omnia in lucem proditura. Facit haec sententia ad gloriam omniscientiae et misericordiae divinae: et tali pacto rationes judicii in alios benigni, in alios severi egregie in vicem elucescent, cum ἀκριβείᾳ retributionis.

§. 9. Non dico, omnia omnium beatorum peccata omnibus creaturis actu et distincte perspectum iri. Maledicti fortasse ea non cognoscent: justi non habebunt, cur inter se vereantur. Peccata eorum, luce magni illius diei omnia retegente, non erunt manifestata *directe*, ut fit apud reos, qui plectuntur, (unde Matth. 25. nulla eorum mentio:) sed *indirecte*, quoad conveniens fuerit: quemadmodum in foro humano plenam *speciem facti* multa saepe ingredi solent obiter. Et tali modo bona quoque opera reproborum manifesta fieri poterunt. In luce omnia nosci possunt, sed non omnes omnia noscunt.

§. 10. Haec consideratio timorem nobis in posterum incutere debet: incussit enim apostolis, ut hic locus 2 Cor. 5. docet. Quod si ob praeterita manifestationem illam refugiunt animae teneriores; rite instructae ex iis, quae dicta sunt, praesertim §. 6., acquiescent. Saepe veritas, quae initio amara videbatur, penitius introspecta dulcescit. Si quem amo ut me ipsum, ei licet mea pace omnia de me scire, quae de me egomet scio. Multa aliter judicabimus, in multis aliter affecti fiemus, donec illuc perveniamus.

— κομίσηται, *referat*) Hoc verbum non solum de praemio vel poena, sed etiam de actionibus, quas praemium vel poena excipit, dicitur. Eph. 6, 8. Col. 3, 25. Gal. 6, 7. — ἕκαστος, *quisque*) seorsum. — τὰ διὰ τοῦ σώματος) Homo cum corpore, agit, bene vel male: homo, cum corpore, mercedem capit. conf. Tertull. de resurr. carnis, c. 43. τὰ — πρὸς ἃ, *ea* intima, *ad quae* extrinsecus *egit*. διὰ τοῦ σώματος, dum is *corpus* habuit. v. 6. 8. c. 4, 10. conf. διὰ, Rom. 2, 27. — εἴτε ἀγαθὸν εἴτε κακὸν, *sive bonum sive malum*) Constr. cum *egit*. Nemo potest simul et bonum et malum facere.

v. 11. [1]) πείθομεν, *persuademus*) ita nos gerimus, et vehementer et modice agendo, v. 13. ut homines, nisi nolint, probare nos possint. Confer, quae de conscientiis dicit, mox et c. 4, 2. Opponi solent πείθειν et ἀναγκάζειν. vid. ad Chrysost. de Sacerd. p. 396. 392. s. — πεφανερώμεθα, *manifestati sumus*) manifestos nos praebemus et gerimus. Tales qui sunt, sine terrore possunt *manifestari* in judicio. v. 10. — ἐλπίζω, *spero*) *Manifestatum esse* est praeteritum: *spes* est rei futurae. Sperat Paulus aut *manifestationis* jam factae fructum, aut ipsam *manifestationem* adhuc futuram. — συνειδήσεσιν, *conscientiis*) Pluralis ha-

1) τὸν φόβον, *timorem*] Cohel. 12, 13. *V. g.* — ἀνθρώπους, *hominibus*] Multis, quae ipse *DEUS* facit, non probantur: quibus qui probari queant, quae faciunt *servi* Ejus? Quid consilii? Audis, lector, hoc ipso loco. *V. g.*

Digitized by Google

bet gravitatem. [*Fit aliquando, ut quis talium quoque conscientiae manifestatus sit, qui rem conantur dissimulare.* V. g.]

v. 12. γὰρ, *enim*) Aetiologia, cur existimandum relinquat conscientiae Corinthiorum. — διδόντες, *dantes*) Subaudi *scribimus*, aut simile verbum generale, cujus vis continetur in speciali *commendamus*. Simile participium, cap. 7, 5. 11, 6. Argumenta, inquit, vobis praebemus gloriandi de nobis. — καυχήματος, *gloriationis*) de nostra sinceritate: tantum abest, ut demum opus esse commendatione nostri putem. — ἔχητε, *habeatis*) repete, *occasionem*. — ἐν προσώπῳ· καὶ οὐ καρδίᾳ, *in facie: et non corde*) Idem antitheton, 1 Sam. 16, 7. LXX, et alio modo, 1 Thess. 2, 17. — καρδίᾳ) *corde*. Haec Pauli vena erat: ab ejus corde fulgebat veritas ad conscientias Corinthiorum.

v. 13. εἴτε ἐξέστημεν· εἴτε σωφρονοῦμεν) Illud tractatur v. 15—21.: hoc, c. 6, 1—10. Alterius verbi vis patet ex altero: *ultra modum*, vel *modice*, agere. nimius videri Paulus poterat ex Symperasmate, quod dedit versu praec. [*tantis videlicet encomiis munus suum ornans.* V. g.] — θεῷ, *Deo*) scil. *ultra modum egimus*, quamvis homines non capiant nos. — ὑμῖν, *vobis*) Etiam pii aequiore animo ferunt doctorum moderationem, quam ἔκστασιν, *excessum:* sed horum est obsequi Spiritui.

v. 14. γὰρ, *enim*) Eadem sententia c. 11, 1. 2., sed cum incremento. nam hic *ultra modum egimus* ait et *amor:* illic *insipientiae* et *aemulor*. — ἀγάπη) *amor*, mutuus: non modo *timor*. v. 11. *amor* Christi, erga nos, quam maxime, et inde noster quoque amor erga illum. [*Quod* amorem *h. l. dicit apostolus, qui fines migrare fortassis videri queat, id vel* aemulationem *postea nuncupat, quae* metu *ad* insipientiam *usque concitetur*, c. 11, 1—3. V. g.] — συνέχει, *distinet*) ut nos et Deo et vobis probare conemur.

v. 15. κρίναντας, *judicantes*) judicio verissimo. Amor et judicium non obstant inter se, apud spirituales. — ὑπὲρ πάντων, *pro omnibus*) pro mortuis et viventibus. — ἄρα οἱ πάντες, *igitur hi omnes*) Hinc summa vis τοῦ ὑπὲρ, *pro*, et summa magnitudo mysterii patet. non modo tantundem est, ac si omnes essent mortui, sed omnes mortui sunt. neque mors, neque alius ullus hostis, neque ipsi potestatem sui habent: toti sunt in potestate Redemtoris. οἱ habet vim relativam ad πάντων, *omnibus*. Apta universalitas: Doctores urgent, auditores urgentur; quia pro utrisque mortuus est Christus. — ἀπέθανον, *mortui sunt*) neque jam se ipsi respiciunt. Quod omnium est, id inprimis ad se applicant generosi amatores Redemtoris. *Mors* facta in morte Christi. — καὶ, *et*) Hoc quoque pendet ab ὅτι, *quod*. Primum illa inter se respondent, *unus* et *pro omnibus:* deinde, *mortuus est* et *vivant*. — οἱ ζῶντες, *viventes*) in carne. — ἀλλὰ, *sed*) scil. *vivant*, in fide et vigore novo. Gal. 2, 20. — τῷ) non dicit, ὑπὲρ τοῦ. Dativus est commodi, ut appellant: ὑπὲρ, plus notat. — καὶ ἐγερθέντι, *et excitato*) Hic non subauditur *pro illis*; nam non congruit cum phrasi apostolica: sed analogum quiddam, v. gr. ex Rom. 14, 9.

v. 16. ἀπὸ τοῦ νῦν, *ab hoc tempore*) ex quo amor Christi nos occupavit. Etiam haec epistola gradu differt a priore. — οὐδένα, *neminem*) neque nos ipsos, neque alios apostolos, Gal. 2, 6., neque vos, neque alios. magnos non timemus, tenues non ducimus nobis tenuiores. omnia agimus et patimur, et omni modo curamus, ut omnes adducamus ad vitam. In hac *ecstasi*, (v. 13.) imo in hac *morte*, (v. 15.) neminem novimus superstitum, etiam in ministerio nostro. — κατὰ σάρκα, *secundum carnem*) secundum statum veterem, ex nobilitate, divitiis, opibus, sapientia. [*ut ex respectibus naturalibus hoc illudve vel ageremus vel omitteremus.* V. g.] — εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν) οἶδα et ἔγνωκα differunt. 1 Cor. 2, 8. 11. 8, 1. sq. Tolerabilior erat talis cognitio ante mortem Christi. tum enim erant dies carnis. — κατὰ σάρκα, *secundum carnem*) Constr. cum ἐγνώκαμεν,

y Google

cognovimus. — χριστὸν, *Christum*) Non dicit hic, *Jesum*. Appellatio *Jesu* est quodammodo *spiritualior*, quam *Christi:* et *Christum cognoscunt secundum carnem*, qui eum non *mundi*, v. 19. sed *Israëlis* duntaxat, c. 11, 18. not. agnoscunt Salvatorem, et sibi eo nomine gratulantur, quod sint ex ea gente, ex qua Christus ortus est, et in ejus gloria splendorem politicum, in pristino ejus ante passionem aspectu et auditu qualicunque excellentiam, in ejus cognitione fructum sensuum naturalium quaerunt, neque ad illum fructum enituntur, qui hîc describitur, et ex ejus morte ac resuscitatione deducitur. v. 15. 17. s. coll. Joh. 16, 7. Rom. 8, 34. Phil. 3, 10. Luc. 8, 21.

v. 17. εἴ τις ἐν χριστῷ, *si quis in Christo*) ita, ut Christo vivat: *si quis* eorum, qui *nos* audiunt etc. Observa correlatum, *nos in Christo*, h. l. *Deus in Christo*, v. 19. Christus ergo mediator et reconciliator. — καινὴ κτίσις, *nova creatura*) Non solum Christianus ipse novum quiddam est, sed ut Christum ipsum non secundum carnem novit, sed secundum vim vitae et resurrectionis, sic et se ipsum et omnia pro novitate illa intuetur aestimatque. De hac, Gal. 6, 15. Eph. 4, 24. Col. 3, 10. — τὰ ἀρχαῖα, *vetera*) Haec appellatio fastidium aliquod ostendit. vid. Gregor. Thaum. Paneg. cum annot. p. 122. 240. — παρῆλθεν, *transierunt*) ultro, ut nives vere novo. — ἰδοὺ, *ecce*) Demonstrativum rei praesentis.

v. 18. τὰ δὲ πάντα, *haec autem omnia*) quae a v. 14. dicta sunt. Infert Paulus ex morte Christi, obligationem suam erga Deum. v. 13. — ἡμᾶς, *nos*) *mundum*, et nominatim apostolos. conf. v. seq. ubi rursum subjungitur *in nobis*. Illud *nos* inprimis complectitur apostolos, sed non solos. nam initio v. 18. jam late patet oratio. Sic saepe Subjectum in eadem oratione variat, neque tamen mox diserte additur nota diversitatis. — ἡμῖν, *nobis*) apostolis. — τὴν διακονίαν, *ministerium*) *sermonem*, v. seq. *Ministerium* dispensat *sermonem*.

v. 19. ὡς ὅτι) Particulae declarantes. — ἦν καταλλάσσων) *erat reconcilians*. conf. v. 17. not. Tempus verbi ἦν declaratur v. 21. — ἐν χριστῷ· ἐν ἡμῖν, *in Christo: in nobis*) Haec inter se respondent. — κόσμον, *mundum*) infensum antea. — καταλλάσσων· μὴ λογιζόμενος, *concilians: non imputans*) Eadem res affirmativis, et negativis verbis solet amplificari. — τὰ παραπτώματα) *offensas* multas et graves. — θέμενος, *ponens*) sicut interpreti committitur, quid loqui debeat.

v. 20. ὑπὲρ χριστοῦ, *pro Christo*) Christus, fundamentum *legationis* divinitus missae. — πρεσβεύομεν· δεόμεθα, *legatione fungimur: rogamus*) Duo quasi extrema, inter se opposita; quae pertinent ad τὸ *ultra modum egimus:* horum antitheton, inter extrema illa medium, *adhortamur*, c. 6, 1. 10, 1. quod pertinet ad τὸ σωφρονοῦμεν, *moderate agimus*. Ideo sermo apostolicus plerunque παρακαλεῖ, *adhortatur:* quum τὸ *legatione fungimur* habeat majestatem, τὸ *rogamus* submissionem non quotidianam. c. 10, 2. [*Conf.* 1 *Thess.* 2, 6. 7.] Utroque verbo non tam, quid nunc faciat, Paulus indicat, quam quid in toto suo munere. alteri τὸ *pro Christo* praeponitur, emphaseos causa, coll. verss. anteced. Mox alterum, eadem de causa, prius ponitur. — καταλλάγητε, *reconciliamini*) este reconciliati.

v. 21. τὸν) *eum, qui* non norat peccatum; qui nulla egnerat reconciliatione. Elogium Jesu proprium. Maria non erat ἡ μὴ γνοῦσα *quae non norat* peccatum. — ἁμαρτίαν ἐποίησεν, *peccatum fecit*) *peccatum* ita, uti nos *justitia*. Quis auderet sic loqui, nisi Paulus praeiret? Conf. Gal. 3, 13. Ideo Christus etiam derelictus in cruce. — ἡμεῖς) *nos*, qui non noramus justitiam, qui debueramus consumi, nisi reconciliatio inventa esset. — ἐν αὐτῷ, *in eo*) in Christo. Antitheton, *pro nobis*.

Digitized by Google

CAPUT VI.

v. 1. Συνεργοῦντες, *cooperantes*) Non modo ut *legati Dei*, vel contra, ut *rogantes*, vobiscum agimus; sed etiam, ut amici vestri, *cooperamur* vobis ad salutem vestram. [*Hoc est medium inter gravitatem legatorum, et inter submissam rogationem*, c. 5, 20. *Id est, omnia experimur*. Not. crit.] nam vos debetis salutem vestram *operari*, Phil. 2, 12. *cooperatio* describitur v. 3. s. *adhortatio*, v. 2. 14. s. [*usque ad* c. 7, 1. V. g.] Ab Judaismo deterret, ut *legatus*, et *rogando*: ut *cooperans* deterret ab ethnicismo. In omnes ejusmodi formas non nisi *sanctus* evangelii minister vertere se potest. — καὶ) *etiam*. — τὴν χάριν, *gratiam*) de qua c. 5, 18. s. [*et* c. 6, 2. 17. 18. V. g.] — δέξασθαι) Hoc deducitur ex δεκτῷ. Gratia divina se offert, fides et obedientia humana se permittit.

v. 2. λέγει, *dicit*) Pater ad Messiam, Es. 49, 8. omnes in eo fideles amplectens. — γὰρ, *enim*) Describit *gratiam*. — δεκτῷ, *accepto*) divini beneplaciti. Hinc Paulus mox infert correlatum, εὐπρόσδεκτος, *bene acceptum*, ut nobis quoque gratum sit. — ἐπήκουσά σου) *audivi te*, orantem. — ἐν ἡμέρᾳ, *die*) Luc. 19, 42. Hebr. 3, 7. — ἰδοὺ νῦν, *ecce nunc*) Summa *adhortationis*, v. 1. per sermocinationem proposita.

v. 3. ἐν μηδενὶ, *in nullo*) Resp. ἐν παντὶ, *in omni*. v. seq. — διδόντες, *dantes*) Participium pendet ex v. 1. — προσκοπὴν, *offensionem*) quae esset, si careremus patientia et ceteris, quae mox memorantur. — ἡ διακονία, *ministerium*) Abstractum. Concretum v. 4. *Dei ministri*.

v. 4. διάκονοι, *ministri*) Hoc majorem vim habet, quam si scripsisset διακόνους, *ministros*. — ὑπομονῇ, *patientia*) Haec primo loco ponitur. c. 12, 12. Sequuntur, *castitas* etc. v. 6. Insignis Gradatio. — πολλῇ, *multa*) Sequuntur ter tria patienda, quibus *patientia* exercetur, *pressurae* —, *plagae* —, *labores* —. Primus ternarius continet genera; secundus, species adversorum; tertius, spontanea. Et notanda singulorum varietas, plurali numero expressa. — ἐν θλίψεσιν, ἐν ἀνάγκαις, ἐν στενοχωρίαις, *in pressuris, in necessitatibus, in angustiis*) Affinia haec vocabula et inter se et cum aliis varie junguntur. c. 12, 10. 1 Thess. 3, 7. Rom. 2, 9. 8, 35. Luc. 21, 23. In *pressuris*, complures patent viae, sed difficiles; in *necessitatibus* una, difficilis; in *angustiis*, nulla.

v. 5. ἀκαταστασίαις, *seditionibus*) vel contra nos, vel propter nos.

v. 6. ἐν γνώσει) γνῶσις saepe dicit *aequitatem*, quae commodas rerum austeriorum interpretationes amat et admittit: et congruit, quod sequitur, *in longanimitate*. conf. 2 Petr. 1, 5. 1 Petr. 3, 7. not. — ἐν μακροθυμίᾳ, ἐν χρηστότητι, *in longanimitate, in benignitate*) Haec nomine unius virtutis junguntur etiam 1 Cor. 13, 4. — ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *in Spiritu sancto*) ut semper habeamus praesentem Spiritum sanctum, semper vigeamus, etiam in exserendis donis miraculosis. 1 Thess. 1, 5. Sequitur continuo, *in amore*, qui praecipuus fructus est *Spiritus*, et usum donorum *spiritualium* gubernat.

v. 7. δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν) per arma *offensiva*, quum floremus; *et defensiva*, quum laboramus. Milites κλίνειν, ἄγειν, ἐπιστρέφειν ἐπὶ δόρυ aut ἐπὶ ξίφος, *ad dextram*; ἐπὶ ἀσπίδα, ἐφ' ἡνίαν aut χαλινὸν, *ad laevam* significat, perinde ut Gallis *manus freni* dicitur laeva; *lanceae*, dextra. adde Not. ad Chrys. de Sacerd. p. 464. Haec ita collocavit Paulus, ut simul facerent transitionem. nam modo de armis dextris egit, de sinistris statim acturus.

v. 8. δόξης, *gloriam*) Δόξα, *gloria* et ἀτιμία *dedecus* proficiscitur ab iis, qui auctoritate pollent, et cadit in praesentes: *infamia* et *bona fama*, apud multitudinem, in absentes. [*Porro*, gloria *ab iis proficiscitur, qui, qualis sit minister DEI, agnoscunt*: dedecus *ab iis, qui non agnoscunt, adeoque alios,*

Digitized by Google

in rebus seculi hujus qualemcunque opellam navantes, pluris aestimant. Infamia *ab ignorantibus et malevolis:* bona fama, *a bene informatis pariter atque animatis. Quanto quis vel* gloriae *vel* bonae famae, *tanto etiam vel* dedecoris *vel* infamiae *plus minusve habet.* V. g.] Contraria concinne miscentur. — δυσφημίας, *infamiam*) Hanc si ne apostoli quidem effugerunt, quis effugere postulet? — ὡς πλάνοι, *ut seductores*) Summa *infamia.* — ἀληθεῖς, *veraces*) apud fideles, et re ipsa.

v. 9. ἀγνοούμενοι, *ignoti*) [*ita ut vel plane ignoremur et negligamur, vel habeamur prorsus alii quam qui reapse sumus.* V. g.] Gal. 1, 22. Col. 2, 1. — ἐπιγινωσκόμενοι) *agniti.* — [1]) ἰδοὺ, *ecce*) repente, contra spem.

v. 10. ἀεὶ) *quovis tempore*, quoties tristati eramus. — πλουτίζοντες, *locupletantes*) spiritualiter. — πάντα κατέχοντες, *omnia tenentes*) ne aliis pereant.

v. 11. τὸ στόμα, *os*) Symperasma, quo viam sibi praeparat Paulus, ut ex laude ministerii evangelici a c. 2, 14. hucusque deducti derivet *adhortationem* ad Corinthios. — ἀνέῳγε, *apertum est*) aperuit se. Sane singulare quiddam habet haec epistola. — κορίνθιοι, *Corinthii*) Rara et praesentissima appellatio, quoddam quasi privilegium Corinthiorum exprimens. conf. Phil. 4, 15. not. — ἡ καρδία, *cor*) Ab ore ad cor concludere debebant. Affinia sunt, *apertum* esse et *dilatatum.* — πεπλάτυνται, *dilatatum est*) *diffusum est.* 1 Reg. 4, 29. רחב לב πλάτυνσις καρδίας, ὡς ἡ ἄμμος ἡ παρὰ τὴν θάλασσαν.

v. 12. οὐ στενοχωρεῖσθε, *non angimini*) Indicativus. Antitheton: *dilatati estote.* — ἐν ἡμῖν) *in nobis.* ἐν, *in*, proprie, uti c. 7, 3. Sat spatii habet cor nostrum ad vos capiendos. Paulini cordis *latitudo* eadem est Corinthiorum, propter necessitudinem spiritualem, de qua v. 13. — στενοχωρεῖσθε, *angimini*) angustia cordis, propter delictum nuperum. — ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν, *in visceribus vestris*) quae mea causa doluere.

v. 13. τὴν) Subaudi κατὰ, *secundum.* — αὐτὴν) *eandem:* ut eodem sensu sitis, quo nos. — ἀντιμισθίαν, *remunerationem*) quam mihi ut patri debetis. conf. Gal. 4, 12. — ὡς τέκνοις λέγω, *ut liberis dico*) Innuit hac parenthesi, se nil grave et acerbum postulare. — πλατύνθητε, *dilatamini*) Adhortatio duplex: Pandite vos primum Domino, deinde nobis. conf. c. 8, 5. *dilatamini*, ut Dominus vos inhabitet: v. 14. — c. 7, 1. *capite nos*, c. 7, 2.

v. 14. μὴ γίνεσθε, *ne fiatis*) Molliter, pro *ne sitis.* — ἑτεροζυγοῦντες, *cum parte aliena jugati*) Lev. 19, 19. LXX, τὰ κτήνη σου οὐ κατοχεύσεις ἑτεροζύγῳ. Heterogenea sunt, fidelis et infidelis. *Jugo* vicina est notio *servitutis.* Affine verbum הנצמדים Num. 25, 5. Deterret apostolus Corinthios a connubiis infidelium, coll. 1 Cor. 7, 39. *tantummodo in Domino.* Eas tamen rationes adhibet, quae etiam ab reliquo cum infidelibus commercio propiore eos deterreant. conf. v. 16. cum 1 Cor. 8, 10. 10, 14. seqq. — ἀπίστοις, *infidelibus*) ethnicis. Omnes peregrinitatis fibras evellit. — τίς, *quae*) Quinque interrogationes: quarum tres primae vim habent argumenti; quarta, *aut quae*, et quinta, simul conclusionis. — δικαιοσύνη καὶ ἀνομία, *justitiae et injustitiae*) Status fidelium et infidelium, diversissimus.

v. 15. βελίαρ, *Belial*) Semper graecis verbis exprimunt LXX, בליעל Hebraicum: hoc autem loco Hebraicum euphemias gratia Paulus adhibet. Est hoc appellativum, 1 Sam. 25, 25. primumque occurrit Deut. 13, 14. Hiller. Onom. S. p. 764.: *Belijahal, sine adscensu: i. e. infimae conditionis, humillimi et obscuri loci. B. Paulus Satanam Belial vocat.* Verumtamen Satanas Deo, *Christo* autem Antichristus opponi solet: quare hic quoque *Belial*, Christo oppositus, omnem colluviem antichristianam notare videtur.

---

1) ἀποθνήσκοντες, *morientes*] c. 11, 23. *V. g.*

Digitized by Google

v. 16. συγκατάθεσις) LXX, Ex. 23, 1. οὐ συγκαταθήσῃ μετὰ τοῦ ἀδίκου. — μετὰ εἰδώλων, *cum idolis*) Non dicit: μετὰ ναοῦ εἰδώλων, *cum templo idolorum*, (quamvis *templo* subaudit Syrus:) nam idola non inhabitant cultores suos. — ὑμεῖς, *vos*) Quae Israëli promissa sunt, pertinent etiam ad nos. — ἐνοικήσω — λαὸς, *inhabitabo — populus*) Lev. 26, 11. s. LXX, θήσω τὴν σκηνήν μου ἐν ὑμῖν — καὶ ἐμπεριπατήσω ἐν ὑμῖν, καὶ ἔσομαι ὑμῶν θεὸς. καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαός. Unum versum citat Paulus; totam periocham vult repetitam censeri. — ἐμπεριπατήσω, *inambulabo*) Divinam praesentiam perpetuam significat *inhabitabo*, *inambulabo* operationem. Materia de inhabitatione Dei gratiosa in anima et corpore sanctorum, declarari potest ex contrario, de obsessione spirituali et corporali; ut omnis oeconomia mali et boni inter se conferri possunt secundum rationes contrarias. — ἔσομαι, *ero*) Summa divini foederis. Ex. 6, 7. Hebr. 8, 10. — θεός· λαός. *Deus: populus*) Gradatio, *in patrem: in filios etc.* v. 18. Ap. 21, 3. 7. Jer. 31, 1. 9.

v. 17. ἐξέλθετε — μὴ ἅπτεσθε) Es. 52, 11. ἀπόστητε ἀπόστητε, ἐξέλθετε ἐκεῖθεν, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅψησθε· ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῆς, ἀφορίσθητε κτλ. — ἐκ μέσου αὐτῶν, *ex medio eorum*) ex gentilibus. — λέγει κύριος, *dicit Dominus*) Sequitur epitasis, dicit *Dominus omnitenens*. v. 18. — ἀκαθάρτου, *impurum*) Masculinum. Es. 52, 11. 1. conf. Es. 65, 5. Huc ref. *purificemus*, c. 7, 1. — μὴ ἅπτεσθε, *non tangite*) Videre, cum opus est, non semper inquinat: Act. 11, 6. tangere, magis. — εἰσδέξομαι, *intro recipiam*) tanquam in familiam aut domum. [*Conf. c.* 5, 1—10. V. g.] Sumus foris: sed intromittimur. Respondet, *exite ex etc.* Deus est in sanctis: v. 16. et sancti sunt in Deo. εἰσδέχομαι respondet Hebraeo קבץ Ez. 20, 41. Zeph. 3, 19. 20.

v. 18. εἰς υἱοὺς καὶ θυγατέρας, *in filios et filias*) Es. 43, 6. Promissio Salomoni data, 1 Chron. 29, (28.) 6. applicatur ad omnes fideles. — Κύριος παντοκράτωρ) *Dominus omnitenens*. Ex hac appellatione perspicitur magnitudo promissionum. Porro τὸ παντοκράτωρ *omnitenens* in N. T. alibi nusquam nisi in Ap. ponitur: hoc autem loco Paulus adhibet more LXX interpretum, quia locum V. T. citat.

CAPUT VII.

v. 1. Καθαρίσωμεν, *purificemus*) Haec postrema pars est hortationis, quae proposita erat c. 6, 1. et exhibita ibid. v. 14. Exhortationem concludit in prima persona. Antitheta, *impurum*, c. 6, 17. item, *inquinamento*. h. l. Idem officium ex simili fonte deducitur 1 Joh. 3, 3. Apoc. 22, 11. — μολυσμοῦ, *inquinamento*) *Inquinamentum carnis*, v. gr. fornicatio; et *inquinamentum Spiritus*, ἰδολολατρία, saepe conjuncta erant apud gentes. Etiam Judaismus, in puritate carnis occupatus, nunc est quodammodo *inquinamentum Spiritus*. Illi opponitur *sanctimonia*, huic *timor Dei*, (coll. iterum 1 Cor. 10, 22.) promovens *sanctimoniam*. — πνεύματος, *spiritus*) Conf. Ps. 32, 2. 78, 8. — ἐπιτελοῦντες, *perficientes*) usque ad finem. Coepisse non satis est: finis coronat opus. Antitheta: ἄρχομαι, ἐπιτελέω, *incipio*, *perficio*. c. 8, 6. 10. 11. Gal. 3, 3. Phil. 1, 6. — ἁγιωσύνην, *sanctimoniam*) Resp. *separamini*, c. 6, 17. — ἐν, *in*) Non dicit, καὶ φόβον, *et timorem*. Timor est sancta passio, quae non *perficitur* studio nostro, sed duntaxat retinetur. [*Piscus* DEI timor *cum ipsa lautissimarum* promissionum *consideratione conjunctus est*. c. 5, 11. *Hebr.* 4, 1. V. g.]

v. 2. χωρήσατε ἡμᾶς, *capite nos*) Summa eorum, quae hoc capite et c. 10. seq. dicuntur. — ἡμᾶς) *nos*, vestri amantes, vestra causa laetantes; et nostrum sensum, sermonem, actiones. — οὐδένα ἠδικήσαμεν, οὐδένα ἐφθείραμεν, οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν) Tria proponit per gradationem, quorum primum tractat a v. 4., ipso verbo ἀδικεῖν repetito, v. 12. Secundum, a c. 10, 1. ipso verbo φθείρειν

Digitized by Google

repetito, c. 11, 3. Tertium a c. 12, 13. ipso verbo πλεονεκτεῖν repetito, ib. v. 17. Periochae tamen initium notavi in v. 11. cap. cit. Transitio potest ad antecedentia vel ad sequentia referri. Ipsius incisi illius, οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν, tractatio incipit versu 13. Hoc ergo dicit: Nil est, cur nos non capiatis. nam neminem laesimus, asperitate, tristitiam absorbentem pariente: imo ne deteriorem quidem fecimus elatiore agendi ratione: imo ne circumvenimus quidem per quaestum. in omni re consuluimus vobis et commodis vestris, coll. v. 9. idque gratis. Dum malum Corinthiis illatum esse negat, bona eis praestita innuit, sed modestissime oculos quasi avertens.

v. 3. οὐ πρὸς κατάκρισιν, *non ad condemnationem*) Ostendit, se id, quod v. 2. dixit, non ideo dicere, quod existimet, Corinthios abhorrere a Paulo et collegis, sed dicere animo paterno, c. 6, 13.: eamque existimationem, ut ostendat, quam longe ab illa absit, *condemnationem* vocat, nova sui demissione. — προείρηκα, *ante dixi*) c. 6, 12. — γὰρ, *enim*) Causa, cur nec ipse eos condemnet, et cur illi debeant ipsos capere. — ἐν καρδίαις, *in cordibus*) Sic Phil. 1, 7. — εἰς τὸ συναποθανεῖν καὶ συζῆν, *ad una moriendum et una vivendum*) c. 1, 6. 4, 12. Summa amicitia.

v. 4. παῤῥησία, *fiducia*) v. 16. c. 6, 11. — ὑπὲρ ὑμῶν, *pro vobis*) ad alios. antitheton, *ad vos*. — παρακλήσει, *consolatione*) De hac, v. 6. s. de *gaudio*, v. 7. s. 16. de utroque, v. 13. *consolatio levat*, *gaudium* omnino liberat a tristitia. — ὑπερπερισσεύομαι, *superabundo*) *super* omnia adversa. — θλίψει, *pressura*) de qua v. 5. θλιβόμενοι, *pressi*. Huc pertinent, quae commemoravit c. 4, 7. s. 6, 4. s.

v. 5. σὰρξ, *caro*) Late sumitur hoc. expende τὸ φόβοι, *timores*. — θλιβόμενοι) *pressi*, scil. eramus. — ἔξωθεν, *extrinsecus*) a gentibus. — ἔσωθεν, *intus*) a fratribus. conf. 1 Cor. 5, 12. 2 Cor. 4, 16.

v. 6. τοὺς ταπεινοὺς, *humiles*) Nam *erecti* et *elati* non capiunt solatium.

v. 7. ἀναγγέλλων) *renuncians*, exspectantibus. haec vis verbi compositi. Nominativus pendet a *consolationem accepit*: sensus pertinet etiam ad τὸ *praesentia*. — τὴν ὑμῶν ἐπιπόθησιν, *vestrum desiderium*) erga me. — τὸν ὑμῶν ὀδυρμὸν, *vestrum fletum*) de vobis, peccatum non statim ultis. — τὸν ὑμῶν ζῆλον, *vestrum zelum*) pro salvando spiritu peccatoris. Haec tria recurrunt v. 11.: sed cuilibet horum accedit syntheton aliquod. hic autem parcius agit, et euphemias causa *desiderium* primo loco ponit, et *fletum* dicit, non *indignationem*. — ὑπὲρ ἐμοῦ) *pro me*. Quia Corinthii zelum adhibuere, Paulus sublevatus est, quo minus exerceret zelum. — ὥστε με μᾶλλον, *ita ut ego potius*) Transitio occulta. Extitit apud me non tam solatium, quam gaudium: gaudium *potius*. v. 13.

v. 8. ἐν τῇ ἐπιστολῇ) *in epistola*. non addit, *mea*. mox etiam longius ab ea se removet, quum addit, ἐκείνη, *illa*. — εἰ καὶ) *etiamsi*. Optarat Paulus, ut a Corinthiorum poenitentia, si fieri posset, remota esset tristitia. Ter uno versu hanc particulam adhibet. item v. 12. Vide paternam ejus lenitatem: tantum non deprecatur. — βλέπω, *video*) ex re ipsa. — εἰ καὶ, *etiamsi*) In inciso hocce, ὅτι ἡ ἐπιστολὴ ἐκείνη εἰ καὶ πρὸς ὥραν ἐλύπησεν ὑμᾶς, formula εἰ καὶ vel ante se et post se comma habere debet, vel neque ante neque post. Causam explanat apostolus, cur ipsum haud poeniteat tristitiae Corinthiis allatae. Contristavit vos, inquit, epistola, tantummodo ad tempus, vel potius ne ad tempus quidem. Unde etiam Chrysostomus illud, ὅτι πρὸς ὥραν ἐλύπησεν ὑμᾶς, ita repetit in exegesi, ut εἰ καὶ praetermittat. Valde morata est εἰ καὶ particula, absolute posita. *Sextus* πρὸς ἀστρολόγον· Μεθ᾽ ἡμέραν οὐδὲν τῶν προειρημένων δυνατόν ἐστι παρασημειοῦσθαι, μόνα δὲ, εἰ καὶ ἄρα, τὰς τοῦ ἡλίου κινήσεις. ubi εἰ καὶ ἄρα, ut apposite loquitur Devarius, *detrahit consessioni factae*, Solis videlicet tantum motus observari posse: *si modo*, inquit, scil. ipsi motus Solis observari possunt. Vide

Devar. de partic. Gr. in εἰ καὶ, nec non in ἀλλ' εἴπερ et ἀλλ' εἰ ἄρα, et Budaei Comm. L. Gr. f. 1390. ed. 1556. et, si placet, quae notavi ad Gregorii Neocaes. Paneg. p. 174, de εἰ absolute posito. Percommode Lutherus, *Vielleicht*. Alii non observata particulae vi, mire vexarunt hunc locum, ἦθους apostolici plenissimum. Affinis locutio, οὐδὲ πρὸς ὥραν, Gal. 2, 5.

v. 9. νῦν χαίρω, *nunc gaudeo*) *Nunc* facit epitasin: non modo *non poenitet* me, quia *tristitia* fuit *brevis; sed etiam gaudeo*, quia fuit *salutaris*. — εἰς μετάνοιαν, *in poenitentiam*) *In* hic determinat speciem *tristitiae*. — κατὰ θεὸν, *secundum Deum*) *Secundum* hic significat sensum animi, Deum spectantis et sequentis. In Deum non cadit tristitia: sed tristitia poenitentium mentem cum Deo conformat. conf. κατὰ, *secundum*, Rom. 14, 22. Col. 2, 8. 1 Petr. 4, 6. Sic apud Philostr. in Heroicis, p. 665. κατὰ θεὸν ἥκω, *divino auspicio adsum*. — ἐν μηδενὶ, *in nullo*) Congruit hoc cum affectu illo, ex quo apostolus loquitur etiam c. 11, 9. ἐν παντὶ, *in omni*. — ζημιωθῆτε, *detrimentum pateremini*) Omnis tristitia, quae non est *secundum Deum*, *detrimentosa* est, et mortifera. v. 10.

v. 10. μετάνοιαν — ἀμεταμέλητον, *poenitentiam — non poenitendam*) Vi etymi μετάνοια proprie est mentis, μεταμέλεια voluntatis; quod illa sententiam, haec solicitudinem vel potius studium mutatum dicat. Unde *Thomas Gatakerus* Advers. misc. posth. c. 29., ubi de his poenitentiae vocabulis accuratissime agit, longam dissertationem hac anacephalaeosi claudit: *Ita seriem habemus non* ὁλοσχερῶς, *sed* ἀκριβῶς *delineatam, qua affectio ista a prima sui origine, quasi per gradus et incrementa quaedam, ad* maturitatem, *ut cum Septimio loquar, justam tandem perducitur. Primo loco* animadversio *habetur, quod* שוב לב *pro* שוח לב *Hebraeis dicitur: ab hac* erroris agnitio, μετάνοια resipiscentia *oritur. Excipit hanc* δυσαρέστησις *sive* λύπη, displicentia, tristitia; τὸ נחם poenitentia: *hanc, ubi* efficax καὶ γνησία *i. e.* genuina *fuerit*, consequitur τὸ שוב conversio, ἐπιστροφὴ, μεταμέλεια, *quae colophonem et coronidem imponit, cum* vitae novam *plane* a pristina rationem *inducat*. Haec ille. Porro propter arctissimam intellectus et voluntatis necessitudinem μεταμέλεια et μετάνοια simul sunt, et nomina ac verba utraque promiscue apud philosophos quoque sumuntur, unique verbo Hebraico נחם apud LXX respondent: in utroque etiam μετὰ significat *post*. Unde Plato in Gorgia: ταῦτα προνοήσασι μὲν, δυνατά· μετανοήσασι δὲ, ἀδύνατα. et Synesius Ep. IV., τῷ ἐπιμεῖναι, φασὶν, τὸ μὲν μένειν οὐκ ἦν, τὸ δὲ μεταμέλειν, ἐνῆν. Utrumque ergo dicitur de eo, quem facti consiliive poenitet, sive poenitentia bona sit sive mala, sive malae rei sive bonae, sive cum mutatione actionum in posterum, sive citra eam. Veruntamen si usum spectes, μεταμέλεια plerunque est μέσον vocabulum, et refertur potissimum ad actiones singulares: μετάνοια vero, in N. T. praesertim, in bonam partem sumitur, quo notatur poenitentia totius vitae ipsorumque nostri quodammodo: sive tota illa beata mentis post errorem et peccata reminiscentia, cum omnibus affectibus eam ingredientibus, quam fructus digni sequuntur. Hinc fit, ut μετανοεῖν saepe in imperativo ponatur, μεταμελεῖσθαι nunquam. ceteris autem locis, ubicunque μετάνοια legitur, μεταμέλειαν possis substituere: sed non contra. Idcirco hoc loco Paulus utrumque vocabulum distincte ponit: et μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν dicit ἀμεταμέλητον, quia neque ipsum poenitere potest hanc Corinthiis μετάνοιαν attulisse, neque hos, eam suscepisse. — εἰς σωτηρίαν, *in salutem*) cujus omnia impedimenta sic removentur. — κατεργάζεται, *operatur*) Ergo *tristitia* non est ipsa *poenitentia*, sed parit *poenitentiam*, i. e. *studium etc.* v. 11. — ἡ δὲ) *at* sola mundi tristitia etc. cujus ego non extiti autor vobis. — τοῦ κόσμου) *mundi:* non modo, *secundum mundum*. [*Qualis* Achabi *in caussa* Nabothi *tristitia fuit. Subinde malignae quoque tenebrarum vires, ut in* Saulo, *se immiscent. Tum vel infantum innocens alacritas vehementius cantus vitu-*

ed by Google

lorumve exultationes indignationem quandoque movent. Talis mundi tristitia *non minus cavenda est, quam* laetitia *mundi.* Laetitia *mundus in sodalitiis, reliquo fere tempore* tristitia *detinetur.* V. g.] — θάνατον, *mortem*) animae maxime. Patet ex opposito.

v. 11. ἰδοὺ, *ecce*) Demonstrat hoc Paulus ab experientia praesenti. — ὑμῖν, *vobis*) Dativus commodi: coll. v. 9. fin. — σπουδήν, *studium*) σπουδαῖον dicitur, quicquid in suo genere probum, integrum ac strenuum est. Pulcher locus Aristotelis l. 2. Eth. Nicom. c. 5. ἡ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀρετὴ τόν τε ὀφθαλμὸν σπουδαῖον ποιεῖ καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ· ὁμοίως ἡ τοῦ ἵππου ἀρετὴ, ἵππον τε σπουδαῖον ποιεῖ, καὶ ἀγαθὸν δραμεῖν κτλ. ut τὸ σπουδαῖον sit τὸ εὖ ἔχον· et opponatur τῷ φαύλῳ, ibid. c. 4. Itaque σπουδὴ dicit *navitatem:* et in praesenti exprimit praecipuum characterem poenitentiae, serio animam penetrantis, quo carent οἱ καταφρονηταὶ, *contemtores.* Act. 13, 41. Hoc studium sequuntur sex characteres speciales, mox: et hujus unius mentio repetitur, v. 12. Idem verbum c. 8, 7. s. 16. s. 22. — ἀλλὰ ἀπολογίαν κτλ. *sed defensionem etc.*) *Sed* facit epitasin: non solum hoc, quod dixi, *sed* etiam etc. Corinthiorum alii bene, alii minus bene se gesserant in isto negotio; vel etiam cuncti ex una parte fuerant expertes culpae, ex altera culpabiles: unde varii affectus extitere. *defensionem* ceperunt et *indignationem,* respectu sui ipsorum: *timorem* et *desiderium* respectu apostoli: *zelum* et *vindictam,* respectu ejus, qui peccarat. Confer de hoc triplici respectu, v. 7. not. et v. 12. not. — ἀπολογίαν, *defensionem*) quod non approbaveritis factum. — ἀγανάκτησιν, *indignationem*) quod non statim coërcueritis. ἀγανάκτησις hic mira proprietate accipitur. notat dolorem, cujus causam aliquis in se ipso habet, v. gr. in dentitione. huc enim confert E. Schmidius illud ex Platone: κνῆσις τε καὶ ἀγανάκτησις περὶ τὰ οὖλα. — φόβον, *timorem*) ne cum virga venirem. — ἐπιπόθησιν, *desiderium*) ut me videretis. — ζῆλον, *zelum*) pro *bono* animae illius, qui peccarat. — ἀλλ' ἐκδίκησιν, *sed vindictam*) contra *malum* ab illo paratum, 1 Cor. 5, 2. s. — ἐν παντὶ) *in omnibus,* quas dixi, rebus. — συνεστήσατε ἑαυτοὺς, *commendastis vos ipsos*) probavistis vos mihi, satisfecistis. — ἁγνοὺς εἶναι) *puros esse,* clementer dictum, *esse,* pro *factos esse.* nam non plane fuerant *puri.* 1 Cor. 5, 6. Exprimitur amnestia mutua. versu hoc et seq. — πράγματι, *negotio*) Indefinite loquitur de re odiosa.

v. 12. οὐχ ἕνεκεν τοῦ ἀδικήσαντος) Quicquid scripsi, *non illius causa, qui laesit,* jam scriptum habeo. τὸν ἀδικήσαντα appellat illum, quem c. 2, 5. τὸν λελυπηκότα· nunc variat verbum, quia τὸ *contristare* de se ipso dixit, v. 8. s. et ipsam *tristitiam* missam facit. Quia vos Corinthii fecistis de illo, qui peccarat, quod fas fuit, per *zelum* et *vindictam,* acquiesco. — οὐδὲ ἕνεκεν τοῦ ἀδικηθέντος, *neque laesi causa*) Singularis pro plurali, per euphemian. *Laesi* erant Corinthii, c. 2, 5. quorum *defensio* et *indignatio* faciebat, ut Paulus illorum quoque causa jam posset acquiescere. Alii interpretantur de parente offenso. 1 Cor. 5, 1. — τὴν σπουδὴν ἡμῶν, *studium nostrum*) Conf. c. 2, 4. — ἐνώπιον, *coram*) Constr. cum φανερωθῆναι, *ut manifestaretur.*

v. 13. ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν, *super consolatione vestra*) quae ipsam *tristitiam* secuta est. — περισσοτέρως μᾶλλον, *abundantius magis*) Affectus ille *magis* obtinet nomen *gaudii,* quam *consolationis:* et *gaudium,* περισσοτέρως, *abundantius* fuit, quam *consolatio.* sic μᾶλλον cum superlativo, c. 12, 9. μᾶλλον pro δὲ [1]) *autem* ponitur magnifice.

v. 14. κεκαύχημαι, οὐ κατῃσχύνθην, *gloriatus sum, non pudefactus sum*) c. 9, 4. 12, 6. — πάντα, *omnia*) Opportune respicit ad c. 1, 18.

---

1) *Attamen omissio partic.* δὲ *tum in marg.* utriusque Edit. *tum in* Vers. germ. *minus firma consetur.* E. B.

Digitized by Google

v. 16. ἐν παντὶ, *in omni*) Hoc convenit in antecedentia et consequentia. Si vos reprehendo, inquit, bene accipitis: si de vobis polliceor, praestatis. Sic viam sibi munit ad cap. 8, 1. 10, 1., ubi ipsum verbum θαῤῥῶ *confido* reassumitur. — ἐν ὑμῖν, *in vobis*) vestra causa.

CAPUT VIII.

v. 1. Γνωρίζομεν, *notam facimus*) Haec adhortatio hoc perquam idoneo loco, post amoris mutui dulcissimam declarationem, per mentionem Titi connexa, inseritur, et ex ordine itineris Paulini proponitur, ut postea in graviorem admonitionem epistola possit desinere. Ipsa porro adhortatio, etiam ad Corinthios, ad quos apostolus auctoritate paterna uti poterat, vel maxime liberalis est et evangelica. — τὴν χάριν, *gratiam*) Cum quid bene fit, *gratia* est iis, qui faciunt, et iis, quibus fit. Frequens hic verbum. v. 4. 6. 7. 9. 19. c. 9, 8. 14.

v. 2. θλίψεως, *pressurae*) cum paupertate conjunctae. v. 13. θλῖψις *pressura*. — περισσεία καὶ πτωχεία, *abundantia et paupertas*) Oxymoron et ἓν διὰ δυοῖν suaviter contextum. — κατὰ βάθους) Βάθους est genitivus, qui a κατὰ regitur. conf. κατὰ, Matth. 8, 32. nec non E. Schmid. ad 2 Joh. v. 3. Citat ille suam Syntaxin particularum graecarum; librum egregium. — ἁπλότητος, *simplicitatis*) Simplicitas liberales facit. c. 9, 11.

v. 3. ὅτι, *quod*) Anaphora, cum epitasi. — μαρτυρῶ, *testor*) Hoc et ad *secundum* et ad *supra* spectat. — αὐθαίρετοι) *sua sponte:* non modo non rogati, sed ipsi rogantes. v. seq.

v. 4. δεόμενοι, *rogantes*) Amanter moniti fuerant a Paulo, ne *supra facultatem* facerent. Macedones contra rogarunt scil. ut munus acciperetur. — τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν, *gratiam et communionem*) ἓν διὰ δυοῖν.

v. 5. ἔδωκαν, *dederunt*) Hoc verbum totam periochae structuram sustinet, tali sensu: Non modo gratiam et communionem, sive δόμα, munus illud, dederunt, sed plane se ipsos dederunt. Ita Chrysost. Homil. XVI. in 2 Cor. coll. maxime Homil. XVII, ubi repetit ὑπὲρ δύναμιν ἔδωκαν. Cum eodem verbo ἔδωκαν cohaerent nominativi illi, αὐθαίρετοι, δεόμενοι· et ab eodem pendent accusativi, χάριν, κοινωνίαν, ἑαυτοὺς, sensu facili et suavi. Librarii, post ἁγίους, intrusere δέξασθαι ἡμᾶς· quae verba qui pro Paulinis habent, valde se torquent, Beza maxime. Alii alias adhibuere Glossas, plane supervacuas. — πρῶτον, *primum*) se ipsos, prae munere. conf. Rom. 15, 16. — τῷ κυρίῳ, *Domino*) Christo. — — καὶ ἡμῖν διὰ θελήματος θεοῦ, *et nobis per voluntatem Dei*) Ideo dicitur *gratia Dei*. v. 1. Macedones non ipsi muneris amplitudinem antea determinarunt, sed id apostoli dispositioni reliquerunt.

v. 6. εἰς) Non finis, sed consequens significatur. — καθὼς προενήρξατο, *sicut antea incepit*) *in rebus spiritualibus*. c. 7, 15. Qui bene coepit, huic facile ulteriora obtingunt. Ierat ad Corinthios: ibat ad Corinthios. — ἐπιτελέσῃ, *perficeret*) in *hac re*. [*Si quid boni adortus fueris*, perfice. V. g.] — εἰς ὑμᾶς, *in vos*) ut imitaremini Macedonas.

v. 7. ἀλλ' ὥσπερ, *sed sicut*) *Sed*, inquit. Quae Paulus antea per Titum egerat cum Corinthiis, vim habuerant ἐπιταγῆς, *praecepti*: c. 7, 15. coll. 1 Cor. 5, 7. nunc aliter agit. itaque *ut* mox pendet a *dico*, v. seq. — ὥσπερ, *sicut*) Spiritus in omnibus partibus ducit ad abundantiam. — γνώσει, *cognitione*) Haec apposite memoratur, coll. c. 6, 6. not. Conjugatum, mox v. 10. γνώμην, coll. 1 Cor. 7, 25. not. — καὶ πάσῃ σπουδῇ) *et omni navitate*. σπουδὴ h. l. *fidem* et *sermonem* (cordis et oris,) *cognitionem etc.* complectitur. Et saepe speciei aut parti uni aut pluribus, interjecto vinculo, *et omnis*, subjungitur genus aut totum. c. 10, 5. Matth. 3, 5. 23, 27. Marc. 7, 3. Luc. 11, 42. 13, 28. 21, 29. Act. 7, 14. 15, 17. 22, 5. Eph.

Digitized by Google

1, 21. 4, 31. 5, 3. Hebr. 13, 24. Jac. 3, 16. Ap. 7, 16. 21, 8. 22, 15. — καὶ τῇ — ἀγάπῃ, *et amore*) Generi subjungit speciem cum re proposita maxime conjunctam. — ἐξ, *ex*) Non dicit, *amore vestro erga nos*, sed dicit, *amore ex vobis in nobis*, quia Corinthii erant in corde Pauli. c. 7, 3. Amorem eorum allegat. non addit, ut Pauli nomine, qui gratis praedicasset illis, eo plus darent. — ἵνα, *ut*) Hoc pendet a λέγω, *dico* eleganter subjuncto.

v. 8. διὰ, *per*) aliorum studio vobis commemorato. v. 1. — καὶ) *etiam*. Hoc omni *imperio* validius. — ἀγάπης, *amoris*) Nil *studiosius* amore. — δοκιμάζων, *probans*) Participium pendet a v. 10.

v. 9. γινώσκετε γὰρ, *cognoscitis enim*) ea *cognitione*, quae debet *amorem* habere. — χάριν, *gratiam*) *amorem* sincerissimum, uberrimum et liberrimum. — ἐπτώχευσε) *pauperem egit*, paupertatem gessit. neque id tamen a vobis postulatur. v. 14. — ἐκείνου, *Illius*) Hoc magnitudinem Domini innuit. — πτωχείᾳ πλουτήσητε, *paupertate divites essetis*) Sic omnibus iis, quae perpessus est Dominus, contraria bona nobis parta sunt. 1 Petr. 2, 24. fin.

v. 10. καὶ) *etiam*. — συμφέρει, *conducit*) Argumentum ab *utili*, movens ad dandum. sic v. 16., ὑπέρ. Suavissimum paradoxon. — τὸ ποιῆσαι, *facere*) pro anno praeterito. — τὸ θέλειν, *velle*) in hunc annum.

v. 11. τὸ ποιῆσαι, *facere*) ut faciatis iterum. — ἐπιτελέσατε, *perficite*) Initium et exitus inprimis fundat actionum laudem vel culpam. Gen. 11, 6. Jos. 6, 26. Jer. 44, 25. — ὅπως, *ut*) scil. *sit*. — ἐκ τοῦ ἔχειν) *ex habentia*, non ultra. Propositio respectu sequentium.

v. 12. πρόκειται) *in medio est*) Sic, πονηρία πρόκειται ὑμῖν. Ex. 10, 10. — εὐπρόσδεκτος, *bene acceptabilis*) Deo, c. 9, 7., cum suo munere. — οὐ καθὸ οὐκ ἔχει, *non sicut non habet*) Sic enim minus acceptabilis foret tenuior.

v. 13. οὐ γὰρ) *non enim*, scil. *id agitur*. Regula exercendae liberalitatis. — ἄνεσις· θλῖψις) Idem antitheton, 2 Thess. 1, 6. 7. — ἐξ ἰσότητος, *ex aequalitate*) in carnalibus. [*Proximum tuum*, ut te ipsum, *amato*. V. g.] — ἐν τῷ νῦν καιρῷ, *praesenti tempore*) Haec limitatio non recurrit v. seq. — τὸ — περίσσευμα, *abundantia*) in facultatibus externis. Benigne ἐλλείπει imperativus γενέσθω, *fiat*. Non enim *imperat*. v. 8.

v. 14. καὶ τὸ — περίσσευμα, *et abundantia*) spiritualis. — γένηται εἰς) Eadem locutio, Gal. 3, 14. — τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, *vestrum defectum*) quatenus eratis gentes. Jam illorum abundantia explere coeperat Corinthiorum defectum: sermo est igitur de continuatione, augmento et praemio. Neque tamen negare ausim etiam abundantiam *corporalem* Judaeorum aliquando expleturam defectum gentium *corporalem*. omittitur enim limitatio, v. 13. not. quanquam *spiritualis* abundantia Israëlis nititur parallelo Rom. 15, 27. — ἰσότης, *aequalitas*) in spiritualibus.

v. 15. γέγραπται, *scriptum est*) Ex. 16, 18., οὐκ ἐπλεόνασεν ὁ τὸ πολὺ, καὶ ὁ τὸ ἔλαττον, οὐκ ἠλαττόνησεν. Articulus τὸ vim superlativi addit. — ὁ τὸ πολὺ, *qui multum*) scil. συλλέξας, *collegit*. Similis locutio, Num. 35, 8.: ἀπὸ τῶν τὰ πολλὰ, πολλά. — οὐκ ἐπλεόνασε) *non plus habebat*, quam Omer.

v. 16. χάρις, *gratia*) Studium erat in me; unde profecta est *exhortatio* ad Titum: sed *idem* erat in Tito ipso, datum divinitus: quare Deo gratias ago. Vide, quam late pateat hoc officium gratias agendi. Saepe in aliquo casu magnum unus prae aliis habet studium, ut Titus. Id non debet reprehendi, sed pro *Dei dono* agnosci.

v. 17. παράκλησιν, *adhortationem*) illam, de qua v. 6., nempe ut exiret. — σπουδαιότερος) *studiosior*, alacrior, quam ut opus esset hortatu. v. 22.

v. 18. συνεπέμψαμεν, *una misimus*) ego et Timotheus. sic v. 1. etc. Hoc verbum per anaphoram repetitur versu 22., et hoc priore loco cum μετὰ habet

Digitized by Google

emphasin. — τὸν ἀδελφὸν, *fratrem*) Hunc Titi comitem, et illum, de quo v. 22., non opus fuit nominare. c. 12, 18. Lucam indigitari, existimarunt veteres. vide clausulam epistolae. coll. Philem. v. 24. — οὗ, *cujus*) Qui in evangelio fidelis est, fidelis etiam erit in re minori.

v. 19. χειροτονηθεὶς, *constitutus*) Hoc participium non construitur cum *exivit*, v. 17. nam ea constructio interpellaret nexum v. 18. 20. συνεπέμψαμεν — στελλόμενοι, *una misimus — vitantes*. Itaque subauditur ὃς, *qui* ex οὗ *cujus* v. praec. Ecclesiae hunc Paulo comitem dederant, quocunque iret: inde *apostoli ecclesiarum* dicuntur v. 23. idque Paulus declarat pertinere etiam ad praesens negotium. Patet hinc mutuum jus ecclesiarum. — συνέκδημος ἡμῶν, *comes peregrinationis nostrae*) Qui συνέκδημος ὑμῶν legunt, apud Wolfium, ii variam pronominis lectionem a fine versiculi per errorem huc referunt. [1]) — σὺν, *cum*) Constr. cum συνέκδημος, *comes peregrinationis*. Secum portabant munus Macedonum Hierosolymam. — πρὸς, *ad*) Constr. cum χειροτονηθεὶς *constitutus*. — αὐτοῦ τοῦ κυρίου, *ipsius Domini*) Christi v. 21. — καὶ προθυμίαν ἡμῶν, *et alacritatem nostram*) Longe praevalent monumenta, quae ἡμῶν legunt: atque ὑμῶν in pauculis irrepsit, obvia pronominum Graecorum permutatione, quae hic pronior erat ob alliterationem υ in ὑμῶν ad προθυμίαν. Fratrem, de quo agitur, ordinarant ecclesiae, Pauli comitem, cum munere suo ipsarum, non ad *alacritatem Corinthiorum*, quae ad ecclesias illas minus pertinebat, sed ad *alacritatem Pauli* et fratris illius, id est, *ne* ob metum *reprehensionis* illius, de qua mox loquitur, *lubentia* suscipiendi et conficiendi negotii minueretur.

v. 20. ἁδρότητι, *exuberantia*) Haec appellatio Corinthios non sinit esse restrictos.

v. 21. ἐνώπιον κυρίου, *coram Domino*) in occulto, in veritate. Conf. Rom. 12, 17. not.

[1]) v. 22. αὐτοῖς, *illis*) cum Tito et fratre. — πεποιθήσει, *fiducia*) Constr. cum *una misimus*, hic et v. 18. coll. v. 23. — εἰς ὑμᾶς, *in vos*) de liberalitate vestra.

v. 23. ὑπὲρ, *pro*) Motivum *fiduciae*. — τίτου, κοινωνὸς, *Tito, socius*) Appositio conf. Luc. 22, 20. not. — ἀδελφοὶ, *fratres*) Dici poterat, *pro fratribus*: sed interveniente casu recto, *socius*, casu recto dicitur, *fratres*, et subauditur verbum, *sunt*. i. e. sive fratres nostri sunt et spectantur. — ἀπόστολοι) *legati*: qui publico nomine pium exsequuntur officium. Iterum subaudi, *sunt*.

v. 24. ἔνδειξιν ἐνδείξασθε) Dicitur hoc, ut χαίρειν χαράν. — εἰς αὐτοὺς, εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν, *in eos, in faciem ecclesiarum*) Per legatos notitia rei erat dimanatura in ecclesias.

CAPUT IX.

v. 1. Τὸ γράφειν, *scribere*) Nam testes habebitis praesentes, et scio, vos sine literis promtos esse.

v. 2. καυχῶμαι, *glorior*) Praesens. Adhuc erat Paulus in Macedonia. — [2]) ὁ ἐξ ὑμῶν ζῆλος) *zelus, qui ex vobis* propagatus est ad Macedonas. — τοὺς πλείονας) *plerosque* Macedonum.

v. 3. ἔπεμψα, *misi*) ante me. v. 5. — ἐν τῷ μέρει τούτῳ, *in parte hac*) Limitat. — καθὼς ἔλεγον, *sicut dicebam*) v. 2.

v. 4. ὑμεῖς, *vos*) multo magis. — ὑποστάσει) *constantia*. c. 11, 17.

v. 5. ἀναγκαῖον) *necessum*, non modo *conveniens*. — προεπηγγελμένην,

---

1) *Itaque et margo* Ed. 2., *secus ac* Ed. maj., *et* Vers. germ. *praefert lectionem* ἡμῶν. E. B.

2) ἐνώπιον ἀνθρώπων, *coram hominibus*] Pravi sunt homines; adeoque suspicaces. Hinc et integerrimos quosque omnem suspicionem fas est avertere. *V. g.*

3) ἀπὸ πέρυσι, *ab anno superiori*] ex priori Pauli adhortatione, 1 Cor. 16, 1. *V. g.*

Digitized by Google

antea promissam) a me, apud Macedonas, de vobis. — εὐλογίαν) Ut דבר dicitur *sermo* et *factum*; sic εὐλογία *benedictum* et *benefactum*, munus lautum. LXX, Jos. 15, 19. — εἶναι) pro, τοῦ εἶναι, *ut sit*. — οὕτως, *sic*) Demonstratur Ploce in *benefactum*. — πλεονεξίαν, *avaritiam*) *Avaritia* est, quum datur restricte, et accipitur inique.

v. 6. φειδομένως) *parce*. [*Sementis rationibus respondet messis. Id ipsa verba inferunt*. V. g.] — εὐλογίαις) Pluralis vim habet.

v. 7. καθὼς προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ) *pro inductione animi*. Gen. 34, 8. חָשְׁקָה נַפְשׁוֹ LXX, προείλετο τῇ ψυχῇ. *ante destinat: tristitia: necessitate: hilarem*: quatuor verba, quorum primum et tertium, secundum et quartum inter se opponuntur. — ἐξ ἀνάγκης, *ex necessitate*) ideo tantum, quia recusare non potest. — ἱλαρὸν, *hilarem*) Dei similem. Prov. 22, 9. LXX, ἄνδρα ἱλαρὸν καὶ δότην ἀγαπᾷ (Alex. εὐλογεῖ) ὁ θεός.

v. 8. πᾶσαν χάριν, *omnem gratiam*) etiam in bonis externis. — περισσεῦσαι) *abundantem reddere*, etiam dum largimini. — ἵνα, *ut*) Datur nobis, et habemus, non ut habeamus, sed ut bene faciamus. Omnia in hac vita, etiam praemia, sunt semina fidelibus, in messem futuram. — αὐτάρκειαν, *sufficientiam*) ut non egeatis aliena liberalitate. Huc ref. *panem*. v. 10. — ἀγαθὸν, *bonum*) erga egentes. Huc ref. *semen*. v. 10.

v. 9. ἐσκόρπισεν, *sparsit*) Verbum generosum: *spargere*, plena manu, sine anxia cogitatione, quorsum singula grana cadant. Estque metonymia: *sparsit*, i. e. semper habet, quod spargat. Sane Psalmo 112, 9. est pars promissionis. — ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ, *justitia ejus*) *justitia*, i. e. beneficentia. v. seq. Stricte hoc notatum est. Plus est *justitia*. — μένει, *manet*) inexhausta, inoblita, indefatigata.

v. 10. ὁ δὲ) Deus. — ἐπιχορηγῶν, *suppeditans*) Abundantia est, quod semen datur; panis, necessarius, utique datur prius. Innuit Paulus, promissione seminis, quae verbo *dispersit* denotatur, praesupponi etiam promissionem panis: sed plura addit. Est enim in textu chiasmus: Deus, qui exhibet *semen* seminanti, praebebit et multiplicabit *semen vestrum:* qui exhibet *panem* in cibum, augebit *germina* justitiae vestrae, animam pascentis. cibus animae, justitia. Matth. 5, 6. 6, 31. 33. ἐπιχορηγεῖν, *suppeditare* habet emphasin, sed plus est χορηγεῖν, *dare*, addito verbo πληθύνειν, *multiplicare*. Σπόρος, *semen*, quatenus opes pie collocantur: γεννήματα, *germina*, omnis proventus spiritualis et corporalis benedictionis, ex illa *satione*. Haec distinctionis ratio, ut ponatur comma post βρῶσιν, non post χορηγήσει, jam in Apparatu notata est. — καὶ ἄρτον, *et panem*) Es. 55, 10.: ἕως ἂν δῷ (ὁ ὑετὸς) σπέρμα τῷ σπείροντι καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν. — χορηγήσει) *dabit*. Indicativus. [1]) Corinthii locum praebebunt divinae largitati, et haec se iis praestabit. — γεννήματα) Sic LXX, γεννήματα δικαιοσύνης. Hos. 10, 12.

v. 11. πλουτιζόμενοι, *opibus crescentes*) Pendet ab *abundetis*. v. 8. Praesens: plus, quam, *sufficientiam habentes*.

v. 12. ἡ διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης) Decora appellatio. λειτουργία, functio ipsa: διακονία, *actus*. — προσαναπληροῦσα, *amplius supplet*) Decompositum. Etiam aliunde *supplebantur defectus*. — πολλῶν) Foemininum: *multarum*.

v. 13. δοκιμῆς) *documentum*. — δοξάζοντες, *glorificantes*) Hoc pendet ex *gratiarum actiones*, v. 12. Iterum casus rectus, uti c. 8, 23. not. — ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ τῆς ὁμολογίας ὑμῶν, *super subjectione confessionis vestrae*) Rebus ipsis professuri erant, se recognoscere beneficium divinum sibi in evangelio praestitum. [*et victas dedisse verbo gratiae*. V. g.] — καὶ εἰς πάντας, *et in omnes*) Qui aliquos sanctos beneficio afficit, eo ipso omnes afficit. Omnibus enim se favere ostendit.

---

1) *Qui, secus ac in* Ed. maj. *factum fuerat, tum in* Ed. 2. tum in Vers. germ. *praefertur*. E. B.

Digitized by Google

v. 14. δεήσει, *oratione*) Construe, *glorificantes super eorum oratione.* nam gratias agimus etiam pro orationibus, quae nobis datae sunt. 2 Tim. 1, 3. — ἐπιποθούντων, *desiderantium*) Constr. cum αὐτῶν, *eorum.* — διὰ, *propter*) Constr. cum *gratiarum actiones.* — ἐφ' ὑμῖν) *super vobis*, ita, ut in illos redundet.

v. 15. χάρις, *gratia*) Sententia: Deus nobis dedit τὴν δωρεὰν, *donum*, abundantiam bonorum internorum et externorum, quae et ipsa est *inenarrabilis*, et fructus habet consimiles; conf. v. 8. ss. (ubi *enarratio* est, cujus verba animo Pauli non satisfaciunt:) et c. 8, 9. 1.: quorum *enarratio*, prae copia rerum, ipsam orationem in fine capitis praecedentis quodammodo impeditam reddidit. Accedit modus: *gratia Deo.*

CAPUT X.

v. 1. Αὐτὸς δὲ ἐγὼ παῦλος, *ipse vero ego Paulus*) Sermo valde demonstrativus et emphaticus. *ipse*, facit antitheton vel ad Titum et fratres duos, quos praemisit Paulus; vel ad Corinthios, qui ipsi debebant officium observare; vel etiam ad Paulum ipsum, majore coram usurum severitate, ut αὐτὸς *ipse* denotet *ultro.* — παρακαλῶ) *hortor, moneo*, vestra causa; cum possem jubere et minari. Antitheton, δέομαι δὲ, *rogo autem*, mea causa. v. seq. — διὰ, *per*) Motivum Pauli et Corinthiorum. — πραότητος καὶ ἐπιεικείας, *lenitatem et aequitatem*) πραότης, *lenitas*, virtus magis absoluta: ἐπιείκεια, *aequitas*, magis refertur ad alios. Utraque, origo vera admonitionum etiam severissimarum. — τοῦ χριστοῦ, *Christi*) Significat, lenitatem suam non esse a natura. Vel, διὰ *per* ponitur, uti Rom. 12, 1.: ut Christi ipsius *lenitas et aequitas* intelligenda videatur. Sed obstat, quod de ipso Christo ἐπιείκεια, *aequitas* nullibi praedicari videtur, et est haec consueta ratio loquendi apud Paulum, quod de Christo in se et per se operante et vim suam exserente dicit. Confer *veritatem Christi*, i. e. *veritatem in Christo*, 2 Cor. 11, 10., et adde Phil. 1, 8. not. — ὃς, *qui*) Mimesis suavis, v. 10., quae hic etiam frequens in verbo λογίζομαι. — ταπεινὸς) *humilis*, timidus.

v. 2. δέομαι, *rogo*) *Deum:* c. 13, 7. vel, hic, *vos.* Significat Paulus, se, uti per literas roget, sic coram tamen posse graviter agere. — λογίζομαι, *existimor*) Passivum, uti Rom. 4, 4. 5. — ἐπί τινας, *super quosdam*) Constr. cum *audere.* — τοὺς λογιζομένους, *putantes*) Medium. — ὡς, *tanquam*) Necte cum *secundum carnem.* — κατὰ σάρκα, *secundum carnem*) quasi impune possint nos contemnere.

v. 3. ἐν σαρκὶ, *in carne*) cum debilitate. v. seq. — [1]) στρατευόμεθα, *militamus*) Hoc verbo fit aditus ad ea, quae sequuntur; continenturque ratio *audaciae*, τοῦ θαῤῥῆσαι.

v. 4. τὰ γὰρ ὅπλα, *nam arma*) A *baculo* paterno 1 Cor. 4, 21., nunc ad *arma*, crescente severitate, progreditur. conf. mox v. 6., nec non 1 Cor. 5, 5. 13. — οὐ σαρκικὰ, ἀλλὰ δυνατὰ) *non carnalia* et debilia, *sed* spiritualia, eoque *valida.* — τῷ θεῷ, *Deo*) Est casus quartus. Sic c. 2, 15., *Deo.* item, Act. 7, 20. ut praepositio ל praefixi Jon. 3, 3. Non nostra, sed Dei est virtus. Efficacia religionis christianae, argumentum veritatis. — ὀχυρωμάτων, *munimentorum*) Grande verbum. [*Sermonis ampullas hic suspicari queat sensus humanus: enimvero haud vulgaris earum rerum vis est atque potentia, quae in anima ex utroque latere eveniunt.* V. g.]

v. 5. λογισμοὺς, *cogitationes*) eas ipsas, de quibus v. 2. — καθαιροῦντες, *destruentes*) Poterat hoc construi cum v. 3. sed magis pendet a v. 4., *destructionem.* Iterum casus rectus pro obliquo, uti c. 9, 13. not. — πᾶν ὕψωμα, *omnem altitudinem*) *Cogitationes*, species: *altitudo*, genus. non dicit ὕψος, coll. Rom.

---

1) ἐν σαρκὶ — οὐ κατὰ σάρκα, *in carne — non secundum carnem*] Magna differentia. *V. g.*

Digitized by Google

8, 39. not. — ἐπαιρόμενον, *extollentem se*) muri instar ac valli. — κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ, *contra cognitionem Dei*) Vera *cognitio* facit humiles: [*DEO soli potentiam omnem tribuens*, V. g.] ubi est elatio sui, deest agnitio Dei. — αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα) Νόημα dicit facultatem νοὸς *mentis*, cujus actus sunt λογισμοὶ, *cogitationes*. Hi, per se infesti, *destruuntur*: illud, *rictum* et captum, se dedit, ut necessario et libenter Christo victori praestet obedientiam fidei, deposita omni auctoritate sua, sicut servus ex domini sui arbitrio totus pendet.

v. 6. ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες) scil. ἡμᾶς· *parati*, inquit, sumus. Zelus jam adest: prometur, cum tempus erit. — πᾶσαν, *omnem*) Hoc latius patet, quam ὑμῶν *vestra*, mox. — ὅταν, *quum*) ne laedantur imbecilliores. v. 8. Caput prudentiae pastoralis. [*Ejusmodi nonnihil Paulus Corinthi jam fecerat*, Act. 18, 7. *Pari ex ratione tantam DEUS longanimitatem in vastissima pravorum multitudine exercet, dum ea, quae lucrifieri possunt, educta sint. Vid. Exod.* 32, 34. V. g.]

v. 7. τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε; *quae secundum faciem sunt, videtis?*) Notatur error Corinthiorum: et refutatur, generatim; v. 7—9. tum, speciatim expositus, speciatim, v. 10. 11. Ideo, *hoc cogitet*, iteratur. — κατὰ πρόσωπον, *secundum faciem*) v. 1. Antitheton, *per epistolas*. v. 9. Coram possum agere severe, inquit. — εἴ τις) *si quis* vestrùm. — πέποιθεν) πεποίθησις et πέποιθα varie hactenus in hac epistola adhibitum Paulo. v. 2. etc. — ἀφ' ἑαυτοῦ, *a se ipso*) antequam per nos convincatur severius. Christianus ex suo sensu metiri fratrem potest. — καθὼς, *sicut*) Indulgentia Pauli, quod parem duntaxat cum iis locum postulat, quos genuerat per evangelium. nam per quem alius Christi erat, is ipse prius erat Christi, sive Christianus. Causa haec pudoris erat apud Corinthios. — καὶ ἡμεῖς, *etiam nos*) Id quod talis experiri poterit.

v. 8. γὰρ, *enim*) Hoc facit epitasin. — καὶ περισσότερόν τι, *etiam excellentius quid*) Erant enim non modo Christiani, sed Apostoli etc. — ἐξουσίας, *potestate*) v. 6. c. 13, 10. — ὁ κύριος, *Dominus*) Christus. — οὐκ αἰσχυνθήσομαι, *non pudefiam*) Non fuerint fulgura ex pelvi: auctoritatem non defugero.

v. 9. ἵνα μὴ) Hoc eo dico, *ne* etc. — ὡς ἂν) Appositae particulae. — ἐκφοβεῖν ὑμᾶς, *terrere vos*) sicut pueros, vano terrore.

v. 10. φησὶ) *inquit*, scil. is, qui sic inquit: scil. is, de quo v. 11. Occultus obtrectator innuitur, quem Dominus, vel etiam, ostendente Domino, Paulus, videbat. Talis obtrectator erat etiam apud Galatas. Gal. 5, 10. — βαρεῖαι, *graves*) Antitheton, *contemtus*. — ἰσχυραὶ, *validae*) Antitheton, *infirma*. — παρουσία, *praesentia*) Extabat illud, quod hodie jactatur, *minuit praesentia famam*. Anthologium ecclesiae Graecae d. XXIX Junii Commemorationem habet Petri et Pauli, cum descriptione formae apostoli utriusque; quae, quod ad Paulum attinet, satis bene cum hoc loco congruit. — ἀσθενὴς, *infirma*) nullum spectantibus metam afferens.

v. 11. τῷ λόγῳ, *sermone*) Antitheton, τῷ ἔργῳ, *opere*.

v. 12. οὐ γὰρ τολμῶμεν, *non enim audemus*) Copiosissime vindicat Paulus potestatem suam apostolicam, in qua sint etiam Corinthii; refutatque pseudapostolos, qui apud illos etiam, quacunque specie arrepta, falcem in Pauli messem immittentes, se ingerebant. quorum fucorum *audaciam* redarguens, ait, *non audemus*: in quo, dum dicit, quid ipse non faciat; notat, quid isti faciant. Ego, inquit, nil ab istis mihi vindico: isti vicissim desinant se nobis, etiam Corinthi, adjungere. Sepem inter se et illos ponit. — ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι) *aequiparare*, veluti consortes ejusdem muneris; *aut comparare*, veluti participes ejusdem laboris: utrumque penes vos. ἐγκρίνονται, *aequiparantur* invicem, quae sunt ejusdem generis; συγκρίνονται, *comparantur*, quae, cum differant genere, rationem saltem eandem habere judicantur. τῷ ἐγκρῖναι respondet mox μετροῦντες, ut τῷ συγκρῖναι συγκρίνοντες. — τῶν) Genitivus. Eorum, qui se ipsi commendant,

Digitized by Google

audacissimi se ἐγκρίνουσι κτλ. — καὶ συγκρίνοντες, *et comparantes*) Hoc ineunte commate ponitur, emphaseos causa. — ἑαυτοῖς, οὐχὶ κτλ.) Vid. App. Crit. ad h. l. Non sane in pseudapostolos hic sermo convenit, qui revera se conabantur aliis commetiri et ingerere. Paulus contra de se et sui similibus ait: *in nobis*, non in istis, pseudapostolis, *nos ipsos metimur; nobis*, non istis, *comparamus nos ipsos* [1]).

v. 13. οὐχὶ, *non*) Versu 13—16. et ἔγκρισις et σύγκρισις inter apostolum et pseudapostolos tollitur. Summa est haec: οὐχὶ εἰς τὰ ἄμετρα καυχησόμεθα ἐν ἀλλοτρίοις κόποις. Prius membrum, οὐχὶ εἰς τὰ ἄμετρα opponitur τῷ ἐν ἑαυτοῖς μετροῦντες, et tractatur v. 13. 14., voce μέτρον frequenter posita. Alterum, οὐχὶ ἐν ἀλλοτρίοις κόποις, opponitur τῷ ἑαυτοῖς συγκρίνοντες, et tractatur. v. 15. 16., voce ἀλλοτρίοις iterata. Paulus *mensuram* habet; isti *in immensa* gloriantur: atque Paulus inter gentes *rudes* evangelizare perget; isti εἰς τὰ ἕτοιμα gloriantur. — εἰς) *in*, super. conf. v. 15. not. — ἄμετρα, *immensa*) Acuta amphibolia. ἄμετρον, quod modum sive mensuram vel non servat, vel non habet. Paulus mensuram servat: pseudapostoli plane nullam habent. — ἀλλὰ) *sed*, scil. agemus. — τὸ μέτρον τοῦ κανόνος, *mensuram canonis*) Μέτρον καὶ κανὼν interdum dicitur per synonymiam: hic differunt. Μέτρον dicitur respectu Dei distribuentis, κανὼν respectu apostoli laborantis. Itaque κανὼν determinatur per μέτρον. nam μέτρον, apud Eustathium, τάξις· et μέτρον ac μερίζω sunt conjugata: quia utrumque a μείρω. Conf. Clavis Homerica, p. 222. Singulis apostolis divisae provinciae. — μέτρου, *mensurae*) Hoc iteratur, ut οὗ agnoscatur ad μέτρον referri. τοῦ κανόνος absolute ponitur. post accusativum μέτρον ponitur genitivus μέτρου, ad notandam *partem*, apud Corinthios. — ἐμέρισεν, *partitus est*) Hoc verbo aperte excludentur pseudapostoli. — ἐφικέσθαι) i. e. τοῦ ἐφικέσθαι. — ἄχρι καὶ ὑμῶν) *etiam ad vos usque*. Μείωσις.

v. 14. οὐ γὰρ ὑπερεκτείνομεν) *non enim extendimus nos* ultra mensuram nostram. — ἄχρι γὰρ, *nam usque*) Paulus ab effectu probat, Corinthios contineri canone divinitus sibi assignato. — ἐν τῷ εὐαγγελίῳ) *in functione evangelica*. conf. c. 2, 12.

v. 15. οὐκ εἰς, *non in*) Hoc initium alterius membri, quod ad constructionem attinet, nectitur cum fine prioris. conf. not. ad Rom. 8, 1. *Non* inferemus pedem *in* alienam provinciam, dicentes: *Haec mea sunt*. — αὐξανομένης, *crescente*) Praesens. Paulus Corinthios neque ante tempus omittere voluit, neque alios diutius differre. — ἐν ὑμῖν, *in vobis*) Noster penes vos profectus solidissimus gradum nobis magnificum dabit ad proficiendum plus ultra. — μεγαλυνθῆναι — εὐαγγελίσασθαι) *amplificari* revera, *evangelizando*. utrique verbo conjunctim, sed praesertim τῷ *amplificari*, opponitur *gloriari*. — εἰς περισσείαν) *abundanter*. — εἰς, *in*) Antitheta sunt, *in illa quae ultra vos*, et, *in parata*.

v. 16. τὰ ὑπερέκεινα, *illa quae ultra sunt*) quo nullus adhuc pervenit cum evangelio, meridiem versus et occidentem. nam Athenis Corinthum venerat. Act. 18, 1. — οὐκ ἐν ἀλλοτρίῳ, *non in alieno*) Antitheton, *secundum canonem nostrum*. — εἰς) *in* ea, quae parata sunt, gloriando nos inferre. ἕτοιμα, *parata*, plus etiam, quam ἡτοιμασμένα, notat.

v. 17. ὁ δὲ, *qui vero*) Receptui quodammodo canit: et tamen hac ipsa ἐπιθεραπείᾳ iterum pseudapostolos ferit. — ἐν κυρίῳ, *in Domino*) adeoque Domino *probante*.

---

1) *Congruit, quod* Versio germ., *utut voces* οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δὲ *exprimat, ita tamen verborum cohaerentiam instruit, ut idem sensus emergat, quem fundit* Gnomon. E. B.

Digitized by Google

CAPUT XI.

v. 1. Ὄφελον, *utinam*) Pedetentim accedit, cum insigni προθεραπείᾳ et προεπιπλήξει, cui respondet ἐπιθεραπεία. c. 12, 11. — μικρὸν, *paullum*) Antitheton, v. 4. 20. — τῇ ἀφροσύνῃ, *insipientia*) Sic appellat, antequam exponat, eoque ipso Corinthios capit. Mitius hoc vocabulum, quam μωρία. — ἀνέχεσθε, *tolerate*) Imperativus. coll. v. 16.

v. 2. ζηλῶ γὰρ, *aemulor enim*) Hoc versu et seq. exprimitur causa *insipientiae;* amantes enim videntur amentes. causa *tolerantiae* Paulo debitae explanatur, v. 4. coll. v. 20. — θεοῦ ζήλῳ, *Dei zelo*) zelo sancto et magno. [*Si nimius sum*, inquit, *Deo sum nimius.* V. g.] — ἡρμοσάμην, *despondi*) Appositio est, *uni viro*, *Christo*, et utrumque construitur cum *sistere.* Itaque *despondi* absolute ponitur. Et ἁρμόζομαι, *despondeo*, de ipso quidem sponso dici solet: hic autem Paulus eadem mente de se dicit, qua sibi etiam zelum, qui mariti est, adscribit. nam Christi causa sentiebat et faciebat omnia. — παρθένον ἁγνὴν, *virginem castam*) non singulatim, sed conjunctim. Non dicit παρθένους ἁγνάς.

v. 3. φοβοῦμαι, *metuo*) Talis metus non modo non contra amorem est, sed est amoris. c. 12, 20. 19. [*Omnis nimirum zelus ex metu oritur.* V. g.] — δὲ, *vero*) Hoc opponitur τῷ *despondi.* — ὡς, *ut*) Similitudo perquam apposita. — τὴν, *Evam*) simplicem, mali ignaram. — πανουργίᾳ, *astutia*) quae *simplicitati* inimicissima. — οὕτως, *sic*) Sancti, vel si plane quiesceret peccatum originale, tentari possunt. — φθαρῇ, *corrumpantur*) amissa virginali puritate. Imminebant corruptores Corinthiis. v. seq. Sermo concisus, *corrumpantur* et deducantur *a simplicitate.* — ἁπλότητος, *simplicitate*) *uni* intenta, tenerrima; non *alium,* neque *alterum*, quaerente. v. 4.

v. 4. εἰ, *si*) Ponit conditionem, ex parte rei, impossibilem; ideo dicit in imperfecto, *toleraretis:* sed pro conatu pseudapostolorum, non modo possibilem, sed plane praesentem; ideo dicit in praesenti, *praedicat.* conf. plane Gal. 1, 6. s. — γὰρ, *enim*) Ratio *timoris* Paulini, facilitas Corinthiorum. — ὁ ἐρχόμενος, *veniens*) quilibet; ex Judaea, si placet. Gen. 42, 5., ἦλθον μετὰ τῶν ἐρχομένων. [*Dicit jam, quae, ut dicerentur, Corinthii debebant concedere.* v. 1. V. g.] — ἄλλον· ἕτερον, *alium: alterum*) Differunt haec verba. Act. 4, 12. not. *alium* minus longe hic disterminat, quam *alterum.* — οὐκ ἐλάβετε· οὐκ ἐδέξασθε, *non accepistis: non recepistis*) Verba diversa, rei apta. non concurrit voluntas hominis in accipiendo spiritu, ut in recipiendo evangelio. — ἢ εὐαγγέλιον ἕτερον, *aut evangelium alterum*) Commode verbum *est*, aut *accipitis*, subaudiendum relinquitur. — καλῶς ἠνείχεσθε, *bene tolerastis*) Non probatur haec *tolerantia, corruptionem* allatura, sed τὸ *bene* ponitur, uti Marc. 7, 9. Notatur saturitas Corinthiorum, et aviditas, in Christianismum, si quis esset, magis novum lautumque intenta.

v. 5. γὰρ, *enim*) Particula propositioni annectens tractationem. Ponitur hic summa *gloriationis* Paulinae, et repetitur c. 12, 11. — τῶν ὑπερλίαν, *eximiis*) quales Jacobus, Kephas, Johannes, [*magna praerogativa in transformatione Jesu distincti,* V. g.] vel etiam reliqui de duodecim superstites: Gal. 2, 2. non modo quales ii, qui latiore sensu dicuntur apostoli. i. e. tam sum apostolus, quam qui maxime. Petrus nil habet praecipuum. [Act. 26, 13. 16. Gal. 1, 16.]

v. 6. εἰ, *si*) Apostolum se esse, probat, 1) a cognitione apostolo digna: hoc versu. 2) ab abstinentia: v. 7. s. Ad utrumque proponendum viam sibi facit per occupationem, ut necessitas proponendi perspiciatur. — ἰδιώτης, *idiota*) Hoc opponitur *excellentiae apostolicae.* Idiotam Paulum dicebant iniqui. *Cognitione*, quae prima dos apostoli, negat se esse idiotam; atque exemplum extat singulare capite sequenti: *sermone* idiotam se esse, neque valde negat, cum id

Digitized by Google

non obsit apostolatui, imo etiam conducat; 1 Cor. 1, 17. ss. neque prolixius, quam facultas ejus in dicendo ferebat, confitetur; neque respondet, etiam alios apostolos sermone idiotas haberi posse; sed rem in medio relinquit, coll. c. 10, 10. 11., ab ipsis Corinthiis dijudicandam. subjicit enim, *sed in omni manifestati etc.* [*Earum itaque rerum, quas Corinthii apostolicae praerogativae suae opponerent, aliam post aliam declinat.* V. g.] — ἀλλ᾽ ἐν παντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς) Latinus habet, *in omnibus autem manifestati sumus vobis*: ut si superfluum esset vel ἐν παντὶ vel ἐν πᾶσιν. Atqui diversam vim habent duae locutiones: ἐν παντὶ, *in omni* re, etiam in sermone et cognitione; ἐν πᾶσιν, *in omnibus* hominibus. cap. 1, 12. 3, 2. 4, 2. ἐν πᾶσι, masculino genere dicitur 1 Cor. 8, 7. Hebr. 13, 4., et aliis locis. idem, neutro genere, 1 Tim. 3, 11. 4, 15. 2 Tim. 2, 7. 4, 5. Tit. 2, 9. 10. Hebr. 13, 18. Sed ἐν παντὶ non nisi neutro genere, idque saepissime, v. 9. cap. 4, 8. 6, 4. 7, 5. 11. 16. 8, 7. 9, 8. 11. Phil. 4, 6. Itaque hoc loco ἐν πᾶσιν est masculinum, ἐν παντὶ neutrum. Sic Phil. 4, 12., ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι μεμύημαι. — εἰς ὑμᾶς, *in vos*) Ex eo, quod Paulus etiam apud alios agebat, fructus in *Corinthiorum* corda redundabat.

v. 7. ἢ ἁμαρτίαν) *an peccatum.* Sic posset objici contra illud, *in omni*, v. praec. — ταπεινῶν, *humilians*) in victu. [*De jure suo* apostolico *hac in re decesserat.* V. g.] — ὑψωθῆτε, *exaltaremini*) spiritualiter. — τὸ τοῦ θεοῦ εὐαγγέλιον, *Dei evangelium*) *divinum*, pretiosissimum.

v. 8. ἐσύλησα, *spoliavi*) Justissimam stipendii acceptionem imputat sibi pro *rapina*, et mox pro *segnitie* et *onere*. conf. not. ad 1 Cor. 9, 17. Hoc verbum, et *opsonium*, allegoriam efficit, a re militari. — λαβὼν, *sumens*) in viam, quum ad vos veni. Antitheton, *praesens*, quum vobiscum essem.

v. 9. προσανεπλήρωσαν, *amplius suppleverunt*) Decompositum: nonnihil *supplevit* Paulus sua manu laboriosa. — καὶ τηρήσω, *et servabo*) tantum abest, ut poeniteat. c. 12, 14.

v. 10. ἔστιν ἀλήθεια, *est veritas*) Verbum emphatice praeponitur: *stat*. sermo est de *veritate* speciali. conf. Rom. 9, 1. not. — οὐ, *non*) Metonymia consequentis: *gloriatio non obstruetur*, i. e. posthac nihilo gravior ero.

v. 11. ὅτι, *quod*) Saepe laeditur *amor* etiam recusando.

v. 12. καὶ ποιήσω) *etiam faciam.* — ἐκκόψω, *amputem*) Pseudapostolis non erat commodum, gratis praedicare. v. 20. — τὴν ἀφορμὴν, *occasionem*) in hac re: mox, sine articulo, ἀφορμὴν, quacunque in re. — ἐν ᾧ, *in quo*) Gloriatio eorum *in* hoc constitit, ut dicerent: invenimur, ut Paulus.

v. 13. οἱ γὰρ τοιοῦτοι, *tales enim*) Aetiologia, cur nolit istos similes putari ipsius. — ψευδαπόστολοι, *pseudapostoli*) Haec jam pars praedicati. antitheton, v. 5. Nunc tandem scapham scapham dicit. Congruit mox, δόλιοι, *dolosi*. [*Insignis hic sermonis est severitas. Cogitaverint haud pauci:* Oppido etiam tales non spernendae indolis homines sunt; quos tam invidiose deformari non oportebat: Christum videlicet viderunt, Eique diuturnum jam testimonium praebent; adeoque non habendi sunt nullo inter ceteros loco. *Atqui subtilissima est veritatis causa. Qui multis hodie arridet* Indifferentismus, *eum Paulus non coluit.* (Er war kein so gefälliger Toleranz-Prediger.) *Accedit, quod in frequentibus vitae discriminibus zelus Apostoli nil debilitatus perstitit.* V. g.] — εἰς ἀποστόλους χριστοῦ, *in apostolos Christi*) Non plane negabant Christum; sed non vere praedicabant. v. 23.

v. 14. οὐ θαυμαστὸν, *non mirum*) *Non magnum.* v. seq. Magis mirum, de Satana, qui longius differt ab angelo lucis. — αὐτὸς) *ipse*, auctor et magister eorum. — μετασχηματίζεται, *transformat se*) Praesens: i. e. solet se transformare. Fecit id jam in paradiso. Oratio II. in annunciationem, adscripta Gregorio Thaumaturgo, in Ethopoeia Mariae: μὴ πάλιν εἰς ἄγγελον φωτὸς μετασχηματισθεὶς ὁ

Digitized by Google

ἀρχέκακος δαίμων κτλ. — ἄγγελον φωτὸς, *angelum lucis*) Id facit, non solum, ut noceat nobis, sed etiam, ut fruatur honore. — φωτὸς, *lucis*) quum tamen Satanae potestas sit in tenebris.

v. 15. οὐ μέγα, *non magnum*) non difficile. — αὐτοῦ, *ejus*) *Satanae.* — δικαιοσύνης, *justitiae*) quae est in Christo. — τὸ τέλος, *finis*) Quacunque specie se nunc efferant, detrahitur tandem *schema*. Efficacissimum criterium a futuris, in bono et malo. Phil. 3, 19. 21.

v. 16. πάλιν λέγω, *iterum dico*) Novo huic argumento gloriationis iteratam ex v. 1. προθεραπείαν praemittit: qua certe nemo *insaniens* utitur. — μὴ, *ne*) Particula prohibendi: *nemo me putarit desipere.* Hoc incisum non ponitur per parenthesin, sed vis verbi λέγω, *dico,* super hoc ipsum incisum cadit.

v. 17. ὃ λαλῶ, οὐ λαλῶ κατὰ κύριον, *quod loquor, non loquor secundum Dominum*) Theopneusta sunt igitur, et *secundum Dominum dicta,* quaecunque Paulus sine hac expressa exceptione scripsit: quin etiam hunc locum, et propriam huic loco exceptionem, sic perscripsit ex regula decori divini, a Domino instructus; perinde ut vir literatus puero dictat epistolam puero accommodatam, cum tamen puer per se non posset ita scribere.

v. 18. πολλοὶ, *multi*) Quod multis licet, uni facilius condonatur. — κατὰ τὴν σάρκα, *secundum carnem*) v. gr. quod Hebraei sint. v. 22.

v. 19. ἡδέως) *libenter.*

v. 20. γὰρ, *enim*) Particula intensiva: fertis *insipientes;* nam fertis etiam oppressores. Cleon apud Thucydidem lib. 3., πέφυκεν ὁ ἄνθρωπος τὸ μὲν θεραπεῦον ὑπερφρονεῖν· τὸ δὲ μὴ ὑπεῖκον θαυμάζειν. — εἴ τις, *si quis*) ut pseudapostoli, gloriabundi. — καταδουλοῖ, *in servitutem redigit*) Genus: sequuntur bis duae species. — κατεσθίει) Sic LXX, Ps. 53, 5. — λαμβάνει, *accipit*) scil. a vobis. neque enim necessario subauditur ὑμᾶς *vos*, collato inciso subsequente. — ἐπαίρεται, *extollitur*) praetextu majestatis apostolicae. — εἰς πρόσωπον δέρει, *in faciem caedit*) sub specie zeli divini. Id Corinthiis accidere potuerat. conf. Es. 58, 4. 1 Reg. 22, 24. Neh. 13, 25. 1 Cor. 4, 11. 1 Tim. 3, 3.

v. 21. κατὰ ἀτιμίαν, *secundum ignominiam*) quasi jam pro *infami* habitus. Vide 1 Cor. 4, 10., quo ex loco etiam τὸ *infirmi* huc conferas, et *prudentes* ad v. 19. Conf. *secundum*, Phil. 4, 11. — ὡς ὅτι ἡμεῖς ἠσθενήσαμεν) *quasi nos infirmati simus* animo, nil habentes, qui gloriemur et audeamus. sequitur antitheton: *quacunque autem in re aliquis. infames* et *infirmi* non possunt gloriari; sed tamen audebo. conf. v. 30. — ἐν ἀφροσύνῃ, *in insipientia*) Sic appellat κατ᾽ ἄνθρωπον, v. 16., et modestiae causa.

v. 22. ἑβραῖοι, *Hebraei*) Capita gloriationis, quorum primum et secundum praerogativas naturales, tertium et quartum spirituales indicat. Conf. Phil. 3, 5. — κἀγὼ, *etiam ego*) Hebraeus, (non Hellenista,) ex Hebraeis.

v. 23. διάκονοι, *ministri*) extrinsecus. [1]) — παραφρονῶν λαλῶ, *insipiens loquor*) Cum perpetuo labore abnegandi sui haec perscripsit Paulus. — ὑπὲρ) *supra,* quam isti. quo quisque plus patitur, eo magis *ministrat.* — περισσοτέρως, *abundantius*) *Labores* et *carceres* experti erant etiam pseudapostoli, sed minus: cetera Pauli propria erant.

v. 24. πεντάκις, *quinquies*) Prodest servis Dei, omnia, quae egerunt, et exantlarunt, accurate meminisse, ut, cum opus olim est, narrare possint. conf. Gal. 1. — τεσσαράκοντα παρὰ μίαν, *quadraginta, minus una*) Triplici loro tredecim ictus incussi *undequadraginta* plagas efficiebant. vid. *Buxt.* dedic. Abbrev.

v. 25. τρὶς ἐναυάγησα, *ter naufragium feci*) ante naufragium Melitense.

---

1) *Neque tamen hac distinctione opus fuerit, si* Not. crit. *ad h. l. conferas:* Interrogatio. nam istos negat diaconos Christi, v. 15. *Congruit* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

— ἐν τῷ βυθῷ) ὁ βυθὸς quodvis *profundum* notat; sed, ubi absolute ponitur, *marinum*, hic praesertim, cum mentione naufragiorum. מצולה LXX plerunque βυθός. — ἐποίησα) *transegi* natans. Multi naufragi cum aquis multas horas ita conflictantur, ut tandem emergant.

v. 26. ὁδοιπορίαις, *itineribus*) Vide Acta. — ἐν ψευδαδέλφοις, *in falsis fratribus*) Hoc periculum molestissimum: praeter *expectationem* ceteris adjectum, cum suavitate. [*Acerbi erant isti ac pestiferi homines, utut boni specie non destituti.* Gal. 2, 4. V. g.]

v. 27. ἐν, *in*) Quinque commuta: primo cohaeret secundum, tertio quartum, suavi rhythmo. — ἐν λιμῷ, *in fame*) Deut. 28, 48., ἐν λιμῷ καὶ ἐν δίψει, καὶ ἐν γυμνότητι, καὶ ἐν ἐκλείψει πάντων.

v. 28. χωρὶς, *praeter*) Particula servit connexioni. — τῶν παρεκτὸς) Sic appellat labores *externos*. hactenus descripsit suos proprios; nunc alienos, secum communicatos. — ἡ) Appositio casus obliqui et recti. qualis illa Basilii Seleuciensis, ὦ φωνῆς, σωτηρίας πηγή. conf. not. ad Chrys. de Sacerd. p. 504. — ἐπισύστασίς μου, *incursus in me*) Verbum ἐπισυνίστημι et verbale ἐπισύστασις LXX saepe ponunt de seditione Kore cum suis. conf. Act. 24, 12. Itaque hic notatur obturbatio illorum, qui doctrinae vitaeve perversitate Paulo molestiam exhibebant, v. gr. Gal. 6, 17. — καθ' ἡμέραν, *quotidie*) Latitudo temporis: loci, in *omnium*. — πασῶν, *omnium*) Id modestius, quam si diceret, πάσης τῆς ἐκκλησίας, *totius ecclesiae*. *Omnium*, etiam ad quas non veni. Col. 2, 1. Id non peraeque Petrus de se dicere potuisset.

v. 29. τίς, *quis*) Non solum ecclesias, sed singulas animas curat. — ἀσθενῶ, *infirmor*) non modo per συγκατάβασιν, 1 Cor. 9, 22., sed per compassionem. — σκανδαλίζεται, *scandalizatur*) *Infirmari* et *scandalizari*, hoc certe loco, (coll. tamen Rom. 14, 21. not.) differunt. Illud fit per se; hoc per alios. — καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι) *quin ego incendar*. Non priore, sed hac versiculi parte addit *ego*: nam illic infirmo se accommodat; hic dissimilem se scandalizantis fatetur, partes a scandalizante neglectas scandalizati causa *ipse* suscipiens. Partes a scandalizante neglectae sunt amor, prudentia etc. Idem tamen Paulus etiam partes scandalizati, sive incommodum, quod scandalizatus sentit, in se suscipit. Haec omnia sic sequuntur, vi relatorum. πυροῦσθαι τοῖς θυμοῖς, non semel l. 2 Macc. Male sentiunt aut loquuntur, qui scandalum videntes vernacula formula ajunt: *me ipse scandalizavi*.

v. 30. εἰ) *si*. i. e. quum. — τὰ τῆς ἀσθενείας μου καυχήσομαι, *de iis, quae infirmitatis meae sunt, gloriabor*) Eximium oxymoron. c. 12, 5. 9. 10. Nam opposita sunt *infirmitas* et *gloriatio*.

v. 31. εὐλογητὸς, *benedictus*) Hoc auget religionem jurisjurandi. — οἶδεν, *novit*) Persecutio Damascena erat e primis et maximis, et huc inprimis pertinebat: Deumque invocat testem Paulus, quia nullum testem ex hominibus ad Corinthios allegare poterat, de re paucis cognita et pridem facta. conf. Gal. 1, 20. Lucas postea perscripsit, Act. 9, 25. Haec religiosa praefatio auget etiam fidem eorum, quae mox cap. seq. commemorantur.

v. 32. ἐθνάρχης) Sic appellatur Simon sacerdos summus, 1 Macc. 14. et 15.

CAPUT XII.

v. 1. Δή) *sane*. — οὐ συμφέρει μοι, *non conducit mihi*) propter periculum elationis, et colaphorum Satanicorum, et impediendae virtutis Christi. — ἐλεύσομαι) *veniam*, inquit, non, *venio*: non cupide accurrit. sic, *gloriabor*, non *glorior*, in conclusione ipsa, v. 5. — γὰρ, *enim*) Causa, praefatiunculae modo positae. — ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις, *visiones et revelationes*) *Visiones*, ad viden-

Digitized by Google

dum: *revelationes*, ad audiendum. 1 Sam. 9, 15. LXX. Utrumque numero plurali; quia duos gradus habuere *raptus* illi, ut mox memorat. Sic, *revelationum*, v. 7. Plures ceteroqui visiones et revelationes habuit Paulus. — κυρίου, *Domini*) v. 8. i. e. *Christi*, v. 2.

v. 2. οἶδα· εἴτε· ἁρπαγέντα, *novi: sive: raptum*) Haec versu sequente iterata non solum suaviter suspendunt acuuntque lectorem, et gloriationi consideratae pondus addunt; sed etiam plane duplex rei momentum exprimunt. Clemens Al. Strom. l. V. ἕως τρίτου οὐρανοῦ, κἀκεῖθεν εἰς τὸν παράδεισον. f. 427. Et sic Irenaeus l. 2. c. (56.) 55. (ubi Grabius addit Justinum M. Methodium et ex recentioribus Jeremiam Taylor:) it. l. 5. c. 36., ubi (coll. Matth. 13, 23. Joh. 14, 2.) ex diversitate fructificantium diversas habitationes infert, et statuit διαστολὴν οἰκήσεως *differentiam habitationis* eorum, qui coelo, qui paradiso, qui splendore civitatis gaudent. Athanasius in Apol. καὶ ἕως τρίτου οὐρανοῦ ἡρπάσθη καὶ εἰς τὸν παράδεισον ἀνηνέχθη. Orig. ejusve interpres in Rom. 16., *in tertium coelum, et inde in paradisum*. Oecumenius, ἡρπάγη ἕως τρίτου οὐρανοῦ, καὶ πάλιν ἐκεῖθεν εἰς τὸν παράδεισον. Diversasque loco hoc revelationes commemorari, agnoscunt Hilarius Diac. Primasius, Anselmus, Gregorius Papa apud Estium. Accedit Hieron. in Ez. 28. Pelag. in h. l. Cassiodor. Haymo, Aquinas. Duplici raptui respondet duplex illud, *ut ne extollerer*. v. 7. *Paradisus* certe, in gradatione subsequens, cum articulo emphatico, interius quiddam in coelo tertio dicit, quam ipsum *coelum tertium*. id quod cum sententia veterum apprime congruit. vid. Gregor. obs. c. 18. conf. Luc. 23, 43. not. et Ap. 2, 7. Ideo res paradisi duntaxat *audire* contigit Paulo; coeli tertii, etiam *videre*, (conf. v. praec.) quanquam de hoc etiam parcius loquitur. Verbi οἶδα, *novi*, vis praecipue cadit super participium, *raptum*. coll. ὅτι *quod*, v. 4. — πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, *ante annos quatuordecim*) Constr. cum ἁρπαγέντα *raptum*. Pristinum aliquid recenset. longo tempore alius a se ipso quisque factus videtur; ut bona et mala sua liberius commemorare possit. [*Diuturnum sane silentium istud fuit. Neque tamen exiguo temporis intervallo inter Corinthios versatus fuerat, iisque praecipuo quodam familiaritatis vinculo junctus.* V. g.] — ἐν σώματι, *in corpore*) Hoc sine articulo: tum ἐκτὸς τοῦ σώματος, *extra corpus*, cum articulo, et sic constanter v. seq. Videtur *opinari* Paulus, *extra* corpus fuisse. Utut est, incorpoream esse meliorem hominis partem, recte hinc infert Claudianus Mamertus l. 2. de Statu animae c. 12. atque haec, anima, ipsa rapta fuit. Extra corpus aut intra erat, quicquid, praeter corpus Pauli, erat. — οὐκ οἶδα, *non novi*) Ignoratio modi non tollit certam rei scientiam. Apostoli multa non scivere. — ἁρπαγέντα, *raptum*) Conf. Act. 8, 39. not. — ἕως) *usque*, longe, *in* tertium coelum. conf. εἰς, *in*. v. 4. Ergo paradisus est extra coelum tertium? Resp. ἕως, *usque*, inclusive, uti Luc. 2, 15. etc. — τρίτου, *tertium*) Primum coelum, nubium: secundum, stellarum: tertium, spirituale. Duplex coelum visibile dualis in שמים denotat: *tertii* nomenclatura, quod oculus non vidit, Novo Testamento reservata fuit. conf. Eph. 4, 10. not.

v. 3. καὶ, *et*) Particula hoc loco novum rei momentum exprimit. Finge, *coelum tertium* et *paradisum* plane esse synonyma; valde imminuetur nervus orationis Paulinae. — τὸν τοιοῦτον, *talem*) τὸν ἐν χριστῷ, *eum qui* erat *in Christo*. — εἴτε, *sive*) Hoc repetitur, quia vel si in corpore usque ad tertium coelum raptus fuerit, tamen ulteriori gradu in paradisum extra corpus potuit raptus esse.

v. 4. ἄῤῥητα) *ineffabilia*, non in se; alias Paulus non potuisset audire: sed *homini*, ut sequitur mox, adeoque ipsi Paulo. *Quis* ea effatus sit, Deus, an Christus, an angelus, an angeli, an spiritus justorum, et cui; Paulus non indicat, an sciat. Sublimitatis certe magnae fuere; nam non omnia coelestia

ed by Google

sunt *ineffabilia*, v. gr. Ex. 34, 6. Es. 6, 3. quae tamen valde sublimia. — οὐκ ἐξὸν, *non licet*) ἐξὸν et δυνατὸν, *licere* et *posse*, dicitur, quod neque res neque lex prohibet. itaque *ineffabilia* et *non licet* se mutuo declarant, negantque, aut posse ea loqui hominem, aut licere homini. Ceteri, qui non audivere, non possunt: Paulus, qui audivit, non satis potest. et, si possent, tamen non liceret, non conveniret, in mortalitate: quia terricolae non caperent. Joh. 3, 12. Latius patet auditus, quam loquela. — ἀνθρώπῳ, *homini*) Constr. cum *licet*. Arctior saepe loquendi, quam cognoscendi potestas.

v. 5. ὑπὲρ τοῦ τοιούτου, *pro tali*) Masculinum. antitheton, *me ipso*. Removere debemus τὸ *ego* a rebus magnis. Duas partes hic versus habet: altera habet aetiologiam versu seq. altera declaratur v. 7. s. — καυχήσομαι, *gloriabor*) i. e. gloriari possem. coll. v. 6. init.

v. 6. οὐκ ἔσομαι ἄφρων, *non ero insipiens*) Etiam cap. praec. dixit *veritatem*, et tamen *insipientiam* sibi adscribit: quia scilicet gloriatus est de rebus minime gloriosis, hic de gloriosissimis. — φείδομαι, *parco*) parce haec tracto. — μή τις, *ne quis*) O quam non verentur haec plerique, etiam Theologi. [*Cominus et eminus haud pauci pluris aestimari se, quam fas est, patiuntur: at quam notabili eos honoris parte penes DEUM se ipsos ea re defraudare existimes? Filiorum DEI siquidem jure gaudeas, fac luceat lumen istud tuum: sed singularibus rebus* caute *et* parce *uti memento*. V. g.] — βλέπει· ἀκούει, *videt: audit*) in vita communi, me non prohibere valente.

v. 7. ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, *ut ne extollerer*) Omnibus, quae Paulus egit, quaeque eum apud homines magnum, carum et admirabilem fecerunt, minus efferri poterat, quam his, quorum ipse unus erat sibi conscius. Vana et pusilla est anima, quae ob hominum plausum sibi applaudit. Potiora sunt intus. [*Quanti vero periculi rem oportet esse* sui elationem; *quum* Apostolo *tanto repagulo fuerit opus!* V. g.] — σκόλοψ) Hesychius: σκόλοπες, ὀξέα ξύλα ὀρθὰ, σταυροί. notatur sudes acuta, pungens. conf. LXX, Num. 33, 55. Ez. 28, 24. Hoc generale mox declaratur specialiter per *colaphos* illos: neque duplex haec declaratio tertiam ullam requirit, varie tentatam ab iis, qui *colaphos* improprie interpretantur. — τῇ σαρκὶ) Casus sextus: *carne*, ad carnem macerandam. Idem casus, 1 Petr. 3, 18. 4, 1. 6. Haec infirmitas major erat omnibus capite praecedente enumeratis: et hanc ut commemorare posset, necesse habuit revelationes commemorare. — ἄγγελος σατᾶν, *angelus Satan*) Paulus *angelica* expertus nunc *angelum* persentiscit contrarium. τὸ σατὰν non nisi bis terve habent LXX, idque ut ἄκλιτον· sed XXXIV locis in N. T. et in his novies a Paulo σατανᾶς declinatur; hocque uno loco ponitur ut indeclinabile, quasi per apocopen consideratam, certe non sine causa. Itaque *angelus Satan* hoc loco non videtur esse appositio, quasi diceretur *angelus Satanas*, pro diabolo. nam diabolus nusquam dicitur angelus, sed habet angelos suos ipse. Ergo *Satan* aut est nomen proprium in genitivo, aut adjectivum in nominativo, ut notetur vel *angelus a Satana immissus;* vel *angelus infestissimus*, angelus ipsi Satanae sive diabolo similis, praescindendo a Satanae missione. Amphibolia videtur innuere, ipsi apostolo (quo magis humiliaretur) nesciendum fuisse, quae esset hujus angeli ratio. Ex alto habuit revelationem: ex profundo, castigationem. Job et Paulus per hostem vexabantur: Herodem angelus Domini percussit. — ἵνα με, *ut me*) Palus non est angelus ipse (conf. tamen Num. l. c.) sed, quod angelus Paulum colaphis vexavit. ἵνα, *ut* concinne iterum in medio commatis ponitur, ut antitheton bis praecedat particulam, bis eam subsequatur. Opponuntur enim *excellentia revelationum* et *angelus Satan;* itemque *extolli* et *colaphis caedi*. — κολαφίζῃ, *colaphis caedat*) *Colaphis* (μεγάλαις ἀφαῖς· hoc enim apud Eustathium habetur etymon:) caedebantur *servi*. 1 Petr. 2, 20. neque obstat quicquam, quo

minus proprie hic accipiatur verbum. vid. Job 2, 6. s. Nam si ab hominibus colaphos aliaque incommoda acceperunt et apostoli et ipse Dominus, c. 11, 24. s. 1 Cor. 4, 11. Matth. 26, 67. coll. c. 4, 5. cur non Paulus a Satana ejusve angelo, vel visibili vel invisibili modo? Talia Antonio quoque obtigere, ut in vita ejus memorat Athanasius. Omnis generis adversa obvenere apostolo, v. 10., quae non deprecabatur: sed hic praecipuum quiddam nominat, quod *infirmitatibus* eum macerabat et dolore ignominiaque occurrebat elationi, magis etiam, aut certe non minus, quam furor libidinis in membris excitatus (quo tamen quam mirabiliter excruciari possint quamlibet sanctae animae, apud Ephraimum Syrum, Estium in h. l. Joh. a Cruce, et P. M. Petruccium legere est) aut cephalalgia vehementissima. Horum colaphorum quasi recentem Paulus pavorem in momenta habuisse videtur, quum tanta frequentia, quantam naturalis lector fastidiat, se inter gloriandum reprimit. Notat Chrysostomus, κολαφίζῃ, *colaphis caedat*, non κολαφίσῃ, *colaphis caederet*, Paulum dicere, ut de re praesenti. *Visus* et *auditus* Pauli ad lautissima admissus erat: *tactus* durissime maceratus.

v. 8. τούτου, *hoc*) Demonstrativum. Oblitus erat elationis. — τρὶς) *ter*, ut ipse Dominus in monte oliveti. Paulus rogationes, nescio quibus ex intervallis, tres peregit: deinde palum toleravit, cum vidit, ferendum esse. ne tum quidem, cum haec scripsit, videtur palo caruisse, et quamdiu se efferre potuerat. confer, quae sequuntur. — τὸν κύριον, *Dominum*) *Christum*. v. seq. Non est rogandus Satanas, ut parcat.

v. 9. εἴρηκέ μοι, *dixit mihi*) tertium roganti. — ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου, *sufficit tibi gratia mea*) Benignissima repulsa, indicativo modo expressa. Dominus Paulo haec verba quasi in os inserit, ut subsequens ea dicat: Sufficit mihi, Domine, gratia tua. Gratia esse potest, etiam ubi maximus doloris sensus est. — ἡ γὰρ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται, *virtus enim in infirmitate perficitur*) Pro δύναμις plerique scripsere δύναμίς μου, ex alliteratione ad χάρις μου. Si Paulus scripsisset δύναμίς μου· credo, subjecisset, ἐν ἀσθενείᾳ σου. [1]) Innuitur tamen, ut *gratia Christi*, sic *virtus Christi*. γὰρ, *enim*, hoc loco, ut saepe, est particula διακριτική, qua discrimen ponitur inter *gratiam* et inter *virtutem*. *Sufficit gratia:* noli postulare *virtutem* sensibilem. *virtus enim* — —. Sic demum particula *enim* vim causandi nanciscitur, non immediate, sed mediante discrimine inter *gratiam* et *virtutem*. — ἐν ἀσθενείᾳ, *in infirmitate*) Ex sermone Domini Paulus saepe hoc verbum repetit, cap. 11. 12. 13. — τελειοῦται, *perficitur*) omnia sua peragit, perficit. Non ergo debemus sub praetextu falsae αὐταρκείας et sufficientiae abjicere virtutem Christi. — μᾶλλον καυχήσομαι) *potius gloriabor* in infirmitatibus meis, quam in revelationibus: nam si in his glorier, impediero virtutem Christi. Illis pronomen addit, non his. — ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ) *ut* tanquam tentorium *superoblegat me*. σκῆνος, *tabernaculum*, corpus: τὸ ἐπισκηνοῦν, *superoblegens*, extrarium quiddam. non dicit hic, *ut inhabitet me*; nam sic imminueret sensum infirmitatum suarum. — ἡ δύναμις τοῦ χριστοῦ, *virtus Christi*) id est, Christus cum sua *virtute*. Quae huc inserviunt, *libentissime* debemus accipere.

v. 10. εὐδοκῶ, *bono sum animo*) Non dicit hic, *gaudeo*, quod plus notaret. — ἐν ἀσθενείαις, *in infirmitatibus*) Genus. hinc mox, *infirmor*. sequuntur bis duae species. — ἐν ὕβρεσιν, ἐν ἀνάγκαις, *in contumeliis, in necessitatibus*)

---

1) *Haec tamen* Gnomonis *crisis tum ab* utriusque Ed. *marg. tum* a Vers. germ. *haut obscure abludit. Ergo* non *omni* jure *eo nomine* carpitur *b.* Bengelius, *quod* μου *post* δύναμις *omissum voluerit* (*ut habet* D. Ernesti *Bibl. th. T. IV. p.* 705.): *immo vero hoc ipso loco occasionem Vir celeberrimus habuisset*, pertinaciae criticae *culpa liberandi Beatum. Facile etiam ex* Bibl. th. l. c. *suspicari quis possit*, Bengelium *partic.* μᾶλλον *post* ἥδιστα *eliminatum voluisse: at contrarium reperient, qui suis utuntur oculis.* E. B.

ed by Google

quas etiam angelus Satan infert. — ἐν διωγμοῖς, ἐν στενοχωρίαις, *in persecutionibus, in angustiis*) humanitus allatis. — ὑπὲρ, *pro*) Constr. cum εὐδοκῶ, *bono sum animo*. — τότε) *tum* demum. — δυνατὸς, *potens*) *virtute* Christi.

v. 11. γέγονα, *factus sum*) Receptui canit. — ὤφειλον, *debebam*) Commutatio personae: i. e. *vos debebatis me commendare*. — ὑφ᾽ ὑμῶν) *a vobis*, inter vos. — οὐδέν εἰμι, *nihil sum*) ex me.

v. 12. μὲν, *quidem*) Haec particula sive mica modestiam alit. — σημεῖα, *signa*) Rerum testimonia adsunt. — τοῦ ἀποστόλου, *apostoli*) Articulus vim habet: *ejus qui sit apostolus*. — σημείοις) Sic *Al. Lat.* (in cod. Reutl.) *Hilarius*. Lectio media. unde, ἐν σημείοις, plerique: καὶ σημείοις, *Chrys. Boern. Lat.* in mss. σημείοις τε *Lin.* nec non *Syr*. De σημείοις et τέρασι vide ad Matth. 24, 24. Δυνάμεις sunt evidentissima *omnipotentiae* divinae opera.

v. 13. τί, *quid*) Hoc pertinet et ad antecedentia et ad consequentia. — λοιπὰς, *reliquas*) vel per me vel per alios apostolos plantatas. — εἰ μὴ — ταύτην, *nisi — hanc*) Insignis asteismus. — αὐτὸς) *ipse*. Sequitur antitheton: *nec per alios*, v. 16. s. — ἀδικίαν, *injuriam*) *Jure* poterat apostolus opsonia a Corinthiis accipere: quo quum *haud* usus est *jure*, *injuriam* sibi imputat: eamque sic appellat, non per ironiam, a qua sermo apostolicus abhorret; sed per amphiboliam. nam ἀδικίαν appellat hoc loco inusitata praecipue notione, quae Latino *non-jus* possit exprimi, et α privativum habet, uti ἄνομος, ἀνόμως, Rom. 2, 12. 1 Cor. 9, 21. ἀνυπόταχτον, Hebr. 2, 8. et tamen notionem *injustitiae* simul admittit, minoris erga Corinthios amoris suspicionem *deprecans: condonate*. coll. c. 11, 11.

v. 14. τὰ ὑμῶν, *vestra*) Phil. 4, 17. — ὑμᾶς, *vos*) ut vos lucrifaciam. Matth. 18, 15. Thesauros spirituales congerit pro Corinthiorum *animis*. v. 15.

v. 15. ἐγὼ δὲ, *ego vero*) *Vero* facit epitasin. — δαπανήσω) *pendam* mea. — ἐκδαπανηθήσομαι) *expendar* ipse. — ἧττον, *minus*) Amor descendit potius, quam ascendit. [*Indignum est, intensissimum amorem amoris exilitate rependere*. V. g.]

v. 16. ἀλλ᾽ ὑπάρχων, *sed cum essem*) Objectio, quam formare Corinthii [*suspicione permoti*, V. g.] possent. Respondet versu seq. — ἔλαβον, *cepi*) ne rete quaestui positum plane effugeretis.

v. 17. μή τινα ὧν — δι᾽ αὐτοῦ) Pro, μὴ διά τινος τούτων, οὓς ἀπέσταλκα κτλ. [*Egregie Paulum sociorum bona fides juvit*. V. g.]

v. 18. παρεκάλεσα, *hortatus sum*) ut ad vos iret. — τὸν ἀδελφὸν, *fratrem*) Hic videtur fuisse Corinthius. — πνεύματι, *spiritu*) intrinsecus. — ἴχνεσι, *vestigiis*) extrinsecus.

v. 19. πάλιν δοκεῖτε) Nonnulli, πάλαι δοκεῖτε· quae quidem lectio pertinacius aversum a Paulo Corinthiorum animum, coll. c. 3, 1., notaret. Nam πάλαι, cum verbo praesentis temporis, perseverantiam notat. *Plato* in Gorgia, ἀλλ᾽ ἔγωγε καὶ πάλαι λέγω. Probatior lectio, πάλιν δοκεῖτε· coll. iterum c. 3, 1. — ὑμῖν, *vobis*) quasi nostra causa opus esset hoc modo favorem vestrum retinere. — ὑπὲρ τῆς ὑμῶν οἰκοδομῆς, *pro vestra aedificatione*) ut potius videatis, quam experiamini cum dolore, quam sim apostolus.

v. 20. οὐχ οἵους, *non quales*) Id tractatur usque ad finem capitis. Tum, *qualem non vultis*, c. 13, 1. seq. Qualis auditor, talis ei pastor. — ἔρεις, ζῆλοι, θυμοὶ, ἐριθεῖαι) Gal. 5, 20.

v. 21. μὴ πάλιν, *ne iterum*) Anaphora, *ne forte, ne forte, ne*. Et hoc quidem versu gravius loquitur. — ταπεινώσῃ, *humiliet*) Metonymia consequentis. — ὁ θεός μου, *Deus meus*) Reddit causam, cur commissa in Deum, ad se pertinere existimet. — τῶν προημαρτηκότων) *eorum, qui peccarant ante* proximum meum adventum. — ἀκαθαρσίᾳ, *impuritate*) v. gr. conjugum. 1 Thess.

Digitized by Google

4, 7. — πορνείᾳ, *fornicatione*) inter coelibes. — ἀσελγείᾳ, *lascivia*) contra naturam.

CAPUT XIII.

v. 1. Τρίτον) Numerus decretorius, *tertium*. Sic LXX, τρίτον τοῦτο. Num. 22, 28. — ἔρχομαι, *venio*) jam sum in procinctu. — μαρτύρων, *testium*) Ergo in ea re non revelatione immediata, sed testimonio humano niti cogitabat apostolus: neque jubet, reos ante suum adventum ex ecclesia ejici.

v. 2. προείρηκα καὶ προλέγω, *ante dixi, et ante dico*) Ad illud refer *quasi praesens secundum*; ad hoc *absens nunc*. Serio denunciat. Est in textu, qui τὸ γράφω tanquam lectionem sequiorem excludit, continuus chiasmus per tria membra, hoc ordine:

ante dixi	*et*	*ante dico*
quasi praesens secundum (quum nimirum in viciniam Corinthum versus venisset, jamque statuisset ipse quoque eo venire, quanquam deinde pepercit)	*et*	*absens nunc*
iis qui ante peccaverunt, scilicet ante secundum hunc adventum.	*et*	*reliquis omnibus*, qui postea peccaverunt, post adventum secundum, et tamen ante adventum tertium.

— οὐ φείσομαι, *non parcam*) Pepercerat antea. c. 1, 23.

v. 3. δοκιμὴν ζητεῖτε, *documentum quaeritis*) Metonymia: irritatis me; tentatis me; sentire cupitis, quis sim. v. 5. δοκιμὴ conjugata sua habet versu 5. s. — τοῦ — χριστοῦ] i. e. *an Christus* in me loquatur. Dubitarunt Corinthii: dubitare eos non debere, mox probat. — εἰς ὑμᾶς, ἐν ὑμῖν, *in vos: in vobis*) Differunt particulae. c. 10, 1. — οὐκ ἀσθενεῖ, *non infirmatur*) per me, et hanc ipsam epistolam. — δυνατεῖ] Ardor spiritus verbum hoc novum, per parodian ad ἀσθενεῖ, produxit.

v. 4. εἰ, *si*) Particula concessiva. — ἐσταυρώθη, *crucifixus est*) *Crux*, summa infirmitas; mortem includit. nam *vita* opponitur. — ἐξ ἀσθενείας, *ex infirmitate*) Infirmitatis est, crucifigi. Haec vis particulae. — ἀσθενοῦμεν ἐν αὐτῷ, *infirmamur in illo*) Variatur mox particula, σὺν, *cum* illo. *infirmamur*, non exercemus δύναμιν, *potentiam*, adeoque hanc ipsi minus sentimus, tribulationum sensu praevalente.

v. 5. ἑαυτοὺς) *vos ipsos*, non Paulum. Si examinaveritis vos ipsos, sentietis, quales nos simus. Ubi veri sunt doctores et veri auditores, ab altera parte de altera, qualis sit, existimare licet. — ἐν τῇ πίστει, *in fide*) adeoque in Christo. — δοκιμάζετε, *probate*) Graviori verbo, *tentate*, subjicitur lenior admonitio: *si estis in fide, vos ipsos probate*. εἰ, *si*, ut mox in εἰ μήτι. — ἢ, *an*) i. e. potestis utique vos *probare:* nam Jesus Christus est in vobis, eumque in vobis esse nostis. [*Quilibet nimirum* tentare *seipsum potest, sive in fide sit sive minus:* probare *se summque valorem explorare nemo valet, nisi fidelis.* V. g.] — ἐπιγινώσκετε, *agnoscitis*) Compositum emphaticum. — ὅτι, *quod*) Ratio sub qua. — ἰησοῦς, *Jesus*) non solum sensus Christi, sed ipse Jesus Christus. [*ut patet ex adjecto proprio nomine*, Jesus. *Conf.* 2 Tim. 4, 22. V. g.] — εἰ μήτι, *nisi quid*) Sic, *nisi*. c. 3, 1. τί *quid*, mitigat sermonem. — ἀδόκιμοι, *reprobi*) passive et active. nam respicitur conjugatum δοκιμάζετε, reciproco sensu.

Digitized by Google

v. 6. γνώσεσθε, *noscetis*) per *probationem* vestri, sine experimento potestatis meae. v. 10.

v. 7. εὔχομαι) Idem verbum cum accusativo et infinitivo. Act. 26, 29. — μὴ ποιῆσαι ὑμᾶς κακὸν μηδὲν) *ut nihil mali facialis:* sic recte Interpres vulgatus. Sequitur enim, *ut vos bonum facialis.* Grotius interpretatur: *ne cogar cuiquam malum*, poenam, *infligere.* Sed sic amittitur antitheton modo notatum. Habet ποιεῖν accusativum personae: sed Paulus, ποιεῖν πρός τινα, εἴς τινα. — οὐχ ἵνα) *non ut.* — δόκιμοι, *probati*) coërcendo vos male facientes. — ὡς ἀδόκιμοι, *quasi reprobi*) nulla nobis causa data, potestatis exercendae. ὡς *quasi* mitigat.

v. 8. δυνάμεθα, *possumus*) Conf. *potestatem*, v. 10. — ἀληθείας, *veritatem*) Veritas hic notat jus accuratum, in Corinthios exercendum.

v. 9. ἀσθενῶμεν, *infirmemur*) corpore, et quiescente potestate nostra. — δυνατοί, *potentes*) fide. — καὶ εὐχόμεθα, *etiam optamus*) Infirmitas, laeta est, non optata. κατάρτισις *etiam* optata. — κατάρτισιν) *coagmentationem:* v. 11. 1 Cor. 1, 10. ne opus sit quenquam de corpore *rescindere*, ἀποτόμως *serere.*

v. 10. μοι, *mihi*) De potestate apostolica propria agens Paulus a plurali ad singularem redit.

v. 11. λοιπὸν, *ceterum*) Conclusio. Severius scripserat Paulus in tractatione: nunc benignius, re tamen ipsa non dimissa. coll. cap. 12, 20. — χαίρετε) *gaudete.* Redit a prima, c. 1, 24. Opportune autem hîc ponitur verbum χαίρετε, quo etiam *vale* solet dici. — παρακαλεῖσθε, *confirmamini*) c. 1, 6.

v. 13. ἡ) Respondet hoc votum utrique epistolae. Habet quidem etiam prior epistola suam clausulam et votum: sed tamen quia prior epistola in multis capitibus per secundam reassumitur renovaturque, hoc votum etiam in illam quadrat, et in voti universalitate ipsa videtur apostolus etiam ad priorem epistolam respexisse. — χάρις, *gratia*) Haec primo loco nominatur. nam per gratiam Christi venitur ad Patris amorem. [*Egregium de S. S. Trinitate testimonium!* V. g.] — ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ, *amor Dei*) v. 11. — ἡ κοινωνία, *communio*) quae etiam vobis gentibus obtigit, et concordiam parit.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

CAPUT I.

v. 1. Παῦλος ἀπόστολος, οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ ἰησοῦ χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρὸς τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, *Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis*) Notabile antitheton, quo Paulus, apostolatum suum asserens, memorat et vocationem divinam: οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, ἀλλὰ (subaudi διὰ) θεοῦ πατρὸς, *non ab hominibus, sed* (per) *Deum Patrem:* coll. v. 15. seq. et institutionem immediatam: οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ ἰησοῦ χριστοῦ, *neque per hominem, sed per Jesum Christum.* coll. v. 12. Institutio plerumque facta per unum, v. gr. per Gamalielem; vocatio per plures: hinc differentia numeri, *hominibus, hominem.* Contendit, Clericum secutus, Artemonius, pag. 211. s. post καὶ inserendum esse ἀπὸ, *a*: sed recte ex proximo subauditur διὰ *per*, et vis particulae διὰ *per* includit h. l. vim particulae ἀπὸ, *a*, non contra. Saepe Paulus in conjuncta Patris et Filii mentione unam praepositionem habet. 1 Tim. 6, 13. — διὰ, *per*) Modo διὰ per apostrophum posuerat; nunc sine apostropho,

Digitized by Google

emphaseos causa. — ἐγείραντος, *qui suscitavit*) Semina sparguntur tractationis. Resuscitatio Christi, est fons justitiae et apostolatus. Rom. 1, 4. 5. 4, 25. 2 Cor. 5, 19.

v. 2. πάντες, *omnes*) Hic versiculus huic epistolae addit *symboli* formam. — ἐκκλησίαις, *ecclesiis*) Plurali utitur, ob multitudinem ecclesiarum et oppidorum in Galatia. Neque addit epitheta, uti ad Rom. Cor. etc. — γαλατίας, *Galatiae*) 1 Petr. 1, 1.

v. 4. τοῦ δόντος, *qui dedit*) Gratiae et pacis apprecationi nusquam alibi Paulus talem periphrasin addit. *qui tradidit*, c. 2, 20. — ἁμαρτιῶν, *peccatis*) quae nos malo huic seculo manciparant. — ἐξέληται, *eriperet*) Totum beneficium redemtionis Paulus describit ab ea parte, in qua potissimum laborabant Galatae, malo Judaico abrepti. — ἐνεστῶτος, *praesente*) *Praesens* hoc durat, quam diu malitia viget. — αἰῶνος πονηροῦ, *seculo malo*) Rarum loquendi genus, quo notatur tota oeconomia peccati, sub potestate Satanae. Huic *seculo*, [*et praeo et infelici*, V. g.] de quo conf. Rom. 5, 6., quo Galatae paene ablati erant, opponuntur *secula seculorum*. v. seq. Praesens *seculum* obstat gloriae Dei, et est sub potestate τοῦ πονηροῦ, *Mali*. Nusquam parcius, quam in hac epistola, Paulus de Satana loquitur. — κατὰ, *secundum*) Constr. cum *qui dedit*. Joh. 10, 18. fin. — τὸ θέλημα, *voluntatem*) sine merito nostro. conf. Joh. 6, 38. s. — καὶ, *et*) Vid. Rom. 15, 6. not.

v. 5. ἡ δόξα, *gloria*) pro hac *voluntate* salutifica. Exordium laetum.

v. 6. θαυμάζω, *miror*) Ad reliquas omnes ecclesias scribens Paulus exorditur ab expressa gratiarum actione et laude Dei: quae, re hic aliud poscente, tamen repraesentata est versu 5. Etiam appellationem *fratrum* differt. Summam epistolae hanc damus: Partes sunt III.

I. Inscriptio. c. I. 1—5.
II. Revocatio Galatarum ad verum evangelium: ubi
1. eos reprehendit. 6—10.
2. evangelii ab sese praedicati auctoritatem divinam asserit: quippe qui
1) ex persecutore factus sit apostolus per vocationem coelestem. 11—17.
2) ipsi Petro se nunquam imparem gesserit. 18. s. 21. s. II. 1. s. 11. s.
3. justificationem per fidem vindicat, Galatas denuo objurgans. III. 1. s. 15. — IV. 11.
4. Galatis, tenerrimo affectu, eandem rem per allegoriam filii ancillae et filii liberae explanat. IV. 12.
5. inde ad libertatem tuendam eos hortatur: V. 1—12.
et a libertatis abusu deterret, atque ut non in carne, sed in spiritu ambulent, monet. 13. s. 16. — VI. 5. 6—10.
III. Conclusio. 11. s. 17. 18.

Vid. etiam not. ad cap. 2, 16.

— οὕτω ταχέως, *tam cito*) Non multo ante Paulus apud Galatas fuerat. Vide *Ord. temp.* pag. 281. [*Ed. II.* p. 242. no. 6.] — μετατίθεσθε, *transferimini*) Grave verbum, admixta excusatione. Hieronymus: *Galatia* translationem *in nostra lingua sonat*. — ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς, *ab eo qui vocavit vos*) Vocatio, gratiae canalis, regula in posterum. c. 5, 8. 13. Habetur versu 6—10. *Propositio* et *Partitio* quaedam: et de *vocatione in gratia* agitur deinceps a versu 11. de *turbatoribus*, c. 5, 7. seqq. — ἐν χάριτι, *in gratia*) Act. 15, 11. — χριστοῦ, *Christo*) Hoc construitur cum ἀπὸ, *ab*. [1])

v. 7. ὅ, *quod*) Ref. ad *evangelium*, non ad *alterum evangelium*. — οὐκ ἔστιν ἄλλο, *non est aliud*) Diff. ab ἕτερον, *alterum*. Paulus non modo illud, quod

1) *Haec ipsa vox* χριστοῦ, *utut per marginem* utriusque Ed. *non prorsus firma censeatur, exprimitur tamen in* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

Galatae sibi obtrudi passi erant, sed quodvis aliud repudiat. — τινὲς, *quidam*) infelices. v. 8. c. 5, 10. 12. — ταράσσοντες, *turbantes*) c. 5, 10. — θέλοντες, *volentes*) Re ipsa non poterant: *volebant* tamen obnixe. Saepe Paulus hoc verbo tangit Galatas eorumque corruptores. c. 4, 9. 17. 21. 6, 12. s. Sic Col. 2, 18. — μεταστρέψαι) Hoc verbo saepe הפך exprimitur. — τὸ εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ, *evangelium Christi*) Turbatores non plane negabant Jesum Christum: sed Paulus evangelium nonnisi purum agnoscit.

v. 8. ἡμεῖς) *nos*, multi. v. 2. — ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ, *aut angelus ex coelo*) cujus auctoritas, extra Deum et Christum, summa est. c. 4, 14. — ὃ εὐηγγελισάμεθα, *quod evangelizavimus*) Infallibilitas apostolica. — ἀνάθεμα, *anathema*) expers Christi et Dei. Antitheton, c. 6, 16. — ἔστω, *esto*) Controversiae non modo possunt, sed ne debent quidem sine affectu tractari: sed affectus debet esse sanctus.

v. 9. ὡς, *sicut*) Deliberate loquitur. Videtur inter utriusque versiculi scriptionem pausa fuisse interjecta. Similis asseveratio iterata, c. 5, 2. 3. 21. — προειρήκαμεν, *ante diximus*) Plurale. nam v. 8. scripsit, *nos et evangelizavimus*, item pluraliter. — λέγω, *dico*) in singulari. Omnes sciebant veritatem evangelii; Paulus, Galatas vere imbutos evangelio. ideo nunc dicit, *recepistis*, in quo verbo epitasis est hujus iterationis. — εἰ) Hoc magis positivum, quam ἐάν, v. 8. — ὑμᾶς εὐαγγελίζεται, *vos evangelio instruit*) Hic *vos* ante verbum *evangelizare* ponitur, versu 8. postpositum; emphaseos causa. neque nullum in casu discrimen est: *evangelium praedicavimus vobis*, habet dativum commodi; *evangelio aliquem instruere*, convenit insultationi falsorum doctorum.

v. 10. ἄρτι γὰρ, *nunc enim*) Causa, cur etiam *nunc* tam asseveranter scribat. *nunc* repetitur ex v. 9. — ἀνθρώπους, *homines*) Hoc sine articulo: at mox, τὸν θεὸν *Deum*, cum articulo. Dei solius habenda est ratio. — πείθω) πείθω τινὰ fere idem, ac mox ἀρέσκω, *placere quaero alicui*. πείθειν τινὰ, consensum alicujus aut veniam impetrare. Plato de Leg. lib. 10. init. conf. 2 Cor. 5, 11. not. — ἀνθρώποις, *hominibus*) Antitheton: *Christi*. — ἔτι, *adhuc*) Sensus: neque antea quaesivi, neque *adhuc* placere hominibus quaero. Conf. *adhuc*, c. 5, 11. Particulae temporis praesentis, ἄρτι *nunc* et ἔτι *adhuc*, refutant sermones ejus, qui Galatas turbabat: contradistinguunt hoc loco tempus praesens superiori tempori, non pharisaico, sed item apostolico. De pharisaico neque negat Paulus h. l. neque ait. Paulus non multo ante circumciderat v. gr. Timotheum. Id in vim consequentiae apud Galatas ei vertere volebant. — ἀνθρώποις, *hominibus*) Nam hominum sensus a Deo et Christo abhorret. hinc *seculi malignitas*. v. 4. — ἤρεσκον, *placerem*) ἀρέσκω, quaero placere. Rom. 8, 8. not. Cui autem quisque placere quaerit, vel non quaerit, ei fere aut placet aut non placet. — χριστοῦ, *Christi*) cui placere quaero, ut *servum* decet. Tit. 2, 9.

v. 11. ἀδελφοὶ, *fratres*) Nunc demum *fratres* appellat. — κατὰ, *secundum*) κατὰ complectitur vim praepositionum ἀπὸ, διὰ et παρὰ, v. 1. 12. Non est humani census evangelium meum.

v. 12. παρέλαβον, *accepi*) Diff. a *doctus sum*. nam alterum fit sine labore, alterum cum labore discendi. — δι' ἀποκαλύψεως, *per revelationem*) scil. *accepi*.

v. 13. ἠκούσατε, *audivistis*) antequam ad vos veni. — ποτὲ, *aliquando*) quo tempore Paulus minime cupidus fuerat evangelii colendi. — ἐπόρθουν, *vastabam*) Hoc plane contrarium *aedificationi* notat.

v. 14. προέκοπτον, *proficiebam*) in factis ipsis. — συνηλικιώτας, *coaetaneos*) vegetos tum. — πατρικῶν μου, *patriarum mearum*) carissimarum, ut si me solo patrono niterentur. Mimesis.

v. 15. εὐδόκησεν, *beneplacitum habuit*) *Beneplacitum* divinum est summum, ubi quisque de suae salutis causis quaerit. Nil meritis tribuit Paulus: mox

igitized by Google

addit, *ex utero*. conf. Rom. 9, 11. — ὁ ἀφορίσας με, *qui separavit me*) ut hoc *beneplacitum* mihi praestaret. — ἐκ κοιλίας μητρός μου, *ex utero matris meae*) Jer. 1, 5.

v. 16. ἀποκαλύψαι, *revelare*) Constr. cum *beneplacitum habuit*. Insigne verbum. — τὸν υἱὸν αὐτοῦ, *filium suum*) c. 2, 20. — ἐν ἐμοί) *in me*, non modo, *per me*. id enim demum consequens. Revelatus erat antea filius Dei, nunc revelabatur etiam *in Paulo*, quod ad Paulum attinet, i. e. Paulo. Sic *in* mox hoc versu et v. 24. — ἐν τοῖς ἔθνεσιν, *in gentibus*) quarum vocatio in multis meae respondet. Eo minus opus erat, Hierosolyma petere. — εὐθέως, *statim*) Cohaeret maxime cum ἀπῆλθον *abii*. Notatur subita habilitas apostoli. Act. 9, 20.: *statim praedicabat. [Attamen, animi modestia permotus, collegis senioribus, siquando praesentes eos habuit, lubens palmam concessit.* V. g.] Hieronymus construit: *ut evangelizem continuo.* — οὐ προσανεθέμην) *non retuli* ad carnem et sanguinem, consulendi causa. Idem verbum, et ἀνεθέμην, c. 2, 6. 2. Lexica (quae vide) nullam verbi compositi et decompositi differentiam tradunt: sed apostolus videtur considerate distinxisse, ut πρὸς valeat *praeter, ultra*. i. e. satis mihi fuit divina revelatio. — σαρκὶ καὶ αἵματι, *carni et sanguini*) i. e. homini, vel, hominibus. c. 2, 6. conf. Matth. 16, 17. not.

v. 17. οὐδὲ ἀνῆλθον) *neque ascendi*. sic, ἀνῆλθε, Joh. 6, 3. — Ἱεροσόλυμα, *Hierosolyma*) sedem apostolorum. — ἀραβίαν, *Arabiam*) regionem *gentium*. — πάλιν ὑπέστρεψα, *iterum rerersus sum*) Paulus hic Damascenum iter, in quo conversus erat, ut notum praesupponit. — Δαμασκόν, *Damascum*) Syriae. Non datur alia *Damascus*, nisi Syriae. Sed *Syriae* mentionem addidi, quia antea de *Arabia* etc. sermo erat.

v. 18. τρία, *tres*) editis documentis muneris apostolici. — ἱστορῆσαι) Grave verbum, ut de re magna. Non dixit ἰδεῖν, sed ἱστορῆσαι. ὅπερ (inquit Chrys.) οἱ τὰς μεγάλας πόλεις καὶ λαμπρὰς καταμανθάνοντες λέγουσι. Solonem Plutarchus aliosque reponit multos, qui πολυπειρίας ἕνεκα καὶ ἱστορίας peregrinati sunt. Julianus, magos consulturus in urbibus Graeciae, eundi causam obtendit κατ' ἱστορίαν τῆς ἑλλάδος καὶ τῶν ἐκεῖσε παιδευτηρίων. Greg. Naz. Or. 4. *Cresoll.* theatr. rhet. p. 163. — πέτρον, *Petrum*) Hunc ergo Paulus ceteris antetulit. c. 2, 7. — δεκαπέντε, *quindecim*) Tantillo tempore, inquit Paulus, Petrus me non potuisset apostolum facere. [*Juvat curatius, quae tecum aguntur, notare; ut, quum res tuleril, post longa etiam intervalla confidenter ad ea provocare queas.* V. g.]

v. 19. τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου, *fratrem Domini*) Jesu consobrinum. Non alius Jacobus frater Domini, atque apostolus.

v. 20. ἰδοὺ, *ecce*) scil. ἐστὶ, *est*. nam ὅτι, *quod*.

v. 21. ἦλθον, *veni*) cum evangelio. v. 23.

v. 22. τῆς ἰουδαίας, *Judaeae*) extra Jerusalem.

v. 23. ὁ διώκων, *persequens*) Hoc nomine notissimus fuerat: neque tam celebre ipsum nomen Sauli, quam persecutoris.

v. 24. ἐδόξαζον, *glorificabant*) Atque hodie ecclesia Deum glorificat *in Paulo*. [*Idem observare memento, quoties bona fama perlata ad te fuerit.* V. g.] — ἐν ἐμοὶ, *in me*) conf. not. ad v. 16. Glorificarant Deum antea; nunc glorificabant etiam Pauli *causa*.

CAPUT II.

v. 1. Διὰ, *per*) interjectis XIV annis, inter duo itinera Hierosolymitana.

v. 2. κατὰ ἀποκάλυψιν, *secundum revelationem*) Paulo revelationes habenti, non opus erat, discere ex hominibus. Haec revelatio ei magna de causa obtigerat. — ἀνεθέμην) *proposui*, ut solent aequales; non ut confirmarent me,

Digitized by Google

sed ut alios. Act. 15, 2. — αὐτοῖς, *illis*) Hierosolymitanis. Id tractatur v. 3. s. — κατ' ἰδίαν) *seorsum.* non omnes capiebant. — τοῖς δοκοῦσι, *iis, qui magni fiebant*) Antitheton ad Paulum, qui minus agnoscebatur. [*Apostoli praecipue indigitantur*, v. 9. V. g.] conf. 2 Cor. 11, 5. Hesychius, δοκοῦντες, οἱ ἔνδοξοι. Id tractatur v. 6. s. — μήπως, *ne*) Hoc pendet a *proposui*. In vanum currerem, inquit, aut cucurissem, si circumcisio judicata fuisset necessaria. — τρέχω, *curram*) cum celeri victoria evangelii.

v. 3. οὐδὲ) *Ne* Titi *quidem*, qui mecum erat, circumcidendi necessitatem nobis imponi passi sumus.

v. 4. διὰ δὲ) Id *vero*, de Tito, factum est *propter* etc. δὲ, *vero*, particula, declarat et intendit. — παρεισάκτους) Hic et in παρεισῆλθον παρὰ notat *praeter, sub.* — ψευδαδέλφους, *falsos fratres*) Majorem eorum, qui professi Judaei erant, rationem habuerat in Timotheo. Act. 16, 3. — οἵτινες, *qui*) Conf. Act. 15, 1. 24. — κατασκοπῆσαι) *explorare*, et pessundare.

v. 5. τῇ ὑποταγῇ, *subjectione*) Limitat. *Amore*, libenter cessissemus. — ἡ ἀλήθεια) *veritas evangelii*, evangelium genuinum; non alterum, c. 1, 6. quod substituere conabantur *fratres non genuini.* Eadem locutio, v. 14. Col. 1, 5. Veritas, praecisa, rigida: nil suum deserit, nil alienum admittit. — ὑμᾶς, *vos*) Graecos. Vestra causa defendimus, quae vos repudiatis.

v. 6. ἀπὸ) Subaudi οἱ, οἱ ἀπὸ κτλ. et construe, οὐδέν μοι διαφέρει, ὁποῖοί ποτε ἦσαν ἀπὸ κτλ. *nil mea interest, quales tandem fuerint illi ex insignioribus.* Pariter praepositio posita, omisso articulo, Marc. 5, 35. Luc. 11, 49. Non tantum tres, Jacobus, Petrus et Johannes, erant δοκοῦντες· ideo dicit ἀπὸ τῶν. οἱ δοκοῦντες, οἱ ὑπὲρ λίαν ἀπόστολοι. 2 Cor. 11, 5. — εἶναί τι) *esse aliquid*, apud eos, qui Paulum non ita aestimabant. — ὁποῖοί ποτε) *qualescunque.* ποτὲ enclitica h. l. est, non adverbium temporis. — θεὸς, *Deus*) Dei judicium sequebatur Paulus. Auctoritatem divinam asserit; non deprimit apostolicam. — γὰρ, *enim*) Aetiologia non rei, sed sermonis. Praefationem aliquam modo posuit Paulus; nunc innuit, cur ea praefatione usus sit, et rem ipsam proponit. Simile *enim*, c. 6, 7. Praefatur, se non pendere ex consensu aliorum: deinde tamen consensum illum ostendit. — οὐδὲν προσανέθεντο) *nil* ad me *retulerunt.* i. e. nil in mea doctrina reprehenderunt. Saepe qui vult reprehendere aut monere, id modeste facit per speciem communicationis. Nulla tali ratione usi sunt *antecessores*, (sic Tertullianus appellat τοὺς δοκοῦντας,) erga Paulum. Ego illis ἀνεθέμην, v. 2. illi nil προσανέθεντο, nil habuere, quod adderent.

v. 7. ἰδόντες) *videntes*, ab ipso effectu, quem eis demonstravi. v. 8. Act. 15, 12. — τῆς ἀκροβυστίας, *praeputii*) i. e. gentium, citra circumcisionem ad fidem perducendarum.

v. 8. εἰς τὰ ἔθνη, *in gentes*) i. e. in apostolatum gentium.

v. 9. γνόντες, *cognoscentes*) me audito et viso. — δοθεῖσαν, *datam*) conf. de Paulo, 2 Petr. 3, 15. — ἰάκωβος,[1]) *Jacobus*) Hic primo loco ponitur, quia maxime manebat Hierosolymis, vel etiam quia maxime agebat in hac re, Paulusque videri potuisset magis ab Jacobo, quam a Petro, magis a Petro, quam ab Johanne abhorrere. Etenim ex multis rebus intelligi potest, Jacobum et Paulum, nec non Petrum et Paulum etc. in sua natura et in ipsius animae affectu habuisse, qui alter erga alterum, cum sui abnegatione, amorem et tolerantiam exerceret, salva veritate omnibus agnita. Hinc fit, ut non facile et Jacobum et Paulum aeque capiat

1) *Lectio marginalis πέτρος καὶ ἰάκωβος, hoc versu, in* utraque Ed. gr. *aequiparatur lectioni* ἰάκωβος καὶ κηφᾶς, *tum in* Vers. germ. *tum in* Gnom. *expressae*: v. 11. *nomen* κηφᾶς, *quod* Ed. maj. *itidem in aequilibrio posuerat*, *in* Ed. 2. *et* Vers. germ. *aperte praefertur alteri; denique* v. 14. *lectio* κηφᾷ, *per marginem* Ed. maj. *genuinis adnumerata, in margine* Ed. 2. *ad minus firmas dejicitur, et in* Vers. germ. *permutatur cum lectione* πέτρῳ. E. B.

Digitized by Google

unus idemque homo aut coetus. Luthero hoc excidit, ut Jacobi epistolam diceret stramineam: quod qui exagitant, viderint, quid monstri ipsi adversus Paulum alant. Unum caput, unus Sol Christus est: maximi apostoli, membra erant; neque hi singuli, omnes Solis illius radios aeque exceperunt, sed universi Christum in apostolatu retulere. Conf. de varietate illorum Ap. 21, 14. 19. s. Divinitusque ita gubernata res est, ut Jacobus, legis retinentior, Judaeis; Paulus, nunquam ceterorum odore imbutus, ac fidei libertatisque studiosior, gentibus praedicaret: et ut quisque ad clima sibi assignatum characterem et dotes afferret quam aptissimas. — κηφᾶς, *Cephas*) Hoc nescio quomodo augustius sonat, quam *Petrus*. Si Petrus illum primatum, qui ei postea tributus est ab hominibus, jam tum habuisset; maxima Paulo fuisset causa, primatum illum hic commemorandi, aut Petrum certe eximio loco nominandi. — στύλοι) Hoc Hebraeo עמוד respondet, Prov. 9, 1. et passim. — δεξιὰς ἔδωκαν) Sic, δῶμεν δεξιὰν, *pacem faciamus*. 1 Macc. 6, 58. etc. — κοινωνίας) *communionis*, quae collegarum est. — ἵνα, *ut*) scil. iremus, cum evangelio. — εἰς τὰ ἔθνη, *in gentes*) praecipue. Nam Paulus etiam Judaeos, Petrus et Johannes etiam gentes docuere: sed ille extra Judaeam cucurrit; hi in Judaea, dum ea fuit, substiterant. Petrus si Romam venit, certe fixam ibi sedem non habuit.

v. 10. τῶν πτωχῶν, *pauperum*) ex Judaeis. — μνημονεύωμεν, *memineri-mus*) Antecedens pro consequente. nam *studuit* Paulus non modo *meminisse*, sed *sublevare*. — ἐσπούδασα, *studui*) etiam apud Galatas. 1 Cor. 16, 1. Paulus non abjecit *studium* bonorum operum.

v. 11. ὅτε, *quum*) Ad summa venit argumentum. Paulus ipsum Petrum reprehendit: ergo non debet homini doctrinam suam. — ἀντιόχειαν, *Antiochiam*) arcem tum ecclesiae ex gentibus. — κατὰ πρόσωπον) *coram*. (conf. v. 14., *coram omnibus*) Sic LXX, 1 Reg. 1, 23. bis: 1 Chron. 28, 8. Ps. 50, 21. Dan. 11, 16. etc. Infra, κατὰ, c. 3, 1. — ἀντέστην, *restiti*) Rigidum verbum. — κατεγνωσμένος) καταγελασμένος, *condemnatus*, propter actiones contrarias, quarum altera alteram condemnabat. v. s. coll. v. 18. Participium habet vim reciprocam. Suo enim ipse judicio, sua se praxi condemnaverat Petrus.

v. 12. συνήσθιεν) *una edebat*, nobiscum, cum gentibus. — ὑπέστελλε, *subducebat*) paulatim. — ἀφώριζεν, *separabat*) plane. — φοβούμενος, *timens*) Timor hominum, multum obest.

v. 13. οἱ λοιποὶ) *ceteri*, credentes. — καὶ) *etiam* Barnabas, quem minime censeres id facturum. — συναπήχθη, *una abductus est*) Vis exempli frequentis.

v. 14. εἶδον, *vidi*) Beata animadversio. — ὀρθοποδοῦσι) *recto* et aperto *gradu incedunt*, ad canonem, c. 6, 16.; in via recta, vel potius corpore erecto, ut opponatur claudicationi, et praevaricationi proprie dictae. Innuitur rectitudo pedum. Graeci dicunt etiam ὀρθοβατεῖν, ὀρθοδρομεῖν. — τοῦ εὐαγγελίου, *evangelii*) Namque evangelium docet, cum redemtione per mortem Christi non constare justitiam ex legis operibus et observationem necessariam legis ceremonialis. — εἶπον, *dixi*) Unus Paulus rem sustinuit, sine sociis, hoc loco, contra judaismum: deinde etiam contra ethnicismum. 2 Tim. 4, 16. s. — τῷ) Auctores rei peti debent. — ἔμπροσθεν πάντων, *coram omnibus*) 1 Tim. 5, 20. — εἰ σὺ, *si tu*) In hoc elencho Paulus Petro in memoriam redigit elenchum Petri ad Pharisaeos, Act. 15, 10. s. Incipit hic propositio bimembris, cujus pars prior, *si tu* etc. tractatur v. 15. s. altera, *quid gentes* etc. tractatur v. 17. s. — ἰουδαῖος ὑπάρχων, *Judaeus cum sis*) eoque propinquior legi. — ἐθνικῶς ζῇς, *ethnice vivis*) Sic Paulus loquitur κατ᾽ ἄνθρωπον. nam Petrus priorem agendi modum retractans pro *ethnico* declaravit, cum in se esset rectus. Demta hac figura, propositio ipsa, non vivendum jam esse judaice, tractatur mox. — τὰ ἔθνη, *gentes*) lege solutas. — ἀναγκάζεις, *cogis*) facto tuo. *Necessum* habuissent gentes aut sequi

Digitized by Google

Judaicum ritum, aut carere communione ecclesiae. — ἰουδαΐζειν, *judaizare*) Quod antea fuerat obedientia erga legem, nunc est merus Judaismus.

v. 15. ἡμεῖς, *nos*) Paulus, Petri personae parcens, missa secunda singulari transit ad primam pluralem; inde ad primam singularem, figurate, v. 18. inde proprie, *ego*, v. 19. s. Nos, quamvis natura Judaei, et non ex gentibus peccatores, scil. *fuimus:* coll. praet. *scientes — credidimus.* Hoc *nos,* interjecta per parenthesin aetiologia, reassumitur versu seq. cum epitasi, et pertingit ad *credidimus.* — φύσει, *natura*) non modo proselyti. — οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί, *non ex gentibus peccatores*) Paulus ut rem confessam pronunciat, gentes, quae legem ne habebant quidem, esse peccatores, quum Judaei e contrario legem vel etiam opera haberent, Tit. 3, 5. Inde obiter concedit, nonnisi in Christo Judaeos cum illis communionem habere posse; praecipue autem justificationem gentium, per fidem, ut confessam pronunciat; eandemque etiam de Judaeis infert. Huc refer, *peccatores,* v. 17. not.

v. 16. εἰδότες, *scientes*) i. e. quoniam cognovimus. — ἄνθρωπος, *homo*) quivis, Judaeus, Graecus. — ἐξ ἔργων νόμου, *ex operibus legis*) Galatismi sectatores, ex ipsius legis moralis natura ac fine haud perspecta et sinistre accepta, legem ceremonialem obnixe tuebantur: et discrimen legis ceremonialis et moralis aut nullum aut exiguum agnoscentes, uno utramque *legis* vocabulo comprehendebant, adeoque in totius legis observatione justificari quaerebant. Pariter igitur apostolus eos refutans, uno utramque vocabulo comprehendit, aut ubi legis vocabulo strictius utitur, ipsam legem moralem innuit; legem ceremonialem aliter appellat, elementa etc. Controversiae autem status magis in oculos incurrit, quatenus ea erat de lege ceremoniali, quam quatenus erat eadem de lege morali: materia quippe illius, circa tempora, praeputium, cibos etc. versantis, in oculos magis incurrebat, quam hujus: et abrogatio illius, ex toto facta, magis conspicua erat, quam hujus, secundum quid facta. Sic fit, ut argumenta quaedam contra justificationem ex lege ceremoniali particulariter militent; plura tamen contra justificationem ex lege universa, etiam morali. Totum patet lucidius ex oeconomia epistolae ad Galatas. nam c. 1. et 2. apostolus se demonstrat divinitus missum et doctum, ceterisque apostolis nullatenus inferiorem, uti Collationes Irenicae, imo etiam polemicae, cum illis, ipsoque cum Petro habitae, evincant. Capite 3. est tractatio de lege morali. unde c. 4, 1 — 11. argumenta de lege ceremoniali deducuntur, et, interjecta allegoria ad utramque spectante, capite 5. speciatim de circumcisione agitur. Summa: e diametro inter se opponuntur, Moses et Jesus Christus: lex et promissio: facere et credere: opera et fides: merces et donum: maledictio et benedictio. Decalogusque aut a Paulo plane intactus relinquitur, aut sub legis vocabulo continetur: imo decalogus ea proprie lex est, quae, justificare negata, tamen per fidem stabilitur: nam sane lex ceremonialis *aboletur;* Rom. 3, 31. *Sina* autem, Gal. 4, 24., multo magis ob decalogum, quam ob legem ceremonialem, celebratur. Neque per se intolerabile jugum erat lex ceremonialis, sed robur ex morali habuit. Act. 15. Itaque lex moralis est *legalior,* ut ita dicam, quam ceremonialis, quae simul erat quasi evangelium elementare et praeliminare. Vid. etiam Rom. 3, 20. not. — ἐὰν μή, *si non*) Particula resolvenda in ἀλλά, *sed,* sed majore vi. Non justificatur homo ex legis operibus, neque adeo ulla alia ratione, nisi per fidem. Eadem mox vis particulae *et non.* — διά, *per*) *Per,* de gentibus: *ex,* mox, de Judaeis. Rom. 3, 30. not. — ἰησοῦ χριστοῦ, *Jesu Christi*) i. e. *in Christum Jesum;* ut sequitur mox, transpositis nominibus. Gentibus nomen *Jesu,* Judaeis nomen *Christi* prius innotuit. Quare non semper promiscuus est ordo, ubi utrumque nomen, ut hîc, ponitur. Rom. 15, 5. s. 1 Tim. 1, 15. s. 2, 5. 6, 13. 14. 2 Tim. 1, 9. s. nott. Et fere in sermone solenniori dicitur, *Christus Jesus:* in

communiori, *Jesus Christus.* — καὶ ἡμεῖς) *nos quoque* ipsi; quanto magis gentes. — ἐπιστεύσαμεν) *credidimus*; i. e. pridem credere coepimus. — διότι, *propterea quod*) Probatur consequentia ad Judaeos.

v. 17. εἰ δὲ, *si vero*) Quum Petrus communitatem victus cum gentibus coeptam, subducto se ipso, retractavit, tantundem id fuit, ac si se communitate illa *peccatorem ethnicum* egisse dixisset. Necessitudinem autem cum gentibus, cujus causa recte cum illis comederat, conciliarat Christus. Quare si Petrus cum illis comedendo peccavit, consequens erit, illius *peccati ministrum* fuisse Christum. Ab hujus consequentis inconvenientia sic abhorret Paulus, ut non modo subjiciat, *absit*, sed statim in eo exprimendo sermonem molliat per interrogationem, adhibito etiam verbo, διάκονος, *minister*, ad indignitatem hoc loco notandam aptissimo. Culpa nulla Christi est, gentibus justitiam et sanctitatem conferentis; sed est tota ejus, qui separationem a gentibus, postquam ad Christum conversae sunt, *instaurat*. v. seq. — ζητοῦντες) *quaerentes*, inde a suscepta fide, et libertate a lege. Hoc *quaerere* exprimitur versu praec. Estque nervosum antitheton, *quaerentes — inventi sumus.* — εὑρέθημεν, *inventi sumus*) nunc, postliminio. — καὶ αὐτοὶ) *ipsi quoque*, nostra sponte. — χριστὸς, *Christus*) *in quo* tamen quaerimus justificari.

v. 18. κατέλυσα, *destruxi*) per fidem Christi. — πάλιν οἰκοδομῶ, *iterum aedifico*) per subjectionem erga legem. — παραβάτην) *praevaricatorem*, transgressorem legis, dum [*retractata quasi prisca Judaismi immutatione*, V. g.] ejus observator esse videor. Vocabulum horribile, legis studiosioribus. [*Hoc scilicet erat fidei legem transgredi.* V. g.] — συνίστημι, *commendo*) Petrus voluerat commendare se. v. 12. fin. Ejus commendationis tristem Paulus fructum hac mimesi ostendit.

v. 19. ἐγὼ γὰρ, *ego enim*) Aetiologia ad μὴ γένοιτο, *absit*. Christus non est minister peccati et mortis, sed Stator justitiae et vitae: in Ipso totus sum. Haec summa ac medulla Christianismi. — διὰ νόμου νόμῳ) *per legem* fidei, *legi* operum. Rom. 3, 27. Non sum injurius in legem: lege nitor, non minus divina. Hoc quasi per aenigma proponitur, et mox declaratur, descripta lege fidei. Quo sensu *praevaricator* dicitur, eo sensu *lex* dicitur, in sermone de fide. — ἀπέθανον, ἵνα θεῷ ζήσω) Rom. 7, 4. 6. not.

v. 20. συνεσταύρωμαι, *una crucifixus sum*) Cruce includitur mors, ut patet ex antitheto, *vivo*. conf. Phil. 2, 8. De eadem communione, Phil. 3, 10. — ζῶ δὲ, *vivo vero*) ex illa morte. — οὐκ ἔτι ἐγὼ) *non jam ego*, ut *Judaeus*. Col. 3, 11.

v. 21. οὐκ ἀθετῶ) *non aboleo*, ut faciunt Judaizantes, sed tota anima amplector. — τὴν χάριν τοῦ θεοῦ, *gratiam Dei*) qua Christus pro nobis mortuus est. — εἰ γὰρ, *si enim*) Christus est justitia nostra per se; non quatenus legis justitiam implet in nobis. Id patet ex praesenti consequentia Pauli. — ἀπέθανεν, *mortuus est*) et sic, *resurrexit*. Nihil horum opus fuisset, si ex lege esset justitia.

CAPUT III.

v. 1. Ὦ, *o*) Ex abrupto Galatas adoritur. — ἀνόητοι γαλάται, *insipientes Galatae*) rem liquidissimam non assequentes aut retinentes. v. 3. Non appellat ἀγαπητοὺς, *dilectos;* quia non erant amabiles, sed reprehendendi: quanquam revera eos amabat. — ἐβάσκανε, *fascinavit*) [*h. e. tam repentinam eamque ingentem vobis mutationem intulit.* V. g.] Huic verbo, si illud, *non obedire veritati,* seponas [1]), cohaeret propius, quod sequitur; nam *fascino* impediuntur *oculi.* [*ut quis vel non videre opinetur, quae videt; vel, quae non sunt, exi-*

1) *Seponendum vero esse,* utriusque Ed. *margo, consentiente* Vers. germ., *innuit.* E. B.

Digitized by Google

stinet videre. V. g.] — κατ᾽ ὀφθαλμούς, *ob oculos*) evidentissime. — προεγράφη, *praescriptus est*) προγράφεσθαι dicuntur, quae publice scripta ante oculos omnium ponuntur, ut docet H. Valesius, Not. in Harpocr. p. 116. Ita scriptus sive pictus fuerat Jesus Christus ante oculos Galatarum per evangelium. — ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος, *in vobis crucifixus*) forma crucis ejus in corde vestro per fidem expressa, ut jam vos etiam cum illo crucifigeremini, c. 2, 20. 4, 19. not. praesertim in S. Coena.

v. 2. μόνον, *solum*) Grave argumentum. — μαθεῖν, *discere*) quid sentiatis vos. Aculeus: multa didicistis ex me; ego hoc solum volo a vobis discere. — ἐξ ἔργων νόμου, *ex operibus legis*) in quibus justitiam quaeritis. — τὸ πνεῦμα, *Spiritum*) [*in quo DEUM compellastis Patrem*, V. g.] per charismata conspicuum, v. 5. Marc. 16, 17. Hebr. 2, 4. Justitiam comitatur donum Spiritus. v. 14. Eph. 1, 13. Ideo saepe alterum pro altero ponitur. conf. not. ad Rom. 6, 18. Hoc argumentum repetitur versu 5., et interjecto v. 3. 4. pondus additur. Porro Paulus in hac una sua epistola, quum toties nominet Spiritum, tamen epitheton, *sanctum*, ne semel quidem addit; id quod non temere fecisse videtur. nempe epitheton illud est valde laetum; at haec epistola, plane severa. — ἢ, *an*) Duo directe opposita. — ἐξ ἀκοῆς πίστεως, *ex auditu fidei*) Exquisite sic denotatur natura fidei, non operantis, sed recipientis.

v. 3. οὕτως ἀνόητοι, *adeo insipientes*) οὕτως facit epitasin. non modo picturam Christi evangelicam, sed etiam donum Spiritus negligitis, quod multo magis in sensum incurrebat. vid. ad 1 Cor. 1, 6. — ἐναρξάμενοι, *cum inceperitis*) Initio respondet progressus. Non datur justificatio secunda per opera legis. — νῦν, *nunc*) quum magis magisque deberetis spirituales fieri, relicta carne. — σαρκὶ, *carne*) Hebr. 9, 10. [Phil. 3, 2. Rom. 2, 28.] Sine dubio putarant Galatae, se profundius in Spiritum ire. facile potest caro pro Spiritu, etiam a proficientibus, haberi, nisi maneant in fide pura. — ἐπιτελεῖσθε, *consummamini*) ad finem tendentes, carnem sectamini. Omnia fine censentur et exitu.

v. 4. ἐπάθετε) *passi estis:* dum patientissime (quae patientia fructus est Spiritus) sustinuistis pertulistisque me, quum vobis Christum ejusque crucem ob oculos pingerem, v. 1. not. et in vos laborarem, infirmus carne, ut explicatius loquitur ex intervallo, c. 4, 11. (ubi repetitur vocula εἰκῇ, *frustra*) 13. seq. Non dicit, *fecistis*, (coll. 2 Joh. v. 8.) quia *operantes* hoc loco refutat: dicit autem, *passi estis*, valde *proprie*: nam *patitur*, qui paritur, c. 4, 19. nec non, qui currit: c. 5, 7. et *apposite*, ad indignitatem damni amplificandam. Non dissimilis usus hujus verbi, Amos 6, 6. Zach. 11, 5. Interdum εὖ πάσχειν, ἀγαθὸν πάσχειν, est *beneficio affici*, Baruch 6, 33. Sed haec quidem notio a Paulo non est adhibita. — εἴγε καὶ εἰκῇ, *si tamen etiam frustra*) Est haec quasi correctio: non frustra passi tanta estis. nam Deus vobis Spiritum dedit, et operatus est virtutes in vobis. Conf. Hebr. 10, 32.

v. 5. ὁ ἐπιχορηγῶν — καὶ ἐνεργῶν) *qui praebebat — et operabatur.* Sic Chrysost. Etenim participium imperfecti temporis habetur in praesenti. ἐπὶ in priore participio vim habet: nam qui praedicat, χορηγεῖ. Deus ἐπιχορηγεῖ proprie. — δυνάμεις, *virtutes*) miraculosas. — ἐξ, *ex*) subaudi, *fecit* id. — ἐξ ἀκοῆς πίστεως, *ex auditu fidei*) Hoc cum versu seq. propositionem constituit, et in καθὼς, *sicut*, induit vim affirmativam.

v. 6. ἀβραάμ, *Abraham*) Vid. Rom. 4, 3. not. Genesis, armamentarium Pauli. v. 6. 8. 16. c. 4, 22. Recurrendum enim ad origines. Matth. 19, 4.

v. 7. γινώσκετε, *cognoscite*) Imperativus, coll. 2 Tim. 3, 1. Indicativum nec Galatarum tarditas aeque ferebat, nec tractatio iniens. — οἱ ἐκ πίστεως, *qui ex fide*) Nam Abraham credidit. — οὗτοι) *hi* demum, exclusis ceteris Abrahamo natis. — υἱοὶ, *filii*) v. 29.

Digitized by Google

v. 8. προϊδοῦσα δὲ, *providens vero*) Δὲ, *vero*, ἐπιτατικὸν, vim argumenti extendit etiam ad *gentes*. τὸ *providens* innuit *praescientiam* divinam, lege antiquiorem. Excellentia magna scripturae sacrae, quod omnia, quae in controversiam vocari possunt, in ea provisa et decisa sunt, etiam verbis aptissimis. — ἡ γραφὴ, *scriptura*) Sermo multipliciter concisus, uti evolventi patebit: Deus est, qui haec testatus est. Deus praescivit, se cum gentibus sic acturum. Deus ideo jam cum Abrahamo simili ratione egit. Deus etiam scripto id consignari fecit. et quidem tum, cum scripto consignaretur, adhuc futurum fuit. Haec omnia continentur in illo *providens* — —. Haec omnia nostro more loquendi non sic breviter exprimi possent: alias obscura haberentur. Sed facit id ardor pectoris apostolici, quod Spiritu plenum in unam eamque principalem rem intentum erat. Quae *Abrahamo* dicta sunt, *Mosis* tempore perscripta sunt. — ἐκ πίστεως, *ex fide*) *non ex operibus*. — δικαιοῖ, *justificat*) Praesens, respectu Pauli scribentis. sic, *benedictionem habent*. v. 9. — προευηγγελίσατο, *ante evangelizavit*) Verbum ad catachresin accedens suavissime. Abrahamo *ante* tempora evangelii *evangelizatum* est. Evangelium lege antiquius. — ἐνευλογηθήσονται) ונברכו Gen. 12, 3. inde expressius והתברכו Gen. 22, 18. Ps. 72, 17. Mera benedictionis promissio; nil, operum. Porro justificatio et benedictio conjuncta sunt. Simul ex forma Hebraici verbi patet natura fidei: *benedicent sibi*, gratulabuntur sibi de benedictione. Es. 65, 16. coll. Deut. 29, 18. — ἐν σοὶ, *in te*) ut in patre Messiae: ergo multo magis in Messia. Gentes, ut credentes in Christum, sunt semen Abrahae. Abrahamo semen prius, deinde benedictio promissa est. Adde not. ad v. 16.

v. 9. οἱ ἐκ πίστεως) *qui ex fide* sunt, omnes, et soli: ut patet ex opposito. v. seq. — σὺν τῷ πιστῷ, *cum fideli*) Ipsi Abrahamo per fidem collata benedictio: *cum* quo, qui credunt, benedicti sunt. Observa: nunc σὺν *cum* dicit, non ἐν *in*. *in te*, dictum, antequam natus est Christus ex Abrahami semine; deinceps, *cum*, imo etiam antea. conf. *coheredes*. Hebr. 11, 9.

v. 10. ὑπὸ κατάραν, *sub maledictionem*) *Sub*, hic et deinceps cum accusativo magna vi ponitur. *maledictio* et *benedictio*, opposita. — εἰσὶν, *sunt*) Verbum hoc iteratur magna vi. — γέγραπται, *scriptum est*) Deut. 27, 26., ἐπικατάρατος πᾶς ἄνθρωπος, ὅστις οὐκ ἐμμένει πᾶσι τοῖς λόγοις τοῦ νόμου τούτου, ποιῆσαι αὐτούς. ubi πᾶς et πᾶσι non est in Hebraeo, sed in Samaritano. Requiritur obedienta perfecta, *in omnibus*, et perpetua, *permanet*. Hanc nemo praestat. — τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ, *scriptis in libro*) Hoc addit Paulus paraphraseos gratia.

v. 11. ἐν νόμῳ, *in lege*) Pressius urget Paulus rem, ne quis dicat: *Agnosco, justitiam non esse ex operibus legis; sed ea tamen ex ipsa lege est*. Multi nitebantur lege, quamvis eam non servarent. Rom. 2, 17. 23. Respondet, eam nil juvare non facientes. v. 12. — παρὰ τῷ θεῷ, *apud Deum*) quicquid sit apud homines. Rom. 4, 2. — δῆλον, ὅτι, *manifestum, quia*) Formula pertinet ad ea, quae sequuntur. 1 Tim. 6, 7. 1 Cor. 15, 27. Δηλονότι a Graecis adhibetur tanquam una vox, ut latinum *id est*. Quod attinet ad id, quod in lege nemo justificetur coram Deo, id sane certum est et indubitatum, quod justus ex fide victurus sit. Prius illud adhuc tanquam in dubio allegatur, posterius vero est τὸ δῆλον, *manifestum*, per quod etiam prius illud extra dubium collocari debet. — ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως, *justus ex fide*) Vid. Rom. 1, 17. — ζήσεται, *vivet*) Idem verbum, v. seq.

v. 12. οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, *non est ex fide*) non agit fidei partes: non dicit, *crede*, sed *fac*. — ὁ ποιήσας αὐτὰ, *faciens illa*) Rom. 10, 5.

v. 13. χριστὸς, *Christus*) Christus solus. Hoc ex abrupto, sine conjunctione, cum indignatione quadam adversus operarios legis, exclamat. Non dissimile asyn-

deton, Col. 3, 4., ubi item de Christo. — ἡμᾶς, *nos*) Judaeos praecipue pressit maledictio: nam etiam benedictio propior illis erat. antitheton, *in gentes*. v. 14. conf. c. 4, 3. 6. — ἐξηγόρασεν, *exemit*) *emtione* nos *inde* eruit, ubi tenebamur. Idem verbum, c. 4, 5. — ἐκ τῆς κατάρας, *ex maledictione*) sub qua sunt, qui vel lege vel legis operibus nituntur. — γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, *factus pro nobis maledictio*) Abstractum nomen, non concretum, hic ponitur. Quis auderet sine blasphemiae metu sic loqui, nisi apostolus praeiret? *Maledictio* plus dicit, quam *anathema*, Rom. 9, 3. nam *maledictio* aliunde infligitur, anathema ultro incurritur. Pariter de Christo dictum, יכרת ἐξολοθρευθήσεται, Dan. 9, 26. coll. v. 24. cum annot. C. B. Michaëlis. Etiam ὑπὲρ *pro* hic summa proprietate accipitur. nam *maledictio*, quae nos eramus, factus est Christus, vicem nostram, ut nos esse desineremus. — γέγραπται, *scriptum est*) Deut. 21, 23. κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. — ἐπὶ ξύλου, *in ligno*) inter coelum et terram. Nostra vernacula dicit *patibulum*. Apostoli, dum de redemtione agunt, crucem potius, quam agonem in monte Oliveti commemorant. 1 Petr. 2, 24. Nisi crucis supplicium pridem esset abrogatum, magis in oculos incurreret stupenda crucis Christi vis.

v. 14. ἵνα· ἵνα, *ut: ut*) Prius *ut* respondet τῷ *factus etc.* posterius respondet τῷ *nos exemit*. conf. *ut* geminatum, c. 4, 5. not. — εἰς τὰ ἔθνη) *in gentes*, quae procul erant. v. 8. — τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος, *promissionem Spiritus*) Luc. 24, 49. not. — λάβωμεν, *acciperemus*) nos, Judaei, benedictioni in Christo propinqui. Hoc verbo exprimitur natura fidei: promissio et fides, relata sunt. — διὰ τῆς πίστεως, *per fidem*) non ex operibus. nam fides solâ *promissione* nititur. *Spiritus ab extra in nobis excitat aliquam scintillam fidei, apprehendentem Christum et etiam ipsum Spiritum, ut intra nos habitet.* Flacius.

v. 15. ὅμως) *tamen*; etsi *hominis* tantummodo testamentum est, unde comparatio sumitur. — ἀνθρώπου, *hominis*) cujus institutum servari, longe minus refert. — κεκυρωμένην, *sancitum*) quum semel omnia rata sunt, v. gr. per mortem testatoris. Hebr. 9, 16. sic, καὶ ἐκυρώθη ὁ ἀγρός, ויקם Gen. 23, 20. — οὐδείς) *nemo*, ne auctor quidem ipse, nisi causa nec opinata aut in animo ipsius aut extra incidat; (qualis causa Deo non potest occurrere:) nedum alter quispiam; [*Siquidem* de jure *sermo sit; ipso enim* facto *testamenta aut legata humana citius serius*ve, *non sine grari reatu, infringuntur*, V. g.] cui alteri in apodosi respondet lex. Consideratur enim hic lex ὁ νόμος quoque, ut alter quispiam a Dei promissione, quasi per prosopopoeiam, sicuti opponuntur *peccatum et lex Deo*, Rom. 6, 13. 8, 3. et *Mamonas*, quasi herus, opponitur Deo: Matth. 6, 24. et *elementa mundi* comparantur cum *tutoribus*, et lex dicitur *paedagogus:* mox, v. 24. c. 4, 2. 3. Spectatur promissio, ut antiquior, et a Deo dicta: lex, ut recentior, et praescindendo a Deo legislatore: quia promissio est magis propria Dei; lex, quasi quiddam alienius. vid. v. 17. s. 21. s. nott. — ἀθετεῖ ἢ ἐπιδιατάσσεται, *abrogat aut insuper praecipit*) in toto vel in parte; abrogando, legata demendo, aut mandata et conditiones novas addendo. utrique verbo respondet, *irritum facit*, v. 17.

v. 16. ἐρρέθησαν, *dictae sunt*) Grave verbum. — αἱ ἐπαγγελίαι, *promissiones*) Plurale: promissio saepe repetita, [v. 17. 18.] eaque duplex, rerum terrenarum et coelestium; terrae Canaan, et mundi, et bonorum divinorum omnium. Rom. 4, 13. At lex semel data. — καὶ, *et*) Gen. 13, 15. 12, 7. 15, 18. 17, 8. — λέγει, *dicit*) Deus. — ὡς ἐπὶ πολλῶν, *quasi de multis*) quasi aliud esset semen ante legem, aliud sub lege. — ὡς ἐφ' ἑνός, *tanquam de uno*) Vide, quanti ponderis conclusionem Paulus ex accidente Grammatico, numero, deducat: idque eo magis mirandum, quia זרע nunquam in plurali ponitur, nisi 1 Sam. 8, 15., ubi

y Google

tamen *agros*, non *semina* denotat. Videlicet in LXX int. magis apparet vis numeri singularis. Porro non statuit hic Paulus, *semen* denotare unicam prolem, *semina* demum multam; nam semen in singulari saepissime multitudinem denotat: sed hoc dicit, unum esse semen, i. e. unam posteritatem, unam familiam, unum genus filiorum Abrahami, quibus omnibus per promissionem obtingat hereditas; [post *Mosen aeque ac* ante *Mosen: ex* praepulio *non minus quam ex* circumcisione, V. g.] non aliis per promissionem, aliis per legem. Rom. 4, 16. Bene autem discernenda est promissio benedictionis et promissio hereditatis mundi sive terrae: in illa, non in hac, *seminis* appellatio *Christum* spectat. Namque benedictio fit *in Abrahamo*, non per se, qui obiit ante gentes benedictionem assecutas; sed quatenus habet semen: et fit *in semine Abrahami*, non quatenus semen illud est innumerabile; nam Abraham ipse non benedixit, sed benedictionem accepit; quanto minus posteri ejus benedicere possunt, qui *cum* Illo benedictionem, per fidem, duntaxat accipiunt? Fit ergo benedictio in Christo, qui est Semen unum excellentissimum et exoptatissimum, per se benedicens. Sed tamen, quia cum hoc propinquitatem habet omnis posteritas Abrahami; ideo communiter *in semine* Abrahami dicitur fieri benedictio, *ad gentes* vero pervenire. v. 14. Terrae autem atque adeo hereditatis promissio data est Abrahamo et semini ejus, i. e. posteritati numerosae: v. 19. 22.: non autem Christo, sed *in Christum*. — ὅς ἐστι χριστὸς, *qui est Christus*) ὅς, *qui* non refertur praecise ad *semini*, sed ad totum sermonem praecedentem, hoc sensu: *id quod totum Deus dicit in Christum*. [i. e. *ad Abrahamum ejusque semen promissiones pertinent seu benedictio* in Christo *promissa*, V. g.] nam Christus promissiones omnes sustinet. 2 Cor. 1, 20. In Graeco et Latino saepe genus pronominis respondet Substantivo subsequenti. Cic. *Ignes, quae sidera vocatis.*

v. 17. τοῦτο δὲ λέγω, *hoc vero dico*) Ostendit, quo pertineat similitudo. v. 15. — διαθήκην) Vocabulum hic paullo latiore, quam *testamenti* notione accipitur. nam ὁ διαθέμενος hic laudatur Deus *immortalis*. Et tamen huc magis congruit *testamenti* appellatio, (v. 18. fin.) quam *foederis*. Conf. not. ad Matth. 26, 28. — προκεκυρωμένην, [1]) *ante sanctum*) Respondet, *sanctum*, v. 15. sed accedit πρὸ, *ante*, ob CCCCXXX annos illos. *Sanctum* est testamentum promissione ipsa, eaque iterata, et juramento, et quidem multis *ante* annis. cum hoc *ante* congruit ἔτι, v. 18. — μετὰ, *post*) Dices: Epistola ad Hebraeos, (c. 7, 28. not.) passim ea, quae μετὰ *post legem* sancita sunt, legi praefert: quomodo hic id, *post quod* lex facta est, praefertur? Resp. Illic ea notantur, in quibus veteri sanctioni expresse derogabat nova: sed promissioni, quae hic urgetur, legem derogare, nec Abrahami nec Mosis tempore additum est. Utrimque praefertur τὸ ἀπ' ἀρχῆς, *id quod ab initio fuit*. conf. Matth. 19, 8. Ubique Christus praevalet. — ἔτη, *annos*) Magnitudo intervalli auget promissionis auctoritatem. — γεγονὼς, *facta*) Hoc quoque pertinet ad postponendam legem, et ad prosopopoeiam ornandam. non dicit, *data*, quasi lex fuisset, antequam data sit: neque addit, a *Deo*, ut de testamento dixerat. Alia ratio horum verborum, Joh. 1, 17. — νόμος, *lex*) Casu recto loquitur; ut certa ratione opponatur *Deus* promittens et *lex* non derogans. Et hujus antitheti cardo est prosopopoeia ante notata. — οὐκ ἀκυροῖ, *non irritum facit*) Metonymia consequentis. i. e. lex non confert hereditatem. — εἰς τὸ καταργῆσαι) *ad reddendam inanem* promissionem. Redditur autem inanis, si vis conferendae hereditatis ab ea ad legem transfertur.

v. 18. εἰ, *si*) Syllogismus conditionalis; cujus consequente sublato, tollitur

---

1) *Verba sequentia* εἰς χριστὸν, *per marginem* Ed. maj. *omittenda potius fuerant: sed, praelucente crisi* Ed. 2., *recepta sunt in* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

antecedens: ut conclusio sit, *ergo non ex lege est hereditas.* — ὁ θεὸς, *Deus*) Hic expresse promissio praedicatur de Deo.

v. 19. τί οὖν ὁ νόμος;) Sunt, qui distinguant sic, τί οὖν; ὁ νόμος κτλ. Et saepe quidem per se dicitur τί οὖν; interdum tamen producitur interrogatio. τί οὖν φημι; 1 Cor. 10, 19. τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ ἰουδαίου; Rom. 3, 1. *Quid ergo lex?* i. e. Diceret aliquis: ergone lex frustra data est? — τῶν παραβάσεων χάριν, *transgressionum gratia*) ut agnoscerentur et invalescerent. Notantur transgressiones non tam ante legem datam, Rom. 5, 13., quam deinceps ab hominibus patratae. Idem vocabulum, Rom. 4, 15. not. Idem pluralis, Hebr. 9, 15. Antitheton, *permanere.* v. 10. Res ipsa declaratur versu 21. s. Omnia sub peccatum conclusa. — ἐτέθη) *posita est*, inquit, non, *surrogata.* Multi habent προσετέθη· sed ἐτέθη facilius stat cum versu 15. — ἔλθῃ, *veniret*) Conf. *veniret*, v. 23. — τὸ σπέρμα, *semen*) fideles Novi Test. quibus obtingit promissionis impletio. v. 22. — ᾧ ἐπήγγελται) *cui promissio facta est:* vel potius, *cui promisit* Deus. conf. ἐπήγγελται, Rom. 4, 21. Hebr. 12, 26. — διαταγεὶς, *disposita*) non ἐπιδιαταγεὶς, coll. v. 15. — δι' ἀγγέλων, ἐν χειρὶ μεσίτου, *per angelos, in manu mediatoris*) Dupliciter mediate. Pro Deo, angeli: Hebr. 2, 2. mediator aliquis, pro populo. Angelis legem delegavit Deus, quasi alienius quiddam et severius: promissionem sibi reservavit, et ipse pro sua bonitate dedit ac dispensavit. Mediator erat Moses: hinc frequens illud ביד משה *per Mosen.* Definitio mediatoris extat Deut. 5, 5. Mediator Moses, longe alius, atque Christus. Ille arcet; hic adducit.

v. 20. ὁ δὲ μεσίτης, *Mediator vero*) Articulus habet vim relativam. *Mediator ille,* Moses, promissione longe serior, idemque severus. — ἑνὸς, *unius*) Medius terminus in syllogismo, cujus major propositio et minor exprimitur, conclusio subauditur. *Unus non utitur mediatore illo:* (id est, quisquis est unus, is non, prius, sine mediatore; deinde idem per mediatorem agit: neque postea se subtrahit, ut per mediatorem agat; nam familiaritas non solet decrescere, sed crescere:) atqui *Deus est unus.* Ergo Deus, non, prius sine mediatore, deinde per mediatorem, egit. Ergo is, cujus erat mediator, non est unus idemque cum Deo, sed diversus a Deo, nempe ὁ νόμος, *Lex.* — ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν, *Deus autem unus est*) Non est alius Deus ante legem, alius deinceps: sed unus idemque Deus. Ante legem egit sine mediatore; ergo mediator Sinaiticus non est Dei, sed legis; Dei autem, promissio. conf. de Dei unitate, eadem in re, Rom. 3, 30., nec non 1 Tim. 2, 5. Et pulcerrime assonat ad unitatem seminis ante legem et post legem unitas Dei ante legem et post legem. Sic infert Paulus ex ipso modo legislationis, legem datam esse peccati causa: et sic cohaeret objectio nova, v. seq.

v. 21. οὖν, *igitur*) Sic objici possit ex eo, quod lex dicatur data transgressionum causa. Respondet, legem non esse adversus promissiones, responsionisque duae sunt sententiae. una: Lex per se, cum velit, non potest vitam promissam dare. v. 21. altera: veruntamen paedagogice adjuvit promissionem vitae. v. 22 — c. 4, 7. Prior sententia hoc enthymemate (quale etiam v. 18.) probatur: Si lex posset vivificare, justitia foret ex lege. atqui justitia non est ex lege. subaudi, ergo lex non potest vivificare. Major est evidens. nam nonnisi justus vivet. v. 11. Minor, simulque ipsa illa altera sententia, probatur versu 22., idque per epanodon. nam ex his quatuor, *vivificare, justitia, peccatum, promissio,* primum et quartum, secundum et tertium inter se respiciunt. — νόμος, *lex*) *Lex* dicitur, non, *Dei lex;* at *promissiones Dei,* non *promissiones* absolute. — εἰ γὰρ, *si enim*) Vis conditionalis non super *data est* cadit: nam utique lex data est: sed super *potens.* — ὁ δυνάμενος, *potens*) Articulus demonstrat emphasin in δύναμαι. Lex vellet, v. 12. nam *viret* ait: sed non potest. — ζωοποιῆσαι, *vivificare*) Hoc verbo praesupponitur *mors* peccatori intentata, adeoque oratio fit valde evidens. Lex vitam offert, sub conditione: v. 12. sed non confert; quia

ed by Google

non potest, infirmata per peccatum. — ὄντως, *revera*) non solum opinione operariorum. Res agitur seria, quamlibet nunc impossibilis legi. — ἡ δικαιοσύνη, *justitia*) Nam justitia est vitae fundamentum. Antitheton, *peccatum*. v. 22.

v. 22. ἀλλὰ, *sed*) Tantum abest, ut ex lege sit justitia, ut potius ex lege sit agnitio peccati. — συνέκλεισεν, *conclusit*) peccatores antea securos comprehendit et conclusit omnes simul. conf. *concluserunt*, Luc. 5, 6. — ἡ γραφὴ, *scriptura*) Scriptura, non Deus, dicitur omnia sub peccatum conclusisse; quum tamen ejusmodi conclusio adscribatur Deo alibi. Rom. 11, 32. Notanter porro dicit, *scriptura*, non, *lex*. Non tum, quum promissio, sed tum, quum lex dabatur, scribi coeptum est. nam Deus etiam sine scripto stat promissis: sed peccatoris perfidiam per literam redargui opus fuit. Porro subsequenti quoque commate, *ut etc.* tangit Paulus quiddam, quod legis, non scripturae, sphaeram excedit. — τὰ πάντα, *omnia*) non modo *omnes*, sed etiam *omnia*, quae illi sunt et habent.

v. 23. τὴν πίστιν, *fidem Jesu Christi*) sic v. seqq. — ἐφρουρούμεθα συγκεκλεισμένοι, *custodiebamur conclusi*) Eleganter haec duo verba disjungunt legem et fidem. Inclusionis consequens, custodia. Sap. 17, 16., ἐφρουρεῖτο εἰς τὴν ἀσίδηρον εἱρκτὴν κατακλεισθείς. — συγκεκλεισμένοι εἰς) Sic LXX, συγκλείειν εἰς θάνατον κτλ. Ps. 78, (77,) 50. 31, 9. Amos. 1, 6. 9. Est autem locutio concisa: conclusi adeoque reservati atque adacti *ad fidem* etc. [*ita ut nullum nobis perfugium restaret praeter fidem*. V. g.] Polybius, εἰς αὐτὰς συνεκλείσθη τὰς ἐν τοῖς ἰδίοις οἰκέταις καὶ φίλοις ἐλπίδας. et sic idem saepe. vide Raphelium. Irenaeus, *In fidem adventus filii Dei concludumtur*. l. 3. c. 25.

v. 24. παιδαγωγὸς, *paedagogus*) qui nos continuit in disciplina, ne elaberemur. Tali egent νήπιοι, *infantes*. c. 4, 3. Prosopopoeia, iterum, de lege.

v. 26. υἱοὶ) *filii*, emancipati; remoto custode.

v. 27. χριστὸν ἐνεδύσασθε, *Christum induistis*) Christus vobis est toga virilis. Non jam censemini eo, quod fuistis; aeque estis in Christo, et Christi. v. seqq. Christus est Filius Dei, et vos in illo estis filii Dei. Tho. Gatakerus: *Si quis Christiani definitionem me poscat, ei ego nullam ista promptius darem: Christianus is est, qui Christum induit*. l. 1. misc. c. 9.

v. 28. οὐκ ἔνι, *non est*) Antea erant hae differentiae; nunc exspirant, una cum suis causis et signis. ἔνι pro ἔνεστι, cum praepositione, cui mox respondet ἐν. — ἰουδαῖος κτλ. *Judaeus etc.*) Col. 3, 11. not. — ἄρσεν καὶ θῆλυ, *masculus et femina*) In circumcisione erat *masculus*. nam sexus sequior, per quem transgressio incepit, expers erat. — εἷς, *unus*) homo novus, Christum indutus. Eph. 2, 15. — ἐν χριστῷ ἰησοῦ, *in Christo Jesu*) Constr. cum *unus*.

v. 29. ἄρα, *ergo*) Christus totam Abrahami posteritatem sanctificat. — ἐπαγγελίαν, *promissionem*) Abrahamo datam.

CAPUT IV.

v. 1. Λέγω δὲ, *dico vero*) Declarat, quod c. 3, 24. dixit de paedagogo. — ὁ κληρονόμος, *heres*) Haec appellatio repetitur ex c. 3, 29. — νήπιος) *infans*, minorennis. — οὐδὲν διαφέρει δούλου, *nihil differt a servo*) quia non est sui arbitrii, in actionibus et contractibus. — πάντων, *omnium*) eorum, quae ad hereditatem spectant.

v. 2. ἐπιτρόπους) *tutores* heredis. — οἰκονόμους) *curatores* bonorum.

v. 3. ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, *sub elementa mundi*) Στοιχεῖον, *elementum*, primum quiddam, ex quo cetera oriuntur et constituuntur: in universo, 2 Petr. 3, 10. not. et in literis, Hebr. 5, 12. (coll. στοιχείωσις, de foetu, 2 Macc. 7, 22.) inde per metonymiam, *elementa mundi*, h. l. item, *infirma et egena elementa*, mox v. 9., i. e. rationes victus, in temporibus, v. 10., motu *elementorum*,

Digitized by Google

i. e. solis et lunae, definitis, item in cibo, potu, aliisque rebus sublunaribus, materialibus et externis sitae. c. 3, 28. Conf. Col. 2, 8. 16. 20. ss. *Tutores* dicuntur in concreto, *elementa* in abstracto. His *mundanis* opponitur Filius Dei, coelitus missus, et Spiritus Filii Dei. v. 4. 6. — δεδουλωμένοι, *in servitutem redacti*) Resp. *nihil differt a servo*, v. 1.

v. 4. τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, *plenitudo temporis*) Resp. *in quantum tempus* et *praefinitum* tempus. v. 1. 2. Suas etiam ecclesia aetates habet. — ἐξαπέστειλεν, *emisit*) *ex* coelo, *a* sese, ut promiserat. Idem verbum repetitur v. 6., de Spiritu sancto. [*Immensus Patris amor!* V. g.] Conf. Es. 48, 16., ubi Castellio et alii sic interpretantur: *Dominus Jehovah misit me summque Spiritum.* Ante hanc *visitationem* minori curae Deo esse homines videbantur: Hebr. 8, 9. deinde nova rerum facies extitit. — τὸν υἱὸν αὐτοῦ, *filium suum*) auctorem libertatis. αὐτοῦ, sensu reciproco, *proprium*. Id quid sit, ex ipsa serie hujus loci patet. nam prius *adoptionem*, deinde *Spiritum adoptionis* accepimus. Ergo Christus ipse non ideo demum est Filius Dei, quia a Patre missus et unctus est.

v. 5. ἵνα τοὺς κτλ. ἵνα τὴν, *ut — ut*) Anaphora. Prius *ut* refertur ad *factum sub legem:* itaque alterum ad *natum ex muliere* spectat. Simillimus γιγασμός, Eph. 3, 16. 5, 25. s. cum annott. Christus similitudine conditionis nostrae, conditionem nostram bonam fecit: similitudine naturae nostrae nos Dei filios fecit. γενόμενον iteratur cum vi. potuerat γενέσθαι ἐκ γυναικός, et tamen non γενέσθαι ὑπὸ νόμων, sed tamen ἐγένετο ἐκ γυναικός, ut *fieret sub legem*. Prius γενόμενον, *factum*, addito ἐκ γυναικός, significationem *natus* adsciscit. — ἐξαγοράσῃ, *eximeret*) ex servitute in libertatem. — τὴν υἱοθεσίαν, *adoptionem*) *dignitatem filiorum*, qua gaudent majorennes, cum usufructu hereditatis. — ἀπολάβωμεν) *reciperemus*. ἀπὸ dicit convenientiam rei divinitus pridem destinatae.

v. 6. ὅτι, *quia*) *Filiorum statum* sequitur inhabitatio Spiritus sancti, non hanc ille. — ἐστὲ) *estis;* etiam vos, ex gentibus. — υἱοὶ, *filii*) majorennes, ingenua libertate cum Patre agentes. — ἀββᾶ ὁ πατὴρ, *Abba Pater*) Suaviter hic ponitur nomen Hebraicum: conf. Marc. 14, 36. et idiomatis Hebraici Graecique conjunctio congruit cum Hebraeorum et Graecorum uno clamore mixto. Hebraeus dicit, *Abba*; Graecus, ὁ πατήρ. uterque ἀββᾶ ὁ πατήρ. conf. Ap. 1, 7. Ita geminatur, *pax pax*, item pro Judaeis et Graecis, Es. 57, 19. Neque tamen non singuli appellationem Patris geminant. Haec tessera filiorum in Novo Testamento. conf. Matth. 6, 9. not.

v. 7. εἶ — υἱὸς, *es — filius*) Suaviter Paulus a plurali ad singularem transit: c. 6, 1. simulque hoc loco exprimitur responsum Dei paternum erga singulos, *Abba* in Spiritu clamantes. — δοῦλος, *servus*) more minorum. — κληρονόμος) *heres*, actu.

[1]) v. 8. τότε, *tum*) *quum essemus infantes*. — οὐκ εἰδότες θεὸν, *non noscentes Deum*) Status gentium miserrimus. — ἐδουλεύσατε, *servistis*) servitute alia, ac Judaica. v. 3. Non vero cultu deos non veros affecistis. Non assueveratis cultui Mosaico: eo magis mirandum, vos nunc eum affectare. Sine elementis illis ad veritatem pervenistis: nunc demum illa sequimini. — τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς) Sic LXX, τῷ μὴ ὄντι θεῷ, 2 Chron. 13, 9.

v. 9. γνόντες θεὸν, *noscentes Deum*) Deum verum, qui Spiritus est. quo cognito, quum tamen elementa ista sectamini, idem est ac si magister velit ad tabellam abecedariam reverti. — μᾶλλον, *potius*) Dei donum est. Is vos agnovit et suos filios esse declaravit. conf. Ex. 33, 12. 17. *Potius* est, quod Dei est,

---

1) θεοῦ, *Dei*] Vid. App. P. II. ad h. l. ubi multiplex varietas probabile reddit, θεοῦ insertum esse ex Rom. 8, 17. *Not. crit.* — *Attamen margo* Ed. 2. *minus favet omissioni, et* Vers. germ. *vocem* Dei, *quasi non dubiam, exprimit.* E. B.

Digitized by Google

ad salutem nostram, quam quod nostrum. conf. Phil. 3, 12. — πῶς, *quomodo*) Interrogatio admirabunda. c. 1, 6., *miror*. — πάλιν, *iterum*) ut olim serviimus nos. — ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ, *debilia et egena*) ***Debilitas*** opposita parrhesiae filiali; ***egestas***, opulentiae hereditatis. — οἷς, *quibus*) elementis, non Deo. — πάλιν ἄνωθεν, *iterum denuo*) Vultis servire *iterum;* nunc elementis, ut antea idolis; et ***denuo***, iisdem vos *de integro* elementis, quibus antea servierat Israël. conf. *iterum*, Rom. 8, 15. not. — δουλεύειν, *servire*) indigne liberis. — θέλετε, *vultis*) Vid. v. 21. et Marc. 12, 38, not. [*Non quaevis* volendi ***facilitas bona est***. Col. 2, 18. 23. V. g.]

v. 10. ἡμέρας) ***dies:*** Rom. 14, 5. i. e. ***sabbata***, Col. 2, 16. not. Sabbati tempus omnium religiosissimum. Notandus igitur ordo gradationis, coll. 1 Chron. 23, 31. 2 Chron. 31, 3. σάββατα, νουμηνίας, ἑορτὰς, ***sabbata, novilunia, festa,*** in oratione affirmante: nam in sermone prohibente invertitur. Col. l. c. — παρατηρεῖσθε) ***observatis,*** quasi sint aliquid, *praeter* fidem. — καὶ καιροὺς, *et tempora*) mensibus majora, anno minora: i. e. festa. מועדים LXX saepe καιρούς. — ἐνιαυτοὺς, *annos*) solennia anniversaria, v. gr. ineunte anno cum mense Tisri. neque enim annos sabbaticos, qui terrae Canaan affixi erant, a Galatis observatos dixeris, quanquam sub annum sabbaticum, Anno Dion. 48. elapsum, scripta est haec epistola. Vid. *Ord. temp.* p. 281. 423. [*Ed. II. p.* 242. 364.]

v. 11. ὑμᾶς, *vos*) Non mea, sed vestra causa hoc timeo. — εἰς ὑμᾶς) ***in vos.*** Emphatica locutio.

v. 12. γίνεσθε, *estote*) Subito, τοὺς λόγους *argumenta docentia* intermittens, ἤθη καὶ πάθη *argumenta conciliantia et movendia* admovet: v. 11—20.: quorum facultatem quisquis non habet, (habet autem carnalis nemo) non est perfectus doctor. inprimis hic tenerrima apostoli pietas se demittit ad Galatas. — ὡς ἐγὼ, *ut ego*) Harmonia animorum *fraterna* facit, ut, quae docentur, facilius accipiantur. 2 Cor. 6, 13. Ait ergo: conjungite vos mecum in sensu erga Christum. Particula *ut* summam conjunctionem denotat. conf. 1 Reg. 22, 4. — κἀγὼ, *etiam ego*) scil. *sum.* — ὡς ὑμεῖς, *ut vos*) Vestrum detrimentum, meum esse duco. — δέομαι ὑμῶν) ***rogo vos,*** ut mecum sentiatis. — οὐδέν με ἠδικήσατε, *nihil me offendistis*) Qui alterum offendit aut offensum putat, abhorret ab altero. ea causa non est apud vos. Dices: Nonne Paulum offenderant, laborem ejus paene faciendo irritum? v. 11. Respondet Paulus: Hoc ignovi; non revoco ad animum. Simul est μείωσις· i. e. summo amore me complexi estis. v. 14. s.

v. 13. δι᾽ ἀσθένειαν) διὰ, *propter infirmitatem.* Infirmitas non fuerat causa praedicationis ipsius; sed tamen adjumentum, cur Paulus efficacius praedicaret, 2 Cor. 12, 9., cum Galatae facilius rejicere posse viderentur.

v. 14. τὸν πειρασμόν μου, *tentationem meam*) i. e. me, cum tentatione. Sancti, etiam apostoli, tentationes suas olim non ita dissimularunt, ne publice quidem. — ἐν τῇ σαρκί μου, *in carne mea*) ***Paulum in carne*** appellat 2 Cor. 12, 7. — οὐκ ἐξουθενήσατε, *non aspernati estis*) per superbiam naturalem. — οὐδὲ ἐξεπτύσατε, *neque respuistis*) per superbiam spiritualem, majori fastidio. Discrimen est 1) ratione objecti, *tentationis in carne,* quae tentationes duplici modo poterant contemtu dignae videri. 2) ratione antitheti, quod duplex est:

α) *non aspernati estis, sed — ut angelum:* qui poterat magni aestimari ex loco de creatione: habet enim praestantissimam naturam, propter quam etiam homo carnalis *angelos* non potest non magnifacere.

β) *neque respuistis, sed — ut Christum:* magis ex spirituali ratione.

— ἄγγελον, *angelum*) In angelos non cadit *caro, infirmitas, tentatio:* quare *ut angelum suscipere* est suscipere cum magna veneratione. — χριστὸν, *Christum*) angelis majorem.

v. 15. μακαρισμὸς) Μακαρισμὸς dicitur a μακαρίζω. Gratulati vobis fuistis

Digitized by Google

de evangelio, meque ejus nuncio. quae causa fuit *gratulationis*, si nunc vos poenitet mei? — [1]) ὀφθαλμοὺς, *oculos*) carissimos.

v. 16. ἐχθρὸς, *inimicus*) Qui *verat*, amicus est: neque ei veritas apud vos odium debuit parere. — ἀληθεύων, *verans*) meram veritatem praedicans, etiam extra tentationem.

v. 17. ζηλοῦσιν, *aemulantur*) Isti *aemulantes* vos ambiunt. Non nominat aemulos. — οὐ καλῶς, *non bene*) non in Christo, quanquam *bene* videntur. Antitheton, *in bono*. v. 18. Nec *causa* apud istos, inquit, nec *modus* bonus est. — ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς) *excludere vos* a nobis, a me. Putant, nos exclusum iri a vobis; sed non nos a vobis, verum vos a nobis excluderent. ἐκκλεῖσαι non putarim eo sensu dici, ut Latinis *excludi* dicuntur *pulli*.

v. 18. καλὸν δὲ, *bonum vero*) Monet, ne se excludi patiantur. — τὸ ζηλοῦσθαι) Post activum medio utitur. Pauli, nomine Christi, est ζηλοῦν, 2 Cor. 11, 2.: ecclesiae, tanquam sponsae, est ζηλοῦσθαι, amori ardenti respondere, zelo zelum accendere, (vid. Chrys.) zelare inter se. τὸ facit epitasin. — ἐν καλῷ, *in bono*) *quum* de re bona agitur. Resp. ἐν τῷ παρεῖναί με, *quum adsum*. Respondet etiam πάντοτε, *semper*: quod est tempus generale, cum τὸ *quum adsum* tempus speciale sit et quidem modificatum, ut simul complectatur rationem illius zeli, quod de praesentia Pauli sic exsultare potuissent. τὸ ἐν καλῷ assonat ad ἐν τῷ παρεῖναι, et sumi potest cum *semper* pro una idea, quandocunque aliquid boni obversatur, et non solum me praesente. — ἐν τῷ παρεῖναί με, *quum adsum*) Paulum antea praesentem magno zelo amoris fuerant prosecuti, et mutuum Pauli zelum exacuerant. v. 15.

v. 19. τεκνία μου, *filioli mei*) Filiis ζηλωτὸς *cum zelo colendus est* genitor. Arcte hoc cohaeret cum *vos*, ut δὲ *vero* subsequens ostendit. Compellat Paulus Galatas, non ut rivalis, sed ut pater, conf. 1 Cor. 4, 15., cum auctoritate et sympathia tenerrima erga *filiolos*, filios debiles et alienatos. Saepe sermo patheticus tropos conglomerat. Hic tamen praevalet schema maternum. ζῆλος conjugalis in nota ad ζηλοῦσθαι assumtus est ex parallelismo. Etiam in spiritualibus amor interdum descendit potius quam ascendit. 2 Cor. 12, 15. — πάλιν, *iterum*) ut *prius*. v. 13. — ὠδίνω) *parturio*, *zelo* summo, (2 Cor. 11, 2.) cum *clamore*. v. 20. [*Haec ipsa scribens Paulus omnes nervos intendebat*. V. g.] Loquitur, ut res fert. nam in partu naturali *formatio* est ante *dolores partus*. — ἄχρις οὗ, *usque dum*) Non desistendum a nitendo. Correlatum, *semper*. v. 18. — μορφωθῇ, *formetur*) ut nil nisi Christum vivatis et sentiatis, c. 2, 20., ejusque passionem, mortem, vitam. Phil. 3, 10. s. Hoc *pulcrum* est summum: haec *forma* opponitur στοιχειώσει *formationi* mundanae. — χριστὸς, *Christus*) Non dicit hic, *Jesus*, sed, *Christus:* et hoc per metonymiam concreti pro abstracto. Christus, non Paulus, in Galatis formandus. — ἐν ὑμῖν, *in vobis*) Col. 1, 27.

v. 20. δὲ) *vero:* tametsi praesentia mea non est unica illa causa, quae vestrum zelum debet accendere. — παρεῖναι, *adesse*) v. 18. — ἄρτι) *Nunc* magis opus esset, quam antea. conf. *iterum*, v. 19. — ἀλλάξαι) *varie attemperare*. Ita solent, qui zelum habent, dum voluntates abalienatas recuperent. Molliter scribit, v. 12. 19. sed mollius loqui vellet. — τὴν φωνήν μου, *vocem meam*) Vox prae literis flecti potest, ut res poscit. Praecipua est loquendi ratio; scribendi, vicaria duntaxat et subsidiaria. 2 Joh. v. 12. 3 Joh. v. 13. s. — ἀποροῦμαι, *haesito*) non invenio aditum et exitum. Maximae facilitati sermonis operam dedit

---

1) ἐδώκατέ μοι, *delissetis mihi*] gratum animum eo nomine testaturi, quod tantam per me beatitudinem consecuti estis. Spontanea ista pietas est, nullo unquam exposcenda mercenario. *V. g.*

Digitized by Google

Paulus ad Galatas. Galaticae tarditati quam maxime accommodavit sermonem, ut illos convinceret. Theopneustia inde non periclitatur. vid. 1 Cor. 7, 25. not.

v. 21. λέγετέ μοι, *dicite mihi*) Urget, quasi *praesens: dicite.* — οὐκ ἀκούετε; *non auditis?*) in lectione publica. Proinde agitis, ac si nil de Abrahamo in lege scriptum audiretis. Non nisi extrema necessitate cogente ad allegoriam venit: haec est quasi ancora sacra. v. 20.

v. 22. γέγραπται, *scriptum est*) Gen. 21. — ἀβραάμ, *Abraham*) cujus filii esse vultis.

v. 24. ἀλληγορούμενα) Componitur ex ἄλλος et ἀγορέω *dico:* ut *allegoria* sit, ubi aliud dicitur, aliud potius significatur, v. gr. in mythologia. vide Eustathium ejusve saltem indicem. Collationem adjuvabit Schema.

SUBJECTA.

Historice, Abrahae filii duo.

Hagar, ancilla:	*Libera.*
Filius ancillae:	*Isaac filius liberae.*

Allegorice, duo testamenta.

Quae habet virum:	*Deserta.*
Qui sunt *a monte Sina:*	*Qui* sunt *promissionis.*
Mons; (modo:)	*Quae sursum* est; (mox.)
Jerusalem, quae nunc est:	*Jerusalem, quae supra est.*
Caro:	*Spiritus.*

PRAEDICATA.

Mater; *gignit servos:*	*gignit liberos.*
Proles; *copiosa initio:*	*copiosior* postea.
persequitur:	*persecutionem patitur.*
ejicitur:	*hereditate gaudet.*

Loquitur autem Paulus latissime, ut sermo ejus et doctrinam legis et evangelii, et oeconomiam veterem ac novam; neque haec omnia simul in abstracto tantum, sed etiam populum utriusque doctrinae et oeconomiae, quasi duas familias, cum earum matribus, in concreto, complectatur. Hinc illa enunciatio, *Agar est testamentum a monte Sinai:* cui opponitur, *nos*, v. 28. Hinc expeditus, a rationum paritate, in allegoria ab uno ad alterum commeatus. — μία μέν, *unum quidem*) Huic *quidem* respondet *autem*, v. 26. subsequiturque versu 28. expressa *promissionis* mentio, in antitheto ad Sinai sive legem: idemque *promissionis* vocabulum absorbet, quod in apodosi dicendum videretur, *alterum testamentum.* — σινᾶ, *Sina*) Ergo maxime de lege *morali* disserit Paulus. conf. c. 3, 19. Hebr. 12, 18. seqq. — εἰς δουλείαν γεννῶσα, *in servitutem generans*) Habet enim filios, eosque initio multos. — ἥτις, *quae*) Praedicatum. *Hagar*, subjectum: si enunciatio spectetur intra contextum. contra, praedicatum, extra contextum, ut fit in sermone allegorico. Matth. 13, 37. s.

v. 25. τὸ γὰρ σινᾶ ὄρος κτλ., *Sina enim mons est in Arabia, congruit autem Hierosolymae praesenti, servit enim cum filiis suis*) Opponuntur inter se *Hagar*, v. 24., et *Isaac*, v. 28. ubi notandum, quod *Hagar* suo nomine appellatur, non *Sara;* et tamen *Isaac*, non *Ismaël.* ancillam quippe matrem sequitur partus, at liberae filius suo nomine censetur. Sic *Hagar* in hac periocha expeditam habet rationem. Interim, versu 24. et 28., opponuntur inter se foedus *ex monte Sina* et *promissio:* item, versu 25. et 26., *Jerusalem nunc* et *Jerusalem supra.* Nonnulli haec verba, σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ ἀραβίᾳ, in omnibus monumentis reperta, pro glossemate habent; perperam. Sic enim enervatur argumentum Pauli, servitutem a monte Sina, ad eam, quae nunc est, Jerusalem, proferentis, v. 24. 25. Potius *Hagar* ex versu 24. in versum 25. inductam esse, docent mo-

Digitized by Google

numenta idonea in Apparatu citata, et neutrum genus articuli τό. nam *Hagar* foemininum est, sed *Sina* neutrum [1]). Neque *Hagaris* mentionem postulant illa verba, *servit enim cum filiis suis:* nam *suis* refertur, ut non ad *Sina*, neutrum, ita multo minus ad *Hagar*, sed ad *Jerusalem, quae nunc est.* illa habuit *filium*, haec autem *filios.* Haec de tota periocha: nunc singulatim aliqua videbimus. — σινᾶ ὄρος, *Sina mons*) *Monte Sina*, habet v. 24.: nunc vertitur verborum ordo. (conf. Eph. 2, 1. not.) Priore loco potior ratio habetur *montis*, quatenus in eo lex data est, quodcunque is nomen haberet: postea, magis consideratur *Sina* mons, in Arabia. — συστοιχεῖ δὲ) δὲ, *autem*, tametsi in Arabia est. συστοιχεῖν dicitur, quod in comparatione congruit. Haec congruentia per se patet: nam idem est populus, qui in monte Sinai legem accepit, et qui urbem Jerusalem inhabitat; eademque populi utroque tempore ratio. Accedit, quod Sinai et Jerusalem sub eodem fere Meridiano erant, et per montes sine magna interpellatione quasi concatenatos cohaerebant. — τῇ νῦν, *praesenti*) Antitheton, *superna.* νῦν, *nunc*, temporis est, *supra* loci. utriusvis ex altero supplendum antitheton in oratione semiduplici: Jerusalem *praesens* et terrestris; *superna* et aeterna. *Superna* dicitur eo commodius, ut alludat ad superiorem nobilioremque Hierosolymorum partem, *supergrediaturque montem* Sina: et Jerusalem superna, quatenus jam est *mater* nostra, non commode diceretur *futura;* neque solum *futura* est, sed etiam antiquior est, quam ἡ νῦν, *praesens*, quae nec pridem fuit, nec olim erit. — δουλεύει, *servit*) Ut Hagar herae suae, sic Jerusalem, quae nunc est, legi, et, conveniente statu spirituali et civili, Romanis servit.

v. 26. ἡ δὲ ἄνω, *superna autem*) Hebr. 12, 22. Ap. 21. — ἐλευθέρα, *libera*) ut Sara. — ἥτις, *quae*) *Jerusalem.* — μήτηρ, *mater*) Veteres de Roma sua: *Roma communis nostra patria est.* — πάντων, *omnium*) quotquot sumus. Huc ref. *multi*, v. seq.

v. 27. γέγραπται, *scriptum est*) Es. 54, 1. — εὐφράνθητι, *laetare*) cum cantico. — στεῖρα, *sterilis*) Sion, Jerusalem superna. — ῥῆξον, *erumpe*) ad *clamorem.* — καὶ βόησον, *et clama*) prae gaudio. — τῆς ἐρήμου, *desertae*) Ecclesiae N. T. ex gentibus promissionis *expertibus* maximam partem collectae, quae antehac id non egisse visa non pariens, nec parturiens appellatur. — τῆς ἐχούσης, *habentis*) ecclesiae Judaicae.

v. 28. κατὰ ἰσαάκ) *ad similitudinem Isaaci.* — ἐπαγγελίας, *promissionis*) v. 23. — ἐσμέν) *sumus*, et esse debemus ac volumus. sic v. 31.

v. 29. ἐδίωκε, *persequebatur*) petulanter. Gen. 21, 9. Persequi, carnalium est, non spiritualium. [*Care parvi aestimes quaecunque ayuntur contra filios* liberae. V. g.] — τὸν κατὰ πνεῦμα) sc. γεννηθέντα, *eum qui secundum Spiritum genitus est.* Paulus apodosin in mente habens, sermonem de Ismaële et de Isaaco ita format, ut conveniat in carnales et in fideles. Ubi Spiritus, ibi libertas.

v. 30. ἡ γραφὴ, *scriptura*) Sara, de Isaaco; *Scriptura*, per allegoriam. — ἔκβαλε, *ejice*) e domo et hereditate. — τὴν παιδίσκην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς, *ancillam et filium ejus*) Ipsa servilis conditio meretur ejectionem; sed persecutio contra filios spirituales ansam dat exsequendae poenae. — οὐ γὰρ μὴ κληρονομήσῃ, *non enim hereditatem cernet*) Respicit Sara divinam ordinationem de Isaaco herede unico, quamvis etiam Ismaël circumcisus esset.

v. 31. [2]) τῆς ἐλευθέρας, *liberae*) Sequitur, *libertate.* Anadiplosis.

---

1) *Hinc omissio vocis* ἄγαρ *hoc versu, in margine* Ed. maj. *minus adprobata, per marginem* Ed. 2. *lectionibus firmioribus adnumeratur, consentiente* Vers. germ. — *Sed conferri jam merentur, quae cel.* Michaëlis *habet, in der* Einleitung etc. T. I. *p. m.* 646. *sq., ubi docet,* Hagar *arabico idiomate* petram *denotare, adeoque verba* τὸ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, *ita debere transferri:* Das Wort Hagar bedeutet in Arabien den Berg Sinai. E. B.

2) οὐκ ἐσμὲν, *non sumus*] i. e. nec debemus esse nec volumus. *V. g.*

Digitized by Google

CAPUT V.

v. 1. Τῇ ἐλευθερίᾳ — στήκετε, *libertate — state*) Incisum, *qua nos Christus liberavit*, vim habet aetiologiae. Antitheton, *libertas, servitus.* Asyndeton, uti c. 3, 13. *libertate* emphatice ponitur sine *in:* ipsa libertas vim standi confert. ἠλευθέρωσε significat *liberos reddidit,* et ᾗ cohaeret cum *liberos. state,* erecti, sine jugo. — πάλιν, *iterum*) c. 4, 9. not. — ζυγῷ δουλείας, *jugo servitutis*) Sic appellatur non circumcisio sola Abrahamo data pro signo promissionis, sed circumcisio cum tota multo post in Sinai data lege. c. 4, 24. 3, 17. Assueverant enim Judaei circumcisionem spectare potius, ut partem legis per Mosen susceptae, quam ut signum promissionis Abrahamo datum. Joh. 7, 22. Neque circumcisio tam per se jugum erat, quam per legem jugum factum est, et lex ipsa multo magis jugum erat. Itaque Paulus gravi metonymia consequens pro antecedente ponit: nolite circumcidi. nam qui circumciditur, cum hac parte legem totam subit et a Christo deficit. v. 2—4. Neque tam circumcisioni Christum apostolus, quam legi immediate opponit. Loquitur secundum eorum perversam consuetudinem, dum eorum Galatismum et Judaismum refutat: et veritati tamen nil decedit. Etiam Petrus Act. 15, 10. *jugum* vocat. — ἐνέχεσθε) ἐνέχομαι, medium: *obnixe teneo.* Vim verbi ostendit illud *Xiphil.* in Epit. Dion. de pertica humi fixa et evelli recusante, ἐν τῇ γῇ ἐνέσχετο, ὥσπερ ἐμπεφυκώς.

v. 2. ἐὰν περιτέμνησθε, *si circumcidamini*) Hoc cum magna vi pronunciandum. Circumcidebantur, ut qui in lege justitiam quaererent. v. 4. — οὐδὲν, *nihil*) c. 2, 21.

v. 3. ὀφειλέτης, *debitor*) sub periculo salutis. — ὅλον, *totam*) Id quod nunquam poterit praestare.

v. 4. κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, *evacuati estis a Christo*) Sic Vulgatus. Germanice dixeris, *ohne werden.* Conf. v. 2. Rom. 7, 2. 6. — δικαιοῦσθε, *justificamini*) justitiam quaeritis. Medium. — τῆς χάριτος ἐξεπέσατε, *gratia excidistis*) Conf. v. 3. Excidistis Novo Testamento, quaqua patet. In gratia sumus et *stamus* nos potius, quam gratia est in nobis. Conf. Rom. 5, 2.

v. 5. ἡμεῖς γὰρ, *nos enim*) Ego, et omnes fratres, et quotquot in Christo sumus. Qui a nobis dissentiunt, habeant sibi. — πνεύματι) *Spiritu gratiae,* sine circumcisione etc. — ἐκ πίστεως) *ex fide Christi.* conf. v. praec. — ἐλπίδα δικαιοσύνης, *spem justitiae*) *Justitia* jam est praesens; eaque nobis *spem* in reliquum praebet. Rom. 5, 4. s. — ἀπεκδεχόμεθα) *exspectamus et exspectando assequimur.* Decompositum. Paulus, dum ulteriora commemorat, praesentia includit et confirmat.

v. 6. ἰσχύει) *valet,* pollet. Idem verbum, Matth. 5, 13. Jac. 5, 16. — οὔτε ἀκροβυστία, *neque praeputium*) Hoc pertinet ad eos, qui si se liberos a lege statuant, vel ob id solum se Christianos esse putant. — πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, *fides per amorem operans*) Haec nova *creatura* est. c. 6, 15. Cum *fide* conjunxit v. 5. *spem;* nunc *amorem.* in his stat totus *Christianismus.* ἐνεργουμένη non est passivum, sed medium: 1 Thess. 2, 13. neque Paulus amorem ponit pro forma fidei, sed docet, cum fide nil aliud nisi amorem manere, v. 13. 14. quo tamen ipso idem docet, quod Jacobus c. 2, 22. *Fides* commendatur iis, qui *circumcisionem* defendunt: *amor* iis, qui *praeputium* aliquid esse putant. [*ut moneantur, legem non tolli per fidem, sed confirmari.* V. g.] *Amor* opponitur odiis apud Galatas grassantibus. v. 13. 15. 20. 26. [*Longissime ab* amore *absunt operarii, Spiritus est* fidei et amoris *spiritus.* V. g.]

v. 7. ἐτρέχετε καλῶς, *currebatis bene*) in fidei stadio, ut *vocatio* requirebat. v. 8. coll. Phil. 3, 14. Id alacrius, quam *ambulare.* Iterum venit ad argumenta conciliantia et moventia. — τίς, *quis*) nemo, cui auscultare debuistis. Sic, *quis,* c. 3, 1. — ἐνέκοψε, *impedivit*) in cursu.

Digitized by Google

v. 8. ἡ πεισμονὴ) Plerique interpretantur, *persuasio*, etiam addito *haec, ista, vestra*, teste Lubino ad h. l. Conf. Chrys. h. l. Rarissima haec vox est: unusque, quod repererim, Eustathius ad Odyss. χ. eam habet, ubi docet, πεῖσμα καὶ πεισμονὴν ἐπὶ τῶν ἐνστατικῶν εἰρῆσθαι, τροπικῶς, ἀπὸ τῶν κατὰ νῆας πεισμάτων ἤγουν σχοινίων. Est autem ἐνστατικὸς, atque adeo πεισμονὴν habet, *homo pertinax et obstinatus*, qui intermisso *cursu* ἐνέχεται, qui sibi uni persuadet et credit, alterique οὐ πείθεται, v. 1. 7.: quo pacto μὴ πείθεσθαι, et ἡ πεισμονὴ, et πέποιθα, v. 10. antanaclasin efficiunt; quae figura et Paulo, ut multi passim observant, et reliquis scriptoribus sacris, ut Glassius praeclare demonstrat, frequens est. Sive metaphora est sive minus, certe verbale hoc, ut cetera in ονὴ, intransitivum est. — οὐκ, *non*) subaudi *est*. *non* est *ex* (Deo) qui vos vocabat, sed a vi videlicet inimica. Et subest metonymia abstracti pro concreto, ut ex praevio, *quis*, non *quid*, apparet. — καλοῦντος) *qui* vos *vocabat*. conf. v. 13. *vocati estis*. sic, 1 Thess. 5, 24. coll. Phil. 3, 14. *Vocatio*, norma totius cursus.

v. 9. μικρὰ ζύμη, *parvum fermentum*) unus turbator. v. 10. [*Improbus unus multum boni perdit. Eccl.* 9, 18. *Unius hominis malitia, calliditas aut violentia immanem saepe noxam parit.* V. g.]

v. 10. ἄλλο, *aliud*) atque scribo. — φρονήσετε, *sentietis*) his lectis. conf. Phil. 3, 15. — ὁ δὲ, *qui vero*) Discrimen inter seductorem, de quo minus spei est, et inter seductos. — ταράσσων — κρίμα, ὅστις, *turbat* — *judicium*, *quicunque*) c. 1, 7. s. — βαστάσει, *portabit*) ut grave onus. — τὸ κρίμα, *judicium*) pro tanto crimine certo imminens. Articulus vim habet. — ὅστις ἂν ᾖ, *quicunque sit*) Clandestinus erat in Galatis turbator. ὅστις, *quisquis*, qualiscunque.

v. 11. ἔτι [1]), *adhuc*) c. 1, 10. — κηρύσσω, *praedico*) Hinc colligas, turbatorem dixisse, Paulum ipsum praedicare circumcisionem: et fortasse praetextum sumsit a circumcisione Timothei; cujus tamen alia, pridem factae, causa fuerat. — διώκομαι, *persecutionem patior*) Persequebantur Paulum, quod circumcisionem tolleret. Inutilis jam erat ritus, quem si Paulus condonasset adversariis, pax erat: sed non cessit. Vide, quam acriter defendenda sit veritas. — ἄρα, *ergo*) Si circumcisionem praedicarem, inquit, hodie nullum esset scandalum crucis. atqui scandalum adhuc fervet. Ergo falso dicor praeco circumcisionis. — σκάνδαλον, *scandalum*) apud carnales. — τοῦ σταυροῦ, *crucis*) cujus virtus non stat cum circumcisione. c. 6, 12. 14. Innuitur ipsa Christi crux. Magna erat Judaeorum et Judaizantium confusio. Multi praeconium de *cruce* Christi facilius ferebant, attemperata ei circumcisione ejusque praeconio. Sic aliquid tamen retinuerunt.

v. 12. ἀποκόψονται, *abscindentur*) Sub elenchum de praeterito, Paulus de Galatis in posterum bene sperat: sed seductoribus poenas denunciat, duabus sententiis, quae, particula ὄφελον tantisper seclusa, sic habent: ὁ δὲ ταράσσων ὑμᾶς βαστάσει τὸ κρίμα κτλ. καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς. Unus ille occultus *turbator* ceteris pejor, v. 10., qui ipsius Pauli consensum de circumcisione jactabat, hic in transcursu refutatur: v. 11. ceteris vero item, Galatas de statu evangelii deturbantibus, denunciatur, fore, ut *abscindantur*. Ita particula καὶ *et* vim suam naturalem obtinet, cohaerentque verba haec, βαστάσει — δὲ — καὶ ἀποκόψονται, uti illa, κρίνετε — δὲ — καὶ ἐξαρεῖτε. 1 Cor. 5, 12. s. ἀποκόψονται est futurum medii, quod, ut saepe, ita hic, vim passivam habet: respondet Hebraeo כרת estque conjugatum verbi ἐγκόπτειν, v. 7. Dicitur alias ἀποκόπτεσθαι vel totum, decisa parte; vel pars, de toto decisa. Priorem sensum nonnulli hoc loco tribuunt zelo apostolico, ut notetur *mutilatio corporis cir-*

---

1) *Particula haec*, in Ed. maj. *infirmioribus lectionibus annumerata*, *per maryinem* Ed. 2. *firmioribus accensetur*, *adeoque etiam* in Vers. germ. *bis hoc versu exprimitur*. E. B.

cumcisi; ac saepe quidem pro כרת LXX κόπτω, ἀποκόπτω etc. praesertim Deut. 23. (1.) 2., ubi ἀποκεκομμένος dicitur pro eo, quem Galli h. l. interpretantur, *plus quam circumcisum:* sed vix nisi per metonymiam ab apostolo dictum possis accipere: i. e. ut *tanquam exsecti* arceantur ab ecclesia. Deut. l. c. Alter sensus magis congruit gravitati apostolicae, ut hoc dicat: Quemadmodum praeputium per circumcisionem abscinditur, ut quiddam, quo carere decet Israëlitam: ita isti tanquam praeputium rejiculum de communione sanctorum abscindentur, et anathema erunt. c. 1, 7. seqq. Simili ad περιτομὴν *circumcisionem* respectu Paulus Phil. 3, 2. κατατομὴν dicit, *concisionem.* nec plane alienum est, quod de Judaeis ait Apollon. in Philostr. 5, 11. *jam olim se absciderunt non a Romanis tantum, sed etiam ab hominibus omnibus.* Nunc quid fiet particula ὄφελον; Plerique construunt, ὄφελον καὶ ἀποκόψονται· sed ὄφελον, quum sat frequens sit particula, nusquam cum futuro indicativi constructum reperias. Quod cum agnoscerent *Complutenses,* ἀποκόψωνται ediderunt: sed id codicum suffragiis caret. Multae in sacris literis imprecationes extant, neque in ulla earum formula hoc ὄφελον adhibetur: neque hoc loco Paulus post categoricam denunciationem demum voto militaret in turbatores. Post ὄφελον in *Augustano sexto* ponitur στιγμή· opinor, in pluribus mss. si philologi annotarent talia. nam comma certe est in editionibus quibusdam antiquis, praesertim Basileensi Ann. 1545. Imo ὄφελον percommode connectas cum praecedentibus: ἄρα κατήργηται τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ· ὄφελον. *Ergone sublatum est scandalum crucis? Velim, ita sit.* Subjungitur ὄφελον in re optabili, (qualis notatur etiam 1 Cor. 4, 8.) ut μὴ γένοιτο, c. 3, 21. et passim, in re minime placita: et εἶεν, apud Graecos, in concessione, vel *esto,* apud Latinos. Atque uti c. 2, 17. post ἄρα ponitur μὴ γένοιτο, ita hic post ἄρα ponitur ὄφελον. *Utinam crux nemini sit pro scandalo: utinam in cruce omnes cum Paulo posthac glorientur.* c. 6, 14. s. — οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς) Idem verbum, Act. 17, 6. Notat *de statu plane dimovere.*

v. 13. ὑμεῖς, *vos*) Tantum abest, ut circumcisionem praedicem, ut potius libertatem vobis demonstrem. — ἐπ' ἐλευθερίᾳ, *super libertate*) ut libertate gauderetis. Vocatio non est ad πεισμονὴν, sed ad libertatem. — μόνον μὴ) Ellipsis Imperativi, εὐλάβειαν habens, μόνον μὴ ἐλεύθεροι ἦτε τὴν ἐλευθερίαν etc. aut accusativus τὴν ἐλευθερίαν absolute positus. — ἀφορμὴν, *occasione*) cujus avida *caro* est. — τῇ σαρκὶ, *carni*) v. 16. s. — διὰ τῆς ἀγάπης, *per amorem*) v. 14. 22. — δουλεύετε, *servite*) Decorum antitheton.

v. 14. πληροῦται, *impletur*) Rom. 13, 9. not.

v. 15. δὲ, *vero*) Oppositum servitutis per amorem serviendae. — δάκνετε, *mordetis*) in fama. — κατεσθίετε, *comeditis*) in facultatibus. — ἀναλωθῆτε, *consumamini*) Per rixas et dolores *consumitur* virtus animae, valetudo corporis, existimatio, facultates. [*Notabilis proh dolor! eorum numerus est, quorum alter vitam alterius praecidit.* Durioris *ingenii homines necopinantes et curarum nescii consumunt reliquos:* molliores, *solicitudinem tacite devorantes, praematura morte conficiuntur.* V. g.]

v. 16. λέγω δὲ, *dico vero*) Ingreditur explicare, quae v. 13. proposuit. — πνεύματι, *spiritu*) vid. [v. 18. 22. 25. 6, 1—8.] Rom. 8, 4. not. — οὐ μὴ τελέσητε) *non perficietis.*

v. 17. τὸ δὲ πνεῦμα) *Spiritus autem* contra carnem. verbum ἐπιθυμεῖ ipsum, vel, quia id fere in malam partem sumitur, alterum ei analogum subauditur. Ellipsis certe sive zeugma elegantiam habet. — ἀντίκειται, *adversantur*) ἀντιπραγίᾳ pugna mutua seria. — ἃ ἂν, *quaecunque*) Carnales faciunt, *quaecunque* volunt; tametsi interdum caro cum carne pugnat: eorum, qui resipiscunt, alia eaque mirabilis est conditio. nam spiritus obnititur carni et actioni malae; caro, spiritui et actioni bonae, *ut* (ἵνα) neque illa neque haec peragatur.

Tali in statu, ancipiti quippe, multae malae et multae bonae actiones impediuntur: ubi vero spiritus vincit, v. 18. acie res *decernitur*. Haec summa iis quodammodo respondet, quae Rom. 7, 14. seqq. copiose explanantur: quanquam in praesenti status praesupponitur magis jam spiritualis.

v. 18. πνεύματι, *spiritu*) Dei, Rom. 8, 14. et, libertatis. — ἄγεσθε, *ducimini*) Medium. l. c. cum annot. — ὑπὸ νόμον, *sub lege*) Rom. 6, 14. s.

v. 19. φανερὰ δὲ, *manifesta autem*) Caro occulta, per sua se opera prodit, ut facilis sit cognitio sui. — τὰ ἔργα, *opera*) *infructuosa*. *Opera*, in plurali; quia divisa sunt, et saepe inter se pugnantia, et vel singula carnem produnt. At *fructus*, bonus, v. 22., in singulari, quia conjunctus et concors. Conf. Eph. 5, 11. 9. — ἅτινα, *quae*) Ea opera carnis enumerat, in quae maxime proclives erant Galatae; contra, eas etiam partes fructûs Spiritus, quae eis maxime debebant esse commendatae v. 15. Ordinem hunc tenet, ut enumeret peccata, commissa cum proximo, adversus Deum, adversus proximum, et circa se ipsum: cui ordini respondet enumeratio fructus Spiritus. — ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, *impuritas*) *lascivia*, 2 Cor. 12, 21. not.

v. 20. φαρμακεία) Vid. LXX, Exod. 7, 11. et passim: neque Paulum hic de naturali veneficio, sed de magia loqui, ex eo patet, quia non cum *homicidio*, sed cum *idololatria* conjungit. Conf. Ap. 21, 8. not. — διχοστασίαι, *dissidia*) de rebus civilibus. — αἱρέσεις, *haereses*) de rebus sacris. 1 Cor. 11, 19.

v. 20. 21. ζῆλοι — φθόνοι, *zeli — invidiae*) Et *zelus* et *invidia* aegre fert commodum alterius: *zelus*, commodi sui causa; *invidia*, etiam sine commodo suo. — ἐριθεῖαι) Diff. ab ἔρεις. ἔρις, *Hader*: ἐριθεία, *Trutz*. ἐριθεία vult major esse, ἔρις non certe minor. — προλέγω, *praedico*) ante eventum. — ὑμῖν, *vobis*) Saepe securi sunt operarii. [1])

v. 22. [2]) ἀγάπη, *amor*) Hic familiam ducit. Pauciora in bonis vocabula ponuntur, quia bonum est simplicius, et una saepe virtus multa habet contraria. conf. Eph. 4, 31. s. — χαρὰ, *gaudium*) de rebus bonis. — χρηστότης, ἀγαθωσύνη) Differunt. χρηστότης magis refertur ad alterum, ἀγαθωσύνη, *bonitas* quasi effusa, sponte sua. — πίστις) אמונה constantia, *fidelitas*: cui opponuntur *dissidia* et *haereses*. Expende ordinem verborum.

v. 23. τῶν τοιούτων, *tales*) Hoc tantundem est, ac si etiam post *continentia* addidisset et *similia his*, quanquam ipsum asyndeton hanc vim habet. Matth. 15, 19. not. τῶν τοιούτων, masculinum, coll. v. 18. 21. fin. ubi πράσσοντες additur, quod nunc quasi per τοιούτων compensatur. 1 Tim. 1, 9. 10. init. — οὐκ ἔστι νόμος, *non est lex*) Ipsa lex amorem praecipit. [*Adeoque talibus non abjudicatur Dei regnum*. V. g.]

v. 24. οἱ δὲ τοῦ χριστοῦ, *qui vero Christi sunt*) Repetit thesin versu 18. datam. — τὴν σάρκα, *carnem*) de qua v. 19. s. — ἐσταύρωσαν, *crucifixerunt*) Id faciunt cum *Christo*, Rom. 6, 6., suscepto baptismo et fide. *crucifixam habent*, in praesenti. Subaudi, et spiritus in eis viget. Id includitur versu 24., ex versu 22. — παθήμασι, *passionibus*) Ex *passionibus* nascuntur et aluntur *concupiscentiae*. utraque, *affectus* et *appetitus*, idem supplicium, quod *caro*, merentur. [Passiones, *vehementes illae quidem sunt, iracundae atque infestae*: concupiscentiae *contra*, *placidum sensuum pabulum venantur*. V. g.]

v. 25. εἰ, *si*) Redit ad hortationem. *ambulate*, dixit v. 16., nunc, στοιχῶμεν, *incedamus*. Ex principio *vitae* spiritualis duci debet ὁ κατὰ στοῖχον, ὅ ἐστι,

---

1) τὰ τοιαῦτα, *talia*] Si quis non omnia quidem ista, sed aliqua certe vel unum eorum perpetret: regnum Dei perdidit. *V. g.*

2) ὁ καρπὸς, *fructus*] Singulare, non plurale. Carnis opera multa sunt eaque dispersa: fructus spiritus integrum quoddam constituit, idque conjunctum. *V. g.*

Digitized by Google

τάξιν, (inquit Eustathius) *incessus*. conf. de malis, Col. 3, 7. — στοιχῶμεν, *incedamus*) Idem verbum, c. 6, 16. [*In spiritu vivunt, moventur et sunt spirituales*. V. g.]

v. 26. μὴ γινώμεθα, *ne fiamus*) Qui non incedunt Spiritu accurate, proxime declinant ad *vanae gloriae cupiditatem*, cujus hîc duo effectus nominantur. — κενόδοξοι) Vid. Chrys. de sacerd. §. 587.[1]) — προκαλούμενοι, *provocantes*) ad *invidiam*. Relatum, ex parte potentiorum. — φθονοῦντες, *invidentes*) Correlatum, ex parte infirmiorum.

CAPUT VI.

v. 1. Ἀδελφοὶ, *fratres*) Sequitur monitum ad Galatas proprie accommodatum. — ἐὰν καὶ, *si etiam*) Saepe, qui provocat, alterum pro provocante habet: sed si revera alter *ante captus fuerit*, tamen nos non debemus nos provocatos ducere, sed alteri potius consulere. ἐὰν καὶ denotat rem facilem, sed apud spirituales non nimis frequentem. — προληφθῇ, *ante captus fuerit*) Passivum perinde, ut appellatio *homo*, pertinet ad veniam conciliandam: sed praepositio πρὸ *ante* refertur vel ad *delictum*, coll. Sap. 17, 17. προληφθείς· vel potius ad partem laesam, ut *ante captus fuisse* dicatur, qui nos, non laesus, laesit. ut Herodianus l. 5., τοὺς εὐεργεσίαις προειλημφότας dicit, *qui prius benefecere*. — ἐν τινὶ παραπτώματι, *in aliquo delicto*) v. gr. *vanae gloriae*, c. 5, 26., aut reditûs ad servitutem legalem. conf. *delictum*, Rom. 11, 11. s. — οἱ πνευματικοὶ) *qui Spiritu valetis*, et lapsum illum, vigilantes, animadvertitis. sic, *validi*, Rom 15, 1. Congruit mox, *in spiritu*. [*Conf. c.* 5, 25.] — καταρτίζετε) *restituite*, ut membrum ecclesiae. Omnes, qui possunt, juvare debent. — πραότητος, *mansuetudinis*) In hac sanandi vis est: haec character palmarius hominis spiritualis. [*Conf. c.* 5, 22.] — σκοπῶν, *spectans*) Singularis post pluralem. Quisque sibi debet attendere. — καὶ σὺ, *etiam tu*) Tentato uno, facile tentatur alter; praesertim si velit mederi alteri, nec *mansuetudinem* servet. — πειρασθῇς, *tenteris*) eodem aliove modo.

v. 2. τὰ βάρη, *onera*) Sane onus est omne *delictum*. Versu 5. φορτίον. φορτίον, par ferentis viribus: βάρη, quae excedunt. — βαστάζετε, *portate*) constanter: non modo semel sublevate. — καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε, *et sic adimplete*) Imperativus, includens futurum indicativi, uti Joh. 7, 37. ἀνα praesupponit defectum aliquem apud Galatas sarciendum. — τὸν νόμον τοῦ χριστοῦ, *legem Christi*) Rara appellatio. conf. Joh. 13, 34. Rom. 15, 3. Lex Christi, lex amoris. Moses multa alia habet praecepta. Verba haec, *onera* et *legem*, habent mimesin ad Galatas, *oneri legali* obnixe subesse conantes.

v. 3. δοκεῖ εἶναί τι, *videtur esse aliquid*) *in Spiritu*. Qui sibi non videtur esse aliquid, hic demum aliorum fert onera.

v. 4. τὸ δὲ ἔργον, *opus vero*) Statim iterum occurritur alteri extremo, ne alios juvans tui obliviscare. — ἔργον) *rem*, non opinionem de se. — εἰς ἑαυτὸν μόνον, *in se ipsum solum*) Multi, dum se comparant cum aliis, qui deteriores videntur, gloriam capiunt. itaque Paulus ab hac comparatione deterret. Ne de nostris quidem bonis gloriari debemus; sed multo minus de alienis vitiis, quibus nos careamus. Gloriam de his dum eximat, gloriam de illis videtur concedere, sed non admodum concedit. nam *probatio* suarum rerum statim objiciet multa, per quae *gloriatio* imminuatur: et mox non *gloriationem* dicit, sed φορτίον, *onus*. imo

---

1) Τίς οὖν, *inquit*, τῶν θηρίων τούτων (τὰ πάθη τῆς ψυχῆς innuit) ἡ τροφή; κενοδοξίας μὲν, τιμαὶ καὶ ἔπαινοι· ἀπονοίας δὲ, ἐξουσίας καὶ δυναστείας μέγεθος· βασκανίας δὲ, αἱ τῶν πλησίον εὐδοκιμήσεις· φιλαργυρίας, αἱ τῶν παρεχόντων φιλοτιμίαι· ἀκολασίας, τρυφὴ καὶ αἱ συνεχεῖς τῶν γυναικῶν ἐντεύξεις· καὶ ἕτερον ἑτέρου. — E. B.

Digitized by Google

ipsum vocabulum, *gloriatio*, per mimesin adhibitum, simul includit contrarium. — τὸ καύχημα, *gloriationem*) illam, qua dicit: Ego aliquid sum. — ἕξει, *habebit*) se ipso judice.

v. 5. φορτίον, *onus*) aut grave aut leve. Conf. βάρη, v. 2. — βαστάσει, *portabit*) in judicio divino. Futurum; cujus antitheton in praesenti, v. 2. Est tamen in his verbis oratio semiduplex, ut alterum altero connotetur. *Gloriatio* ad hominem dicitur, quia alter falsam *gloriationem* prae se fert. haec ei eximitur, atque proprium bonae conscientiae testimonium per parodiam tantisper etiam *gloriatio* appellatur.

v. 6. κοινωνείτω δὲ, *participato vero*) *Proprium*, quum dixi, inquit Paulus, id non debet trahi ad imminuendam liberalitatem. κοινωνέω, perinde ut *participo*, et accipiendi et dandi notionem includit. hic, dandi, uti Phil. 4, 15. magna elegantia. — ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, *in omnibus bonis*) in omni facultatum genere, ut usu venit.

v. 7. θεὸς οὐ μυκτηρίζεται] Verbum medium. *Deus non patitur sibi fumos vendi.* Locutio minime obvia alludere videtur ad LXX, et quidem Prov. 12, 8., νωθροκάρδιος μυκτηρίζεται· ut sensus sit: Deus non est νωθροκάρδιος, sed vere judicat, nec sine fine tacet. Ps. 50, 21. Illudere conantur, qui sic cogitant: Seminabo in carnem; et tamen persuadebo Deo, ut messem vitae mihi det. — ὅ ἐὰν, *quodcunque*) sive malum sive bonum. — σπείρῃ, *seminaverit*) speciatim de facultatibus. 2 Cor. 9, 6. — ἄνθρωπος, *homo*) quilibet. — τοῦτο) *id ipsum*. — θερίσει, *metet*) Messis tempore scripta videtur epistola. Prov. 22, 8. ὁ σπείρων φαῦλα θερίσει κακά.

v. 8. εἰς, *in*) tanquam in agrum. — τὸ πνεῦμα, *spiritum*) Hic non additur, *suum*. Per nos sumus carnales, non spirituales. Caro *suitati* dedita est. — ζωὴν αἰώνιον, *vitam aeternam*) Non additur articulus. non enim agitur hic de fide, sed de fructu fidei.

v. 9. τό] Quum bonum facimus, adjungi debet perseverantia. — τὸ καλὸν ποιοῦντες, *bonum facientes*) Alia locutio, *operemur bonum*, v. 10. coll. *bonis*, v. 6. — ἰδίῳ, *proprio*) post sementem. Tantisper exspectandum. Adde not. ad 1 Tim. 6, 15. Tum non erit potestas serendi. — μὴ ἐκλυόμενοι] Ἐκκακεῖν est in *velle*: ἐκλύεσθαι, *in posse*. μὴ ἐκλύεσθαι est quiddam plus, quam μὴ ἐκκακεῖν· Utrumque refertur ad sementem. Nam ἐκλύεσθαι est ex interna remissione virium. Sic LXX, ἵσθι μὴ ἐκλυόμενος, Prov. 6, 3. Chrysostomus eo interpretatur, quod illic nemo fatigetur, ut in messe mundana.

v. 10. ὡς] *ut*, *quoad*, quo tempore, modo, loco etc. Conf. Kohel. 9, 10. בכחך LXX, ὡς ἡ δύναμίς σου, *ut vales*, *dum vales*. — καιρὸν] *tempus*, totius vitae, et in ea partem temporis opportuniorem. Sic, καιρὸν ἔχοντες, 1 Macc. 15, 34. — ἔχομεν, *habemus*) Non enim semper habebimus. Satanas paucitate temporis acuitur ad nocendum, Ap. 12, 12.: nos acuamur ad bene agendum. — τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως, *domesticos fidei*) Quilibet benefacit necessariis suis; fideles, necessariis in fide, praesertim iis, qui se totos impendunt propagandae fidei. v. 6. Sic fidem ipsam commendat apostolus in hoc fine tractationis.

v. 11. ἴδετε, *videte*) Conclusio. — πηλίκοις γράμμασιν] *quantis literis*. i. e. quanta epistola: uti *longae literae* dicuntur pro longa epistola. quantitas refertur non ad singulas literas, sed ad conjunctas. Longior est epistola ad Hebraeos, quae tamen brevis dicitur, c. 13, 22.: haec autem, longa; quia de uno argumento, ipsius Pauli manu, de re, in qua Galatae pridem debuerant esse confirmati. Et illa ad paracleticam, haec ad polemicam Theologiam comparata. Nullam antea longiorem dederat.

v. 12. ὅσοι] *quotquot*. — εὐπροσωπῆσαι] *bona specie se commendare coram*. conf. 2 Cor. 5, 12. — ἀναγκάζουσιν, *cogunt*) exemplo suo, v. 13. et importuni-

Digitized by Google

tate. Idem verbum, c. 2, 3. 14. — μόνον, *solum*) Tales ergo ceteroqui volebant haberi pro Christianis. — διώκωνται, *persecutionem patiantur*) a Judaeis, vel etiam a gentibus, vetustatem judaicam facilius jam ferentibus, quam novitatem fidei Christianae supernaturalem.

v. 13. αὐτοὶ, *ipsi*) Tantum abest, ut illorum intersit, a vobis legem observari. — σαρκὶ, *carne*) si ea circumcisa sit.

v. 14. ἐμοὶ δὲ, *mihi vero*) Nolim istorum esse particeps. — μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι), Jos. 24, 16., חלילה מִמֶּנּוּ עֲזֹב אֶת־יְהוָה μὴ γένοιτο ἡμῖν καταλιπεῖν Κύριον. — καυχᾶσθαι, *gloriari*) Specimen talis gloriationis, 2 Cor. 5, 15—19. Phil. 3, 8. seqq. — ἐν τῷ σταυρῷ, *in cruce*) cui nil cum circumcisione carnis. Oxymoron: *gloriari in cruce*. — δι' οὗ, *per quam*) crucem. Nam de *cruce* hic potissimum sermo est: et, si τὸ δι' οὗ etiam ad Christum referretur, tamen ratio sub qua esset *crux*. Per quod unumquodque est tale, illud magis est tale. — κόσμος ἐσταύρωται, *mundus crucifixus est*) Nil penes me valet mundus cum suis elementis. c. 4, 3. Gradatio a *carne* ad *mundum*. — κἀγὼ τῷ κόσμῳ, *et ego mundo*) Mundus a me abhorret. etiamsi vellem, tamen nullam posthac a mundo gratiam inire possem. Crux haec mortem includit. Col. 2, 20.

v. 15. οὔτε γὰρ περιτομή τι ἐστὶν οὔτε ἀκροβυστία) Sic vetustissima habet lectio: recentior ad c. 5, 6. conformata est. [1]) Non modo nil valet, sed etiam *nil est* et circumcisio et praeputium: est vero nova creatura, et gloriatio in cruce Domini Jesu Christi. — καινὴ κτίσις) *nova creatio*, ex *cruce* Christi. Eph. 2, 15. s. Oppositum ad vetera, 2 Cor. 5, 17.

v. 16. κανόνι, *regula*) Pertinet hoc praesertim ad doctores. — εἰρήνη, *pax*) sit, et erit. De *pace* conf. Eph. cap. cit. v. 14—17. — ἐπ' αὐτοὺς, *super illos*) Antitheton ad *praeputium*. — καὶ ἔλεος, *et misericordia*) Rom. 15, 9. — καὶ ἐπὶ τὸν ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ, *et super Israëlem Dei*) Antitheton ad *circumcisionem*. Israël Dei sunt credentes ex circumcisione sive gente Judaica. [*Phil.* 3, 3.] Sensus apostoli quam minime judaicus pulcre arripuit locutionem ab idiotismo gentis abhorrentem. nam Hebraei non dicunt *Israël Dei*, neque enim nomen proprium in statu constructo ponunt.

v. 17. τοῦ λοιποῦ, *de cetero*) Formula abrumpendi. — κόπους, *labores*) Piis laboriosa est theologia polemica seria. v. 11. not. et cap. 4, 20. Vid. *L. Osiandri* Antisturmius alter, p. 87. 107. κόποι, animi labor et solicitudo. Matth. 26, 10. — μηδεὶς παρεχέτω, *nemo exhibeat*) Ἀποτομία, *severitas*, apostolica. — ἐγὼ γὰρ, *ego enim*) Afflicto non est addenda afflictio. — τὰ στίγματα, *stigmata*) ex verberibus. Act. 16, 23. Haec *stigmata* Paulo infamiam apud mundum, re ipsa dignitatem magnam, nam hinc *servus* Christi noscebatur, adferebant. Opponuntur *stigmata in corpore* notae circumcisionis; *corpus* Pauli, *carni* alienae. v. 13. — τοῦ κυρίου, *Domini*) Col. 1, 24.: *afflictionum Christi*. — βαστάζω, *porto*) ita ut honori mihi ducam, v. 14. Proinde molesti mihi erunt, qui qualibet alia re sibi placent.

v. 18. ἡ χάρις, *gratia*) Hoc congruit cum tota epistola. — μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν, *cum spiritu vestro*) victa carne. v. 1. conf. 1 Thess. 5, 23. 2 Tim. 4, 22. Philem. v. 25. — ἀδελφοὶ, *fratres*) Ita mollitur totius epistolae severitas. coll. c. 1, 6. not.

---

1) Gnomoni *respondet h. l.* Vers. germ.: *quamvis lectionem breviorem ad minus firmas retulerit* Ed. maj. *Margo* Ed. 2. *per signum* β *congruit cum* Gnom. *et* Vers. *Eadem est ratio voc.* ἐστὶν, *cui per crisin recentiorem cedere debet* ἰσχύει. E. B.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

CAPUT I.

v. 1. Θελήματος, *voluntatem*) Sic v. 5. 9. 11. — τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι καὶ πιστοῖς) Id est, *sanctis et fidelibus, qui sunt* in omnibus iis locis, quo Tychicus cum hac epistola venit. Nullam civitatem nominatim a Paulo fuisse in hac inscriptione expressam, ex monumentis in *Apparatu* laudatis apparet: unde alii *Laodiceam* supplerunt, (quamvis, quae ad Laodicenses quoque seorsum spectarent, in epistola ad Colossenses eodem tempore data Paulus expediit, c. 4, 15. s.) alii *Ephesum*. utrumvis ad mentem apostoli. nam sine dubio dixit Tychico Paulus, quo ire deberet, Laodiceam v. gr. et inde Colossas (Laodiceae vicinas) et vel primo vel postremo Ephesum. Quare annotationes nostrae ad *Ephesios* interdum speciatim sunt accommodatae. Veruntamen h. l. τοῖς οὖσιν, i. e. *qui praesto sunt*, absolute dicitur, uti Act. 13, 1., κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν· et Rom. 13, 1. αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι. Paulus ad ecclesias scribens, per ipsum plantatas, multa solet commemorare de suis ecclesiarumque rebus praesentibus ac pristinis: at Ephesi fuerat, idque multum, non multis ante annis. Act. 20, 31. cur ergo scribit, tanquam ignotus, v. 15. c. 3, 2. 4. et cur in hac epistola minus, quam in ulla alia ad particularia descendit? cur c. 6, 23. 24. in tertia persona, ac non in secunda, ut alias semper, concludit? cur nullas salutationes addit, quas tamen ne ad Colossenses quidem praetermittit? cur Timothei non meminit, quem tamen Col. 1, 1. sibi adjungit? Nam uno tempore utramque epistolam, hanc et ad Colossenses missam esse, simillimum utriusque filum, eademque in utraque Tychici latoris mentio et multa alia confirmant. Cur nonnisi c. 6, 10. dicit *fratres?* Resp. Haec omnia videlicet argumento sunt, Paulum totam ita instruxisse epistolam, ut et Ephesi et in pluribus ecclesiis Asiae (ad quas fortasse nominatim sibi indicatas venturus esset Tychicus) recitari sive legi posset omnesque eam tanquam ad se scriptam possent accipere. conf. Col. 4, 16. 1 Thess. 5, 27. Erat pro hac parte quasi *carta bianca*. *Notandum*, inquit Usserius ad A. M. 4068, *in antiquis nonnullis codicibus generatim inscriptam fuisse hanc epistolam, ut in literarum encyclicarum descriptione fieri solebat*, sanctis qui sunt ..... et fidelibus in Christo Jesu. *ac si Ephesum primo, ut praecipuam Asiae metropolim, missa ea fuisset, transmittenda inde ad reliquas (intersertis singularum nominibus) ejusdem provinciae ecclesias etc.* Dices: Paulus hanc epistolam ante scripsit, quam Ephesios vidisset. Resp. Nulla vincula erat antea perpessus tam insignia et diuturna, Act. 16, 35. 18, 10. haec autem, quae allegat, erant illustria. Eph. 3, 13. 6, 20. Ceterum in hac inscriptione *sanctitas* ponitur ante *fidem*. v. 4. 11. 12., ubi etiam τὸ κληροῦσθαι est ante *spem*. porro, 2 Thess. 2, 13. 1 Petr. 1, 2. Dei est, sanctificare nos et sibi asserere; nostrum, ex Dei munere, credere.

v. 3. εὐλογητὸς — εὐλογήσας — εὐλογίᾳ, *Benedictus — qui benedixit — benedictione*) Antanaclasis: aliter benedixit Deus nobis, aliter nos benedicimus illi. Cum sensu gratiae N. T. congruunt doxologiae in principiis epistolarum apostolicarum. Sic fere incipit epistola 1 Petri, etiam in Asiam adeoque Ephesum missa. Paulus scribit affectu per adversa sublimato: et singulare haec epistola specimen praebet tractationis evangelicae in thesi, hujusque capitis versu 3—14 compendium ea evangelicum [*de gratia* Dei, V. g.] exhibet, [*ita quidem, ut* Christi *beneficium*, v. 7., *et* Spiritus Sti v. 13., *ordine legitimo, inseratur*. V. g.] Inde nullum speciatim errorem aut vitium refutat aut redarguit, sed ge-

neratim incedit. Et quantumcunque lucis in Epistola ceteroqui parallela ad Colossenses ex Historia ecclesiastica petatur, in hac epistola minus opus est. Convenienter ad Ephesios quoque de Judaeorum et gentium conjunctione nova scribitur. nam Ephesium templum fuerat arx paganismi, sicut e contrario templum Hierosolymitanum, Judaismi.

Epistola summatim sic habet:

I. Inscriptio. c. I. v. 1. 2.
II. Doctrina, pathetico exposita.
  I. Benedictio Dei pro tota benedictione coelesti: v. 3—14. et inde Gratiarum actio et preces pro sanctis. 15 — II. 10.
  II. Specialior admonitio de statu illorum quondam misero, nunc beato: v. 11 — 22. et inde Apostoli supplicatio pro corroboratione illorum, III. 1. s. 14. s. cum Doxologia. 20. s.
III. Adhortatio:
  1. generalis, ut ambulent digne, prout postulat
    1. unitas Spiritus et diversitas donorum. IV. 1. s. 7. s.
    2. differentia status ethnici et christiani. 17 — 24.
  2. specialis:
    1) ut vitetur
      1. mendacium. 25.
      2. iracundia. 26. s.
      3. furtum. 28.
      4. sermo putris. 29. s.
      5. acerbitas. 31 — V. 2.
      6. impuritas. 3 — 14.
      7. ebrietas. v. 15 — 20. commendatis ubique virtutibus, quibus vitia illa opponuntur, adjuncta submissione. 21.
    2) ut officium faciant
      1. mulieres et viri. 22. s. 25. s.
      2. liberi et patres. VI. 1. s. 4.
      3. servi et heri. 5. s. 9.
  3. finalis, ad militiam spiritualem. 10. s. 19. s.
IV. Conclusio. 21. s. 23. s.

Magna hujus epistolae et epistolae ad Colossenses est similitudo, modo notata: quare tabellas ambas commode inter se contuleris.

— ἐν πάσῃ, *omni*) Describit Paulus hujus *benedictionis* fontem et archetypum, *elegit — praedestinans*, v. 4. s. indolem, *gratia amplexus est*, v. 6. partes, *remissionem etc.* v. 7. s. — εὐλογίᾳ, *benedictione*) Ipsum vocabulum connotat *abundantiam*. — πνευματικῇ, *spirituali*) Novi Testamenti propria. — ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *in coelestibus*) Declaratur τὸ *spirituali*. Saepe in hac epistola memorat τὰ ἐπουράνια, *coelestia*. v. 20. c. 2, 6. 3, 10. 6, 12. Sedes gloriosa coelitum. — ἐν χριστῷ, *in Christo*) Huc ref. v. seq. *sicut — in ipso*. Jam hic tangit aliquid de tribus personis Deitatis, salutem nostram curantibus. *Patris* sunt τὰ ἐπουράνια, *coelestia*: *Christum* ipsum nominat: *Spiritus sanctus* producit *spiritualia*. Omnia deinceps tractat Paulus. [*Universus utique* Christi *cursus, inde a* nativitate *usque ad* adscensionem, *h. l. ante oculos Apostolo versatus est*. Nativitatem *spectat hoc versu: deinde* circumcisionem, *quare v. 5. demum nomen* Jesu, *in circumcisione Ipsi impositum, exprimitur:* v. 6. baptismus *Filii* dilecti *indigitatur: quem v. 7. excipit* cruenta mortis perpessio. *Sequuntur denique* resurrectio et ascensio, v. 20. *etc.* V. g.]

v. 4. καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς, *sicut elegit nos*) Electioni *respondet*, et eam subsequitur, *benedictio*, et patefacit. — ἐν αὐτῷ, *in ipso*) c. 3, 11. Haec praesupponunt aeternitatem Filii Dei. namque Filius, ante mundum factum, erat objectum amoris paterni non futurum tantummodo, sed jam tum praesens. Joh. 17, 24. 5. alias non per se, sed item per alium Patri dilectus fuisset. — πρὸ, *ante*) Joh. 17, 24. — εἶναι, *esse*) i. e. τοῦ εἶναι, *ut essemus*. — ἁγίους, *sancti*) positive. — ἀμώμους, *immaculati*) sine malo et vitio. [c. 5, 27.]

Digitized by Google

v. 4. 5. ἐν ἀγάπῃ προορίσας ἡμᾶς, *in amore praedestinans nos*) Multi construunt cum praecedentibus verbis, *sancti et immaculati coram eo in amore*. Utroque modo, uti vel divinus vel noster amor denotetur, in hac epistola regnat τὸ *amo, amor, amatus:* sed ipsi principio epistolae congruit, ut *amor* construatur non cum *sancti et immaculati,* quod item sine expressa *amoris* mentione ponitur c. 5, 27., sed cum subsequente descriptione *adoptionis,* [1]) coll. c. 2, 4. 3. 1 Joh. 3, 1.: utque amor Dei prius celebretur, quam noster. Hoc pacto *in amore* summa eorum erit, quae sequuntur. v. 5. fin. Sic *amor* ponitur, initio tmematis, c. 3, 18. Et vicissim τὸ *praedestinans* multo majorem emphasin habet, si ab initio collocatum existimetur: et passim apostolus, hoc praesertim capite, periodum claudit inciso quopiam, quod respectu antecedentium sit instar syncategorematis; respectu subsequentium, Thema. Hoc si tenueris, et nexum per participia et relativa observaris, expeditam habebis analysin. Hic mos est veterum, diversus ab hodierna methodo, quae per multas distinctiones et subdistinctiones, exserte positas, progreditur. — προορίσας, *praedestinans*) Participium pendet ab *elegit*. Rom. 8, 29. Electi ex ceteris, sunt *praedestinati* ad omnia, quae pertinent ad beatitudinem assequendam. v. 11. — κατὰ τὴν εὐδοκίαν, *secundum beneplacitum*) Ultra hoc *beneplacitum* nobis neque in salutis nostrae, neque in ullis operum divinorum causis rimandis ire licet. v. 9. Quid philosopharis de mundo optimo? cave, ne tute sis malus. Neque in nobis quicquam fuit, quod amorem mereretur. — τοῦ θελήματος, *voluntatis*) v. 9. 11. 1.

v. 6. εἰς, *in*) Finis. — ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος, *laudem gloriae gratiae*) *Laudem gloriae,* v. 12. 14. Primum nascitur *laus gratiae,* v. 7., *inde laus gloriae.* [*De gloria conf.* v. 6. 17. 18. V. g.] — ἐν ᾗ) χάριτι. Conjugata, ut ἀγάπην ἠγάπησεν, c. 2, 4. — ἐχαρίτωσεν) χαριτόω, formae ἀγαθόω, δυναμόω, ἐντυπόω, εὐοδόω, ζηλόω, θανατόω, κακόω, κυκλόω κτλ. significat *gratia amplector.* cujus rei immediatum consequens est *benedictio.* conf. Luc. 1, 28. Huc ref. *gratiae,* modo, et v. 7. — ἠγαπημένῳ, *amato*) Filio unigenito. Antonomasia, opportuna. *amor* plus significat, quam *gratia.* vid. 1 Petr. 2, 10.: ubi de iis, qui *misericordiam* consecuti sunt, ea dicuntur, supra quae ὁ ἠγαπημένος, *Amatus* longe eminet. ἔλεος necessario praesupponit praeviam miseriam, sed *amor* non item.

v. 7. ἔχομεν, *habemus*) in praesenti. — τὴν ἀπολύτρωσιν — τὴν ἄφεσιν, *redemtionem — remissionem*) Bonum novi Testamenti. Rom. 3, 24. [*Sequitur altera* redemtio, r. 14. V. g.] — [2]) τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος, *divitias gratiae*) c. 2, 7. *divitiae gloriae,* v. 18. conf. c. 3, 8., ubi *divitiae gratiae,* et consequenter gloriae, item v. 16., ubi *gloria* ipsius Patris *opulentissima* intelligitur.

v. 8. ἧς) *pro,* ἣν, χάριν. — ἐπερίσσευσεν, *abundavit*) *Deus.* — σοφίᾳ) *sapientia,* de praeterito et praesenti, de his, quae Deus facit. v. 17. — φρονήσει) *prudentia,* de futuro, de his, quae nos faciamus.

v. 9. γνωρίσας, *notum faciens*) Hoc pendet ab *abundavit.* Idem verbum, c. 3, 3. 5. 10. 6, 19. — τὸ μυστήριον, *mysterium*) c. 3, 3. 4. 9. 6, 19. Rom. 16, 25. Col. 1, 26. s. — ἣν, *quod*) *beneplacitum.* — προέθετο) *proposuit* sibi. Inde, *propositum,* v. 11. — ἐν αὐτῷ, *in ipso*) in Christo.

v. 10. εἰς, *in*) Constr. cum γνωρίσας *notum faciens.* — οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, *dispensationem plenitudinis temporum*) *Plenitudo* τῶν καιρῶν *temporum* distinguitur nonnihil a *plenitudine* τοῦ χρόνου *temporis.* Gal. 4, 4. involvit enim plenitudinem beneficiorum ipsorum, et hominum ea perci-

---

1) *Atque hunc quidem distinctionis nexum praetulerat margo* Ed. maj.: *alterum illum, quo verba* ἐν ἀγάπῃ *ad antecedentia referuntur, margo* Ed. 2. *in aequilibrio ponit, et* Vers. germ. *distincte exhibet.* E. B.

2) αἵματος, *sanguinis*] c. 2, 13. V. g.

Digitized by Google

pientium. Marc. 1, 15. Utraque tamen plenitudo est in Christo: et hujus plenitudinis propria quaedam est oeconomia et dispensatio. Col. 1, 25. Verbo πληρόω et πλήρωμα persaepe utitur Paulus ad Ephesios et Colossenses. — ἀνακεφαλαιώσασθαι) *ut sub unum caput redigerentur*. Omnia sub Christo fuerant: per peccatum autem facta erat avulsio et divulsio: atque haec rursum sublata est. Christus caput angelorum et hominum: illi cum Ipso conveniunt in natura invisibili; hi, in natura visibili. — τὰ πάντα, *omnia*) non modo Judaei et gentes, sed etiam ea, quae in coelis et quae super terra sunt: angeli hominesque, et hi vel viventes vel pridem etiam defuncti. c. 3, 15. — τοῖς οὐρανοῖς, *coelis*) Plurale.

[1]) v. 11. ἐν αὐτῷ, ἐν ᾧ, *in ipso, in quo*) Hoc repetitur ex versu 9., ut versus 10. sit parenthesis. — ἐκληρώθημεν) Hic loquitur per personam Israëlis: *eramus facti* נחלה κλῆρος sive κληρονομία *sors, hereditas Domini*; conf. Deut. 32, 9. Antitheton *vos* v. 13. Sermo tamen de beneficio spirituali. κληροῦσθαι non est duntaxat *sortem nancisci*. vid. Chrys. ad h. l. interpretatur is, ἐγενήθημεν κεκληρωμένοι. — τὰ πάντα) *omnia*, etiam in regno filii sui. — βουλὴν, *consilium*) liberrimum.

v. 12. ἡμᾶς, *nos*) Judaeos. — τοὺς προηλπικότας, *ante sperantes*) Praedicatum. Spem in Christo (1 Cor. 15, 19.) exhibito, primum nacti sunt Judaei, deinde gentes. Act. 13, 46. τὸ *ante* hic non refertur ad tempora V. T. conf. de spe, v. 18. c. 2, 12. 4, 4.

v. 13. ᾧ, *quo*) Ref. ad *Christo*, v. 12. vel ad *ipso*, v. 11. — ἀκούσαντες, *audientes*) Oratio manet suspensa, dum correlatum participium accedit, *credentes*. — τῆς ἀληθείας, *veritatis*) Hinc dicitur *auditus fidei*. Recurrit *veritatis* mentio, c. 4, 15. 21. 24. 25. 5, 9. 6, 14. — ἐν ᾧ καὶ, *in quo etiam*) *in quo*, post incisum, hic reassumitur. conf. *in ipso*, v. 11. not. — ἐσφραγίσθητε — ὅς ἐστιν ἀρραβὼν, *obsignati estis — qui est arrhabo*) 2 Cor. 1, 22. not. — τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, *Spiritu promissionis sancto*) Per verbum promissus erat Spiritus sanctus: dato igitur Spiritu sancto, ii, qui credidere verbo, obsignati sunt. Et qui Spiritum S. habent, omnem promissionem sibi praestitum iri sciunt.

v. 14. ἡμῶν, *nostrae*) Hic complectitur Judaeos et Graecos. — εἰς ἀπολύτρωσιν, *in liberationem*) Constr. cum *obsignati estis*, c. 4, 30. Haec futura *liberatio* sive *redemtio*, addito τῆς περιποιήσεως *conservationis*, distinguitur a *redemtione* facta per sanguinem Christi. Sic περιποίησις σωτηρίας et ψυχῆς, 1 Thess. 5, 9. Hebr. 10, 39. περιποίησις dicitur de eo, quod, cum cetera pereant, superat. LXX, 2 Par. 14, 12. (13.) Malach. 3, 17.

v. 15. ἀκούσας, *audiens*) procul. Hoc referri potest non solum ad ignotos facie, Col. 1, 4., sed etiam ad familiarissimos, Philem. v. 5., pro statu eorum praesenti. — πίστιν) *fidem* erga Deum *in Domino Jesu*. — καὶ, *et*) Quisquis *fidem* et *amorem* habet, particeps est totius *benedictionis*. v. 3. seqq. Accedit *spes*, v. 18. — πάντας, *omnes*) Character Christianismi. Saepe Paulus *omnes* complectitur. c. 3, 8. 9. 18. 4, 6. 13. 6, 18. 24.

v. 16. οὐ παύομαι, *non desino*) Paulus omnium ecclesiarum mentionem fecit in precibus. Col. 1, 9.

v. 17. ἵνα, *ut*) Argumentum precum pro veris Christianis. — ὁ πατὴρ τῆς δόξης) *Pater gloriae*, infinitae illius, quae refulget in facie Christi; imo

---

1) v. 11. 13. ἡμεῖς — ὑμεῖς, *nos — vos*] Israëlitae — gentiles. V. g.
v. 13. πνεύματι, *spiritu*] Conf. v. 17. V. g.
v. 14. τῆς κληρονομίας ἡμῶν, *hereditatis nostrae*] quae filiorum est, v. 5. denuo memorata v. 18. V. g.

Digitized by Google

gloriae, quae est ipse Filius Dei. unde etium nobis hereditas gloriosa obtinget. v. 18. — πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, *Spiritum sapientiae et revelationis*) Idem Spiritus, qui est promissionis, in progressu fidelium est etiam sapientiae et revelationis. *Sapientia* in nobis operatur sapientiam: *revelatio*, cognitionem. — ἐν, *in*) Constr. cum *det*. — αὐτοῦ, *ipsius*) Dei.

v. 18. πεφωτισμένους, *illuminatos*) Accusativus absolutus, uti Act. 26, 3. i. e. quum oculi cordis vestri fuerint illuminati. Articulus τοὺς apud ὀφθαλμοὺς praesupponit oculos jam praesentes, neque patitur ut possint tanquam demum dandi considerari. Quodsi ὀφθαλμοὺς esset sine articulo, posset in sensu abstracto sumi et cum *det* construi. — τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας, *oculos cordis*) Conf. c. 4, 18. Matth. 13, 15. *Cor* est, quo tantas res percipimus. c. 3, 17. Sic *aures cordis* dicit Theophilus l. I. ad Autol. c. 3. Adde Not. ad Chrys. de Sacerd. p. 429. s. et plane ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας, *oculos cordis*, Smyrn. ep. de Polycarpo §. 2. [καρδίας, *insignis lectio*. Not. crit.] — τίς, τίς, τί, *quae, quae, quae*) coll. v. seq. Tria insignia momenta, in futurum, in praesens (coll. c. 3, 6.) et in praeteritum. — τῆς κλήσεως αὐτοῦ, *vocationis Ipsius*) vocationis, qua vos vocavit. Sequitur, *sanctis:* ut saepe apostolus *vocatos* simul et *sanctos* appellat.

v. 19. τοὺς πιστεύοντας, *credentes*) Fides igitur vivum quiddam et efficax. — τὴν ἐνέργειαν, *operationem*) Haec actus est. — τοῦ κράτους, *roboris*) Hoc in actu est. Job. 21, 23., תמו בעצם LXX, ἐν κράτει ἰσχύος αὐτοῦ. — τῆς ἰσχύος, *virtutis*) Haec ipsa virtus divina est.

v. 20. ἣν, *quam*) scil. ἐνέργειαν, *operationem*. ἐνεργεῖν ἐνέργειαν dicitur, ut ἀγαπᾶν ἀγάπην, c. 2, 4. — ἐγείρας — καὶ ἐκάθισεν, *excitans — et collocavit*) Saepe a participio sermo flectitur ad indicativum. c. 2, 17. Col. 1, 6. Ap. 3, 7.

v. 21. ὑπεράνω) Compositum. Christus non modo praecedit, sed imperat super omnia. — ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως) 1 Cor. 15, 24. not. — καὶ κυριότητος) Col. 1, 16. — καὶ παντὸς ὀνόματος, *et omne nomen*) Scimus, Imperatorem anteire omnes, etiamsi non possimus enumerare omnes ministros aulae ejus: ita scimus, Christum esse collocatum super omnes, quamvis non omnes *nominare* possumus. — ἐν τῷ μέλλοντι) Αἰών, *seculum*, denotat hic non tempus, sed systema rerum et operum suo tempore revelatum et permanens. *futurum* dicitur, non quo adhuc non sit, sed quia nondum cernitur. *Imperia, potestates etc.* sunt *in futuro*. sed tamen *nominantur* etiam *in seculo hoc:* at ea quoque, quae in praesenti ne nominantur quidem, sed in futuro demum nobis nomine et re patefient, Christo subjecta sunt.

v. 22. πάντα ὑπέταξεν, *omnia subjecit*) 1 Cor. 15, 27. — ἔδωκε) *dedit*. neque tamen Christus non antea erat caput ecclesiae. c. 5, 25. Joh. 3, 29. — ὑπὲρ πάντα, *super omnia*) Ecclesia, *super omnia*, super *imperia etc.* quorum caput [*v.* 10.] Christus est, Col. 2, 10., potest dicere: Christus est caput meum: ego sum corpus ejus. τῷ *super* contradistinguitur Dativus commodi, *ecclesiae*.

v. 23. τὸ πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, *plenitudinem omnia in omnibus implentis*) Hoc neque de ecclesia praedicatur, ut plerique censent; neque, ut aliis visum, cum *dedit* construitur; sed absolute ponitur accusativo casu, uti τὸ μαρτύριον *testimonium*, 1 Tim. 2, 6. Est enim epiphonema eorum, quae a v. 20. dicuntur, innuitque apostolus, in Christo esse *plenitudinem* Patris omnia implentis in omnibus. Vide de plenitudine Dei, Christi et Spiritus, c. 3, 19. 4, 13. 5, 18., item c. 4, 10. Joh. 1, 14., de plenitudine temporum, c. 1, 10. Gloria *amoris* divini implet omnia, et in Christo super omnia se extendit. Analogiam habet locus cum 1 Cor. 15, 28. Hoc, quod modo explanavi, inquit apostolus, repraesentat nobis *plenitudinem* etc. ut Mathematici dicunt: id quod

y Google

erat demonstrandum. Hoc totum potest ad hunc titulum revocari, τὸ πλήρωμα . . . . — ἐν πᾶσι, *in omnibus*) Neutrum, masculini potestatem includens. — πληρουμένου) i. e. πληροῦντος. Sed major vis Mediae vocis, in denotanda relatione Ejus, qui implet, et eorum, qui implentur.

CAPUT II.

v. 1. Καὶ ὑμᾶς, *et vos*) Hoc arctissime nectitur cum *operatus est*, c. 1, 20. *vos* constr. cum *una vivificavit*. v. 5. — ὑμᾶς ὄντας, *vos, cum eratis* etc.) *cum eramus nos*, v. 5. Utrinque prior vocula emphasin habet, uti Phil. 2, 7. not. — νεκροὺς, *mortuos*) Quid miserius? — τοῖς παραπτώμασι) Huc refer neutrum, (quanquam femininum, ταῖς ἁμαρτίαις, intervenit,) οἷς, *quibus*, v. 3. coll. οἵα, οἵους, 2 Tim. 3, 11., ubi item duplex genus. — ταῖς ἁμαρτίαις, *peccatis*) Huc ref. αἷς, *quibus* v. 2. Ai ἁμαρτίαι, *peccata*, praecipue dicuntur de gentibus Deum ignorantibus; τὰ παραπτώματα, *delicta*, de Judaeis legem habentibus, a luce deficientibus. v. 5. Et hi parebant *carni*; illi, *principi potestatis aëreae*. v. seqq.

v. 2. κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου) Aiὼν et κόσμος differunt. 1 Cor. 2, 6. 12. 3, 18. s. Ille hunc regit et quasi informat. κόσμος est quiddam exterius; αἰὼν, subtilius. *Tempus* dicitur non solum physice, sed etiam moraliter, connotata qualitate hominum in eo viventium: et sic αἰὼν dicit longam temporum seriem, ubi aetas mala malam aetatem excipit. conf. Act. 14, 16. 1 Petr. 1, 18. — κατὰ τὸν ἄρχοντα, *secundum principem*) Sic res fit expressior. *Seculum* sentiunt omnes; hunc *principem* subesse, non intelligunt. c. 6, 11. s. conf. Joh. 12, 31. — τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *potestatis aëris*) Haec potestas est late diffusa et penetrans. Conf. Joh. 1, 15. seqq. Sed tamen infra orbem fidelium. v. 6. 1 Joh. 5, 18. Vid. Buxt. Dict. rabb. col. 1495. Ipsi etiam orbes coelestes varii sunt. Christus tamen superior est Satana, quamvis etiam in ἐπουρανίοις se hic teneat. Eph. 6, 12. — τοῦ πνεύματος, *spiritus*) Est appositio τῆς ἐξουσίας, τοῦ πνεύματος. Non hic ipse princeps dicitur *spiritus*, sed *spiritus* est h. l. principium illud internum, ex quo fluunt actiones infidelium, oppositum spiritui fidelium filiorum Dei. conf. Luc. 4, 33. — νῦν, *nunc*) *hodienum:* vel potius, *nunc maxime*. nam non *adhuc*, sed *nunc* dicit. qui evangelium per *incredulitatem* spernunt, manent mancipia spiritus illius, et amplius capiuntur. Expressa Satanae mentio inprimis fit in describendo statu gentium. Act. 26, 18. — ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, *in filiis incredulitatis*) Ipsa *incredulitas* adversus evangelium ostendit, quam potens sit ille *spiritus*. Affine, *filii irae*. v. 3. Super *infideles*, ira manet. Joh. 3, 36.

v. 3. καὶ ἡμεῖς) *nos quoque*, Judaei. Extremo veteris testamenti tempore etiam apud Judaeos valde invaluerat peccatum, quo magis superabundaret gratia. Rom. 5, 6. 20. Tit. 3, 3. Luc. 1, 17. 79. Matth. 4, 16. — ἀνεστράφημεν, *conversati sumus*) Hoc quiddam speciosius, quam *ambulare*. v. 2. — τῆς σαρκὸς, *carnis*) sine Spiritu Dei. — τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν, *carnis et cogitationum*) *Cogitationes* callidius peccandi studium inferunt: *caro*, coeco ruit impetu. — φύσει, *natura*) *Natura* denotat statum hominis, citra gratiam Dei in Christo. *Naturae* nostrae [*ut ut* Judaei *fuerimus*, Jes. 1, 13. V. g.] hoc debemus, ut simus *filii irae*. — ὀργῆς, *irae*) quum putaremus nos esse liberos Dei. Antitheton, v. 4. — οἱ λοιποὶ) 1 Thess. 4, 13. *ceteri*, qui non credunt, aut certe nondum.

v. 4. πλούσιος, *dives*) super omnes. Rom. 10, 12. — ἐλέει· ἀγάπην, *misericordia: amorem*) *Misericordia* removet miseriam: *amor* confert salutem.

v. 5. καὶ, *et*) Hoc copulatur cum *vos quum eratis*. v. 1. — ἡμᾶς, *nos*) utrosque, Judaeos et gentes. — συνεζωοποίησε τῷ χριστῷ· χάριτί ἐστε σεσωσμέ-

νοι, *una vivificavit cum Christo: gratia estis servati*) Vivificatio resuscitationem antecedit; et c. 1, 20. vitam resuscitatio praesupponit. Vivificati sumus tum, quum Christus vivificatus est. conf. 2 Cor. 5, 15., de morte Christi: et sic de ceteris gradibus. Quum autem *fides* suscipitur, ea omnia a Deo applicantur homini, et ab homine rata habentur. Hunc ipsum salutis ordinem enumerans apostolus, *gratiam* esse docet proram et puppim, versu hoc et 8., et propter parem Judaeorum et gentium rationem promiscue interdum in prima et secunda persona loquitur. — τῷ χριστῷ, *Christo*) Hinc fons est. v. 6—10.

v. 6. συνεκάθισεν, *simul sedere fecit*) Fideles resuscitati sunt spiritualiter, resuscitabuntur corpore: et huic utrique resurrectioni respondet sessio in coelestibus. Non sane sunt in coelo praesentia corporali, sed jure et virtute spirituali, et singuli habent in coelo sedem nominatim sibi assignatam, suo tempore possidendam. In Deo tantisper occultantur. Col. 3, 3. — ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *in coelestibus*) Non dicit, *in dextra*: Christo sua manet excellentia. — χριστῷ ἰησοῦ, *Christo Jesu*) In hac potissimum oratione grandi Paulus *Christum Jesum* appellat; saepius alias *Jesum Christum*.

v. 7. ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις, *in seculis supervenientibus*) Plurale, contra unum *seculum malum*, v. 2., cui *secula beata* superveniunt potenter. Congruit haec locutio menti Pauli, de die novissimo non proxime instante. — ὑπερβάλλοντα, *excellentem*) Rom. 5, 20.

v. 8. τῇ — χάριτι) τῇ habet vim relativam ad v. 5., χάριτι. — γὰρ, *enim*) Non *igitur* ait, sed *enim*, quia ab effectu ad *causam* concludit. — διὰ τῆς πίστεως, *per fidem*) ortam ex resuscitatione Christi. c. 1, 19. [*unde non* v. 5., *sed* v. 8. *demum memoratur. Vid.* Col. 2, 12. V. g.] Antitheton, *non ex operibus*: quale etiam inter *gratiam* et *gloriationem*. — καὶ τοῦτο) *et hoc*, nempe *credere*, sive *fides*, non est ex vobis. Antitheton: *Dei* solius *hoc donum est*.

v. 10. αὐτοῦ, *ipsius*) *Dei*. — γὰρ, *enim*) Probat, salutem esse per fidem, non ex operibus; ac fidem ipsam totam esse ex dono Dei. — ποίημα, *factura*) Rarum hoc sensu verbum, cujus vim auget κτισθέντες, *creati*, coll. v. 15., facti ex nihilo spirituali. Alias dicimur *regenerari*. Nihilum, nil operatur. *Posteri* fideles, non solum עם נולד Ps. 22, 32., sed etiam עם נברא Ps. 102, 19. — ἐπὶ) bonorum operum *ergo*; ut postea demum illis incumberemus. Ex ea ratione Paulus opera legis nunquam *bona* appellat. — οἷς) οἷς = ἐν αὐτοῖς, אשר בהם pro, ἐν οἷς, *in quibus*. — προητοίμασεν) Τὸ πρὸ totam rem Deo tribuit. Verbum ἡτοίμασεν neutraliter ponitur, magna vi: LXX, 2 Chron. 1. 4., ὅτι ἡτοίμασεν αὐτῇ δαυίδ. Sic ὥστε ἑτοιμάσαι αὐτῷ, Luc. 9, 52. *Deus ita comparavit*. [*Gratia itaque cum salute antecedit opera*. V. g.] — περιπατήσωμεν, *ambularemus*) non, *salvaremur*, aut, *vireremus*.

v. 11. μνημονεύετε, *recordamini*) Talis recordatio gratum animum acuit, et fidem roborat. v. 19. — τὰ ἔθνη) הגוים gentes. — ἐν σαρκὶ, *in carne*) Hoc considerate Paulus jungit cum *gentes*. nam Judaei gentes simpliciter dicebant *praeputium*, non *praeputium in carne*. — οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία, *dicti praeputium*) magna cum vestra ignominia. *dicti* et *dicta* indicat, haec vocabula jam esse antiquata, sublato discrimine. — λεγομένης, *dicta*) Hoc constr. cum *circumcisione* seorsum ab epitheto, *in carne*, *manu facta*. Et *circumcisio* dicitur in concreto, pro populo circumciso: *in carne manu facta*, in abstracto.

v. 12. ὅτι, *quod*) Hinc pendet *eratis* et *facti estis*. repetitur autem particula ex v. 11. — χωρὶς, *sine*) Antitheton, *in Christo*. v. 13. Sunt tria capita miseriae: *sine, et hospites —, et athei:* eratis sine Christo, sine Spiritu sancto, sine Deo. conf. v. 18. et v. seqq. c. 3, 6. 4, 4. s. nott. — χωρὶς χριστοῦ, *sine Christo*) Id probat commate sequenti, *abalienati*. neque dicit, *alieni*. conf. not. ad c. 4, 18. — τῆς πολιτείας τοῦ ἰσραὴλ, *politia Israël*) Tota respublica Israëlis

Digitized by Google

spectabat *Christum.* — καὶ ξένοι, *et hospites*) expertes. — τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, *testamentorum promissionis*) Deus promiserat, praesupposito nimirum dono Christi, maxime Spiritum sanctum: c. 1, 13. Gal. 3, 14. not. Luc. 24, 49. Act. 2. eique promissioni inservierant *testamenta.* Rom. 9, 4. Hoc comma probatur commate sequenti, *spem non habentes:* nam si promissionem habuissent, spem habuissent illi respondentem. at spem non habuerant. ergo ne promissionem quidem. — ἄθεοι, *athei*) Non statuerant, nullos esse deos; nam vel Dianam et Jovem habebant: Act. 19, 35.: sed verum Deum ignorabant; tantum aberat, ut haberent. 1 Thess. 4, 5. Prius ait, *fuistis extra Christum:* postea infert, *eratis sine Deo.* — ἐν τῷ κόσμῳ, *in mundo*) Paulus hoc quoque, quod fuerint *sine Deo,* probat; et probat ex eo, quia errarint in mundo, amplo (2 Cor. 1, 12.) et vano, (Luc. 12, 30. Joh. 1, 10. fin.) servientes creaturis, fruentes caducis, *longe* remoti.

v. 13. μακρὰν) *procul,* a populo Dei et a Deo. v. 17. not. — αἵματι, *sanguine*) c. 1, 7.

v. 14. αὐτὸς) *Ipse.* Emphasis. — ἡ εἰρήνη) *pax,* non modo *pacificator.* nam *sui* impensa pacem peperit, et ipse vinculum est *utrorumque.* — ὅ) Appositio: *Pax; is qui fecit* etc. Insigne dictum, v. 14—18., ipso verborum tenore et quasi rhythmo canticum imitatur. Describitur α conjunctio gentium cum Israële, v. 14. 15., et inde β gentium et Israëlis, tanquam unius jam hominis, conjunctio cum Deo, v. 15. med. — v. 18. Utraque descriptio subdividitur in duas partes, ita ut prior priori, de *inimicitia sublata;* altera alteri, de *decretis evangelicis,* respondeat. — τὰ ἀμφότερα, *ambo*) Neutrum pro masculino, v. 18., commode, quia sequitur ἕν, *unum.* — μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, *parietem intergerinum sepis*) *Paries* dicitur, quia intervallum fuit valde munitum; *sepes,* quia suo tempore facile soluta. *paries* disjungit domos; *sepes,* regiones. conf. v. 19. Innuitur ergo discrimen circumcisionis et praeputii. Ipsa congruebat structura templi hierosolymitani. *Paries* et *sepes* arcent: et arcebantur gentes, quatenus minus propinquum habebant aditum, quam Israëlitae quamlibet gregarii. — λύσας, *qui solvit*) *Qui solvit — qui sustulit, et* non iterato, arcte cohaerent. Hoc incisum, *et — solvit,* declaratur versu 15., hemistichio priore: *Inimicitiam sustulit in carne sua;* coll. v. 16. fin. *Legem jussuum,* ad Israëlitas proprie accommodatam, *sustulit in decretis* gratiae universalibus. coll. v. 17. init.

v. 15. τὴν ἔχθραν, *inimicitiam*) Judaei gentes abominabantur: gentes pro ludibrio habebant Judaeos, ob circumcisionem, sabbatum etc. — ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, *in carne sua*) Sic, *in imo corpore.* v. 16. [*i. e. per passionem et mortem suam.* V. g.] — τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν) *legem jussuum,* ceremonialium. — ἐν δόγμασι, *in decretis, in placitis*) evangelicis, per quae proponebatur misericordia in omnes. Col. 2, 14. not. [*easdem voces, hanc ipsam rem innuentes, vid.* Act. 16, 4. 15, 28. V. g.] — καταργήσας, *tollens*) Cum hoc participio, ut modo innuimus, utrumque ἐν, *in,* construitur. Christus *carne* sua *inimicitiam, dogmatibus* evangelicis in totum orbem diditis *legem praeceptorum* sustulit. Quod si τὸ *in decretis* pertineret ad ἐντολῶν, *jussuum,* non praeponeretur τὸ *in carne sua,* sed postponeretur. Est quasi stilo lapidari scriptum:

τὴν ἔχθραν — ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ
τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν — ἐν δόγμασι
καταργήσας.

— τοὺς δύο, *duos*) Eleganter omittit *homines:* antea enim vix humanum nomen tuiti erant. *Duo,* qui erant Judaeus et Graecus. — καινὸν, *novum*) sublata antiquitate literae. — ποιῶν, *faciens*) A verbo *crearet* pendet participium *faciens:* et a *reconciliaret* pendet *occidens.* utrumque habet vim declarandi, fluentem ex

iis, quae proxime praecedunt. — εἰρήνην, *pacem*) Haec pacificatio antecedit promulgationem. v. 17.

v. 16. ἐν ἑνὶ σώματι, *in uno corpore*) cruci affixo. Huc ref. *in uno spiritu*. v. 18. Conf. c. 4, 4. — ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν, *occidens inimicitiam*) Inimicitiam, adversus Deum ipsum, *occidit*, *morte* sua. — ἐν αὐτῷ) *in eo*, scil. in corpore suo. Conf. antecedentia.

v. 17. ἐλθὼν, *veniens*) a morte, profectione ad inferos, resurrectione, victor laetus ipse *ultro* nunciavit. Insigne verbum. 2 Tim. 1, 10. Joh. 14, 18. — εὐηγγελίσατο, *evangelizavit*) Verbum pro participio. coll. ποιήσας. v. 14. *Pacem* nunciavit ore suo apostolis, Luc. 24, 36. Joh. 20, 19. 21. 26., et per hos ceteris. — εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν κτλ.) Act. 2, 39. not. — καὶ τοῖς) Elegantiae est, quod semel h. l. dicit εἰρήνην, *pacem*. Indivisa est pax utrorumque.

v. 18. ὅτι) *quia*. — πρὸς τὸν πατέρα) *ad Patrem*, ut ad Patrem. Hoc versu fit mentio Christi, Spiritus, Patris, eodem ordine, quo Christus, Spiritus promissionis, et Deus spectatur versu 12. [*Conf.* c. 1, 3. 5.] Aliter, Apoc. 1, 4. 5.

v. 19. οὐκέτι) *non jam*. Antitheton ad pristina. — ξένοι, *hospites*) Oppositum *cives*. metaphora a civitate. — πάροικοι, *inquilini*) Oppositum *domestici*. metaphora a domo. — τῶν ἁγίων, *sanctorum*) Israëlis. v. 12. conf. c. 3, 18. — τοῦ θεοῦ, *Dei*) Iterum innuitur S. Trinitas, v. 19. 20. 22.

v. 20. ἐποικοδομηθέντες, *superaedificati*) Frequens Paulo ad Ephesios, c. 3, 18., (coll. Act. 20, 32.) et ad Timotheum, Ephesi episcopum, metaphora a re architectonica. 1 Tim. 3, 15. 2 Tim. 2, 19. s. — ἐπὶ τῷ θεμελίῳ, *super fundamento*) Ut fundamentum sustinet totam structuram; sic testimonium apostolorum et prophetarum substructum est fidei credentium omnium. per illos jactum est fundamentum: Christus Jesus, *caput anguli* h. l. Idem, fundamentum ipsum dicitur 1 Cor. 3, 11. — καὶ προφητῶν, *et prophetarum*) prophetarum N. T. qui ab apostolis sunt proximi. c. 4, 11. 3, 5. — ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ, lapide *angulari ejus*) Paulus locum Esajae c. 28, 16., tanquam notissimum breviter innuit. coll. 1 Petr. 2, 6. not. Christus Jesus est *lapis summus angularis fundamenti*. Participium, ὄντος, initio commatis hujus, valde demonstrat in praesenti tempore. Pronomen αὐτοῦ refertur ad θεμελίῳ· nam si construeretur cum χριστοῦ, diceretur αὐτοῦ ΤΟΥ [1]) χριστοῦ ἰησοῦ, uti dicitur αὐτὸς ὁ ἰωάννης κτλ. cum articulo, Matth. 3, 4. Marc. 6, 17. Luc. 3, 23. 24, 15. 36. Joh. 2, 24. 4, 44. 2 Cor. 11, 14.

v. 21. ἐν ᾧ, *in quo*) in Christo. Hoc per anaphoram iteratur versu seq. — συναρμολογουμένη αὔξει, *coagmentata crescit*) Verba de mole viva. c. 3, 18. not. et 1 Petr. 2, 5. Sic, συναρμολογούμενον, *coagmentatum*. c. 4, 16. Sic combinatur *germen* et *domus*, Zach. 6, 12. — ναὸν, *templum*) Est domus, eaque sancta: cui cedere debet Dianae Ephesiae fanum. — ἅγιον, *sanctum*) i. e. *Dei*. v. 22. — ἐν κυρίῳ, *in Domino*) in Christo. Huc resp. *in Spiritu*. ibid. Sic quoque c. 3, 17. 16.

CAPUT III.

v. 1. Τούτου χάριν) *hujus* rei *gratia*. Hoc reassumitur versu 14. [*Spiritus apostolici haec ubertas est*. V. g.] — ὁ δέσμιος) legatus, isque *vinctus*. — ὑπὲρ ὑμῶν, *pro vobis*) Pauli studio erga gentes incensi sunt persecutores, ut vincirent illum; et vincula ipsa profuere gentibus. v. 13. 2 Tim. 2, 10. — τῶν ἐθνῶν, *gentibus*) Hoc declaratur v. seqq.

---

1) *Utrum lectio* χριστοῦ ἰησοῦ *an* ἰησοῦ χριστοῦ, *praeferenda sit, in medio relinquit* utriusque Ed. *margo*: Versio germ. *nomen* Ἰησοῦ *signo parenthescos sequestrat*. E. B.

Digitized by Google

v. 2. εἴγε ἠκούσατε, *siquidem audivistis*) Quae de Paulo *audierant*, (conf. not. ad c. 1, 1.) ea testimonio erant, illum v. 1. vera de se dicere.

v. 3. κατὰ ἀποκάλυψιν, *secundum revelationem*) Gal. 1, 12. Act. 9, 3. s. — ἐγνώρισέ μοι, *notum fecit mihi*) Deus, ex gratia. — τὸ μυστήριον, *mysterium*) *Christi* v. seqq. — προέγραψα ἐν ὀλίγῳ) *superius scripsi, paucis verbis.* Respicit c. 1, 9. 10., et illinc verba huc repetit ipsa.

v. 4. πρὸς ὅ, *ex quo*) Hoc non refertur praecise ad *paucis*, sed ad totum noëma: et πρὸς notat analogiam, *ex:* ut in illo, *Ex ungue leonem* [1]). *Ex eo, quod superius scripsi, potestis etc.* — δύνασθε, *potestis*) Modeste et liberaliter positum verbum. — ἀναγινώσκοντες, *legentes*) Est hic liber valde sublimis, et tamen omnium lectioni commissus. — νοῆσαι τὴν σύνεσίν μου, *animadvertere intelligentiam meam*) adeoque per me proficere. In hac epistola apertius et sublimius scripsit Paulus, quam antehac in ulla.

v. 5. ὅ, *quod*) Ref. ad v. 3., ut verbum γνωρίζω, *notum facio*, iteratum indicat. — ἑτέραις γενεαῖς, *ceteris generationibus*) Casus sextus temporis, uti Act. 13, 36. — οὐκ ἐγνωρίσθη, *non notificatum est*) Non dicit, οὐκ ἀπεκαλύφθη, *non revelatum est*. Notificatio per *revelationem* (v. 3.) est fons notificationis per praeconium. *Revelatio* est quiddam specialius. *notificatio* fit ad reliquos etiam auditores, *revelatio* tantum ad prophetas. — τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, *filiis hominum*) Latissima appellatio, causam exprimens ignorantiae, ortum naturalem, cui opponitur *Spiritus*. conf. Matth. 16, 17. De statu veteri loquitur idiotismo linguae Hebraicae. Porro antitheton *apostolorum et prophetarum* N. T. ad filios hominum infert, hac appellatione denotari praecipue *prophetas* antiquos, v. gr. Ezechielem, qui saepe dicitur בן אדם et civitatem domumque Dei copiose descripsit, ut h. l. Paulus. — ἐν πνεύματι, *in Spiritu*) cujus donum Novo Testamento reservatum, ad Christum glorificandum.

v. 6. εἶναι) *quod sint;* et, *ut sint.* — συγκληρονόμα, *coheredes*) in hereditate *Dei.* — σύσσωμα, *ejusdem corporis*) Sub capite *Christo.* — συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας, *consortes promissionis*) in communione *Spiritus sancti.* Eadem μετοχὴ, *participatio*, laudatur Hebr. 6, 4. eadem *promissio*, c. 1, 13. Conf. de Trinitate, c. 4, 4. 5. 6. 18. 21. 30. 5, 1. 2. 18. 2 Cor. 13, 13. — ἐν τῷ χριστῷ, *in Christo*) Constr. cum *sint.*

v. 7. οὗ, *cujus*) *evangelii.* — κατὰ τὴν ἐνέργειαν, *secundum operationem*) v. 20. c. 1, 19.

v. 8. τῷ ἐλαχιστοτέρῳ, *minimo*) Notio nominis *Paulus* cumulata per comparativum superlativo superiorem: quo se sanctis vix accenset. elegantissima modestia. — τῶν ἁγίων, *sanctorum*) *Sancti* hic opponuntur gentibus. conf. not. ad Act. 20, 32. — ἀνεξιχνίαστον, *imperrestigabiles*) v. 18. 19. Simile epitheton, *multivaria.* v. 10. — πλοῦτον, *divitias*) Hic laudantur *divitiae* coelestes; mox, *sapientia.* v. 10.

v. 9. φωτίσαι) *docere.* Conf. Col. 1, 28. Nam הורה LXX φωτίζω, 2 Reg. 12, 3. et aliis locis. — τίς ἡ οἰκονομία, *quae oeconomia*) Col. 1, 25. s. [*Agnoscitur lectio* οἰκονομία *a studiosissimis receptiorum lectionum defensoribus.* Not. crit.] — ἐν τῷ θεῷ, *in Deo*) Antitheton ad creaturas, etiam excellentissimas. v. 10. — τῷ τὰ πάντα κτίσαντι, *qui omnia creavit*) Rerum omnium creatio fundamentum est omnis reliquae oeconomiae, pro potestate Dei universali liberrime dispensatae. Illud, *omnia*, continet τὰς ἀρχὰς κτλ. *imperia etc.*

v. 10. νῦν) *nunc* primum. conf. v. 5. — ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις, *imperiis et potestatibus*) bonis, vel etiam malis; sed alio alioque modo. — διὰ,

---

1) *Similem phrasin ex* Thucydide *profert* Joh. Michaëlis: πρὸς τὰς ἐπιστολὰς ὑπόπτευον αὐτὸν, ex epistolis habebant ipsum suspectum. E. B.

Digitized by Google

per) ex iis, quae obtingunt ecclesiae. haec enim operum divinorum theatrum est. conf. 1 Cor. 4, 9. — πολυποίκιλος) Syr. *plena varietatum.* — σοφία, *sapientia*) Circa hoc objectum inprimis versantur angeli.

v. 11. πρόθεσιν τῶν αἰώνων) *propositum seculorum*, de seculis, ante secula. 2 Tim. 1, 9. — ἣν, *quod*) Ref. ad πρόθεσιν, *propositum.* — ἡμῶν, *nostro*) fidelium, qui sunt *ecclesia.*

v. 12. τὴν παῤῥησίαν, *libertatem*) *oris*, in orando. — τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει, *admissionem in fiducia*) in re et corde.

v. 13. αἰτοῦμαι) *rogo*, Deum. conf. v. 20. 12. Sic, *rogantes*, absolute, Col. 1, 9. — μὴ ἐκκακεῖν, *non segnescere*) ne vitium capiam, sed ut strenue loquar et multos alliciam. Infinitivus ejusdem personae, ac verbum finitum *rogo.* — θλίψεσί μου ὑπὲρ ὑμῶν, *afflictionibus meis pro vobis*) v. 1. — δόξα) *gloria* spiritualis; quatenus fides vestra adjuvatur. [1 Cor. 4, 10.]

v. 14. κάμπτω τὰ γόνατά μου, *flecto genua mea*) Si praesens adfuisset Paulus, genua flexisset, exardescente pectore. Act. 20, 36. — πατέρα) Conjugatum, πατριά.

v. 15. ἐξ οὗ) *ex quo*, scil. Patre l. C. Fundamentum omnis filiationis est in Jesu Christo. — πᾶσα) *omnis*, angelorum, Judaeorum, hominum ceterorum. — πατριὰ) *familia*, ex ipso, ut patre, pendens. conf. πατριὰ, Luc. 2, 4. Act. 3, 25. — ὀνομάζεται, *nominatur*) Passivum, vel medium. *nominantur* filii Dei, a Deo ipso, et hoc nomine gaudent. Es. 44, 5. conf. *vocabo*, Rom. 9, 25. s.

v. 16. δυνάμει, *potentia*) Hoc congruit cum mentione *Spiritus.* — εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, *in internum hominem*) *Homo internus* est homo ipse cum omnibus facultatibus, secundum interna spectatus. c. 4, 22. 24. 1 Petr. 3, 4. Spiritui Dei est homo internus, quod Christo corda sanctorum, v. 17. Homo internus sumitur maxime in bonam partem: quia apud malos omnia in plena ad malum harmonia sunt, ubi non opus est limitatione vel distinctione. Scriptura maxime spectat res internas. Observandus χιασμός. prima sententia, *det vobis*: secunda, *habitare*: tertia, *in amore — ut evaleatis*: quarta, *ut impleamini.* secundam tertia respicit, primam quarta. In prima et quarta memoratur *Deus*: in secunda et tertia *Christus.* Post ἄνθρωπον et post χριστοῦ cogita colon: res erit perspicua.

v. 17. κατοικῆσαι) *ut habitet* in perpetuum Christus. Asyndeton. Ubi Spiritus Dei, ibi etiam Christus.

v. 18. ἐν ἀγάπῃ, *in amore*) Christi. v. 19. not. — ἐῤῥιζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι, *radicati et fundati*) *Radix*, arboris; *fundamentum*, aedis. Praecedit Syllepsis, sic resolvenda: ut habeatis Christum inhabitantem, *radicati.* conf. Col. 2, 2. not. Nisi potius Nominativus cohaeret cum *evaleatis* [1]), ardore Pauli in ea quae sequuntur intento. sic medio sermone ponitur *si* et *quomodo*, 1 Cor. 11, 14. s. 14, 7. 16. ipsumque ἵνα *ut*, 1 Cor. 14, 12. 2 Cor. 2, 4. Faciunt autem contentionem valde emphaticam, quae has particulas praecedunt. — ἐξισχύσητε) *evaleatis.* plus ultra. — καταλαβέσθαι) *assequi*, comprehendere. — τί τὸ πλάτος καὶ μῆκος καὶ βάθος καὶ ὕψος, *quae latitudo et longitudo et profunditas et altitudo*) Hae dimensiones templi spiritualis pertinent ad *plenitudinem Dei*, v. 19., cui ecclesia, pro sua capacitate, respondere debet. conf. c. 4, 10. 13., de Christo. Significatur enim *latitudo* plenitudinis atque amoris Christi, eaque respecta omnium hominum, populorumque; et *longitudo*, per omnia secula, v. 21.; tum, *profunditas*, nulli creaturae percontanda; et *altitudo*, c. 4, 8., quae a nullo hoste attingitur. Conf. Psalm. 117. Ad hanc latitudinem, longitudinem, profunditatem, altitudinem, quae omnia sunt una magnitudo, nil est latum, longum, profundum, altum, in omni creatura. Memoratur κατὰ χιασμὸν, *amor, latitudo: amor, pleni-*

1) *Huic verborum nexui et margo* utriusque Ed. *favet, et* Vers. germ. *congruit.* E. B.

Digitized by Google

tudo. Tertium respondet primo, secundum itaque quarto. In v. 19. demum sermo expressus est de *amore*, v. 18. vero de *plenitudine* Dei *in se.* Sed ipsa haec etiam *amore* tincta est.

v. 19. γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως κτλ., *et cognoscere superiorem cognitione etc.*) Hoc quoque pendet ab *evaleatis.* Suavissima haec quasi correctio est: dixerat, *cognoscere;* statim negat *cognitionem* idoneam haberi posse. hoc duntaxat novimus, amorem esse uberiorem notitia nostra. Amor Christi erga nos semper excedit cognitionem nostram; et sic versu 20. potentia Dei cognitionem nostram. — ἵνα, *ut*) Asyndeton, coll. ἵνα *ut*, v. 18. Conjuncta sunt, notitia spiritualis et plenitudo. — εἰς, *in*) Haec meta est.

v. 20. ὑπὲρ πάντα) Πάντα regitur a ποιῆσαι· unde ὑπὲρ ponitur adverbialiter, ut mox ὑπερεκπερισσοῦ, et ὑπερλίαν, 2 Cor. 11, 5. Potest tamen etiam τὸ ὑπὲρ cum πάντα construi, coll. c. 1, 22., ὑπὲρ πάντα, *id quod est maximum:* super omnem exaltationem haec est, quod Ipse est Caput ecclesiae etc. — ὑπερεκπερισσοῦ, *superabundanter*) Constr. cum *facere.* — ὧν) Genitivus regitur a comparativo, qui continetur in περισσοῦ. — ἢ νοοῦμεν, *aut cogitamus*) *Cogitatio* latius patet, quam *preces.* Gradatio. — κατὰ, *secundum*) Paulus allegat experientiam.

v. 21. ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, *in ecclesia*) v. 10. — εἰς πάσας, *in omnes*) v. 11. c. 2, 7. coll. iterum Ps. 117. In omnes generationes, quas complectitur ὁ αἰών, qui terminatur in τοὺς αἰῶνας perpetuos. — τὰς γενεὰς, *generationes*) *Generatio* proprie periodus aetatis humanae, dum a parentibus ad liberos proceditur. αἰῶνες periodi oeconomiae divinae ab una quasi scena ad aliam decurrentes. Hic amplificandi causa utrumque vocabulum, cum metaphora in γενεὰ, *generatio*, conjungitur, ut significetur tempus bene longum. Nam in αἰῶσι non jam sunt *generationes.*

CAPUT IV.

v. 1. Ὁ δέσμιος, *vinctus*) Vincula Pauli subserviebant *vocationi* Ephesiorum, et hos movere debebant, ut Paulum obsequio exhilararent. ἦθος magnum. — ἐν κυρίῳ, *in Domino*) Constr. cum *vinctus.* — τῆς κλήσεως, *vocatione*) v. 4. Hoc derivatur ex c. 1, 18. immo ex capp. 1. 2. 3. [*Nam* altera *Epistolae* pars *hic incipit, adhortationes complectens, easque ex doctrina jam pertractata fluentes.* V. g.] conf. Col. 3, 15.

v. 2. μετὰ, μετὰ, *cum, cum*) Huc ref. duo participia subsequentia, ἀνεχόμενοι, σπουδάζοντες, *tolerantes, studentes;* quae casu recto pendent a praecedente imperativo implicito, *ambulate.* [*Qui vocationis divinae sensu, ut par est, afficitur, eum virtutibus h. l. memoratis ornatum reperies.* 1 Petr. 3, 9. Phil. 1, 27. V. g.] — πάσης, *omni*) Constr. etiam cum *mansuetudine.* Col. 3, 12. s. — ταπεινοφροσύνης, *humilitate animae*) ex sensu gratiae. Rom. 11, 20. — ἐν ἀγάπῃ, *in amore*) Huic respondet, *in vinculo pacis.* v. 3. Hoc recurrit v. 15. 16. Et hic praedicatur *amor: fides*, v. 5. *spes*, v. 4.

v. 3. τηρεῖν, *servare*) Etiam ubi nulla fissura est, monitis opus est. — τὴν ἑνότητα, *unitatem*) penes nos. nam Spiritus sanctus in se *unus* manet, v. 4. — ἐν τῷ συνδέσμῳ, *in vinculo*) *Vinculum*, quo *pax* retinetur, est ipse *amor.* Col. 3, 14. 15.

v. 4. ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, *unum corpus et unus Spiritus*) In symbolo apostolico articulum de Spiritu sancto commode excipit articulus de ecclesia. — καὶ ἕν, *et unus*) *Spiritus, Dominus, Deus et Pater:* Trinitas. coll. v. seqq. — ἐν μιᾷ ἐλπίδι, *in una spe*) Spiritus est *arrhabo*, atque ideo cum ejus mentione conjungitur *spes hereditatis.*

v. 5. μία πίστις, ἓν βάπτισμα, *una fides, unus baptismus*) in Christum, Dominum. Modo baptismus, modo fides praeponitur. Marc. 16, 16. Col. 2, 12.

Digitized by Google

v. 6. πάντων, *omnium*) Hoc ter, et mox, *omnibus*, masculinum est. nam *omnes* ad unitatem rediguntur. — ἐπὶ) *super* omnes cum gratia sua eminens. — διὰ πάντων) *per omnes* operans *per* Christum. — ἐν πᾶσιν) [1]) *in omnibus* habitans *in* Spiritu sancto.

v. 7. δὲ, *autem*) Antitheton, *unum* et *unus*. in antecedd. — ἐδόθη, *data est*) Hoc ducitur ex Psalmo, v. seq.

v. 8. λέγει, *dicit*) David, imo Deus ipse. Ps. 68, (19.) 20., ἀνέβης εἰς ὕψος, ᾐχμαλώτευσας αἰχμαλωσίαν· ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώπῳ. Aliqui etiam apud LXX legunt ἀναβάς. Sed in versione LXX virali plerumque ea lectio est sequior, quae cum textu N. T. propius congruit, quippe ad eum conformata. — ὕψος, *altitudinem*) Sic *coeli* vocantur poësi Hebraea: item Es. 32, 15. — ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, *captivam duxit captivitatem*) Frequens geminatio, v. gr. 2 Par. 28, 5. Hic notantur copiae infernales, 2 Petr. 2, 4., oppositae *hominibus*. eas Christus ascendens captivas duxit. neque propterea melius agitur cum malefico capitis reo, ubi ex carcere in forum aut curiam ducitur. Hic *ductus* statum tartareum non interpellavit. Si tamen unquam spes evadendi pro illis fuisset, fuisset tum. conf. c. 6, 12. fin. et Col. 2, 15. Neque quilibet ascensus, sed ascensus captam captivitatem habens conjunctam, praesupponit et infert descensum in inferiores terrae partes. — ἔδωκε δόματα, *dedit dona*) Huc ref. *dedit*, v. 11., et *data est*, et *doni*, v. 7. In Hebraeo concisus est sermo לִקַּח Christus videlicet *accepit* dona, quae statim *daret*. Conf. לִקַּח Gen. 15, 9. 2 Reg. 2, 20., ubi actio subita denotatur sermone conciso. sic λαβέτωσάν σοι, Ex. 27, 20. Lev. 24, 2. — τοῖς ἀνθρώποις, *hominibus*) Dativus commodi pro בְּאָדָם Prosunt dona non iis tantum, qui accipiunt, sed omnibus.

v. 9. τὸ δὲ, ἀνέβη, *hoc vero, ascendit*) Probat Paulus, psalmi sermonem referri ad Christum: et ex descensu infertur ascensus. Joh. 3, 13. Commorationem Filii Dei in terra omnes spectarunt: ascensionem, quam non viderunt, inde credere debuerunt. Similis argumentatio, Act. 2, 29. ss. 13, 36. s. maximeque Hebr. 2, 8. s. In Jesum conveniunt praedicata Messiae humilia: ergo ad illum etiam gloriosa referri praedicata debent. — κατέβη πρῶτον, *descendit prius*) Praesupponit Paulus Deitatem Christi. nam qui ex terra sunt, ii, quamvis antea non descenderunt, ascensum nanciscuntur. — εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς) non modo in terram ipsam, sed *in imas terrae partes*. [*ita, ut per omnia profunda nihil relinqueret non visitatum, coll.* v. 10. V. g.] *Imis terrae partibus* sive omnibus terris opponuntur summa coelorum sive *omnes coeli*. Possessionem omnium, primo terrae, deinde coeli, per se capessivit Christus. Cum mentione *terrae* conjuncti sunt *homines;* cum mentione *locorum inferiorum* conjuncta est *captivitas*. — τῆς γῆς, *terrae*) in qua sunt *homines*.

v. 10. αὐτὸς) *ille*, non alius. — ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, *supra omnes coelos*) Plane sublimis locutio. Christus ascendit non modo in coelum, Marc. 16, 19. sed per coelos. Ebr. 4, 14. not. *supra* omnes coelos; *coelos coelorum*. Deut. 10, 14. — πληρώσῃ, *impleret*) praesentia et operatione sua, *se ipso*. — τὰ πάντα) *omnia*, ima et summa. Conf. Jer. 23, 24., ubi etiam LXX verbo πληροῦν utuntur.

v. 11. αὐτὸς) *ipse*, summa potestate. id repetitur ex v. 10. Ministri non dedere se ipsos. [*Ad hos a communi* rerum universitate, *modo memorata, mirabili, ut videtur,* saltu *descendit apostolus. Ad* Corpus Christi *nimirum respicit. Pari pacto* c. 1, 22. V. g.] — ἀποστόλους· προφήτας· εὐαγγελιστὰς κτλ. *apostolos: prophetas: evangelistas etc.*) Cum summis gradibus conjuncti pot-

1) *Omissionem pronominis sive* ὑμῖν *sive* ἡμῖν *praetulerat* Ed. maj.: *sed pronomen* ἡμῖν, *crisin* Ed. 2. *secuta, recepit* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

erant esse inferiores, v. gr. Johannes apostolus idem etiam prophetam egit in apocalypsi, et evangelistam in evangelio: sed non contra. Omnes apostoli simul etiam vim propheticam habuerunt. Tantummodo hic gradus eminens prophetiae, quo *Apocalypsis* data est, erat Johanni peculiaris. Sed prophetae et evangelistae non simul etiam apostoli fuerunt. Propheta antecedit evangelistam. nam propheta de futuris, evangelista de praeteritis infallibiliter testatur: propheta totum habet a Spiritu; evangelista rem visu et auditu perceptam memoriae prodit, charismate tamen majori ad munus maximi momenti instructus, quam pastores et doctores. Non adduntur hic *thaumaturgi*; nam horum actiones jam aliquanto minus pertinent πρὸς τὸν καταρτισμὸν κτλ. *ad aptationem etc.* Et fortasse jam ante extrema apostolorum tempora rarius fuit donum miraculorum. conf. Hebr. 2, 4. — ποιμένας καὶ διδασκάλους, *pastores et doctores*) *Pastoris* appellatio alias ubique soli Domino datur. Pastores et doctores hic junguntur: nam *pascunt docendo* maxime, tum admonendo, corripiendo etc.

v. 12. πρὸς, εἰς, εἰς, *ad, in, in*) Huc ref. *in, in, in.* v. seq. quanquam *ad* et *in* nonnihil differunt. Rom. 15, 2. Hoc versu denotatur functio ministrorum; versu sequenti, meta sanctorum; versu 14. 15. 16. via incrementi: et quodlibet horum habet tres partes, eodem ordine expressas. Sunt tres periochae tripartitae. Primae tres partes invicem respiciunt: tum, secundae: postremo, tertiae: citra chiasmum. — καταρτισμὸν, *aptationem*) Hoc maxime facit ad *unitatem.*

v. 13. μέχρι, *dum*) Ne apostoli quidem se putarunt metam assecutos: Phil. 3. nedum ecclesia. Semper proficiendum fuerat, non standum, nedum deficiendum. Et nunc ecclesia ideam sui optimae non a tergo respiciat oportet, sed ante oculos habeat, ut futuram, etiamnum assequendam. Notate hoc, qui antiquitatem non tam sequimini, quam obtenditis. — καταντήσωμεν) *perveniremus.* hoc tempus, tempori praeterito subjunctum, imperfectum est. Hoc jam fieri debebat, quum Paulus hoc scripsit. nam *fides* est viatorum. — οἱ πάντες) *cuncti*, sancti. — εἰς, εἰς, εἰς, *in, in, in*) Asyndeton iteratum. Aetas naturalis excrescit *ad* sapientiam, robur et proceritatem: his respondet in aetate spirituali *fides una, animus corroboratus, et plenitudo Christi.* — ἑνότητα, *unitatem*) Haec *unitas* amice opponitur *varietati* donorum, et *universitati* sanctorum: contrarius autem huic unitati est *omnis* ventus, v. 14. — τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως, *fidei et cognitionis*) Haec duo et conveniunt et differunt. nam *cognitio* perfectius quiddam *fide* sonat. — τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, *filii Dei*) In Christo cognoscendo summum est, quod sit filius Dei. — εἰς ἄνδρα τέλειον, *in virum perfectum*) Concretum pro abstracto: abstracta sunt enim *unitas* et *mensura.* de *perfectione,* conf. Phil. 3, 15. — ἡλικίας, *staturae*) ut Christus sit omnia et in omnibus. ἡλικία *statura* spiritualis est plenitudo Christi.

v. 14. μηκέτι) *non,* ut antea et *adhuc.* — νήπιοι, *infantes*) Νήπιοι opponuntur *viro* in secundo gradu, et juveni in primo gradu. *Vir perfectus,* qui non jam in altum crescere potest, sed alias tamen fit perfectior: *infans,* qui vix incipit crescere. — κλυδωνιζόμενοι, *fluctuantes*) intrinsecus, sursum deorsum, etiam citra ventum. — περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ, *circumacti quovis vento*) extrinsecus, huc illuc, aliis nos adorientibus. — κυβείᾳ) *versutia.* Metaphora ab aleatore, qui talorum jactum fingit, ut semper appareat, quod ipsi placet. — μεθοδείαν) Hoc vocabulo uti amant inprimis *Methodistae* Romanenses. Vid. cap. 6, 11. not. Adde D. *Maichelii* Diss. inaug. de ecclesiae Romanae moliminibus *methodis*que. — τῆς πλάνης, *erroris*) i. e. Satanae. Metonymia abstracti occultam agendi rationem exprimit, qua hostis utitur.

v. 15. ἀληθεύοντες, *verantes*) Oppositum, *erroris.* De eadem *veritate,* v. 21. 24. — ἐν ἀγάπῃ, *in amore*) quo corpus coagmentatur. Hìc est prora, et versu 16. puppis. *Verantes, in amore* conjunguntur. Hoc est simplicius. —

αὐξήσωμεν, *crescamus*) Pendet ab *ut* v. 14. Haec αὔξησις, *augmentatio*. v. 16. media est inter *infantes* et *virum*. — εἰς αὐτὸν, *in eum*) Paulus *Jesum* in animo habens primum dicit *eum*, deinde declarat, quem dicat. — τὰ πάντα, *omnia*) subaudi κατὰ, *secundum*. singuli, et universi, secundum omnia. — ὅς, *qui*) Ref. ad *Christus*: *caput* per incisum ponitur. — ὁ χριστὸς, *Christus*) Ploce, emphatica. Antea enim jam dictum fuerat εἰς αὐτὸν, *in illum*: cum tamen postea demum ὁ χριστὸς cum summa emphasi memoretur: quasi dicat: *Christus est Christus*. Ad hunc omnia referuntur.

v. 16. ἐξ, *ex*) Fons augmentationis. — συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον) *compactum et commissum* corpus; concretum pro abstracto. i. e. compactura et commissura corporis, per rectam conformationem et firmam coagmentationem. συναρμολογούμενον pertinet ad τὸ regulare, ut partes omnes in situ suo et relatione mutua recte aptentur: συμβιβαζόμενον notat simul firmitudinem et consolidationem. — διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας) In palaestra sunt ἁφαὶ, quibus apprehenditur antagonista laedendus; hostes enim pulvere et arena se invicem conspergebant, ut, quamlibet inunctus, adversarius comprehendi posset: hic dicuntur ἁφαὶ τῆς ἐπιχορηγίας, *ansae ad mutuum auxilium*. διὰ, *per*, constr. cum ποιεῖται, *facit*. — κατ' ἐνέργειαν, *secundum efficaciam*) Facultas debet etiam exerceri. conf. κατὰ τὴν ἐνέργειαν, c. 1, 19. 3, 7. Sed hoc loco abest articulus; quia sermo est de efficacia particulari, singulorum membrorum. — ἑνὸς ἑκάστου, *unius cujusque*) Constr. cum ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ. — τοῦ σώματος, *corporis*) Nomen pro pronomine reciproco. ideo ποιεῖται dicitur, non ποιεῖ. — ἐν ἀγάπῃ, *in amore*) Constr. cum *aedificationem*.

v. 17. τοῦτο οὖν λέγω, *hoc igitur dico*) Redit eo, unde coepit v. 1. — μηκέτι ὑμᾶς περιπατεῖν, *ne posthac ambuletis*) Antitheton, v. 1. — ἐν ματαιότητι *in vanitate*) Radix talis ambulationis, discessio ab agnitione veri Dei. Rom. 1, 21. 1 Thess. 4, 5. *in* constr. cum *ambulant*. *Vanitas* exponitur v. 18. *ambulatio*, v. 19.

v. 18. ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ ὄντες, *qui sunt obtenebrati mente*) Habet hic versus quatuor commata. ad primum refer tertium, et ibi ad ὄντες, οὖσαν· ad secundum refer quartum. Nam etiam Tit. 1, 16. ὄντες cum epitheto praecedente nectitur. *obtenebrati*, *abalienati*, participia, praesupponunt, gentes ante defectionem suam a fide patrum, imo potius ante lapsum Adami, fuisse participes *lucis* et *vitae*. conf. *renovari*, v. 23. — τῆς ζωῆς, *vita*) de qua c. 2, 5. — τοῦ θεοῦ, *Dei*) Vita spiritualis accenditur in credentibus ex ipsa Dei vita. — [1]) πώρωσιν, *obduration-nem*) Antitheton: *vita*. *vita* et *sensus* simul sunt, simul desunt. conf. Marc. 3, 5. not. Πώρωσις, *obduratio* coecitati, ubi haec expresse simul notatur, contradistinguitur: alias, eam in se continet. — καρδίας, *cordis*) Rom. 1, 21.

v. 19. ἀπηλγηκότες) Verbum significantissimum, in quo *dolor* (ἄλγος) per synecdochen dicitur pro omni sensu affectus et intellectus, sive molesto sive jucundo. Etenim dolor urget ad medicinam: dolore amisso, non modo spes, sed etiam studium et cogitatio rerum bonarum amittitur, ut homo sit excors, effrons, exspes. Ea est *obduratio*, v. 18. *Desperantes*, apud Vulgatum et Syrum, aliquid dicit, et significationem illustrat. Quo pacto apud Chrysostomum conjunctim notatur ἡ ἀναλγησία ἢ ἀπόγνωσις. homil. VI. in Hebr. 3, 13. Ipsum autem verbum ἀπαλγεῖν παραφράζειν videtur Cicero lib. II. famil. Ep. 16. quum ait, *diuturna* ***DESPERATIONE*** *rerum obduruisse animum ad* ***DOLOREM*** *novum*. Itaque ἀπαλγεῖν plus est, quam *desperare*. Pulcre de hoc verbo ex Polybio disseruit Raphelius: ubi de duobus exemplis apud Suidam Polybio tributis alterum iisdem verbis apud Xiphilinum extat. — ἑαυτοὺς παρέδωκαν, *se ipsos tradiderunt*) ultro.

---

1) διὰ τὴν ἄγνοιαν, *propter ignorantiam*] Haec ipsa calamitosi status initium est. Rom. 1, 21. 23. V. g.

— πάσης, *omnis*) ἀσέλγεια, *lascivia*, species: ἀκαθαρσία, *impuritas*, genus. His operibus carnis qui vacant, materiae ardore correpti incidunt etiam in *avaritiam:* et frequens apud gentes ex impudicitia quaestus.

v. 20. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως ἐμάθετε τὸν χριστὸν, *vos vero non sic didicistis Christum*) Assonat ad illud Deut. 18, 14. s. σοὶ δὲ οὐχ οὕτως ἔδωκε Κύριος ὁ θεός σου. προφήτην — αὐτοῦ ἀκούσεσθε. Unus est Christus, inquit Paulus, (coll. 2 Cor. 11, 4.) eum uti audistis, sic exprimere debetis. Ad *non sic* ref. mox *sicut. non sic* opponitur *impuritati:* v. 19. *si quidem etc.* opponitur *vanitati.* v. 17. s. — τὸν χριστὸν, *Christum*) Expressius v. seq. ponit nomen *Jesu. Christi* ideam perfectissime et fulgidissime explevit *Jesus.*

v. 21. εἴγε, *si quidem*) Particula non minuit, sed auget vim admonitionis. — αὐτὸν, *illum*) Hoc, et mox *in illo*, huc redundat ex commate sequenti: ut *vos*, Gal. 4, 11. *Audire Christum* dicit plenius quiddam, quam *audire de Christo.* — ἠκούσατε, *audivistis*) Etiam prima auditio de Christo tollit peccata. — ἐν αὐτῷ) *in illo.* i. e. illius nomine, quod ad illum attinet. — ἐδιδάχθητε, *docti estis*) doctrinam suscepistis. Consequens τοῦ *audire* et τοῦ *doceri*, est τὸ *discere.* — καθὼς, *sicut*) i. e. *ita, uti.* conf. καθὼς, *sicut*, 1 Cor. 8, 2. *ita*, uti veritas reapse est in Jesu. Antitheton, *secundum*, v. 22. — ἀλήθεια, *veritas*) Hoc opponitur *vanitati* ethnicae in summa; v. 17. et reassumitur v. 24., uberius tractandum. Veritas, vera agnitio Dei veri. — ἐν τῷ ἰησοῦ, *in Jesu*) Qui credunt in Jesum, *verant.* conf. 1 Joh. 2, 8.

v. 22. ἀποθέσθαι, *deponere*) Hoc pendet a *dico*, v. 17.: et inde vis particulae, *non jam*, quasi post parenthesin reassumitur per asyndeton in verbo aequipollente *deponere.* nam contrarium eorum, quae v. 18. 19. dicuntur, jam expeditum est v. 20. 21. Et tamen hoc verbum ἀποθέσθαι *deponere* respectum quendam habet ad verba proxima v. 21. Τῷ *deponere* ex adverso respondet *induere*, v. 23. — κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφὴν, *secundum pristinam conversationem*) pro eo ac prius ambulastis. Antitheton, versus 23. totus. *secundum* declarat vim verbi, relationem habentis, *deponere*, non modo *abstinere.* — τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, *veterem hominem*) Concretum pro abstracto, ut mox v. 24. *novum*, coll. v. 13. not. Abstractum v. gr. est *mendacium*, v. 25. — τὸν φθειρόμενον, *qui corrumpebatur*) Imperfectum, ut κλέπτων, *qui furabatur*, v. 28. Antitheton, *creatum;* idque in aoristo sive praeterito, respectu primae creationis et intentionis. — κατὰ τὰς ἐπιθυμίας, *secundum concupiscentias*) Antitheton, *secundum Deum, in justitia etc.* — τὰς ἐπιθυμίας, *concupiscentias*) Antitheton, *justitia et sanctitas.* — τῆς ἀπάτης) *erroris* ethnici. antitheton, *veritatis.*

v. 23. τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς, *spiritu mentis*) 1 Cor. 14, 14. *Spiritus* est intimum *mentis.*

v. 24. τὸν καινὸν) Τὸν νέον dicit Col. 3, 10. de eo, quod fidelibus *nativum* est: sed hic modo dixit ἀνανεοῦσθαι. vicissim ἀνακαινούμενον subjicit l. c. de *studio* fidelium. — κτισθέντα, *creatum*) initio rei christianae. In Christo creatus est hic novus homo. conf. c. 2, 10.

v. 25. τὸ ψεῦδος, *mendacium*) Universali commendationi veritatis convenienter subjungitur mentio mendacii et veritatis in loquendo. [1]) — ὅτι, *quia*) Col. 3, 11. not. — ἀλλήλων, *invicem*) Judaei et Graeci. ibid. — μέλη, *membra*) v. 4.

v. 26. ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, *irascimini nec peccate*) sic LXX, Ps. 4, 5. Ira nec imperatur, nec plane prohibetur: sed hoc jubetur, ut peccatum ab ira absit. est tanquam venenum, quod interdum medicinae vim habet, sed cautissime tractandum est. Saepe vis modi cadit super partem duntaxat sermo-

1) ἀλήθειαν, *veritatem*] v. 21. 24. V. g.

Digitized by Google

nis. Jer. 10, 24. — ὁ ἥλιος, *sol*) Affectus noctu retentus alte insidet. — μὴ ἐπιδυέτω, *ne occidat*) Deut. 24, 15. οὐκ ἐπιδύσεται ὁ ἥλιος ἐπ᾽ αὐτῷ. — ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν, *super iracundia restra*) Non solum iracundia cessare, sed etiam frater sine procrastinatione corrigi, et reconciliatio fieri debet, praesertim cum proximo, quem posthac visurus non sis in hac vita, quemve primum in via, hospitio, foro videris.

v. 27. μήτε, *neque*) Diabolo datur locus per iracundiam pertinacem, praesertim nocturnam. conf. *tenebrarum*, c. 6, 12. μήτε ponitur, ut καὶ μή, v. 30.

v. 28. ὁ κλέπτων, *qui furabatur*) Id mitius, quam ὁ κλέπτης, *fur*. Participium imperfecti temporis, praesenti hic non excluso. — μᾶλλον δὲ) *potius vero* etiam, quam si non furatus esset. In quovis peccati genere qui peccavit, contrariam deinde debet exercere virtutem. — κοπιάτω, *laborato*) Saepe furtum et otium sunt una. — τὸ ἀγαθὸν, *bonum*) Antitheton ad furtum, prius *manu* piceata male commissum. — ταῖς χερσὶν, *manibus*) quibus ad furtum abusus erat. — ἵνα ἔχῃ, *ut habeat*) Lex restitutionis non debet nimis stricte urgeri contra legem amoris. [*Praeter ablati restitutionem scilicet liberalitatem etiam, qui furatus est, exercere debet.* V. g.]

v. 29. σαπρὸς, *putris*) vetustatem redolens, v. 22., expers gratiae, insulsus. Col. 4, 6. Oppositum, *bonus*. — μὴ ἐκπορευέσθω, *ne egreditor*) Si jam in lingua sit, resorbete. — εἴ τις) *si quis*, quotiescunque. Non tamen postulatur ab omnibus par facundia. — πρὸς οἰκοδομὴν — τοῖς ἀκούουσι, *ad aedificationem — audientibus*) Talis sermo *non caret usu, non subvertit audientes*, ut ii, de quibus 2 Tim. 2, 14. — δῷ χάριν, *det gratiam*) Magna vis est in colloquiis piis.

v. 30. μὴ λυπεῖτε, *nolite contristare*) per sermones putres. Contristatur Spiritus sanctus non in se, sed in nobis, [*aliisve hominibus*, V. g.] quum testimonium ejus serenum turbatur. λυπεῖν LXX saepe pro חרה et קצף ponunt. — ἐσφραγίσθητε, *obsignati estis*) ut sciatis, non solum esse aliquem diem liberationis, sed illum diem etiam vobis, ut filiis Dei, fore diem liberationis; eoque nomine *laetamini*. — εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως, *in diem liberationis*) Hic dies est novissimus; cujus repraesentatio quaedam est in die mortis. praesupponit dies citeriores. Rom. 2, 16. In illo maxime die referet, quis inveniatur obsignatus.

v. 31. πικρία, *amaritudo*) Oppositum, v. 32., χρηστοὶ, *benigni*, erga omnes. — θυμὸς, *saevitia*) Oppositum, *misericordes*, erga imbecilles et miseros. — καὶ ὀργὴ, *et ira*) Oppositum, *condonantes*, erga laedentes. Hactenus descendit Climax, in prohibitis. — βλασφημία, *blasphemia*) Atrox species *clamoris*. Utrumque tollit amor. — κακία) *vitio*. Hoc genus est, ideo *omni* additur. [*Eam pravitatem notat, qua quis difficilem se et molestum conversantibus praebet.* V. g.]

v. 32. ἐχαρίσατο, *condonavit*) Praebuit se *benignum, misericordem, condonantem*.

CAPUT V.

v. 1. Μιμηταὶ, *imitatores*) in *condonando*, (coll. antec.) et in *amando*; nam sequitur, *amati*. O quanto gloriosius et beatius est, esse imitatorem Dei, quam Homeri, Alexandri, Apellis etc. — ὡς τέκνα, *tanquam liberi*) Matth. 5, 45.

v. 2. περιπατεῖτε, *ambulate*) Fructus amoris nostri, ex Christo accensi. — ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis*) Non cum verbo *tradidit* construitur Dativus *Deo*, sed cum proximis praecedentibus, *oblationem et victimam*. Alludit enim Paulus ad Mosen, apud quem solennia sunt illa, ὁλοκαύτωμα τῷ Κυρίῳ· εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, θυσίασμα τῷ Κυρίῳ ἐστί. κτλ. Exod. 29, 18. 25. 41. Lev. 23, 13. 18. etc. — προσ-

Digitized by Google

φορὰν καὶ θυσίαν, *oblationem et victimam*) Conf. Hebr. 10, 5. ss. — εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, *in odorem bonae fragrantiae*) Hoc bono odore sumus reconciliati Deo.

v. 3. πορνεία, *scortatio*) impurus *amor*. — ἢ πλεονεξία, *aut avaritia*) v. 5. c. 4, 19. — μηδὲ ὀνομαζέσθω, *ne nominetur quidem*) scil. ut facta: conf. 1 Cor. 5, 1. ἀκούεται, *auditur:* aut sine necessitate. conf. v. 4. 12. — πρέπει, *decet*) Oppositum, οὐκ ἀνήκοντα *non convenientia*. v. 4.

v. 4. αἰσχρότης, *turpitudo*) in sermone, vel etiam gestu etc. — μωρολογία, *stultiloquium*) ubi risus captatur, etiam sine sale. — ἢ εὐτραπελία) *aut facetia*. Haec subtilior, quam *turpitudo* aut *stultiloquium:* nam ingenio nititur. Ea maxime delectati Asiani: superioribusque temporibus per aliquot aetates regnaverunt facetiae, etiam apud literatos. cur? Aristoteli εὐτραπελία virtus est: et Plautum triverunt. τὴν εὐτραπελίαν a Paulo ita reprehendi notat Olympiodorus, ὥστε οὐδὲ τὰ ἀστεῖα δεκτέον, *ut ne urbanitati quidem sit locus*. — τὰ οὐκ ἀνήκοντα, *quae non conveniunt*) Epitheton. Subaudi praedicatum, *absint*. — εὐχαριστία, *gratiarum actio*) subaudi ἀνήκει, *convenit*. Linguae abusui opponitur sanctus et tamen laetus usus. v. 18. s. Non conveniunt abusus et usus. εὐτραπελία, et εὐχαριστία, concinna paronomasia. illa turbat animam, (et quidem subtilis aliquando jocus et lepos tenerum gratiae sensum laedit;) haec, exhilarat.

v. 5. ἔστε, *este*) Imperativus. Gal. 5, 21. — ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, *qui est idololatra*) Col. 3, 5. Avaritia est summa defectio a creatore ad creaturam, Matth. 6, 24. Phil. 3, 19. 1 Joh. 2, 15., et summe violat eadem praeceptum de diligendo proximo, quod simile est praecepto de diligendo Deo. est igitur idololatria, adeoque peccatum maximum. 1 Sam. 15, 23. — τοῦ χριστοῦ καὶ θεοῦ, *Christi et Dei*) Articulus simplex, summam unitatem indicans. 1 Tim. 5, 21. 6, 13. 2 Thess. 1, 12. conf. Marc. 14, 33. Alibi geminatur, emphaseos causa. Col. 2, 2.

v. 6. κενοῖς λόγοις, *vanis sermonibus*) quibus ira Dei contemnitur; quibus officio se suo subducere, bonum pro nihilo habere, malum etiam extenuare et incrustare homines nituntur. [*quibus ubiris denique omnia scatent*, V. g.] Hoc genus est: species tres, v. 4. Sic LXX, μὴ μεριμνάτωσαν ἐν λόγοις κενοῖς. Exod. 5, 9. — διὰ ταῦτα, *propter haec*) propter *scortationem etc.* — ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ, *ira Dei*) Antitheton reconciliationis. v. 2. c. 4, 32. — ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας, *super filios incredulitatis*) in gentilismo.

v. 7. μὴ, *ne*) ne ira super vos veniat. Duae partes: *nolite*, *et nolite*, v. 7. 11. Vitanda communio cum malis et hominibus v. 7., et operibus, v. 11.

v. 8. σκότος· φῶς, *tenebrae: lux*) Abstractum pro concreto, emphasi egregia. nam sequitur, *filii lucis*.

v. 9. ὁ καρπὸς τοῦ φωτὸς, *fructus lucis*) Antitheton, *opera infructuosa tenebrarum*. v. 11. — ἐν, *in*) est, consistit *in* etc. — ἀγαθωσύνῃ καὶ δικαιοσύνῃ καὶ ἀληθείᾳ, *bonitate et justitia et veritate*) Haec opponuntur vitiis modo descriptis a c. 4, 25.

v. 10. δοκιμάζοντες, *probantes*) Constr. cum *ambulate*, v. 8.

v. 11. δὲ καὶ) καὶ, *etiam*. Non satis abstinere est. — ἐλέγχετε, *redarguite*) verbis et factis luce dignis.

v. 12. γὰρ, *enim*) Causa, cur indefinite loquatur versu 11., de operibus tenebrarum, quum fructum lucis v. 9. definite descripserit. Simul hinc patet facilitas, justitia, salubritas *elenchi*. — κρυφῇ, *secreto*) per fugam lucis, frequentissime. — ὑπ᾽ αὐτῶν) *ab illis*, qui sunt in tenebris. — αἰσχρὸν, *turpe*) Ad Corinthios familiarius scribens, *nominat;* etiam ad Romanos, quia opus erat: hîc, gravius agit. — καὶ) *vel* dicere, nedum facere. — λέγειν, *dicere*) Existimari possunt a contrariis, *bonitate, justitia, veritate*.

v. 13. δὲ) *autem;* tametsi non dicas aut appelles ea. — ἐλεγχόμενα, *reprehensa*) per vos. v. 11. — ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦται) Conjugata, φάος, φανε-

itized by Google

ρός. — φανεροῦται, *manifestantur*) ut agnoscatur eorum turpitudo, sive ii, qui patrarunt, recalcitrent, sive resipiscant. — πᾶν, *omne*) Abstractum pro concreto. nam hic sermo jam est de homine ipso. coll. v. seq. *propterea*. — γὰρ, *enim*) *Enim* facit epitasin, in gradatione. — τὸ φανερούμενον) Antanaclasis. nam φανεροῦται est passivum: φανερούμενον, medium, *quod manifestari non refugit*. conf. mox, ἔγειραι et ἀνάστα. — φῶς, *lux*) Metonymia, ut v. 8. — ἔστι, *est*) fit, et mox *est*, lux.

v. 14. διὸ λέγει, *propterea dicit*) Summa celeusmatis hujus extat Es. 60, 1., φωτίζου φωτίζου, Ἱερουσαλήμ· ἥκει γάρ σου τὸ φῶς. Hebr. קומי אורי Sic ibid. c. 52, 1. 2., ἐξεγείρου· ἀνάστηθι. Sed apostolus expressius loquitur, ex luce N. T., atque ut requirit status ejus, qui excitandus est. Simul videtur in mente habuisse formulam, quae in festo buccinarum adhiberi solita fuerat: *Excitamini excitamini e somno vestro: exigilate e somno vestro, qui vana tractatis. nam sopor vobis gravissimus immissus est.* etc. Vid. Hotting. ad Godw. p. 601. Et fortasse illo anni tempore scripsit hanc epistolam. conf. 1 Cor. 5, 7. not. — ἔγειραι· ἀνάστα) Ammonius: ἀναστῆναι, ἐπὶ ἔργον· ἐγερθῆναι, ἐξ ὕπνου. — ἐκ τῶν νεκρῶν, *ex mortuis*) c. 2, 1. — ἐπιφαύσει) *illucescet*, tanquam Sol. conf. Es. cap. cit. v. 2. Thema, ἐπιφαύσκω, apud LXX. Sic a γηράσκω, γηράσω, ἀρέσκω, ἀρέσω.

v. 15. βλέπετε, *videte*) Hoc repetitur v. 17. — πῶς, *quomodo*) Solicitudo etiam *modum* spectat. Respondet, *tanquam*. — ἀκριβῶς) *praecise*. [*Man soll es genau nehmen*. V. g.] conf. Act. 26, 5. — μὴ ὡς ἄσοφοι, *non tanquam insipientes*) qui praeter propter viam ambulant.

v. 16. ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, *redimentes tempus*) Sic LXX, καιρὸν ὑμεῖς ἐξαγοράζετε. Dan. 2, 8. Dies, inquit Paulus, mali sunt; et in malorum hominum, non in vestra potestate: quare, quum vos urgeri videtis, date operam, ut, dum intervalla istius temporis inimica transeunt, tempus, si minus cum lucro, at certe sine damno ducatis et traducatis, quod fit quiescendo, vel certe modice agendo. Haec vis verbi דמם in loco Amosi mox citando. *Sapientia* et ἀκρίβεια praecipitur, non ignavia. Alia tamen agendi ratio est in aestate, alia in hieme, vel majori cum labore. Qui tempore malo nullum tantisper temporis fructum praeter tempus ipsum (exemplo magorum, Dan. l. c. aut more urbis obsessae, subsidium exspectantis) quaerunt; hi *sapienter* faciunt, et deinceps meliori tempore, quod sic *redemèrunt*, melius utentur. Sir. 10, (27) 31., μὴ δοξάζου ἐν καιρῷ στενοχωρίας σου. Simillima locutio Smyrnensium in Ep. de Polycarpo, ubi martyres dicuntur διὰ μιᾶς ὥρας τὴν αἰώνιον κόλασιν ἐξαγοραζόμενοι, §. 2. Oppositum est, *tempus perdere*. — ἡμέραι, *dies*) c. 6, 13. — πονηραὶ, *mali*) Amos 5, 13., ὁ συνιῶν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ (הדמ) σιωπήσεται, ὅτι καιρὸς πονηρός ἐστιν.

v. 17. συνιέντες, *intelligentes*) Amos, modo, ὁ συνιῶν. hinc colligas, Paulum ad illum locum respexisse. — τί τὸ θέλημα [1]) τοῦ κυρίου, *quae voluntas Domini*) non solum universe, sed certo loco, tempore etc.

v. 18. μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, *nolite inebriari vino*) Sic plane LXX, Prov. 23, 31. (30.) Convenienter dehortationi ab impuritate subjungit dehortationem ab ebrietate. — ἐν ᾧ) *in quo*, vino scil. quatenus immoderate hauritur. — ἀσωτία) Ἄσωτος dicitur pro ἄσωστος. inde ἀσωτία denotat omnem luxuriam frugalitati inimicam. oppositum vide versu 19., de effectu plenitudinis spiritualis. — ἀλλὰ) Sic fere LXX, l. c. ἀλλὰ ὁμιλεῖτε ἀνθρώποις δικαίοις.

v. 19. λαλοῦντες ἑαυτοῖς) *loquentes inter vos:* antitheton, *Domino*. conf. Col. 3, 16. not. Spiritus, fideles facit *disertos*. — ψαλμοῖς, *psalmis*) biblicis, Davidicis, novis, extemporalibus; adjuncto instrumento. — ὕμνοις, *hymnis*) ad lau-

---

1) *Lectionem* θεοῦ, *per marg.* utriusque Ed. *lectorum arbitrio relictam, praefert hoc versu* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

dem Dei expressam. — ᾠδαῖς) *carminibus*, quae canuntur aut cani possunt, de quocunque argumento sacro. — πνευματικαῖς, *spiritualibus*) non mundanis, ut sunt ebriorum. — τῷ κυρίῳ, *Domino*) Christo, qui *corda* scrutatur.

v. 20. εὐχαριστοῦντες, *gratias agentes*) Hoc officium Paulus saepe urget et ipse diligenter exercet. peragitur animo, lingua, opere. Col. 3, 17. — πάντων, *omnibus*) Neutrum, masculini potestate inclusa. conf. 1 Thess. 5, 18. — ἰησοῦ, *Jesu*) per quem omnia nobis obtingunt.

v. 21. ἀλλήλοις, *invicem*) Nunc de officio erga alios: cujus fundamentum est *timor Christi*, [1]) motiva sua hauriens ex fide Christiana. 1 Petr. 2, 13. Rara phrasis. conf. 2 Cor. 5, 11. 1 Cor. 10, 22.

v. 22. αἱ γυναῖκες, *mulieres*) Inferiores priore loco ponuntur; deinde superiores. v. 25. c. 6, 1. 4. 5. 9. 1 Petr. 3, 1. 7. quia propositio est de *subjectione:* et inferiores debent officium facere, qualescunque sunt superiores. Multi etiam ex inferioribus fiunt superiores: et qui bene subest, bene praeest. Porro his omnibus scribitur in secunda persona: omnium est ergo audire et legere scripturam. conf. 1 Joh. 2, 13. — ἰδίοις, *suis*) Mulieres obsequi debent *suis* maritis, etiamsi alibi meliora viderentur habere consilia. ὑποτασσόμεναι subauditur ex v. 21. [2]) De liberis et servis dicitur, *obedite*, c. 6, 1. 5. Conjugum, major paritas. Conf. tamen Rom. 13, 1. — ὡς, *sicut*) *Subjectio*, quae ab uxore praestatur viro, simul praestatur ipsi Domino, Christo. Non est comparatio cum obedientia, quam ecclesia praestat Christo, sed cum ea, quam ipsa uxor Christo praestare debet. Obedientia praestatur viro, intuitu Christi. Ergo etiam ipsi Christo.

v. 23. καὶ αὐτός, *et ipse*) Vir autem non est servator uxoris. in eo Christus excellit. Hinc *sed* sequitur.

v. 24. ἀλλ᾽ ὥσπερ, *sed sicut*) Antitheton, *vir, mulieres.* — ὑποτάσσεται, *subordinatur*) Subaudi hic quoque, *in omni* re. — αἱ γυναῖκες, *mulieres*) *subordinentur.*

v. 25. ἑαυτὸν παρέδωκεν, *se ipsum tradidit*) ex amore.

v. 26. ἁγιάσῃ, *sanctificaret*) Saepe *sanctitas* et *gloria* sunt synonyma: quare hic quoque sequitur, *sisteret gloriosam.* — καθαρίσας, *mundans*) *Mundatio* praecedit *donationem gloriae* et nuptias. — ἵνα, *ut*) Constructio est, *tradidit — mundans* (i. e. *et mundavit*:) ab utroque pendet *ut*, bis in textu positum. *Sanctificatio* deducitur ex morte sive sanguine Christi, coll. Hebr. 13, 12.: *mundatio* sive *purificatio*, mox, ex baptismo et verbo. Sanctitas est *gloria* interior: *gloria* est sanctitas emicans. Cur Christus ecclesiam *amavit* et se ipsum *tradidit?* ut sanctificaret. Cur eam *mundavit?* ut sisteret — — —. Prius est jus novum acquisitum Christi in ecclesiam: posterius ostendit, quomodo ornaverit ipse suam sponsam, ut convenit tali sponsae talis sponsi. Et conjuncta mox urgetur mentio *lavacri* et *verbi*, etsi *verbum* ad τὸ *mundans* referatur. In *verbo* est vis mundifica, et haec exseritur per *lavacrum*. *Aqua* et *lavacrum* est vehiculum: sed *verbum* est causa instrumentalis nobilior. — τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι, *lavacro aquae in verbo*) Insigne testimonium de baptismo. Tit. 3, 5. — ἐν ῥήματι, *in verbo*) Baptismus vim purificandi habet ex verbo. Joh. 15, 3. *in* constr. cum *mundans*. אֹמֶר ῥῆμα.

v. 27. ἵνα παραστήσῃ, *ut sisteret*) Id valet suo modo jam de hac vita. conf. c. 4, 13. — ἑαυτῷ, *sibi ipsi*) tanquam Sponso. — ἔνδοξον, *gloriosam*) Ex amore Christi debemus haurire aestimationem sanctificationis. quae sponsa contemnit

---

1) *Hanc videlicet lectionem*, ἐν φόβῳ χριστοῦ, *quam* Ed. maj. *minus firmam judicaverat, et margo* Ed. 2. *firmioribus accenset, et* Vers. germ. *exprimit.* E. B.

2) *Quare in* Vers. germ. *nonnisi per parenthesin exhibetur.* E. B.

Digitized by Google

ornatum a sponso oblatum? — τὴν) *illam, quae* respondeat ideae suae aeternae. — σπίλον) *maculam*, ex quacunque mala dispositione. — ῥυτίδα) *rugam*, e senio. — ἵνα ᾖ) ita, *ut sit*. — ἄμωμος, *expers vitii*) Cant. 4, 7.

v. 28. ἑαυτὸν, *se ipsum*) v. 29. 31. fin.

v. 29. οὐδεὶς) *nullus*, nisi scilicet a natura et a se ipso desciscat. — τὴν ἑαυτοῦ σάρκα, *suam ipsius carnem*) v. 31. fin. — ἐκτρέφει) *valde nutrit*, intus. — θάλπει) *fovet*, extra. Idem verbum, Deut. 22, 6. Job. 39, 14. 1 Reg. 1, 2. 4. Id spectat *amictum*, ut, *nutrit*, victum. — τὴν ἐκκλησίαν, *ecclesiam*) *nutrit et fovet*.

v. 30. ὅτι, *quia*) Causa, cur Dominus ecclesiam alat et foveat, est arctissima necessitudo, quae hic exprimitur verbis Mosaicis de Eva huc accommodatis. Ecclesia ex Christo propagatur, ut Eva fuit ex Adamo; et haec propagatio est fundamentum connubii spiritualis. *propter hoc*. v. 31. — τοῦ σώματος αὐτοῦ, *corporis ejus*) Corpus hic dicitur non ecclesia, quae continetur in subjecto *sumus*, sed corpus ipsius Christi. — ἐκ, *ex*) Gen. 2, 23. s. εἶπεν ἀδὰμ, τοῦτο νῦν ὀστοῦν ἐκ τῶν ὀστέων μου, καὶ σὰρξ ἐκ τῆς σαρκός μου. αὕτη κληθήσεται γυνὴ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. — ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ κτλ. *ex carne ejus etc.*) Moses *ossa* prius, Paulus *carnem* prius nominat. naturalem quippe structuram, de qua ille, ossa potissimum sustinent: at in nova creatione, caro Christi magis consideratur. Porro Moses plenius loquitur; Paulus omittit, quae ad propositum non aeque pertinent. Non ossa et caro nostra, sed *nos* spiritualiter propagamur ex humanitate Christi, carnem et ossa habente.

v. 31. καταλείψει, *relinquet*) Versus 30. protasin, de conjugio naturali, ex Mose praesupponit; apodosin, de conjugio spirituali exprimit: inde vicissim hic versus 31. protasin exprimit; apodosin subaudiendam permittit. conf. v. 32. med. Etiam Christus Patrem quasi reliquit, et ecclesiae adhaesit. — προσκολληθήσεται, *adhaerebit*) per unitatem matrimonialem. — εἰς σάρκα μίαν, *in carnem unam*) non solum uti antea, respectu ortus; sed respectu novae conjunctionis.

v. 32. μέγα, *magnum*) Plus sensit Paulus, quam ii, ad quos scribebat, caperent. *mysterium* appellatur non matrimonium humanum, v. 33., sed ipsa conjunctio Christi et ecclesiae. [*Tria omnino sunt officiorum genera, quae* marito *Lex praescribit Exod.* 21, 10. *Priora duo sensu spirituali apostolus nuncupaverat* v. 29.: *nunc ad tertium ordo deduceret, cujus summam Hoseae istud exhibet* c. 2, 20.: Cognosces Dominum. *At praecidit sermonem apostolus. Exquisitissimae indolis et capacitatis mentes requiruntur.* V. g.]

v. 33. πλὴν, *verumtamen*) Paulus prae nobilitate digressionis quasi oblitus propositae rei nunc ad rem revertitur. — ἵνα, *ut*) Subaudi *volo* aut simile quidpiam. coll. 1 Cor. 4, 2. not. 7, 29. 2 Cor. 8, 13. Particula vim habet; vim temperat ellipsis morata.

CAPUT VI.

v. 1. Ὑπακούετε, *obedite*) Id plus etiam dicit, [*coll.* v. 5.] quam *subordinamini*. *Obedire* est imperitioris: *subordinari*, cujusvis inferioris. — δίκαιον, *justum*) etiam natura.

v. 2. τίμα, *honora*) Liberis expressius, quam parentibus, officium praescribitur. amor enim descendit magis, quam ascendit: et ex liberis fiunt parentes. — ἐντολὴ, *praeceptum*) Deut. 5, 16. τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα σου, ὃν τρόπον ΕΝΕΤΕΙΛΑΤΟ σοι κύριος ὁ θεός σου, ἵνα εὖ κτλ. — πρώτη ἐν ἐπαγγελίᾳ, *primum in promissione*) Praeceptum de diis alienis non habendis fert secum promissionem quidem, sed item comminationem, earumque utramvis

jitized by Google

ad omnia praecepta pertinentem: praeceptum de abusu nominis divini, habet comminationem. Etenim officia erga Deum sunt maxime necessaria et maxime debita; ideo sic muniuntur: officia erga homines minus sunt debita hominibus, et eatenus minus necessaria; ideo promissionem habent. Praeceptum de honorandis parentibus, de quo Paulus, promissionem propriam ante omnia primum, si totum decalogum spectes, habet; si tabulam secundam, solum etiam promissionem habet: primum autem cum promissione est respectu omnium praeceptorum etiam decalogum subsequentium. Et perquam convenienter. nam praesupposita parentum pietate in liberis ad Dei praecepta educandis, honor parentibus per obedientiam praesertim praestitus, initio aetatis omnium praeceptorum obedientiam continet. Haec observatio apostolica argumento est, legis meditationem in N. T. non esse antiquatam.

v. 3. εὖ σοὶ, *bene tibi*) Attende, juventus. — καὶ ἔσῃ, *et eris*) LXX, utroque, Exodi et Deuteronomii, ubi decalogus recensetur, loco, καὶ ἵνα μακροχρόνιος γένῃ. sed Deut. 22, 7., ἵνα εὖ σοι γένηται καὶ πολυήμερος ἔσῃ. ex cod. Al. ubi ed Rom. γένῃ. Rarum futurum Subjunctivi, ἔσῃ. Qui diu bene vivit, diu experitur gratiam Dei, etiam per liberos honorem retribuentes, et longam habet sementem messis aeternae. — μακροχρόνιος, *longaevus*) Tenerior aetas pro captu suo allicitur promissione longae vitae: adultis et maturis expressius additur exceptio crucis. Promittuntur autem longa tempora non tantum singulis parentes honorantibus, sed toti eorum genti. — ἐπὶ τῆς γῆς, *super terra*) Moses ad Israëlem, ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἀγαθῆς, ἧς Κύριος ὁ θεός σου δίδωσί σοι. Hodie aeque bene vivunt pii in omni terra, atque Israël olim in illa.

v. 4. καὶ οἱ πατέρες, *et patres*) *Et* praefigitur etiam v. 9., *et domini:* non praefigitur c. 5, 25., *viri.* Facilius parentes et heri abutuntur potestate sua, quam mariti. *Parentes* dixit v. 1., nunc *patres* potissimum alloquitur. nam hos facilius aufert iracundia. Eadem differentia vocum, eadem admonitio, Col. 3, 20. 21. — μὴ παροργίζετε, *nolite irritare*) ne exstinguatur *amor.* — ἐκτρέφετε, *enutrite*) benigne. — ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ, *in eruditione et admonitione*) Harum altera occurrit ruditati; altera oblivioni et levitati. Utraque et sermonem et reliquam disciplinam includit. Sic apud Jurisconsultos νουθέτημα *admonitioque* dicitur, etiam quae fit per plagas. Job 5, 17., מוסר νουθέτημα. 1 Sam. 3, 13., οὐκ ἐνουθέτει Eli filios suos.

v. 5. οἱ δοῦλοι, *servi*) Hic late dicitur, de servis et libertis, tanquam specie servis proxima. v. 8. fin. — τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα, *dominis secundum carnem*) Non conveniebat, post mentionem veri Domini, v. 4., tales statim etiam absolute vocari dominos. eo magis addit, *secundum carnem.* — μετὰ φόβου καὶ τρόμου, *cum timore et tremore*) non secus, ac si *minae,* quod ad fideles heros attinet, sublatae non essent. v. 9. Respicitur conditio servorum veterum. — ἁπλότητι τῆς καρδίας, *simplicitate cordis*) Sic LXX pro Hebr. יְשָׁר לֵבָב 1 Chron. 29, 17. Haec declaratur v. seqq. ubi *simplicitati* maxime opponitur *servire ad oculum.* conf. Col. 3, 22. Servitus subordinatur Christianismo, non cum illo committenda.

v. 6. ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, *tanquam hominibus placentes*) Antitheton, mox, *tanquam servi Christi, facientes etc.* Quos dicit *servos Christi?* Resp. *facientes voluntatem Dei.* Tales Deo ἀρέσκουσι, placere curant. Idem antitheton Col. 3, 22. Sic exprimitur, *timentes Deum.* Parallela enim sunt, *facientes voluntatem Dei,* ad Eph. et, *timentes Deum,* ad Col. — ἐκ ψυχῆς, *ex animo*) Sic ἐκ ψυχῆς, Col. 3, 23. Sic 1 Macc. 8, 25. 27. parallela sunt, καρδίᾳ πλήρει, et ἐκ ψυχῆς.

v. 6. 7. ἐκ ψυχῆς μετ' εὐνοίας, *ex animo cum benevolentia*) *Benevolentiam,* praecipuam servi virtutem fuisse habitam, qua commodis heri sui faveret,

jitized by Google

ex oeconomico Xenophontis pulcre notat Raphelius. hanc autem habet, qui *non oculis* heri, sed *ex animo* servit. εὔνοιαν, inquit Xenophon de villico, servo, δεήσει αὐτὸν ἔχειν, εἰ μέλλοι ἀρκέσειν ΑΝΤΙ ΣΟΥ παρών. *benevolentiam*, quae in servo est, ne asperitas quidem heri exstinguit; ut in catellis. — τῷ [1]) κυρίῳ, *Domino*) Christi dominium omnes movere debet, et gubernare, etiam in servienda servitute externa. Dominus cor spectat.

v. 8. ὅ ἐάν τι) Tmesis, pro ὅτι ἐὰν, Col. 3, 23. — ἀγαθὸν, *bonum*) in Christo.

v. 9. τὰ αὐτὰ, *eadem*) ea, quae sunt *benevolentiae*, compensate. *Amor* officia servilia et herilia moderatur, ut lux una eademque varios colores. Aequalitas naturae et fidei potior est, quam differentia statuum. — ἀνιέντες τὴν ἀπειλὴν, *remittentes minas*) Deposita fere a dominis saevitia erat, suscepta fide; nunc etiam minae remittendae, ne ostentent servis potestatem suam, ad terrendum. פחד LXX, ἀπειλή. — αὐτῶν καὶ ὑμῶν [2]), *illorum et vester*) Non dissimilis locutio, Rom. 16, 13. — ἐν οὐρανοῖς, *in coelis*) omnipotens. Ut Dominus vos tractavit, ita vos tractate servos: aut, ut vos tractatis servos, ita ille vos tractabit.

v. 10. τὸ λοιπὸν, *celerum*) Particula sive formula concludendi, et ut ad rem magnam excitandi. 2 Cor. 13, 11. — ἀδελφοὶ [3]), *fratres*) Hoc uno epistolae loco sic eos alloquitur. Nusquam magis milites *fratrum* invicem titulo utuntur, quam in *acie*. — ἐνδυναμοῦσθε, *confortamini*) Qui robur intra se habent, hi demum ad panopliam gestandam apti sunt. — καὶ) Ἐν διὰ δυοῖν. — κράτει τῆς ἰσχύος, *valore roboris*) Hoc de Christo dicitur, uti c. 1, 19. de Patre.

v. 11. πανοπλίαν, *armaturam*) v. 13. — στῆναι, *stare*) Verbum agonisticum et castrense. conf. not. ad Matth. 12, 25. Domini virtus, nostra est. — μεθοδείας, *insidias*) quas et vi et astu instruit. μέθοδος, via rectae opposita, *circuitus*, quali utuntur, qui insidiantur: 2 Macc. 13, 18. unde μεθοδεύειν, 2 Sam. 19, (27.) 28., LXX. Esth. κεφ. μθ. de Aman: πολυπλόκοις μεθόδων παραλογισμοῖς. Μεθοδεία in bonam partem adhibuit Chrysostomus, Homil. IV. de poenit. εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν τῷ θεῷ τῷ διὰ πολλῶν μεθοδειῶν ἰωμένῳ καὶ σώζοντι τὰς ψυχὰς ἡμῶν. διὰ πολλῶν μεθοδειῶν, per secunda et adversa. — τοῦ διαβόλου, *diaboli*) principis hostium, qui v. 12. ostenduntur. [*Idem, qui v.* 16. *dicitur* ὁ πονηρός. V. g.]

v. 12. οὐκ ἔστιν, *non est*) Pone homines, qui nos infestant, latent spiritus. — ἡ πάλη) *luctа*. — πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, *ad sanguinem et carnem*) Conf. Matth. 16, 17. not. דם ובשר *sanguis et caro*, homines imbecilli, etiam Romae, ubi Paulum tenebant. — ἀλλὰ, *sed*) Post mentionem bonorum angelorum valde claram, c. 1, 21. 3, 10., convenienter etiam de malis spiritibus sic loquitur, ad Ephesios praesertim, coll. Act. 19, 19. Quo apertius quisque scripturae liber de oeconomia et gloria Christi agit, eo apertius rursum de regno contrario tenebrarum. — πρὸς, *ad*) *Ad*, quater. tribus commatibus notatur potentia hostium; quarto, natura et ingenium. — κοσμοκράτορας) *munditenentes*, Tertulliani verbo. bene quod non sunt *omnitenentes*. Magna tamen non solum ipsius diaboli, sed etiam eorum, quibus praeest, potentia est. Videntur alia esse genera malorum spirituum, quae magis domi in arce regni tenebrarum manent, *imperia, potestates;* aliud, hoc tertium, quod foris mundanas quasi provincias

---

1) *Lectionem* ὡς τῷ, *in* Ed. maj. *minus firmis annumeratam*, *praefert margo* Ed. 2. *et* Vers. germ. E. B.

2) *Lectio haec*, *margine* Ed. maj. *nixa*, *per marginem* Ed. 2. *ad minus firmas ablegatur; hinc* Vers. germ. *usitatum* auch euer Herr *adscivit*. E. B.

3) *Pronomen* μου, *cujus omissioni utriusque* Ed. margo *favet*, *nescio quo casu in* Vers. germ. *irrepsit*. E. B.

Digitized by Google

obtinet, *munditenentes.* — τοῦ σκότους, *tenebrarum*) Eo distinguuntur ab angelis lucis. *tenebrae* hae sunt maxime spirituales, c. 5, 8. 11. Luc. 22, 53., quae pro synonymo mox habent *malitiam:* quibus tamen etiam tenebrae naturales magis congruunt, quam lux. In tenebris pugna difficilior. — τοῦ αἰῶνος τούτου, *seculi hujus*) *Munditenentes* regit immediate duos genitivos, *tenebrarum* et *seculi,* pro utravis compositi parte. Κόσμος, *mundus,* et αἰών, *seculum* ad se mutuo referuntur, ut tempus et locus. Appellatio *munditenentes* est ratio sub qua haec malignitas exercetur. Sunt tenebrici principes mundi in praesenti seculo. Connexio inter κόσμον, *mundum* et αἰῶνα, *seculum* non est grammatica sed logica. κόσμος, *mundus,* in sua extensione: αἰών, *seculum,* praesens mundus in sua indole, cursu et sensu. Non possum dicere κόσμος τοῦ αἰῶνος· ut e contrario dicere possum αἰὼν τοῦ κόσμου. — τὰ πνευματικὰ, *spiritualia*) Antitheton, *sanguinem et carnem.* Haec *spiritualia* opponuntur *spiritualibus gratiae;* 1 Cor. 12, 1., adversanturque fidei, spei, amori, donis, vel per vim contrariam, vel per falsam imitationem. Porro ut ibidem c. 14, 12. *spiritus* dicuntur pro *spiritualia,* sic h. l. *spiritualia* pro *spiritus.* aptissime. Nam hi *spiritus* tanta subtilitate ac pernicitate incurrunt, ut anima fere non putet, illas substantias subesse alienas, sed ex se ipsa intus extitisse quidpiam, quod spiritualiter eam tentet. atque etiam πνευματικὸν, *spirituale,* in singulari accipi potest pro quodam copiarum genere: quo pacto dicitur τὸ ἱππικὸν, *equitatus,* Ap. 9, 16., et alibi τὸ στρατιωτικὸν, *exercitus;* ut hic dicantur τὰ πνευματικὰ sc. τάγματα, ut apud Zosimum, l. 3., τὰ πεζικὰ τάγματα, ξενικὸν, milites *externi,* Aristot. 3. pol. 10. p. 210. — ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *in supracoelestibus*) Etiam hostes, sed captivi (c. 4, 8. not.) in regia esse, eamque ornare possunt.

v. 13. ἀναλάβετε, *assumite*) v. 16. הגבר Deut. 1, 41. LXX, ἀναλαβόντες. — τὴν πανοπλίαν, *armaturam*) Grande verbum. Paulus *militi Christiano* (inquit Vict. Strigelius in argumento hujus capitis,) *attribuit tegumenta, munimenta et tela. tegumenta tria sunt, thorax, cingulum et calcei. munimenta sive* φυλακτήρια *duo, clypeus et galea. tela sive* ἀμυντήρια *totidem sunt, gladius et hasta.* Spectavit, ut opinor, ordinem induendi, et ab iis, quae virum etiam extra aciem ornant, (ut *thorax* e qualicunque materia) ad ea, quae militi propria sunt, Paulum progredi censuit. et quidem τὸ *super omnibus* inter *tegumenta et munimenta* interponitur. Addit, *hasta, precatio.* Quanquam precatio a Paulo potius eo refertur, ut tota armatura rite utamur. — ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, *in die malo*) Ps. 41, 2. LXX, ἐν ἡμέρᾳ πονηρᾷ. Bellum est perpetuum; pugna alio die minus, alio magis fervet. *dies malus,* vel ingruente morte, vel in vita; longior, brevior, in se ipso saepe varius. [*Ubi* Malus *vos invadit,* v. 16.: *et* copiae malignae *vos infestant,* v. 12. V. g.] Tum standum, non demum comparandum. — ἅπαντα κατεργασάμενοι) *omnibus* rebus *probe comparatis* ad pugnam. Ita, κατεργάζεσθαι, 2 Cor. 5, 5. Ex. 15, 17. 35, 33. 38, 24. Deut. 28, 39. Congruit anadiplosis: *stare, state.*

[1]) v. 14. περιζωσάμενοι, *cincti*) ut sitis expediti. conf. Luc. 12, 35. Ex. 12, 11. Es. 5, 27. — τὴν ὀσφὺν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ, *lumbos vestros in veritate*) exemplo Messiae, Es. 11, 5. — ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης — καὶ τὴν περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου) Es. 59, 17., καὶ ἐνεδύσατο δικαιοσύνην ὡς θώρακα, καὶ περιέθετο περικεφαλαίαν σωτηρίου ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. — τὸν θώρακα, *thoracem*) In pectore sedes est conscientiae, quae munitur justitia. — τῆς δικαιοσύνης, *justitiae*) Es. 11. v. cit. Nam saepe junguntur *veritas* et *justitia.* c. 5, 9. Hostis per omnia ipsi contraria vincendus.

v. 15. τοὺς πόδας, *pedes*) *Pedum* saepe conjuncta mentio cum *evangelio*

---

1) στῆναι, *stare*] pugnandi caussa, v. 14. *V. g.*

sd by Google

et cum *pace*. Rom. 10, 15. 3, 15. seqq. Luc. 1, 79. — ἐν ἑτοιμασίᾳ) ἑτοιμασία saepe Hebraeo מכון respondet. v. gr. Ezr. 2, 68. 3, 3. Ps. 10, 17. 89, 15. Pedes militis christiani *firmantur* evangelio, ne loco moveatur aut cedat. [1 *Petr.* 5, 9. *V. g.*]

v. 16. ἐπὶ πᾶσιν) *super omnibus*, quaecunque induistis. — τὰ πεπυρωμένα) proprie, *ignita*. Congruit, *exstinguere*.

v. 17. τοῦ σωτηρίου, *salutaris*) i. e. Christi. Act. 28, 28. not. Concinne subsequitur mentio Spiritus, adeoque, coll. v. 13., habetur mentio S. Trinitatis. *Salute* erigitur caput, et munitur. 1 Thess. 5, 8. Ps. 3, 3. 4. — δέξασθε, *accipite*) *oblatam* a Domino. — ῥῆμα θεοῦ, *verbum Dei*) Matth. 4, 4. 7. 10.

v. 18. διὰ, *per*) Quotiescunque oratis, orate in Spiritu, quippe qui nullo tempore excluditur.

v. 19. δοθῇ, *detur*) Non nitebatur Paulus habitu suo. — ἀνοίξει τοῦ στόματος) פתחך פה — ἐν παῤῥησίᾳ γνωρίσαι, *cum fiducia notum facere*) Ideo parrhesia opus, quia est mysterium.

v. 20. πρεσβεύω ἐν ἁλύσει, *legatione fungor in catena*) Paradoxon. Mundus habet legatos splendidos. Hinc pendet mox ἵνα *ut*. — ἐν αὐτῷ, *in illo*) in mysterio. — ὡς, *uti*) Constr. cum *notum facere*.

v. 21. καὶ ὑμεῖς) *vos quoque*, perinde ut alii. — πάντα, *omnia*) Relatio salutaris. — πιστὸς, *fidelis*) qui vobis vera nunciabit.

v. 22. πρὸς ὑμᾶς, *ad vos*) longe. — παρακαλέσῃ, *confirmaret*) ne offenderetis in meis vinculis.

v. 23. εἰρήνη, *pax*) pax cum Deo, *amorque* Dei erga nos. Hoc verbo *pax* continetur anakephalaeosis. conf. Jud. v. 2. — [1]) μετὰ πίστεως, *cum fide*) Haec praesupponitur, ut donum Dei.

v. 24. πάντων, *omnibus*) ex Judaeis et gentibus, in omni Asia etc. — [2]) ἐν ἀφθαρσίᾳ, *in incorruptibilitate*) Constr. cum *gratia*, scil. *esto*. conf. c. 3, 13. — μὴ ἐκκακεῖν, *non segnescere*) quod *incorruptibilitatis* est. Adde 2 Tim. 1, 10. Oppositum, c. 4, 22. ἀφθαρσία dicit sanitatem labis expertem, et inde fluentem perpetuitatem. Congruit cum tota summa epistolae: et inde redundat etiam ἀφθαρσία in amorem fidelium erga Jesum Christum.

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

CAPUT I.

v. 1. Δοῦλοι, *servi*) Familiarius scribit ad Philippenses, quam ad eos, ubi se *apostolum* nominat. Sub hoc praedicato communi discipulum Timotheum mediate vocatum sibi humanissime adjungit, qui recens Paulo adjunctus Philippos venerat. Act. 16, 3. 12. — σὺν, *cum*) Ecclesia potior est, quam episcopi. Et ad ecclesiam magis directe, quam ad antistites scriptura mittitur apostolica. Hebr. 13, 24. Eph. 3, 4. Col. 3, 18. ss. 4, 17. Ap. 1, 4. 11. 1 Thess. 5, 12. — ἐπισκόποις καὶ διακόνοις, *episcopis et diaconis*) Illi tum interna, hi externa curabant proprie: 1 Tim. 3, 2. 8. nec tamen hi non interna, neque illi non externa. Interdum Paulus in inscriptionibus *ecclesias* appellat: interdum peri-

---

1) τοῖς ἀδελφοῖς, *fratribus*] In Conclusione hac non ait *vobis*, ut v. 21. Encyclica videlicet epistola fuit. *V. g.*

2) τῶν ἀγαπώντων, *amantibus*] vide, quanti momenti sit amor iste. 1 Cor. 16, 22. *V. g.*

Digitized by Google

phrasi utitur, quae vel majus quiddam sonat, ut notavimus ad 1 Cor. 1, 2., vel ideo v. gr. ad Romanos adhibetur, quia minus adhuc erant in formam *ecclesiae* redacti. Haec una ad Philippenses epistola ita inscribitur, ut cum emphatica paraphrasi conjungatur mentio *episcoporum et diaconorum.* [1])

v. 3. εὐχαριστῶ, *gratias ago*) Hoc loco damus Epistolae conspectum. Est in ea

I. Inscriptio.	c. I. 1. 2.
II. Gratiarum actio et preces pro laeto Philippensium flore.	v. 3. s. 9. s.
III. Refert Paulus statum suum praesentem, et spem bonam in posterum: Unde Philippenses	v. 12. s. 18. s.
hortatur, ut 1. quum in vita sit mansurus, evangelio digne ambulent,	v. 25 — II. 16.
2. etiamsi occidatur, secum gaudeant:	17. s.
seque per Timotheum proxime certiores eos facturum ait, v, 19. s. et interim Epaphroditum mittere.	v. 25. s.
IV. Hortatur ad gaudium: c. 3, 1. monens, ut caveant falsos justitiarios, et imitentur veros; v. 2. s. et commendans concordiam. c. 4, 1 — 3., itemque hortatur ad gaudium, cum lenitate et tranquillitate animi: v. 4 — 7. et ad omnia praeclara.	v. 8. 9.
V. Amplectitur Philippensium liberalitatem.	v. 10 — 20.
VI. Conclusio.	v. 21 — 23.

— ἐπὶ, *super*) *Mentio*, recordatio, est occasio gratiarum actionis. — πάσῃ, *omni*) Latum erat cor Pauli. conf. v. seq. ter.

v. 4. ὑπὲρ, *pro*) Constr. cum *precatione.* — μετὰ χαρᾶς, *cum gaudio*) Summa epistolae: *Gaudeo, gaudete.* Commode epistolam ad Ephesios, ubi *amor* regnat, sequitur haec de *gaudio.* nam perpetua *gaudii* mentio, v. 18. etc. it. cap. 2, 2. 19. 28. 3, 1. 4, 1. 4. Fructus spiritus, *amor, gaudium.* ***Preces*** inprimis gaudium animat. — τὴν δέησιν, *precationem*) de qua modo.

v. 5. ἐπὶ, *super*) Constr. cum *gratias ago.* — κοινωνίᾳ, *communione*) quae vobis obtigit divinitus [2]), et a vobis exercetur liberalitate sancta. c. 4, 10. 15. s. coll. 2 Cor. 9, 13. — ἀπὸ, *a*) Constr. cum *gratias ago.* — ἡμέρας, *die*) cum facti estis *participes* evangelii.

v. 6. πεποιθὼς, *confisus*) Haec fiducia nervus est gratiarum actionis. — ὁ ἐναρξάμενος ἐν ὑμῖν, *qui incepit in vobis*) Bis *in*, cum emphasi. — ἔργον ἀγαθὸν, *opus bonum*) Unum est opus Dei magnum et perpetuum ad salutem nostram. c. 2, 13. — ἐπιτελέσει, *perficiet*) Initium est pignus consummationis. Ne homo quidem temere aliquid incipit. — ἄχρις, *usque*) *Diem Christi* potius, quam suam mortem sibi pro meta proponebant credentes. — ἡμέρας, *diem*) v. 10.

v. 7. καθὼς, *sicut*) Declarat, cur de Philippensibus tam benigne loquatur. — δίκαιον, *justum*) Justas invenio causas penes me, ex necessitudine fidei, non leves. Jure et teneor et postulo. — φρονεῖν) *agitare animo.* — διὰ, *propterea quod*) Nexus est hic: Ego vos tanquam consortes gratiae in corde meo habeo (2 Cor. 7, 3.) atque desidero, neque id affectu naturali, sed pietate Jesu Christi. inde persentisco, eodem erga vos affectu esse ipsum potius Dominum, qui rem a principiis ad suos exitus est deducturus. — δεσμοῖς, ἀπολογίᾳ, *vinculis, apologia*) ἓν διὰ δυοῖν. Vincula non constringunt amorem meum. — ἀπολογίᾳ, *apologia*) Romani criminabantur evangelium. — βεβαιώσει, *confirmatione*) Haec amplius quiddam est, quam *apologia.* — τοῦ εὐαγγελίου, *evangelii*) quo *gratia* nunciatur.

---

1) Syriacae *N. T.* Versionis *venerabilem antiquitatem ex eo etiam cel.* Michaëlis, (*in der* Einleitung etc. *T. I. p. m.* 165. *sq.*) *confirmat, quod* seniorum *h. l. nomen pro* episcoporum *exhibeat, adeoque eo tempore, quo realis differentia* episcoporum *ac* presbyterorum *nondum agnita sit, adornata fuerit.* E. B.

2) *Si alterutra duntaxat, eaque posterior,* communionis *hujus pars, quae* liberalitate exercenda *absolvitur, intelligenda fuerit* (*quod aliquibus videtur*): *vix capio, qui* v. 6. *fin. satis opportuna sint verba:* ἄχρις ἡμέρας ἰησοῦ χριστοῦ. E. B.

Digitized by Google

— συγκοινωνοὺς — ὑμᾶς ὄντας) ὑμᾶς jam modo dixit. itaque hic est accusativus pro genitivo, uti Act. 7, 21. not.

v. 8. ἐν σπλάγχνοις ἰησοῦ χριστοῦ, *in visceribus Jesu Christi*) In Paulo non Paulus vivit, sed Jesus Christus; quare Paulus non in Pauli, sed Jesu Christi movetur visceribus.

v. 9. καὶ τοῦτο, *et hoc*) Inde a v. 3. declaravit, se orare pro illis; nunc, *quid* pro illis oret, ostendit. — ἡ ἀγάπη, *amor*) Amor facit dociles et prudentes. 2 Petr. 1, 7. 8. Nata hinc formula in concionibus ecclesiasticis pridem usitata, nobisque vernacula, *Caritas vestra*, latiore sensu. — ὑμῶν, *vester*) Correlatum amoris Pauli. v. 7. 8. Allusio praevia ad amorem, quem ei praestiterant. c. 4, 10. 18. — ἔτι μᾶλλον, *etiam magis*) Ignis in apostolo nunquam dicit: Sufficit. — ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει, *in cognitione et omni sensu*) *Cognitio* est species nobilissima, ut visus in corpore: αἴσθησις, *sensus*, est genus. nam etiam spiritualis datur visus, auditus, olfactus, gustus, tactus: i. e. sensus investigativi et fruitivi, ut appellantur. Sic *sensûs* pars est *gaudium*, in hac epistola frequenter memoratum. Generis indicium, *et omnis*. 2 Cor. 8, 7. not. In philosophia peripatetici tantum ad *cognitionem* referebant omnia [*quod modernorum quoque Philosophorum, ubi in* spiritualia *incidunt, principale vitium est*, V. g.]; Platonici etiam ad αἴσθησιν reliquam, v. gr. apud Jamblichum. In Christianismo habenda utriusque ratio: utraque obtingit in cruce, et aptos reddit πρὸς τὸ δοκιμάζειν, *ad probandum*. Hic, post amorem expresse nominatum, *fidem* describit, et v. seq. *spem*. Paulus ubique Christianismum ut vegetum quiddam describit. quare doctrina Mysticorum de Privatione sic est accipienda, ut alacritati illi ne quid obsit.

v. 10. δοκιμάζειν) *explorare* et amplecti. Rom. 12, 2. — τὰ διαφέροντα, *praestabilia*) non modo prae malis bona, sed in bonis optima, quorum praestantiam non nisi provectiores cernunt. Sane in rebus externis eligimus accurate: cur minus in spiritualibus? Theologia comparativa, magni est. [*a qua longissime absunt, qui, quousque libertatem citra peccatum extendere liceat, quaerere non desinunt*. V. g.] — εἰλικρινεῖς, *sinceri*) ex *cognitione*. — ἀπρόσκοποι, *inoffensi*) ex *sensu* omni.

v. 11. πεπληρωμένοι καρπὸν δικαιοσύνης κτλ., *repleti fructu justitiae etc.*) Eadem constructio, Col. 1, 9., ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν: et *fructus justitiae* singulari numero dici solet, Hebr. 12, 11. Jac. 3, 18., nec non Rom. 6, 22.: perinde ut alibi Paulus *fructum spiritus, lucis, labiorum* dicit. Communior lectio, πεπληρωμένοι καρπῶν κτλ.

v. 12. γινώσκειν, *nosse*) Contrariis rumoribus praeoccupari potuissent ecclesiae. — μᾶλλον, *potius*) tantum abest, ut vincula mea obfuerint. — εἰς, *in*) Omnia adversa dextre accipit fides. v. 19. 28. 2, 27. — ἐλήλυθεν, *venerunt*) facile.

v. 13. τοὺς δεσμούς, *vincula*) Paulus cum aliis captivis traditus, par eis visus erat: deinde innotuit, aliam esse Pauli causam, et sic invaluit evangelium. — φανεροὺς, *manifesta*) Col. 4, 4. — πραιτωρίῳ, *praetorio*) aula Caesaris. conf. c. 4, 22. — καὶ) *et*, inde. — τοῖς λοιποῖς, *ceteris*) externis. 2 Tim. 4, 17. Sic, *ceteri*, 1 Thess. 4, 13.

v. 14. τῶν ἀδελφῶν, *fratrum*) qui antea timuerant. — ἐν κυρίῳ, *in Domino*) Constr. cum *audeant*. — τοῖς δεσμοῖς μου, *vinculis meis*) Videbant Paulum in confessione et constantem et salvum. — ἀφόβως) *nemine* eos *terrente*. Saepe conantes timor fugit.

[1]) v. 15. τινὲς μὲν, τινὲς δὲ, *aliqui quidem, aliqui vero*) Sejugatio. nam propo-

---

1) τὸν λόγον, *verbum*] quod ego, *inquit*, praedico. *V. g.*

Digitized by Google

nuntur duo membra, quae deinde uberius tractantur. — δι' εὐδοκίαν) *propter voluntatem propensam.* εὐδοκία saepe Hebraeo רצון respondet.

v. 16. [1]) ἐξ ἐριθείας, *ex contentione*) Constr. cum *annunciant.* — οὐχ ἁγνῶς, *non pure*) non pura intentione: vel, non sine fermento Judaico. conf. Gal. 6, 12. s. Dicebant et referebant, quid Paulus doceret: ipsi id vel non credebant, vel se id credere non fatebantur. Rumor, fama, praeconium generale, utile est ad excitandos multos, neque magnam ἱκανότητα annunciantium requirit, quae necessaria est et puritatem *mentis doctrinaeque* postulat in applicatione propiore, v. gr. apud Galatas. conf. Gal. 1, 7. ss. — οἰόμενοι, *putantes*) Putabant, gentes, conspecto incremento evangelii, concitatum iri in Paulum potissimum. sed nec res succedebat adversariis, nec Paulus id pro *pressura* habuit. ideo dicit, *putantes.* — θλῖψιν, *pressuram*) vel cum mortis periculo. — ἐπιφέρειν, *inferre*) Vincula jam *pressura* erat: afflicto afflictionem addebant.

v. 17. ἐξ ἀγάπης, *ex amore*) erga Christum et me. — εἰδότες, *scientes*) Antitheton, *putantes.* — εἰς ἀπολογίαν, *in apologiam*) non meo nomine. — κεῖμαι, *jaceo*) uno loco. Jacens, currens, profecit Paulus. 2 Tim. 2, 9. Romae commorabatur, ut legatus alicubi longioris negotii causa.

v. 18. τί γάρ; *quid enim?*) *Quid refert?* id est, utrinque juvor. v. 12. — πλήν, *tamen*) nihilo secius. — προφάσει) *per praetextum.* Tales, inquit, nomen Christi praetexunt: revera mihi invidiam parant. — ἀληθείᾳ, *vere*) ex animo, serio.

v. 19. γάρ, *enim*) Aetiologia, cur *gavisurus sit.* — τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν, *hoc mihi evadet in salutem*) Sic plane LXX, Job 13, 16., quibus in uno illo libro frequens est verbum ἀποβαίνω· eodemque loco, Job 13, 15. 16. de *sinceritate* mentis, quae Paulo est *puritas*, v. 16. agitur. — εἰς σωτηρίαν, *in salutem*) non modo non *in pressuram.* v. 16. — δεήσεως, *precationem*) in coelum ascendentem. — ἐπιχορηγίας, *exhibitionem*) de coelo venientem. ἐπὶ relationem indicat.

v. 20. ἐν οὐδενὶ αἰσχυνθήσομαι, ἀλλ' ἐν πάσῃ παῤῥησίᾳ μεγαλυνθήσεται χριστὸς, *in nulla re pudefiam, sed in omni parrhesia magnificabitur Christus*) Ignominiam a sese removet; sibi parrhesiam, Christo ipsi gloriam tribuit. — σώματι, *corpore*) in vinculis. — εἴτε διὰ ζωῆς, εἴτε διὰ θανάτου, *sive per vitam sive per mortem*) Sejugatio sequitur v. 21. s. Ut cadet, inquit, bene erit. Non possum damnum facere. Paulus ipse nesciebat, quo evasurum esset; neque enim apostoli erant omniscii, sed potius in rebus ad sese pertinentibus, per fidem et patientiam exercebantur.

v. 21. ἐμοὶ) *Mihi*, initio periochae, valet, *quod ad me attinet.* nam versu praec. de Christi rationibus egit. — τὸ ζῆν, χριστὸς, *vivere, Christus*) Articulus, nota subjecti, ut mox iterum. Quicquid vivo, (vita naturali,) Christum vivo. [*Christi causam, dum vitam in mundo ago, meam esse censeo.* V. g.] — τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, *mori lucrum*) quamvis moriens videar omnium rerum *jacturam* facere.

v. 22. εἰ δὲ, *sin autem*) Hic prius membrum tractare incipit: alterum, c. 2, 17., *sed si et libor.* Ponit autem δὲ, *autem*, quia ex disjunctione versu praec. posita nunc unum assumit: quo assumto, mox, quasi poenitentia ductus, dubitationem instituit, sic tamen, ut id tantisper assumere non refugiat. — τὸ ζῆν) scil. ἐστί μοι. si *vivere est:* si vivendum est. — ἐν σαρκὶ, *in carne*) Limitat. nam etiam morientes vivunt. — καρπὸς ἔργου, *fructus operis*) Hunc *fructum* inde habeo, ut plus *operis* facere possim. *opus* nobile, c. 2, 30.: *fructus* optabilis,

---

1) *Commati huic* 16. *versum* 17. *anteponit* Vers. germ., *marginem* Ed. 2. *potius, quam* Ed. maj. *secuta.* E. B.

Digitized by Google

Rom. 1, 13. Alius ex opere fructum quaerit. Paulus ipsum opus pro fructu habet. Hoc, vivere, est mihi fructus operis. καρπὸς ἔργου dicitur, ut flumen Rheni, virtus liberalitatis. pretium operae est immediatum consequens. Cicero: *Ego mihi fructum amicitiae propono ipsam amicitiam, qua nihil est uberius.* — αἱρήσομαι, *eligam*) Conditionem supponit: si sibi obtingat potestas eligendi. Haec ratio Futuri. [*Egregia sane Christiani sors est. Rerum nonnisi* bonarum *optio fieri potest ut haesitatione animum distineat. Frustrari unquam nequit.* V. g.] — οὐ γνωρίζω) *non explico*, scil. *mihi:* i. e. non definio.

v. 23. συνέχομαι, *distineor*) Hanc *haesitationem* convenienter exprimit, quum huic deliberationi immoratur. — δὲ, *vero*) Declarat causam dubitationis suae. — ἔχων, *habens*) Participium, moratum, pro Indicativo. — εἰς τὸ ἀναλῦσαι) *decedere*, ex vinculis, carne et mundo. Non opus est, metaphoram quaerere. Late patet hujus verbi usus. Luc. 12, 36. 2 Tim. 4, 6. — σὺν χριστῷ, *cum Christo*) ibi, quo Christus praecivit. Paulus ut rem certam praesupponit, se post martyrium statim fore cum Christo, melioremque multo habiturum esse conditionem, quam in carne. [*Qua spe lactari quam dulce est!* Christum, *Lector, diligis? Cogita igitur, quae futura sit, post mensium aliquot vel dierum intercapedinem, animi tui affectio, si* cum Christo *fueris? Id si certum tibi esset, quid faciendum putares? Hoc ipsum videlicet jamnunc fac facias.* V. g.] — πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον, *multo magis melius*) Ad *esse*, non ad *decedere*, refertur hoc incisum, sive pro praedicato sumas, sive potius id subaudito ὄν absolute accipias, hoc sensu, *quum id sit multo magis melius.* Est enim comparativus cumulatus, coll. 2 Cor. 7, 13. not. *Decedere* est melius, quam manere in carne: *cum Christo esse, multo magis melius.* Vulgatus solus, quod sciam: *multo magis melius.* recte. *Decedere*, sanctis nunquam non optabile fuit: sed *cum Christo esse*, ex novo testamento est. conf. Hebr. 12, 24.

v. 24. ἐπιμένειν) *amplius manere.* — ἀναγκαιότερον, *magis necessarium*) magis ad me pertinet, inquit, etiam ad sensum amoris mei: magis, quam ipse aditus beatitudinis modo memoratae. Philippenses potuissent dicere: *necessarius est nobis hic vir.* Egoismus in pausa est apud Paulum: ideo agnoscit illud quidem: coll. cap. 2, 25.: addit tamen etiam hoc: *Antiquius mihi est vobis inservire, quam coelo frui citius. Coelum mihi non deerit.*

v. 25. καὶ τοῦτο, *et hoc*) Dum haec scriberet, in animo dictamen propheticum extitit de mansione. — πεποιθὼς οἶδα, *confisus novi*) Norat per *fiduciam* spiritualem; nondum norat ex relatione hominum, v. 17. c. 2, 23. — μενῶ, *mansurum me*) in vita. — συμπαραμενῶ, *una mansurum*) sat diu manebo vobiscum. Ps. 72, 5. LXX, συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ. Non dubium est, quin Paulus ex priore captivitate in illa climata redierit. Phil. v. 22. Hebr. 13, 19.

v. 26. τὸ καύχημα ὑμῶν, *gloriatio vestra*) de me vobis restituto, orantibus id ipsum. Correlatum, *in gloriationem mihi.* c. 2, 16. *Gloria* est *gaudium* ex honesto: *gloriatio* est significatio gaudii, affectus gaudio pleni: ex honesto, vel vero vel falso: unde *gloriatio* etiam vel vera vel falsa est. conf. Es. 57, 12., ubi *justitia* dicitur justitia falso sic dicta.

v. 27. μόνον, *tantum*) Hoc unum curate: nil aliud. [— — — *quicquid fiat de adventu meo. Hoc illore eventu supposito tales denique fore se, quales fas est, non pauci sibi persuadent: atqui praestat, praesenti semper officio, citra ambages, fungi.* V. g.] — τοῦ εὐαγγελίου, *evangelio*) cujus propagandi causa me manere juvat. [*Homine* christiano, *qui* evangelicus *dici gestit, quae digna sint; hoc ipso loco aperte docetur. Memoratur fides,* v. 27.: *spes,* v. 28.: *amor.* c. 2, 2. V. g.] — ἰδὼν — ἀκούσω, *videns — audiam*) Conf. v. 30. — ἀκούσω) *audiam*, et cognoscam. nam refertur etiam ad τὸ *veniens et videns vos.* — ἐν ἑνὶ πνεύματι, *in uno spiritu*) *uno*, inter vos. — μιᾷ ψυχῇ, *una anima*) Est

Google

interdum inter sanctos naturalis aliqua antipathia: haec vincitur, ubi unitas est non solum spiritus, sed etiam animae. — συναθλοῦντες) *una* mecum *luctantes.* Luctabatur Paulus, v. 30.

v. 28. μὴ πτυρόμενοι, *non parefacti*) subito magnoque terrore. Nam πτύρω proprie de equis dicitur. — ἥτις, *quae*) τὸ *obniti.* — αὐτοῖς) *ipsis.* — ἔνδειξις, *demonstratio*) 2 Thess. 1, 5.

v. 29. ὅτι, *quod*) Vis declarandi cadit super verbum ἐχαρίσθη, *ex gratia dedit* Deus. Gratiae munus, *signum salutis* est. — τὸ ὑπὲρ) Id, post interveniens incisum, repetitur, τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν. — πιστεύειν· πάσχειν, *credere: pati*) v. 27. fin.

v. 30. ἔχοντες, *habentes*) Constr. cum *statis non parefacti.* — εἴδετε, *vidistis*) Act. 16, 12. 19. s. — ἐν ἐμοὶ, *in me*) *non parefacto.*

CAPUT II.

v. 1. Εἴ τις) Si hoc quater legendum videtur, ita resolvas: *si quod ergo* (gaudium est) *exhortatio in Christo, si quod* (gaudium) *consolatio amoris, si quod* (gaudium) *communio Spiritus, si quod* (gaudium) *viscera et miserationes, implete meum gaudium:* ut quater cum subjecto expresso subauditum jungatur praedicatum. Vide de tali ellipsi Marc. 15, 8. not. Certe gaudium Paulo erat praesentissimum: et cum communi lectione, [1]) εἴ τις — εἴ τινα, *si qua — si qua,* tamen implicite notatur gaudium, per concordiam etc. implendum. — οὖν, *ergo*) Resp. c. 1, 27., *uno spiritu, una anima.* — παράκλησις ἐν χριστῷ, *exhortatio in Christo*) Haec adjunctam habet *consolationem amoris,* et *communio Spiritus* adjuncta habet *viscera et miserationes.* His quatuor nervis respondent quatuor fructus, eodem ordine, *ut etc.* v. seq. uti vel *amoris* mentio bis secundo posita loco indicat: et utriusque paris opposita removentur versu 3. et 4. Omnia deriventur ex Christo et Spiritu sancto.

v. 2. τὸ αὐτὸ φρονῆτε, *idem sentiatis*) Hinc pendet subsequens participium. — σύμψυχοι, *unanimes*) scil. *sitis.* Hinc quoque pendet sequens participium. — τὸ ἕν, *unum*) *Idem sentiatis,* notat easdem in res tendere *sensum* debere: *unum sentientes* notat, eundem esse debere ipsum *sensum.*

v. 3. μηδὲν, *nihil*) scil. *sentite, facite.* — ἐριθείαν, *contentionem*) aliis placere non curantem. — κενοδοξίαν, *vanae gloriae studium*) aliis nimium placere curans. — ὑπερέχοντας, *superiores*) jure et dotibus. Fieri id potest, non externe tantum, sed per veram ταπεινοφροσύνην, cum quis per abnegationem oculos avertit a suis praerogativis, et alterius dotes, quibus prior est, studiose contemplatur.

v. 4. μὴ τὰ ἑαυτῶν) *non vestram* duntaxat rem, nec vestra causa. Conf. v. 21. — μὴ τὰ — τὸ) Perversa utilitas, multiplex; *vera,* simplex. Haec differentia τὰ et τὸ. [2])

v. 5. φρονείσθω, *sentiatur*) Non dicit, φρονεῖτε *sentite,* sed φρονείσθω, *hunc sensum alite.* — ἐν χριστῷ ἰησοῦ, *in Christo Jesu*) Paulus quoque spectabat, quae aliorum, non quae sua erant, c. 1, 24.: eaque res illi occasionem praebuit hujus moniti: non tamen se, sed Christum pro exemplo proponit, qui non sua quaesierit, sed se ipsum demiserit. *[Cujus exempli pondus gravissimum verborum quoque series,* Christi *nomine prius posito, innuit.* V. g.]

v. 6. ὅς) quippe *qui.* — ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, *in forma Dei extans*) Nomen *Deus* hoc et sequenti commate non denotat Deum Patrem, sed ponitur indefinite. *Forma Dei* non denotat ipsam *deitatem* sive naturam divinam, sed

---

1) *Quam et margo* utriusque Ed. *gr. et* Vers. germ. *praeferre videtur.* E. B.

2) *Nimirum lectionem* μὴ τὰ — — καὶ τὸ *praefert margo* Ed. maj., *suffragante* Vers. germ.: *sed lectionem* τὸ (*initio versus, nescio, an sub finem*) *minus firmam declarat margo* Ed. 2. E. B.

Digitized by Google

quiddam ex ea promicans: et tamen rursum ea non denotat τὸ *esse pariter Deo*, sed quiddam prius, *speciem Dei*, i. e. formam ex ipsa gloria deitatis invisibilis effulgentem. Joh. 1, 14. Ipsa natura divina decorem habebat infinitum, in se, etiam sine ulla creatura, illum decorem intuente. Ille decor erat μορφὴ θεοῦ, *forma Dei*, sicut in homine ex sana constitutione et eleganti symmetria corporis emicat pulcritudo, sive ea spectatorem habeat, sive non habeat. Ipse homo per suam *formam* conspicitur: sic Deus et gloriosa ejus Majestas. Quo ipso hic locus eximie probat Deitatem Christi. nam ut *forma servi* non ipsam dicit humanam naturam; servi enim forma non fuit perpetua, natura humana est perpetua; sed tamen humanam naturam praesupponit: sic *forma Dei* non est natura divina, neque τὸ *esse pariter Deo* est natura divina; sed tamen is, qui in forma Dei *extabat*, et qui potuerat *esse pariter Deo*, Deus est. Dicitur autem *forma Dei* potius, quam *forma Domini*, ut mox, *pariter Deo*: quia *Deus* magis est vocabulum absolutum, *Dominus* involvit relationem ad inferiores. In ea Dei forma *extabat* filius Dei ab aeterno: neque, quum in carne venit, in ea esse desiit, sed potius, quod ad humanam naturam attinet, coepit in illa *extare*. et quum in ea forma esset, ipsa sua, Domini, excellentia, integrum ei fuit, etiam secundum humanam naturam, statim ut eam assumsit, esse *pariter Deo*, victu cultuque uti, qui dignitati ipsius responderet, ut ab omnibus creaturis tanquam dominus earum exciperetur et tracturetur. sed aliter fecit. — οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, *non rapinam duxit*) Quibus occasio quaedam subiti commodi offertur, avide solent alias involare, celeriterque arripere, nulla aliorum ratione habita, et strenue uti ac frui. Inde ἁρπαλέα, apud Eustathium, τὰ πάνυ περισπούδαστα· *quae quis omni studio ad se rapiat sibique vindicet*: et phrases, ἅρπαγμα, ἁρπαγμὸν, ἕρμαιον, εὕρημα, νομίζειν, ποιεῖσθαι, ἡγεῖσθαι, ἁρπάζειν. Exempla collegit E. Schmidius et G. Raphelius, ex Heliodoro et Polybio. At Christus, quum posset esse *pariter Deo*, non arripuit, non duxit rapinam, non subito usus est illa facultate. conf. Ps. 69, 5. Gen. 3, 5. seq. Hic ejus *sensus* verbo *ducere* simul indicatur. Non fuisset *rapina*, si jure suo usus esset; sed perinde abstinuit, ac si fuisset *rapina*. conferatur similis locutio, 2 Cor. 11, 8. not. — τὸ εἶναι ἴσα θεῷ) ἴσα, accusativus adverbiascens, ut saepe in Jobo. *pariter* et convenienter *Deo*. *Esse pariter Deo* dicit *plenitudinem* et *altitudinem*, ut patet ex antitheto duplici, *se ipsum exinanivit et humiliavit*. Articulus, sine quo μορφὴν ponitur, nunc epitasin facit. Non mirum ergo, quod se nunquam *Deum*, rarius *Dei filium*, plerumque *filium hominis* appellavit.

v. 7. ἀλλ', *sed*) Huc spectant duae periochae: *se ipsum exinanivit*, quo pertinet *forma servi*; et *humiliavit se ipsum*, unde pendet *obedientia*. Illud privative, hoc etiam contrarie opponitur τῷ *esse pariter Deo*. quare haec duo verba per gradationem ponuntur, et *humiliavit* ante *se ipsum* ponitur. (coll. Jac. 2, 18. not.) Etenim v. gr. Philippus V., quum Hispaniarum regem agere intermisit, de quo, dum haec meditabamur, acta fervebant, eatenus *exinanivit se ipsum*, nec tamen aeque *humiliavit*. regnum is deposuit, sed non subiit. — ἑαυτὸν ἐκένωσε, *se ipsum exinanivit*) חִסַּר LXX, κενὸν ποιῆσαι, Es. 32, 6., ubi de re quidem prorsus alia agitur, sed tamen Paulus, ἐκένωσεν dicens, rependit verbum חסר Ps. 8, 6. coll. Hebr. 2, 7. Ubicunque est *exinanitio*, ibi est continens et contentum. Continens illud in *exinanitione* Christi, est *ipse*: contentum erat *plenitudo* illa, quam recepit in exaltatione. Manebat *plenus*, Joh. 1, 14., et tamen perinde se gessit, ac si *inanis* esset. celavit enim, quoad expediebat, homines, et angelos, imo etiam se ipsum: Rom. 15, 3.: adeoque non solum celavit, sed etiam abnegavit et abstinuit. — μορφὴν, *formam*) Haec tria, μορφὴ, ὁμοίωμα, σχῆμα, *forma*, *similitudo*, *habitus*, non sunt synonyma, neque enim inter se permutari poterunt; sed tamen affinia. *forma* dicit quiddam absolutum: *similitudo*

dicit relationem ad alia ejusdem conditionis: *habitus* refertur ad aspectum et sensum. — λαβὼν, *sumens*) Actus *exinanitionis* habet *sumtionem formae serri.* Potuit autem *sumere*, quia *in similitudine hominum fuit.* — ὁμοιώματι ἀνθρώπων, *similitudine hominum*) Factus est similis hominibus, verus homo.

v. 8. καὶ σχήματι, *et habitu*) Distinctus gradus et ulterior *exinanitionis.* Opposita, *forma Dei* et *forma serri.* Ea tamen manet divisio, quae duo verba *exinanivit, humiliavit* per *et*, citra asyndeton, consociat. Ἀλλὰ, *sed* v. 7. dirimit antitheton, quod in priori parte, post ὃς *qui*, habet incisa duo; in altera plura. — σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, *habitu inventus ut homo*) σχῆμα, *habitus*, cultus, vestitus, victus, gestus, sermones et actiones. — εὑρεθεὶς, *inventus*) talem se exhibens et gerens revera. — ὡς ἄνθρωπος) *tanquam homo*, vulgaris, ac si nil esset praeterea, nec inter homines quidem excelleret. nil sibi sumsit eximium. — ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, *humiliavit se ipsum*) Status exinanitionis gradatim profundior. — γενόμενος ὑπήκοος) *factus obediens*, Hebr. 5, 8., scil. *Deo.* Ellipsis haec εὐλάβειαν, *demissionem* Jesu Christi exprimit. *obedientia serrum* decet. — μέχρι, *usque ad*) Constr. cum *humiliavit*, nec non cum *obediens.* In morte *humiliatio* maxima: c. 3, 21. Act. 8, 33. Ps. 90, 3, LXX. et *obedientia* maxima. Joh. 10, 18. — σταυροῦ, *crucis*) qua *serri* solebant affici.

v. 9. διὸ καὶ, *propterea etiam*) Exinanitionis praemium justissimum est exaltatio. Luc. 24, 26. Joh. 10, 17. Neque ea non potuit illam consequi. Joh. 16, 15. Quaecunque Patris sunt, Filii sunt. Ea non potuere ita esse Patris, ut non essent Filii. conf. Joh. 17, 5. Eos quoque, qui se Christi exemplo humiliant, exaltatum iri, eleganter subaudiendum relinquit Paulus: imo exprimit c. 3, 21. — ὁ θεὸς, *Deus*) Christum Christus exinanivit, Christum Deus exaltavit, conf. 1 Petr. 5, 6., eumque fecit esse *pariter Deo.* — ὑπερύψωσε, *supere.valtavit*) Sic compensata est *humiliatio.* Compositum grande. — καὶ ἐχαρίσατο, *et donavit*) Sic compensata est *exinanitio*, cui etiam expressius opponitur *plenitudo*, Eph. 1, 23. 4, 10. Verbo χαρίζεσθαι *donare* denotatur, quam accepta Deo fuerit *exinanitio* Christi: et quam subjecto animo Christus, omni illa *servitute* perfunctus, *donum* hoc susceperit. — ὄνομα) *nomen*, cum re: i. e. dignitatem, laudem. — ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, *super omne nomen*) Eph. 1, 21. non modo super omne nomen humanum.

v. 10. πᾶν γόνυ· πᾶσα γλῶσσα, *omne genu: omnis lingua*) Synecdoche. i. e. ut omni modo colant et recognoscant, ut *Dominum.* Conf. Ap. 5, 13. — κάμψῃ) *flectat*, sc. se; vel cum plausu, vel cum tremore. — ἐπουρανίων, *supracoelestium*) Masculinum. Coelestes genua flectunt: nam Christus Dominus *coelum* cepit. — ἐπιγείων, *terrestrium*) Nam in *terra* versatus est. — καταχθονίων, *infernorum*) Vid. Marc. 3, 11. Job. 26, 5. [*Eph.* 4, 9. *Ap.* 5, 13. V. g.] Postea illis quoque se stitit. Divisio haec in altum et profundum longius abit, quam illa Ex. 20, 4.

v. 11. ἐξομολογήσηται, *confiteatur*) diserte. — κύριος, *Dominus*) non jam *in forma serri.* — εἰς, *in*) Jesum Christum esse Dominum, quippe qui sit in gloria Dei Patris. sic εἰς, Joh. 1, 18. — θεοῦ πατρὸς, *Dei Patris*) Filius agnoscit et ii, qui gloriam Filii vident, agnoscunt item, quod hanc gloriam Filius apud Patrem et a Patre habeat. Conf. 1 Cor. 15, 28.

v. 12. ὥστε, *itaque*) Proposito Christi exemplo, infert, ut salutem ab illo nobis partam tueamur. — ὑπηκούσατε, *obedivistis*) mihi, ad *salutem* vos hortanti, ipsique Deo. conf. *obediens.* v. 8. — μετὰ φόβου καὶ τρόμου, *cum timore et tremore*) Servi esse debetis, exemplo Christi, v. 8.: servum autem decet *timor et tremor*, Eph. 6, 5., i. e. humilitas: coll. Rom. 11, 20. Notavit *Joh. Jac. Wolfius* in exegesi ms. ep. ad Phil. Paulus gaudii plenus tamen serio scribit. — ἑαυτῶν, *vestram ipsorum*) In hac parte quidem *sua quisque spectate.* conf. v. 4. *vestram ipsorum*, inquit: quia ego vobis non adesse possum, ipsi vos curate eo

Digitized by Google

magis. — σωτηρίαν, *salutem*) eam, quae est in *Jesu*. — κατεργάζεσθε, *operamini*) usque ad metam.

v. 13. ὁ θεὸς γὰρ, *Deus enim*) Deus solus; praesens vobis, etiam absente me. Nil deest vobis; modo ne vobis ipsi desitis. conf. 2 Petr. 1, 5. 3. [*Vos ex vobis valetis nihil: fugite securitatem. Sunt, qui nimium lautiore statu suo confisi existimant, posse se gratiam DEI eodem loco habere, quo Israëlitae cibum coelitus demissum*, Num. 11, 8.; *adeoque suum esse, ei vel obluctari vel aditum denuo concedere*. V. g.] — τὸ θέλειν, *velle*) ut salutem volueritis, me praesente, et velitis. — τὸ ἐνεργεῖν, *perficere*) etiam nunc, me absente. — ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, *pro beneplacito*) Huc ref. τὸ *velle*. ad ὁ ἐνεργῶν *operans* ref. τὸ ἐνεργεῖν *perficere*.

v. 14. ποιεῖτε, *facite*) *cum beneplacito*. Patrem imitari debent filii. v. 15. — χωρὶς γογγυσμῶν, *sine murmurationibus*) respectu aliorum. Huc ref. ἄμεμπτοι, *inculpati*. Amori adversantur non modo rixae et clamores, a quibus remoti jam erant Philippenses, sed etiam murmurationes. His jungitur dubitatio, uti irae 1 Tim. 2, 8. [*Utrumque vel apud se fovere quis potest vel in aliis excitare*. V. g.] Quaere vel argue coram: noli murmurare a tergo vel clanculum. — καὶ διαλογισμῶν, *et dubitationibus*) respectu vestri. Huc ref. ἀκέραιοι, *indelibati*, in *fide*. Complura ejusmodi et activa simul et passiva sunt. Conf. Rom. 16, 19. not. Ἀκέραιον *patrimonium*, Chrys. de Sacerd. §. 17.

v. 15. θεοῦ, *Dei*) boni. — σκολιᾶς) *tortuosae*. — φαίνεσθε) *lucetis*, hac scilicet adhortatione servata. Sequitur, *vitae:* ut saepe conjuncta vitae lucisque mentio. — ἐν κόσμῳ, *in mundo*) in humano genere, ex quo multi adhuc sunt convertendi, ceteri redarguendi.

v. 16. λόγον ζωῆς, *verbum vitae*) quod vobis praedicavi. Frequens *vitae* mentio in hac epistola. c. 4, 3. — ἐπέχοντες) *tuentes;* ne mundo concedatis. — εἰς καύχημα, *in gloriationem*) Constr. cum *tuentes*. — εἰς ἡμέραν, *in diem*) Philippenses diem Christi ita propinquum putabant, ut Pauli vita ad eum usque diem produci posset. Id Paulus refutare non necesse habebat. — οὐκ εἰς κενὸν, *non in vanum*) cum fructu vestro.

v. 17. ἀλλ᾽ εἰ καὶ, *sed si etiam*) Respice c. 1, 22. not. — εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ, *si etiam libor super victima et sacrificio*) Philippenses, ut reliquae gentes ad fidem conversae, erant *oblatio*, Paulus *minister*: Rom. 15, 16. et quemadmodum ad holocausta solebat vinum libari ac fundi ad basin altaris, sic Paulus sanguinem suum fundi gaudet. Sacrificii complementum utrisque futurum erat laetabile. Martyrii praestantia. Congruit phrasis cum supplicio gladii, Paulum manente. — θυσίᾳ, *victima*) Huc ref. *congaudeo* et *gaudete*. — λειτουργίᾳ, *officio*) Huc ref. *gaudeo* et *congaudete*.

v. 18. συγχαίρετέ μοι) *congaudete*, gratulamini *mihi*, libato.

v. 19. δὲ) *autem:* tametsi nunc non habeo, quod de meo exitu categorice scribam. — ὑμῖν) *vobis*. id plus, quam *ad vos*. — κἀγὼ) *etiam ego;* non modo vos, cognitis rebus meis, v. 23. — εὐψυχῶ, *bono animo sim*) Solicitus est de Philippensibus; et tamen bene sperat.

v. 20. οὐδένα, *nullum*) nullum alium, hunc unum. *qui* pendet ab *hunc* subaudito. — ἰσόψυχον, *unanimum*) Paulus alter, Timotheus. Sic Ps. 55, 14. ואתה אנוש כערכי σὺ δὲ, ἄνθρωπε ἰσόψυχε. Deut. 13, 7. (6.) אשר כנפשך ὁ ἴσος τῇ ψυχῇ σου. [*Ubi* Timotheus *est, inquit Paulus, ibi* me ipsum *adesse censealis*. V. g.] — γνησίως, *germane*) v. 22. 1 Tim. 1, 2. — μεριμνήσει) *curabit*, apud vos: et *accurate* ad me referet.

v. 21. οἱ πάντες, *omnes*) Si tam lauto illo tempore Paulus de sua quasi cohorte (c. 1, 14. 17.) unum duntaxat plane probavit, de his loquens, qui tum aderant; c. 4, 21. et quidem tam procul ad ecclesiam Philippensium scribens:

Google

nostro tempore quam multos Deo se probare arbitremur? [*Experiri hoc datur, ubi quis cominus eminusve laudabili instituto, quod vel in mandatis non habet, vel suis inservire commodis non persentiscit, adjutrices manus admovere debebat.* Judic. 5, 23. 8, 6. *Quin fit aliquando, ut, qui singulare nonnihil possidet, multum eo nomine sibi placeat, si qua frugem illius denegandi aliis occasionem nactus fuerit. O indignos nomine Christianos.* V. g.] Subtilissima erat αἴσθησις, qua hoc percepit Paulus. — τὰ ἑαυτῶν, *sua*) v. 4. O quam multi sua causa pii sunt! quanquam non sunt *hostes*. c. 3, 18. — ζητοῦσι, *quaerunt*) Pie etiam auditoribus piis significari potest, cujusmodi sint hi vel illi antistites. — οὐ τὰ [1]) χριστοῦ ἰησοῦ, *non quae sunt Christi Jesu*) Hoc experiuntur, qui communi aedificationi ex animo inserviunt. Raros inveniunt adjutores. Jud. 5, 17. 23. 8, 6. 8. Ubi nulla obligatio a propinquo, nulla spes mercedis aut famae, destituuntur. Regno Christi ubi consulitur, fere id fit per modum innoxiae utilitatis. Ubi aliquid impendendum erat, non pugnat vir, sed fugit, et se spe alias pugnandi excusat.

v. 22. δὲ, *autem*) Antitheton: *omnes; ejus*. Rara laus. Neh. 7, 2. — γινώσκετε) *nostis*. conf. Act. 16, 1. 12. — τέκνον σὺν, *filius cum*) Concinne loquitur, partim ut de filio, partim ut de collega. sic c. 3, 17. se ut typum sistit, et tamen συμμιμηταὶ, *una imitatores*, non mere *imitatores*, esse jubet.

v. 23. ὡς ἂν ἀπίδω) ἀπιδεῖν, *notitiam auferre, consequi*. — ἐξαυτῆς, *mox*) Vis relativa in αὐτῆς spectat τὸ *notitiam consecutus fuero*.

v. 25. ἐπαφρόδιτον, *Epaphroditum*) c. 4, 18. — συστρατιώτην, *commilitonem*) c. 1, 27. 30. — ὑμῶν δὲ ἀπόστολον, *vestrum vero legatum*) Philippenses eum legaverant ad Paulum [c. 4, 18.] — λειτουργὸν τῆς χρείας μου, *ministrum necessitatis meae*) Huc quoque ref. *vestrum*. nam Philippensium nomine inservierat Paulo. Et vide, quanti aestimetur etiam externa ministratio. v. 30. — πέμψαι, *mittere*) *Mittere*, ait, non, *remittere*. nam ideo ad Paulum venerat, ut cum eo maneret. v. 30.

v. 26. [2]) ἀδημονῶν) Hesychius, ἀδημονῶν, ἀγωνιῶν· ἀδημονῶ, ἀκηδιῶ, ἀγωνιῶ. Ἀκηδιῶν, prae tristitia lassus. *Acedia*, torpor in rebus spiritualibus. — ἠκούσατε, *audivistis*) eoque nomine soliciti fuistis.

v. 27. παραπλήσιον, *prope*) Mollius loquitur, ne statim terreat Philippenses: deinde v. 30. dicit *appropinquavit*, quo verbo majus periculum innuitur. — αὐτὸν ἠλέησεν, *illius misertus est*) reddita valetudine et vita. — καὶ ἐμὲ, *et mei*) Sanctis licitum est omnia sibi data existimare. — λύπην, *tristitiam*) de morte Epaphroditi. *tristitiam*, gaudio oppositam, de quo tota agit epistola. — ἐπὶ λύπῃ, *super tristitia*) de morbo Epaphroditi, de vinculis etc.

v. 28. σπουδαιοτέρως, *studiosius*) citius, quam Timotheum. v. 19. — χαρῆτε, *gauderetis*) Omnibus ex rebus piis licet gaudium capere. — ἀλυπότερος ὦ. *magis dolore vacem*) quum sciam, vos gaudere.

v. 30. μέχρι θανάτου, *usque ad mortem*) Pertinet hoc ad comparationem officiorum. Ministrare Paulo, per se videtur res aliquanto minor, quam periculum vitae Epaphroditi, qui tamen hoc incommodo commodum illud rectissime redemit. conf. 2 Tim. 1, 16. s. — ἤγγισε, *appropinquavit*) Epaphroditus Philippis proficiscens non videtur scisse fore, ut in morbum incideret: sed tamen, quum arduum iter suscepit, non reformidans, quicquid vel ab inimicis Pauli vel aliunde posset accidere, benigne ei morbus imputatur quamvis improvisus. —

---

1) *Lectioni* ἰησοῦ χριστοῦ utriusque Editionis *margines*, *nec non* Vers. germ., *palmam h. l. decernunt*. E. B.

2) ἐπιποθῶν, *desiderans*] *Naturae* nonnihil admixtum fuerit: sed praevalente *gratia*, ex amore aestimantur omnia. *V. g.*

Digitized by Google

παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ] τῇ ψυχῇ, Dativus. Hesychius: παραβουλευσάμενος, εἰς θάνατον ἑαυτὸν ἐκδούς. Proprie παραβουλεύομαι significat *consilium capio praeter mea commoda*. Estque paronomasia ad verbum παραβάλλομαι, *audeo, projicio me in periculum:* quo apostolus videtur sciens abstinuisse. conf. c. 3, 2. fin. not. — τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, *vestrum defectum*) *Defectum* hunc non tam Paulus censuit esse, quam ipsi Philippenses, pro suo in illum amore. c. 4, 10. s.

CAPUT III.

v. 1. Τὸ λοιπὸν, *ceterum*) Formula progrediendi. 1 Thess. 4, 1. Sic λοιπὸν, τοῦ λοιποῦ. — [1]) τὰ αὐτὰ, *eadem*) de gaudio. [*Legitima ad gaudendum institutio mox offertur, in communione cum Christo.* V. g.] — οὐκ ὀκνηρὸν, *non molestum*) Nam suave est laeto, scribere: *gaudete.* Contrarium, Gal. 6, 17. — ὑμῖν δὲ ἀσφαλὲς, *vobis vero certum*) Gaudium spirituale optimam affert *certitudinem* contra errores, Judaicos praesertim. v. 2.

v. 2. βλέπετε, *videte*) Vehemens anaphora. *videte*, et cavebitis. metonymia antecedentis. Antitheton, σκοπεῖτε *spectate*, v. 17. Nam huc redit v. 17., mirabiliter temperato elencho et adhortatione. — τοὺς κύνας, *canes*) Non est dubium, quin hac appellatione *saepe* v. 18. coram usus fuerit, eamque nunc Philippensibus in memoriam revocarit. unde illi facilius intelligerent, quam nos. conf. 2 Thess. 2, 5. Tribus quidem commatibus hujus versus respondent gradatione retrograda tria membra versus subsequentis: ut *canes* sint falsi apostoli et carnales, qui non Christo, sed carne nituntur, et turpitudini serviunt libidinis. [*a vera sanctitate, utut* Judaeorum *nomine gestientes, alienissimi.* V. g.] v. 19. Sic *canes* dicuntur *abominandi*, Ap. 22, 15.: coll. Ap. 21, 8.; sive *abominabiles*, impuri, Tit. 1, 16. 15., a sanctitate alieni, Matth. 7, 6., alii plane, ac Paulus vivens et moriens. nam in vita scatent vitiis caninis, foeditate, impudicitia, importunitate, 2 Petr. 2, 22. Deut. 23, 19. (18.) Ps. 59, 7. 16. maximeque hostes sunt crucis Christi, versu 18. coll. Ps. 22, 17. 21. et in morte sunt *canes mortui:* (quo proverbio vilissimum quiddam notatur:) conf. v. 19. In hos quadrat, quod dici solet: *Care canem.* Judaei, gentes canum loco habebant: vid. ad Matth. 15, 26. nunc canes appellantur, qui nolunt esse Israël Dei. — τοὺς κακοὺς ἐργάτας, *malos operarios*) qui Deo non serviunt. conf. 2 Cor. 11, 13. — τὴν κατατομὴν, *concisionem*) Paronomasia. nam gloriosam appellationem περιτομῆς, *circumcisionis* vindicat Christianis. v. seq. Circumcisio corporis jam erat inutilis, imo damnosa. vide κατατέμνω de concisione vetita, Lev. 21, 5. 1 Reg. 18, 28. Non sine indignatione loquitur.

v. 3. γὰρ, *enim*) Causa, cur versu 2. alios tam longe secludat. [*atque externam carnis* circumcisionem *nonnisi* concisionem *dicat.* V. g.] — ἡ περιτομὴ, *circumcisio*) Abstractum pro concreto: *verus populus.* — πνεύματι, *spiritu*) non litera. Rom. 2, 29. — πνεύματι θεῷ λατρεύοντες, *spiritu Deo servientes*) Sic Rom. 1, 9. — [2]) καυχώμενοι, *gloriantes*) Id plus, quam πεποιθότες *confisi.*

v. 4. καίπερ ἐγὼ, *quanquam ego*) Singularis includitur in plurali praecedente: *nos gloriamur, et ego* glorior, *quamvis* etc. quia vero sermo a plurali ad singularem progreditur, interponitur *ego*, et additur, quia Philippenses fuerant gentes; Paulus, ex circumcisione. conf. Apoc. 17, 8. not. — ἔχων, *habens*) Participium, proprie. nam constructio pendet ab iis, quae praecedunt. *habens*, non *utens.* — εἴ τις ἄλλος, *si quis alius*) Sermo universalis. *alius* redundat suaviter.

---

1) χαίρετε ἐν κυρίῳ, *gaudete in Domino*] Suaviter de Domino tuo, Jesu Christo, tute etiam, idque constanter, gaudes? c. 4, 4. *V. g.*

2) οὐκ ἐν σαρκὶ, *non de carne*] carnali circumcisione atque origine. v. 5. *V. g.*

Digitized by Google

conf. Not. ad Gregorii Neocaes. Paneg. p. 195. — ἐγὼ μᾶλλον, *ego magis*) *confisus sum.* Loquitur de pristino suo sensu, cum mimesi eorum, qui gloriabantur. v. seq.

v. 5. περιτομὴ ὀκταήμερος, *circumcisio octavo die*) Haec capita quasi in digitis concise et breviter enumerata sermonem faciunt planissimum. Brevitatis autem gratia miscet sermonem abstractum et concretum, *circumcisio, Hebraeus:* uti Col. 3, 11. — ὀκταήμερος, *octavo die*) non demum adulta aetate. — βενιαμίν, *Benjamin*) ex Rahel, non ex ancilla. — ἐξ ἑβραίων, *ex Hebraeis*) non proselytus, non altero utro parente ex gentibus. — φαρισαῖος, *Pharisaeus*) accuratissimus.

v. 6. διώκων, *persequens*) Antehac se optime facere putarat.

v. 7. ἅτινα, *quae*) modo enumerata. — κέρδη, *lucra*) Pluralis grandis. — ἥγημαι, *duxi*) Professio *christianissima*, de praeterito, praesenti et futuro: usque ad v. 14. — διὰ τὸν χριστὸν, *propter Christum*) Huc ref. v. 8. 9., ἵνα κτλ. *ut* etc. — ζημίαν) *jacturam.*

v. 8. μενοῦν, *sane*) Incrementum sermonis, in hac particula et per epitasin deinde synonymorum, etiam in pleniore ipsius Christi appellatione. — καὶ ἡγοῦμαι, *etiam duco*) καὶ *etiam* intendit vim praesentis temporis in ἡγοῦμαι *duco.* Justitia non initio solum, sed semper, in toto cursu sanctorum, ex fide est. — πάντα, *omnia*) non solum ea, quae modo dixi, sed *omnia.* — διὰ — γνώσεως κτλ., *propter — cognitionis etc.*) Constr. cum *duco.* Et ref. huc v. 10. s. τοῦ γνῶναι, *ut cognoscam.* — τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως, *eminens cognitionis*) Proprie *eminentia* est Christi: quo cognito, *cognitio* ejus item *eminentiam* nanciscitur. — τοῦ κυρίου μου, *Domini mei*) Fidelis appropriatio. — ἐζημιώθην) non modo *jacturam duxi,* sed revera *abjeci.* — σκύβαλα) Crescit sermo de fideli abnegatione rerum omnium. ζημία, *jactura*, fit aequo animo: σκύβαλα propere abjiciuntur, posthac neque tactu neque aspectu dignanda. Hebr. סרש antanaclasin habet ad *Pharisaeos.* vid. P. Zornii T. II. Opusc. sacr. p. 514. Gatakerus: σκύβαλον *rite quodris rejectamentum designat, qualia sunt excrementa animantium, liquorum feces et fraces, metallorum scoria, stirpium decidua, frugum purgamenta, farinae furfures, mensarum analecta, manuum apomactra, quae canibus destinantur.* Vid. Adversar. misc. posth. cap. 43. copiosissime. — ἵνα, *ut*) Non potest utrumque fieri, ut et retineas cetera, et Christum assequare. — κερδήσω καὶ εὑρεθῶ, *lucrifacerem et invenirer*) Utrumvis opponitur *jacturae.* Qui omnia, ne se ipso quidem excepto, amittit, Christum lucrifacit, et in Christo lucrifit. Christus est illius, et ille est Christi. Plus ultra. Loquitur Paulus, quasi adhuc non lucrifecerit.

v. 9. εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ) scil. ὤν. — μὴ ἔχων, *non habens*) Verba, *jacturam pati, lucrifacere, inveniri, habere*, allegoriam faciunt. Τοῦ esse et reperiri in Christo, consequens immediatum est habere justitiam ex fide Christi. Lib. מחזור Judaeorum Euchologium אני ממעטים שולל וערום וצדקתך לבדה חיא כסתי i. e. *Ego plane vacuus et nudus sum ab operibus, justitiaque tua sola est amictus meus.* — ἐμὴν, *meam*) Oppositum, *eam quae ex Deo:* sed ἐμὴν, sine articulo, ad oblivionem innuendam. — τὴν ἐκ νόμου, *eam quae ex lege*) v. 6. conf. *ex,* Rom. 4, 14. Oppositum, *eam quae per fidem.* — διὰ πίστεως χριστοῦ) *per fidem* Christi, in Christum. — ἐπὶ τῇ πίστει) *super fide.*

v. 10. τοῦ γνῶναι, *cognoscere*) Genitivus τοῦ cohaeret cum *fide*, et reassumit mentionem *cognitionis* v. 8. factam, nunc uberius explicandam. — αὐτὸν) *Ipsum.* — δύναμιν, *virtutem*) Rom. 1, 4. — τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ) Seriei sermonis congruit, ut verbale ἀνάστασις accipiatur non de resurrectione ex mortuis, quae mutato verbo exprimitur versu 11., sed de *exortu* Christi: Hebr. 7, 14., uti verbum ἀναστῆσαι, Act. 13, 32. not. Neque enim ἀνάστασις semper de re-

surrectione mortuorum ponitur. Luc. 2, 34. [7, 16.] Thren. 3, 63. Sophon. 3, 8. Et sane ipse exortus sive adventus Messiae suam habet δύναμιν, *virtutem*, cujus cognitione fideles nituntur. 2 Petr. 1, 16. — τὴν κοινωνίαν, *communionem*) Gal. 2, 20. — συμμορφούμενος, *conformatus*) Casus rectus, post infinitivum, Graecis frequens est, quanquam hic cum verbo finito subsequente potest construi. *conformantur* fideles per fidem. Imitatio non est exclusa, sed certissime consequitur. Gal. 3, 1. not. Conf. *conforme*, v. 21.

v. 11. εἴ πως, *si quomodo*) Hoc denotat nixum fidei Paulinae. sic, εἰ, *si* v. 12. — καταντήσω, *occurram*) Ab allegoria *damni et lucri* paulatim accedit ad allegoriam *cursus*. Καταντᾷν est pervenire, ipse assequendi et potiendi actus. — ἐξανάστασιν [1]) τῶν νεκρῶν) i. e. ἀνάστασιν (χριστοῦ) ἐκ τῶν νεκρῶν, *resurrectionem* (Christi) *ex mortuis*. conf. Rom. 1, 4. not. [2 Tim. 2, 11.] Paulinus enim stilus Christo adscribit ἀνάστασιν, ἐξανάστασιν Christianis. Sed Christi resurrectio et nostra resurrectio consideratur ut una resurrectio per κοινωνίαν, *communionem*. Sub mentionem resuscitationis, interjicit aliqua, praesenti suo statui consentanea; et pertexit cetera versu 20. s.

v. 12. οὐχ ὅτι, *non quo*) In summo fervore sobrietatem spiritualem non dimittit apostolus. — ἔλαβον, *acceperim*) brabeum. — τετελείωμαι) Differunt τέλειος et τετελειωμένος· ille, cursui habilis, v. 15. 16.: hic, brabeo proximus, jam jam *accepturus*. — καὶ καταλάβω) Καὶ, *etiam*, intendit. nam καταλαμβάνειν *comprehendere* plus est, quam λαμβάνειν *prehendere*. τὸ λαμβάνειν *prehendere* fit in instanti, mox ut passus ultimus est confectus: τὸ καταλαμβάνειν, *comprehendere* fit, cum quis plene potitur. Exemplum accipientis jam jamque, 2 Tim. 4, 7. 8. [Ps. 73, 23. 28.] — ἐφ᾽ ᾧ) *quoniam*. Sensus virtutis Christi accendit Christianum. — καὶ κατελήφθην, *etiam comprehensus sum*) per vocationem coelestem. v. 14. Act. [9, 6.] 26, 14. 19. 2 Cor. 5, 14. Christus, *auctor et consummator*, ut suum fidei cursum consummavit, etiam suos consummat Hebr. 12, 2. ubi ipsa ἀρχηγοῦ *principis (auctoris)* appellatio dicit relationem Ipsius ad asseclas. καὶ, *etiam*, iterum intendit, ut observetur vis aoristi I, statum praesentem notantis.

v. 13. ἀδελφοὶ, *fratres*) Familiariter fatetur. — ἐγὼ, *ego*) Facile hoc alii de Paulo existimare possent. — οὐ λογίζομαι, *non existimo*) Convenit sanctis et ad alacritatem conducit, ut minus, quam pro veritate rei, de sese existiment.

v. 14. ἕν, *unum*) scil. *facio*. — τὰ ὀπίσω, *quae retro*) etiam ipsam confectam cursus partem. — ἐπεκτεινόμενος) id est ad literam, *superextensus*. Oculus manum, manus pedem praevertit et trahit. — κατὰ σκοπὸν, *secundum scopum*) recta. — διώκω, *sequor*) Sumitur neutraliter, ut Luc. 17, 23. — βραβεῖον, *brabeum*) coronam vitae. — ἄνω, *supra*) v. 20.

v. 15. τέλειοι, *perfecti*) v. 12. not. — τοῦτο) *hoc* unum. v. 14. — ἑτέρως) *aliter*, ac perfecti; (nam mutatur persona, *sentiamus*, *sentitis*:) non tamen ἕτερον sive ἄλλο, *aliud*, nil terrenum. v. 19. conf. etiam Gal. 5, 10. — καὶ τοῦτο) *etiam hoc*, quod nos perfecti sentimus, versu 14. expressum. — ὁ θεὸς, *Deus*) vel me non scribente. — ὑμῖν, *vobis*) ad perfectionem nitentibus. — ἀποκαλύψει, *revelabit*) Eph. 1, 17.

v. 16. πλὴν, *modo*) De gradu, quem jam firmiter tenetis, non debet vos depellere exspectatio novae revelationis. — εἰς ὃ) in eo, *in quod* pervenimus. — ἐφθάσαμεν, *pervenimus*) magis minusve longe. Cum *perfectis* ut ceteri faciant, monentur. — στοιχεῖν, *incedere*) Infinitivus, molliter, pro imperativo. Rom. 12, 15. — κανόνι) Omittunt hoc *Al. Boern. Clar. Colb. 7. Copt. Hilarius* uterque, *Fa-*

1) *Lectionem* τὴν ἐκ νεκρῶν, *in* Ed. maj. *non probandis annumeratam*, Vers. germ. *recepit, crisin* Ed. 2. *imitata*. E. B.

Digitized by Google

eundus, vel etiam, collato Pelagio, *Sedulius*. Sic respondent incisa, τῷ αὐτῷ στοιχεῖν, τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Neque enim *Latinis*, qui, comite *Coveliano* 2., incisa transponunt, obsequimur, quum ἐφθάσαμεν et στοιχεῖν propius cohaereant, et στοιχεῖν metaphoricum per subsequens φρονεῖν declaretur. Plane τὸ κανόνι ex Gal. 6, 16. huc traductum videtur. — τὸ] Asyndeton. — τὸ αὐτὸ φρονεῖν, *idem sentire*) Huc redit c. 4, 2.

v. 17. συμμιμηταί, *una imitatores*) Ipse Paulus, *imitator Christi:* Philippenses ergo, *una imitatores*. — σκοπεῖτε, *spectate*) cum consensione. — οὕτως, *sic*) Exempla minora exigi debent ad majora et perfectiora, amicorum crucis Christi.

v. 18. [1]) περιπατοῦσιν, *ambulant*) ante oculos vestros. — πολλάκις, *saepe*) Assiduus debet elenchus esse. — κλαίων, *flens*) Credibile est, Paulum hoc adjecisse, postquam lacrymis madefecit epistolam. In gaudio, tamen dolor. Rom. 9, 2. — τοὺς ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ, *hostes crucis*) Gal. 6, 12. 14.

v. 19. ὧν, *quorum*) Nominativus implicitus, coll. mox οἱ, pendens ab *ambulant*. — τὸ τέλος, *finis*) Hoc ponitur ante alia, quo majore cum horrore haec legantur. In fine videbitur. [*Finis, ad quem cujusvis rationes tendunt, ostendit sane, quae sit ejus conditio.* V. g.] — ἀπώλεια, *perditio*) Antitheton, *Salvatorem*. v. 20. — ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία, *quorum Deus venter*) Rom. 16, 18. Antitheton, *Dominum*, v. 20.: et, *corpus*, v. 21., uti 1 Cor. 6, 13. Istorum venter nitet: nostrum corpus atteritur. utrumque *schema* commutabitur. — ἡ δόξα, *gloria*) *Deus* et *gloria* ponuntur, ut parallela, adeoque δόξα hoc loco notat *deum* vel *gloriationem* de deo. Hos. 4, 7. LXX, τὴν δόξαν αὐτῶν εἰς ἀτιμίαν θήσομαι. — αἰσχύνη, *pudor*) Respondet Hebraeo בשת v. gr. Hab. 2, 10. confer, de hoc propheta, not. ad Col. 2, 23. item ערוה infra κοιλίαν, *ventrem*. Simul autem alludit sermo ad idolum, cui בשת αἰσχύνη respondet. Pro ערוה LXX interdum αἰσχύνη. itaque hoc loco videtur Paulus notare τὴν κατατομὴν, *concisionem*, ut innuat, circumcisionem non jam esse *gloriosam*, sed *ignominiosam*. Sic *venter* et *pudor* sunt affinia. Id colunt isti, cujus ipsos maxime pudere debebat, et suo tempore pudebit misere, quanquam nunc quoque parrhesia carent. — οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, *terrena sentientes*) Antitheton, v. seq. ineunte.

v. 20. ἡμῶν, *nostra*) quos typum habetis. — γὰρ, *enim*) Causa, cur Philippenses imitari illos debeant. — τὸ πολίτευμα) *res communis, patria, civitas*. sequitur enim, ὑπάρχει *extat*. Itaque huc etiam refertur ἐξ οὗ, *ex qua*. — σωτῆρα, *Salvatorem*) Ratio, sub qua exspectamus. 2 Tim. 4, 18. — κύριον, *Dominum*) exaltatum. c. 2, 11. Confirmatio exspectationis hujus.

v. 21. ὃς μετασχηματίσει, *qui transformabit*) non modo *salutem* dabit, sed etiam *gloriam*. 2 Tim. 2, 10. — τῆς ταπεινώσεως, *humiliationis*) quae fit per crucem. v. 18. c. 4, 12. 2, 17. 2 Cor. 4, 10. דכא LXX ταπείνωσις, Ps. 90, 3. — κατὰ, *secundum*) Constr. cum *transformabit*. Opus omnipotentiae Domini. — τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι, *efficaciam potentiae*) Infinitivus loco nominis. Potentia producetur in actum. — καὶ) *etiam*: non modo conforme facere corpus nostrum suo. — τὰ πάντα, *omnia*) etiam mortem.

CAPUT IV.

v. 1. Ὥστε, *itaque*) tanta exspectatione proposita. — ἀγαπητοὶ, *amati*) Hoc magna suavitate bis ponitur: primum, ut ineunte periocha; deinde, pro nervo hortationis. — ἐπιπόθητοι, *desiderati*) Sic appellat absentes. c. 1, 8. — στέφανός μου, *corona mea*) c. 2, 16. — οὕτω) *ita*, ut statis, state. conf. οὕτω, *ita*. 1 Cor. 9, 24. not. — στήκετε, *state*) c. 1, 27.

---

1) πολλοὶ, *multi*] Multos imitando persequi, periculosum. *V. g.*

Digitized by Google

v. 2. παραχαλῶ, *hortor*) Hoc bis ponit, quasi coram adhortans seorsum utramvis, idque summa cum *aequitate*.

v. 3. ναὶ, *nae*) Dulcis particula. Philem. v. 20. Hebr. ℵ. Ei qui rogatur, in os quasi ingeritur, ut eâ tantum pronunciata roganti annuat. — σύζυγε γνήσιε, *compar sine fuco*) ὁ καὶ ἡ σύζυγος, *conjux*, proprie in matrimonio; inde in aliis rebus, ita tamen, ut sermo sit de duobus, et notetur paritas quaedam. etiam γνήσιος generis communis est. Sunt, qui dicant, Paulum aliquando *conjugem* habuisse: sed hoc quidem loco virum ab eo appellari, non immerito statuimus. συνεργοὺς, *cooperarios*, habuit multos; συζύγους *compares* non multos, primum Barnabam, deinde Silan. Atque hunc ipsum hoc loco videtur appellare. nam apud ipsos Philippenses Pauli *compar* fuerat Silas. Act. [15, 40.] 16, 19. [*Vel, quod malim*, Epaphroditus. V. g.] Certe et antistes erat, quem Paulus hic rogat. — συλλαμβάνου αὐταῖς, *adjura eas*) ut concordiam inter eas, amotis impedimentis, retineas. — αἵτινες, *quae*) Qui semel bene stetit, huic, etiam cum vacillat, auxilium obtingere fas est. — συνήθλησάν μοι, *concertarerunt mecum*) Videntur implicatae fuisse periculo illo, quod describitur Act. 16, 19. — μετὰ, *cum*) Hoc pendet a *concertarerunt*. — κλήμεντος, *Clemente*) Magnos viros, in quibus *Clemens* excelluit, imitatae erant. Id magno mulieribus honori et favori erat. — τὰ ὀνόματα, *nomina*) quamlibet hic non expressa. Alluditur ad athletas, victores, quorum *nomina* cluebant. — ἐν βίβλῳ ζωῆς, *in libro vitae*) scil. *extant*, vel, *extent*. Saepe supplendus optativus. v. 23. Videntur jam tum fuisse *defuncti*. tales enim solemus votis ejusmodi prosequi. ☞ Horum socios superstites quis non juvet? Societas cum iis, qui pulcre defuncti sunt, magna ad superstites juniores commendatio ejus, qui sic quasi in medio stat: ex. gr. Timothei ad Philippenses, quia Paulo familiariter usus fuerat. [*Egregium concordiae etiam fomitem habent ii, quorum alii alios vitae aeternae consortes existimare possunt*. 1 Petr. 3, 7. V. g.]

v. 4. χαίρετε ἐν κυρίῳ· πάντοτε, πάλιν ἐρῶ, χαίρετε, *gaudete in Domino: semper, iterum dico, gaudete*) Particula *iterum* epitasin requirit, uti Gal. 1, 9., ubi epitasis est in παρελάβετε, coll. v. 8.: sic Galatae fortius constringuntur, quia etiam *assumserunt* evangelium praedicatum: Adde Gal. 5, 3., ubi *testor* epitasin facit ad λέγω, *dico*, v. 2., et παντὶ *omni* epitasin habet ad τὸ *vobis*, v. 2., et ὀφειλέτης *debitor* ad τὸ *nihil proderit*, v. 2. hic eam epitasin efficit vocula *semper* cum verbo *gaudete* repetito. Initio versiculi dicitur, *gaudete in Domino*, uti c. 3, 1. Alii τὸ πάντοτε cum praecedentibus verbis jungunt.

v. 5. τὸ ἐπιεικὲς, *aequitas*) Gaudium in Domino parit veram *aequitatem* erga proximum, et legitimam securitatem in suis rebus, v. 6.: item, verum candorem erga *homines* ipsumque *Deum*: qui candor exprimitur verbis *cognoscatur*, opere; *innotescant*, oratione, v. 6. Tristitiam et curam comitatur morositas. — γνωσθήτω, *cognoscatur*) ex re ipsa. Sunt, qui aequitatem animo alant, neque hominibus iniquis male velint: sed tamen benignitatem dissimulant. hi non recte faciunt. — πᾶσιν ἀνθρώποις, *omnibus hominibus*) bonis et malis, sive iniquis, c. 2, 15., etiam ut mali lucrifiant. Nemo ita asper est, ut non alicui se aequum praebeat, ex sympathia, timore, lucri spe, aemulatione etc. Fidelis, omnibus. [*Quodsi inter omnes homines vel* unum *noveris, qui contrarium a te expertus sit: etiammum fac ei* aequitatem *exhibeas*. V. g.] — ὁ κύριος, *Dominus*) Christus, judex, vobis propitius, vindex in malos. Haec consideratio *aequitatem* parit. Jac. 5, 9.

v. 6. μηδὲν μεριμνᾶτε, *nihil curate*) Ubi alii non sunt *aequi* erga vos, ubi alia vos urgent, nolite curare; orate potius. Curare et orare, [*itemque curare et gaudere*, V. g.] plus inter se pugnant, quam aqua et ignis. — ἐν παντὶ) *in omni re*. — μετὰ εὐχαριστίας, *cum gratiarum actione*) Optimus hic

character est solutae a curis animae et orationis cum resignatione voluntatum humanarum conjunctae. Ideo sequitur *pax:* v. 7.: gratiarumque actio et pax conjunguntur etiam Col. 3, 15. Omnia salva et tranquilla. — τὰ αἰτήματα, *petita*) *Petitum*, materia δεήσεως, *precationis*. — γνωριζέσθω, *innotescant*) Qui desideria sua, praepostero pudore ac diffidenti modestia, quasi nimis aut parva aut magna essent, velant, suffocant ac retinent, curis anguntur: qui filiali et liberali fiducia erga Deum expromunt, expediuntur. Confessionibus ejusmodi scatent Psalmi. — πρὸς τὸν θεὸν, *ad Deum*) etiamsi saepe ignorent homines, eosque modeste celetis. Ne Paulus quidem rogarat Philippenses. [*Ceterum, simplicis candoris* erga homines, v. 5., *et, h. l.,* erga DEUM *exercitium optime congruit.* V. g.]

v. 7. ἡ εἰρήνη, *pax*) omnis solicitudinis immunis *pax*. [*gaudii comes. Conf.* v. 9. V. g.] — ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν) *exsuperans omnem intellectum*, adeoque omne *petitum*. Eph. 3, 20. — φρουρήσει) *custodiet;* adversus omnes insultus et curas muniet, et quod dexteritati desideriorum vestrorum deest, corriget. Rom. 8, 26. s. — καρδίας· νοήματα, *corda: cogitationes*) *Cor* sedes *cogitationum*.

v. 8. τὸ) Summa. In c. 3, 1. τὸ λοιπὸν concludit admonitionem particularem ad *gaudium:* et hic τὸ λοιπὸν concludit generalem exhortationem ad omne officium. — ὅσα, *quaecunque*) in genere. ἅ, *quae*, v. 9., speciatim in Paulo. — ἀληθῆ — ἔπαινος, *vera — laus*) Octo nomina, per duos ordines quadrimembres, quorum alter officium, alter commendationem spectat. Si utrumque invicem contendas, primum nomen primo, secundum secundo, tertium tertio, quartum quarto respondet. χιασμὸς multiplex et concinnus, liberorum quoque, parentum, conjugum et cetera complectens officia. — ἀληθῆ, *vera*) in sermone. — σεμνὰ, *honesta*) in actione. — δίκαια, *justa*) erga alios. — ἁγνὰ, *casta*) respectu vestri. — προσφιλῆ, *amabilia*) Προσφιλῆ συναγωγῇ σεαυτὸν ποίει. Sir. 4, 7. ὁ σοφὸς, ἐν λόγῳ ἑαυτὸν προσφιλῆ ποιήσει. idem, c. 20, 12. (13.) — ὅσα εὔφημα, *quaecunque dictu bona*) *Amabilia*, coram: *dictu bona*, de absentibus. conf. c. 1, 27. — ἀρετὴ, *virtus*) Hoc uno loco Paulus hoc vocabulum ponit. Ref. ad *justa*. ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή' στι. — ἔπαινος, *laus*) etiam in iis rebus, quae ad proximum minus, quam ad vos ipsos pertinent. — ταῦτα λογίζεσθε) *horum rationem habete*. Id pertinet ad *vera* etc. quae etiam ab aliis facta sunt vel fiunt, ut ea probemus, recordemur, adjuvemus, augeamus, imitemur. Non solum debemus facere, in quae incidimus, sed etiam providere facienda. Sequitur, *haec facite*, per asyndeton, quod denotat, alterum genus bonarum rerum ab altero non differre.

v. 9. ἃ καὶ) *quae etiam*. Καὶ *etiam* versum hunc connectit cum sequentibus, non cum antecedentibus verbis. Facit transitionem a generalibus (ὅσα, *quaecunque*) ad Paulina. Locus fuisset τῷ καὶ *et* ante ἅ, *quae*, τῷ *etiam* manente. — ἠκούσατε, *audistis*) etiamsi nondum satis *acceperitis*. — εἴδετε, *vidistis*) etiamsi nondum satis *didiceritis*. — καὶ ὁ θεὸς, *et Deus*) Hoc pertinet etiam ad *rationem habete*. — ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης, *Deus pacis*) non modo pax Dei, v. 7., sed Deus ipse.

v. 10. μεγάλως, *magnopere*) Hoc vix placuerit Stoico. Paulus ingentes affectus habuit, sed *in Domino*. — ἤδη ποτὲ, *jam aliquando*) Exspectatum sibi fuisse Philippensium munus ostendit. qua mente, vide v. 11. 17. *jam*, non serius: *aliquando*, non citius. Fuit tempus *opportunum*. Hebr. זמן הפקד — ἀνεθάλετε, *reviruistis*) ut arbores. conf. c. 1, 11., *fructu*. ἀναθάλλω hic neutrum, a quo *sentire* pendet, subaudito *secundum*. *reviruistis*, opere ipso. Videtur legatio a Philippensibus tempore verno constituta, a quo metaphora sumitur. In hiemem quadrat illud, *carebatis opportunitate*. — τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ) Accusativus τὸ

Digitized by Google

regitur a φρονεῖν. τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ dicitur, ut τὰ παρ᾽ ὑμῶν. v. 18. — ἐφ᾽ ᾧ, *in quo*) *pro eo, quod.* ἐπιθεραπεία. — ἠκαιρεῖσθε) Καιρὸς per synecdochen denotat omnem facultatem et opportunitatem.

v. 11. καθ᾽ ὑστέρησιν) *pro egestate.* — ἐγὼ, *ego*) in tot adversis. — ἔμαθον) *didici*, divinitus. conf. Hebr. 5, 8. Chiasmus directus in quatuor verbis, *didici, novi: institutus sum, valeo.* Ad *didici* accedit τὸ *institutus sum:* ad *novi* τὸ *valeo.* Saepe verba intellectus inferunt etiam virtutem in voluntate. — ἐν οἷς εἰμὶ) *in quibus sum*, in praesenti. Hebr. 13, 5. — αὐτάρκης) *contentus.*

v. 12. ταπεινοῦσθαι, *humiliari*) in cultu et victu. — περισσεύειν, *abundare*) etiam in sublevandis aliis. Invertitur mox ordo verborum, ut transitus a paucis ad multa, et a multis ad pauca notetur. — ἐν παντὶ) *in omni re.* Symperasma, uti, *omnia*, v. 13. — ἐν πᾶσι, *in omnibus*) respectu omnium hominum. — μεμύημαι) disciplina arcana *imbutus sum*, ignota mundo. — καὶ χορτάζεσθαι, *et saturari*) Constr. cum *institutus sum.* — χορτάζεσθαι καὶ πεινᾶν, *saturari et esurire*) in diem unum. — περισσεύειν καὶ ὑστερεῖσθαι, *abundare et penuriam pati*) longiori tempore. Repetita mentio τοῦ *abundare* congruit cum statu Pauli, qui ex Philippensium liberalitate tum *abundabat.* Praecesserat *humiliatio*, et secutura fortasse erat *penuria.* Qui alios *sublevare* potest, amplitudinem habet, cui opponitur *humiliatio.*

v. 14. συγκοινωνήσαντες) *quum* mihi, afflicto, *communicastis* de vestris facultatibus. Composito verbo innuitur, etiam alios alio modo fuisse κοινωνήσαντας.

v. 15. οἴδατε, *nostis*) Ostendit se memorem etiam pristinorum. *nostis, memoriam* significat, respectu Philippensium; *scientiam*, respectu ceterarum ecclesiarum. — φιλιππήσιοι, *Philippenses*) Nomen proprium innuit antitheton ad ecclesias aliorum oppidorum. — ἐν ἀρχῇ, *in principio*) penes vos. Pridem ab illis exierat. — ὅτε, *quum*) Hoc junge cum verbis sequentibus, *nulla etc.* — οὐδεμία, *nulla*) Poterant dicere, *Faciemus, si alii fecerint:* nunc eo major horum laus est: ceterorum, eo minor. — ἐκκλησία, *ecclesia*) Ergo ecclesia Philippensis, in commune, Paulo misit. — εἰς λόγον) *quod attinet.* limitat. — δόσεως, *dati*) ex parte vestra. — λήψεως, *accepti*) ex parte mea. — μόνοι, *soli*) laudabiliter. Ostendit suam indigentiam.

v. 16. καὶ ἅπαξ καὶ δὶς) Δὶς, ordinale hoc loco. id est, non semel et bis, quod aequipolleret τῷ *ter.* sed una atque altera vice, ut sub τῷ δὶς, *bis* iterum comprehensum sit τὸ ἅπαξ, *semel.* Sic 1 Thess. 2, 18.

v. 17. οὐχ ὅτι, *non quo*) Declarat, cur pluribus verbis utatur. — ἐπιζητῶ, *quaero*) beneficium vestrum amplexus. — εἰς λόγον ὑμῶν) *ratione vestri.*

v. 18. ἀπέχω) Apocha apostolica. — περισσεύω, *abundo*) Vide animum contentum et gratum. — τὰ παρ᾽ ὑμῶν, *ea quae a vobis*) Miserant numos, aut vestes et quae inservire possent. — ὀσμὴν εὐωδίας, *odorem bonae fragrantiae*) Pulcre ornat rem. — θυσίαν, *victimam*) Ebr. 13, 16.

v. 19. ὁ δὲ θεός μου) *Deus vero meus*, qui, quod servo ejus datur, remunerabitur. In v. 19. per δὲ *vero* clauditur haec particularis tractatio de liberalitate Philippensium: sed in v. 20. per δὲ *vero* fit clausula totius hujus laetae periochae. — πληρώσει) impleat, imo *implebit.* [*Egregie sane, si vel solum hoc apostoli votum peperit, Philippensium istud beneficium collocatum esse sentis.* V. g.] — χρείαν, *necessitatem*) ut vos meam necessitatem sublevastis. vacuum istud vestrum non manebit vacuum. — ἐν δόξῃ, *in gloria*) Hoc refer ad totam sententiam. Sunt *divitiae in gloria*, gloriosae divitiae, proxime: deinde, Deus *implebit in gloria*, i. e. gloriose.

v. 20. ἡ δόξα, *gloria*) pro suo dono. 2 Cor. 9, 15. Doxologia fluit ex gaudio totius epistolae.

Digitized by Google

v. 21. πάντα ἅγιον, *omnem sanctum*) singulatim. Sic mox v. 22. *omnes Sancti*, καὶ οἱ, scil. ἅγιοι, *sancti*, late dicti. Itaque *fratres* potius, v. 21., de *Judaeis* possint accipi, (coll. Act. 28, 21.) iisque credentibus.

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

CAPUT I.

v. 2. Ἐν κολοσσαῖς, *Colossis*) Phrygiae urbe. — ἁγίοις, *Sanctis*) Habet hoc vim substantivi. Dicit cunjunctionem cum Deo: *fidelibus fratribus*, conjunctionem cum hominibus Christianis. Conjunctionem dicit τὸ *fratribus*. Hi erant *credentes*.

v. 3. εὐχαριστοῦμεν — ἀκούσαντες, *gratias agimus — audientes*) Conf. Eph. 1, 15. s. Etenim epistola ad Colossenses magnam habet convenientiam cum duabus illis, quibus subjungitur: cum Epistola ad Ephesios in thesi, et in paraclesi; cum epistola ad Philippenses, in antithesi et elencho. Plura notabimus suis locis. Epistolae ad Ephesios et Colossenses uno tempore missae, per Tychicum. c. 4, 7. Eph. 6, 21. — πάντοτε, *semper*) Constr. cum *orantes*. Rom. 1, 10. Phil. 1, 4.

v. 4. πάντας, *omnes*) praesentes et absentes.

v. 5. διὰ, *propter*) Ex spe patet, quanta sit causa *gratias agendi* pro dono fidei et amoris. *propter* constr. cum *gratias agimus*, v. 3. [*Fides, amor, spes*, v. 4. 5., *summa Christianismi. Conf.* v. 9. 10. 11. V. g.] — ἀποκειμένην, *repositam*) sine periculo. — ἣν, *quam*) *spem*, coll. v. 23. — προηκούσατε) *ante audistis*, quam ego scriberem. — ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας, *in verbo veritatis*) Eph. 1, 13. *Veritati* praeconii respondet *veritas* agnitionis. v. 6. Neutra admittit mangonium.

v. 6. εἰς) Εἰς et ἐν h. l. parallela sunt. — καὶ ἔστι, *et est*) Post participium oratio redit ad indicativum: v. 26. c. 2, 13. 14. *praesentis* (i. e. *quod adest*) — *et* (repete *quod*, ex anteced.) *est fructificans*. — καρποφορούμενον [1]), *fructificans*) *in omni mundo*. — καθὼς, *sicut*) Peregrinantes magna cum laetitia recognoscunt eosdem in omnibus climatibus evangelii fructus: et fructus probant, esse verbum veritatis. Confer *sicut*, mox v. 7. Permutatur enim et tandem ad Colossenses inclinatur, ad propagationem sermonis. — ἀφ᾽ ἧς, *a quo*) Constr. cum *in vobis*. — ἐν ἀληθείᾳ, *in veritate*) veritate testimonii evangelici, et fidei ex testimonio et erga testimonium.

v. 7. καθὼς, *sicut*) Ita Paulus confirmat et comprobat doctrinam Epaphrae, a nonnullis fortasse spreti. Pauli prae Epaphra fuit scribere. — ἡμῶν, *nostro*) Pauli et Timothei. — ὑπὲρ ὑμῶν) *pro vobis*, vestra causa. — ἀγάπην ἐν πνεύματι, *amorem in spiritu*) Amor, fructus Spiritus: *amor spiritualis*. coll. v. 9. fin.

v. 9. ἠκούσαμεν, *audivimus*) v. 4. — προσευχόμενοι, *precantes*) Precum mentionem generatim fecit v. 3.: nunc exprimit, quid precetur. — πληρωθῆτε, *impleamini*) Hoc verbum cum conjugatis suis frequens in hac epistola, usque ad c. 4, 12. 17. — τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *cognitione voluntatis*

---

1) *Lectio plenior*, καρποφορούμενον καὶ αὐξανόμενον, *in marg.* Ed. maj. *ad minus firmas relata, firmioribus per marg.* Ed. 2. *et* Vers. germ. *accensetur*. E. B.

Digitized by Google

ejus) Gradatio est v. seq. *in cognitionem Dei.* — τοῦ θελήματος, *voluntatis*) Eph. 5, 17. 1, 9. — σοφίᾳ, *sapientia*) Frequens verbum in hac epistola: quo magis deducantur a falsa sapientia et philosophia. conf. Eph. 1, 8. [*Et videtur* cognitionis *aliqua penuria apud* Colossenses, *optime ceteroquin animatos, locum habuisse: quare apostolus tanto eam opere urget per totam epistolam,* v. 11. 28. 2, 2. 3. 3, 10. 16. 4, 5. 6. V. g.] Apud Corinthios, inflationi propiores, minus commendatur cognitio. *Sapientia* denotat gustum. conf. Matth. 23, 34. not. — συνέσει, *intellectu*) quo discernatis, quid cum veritate congruat vel pugnet: neque praetermittatis, quod considerandum est. *Sapientia* (σοφία) est quiddam generalius: σύνεσις est solertia quaedam, ut quovis tempore aliquid succurrat, quod hic et nunc aptum est. σύνεσις est in intellectu: *sapientia* est in toto complexu facultatum animae. — πνευματικῇ, *spirituali*) non, *naturali.*

v. 10. περιπατῆσαι) *ut ambuletis.* Talis ambulatio fluit ex cognitione voluntatis Dei. — ἀξίως τοῦ κυρίου) *ut* Christo *Domino dignum est.* Eph. 4, 1. — ἀρέσκειαν) *studium placendi*, ex parte vestri; usque eo, ut revera placeatis Domino. חֵן LXX, ἀρέσκειαι, Prov. 31, 30. — καρποφοροῦντες, *fructum ferentes*) Ex verbo *impleamini* pendent participia, *fructum ferentes, crescentes, corroborati.*

v. 11. δυνάμει, *virtute*) Eph. 1, 19. 3, 16. 6, 10. — δόξης, *gloriae*) Rom. 6, 4. — μακροθυμίαν, *longanimitatem*) Eph. 4, 2. — μετὰ χαρᾶς, *cum gaudio*) v. 24.

v. 12. εὐχαριστοῦντες, *gratias agentes*) i. e. *gratiasque agimus.* Pendet a v. 9. Sequitur, *nos*, mox: et *vos*, v. 21. [Israëlitarum *videlicet nomine* v. 12. —20.; gentium *causa* v. 21. *sqq. gratias agit. Cf. Eph.* 2, 3. 11. V. g.] — τῷ ἱκανώσαντι, *qui idoneos fecit*) Fueramus enim inidonei. Idem verbum, 2 Cor. 3, 6. — εἰς, *in*) i. e. ut acciperemus partem sortis sanctorum: coll. v. seq. et Eph. 1, 11., vel potius, Act. 20, 32. 26, 18. — μερίδα τοῦ κλήρου) *partem, sorte*, non pretio, *datam.* — ἐν, *in*) Constr. cum *partem. Lux* est *regnum Dei,* habentque fideles *in* hoc Regno *partem* beatam. ἐν *in* est quasi praepositio loci. Conferatur oppositum Matth. 4, 16., ubi bis est *in.* — τῷ φωτὶ, *luce*) Antitheton, *tenebrarum.* v. 13. Conf. Eph. 5, 8. *Lux* est agnitionis et laetitiae.

v. 13. ὅς, *qui*) *Pater.* — ἐξουσίας, *potestate*) Antitheton, *regnum. potestas* detinet captivos; *regnum* fovet cives lubentes. conf. Eph. 2, 2. 5, 5. 6, 12. — σκότους) *tenebrarum* coecitatis, odii, miseriae. — τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, *filii amoris sui*) Joh. 17, 26. Eph. 1, 6. Hoc tractatur versu 15. et seqq.

v. 14. ἐν ᾧ, *in quo*) *Filio.* Eph. 1, 7. — τὴν ἀπολύτρωσιν, *redemtionem*) Hoc tractatur v. 18. med. et seqq.

v. 15. ὅς ἐστιν, *qui est*) Describit gloriam Christi et eminentiam, etiam super angelos summos: atque ea semina spargit, ex quibus deinceps redarguet angelorum cultores. [*ad ipsum Christum, tanquam Salvatorem suum, eundemque Omnium caput, adplicare se docet fideles.* V. g.] Hanc cognitionem de Christo ii demum plenam assequuntur, qui mysterium redemtionis experti sunt. — εἰκὼν τοῦ θεοῦ, *imago Dei*) 2 Cor. 4, 4. not. — τοῦ ἀοράτου, *invisibilis*) Gloriosissimum Dei epitheton. 1 Tim. 1, 17. Deum invisibilem solus Filius unigenitus repraesentat, qui ipse *imago invisibilis* est secundum naturam divinam: *visibilis*, secundum humanam [Joh. 14, 9.] *visibilis* etiam ante incarnationem, quatenus a creatione, quae per illum facta est, *invisibilia Dei* coepta sunt *cerni.* Huc ref. v. 16., *visibilia et invisibilia.* — πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *primogenitus omnis creaturae*) Est genitus; et genitus ante creationem rerum omnium. τὸ πρὸ, quod continetur in πρωτότοκος, regit genitivum, κτίσεως. Tempus est accidens *creaturae:* ergo ortus Filii Dei praecedit omne tempus.

v. 16. ὅτι, *quia*) Declaratur versûs 15. pars altera. — ἐν, *in*) ἐν *in* de-

notat prius quiddam, quam mox διὰ, et εἰς. Notatur initium, progressus, finis. Summa repetitur versu seq. — αὐτῷ, *ipso*) *Ipse*, hic saepe positum, magnam significat majestatem, et omnem excludit creaturam. — ἐκτίσθη, *creata sunt*) De creatione illa agi, quae Gen. 1. describitur, patet ex enumeratione mox subsequente. conf. v. 23. — τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *ea quae in coelis*) et coeli ipsi. Nominantur autem potius ea, quae sunt in coelis: quia incolae sunt nobiliores, quam domus. — τὰ ὁρατὰ, *visibilia*) Sequitur, per gradationem, *et invisibilia*, quorum species subjunguntur. [*Quum* visibilia, *qualia sunt sol, luna, stellae, prius nominentur*, invisibilia *deinceps: consideratu haud indignum fuerit, annon* visibilia *sextidui tempore*, invisibilia *die septimo creata sint? Gen.* 2, 1. 2. *Exod.* 31, 17. V. g.] — εἴτε θρόνοι εἴτε κυριότητες, *sive throni sive dominationes*) illi his majores. Abstractum pro concreto. — εἴτε ἀρχαὶ εἴτε ἐξουσίαι, *sive imperia sive potestates*) illa his validiora. Utraque dicunt functionem respectu creaturarum: sed *throni et dominationes* appellationem videntur habere magis in illo respectu ad Deum, quatenus sunt ὀχήματα, *vehicula*, majestatis ejus. Eph. 1, 21.

[1]) v. 17. ἔστι, *est*) Non dicit, *factus est*; neque *erat*, quorum hoc tamen augusto sensu dici poterat, coll. Joh. 1, 1., sed *est*, in praesenti. conf. Joh. 8, 58. — πρὸ πάντων) *ante omnia*, etiam ante tempus: i. e. ab aeterno. — καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε) *et omnia in illo convenerunt* in unum *systema*: rerum universitas in illo complementum nacta est. LXX, τὰ συστήματα τῶν ὑδάτων. Gen. 1, 10. Ipse est *primus et norissimus*. Ap. 22, 13. [*Jes.* 41, 4., *in fonte:* Ego Dominus, primus: et cum ultimis Ego sum. V. g.]

v. 18. καὶ, *et*) Nunc a toto descendit ad partem praecipuam, ecclesiam. conf. Eph. 1, 22. not. — ὅς ἐστι, *qui est*) Anaphora, coll. v. 15. ostendit, hic initium esse novae periochae: et utrique membro additur suum ὅτι, *quia*. — ἀρχὴ, *principium*) Hoc verbum respondet Hebraeo ראש praesertim de Christo, Hos. 2, 2., et ראשית speciatim de primogenito quopiam, Deut. 21, 17., sed maxime de Christo, Prov. 8, 22. ἀπαρχὴ, *primitiae*, dicitur 1 Cor. 15, 23., vocabulo magis restricto ad resurrectionem mortuorum: ἀρχὴ, *principium*, expressius notat *eminentiam*. conf. c. 2, 10. Ps. 89, 28. ἀρχὴ singulare opponitur plurali ἀρχαὶ, *imperia*. v. 16. — πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, *primogenitus ex mortuis*) Christus etiam ante resurrectionem ex mortuis, imo ante creationem mundi, erat primogenitus, v. 15., sed *primogenitus ex mortuis* dicitur, quatenus ideo, quia filius Dei erat, non potuit non resuscitari, et qualenus ex resurrectione agnoscitur Filius Dei esse. conf. Act. 13, 33. not. praesertim quum ex resurrectione illius fluat vita fratrum multorum. — πᾶσιν, *omnibus*) Neutrum. v. 17. — αὐτὸς) *Ipse*, per se, sine locumtenentibus, sine vicario. — πρωτεύων, *primas tenens*) v. gr. in resurrectione, ascensione. etc. Joh. 3, 13. *Primarius*, interpretatur Victorinus.

v. 19. [2]) εὐδόκησε, *beneplacitum habuit*) *Deus*. Hoc subaudiendum ex mente Pauli, qui beneficium Christi commemorans, nunquam dimittit memoriam Patris. De Patris beneplacito in Filio confer Matth. 3, 17. εὐδοκῶ, sequente accusativo et infinitivo, 2 Macc. 14, 35. Porro ab εὐδόκησε, *beneplacitum habuit*, pendet *reconciliare* et *pacificans*. — πᾶν τὸ πλήρωμα, *omnem plenitudinem*) c. 2, 9. 10. 2. 4, 12. 17. 1, 9. 25. Eph. 1, 23. not. Quis exhauriat profundum hoc? — κατοικῆσαι, *habitare*) constanter, tanquam in templo, in quo nobis praesto est. Haec inhabitatio est fundamentum reconciliationis.

---

1) εἰς αὐτὸν, *in Illum*] Omnia ad Ipsum referuntur. Nil quidquam sine Ipso factum est. Joh. 1, 3. *V. g.*

2) ἐν αὐτῷ, *in Ipso*] Filio nimirum. Diligenter et hoc et seq. capite discernenda sunt verba, vel *Patrem* spectantia vel *Filium*. *V. g.*

Digitized by Google

v. 20. ἀποκαταλλάξαι, *reconciliare*) Eph. 2, 16. — τὰ πάντα, *omnia*) Eph. 1, 10. — εἰς αὐτὸν, *in ipsum*) *in Deum.* v. 22. fin. 2 Cor. 5, 19. — εἰρηνοποιήσας, *pacificans*) Eph. 2, 14. 17. Nominativus pendet a *beneplacitum habuit.* — διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ) *per sanguinem in cruce* effusum et mortem adeo crucis: vel est appositio cum metonymia, *per sanguinem, crucem ipsius.* Crucifixionis effectus (quamvis non solius crucifixionis) est effusio sanguinis. — δι' αὐτοῦ, *per ipsum*) Hoc, iteratum, et ad emphasin facit, et ostendit, *omnia* statim declarari per illud, *sive quae etc.* Hoc *omnia* continet etiam defunctos. — ἐπὶ τῆς γῆς, *in terra*) *In terra* initium fuerat inimicitiarum; ideo terra priore loco ponitur. — τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *quae in coelis*) Luc. 19, 38. Certum est, angelos, Dei amicos, fuisse inimicos hominum Deo infensorum.

v. 21. καὶ ὑμᾶς, *et vos*) Eph. 2, 1. 12. — ἀπηλλοτριωμένους καὶ ἐχθροὺς, *abalienatos et hostes*) *Abalienatio* actualis efficit *hostes* habituales. — τῇ διανοίᾳ) prima intimaque *ri mentis*, ceteras facultates post se trahente. — νυνὶ) *nunc,* quum fidem suscepistis, qua ad *conciliationem* in cruce factam aggregati estis. i. e. eratis pridem *abalienati,* nunc autem *reconciliavit.* quanquam *hostes* eratis, *tamen* reconciliavit. Apodosis refertur ad proxime praecedentia, licet non faciant sententiam completam. — ἀποκατήλλαξεν, *reconciliavit*) *Deus.*

v. 22. ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, *in corpore carnis ejus*) Tota hac appellatione distinguitur ab ecclesia, quae *corpus Christi* dicitur: simulque *corpus* notat veram ac totam humanitatem Christi: Rom. 7, 4. *Caro,* innuit capacitatem patiendi et passionem ipsam. Eph. 2, 15. — παραστῆσαι, *ut sisteret*) Eph. 5, 27. — ἁγίους, *sanctos*) erga Deum. — ἀμώμους, *sine macula*) respectu vestri. — ἀνεγκλήτους, *sine querela*) respectu proximi.

v. 23. εἴ γε, *si quidem*) Pendet hoc a verbo finito *reconciliavit,* v. 21., potius, quam ab infinitivo, παραστῆσαι· hocque παραστῆσαι, finale, ipsum est fructus laetissimus *reconciliationis.* unde a perseverantia Colossensium non suspenditur veritas factae reconciliationis, sed fructus in posterum laetissimus, qui non consequitur, nisi Colossenses perseveraverint. conf. εἴ γε, Eph. 4, 21. ἐάνπερ, Hebr. 3, 6. — τῇ πίστει) *fide,* fiducia; cui *spes* jungi solet. — τεθεμελιωμένοι) *affixi fundamento.* ἑδραῖοι, *stabiles,* firmi intus. Illud metaphoricum est, hoc magis proprium: illud importat majorem respectum ad *fundamentum,* quo sustentantur fideles: sed ἑδραῖοι, *stabiles* dicit internum robur, quod fideles ipsi habent: quemadmodum aedificium primo quidem fundamento recte solideque inniti, deinde vero sua etiam mole probe cohaerere et firmiter consistere debet. — καὶ ἑδραῖοι καὶ, *et stabiles et*) 1 Cor. 15, 58. not. Eph. 3, 18. — τοῦ εὐαγγελίου, *evangelii*) quo nunciatur reconciliatio. — πάσῃ, *omni*) v. 20. Marc. 16, 15. not. — διάκονος, *minister*) v. 25. Eph. 3, 7.

v. 24. νῦν, *nunc*) Antitheton, *a quo die.* v. 9. — καὶ, *et*) Resolve, *in passionibus meis, in quibus vicissim adimpleo.* Ponitur *et,* uti *sed,* Eph. 5, 27. — ἀνταναπληρῶ, *vicissim adimpleo*) Fixa est mensura passionum, quas tota exantlare debet ecclesia. quo plus igitur Paulus exhausit, eo minus et ipsi posthac et ceteris relinquitur. hoc facit communio sanctorum. [*Mensura passionum,* Paulo *destinata, dum adimpleta fuit;* gentes *ad plenam evangelii communionem pertigerunt.* V. g.] Inde pontificii merita statuunt pro aliis: ut in illorum systemate permulti errores ex subtili veritate indiscrete accepta nati sunt. — ὑπὲρ, *pro*) Eph. 3, 1. not.

v. 25. τὴν οἰκονομίαν τοῦ θεοῦ, *oeconomiam Dei*) Inde Paulus, *oeconomus gratiae Dei.* Eph. 3, 2. — εἰς ὑμᾶς, *in vos*) gentiles. v. 27. — πληρῶσαι) *implere,* ad omnes perducere. Paulus ubique ad summa tendit. conf. Rom. 15, 19., πεπληρωκέναι. Id requirebat *plenitudo* Christi et temporum.

v. 26. τὸ μυστήριον, *mysterium*) ἓν διὰ δυοῖν. τὸν λόγον, τὸ μυστήριον.

ed by Google

i. e. *sermonem de mysterio.* Mysterium declaratur v. seq. Eph. 1, 9. 3, 9. *Gloria* est objectum *mysterii.* — ἀποκεκρυμμένον, *occultatum*) Sic, *occulti.* c. 2, 3. — ἀπὸ τῶν αἰώνων, *a seculis*) in quibus silentium fuerat majus. — ἀπὸ τῶν γενεῶν, *a generationibus*) in quibus sensim facta revelatio aliarum rerum. Aeones referuntur ad angelos; generationes, ad homines. — ἐφανερώθη, *manifestatum est*) Iterum verbum post participium. — τοῖς ἁγίοις, *sanctis*) Eph. 3, 8. not.

v. 27. οἷς) quippe *quibus.* Declaratio. — ἠθέλησεν, *voluit*) liberrime. — ὁ πλοῦτος, *divitiae*) super omnes homines. Eph. 1, 7. not. — ὅς, *qui*) pro ὅ, *quod.* — χριστὸς ἐν ὑμῖν, *Christus in vobis*) Parallela, *in gentibus*, et *in vobis. Christus in gentibus*, summum illis temporibus paradoxon. conf. *in*, Eph. 3, 8. [17.] 1 Tim. 3, 16. [1]) — ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης, *spes gloriae*) Christus in nobis, per se laetissimum: sed multo laetius, respectu eorum, quae revelabuntur. cap. 3, 4. Eph. 1, 18. Sic Rom. 5, 2.

v. 28. ἡμεῖς, *nos*) v. 1. — πάντα ἄνθρωπον, *omnem hominem*) Hoc toties positum maximam habet δεινότητα ac vim, et causam continet, cur etiam ad ignotos scribat. c. 2, 1. Conferatur distributio *omnium*, c. 3, 11. — καὶ διδάσκοντες, *et docentes*) νουθετοῦνται, *admonentur*, qui jam docti sunt, ut Colossenses; διδάσκονται, *docentur*, rudes. — τέλειον) Eph. 4, 13. *perfectum*, sine elementis mundi.

v. 29. ἀγωνιζόμενος, *certans*) Huc respicit c. 2, 1., *certamen.* conf. c. 4, 12. — κατὰ, *secundum*) Paulus per se non valeret, pro eo ac Christus in eo operatur, pollet. — αὐτοῦ, *ejus*) *Christi.*

CAPUT II.

v. 1. Θέλω γὰρ, *volo enim*) Declarat, cur verbo *certans* usus sit c. 1, 29. nam sequitur mox, *certamen.* — ἀγῶνα, *certamen*) solicitudinis, studii, precum, quibus sarcio ea, quae praestare non possum, absens. — καὶ ὅσοι, *et quicunque*) Sub his comprehendi possunt, qui erant Hierapoli, c. 4, 13. Paulus se omnium gentium debitorem statuit. — οὐχ ἑωράκασι, *non viderunt*) Hac de causa Paulus *familiaribus* titulis, *fratres, dilecti,* in tota hac, eaque sola, epistola non utitur. [*Porro, ad eas ecclesias, quas coram Paulus instituerat, de rebus particularibus, postliminio inculcandis, scribit: multa supponit, et elencho identidem utitur paternam potestatem redolente. Ad ea vero loca, quae praesens non viderat, tales literas dedit, quae sermonibus ad auditores non domesticos habendis* (Gastpredigten) *comparari queant; universae doctrinae salutaris compendium suggerens. Utroque disserendi genere fac juveris.* V. g.] — τὸ πρόσωπόν μου, *faciem meam*) Vel aspectus Pauli habebat vim *paracleticam.* v. 2. Act. 20, 38.

v. 2. συμβιβασθέντων) Participium categorice affirmans: *sunt conjuncti* (inquit Paulus,) amore. coll. v. 5.: accedere debent reliqua. Si placeat legere [2]) συμβιβασθέντες, resolves, ἵνα παρακληθῶσι ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμβιβασθέντες. conf. 1 Cor. 6, 16. not. — ἐν ἀγάπῃ) *in amore* Dei et fidelium mutuo. — καὶ) *etiam.* — εἰς, εἰς, *in, in*) Anaphora, cujus partem priorem declarat altera duobus commatibus. — τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ χριστοῦ, *Dei Patrisque et Christi*) Articulus accurate positus. De Deo et de Christo proponit hic, et tractat versu 8. s. 12. s. nam in Christo est *omnis plenitudo deitatis.* v. 9.

---

1) *Eundem igitur vocis ἐν significatum* (*non* meris emphasibus *intentus*) *b.* Bengelius *etiam h. l. agnovit, quem cel.* Ernesti *in* Attone *comprobat, Bibl. th.* T. X. p. 130. *Sed maturiorem istam communionem cum Christo, quae omnem certe* rationem *humanam superat, laetum praedicationis inter gentes* Consequens *esse, allegatione loci* Eph. 3, 17., *in margine* Vers. germ. *innuere non dubitavit.* E. B.

2) *Sic nimirum legere potius malet* Bengo Ed. 2., *quam* Ed. maj. E. B.

Digitized by Google

v. 3. ἐν ᾧ) *in quo* scil. mysterio Dei Patrisque et Christi. Hoc qui tenet, nil ultra requirere debet, ad *sapientiam* et reliqua bona. De Christo ipso, agitur versu 9. — εἰσὶ, *sunt*) Construe: *omnes arcani thesauri sunt in mysterio illo.* ἀπόκρυφοι, sine articulo. — πάντες, *omnes*) Resp. *omnes.* v. 2. — οἱ θησαυροὶ, *thesauri*) Hinc πλοῦτος *divitiae.* ibid. — τῆς σοφίας, *sapientiae*) Hinc σύνεσις *intellectus.* ibid. — τῆς γνώσεως, *cognitionis*) Hinc ἐπίγνωσις *cognitio.* ibid. conf. 1 Cor. 13, 12. not. — ἀπόκρυφοι, *occulti*) Est enim *mysterium.* ibid. Conf. 1 Cor. 2, 7. s.

v. 4. μή τις, *ne quis*) Sic. v. 8. 16. 18. — παραλογίζηται ἐν πιθανολογίᾳ, *decipiat in plausibili sermone*) Conf. Rom. 16, 19. cum anteced. *plausibilis sermo* est, qui v. gr. *humilitatem* prae se fert. v. 18. 23. Erant, qui Judaismum et philosophiam orientalem commiscerent. vid. Budd. eccl. apost. p. 466. s.

v. 5. χαίρων καὶ βλέπων, *gaudens et cernens*) i. e. cum gaudio cernens. — τάξιν, *ordinem*) ne quid sit *luxatum.* Hebr. 12, 13. *Ordo* debet esse in singulis et conjunctis. Conjunctos spectat Paulus, ut sint συμβιβασθέντες, v. 2. — στερέωμα, *firmamentum*) ut *ordinem* non facile amittat. *Fides firma* non patitur quicquam ex *ordine* suo moveri. Haec *firmitudo* requiritur in singulis, uti *plerophoria* v. 2. *Ordo* intelligitur *amoris. Fides* est *firmamentum,* quum ipsa firma est.

v. 6. τὸν κύριον, *Dominum*) Articulus ostendit, eos Christum *ut* Dominum accepisse. — ἐν αὐτῷ περιπατεῖτε, *in Eo ambulate*) in illo solo. Hic epistolae scopus est. Summam damus hanc:

I. Inscriptio.	c. I. v. 1. 2.
II. Doctrina, qua mysterium Christi pathetice exponit apostolus, per gratiarum actionem pro Coloss. v. 3. seq.	
et preces pro iisdem,	9. s. 12. s. 15. s. 21. s.
cum sui in illos studii declaratione.	24. s. II. 1. s.
III. Adhortatio,	
1) generalis: qua eos excitat ad perseverantiam in Christo,	6. s.
et monet, ne decipiantur.	8.
Hic iterum describit mysterium Christi, ordinatim,	9. s.
et eodem ordine monita deducit	
ex Christo, capite:	16.
ejusque morte,	20. ss.
et exaltatione.	III. 1—4.
2) specialis:	
1. ut vitentur vitia,	5—9.
et colantur virtutes,	10. s.
praesertim amor,	12. s.
et studium verbi Christi.	16. s.
2. ut officium faciant	
1. mulieres et viri,	18. 19.
2. liberi et patres.	20. 21.
3. servi et domini.	22. s. IV. 1.
3) finalis, ad preces:	2. s.
ad prudentiam.	5. s.
IV. Conclusio.	7. s. 10. s. 15. s. 18.

v. 7. ἐῤῥιζωμένοι, *radicati*) Eph. 3, 18. Praeteritum, pro initio. — ἐποικοδομούμενοι) Praesens, etiam in progressu. Act. 20, 32. — ἐν αὐτῷ, *in illo*) in Jesu Christo, ut Domino. Parallelum mox, *in fide.* — ἐν εὐχαριστίᾳ, *in gratiarum actione*) Haec licitum et laetum facit ostenditque usum rerum, quas alii interdictis onerant. v. 21. Conf. 1 Cor. 10, 30. 1 Tim. 4, 3. 4.

v. 8. μή τις ἔσται) Sic, ἵνα ἔσται. Ap. 22, 14. — συλαγωγῶν) qui non solum de vobis, sed vos ipsos *spolium faciat.* Et huic verbo et τῷ *inanem* opponitur *plenitudo, divitiae, thesauri.* — διὰ, *per*) Hoc dicit instrumentum. — φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, *philosophiam et inanem fraudem*) ἓν διὰ δυοῖν, uti

Digitized by Google

v. 18. Philosophia in se est *medium* quiddam: sed tamen facilior abusus ad *fraudem,* in ea praesertim philosophia Judaica, quam tum jactabant, et puritati fidei attemperare conabantur. neque enim *per philosophiam* Paulus nos ad Christum adduci ait. Quod adversarii jactabant esse philosophiam et sapientiam, v. 23., id Paulus *inanem fraudem* esse dicit. — κατὰ, *secundum*) Hoc determinate indicat, quae philosophia notetur: et generalem appellationem restringit ad philosophiam judaicam. Ea innuitur in tractatione, v. 11. 16. 20.: quare propositio versu 8. non debet latius extendi, ad philosophiam gentilem: quanquam a gentilibus philosophiam sumserant Judaei; et a paritate rationum id valet in philosophiam omnem. — τῶν ἀνθρώπων, *hominum*) Antitheton, *deitatis.* — τὰ στοιχεῖα, *elementa*) Antitheton, *corporaliter.* v. 9. 17. Conf. *elementa,* Gal. 4, 3. not. — καὶ οὐ κατὰ χριστὸν, *et non secundum Christum*) Unice ergo *secundum Christum* debemus admittere doctrinam.

v. 9. ὅτι) *quoniam.* Ratio, cur ii soli audiendi, qui secundum Christum docent. — ἐν αὐτῷ, *in ipso*) Joh. 14, 10. — κατοικεῖ, *habitat*) c. 1, 19. not. — πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, *cuncta plenitudo Deitatis*) Fideles implentur *in omnem plenitudinem Dei,* Eph. 3, 19. in Christo vero habitat *cuncta plenitudo deitatis,* Deitas plenissima: non modo divinae virtutes, sed ipsa *divina natura.* c. 1, 19. Vocabulum abstractum significantissimum. — σωματικῶς, *corporaliter*) *Deus* est *caput* Christi, 1 Cor. 11, 3. et Christus est caput omnium, v. 10. atque ad Deum Christus se habet, ut ad Christum *corpus* ejus, ecclesia: sed non commode diceretur Christus corpus Dei. Ideo variatur oratio. Ipsa deitas, ipsa quasi solida substantia Deitatis in Christo habitat, praesentissimo modo, et verissimo. Typus erat inhabitatio gloriae Dei in templo Salomonis. σῶμα non semper notat proprie *corpus.* v. 11. 17.

v. 10. καὶ) *et* ideo. — ἐστὲ) *estis.* — πεπληρωμένοι, *repleti*) Joh. 1, 16. *Plenitudo* Christi redundat in ecclesiam. Ps. 133, 2. Ergo *plenitudo* ipsius infinite abundantior. Ipse, *plenus:* nos, *repleti,* sapientia et virtute. — ἡ κεφαλὴ πάσης, *caput omnis*) Eph. 1, 10. — πάσης ἀρχῆς, *omnis imperii*) A Christo igitur, non ab *angelis* petere debetis.

v. 11. καὶ) *etiam.* Nunc enumerat Paulus processum eorum, qui *plenitudinis* Christi participes facti sunt. — περιετμήθητε, *circumcisi estis*) Ut circumcisio, sic baptismus ad initiandum pertinet. — περιτομῇ, *circumcisione*) cordis. — ἀχειροποιήτῳ, *non manu facta*) Epitheton valde conveniens Novo Testamento. conf. Eph. 2, 11. Hebr. 9, 11. 24. — ἀπεκδύσει) Verbum significantissimum. v. 15. — τοῦ σώματος, *corporis*) Hoc, tanquam totum, opponitur parti, praeputio. ἀπέκδυσις σώματος, *detractio corporis,* benigna definitio *mortis.* est diversa utique a baptismo; est circumcisio cordis; est *mors* spiritualis, bona; cum *baptismus* comparetur *sepulturae.* Sunt tamen *detractio* illa et *baptismus* conjuncta. [*Describitur hoc versu et seq. communio cum* morte et sepultura et resurrectione *Christi.* V. g.] — τῆς σαρκὸς, *carnis*) Appositio, *corpus peccatorum, caro.* — ἐν τῇ περιτομῇ τοῦ χριστοῦ) *circumcisione Christi,* novo testamento congrua: cui cedit illa Mosis, in carne.

v. 12. βαπτίσματι, *baptismate*) Ut mors est ante resurrectionem; sic baptismus natura praecedit, in hoc tertio comparationis, fidem adultam. — ἐν ᾧ, *in quo*) Anaphora, coll. v. 11. — διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ θεοῦ) Insignis locutio. *fides est* (opus) *operationis divinae:* et operatio divina est in fidelibus. Eph. 1, 19. 2, 8. 1 Thess. 2, 13.

v. 13. καὶ ὑμᾶς, *et vos*) Sermo v. 10—12. sub secunda persona fuit indefinitus: nunc proprie loquitur in secunda persona. Et quidem insigne est asyndeton, quo versus 13. 14. 15. nectuntur. — νεκροὺς ὄντας, *mortuos*) Eph. 2, 1. s. — τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς, *praeputio carnis*) Exquisita appellatio peccati ori-

gitized by Google

ginalis. — συνεζωοποίησε σὺν αὐτῷ) *vivificavit* vos Deus *cum Christo*. conf. Eph. 2, 4. s. Hinc pendent per asyndeton verba *sustulit* et *ostentavit*, cum participiis annexis, omnia ad Deum Patrem referenda. — χαρισάμενος) Aoristus determinatur per tempus verbi, cui additus est. Nunc amplector lectionem hanc, χαρισάμενος ὑμῖν —[1]), et hoc incisum connecto cum verbis antecedentibus. Sic versus 13. cum antecedentibus alloquitur gentes: versus 14. introducit Judaeos loquentes. — παραπτώματα, *delicta*) unde *mors* orta erat. Cum hac liberatione a peccato conjuncta est liberatio ab opprobrio peccati, v. 14., et liberatio a potestate tenebrarum, v. 15.

v. 14. ἐξαλείψας, *delens*) Verbum proprium de *scripto*. junge cum ἦρκεν, *sustulit*. — καθ' ἡμῶν, *contra nos*) Hic versus inducit Judaeos loquentes. [*Non solum* contra nos *fuit Lex postulatis suis*, *sed* inimica *etiam* nobis *accusatione sua*. V. g.] — χειρόγραφον, *chirographum*) Ubi debitum est contractum, sequitur plerumque, ut debitor chirographo suo fateatur, se teneri. debitum *condonatur*: et tum demum chirographon *deletur*. Peccata nostra erant debita: chirographon non erant peccata ipsa, sed, ex consequenti, non inficianda labes, memoria, clamor, (vid. plane Jer. 17, 1. 2.) non tam in conscientia nostra, quam coram Deo, Lege variis nos modis peragente. Hebr. 10, 3. 17. 1 Cor. 15, 56. *Contra* esse, et *inimicum esse*, differunt, sicut status belli, et ipsa pugna. Chirographon erat contra nos; sed delevit Deus. Chirographon inimicum erat nobis: sed e medio sustulit Deus. [Eph. 2, 15. sq.] — τοῖς δόγμασιν, *decretis*) *placitis*. Haec sunt decreta gratiae. In eo, quod contra nos erat, non in eo, quo sublevati sumus, *scriptionis* includitur mentio. *Litera occidit*. 2 Cor. 3, 6. Vid. Ven. D. Hauberi tract. ad h. l. — ὑπεναντίον) *inimicum*. ὑπὸ non dicit *clam*, in hoc composito: ut ex LXX patet. — καὶ αὐτὸ) *ipsum quoque*. — ἦρκεν ἐκ τοῦ μέσου) Sic, καταργήσας, Eph. 2, 15. — προσηλώσας, *affigens*) Alluditur ad *claros* crucis Christi. Chirographum perforatum, pro abolito censetur. resolve, *postquam affixerat cruci*. nam ἦρκεν *sustulit* pertinet ad fructum resurrectionis. Sic etiam v. 15., *postquam triumphum fecerat in illos*. Plenum exercitium potestatis in devictos jam est initium *triumphi*, ubi victi vinciuntur et ad spectaculum adaptantur. *Triumphus* victoriam praesupponit et subsequitur ex intervallo. Factum forsan in descensu Christi ad inferos.

v. 15. ἀπεκδυσάμενος, *exuens*) Matth. 12, 29. — τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, *imperia et potestates*) Qui angelos bonos colebant, iidem malos timebant: neutrum jure. conf. v. 10. — ἐδειγμάτισεν, *ostentavit*) Id factum in ascensione. Eph. 4, 8. — ἐν παῤῥησίᾳ, *aperte*) spectantibus et ipsis invicem, et bonis angelis, et deinde hominibus, et Deo ipso. Nuditas hostis devicti patuit, re ipsa, et in evangelio. — αὐτοὺς) *eos*: masculinum spectat ad angelos. — ἐν αὐτῷ, *in eo*) in Christo. sic explicat *Hilarius* diaconus. Hoc pertinet ad totam periocham [*de* DEO, *inde a* v. 12. *agentem*. V. g.] quae hic concluditur. [*Plane, ut Eph.* 1, 20. 2, 5. V. g.]

v. 16. οὖν, *igitur*) Ex v. 8— 15. deducitur *igitur*. v. 16. (coll. not. 1. ad v. 20.) cap. 3, 1. 5. 12. — κρινέτω, *judicet*) Metonymia antecedentis: i. e. neminem, qui vos judicare conatur, audiatis, sic v. 18. — ἐν βρώσει, *in esu*) Ταπείνωσις. — ἐν μέρει ἑορτῆς, *in parte festi*) Videtur τὸ *in parte* hic habere vim sejungendi. Alius poterat ex capite cibi et potus (v. 21.) alius rursum ex *capite* festorum turbare fideles. *festum*, annuum: *novilunium*, in mense: *sabbata*, in hebdomade. conf. Gal. 4, 10. not. — ἢ σαββάτων, *aut sabbatorum*) Pluralis pro singulari, Matth. 12, 1., sed hic significanter positus: nam *sabbata* dicuntur dies

---

1) *Nam lectio* ὑμῖν, *in* Ed. maj. *minus firmis annumerata*, *per marginem* Ed. 2. *suffragante* Vers. germ., *ad firmiores refertur*. E. B.

Digitized by Google

singuli hebdomados. Matth. 28, 1. itaque Paulus omne discrimen dierum hîc sublatum innuit: neque enim unquam apertius de sabbato scripsit. Non obscure Christus, postquam ipse, sabbati Dominus, venerat, vel ante passionem docuit libertatem sabbati: apertius vero, post resurrectionem, per Paulum eam asseruit. Neque tamen expresse definitum est, quid sabbato, quid diei Dominico tribuendum: sed hoc cujusque *mensurae fidei* relictum. Sabbatum non laudatur, non imperatur: Dominica memoratur, non praecipitur. Qui profundius in mundi negotiis haerent, his utilis et necessarius est dies definitus: qui semper sabbatizant, majori libertate gaudent. Sabbatum est typus rerum etiam aeternarum, Hebr. 4, 3. s. nec tamen ideo in N. T. durat. alias etiam *noritunia* forent retinenda. Es. 66, 23.

v. 17. σκιὰ, *umbra*) Hebr. 8, 5. 10, 1. *Umbra*, vitae expers. — σῶμα, *corpus*) ipsa veritas, per veteres ritus adumbrata. *corpus*, perinde ut *umbra*, cui opponitur, praedicatum est. quare sic resolvas: *esus, potus etc.* sunt *umbra futurorum;* sed *corpus Christi* est *corpus*, sive, *corpus* est *Christi.* Ad ipsum corpus Christi alluditur, sed intelligitur res Christiana: τὸ τοῦ χριστοῦ est σῶμα. Si etiam in Subjecto supponas *corpus*, erit Ploce.

v. 18. μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, *nemo vos pro arbitrio tractet*) Verbum affine τῷ *judicare* et *dogmatizare.* v. 16. 20. nam βραβεύω, *moderor*: c. 3, 15. not. a quo καταβραβεύω differt, ut a χράομαι differt καταχράομαι, et ὑμᾶς accusativum regit verbum ipsum, quod cum κατὰ componitur, nam κατὰ praepositio genitivum postularet. Hesychius: καταβράβεται (leg. καταβραβεύεται) κατακρίνεται, καταγωνίζεται. Hoc ergo dicit Paulus: ne quis brabeutae potestatem usurpans atque adeo potestate abutens, vos currentes moderetur, perperamque praescribat, quid sequi, quid fugere debeatis, brabeum accepturi. Gallus quidam interpres usus est verbo *maîtriser.* scite: neque enim sermo est de aemulo palmam stadii praeripiente, sed de brabeuta sinistro, perverso, insolente. Ab hoc verbo pendent quatuor participia, per totidem sententias, quarum prima et tertia, secunda et quarta inter se respiciunt. cujus χιασμοῦ observati multiplex statim patebit utilitas. — θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ) Saepe יחפ sequente ב exprimitur verbo θέλω, ἐθέλω, εὐδοκῶ, βούλομαι ἐν τινί. v. gr. 1 Sam. 18, 22. 25. Conf. compositum, ἐθελοθρησκεία. v. 23. θέλων, *qui cum prolubio facit.* conf. Marc. 12, 38. not. — ταπεινοφροσύνη καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, *humilitate sensus et cultu angelorum*) ἓν διὰ δυοῖν. Humilitatis modestiaeque praetextu angelos colunt, quasi non ausi Deum et Christum immediate et recta compellare. *Adeo alte*, inquit Alexander Morus, *radices egerat hic error, ut ne post terna quidem secula potuerit avelli. contra eum enim conditus est Canon* 35. *Concilii Laodiceae, quae metropolis Phrygiae, ubi et* Colossi. *Damnat ille Canon* Angelicos, *ita enim dicebantur.* Angelici, *inquit Augustinus Haeres.* 39., *in angelorum cultu inclinati.* Hoc nervo invocatio sanctorum et quamlibet speciosa cum spiritibus commercia perimuntur. — ἃ μὴ ἑώρακεν, ἐμβατεύων) *Eadem ratione dixit, qua Graecorum Tragici dicerent,* Κεῖν' ἐμβατεύων, ὅσσα μὴ βλέπειν θέμις. Heinsius. ἑώρακεν, *vidit*, ab oculis, et ἐμβατεύων, a pedibus, per metaphoram de animo dicitur. oculos non debet pes antevertere. ἐμβατεύω, *ingredior*, immeo, pervado. de irruptione hostili adhibetur 1 Macc. 12, 25. transfertur ad intellectum, notatque *scrutor, tracto.* Chrysost. de sacerd. *Nam qui discendi causa interrogaret* Christus ὁ τὰς ἁπάντων ἐμβατεύων καρδίας; quem ad locum plura notavimus, T. I. p. 376. Est porro compositum κενεμβατεῖν, de *inani studio rerum abstrusarum*, de quo in thesauro Suicerus: Platonicumque hoc verbum fuisse, Damascii exemplis probat idem Al. Morus. Atque ipsi Paulo in mente fuisse Platonicum verbum, eos refutanti, qui Platonice de Angelis opinabantur, vix est dubium. conf. κενῆς, v. 8. Sed tamen, cum dicere posset, ἃ μὴ ἑώρα κενεμβατεύων, tamen non ita dicit: (etenim ea, in

quae *catabrabeuta* se infert, non sunt in se plane κενὰ, sed tantum isti *non visa*:) quiddam vero etiam gravius ponit. quippe τὸ ἐμβατεύειν fastum catabrabeutae magis exprimit. Ex adverso respondet τὸ κρατεῖν, *tenere caput*, quod non fit *frustra*, sed facit ad *augmentum*. — φυσιούμενος, *inflatus*) Antitheton, *humilitate sensus*: et tamen haec duo conjuncta sunt.

v. 19. οὐ κρατῶν, *non tenens*) Qui non unice Christum tenet, plane non tenet. — τὴν κεφαλὴν, *caput*) Hic habet fides, ubi figatur. Oppositum, ἃ μὴ ἑώρακεν, ἐμβατεύων, qui *transvolat in medio posita et fugientia captat*. — ἐξ οὗ, *ex quo*) *ex tenendo caput*: vel, *ex quo*, scil. *Christo*, capite. — διὰ τῶν ἁφῶν) *per nexus, fidei*. Eph. 4, 16. Huc spectat ἐπιχορηγούμενον. — καὶ συνδέσμων) *et junctiras*, amoris et pacis. Eph. 4, 3. Huc spectat συμβιβαζόμενον. coll. v. 2. — ἐπιχορηγούμενον) ἐπιχορηγίαν accipiens. Sic 3 Macc. 6, 38., πάνθ' ὑπὸ τοῦ βασιλέως χορηγούμενοι.

v. 20. εἰ, *si*) Continuatur illatio versu 16. coepta: et c. 3, 1. nova illatio sequitur. — ἀπεθάνετε ἀπὸ, *mortui estis ab*) Concise: id est, *mortui* et sic liberati *ab* elementis etc. — ἀπὸ τῶν στοιχείων, *ab elementis*) v. 8. — δογματίζεσθε) Medium: *dogmata*, placita, *suscipitis*.

v. 21. μὴ, *ne*) Sic dictitabant dogmatistae. — ἅψῃ, *tetigeris*) Genus. species, *gustare* lingua et *attingere* manu.

v. 22. ἅ ἐστι, *quae sunt*) Ea scil. quae *tanguntur, gustantur* etc. — εἰς φθορὰν, *in corruptionem*) neque adeo inquinant. 1 Cor. 6, 13. med. Matth. 15, 17. — τῇ ἀποχρήσει) *abusu*, non stricte dicto, sed quatenus *usum* denotat naturalem, civilem, externum, vere adiaphorum, a timore et rigore superstitioso remotum. — κατὰ, *secundum*) *pro eo ac solent* praecepta humana. — τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας, *praecepta et doctrinas*) Matth. 15, 9. not.

v. 23. ἅτινα, *quae*) Anaphora, coll. ἃ, *quae*, v. 22. — ἐστι, *sunt*) Constr. *sunt ad expletionem*: ut v. 22., *sunt in corruptionem*. itaque ἔχοντα resolve, *cum habeant*, ut sit incisum. ἐστι *sunt* et πρὸς *ad* disjuncto, apposite suspensa fit oratio. — λόγον) *nomen* et speciem. — μὲν, *quidem*) Vis particulae, δὲ *sed*, apodosin facientis, latet in verbo finito ἐστι *sunt*. — ἐθελοθρησκείᾳ, *cultu voluntario*) ἐθελοθρησκεία perinde ut *humilitas sensus* speciem habet plausibilem. Hoc enim vocabulum, ut optime docet E. Schmidius, notat cultum (sive rectum sive perversum,) libenter et promta voluntate praestitum. talis εὐπείθεια, *facilitas*, habet *speciem sapientiae*, conf. Jac. 3, 17. videtur enim abesse a pertinacia, sicut *humilitas sensûs* a superbia. — ταπεινοφροσύνῃ, *humilitate sensus*) v. 18. not. — καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, *et severa tractatione corporis*) quum corpori multa, quae poterant praeberi, subtrahuntur, v. 21., imo ipsum corpus atteritur. Hoc quoque speciem habet. nam sanctos decet, 1 Cor. 9, 27.: quanquam ἀφειδία odiosius quiddam sonat, quam l. c. τὸ ὑπωπιάζειν καὶ δουλαγωγεῖν. Haec tria speciosa involvunt triplicem respectum, Dei, angelorum, sui; adeoque conjunctim habent speciem perfectam. — οὐκ ἐν τιμῇ τινι, *non in pretio quodam*) Cohaeret hoc comma cum praecedente, et ἐν, *in*, hoc opponitur ἐν, *in*, praecedenti. LXX, ἄνευ τιμῆς, i. e. *gratis*. Es. 55, 1. Ps. 44, 13. Job. 31, 39. Homini per fidem generoso convenit justa sui non in se ipso, sed in uno Domino suo Jesu Christo, aestimatio, qua sese tanti redemtum, ad tanta contendentem, non indigne projiciat, v. gr. per ἐθελοθρησκείας speciem. Act. 13, 46. Rom. 2, 7. 1 Cor. 6, 15. 3, 21. 7, 23. 1 Thess. 4, 4. Haec aestimatio parit φιλοτιμίαν, *ambitionem* sanctam, 2 Cor. 5, 9.: temperatur autem abnegatione sui vera; rursumque violatur per praecepta humana, quae quia *nullum operae pretium* afferunt, (conf. Hebr. 13, 9.) inanem et cassam plane speciem sapientiae et omnis rei bonae habent. Conf. plane, *frustra*. v. 18. Congruit hic locus cum Phil. 3, 19. not. et uterque cum Hab. 2, 16. ΠΛΗΣΜΟΝΗΝ ΑΤΙΜΙΑΣ ἐκ δόξης κτλ. *satiasti te turpitudine*,

igitized by Google

loco gloriae: quare tu quoque bibito et praeputiatus conspicitor. Vera autem τιμὴ, *pretium*, eorum est, qui *gloriam Domini* vident. ib. v. 14. — πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς) πλησμονὴ, *expletio, satietas*, fere excessum denotat: σὰρξ, *caro*, non denotat corpus, sed ponitur ut versu 18. Hilarius diac. cujus commentarius in XIII. epistolas Pauli inter opera *Ambrosii* invenitur, ad h. l. *Sagina carnalis sensus, traditio humana est.* Aurea sententia. Traditio inflat: sensum coelestem impedit. Opposita sunt igitur, et tamen conjuncta: ἐθελοθρησκείᾳ κτλ. et πλησμονὴ τῆς σαρκός. Veram τιμὴν dimittunt, ut carnem explere possint. πρὸς denotat id, quod interest, sive finem, cujus gratia assumuntur cetera.

CAPUT III.

v. 1. Τὰ ἄνω ζητεῖτε, *superna quaerite*) Christus a resurrectione statim contendit ad coelum. Joh. 20, 17. not. Sic fideles, Eph. 2, 6.

v. 2. φρονεῖτε, *sapite*) Qui vere *superna quaerunt*, non possunt non *sapere superna. Sapite* dicit apostolus secundo loco, non *quaerite.* est enim antitheton ad *terrena*, quae *sapere, curare* dicimur, non commode *quaerere*, quia praesentia.

v. 3. ἀπεθάνετε, *mortui estis*) terrae et mundo, spiritualiter. cap. 2, 20. — ἡ ζωὴ ὑμῶν κέκρυπται, *vita vestra abscondita est*) Sermo concisus, hoc sensu: *mortui estis* mundo, ut Deo vivatis; ea autem *vita est abscondita* adhuc quidem. — κέκρυπται σὺν τῷ χριστῷ, *abscondita est cum Christo*) Neque Christum neque christianos novit mundus; ac ne christiani quidem plane se ipsos.

v. 4. ὅταν, *quum*) Sermo absolutus lectorem totum, quasi verborum praecedentium immemorem, repentina luce percellit: ut dubium sit, utrum *et* an *vero* subaudiri debeat. — φανερωθῇ, *manifestatus fuerit*) *in gloria.* 1 Petr. 4, 13. — ἡ ζωὴ ὑμῶν, *vita vestra*) Ratio sub qua manifestabitur. — τότε, *tunc*) Prius non debemus postulare. — καὶ ὑμεῖς, *etiam vos*) Haec spes abstrahit a terra. — ἐν δόξῃ, *in gloria*) vita gloriosa.

v. 5. νεκρώσατε) omni *morte multate.* [*parcere nescii.* V. g.] — τὰ μέλη, *membra*) ex quibus conjunctis constat corpus peccati. c. 2, 11. [*Omnis hic impuritas, citra exceptionem, arcetur.* V. g.] — ἐπὶ τῆς γῆς, *super terra*) ubi suum habent pabulum. Ea mox enumerantur. — πορνείαν κτλ. *scortationem etc.*) Eph. 5, 3. s. — πάθος, *passionem*) morbum libidinis, intrinsecus. — ἐπιθυμίαν, *concupiscentiam*) sensuum externorum. — τὴν πλεονεξίαν, *avaritiam*) Articulus facit ad epitasin, et totum genus vitii a genere enumeratarum modo specierum diversum complectitur. *Avaritia* maxime affigit ad terram.

v. 6. δι' ἃ, *propter quae*) Eph. 5, 6.

v. 7. ἐζῆτε) *vivebatis*, tanquam in vestro principio, origine, elemento. Conf. Gal. 5, 25., de vita spirituali.

v. 8. καὶ ὑμεῖς, *etiam vos*) Assonat ad τὸ *etiam vos*, v. 7. In v. 7. erat *etiam vos*, sicut alii filii infidelitatis. In v. 8. *etiam vos*, sicut alii fideles. — τὰ πάντα) *omnia* vetera, speciatim *iram* etc. Sic in antitheto, *super omnibus.* v. 14. — ὀργὴν, θυμὸν, *iram, saevitiam*) Eph. 4, 31. — κακίαν) *vitium* animi: v. gr. suspicionem, perversitatem, impatientiam. — βλασφημίαν, αἰσχρολογίαν, *blasphemiam, turpiloquium*) Huc spectat, *ex ore vestro.*

v. 9. μὴ ψεύδεσθε, *ne mentiamini*) Eph. 4, 25. — εἰς) *erga:* vel, *contra.* Hist. Susannae, v. 55. 59., ἐψεύσω εἰς τὴν σεαυτοῦ κεφαλήν. — ἀπεκδυσάμενοι, *exuentes*) Eph. 4, 22.

v. 10. τὸν νέον τὸν ἀνακαινούμενον, *novum renovatum*) ib. v. 24. not. — εἰς ἐπίγνωσιν, *in cognitionem*) veritatis (c. 1, 6. 9. 10.) qua necatur omnis amor mendacii. — κατ' εἰκόνα, *secundum imaginem*) Haec imago consistit in veritate

Digitized by Google

perfecta. — τοῦ κτίσαντος αὐτὸν, *ejus, qui condidit illum*) id est, Dei. Eph. 4, 24. conf. ibidem c. 2, 10. Creationis vocabulo innuitur regeneratio, ex qua resultat *imago*.

v. 11. ὅπου) *ubi*, i. e. *in quo*, sive, *qua in re*. — οὐκ ἔνι, *non inest*) neque Dei neque fidelium aestimatione inest Judaeus etc. — ἕλλην καὶ ἰουδαῖος, *Graecus et Judaeus*) Concretum pro abstracto, uti mox etiam *Christus*. nam abstracta sunt mox *circumcisio et praeputium*. — ἀκροβυστία, *praeputium*) Etiam Graecus poterat circumcidi. Ergo praeputii mentio expressiorem facit sermonem. — βάρβαρος, σκύθης, *Barbarus*, *Scytha*) Haec duo per asyndeton posita aeque συζυγίαν, *par*, faciunt, ac *servus*, *liber*. *Graeci*, ad occidentem: *Judaei*, ad orientem: *Barbari*, ad meridiem (etenim *Barbaros* proprie Numidas dici, Arabica voce, Scaliger docet:) Scythae ad Septentrionem, barbaris barbariores. qua mente Anacharsi, ut Galenus refert, a nescio quo exprobratum est, ὅτι βάρβαρος εἴη καὶ σκύθης, *barbarum esse eum*, et barbarum *Scytham*. Quaelibet gens, ut aliam sibi, sic se rursum ceteris quoque obtentu praefert. itaque inter Graecos et Scythas medius Barbarus palmam dabat Graeco, Scytha se meliorem ducebat. Hoc discrimen tollit fides. Fortasse Colossis erat unus alterque Scytha Christianus. — τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι χριστὸς, *omnia et in omnibus Christus*) Appositio χριστὸς (ὢν) τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι. Scytha non est Scytha, sed Christi: Barbarus non est Barbarus, sed Christi. Christus est *omnia*, idque *in omnibus*, qui credunt. In Christo est nova creatura. v. 10. Gal. 6, 15.

v. 12. ἐκλεκτοὶ, *electi*) Hoc instar substantivi: epitheta, *sancti et amati*. *Electos Dei* dicit, uti Rom. 8, 33. Ordo verborum exquisite respondet ordini rerum: *electio* aeterna praecedit *sanctificationem* in tempore: sanctificati, sentiunt *amorem*, et deinceps imitantur. — σπλάγχνα, *viscera*) Eph. 4, 32. — ταπεινοφροσύνην, *humilitatem sensus*) ib. v. 2. Hae virtutes exercentur tolerando et condonando.

v. 13. ἀνεχόμενοι, *tolerantes*) in offensis praesentibus. — χαριζόμενοι, *condonantes*) offensas praeteritas. Hinc pendet, *sic etiam vos*. — ὁ χριστὸς, *Christus*) cui maxima fuerat nobiscum quaerendi causa.

v. 14. ἐπὶ, *super*) Incrementum sumit sermo: omnibus potior amor. 1 Petr. 4, 8. — τὴν ἀγάπην, *amorem*) *induite*. — σύνδεσμος, *vinculum*) Amor complectitur virtutum universitatem. 2 Petr. 1, 7. — τελειότητος, *perfectionis*) ⊏ת τελειότης. Jud. 9, 16. Prov. 11, 3. Qui habet amorem, ei nil deest: non tenetur elementis mundi. Ex hoc fonte derivantur etiam officia particularia. v. 19. 21.

v. 15. καὶ) *atque* ita. Nexum colligas ex Eph. 4, 3. — ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ, *pax Dei*) Phil. 4, 7. — βραβευέτω) Insigne verbum. Hesychius, βραβευέτω, μεσιτευέτω, μηνυσάτω, ἰθυνέσθω. Sap. 10, 12.: *Sapientia Jacobo* ἀγῶνα ἰσχυρὸν ἐβράβευσεν. itaque βραβεύειν est *moderari* currentem, donec ad metam pervenit. Affine, *custodire* Phil. 4, 7. *Permittite vos paci divinae omnia gubernanti*. Imperativus, post imperativum, significationem futuri indicativi involvit. Oppositum, cum excessu, καταβραβεύειν, c. 2, 18. not. — ἐκλήθητε, *vocati estis*) Eph. 4, 4. — εὐχάριστοι, *grati*) pro illa vocatione. Haec est propositio eorum, quae sequuntur. Idem officium praecipitur Eph. 5, 4.

v. 16. ὁ λόγος, *sermo*) per quem vocati estis. — ἐνοικείτω, *inhabitet*) tanquam in templo, perpetuo. — ἐν ὑμῖν, *in vobis*) in interiori vestro. conf. *pleni*, Rom. 15, 14. — πλουσίως, *abundanter*) Sequitur distributio: *in omni sapientia — vos ipsos: in gratia — in* [1]) *corde vestro*. i. e. mutuo et seorsum. *in sapientia*, *in gratia:* recurrit c. 4, 5. 6. — ἐν πάσῃ σοφίᾳ διδάσκοντες, *in omni sapientia*

1) *Pluralem* ἐν ταῖς καρδίαις, *non probatum in marg.* Ed. maj., *praefert* Ed. 2., *et clare exprimit* Vers. germ. E. B.

manumit. Ne contrahendo, sub c. 1. **Ne. Nam contrahi Fabiam posse** Labeo ait, quia non sit ei interdictum, ne contrahat, sed ne sine tutoris auctoritate. Et ita Pomponius scribit. Sed et si tutor auctor fiat, non videtur contrahere

altero genuina est lectio. Statum *Colossensium* Tychicus, et per Tychicum, ut apparet, Paulus (unde pro γνῷ etiam γνῶ legi possit,) cogniturus erat, uti Thessalonicensium statum per Timotheum, Corinthiorum per Titum, Philippensium per Epaphroditum: et quidem Colossensium eo magis, quia Paulus magnum de his agonem habebat. Cognitio autem Colossensium de Paulo non solum in verbis praecedentibus, ut in epistola ad Ephesios, sed etiam in verbis subsequentibus, epistolae huic ad Colossenses propriis, satis notatur: πάντα ὑμῖν γνωριοῦσι τὰ ὧδε.

v. 10. συναιχμάλωτός μου, *consors vinculorum meorum*) Talis Aristarchus, non Epaphras; v. 12. at Epaphras, non Aristarchus, Philem. v. 23. s. Fortasse Epaphras, ut Romam venit, captus fuit, et mox liberatus. Aristarchum sic vocare potuit Paulus, quia antea captus fuerat. — ὁ ἀνεψιὸς βαρνάβα, *propinquus Barnabae*) Barnabas notior erat, quam Marcus. ideo hic ab illo denominatur. — περὶ οὗ, *de quo*) scilicet *Marco*. casum rectum spectat τὸ οὗ, non obliquum, *Barnabae*. — ἐλάβετε) *accepistis*. Haec *mandata* ad Colossenses pertulisse videntur Tychicus et Onesimus, cum hac epistola. *accepistis*, inquit, non, *accipietis*. nam veteres sermonem aptarunt tempori epistolae lectae; non tempori scriptae, ut nos. sic, *scripsi*, pro *scribo*. Philem. v. 19. — ἐντολὰς) *mandata*. opponuntur literis. — ἐὰν, *si*) Haec summa illorum *mandatorum*.

v. 11. οἱ ὄντες, *qui sunt*) sc. Aristarchus, Marcus, Jesus. — μόνοι) *soli*, ex circumcisione. — παρηγορία) Observanda verbi proprietas: quod παραμυθία est in moerore domestico, id παρηγορία est in forensi periculo.

v. 12. τέλειοι καὶ πεπληρωμένοι, *perfecti et impleti*) Hoc infertur ex tractatione superiore. — ἐν παντὶ, *in omni*) Constr. cum *stetis*.

v. 13. γὰρ, *enim*) Aetiologia proprie est in *habet*. Verbum *testor* modale est. — ζῆλον, *zelum*) ne seducamini. cap. 2, 4. conf. 2 Cor. 11, 2.

v. 14. ὁ ἰατρὸς, *medicus*) Sic appellatur, vel quia fecerat medicinam, vel, quia faciebat. Lucam, Timotheo satis notum, solo nomine appellat: 2 Tim. 4, 11. Colossensibus ignotum, *medicum* vocat. — δημᾶς, *Demas*) Hic solus sine elogio ponitur. Confer 2 Tim. 4, 10. nisi Demas epistolam, dictante Paulo, scripsit.

v. 15. νυμφᾶν, *Nymphan*) Laodicensem, ut ex hoc loco potest colligi. Congregationibus fidelium Colossensium Philemonis domus patebat. Philem. v. 2.

v. 16. ἀναγνωσθῇ, *lecta erit*) publice, *in ecclesia*. Conf. 1 Thess. 5, 27. Ap. 1, 3. Deut. 31, 11. — ἡ ἐπιστολὴ, *epistola*) haec ipsa. — ποιήσατε, *facite*) Sic quoque 1 Thess. l. c. — τὴν ἐκ λαοδικείας, *eam quae ex Laodicea*) Millius epistolam ad Ephesios innui censet, quae fuerit ex Laodicea petenda et Colossas perferenda. Certe non sine causa Paulus potius appellat oppidum, *ex* quo fuerit petenda epistola, quam eos, *ad* quos ipse miserit epistolam.

v. 17. εἴπατε, *dicite*) vos, meis verbis, dicite, tanquam testes. Hoc magis movebat, quam si ipsum Archippum appellaret. Et fortasse Archippus, antistes, imbecillitate valetudinis vel senectutis detinebatur, quo minus in concionem veniret. Nam metae proximum fuisse, colligi potest ex verbo, *impleas*. Philem. v. 2. *Archippo* non alii praepositi ecclesiae, sed ecclesia ipsa dicere jubetur. Ergo epistola directa est ad ecclesiam, quamvis valde sublime habet argumentum. [*Cur itaque* homines, *quos dicunt*, laici, *a lectitanda Scriptura arcendi sint?* V. g.] — ἣν παρέλαβες, *quod accepisti*) vocatione mediata. non enim sequitur, *a Domino*, coll. 1 Cor. 11, 23. sed, *in Domino*.

v. 18. ὁ ἀσπασμὸς, *salutatio*) Hunc versum sua manu adjecit Paulus, superiora a se profecta agnoscens. — μνημονεύετε, *memores estote*) praecipue in orando. v. 3.

Digitized by Google

IV. EPISTULAE PHILOSOPHICAE ET TRADITIO LUCIFERIANA

C. CURTI. Prolegomena ad Epistulas Philosophicas, quae olim Hilario Pictaviensi episcopo tribuebantur 757

I. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 761

II. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 765

III. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 769

IV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 773

V. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 777

VI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 781

VII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 785

VIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 789

IX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 793

X. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 797

XI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 801

XII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 805

XIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 809

XIV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 813

XV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 817

XVI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 821

XVII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 825

XVIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 829

XIX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 833

XX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 837

XXI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 841

XXII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 845

XXIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 849

XXIV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 853

XXV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 857

XXVI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 861

XXVII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 865

XXVIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 869

XXIX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 873

XXX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 877

XXXI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 881

XXXII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 885

XXXIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 889

XXXIV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 893

XXXV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 897

XXXVI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 901

XXXVII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 905

XXXVIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 909

XXXIX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 913

XL. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 917

XLI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 921

XLII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 925

XLIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 929

XLIV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 933

XLV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 937

XLVI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 941

XLVII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 945

XLVIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 949

XLIX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 953

L. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 957

LI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 961

LII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 965

LIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 969

LIV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 973

LV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 977

LVI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 981

LVII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 985

LVIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 989

LIX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 993

LX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 997

LXI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1001

LXII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1005

LXIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1009

LXIV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1013

LXV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1017

LXVI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1021

LXVII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1025

LXVIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1029

LXIX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1033

LXX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1037

LXXI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1041

LXXII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1045

LXXIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1049

LXXIV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1053

LXXV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1057

LXXVI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1061

LXXVII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1065

LXXVIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1069

LXXIX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1073

LXXX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1077

LXXXI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1081

LXXXII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1085

LXXXIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1089

LXXXIV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1093

LXXXV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1097

LXXXVI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1101

LXXXVII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1105

LXXXVIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1109

LXXXIX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1113

XC. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1117

XCI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1121

XCII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1125

XCIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1129

XCIV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1133

XCV. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1137

XCVI. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1141

XCVII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1145

XCVIII. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1149

XCIX. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1153

C. Epistula ad Constantium imperatorem de Synodis Ariminensi et Seleuciensi habitis 1157

v. 4. εἰδότες, *scientes*) Constr. cum *gratias agimus*, v. 2. — ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ θεοῦ, *fratres amati a Deo*) Conf. 2 Thess. 2, 13. — ἐκλογήν, *electionem*) 1 Cor. 1, 27. not.

v. 5. ὅτι, *quod*) Hoc *quod* vim suam ultra hunc versum porrigit. — εἰς ὑμᾶς) *quod ad vos attinet*. — ἐν, *in*) Haec pertinent et ad doctores, collato fine hujus versus, et ad Thessalonicenses, v. seq. — ἐν δυνάμει, *in virtute*) v. gr. ad fidem. — ἐν πνεύματι ἁγίῳ) *in Spiritu sancto*, ejusque operatione salutari, v. gr. ad amorem, nec non miraculosa. — ἐν πληροφορίᾳ, *pleno latu*) v. gr. ad spem. v. 3. — οἴδατε, *scitis*) Resp. *scientes*, v. 4. Utrique sciebant. — οἷοι, *quales*) sermonem vobis impertientes cum gaudio. — δι' ὑμᾶς, *propter vos*) ut vos lucrifaceremus.

v. 6. μιμηταὶ, *imitatores*) *Imitatores* fiunt *typi*. v. 7. — τοῦ κυρίου, *Domini*) Christi, qui Patris apostolum egit, et verbum de coelo attulit, et sub adversis docuit. — μετὰ, *cum*) Constr. cum *suscipientes*.

v. 7. τύπους, [1]) *typi*) exempla *fidei*. vid. mox, et v. seq.

v. 8. γὰρ, *enim*) Particula intensiva. — ἐξήχηται) claro *sono diditus est*. — τοῦ κυρίου, *Domini*) Christi. — ὥστε, *ita ut*) Fas est loqui, de conversione animarum. Hoc Paulus praesupponit, et ipse quoque materiam suorum colloquiorum a conversione Thessalonicensium sumsisset, nisi alii rem jam antea scivissent et de ea collocuti fuissent. — λαλεῖν τι, *loqui quidquam*) de fide vestra. v. 9.

v. 9. περὶ ἡμῶν, *de nobis*) utrisque, docentibus et credentibus. — δουλεύειν θεῷ, *servire Deo*) Ita distinguuntur Thessalonicenses a gentibus: a Judaeis, v. seq. — καὶ ἀληθινῷ, *et vero*) Hoc veritatem naturae denotat.

v. 10. καὶ ἀναμένειν, *et exspectare*) Compositum ἀναμένειν de eo dicitur, qui abiit ita, ut venturus sit. Conf. Joh. 14, 3. not. Act. 1, 11. not. Non plane nego *reditum*, sed *adventum* dico eleganter dici pro *reditu*, quia *adventus* gloriosus permulta habet nova. [*Exspectare, certissimus veri Christiani character*. V. g.] — ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, *quem excitavit ex mortuis*) Inseritur argumentum palmarium, ex quo constat, *Jesum* esse *Dei Filium*. — ῥυόμενον, *qui eripit*) Christus nos semel ἐλυτρώσατο, *redemit*: semper ῥύεται, *eripit*. — ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης, *ab ira veniente*) Ira venit in judicio novissimo. c. 5, 9.

CAPUT II.

v. 1. Γὰρ, *enim*) Ref. ad c. 1, 5. 6. nam quod ibi propositum erat, id nunc tractandum reassumitur, et quidem de Paulo et comitibus, v. 1—12.: de Thessalonicensibus, v. 13—16. — οὐ κενὴ) *non inanis*, sed plena virtutis.

v. 2. προπαθόντες, *antea passi*) id quod alios a praedicando deterrere potuisset.

v. 3. γὰρ, *enim*) Recurrit *enim* v. 5. Est aetiologia duplex. α in thesi, de toto perpetuoque more suo. v. 3. 4. β in hypothesi, quomodo apud Thessalonicenses versati fuerint. v. 5. seqq. conf. 2 Cor. 1, 12., de respectu generali et speciali. — παράκλησις, *hortatio*) Sic nominatur totum praeconium evangelicum, passionum dulcedine tinctum. v. 2. coll. 2 Cor. 1, 3. ss. παράκλησις, *Zuspruch*, late patet: ubi desides excitat, est *hortatio*; ubi tristitiae medetur, est *solatium*. confer mox v. 11. not. — οὐκ, οὐδὲ, οὔτε, *non, nec, neque*) Removet malas intentiones respectu Dei et sui et aliorum. Oppositum universum, v. seq. coll. v. 10. — οὐκ ἐκ πλάνης, *non ex errore*) scil. *est*. Conf. *loquimur*, praesens, v. 4.

---

1) *Singularem*, τύπον, *per marginem* utriusque Ed. *aequiparatum plurali, exprimit* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

— οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας, *neque ex impuritate*) Haec est, ubi fructus carnis quaeritur. conf. Phil. 1, 16. Carnis fructus, subtilior: *Eigenheit*. De *puritate* opposita vid. Act. 15, 9.

v. 4. δεδοκιμάσμεθα, *probati sumus*) Huc ref. mox *probanti*. — ἀρέσκοντες) *placere curantes*.

v. 5. ἐν λόγῳ κολακείας, *in sermone adulationis*) Antitheton, v. 7. s. sicut *in praetextu araritiae* antitheton habet v. 9. et τὸ *gloriam*, v. 6., antitheton habet v. 10. — κολακείας, *adulationis*) qua inprimis utuntur, qui *hominibus placere student*. — καθὼς οἴδατε· θεὸς μάρτυς, *sicut nostis: Deus testis*) Haec duo inter se respondent; sicut de tertio membro, quod versu sequente ponitur, gemina confirmatio sequitur eodem versu 10. Rei apertae testes appellat homines: rei in corde occultae, Deum: rei partim apertae partim occultae, homines et Deum. — προφάσει) *praetextu* specioso, quo tegeremus *avaritiam*.

v. 6. ἀπ᾽ ἄλλων, *ab aliis*) iis scilicet, qui nos admirati essent, si vos superbius tractassemus. — δυνάμενοι) *cum possemus*: quamvis possemus. — ἐν βάρει εἶναι, *in gravitate esse*) כבד βάρος, *gravitas*; splendor, quem *legato* conciliat Domini majestas. Affine δόξα, *gloria*, versu praec. Conf. βάρος δόξης, 2 Cor. 4, 17. Fulgor *gravis* est visui, ut pondus tactui, sonus magnus auditui. Unde talia dicuntur *ferri* aut *non ferri*. Hebr. 12, 20. Conjugatum, ἐπιβαρῆσαι, mox, v. 9. Utraque notio, *gravitatis* et *oneris*, includenda est. Sed ab utroque sibi temperarunt apostoli.

v. 7. ἤπιοι, *lenes*) Suavissimum vocabulum, de parentibus praecipue et de medicis dici solitum. Opponitur hoc *adulationi*. nam ἤπιος dicitur, qui veram lenitatem habet. — ἐν μέσῳ ὑμῶν, *in medio vestri*) sicut gallina pullis circumdata. Non agebant, quasi ex cathedra, quae Petri dicitur, et stilum curiae suae, apostolicum appellat. — τροφὸς) mater, eademque *nutrix*. Expende *suos ipsius*. Affectus spirituales analogiam habent cum affectibus naturalibus. v. 11. 1 Tim. 5, 1. 2.

v. 8. οὕτως, ἱμειρόμενοι ὑμῶν, εὐδοκοῦμεν) *quod quum ita esset, i. e. quum vestri amore teneremur, promti eramus* etc. Textus simul ad pronunciationem est accommodatus: in notis curatior distinctio instar notae est. Idem verbum, ἱμείρονται, Job. 3, 21. εὐδοκοῦμεν, etiam sine augmento, tamen imperfectum esse potest: in tota narratione omnia in praeterito procedunt, quod versiones etiam hic habent. — ψυχὰς, *animas*) Anima nostra cupiebat quasi immeare in animam vestram.

v. 10. [1]) ὡς ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως, *quam sancte et juste et inculpate*) Qui nullam ex hominibus gloriam quaerunt, hoc assequuntur, ut se gerant *sancte* in rebus divinis, *juste* erga homines, *inculpate* respectu sui ipsorum. — τοῖς πιστεύουσιν, *credentibus*) tametsi aliis non ita videremur.

v. 11. ὡς ἕνα ἕκαστον, *quomodo unumquemque*) Id non faciunt, qui gloriam quaerunt. v. 6. — ὡς πατὴρ, *ut pater*) Gravitas temperata, patrum. — παρακαλοῦντες, *adhortantes*) Hoc pendet ab ἐγενήθημεν, *facti sumus*. v. 10. παράκλησις, *hortatio*, movet, ut facias aliquid libenter; παραμύθιον, *consolatio*, ut cum gaudio; τὸ μαρτυρεῖσθαι, *contestatio*, ut cum timore.

v. 12. βασιλείαν καὶ δόξαν, *regnum et gloriam*) Magnificum σύνθετον.

v. 13. διὰ τοῦτο, *propter hoc*) i. e. quia tales habuistis doctores. — εὐχαριστοῦμεν, *gratias agimus*) Sententia categorica: *accepistis*. Modalem sermonem, addita *gratiarum actione*, affectus effecit. — παραλαβόντες) παραλαμβάνω

---

1) ὑμεῖς μάρτυρες καὶ ὁ θεὸς] *Vos* estis *testes*, *et*, quod multo pluris est, testis est *Deus*. *Decoro* non repugnat sermo, ut Judaei calumniantur. Vid. Jos. 22, 22. 1 Sam. 12, 5., in fonte. *V. g.*

Digitized by Google

dicit *simplicem acceptionem*: δέχομαι, connotat *prolubium in accipiendo*. — οὐ λόγον ἀνθρώπων, *non sermonem hominum*) Declaratur, quod modo dixit, *Dei. accepistis*, nempe, *non verbum hominum etc.* — ὃς, *qui*) Deus, ostendens, verbum vere esse Dei verbum. c. 4, 8. 9. Act. 14, 3. — ἐνεργεῖται, *operatur*) Gal. 3, 5. [*operatur nimirum patientiam*, v. 14. V. g.]

v. 14. γὰρ, *enim*) *Operatio* divina maxime conspicitur et sentitur in afflictionibus. — ἐν τῇ ἰουδαίᾳ, *in Judaea*) Ecclesiae Judaicae erant exempla insignia ceteris. — τὰ αὐτὰ, *eadem*) Sic, *idem*, Phil. 1, 30. Idem fructus, eaedem afflictiones, eadem experimenta fidelium, omnibus in locis et temporibus, eximium praebent criterium veritatis evangelicae. — ἰδίων, *propriis*) Matth. 10, 36. Luc. 13, 33. fin. — συμφυλετῶν, *contribulibus*) Hi erant Thessalonicenses, Judaei et gentes. Act. 17, 5. s.

v. 15. ἀποκτεινάντων, *qui interfecerunt*) Hoc sane peccatum est totius populi, maximum, adhuc non agnitum. — προφήτας, *prophetas*) Constr. cum *qui interfecerunt*. Pristinus ille reatus tum maxime evigilavit, quum ipsum Dominum occiderunt. — ἡμᾶς, *nos*) apostolos. — ἐκδιωξάντων, *qui persequendo ejecerunt*) Luc. 11, 49. not. — μὴ ἀρεσκόντων) *placere non quaerentium*. — ἐναντίων, *adversorum*) Judaei aversabantur gentes, et illo tempore nolebant gentibus verbum praedicari.

v. 16. λαλῆσαι, *loqui*) Ταπείνωσις. — εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι, *ut impleant*) Contumacia contra verbum implet maxime mensuram peccatorum. — αὐτῶν, *sua*) Judaeorum. — πάντοτε) ut *semper*, ita nunc quoque. — εἰς τέλος, *in finem*) Tristis exitus. Eadem phrasis Luc. 18, 5. Sub Herode Agrippa res Judaica reflorueral: sed eo mortuo, Act. 12, 23., rediere procuratores Romani. Cumanus et Felix eorumque successores magis magisque Judaeos vexabant. Scripta est haec epistola A. D. 48, et circa id tempus, in paschali festo, ingens multitudo Hierosolymis, orto tumultu, oppressa est. nonnulli plus 30 millia narrant. Urgebat miseros *ira* Dei, et εἰς τέλος *tandem* urbem cum templo delevit.

v. 17. ἀδελφοὶ, *fratres*) Incipit novum caput epistolae. — ἀπορφανισθέντες, *orbati*) ut parentes, liberis absentibus. — πρὸς καιρὸν ὥρας, *ad tempus horae*) καιρὸς, *tempus*, indefinitum; *hora*, definitum quiddam. Ex. 13, 10. למועדה LXX κατὰ καιροὺς ὡρῶν. — ἰδεῖν, *videre*) 2 Tim. 1, 4.

v. 18. ἅπαξ καὶ δὶς) Sic LXX, Neh. 13, 20. — ὁ σατανᾶς, *Satanas*) Sapienter hanc causam mali primam subesse censuit Paulus; de qua nos non suspicaremur, legentes historiam, Act. 17, 13. seq. Satanas egit per homines malos.

v. 19. τίς γὰρ) Sic, τίς γὰρ, LXX, 1 Sam. 11, 12. — ἐλπὶς κτλ.) *spes* etc. Confer finem versus hujus. Magna laus. — στέφανος καυχήσεως, *corona gloriationis*) Sic LXX, Prov. 16, 31. — καὶ ὑμεῖς, *etiam vos*) Alios non excludit: hos maxime numerat. — ἐν, *in*) De hac particula conf. c. 3, 13. Rom. 2, 16. not. Tam longe spes porrigitur!

CAPUT III.

v. 1. Διὸ μηκέτι στέγοντες, *quapropter non jam ferentes*) Hoc quasi post parenthesin, reassumitur versu 5. — μόνοι, *soli*) Vide, quanti fuerit Timotheus; quo digresso, Paulus et Silas sibi videbantur esse soli, in urbe videlicet a Deo alienissima. conf. Ord. temp. p. 278. [Ed. 2. p. 239.]

v. 2. ἐπέμψαμεν, *misimus*) Ego et Silvanus.

v. 3. σαίνεσθαι) σαίνω, a σέω, *moveo*. Eustathius proprie dici docet de canibus, caudam remulcendo, blandientibus; per metaphoram, εἰς τοὺς ὑπούλους καὶ κολακικοὺς, quae notio hic quoque locum habet. Etenim in afflictionibus et propinqui et adversarii et cor ipsum adulationes admiscent: quibus victis, con-

Digitized by Google

Revenue Duties (Customs and Excise) (Isle of Man) (Consolidation) Act, 1922, continued.

Revenue Duties (Customs and Excise) (Isle of Man) (Consolidation) Act, 1922, continued.

SCHEDULE.

Year and Number of Chapter.	Short Title.	Extent of Repeal.
1876, c. 14.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1876.	The whole Act.
1876, c. 15.	Customs Duties (Isle of Man) (No. 2) Act, 1876.	The whole Act.
1878, c. 7.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1878.	The whole Act.
1879, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1879.	The whole Act.
1880, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1880.	The whole Act.
1881, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1881.	The whole Act.
1882, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1882.	The whole Act.
1883, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1883.	The whole Act.
1884, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1884.	The whole Act.
1885, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1885.	The whole Act.
1886, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1886.	The whole Act.
1887, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1887.	The whole Act.
1888, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1888.	The whole Act.
1889, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1889.	The whole Act.
1890, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1890.	The whole Act.
1891, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1891.	The whole Act.
1892, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1892.	The whole Act.
1893, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1893.	The whole Act.
1894, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1894.	The whole Act.
1895, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1895.	The whole Act.
1896, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1896.	The whole Act.
1897, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1897.	The whole Act.
1898, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1898.	The whole Act.
1899, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1899.	The whole Act.
1900, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1900.	The whole Act.
1901, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1901.	The whole Act.
1902, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1902.	The whole Act.
1903, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1903.	The whole Act.
1904, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1904.	The whole Act.
1905, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1905.	The whole Act.
1906, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1906.	The whole Act.
1907, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1907.	The whole Act.
1908, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1908.	The whole Act.
1909, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1909.	The whole Act.
1910, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1910.	The whole Act.
1911, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1911.	The whole Act.
1912, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1912.	The whole Act.
1913, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1913.	The whole Act.
1914, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1914.	The whole Act.
1915, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1915.	The whole Act.
1916, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1916.	The whole Act.
1917, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1917.	The whole Act.
1918, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1918.	The whole Act.
1919, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1919.	The whole Act.
1920, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1920.	The whole Act.
1921, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1921.	The whole Act.
1922, c. 5.	Customs Duties (Isle of Man) Act, 1922.	The whole Act.

artes moechorum. Hebr. 13, 4. nam asyndeton indicat, ejusdem argumenti sermonem continuari: et sermo est de tali *negotio*, cujus major est culpa, quam furti, Prov. 6, 30. et versu 7. redit mentio de sola impuritate et sanctimonia. Euphemia est, quod *adulterium* non appellat apostolus. — ἐν τῷ πράγματι, *in negotio*) Articulus demonstrat negotium, quod sub manu est hoc illove tempore. 2 Cor. 7, 11. — ἀδελφὸν, *fratrem*) Aetiologia fugiendae *transgressionis*. — ἔκδικος, *vindex*) Hebr. 13, 4. not. — ὁ κύριος, *Dominus*) Christus, judex.

v. 7. ἐν ἁγιασμῷ, *in sanctificatione*) ἐπὶ, *super*, magis exprimit finem; ἐν, *in*, indolem rei.

v. 8. ὁ ἀθετῶν) *qui* hoc *spernit*. — τὸν καὶ δόντα, *qui etiam dedit*) *Etiam* innuit, novum hic addi momentum superiori proximo. — τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ὑμᾶς, *Spiritum suum sanctum in vos*) Eph. 4, 30.

v. 9. οὐ χρείαν ἔχομεν, *non opus habemus*) Hebr. 8, 11. — θεοδίδακτοι) *divinitus docti*. Amore Deus nos imbuit per regenerationem. itaque τὸ *docti* habet quandam catachresin, ut *scriptioni* opponatur. — εἰς τὸ ἀγαπᾶν, *ad diligendum*) Doctrinae divinae vis confluit in amorem.

v. 11. φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν) Oxymoron. φιλοτιμία politica erubescit ἡσυχάζειν. Oppositum περιεργάζεσθαι. 2 Thess. 3, 11. s. Ideo hic additur, πράσσειν τὰ ἴδια. Proprietas tamen accedit verbo φιλοτιμεῖσθαι ex v. 12. fin. — ἐργάζεσθαι, *laborare*) Hoc opus erat dici hominibus, qui coeli gustum ceperant: mundo mersi, sua sponte laborant. Crescit monitum, 2 Thess. 3, 6. s.

v. 12. εὐσχημόνως, *honeste*) ne possint dicere, Christianismum esse desidiae et egestatis. Oppositum, *inordinate*. c. 5, 14. 2 Thess. 3, 6. — μηδενὸς) *nullius* rei, quam ab externis petatis. Summus gradus εὐπορίας, expeditae rei familiaris, Christiano optandae, ob libertatem.

v. 13. [1]) ἵνα μὴ λυπῆσθε, *ut ne contristemini*) de nuper defunctis, in fide. de his enim valet spes. Efficacia religionis christianae vel maxime ex eo patet, quod ea desiderium mortuorum, affectuum subtilissimum, et mortuorum vel olim vel nuper, non tollit aut exacerbat, sed suaviter temperat. [2])

v. 14. γὰρ, *enim*) Scriptura ex tot solatiis contra mortem, hoc fere unum, tanquam palmarium, de resurrectione, propinat. — ἀπέθανε, *mortuus est*) Hoc verbum de Christo dici solet; de fidelibus, *obdormire*. 1 Cor. 15, 3. 6. 18. 20. 51. — οὕτω) item, uti Jesus ipse surrexit, sic nos vivos ductum iri credimus, per iter mortis. — διὰ τοῦ ἰησοῦ, *per Jesum*) Construe cum κοιμηθέντας, *qui obdormiverunt*. Nam τὸ *ducet*, quod sequitur, jam habet appositum *cum illo*. — ἄξει) *ducet*, suave verbum. dicitur de viventibus. — σὺν αὐτῷ, *cum illo*) quia cum illo conjuncti sunt.

v. 15. ὑμῖν) vobis, hoc nosse dignis. — λέγομεν ἐν λόγῳ κυρίου, *dicimus in verbo Domini*) Dominus, Christus, nobis dixit; nos, vobis. conf. 1 Reg. 20,35. בדבר יהוה ἐν λόγῳ κυρίου. Tales formulae adhibentur in re, quae nunc primum aperitur. [*Multae nimirum singularis argumenti res, quas frustra quaesiveris alibi, h. l. describuntur*. V. g.] — ἡμεῖς, *nos*) Sua aetate sic loquentes sancti auxere subsequentium aetatum obligationem exspectandi Dominum. τὸ *nos* mox declaratur per verbum subsequens, *vivimus*, et ulterius, *superstites*. — οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι, *vivimus superstites*) Sic quoque v. 17. Est hoc instar appositionis. *vivimus*, antitheton ad *dormimus*. Simul innuitur paucitas viventium, ad multitudinem mortuorum; item, dormientium conditio bona, quo viventes desiderent aggregari. Homines omnium aetatum conjunctim unum quid-

---

1) περὶ τῶν κεκοιμημένων, *de iis qui obdormivere*] Solatium in recenti luctu; — non super defunctis pridem. *Not. crit.*

2) ἐλπίδα, *spem*] et gaudium. *V. g.*

Digitized by Google

dam repraesentant: fidelesque jam olim exspectantes, habentesque se loco illorum, qui victuri sunt in adventu Domini, pro eorum persona locuti sunt. *Viventes*, et *qui supersunt ad adventum Domini*, sunt iidem: et hi pronomine *nos* denotantur. Unaquaeque generatio, quae hoc vel illo tempore vivit, occupat illo vitae suae tempore locum eorum, qui tempore adventus Domini victuri sunt. Sic τὸ *nos* hic ponitur, ut alias nomina *Cajus* et *Titius:* idque eo commodius, quia fidelibus illius aetatis amplum temporis spatium usque ad finem mundi nondum distincte scire licuit. Tempus praesens in utroque participio est praesens pro ipso adventu Domini, uti Act. 10, 42., et passim. Neque eo asseruit Paulus, tam propinquum esse diem Christi. vid. 2 Thess. 2, 2. s. Similis locutio, Rom. 13, 11. 1 Cor. 15, 51. Jac. 5, 9. 1 Petr. 4, 5. s. Matth. 24, 42. not. — τοῦ κυρίου, *Domini*) Jesu Christi. — οὐ μὴ φθάσωμεν, *non praeveniemus*) Suaviter contradicit timori superstitum de defunctis, nec majorem sui, quam dormientium, commodi rationem ducit.

v. 16. αὐτὸς, *Ipse*) Grandis sermo. — ἐν κελεύσματι, ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου, καὶ ἐν σάλπιγγι θεοῦ, *in celeusmate, in voce archangeli, et in tuba Dei*) Gradatio, tria complectens. κέλευσμα dicitur, quo multitudo aliquid jubetur, v. gr. per praeconem. Non habent LXX. — ἀρχαγγέλου, *archangeli*) Michaëlis aliusve. Non adhibetur articulus. — ἐν σάλπιγγι θεοῦ, *in tuba Dei*) cum tuba Dei, adeoque magna. — πρῶτον) *prius*.

v. 17. ἅμα) Ammonius, ἅμα μέν ἐστι χρονικὸν ἐπίῤῥημα· ὁμοῦ δὲ, τοπικόν. Vides hic proprietatem sermonis apostolici. — εἰς ἀέρα, *in aërem*) Impii in terra remanebunt: pii, absoluti, assessores fient judicii. — καὶ οὕτω, *et sic*) Paulus, quum, quae scribi opus erat ad consolandum, scripsit, maximas res hac brevitate involvit. — πάντοτε, *semper*) sine ullo discessu. — σὺν κυρίῳ, *cum Domino*) non modo in aëre, sed in coelo, unde venit. — ἐσόμεθα, *erimus*) utrique.

v. 18. παρακαλεῖτε ἀλλήλους, *consolamini invicem*) in luctu. confer etiam c. 5, 11.

CAPUT V.

v. 1. Περὶ τῶν χρόνων, *de temporibus*) quum haec, quae dixi, evenient. χρόνων partes, καιροί. — οὐ χρείαν ἔχετε, *non opus habetis*) Qui vigilant, his non opus est dici, quando futura sit hora. nam semper parati sunt.

v. 2. ὡς κλέπτης, *sicut fur*) 2 Petr. 3, 10. Solennis locutio apostolis, congruens cum parabola Domini, Matth. 24, 43. — ἐν νυκτὶ, *in nocte*) Refer ad *fur*, modo. Ibi *nox* est, ubi securitas et quies. confer tamen Matth. 25, 6. — οὕτως) *sic*, uti dicetur versu sequente. Conf. *sic*, sequente [1]) *enim*, Matth. 1, 18. — ἔρχεται, *venit*) Praesens, subitum eventum magna emphasi exprimens. Sic v. 3., *repentinus instat*. conf. Luc. 21, 34.

v. 3. λέγωσιν, *dicunt*) *ceteri, qui* sunt *tenebrarum*. v. 5. 6. [c. 4, 13.] — εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια, *pax et securitas*) Mundum statuent aeternum.

[2]) v. 6. καὶ νήφωμεν, *et sobrii simus*) Hoc denotat statum. actum, ἀνανήφω, ἐκνήφω, 2 Tim. 2, 26. 1 Cor. 15, 34. νήφω, mitius.

v. 7. μεθυσκόμενοι — μεθύουσιν, *qui inebriantur — ebrii sunt*) Μεθύσκομαι notat actum; μεθύω, statum, vel habitum. sic in καθεύδοντες — καθεύδουσι Ploce apparet. Habet enim καθεύδοντες primo vim inchoativam, *in somnum incidentes*, deinde καθεύδουσι habet vim continuativam, *in somno pergunt*. — νυκτὸς) *noctu*, ut plurimum. Etiam diurna somnolentia et ebrietas noctem aggravat. A die abhorrent.

---

1) *Attamen h. l.* voc. γὰρ, enim, *per* utriusque Ed. *marginem omittenda potius censetur.* Vers. germ., *nexus causa, ponit* nemlich. E. B.

2) καὶ οὐ μὴ ἐκφύγωσι, *et non effugient*] atut vellent libenter. *V. g.*

Digitized by Google

v. 8. ἐλπίδα σωτηρίας, *spem salutis*) Huc ref. v. seq.

v. 9. ἔθετο, *posuit*) Sic LXX, Ps. 66, 9., τοῦ θεμένου τὴν ψυχήν μου εἰς ζωήν. Jud. 1, 28., ἔθετο τὸν χαναναῖον εἰς φόρον, ubi lectio quidem Vaticana habet ἐποίησε, sed ἔθετο fuit certe phraseologia Librario non insueta. — περιποίησιν σωτηρίας) Notatur *salus* ejusmodi, qua *ex* multitudine pereuntium excipiuntur, qui salvantur.

v. 10. ἀποθανόντος, *qui mortuus est*) In ipsa morte Christi sita est *positio* illa *in conservationem peculiarem*. — εἴτε καθεύδωμεν, *sive dormiamus*) corpore, in somno vel morte. — ἅμα) *simul*, ut fit adventus. Num potius, *simul*, ubi et uti ille vivit? Non putem. Totum institutum est περὶ τῶν χρόνων, et in fine tractationis redit oratio ad principia. Adventum Christi semper ut propinquum sibi proposuerunt. Sic etiam *Lubinus* exponit.

v. 12. ἐρωτῶμεν) *oramus*: orat Paulus, causam operantium in verbo suam quasi faciens. sequitur aliud verbum, παρακαλοῦμεν *adhortamur*. v. 14. — εἰδέναι) *nosse*, rationem habere. Metonymia antecedentis. — κοπιῶντας, *laborantes*) Interdum unus idemque potest *laborare*, προΐστασθαι *praeesse*, νουθετεῖν *monere*; interdum diversi, pro varietate charismatum. *Laborare* non tantum genus est, sed diversas functiones denotat, quae sub τῷ *praeesse et monere* non comprehensae sunt. ex. gr. Rom. 16, 2. *Phoebe* erat προστάτις. e contrario v. 12. *Tryphaena* et *Tryphosa laboraverant* quidem, sed non fuerant προστάτιδες, non *praeerant*. *Praeesse* notat auctoritatem, νουθετεῖν, *monere* notat studium et solertiam, quam unus prae altero exercet.

v. 13. ἐν ἑαυτοῖς, *in vobis ipsis*) invicem.

v. 14. τοὺς ἀτάκτους, *inordinatos*) Tales non aberant, quamlibet florente illa ecclesia. Et mox crevit ἀταξία, *inordinatio*. 2 Thess. 3, 6. 11. — ἀντέχεσθε) *observate*. שמר ἀντέχεσθαι, *rationem habere*. Prov. 4, 6. — πρὸς πάντας, *ad omnes*) Nemo est fidelium, cui non possit *longanimitas* praestari: nemo, cui fidelis eam non praestare debeat. Multi eam magis praestant alienis, quam domesticis; potentibus, quam tenuioribus: sed praestanda est erga *omnes*.

v. 15. ὁρᾶτε, *videte*) Quisque custodiat et se et alterum. Laesus, qui in fervore est, nimium videt: ergo proximi videre debent.

v. 18. ἐν παντὶ) *in omni* re, etiamsi adversa videatur. (— *idque non generatim tantum, sed, Davidis ad instar, in casibus singularibus*. V. g.] — τοῦτο, *hoc*) ut gratias agatis. — θέλημα, *voluntas*) semper bona, semper spectans salutem vestram *in Christo Jesu*.

v. 19. τὸ πνεῦμα) *spiritum*, i. e. charismata. Metonymia. — μὴ σβέννυτε, *nolite exstinguere*) Spiritus, ubi est, ardet: ideo non exstinguendus, nec in nobis, nec in aliis.

v. 20. προφητείας, *prophetias*) prae ceteris charismatis exercendas. 1 Cor. 14, 1. 39. — μὴ ἐξουθενεῖτε, *nolite spernere*) Alia charismata erant speciosiora.

v. 21. πάντα) [1]) *omnia*, spiritualia, quae ad vos ullo modo pertinere, nec vestram facultatem excedere, sine incuria et curiositate existimare potestis.

v. 22. ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ, *ab omni specie mala*) *Species*, apparentia, *mali*, esset εἶδος ΤΟΥ πονηροῦ, cum articulo, quem habet ΤΟ καλὸν *bonum*, v. 21. Sed εἶδος πονηρὸν est *species mala*. εἶδος, *species*, Germ. *Gattung*. LXX, Jer. 15, 3. Sir. 23, 21. (16.) 25, (2.) 3. Ab omni specie mala abstinere debemus, ne decipiamur. Totum *genus* boni est simplex, spiritus, animae, corporis: *species* mali, multae. 2 Cor. 7, 1. Conf. oppositum v. seq.

v. 23. αὐτὸς) *Ipse*. Non meo studio, inquit Paulus, sed divino praesidio

---

1) *Voculam* δὲ, *crisin* Ed. 2. *sequuta*, *subjicit* Vers. germ. E. B.

itized by Google

muniti eritis. — ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης, *Deus pacis*) qui bona omnia donat, mala omnia removet. εἰρήνη et ὁλοτελὴς in Hebraeo שלם sunt conjugata. [*Insequens igitur votum, quid appellatio haec involvat, ostendit.* V. g.] — ὁλοτελεῖς — ὁλόκληρον) Optat, ut *universi* et *singuli* Deo penitus asserantur et asserti maneant: *universi*, omnes omnino Thessalonicenses, ut nemo excidat: *singuli*, unusquisque eorum cum spiritu, anima et corpore. Ipsa expositio versus hujus tempore fortasse mitescet. Esset chiasmus elegans et ὁλόκληρον si adverbiascens esset, nanciscerelur novam expositio lucem. Alio sensu, ὁλόκληρον ὑμῶν Genus esset et totum: tria sequentia essent partes. — ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα, *vester spiritus et anima et corpus*) *Vos* modo dixit universe: nunc eosdem denominat a statu spirituali, *vester spiritus* (Gal. 6, 18.) optans, ut servetur ὁλόκληρον, *integer:* tum a statu naturali, *et anima et corpus*, (nam his duabus partibus absolvitur natura hominis totius, Matth. 10, 28.) optans, ut id servetur *inculpate*. [1]) *Corporis* mentio congruit cum superiore tractatione. c. 4, 4. not. 16.

v. 24. [2]) ὁ καλῶν ὑμᾶς) *qui vocavit vos*, ita ut ne nunc quidem mutet vocationem. Magnam hic versiculus exultationem habet. — ποιήσει, *faciet*) *servabit vos:* v. 23. ut vocatio finem suum assequatur. Phil. 1, 6. 1 Petr. 5, 10. Rom. 8, 30.

v. 25. περὶ ἡμῶν, *de nobis*) uti nos pro vobis. v. 23. [*Idem Paulus petit in altera ad* Thessal. *epistola, nec non ad* Romanos, Ephesios, Colossenses, *et* Philemonem, *atque, in transitu, in altera ad* Corinthios, *ad* Philippenses *pariter. In epistolis ad* Timotheum *et* Titum *non petit: quod vel ut filios eos compellavit, vel per se intercessionis eorum certus fuit. Neque vero* Corinthios, *in priori epistola, istud petit, neque* Galatas: *etenim paterna eos auctoritate reprehendere opus habuit*, V. g.]

v. 27. ὁρκίζω ὑμᾶς, *adjuro vos*) In V. T. publice lecti sunt Moses et prophetae: in N. T. haec epistola, prima omnium a Paulo scripta, omnium instar lectioni publicae commendatur, uti deinde Apocalypsis, c. 1, 3. Gravissima erat haec ratio, quare Paulus Thessalonicenses [*eosque tantopere sibi deamatos*, V. g.] ita adjuraret: periculumque fuerat, ne ob laudes ipsis datas celandam putarent epistolam. — τὸν κύριον, *Dominum*) Christum. Divinus invocationis cultus huic exhibetur Ps. 63, 12. — πᾶσι, *omnibus*) Thessalonicae, vel etiam in tota Macedonia. — ἀδελφοῖς, *fratribus*) Dativus, proprie. Legenda erat epistola, *omnibus* auscultantibus, maxime iis, qui ipsi legere non poterant; mulieribus et liberis non exclusis. conf. Deut. 31, 12. Jos. 8, 33. *s. Quod Paulus cum adjuratione jubet, id Roma sub anathemate prohibet.* [*Qui Scripturam surripiunt, et verbi divini lectionem tam difficilem reddunt plebeiis, ii non dubium est quin ipsi iniquius in ejus tractatione versentur: sunt igitur lucifugae. At quam obmutescent misere, quum Judex percontatus fuerit: Vos cur tanta violentia verbis meis interdixistis reliquos? cur illis eripuistis, qui melius ea, quam vosmetipsi habuissent?* Optabile esset (*quae Theologi cujusdam Vitembergensis probatissimi observatio est*), ut multis, iisque sublimioris etiam conditionis, locis orationum sacrarum loco, quae frequentiores esse subinde, quam par erat, videntur, Scripturae sacrae capitum quorundam praelectio institueretur in Ecclesia atque celebraretur. etc. *Franz. de Interpr. p.* 47.

---

1) Versio germanica, *in margine, hanc loci periphrasin exhibet:* Servetur spiritus vester, i. e. vos ipsi, plenissime, pro statu vestro spirituali, quem et animae et corporis respectu nacti estis.

2) πιστὸς, *fidelis*] Brevi hoc commate omnis solatii Summa continetur. Vocatione si frueris: de fide Ejus gaude, qui faciet. *V. g.*

Google

Recte id quidem fieret. Jam vero tanto magis fas est nobis dolere, quod multis hodie concionum dignitas major ***nonnisi ex*** minori ***cum Scriptura concentu aestimatur.*** V. g.]

IN EPISTOLAM II. AD THESSALONICENSES.

CAPUT I.

v. 3. Ὀφείλομεν, ***debemus***) urgente animi exultatione, de causis adeo conspicuis. Sic quoque c. 2, 13. [***Generosus debiti ejusmodi sensus est.*** V. g.] — ἄξιον, ***dignum***) ob rei magnitudinem. conf. 1 Cor. 16, 4. [***Tuine Christianismi specimina digna sunt, quorum nomine gratias DEO agant, qui te norunt?*** V. g.] — ἡ πίστις· ἡ ἀγάπη, ***fides: amor***) De spe, v. 4. s. Nam haec tria jungi solent.

v. 4. ἡμᾶς αὐτοὺς, ***nos ipsi***) ***Ipse*** Paulus cum Silvano et Timotheo gloriabatur, tanquam testis, non modo audiebat ex testibus. — ὑπὲρ, ***pro***) Constr. cum ***gratias agere.*** Hinc v. 3. fin. comma ponendum. conf. Col. 1, 5. not. Parallelismus momentum habet. — καὶ πίστεως, ***et fide***) Fides hoc loco notat fidelem constantiam confessionis.

v. 5. ἔνδειγμα) scil. ὄν. Accusativus absolutus. conf. Act. 26, 3. not. τὸ ἀνέγεσθαι, ***tolerare,*** est ***demonstratio.*** — δικαίας, ***justi***) Quod hoc commate proponitur, tractatur versu 6. s. — εἰς τὸ καταξιωθῆναι, ***ut digni fiatis***) Hoc cohaeret cum ***toleratis.*** — ὑπὲρ ἧς, ***pro quo***) Τὸ ***pati*** facit ***dignos*** regno.

v. 6. παρὰ θεῷ, ***apud Deum***) tametsi homines boni et mali non tanti aestimant horum injurias et illorum passiones. — θλίβουσιν — θλίψιν, ***prementibus*** — ***pressuram***) Talio. Huc ref. v. 8. 9.

v. 7. καὶ ὑμῖν, ***et vobis***) Huc ref. v. 10. s. — τοῖς θλιβομένοις, ***pressis***) Medium: ***qui pressuram toleratis.*** coll. v. 4. fin. — ἄνεσιν, ***relaxationem***) Magna proprietate inter se opponuntur θλίψις, ***pressura,*** et ἄνεσις, ***relaxatio:*** 2 Cor. 7, 5. 8, 13. includit autem ***relaxatio*** etiam bonorum abundantiam, v. 10. — μεθ' ἡμῶν) ***nobiscum,*** i. e. cum sanctis Israëlitis. v. 10. not. Conf. 1 Thess. 2, 14. — μετ' ἀγγέλων δυνάμεως, ***cum angelis potentiae***) Angeli inserviunt Christo in exserenda ejus potentia.

v. 8. ἐν πυρὶ φλογὸς) Alii, ἐν φλογὶ πυρός. Eadem varietas, Act. 7, 30. ἐν φλογὶ πυρὸς, LXX Es. 66, 15. — τοῖς μὴ εἰδόσι θεὸν) ***qui in*** ethnica ***ignorantia de Deo versantur.*** 1 Thess. 4, 5. Ps. 79, 6. Sic Job 18, 21. לא ידע אל τῶν μὴ εἰδότων τὸν κύριον. — μὴ ὑπακούουσι, ***non obedientibus***) ***Judaeis*** maxime, quibus evangelium de ***Christo*** [1]) praedicatum fuerat.

v. 9. ἀπὸ, ***a***) Divina ***animadversio*** poenam eis infliget. מפני ***a facie.*** Daemones non erunt tortores: nam ne in hac quidem vita homines mali puniuntur per daemones, sed potius per bonos angelos: et Ps. 78, 49. τὸ ***angelos malorum*** potest etiam bonos denotare. conf. Ex. 12, 23. 2 Sam. 24, 16. — προσώπου, ***facie***) Haec facies erit illis intolerabilis. Non videbunt, sed persentiscent. ***Facies*** et ***gloria*** fere sunt parallela. — ἰσχύος, ***roboris***) Ponite ferociam, o improbi!

v. 10. ἐν, ***in***) Sancti et credentes non modo spectabunt, sed per illos se

---

1) Christi *tamen hoc versu nomen per marginem* Ed. 2. *omittendum potius censetur; quare nec in* Vers. germ. *legitur.* E. B.

Digitized by Google

exseret gloria Christi admiranda. v. seqq. — ἁγίοις, *sanctis*) Suaviter jungitur mentio *gloriae* et *sanctorum*, tum *admirationis* et *credentium*. — πᾶσι, *omnibus*) Hoc non *sanctis*, sed *credentibus* additum, innuit, latius patere quodammodo vocabulum *credentium*, quam *sanctorum*. vid. Act. 20, 32. not. Sic *omnis*, Phil. 1, 9. not. Sancti, ex circumcisione: fideles, ex gentibus, in quibus erant etiam Thessalonicenses. [*qui, cum Apostolorum testimonium ad ipsos quoque* pertigisset, *laudabili istud animi firmitate receperunt*. V. g.] Confer duo opposita. v. 8. not. — ὅτι, *quod*) Motivum admirationis erit, quod testimonium apostolorum, de Christo, fidem apud Thessalonicenses nactum extet *in die illo*, quo una veritas constat. conf. Phil. 2, 16. 1 Thess. 2, 19. — ἐπιστεύθη) נאמן πιστὸν extitit, et ut tale u vobis, *super* quos venerat, susceptum est. — ἐφ' ὑμᾶς) *ad vos* usque, in occidente. — ἐν τῇ) Construe cum ἔλθῃ, *venerit*.

v. 11. εἰς ὅ, *in quod*) *Huc* orando nitimur. — ἀξιώσῃ) *dignos efficiat*. Ante vocationem nulla dignitas in nobis: 2 Tim. 1, 9.: postea demum confertur nobis eo modo, qui mox describitur. — ὁ θεὸς ἡμῶν) *Deus noster*, cui servimus. — εὐδοκίαν, *beneplacitum*) ex parte Dei. — πίστεως, *fidei*) ex parte vestri.

v. 12. τὸ ὄνομα, *nomen*) Nos nil Domino, Dominus nobis salutem revera confert. inde *nomen* illius glorificatur in nobis; *nos* autem ipsi in illo. — χάριν, *gratiam*) Hac mente dixit ἀγαθωσύνης, *bonitatis*. v. 11.

CAPUT II.

v. 1. Ἐρωτῶμεν, *rogamus*) Epistolae partes, quarum praecipua hic incipit, sunt quinque:

I. Inscriptio.	c. I. v. 1. 2.
II. Gratiarum actio pro Thessalonicensibus,	3. s.
cum voto.	11. s.
III. Doctrina, de homine peccati ante diem Christi venturo:	II. 1. s. 3. s.
unde contra illam calamitatem sanctos consolatur;	9. s. 13. s.
subjuncta cohortatione et voto.	15. 16. s.
IV. Hortatio ad preces, item cum voto:	III. 1. s.
et ad fratres, qui inordinate ambulant, in ordinem redigendos, hic quoque subjuncto voto.	6. s. 16.
V. Conclusio.	17. 18.

— ὑπὲρ) *de*. Particula facit ad declarandam rem, de qua agitur, non ad obtestationem: quamquam res, de qua agitur, Thessalonicenses per se commovere debebat. conf. ὑπέρ, 2 Cor. 5, 20. — ἐπισυναγωγῆς, *congregatione*) quae fiet *adventus* Jesu tempore. cavendum, ne quis excidat. Fideles jam sunt aggregati ad Dominum: sed illa demum congregatio erit absoluta. Haec vis decompositi. conf. Hebr. 10, 25. not.

v. 2. σαλευθῆναι, *moveamini*) mente. — θροεῖσθαι, *turbemini*) affectu. Id facile accidit cupidioribus sciendi futura. — πνεύματος) πνεῦμα, *spiritus* prophetans. — λόγου· ἐπιστολῆς, *sermonem: epistolam*) v. 15. — ὡς δι' ἡμῶν) *ut per nos*. ratio sub qua moveri poterant Thessalonicenses. Poterat quidem epistola vere Paulina sinistre exponi: poterat vero etiam aliena supponi. c. 3, 17. — ὡς ὅτι ἐνέστηκεν, *ut si instet*) Magna hoc verbo propinquitas significatur. nam ἐνεστὼς est *praesens*. Ideo talis propinquitas diei Christi negatur. Antiquissimae epistolarum apostolicarum sunt epistolae ad Thessalonicenses. Hinc patet, apostolos, de propinquitate diei Christi loquentes, non errasse, sed scienter esse locutos. — τοῦ χριστοῦ, *Christi*) cui opponitur, sensu vocabuli in ecclesia pridem usitato, *antichristus* [1]).

---

1) *Lectionem tamen* κυρίου, *post marg.* utriusque Ed., *praefert* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

v. 3. κατὰ μηδένα τρόπον, *nullo modo*) Tres modos innuit v. 2. — ὅτι, *quod*) Subaudi, ex antecedentibus, particulam negantem, cum verbo substantivo: *non fit, nisi* etc. Habet autem ellipsis haec εὐλάβειαν. Εὐλαβὴς est, qui rem propositam capit bene, non importune et temeraria audacia, *sachte, scheu,* etc. Εὐλάβεια est, quod Paulus non expresse dicit: *Non venit dies Christi, nisi* etc. Leniter loquitur: abstinet verbis, quae non libenter audiret amator adventus Christi. — ἐὰν μὴ, *nisi*) Quae v. 3—8. leguntur, uberiorem considerationem postulant. Ac primum quidem hanc periocham per se intuebimur: deinde Apocalypsin conferemus. *Prior intuitus has fere positiones complectitur:*

I. *Scopus Pauli est, monere Thessalonicenses, ne diem Christi propinquiorem putent, quam revera sit.* — Magnum scandalum affert exspectatio rerum futurarum, quae divino putatur testimonio niti, et tamen in exitu falsa deprehenditur. Maximum scandalum afferre poterat talis exspectatio diei Christi. Quare Paulus solicite occurrit. Parati erant Thessalonicenses ad Dominum cum gaudio excipiendum, c. 1, 11. 1 Thess. 1, 10.: et ejusmodi quidem cupiditas spem praesupponit et fidem, sed tamen ipsa potest esse inordinata. In ordinem ergo redigitur.

II. *Speciatim docet Paulus, venturum prius esse ingens quoddam malum.* — Paulus non omnia, quae inter aetatem illam et inter diem Christi intercessura essent, enumerat: sed unum quoddam maxime insigne indicat, cujus declaratio erat jam tum tempestiva et Thessalonicensibus salutaris. Describit ergo *apostasiam, hominem peccati etc.*

III. *Non modo malum, sed etiam Retinaculum ejus indicat apostolus.* — Memoratur ὁ κατέχων *retinens,* qui retinet hominem peccati. Id retinaculum ipso malo prius est quodammodo, adeoque indicium ejus magnopere ad institutum apostoli pertinet, ut tempus revelandi adversarii, cum justa tamen latitudine, definiatur.

IV. *Malum a temporibus Pauli se porrigit usque ad apparitionem adventus J. C.* — Non solum latissime patet malum illud, v. 4. 10. 12., sed etiam valde diuturnum est, et quamvis per varios gradus exsurgat, tamen est continuum quoque, a primis suis staminibus ad finem usque. *Jam,* inquit apostolus, *operatur mysterium iniquitatis.* Jam apostolorum tempore, magis vero post obitum eorum, maxime post obitum apostolicorum virorum, operabatur. Non optime consulunt, qui ideam ac regulam ecclesiae in antiquitate potius seculorum primorum aliquot, majorem tantummodo posteritatis declinationem redarguentium, quam in ipsa veritate sitam censent.

V. *Retinaculum quoque tempore Pauli erat, idemque tum demum in medio esse desinit, quum in nervum erumpit malum.* — *Qui retinet jam,* inquit Paulus, *donec e medio fiat.* Patet hinc, Retinaculum non esse praeconium evangelii, aut universum, aut apostolicum. mansit retinaculum etiam post apostolos, qui multo ante consummarunt cursum, quam retinaculum desineret esse retinaculum: totum vero praeconium evangelicum nunquam e medio tollitur.

VI. *Malum describitur primum in abstracto, deinde in concreto.* — *Mysterium iniquitatis* dicitur *jam operans:* ex intervallo autem, revelabitur illo ipse *iniquus.* Tali ordine res evenit. Non dissimile est, quod prius appellatur *apostasia,* deinde *homo peccati.* In praeconio de Christo dicebatur primum, in abstracto, *appropinquavit regnum coelorum;* deinde ipse Christus cum gloria sua est apertius ostensus. Sic ex opposito se habet testimonium de malo. Vitiosus humor in unum tandem apostema contrahitur et erumpit.

VII. *Magnum malum est apostasia et mysterium iniquitatis.* — Diversas partes habet descriptio mali in abstracto et in concreto, eaeque se mutuo explicant. *Apostasia* est *defectio* a fide, dilucideque describitur 1 Tim. 4, 1. Nullo

definito loco terminatur haec apostasia: quam late patuit fides, tam late fere patet apostasia; maxime tamen apud *Judaeos* invaluit. Etiam eorum est apostasia, quibus oblata fuerat fides, quamvis eam non susceperint: qui eam susceperant, eorum nonnulli *resilierunt*. conf. Hebr. 3, 12. Populus est instar unius hominis, sive divina gratia, se offerens, spectetur, sive recusatio humana quaecunque. *Apostasia* populi erat, recusantis intrare in terram promissam. LXX Num. 14, 31. *Thessalonicae* inprimis Judaeorum acerbitas vehementissima erat: Act. 17, 5. 11. 13. Romaeque *Judaismus* Christianismo multum detrimenti attulit. *Iniquitas* item, cujus mysterium jam tum operabatur, non est iniquitas quaelibet, quamvis multiplex, Matth. 24, 12., sed ea, ex qua ipse *Iniquus* denominatur versu 8. coll. v. 3. 4. Hujus iniquitatis jam tum operabatur *mysterium*, (conf. Deut. 31, 21. 27.) et ita erat occultum, ut ipsis hominibus fere inscientibus obreperet, et per multas aetates cresceret. Operatur vero etiamnum, donec ipsum Iniquum producet operatio Satanae. v. 9. Judaismus, Christianismum inficiens, est fomes: mysterium iniquitatis est scintilla.

VIII. *Maximum malum est Iniquus ipse.* — Est *homo peccati, filius perditionis, oppositus et elatus super omnem dictum deum aut cultum, ita ut ipse in templo Dei quasi deus consideat, declaretque, sese esse deum.* Est *Iniquus* ipse, *cujus adventus est secundum efficaciam Satanae etc.* Haec momenta postea expendemus singulatim.

IX. *Retinaculum*, masculino *genere et* neutro *genere promiscue dicitur: nisi* neutrum ideo in Textu *praecedit, ut postea* ὁ κατέχων, Retinens *opponatur adversario singulari. — QUI retinet JAM*, inquit, *in medio esse desinet:* et paulo ante, *ID QUOD retinet, nunc scitis, ut reveletur ille SUO TEMPORE.*

X. *Non apostasiam et mysterium iniquitatis cohibet retinaculum illud, quantum quantum est, sed ipsum hominem peccati, ipsum nefarium. — Mysterium iniquitatis*, et *is qui retinet*, in unum idemque tempus cadunt. at quum *is qui retinet*, et *id quod retinet*, in medio esse desiit, *tum* revelatur iniquus.

XI. *Ex apostasia tandem nascitur, homo peccati: hunc autem ipsum retinet potentia politica Romana.* — Ex mutua collatione mali et retinaculi, et qualitatum utriusque, perspicitur, quid utrumque sit. *Iniquus* ille praeter signa mendacii habet etiam *majestatem* quandam, fuco spirituali adornatam, *quasi deus* esset. Eam civilis cohibet potestas, quae tempore Pauli Romana utique erat, Hierosolymam, Romam, Corinthum, unde ille scribebat, Thessalonicam, quo scribebat, complexa. etc.

XII. *Tempus epistolae hujus non parum adjuvat interpretationem.* — Scripta est tempore Claudii: coll. Act. 18, 2. 5. cum 1 Thess. 3, 1. 6. quo ipso penitus refutatur Grotius, prophetiam Pauli conans de Caligula interpretari. Ipsum praecise *Claudium* veteres putarunt esse retinaculum. hinc enim, ut apparet, factum est, ut successorem Claudii *Neronem* existimarent esse hominem peccati: cumque improbitas Neronis quamlibet vesana eam tamen non implesset mensuram, *Domitianum* et alios ejusmodi imperatores quasi pro complemento mali habuere. Non exhauserunt illi quidem prophetiam: sed tamen aliquid ex vero assecuti sunt, *Romanum* hic nempe quiddam quoquo modo spectari.

Propius accedamus. Retinaculum est aliquid, quod Thessalonicenses, quum Paulus non multo ante apud eos fuisset, non norant; et nunc, quum idem haec scriberet, norant, respondentibus eventuum initiis, magis quam paulo ante putassent multi. Id patet ex antitheto versus quinti et sexti. Scripta est epistola circa annum VIII Claudii, Ae. Dion. 48., ut in *Ordine temporum*, p. 278. ostendimus. Eo tempore Claudius Judaeos, sive credentes, sive non credentes, et hos quidem assidue tumultuantes, Roma expulerat: et in ipsa Judaea Cumanus graviter eos premebat. Ergo in provinciis praesides et procuratores, in Italia ac

Romae ipse imperator malum retinebat. Insigne specimen est, quod Judaei non nisi post obitum Festi et ante adventum Albini Jacobum interemerunt. Quicquid ea fecerunt occasione, libenter alias fecissent contra Christum, sed per Romanos non potuerunt. Sic Corinthi eos retinebat Gallio, Hierosolymis Claudius Lysias. Act. 18, 14. 21, 32. Tempore Pauli certo retinebat Malum potentia Romana. non immediate. ergo mediate. Medium autem, rigor in Judaeos, qui longius essent progressi, si per Romanos potuissent. Faciliorem interpretationem libenter audiam.

XIII. *Quum retinaculum in medio esse desiit, revelatur Iniquus ille.* — Convenit haec positio cum quinta, et tamen ab ea differt quoque. Illa diuturnitatem retinaculi notat: haec, tempus Nefarii revelandi. *Nefarii adventus est secundum efficaciam Satanae in omni vi et signis et prodigiis mendacii etc.* Hic adventus nondum est factus, quanquam praeludia non desunt pridem: ergo retinaculum adhuc est. Atque ipso hoc firmissimo argumento constat, retinaculum esse potentiam politicam Romanam. Nullum enim aliud tam potens, tamque diutinum usquam reperietur retinaculum. Non tamen Satanae efficaciam cohibuit hoc retinaculum, sed Nefarii dominatum: et amoto retinaculo, Nefario opem fert Satanas.

Nunc Apocalypsin adsciscemus.

XIV. *Nefarius ille est bestia ex abysso ascendens.* — Tam diutinum, tam continuum est malum a Paulo descriptum, §. IV., ut non possit non in apocalypticae aliquando bestiae tempora incurrere: tantaque similitudo nefarii est ac bestiae, tam late diffusa, tam elata potestas, ut non nisi unum possit esse subjectum. Nefarius non demum post interitum bestiae interibit: nam proelio illo, quod Ap. 19. describitur, ita conficiuntur hostes, ut calamitas per Paulum descripta non possit ulterius extendi. Idem Nefarius non peribit prius: nam manet usque ad apparitionem adventus Domini.

XV. *Itaque totum malum a Paulo descriptum cum re Romana proprie intimeque conjunctum est.* — Quid necessitudinis apostasia et ipse homo peccati cum urbe Roma haberet; Thessalonicenses non potuere cognoscere, nisi Paulus eos coram docuit. Nos Apocalypsis et eventus docet, ac posteritatem docebit uberius. Nos igitur pro captu temporis nostri collationem instituemus.

XVI. *Nefarius ille, adhuc est venturus.* — Una eademque bestia est, quae primum ex mari, deinde ex abysso ascendit. Ea bestia cum muliere, quae est Babylon, Roma, plurimum habet negotii. Aliquando mulierem portat: postremo, suffragantibus decem cornibus, eam delet. Bestia ex mari, est papatus Hildebrandinus: sed bestia ex abysso, praeter successionem in papatu (quae traditionem antiquam de antichristo ex *Judaeis* oriundo non tollit, sed suo loco relinquit) novam habebit ac plane singularem malitiam, cujus nomine dicitur *homo peccati* etc. *Haec omnia demonstrantur in Germanica et Latina interpretatione Apocalypseos.* Antichristus sive homo peccati, seculo XIX. venturus, non potuit retardari per potentiam Romanam seculi I. et seq. de quibus conf. Ap. 8. s. Ergo Imperator Romanus erit in X. regibus, Isque, ubi cum novem ceteris potestatem suam dabit bestiae, e medio fiet, et homini peccati locum dabit. Potentia Romana est retinaculum usque ad exortum Nefarii, qui post exortum suum vastat meretricem, ope decem cornuum.

XVII. *Roma tamen altera est, in quo apostasia et mysterium iniquitatis per multa secula fluxum habet.* — Non diu Claudius exclusos Roma Judaeos et cum iis Christianos habuit: brevi post redierunt, et cum bono etiam malum crescendi copiam est nactum. Duae partes mali sunt: apostasia, et mysterium iniquitatis. *Apostasia a fide,* et διχοστασίαι sive *dissensiones* a *doctrina* apostolica recedentes, valde conjunctae sunt: atque hae jam tum *Romae* fiebant a qui-

itized by Google

busdam, auctore Satana. Rom. 16, 17. coll. v. 20. Et apostasia a fide, *doctrinas* invehens de cultu *divorum intermediorum*, de *nuptiis*, spiritualis perfectionis obtentu, et *cibis*, quibusdam utique tantummodo, vitandis, 1 Tim. 4, 1. 3., in Romam, quamvis ab aliis haeresibus diu intactam, proprie convenit. *Iniquitas* in *peccato perniciosissimo Elationis* potissimum est sita. v. 3. 4. *Initium superbiae hominis, apostatare a Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus. Quoniam initium omnis peccati est superbia.* Sir. 10, 14. 15. Semina ac stamina prima latebant in elatione auctoritatis humanae, in *Petrismo*, 1 Cor. 1, 12. not. Inde paulatim enatus est primatus episcopi Romani, ac totatus papalis.

XVIII. *Et Papa stricturas subinde habet ipsius hominis peccati etc.* — Papa est quodammodo *homo peccati*, dum legis divinae et praeceptorum divinorum transgressionem vehementer auget, observationemque eorum magnopere impedit, sua vero placita summo rigore tuetur: *filius perditionis*, dum innumeras animas in perniciem demersit, et ingentes copias hominum ipsi vel devotorum vel ulla ex parte renitentium morti tradidit: *oppositus* majestati Caesaris, domini quondam sui, et *elatus supra omnem dictum deum aut cultum*, summam potestatem, summum cultum sibi vindicans, angelis imperans, imperatorem sibi subjiciens. Neque semel eo erupit paroxysmus pontificii fastus, ut se *deum* aut *vicedeum* appellaret aut appellari pateretur: tantundemque valet solennis titulus *Sanctissimi Domini* (nam *deitas et sanctitas* stilo Scripturae sunt synonyma) et *Beatissimi Patris*. coll. Matth. 19, 17. Interdum papa, quasi ferculum *divinum*, cum *sella* imponitur *altari* per bajulos principes. Manet primis Romae episcopis indelibata sua laus: sed tamen in progressu temporum, per gradus spirituales et civiles, ordine textus, lineamenta conspiciuntur ejus formae, quae suo tempore in Nefario illo quam manifestissime se exseret.

XIX. *Primum is qui retinet, deinde id quod retinet, in medio esse desinit.* — Diximus hoc jam §. IX. sed hoc loco strictius repetendum venit. *Is qui retinet*, est, qui Romam sub ditione habet: id est, Imperatores, ethnici, christiani, Romae, Constantinopoli: Reges, Gothici, Longobardici: rursum Imperatores, Carolingi, Germani, a quibus plaga gladii. Ap. 13. Hic est Retinens, longe in media bestiae ex mari exortae tempora. Ita retinuerunt principes illi papatum, ut tamen etiam juvarent: ita juverunt, ut tamen etiam retinerent. Extremo tempore *id quod retinet* est potentia Romae ipsius, quando bestia mulierem portat, et ipsa non est. Id quum amotum erit, revelabitur Nefarius ipse.

XX. *Revelatur Nefarius, quum aperta improbitate agere incipit.* — *Mysterio* opponitur *revelatio*, et haec ter memoratur, v. 3. 6. 8. Itaque revelatio non ea dicitur, qua Nefarius per testimonium veritatis convincitur; sed ea, qua ipse, Retinente amoto, aperta improbitate agit, quanquam improbitatem pauci perspiciunt.

XXI. *Apparitio adventus I. C. qua Nefarius conficietur, praecedet ipsum adventum novissimumque diem.* — Haec apparitio, cum interitu bestiae, sive Nefarii, describitur Apoc. 19, 11. seqq. ubi hi *duo*, bestia et pseudopropheta, vivi jaciuntur in stagnum ignis ardens in sulphure, reges autem terrae et exercitus eorum occiduntur v. 20. 21. Sequitur demum captivitas Satanae et regnum sanctorum. Etenim inter cladem bestiae et inter diem novissimum liquido Apocalypsis millenos interjicit annos. *Ii vero anni quomodo cum Paulo conciliabuntur?* Resp. Paulus Danielem, ut postea videbimus, respiciens, ea simul innuit, quae apud eundem inter cornu parvi exitium et inter finem rerum, eventura denotantur. c. 7, 9. 14. 22. 26. 27. Multae res interitu bestiae longe priores, atque ipse Jesu Christi patientis ingressus in gloriam, cum adventu ejus in nubibus connectitur: Matth. 26, 64. Joh. 21, 22. nott. Ergo idem adventus potuit etiam connecti cum destructione adversarii, quae inter utrumque Christi adventum per-

Google

magna res est. Atque ut cum vastatione Hierosolymorum connecti potuit finis mundi; quia revelatio eventuum intermediorum nondum erat matura: sic cum interitu adversarii connectere potuit Paulus adventum Christi; quia in Apocalypsin reservati erant anni milleni, quae omnino haec puncta multo clarius exponit, ita ut ex Apocalypsi ipsa dein Danielis prophetia lucem nanciscatur. Quanquam scite Paulus *apparitionem adventus* dicit, non *adventum* ipsum. Nondum erat tempus specialioris indicii: et tamen ea Paulo verba Spiritus veritatis dictavit, quae cum rebus ipsis, specialius posthac revelandis, exacte convenirent. Gradatim prophetia procedit. Apocalypsis explicatius loquitur, quam Paulus: et Paulus hoc loco explicatius loquitur, quam ipse Dominus ante glorificationem. Matth. 24, 29.: ubi vide notas. *Antiquiora autem et involutiora dicta ex novissimis quibusque et distinctissimis interpretari, non illis ad haec enerranda et eludenda abuti debemus.* Quin etiam re ipsa interitus adversarii cum adventu Christi cohaeret. etenim duo sunt maxime illustria in gloria Christi, videlicet, quod est Filius Dei, et quod est Veniens ad judicandum. De horum utroque similem loquendi morem habet Scriptura diligenter nobis observandum. Generationem Filii tanquam *praesentem* allegat, quotiescunque aliquid Unigenito Patris valde dignum occurrit. Act. 13, 33. not. Et sic adventum quoque gloriosum sub judiciis Judice viventium et mortuorum valde dignis *repraesentat*. conf. Rom. 2, 16. not. Bestia et pseudopropheta primi omnium in stagnum ignis jaciuntur in *apparitione adventus* Domini Jesu: in ipso ejus *adventu* omnes, qui non inveniuntur in libro vitae scripti, jaciuntur in stagnum ignis. Prius judicium est praeludium et specimen plane singulare judicii alterius: imo unum est idemque revera judicium, tempore tantummodo discretum, et ex toto sub septimi jam angeli cadens tubam.

Praecipua rei *momenta, ut arbitror, expedita sunt: nunc residuas* locutiones *illustrabimus.* — ἡ ἀποστασία, *defectio*) Frequens in hac periocha est articulus graecus, ἡ ἀποστασία — ὁ ἄνομος· isque vel ad Pauli refertur antegressum sermonem, vel ad prophetias V. T. — ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, *homo ille peccati*) *justitiae* verae infensissimus. Hunc ita describit Paulus, ut ex opposito ad Jesum Christum, maximeque ad locum Zach. 9, 9. 10., alludat. nam Rex Sionis est 1) *Justus:* 2) *Salutis* plenus: 3) *mansuetus* et *vectus asino:* in summa, *auctor pacis.* At hostis est 1) homo *peccati:* 2) filius *perditionis.* 3) *oppositus* et *elatus:* in summa, *nefarius.* Ubi enim jus et *fas* viget, viget *pax.* Totum beneficium Christi *pace* indicatur. *Nefarius* vero omnem miseriam et calamitatem affert. Lex est *sancta* et *justa* et *bona.* ἄνομος contra est profanus et injustus et malus. Porro quae alias de Jesu Christo praedicat inprimis Paulus, de hoste idem, contrariam in partem, enunciat, *rerelationem* ei adscribens, et *mysterium, adventum, signa* etc. — ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *filius ille perditionis*) qui et quam plurimos in perditionem dabit praecipites, et ipse in profundissimam perditionem abibit. Ap. 17, 8. 11.

v. 4. ὁ ἀντικείμενος κτλ., *oppositus etc.*) Praecedentia duo nomina ex contrario respondent nomini *Jesu:* quae sequuntur, ex contrario respondent majestati *Christi.* Sic Dan. 11, 36. seq. καὶ ὑψωθήσεται καὶ μεγαλυνθήσεται ὁ βασιλεὺς ἐπὶ πάντα θεὸν καὶ ἐπὶ τὸν θεὸν τῶν θεῶν, καὶ λαλήσει ὑπέρογκα. Hoc igitur dicit Paulus: Non venit dies Christi, nisi impletum sit (in homine peccati,) quod Daniel de *Antiocho* ita praedixit, ut magis etiam conveniat in hominem peccati, Antiocho respondentem, et illo deteriorem. conf. ad Apoc. 13, 1., Thes. VII. §. *Non momentanea* etc. in fine. Sub uno stant articulo haec duo vocabula, *oppositus et elatus:* nam ideo se *opponit*, ut se efferat. Effert se corde, lingua, stilo, factis, per se, per suos. — ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, *super omnem dictum deum aut cultum*) *dii dici* solent angeli, et homines imperio pollentes.

Google

1 Cor. 8, 5. Super *omnem* talem *deum* se extollet Nefarius. σέβασμα est, *quod colitur*: et singulari titulo ὁ σεβαστὸς, *Augustus*, dicitur Imperator Romanus. Act. 25, 21. Itaque σέβασμα in terris praecipuum est Caesaris majestas et potestas, Romae maxime conspicua. Adeo autem se effert Nefarius, ut non modo majorem potestatem et cultum sibi arroget, quam ullus deus dictus aut cultus habet, sed etiam, ut omnis deus dictus aut cultus ei subesse cogatur, in terra, aut fingatur, quod ad coelites attinet. Clemens VI. in Bulla de jubilaeo mandavit angelis paradisi, ut animas morientium in itinere, a purgatorio penitus absolutas, in paradisi gloriam introducerent. — ὥστε κτλ., *ita ut etc.*) Complexus potestatis spiritualis et civilis, utrinque summae. — εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, *in templum Dei*) in illud Dei templum, quod memoratur Ap. 11, 1. Nam ibidem versu 7. de hoc adversario agitur. — καθίσαι, *sedeat*) pro imperio. [1]) — ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν, *declarans se ipsum*) ἀποδείκνυμι, *designo, declaro.* Herodianus non semel, ἀποδεῖξαι καίσαρα, *Caesarem appellare.* — ὅτι ἔστι θεὸς, *esse se Deum*) Magna exprimitur Nefarii de se ipso asseveratio. Non dicet, se esse ipsum Deum creatorem coeli et terrae, sed tamen, se esse deum quovis alio deo dicto majorem.

v. 5. οὐ μνημονεύετε; *non recordamini?*) Innuit apostolus, se sibi non contradicere, neque sermoni pristino declaratione qualicunque nova, ut solent opinatores post offensionem, subvenire: non ita propinquum se dixisse diem Domini, ut non aliae res magnae interim essent eventurae. — ἔτι, *adhuc*) Antitheton, νῦν, *nunc*, v. 6. — πρὸς ὑμᾶς, *apud vos*) Thessalonicae hodie magnopere viget Judaismus, et suo tempore poterit observari, num Nefarius in ea inprimis urbe magnas sit partes habiturus. Ante mortem et resurrectionem duorum testium etiam ex *tribubus* (Israëlis) nonnulli a bestia stabunt, Ap. 11, 9., et post ascensionem eorum in coelum et terrae motum, resipiscent. Per me fieri potest, ut Judaeus occultus fiat Papa. conf. Thes. XVI. ad v. 3. Nil affirmo. — ἔλεγον ὑμῖν, *dixisse vobis*) Sic v. 15., *docti estis.*

v. 6. τὸ κατέχον, *id quod retinet*) Sunt, qui interpretentur de *obtinente* imperium: sed non sic dicitur absolute ὁ κατέχων, nedum τὸ κατέχον. κατέχειν est *detinere, morari.* LXX Gen. 24, 56., μὴ κατέχετέ με. A κατέχον pendet mox εἰς τὸ — —. Nisi τὸ κατέχον esset, citius revelaretur *Nefarius.* — οἴδατε, *nostis*) Norant ex praesenti hujus epistolae indicio, rerum intuitu addito. Tute loquitur: neque opus erat, apertius dici. — ἐν τῷ αὐτοῦ καιρῷ, *suo tempore*) non prius.

v. 7. γὰρ, *enim*) Ratio, cur modo *rerelationem futuram* dixerit. Subjungitur enim, μυστήριον, *arcanum*, jam praesens. — [2]) ἐνεργεῖται, *operatur*) Medium verbum, (uti Rom. 7, 5.) cum prosopopoeia, occultissimam hostis actionem innuente. — μόνον, *solummodo*) Indicat hoc non brevitatem retinentis nec celeritatem pleni eventus, sed *unitatem* retinentis. ἕως, *usque dum*, mox denotat moram. Subjectum est, *qui retinet jam:* praedicatum ellipticum, *is retinet*, sive, *in medio est, donec e medio fiat*, sive, in medio esse desinat, ita ut nullo loco officiat nefario illi. Potentia *Retinentis* tanquam totum potestativum in multas partes deinceps divisa fuit. et est tamen unus Retinens.

v. 8. τότε, *tum*) confestim. — ὁ ἄνομος) Haec ultima est et gravissima appellatio, praecedentium vim complexa: *iniquus ille, nefarius, exlex*, et (pressiore Plauti Noniique vocabulo,) *illex.* רשׁע LXX ἀσεβὴς, *impius.* Jes. 11, 4., καὶ πατάξει γῆν τῷ λόγῳ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ ἐν πνεύματι διὰ χειλέων ἀνελεῖ

---

1) *Nam verba* ὡς θεὸν, *ante* καθίσαι *posita, non pro variante aestimanda, sed retinenda esse, tum* utriusque Ed. *margo tum* Vers. germ. *innuit.* E. B.

2) ἤδη, *jamjam*] Unica est colluvies, per multa se tempora diffundens. *V. g.*

ἀσεβῆ. — ὃν, *quem*) sat diu grassatum. — ὁ κύριος, [1]) *Dominus*) *Dominus dominorum.* Ap. 19, 16. — τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ, *Spiritu oris sui*) Ex hoc ore egreditur etiam *rhomphaea.* ibid. v. 15. 21. — τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, *apparitione adventus sui*) Alibi *apparitio,* alibi *adventus* dicitur, v. 1., eodem sensu: hic autem *apparitio adventûs* ipso *adventu* prior est, vel certe prima ipsius adventus emicatio, uti ἐπιφάνεια τῆς ἡμέρας.

v. 9. οὗ, *cujus*) Nefarii. Subjungit nunc Paulus descriptionem calamitatis uberiorem, hoc consilio, ut ex opposito consoletur Thessalonicenses. v. 13. — τοῦ σατανᾶ, *Satanae*) Ut ad Deum se habet Christus, sic e contrario ad Satanam se habet antichristus, medius inter Satanam et perditos homines. — καὶ σημείοις, *et signis*) Haec signa patrabuntur per pseudoprophetam, bestiae inservientem, et quidem etiam ante adscensum bestiae ex abysso. Ap. 13, 13.

v. 10. τῆς ἀληθείας, *veritatis*) quae est in Christo Jesu. — οὐκ ἐδέξαντο, *non receperunt*) Hoc vel maxime fecerunt Judaei, Joh. 5, 43. Judaeisque inprimis damnosus erit Nefarius ille. Huc pertinent, quae paulo ante in positionibus hinc inde de *Judaeis* adspersimus.

v. 11. πλάνης, *erroris*) qui est in antichristo.

[2]) v. 12. πάντες, *omnes*) Late ergo et diu et vehementer grassatur error ille.

v. 13. ἡμεῖς δὲ, *nos vero*) Solatium post praedictionem rerum tristium. Sic 2 Tim. 2, 19. Dices, Quid opus fuit jam tum solatio ad Thessalonicenses? Resp. Jam tum agebatur mysterium iniquitatis: et ex longe futuris aeque derivatur doctrina, atque ex dudum praeteritis. 1 Cor. 10, 1. ss. — ὀφείλομεν, *debemus*) c. 1, 3. — ὑπὸ κυρίου, *a Domino*) Christo. — εἵλετο — ἀπ᾽ ἀρχῆς] Non ait, ἐξελέξατο, sed, uno hoc loco, hac de re, εἵλετο. Id effectum est per vocationis evangelicae successum; et tamen additur, *a principio,* i. e. ab aeterno, coll. 1 Joh. 1, 1., quia decreto aeterno muniti assertique sunt credentes: Eph. 1, 4.: contra atque ii, qui hominem peccati colunt. Ap. 13, 8. Conf. Deut. 7, 7. 10, 15. προείλετο κύριος ὑμᾶς καὶ ἐξελέξατο κτλ. Ibid. c. 26, 18., והאמירך היום eἵλετό σε σήμερον γενέσθαί σε αὐτῷ λαὸν περιούσιον. Decretum revera est ab aeterno, quam vere nativitas filii Dei ab aeterno est: aliud tamen est *decretum,* aliud est *nativitas.* — ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, *in sanctificatione Spiritus*) Spiritus sanctus sanctificat nos, et sanctificatio est criterium electionis. 1 Petr. 1, 2.

v. 14. εἰς ὅ, *in quod*) Declaratur τὸ *in salutem.* — εἰς περιποίησιν, *in liberationem*) Reassumitur *in.* subaudi *videlicet.* Non est περιποίησις sive *liberatio* mera ex naufragio mundi, sed conjuncta cum *glorificatione.* 2 Tim. 2, 10. Congruit περιούσιον. Deut. l. c. — τοῦ] Constr. cum περιποίησιν.

v. 15. ἄρα οὖν, *itaque*) Conclusio. — κρατεῖτε, *tenete*) nil addentes, nil detrahentes. — τὰς παραδόσεις, *traditiones*) Utinam ii, qui *Traditiones* maxime urgent, etiam ex hoc loco, *tradita* hoc capite a Paulo, tenuissent ac tenerent. *Traditio* est ingens beneficium. Tradit Deus per nuncios evangelii: accipiunt fideles. c. 3, 6. Paulus multos annos docuit, antequam scribere inciperet. Traditur vel ore [*coll.* v. 5.] vel scripto. — δι ἐπιστολῆς, *per epistolam*) Scripserat de hac re 1 Thess. 4. et 5.

v. 16. ὁ κύριος, *Dominus*) Huc ref. *in gratia.* — ὁ θεὸς, *Deus*) Huc ref. *qui dilexit.* 2 Cor. 13, 13. — αἰωνίαν, *aeternam*) Nil ergo pessundare potest fideles.

v. 17. παρακαλέσαι, *adhortetur*) Id deducitur ex *qui dedit* παράκλησιν *consolationem.* — στηρίξαι, *stabiliat*) Id deducitur ex *qui dedit spem bonam in*

---

1) *Pleniorem lectionem* ὁ κύριος ἰησοῦς *praefert* Ed. 2., *quam sequitur* Vers. germ. E. B.
2) εἰς τὸ, *ut*] Omnibus itaque nervis id age, ut credas veritati. *V. g.*

gitized by Google

gratia. — λόγῳ, [1]) *sermone*) per παράκλησιν. Talis hic sermo, quem tractavit Paulus. — ἔργῳ, *opere*) per στήριξιν. 1 Cor. 15, 58.

CAPUT III.

v. 1. Τρέχῃ, *curral*) celeriter, conf. Ps. 147, 15. sine sufflamine. 2 Tim. 2, 9. — δοξάζηται, *glorificetur*) Act. 13, 48.

v. 2. ἀτόπων) ἄτοπος, *ineptus*, importunus. — οὐ πάντων, *non omnium*) Ταπείνωσις. i. e. paucorum. Thessalonicenses, qui promte crediderant, facile putare possent, *omnes* ita promtos fore. id *negat* Paulus, alia omnia expertus. — ἡ πίστις) *fides*, in Deum per Christum. haec sola tollit τὸ ἄτοπον καὶ πονηρὸν, *ineptum et malum.*

v. 3. πιστὸς δὲ, *fidelis autem*) Post mentionem rei tristissimae statim subjicit, quae possint esse solatio. ita c. 2, 13. Contra *infidelitatem* hominum, laudat *fidelitatem* Domini. sic 2 Tim. 2, 13. — στηρίξει ὑμᾶς, *stabiliet vos*) quamvis ceteri fidem ne capiant quidem. — ἀπὸ τοῦ πονηροῦ) *a malo*, a Satana; non modo a malis hominibus, per quos ille fidem oppugnat.

v. 4. ἐν κυρίῳ, *in Domino*) Nulli homini per se fidas. — παραγγέλλομεν, *praecipimus*) v. gr. ut oretis de nobis, ut muniatis vos ipsos. v. 1.

v. 5. κύριος, *Dominus*) Christus. — εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ, *in amorem Dei*) Ita favebitis cursui verbi Dei, neque eritis ἄτοποι *inepti*. — εἰς ὑπομονὴν τοῦ χριστοῦ, *in patientiam Christi*) Ita tolerabitis odium *malorum* hostium Christi. Utrumque sumendum est objective: *amor* erga *Deum*, *patientia* propter *Christum* praestita.

v. 6. στέλλεσθαι) Verbum hoc proprie dicitur de navigantibus et proficiscentibus, *tendere aliquo* vel *alicunde:* inde, *ritare.* conf. v. 14. Suspensos tenet Thessalonicenses, donec v. 11. rem ipsam exprimit. Videntur ob propinquitatem diei Christi omisisse laborem. Prior epistola lenius monuit: altera jam habet, quod queratur, quanquam de ejusmodi labe, quae non nisi lautas animas tentat. — παντὸς, *omni*) quamvis ceteris rebus speciose ambulet. — ἀτάκτως, *inordinate*) Igitur *Ordo* mendicantium non est ordo, sed *gravat* rempublicam ipsam. v. 8. Si Thessalonicenses se obstrinxissent voto, quid Paulus dixisset?

v. 7. πῶς) *quali ratione* vivendi.

v. 8. ἐργαζόμενοι, *operantes*) Constr. cum *edimus.* — ἐπιβαρῆσαι, *aggravare*) Rem justam, jure suo cedens, exprimit vocabulo graviore.

v. 10. ὅτε, *quum*) Jam tum necessitatem hujus praecepti apud Thessalonicenses viderant. — εἴ τις οὐ θέλει, *si quis non vult*) *Nolle*, vitium est. — μηδὲ ἐσθιέτω, *neque edito*) Enthymema. Subaudi: atqui quilibet edit; ergo quilibet laborato. Non vult Paulus, tali homini statim ab aliis subduci victum; sed ex necessitate edendi necessitatem laborandi demonstrat, adsperso hocce charientismo: *talis praestet se angelum.* Simile enthymema, 1 Cor. 11, 6.

v. 11. ἀλλὰ, *sed*) Ab otio valde proclive est hominum ingenium ad curiositatem. Semper enim quaerit natura, quod agat. — περιεργαζομένους, *curiosa sectantes*) Oppositum, *facere sua.* 1 Thess. 4, 11.

v. 12. μετὰ ἡσυχίας, *cum tranquillitate*) missa *curiositate.* — ἑαυτῶν, *suum ipsorum*) non alienum.

v. 13. καλοποιοῦντες, *bene facientes*) etiam manuum industria.

v. 14. [2]) διὰ τῆς ἐπιστολῆς τοῦτον σημειοῦσθε, *per epistolam hunc notate*)

---

1) *Lectionem* ἔργῳ καὶ λόγῳ, *ordine inverso, et margo* utriusque Ed. *et* Vers. germ. *praefert.* E. B.

2) τῷ λόγῳ ἡμῶν, *sermoni nostro*] oretenus prolato, v. 10. *V. g.*

Digitized by Google

Innuitur haec ipsa epistola. conf. 1 Thess. 5, 27.: ubi articulus eandem vim habet demonstrandi. σημειοῦσθε, *notate*, notâ censoria; hanc epistolam, ejus admonendi causa, adhibentes, eique inculcantes. Confer וידרו כתב καὶ ἐγενήθησαν ἐν σημείῳ Num. 26, 10. Affinis significatio verbi παραδειγματίζειν. Fieri id potest vel ad alios, per literas, peregre, vel in faciem, coram. haec circumstantiarum diversitas significatum non mutat. — ἵνα ἐντραπῇ) *ut*, aliorum judicio perspecto, *se demittat*. נכנעו ἐνετράπησαν, 2 Chron. 12, 7.

v. 15. καὶ μὴ, *neque*) Ubique cavetur, ne in extrema incidamus. — νουθετεῖτε, *monete*) Non satis est, *non uti* aliquo: v. 14. scire debet, cur id fiat.

v. 16. ὁ κύριος τῆς εἰρήνης, *Dominus pacis*) Christus. — τὴν εἰρήνην) *pacem*, fraternam. — ἐν παντὶ τρόπῳ) *in omni ratione* vitae, etiam quod ad opus faciendum attinet. conf. c. 2, 3., κατὰ μηδένα τρόπον, *nulla ratione*. Παντὶ τρόπῳ, citra ἐν, dicit Paulus Phil. 1, 18.

v. 17. τῇ ἐμῇ χειρὶ, *mea manu*) Major ergo pars epistolae alia manu erat scripta. — σημεῖον, *signum*) Credibile est, Paulum [*ut omnis generis fraudi careret*, c. 2, 2. V. g.] singulari et inimitabili pictura et ductu literarum expressisse illud, *gratia* etc. v. 18. — ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ, *in omni epistola*) Jam tum ergo plura scripserat. — οὕτω, *sic*) non aliter. Dubitationi occurrit.

IN EPISTOLAM PRIOREM AD TIMOTHEUM.

CAPUT I.

v. 1. Ἀπόστολος, *apostolus*) Hic titulus facit ad confirmandum Timotheum. Familiaritas seponenda est, ubi causa Dei agitur. — κατ᾽ ἐπιταγὴν, *secundum mandatum*) Sic Rom. 16, 26. Conf. 1 Cor. 1, 1. not. — σωτῆρος ἡμῶν, *Servatoris nostri*) Sic appellatur etiam Deus Pater. c. 2, 3. 4, 10. Tit. 1, 3. 2, 10. 3, 4. Jud. v. 25. Luc. 1, 47. Causa explicatur 2 Tim. 1, 9. — τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, *Spei nostrae*) Synonymon, *Servatoris*.

v. 2. τιμοθέῳ, *Timotheo*) Epistolae ad Timotheum, ad Titum et ad Philemona, habent aliqua, ut ad singulares personas datae, potius signata, quam exposita, v. gr. v. 18. Si nulla ad Timotheum extaret epistola, optaremus inprimis, extare aliquam, ut videremus, quid Paulus Timotheo potissimum commendaret: nunc quum duae extant, eo studiosius eas debemus in usum vertere. — τέκνῳ, *filio*) Act. 16, 1. s. — χάρις, ἔλεος, εἰρήνη, *gratia, misericordia, pax*) Paulus, ad ecclesias, *gratia vobis et pax*. Ad Timotheum, addit, *misericordia*, h. l. et multis post annis 2 Tim. 1, 2. conf. Jer. 16, 5. Gal. 6, 16. *Misericordia* dicit gratiam quasi teneriorem, erga miserabiles: et hujus misericordiae divinae experientia affert habilitatem ad ministerium evangelicum. v. 13. 16. 2 Cor. 4, 1. 1 Cor. 7, 25. conf. Hebr. 2, 17. — χριστοῦ ἰησοῦ, *Christo Jesu*) Inprimis saepe ad Timotheum Paulus cognomen *Christi* ponit ante nomen *Jesu*, respectu promissionum V. T. de *Messia*, quae impletae sunt in *Jesu*, et Timotheo notae erant. 2 Tim. 3, 15.

v. 3. καθὼς, *sicut*) Protasis. apodosis, v. 18. [*Interim Paulus eos, qui aliter docebant, extantissimo conversionis suae exemplo refellit*. V. g.]

Partes epistolae sunt tres:

I. Inscriptio. c. I. v. 1. 2.
II. Instructio Timothei ad rem apud Ephesios, absente Paulo, sancte gerendam: ubi

Digitized by Google

1) in genere, Praeceptum, legem secus docentibus dandum, evangelii summa suo exemplo comprobata, ei commendat. v. 3. s. 6. s. 11. s. 18. s.
2) speciatim: 1) ordinem orandi praescribit, c. 2, 1. s. viris praecipue: v. 8. mulieribus autem, bona opera, v. 9. s. cum modestia. v. 11. s.
2) requisita episcopi recenset, c. 3, 1. s. diaconorum item, et mulierum, officia. v. 8. s. 11. 12. s.
3) quid ipse Timotheus docere debeat, momentis rerum gravissime declaratis, v. 14. — c. IV. 3. explicat: v. 4. s. et quid vitare, quid sequi debeat. v. 7. s. 12. s. tum, quomodo agendum cum viris et mulieribus, V. 1. 2.
cum viduis: v. 3. s. 9. s. 11. s. 16.
cum presbyteris: v. 17. s.
cum peccantibus: v. 20. s.
cum ipso Timotheo: v. 22. 23.
cum iis, de quibus ambigitur: v. 24. 25.
cum servis. c. VI. 1. 2.
4) SECUS DOCENTES redarguuntur: v. 3. s. 6. s. Timotheus autem monetur et excitatur: v. 11. s. eique praecipitur, v. 13. s. et praecepta divitibus danda praescribuntur. v. 17. s.

III. Conclusio. v. 20. s.

— προσμεῖναι, *remanere*) Idem verbum Act. 18, 18. Praesentia bonorum reprimit malos. Timotheus Ephesi, Titus Cretae, non fuere episcopi, sed episcoporum rectores et quasi vicarii apostolici. — μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν) *ne aliter doceant*, atque ego docui: nil surrogent, nil affricent. Conf. sermo Pauli ad eosdem Ephesios, Act. 20, 28. s. Idem verbum, c. 6, 3.: quo loco elenchus est contrariorum, ut ineunte epistola commendatio rerum bonarum. Etiam quae *diversa* duntaxat videntur, *contrarium* quiddam adferunt. Legem docebant contra evangelium. v. 7. 11.

v. 4. μηδὲ προσέχειν, *neque attendant*) in docendo. — μύθοις καὶ γενεαλογίαις, *fabulis et genealogiis*) ἓν διὰ δυοῖν. Conf. de fabulis, c. 4, 7. 2 Tim. 4, 4. Tit. 1, 14.: de genealogiis, ib. c. 3, 9. Quae duo quia conjunguntur, et quia ii, qui talia docebant, legem jactabant; patet, non esse sermonem de genealogiis familiarum judaicarum, sed de genealogiis *aeonum*, contra quas Irenaeus et Tertullianus hunc ipsum locum allegant. Quin etiam Paulus veram *aeonum* consiserationem illis opponit, v. 17. Quodsi dubitaveris, an vocabulo *aeonum* jam tum usi sint, *qui aliter docebant:* eo magis admirere *sapientiam* Dei, *sermones* haud dum natos refutantem. conf. not. ad Matth. 26, 27. γενεὰ et αἰὼν, affinia. Judaei curiosiores se tum temporis valde cum gentibus commiscuerant. Genealogias civiles non reprehendit Paulus. *fabulas* praeponit, id quod non congruit cum *genealogiis* familiarum, quae non plane erant *fabulosae*. Certe Paulus id non curasset, veraene sint an falsae. Fuit apud illos homines quaedam jactantia, quod mysteria in lege profundius rimari possint: id quod virtutem evangelii, circa Ephesum inprimis, valde impediit. — ζητήσεις, *quaestiones*) Quaestiones, nulla decisione terminandae, nil optabile; liquida veritas juvat. conf. de his et de logomachiis, c. 6, 4. 2 Tim. 2, 14. 23. s. et mox, v. 6. s. Tit. 3, 9. — οἰκονομίαν θεοῦ) *Oeconomia* hoc loco dicit actum, non statum; actum autem assiduum. Ubi tempus teritur *quaestionibus* inutilibus, ibi negliguntur necessariae et salutares *functiones* in *domo* Dei.

v. 5. τὸ τέλος, *finis*) quo omnia tendunt. Articulus nota subjecti. Hunc *finem* quisquis rite spectat, non potest se in alia diffundere. Paulus ne Timotheo quidem de profundis mysteriis potissimum scribit: quo magis redarguat Gnosticos. necessaria, non sublimia, rector ecclesiae in munere suo spectare de-

Digitized by Google

bet. — τῆς παραγγελίας, *praecepti*) quod Ephesi urgere debes. v. 3. 18. — ἀγάπη, *amor*) Fundamentum, *fides* v. 4. Finis, *amor*. v. 14. Tit. 3, 15. Huic amori adversantur *contentiones*. — καθαρᾶς, *puro*) 2 Tim. 2, 22. Tit. 1, 15. — συνειδήσεως ἀγαθῆς, *conscientia bona*) c. 3, 9. 2 Tim. 1, 3. 1 Joh. 3, 19. not. Hic, apud Paulum, *conscientia* est in intellectu, *cor* est sedes *amoris*. Illa esset in *idea*, hoc in *desiderio*, coll. Matth. 22, 37. not. — πίστεως, *fide*) *Fides*, erga Deum, purificato corde, erga proximum, et emendata conscientia, respectu sui, amplius invalescit. quare tertio loco ponitur. De fide sincera et conscientia bona conjunctim agitur etiam v. 19. et cap. 4, 1. 2.

v. 6. ὧν, *a quibus*) puro corde etc. — ἀστοχήσαντες) Idem verbum, c. 6, 21. 2 Tim. 2, 18. ἀστοχεῖν dicitur, qui, quo tendebat, non pertingit: qui *finem* non assequitur. — ἐξετράπησαν, *aversi sunt*) non modo non meliores, sed deteriores facti sunt. Falsa et praepostera cognitionis sublimitas et amplitudo hominem quovis idiota alieniorem facit a fide, a sensu boni et mali etc. — εἰς ματαιολογίαν, *in vaniloquium*) Tit. 1, 10. 3, 9. Hoc uno vocabulo complectitur *vocum inanitates* et *oppositiones*, c. 6, 20. Vanitas maxima, ubi de rebus divinis non vere disseritur. Rom. 1, 21.

v. 7. θέλοντες, *volentes*) temere. — μήτε· μήτε, *neque*: *neque*) Bonus doctor debet esse intelligens, simulque certus. istis, inquit Paulus, utrumque deest. — ἃ) *ea, quae*. περὶ τίνων, *de quibus*. ὃς et τίς differunt. — μήτε ἃ λέγουσι, *neque quae dicunt*) Inde *profanae vocum inanitates*. c. 6, 20. — μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται, *neque de quibus asseverant*) Inde *oppositiones falso nominatae cognitionis*. c. 6, 20. Congruunt βέβαιος et θέσις, *firmus* et *positio*. — διαβεβαιοῦνται, *asseverant*) Tit. 3, 8.

v. 8. ὁ νόμος· νομίμως) Conjugata. νομίμως, *pro eo ac legi consentaneum est*. Pugnabant de lege. Tit. 3, 9. — χρῆται) νόμῳ χρῆσθαι Sophocles dicit, quod Scholiastae est νομοθετεῖν· et sic Paulus hoc loco non de auditore legis, sed de doctore loquitur.

v. 9. εἰδὼς, *gnarus*) Constr. cum *utatur*. — δικαίῳ, *justo*) Huic uni verbo opponuntur multa, quae sequuntur. Late ergo *justitia* patet. — οὐ κεῖται) *non est in medio*. Ergo verus doctor non debet lege uti contra justum. Gal. 5, 23. Antitheton, ἀντίκειται. v. seq. — ἀνόμοις, *injustis*) Paulus pro ordine decalogi hic nominat injustos. ex quo patet, quartum esse praeceptum, non tertium: *Honora patrem*. — ἀνόμοις καὶ ἀνυποτάκτοις, *injustis et inobedientibus*) Primum praeceptum, fundamentum *legis;* fundamentum omnis *obedientiae*. — ἀσεβέσι καὶ ἁμαρτωλοῖς, *impiis et peccatoribus*) Dei nomen *non venerantibus;* eoque magno reatu obstrictis. Ex. 20, 7. — ἀνοσίοις καὶ βεβήλοις, *impuris et profanis*) verum Dei cultum *profano* animo contemnentibus. Tales erant illi ipsi, quos Paulus notat. coll. c. 4, 7. Βέβηλος componitur ex inseparabili praepositione βε, Lat. re, et βηλὸς, *limen*, sacrum praesertim. unde βέβηλοι τόποι, οἱ βατοὶ καὶ τοῖς τυχοῦσι. Vid. E. *Schmid*. ad Matth. 12. et *Eustathium*.

v. 10. ἀνδραποδισταῖς) qui liberos homines per vim ἀνδράποδα *mancipia* faciunt. Non longe ab his absunt ii, qui militem non conscribunt, sed per illecebras, fraudem, vim, auferunt. — ἕτερον, *aliud*) nono et decimo praecepto repugnans. — τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ, *salubri doctrinae*) Sic 2 Tim. 4, 3. Tit. 1, 9. 2, 1. et, *salubres sermones*, c. 6, 3. 2 Tim. 1, 13. et *sanum esse*, de fidelibus. Tit. 1, 13. 2, 2. Contrarium, *morbidus*, c. 6, 4. *gangraena*. 2 Tim. 2, 17.

v. 11. κατὰ, *secundum*) Constr. cum *salubri doctrinae*. Paulus auctoritatem sui *praecepti* constituit. Qui gloriam Dei ex evangelio norunt, ii flagitia vehementer detestantur. Fide stabilitur lex. Vel constr. cum χρῆται, *utatur*, v. 8., quanquam nescio an dicatur, lege utendum juxta *evangelium:* vel cum πίστεως,

fide, v. 5. — τῆς δόξης, *gloriae*) *Gloria* in evangelium redundat ex *beatitate* divina, et inde doctrinae sanitas existit. — τοῦ μακαρίου, *beati*) Idem epitheton de Deo, c. 6, 15. Singularis locutio, *immortalitatem* et *beatitatem* indicans, potentissime moventem ad evangelium confitendum. Summa laudis, *beatitudo*. Conf. Not. ad Chrys. *de sacerdotio* p. 371. Beatus beat. inde *Servator* dicitur v. 1. — ὃ ἐπιστεύθην ἐγὼ, *quod creditum est mihi*) Tit. 1, 3. Eximia Pauli praerogativa. Rom. 15, 16. Eph. 3, 8. Col. 1, 25.

v. 12. χάριν ἔχω, *gratiam habeo*) Sermo modalis. Correlata sunt haec: Christus Paulo credidit evangelium: Paulus Christo gratiam habet, fidelis habitus. Gratiam habet versu 17. et in omnibus epistolis earumque ipsis exordiis. — ἐνδυναμώσαντι, *qui potentem reddidit*) Vera conversio et vocatio *potentiam* confert. Rom. 5, 6. — πιστόν με ἡγήσατο, *fidelem me duxit*) Phrasis metonymica, antecedentis pro consequente: i. e. commisit mihi munus evangelicum. θέμενος, *dum posuit* notat ipsum actum. quod *commisit* munus, est morale: quod *posuit*, est quasi physicum. In τῷ *fidelem me duxit* inest ἀνθρωποπάθεια. Si quem enim *fidelem* duco, et ei fido, hoc quasi oppositum est *scientiae*. Atqui judicium divinum de Paulo, eum fidelem futurum, infallibile est. Deus videt et scit omnia. Ergo in eum non cadit proprie πίστις activa. *Fides* et *Visio* sunt opposita. Haec omnia per *metonymiam* istam explicare volui.

v. 13. βλάσφημον, *blasphemum*) contra *Deum*. — διώκτην, *persecutorem*) contra *homines* sanctos, ne ceteri converterentur. — ὑβριστὴν, *contemtorem*) in repudianda *mea* ipsius salute. Hic respectus triplex, ad Deum, proximum, et se ipsum, in hac praecipue et ad Titum epistola frequens est. vid. mox v. 14. in antitheto hujus versus: item v. 5. 9. Tit. 2, 12., ubi τῇ ἀσεβείᾳ, *impietati* opponitur τὸ εὐσεβῶς, *pie*, et tamen *mundanis concupiscentiis* opponuntur duo illa *sobrie* et *juste*. Sic hic, solus *amor* habet triplicem respectum; est amor erga Deum, cujus oppositum, *blasphemus:* est amor erga ecclesiam, cujus oppositum, *persecutor:* est amor erga se ipsum, cujus oppositum, *contemtor*. — ἠλεήθην, *misericordiam nactus sum*) Hoc quasi post parenthesin reassumitur v. 16. Hic sensus misericordiae perpetuus fuit in apostolo. v. 2. not. — ὅτι, *quod*) *Ignorantia* non meretur veniam per se, sed, in genere causarum, quae impellerent ad repudiandam salutem, opponitur superbiae et omni majori malitiae gradui.

v. 14. ὑπερεπλεόνασε δὲ, *superabundavit autem*) Declarat, quomodo *misericordiam nactus sit*, videlicet *cum fide etc.* Hanc abundantiam singulariter spirant epistolae ad Timotheum. — ἡ χάρις, *gratia*) qua *misericordiam nactus sum*, v. 13. — κυρίου, *Domini*) Jesu. — μετὰ πίστεως, *cum fide*) Oppositum, *infidelitate*, v. 13. — καὶ ἀγάπης, *et amore*) Oppositum, ut diximus, *blasphemum*, *persecutorem*, *contemtorem*. Respondent inter se *misericordia* et *gratia*. Opponuntur ἀπιστία, *infidelitas* et *fides*.

v. 15. πιστὸς, *fidus*) Gravissima praefandi formula. Scit Paulus, *quod dicit et de quo confirmet:* ipsaque sermonis simplicitate refutat secus docentes, eo communiora tractans, sed decore, quo abstrusiora affectabant alii. Sic quoque Tit. 2, 1. — πάσης, *omni*) Etiam *fides* est species *acceptionis*. *omnem acceptionem* omnium totius animae facultatum meretur hic sermo. ἀποδοχὴ (ἀ δέχεσθαι, Luc. 8, 13.) est, quum gratiam habeo, et dico, *bonum factum*. conf. correlatum, ἀποδεκτὸν, *acceptum*, c. 2, 3. — χριστὸς ἰησοῦς) *Christus*, promissus: *Jesus:* exhibitus. Eo sensu nomen *Christi* h. l. prius, deinde *Jesu* poni docet *Franckius* in Homil. ad h. l. Conf. 2 Tim. 1, 9. not. — κόσμον, *mundum*) peccati plenum. Joh. 1, 29. Rom. 5, 12. 1 Joh. 2, 2. — ἁμαρτωλοὺς, *peccatores*) magnos, notabiles. Etiam minores peccatores salvat: sed multo plus est, quod tantos salvat. Qui ipsi gratiam gustarunt, vix fieri potest, quin ejusdem universalitatem gustent, et similiter favorem inde concipiant erga omnes homines.

ed by Google

Paulus a se uno concludit ad omnes. — πρῶτος, *primus*) Hoc summa vi iteratur versu seq. *Incomparabile* exemplum Pauli, sive peccatum sive misericordiam spectes. [*quale nullum inde a Domini ascensione tum extiterat.* V. g.]

[1]) v. 16. ἀλλὰ, *sed*) tametsi primus sum peccatorum. — διὰ τοῦτο) *propter hoc* ipsum. — τὴν πᾶσαν μακροθυμίαν) *cunctam* longanimitatem: quum minores peccatores etiam mensura quasi minor possit restituere. conf. Ex. 33, 19. illud כל טובי *omnem bonitatem* Domini, respectu populi valde rei. — πρὸς ὑποτύπωσιν, *ad exemplar*) ut ceteri possent ita ὑποτυποῦσθαι, *ad exemplar conformari*, sive animo agitare et cogitare: Si credis, ut Paulus; salvabere, ut Paulus. [*Pari modo Davides quoque exemplo esse gestivit. Ps.* 32, 6. V. g.] Idem vocabulum 2 Tim. 1, 13. — ἐπ' αὐτῷ) *super illo*, in Deum. — εἰς, *in*) Potest construi cum *exemplar*.

v. 17. τῷ δὲ) Ex sensu gratiae fluit doxologia. — βασιλεῖ τῶν αἰώνων, *regi aeonum*) Phrasis frequens Hebraeis. De gratia certos inprimis juvat memoria aeternitatis, ceteros misere terrentis. — ἀοράτῳ, *invisibili*) Hoc ad laudem pertinet. Vide quam perversi sint, qui Deum, quia non vident, negant. — μόνῳ θεῷ, *soli Deo*) Sic, *solus dynasta*. c. 6, 15. conf. Ps. 86, 10. Joh. 5, 44. Jud. v. 25. [*Magnifica lectio!* Not. crit.] — τιμὴ, δόξα, *honor*, *gloria*) Asyndeton adhiberi solet, ubi res et affectus cumulatiora verba faceret, v. gr. *honor et gloria et robur etc.* et tamen ea in animo auditoris supplenda relinquit. Tale asyndeton ardorem apostolicum in doxologiis magnopere decet: c. 6, 16. 1 Petr. 5, 11.: quanquam καὶ passim inseruere librarii. Non est fortuita tot locis omissio hujus particulae, sed curiosa adjectio.

v. 18. παρατίθεμαί σοι, *committo tibi*) ut auditoribus proponas. v. 3. [*Summa ejus indicatur* v. 5. V. g.] — προαγούσας, *praeeuntes*) Quum Timotheo manus imponerentur, Spiritus propheticus aperuit, Timotheo multa et magna commissum iri. c. 4, 14. — προφητείας) *praedictiones* divinas, (Act. 11, 27.) per testes multos in te editas. c. 6, 12. — στρατεύῃ, *milites*) Similitudo a re militari: a re navali, v. seq. — αὐταῖς) προφητείαις, *praedictionibus*. — τὴν καλὴν στρατείαν) *bonam illam militiam*.

v. 19. ἔχων, *habens*) dum militandum est. — πίστιν, *fidem*) *Fides* est, ut liquor pretiosissimus: *bona conscientia*, ut vitrum mundum. — ἣν, *quam*) bonam conscientiam. — ἀπωσάμενοι, *repellentes*) Recedit invita. semper dicit: noli me laedere. qui eam retinet, fidei navem non facile frangit. — ἐναυάγησαν, *naufragium fecerunt*) Ergo *fidei* cursum ingressi erant. Hesychius, ἐναυάγησαν, ἐκινδύνευσαν.

v. 20. ὑμέναιος καὶ ἀλέξανδρος, *Hymenaeus et Alexander*) Elenchus nominalis. Conf. de Hymenaeo et Alexandro, 2 Tim. 2, 16. 17. 4, 14. s. — οὓς, *quos*) absentes. Illi erant Ephesi; Paulus Romae. Erat hoc apostoli; Timothei, vitare duntaxat et cavere. — παρέδωκα, *tradidi*) *in perniciem carnis*. — μὴ βλασφημεῖν) *ne incidant in blasphemiam*, reatumque plane consumment, sibi et aliis nocentiores. [*Facto fidei naufragio blasphemiae periculum adest. Potuit illos vexare Satanas: ad blasphemandum adigere non potuit.* V. g.]

CAPUT II.

v. 1. Παρακαλῶ, *adhortor*) Hoc capite informat cultum publicum, I) ratione precum. II) ratione doctrinae. v. 11. s. — οὖν, *igitur*) Haec adhortatio fluit ex illo sensu gratiae. Neque solum, quid ipse velit, Paulus innuit, sed quid Timotheus urgere debeat. — πρῶτον πάντων ποιεῖσθαι, *primum omnium*

---

1) εἰμὶ, *sum*] *Sum*, inquit; non, *fui*, ipsum scriptionis momentum includens. *V. g.*

facere) Summum officium. [*Satis hic negotii praebet Apostolus, contra quascunque* ἀλλοτριοεπισκοπίας, c. 1, 4. V. g.] — δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας) Pluralis numerus vim indicat. δέησις (a δεῖ) est *imploratio* gratiae in necessitate quadam speciali: προσευχὴ, *oratio*, exercetur qualibet oblatione voluntatum et desideriorum erga Deum: ἔντευξις est *deprecatio* pro aliis hominibus creaturisve, c. 4, 5., vel si pro sese orare nesciant. εὐχαριστίας *gratiarum actiones* quoque pro omnibus hominibus fieri decet, quod v. gr. omnes salvari Deus velit, omniumque Mediator sit Christus. — ὑπὲρ, *pro*) Hoc nectitur cum *imprecationes — gratiarum actiones*. *Omnes*, divisis temporibus, habent necessitates *speciales*. — πάντων, *omnibus*) v. 4. 6.

v. 2. ὑπὲρ βασιλέων, *pro regibus*) a quibus ceteri mortales pendent. [*Et qui minori subinde opportunitate fruuntur ad cognitionem veritatis salutaris perveniendi*. V. g.] — πάντων, *omnibus*) Saepe tenuissimi magistratus, etiam in pagis, multa nocent aut juvant. — ἐν ὑπεροχῇ, *in eminentia*) ut sunt regum consiliarii, vel, ubi rex nullus, ceteri magistratus. — ἵνα, *ut*) Causa, cur orandum pro regibus. — ἤρεμον, *tranquillam*) liberam, *remotis* hominibus alienis. *Chrysostomus* ex. gr. ἠρεμίαν tribuit *Sancto sanctorum* in templo: et convenit vox cum *eremo* per metathesin. — ἡσύχιον, *quietam*) liberam, iis, qui alieni sunt, certe *nil turbantibus*. — εὐσεβείᾳ, *pietate*) erga Deum. Frequens verbum ad Timotheum et Titum. [*Eodem Lucas utitur in Actis, et Petrus in epistola posteriori. Insigne in hac perversissimi mundi colluvie stratagema dixeris, regno DEI contrarium et Satanae rebus proficuum, quod* pietas, *nomine certe nunquam antehac sublesta, a pessimae notae Anonymo, cujus, ut fama fert, funestus obitus fuit, in convicium tandem,* Pietista, *conversa est, idque latissime undiquaque diffusum. Ne ipsa terminatio quidem* (*vocibus* Statist, Copist, Linguist *respondens*) *per se mali quidquam involvit. Quodsi fanaticos homines et sanctitatem mentientes singulari nomine designare animus est, qua quidem in re innocentes non feriri certum esse debet: cur quaeso* pietas *mulctatur. Seria res agitur. Clamat experientia: in confabulationibus et compotationibus facile quis, ubi, ne verbulo religionis caussa prolato, verecundius aliquantum se gesserit, titulo isto lacessitur, cujus aliquando ne pronunciatio quidem plebeculae satis cognita est. Dici vix potest, quam numerosi* pietatis *igniculi* pietistae *scommate sufflaminentur. Judicium* DEUS *faciet. Jud.* v. 15. V. g.] — σεμνότητι, *honestate*) hominum invicem.

v. 3. τοῦτο γὰρ, *hoc enim*) Causa, cur orandum pro omnibus. Quaeris, cur non plures convertantur? non satis oramus. Fas est, nos pro nobis et pro aliis occurrere voluntati Dei, in nos propensae. — καὶ) *et* ideo. — τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, *Servatore nostro*) qui *nos* credentes *salvavit* actu. Antitheton, versu seq. *Omnes*, etiam non credentes, *vult salvari*. Conf. c. 4, 10. Mirum, si anima salutem Dei vere nacta, universalitatem gratiae negare potest.

v. 4. πάντας) *omnes*, non partem duntaxat, nedum minimam. v. 3. not. — ἀνθρώπους, *homines*) per se perditos. — θέλει, *vult*) voluntate seria. ibid. — σωθῆναι, *servari*) Hoc tractatur v. 5. 6. — καὶ εἰς, *et in*) Hoc tractatur v. 6. 7. — ἀληθείας) *veritatis* salvificae. — ἐλθεῖν, *venire*) Non coguntur.

v. 5. εἷς) *unus*, omnium. Hunc unum Deum qui non habent, per mediatorem unum; nullum habent. [— *adeoque non salvantur. Atqui omnes homines* salvari *vult DEUS salvifica Dei ac Mediatoris cognitione; sed legitimus est et sanctissimus voluntatis istius* ordo, *quo excipere eam homines debent. Universi homines* unum *veluti hominem coram Deo constituunt: quare salutem nactos intercedere fas est pro illis, qui longius absunt. Id si fieret, quanto melius ageretur de humano genere! Oret quaeso, qui novit orare!* V. g.] — γὰρ, *enim*) Ex versu 5. probatur versus 4., ex versu 4. versus 1. Omnia uni-

ed by Google

versalia. Conf. Es. 45, 22. — εἷς καὶ, *unus etiam*) Non dicit, *etiam unus*. itaque accentus non tam cadit super adjectivum *unus*, quam super substantiva. Non possemus gaudere, esse Deum, nisi *etiam* homine mediatore gauderemus. — εἷς· εἷς, *unus: unus*) Marc. 12, 29. 32. 1 Cor. 8, 6. Eph. 4, 5. 6. — μεσίτης, *mediator*) Hoc veluti epitheton est nominis *homo:* et horum utrique simul cohaeret vocula *unus*. — ἄνθρωπος, *homo*) Salvator non sine ratione appellatur hic *homo* potius, quam Deus; ut denotetur causa, cur omnes homines ad hunc mediatorem sint convertendi, qui se dedit pro omnibus. conf. Rom. 5, 15. not. Non additus est articulus. Vicissim, *Deum* appellat, c. 3, 16.

v. 6. τὸ μαρτύριον, *testimonium*) Accusativus absolutus, ut ἔνδειγμα, 2 Thess. 1, 5. Aptum verbum Pauli et Timothei personis: erant enim testes. Innuitur testimonium redemtionis universalis. — καιροῖς ἰδίοις, *temporibus suis*) c. 6, 15. not.

v. 7. κήρυξ) *praeco* solennis, a Deo missus. Grandis sermo, uti 2 Cor. 5, 20. 1 Thess. 2, 6. fin. — ἀπόστολος, *apostolus*) Christi. — ἀλήθειαν λέγω, οὐ ψεύδομαι, *veritatem dico, non mentior*) Pertinet haec affirmatio ad comma praecedens: nam subsequenti additur parallela, ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ, *in fide et veritate*.

v. 8. βούλομαι οὖν, *volo ergo*) Hoc verbo exprimitur auctoritas *apostolica* c. 5, 14. coll. mox v. 12., *non committo*. Particula *ergo* reassumit versum 1. — προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας, *orare viros*) Sic etiam 1 Petr. 3, 7. praecipua quadam ratione *viris* adscribuntur preces. Sermo de precibus publicis, ubi sermonem orantis subsequitur multitudinis cor. coll. v. seq. de *mulieribus*. — ἐν παντὶ τόπῳ, *in omni loco*) Constr. cum ἄνδρας, *viros*. Paulus etiam alias in hac materia ad similem omnium ecclesiarum morem provocat. Ubicunque sunt homines, ibi sunt, a quibus et pro quibus preces fiant. — ἐπαίροντας, *attollentes*) Obvertebant volas coelo, ut solent opem petentes. — ὁσίους χεῖρας, *sanctas manus*) *Ira* et *dubitatio* sunt in anima: sed *manus* quoque debent esse sanctae. Contrarium Es. 1, 15. fin. τὸ ὁσίους inprimis in graeca proprietate adhibetur de immunitate a violentia. — ὀργῆς, *ira*) quae [*viros praecipue infestans*, V. g.] contraria *amori*, (conf. 1 Petr. 3, 7. fin.) et mater dubitationis. — διαλογισμοῦ, *dubitatione*) quae adversatur *fidei*. Fide et amore constat Christianismus, gratiam et veritatem amplectens. itaque summa votorum nostrorum esse debet, ut sine dubitatione et ira et oremus, et vivamus et moriamur. Precum et Christianismi totius exercitium simul vel verum est vel vanum. Gratia *fidem* alit; veritas *amorem*. Eph. 4, 15.

v. 9. καταστολῇ) Grande verbum. Mulieres delectantur vestitu mundo. eo alluditur h. l. Ephesi erant divites. c. 6, 17. — κοσμίῳ, *mundo*) spiritualiter, ut mox describitur, v. 10. — αἰδοῦς, *verecundia*) v. 11. 12. — σωφροσύνης, *sobrietate*) Frequens verbum in epp. ad Tim. et Titum. Haec virtus gubernat totam vitam privatam. — [1]) μὴ) οὐ negat: μὴ prohibet, in hujusmodi sermone. Magnum inter οὐ et μὴ discrimen. Posset quidem οὐ etiam hic adhiberi, quia non adest verbum finitum: et sic apud participia. Sed alias particulae commutari non possunt.

v. 10. ἐπαγγελλομέναις) *promittentibus*, profitentibus. Idem verbum, cap. 6, 21. — δι' ἔργων, *per opera*) Constr. cum *ornare*. *per opera*, etiam sine sermone, qui viris competit. v. 8. 11. s. 1 Petr. 3, 1. Perfrequens *operum* mentio in epp. ad Tim. et Titum, et *bonorum operum* appellatione ornantur ea, quae in media vita hominum exercenda veniunt.

---

1) κοσμεῖν ἑαυτὰς, *ornare seipsas*] Construendum cum δι' ἔργων ἀγαθῶν, v. 10. *V. g.*

Digitized by Google

v. 11. μανθανέτω, *discito*) Antitheton, *docere*. — ὑποταγῇ, *subjectione*) Antitheton, *auctoritate uti*.

v. 12. οὐκ ἐπιτρέπω) *non committo*, i. e. non habeo committere. Litotes. — αὐθεντεῖν ἀνδρὸς) *auctoritate uti in virum*. docendo, verba faciendo, v. gr. in precibus. — ἀνδρὸς, *in virum*) Id non modo maritum notat, sed totum genus virorum.

v. 13. ἀδὰμ γὰρ, *Adamus enim*) Quae ratio primi hominis, ea valet pro omnibus viris; quae Evae, ea pro omnibus mulieribus. Rursum, quae de salute mulieris dicuntur, v. 15., commode etiam de matre prima accipiuntur. — πρῶτος) *prior*, ita, ut mulier propter illum condita sit. 1 Cor. 11, 8. s.

v. 14. οὐκ ἠπατήθη, *non deceptus est*) Serpens mulierem decepit: mulier virum non decepit, sed ei persuasit. Gen. 3, 17., *audisti vocem mulieris tuae*. Versu praec. docetur, cur mulier non debeat *auctoritate uti*: nunc, cur non debeat *docere*. facilius decepta, facilius decipit. conf. Eccl. 7, 29. *Deceptio* indicat minus robur in intellectu: atque hic nervus est, cur mulieri non liceat docere. — ἀπατηθεῖσα, ἐν παραβάσει γέγονε, *decepta, in transgressione facta est*) i. e. deceptionem admisit, (Gen. 3, 13., ὁ ὄφις ἠπάτησέ με) atque ita coepit esse in transgressione. Non dicitur, ἐν παραβάσει γεγονυῖα ἠπατήθη, *in transgressione facta decepta est*. itaque *facta est* non dicit ipsum mulieris ortum; hunc enim *deceptio* demum est secuta: sed γέγονε arcte cohaeret cum illo, ἐν παραβάσει, nominis vim habente. vide Act. 22, 17. et confer not. ad Joh. 1, 15. Innuitur *deceptionem* semel admissam repente subsecutus *transgressionis* status. Simillima phrasis Num. 26, 10., ἐγενήθησαν ἐν σημείῳ.

v. 15. σωθήσεται δὲ, *servabitur vero*) eripietur e noxa illa. — διὰ τῆς τεκνογονίας, *per liberorum generationem*) Describitur munus mulieris, in antitheto ad munus docendi et gubernandi. τεκνογονία, *liberorum generatio et educatio*. Non agitur hic de propria salutis causa: nam multae, quae pariunt, tamen pereunt; multae, quae non pariunt, tamen salvantur: sed denotatur conditio sive status, in quo mulier salutem sit assecutura, quamvis non admisceat sese functioni virili. Quare mox *si* majorem vim habet, quam *per*: et τὸ *manere* praesupponit τὸ *stare* in fide etc. — μείνωσιν, *maneant*) scil. *mulieres*. Syllepsis numeri. Mulieribus enim competit, quae mox laudatur, *sobrietas*. coll. v. 9. Hos intra fines *manento*. — πίστει καὶ ἀγάπῃ, *fide et amore*) Partes generales. — ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης) *Sanctificationis* pars specialis est *modestia*, virtus hominem moderans respectu sui ipsius, quemadmodum *fides* respectu Dei, *amor* respectu proximi. ἁγιασμὸς, *sanctimonia*, speciatim castitas. σωφροσύνη, *modestia*, temperantia. v. 9. 11.

CAPUT III.

v. 1. Πιστὸς ὁ λόγος, *fidelis sermo*) Haec praefatio adhibetur, quia mundo non sic videtur. — ὀρέγεται· ἐπιθυμεῖ) Magna verborum hic proprietas. ὀρέγω, *extendo*: inde ὀρέγομαι, *manu porrecta expeto, prenso*. ἐπιθυμία animi, τὸ καλὸν, *rem bonam* petens, parit ὄρεξιν· rursum ὄρεξις ἐπιθυμίαν indicat. ὀρέγεσθαι, φεύγειν, opposita. vid. Arist. 1. rhet. 10. n. 12. Humanis in rebus gratiora sunt, quae quis ultro, quam quae rogatus defert aut praestat: quanto magis in sacris? 1 Cor. 16, 15. fin. Sed apage ambitum sacrilegum. Non deerant, qui vellent. conf. Jac. 3, 1. Horum voluntatem Paulus non plane repudiat, sed in ordinem redigit. — καλοῦ) *honestum*, praeclarum, pulcras virtutes postulans. Huc ref. *igitur*, v. seq. — ἔργου, *opus*) Est opus, negotium, non otium. Act. 15, 38. Phil. 2, 30.

v. 2. δεῖ, *oportet*) Docet Paulus, quid spectare Timotheus debeat in con-

sd by Google

stituendis episcopis. v. 15. Quare virtutes ita potissimum describit, uti in oculos incurrunt. — οὖν, *igitur*) Bonum negotium bonis committendum. — τὸν ἐπίσκοπον, *episcopum*) *Episcopo* immediate opponuntur *diaconi*, v. 8. itaque *presbyterum* includit. Act. 20, 28. not. — ἀνεπίληπτον, *irreprehensibilem*) sine crimine, fama, et suspicione justa. conf. Tit. 1, 6. — εἶναι, *esse*) non modo dum fungitur officio, sed etiam dum constituitur. v. 10. Observandus ordo virtutum, quae sequuntur. — μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, *unius uxoris virum*) Sic v. 12. c. 5, 9. Tit. 1, 6. Primo loco ponitur haec pars hominis irreprehensibilis. Antiqua conjugii natura est, ut unus habeat unam. Est igitur simplex periphrasis mariti: *vir unius mulieris*. c. 5, 9. not. Opinio de polygamia successiva hic episcopis prohibita, videtur olim ducta ex canonibus apostolorum. nam quum Canon XVII. sic haberet: ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα ἢ παλλακὴν κτησάμενος οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος κτλ. sic aliqui acceperunt, quasi δευτέροις γάμοις interdiceret. certe vetus interpretatio sic reddit: *Si quis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus* etc. Unde sinistra Canonis interpretatio facile ad Paulum translata fuit. Quid vero interest, utrum vir v. gr. per XX. annos unam conjugem, an interveniente viduitate duas in adjutorium habeat? Sed cur Paulus, monogamiam episcopi potius praesupponens, quam requirens, non addit, ἢ ἄγαμον, *aut coelibem?* Rari tum erant coelibes; neque hos excludit a munere sacro: sed tamen praesupponit, aliquanto huc aptiorem esse patremfamilias: et ex duobus candidatis, si cetera sint pares, eum, qui habet uxorem et familiam probam, praestare coelibi, qui minus testimonii a re ipsa habet. v. 4. 5. namque qui domesticis ipse, quae hic tam crebro commemorantur, officiis adstringitur, hic mundo pariter alligatos magis allicit, et populariore exemplo in medium prodest. v. 4. Accedit, quod multos indiscretus coelibatus reprehensibiles fecit. Judaei quoque docent, sacerdotem non coelibem, non illiberem esse debere, ne sit immitis. — νηφάλιον) *vigilantem* animo. sic v. 11. Tit. 2, 2. nam νήφω, *vigilo*. Vid. ad *Chrys. de sacerd.* p. 428. Opponitur hoc somnolentiae et socordiae, quae peccat in defectu. Νήφω, ubi solum ponitur, notat utrumque, et *vigilare* et *sobrium esse*, et per metonymiam unum sumitur pro altero: (conf. 1 Thess. 5, 9.) sed ubi γρηγορέω et νήφω conjunguntur, (ex. gr. 1 Thess. 5, 6.) hoc proprie significat *sobrium esse*, et opponitur τῷ μεθύσκεσθαι, *ebrium esse*. — σώφρονα) *sanae mentis*, temperantem. Hoc opponitur vehementiae animi, quae peccat in excessu. Congruunt derivata, σωφρονῶ, σωφροσύνη κτλ. Conf. Tit. 1, 7. 8., ubi πάροινος, (quod Graecis hominem audacem et temerarium notat, quales solent esse temulenti:) et σώφρων opposita sunt. — κόσμιον, *mundum*) Quod σώφρων est intus, id κόσμιος est extra. Hesychius, κοσμίους, ἀνεπιλήπτους. Plato, κόσμιοι καὶ εὔκολοι, *homines moderati et faciles*. Homo novus festum quiddam est, et abhorret ab omni eo, quod pollutum, confusum, inconditum, immoderatum, vehemens, dissolutum, affectatum, tetricum, perperum, lacerum, sordidum est: ipsi necessitati naturae materiaeque, quae ingerendo, digerendo, egerendo agitatur, parce et dissimulanter paret, corporisque corruptibilis tecta habet vestigia. Phil. 4, 8. — φιλόξενον, *hospitalem*) erga hospites, egenos praesertim et exules, a multis fastiditos. — διδακτικὸν, *docentem*) Vid. 2 Tim. 2, 24. not.

v. 3. μὴ πάροινον, *non temulentum*) Huc ref. ἀλλ' ἐπιεικῆ, *sed aequum*. Nam παροινία hic, ut passim, non solum *temulentiam* notat, coll. v. 8. Tit. 2, 3., sed etiam importunitatem ex ea provenientem. — μὴ πλήκτην, *non percussorem*) lingua, manu. Nil enim vetat hoc proprie accipi. 2 Cor. 11, 20. not. Ref. huc, ἀλλ' ἄμαχον, *sed a pugnis alienum*. coll. 2 Tim. 2, 24.

v. 4. τοῦ ἰδίου οἴκου, *suae domui*) Multi, foris v. gr. mansueti, domi eo minus coërcent iracundiam, erga conjuges etc. — καλῶς προϊστάμενον, *qui bene*

ed by Google

praesit) Huc imprimis pertinet ἀφιλαργυρία. — μετὰ πάσης σεμνότητος, *cum omni honestate*) ut absit *luxuria*. Tit. 1, 6.

v. 5. οὐκ οἶδε, *non novit*) Innuit Paulus, quisquis recte praesit domui suae, hunc liberos habiturum esse probos. — πῶς, *quomodo*) Plus est, regere ecclesiam, quam familiam.

v. 6. μὴ νεόφυτον) *non recens* ab ethnicismo *conversum*. tales poterant facilius et tutius praefici aliis item recens conversis, Act. 14, 23., quam veteranis, iisque multis, in quibus major erat copia candidatorum. Metaphora a plantis. Joh. 15, 2. not. *Neophyta* fere luxuriantem habent virorem: *recens conversus* cruce nondum maceratus est. [1]) Antitheton, *antiquus discipulus*, Act. 21, 16. — τυφωθείς, *elatus*) Idem verbum, c. 6, 4. not. 2 Tim. 3, 4. τύφω est καίω. τῦφος, ardor fumosus expers flammae. unde τυφοῦσθαι dicuntur, quos *vinum*, item quos *opinio scientiae* et *fastus* impotes sui facit, et vertigine implet, vid. Es. 28, 7. version. Luth. — εἰς κρίμα, *in judicium*) i. e. in idem judicium, in quod diabolus, *elatus*, ipso lautissimi sui status initio, (instar neophyti,) incidit. conf. Job. 38, 15., de superbis. *Videtur prius, quam alii angeli, ad praefecturam super multos angelos, licet multis junior esset, fuisse suscitatus et erectus; quod ipsum quoque ei occasio superbiae fuit.* Artemon. ad init. Joh. praef. p. 23. Non totum hoc evincunt Pauli verba. *Judicium* hic dicitur passive, et tamen ὀνειδισμὸς, *opprobrium*, v. seq. active. nam *judicium* respondet interno animae statui, *opprobrium* opponitur externo testimonio bono: et diabolus potest *opprobrium* inferre, *judicium* inferre non potest. non enim judicat, sed judicatur.

v. 7. καὶ μαρτυρίαν) *etiam testimonium*. ne prioris quidem vitae opprobrio laborare debet. Non sufficit fama; sed cum virtutibus bona fama esse debet, imo testimonium bonum. Magnam christianorum existimationem Paulus esse vult. conf. c. 5, 14. not. — ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, *ab extraneis*) ut hi facilius lucrifiant, et Deus glorificetur. — ὀνειδισμὸν, *opprobrium*) Conf. c. 5, 14. Diabolus potest antistiti malis testimoniis laboranti plurimum excitare molestiae, per se et per homines calumniatores. — καὶ παγίδα, *et laqueum*) Conf. Matth. 22, 15.

v. 8. διακόνους, *diaconos*) Subaudi, *oportet esse*. — μὴ διλόγους, *non bilingues*) ad alios alia loquentes. Talium peccatorum occasionem in obeundo munere capere poterant diaconi. Diaconi non debebant esse *bilingues:* diaconissae, *non calumniatrices*. videlicet diaconi plures domos obibant, quam diaconissae. — μὴ οἴνῳ, *non vino*) Ebrietatis periculum imminet multas domos ex officio obeuntibus.

v. 9. τῆς πίστεως, *fidei*) De fide christiana loquebantur diaconi persaepe, occasione muneris sui: et tametsi non loquerentur, tamen munus et ecclesiam obire debebant sancta mente et bono exemplo.

v. 10. καὶ οὗτοι δὲ, *et hi vero*) Episcopus plures majoresque debebat virtutes habere conspicuas, et majore erat dignitate; quare non alia *exploratio* requiritur: at diaconi debebant prius edere specimen sui in ipsa diaconia, quam plene immitterentur in munus.

v. 11. γυναῖκας, *uxores*) Pendet ab *habentes*. v. 9. — ὡσαύτως, *similiter*) Ref. ad versum 8. — μὴ διαβόλους, *non calumniatrices*) praesertim apud *extraneos*. — πιστὰς, *fidas*) Ref. ad v. 9.

v. 13. βαθμὸν) *gradum* ab humilitate diaconiae ad majora munera, in ecclesia. Qui in minore gradu fidelis est, ad majora promovetur. — ἑαυτοῖς, *sibi*

---

1) In omni vitae genere observare licet, eos, qui a summo statim fastigio ordiuntur, difficulter sibi consulere, ad inferiores vix descendere, afflictorum sorte non moveri, aeque ipsos regere et modum in rebus tenere non posse. Maxime vero omnium in episcopi munus haec omnia conveniunt. *V. g.*

Google

ipsis) Non solum aliis inserviunt. — πολλὴν παῤῥησίαν) *multam fiduciam* erga Deum et homines, ex bona exercitatione. — ἐν πίστει, *in fide*) ut fidei et bonorum ejus consortes sese locupletissime persentiscant.

v. 14. ταῦτα, *haec*) totam epistolam. — ἐλπίζων, *sperans*) Nec tamen distulit Paulus monita necessaria. — ἐλθεῖν, *venire*) c. 4, 13.

v. 15. ἐὰν δὲ βραδύνω, *si vero tardavero*) Conf. c. 4, 13. init. — ἵνα, *ut*) Scopus epistolae. — πῶς δεῖ, *quomodo oporteat*) Conf. c. 4, 11. — ἐν οἴκῳ θεοῦ, *in domo Dei*) Deus est ὁ δεσπότης, *herus*. 2 Tim. 2, 12. — ἥτις, *quae*) Ecclesiam innuit universalem, non universe, sed quatenus pars ejus tum erat Ephesi, commissa Timotheo. — ἐκκλησία θεοῦ, *ecclesia Dei*) universitas eorum, *qui sunt Domini*. 2 Tim. 2, 19. — ζῶντος, *virentis*) Ecclesia Dei viventis opponitur fano Dianae Ephesiorum. *Vita Dei*, fundamentum *spei* nostrae, c. 4, 10., et fons *veritatis*. h. l. Epitheton eidem nomini prius non additum: dein, ob epitasin, additum, uti 2 Cor. 6, 16. — Στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας καὶ ὁμολογουμένως μέγα κτλ.) *Primam hanc*, inquit Jac. Cappellus in Observ. ad h. l. *hujus loci lectionem fuisse, visum est insignibus viris, collegis nostris longe charissimis, Andreae Melvino, Johanni Cameroni, Johanni Fabricio. Nec desunt huic sententiae rationes.* De eadem lectione sive distinctione delibavi aliquid in Apparatu, p. 709. s. [*Ed. II. p.* 399. *sq.*] quem respici velim: sed plura in *Gnomonem* huncce reservavi. Plane periocham superiorem a v. 1. hucusque deductam, versu 14. 15. concludit apostolus, et nunc novae periochae initium facit, quae c. 4, 1. ita arcto nexu continuatur, ut Veteres septimum hujus epistolae caput a c. 3, 16. inclusive ad c. 4, 7. apud R. Stephanum et alios numeraverint. Nunc periodi initium *prope communis* interpretum hodie apud Protestantes sententia figit in vocabulo στύλος. Permultos in Apparatu citavi: accedunt G. G. Zeltnerus, I. C. Herzogius. Sane incisum hoc, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, parum commode cum praecedentibus verbis connectitur, quanquam *Synedrium* magnum hoc titulo passim honestari ait Lightfootus: idem vero multo incommodius a sequentibus divellitur. Nam particula καὶ, καὶ ὁμολογουμένως, novae periochae initio non congruit. Fac, ὁμολογουμένως, absque καὶ, esse scriptum: tum demum aptum agnosces novi capitis principium. coll. v. 1. et cap. 4, 9., quibus locis, simillima ratione, sermo absque καὶ sic inchoatur, πιστὸς ὁ λόγος. Nunc quum καὶ in medio est, connectuntur verba, quibus interponitur: στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας καὶ ὁμολογουμένως μέγα κτλ. Advocari huc solitae sunt non dissimiles formulae Rabbinicae, quibus firmitudo et gravitas rei, quae dicenda venit, declaratur: sed prius considerandae sunt formulae apostolicae. Frequens enim est in hac epistola, Timotheum confirmante et excitante, praefandi formula, qua Paulus rem quampiam mox a se dicendam, commendat ut *veram et bonam, et firmam et salubrem, ut omni intelligendi et appetendi vi apprehendendam:* πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος κτλ. c. 1, 15. 4, 9. 6., ubi πίστεως cum πιστὸς, καλῆς cum ἀποδοχῆς ἄξιος congruit. Eam ille bimembrem formulam hoc longe magnificentissimo loco grandioribus verbis exprimit, apud Hebraeos obviis. v. gr. R. Levi Barcelonita rationem, quare liberationis Israëlitarum e servitute aegyptiaca, tot signa memorialia in XV. praeceptis ad Pascha concurrentibus assignentur, hanc affert: *quia fundamentum id magnum sit et columna valida legis ac religionis judaicae.* ac Maimonides: *Fundamentum fundamenti*, inquit, *et columna sapientiae haec est, ut sciamus etc.* Itaque Paulus ait: στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. i. e. *Hoc mysterium pietatis, est columna et firmamentum veritatis* (πιστὸν) *et* est quiddam *confesso magnum*, (ἀποδεκτόν.) Evolvamus singulatim. Haec duo vocabula, στύλος καὶ ἑδραίωμα, sunt instar unius vocabuli, solidissimum quiddam exprimentis, quo notetur mysterium, *altissimum* (unde στύλος, a στάω) et *fun-*

datissimum (unde ἑδραίωμα, ab ἕζω.) Iren. 1, 3. c. 11., *Columna et firmamentum ecclesiae est evangelium.* In Hebraeo conjugata sunt אמת *veritas* et נאמן πιστόν. Pariter aequipollent ὁμολογία (unde ὁμολογουμένως) et ἀποδοχὴ, et cordis et oris utraque; coll. 2 Tim. 2, 19. Hebr. 3, 1. Joh. 20, 28. Inde etiam aequipollent πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον, et ὁμολογουμένως μέγα. μέγα non est epitheton, cum ἑδραίωμα, aut cum μυστήριον, construendum, sed ponitur absolute, μέγα *res magna*, uti 1 Cor. 9, 11. 2 Cor. 11, 15., ut ἀγαπητὸς, *dilectus*, Phil. v. 1. Mysterium est magnum per se, maximo opere confitendum, omni confitendi vi amplectendum, cujus magnitudinem norunt et confitentur omnes filii veritatis, ad magnam salutem. Non memoravit Paulus τὸ ἀποδεκτὸν citra τὸ πιστὸν hoc loco, sed utrumque laudavit: uti τὸ πιστὸν καὶ τὸ καλὸν commendantur. *Mysterium pietatis* est subjectum: reliqua verba, praedicatum. *Pietasque* cum *veritate* copulatur, uti Tit. 1, 1. Habebant etiam gentes mysteria, sed impietatis et erroris. *Veritati*, quod maximopere observandum est, cap. 4, 1. seqq. opponitur (interjecta δὲ particula, v. 1.) *apostasia a fide et mendacium, fabulaeque:* v. 1. s. 7. *confessioni, hypocrisis falsiloquorum, qui in sua conscientia cauterizati sunt:* v. 2. *magnitudini*, id, quod *anile* est: et *pietati, profanitas.* v. 7. [c. 6, 3.] Denique, insigne oxymoron est, ὁμολογουμένως et μυστήριον, *confessio* et *mysterium.* In *tota*, at in *sola* ecclesia celebratur haec doctrina pietatis. Nunc relege textum, Lector, si vacat, a cap. 3, 14. ad c. 4, 7. s. ac rem libero religiosoque expende judicio.

v. 16. θεὸς, *Deus*) *Hominem* appellarat, c. 2, 5. nunc, quod ibi derogasse videri poterat, compensat, *Deum* appellans; (vide tamen *Apparat.* p. 710. s.) [*Ed. II. p.* 400. *seqq.*] etenim *magnitudo* mysterii vel maxime pendet ex magnitudine Subjecti, *Dei.* Paulus ad Timotheum Titumque, qui provecta fide erant, Patrem *Salvatorem*, et vicissim Filium *Deum* appellat. Subjungitque *tria paria* praedicatorum, quibus tota Christi oeconomia ab ejus exitu ad reditum sive assumtionem summatim comprehenditur. Summum eorum, *assumtus est in gloria*, eidem Subjecto, *Deo*, tribuitur Ps. 47, 6. s. qui vel unus locus compensat ambiguitatem, si qua h. l. superest, lectionis Paulinae. — ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, *manifestatus est in carne*) Idem verbum, 1 Joh. 1, 2. Idem nomen, Joh. 1, 14. Haec *manifestatio* dicit totam oeconomiam Christi, oculis quondam mortalium conspicui. — ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, *justificatus est in Spiritu*) Christus, dum *manifestus in carne* inter peccatores et mortales ambulavit, similis ipsorum existimatus fuit, et revera *peccata* eorum tulit: sed deinde per mortem in carne toleratam abolevit peccatum in se conjectum, et *justitiam* aeternam, Patre penitus approbante, sibi suisque asseruit, ex conspectu hominum decedens, et statum *spiritualem* et gloriosum, justitiae suae convenientem, intrans per resurrectionem et ascensionem. Vide de notione *carnis* et *spiritus*, Rom. 1, 3. 4. 1 Petr. 3, 18. not. Sic in spiritu justificatus est. In ipso pretiosissimo mortis suae articulo desiit esse mortalis et peccato mundi onustus. Confer, de *justitia* et *justificatione* Christi, Matth. 3, 15. Luc. 7, 35. Joh. 19, 30. 16, 10. Act. 22, 14. Rom. 6, 10. 7. Ebr. 9, 28. Es. 50, 8. 1 Joh. 2, 1. Eamque ipse justitiam, in spiritu ad spiritus in custodia profectus, praedicavit et ab illo tempore potenter exseruit. conf. Rom. 4, 25. Hoc comma cum citato Petri loco convenit; uti illud, *praedicatus est in gentibus*, cum 1 Petr. 4, 6. — ὤφθη ἀγγέλοις) *conspectus est*, maxime post resurrectionem, *angelis*, bonis, vel etiam malis: quorum illis simul oeconomia ejus patefacta, his terror incussus. Eph. 3, 10.: congruit angelorum proprie dictorum mentio huic summario Paulino. — ἐκηρύχθη, *praedicatus est*) Hoc concinne sequitur. *Angeli* proximae admissionis erant: *gentes*, longissime remotae. Et hujus praeconii et fidei in mundo existentis fundamenta jacta sunt ante *assumtionem* Christi in coelum. Joh. 17, 18. Praecones et fideles primi erant quasi semen ceterorum. — ἐπιστεύθη) *fides ei habita est.* — ἐν κόσμῳ) *in*

mundo, toto. [*Plena stuporis res!* V. g.] *Mundus* sive orbis terrae opponitur coelo, in quod *assumtus est* Deus. Omnia implet. — ἀνελήφθη ἐν δόξῃ) *assumtus est sursum in gloria*, subaudi, et nunc est in gloria, et venit in gloria. Primum est, *manifestatus in carne:* postremo, *assumtus in gloria.* Haec vel maxime pertinent ad mysterii magnitudinem. Etiam hoc unum verbum *assumtus est* redarguit ea, quae de hoc loco habet Artemonius praef. p. 27.

CAPUT IV.

v. 1. Δὲ, *autem*) Antitheton, inter *firmamentum*, c. 3, 15., et inter ἀποστήσονται *deficient:* tum, inter mysterium pietatis et mysterium iniquitatis, de quo h. l. et nominatim 2 Thess. 2, 7. — ῥητῶς) *diserte*, ut de re magni momenti et cito futura, *verbis conceptis.* — λέγει, *dicit*) per prophetas, Pauli tempore, ipsumve Paulum, qui item propheta erat. hinc, *nosce*, 2 Tim. 3, 1. — ἐν ὑστέροις καιροῖς, *in posteris temporibus*) Haec *tempora*, post ascensionem Domini, c. 3, 16., jam tum esse, Paulus docet, quum praesentem medicinam adhibet. v. 5. 6. conf. 2 Tim. 3, 1. seqq. ὕστερος dicitur comparative: aliud enim est ὕστατος. — ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, *deficient aliqui a fide*) Conf. 2 Tim. 2, 18. *deficient*, vera negando, falsa addendo. — τινὲς) *aliqui*, multi, et paullatim plures. Rom. 3, 3. not. Non indicantur nominatim. Non desunt, qui de Apollonio Tyaneo suspicentur, qui vivo Timotheo Ephesum venerit. Male merentur de veritate, qui Haeresilogiam seculi I. nimis extenuant. — τῆς πίστεως, *a fide*) quae exacte retinet revelationem divinam. v. 6. [*et cujus* fundamentum *proxime antea descriptum fuit.* V. g.] — πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, *spiritibus fallacibus et doctrinis daemoniorum*) *Spiritus fallaces* sunt, qui per prophetas falsos loquuntur, et appellantur *spiritus* non solum respectu naturae suae, sed quatenus spirant. ideo parallelum est *doctrinis. daemoniorum*, est genitivus causae. δαιμόνιον apud Graecos v. gr. apud Athenienses, Act. 17, 18., saepe in bonam partem dicitur; sed apud LXX int. et apostolos, semper malos spiritus notat.

v. 2. ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, *in hypocrisi falsiloquorum*) Constr. cum *deficient. hypocrisis* ea, quae est *falsiloquorum*, illos auferet. τινὲς, *aliqui*, illi, sunt seducti; *falsiloqui*, seductores. *falsiloquorum*, genitivus, unice pendet ab *hypocrisi.* Τὸ *falsiloquorum* dicit relationem ad alios: ergo antitheton est in ἰδίαν, *sua.* — κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, *cauterizatorum sua conscientia*) Sicut fides et bona conscientia junguntur, c. 1, 5. not. sic *hypocrisis* (i. e. *infidelitas* Matth. 24, 51. not.) et conscientia prava, hoc loco; ubi mox e contrario commendatur fides veritatisque cognitio et gratiarum actio. Cauterii usus medicus ad sanandum pertinet: hic ergo notatur alius, ad infamandum. Innuuntur αὐτοκατάκριτοι, Tit. 3, 11. *qui ipsi in sua sibi conscientia, inustis ei perfidiae maculis, infames sunt:* habentes conscientiam non bonam et puram, quippe quam repulerunt; sed μεμιασμένην, *inquinatam.* Sic enim Tit. 1, 15. describuntur *cauterizati* illi, sicut *falsiloqui* describuntur per *intellectum inquinatum.* καυτὴρ, *cauter*, notat idem in malam partem, quod *sigillum* in bonam, 2 Tim. 2, 19. tametsi utroque vocabulo in bonam partem utitur Macarius, de grege Christi, Homil. XII. §. 13. Plato in Gorgia appellat ψυχὴν διαμεμαστιγωμένην καὶ οὐλῶν μεστὴν ὑπὸ ἐπιορκιῶν καὶ ἀδικίας, ἃ ἑκάστῳ ἡ πρᾶξις αὐτοῦ ἐξωμόρξατο εἰς τὴν ψυχήν. Claudianus: *Quid demens manifesta negas? en pectus inustae Deformant maculae.* — τὴν ἰδίαν, *sua*) dum alios tamen urgent.

v. 3. κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, *prohibentium nubere, abstinere a cibis*) Exprimitur hypocritica species falsarum doctrinarum maxime austera et plausibilis, ceteris colorem concilians. conf. Col. 2, 23. Resolve: *praecipientium, nuptiae ne fiant, cibis ut abstineatur.* κωλύω idem quod *praecipio,*

ne. Cum *praecipientium* construitur *nubere* et *abstinere: negativa* ad *nubere* tantummodo pertinet. Hujus zeugmatis exempla notavit Pricaeus, ex quibus maxime quadrat illud Chrysostomi: ταῦτα λέγω, οὐ κηδεύειν κωλύων, ἀλλὰ μετὰ συμμετρίας τοῦτο ποιεῖν. Errorem de *cibis*, speciosiorem, refutat Paulus; de *matrimonio*, nominasse satis habet, (nisi ἃ *quae* subsequens etiam huc referas:) et refutat etiam infra, c. 5, 14. — βρωμάτων, *cibis*) Non interdicent cibis omnibus, (ideo non additur articulus;) quis enim tales audiret? quibusdam igitur. Et qui vel una specie interdicit, injurius est in creatorem et in credentes. Notantur praecipue veteres haereses: sed earum tamen reliquiae pervenerunt ad jactatores antiquitatis. — τοῖς) Dativus, ut ל Hebraicum, valet, *quod attinet ad credentes*. Deus enim cibos *creavit*, etiam iis, qui fide carent neque gratias agunt. Ab iis, qui fide et veritatis cognitione carent, Paulus abstrahit, atque eos sibi quasi relinquit: sermonem de fidelibus sibi esse, declarat. — πιστοῖς καὶ ἐπεγνωκόσι, *credentes et cognoscentes*) Synonyma. Alterum Synonymon, *cognoscentes veritatem*, dat occasionem *veritatis* mox declarandae, ὅτι πᾶν κτλ. et facit antithesin expressiorem ad *mendacium* ψεῦδος, quod continetur in ψευδολόγων v. 2. — τὴν ἀλήθειαν, *veritatem*) Haec declaratur versu seq.

v. 4. καλὸν, *bona*) Gen. 1. — καὶ, *et*) Particula nectit duas enunciationes, quarum altera hoc habet subjectum, *omne, quod cum gratiarum actione accipitur:* praedicatum, *non est rejiciendum.* — μετὰ εὐχαριστίας, *cum gratiarum actione*) Haec includit bonam conscientiam. Rom. 14, 6.

v. 5. ἁγιάζεται, *sanctificatur*) Lev. 19, 24. — διὰ λόγου θεοῦ, *per verbum Dei*) Omnem *gratiarum actionem* ingreditur verbum Dei, imo etiam *creationem* et *concessionem* ciborum. — καὶ ἐντεύξεως, *et deprecationem*) Filiorum Dei est ἐντυγχάνειν, *deprecari*, pro creaturis, quibus utuntur. Magna dignitas. Etiam Judaei et gentes mensam precibus consecrabant, non modo Christiani.

v. 6. ὑποτιθέμενος) *subjiciens*, mansuete. Eustathius, νοεῖν μὲν τὸ αὐτόθεν καὶ οἰκοθεν· ὑποθέσθαι δὲ, τὸ ἐκ παραινέσεως νοῦν ἐμποιεῖν. — καλὸς διάκονος, *bonus minister*) 2 Tim. 2, 15. — ἐντρεφόμενος) Praesens cum respectu praeteriti, *innutritus*. 2 Tim. 1, 5. 3, 15. *Nutrimentum perpetuum.* — τῆς πίστεως, *fidei*) pro ie. — τῆς καλῆς διδασκαλίας, *bonae doctrinae*) pro aliis. — ᾗ παρηκολούθηκας) *quam subsequi instituisti.* De hoc verbo vid. Luc. 1, 3. not.

v. 7. βεβήλους, *profanas*) Antitheton mox, *pietatem.* hanc quidquid non adjuvat, tametsi speciosum, profanum est. 2 Tim. 2, 16. — [1]) μύθους, *fabulas*) Antitheton, *fidelis.* v. 9. — παραιτοῦ) *recusa*, ne *subjicias fratribus.* — γύμναζε δὲ σεαυτὸν, *exerce vero te ipsum*) Rara phrasis, (uti 1 Joh. 5, 21.) pro γυμνάζου. Conf. Not. ad Chrys. de Sacerd. p. 393. Paulus coram solitus erat Timotheum exercere: nunc jubet, ut Timotheus sibi ipse Paulus sit.

v. 8. ἡ σωματικὴ γυμνασία, *corporalis exercitatio*) eaque vel aspera, vel jucunda. — πρὸς ὀλίγον, *ad exiguum*) ad rem familiarem, ad existimationem, ad oblectationem, ad vitam diuturnam; adeoque terminatur in *hac vita corporis.* Videtur Timotheus juvenis interdum usus fuisse aliqua exercitatione corporis [*c.* 5, 23.]: quam Paulus non tam prohibet, quam non laudat. Similem admonitionem juveni salutarem eidem elencho contra profanas doctrinas admiscet 2 Tim. 2, 22. — πρὸς πάντα, *ad omnia*) in corpore et anima. — ἐπαγγελίαν, *promissionem*) In hanc fertur *spes.* v. 10. Quicquid huc non facit, vix est *utile.* — ζωῆς τῆς νῦν, *vitae, quae nunc* est) cui alias consulere videntur, qui corpus exercent.

v. 9. πιστὸς, *fidelis*) Cum hac praefatiuncula versus sequens cohaeret per

---

1) καὶ γραώδεις, *et aniles*] Utrumque vitandum: tum *aniles* fabulae, tum concupiscentiae *juveniles*, 2 Tim. 2, 22. *V. g.*

Google

enim, uti 2 Tim. 2, 11. Pii saepe videntur detrimentum pati in fructu vitae praesentis. id refutat Paulus.

v. 10. εἰς τοῦτο, *in hoc*) hoc nomine, hoc fine, hac spe. — καὶ κοπιῶμεν καὶ ὀνειδιζόμεθα, *et laboramus et opprobria toleramus*) spretis vitae hujus commodis et praesidiis. ὀνειδιζόμεθα, Medium. — ἠλπίκαμεν, *speravimus*) *spem* nostram, in futurum, praesentia aspernantes, *collocavimus*. — ζῶντι, *vivente*) qui etiam nobis vitam dabit. v. 8. 2 Tim. 2, 18. — πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν, *omnium hominum, maxime fidelium*) Paulus se et sui similes a Deo salutem sperare duplicem ostendit: *hujus vitae salutem*, nam Deus servat omnes homines; (quin etiam omnes in aeternum salvari vult:) tum, quod *majus* est, *futurae*, nam servat *maxime* fideles: qui quidem in hac quoque vita ob majores tentationes majora praesidia experiuntur. — μάλιστα, *maxime*) Latet nervus argumenti a minori ad majus.

[1]) v. 11. ταῦτα) *haec*, missis ceteris.

v. 12. μηδείς, *nemo*) Talem te gere, quem nemo possit tanquam juvenem contemnere. Libenter id faciunt senes inanes. — τύπος, *typus*) Ratio parandae verae auctoritatis. — ἐν λόγῳ) *in sermone*, publico et privato. — ἐν ἀναστροφῇ) *in quotidiana consuetudine*. — ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, *in amore, in spiritu*) 2 Cor. 6, 6. not. — ἐν πίστει, *in fide*) Fides, extra munus justificationis spectata, saepe mediam ingreditur enumerationem ejusmodi: et denotat sinceritatem animi Deo fidentis in rebus secundis et adversis. c. 6, 11. 2 Tim. 2, 22. conf. Gal. 5, 22., qui locus item in media enumeratione *fidem* habet. — ἐν ἁγνείᾳ, *in castitate*) c. 5, 2.

v. 13. τῇ ἀναγνώσει, *lectioni*) Scripturae sacrae, in ecclesia. Huic adjunguntur duo praecipua genera, *adhortatio*, quae ad agendum, et *doctrina*, quae ad cognoscendum pertinet. c. 6, 2. fin. Rom. 12, 7. s.

v. 14. μὴ ἀμέλει, *ne negligas*) *Negligunt*, qui non exercent, nec putant, se posse excidere. — χαρίσματος, *donum*) 2 Tim. 1, 6. — διὰ προφητείας μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου, *per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*) Constr. *prophetiam presbyterii*. nam manus imposuit Paulus Timotheo. l. c. *Presbyterium* constabat ex Paulo ipso, (coll. 2 Joh. v. 1. 1 Petr. 5, 1.) et Sila, vel etiam aliis. Multi *Latini* habent, *presbyteri*. *Impositio manus* proprie fit per unam personam, et quidem digniorem. *Prophetia* vero fiebat etiam per aequales, per plures, qui, dum Paulus Timotheo manus imponebat, gratulati sunt, et bona quaeque ominati, forsan etiam Timotheo absente. Strenuus est, inquiebant, hic vir juvenis. Deus multum boni per eum efficiet.

v. 15. μελέτα, *meditare*) Μελετᾶν etiam dicitur de re gymnastica. conf. v. 7. Hoc *studium*, inquit, esto tuum. Hoc ipso in *studio* Timotheum etiam longius provectum *manere* jussit Ep. 2. c. 3, 14. seqq. Quis non eodem studio, dum vivit, teneatur? Omnium aliorum studiorum est vicissitudo; alia hodie moris sunt, alia cras erunt: unum, quod Scripturae sacrae impenditur, nunquam valde eminere videtur, sed idem unum nunquam obsolescit. Regnum, sine tyrannide et fascino, perenne habet, pretium solidum, usum nunquam poenitendum. — ἐν τούτοις ἴσθι, *in his esto*) In his qui est, minus erit in sodalitatibus mundanis, in studiis alienis, in colligendis libris, conchis, numis: quibus multi pastores notabilem aetatis partem inscientes conterunt. — προκοπὴ, *profectus*) exercitatione constans.

v. 16. ἔπεχε, *attende*) Hesychius: ἔπεχε, ἐπίκεισο, πρόσεχε, κάτεχε, ἐπίμενε. Job 18, 2. תביני ἐπίσχες. Et sic saepe Siracides. — αὐτοῖς, *illis*) Ref. ad

---

1) πιστῶν, *fidelium*] spem suam collocantium in DEO vivente. *V. g.*

Digitized by Google

haec: v. 15. vel ad seq. i. e. *audientibus.* — σώσεις, *servabis*) ne seducamini. v. 1. — τοὺς ἀκούοντας, *audientes*) cum obedientia.

CAPUT V.

v. 1. Πρεσβυτέρῳ, *seniorem*) Aetatis vocabulum, hic. — μὴ ἐπιπλήξῃς, *noli increpare*) Hoc pertinet etiam ad ea, quae sequuntur. — ὡς ἀδελφοὺς, *quasi fratres*) Sic senex juvenes hortari debet, *quasi liberos.*

v. 2. ὡς ἀδελφὰς, *quasi sorores*) Hic respectus egregie adjuvat *castitatem.*

v. 3. χήρας, *viduas*) De viduis copiose Chrysost. de sacerd. p. 166. seqq. — τίμα, *honora*) beneficiis, v. 17. s. — ὄντως χήρας, *revera viduas*) Ploce. τὸ *revera* excludit eas, quae liberos habent, et luxuriosas.

v. 4. μανθανέτωσαν, *discant*) filii, ac potius nepotes. nam in correlato commemorantur soli *progenitores.* Elegans metonymia antecedentis. consequens est, ut viduae maneant apud suos. — πρῶτον τὸν ἴδιον, *prius suam*) antequam publico muneri admoveantur. — οἶκον εὐσεβεῖν) *familiam pie tractare.* Idem verbum cum accusativo, Act. 17, 23. Ratio pietatis patet ex fine versus. — ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις, *mutuam vicem reddere progenitoribus*) Sunt, qui hic innui putent viduarum, quae familiam habent, officium; confertque huc Pricaeus illud Augustini de matre Monica: *Mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam pie tractaverat.* l. 9. Confess. c. 9. Congruit illud censorum Romanorum in senes coelibes: *Natura vobis, quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit, parentesque vos alendo nepotum nutriendorum debito (si quis est pudor) alligaverunt.* Val. Max. l. 2. c. 4. Sed verbum μανθανέτωσαν, *discant*, ejusque numerus pluralis, ostendit, agi de officio liberorum et nepotum. Itaque viduae, liberos habenti, opponitur versu 5. vidua, cui non sunt, a quibus *mutuam vicem* accipiat, quae spes unice in Deum collocatas habet.

v. 5. μεμονωμένη) *ad solitudinem redacta.* Explicatur notio vocabuli χήρα, *orbitatem* significantis. — ἤλπικεν, *speravit*) Antitheton, versu 4. — προσμένει ταῖς δεήσεσι, *instat precibus*) Antitheton, versu 6.

v. 6. σπαταλῶσα) Jac. 5, 5., ἐτρυφήσατε καὶ ἐσπαταλήσατε. Hesychius, σπαταλᾷ, τρυφᾷ. — ζῶσα τέθνηκε, *vivens mortua est*) Potest hoc de quolibet impio, quamvis in vita se strenue gerat, dici: sed maxime de vidua voluptuosa. Quamvis ipsa sibi adhuc vita frui videatur, tamen vivens mortua est, quippe quae nec naturaliter jam, nec spiritualiter frugi sit: adeoque nullum *honorem* meretur.

v. 7. ταῦτα, *haec*) quae modo dicta sunt. — ὦσιν, *sint*) viduae verae.

v. 8. ἰδίων, *suis*) extra *domum* quoque. — τῶν οἰκείων, *domesticis*) qualis vel maxime est mater aut avia vidua, *domi.* v. 4. Multi parentes hoc praetexunt avaritiae suae: atqui hoc loco de nepotum officio agitur potissimum, quod ex amore fluere, non fidei opponi debet. — οὐ προνοεῖ, *non prospicit*) victu et amictu necessario. — τὴν πίστιν ἤρνηται, *fidem negavit*) Sperat Paulus, neminem fore inter Christianos, qui matri non prospiciat. Fides non tollit officia naturalia, sed perficit et firmat. — ἀπίστου, *infideli*) quem vel natura hoc docet, nunquam fidem amplexum.

v. 9. καταλεγέσθω) *cooptetur.* — μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα) Genitivus hic non pendet a comparativo, sic enim scribendum fuerat ἐλάττων, sed a χήρα. Ἔλαττον (pro κατὰ ἔλαττον, ut Lat. *summum, minimum,* pro *ad summum, ad minimum,*) adverbiascit. Sic Plato, τάλαντα οὐκ ἔλαττον ἑκατόν. — ἐτῶν ἑξήκοντα, *annorum sexaginta*) Antitheton, v. 11. Etiam virgines hujus aetatis

Digitized by Google

accenseri viduis poterant. Sed minime laudaret apostolus eos, qui filias minores in monasteria detrudunt, ubi ab adolescentia ad obitum usque maneant. — ἑνὸς, *unius*) i. e. quae legitimo matrimonio juncta fuerit, sive unum habuerit maritum, sive unum et postea alterum.

v. 10. ἔργοις καλοῖς, *operibus bonis*) Talia mox enumerantur: in quibus haec quoque species est, παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ ἐπακολουθεῖν, ubi ἀγαθὸς plus est, quam καλός. — ἐτεκνοτρόφησεν) *liberos* recte *aluit*, vel suos, vel alienos, ecclesiae commodo. — ἐξενοδόχησεν, *hospites excepit*) ut digna sit, cui ecclesia in suos collata beneficia publice compenset. — πόδας ἔνιψεν, *pedes lavit*) Synecdoche partis, pro omni genere officiorum humilitatis. — θλιβομένοις, *pressis*) paupertate. — [1]) ἐπηκολούθησε, *subsecuta est*) Antistitum et virorum est *bonis operibus praeire*. Tit. 3, 8. 14. mulierum, *subsequi*, adjuvando pro sua parte. Glossae ap. Pricaeum, ἐπηκολούθησεν, ἐκοινώνησεν, ὑπηρέτησεν.

v. 11. παραιτοῦ, *recusa*) noli causam earum suscipere. Idem verbum, Tit. 3, 10. — ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ χριστοῦ) *quum enim luxuriam contrahunt contra Christum*, de beneficiis ecclesiasticis. Genitivus regitur a κατά. στρῆνος quid sit, vid. Ap. 18, 3. Luxus et Christus nullo modo conveniunt. — τοῦ χριστοῦ, *Christum*) cui se totas addixerant. — θέλουσιν, *volunt*) re non jam integra.

v. 12. ἔχουσαι, *habentes*) certo, jam. — ὅτι) *quia*. — τὴν πρώτην πίστιν ἠθέτησαν) Πίστιν ἀθετεῖν, ut Raphelius ex Polybio docet, est *fidem non servare*. conf. v. 8. Dicitur πρώτη πίστις, *prima fides*, primi temporis fides, quam initio habebant, priusquam viduis adscriberentur. Hanc frangunt, eique opponuntur, *vota secunda*. Conf. *primus amor*, Ap. 2, 4.

v. 13. μανθάνουσι περιερχόμεναι, *discunt obeuntes*) Non est participium hoc pro infinitivo positum, sed reprehenditur discendi genus: sequiturque species, *discunt, quae domos obeundo discuntur*, i. e. statum familiarum curiose explorant. mimesis est in eo, quod *discunt* dicitur. Alias enim non nisi ea dicuntur disci, quae bona sunt. Hae vero *obeundo* discunt, omnia indagant, et inde proficiunt in pejus. — τὰς οἰκίας, *domos*) 2 Tim. 3, 6. — φλύαροι, *garrulae*) verbis. — περίεργοι, *curiosae*) factis. — λαλοῦσαι, *loquentes*) Hoc construitur cum *discunt*: quae didicere eloquuntur. — τὰ μὴ δέοντα) ἃ μὴ δεῖ. Tit. 1, 11.

v. 14. νεωτέρας, *juniores*) Non addit, *viduas*. nam *vidua* h. l. proprie, quae vidua manet. Et haec ratio, quam apostolus commemorat, aeque pertinet ad innuptas, atque ad viduas LX annis minores. A toto sensu apostolico abhorrent instituta monialium monastica. neque de ullo monachorum grege gubernando Paulus ad Timotheum scribit. nulli enim erant. — γαμεῖν, τεκνογονεῖν, οἰκοδεσποτεῖν, *nubere, liberos gignere, familiam regere*) Tres gradus societatis domesticae. Sic habebunt, quod agant, citra otium et curiositatem. — τῷ ἀντικειμένῳ, *adversario*) Verbum שטן Symmachus Ps. 38, 21. expressit verbo ἀντίκειμαι. et v. seq. fit mentio Satanae: accipias tamen h. l. τὸ ἀντικείμενος *adversarius* de malis hominibus. conf. c. 6, 1. Tit. 2, 8. 10. — λοιδορίας χάριν, *calumniae gratia*) quae paucorum vitia exaggerare, toti ecclesiae, ipsique doctrinae imputare gestit.

---

1) παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ, *omne opus bonum*] Ubicunque boni quidquam cominus eminusve progerminat, ei fas est ut suppetias eamus. Id si viduarum fuit, quae aliorum deinceps adjumento frui gestiebant: quanto magis viros decet, eosque in officiis constitutos? Multi gnatorum fortassis, agnatorum, vicinorum populariumve suorum curam gerunt: enimvero ignotis atque peregrinis tribuere aliquid, aut, si qua res alienior videtur vel paullulum remotior esse, hujus quidem causa tentare nonnihil, prorsus alienum ducunt. 1 Sam. 25, 10. Experietur, quicunque bonum opus aggressus fuerit. *V. g.*

ed by Google

v. 15. ἤδη, *jam*) Particula provocandi ad experientiam. — τινὲς, *aliquae*) viduitatem professae temere. — ἐξετράπησαν, *abstractae sunt*) eoque occasionem dedere *calumniae*. — ὀπίσω τοῦ σατανᾶ, *post Satanam*) qui eas a Christo abstraxit.

v. 16. ἐπαρκείτω, *suppeditet*) v. 10. — ἡ ἐκκλησία, *ecclesia*) viduis *suppeditans*. — ἐπαρκέσῃ, *sufficiat*) scil. ecclesia.

v. 17. διπλῆς, *duplici*) ob presbyteratum et ob munus. *Presbyteratus* per se involvit venerationem aetatis. Etiam Petrus opponit *presbyteros* νεωτέροις, et tamen tanquam de munere loquitur. 1 Petr. 5, 5. 1. ss. *duplex*, largum. Ap. 18, 6. — μάλιστα, *maxime*) Poterant ergo aliqui praeesse, et bene praeesse, tametsi non versarentur *in sermone et doctrina*, in studiis sacris et in aliorum institutione. Qui vero ita *occupati erant*, minus vacabant opificio et rei familiari, et digni erant compensatione.

v. 18. καὶ, ἄξιος, *et, dignus*) Allegat hoc apostolus vel tanquam *scripturam*; vel tanquam proverbium, etiam a Domino approbatum, Matth. 10, 10. Luc. 10, 7.

v. 19. πρεσβυτέρου, *seniorem*) v. 17. — κατηγορίαν, *accusationem*) Privatus poterat, lege Mosis, citari uno teste, non condemnari: presbyterum ne citari quidem Paulus jubet. nam et innocentiae majore est existimatione, et invidiae calumniaeque magis expositus. — μὴ παραδέχου, *noli accipere*) Habebat ergo Timotheus potestatem judicandi in ecclesia. v. 21. 24.

v. 20. τοὺς ἁμαρτάνοντας) *peccantes*, presbyteros, testibus convictos. his contradistinguuntur *ceteri*. — οἱ λοιποὶ) *ceteri*, in grege, qui aut commiserunt idem peccatum, aut ne committant. — φόβον, *timorem*) peccare paratis congruum.

v. 21. ἐνώπιον, *coram*) Repraesentat Paulus Timotheo judicium extremum, in quo Deus revelabitur, et Christus cum angelis coram conspicietur. Conf. 2 Tim. 4, 1. Neque tamen τὸ *coram* non pertinet ad tempus praesens. v. 4. 2 Cor. 8, 21. Vid. cap. 6, 13. seq. — καὶ κυρίου, *et Domino*) Articulus non additur, cum tamen mox addatur de angelis. Ergo *Dei* appellatio et *Domini* ad unum pertinet subjectum. conf. tamen 2 Tim. 4, 1. κυρίου non habet lectio vetusta [1]). — ἐκλεκτῶν) Epitheton, Timothei reverentiam acuens. ἐκλεκτὸς, *eximius*. 1 Petr. 2, 6. — χωρὶς προκρίματος) χωρὶς τοῦ προπετῶς καὶ δίχα κεκριμένης βουλῆς πρᾶξαί σε τί. Gloss. ap. Pricaeum. πρόκριμα, *praejudicium*, is facit, qui *decernit*, *ante*quam res sese aperuerit. v. 22. not. *Judicium* esse debet, non *praejudicium*. v. 24. — κατὰ πρόσκλισιν) Glossae apud eundem, κατὰ πρόσκλισιν, κατὰ χάριν, προσπάθειαν, ἢ ἑτερομέρειαν. Breviter, *praejudicium* per odium, *inclinatio* per favorem. [*Saepe quis praecipiti quodam raptu actus hunc illumve vel male habet vel bene: atqui considerate agendum est, et, quid voluntati divinae conveniat, cogitandum.* V. g.]

v. 22. χεῖρας, *manus*) Timothei erat, manus imponere presbyteris. — ταχέως, *cito*) re inexplorata. — μηδὲ κοινώνει, *neque participaveris*) Id faciunt, qui *cito* aliquid faciunt. [*Atque hoc quidem loco repentina* manuum impositio *inhibetur*. *Enimvero in reliqua etiam vita frequentissima est alienorum* peccatorum participatio. *Fit ea, vel ante vel post factum, cogitationibus, affectibus, gestibus, verbis, scriptis, operibus; agendo, omittendo; erga superiores, aequales, inferiores, antistites, subditos; majori minorive culpae parte modo huic modo illi lateri incumbente.* V. g.] Salubrem exspectationem esse, docet v. 24. s. admonitionemque interponit, Timotheo juveni tantisper observandam.

---

1) *Quapropter omittitur* in Vers. germ., *praecedente* utriusque Ed. *margine*. E. B.

itized by Google

v. 23. σεαυτὸν, *te ipsum*) Antitheton: *aliena*. In transitu monetur Timotheus, quomodo in medio aliorum regimine se regere debeat: elegantissimeque haec *parenthesis* imitatur moram negotiis *interponendam*. — μηκέτι, *non jam*) Tutum monitum, praemisso illo, *te ipsum castum serva*.

v. 24. τινῶν, *quorundam*) Non modo diversa ratio est *peccatorum*, quae admittuntur, sed etiam hominum, eadem peccata admittentium. — αἱ ἁμαρτίαι, *peccata*) facta mala, et inde cognoscendi habitus mali. — πρόδηλα) *ante manifesta*, quam inquiratur, vel de hominibus quicquam statuatur. — προάγουσαι) *antevertentia*, praeeuntia patrantem, ut statim manuum impositione indignus cernatur. antitheton, *insequuntur*. — εἰς κρίσιν) *quod attinet ad judicium* de hominibus faciendum. — τισὶ) Id majorem emphasin habet, quam si iterum diceret τινῶν. *quosdam* etiam insequuntur peccata ipsorum. — ἐπακολουθοῦσι, *insequuntur*) Interim patienter exspectandum, dum res se aperiat, nec inquirendum morosius. Fidelem servum tamen regit Deus, ut opportuna agat et dicat. Praepositio ἐπὶ dicit intervallum non longum.

v. 25. τὰ ἄλλως ἔχοντα, *quae aliter se habent*) quae non sunt *manifesta prius*. Insigne dictum et hodie inprimis observandum, quod extat Eccl. 8, 14. — κρυβῆναι, *abscondi*) diu. — οὐ δύνανται, *non possunt*) tametsi saepe celare velint, qui faciunt.

CAPUT VI.

v. 1. ὑπὸ ζυγὸν) *sub jugum*, dominorum ethnicorum. Antitheton, *autem*, v. 2. Servitus ergo apud fideles, non est jugum. — ἰδίους, *suos*) ne se ab iis avertant, et ad alios applicent. Confusio prohibetur. — τιμῆς, *honore*) quanquam foris sunt. Oppositum, *contemnere*, mox. — ἀξίους, *dignos*) tametsi virtute careant. — ἡγείσθωσαν, *ducant*) affectu et re ipsa. — ἵνα μὴ, *ut ne*) Nam contumaciae causam huc collaturi forent *heri*. conf. Tit. 2, 5.

v. 2. ἀδελφοὶ, *fratres*) eoque pares. — εἰσὶν, *sunt*) *heri*. Servi poterant praetextum obsequii denegandi quaerere, sive infideles sive fideles heros haberent. utrique peccato occurritur. — δουλευέτωσαν, *serviant*) maneant in familia. — πιστοί εἰσι καὶ ἀγαπητοὶ, *fideles sunt et amati*) Subaudi, *heri. amati*, amorem divinum experti, amoremque inde servis praestantes. — οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι, *beneficentiae subservientes*) *Beneficentia* est *beneficentia* Dei, ut *verbum, nomen, spiritus, ira, verbum Dei, nomen Dei, etc.* Huic beneficentiae subserviunt heri fideles, *evergetae*. *Beneficentiam* coelestem erga homines experiuntur, et ei subserviunt fideles, v. gr. heri, erga familiam, et per familiam erga alios. Hoc implicite etiam fideles heros officium docet: docet etiam versus 17.

v. 3. ἑτεροδιδασκαλεῖ, *aliter docet*) Antitheton, *doce*. Conclusio, respondens ineunti tractationi. c. 1, 3. — μὴ προσέρχεται, *non accedit*) Seneca, *accedere opinioni*. et sic alii, apud Pricaeum.

v. 4. τετύφωται, μηδὲν ἐπιστάμενος) Harpocration, τετύφωμαι, ἀντὶ τοῦ ἐμβεβρόντημαι, ἔξω τῶν φρενῶν γέγονα. κτλ. Confer Raphelium ad Polyb. — μηδὲν ἐπιστάμενος, *nil sciens*) quamvis ἐπιστήμην *scientiam* sibi vindicet. conf. cap. 1, 7. — νοσῶν περὶ, *morbidus de*) Antitheton, *salubribus*. Plut. νοσεῖν περὶ δόξαν, περὶ σφραγίδια πολυτελῆ, *insanire amore gloriae*, vel *sigillorum pretiosorum*. — λογομαχίας, *logomachiis*) 2 Tim. 2, 14. not. — ἐξ ὧν γίνεται, *ex quibus fit*) Ib. v. 23. — ἔρις, *lis*) Tit. 3, 9. — ὑπόνοιαι πονηραὶ, *suspiciones malae*) per quas ii, qui non omnia statim assentiuntur, invidi putantur.

v. 5. διαπαρατριβαὶ) Διατριβὴ, *tractatio scholastica*. παρὰ insertum, facit significatum rei perversae, uti κατατομὴ, pro περιτομὴ, Phil. 3, 2. Opponitur τῷ *accedere*, v. 3. — διαπαρατριβαὶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων) *pervertae tractationes*,

ed by Google

quae non nisi *corruptos* mente *homines* decent. 2 Tim. 3, 8., *homines corrupti mente.* — νομιζόντων, *putantium*) i. e. quippe cum putent. non enim praemittitur *et.* conf. Rom. 2, 18. 20. 2 Tim. 2, 21. Hebr. 6, 6., ubi similis participiorum ratio. — πορισμὸν) *quaestum*, rei parandae causa datum.

v. 6. ἔστι δὲ, *est vero*) Non plane vult negasse, *quaestum esse pietatem.* — πορισμὸς) *expedita vitae ratio.* — μέγας, *magnus*) Nam affert αὐτάρκειαν, *animum sua sorte contentum*, ceteris incognitum. — μετὰ αὐταρκείας, *cum animo sua sorte contento*) Hic pietatis comes.

v. 7. οὐδὲν, *nihil*) Animo et corpore constat homo nascens: cetera, aliena et externa ei sunt. — εἰσηνέγκαμεν, *intulimus*) Subaudi, *et tamen ritam nacti sumus.* vid. Matth. 6, 25. — δῆλον ὅτι) *scilicet.* Formula declarandi. — οὐδὲ ἐξενεγκεῖν, *neque efferre*) Cur ergo multa coacervemus? Id tantum agitur, ut habeamus πόρον, *expeditum iter*, dum patriam attingimus.

v. 8. ἔχοντες, *habentes*) Implicite affirmatur, nos *habituros esse.* — διατροφὰς) *alimenta*, quibus *interim* alamur. hoc διὰ valet. Σκεπάσματα, *amictum*, nec non tectum. — τούτοις) *his*, etiamsi absit argentum. v. 10. — ἀρκεσθησόμεθα) *satis habituri sumus*, in re: cur non etiam in affectu?

v. 9. βουλόμενοι, *volentes*) Haec *voluntas, animi sua sorte contenti* inimica; non ipsae opes. quas idcirco divites non jubentur abjicere. v. 17. s. — πλουτεῖν, *divites esse*) habere plus, quam victum et amictum. — ἐμπίπτουσιν· βυθίζουσι, *incidunt: mergunt*) Tristis gradatio. — πειρασμὸν) Paronomasia, πορισμὸς, πειρασμός. *Tentatio* opponitur victui, item fidei; laqueus, amictui, et justitiae; concupiscentiae, animo contento. — παγίδα, *laqueum*) adeo non inveniunt πόρον. — ὄλεθρον, *interitum*) corporis. — ἀπώλειαν, *perditionem*) etiam animae. conf. *omnium.* v. 10. Hoc opponitur *magno* illi *quaestui.* v. 6.

v. 10. πάντων τῶν κακῶν, *omnium malorum*) Nam perimit fidem, bonorum omnium radicem. prima specie videtur amor numi flagitiis plerisque alimentum subtrahere, ut luxuriae, proterviae etc. sed revera malorum omnium est radix. *Mala omnia* in v. 9. comprehenduntur, sub *tentatione, laqueo, concupiscentiis, interitu, perditione:* quanquam articulus τῶν non praecise illud respicit, sed ad πάντων pro more additur ad rem exaggerandam, absque vi relativa. — φιλαργυρία, *amor numi*) quum argentum amatur per se, non ad paranda alimenta et tegumenta adhibetur. — ἧς) φιλαργυρίας, ἀργύρου. — τινὲς) *quidam*, Ephesii. conf. c. 5, 15. — ὀρεγόμενοι, *appetentes*) c. 3, 1. not. — ὀδύναις πολλαῖς, *doloribus multis*) conscientiae, de male partis mordentis: animi, ad plura congerenda urgentis. Horum dolorum remedium, *fides.*

v. 11. ὦ ἄνθρωπε τοῦ θεοῦ) Sic LXX pro Hebr. *Vir Dei*, i. e. propheta, internuncius Dei ad homines, a rebus terrenis remotus. — ταῦτα φεῦγε, *haec fuge*) Reassumit post parenthesin, quae dixerat v. 5. in fine. Itaque *haec* refertur ad v. 4. 5. nam utraque enumeratio apertum facit antitheton. quo pertinet *fuge, sectare.* — δικαιοσύνην, *justitiam*) Haec cetera complectitur, primoque loco ponitur iterum, 2 Tim. 2, 22. — εὐσέβειαν, *pietatem*) Antitheton, abusus *pietatis.* v. 5. — πίστιν, ἀγάπην, *fidem, amorem*) Opposita, *invidia, lis.* v. 4. — ὑπομονὴν, *patientiam*) qua perferuntur etiam *blasphemiae.* ibid. — πραότητα, *mansuetudinem*) qua vincuntur *suspiciones malae.* ibid.

v. 12. τὸν καλὸν ἀγῶνα, *bonum certamen*) Antitheton, *logomachiae.* v. 4. — ἐπιλαβοῦ, *apprehende*) ut quiddam, quod praesto est: ceteris relinque suas *quaestiones.* ibid. Metonymia consequentis, cum argumento a facili. Eadem locutio, v. 19. Simile a stadio et brabeo. conf. 2 Tim. 4, 7. seq. — ἐκλήθης καὶ ὡμολόγησας, *vocatus et confessus es*) Correlata, vocatio divina et confessio fidelium. Utraque in baptismo fit. [*Siquando promissum DEO fecisti; Ipse obnoxium sibi te judicat. Eaque insignis est benevolentia.* V. g.] — τὴν καλὴν ὁμολογίαν)

bonam illam confessionem. [*de regno Christi*, v. 13. V. g.] Sic quoque, v. seq. Sed differunt verba: *confessus es*, cum assensione testium: *testatus est*, non assentiente Pilato. — ἐνώπιον πολλῶν μαρτύρων, *coram multis testibus*) qui contra te, si deficeres, testaturi forent.

v. 13. παραγγέλλω, *denuncio*) Vide, quantum munus evangelii praedicandi. 2 Tim. 4, 1. — τοῦ ζωοποιοῦντος τὰ πάντα, *vivificante omnia*) LXX, Neh. 9, 6. Praesupponitur hic, quae ibidem commemoratur, creatio omnium. Pars hymni exprimitur: hymnus totus innuitur. Dei virtus te quoque, o Timothee, in officio tuo *animat* et ad vitam aeternam resuscitabit. — τοῦ μαρτυρήσαντος, *testante*) Confessio Christi *animat* omnes confessiones. *Testari confessionem*, erat Domini: *confiteri confessionem*, Timothei. — ἐπὶ ποντίου πιλάτου, *super Pontio Pilato*) Periocha temporis notissima. — τὴν) *illam*, quam omnes christiani ab Ipso factam norunt, de *regno*. v. 15.

v. 14. τὴν) *hoc*. — ἄσπιλον, ἀνεπίλημπτον, *labis expertem, irreprehensibilem*) Masculina. — μέχρι, *usque*) Fideles in praxi sua proponebant sibi diem Christi, ut appropinquantem: nos solemus nobis horam mortis proponere. — ἐπιφανείας, *apparitionem*) Saepe recurrit hoc verbum in 2 ad Tim. et Titum.

v. 15. καιροῖς ἰδίοις, *temporibus suis*) Numerus pluralis observandus, brevitatem temporum non valde coarctans. *suis*, quorum ratio, potestas, notitia et revelatio penes Ipsum est. sic, ἴδιος, c. 2, 6. 2 Tim. 1, 9. Tit. 1, 3. Reservatum divinum. — δείξει, *ostendet*) *Ostendi* dicitur, quod jam ante erat. Deus ostendet: (Act. 3, 20.) cujus hic magnificentissimum subsequitur encomion, ipsam involvens Christi gloriam. — ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης, *beatus et solus dynasta*) Duo praedicata. prius, addito item *solus*, tractatur v. 16. nam τὸ μακάριος et ἀκήρατος idem etymon habent, et *immortalem* dicunt. et inde ei debetur *honor*. alterum, tractatur mox, h. v. et inde ei debetur *robur aeternum*. Causa, cur in confessione evangelii non debeant timeri homines *potentes* et *mors* ab eis intentata. Sic, *potentia aeterna* dicitur Rom. 1, 20. — τῶν βασιλευόντων, τῶν κυριευόντων, *regnantium, dominantium*) spiritualiter et politice.

v. 16. μόνος, *solus*) Hoc *solus* commode huc dilatum est, quia subsequitur alia similis locutio in *nullus, neque*. — ἔχων) *habens*, eoque daturus nobis. — ἀθανασίαν, *immortalitatem*) Adjectivum *immortalis* non extat in N. T. sed ἄφθαρτος, *incorruptibilis*. Neque ἀθάνατος aut ἀθανασία habent LXX. Utrumque habet Sapientiae liber, qui semper graecus fuit. — φῶς, *lucem*) Post *vitam* statim mentio *lucis*. — ἀπρόσιτον) *inaccessam*, creaturis; nisi quatenus et ab Ipso admittuntur, et ipse ad eas exit. — οὐδεὶς ἀνθρώπων, *nemo hominum*) Sic plane Exod. 33, 20. Quod *hominibus* negatur, Joh. 1, 18. 1 Joh. 4, 12., id sanctis obtinget. Matth. 5, 8. 1 Cor. 13, 12. 1 Joh. 3, 2. Ap. 22, 4.

v. 17. τοῖς πλουσίοις, *divitibus*) Multi divites Ephesi. Appendix epistolae (*Post scriptum*) magni momenti. — ἠλπικέναι, *sperasse*) Haec spes mala, tenacitatis nervus, *fructum*, quem Paulus mox appellat, sufflaminans. — ἀδηλότητι, *incerto*) Ideo non sperandum in opibus, quia *incertissimae* sunt, *in futurum*. — ἐπὶ τῷ θεῷ, *super Deo*) Ἐπὶ habent *Al. Aug.* 6. *Boerner. Clqr. Colb.* 7. pluresve. Sic expressius est antitheton ad illud, ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι. Spes, Deo *innixa*, firmitudinem habet. Ἐν habet lectio communis, quae subjungit, τῷ θεῷ τῷ ζῶντι, ex cap. 4, 10., ut videtur. nam τῷ ζῶντι non habent *Al. Boern. Colb.* 7. *Rac.* 2. *Aeth. Lat.* in ms. Reutling. *Gildas, Haimo*. — πλουσίως, *abunde*) Alias nemo foret πλούσιος, *dives*. — εἰς ἀπόλαυσιν, *in fructum*) *Fructus* est in dando, non in tenacitate. Otium abesse debet, ut ab homine, sic ab ejus facultatibus. Jac. 5, 2. 3.

v. 18. ἀγαθοεργεῖν) *studere beneficiis*. Hanc diligentiam sequitur, ut *sint divites* in *bonis* operibus. ἀγαθὸν et καλὸν differunt. ἀγαθὸς infert simul notionem

Digitized by Google

beatitudinis, (coll. Marc. 10, 18. not.) καλὸς connotat *pulcritudinem*. — εὐμεταδότους, *liberales*) impertiendo, singulatim. — κοινωνικοὺς, *communicatiros*) mutuum dando, in commune conferendo, cum multis. Alias *divisione* actionum, consiliorum, rerum, maxime delectantur divites, et sunt imperiosi, insolentes.

v. 19. ἀποθησαυρίζοντας ἑαυτοῖς, *recondentes sibi ipsis*) Peculium optimum quod in posterum reconditur. Antitheton κοινωνικοὺς, *communicatiros*. Sic Tob. 4, 10., μὴ φοβοῦ ποιεῖν ἐλεημοσύνην· θέμα γὰρ ἀγαθὸν θησαυρίσεις σεαυτῷ εἰς ἡμέραν ἀνάγκης. Alias divites non sibi, sed aliis thesauros colligunt. *Dando colligere*, suave oxymoron. Praepositio ἀπὸ in ἀποθησαυρίζοντας egregiam vim habet, *seorsum, in longinquum*. — θεμέλιον καλὸν, *fundamentum bonum*) Appositio elliptica. i. e. ἀποθησαυρίζοντας θησαυρὸν, θεμέλιον καλόν. Metaphora cumulata, uti Ps. 37, 5. cum explic. Gejeri. Opera beneficentiae appellat *fundamentum bonum*, cui opponitur *divitiarum incertum*. θεμέλιος Hebr. יקר illud cui innitimur, ut est Syngrapha, hypotheca. etc. [Fundum *vulgo dicunt*. V. g.] — εἰς τὸ μέλλον, *in futurum*) Antitheton, *in praesenti seculo*. v. 17. coll. c. 4, 8. — ἐπιλάβωνται, *arripiant*) tanquam ex naufragio emergentes. Mercatore naufragio salvus thesauros domum praemissos invenit. In v. 12. expressa est *agonis* mentio; eadem locutio, non eadem allegoria. — τῆς [1]) ὄντως ζωῆς) Conf. ὄντως, c. 5, 3. 5. 16. *Vera vita*, ex Deo vivente.

v. 20. ὦ τιμόθεε, *o Timothee*) Appellat, familiariter, ut filium, c. 1, 18., cum gravitate et amore. Extrema, versu 20. 21., respondent initio epistolae, et exinde sunt explicanda. — τὴν παραθήκην, *depositum*) c. 1, 18. Sic, *praeceptum*. v. 14. 2 Tim. 1, 14. not. Oppositum hoc loco, *vocum inanitates*. — τὰς βεβήλους κενοφωνίας, *profanas vocum inanitates*) LXX, τοὺς κενολογοῦντας, pro מְמַצְמְצִים Es. 8, 19. Usitata pridem sunt Magis vocabula barbara, quae arcanam perhibentur habere vim, cum revera nullam habeant, sintque *inania* prorsus. Eo respexisse videtur Paulus, substituto vocabulo significantiore. nam φωνὴ, *vox*, vehemens. conf. 2 Tim. 2, 15. 16. not. Quin etiam τὸ γνῶσις convenit cum Hebraeo ידעוני l. c. quod Graeci certe in libb. Sam. et Reg. interpretati sunt γνώστην. Quo pacto Paulus falsos doctores vocabulis magos et magiam notantibus appellat, ut ostendat, quam eos abominetur. conf. γόητες, 2 Tim. 3, 13. Clemens Al. l. 2. Strom. f. 280. ad haec Pauli verba subjicit, ὑπὸ ταύτης ἐλεγχόμενοι τῆς φωνῆς οἱ ἀπὸ τῶν αἱρέσεων, τὰς πρὸς τιμόθεον ἀθετοῦσιν ἐπιστολάς. — καὶ ἀντιθέσεις, *et oppositiones*) *Oppositiones* varias falsa γνῶσις *cognitio*, ex philosophia desumtas, curiose venditabat, duos deos ἀντιτέχνους, alterum bonum, alterum malum, et in utroque genere miras ἀντιστοιχίας fingens. Has *oppositiones* notat Paulus, simulque graviter eas illudit per amphiboliam, quod earum doctores *opponant* se ipsos veritati, eorumque *theses contrariae* sint fundamento pridem posito. Vide conjugata, ἀντιδιατιθεμένους et θεμέλιος, 2 Tim. 2, 25. 19. Ipse contra Paulus in epistolis, ad Timotheum inprimis, sapientissimas *antitheses* pertractat. v. gr. 1 Tim. 1, 7: 8. 3, 16: 4, 1. 6: 7. 6, 2: 3. 5: 6. 10: 11., ubi expresse, *Tu vero*. Porro 2 Tim. 2, 15—23.: unde rursum frequens illud, *Tu vero*, c. 3, 10. 14. 4, 5. — ψευδωνύμου γνώσεως, *falso nominatae cognitionis*) Ad *cognitionis*, sejuncto epitheto, refertur *quam*, v. 21. *Cognitionem* jactabant et appellabant *gnostici*, qui hic per metonymiam abstracti notantur: sed *falso* eam sic *nominari* Paulus ait. sunt μὴ νοοῦντες *non intelligentes*, c. 1, 7.

v. 21. περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν, *in fide aberrarunt*) Quanquam ἐπιστήμην *scientiam* et γνῶσιν *cognitionem*, v. 4. 20., ejusque εὐστοχίαν et sagacitatem ad se redigere conantur, tamen veram sagacitatem, quae *fidei* est, amiserunt,

---

1) *Hanc lectionem*, cui Ed. maj. *minus tribuerat*, *lectioni* αἰωνίου *praefert margo* Ed. 2., *suffragante* Vers. germ. E. B.

Google

non capientes, quid sit *credendum*, et quid sit *credere*. conf. 2 Tim. 3, 7. 8. — ἡ χάρις, *gratia*) non ignota tibi. Breviter indicat. — μετὰ σοῦ, *tecum*) Nullae hic adduntur erga alios salutationes. neque enim publice erat legenda epistola.

IN EPISTOLAM II. AD TIMOTHEUM.

CAPUT I.

v. 1. Παῦλος, *Paulus*) Tres sunt hujus epistolae partes:

I. Inscriptio. c. I. 1. 2.
II. Invitatio, VENI AD ME VINCTUM, varie insinuata.
1. Desiderio suo erga Timotheum declarato, v. 3. s. comiter eum hortatur: NE TE PUDEAT MEI: v. 6. s. subjunctis exemplis tristibus, v. 15.
et beatis. v. 16. s.
2. propositio bipartita: ESTO FORTIS, et fidis hominibus partes tuas COMMITTE. cap. II. v. 1. 2. Prior pars tractatur v. 3—13., altera, v. 14., cum adhortatione, ut Timotheus ipse ante iter se sancte gerat. v. 15. s. c. III. 1. s. IV. 1. s.
3. VENI CELERITER. v. 9. Hic Paulus
1. solitudinem suam commemorat. v. 10. s.
2. libros apportari jubet. v. 13.
3. de adversario monet. v. 14. s.
4. hominum inconstantiam notat, et Domini fidem praedicat. v. 16. s.
4. VENI ANTE HIEMEM. Haec invitatio salutationibus circumdatur. v. 19. s.
III. Votum. v. 22.

Volebat Paulus, ut Timotheus ad se vinctum sine timore veniret: eique ante suum decessum lampada evangelici muneris erat traditurus. c. 4, 5. 6. Testamentum Pauli et cygnea cantio est haec epistola. Longe ea post priorem ad Tim. epistolam scripta, et tamen valde similis est utriusque tonus.

— κατ' ἐπαγγελίαν, *secundum promissionem*) Huic promissioni subservit Paulus in suo munere. Sic κατὰ *secundum*, Joh. 2, 6. Conf. de particula et de re, Tit. 1, 1. 2. — ζωῆς, *vitae*) et mihi, et tibi, et electis paratae. Nervus ad Timotheum hortandum, v. 10. c. 2, 8. [Vitae *nimirum discrimine non videbatur iter suscipiendum carere*. V. g.]

v. 2. ἀγαπητῷ, *dilecto*) Epitheton aptum. sequitur enim summa amoris declaratio. In ep. I. scripserat, *genuino*: id compensatur hic versu 5.

v. 3. χάριν ἔχω, *gratiam habeo*) Martyrio proximus, tamen gratias agit. *Gratiam habet* Deo Paulus, pro fide Timotheo donata, v. 5. Itaque *sicut indesinentem — implerer* per parenthesin ponitur, ad declaranda illa, quae sequuntur, *recordationem accipiens*. namque ὡς *sicut* declarandi particula est. — ᾧ λατρεύω, *cui servio*) Rom. 1, 9. not. — ἀπὸ προγόνων, *a majoribus*) *Majores* Paulus innuit, non Abrahamum etc. quos *patres*, nunquam προγόνους appellat; sed progenitores proximos: significatque suam in vera religione vetustatem, inde a superiore aetate hominum, sive ipsi majores Pauli pii fuerint, id quod valde credibile est, sive minus; nam non addit, *meis*. Defungi paratum juvat memoria antecessorum, ad quos aggregatur. Etiam Timotheo aviam et matrem in memoriam revocat. v. 5. Haec praecipue epistola habet quiddam senile, mite, facile.

v. 4. ἐπιποθῶν σε ἰδεῖν, *desiderans te videre*) Invitare Timotheum incipit, paulatim. — μεμνημένος σου τῶν δακρύων, *recordatus tuarum lacrumarum*) Non solum de lacrumis pristinis Timothei, Paulo valedicente profusis, (solent enim

Digitized by Google

apud valedicendum lacrymae cieri, conf. Act. 20, 37.) sed de pia ejus consuetudine loqui videtur. In hoc quoque genere *unanimem* eum habebat. conf. Act. 20, 19. not. Lacrumae, flos cordis; aut summam hypocrisin, aut summam sinceritatem indicant. Ludibrium ex lacrumis indicium est pravitatis nostri seculi. — ἵνα, *ut*) Construe cum *videre*.

v. 5. ὑπόμνησιν λαμβάνων, *recordationem accipiens*) Paulo externa quaedam occasio aut nuncius a Timotheo in memoriam revocarat hujus fidem. Ammonius, ἀνάμνησις, ὅταν τις ἔλθῃ εἰς μνήμην τῶν παρελθόντων· ὑπόμνησις δὲ, ὅταν ὑφ' ἑτέρου εἰς τοῦτο προαχθῇ. — πίστεως, *fidei*) Ex omnibus Timothei virtutibus *fides* maxime ad propositum pertinet. — ἐνῴκησε, *inhabitavit*) Hoc verbo notatur perpetuitas. — πρῶτον) *prius*: fortasse ante natum Timotheum. Huc pertingit memoria Pauli. Loidos parentes quales fuerint, non definitur. — μάμμῃ, *avia*) Suavis est defunctorum memoria familiaribus, praesertim morti vicinis, et posteris. — μητρὶ, *matre*) Haec nupserat viro Graeco. — εὐνείκῃ, *Eunike*) Extat id nomen apud Hesiodum in Theogonia. Lois videtur Eunices mater fuisse, et utraque defuncta.

v. 6. δι' ἣν αἰτίαν, *quam ob causam*) quia scil. ὑπεμνήσθην, *admonitus sum*. — ἀναμιμνήσκω, *admoneo*) Admonitus, monet. — ἀναζωπυρεῖν) *ut resuscites*. Idem verbum, Gen. 45, 27. 1 Macc. 13, 7. ζωπυρέω, de mortuo *resuscitato*, 2 Reg. 8, 1. 5. Oppositum, σβεννύειν, *extinguere*. Matth. 25, 8. 1 Thess. 5, 19. Videtur Timotheus, Paulo diu carens, nonnihil remisisse. conf. not. ad c. 2, 22. certe nunc ad majora stimulatur. — τὸ χάρισμα, *donum*) cum fide conjunctum, v. 5., vividum, v. 7.

v. 7. πνεῦμα, *spiritum*) Id est, Spiritus, quem Deus nobis dedit, non est spiritus timoris, sed virtutis etc. Hinc testantur fideles. v. seq. et Joh. 15, 26. 27. — δειλίας) Eustathius, δειλὸς, ὁ δεδιὼς τὰς ἴλας, *timens agmina militum*. conf. Sir. 37, (11.) 12. Id etymon huc valde quadrat. coll. c. 2, 3. Est *timor*, cujus causae potius in animo sunt, quam foris. Causas, quae *foris* sunt, hic timor *intus* nimis exaggerat. Actus timoris semper causam habet in animo, sed habitus animosus pellit et vincit causas externas. — δυνάμεως) Δύναμις, *robur* timori oppositum. Innuitur divinum *robur* in nobis, non nostrum, v. 8., et sic *amor* et *sobrietas*. Haec omnia in nobis operantur, nosque animant ad officia erga Deum, et sanctos, et nos ipsos. *robur* et *sobrietas* sunt duo, sed bona, extrema: *amor*, medium, utriusque vinculum et quasi temperamentum, mala duo extrema, timiditatem et temeritatem, eximens. De *robore* sive *virtute*, v. 8. seqq. de *amore*, c. 2, 14. ss. de *sobrietate*, c. 3, 1. ss. [*Potiora haec sunt quibuscumque viribus miraculosis*. V. g.] — καὶ ἀγάπης, *et amoris*) Amor autem etiam vinctos amplectitur, pulso timore. conf. 1 Joh. 4, 18. — καὶ σωφρονισμοῦ, *et sobrietatis*) Verbale. σωφρονίζεσθαι, *sobrie agere*, est juvenum, Tit. 2, 4. 6. et juvenis erat Timotheus. c. 2, 22. 1 Tim. 4, 12. Ideo monetur, ut omnia *vitae* commoda missa faciat, c. 2, 4., et spinas removeat, Luc. 8, 14. Id docet Spiritus: et qui discit, a timore liberatur, et *testimonium* Domini sui amplectitur.

v. 8. μὴ οὖν ἐπαισχυνθῇς, *ne igitur pudeat te*) Timorem pudor comitatur: victo timore, fugit pudor malus. Conf. v. 12. 16., ubi Paulus suum et Onesiphori exemplum, contrariis versu 15. admixtis, proponit. — τοῦ κυρίου ἡμῶν, *Domini nostri*) Rara antonomasia. Alias Paulus aut *nostri* omittit, aut nomen *Jesu Christi* addit. nunc, quum dicit, *Domini nostri*, hunc opponit Caesari, quem sui sic appellabant. — μηδὲ ἐμὲ, *neque mei*) Causa servorum Dei non potest sejungi a causa Dei. — τὸν δέσμιον, *vincti*) Vinctorum facile pudet, Romae praesertim. — συγκακοπάθησον, *una patere mala*) *Patere mala*, c. 2, 3. 4. 5., idque *mecum* et *cum evangelio*. — δύναμιν, *virtutem*) Haec, omnia exsuperans, nervose describitur v. 9. 10. simulque adhortatio praevia, v. 8. ex re ipsa deducitur, et ner-

Digitized by Google

vos suos ex sequenti descriptione v. 9. s. nanciscitur. — θεοῦ, *Dei*) Memoratur etiam Christus Jesus et Spiritus sanctus. v. 13. s.

v. 9. σώσαντος, *qui servavit*) per conversionem. Act. 2, 47. Egregie describitur amor Patris et gratia Salvatoris, et tota salutis oeconomia, pro qua propaganda operae pretium sit pati ac mori. *Servatio* haec est applicativa, non tantum acquisitiva, eam ipsam ob causam, quia tam arcte cum *vocatione* connectitur. Omnia, quae v. 9. sub κατὰ stant, actu ipso praecedunt *salvationem* et *vocationem*: *salvatio* et *vocatio* in re sequuntur. Si quis in statum *vocationis* venit, hoc jam initium est totius salutis: quo sensu *vocatio* est pars *salvationis*, *salvatio* est totum: sunt autem ambo conjunctissima. Ipsa solicitudo Pastoris prior est, quam vocem pastoris ovicula audit. — κλήσει ἁγίᾳ, *vocatione sancta*) quae tota ex Deo est et nos totos Deo vindicat. sanctitas et divina origo hujus vocationis mox uberius describitur, praesertim epitheto ἰδίαν, *suam*, opera nostra excludente. — ἰδίαν, *suam*) Rom. 9, 11. Eph. 2, 8. 1 Tim. 6, 15. not. — τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν, *datam nobis*) Antequam nos essemus, data est nobis, acceptante jam tum Mediatore. — ἐν χριστῷ ἰησοῦ — διὰ — ἰησοῦ χριστοῦ, *in Christo Jesu — per — Jesu Christi*) Perquam scite nomen *Christi* in mentione oeconomiae veteris, nomen *Jesu* in mentione novae praeponitur. — πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ante tempora aeterna*) Tit. 1, 2. Rom. 16, 25. not.

v. 10. φανερωθεῖσαν, *manifestatam*) Congruunt illustria verba, *apparitionem* et *luci exponentis*. — ἐπιφανείας, *apparitionem*) in carne. Non significatur hic ipse tantummodo adventus, sed tota commoratio Christi inter homines. — τὸν θάνατον, *mortem*) Articulus notanter positus. *Mortem* Paulus hoc loco quasi removet directe. Mortem ergo jam non timere debet miles Christi. — φωτίσαντος, *luci exponentis*) Sermo concisus: et comparavit nobis, (id subaudiendum ex opposito, καταργήσαντος *qui aboleril*) et luci exposuit per evangelium. Conf. Eph. 2, 17. — ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν) ἓν διὰ δυοῖν. — διὰ τοῦ) *Schoettgenius* construit cum καλέσαντος v. 9. Possis construere διὰ τῆς — (καὶ) διὰ τοῦ εὐαγγελίου, *per apparitionem — (et) per evangelium.*

v. 11. ἐθνῶν, *gentium*) Constr. etiam cum *praeco et apostolus*. Tria sunt nomina, *praeco, apostolus, doctor*. I) *Praeco* publicus est etiam in uno eodemque loco. II) *Apostolus* ubique discurrit, sed apostolico suo muneri satisfecisset, si nuncium suum semel exposuisset. III) *Doctor*. Hic accedit assiduitas et perseverantia docendi: unde extitit *passio*.

v. 12. ταῦτα πάσχω, *haec patior*) haec adversa mihi obtingunt. — γὰρ, *enim*) Pudorem pellit fiducia futuri. — οἶδα) ᾧ, inquit, non τίνι. novi *eum, in quem* fidem collocavi meam; tametsi mundus eum non novit. — πεπίστευκα) *credidi*, depositumque meum commisi. Hic innuitur Dei *fidelitas;* coll. c. 2, 13. mox memoratur etiam *potentia*. — πέπεισμαι, *persuasus sum*) Rom. 8, 38. — δυνατὸς, *potens*) adversus tot hostes. — τὴν παραθήκην μου, *depositum meum*) Aliud est depositum, quod nos divinitus nobis commissum custodire debemus, v. 13. coll. c. 2, 2., παράθου· aliud, quod Deus, a nobis ipsi commissum, custodit, hoc versu: et hoc quidem est anima nostra, 1 Petr. 4, 19. coll. Luc. 23, 46., nos ipsi, et portio nostra coelestis. Paulus, decessui proximus, duo deposita habebat: alterum Domino, alterum Timotheo committendum. — φυλάξαι, *custodire*) etiam in morte. — ἐκείνην, *illam*) v. 18. c. 4, 8.

v. 13. ὑποτύπωσιν) Ὑποτυπόομαι, *mente agito*. Vult ergo Paulus, ea, quae Timotheus semel audierat, semper animo ejus obversari et impressa manere. Inde nervos debet sumere confessio externa. Fidem et amorem Paulus Timotheo proposuit: fidem et amorem Timotheus exprimat ac referat. — ἔχε) *tene*. Aptum verbum sermoni de deposito. ἔχε dicit, non ἔχεις. Neque institutum erat Pauli, ut daret ceu doctor Timotheo informationem de summa verborum salu-

oogle

tarium. — παρ' ἐμοῦ ἤκουσας, *a me audivisti*) conf. c. 2, 2., ubi diverso verborum ordine dicitur, *audivisti a me.* Scilicet hic, v. 13. urgetur auctoritas Pauli, cur eo magis tenere debeat: hinc praeponitur *a me.* Sed c. 2, 2. opponuntur *audivisti* et *commitle:* hinc praeponitur *audivisti.* — ἐν, *in*) Constr. cum ἔχε *tene.* coll. 1 Tim. 3, 9.

v. 14. τὴν καλὴν παραθήκην) τὴν, *hoc bonum depositum:* videlicet *sermones salubres,* quos ad te deposui. conf. c. 2, 2. — διὰ πνεύματος ἁγίου, *per Spiritum sanctum*) Hic est arrhabo depositi coelestis: quod qui custodit, etiam depositum sibi commissum custodit. unde urgetur *inhabitatio.*

v. 15. ἀπεστράφησάν με, *aversuli sunt me*) Romae. c. 4, 16. — ἐν τῇ ἀσίᾳ, *in Asia*) Eo igitur remigrarunt. Non sic Timotheus, quamvis etiam in Asia erat, Ephesi. — φύγελλος καὶ ἑρμογένης, *Phygellus et Hermogenes*) Hos aliquis fortasse ceteris constantiores putasset.

v. 16. δώη, *det*) Inconstantibus non imprecatur: v. 15. constantibus optime precatur. Sententia categorica: Onesiphorus pulcre stetit. Sermonem modalem efficit affectus. — ἔλεος, *misericordiam*) Onesiphorus abundarat operibus *misericordiae.* — ὁ κύριος, *Dominus*) Christus. — τῷ ὀνησιφόρου οἴκῳ, *Onesiphori domui*) Ephesi. v. 18. c. 4, 19. Ipse Onesiphorus aberat, vel jam tum obierat. ideo superstites voto mactat Paulus, imo etiam ipsum. v. 18. — πολλάκις; *saepe*) Ephesi et Romae.

v. 17. καὶ εὗρε, *et invenit*) divina ope. Res magna, in tanta urbe, ubi non multi curarent Paulum vinctum. Huc respondet, *invenire,* v. 18. Invenit me, in tanta frequentia: inveniat misericordiam, in illa panegyri. Similis allusio, bis, c. 2, 9. not.

v. 18. δώη, *det*) Anaphora, pathetica. — αὐτῷ) *ipsi.* antitheton ad domum ejus. — ὁ κύριος, *Dominus*) Christus, cui id praestitit ille. — παρὰ κυρίου, *a Domino*) Idem Christus, qui retribuet. Nomen pro pronomine reciproco, cum emphasi, uti Luc. 11, 17. not. 2 Thess. 3, 5. — διηκόνησε, *ministravit*) etiam post meam profectionem. 1 Tim. 1, 3. — βέλτιον) *melius,* quam ego.

CAPUT II.

v. 1. Σὺ, *tu*) Intenditur adhortatio. v. 3. c. 3, 10. not. — τέκνον μου, *fili mi*) Argumentum, cur Timotheo imitandus sit Paulus; a necessitudine spirituali. — ἐνδυναμοῦ) c. 1, 7. *fortis esto* et talem te praebeto. [*Tractatur hoc* v. 3—13. V. g.] — ἐν τῇ χάριτι, *in gratia*) Gratia communis, impellit et corroborat etiam ad singularia officia. Incentivum est et stimulus.

v. 2. διὰ, *per*) *coram.* 1 Tim. 6, 12. — παράθου, *committe*) antequam istinc ad me proficiscare. — πιστοῖς, *fidelibus*) Virtus eorum, quibus depositum committas. [*Tractatur* v. 14—21. V. g.] — ἔσονται, *erunt*) post abitum tuum.

v. 3. σὺ οὖν, *tu ergo*) Anaphora, coll. v. 1. Timotheus ad altiora vocatur. coll. v. 2.

v. 4. οὐδεὶς, *nemo*) Hoc versu commendatur τὸ *abstine:* accedit versu seq. τὸ *sustine.* — στρατευόμενος, *militans*) Age, quod agis. — πραγματείαις, *negotiationibus*) quibus implicati sunt mercatores et opifices. — ἀρέσῃ, *placeat*) totus rei militari intentus.

v. 7. νόει) *attende,* quae dico. σύνεσις, *intellectus*, est divini muneris: νοεῖν *attendere* est hominis ingenui. Si versum 6. conferas cum v. 5., hoc dicit Paulus: Si laboraverit agricola (Timotheus,) tum primum oportet eum fructus (quibus scatet resurrectio Christi, v. 8. 11. s.) participare. sed si haec esset tota Pauli mens, dixisset: τὸν μεταλήψόμενον δεῖ κοπιᾶν. Itaque ex hoc v. 7. colligas, aliam potius sententiam hîc esse repositam, quae huc redeat: Paulus Timothei animam

Digitized by Google

excoluit, c. 1, 6., ergo fructus ei inprimis ex Timotheo debentur. quo pacto Paulus non aperte, ut ad homines tardos opus est, sed per amphiboliam et aenigma, officium exigit a Timotheo ingenue agnoscendum et praestandum, tribus parabolis, de milite, athleta, agricola, propositis. — δώῃ γάρ σοι, *det enim tibi*) Sensus est, *dabit*. sic cohaeret, *attende* et *enim*. sed affectus addit modum. — ὁ κύριος, *Dominus*) Christus. — ἐν πᾶσι, *in omnibus*) *In multis* jam *dederat*: hoc praesupposito, Paulus dicit, *in omnibus det*.

v. 8. μνημόνευε) *recórdare*, ita, ut sequare. Paulus exemplo Christi suum, ut solet, exemplum animat. — ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν) Sermo concisus, i. e. *qui mortuus est et resuscitatus ex mortuis*. sic nos. v. 11. Hinc pendet κατὰ *secundum*. — ἐκ σπέρματος Δαυὶδ, *ex semine Davidis*) Hanc unam *genealogiam* a Timotheo vult attendi, quae argumento est, Jesum esse Christum.

v. 9. ἐν ᾧ, *in quo*) scil. in evangelio. — κακοπαθῶ, *mala patior*) Conjugatum, κακοῦργος, *maleficus*. Malum passionis, ut si praecessisset malum actionis. — δεσμῶν, *vincula*) Conjugatum, οὐ δέδεται, *non vinctus est*. — ὡς κακοῦργος, *ut maleficus*) cum periculo capitis et infamia. — οὐ δέδεται) *non est vinctus*: i. e. expedite proficit.

v. 10. διὰ τοῦτο, *propter hoc*) quia me vincto evangelium currit. — σωτηρίας· μετὰ δόξης, *salutem: cum gloria*) Exquisita verborum proprietas. σωτηρία, *salus*, assertio ex malis, est fidem suscipientium: δόξα, *gloria*, bonorum abundantia, metam assequentium. Act. 2, 47. Rom. 8, 24. 21. [*Conf. Ps.* 84, 12.]

v. 11. συναπεθάνομεν) σὺν, ter: scil. *cum* Christo. συναπεθάνομεν, sensu praeteriti, respectu sperantium vitam.

v. 12. ὑπομένομεν, *sustinemus*) Praesens, et quiddam hoc loco significantius et ulterius, quam *mori*. ideo etiam praemium ulterius, quam *vita, regnum*.— εἰ ἀρνούμεθα, *si abnegamus*) ore. *Si non credimus*, corde. v. seq. Abnegatio prius ponitur. nam *fidem*, quae fuerat, exstinguit. — κἀκεῖνος, *etiam Ille*) Christus.

v. 13. πιστὸς μένει, *fidus manet*) Hoc, collato *abnegabit*, fidelem lectorem, non abnegandum, praeter exspectationem suavissime afficit: *fidus manet* sibi, adversum nos sui dissimiles. [*Nostra igitur ipsorum culpa est, si excidimus*. V. g.] Ita quadrat axioma subsequens: *negare* etc. Ita Deut. 7, 9. s. laudatur *Deus fidus*, ὁ θεὸς ὁ πιστὸς, qui et pios remuneratur, et osores ulciscitur. — οὐ δύναται, *non potest*) Hoc *non posse* laudabile. Jer. 44, 22.

v. 14. ταῦτα) *haec*, quae ex me audisti. v. 2. — ὑπομίμνησκε, *admone*) eos, quibus praees. Tit. 3, 1. — ἐνώπιον τοῦ κυρίου, *coram Domino*) Conf. 1 Tim. 5, 21. not. — μὴ λογομαχεῖν) *Logomachia* hic non dicitur pugna *de verbis*, sed pugna, quae *verbis* committitur, v. 23. s. *de rebus* maximis. v. 17. s. Conf. Act. 18, 15. — χρήσιμον, *utile*) sc. ὄν. accusativus absolutus, uti Luc. 24, 47. Respondet, *bene utile*. v. 21. — ἐπὶ, *super*) Non modo non prosunt, sed obsunt etiam et subvertunt. ἐπὶ dicit consequens, uti 1 Thess. 4, 7. οὐκ ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ. *Subversio* opponitur *aedificationi*.

v. 15. σπούδασον) *gnavus esto*. Verbum conveniens characteri totius epistolae. — σεαυτὸν, *te ipsum*) Antitheton ad *opus*, cujus conjugatum est *operarius*. — δόκιμον) *probatum* Deo, non *reprobum ad omne opus bonum*, Tit. 1, 16. sed habentem *opus perfectum*. Jac. 1, 4. Hesychius, δόκιμον, χρήσιμον, τέλειον. — ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον, *operarium non pudefactum*) cui *tua* ipsius conscientia nullum pudorem incutiat. Scholiastes Pricaeo laudatus, ἀνεπαίσχυντον, παῤῥησιαζόμενον. conf. Phil. 1, 20. Sequitur, ὀρθοτομοῦντα, qui verbum veritatis apud *ceteros* amplificet. — ὀρθοτομοῦντα) Hic plerique *secandi* notionem inesse statuunt. at Vulgatus, *recte tractantem*. optime. conf. LXX, Prov. 3, 6. 11, 5. ὀρθοτομεῖν ὁδούς· perinde ut Latini, *viam secare*. Neque *sectionem* proprie dicunt κενοτομία, κερτομία, (κέαρ, *cor secatur* metaphorice per κερτομίαν·) καινοτομέω, ῥυμο-

Digitized by Google

τομέω, ἰθύτομος οἶμος. Proprietas ac vis τοῦ ὀρθὸς potius retinenda est in ὀρθοτομοῦντα. Nam ll. cc. extat Hebr. יִשַּׁר quae verbi forma eodem verbo graeco exprimi potuerat 2 Chron. 32, 30., de aquaeductu, et Ps. 119, 128. de ipso *verbo* divino. Itaque hoc vult Paulus, ut Timotheus *rectum cursum paret* verbo veritatis, et ipse recta ad hanc lineam incedat, neque dextrorsum neque sinistrorsum declinans, *non aliter docens:* 1 Tim. 1, 3. quo pacto mox antitheton verbi *proficient* liquidius perspicitur. — τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, *sermonem veritatis*) Antitheton, mox, κενοφωνίας, cujus compositi prior pars, *inane* dicens, opponitur *veritati;* posterior, vehementiam *vocis* involvens, *sermoni* temperato.

v. 16. τὰς δὲ) Sic v. 22. 23., per anaphoram. Differunt ergo *profanae vocum inanitates*, quae magnos errores alunt; et *quaestiones*, de rebus nauci. illae, perniciosae; hae, inutiles. Tit. 3, 9. — περιΐστασο) Idem verbum, ibid. in quo περὶ eleganter idem valet, quod in περιγίνομαι. sed περιγίνομαι notat actum separandi et superandi; περιΐσταμαι, statum. Timotheus nunquam se implicarat: itaque Paulus eum ad constantiam hortatur: *sejunctus maneto.* — ἐπὶ πλεῖον ἀσεβείας) Sic, ἐπὶ πλεῖον κακίας προβαίνειν. Diodorus Siculus apud Pricaeum. — προκόψουσιν, *proficient*) scil. ii, qui tales *vocum inanitates* spargunt. Huc quoque refertur *illorum*, v. 17. Inest mimesis, ut mox in phrasi, *pastionem habere*. Tales videntur sibi *proficere* in sacris. Futurum, proprie: est enim praedictio, ut in *habebit*, v. seq. coll. c. 3, 1.

v. 17. ὑμέναιος, *Hymenaeus*) pertinax. coll. 1 Tim. 1, 20. — καὶ φίλητος, *et Philetus*) Hymenaeo assentiens.

v. 18. τὴν ἀνάστασιν, *resurrectionem*) Fortasse colorem arripuerant hi Ephesii ex ipsa ad Ephesios epistola Pauli. Eph. 2, 6. Clemens Al. ait, vituperatores conjugii resurrectionem Luc. 20, 35. de hac vita fuisse interpretatos. [*Sic vitae aeternae spes sublata fuit.* V. g.] — ἀνατρέπουσι, *subvertunt*) Allegoria: *fundamentum, domus.* v. seqq.

v. 19. ὁ μέντοι στερεὸς, *firmum quidem*) Antitheton, *subvertunt.* v. 18. Adde 1 Tim. 3, 15. not. omnino. *Quidem* apodosin habet in *sed,* v. 20. — θεμέλιος τοῦ θεοῦ, *fundamentum Dei*) Hebr. יקוד *fundamentum*, id est, res, de qua agitur, v. gr. in contractu, ut observat Sam. Petitus var. lect. c. 10. *Fundamentum Dei,* cui innituntur, qui sunt ipsius, ita ut everti nequeant, est fides Dei immota. — ἕστηκεν, *stetit*) *Stare* dicitur, pro *immotum jacere*, ut *sententia stare* dicitur. Respondet mox *desistat*. Paulus vim verbi הקים *ratum esse* exprimit. — σφραγῖδα, *sigillum*) *Sigillis* olim inscribi solitae sententiae. — ταύτην, *hoc*) Huc refertur tota pars reliqua hujus versus. — ἔγνω κύριος, *novit Dominus*) LXX, ἐπέσκεπται καὶ ἐπέγνω ὁ θεὸς τοὺς ὄντας αὐτοῦ, καὶ τοὺς ἁγίους προσηγάγετο πρὸς ἑαυτόν. Num. 16, 5. *Novit* amanter, nec nosse desinit, sed perpetuo servat suos: idque יֹדַע *notum faciet*. ibid. — καὶ, *et*) *Observa*, inquit Petitus, *e Paulo, sigilli* orbiculo utrinque adscripta esse quaedam verba; nam in una *sigilli* facie, leguntur ista, *novit etc.* in altera vero, *desistat etc.* — ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας, *desistat ab injustitia*) Ibid. v. 26., ἀποσχίσθητε ἀπὸ τῶν σκηνῶν τῶν ἀνθρώπων τῶν σκληρῶν τούτων. Abstractum *injustitia* Paulus pro concreto ponit; coll. v. 21., *purgando sese exierit ab his:* simulque respicit illud Esajae 52, 11., ΑΠΟΣΤΗΤΕ ΑΠΟΣΤΗΤΕ — ΑΚΑΘΑΡΤΟΥ μὴ ἅψησθε — ἀφορίσθητε οἱ φέροντες τὰ ΣΚΕΥΗ Κυρίου. Imperativus, *desistat*, nomine Dei pronunciatus, importat facultatem discedendi; et eorum, qui discedunt, beatitudinem. — πᾶς ὁ ὀνομάζων) *quisquis nominat* nomen Christi, ut Domini sui. conf. Act. 19, 13. not. Id fit praedicando, Jer. 20, 9., et celebrando, Ps. 20, 8. — τὸ ὄνομα, *Nomen*) De *nomine* Domini, de *Domino* non nisi *suos noscente,* de *injustitia,* conf. Matth. 7, 22. 23.

v. 20. μεγάλη, *magna*) Talis est ecclesia. — χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, *aurea et*

Digitized

argentea) ex materia pretiosa, dura, ignem ferente. — ξύλινα καὶ ὀστράκινα, *lignea et testacea*) ex materia viliori, fragili, ignem timente. — καὶ ἃ μὲν, ἃ δὲ) *et illa quidem*, aurea, ad honorem; *haec vero*, lignea, ad alia omnia. Potest etiam aureum vas ad usus inhonestos; ligneum, ad honestos adhiberi: sed id non fit facile in oeconomia prudenter constituta. Membra ecclesiae donis et gradibus fidei et sanctificationis inferiora non sunt vasa in dedecus, neque ab his quisquam se debet ἐκκαθαίρειν.

v. 21. ἐὰν οὖν τις, *si ergo quis*) v. gr. Timotheus. — ἐκκαθάρῃ ἑαυτὸν ἀπὸ τούτων) *purgando sese, exierit de numero horum vasorum* in dedecus. Activum cum pronomine reciproco indicat liberrimam facultatem fidelium. — ἡγιασμένον, *sanctificatum*) proprium et plane consecratum Deo. — καὶ, *et*) *In honorem — paratum*, quatuor incisa: quorum primum declaratur per secundum, tertium per quartum. Itaque *et* duo paria illa copulat. Conf. c. 3, 17., ἄρτιος, ἐξηρτισμένος. — τῷ δεσπότῃ, *hero*) Deo, cujus domum Paulus in epp. ad Tim. dicit ecclesiam. — πᾶν ἔργον ἀγαθὸν, *omne opus bonum*) c. 3, 17. Tit. 1, 16.

v. 22. νεωτερικὰς, *juveniles*) quibus *jurenes* indulgent. 1 Joh. 2, 16. not. quae *puritati cordis* obstant. mox, et v. 21. Antea Paulus Timotheum deterruerat ab *anilibus* fabulis et ab *aquae* potu, 1 Tim. 4, 7. 5, 23. nunc eum deterret ab altero extremo, *juvenilibus concupiscentiis*. — δικαιοσύνην, *justitiam*) Haec primo loco ponitur, opposita *injustitiae*. v. 19. — μετὰ, *cum*) Constr. cum *pacem*. Sanctarum partium studium, sanctum est. Rom. 12, 9. 3 Joh. v. 11. — τῶν ἐπικαλουμένων, *invocantibus*) Conf. ad v. 19. Act. 9, 14. — τὸν κύριον, *Dominum*) Christum. — καθαρᾶς, *puro*) v. 21., ἐκκαθάρῃ. Hanc puritatem infestant concupiscentiae; comitatur justitia, fides, amor, pax.

v. 23. μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους, *stultas et ineruditas*) Tu enim debes παιδεύειν, erudire v. 25., et sapiens esse, c. 3, 15. conf. *stultas*, Tit. 3, 9. — μάχας, *pugnas*) Ibidem.

v. 24. οὐ δεῖ μάχεσθαι, *non oportet pugnare*) non oportet esse Polemicum acerbum. — ἤπιον, διδακτικόν· ἀνεξίκακον, παιδεύοντα, *mitem, docentem; patientem, erudientem*) Χιασμός. Respectu *omnium*, servus Domini debet esse *mitis*, ita erit *docens*: erga *adversarios*, debet esse *patiens*, ita poterit *erudire*. Nec oppugnare debet, nec repugnare: debet esse *mitis*, ne mala inferat; et *patiens*, ut mala perferat. — διδακτικὸν, *docentem*) i. e. *aptum ad docendum*. Hoc non solum soliditatem et facilitatem in docendo, sed vel maxime patientiam et assiduitatem significat. Oportet enim ἀντέχεσθαι, Tit. 1, 9. not. idque cum lenitate, Jac. 3., et perseverantia, Act. 20, 31., *in omni longanimitate et doctrina*, infra, c. 4, 2. — ἀνεξίκακον) mala tolerantem. Zelo interdum, lenitate semper opus est.

v. 25. μήποτε) μὴ interrogans: *hac exspectatione, si quando* etc. — δῷ αὐτοῖς ὁ θεὸς, *det illis Deus*) Non est enim opis humanae. Motivum patientiae. [*Qui violentia conatur uti, tanto minus quidquam efficit. Neque tamen ullus torpori locus esse debet.* V. g.] — μετάνοιαν, *poenitentiam*) Haec antecedit *cognitionem*. — εἰς, *in*) Sic εἰς, v. seq.

v. 26. καὶ) *atque* ita. — ἀνανήψωσιν) Hoc pendet a *si quando: erigilent*, sopore discusso. — ἐκ τῆς — παγίδος, *ex laqueo*) Duo mala *captivitas* et sopor: duo bona, *vigilia* et liberatio. Sermo concisus. — ἐζωγρημένοι) Luc. 5, 10. *capti*, lubentes. — ὑπ' αὐτοῦ, *ab illo*) a servo Domini. Ubi *Deus* praeit, v. 25., *servi* opus succedit. Deus excitat: servus extrahit. — εἰς τὸ) Constr. cum *erigilent*. Terminus a quo in ἐκ, terminus ad quem in εἰς innuitur. Ille, *opponere se* et *laqueus diaboli*: hic, *agnitio veritatis* et *voluntas Dei*. — ἐκείνου, *illius*) *Dei*. — θέλημα, *voluntatem*) liberrimam et liberantem. 1 Petr. 4, 2. Oppositum, *laqueo*. In *voluntatem* Dei excitatus est ipse Paulus. Act. 22, 14.

Digitized by Google

CAPUT III.

v. 1. Τοῦτο δὲ γίνωσκε, *hoc vero cognosce*) Liquido scribit apostolus. 1 Tim. 4, 1. — ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, *in ultimis diebus*) qui jam tum esse coeperunt, v. 5. fin. Similis locutio, 2 Petr. 3, 3. Jud. v. 18. — ἐνστήσονται) *aderunt*, ex improviso. Futurum, respectu prophetiae antegressae. — καιροὶ χαλεποὶ, *tempora difficilia*) ubi vix reperias, quid agas.

v. 2. ἔσονται οἱ ἄνθρωποι, *erunt homines*) *erunt*, majore gradu et numero tales, quam unquam, in ecclesia. v. 5. Pejores etiam iis, qui solo lumine naturali fuerant abusi. Rom. 1, 29. seqq. ubi multa in notis explicamus, hic recurrentia. — φίλαυτοι, *amantes sui*) Radix prima. — φιλάργυροι, *amantes nummi*) Radix altera. — γονεῦσιν ἀπειθεῖς, *parentibus inobedientes*) Character temporum colligendus inprimis etiam ex juventutis moribus. — ἀχάριστοι, *ingrati*) Obligatio grati animi proxima est ab officio filiali. — ἀκρατεῖς, ἀνήμεροι, *intemperantes, immites*) simul et molles et duri. — ἀφιλάγαθοι, *boni non amantes*) Contrarium, *amans boni*. Tit. 1, 7. not. 3.

v. 4. προπετεῖς) temerarii, qui praecipites sunt in agendo etc. — τετυφωμένοι, *inflati*) 1 Tim. 6, 4. not. ut si quis *fumo* ita suffocatur, ut mentis non amplius compos sit. Tales enim facit fastus. — φιλήδονοι, *amantes voluptatis*) Epicureorum epitheton. Voluptas extinguit amorem et sensum de Deo. Tales Epicurei nostri.

v. 5. μόρφωσιν) *speciem* externam, non sine rudimento quodam interno. — ἀποτρέπου) Τρέπεται, qui coactus fugit: ἀποτρέπεται, qui ἀναχωρεῖ, recedit ac vitat ultro. Eustath.

v. 6. ἐκ τούτων, *ex his*) v. praec. *hos*. Plane demonstrat. — οἱ ἐνδύνοντες, *irrepentes*) clanculum. — γυναικάρια) *mulieres imbelles;* quae mox, ut istorum similes, describuntur. — ἐπιθυμίαις ποικίλαις, *concupiscentiis variis*) mentis et carnis. c. 4, 3. Haec quoque *varietas* delectat.

v. 7. μανθάνοντα, *discentes*) curiose. — μηδέποτε, *nunquam*) unde facile *capiuntur*. v. 6.

v. 8. ἰαννῆς καὶ ἰαμβρῆς, *Jannes et Jambres*) Euseb. l. 9. Praep. Ev. haec verba ex Numenio Pythagorico philosopho citat: ἰαννῆς καὶ ἰαμβρῆς αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς ἄνδρες οὐδενὸς ἥττους μαγεῦσαι χριθέντες εἶναι ἐπὶ ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ αἰγύπτου. κτλ. Notissima Pauli temporibus nomina erant Jannes et Jambres: plurima enim eorum in antiquis Hebraeorum libris mentio, ut qui fuerint principum magorum par apud Aegyptios. Acutissimus *Hillerus* ex Abessinorum lingua *Jannes* interpretatur *empaectam* et *Jambres praestigiatorem;* statuit enim, appellativa temporum lapsu mutata esse in propria. Onom. S. pag. 671. 843. Certe si plane propria fuerunt, μέσα primitus vocabula fuisse credas, quae ipsam artis professionem indicarent. conf. Act. 13, 8. — ἀντέστησαν μωσῇ, *restiterunt Mosi*) prodigia aliquatenus aemulando. — ἀνθίστανται, *resistunt*) Oppositum: *persecutionem patientur*. v. 12. — ἀδόκιμοι) *nullam probandi facultatem habentes*. conf. Rom. 1, 28.

v. 9. οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον, *non proficient amplius*) non ita, ut alios seducant; quanquam ipsi et eorum similes *proficient in pejus*. v. 13. Saepe malitia, quum late non potest, profundius proficit. — ἄνοια, *insipientia*) tametsi sibi *sapientes* videantur. — ἔκδηλος) *ex occulto in apricum prolata*. — ἡ ἐκείνων, *illorum*) Ex. 7, 12. 8, 18. 9, 11. Tenui oratione poena gravissima denotatur, ab apostolo, in re nota.

v. 10. σὺ δὲ, *tu vero*) Antitheton. sic rursum, post novas descriptiones malorum, v. 14. c. 4, 5. — παρηκολούθηκας, *subsecutus es*) Post persecutiones hoc loco memoratas Timotheus Pauli comes est factus. Act. 13, 50. 14, 5. 19.

Digitized by Google

16, 3. Exquisite ergo ponitur hoc verbum, uti Luc. 1, 3. Sic Antiochus de filio suo, παρακολουθοῦντα τῇ ἐμῇ προαιρέσει. 2 Macc. 9, 27. — τῇ ἀγωγῇ) ἀγωγὴ, *ratio vitae*. Gall. *conduite*. — τῇ προθέσει, *propositum*) *Vitae rationem* subsequitur *propositum* in posterum. conf. Act. 11, 23. not. ac *fidem, longanimitas:* uti Hebr. 6, 12. *amorem, patientia:* uti 2 Thess. 3, 5.

v. 11. ἐν ἀντιοχείᾳ, ἐν ἰκονίῳ, ἐν λύστροις, *Antiochiae, Iconii, Lystris*) Act. 13, 14. 51. 14, 6. — οἷα) οἷος demonstrat rei gravitatem. 1 Macc. 5, 56., ἤκουσε τῶν ἀνδραγαθιῶν καὶ τοῦ πολέμου, οἷα ἐποίησαν. — οἵους διωγμοὺς, *quantas persecutiones*) Nomen interjecto alio iteratum, perspicuitatem et pondus addit sermoni. Διωγμὸς, πάθημα, Species, Genus. *persecutio* proprie est, si quem ex una urbe in aliam pellunt, vel eum in fuga prehendere conantur. Sed *passio* est in genere omnis calamitas, ex. gr. ubi Paulus lapidatus fuit. etc. — ὑπήνεγκα, *sustinui*) Character apostoli. — ἐρρύσατο, *eripuit*) Alius character, miraculose conservari. Ps. 34, (33.) 17., ἐκ πασῶν τῶν θλίψεων αὐτῶν ἐρρύσατο αὐτούς. — ὁ κύριος, *Dominus*) Christus.

v. 12. καὶ πάντες δὲ, *et omnes autem*) *omnes*, et soli. Tertius character, persequentes habere: tantum abest, ut persecutio debeat quenquam offendere. Ineunte *persecutione*, nondum apparet, eam esse characterem apostoli: apparet demum ex *ope* et *tolerantia*. Hinc tamen tertius est character. ὑπομονὴ, magnum est apostolo. eam omnibus aliis praefert. Omnia alia eripi alicui possunt, ut jacturam faciat, et ipse excidat. Sed ubi ὑπομονὴ est, omnia conservantur. Hinc Timotheus simul poterat colligere, se quoque passurum persecutionem. Similis transitus a Paulo ad omnes pios, c. 4, 8. — οἱ θέλοντες, *volentes*) Computa igitur, an velis. Conf. *volens*, Luc. 14, 28. *Voluntas* etiam continua habet initium. — εὐσεβῶς ζῆν) *pie vivere*, tota vitae vi collocata in pietate christiana. Phil. 1, 21. — ζῆν, *vivere*) degere. Gal. 2, 14. — ἐν χριστῷ, *in Christo*) Extra Christum Jesum nulla *pietas*. [*Atque eam quidem religionis larvam, quae in seipsa subsistit, facile fert mundus: quae vero* ex Jesu Christo *pietas efflorescit, ea ut priscis Judaeis, sic modernis Christianis, omine carentibus, perquam exosa est*. V. g.] — διωχθήσονται, *persecutionem patientur*) neque eam videlicet recusabunt. Gal. 5, 11. Huic futuro respondet in opposito τὸ *proficient*. v. 13.

v. 13. πονηροὶ, *maligni*) Antitheton, *pie*, v. 12. Hi sunt πλανώμενοι, media significatione, *qui se seducendos permittunt*. — γόητες) *incantatores*, Aegyptiorum illorum instar. v. 8. Hi sunt πλανῶντες, *seducentes*. — προκόψουσιν, *proficient*) ita ut nemo illos, illi pios persequantur. — πλανῶντες καὶ πλανώμενοι, *seducentes et seducti*) Qui semel alios decipere coepit, eo minus ipse ab errore se recipit, et eo facilius alienos errores mutuo amplectitur.

v. 14. σὺ δὲ, *tu vero*) quicquid illi faciant. Reassumit, quae v. 10. ingressus est dicere. — ἐπιστώθης) Πιστόω, confirmo rem vel animum. ἐν οἷς ἐπιστώθης, *in quibus* πιστὸς *fidelis et firmus es redditus*. [*e Scriptura, v.* 15. V. g.] Conf. LXX, Ps. 78, 8. 37., ubi τῷ נאמן respondet πιστοῦσθαι. — εἰδὼς — καὶ ὅτι οἶδας, *sciens — et quia nosti*) Aetiologia duplex; cujus pars prior refertur ad *in iis quae didicisti*, altera ad *fidelis es redditus*. Similis constructio διὰ — καὶ ὅτι, Joh. 2, 24. s. ἐπιγνοὺς — καὶ ὅτι, Act. 22, 29. — παρὰ τίνος, *a quo*) a Paulo, doctore probato. v. 10. s.

v. 15. καὶ, *et*) Etiam post Pauli obitum Timotheus eo magis ad scripturam alligatur. Non ad sese unum Paulus adstringit Timotheum, sed eum quamlibet adultum in fide filium scripturas jubet adhibere. Hoc perpendere debent, qui doctoribus suis, quorum disciplinae semel innutriti erant, ita se addicunt, ut extra eorum circulum nihil e Scriptura deinceps oblatum admittant. Interdum deses animi saturitas, et αὐθάδεια, constantiae et sobrietatis nomine obrepit. —

Digitized by Google

ἀπὸ βρέφους, *ab infantia*) Tenella aetas aptissima πρὸς τὸ πιστοῦσθαι, ut fides ei imprimatur, firmitudinem diffundens in omnem vitam. — τὰ ἱερὰ γράμματα, *sacras literas*) libros Mosis et prophetarum. Nam hi extabant, cum Timotheus esset parvulus. — οἶδας, *nosti*) instituente matre. c. 1, 5. — τὰ δυνάμενα) *quae poterant*. Vis praeteriti ex *nosti* redundat in participium. *Potentia* haec dicit sufficientiam, perfectionem. — σὲ, *te*) ita, ut si tibi soli scriptae essent. — σοφίσαι, *sapientem reddere*) Grande verbum. Antitheton, ἄνοια *insipientia*. v. 9. — εἰς σωτηρίαν, *in salutem*) tuam et aliorum. — διὰ πίστεως, *per fidem*) Qui non credit, non accipit sapientiam et salutem. *per* constr. cum *salutem*.

v. 16. πᾶσα γραφὴ, *omnis scriptura*) Scriptura sacra, secundum omnes suas partes. Novissima quaeque epistola Pauli quam maxime commendat scripturam. — θεόπνευστος, *divinitus inspirata*) Est haec pars non subjecti, (quam enim scripturam dicat Paulus, per se patet, ut alibi, sic hoc loco:) sed praedicati. *divinitus inspirata est*, non solum dum scripta est, Deo spirante per scriptores; sed etiam, dum legitur, Deo spirante per scripturam, et scriptura Ipsum spirante. Hinc ea tam *utilis*. — πρὸς διδασκαλίαν, *ad doctrinam*) *Doctrina* instituit nescientes; *elenchus* convincit etiam in errore et praejudicio versantes. *correctio* ab obliquitate ad rectitudinem revocat; *eruditio in justitia* positive instruit. c. 2, 24. not. Sir. 18, 13.

v. 17. ἄρτιος ᾖ, *aptus sit*) in officio. — ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, *homo Dei*) 1 Tim. 6, 11. not. — πρὸς πᾶν, *ad omne*) Genera talium operum enumerantur v. 16. Nam *homo Dei* debet *docere, convincere, corrigere, instituere*. conf. c. 4, 2. — ἐξηρτισμένος, *coaptatus*) per scripturam. Debet ἐξαρτίζεσθαι· tum erit ἄρτιος. *fieri* et *esse* differunt.

CAPUT IV.

v. 1. Οὖν, *ergo*) Deducitur hoc ex toto capite 3. — ἐγὼ, *ego*) quem nosti. c. 3, 14. — ζῶντας καὶ νεκροὺς, *viventes et mortuos*) Paulus erat morti proximus, Timotheo superstite. — κατὰ) tum, quum apparebit. κατὰ temporis, Hebr. 1, 10. — ἐπιφάνειαν) ἣν διὰ δυοῖν, ἐπιφάνεια καὶ βασιλεία. ἐπιφάνεια est *revelatio* et exortus *regni*. 1 Tim. 6, 14. s.

v. 2. ἐπίστηθι) *insta*, urge. — εὐκαίρως, ἀκαίρως) Pricaeus accipit quasi παροιμιακῶς dictum, pro *assidue* vel *in omni tempore:* et confert, quae sequuntur. Nicetas Choniates, παιδαγωγῷ ἐμβριθεῖ ἐοικὼς, εὐκαίρως ἀκαίρως ἐπέπληττεν. Tale illud Senecae Tragici: *Incipe quicquid potes, Medea, quicquid non potes.* Plauti: *Qui comedit, quod fuit, quod non fuit.* Terentii: *Cum milite isto praesens absens ut sies.* Catulli: *Hoc facias, sive id non pote, sive potest.* Juliani: ἐπορεύετο ἐπὶ τὰς τῶν φίλων οἰκίας ἄκλητος κεκλημένος, διαλλάσσων τοὺς οἰκειοτάτους ἀλλήλοις. Aristophanis, δικαίως καὶ ἀδίκως, ubi Scholia, ἀντὶ τοῦ, παντὶ τρόπῳ. Virgilii: *digna indigna pati.* ubi Servius: *Proverbialiter dictum pro omnia.* Terentii: *justa injusta.* ubi Donatus: *Proverbiales sunt hujuscemodi elocutiones; fanda nefanda, digna indigna.* Haec et plura Pricaeus: quae non eandem omnia rationem habent. Apostolus hoc dicit: Insta, temporibus solitis ac legitimis, et extra ea: sive tibi auditoribusque commodum est, sive minus: nocte dieque. Act. 20, 31. — ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, *convince, increpa*) Asyndeton conveniens. Haec omnia *longanimitatem* non violant, sed requirunt. — διδαχῇ, *doctrina*) c. 2, 24. not.

v. 3. ἔσται) *erit*, et jam est. c. 3, 1. not. — διδασκαλίας, *doctrinam*) Sequitur concretum, *doctores*. Qui sanam doctrinam fastidit, sanos doctores relinquit: similes labra lactucas quaerunt. — ἐπιθυμίας) carnales *concupiscentias*, in quibus non libenter interpellantur a veris doctoribus, et quarum condimentum

ized by Google

quaerunt in dulcedine doctrinae mollioris. — ἐπισωρεύσουσι, *accumulabunt*) Compositum grave, copiam notans. Varietas delectat prurientes.

v. 4. τὴν ἀκοήν, *auditum*) Auris humana non fert doctores concupiscentiis cordis contrarios.

v. 5. νῆφε ἐν πᾶσι, *vigila in omnibus*) in omnibus rebus, ut nunquam dormites. sic, περὶ πάντα. Tit. 2, 7. — ἔργον, *opus*) 1 Tim. 3, 1. — ποίησον, *fac*) Includitur maxime iter ad Paulum. — εὐαγγελιστοῦ, *evangelistae*) Vocabulum grande. — πληροφόρησον, *exple*) istis renitendo, ad me veniendo. Idem verbum, v. 17.

v. 6. ἐγὼ γὰρ, *ego enim*) Causa, quae Timotheum moveat ad officium: Pauli discessus et beatitudo. *Finis coronat opus.* — ἤδη, *jam*) Ut Petro, 2 Petr. 1, 14., sic Paulo indicatum tempus. — σπένδομαι, *libor*) Phil. 2, 17. not. — ἀναλύσεως, *discessus*) Ibid. c. 1, 23. not.

v. 7. τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν) *bonum illum agonem.* conf. 1 Tim. 6, 12. not. — τὴν πίστιν, *fidem*) Res bis per metaphoram expressa nunc tertio loco exprimitur proprie. — τετήρηκα, *servavi*) usque ad finem. Ap. 2, 10.

v. 8. λοιπὸν, *ceterum*) Quam laeta particula: momentum decretorium. Paulus pro ipso abitus sui articulo tres status suos spectat: 1) praeteritum, *certavi.* 2) instantem, *reposita est.* 3) futurum, *reddet.* — ἀπόκειται, *reposita est*) omni labore et periculo in perpetuum superato. — δικαιοσύνης) *justitiae*, pro qua pugnavi. Huc ref. *justus.* — στέφανος, *corona*) *Corona* dabatur post luctam, cursum, pugnam. — ἀποδώσει, *reddet*) Congruit τὸ *justus.* 2 Thess. 1, 6. 7. — ὁ κύριος, *Dominus*) Christus. De quo etiam v. 1. 14. 17. 18. 22. — ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, *in illo die*) Anne sciverit Paulus de prima resurrectione, et an tale quid sibi arrogaverit, haud scio. *Ille dies*, est novissimus, pantocriticus. Magna gloriae pars tum demum accedet electis. 2 Cor. 5, 10. qui locus universaliter accipi debet. Nil obstat, quo minus participes primae resurrectionis in novissimo quoque die *coronam* accipiant, et in illa panegyri maxime novum praeconium reportent. *Fratrum* numerus Matth. 25. longe minor erit, quam ceterorum beneficorum in eos. Ideo sententia in eos propitia praesupponitur. — ἐμοὶ, *mihi*) Applicatio individualis. — πᾶσι, *omnibus*) Id Pauli gaudium cumulat; Timotheum acuit. Multos horum lucrifecerat Paulus. — ἠγαπηκόσι, *qui amarerunt*) Id grandius, in praeterito, quam ἀγαπήσας, v. 10., ubi luctuosum vide antitheton. Hoc desiderium apparitionis Domini, praesupponit totum Christianismi statum, fidem maxime. Metonymia consequentis. — ἐπιφάνειαν, *apparitionem*) primam et secundam.

v. 9. σπούδασον, *stude*) Hoc iteratur versu 21. — ἐλθεῖν πρός με, *venire ad me*) Quod Paulus adhuc tectius tractavit, in epilogo demum aperte scribit. v. 21. Timotheus et Paulo martyri futurus erat solatio, et per eum corroborandus, et postea evangelii negotium, Romae fortasse aliquantisper, gesturus. Ephesi martyr factus esse fertur.

v. 10. [1]) εἰς θεσσαλονίκην) *Scholiastes ms. in Medic. bibliotheca,* καὶ ἐκεῖ (*Thessalonicae*) ἱερεὺς εἰδώλων γενόμενος· *de qua re nil uspiam legi.* Pricaeus. — γαλατίαν, *Galatiam*) Hoc olim ex rhythmo δαλματίαν irrepsisse videtur. Idonea monumenta, γαλλίαν. [2]) Et nonnulli, qui γαλατίαν retinent, ad Galatiam occidentalem sive Europaeam, id est, Galliam, referunt. Vid. Pregizeri Suevia sacra, pag. 499. seq. ex P. de Marca. — τίτος, *Titus*) Ergo ex Creta discessit, compositis rebus. Tit. 1, 5. Hi Paulum aut comitati erant aut viserant.

---

1) γὰρ, *enim*] Paulus fere solitarius est. *V. g.*

2) *Hinc margo* Ed. 2. *lectionem* γαλλίαν, *signo* ε *olim notatam, elevat ad signum* γ, *et* Vers. germ. *Galliam omnino exprimit.* E. B.

Digitized by Google

v. 11. λουκᾶς, *Lucas*) Lucas non ad hoc usque tempus deduxit Acta Apostoloruin. — μόνος, *solus*) Sermo est de comitibus. nam amici plures aderant. v. 21. — εὔχρηστος, *utilis*) magis quam olim. Act. 13, 13. 15, 38. conf. Philem. v. 11. Demas deficit: Marcus se recipit; sed qui in negotio faciliori abierat, nunc ad graviora debet adesse.

v. 12. τυχικὸν, *Tychicum*) quem Timotheus poterat ecclesiae praeficere. sed hoc Paulus ei permittit. conf. Tit. 3, 12.

v. 13. τὸν φαιλόνην, *tunicam*) De theca libraria accipiunt alii: sed theca non seorsum a libris appellaretur. — ἀπέλιπον, *reliqui*) Romae Paulo, si ipse secum tulisset, fortasse ablata fuisset penula impetu primo. Nunc quum Timotheus ferre jubetur, non obscure ei securitas promittitur. — παρὰ κάρπῳ, *apud Carpum*) Homo valde fidelis fuerit oportet, cui pretiosissimum depositum crederet apostolus.

v. 14. ἐνεδείξατο, *exhibuit*) Ephesi, vel etiam Romae. — ἀποδῴη, *reddat*) Sciebat apostolus, illum non inultum fore. subscribit igitur judicio Domini. — λίαν, *valde*) Igitur non desinet. — ἡμετέροις, *nostris*) Communis est fidelium causa: et Timotheus jam tum fuerat Pauli comes. Hic adversarius erat ibi, ubi Timotheus erat et ubi Paulus fuerat, Ephesi, Timotheo *cavendus*.

v. 16. πρώτῃ, *prima*) Jam igitur erat secunda: in qua Timotheum vult sibi adesse, et Dominum sibi adstiturum confidit, ut vincat. — συμπαρεγένετο) Τὸ σὺν innuit, non magnum fuisse illis periculum. — [1]) ἐγκατέλιπον, *deseruerunt*) ex timore. — μὴ αὐτοῖς λογισθείη, *ne illis imputetur*) Innuitur peccati magnitudo, et Pauli votum. *illis*, verbo praepositum, significat, illis *imputatum iri*, qui pios deterruissent.

v. 17. ὁ δὲ κύριος, *Dominus vero*) eo magis. — παρέστη, *adstitit*) Id plus quam παραγίνεσθαι, *adesse*. — ἐνεδυνάμωσε, *confortavit*) Oppositum, *deseruerunt*. — ἵνα δι' ἐμοῦ, *ut per me*) Una saepe occasio maximi est momenti. — πάντα τὰ ἔθνη, *omnes gentes*) quarum Roma caput. — ἐρρύσθην ἐκ στόματος λέοντος, *liberatus sum ex ore leonis*) Ps. 22, 22. σῶσόν με ἐκ στόματος λέοντος. Credibile est, obtigisse Paulo visum aliquod sub schemate Leonis. Leo vel Neronem, vel quemvis, qui pericula intentaret, significat. Tropus certe est: nam *ex ore leonum* diceret, si proprie bestias innueret. *Liberatus sum*, inquit: non, *liberavit me*. quia, *Dominum id fecisse*, extrinsecus non apparebat.

v. 18. καὶ, *et*) A praeterito ad futurum spes concludit. — ῥύσεταί με, *liberabit me*) Omnia Paulus in partem salutarem accipit. vivit? liberatus est. decollabitur? liberabitur, liberante Domino. — ἔργου πονηροῦ) Antitheton, αὐτοῦ. — καὶ, *et*) Suavis conjunctio. Dominus est et liberator, 1 Thess. 1, 10. et Salvator, Phil. 3, 20. Mala aufert: bona confert. — σώσει) *salvum perducet*. Haesit hoc verbum Paulo ex Ps. cit. — βασιλείαν, *regnum*) Neroniano melius. — ᾧ ἡ δόξα, *cui gloria*) Doxologiam parit spes; quanto majorem res.

v. 20. ἔραστος — τρόφιμον, *Erastus — Trophimum*) Causa, cur hi non salutent, implicite indicatur. — ἔμεινεν, *mansit*) me iter prosequente: Secunda Pauli vincula non fuere diuturna. scripsit enim haec brevi post iter, paulo ante exitum. — ἐν κορίνθῳ, *Corinthi*) patria sua. Rom. 16, 23. — [2]) ἐν μιλήτῳ, *Mileti*) Miletus, vicina Epheso. Trophimi morbum sive scierat Timotheus, sive nescierat, tamen commemorare Paulus potuit. Et fortasse Trophimus Timotheum postea comitatus est Romam. Scholiastes ad h. l. apud Pricaeum: τρόφιμος, ἀρίσταρχος, καὶ πούδης, ἐν τοῖς διωγμοῖς τῷ ἀποστόλῳ συγκακοπαθήσαντες, τέλος σὺν αὐτῷ τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν.

---

1) πάντες, *omnes*] flebile auditu! *V. g.*

2) ἀπέλιπον, *reliqui*] Itaque Romam Paulus ex Asia haut ita pridem redierat. *V. g.*

Digitized by Google

v. 21. πρὸ χειμῶνος, *ante hiemem*) Ipsa hieme, navigatio olim fere nulla: et imminebat martyrium Pauli. — ἐλθεῖν, *venire*) Invitatur mentione *Eubuli* etc. qui cum Paulo erant, et tamen in vita manebant. — καὶ λίνος, *et Linus*) Hic tertio loco ponitur. nondum erat episcopus.

v. 22. μεθ' ὑμῶν, *vobiscum*) v. 19.

IN EPISTOLAM AD TITUM.

CAPUT I.

v. 1—3. Παῦλος, *Paulus*) Titulus conveniens Pauli personae et Titi muneri. — κατὰ, *ad*) Conf. κατὰ, v. 4. 9. 2 Tim. 1, 1. not. Apostoli est, propagare fidem. Rom. 1, 5. — πίστιν, *fidem*) Summa Christianismi, *fides — spes:* quae Titus in omni doctrina respicere, et cetera omnia vitare debet. conf. 1 Tim. 1, 5. 3, 15. s. 4, 1. 3. 10. — ἐκλεκτῶν θεοῦ, *electorum Dei*) quorum causa facere et pati debemus omnia. 2 Tim. 2, 10. *Electi,* ex Judaeis et gentibus: quorum *communis* fides. v. 4. 2 Petr. 1, 1. ex illis, Paulus; ex his, Titus.

v. 2. ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, *spe vitae aeternae*) c. 3, 7. *Spes* refertur ad *promissionem.* — ἣν, *quam*) *vitam.* — ἀψευδὴς, *fallere nescius*) Fundamentum fiduciae nostrae. — πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ante tempora aeterna*) Vitae aeternae *promissio* jam continetur in appellatione *Dei Abraham* etc. Innuitur promissio explicita ad homines. vid. Gen. 3. etc. χρόνοι αἰώνιοι *secuti sunt* creationem et lapsum.

v. 3. καιροῖς) His χρόνοι longiores erant.

v. 4. κοινὴν, *communem*) Alias Titus, ex gentibus natus, excideret.

v. 5. τούτου χάριν, *idcirco*) Partes epistolae sunt IV.

I. Inscriptio.	c. I. v. 1. s.
II. Instructio Titi, quae huc redit:	
1) Bonos constitue presbyteros.	5. s.
2) His opus est, apud malos Cretenses.	10. s.
3) Ipse eos severe increpa et mone.	13. s.
4) Doce senes et anus, et juvenes, ipse bonorum operum exemplum praebens: c. II, 1. s. itemque servos, v. 9. s. ubi eximium ex evangelii medulla motivum inscritur.	11—14. s.
5) Admone de obedientia magistratibus, lenitate omnibus hominibus praestanda: ubi idem motivum iteratur.	III. 1—7.
6) Bona opera facienda: stolidae quaestiones vitandae: haereticus facile sibi relinquendus.	8—11.
III. Invitatio Titi, ut Nicopolin veniat; et admonitio, ut res necessarias curet.	12. s.
IV. Conclusio.	15.

[1]) — τὰ λείποντα, *quae desunt*) quae ego per temporis brevitatem non potui coram expedire. — ἐπιδιορθώσῃ) Paulus διορθώσατο. Titus ἐπιδιορθοῦται. — ὡς, *sicut*) Paulus dixerat, quas virtutes habere deberent presbyteri: nunc repetit.

v. 6. πιστὰ, *fideles*) Nam qui liberos non potuit ad fidem perducere, quōmodo alios perducet? — ἀσωτίας, *luxuriae*) quae ex bonis ecclesiae perperam aleretur.

---

1) ἐν κρήτῃ, *in Creta*] Quae *Candia* hodie dicitur, frequens insula. *V. g.*

Digitized by Google

v. 7. ὡς θεοῦ οἰκονόμον, *tanquam Dei oeconomum*) Quo major quisque est Dominus, eo majores in servo virtutes esse debent. Paulus ministros evangelii appellitat *oeconomos Dei*. 1 Cor. 4, 1. not. Potestas igitur episcopi circumscripta illa quidem est, sed tamen non est nulla. *Oeconomus* is est, et *Dei oeconomus*; oeconomus autem aliquid certe arbitrii et potestatis habet, fidei ejus et dexteritati committitur aliquid, non sola facultate locomotiva utitur, non est instrumentum aut machina: oeconomus Dei non est hominum mancipium, non mediastinus aut lixa: modo verus sit oeconomus. Notandum adversus pseudopoliticos; qui non Dei, non fidelium, sed suos cupiunt esse et ministros Christi, et ipsos principes, quorum nomine abutuntur, et fideles et omnia. — μὴ αὐθάδη, *non praefractum*) Antitheton, v. 8. *hospitalem*. nam αὐθάδης, *praefractus*, negligit hospites tenues, ut Nabal fecit: 1 Sam. 25. se unum curat, et quae circum se habet: alios item suas sibi res et curas habere jubet. — μὴ ὀργίλον, *non iracundum*) Antitheton, *boni amantem*. — μὴ πάροινον, *non vinolentum*) Antitheton, *sobrium*. — μὴ πλήκτην, *non percussorem*) Antitheton, *justum*, qui ratione et aequitate, non vi decidat. — μὴ αἰσχροκερδῆ, *non turpis lucri cupidum*) Turpe lucrum quaeri poterat in re per se honesta, ut in opificio, in contractibus et negotiis, in ipso episcopatu. v. 11. 1 Tim. 6, 5. 2 Cor. 11, 12. 20. Phil. 3, 19. 1 Petr. 5, 2. 2 Petr. 2, 3. Antitheton, ὅσιον, *sanctum*.

v. 8. ἐγκρατῆ, *continentem*) Ἐγκρατὴς et ἀκρατὴς interdum latius accipitur. conf. Matth. 23, 25. not. Oppositum ἀκρατὴς apertum est, ita ut non necesse fuerit id exprimere: et ἀκρασία, quatenus τῇ παροινίᾳ opponitur, minus in oculos Titi incurreret.

v. 9. ἀντεχόμενον) *qui retineat*, defendat, urgeat studiose. Hoc verbo maxime Hebraicum דבק exprimunt LXX. — κατὰ] ὁ κατὰ τὴν διδαχὴν λόγος, *sermo ad doctrinam pertinens*. — πιστὸς, *firmus*) unde *adhortatio* et *elenchus* robor accipit. — καὶ, καὶ] *et, et*.

v. 10. ματαιολόγοι καὶ φρεναπάται, *vaniloqui et seductores*) Duo nomina, quorum epitheton, ἀνυπότακτοι *contumaces*. *Vaniloqui* qui sint, vid. 1 Tim. 1, 6. 7. φρεναπάται, *qui mentes* hominum *seducunt*. ἀνυπότακτοι, *contumaces*, frenum mordentes, qui se nolunt submittere ad obedientiam fidei.

v. 11. ἐπιστομίζειν] *obturare os*, ad silentium redigere, vi spiritus, ut merentur *contumaces*. — ὅλους οἴκους, *totas domos*) Magnum Paulo detrimentum. [*Hodie vero quid de vicis fit, quid de pagis et urbibus?* V. g.] — ἀνατρέπουσι, *subvertunt*) ut *seductores*. — διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ, *docentes quae non oportet*) ut *vaniloqui*. — αἰσχροῦ κέρδους χάριν, *turpis lucri gratia*) Constr. cum *subvertunt*. Turpitudo maxime in *vilitate* lucri conspicitur. Ez. 13, 19. [1 Tim. 6, 5.]

v. 12. εἶπέ τις, *dixit aliquis*) Non debent sibi plaudere profanorum scriptorum nimii cultores, quod Paulus aliquid ex Arato, Menandro, Epimenide ponat: nam hos tamen ne nominat quidem. Act. 17, 28. 1 Cor. 15, 33. — ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν, *ex illis proprius illorum*) ortu et conditione. Id auget auctoritatem testis. Etiam de Cilicibus mala ferebantur testimonia, sed ab aliis. ideo Paulus, Cilix, hoc sine probro potuit allegare. — προφήτης, *propheta*) Multa praedixit Epimenides, ut Diogenes Laërtius memorat: et *prophetam* egit, etiam quum haec dixit, quae Paulus citat. — ἀεὶ, *semper*) Quivis homo naturalis aliquando mendacem etc. agit; sed *semper*, gravius. — ψεῦσται, *mendaces*) Deo dissimiles, v. 2., etiam in doctrina de Deo, quum *fabulas* amant. v. 14. Jovis sepulcrum habebant Cretenses: ideo a poëtis *mendaces* appellati. — κακὰ θηρία, *malae bestiae*) Creta χώρα ἄθηρος, *regio bestiis carens*, habita. id sive verum sive falsum, inde lepidum Epimenidem judicat Al. Morus. — γαστέρες ἀργαὶ) Pasor ἀργὸς hic per aphaeresin dici statuit pro μάργος, *edax*. Conf. c. 2, 2—6. Placet tamen communis notio. *ventres pigri* sunt, qui nemini sunt utiles.

Digitized by Google

v. 13. ἀληθὴς, *verum*) quamvis a Cretensi profectum. — ἔλεγχε, *convince*) Summa *elenchi* subsequitur.

v. 14. μύθοις, *fabulis*) Antitheton, *veritatem*.

v. 15. πάντα μὲν, *omnia quidem*) Hoc colore utebantur fabularum et praeceptorum humanorum defensores: quem Paulus diluit. — τοῖς καθαροῖς, *puris*) subaudi, *et fidelibus*, ex contrario. 1 Tim. 4, 3. Act. 15, 9. Rom. 14, 23. Omnia externa iis, qui intus sunt mundi, munda sunt. — μεμιασμένοις, *inquinatis*) Id tractatur mox. — ἀπίστοις, *infidelibus*) Id tractatur versu 16. — οὐδὲν) *nil*, neque intra, neque adeo extra. — νοῦς) *intelligentia*. Rom. 14, 5. — συνείδησις, *conscientia*) de rebus agendis vel actis. 1 Cor. 8, 7.

v. 16. θεὸν, *Deum*) quem nosse, summa est Sapientia. — ὁμολογοῦσιν εἰδέναι) *confitentur*, et confessione *cognitionem* sibi vindicant. 1 Tim. 6, 20. — ἀρνοῦνται) *negant* Deum. — βδελυκτοὶ) Congruit hoc cum LXX, Prov. 17, 15. ἀκάθαρτος καὶ βδελυκτός. — ἀδόκιμοι) Hic active accipias pro iis, qui non sunt apti ad quicquam, quia bonum probare non possunt, nec in se, nec in aliis.

CAPUT II.

v. 1. Λάλει, *loquere*) ore non cohibito: sedulo, strenue, cum parrhesia.

v. 2. πρεσβύτας, *senes*) subaudi, *adhortare*, ex v. 6. — νηφαλίους, *vigilantes*) affectu. — σεμνοὺς, *graves*) in actionibus. — σώφρονας, *sobrios*) in victu. — τῇ ὑπομονῇ, *patientia*) Virtus senes inprimis decens.

v. 3. ἐν καταστήματι [1]) ἱεροπρεπεῖ) ἱεροπρεπὴς, sacri decori observans. κατάστημα, *habitus*, dicitur hic de ornatu virtutum, quae mox enumerantur. κατάστημα lato sensu dicitur, ut docet Lexicon Graecum Basileae olim excusum, in fol. — δεδουλωμένας, *servitio addictas*) Sane servitus est, gulam non vincere. 2 Petr. 2, 19. — καλοδιδασκάλους) *quae doceant res bonas;* ut sequitur.

v. 4. σωφρονίζωσι τὰς νέας, *sobrietatem doceant juvenes*) Cressas aliquanto severius tractare jubetur Titus, quam Ephesias Timotheus. 1 Tim. 5, 2. Has ipse; illas Titus per provectiores aetate monet.

[2]) v. 7. περὶ πάντα) *usquequaque*. — σεαυτὸν, *te ipsum*) Etiam Titus *junior*. — ἐν τῇ διδασκαλίᾳ, *in doctrina*) Innuitur doctrina publica, cui opponitur mox λόγος, *sermo*, in consuetudine quotidiana. In illo genere requiruntur ἀφθορία et σεμνότης, quibus in altero respondent epitheta ὑγιῆ et ἀκατάγνωστον, ut in utroque et materia et forma se recte habeant. — ἀφθορίαν) scil. παρεχόμενος. hic non repetendum σεαυτόν.

v. 8. ἐντραπῇ, *confundatur*) Magna veritatis et innocentiae vis.

v. 9. δούλους, *servos*) scil. *hortare*. v. 6.

v. 10. ἀγαθὴν, *bonam*) in rebus non malis. — κοσμῶσιν, *ornent*) Quo vilior conditio servorum, eo pulchrius describitur eorum pietas. [*Ne isti quidem projicere seipsos debuerunt, quasi nihil, quales essent, referret.* V. g.]

v. 11. ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις, *apparuit enim gratia*) *Apparitio* duplex, *gratiae* et *gloriae*. v. 13. — σωτήριος, *salutaris*) ut ipsum nomen *Jesu* indicat. [*Conf.* v. 10.] — πᾶσιν, *omnibus*) [*quorum tam diversa genera memorantur* v. 2 — 9. V. g.] etiam servis, etiam gentibus. conf. c. 3, 2.

v. 12. τὴν ἀσέβειαν, *impietatem*) Antitheton, εὐσεβῶς *pie*. — τὰς κοσμικὰς, *mundanas*) quae *sobrie et juste* vivere prohibent. — σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς, *sobrie et juste et pie*) Tres virtutes cardinales; ex quibus vel singulis vel conjunctis ceterae nascuntur.

---

1) *Pluralem* ἱεροπρεπεῖς *praetulerat* Ed. maj.; *sed* ἱεροπρεπεῖ *ad lectiones firmiores refert margo* Ed. 2. *quem*, Gnomoni *respondens*, *imitatur* Vers. germ. E. B.

2) v. 5. οἰκουρούς] proprie, *domum custodientes*. Prov. 7, 11. *V. g.*

Digitized by Google

v. 13. προσδεχόμενοι, *expectantes*) cum laetitia. — ἐλπίδα — θεοῦ, *spem — Dei*) Referri potest ad Christum. — σωτῆρος, *Serratoris*) c. 3, 4. 6. ubi conjunctissima est Patris et Filii mentio, uti hic, c. 2, 11. 13. [*Salvatoris nomini respondet* spes: *Dei*, apparitio gloriae. V. g.]

v. 14. ἵνα λυτρώσηται, *ut redimeret*) Allusio ad redemtionem e *servitute*. — λαὸν περιούσιον) Latine diceres, *superfactum*. Columella, *Villica debet separare, quae consumenda sunt; et quae superfieri possunt, custodire*. Conf. περιποίησις, 1 Petr. 2, 9. not.

v. 15. μηδείς, *nemo*) 1 Tim. 4, 12. not. — περιφρονείτω, *contemnat*) Minister verbi divini, inermis, imbellis, ab iis, qui divino verbo se non submittunt, sed politica tantummodo praesidia aliquid esse putant, certo contemnitur. Segnius vero docentem multo magis spernunt contumaces auditores. ἐπιταγήν, *inculcationem* ex auctoritate, sentire debent, non eam ad se trahere.

CAPUT III.

v. 1. Ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις, *imperiis et potestatibus*) Creta Romanorum provincia. — ὑποτάσσεσθαι, πειθαρχεῖν, *subiici, obedire*) Opposita, ἀνόητοι *insipientes* (coll. Ps. 32, 9.) ἀπειθεῖς *inobedientes* etc.

v. 2. ἀμάχους, *non pugnaces*) qui non adoriantur. — ἐπιεικεῖς, *aequos*) qui adorienti cedant. — πάντας, *omnes*) Creta frequens insula hominum commerciis; atque ii fere tales erant, quales describuntur versu 3.

v. 3. γὰρ, *enim*) Ut Deus nos tractavit, sic nos debemus tractare proximum. — καὶ ἡμεῖς, *et nos*) Eph. 2, 3. — ἀνόητοι, *insipientes*) Non agnovimus Deum ultro. [*Ipsissima haec vitae humanae extra gratiam imago est. Gratia vel stupori medetur demum. Sunt, quod mireris, qui, cum singulari in quibusdam dexteritate atque sagacitate polleant, quoad alia tamen, ubi de pietate vel et aequitate duntaxat naturali agitur, miserrime hallucinantur sibique imponi patiuntur, et suam turpiter auctoritatem collocari.* V. g.] — ἀπειθεῖς, *inobedientes*) Deo se revelanti non paruimus. — ἡδοναῖς, *voluptatibus*) quae sunt etiam in maledicentia, non modo in gustu linguae. — ποικίλαις, *variis*) 2 Tim. 3, 6. Insigne epitheton. Varietas delectat.

v. 4. ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία, *benignitas et humanitas*) Hominum vitia plane contraria enumerantur versu 3. — σωτῆρος, *Serratoris*) Conjugatum ἔσωσεν, *servavit*, v. 5.

v. 5. οὐκ ἐξ ἔργων, *non ex operibus*) Negativa pertinet ad totum sermonem. non fueramus in justitia: non feceramus opera in justitia: non habebamus opera, per quae possemus salvari. Sic Moses Israëli Deut. 9, 5. — [1]) διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, *per lavacrum regenerationis, et renovationem Spiritus sancti*) *Renovationem* immediate construitur cum *per*. namque ut *lavacrum et regeneratio*, sic *renovatio et effudit* cohaerent. Duae res commemorantur: *lavacrum regenerationis*, quae baptismi in Christum periphrasis: et *renovatio Spiritus sancti*. Conf. Hebr. 2, 4. not. Utroque enim loco laudantur beneficia, quae nobis per Christum et per Spiritum sanctum obtigere. Appellatur ita opus divinae gratiae, non solum respectu individuorum, sed respectu oeconomiae uberrimae N. T. Haec *regeneratio et renovatio* tollit omnem, in qua misere jacuimus, mortem et vetustatem, versu 3. descriptam. 2 Cor. 5, 17.

v. 6. οὗ) πνεύματος ἁγίου. — διὰ, *per*) Hoc pendet a *servavit* etc. ut conjugata, *servavit*, et *Servatorem*, indicant.

---

1) ἔσωσεν ἡμᾶς, *salvos nos fecit*] Ipse Christianismus, pristinae miseriae (v. 3.) oppositus, praesentissimam salutem infert. *V. g.*

Digitized by Google

v. 7. ἵνα, *ut*) Hoc pendet a *servavit*. — δικαιωθέντες, *justificati*) Nam antea expertes fueramus *justitiae*. v. 5. — ἐκείνου, *Illius*) Dei, v. 4. 5. Saepe τὸ ἐκεῖνος *ille* innuit remotum aliquod. Remotius aestimatur ex situ verborum, non praecise ex ipsa sententia. Ordinaria phrasis est *gratia Dei*, cujus *benignitas et humanitas* apparuit, cui hic omnia tribuuntur. Deus, optimus: nos, valde mali. — χάριτι, *gratia*) Antitheton ad *opera*. -- κατ' ἐλπίδα, *secundum spem*) qua carebamus antea. [*Haec videlicet emollit mentem*. 1 Petr. 3, 9. V. g.] — ζωῆς, *vitae*) Constr. cum *heredes*.

v. 8. πιστὸς, *fidus*) Refertur hoc ad antecedentia. — περὶ τούτων, *de his*) non de rebus frivolis. 1 Tim. 1, 7. fin. — φροντίζωσι, *curent*) non jam *insipientes*. v. 3. [*Diligentiâ opus est*. V. g.] — καλὰ) *bona*, solide. Antitheton, *vanae*. v. seq. — ὠφέλιμα, *utilia*) Antitheton, *inutiles*. ibid.

v. 10. αἱρετικὸν, *haereticum*) suo arbitrio sectantem ea, quae v. 9. reprehenduntur. — παραιτοῦ, *aversare*) monere desine. quid enim juvat? laterem lavares. Matth. 7, 6.

v. 11. ἐξέστραπται) Sic LXX Hebraicum נהפך exprimunt, Deut. 32, 20. — ἁμαρτάνει, *peccat*) Quicquid agit et sentit, errat. — ὢν αὐτοκατάκριτος) Ἁμαρτίαν comitatur κρίσις ἑαυτοῦ, et subsequitur κατάκρισις. Rom. 14, 22. 23.

v. 12. ἀρτεμᾶν ἢ τυχικὸν, *Artemam aut Tychicum*) cui lampada tradere posset Titus. — ἐλθεῖν πρός με, *venire ad me*) rebus in Creta amplius expeditis. — ἐκεῖ, *illic*) Non dicit, *hic*. Nondum erat Nicopoli Paulus.

v. 13. ἵνα μηδὲν, *ut nihil*) Habebat ergo Titus facultatem. Non ibant vacui.

v. 14. μανθανέτωσαν, *discant*) tuo admonitu et exemplo. — καὶ οἱ ἡμέτεροι, *etiam nostri*) non modo nos, sed etiam nostri, quos Cretae lucrifecimus. Hi videntur Zenan et Apollo, cum deberent, non satis juvisse. [*Non convenit, alios rem a se ad alios identidem devolvere*. V. g.] Zenas et Apollo jam in Creta fuerunt apud Titum. haec enim ratio est, cur eos ab Artema et Tychico distinguat, demum mittendis. — εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας, *in necessarios usus*) etiam ut *necessitudo* spiritualis postulat. sic χρεία, Act. 6, 3. *Spiritualis necessitudo* dat fundamentum obligationum, quo minus se alter alteri subducere possit.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

v. 1. Παῦλος, *Paulus*) Epistola familiaris, mire ἀστεῖος, privatissima de re, inserta est libris N. T. summae sapientiae praebitura specimen, quomodo Christiani res civiles debeant tractare ex principiis altioribus. Frankius: *Unica epistola ad Philemonem, omnem mundi sapientiam longissime superat*. Praef. N. T. Gr. p. 26. 27. — δέσμιος, *vinctus*) cui cur negaret Philemon? v. 9. *s*. — τιμόθεος, *Timotheus*) Haec epistola (v. 22.) scripta est ante ep. II. ad Tim.

v. 2. ἀπφίᾳ, *Appiae*) Philemonis uxori, ad quam nonnil pertinebat negotium Onesimi. — οἰκόν σου, *domum tuam*) Philemonis.

v. 5. ἀκούων, *audiens*) Philemonem lucrifecerat Paulus, v. 19. et hic constantiam ejus commendat. Ex ipso Onesimo potuit amorem ejus et fidem audire. — ἀγάπην — πίστιν — πρὸς — ἰησοῦν καὶ εἰς — ἁγίους, *amorem — fidem — ad — Jesum et in — sanctos*) Sic Eph. 1, 15. sed hoc loco ad Philemonem est χιασμός. primum nectitur cum quarto, secundum cum tertio. primo autem loco

Digitized by Google

ponitur *amor*, quia ad *amoris* specimen hortatur Philemonem, cui ordo fidei et amoris pridem erat notus. Pro beato hocce Philemonis statu gratias Deo agit Paulus.

v. 6. ὅπως, *ut*) Hoc pendet ab *habes*. v. 5. — ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου, *communio fidei tuae*) i. e. fides tua, quam communem nobiscum habes, et exerces. — ἐνεργὴς γένηται, *efficax fiat*) Primum indefinite loquitur Paulus. — ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἀγαθοῦ, *in agnitione omnis boni*) *Omne bonum* est omnis illa opulentia, quam JESUS sua egestate, qua *pauperem* egit, nobis paravit. Breviter signat ad amicum, quae expressius ponit ep. 2. ad Cor. 8, 9., ubi etiam est *cognoscitis*. Oportet, ut JESUS vicissim (in Suis) fruatur iis, quae nobis benefecit. Circulus elegans. ἀγαθὸν, *beneficium*. mox v. 14. — εἰς, *in*) Constr. cum *fiat*. Bonum nobis exhibitum redundare debet in Christum.

v. 7. χαρὰν — καὶ παράκλησιν, *gaudium — et consolationem*) Solenne syntheton: 2 Cor. 7, 4. et, *gaudeo*, inquit, pro *gratiarum actione*. 1 Cor. 16, 17. not. — τῶν ἁγίων, *sanctorum*) His patuit domus Philemonis. v. 2.

v. 8. διό, *quapropter*) Hinc pendet *adhortor*. — ἐπιτάσσειν, *imperare*) Magna auctoritas, cujus fundamentum, Philemonis obligatio, v. 19. *obedientiam* postulans. v. 21.

v. 9. ἀγάπην, *amorem*) meum erga te, tuum erga Onesimum. Philemonis amor erga Paulum antea commemoratus est. Amantem amanter rogat Paulus. — μᾶλλον, *potius*) Non dicit, si reniteris, *meam et Petri indignationem incurres*. ut habet stilus curiae Romanae minime apostolicus. — παρακαλῶ, *rogo*) Tres sunt partes epistolii:

I. Inscriptio. v. 1—3.
II. Commemorato Philemonis flore spirituali, v. 4. s. ROGAT eum, ut Onesimum, qui aufugerat, recipiat, v. 12. 17. hospitium etiam parari sibi cupiens. 22.
III. Conclusio. 23—25.

— τοιοῦτος, *talis*) Tria ponit argumenta, cur malit amanter hortari, et rogare, quam imperare: indolem suam, *Pauli*, Philemoni pridem perspectam, senectutem, et vincula. Senectus mites facit: coll. Luc. 5, 39. sed ante senectutem quoque Paulus erat Paulus. pridem ex benignitate aliena pendebat, et nunc, foris nihilo beatior, pendet. Lepos est in hac epistola mixtus gravitate.

v. 10. παρακαλῶ, *adhortor*) Hoc verbum, quasi post parenthesin, iteratur, magna vi. — περὶ τοῦ ἐμοῦ τέκνου, *de meo filio*) Favorabilem praemittit praeter alia prosopographiam, oratione suspensa, donec invisum *Onesimi* nomen ponit. Et sapit tota epistola recentem de Onesimo lucrifacto laetitiam, quem ipsum videtur celasse, se tam benigne de illo scribere. — ἐγέννησα, *genui*) Erat hic Paulo filius senectutis. — ὀνήσιμον, *Onesimum*) Ad hoc nomen suaviter alludit versu seq.

v. 11. ἄχρηστον, *inutilem*) Litotes. erat enim noxius. Similiter lenis sermo in verbo *sejunctus est*, v. 15. item v. 18., *sin autem — debet*. — σοὶ καὶ ἐμοὶ, *tibi et mihi*) Philemonem civiliter praeponit sibi. De se agit v. 13. s. de illo, v. 15. s. χωρισμός. — εὔχρηστον, *bene utilem*) Alluditur ad nomen *Onesimi*. sic, ὀναίμην, v. 20. Sine pietate ne servus quidem officium facit: cum pietate, quilibet frugi est. — ἀνέπεμψα, *remisi*) Onesimus etiam antequam ad frugem veram pervenisset, tamen bene de Paulo existimarat, et ipsius flagitii sui occasione ad illum confugit.

v. 12. τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, *mea viscera*) Exemplum στοργῆς *pietatis* spiritualis. v. 17. — προσλαβοῦ, *accipe*. Mite verbum, recurrens ibidem.

v. 13. ὃν, *quem*) Ostendit, jam fide dignum esse Onesimum. — ὑπὲρ σοῦ, *pro te*) tuo nomine.

Digitized by Google

v. 14. ὡς, *quasi*) Particula mitigans. nam etiamsi non coactus fuisset Philemon, tamen voluntas ejus minus apparuisset. — ἀνάγκην, *necessitatem*) Non enim potuisset refragari Philemon.

v. 15. τάχα, *forsitan*) Humano more sic loquitur apostolus, uti 1 Cor. 1, 16. *Occulta sunt quippe judicia Dei.* vid. Hieron. ad h. l. — ἐχωρίσθη, *secessit*) Lene verbum. — αἰώνιον, *aeternum*) in hac vita, Ex. 21, 6. et in coelo. Elegantissima amphibolia, utrinque verissima. Ad eam diuturnitatem comparatum totum tempus absentiae Onesimi erat *horula.* — ἀπέχῃς) *tibi haberes.*

v. 16. οὐκέτι ὡς δοῦλον, *non jam ut servum*) Servus fuerat. — ὑπὲρ δοῦλον, *supra servum*) Hoc instar epitheti. *Sed* nectitur cum *fratrem. supra servum:* ex quo majorem, quam e servo sis fructum capturus. ὑπέρδουλος compositum est apud Apollonium l. 4. de Syntaxi c. 3.: quod quid denotet, aut an huc referri possit, nescio. — ἀδελφόν, *fratrem*) Non addit ὡς *tanquam.* Plane pro fratre commendat. — ἀγαπητόν, *amatum*) Amor in fratrem amicumque fertur, non in servum. — μάλιστα ἐμοὶ) *maxime mihi*, prae cunctis aliis, qui tamen non excluduntur. — σοὶ) *tibi*, etiam prae me. *mihi* et *tibi* constr. cum *fratrem amatum.* In carne, ὑπὲρ δοῦλον est, libertus: (conf. ὑπὲρ v. 21.) in Domino, frater.

v. 17. ἔχεις) *habes*, proprie. infertur enim hinc, *accipe.* — κοινωνόν, *participem*) ut tua sint mea, et mea tua.

v. 18. εἰ δέ τι, *sin autem aliquid*) Lenis oratio. Confessus erat Onesimus Paulo, quae fecerat. — ἢ ὀφείλει, *aut debet*) Mitius synonymon ponitur post verbum *injuria affecit.* — ἐλλόγει) Hesychius, ἐλλόγει, καταλόγησαι. Me debitorem habe.

v. 19. ἐγὼ παῦλος, *ego Paulus*) Chirographum. — ἐγὼ ἀποτίσω, *ego solvam*) ut parens solet aes alienum filii solvere. Vinctus scribit serio, cum fiducia, non defore sibi facultatem. Sed tamen conditionate spondet, si scilicet exacturus sit Philemon. v. 21. — σεαυτόν, *te ipsum*) Dici non potest, quanta sit obligatio erga eos, qui animas lucrifecere. Pro spiritualibus debentur externa; sed non obligatione politica. — προσοφείλεις, *etiam debes*) Hoc respicit ad *debet.* v. 18. Non modo Onesimum mihi condonari aequum est, sed *etiam* te mihi *debes.*

v. 20. ἐγὼ, *ego*) Ex Onesimo debitus erat fructus tibi; ex te debetur mihi. — ὀναίμην, *fruar*) Allusio ad nomen *Onesimi.* — ἀνάπαυσον, *recrea*) recepto Onesimo.

v. 21. ποιήσεις, *facies*) erga Onesimum.

v. 22. ξενίαν, *hospitium*) ubi alii ad me divertant. Vide vim spei. Paulus, vinctus, tanto intervallo condicit.

v. 23. συναιχμάλωτος, *una captivus*) Hoc ipso nomine Epaphras ceteris anteponitur.

v. 24. λουκᾶς, *Lucas*) Hic, Paulo conjunctissimus, post ceteros appellatur. In duobus codd. Gr. apud Millium et Kusterum annotatur, beatum Onesimum Romae martyrio crurifragii defunctum esse.

IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS.

Anonymi scriptores multi conantur ignoti prodesse lectoribus: hujus autem divinae epistolae scriptor iis, quibus scribit, notum se fert. cap. 13, 19. Ac *Paulus* apostolus magno veterum consensu scriptor epistolae perhibetur. Ante

Digitized by Google

omnes Petrus ad electos advenas dispersionis Ponti, Galatiae, Cappodociae, Asiae et Bithyniae scribens, Pauli ad eosdem literas laudat: at reliquae Paulinae ad conversos ex gentibus missae sunt, haec una ad *Hebraeos* est, quanquam *Hebraeos* ipse non appellat, minusque commode in titulo, vetusto sane, sed post Pauli manum praefixo, *Hebraei* dicuntur pro *Judaeis Hellenistis Christianis*, ad quos eum scripsisse, infra ad Cap. 6, 10. observavimus. Pauli porro methodum ac stilum facile agnoscas. nam propositionem et partitionem praemittit tractationi, c. 2, 17.: parti didascalicae paedeuticam distincte et separatim subjungit: partem paedeuticam prolixiorem in fine epistolae ponit: eadem dicta V. T. citat, quae alibi: c. 2, 8. 10, 30. 38.; nec non cap. 1, 6. iisdem noëmatibus et locutionibus utitur. vid. not. ad c. 1, 3. 6. 2, 2. 5. 8. 9. 10. 14. 15. 3, 1. 6. 12. 16. 4, 9. 16. 5, 6. 11. seqq. 6, 1. 9. 10. 11. 12. 7, 2. 5. 18. s. 22. 25. 26. 28. 8, 1. 6. 11. 13. 9, 1. 10. s. 15. 28. 10, 5. 39. 11, 7. 11. 13. 19. 35. 37. 12, 1. 4. 10. 12. 22. s. 27. 13, 1. 5. 9. 10. 14. 18. 20. 21. 23. 25. Olim alii *Barnabam*, vel *Lucam*, vel *Clementem Romanum*, auctorem censuere: nempe quia quisque eorum hanc epistolam, sine auctoris nomine, in manibus habebat, pro ipso auctore quisque eorum est habitus. Sed cur huic uni epistolae non praefixit Paulus nomen suum, quod iis, ad quos scribebat, carum fuisse patet ex cap. 13, 19.? Non praefixit, quia non adhibuit inscriptionem. neque enim ea semper utebantur veteres, pro simplicitate antiqua: conf. 2 Reg. 5, 6. 10, 2. 6.: ubi excerpta potius dari quam epistolas ipsas verbum לאמר praepositum vix patitur, ut credamus. Atque ardor Spiritus in hac perinde, ut in Johannea prima epistola in rem protinus ipsam erumpens, auditores percellit; salutationem vero et gratiarum actionem initio ceterarum epistolarum a Paulo poni solitam, in conclusione epistolae rependit. Haec Pauli, duaeque Petri epistolae (quibus simillimas Jacobi Judaeque addas licet) et ad eosdem Israëlitas credentes in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia dispersos, et eodem fere tempore, scriptae sunt. Triennio ante vastationem Hierosolymorum Paulus et Petrus Romae sunt interemti. igitur haec quoque ad illos epistola templo stante scripta est. cap. 8, 5. Petrus paulo ante martyrium utramque suam scripsit epistolam: et in secunda laudat epistolas Pauli, nominatim hanc, quae tum recens erat, multis primorum *auditorum* jam defunctis. Hebr. 2, 3.

Ut Petrus, Jacobus, Judas, sic Paulus hic quoque Graece scripsit, non Hebraice. etenim *Graecam* Mosis et Psalmorum lectionem, ab Hebraica diversam, allegat: c. 1, 6. 10, 5. uno verbo *Graeco*, κατάπαυσις, vim Hebraicorum duorum שבת et מנוחה complectitur: cap. 4, 4. 5. Hebraica *Graece* interpretatur: c. 7, 2. propriamque *Graeci* vocabuli, διαθήκη, notionem urget. c. 9, 16.

Totus in id incumbit, ut fratrum *fidem* in Jesum Christum *confirmet*, cap. 13, 8. s. Confirmat autem eam per demonstrationem *Gloriae* ipsius. *Caput* hoc ipse appellat. c. 8, 1. Itaque omnes partes epistolae, monitis acerrimis et stimulis efficacissimis praeditae, una eademque sermonis forma edisseruntur, et doctrina ususque quovis loco per *ergo* conjunguntur.

SUMMA est haec:

Elucet Jesu Christi gloria

I. ex PRAEVIA Comparatione cum PROPHETIS atque ANGELIS. c. I. v. 1—14.
ERGO debemus attendere sermoni ejus. II. 1—4.
II. ex PRAECIPUA Comparatione PASSIONIS et CONSUMMATIONIS. Hic notanda
1) Propositio et Summa, ex Psalmo VIII. 5—9.
2) Tractatio: Habemus auctorem salutis et gloriae CONSUMMATUM, qui NOSTRA causa PASSUS est prius, ut (1) MISERICORS fieret et (2) FIDELIS (3) ARCHISACERDOS. 10—18.

Digitized by Google

Haec tria singulatim, PASSIONE et CONSUMMATIONE aptissime subinde intertexta, explicantur.

A. Habet virtutes sacerdotales:

I. Est FIDELIS.

ERGO vos ne sitis INFIDELES. III. 1. s. 7.—IV. 13.

II. Est MISERICORS.

ERGO accedamus cum FIDUCIA. 14. — V. 3.

B. EST Ipse a Deo appellatus SACERDOS. Hic

I. SUMMA ex Psalm. II. et CX. et ex re gesta proponitur, 4—10.

Auditoresque inde SUMMATIM EXCITANTUR. 11. — VI. 20.

II. Res ipsa COPIOSE

1) explicatur. Est nobis

α) SACERDOS MAGNUS:

I) talis, qualem PSALMUS CX. describit:

1) secundum ordinem MELCHISEDEK. VII. 1—19.

2) cum JUREJURANDO. 20—22.

3) in AETERNUM. 23. s. 26—28.

II) adeoque singulariter excellens:

1) COELESTIS: VIII. 1—6.

2) isque NOVI testamenti. 7—13.

β) INTROITUS IN SANCTUARIUM. IX. 1. — X. 18.

2) ad Usum vertitur. ERGO

I. praestate fidem, spem, amorem. X. 19—39.

Haec tria uberius urgentur:

α) FIDES cum tolerantia,

quae exemplo VETERUM, XI. 1—40. XII. 1.

et ipsius JESU, 2. 3.

praestanda est 4—11.

ALACRITER, PACATE, SANCTE. 12—17.

β) SPES. 18—29.

γ) AMOR. XIII. 1—6.

II. ad profectum in his virtutibus utimini ANTISTITUM

1) priorum memoria: 7—16.

2) praesentium vigilantia. 17—19.

Huic periochae, et toti epistolae respondet VOTUM, DOXOLOGIA, CONCLUSIO placida. 20—25.

Appellationes eorum, ad quos scribitur, v. gr. *Fratres,* non inconsiderate adhibentur, sed aut novam epistolae partem aut affectum indicant. Itaque apostolus primum eos appellat cap. 3, 1. 12. et ait, *fratres sancti, vocationis coelestis participes,* et simpliciter, *fratres:* et sic rursus demum c. 10, 19. Etenim his locis praecipuae duae cohortationes incunt. Praeterea *fratres* appellat in Conclusione, c. 13, 22. et *dilectos,* sub illam acrem admonitionem, c. 6, 9. Qui has appellationes, et *Partitiones,* c. 2, 17. 10, 19—21., quarum alteram tractatio sua in textu subsequitur, alteram praecedit; et Particulam *ergo*, in Conspectu epistolae expenderit, is eum etiam ipsum conspectum non confictum a nobis, sed ex ipsa Epistola eductum facile agnoscet fructuoseque versabit.

In eodem conspectu *Comparationes* aliquas notavimus: sed multo plures ipsa habet epistola, quae tamen ad duo fere capita redeunt. I) Magni sunt prophetae, angeli, Moses, Josua, Aaron etc., sed infinitis intervallis major Jesus Christus. Veterum Hebraeorum sententia habet: *Rex Messias est major Abrahamo et patriarchis, Mose, et angelis ministerialibus.* Eam sententiam huc confert *Schoettgenius*, cujus Horae ad hanc inprimis Epistolam frugi sunt. II) Bona erat conditio fidelium veterum: sed melior est conditio *Christianorum.* Atque hoc alterum tractatur potissimum capite 11. Ubique autem exemplis bonis et beatis intersperguntur etiam mala et misera. Extat igitur in hac epistola Recapitulatio totius *V. T.* simulque Judaismus antiquatur, et promulgatio *N. T.* ad ἀκμὴν et summum fastigium perducitur, in ipso millenarii IV. et V. confinio. Vid. *Ord. temp.* p. 288. [*Ed. II. p. 247. sq.*]

Digitized by Google

CAPUT I.

v. 1. Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως) DEUS locutus est πολυμερῶς, *per multas partes.* Creatio, revelata tempore Adami; judicium, tempore Enochi: et sic subinde explicatior data est cognitio. locutus est etiam πολυτρόπως *per varios modos* revelationum, in somniis et visionibus. Itaque πολυμερῶς pertinet ad materiam, πολυτρόπως ad formam. In utroque est antitheton ad unam totalem et perfectissimam DEI erga nos communicationem in Jesu Christo. Ipsa prophetarum *multitudo* indicat, eos ex *parte* prophetasse. Ergo non debetis, inquit, terreri novitate Christiana. — πάλαι· *olim*) Non minimo intervallo prophetae nulli extiterant, quo exspectatior esset Filius. [*Malachias, prophetarum V. T. novissimus, aliquot seculorum ante natum Christum intervallo valicinatus est.* V. g.] — ὁ θεὸς, *Deus*) Tractat apostolus de *DEO*, h. l. de *Christo*. c. 2, 3. de *Spiritu S.* c. 3, 7. — λαλήσας· *locutus*) Synecdoche, de omni communicatione, uti Ps. 2, 5. Sic דבר ῥῆμα *verbum* late dicitur. — ἐν· *in*) Ergo Deus ipse erat *in prophetis*; tum maxime *in Filio.* Rex mortalis loquitur *per* legatum, non tamen *in* legato. Nisi in prospectu ad sequentia, ut de υἱῷ dicatur, apostolus τὸ ἐν *in* posuisset, posuisset sine dubio διὰ τῶν προφητῶν, *per prophetas.* Ex hac ratione τὸ ἐν *in* urgeri absonum non est. — ἐν τοῖς προφήταις· *in prophetis*) Ἐν τοῖς ἀγγέλοις Artemonius Part. I. cap. 43. contendit scripsisse Lucam. Lucam enim epistolae hujus scriptorem censet p. 98. quae sententia non abhorret a Clem. Alex. adumbr. in 1 Petr. 5, 13. ubi *Lucas Pauli ad Hebraeos epistolam interpretatus* dicitur, quanquam eam ab ipso Paulo Graece scriptam, supra probavimus. Ἐν τοῖς προφήταις, omnia monumenta habent: et epistola excellentiam Christi, tot comparationibus adhibitis, ostendens, utique etiam *prophetis*, iisque cunctis, cum anteponit. coll. Matth. 11, 13. 12, 41. Joh. 8, 53. Anteponit autem eum prophetis aut nusquam, aut hoc loco; et hic quidem id attingit quasi obiter in ipso ingressu, comparatione hac mox per alias magis illustres absorpta. Habet interim haec *prophetarum*, in ipso epistolae initio, summatim facta mentio, egregiam occupationem et argumentum concilians, ut apostolus se *Scripturam V. T.* totam amplecti, neque quicquam ei contrarium dicere velle, declaret. Plura Wollius ad h. l.

In prophetis praecipuus est Moses, de quo postea seorsum agit Paulus. *Prophetarum* et *Filii* antitheton idem est, quod Matth. 21, 34. 37. Atque ipsa *Filii* appellatio excellentiam ejus prae prophetis innuit: et quicquid mox de angelis dicitur, multo magis de prophetis sentiendum innuitur. — ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων· *in novissimo dierum horum*) Similis locutio Num. 24, 14. באחרית הימים LXX, ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν· item 1 Petr. 1, 5. 20. et in aliam partem, 2 Tim. 3, 1. not. Antitheton, *olim.* Nullam posthac aliam, innuit apostolus, exspectandam esse loquelam. Tota haec epistola, de qua conf. 2 Petr. 3, 15., finem rerum ut propinquum proponit. c. 2, 8. 9, 26. 28. 10, 13. 25. 37. 11, 40. 12, 23. 13, 4. — ἐλάλησεν, *locutus est*) omnia, uno modo perfectissimo. — ἡμῖν· *nobis*) Antitheton, τοῖς πατράσιν, *patribus.* — ἐν υἱῷ, *in Filio*) Ἐν saepe notat *per*, sed hic plus valet, coll. Joh. 14, 10. Quantus *propheta*, ipse *Filius* Dei! *Filii* nomen hoc loco ponitur per Antonomasian instar nominis proprii: nomen autem proprium apud Hebraeos est sine articulo: et sic in praesenti omittitur articulus. Omittitur etiam in v. 5. 3, 6. 5, 8. 7, 28. Sic בר Psalm. 2, 12. Locutus est Deus nobis in Filio solo. Sermo factus est etiam apostolis; qui ipsi quoque considerantur ut tales, quibus sermo factus est, antequam ipsi ad alios sermonem facere possent: erant ὑπηρέται τοῦ λόγου· sed apostoli nil docuere novum post Christum, et ut Pater in Filio, sic Filius in apostolis locutus est. Locutus est etiam Filius in V. T. per prophetas, sed alio modo. Hujus Filii Majestas *PROPONITUR* I) *absolute*, α) per ipsum *Filii* nomen: v. 1. β) per tria glo-

riosa praedicata, totidem verbis finitis cum pronomine *qui* expressa: *quem posuit; per quem fecit; qui consedit:* quo pacto Ejus quasi cursus ab initio rerum omnium usque ad Ipsius metam describitur: v. 2. 3. II) *comparate* ad angelos. v. 4. Huic propositioni mox respondet ***CONFIRMATIO***, et ipsum *Filii* nomen probatur mox versu 5. tum, *hereditas*, v. 6—9. *factura aeonum*, v. 10—12. *sessio a dextris*. v. 13. s. Videamus singula.

v. 2. ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων, *quem posuit heredem omnium* rerum) Convenienter statim sub Filii nomen memoratur *hereditas*. et hunc revera heredem posuit, antequam secula faceret Deus: Eph. 3, 11. Prov. 8, 22. seq. proinde in textu factura seculorum subsequitur. Filius, est primogenitus: Heres, heres oecumenicus. v. 6. — δι' οὗ καὶ ἐποίησε τοὺς αἰῶνας) Hic antiquus verborum ordo: *per quem etiam fecit secula*. Emphasis particulae καὶ *et* cadit super verbum *fecit*, hoc sensu: Filium non solum definiit heredem rerum omnium, ante creationem; sed *etiam fecit* per eum secula. [1]) Particula διὰ *per* nil adimit majestati Filii. De re vide versum 10. et de particula confer cap. 2, 10. Per Filium fecit *secula* et omnia in iis decurrentia. c. 11, 3. Ergo ante secula omnia erat Filius: et gloria ejus patet antrorsum et retrorsum, quanquam extremis demum diebus in Eo locutus est nobis Deus. Summam quidem salutem eo pacto in extremos hosce dies contulit.

v. 3. ὅς — ὑψηλοῖς, *qui — excelsis*) Tertium de gloriosis illis praedicatis est, *consedit in dextra Majestatis in excelsis*. Huic autem praedicato rursum tria interseruntur momenta, per tria participia. Ea momenta eodem ordine memorat *Paulus* Col. 1, 15. 17. 20. Primum participium, et item secundum, ex aoristo verbi finiti ἐκάθισεν, *consedit*, habent vim imperfecti temporis, et resolvuntur in *quia*, ὤν, φέρων τε, *quia erat, quia portabat;* (conf. ὢν c. 5, 8.) tertium autem, sine particula τὲ *et*, propius cum eodem verbo finito cohaerens, resolvitur in *postquam*, ποιησάμενος, *postquam fecit*. — ὢν — φέρων τε, *quia erat — et ferebat*) Quam gloriam Filius in exaltatione ad dexteram Patris capessivit, eam nullus angelus capiebat, cepit autem eam Filius: nam eam etiam antea habebat, respectu Dei, cujus *gloria* in eo *refulget*, et respectu rerum *omnium*, quas *portat*. Joh. 6, 62. Ap. 1, 18. — ἀπαύγασμα· *splendor*) Sap. 7, 25. 26. ἀτμὶς γάρ ἐστιν (ἡ σοφία) τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως, καὶ ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος ΔΟΞΗΣ εἰλικρινής. διὰ τοῦτο οὐδὲν μεμιασμένον εἰς αὐτὴν παρεμπίπτει. ΑΠΑΥΓΑΣΜΑ γάρ ἐστι φωτὸς ἀϊδίου, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ. ἀπὸ habet in hoc composito vim intendendi, nil in ἀποστίλβω, ἀποκυέω, ἀποτίκτω, ἀπέγω, non imminuendi. dicit nec minus nec majus, sed propagationem. — τῆς δόξης· *gloriae*) *Gloria* naturam DEI denotat revelatam in fulgore suo: idem quod *sempiterna virtus et divinitas*. Rom. 1, 20. — χαρακτὴρ, *character*) Quicquid habet *Substantia* Patris, id in *Filio* tanquam *charactere* repraesentatur. — ὑποστάσεως· *substantiae*) Si vim hujus verbi a LXX varie, nunquam tamen de DEO, adhibiti, ex illis colligas, hic denotat immobilem vitae et potentiae divinae perennitatem. conf. v. 11. Itaque parallela sunt δόξα *gloria* semper intemerata, Rom. 1, 23. et ὑπόστασις *substantia*, eundem semper quasi locum obtinens. Hac mente videntur Rabbini veteres Deum vocasse מקום *Locum* vel potius *Statum*. — τὰ πάντα, *omnia*) Articulus refertur ad πάντων, *omnium*. v. 2. — τῷ ῥήματι· *verbo*) Filius DEI est persona. nam habet sermonem. — αὐτοῦ) idem quod mox ἑαυτοῦ. — δι' ἑαυτοῦ) *per se*. sine instrumento externo levitico. Haec ejus virtus elucet ex appellationibus modo positis. — καθαρισμὸν, *purificationem*) Latet hic occupatio. Conversatio Christi

---

1) *Itaque* in Vers. germ., *quae postremo loco verbum* genuacht *ponit, pronunciatione compensandum est, quod ordinis facilitati h. l. concessit auctor.* E. B.

Digitized by Google

in carne non videbatur tam augusta de eo ferre praedicata. respondet apostolus, id factum esse ad tempus, pro purgandis peccatis. Gloriam Christi, ita potissimum, ut est Filius DEI, hoc capite describit; deinceps, Gloriam Christi hominis. c. 2, 6. Ipsam gloriam filii DEI, ante exinanitionem, summatim commemorat; post exaltationem, copiosissime. nam ex hac demum evidentissime conspici coepta est Gloria, quam habebat ab aeterno. Et *purgatio peccatorum*, et insecuta *sessio in dextera Majestatis*, uberrime tractantur in cap. 7. seqq. — ἐκάθισεν· *consedit*) voluntate Patris. conf. ἔθηκε, *posuit*. v. 2. De hac sessione vid. v. 13. s. Sacerdotes ministrantes *stabant*. *sessio* igitur notat consummationem sacrificii, et regnum gloriosum. Hoc verbo finito, *consedit*, post participia, denotatur scopus, thema, *caput* epistolae. coll. c. 8, 1. — τῆς μεγαλωσύνης) *majestatis*, i. e. DEI. — ἐν ὑψηλοῖς· *in excelsis*) in coelis. c. 8, 1.

v. 4. τοσούτῳ, *tanto*) Duo incisa hic versus habet, quorum alterum v. 5. per χιασμὸν, prius autem versu 13. tractatur, Interrogatione utrumque acuente. χιασμὸς, σχῆμα χιαστὸν, *decussata oratio*, in hac epistola ita frequens est, ut una hujus figurae observatio plurimum ad analysin epistolae conferat. vid. v. 9. 2, 9. 12. 17. 3, 1. 8. 4, 14. 15. 16. 5, 7. 6, 7. 7, 6. 8, 4. 10. 9, 1. 10, 20. 23. 33. 38. 11, 1. 33. 12, 22. 23. s. 13, 10. cum annott. Dices: *Cur in hac una epistola, per omnia capita, regnat ista figura?* Resp. *Paulum* etiam alibi χιασμὸν habere, ad loca quaedam ex iis, quae modo citavi, ostensum invenias: sed saepius eo utitur ad *Judaeos*, quorum doctores tali sermonis figura in suis scriptis multum uti, docet Surenhusius in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 78. seqq. 607. seq. Sapienter igitur apostolus omnia factus omnibus suam Hebraeis methodum attemperavit: et hi viri, qui a Spiritu ferebantur, omnes sermonum formas, magis, quam rhetores exercitatissimi, in numerato habuere. — κρείττων γενόμενος· *melior factus*) per exaltationem. v. 3. 13. Antitheton, ἠλαττωμένον, *diminutum* c. 2, 9. Conferatur hoc ad Marc. 10, 18. not. κρείττων, *melior*, excellentior, potentior. οἱ κρείττονες, dii, apud veteres ethnicos. — τῶν ἀγγέλων· *angelis*) quorum magna alioqui praestantia. — παρ' αὐτοὺς) παρὰ ingentem praeter ceteros excellentiam denotat. Conf. παρὰ, v. 9. 3, 3. Excluduntur angeli, partim expresse, v. 5. 13. partim implicite. nam dum eorum nullus hoc nomen, *Filius DEI*, cepit, eo ipso non sunt *heredes nominis* hujus, neque adeo *heredes omnium*, sed ipsi sunt portio, insignis quidem, de hereditate Filii, quem ut Dominum *adorant*; v. 6. neque per eos facta sunt *secula*, sed ipsi potius facti sunt. v. 7. — κεκληρονόμηκεν ὄνομα· *hereditavit nomen*) Filio, quia Filius est, Filii *nomen* convenit: et in hoc praecipue nomine consistit *hereditas*: hereditatis additamentum sunt *omnia*. v. 2. *Nominis hereditas* est ipsis antiquior seculis: *Omnium hereditas* aeque antiqua est, atque omnia ipsa.

v. 5. τίνι γὰρ, *cui enim*) Frequens in hac epistola argumentum a silentio Scripturae. v. 13. c. 2, 16. 7, 3. 14. — τῶν ἀγγέλων· *angelorum*) Hanc enim gloriam nemo illorum capiebat. — υἱὸς, *filius*) Act. 13, 33. — ἐγὼ — υἱὸν) Sic LXX, 2 Sam. 7, 14. Promissio illa, *Ego ero illi in patrem, et ille erit mihi in filium*, spectabat, Salomonem, sed multo magis, usque adeo augusta est, Messiam: alias etiam Salomo esset major angelis. *Semen Davidis*, sive *filius Davidis*, est unum nomen, sub quo, pro ratione praedicati, modo Salomon, modo Christus, modo Salomon et magis Christus innuitur, aenigmate temporibus exspectationis aptissimo. Conf. Ps. 89, 27. 28. Veri interpretes verborum divinorum sunt apostoli; etiamsi nos sine illis talem sententiam non assequeremur.

v. 6. ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην· *cum vero iterum introducit primogenitum in orbem terrae*) Ad ὅταν *cum* confer ὅταν Jac. 1, 2. cum aor. 2. subj. Particula δὲ *vero* innuit, majus quiddam subsequi. Non modo major est angelis Filius, sed ab angelis adoratur. ἡ οἰκουμένη est orbis

Christo subjectus, cap. 2, 5. tanquam primogenito. Vide Psalmum modo citatum et mox citandum. Haec introductio plus quiddam dicit, quam *missio:* utraque tamen praesupponit τὴν προὔπαρξιν *Esse prius* Filii DEI: respondetque illi introitus in mundum. c. 10, 5. Intravit, voluntate DEI, quum se ad voluntatem DEI faciendam stitit, c. 10, 5. coll. c. 9, 11. quum *in mundum venit*, ut passim dicitur. Πάλιν, *rursum,* vulgari voculae *item* respondens, adhibetur, ubi scriptura super scripturam allegatur: v. 5. c. 2, 13. 10, 30. Ceterum vis particulae hujus cernitur liquidius, ubi ea, verbo *inquam* aut alio ejusmodi subaudito, parenthesi includitur, hoc modo: *quum vero* (*rursus* dictum DEI de Filio proferam) *introducit Primogenitum.* Sic Joh. 12, 39.: *Non poterant credere, quia* (*rursus* Esajam allegabo) *idem propheta dixit, Excoecavit.* Matth. 5, 33.: *Audistis* (*rursus* Exemplum proponam) *dictum esse antiquis.* Etenim allegandi formulae orationi liberius interponuntur, ut cap. 8, 5.: ὅρα γάρ φησι, pro *Dicit enim, Vide.*

Primogeniti appellatio includit appellationem *Filii,* et vim significationis amplius declarat. Involvit enim jura *primogenituae,* quae unigenitus habet modo eminentissimo. Sic etiam Rom. 8, 29. Col. 1, 15. 18., *Paulus* loquitur. Hoc loco, *Primogeniti* appellatio continet descriptionem subjecti, de quo Psalmus agit, cum aetiologia praedicati. *Introducitur: est enim primogenitus.* — λέγει· *dicit*) Concisa oratio. Quum praedicta est introductio illa, datus est sermo: quum facta est, idem impletus est. *dicit*, DEUS, coll. v. 5. Itaque τὸ αὐτῷ, *ei,* mox refertur ad filium. — καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ, *et adorent eum omnes angeli DEI*) LXX, Deut. 32. ante versum 43. haec habent: εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ, καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ. quae in textu Hebraico et in paraphrasi Chaldaica desiderantur. Millius hiatum, recurrente verbo הרנינו pridem admissum statuit. Inde sequitur apud Mosen, εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ הרנינו גוים עמו (ubi ב post מ ἐλλείπει) quod *Paulus* Rom. 15, 10. item ad Messiae tempora refert. Moses, in Cantico praesertim, de Christo scripsit. Veruntamen Psalmus 47, 7. habet, προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ. atque hunc Psalmum Paulus respicit. nam inscriptioni Psalmi apud LXX, τῷ δαβὶδ, ὅτε ἡ γῆ αὐτοῦ κατίσταται, id est, *Davidis, quum terra in potestatem ejus redigitur,* ut Oederus observavit, Primogeniti *in orbem introductio* h. l. respondet.

v. 7. πρὸς, *ad*) *ad angelos*, indirecto sermone, conf. πρὸς, *ad,* c. 11, 18. not. Apostolus etiam versum 20. Psalmi 103. videtur in mente habuisse, qui proxime praecedit locum Ps. 104, 4. — λέγει· *dicit*) DEUS, per prophetam. — ὁ ποιῶν — φλόγα) LXX, totidem literis Ps. 104, 4. Πνεύματα *spiritus* et πυρὸς φλόγα *ignis flammam* innuit non modo officium angelorum, sed ipsam eorum naturam, praestantem illam quidem, metaphora a rebus subtilissimis et efficacissimis sumta, sed tamen majestate Filii longissime inferiorem. Itaque τὸ ποιῶν *faciens* innuit, angelos esse creaturas jussu factas: at Filius est aeternus, v. 8. et creator, v. 10. Subjectum, ἄγγελοι *angeli,* et λειτουργοὶ *ministri,* cum articulo videlicet positum, habet antitheton v. 8. 9. Antitheton autem τοῦ ποιῶν, *faciens,* creationem angelorum innuentis, extat v. 10. s. Patris esse hoc praedicatum existimo, coll. v. 8.

v. 8. πρὸς τὸν υἱὸν, *ad Filium*) directo sermone. Conf. πρὸς, *ad,* v. 7. — ὁ θρόνος — μετόχους σου) Sic iterum plane LXX, Ps. 45, 7. 8. *Thronus tuus, DEUS, in seculum seculi: virga aequitatis virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te DEUS, DEUS tuus, oleo exultationis prae participibus tuis.* De *Throno* conf. Thren. 5, 19. [*Regimen super omnia innuitur.* V. g.] — ὁ θεὸς, *Deus*) Summam emphasin habet vocandi casus cum articulo. Apertam textui vim inferunt, qui Nominativum hoc loco statuunt, ut Artemonius Part. II. c. 2. *Thronus* et *Sceptrum* junguntur: neque dixit Deus, *Ero thronus tuus;* sed, *firmabo thronum filii David.* Ps. 89, 5. 30. 37. — αἰῶνα· εὐθύτητος· *seculum: aequitatis*) *Aeternitas* et *justitia,* attributa valde

conjuncta. Ps. 89, 15. ubi expendantur verba קדמו et מכון. Vide etiam v. 3. Psalmi hujus 45., ubi expendatur לעולם.

v. 9. διὰ τοῦτο· *propterea*) Ex amore justitiae, quo Christus excellit, deducitur hic non tam unctio, quam muneris, ad quod unctus est, perennitas. Habet hic sermo quatuor partes: *thronus — virga — dilexisti — propterea.* ex his prima et quarta, secunda et tertia sunt parallelae, per χιασμόν· illae enim describunt beatitudinem Regis; hae, virtutem ejus. — ὁ θεὸς, ὁ θεός σου) Possis resolvere: *Deus, qui Deus tuus est.* coll. Ps. 43, 4. 67, 7. Sed Filius ipse dicitur *DEUS,* uti versu praec. — ἔλαιον ἀγαλλιάσεως) *Oleum exultationis* gaudiique perennis est Spiritus sanctus. — παρὰ τοὺς μετόχους σου· *prae consortibus tuis*) Hi consortes alicui videri possint Angeli. nam et angelis nomen *deorum, filiorum Dei, stellarum matutinarum* (quamvis longe tenuiore significatu) et Filio DEI nomen *Angeli* (quamvis longe augustiore vi) dari solet. Ac revera Filius DEI habet sodales angelos, Gen. 18, 2. Job 33, 23. Ps. 68, 18. 1 Tim. 3, 16. Matth. 25, 31.: et videri potuerat angelos potius, quam semen Abrahae assumturus fuisse, nisi alia oeconomia aliud postulavisset: c. 2, 16. ipsaque privatio illa, de qua ibidem v. 7. praesupponit commercium. Quid? ipse Psalmus 45. Christum alloquitur ut *Deum*, hoc ipso hemistichio, et paulo ante ut גבור *Fortem*, quomodo rursum appellantur angeli, Ps. 103, 20. Ergo angeli possint videri consortes Christi appellari, praesertim cum Paulus omnia Dicta hic allegata ad eminentiam Christi prae angelis referat. Veruntamen propria Christi cum hominibus necessitudo facit, ut sodales ejus intelligamus *homines.* cap. 2, 11 seqq. Nam Sponsus consortes suos habet, ut Sponsa suas: Ps. 45, 15. eademque comparatio est ibid. v. 3. *perpulcher es prae filiis HOMINUM.*

v. 10. καὶ, *et*) Haec particula testimonia connectit. — σὺ κατ' ἀρχὰς — οὐκ ἐκλείψουσι) Ps. 102, 26—28. LXX, κατ' ἀρχὰς σὺ, κύριε, τὴν γῆν, et reliqua iisdem verbis. Innuitur tempus creationis, cui opponitur finis mundi. quo ipso solvitur Artemonii Dissertatio III. — σὺ, *tu*) idem ille, ad quem sermo dirigitur versu praec. — Κύριε, *Domine*) Id LXX repetiere ex v. 23. ejusdem Psalmi. Praedicatur Christus etiam iis in locis, ubi inprimis contenderent multi, de Patre esse sermonem. — γῆν, *terram:* οὐρανοὶ, *coeli*) Gradatio. Nil obstat, quo minus sub *coelis* angeli innuantur, quemadmodum creatio hominis innuitur sub *terra* praetereunte.

v. 11. αὐτοὶ, *ipsi*) terra et coelum. — ἀπολοῦνται· *peribunt*) Idem verbum Luc. 5, 37. Jac. 1, 11. 1 Petr. 1, 7. 2 Petr. 3, 6.

v. 12. ἀλλάξεις· *mutabis* — ἀλλαγήσονται· *mutabuntur*) Multi, ἑλίξεις, pro ἀλλάξεις· sed in Hebraeo bis unum verbum est חלף, a LXX saepe per ἀλλάσσω, nunquam per ἑλίσσω expressum. [1]) — ὁ αὐτός) הוא *Idem*, nunquam alius, sine ulla vetustate et immutatione. Vid. Hiller. Onom. pag. 71. 262. Sic 1 Sam. 2, 10. יהוה LXX Αὐτός.

v. 13. δὲ, *vero*) Epitasis.

v. 14. πάντες, *omnes*) quanquam in varios ordines variis nominibus, etiam *dominationem* aliquam sonantibus, distincti. Eph. 1, 21. — λειτουργικὰ — ἀποστελλόμενα· *qui ministrant — qui mittuntur*) *Ministrant* coram Deo: [*laudationibus vacantes,* V. g.] *mittuntur*, foras, ad homines. [*DEI mandata executuri de*

---

1) *Notandum tamen, quod margo* Ed. 2. (*ab* Ed. maj. *abludens*) *lectioni* ἀλλάξεις non majus *jam pretium constituit, quam lectioni* ἑλίξεις. *Congruit, quod in* Vers. germ. *legitur* umwenden. Posteriores *itaque* Bengelii cogitationes *non refutantur, sed confirmantur ista crisi, quam exhibet cel.* D. Ernestii, *Bibl. th. T. VI. p.* 6. *Ceterum idem Eruditus,* l. c. *T. V. pag.* 216. *monet, et* ἑλίξεις *et* ἀλλάξεις *in sermone graeco hebraizante idem esse, quod* abolebis, ad nihilum rediges. *Considerent, qui possunt.* E. B.

Digitized by Google

aliis rebus creatis, V. g.] Utrumque opponitur *sessioni ad dextram*. Conf. Luc. 1, 19. — τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν· *eos, qui hereditatem capient*) i. e. electos, eosque vel credentes vel credituros. Suavis periphrasis. — σωτηρίαν· *salutem*) ex tot tantisque periculis.

CAPUT II.

v. 1. Δεῖ) Alibi utitur verbo ὀφείλειν *debere:* hic, δεῖ *oportet*. Illud dicit *obligationem:* hoc, *urgens periculum*. v. 3. Jam sermo vergit ad hortationem, per momenta capiti praecedenti respondentia, de Christo propheta, rege, sacerdote: *propheta*, dicitur enim, *locutus est: rege*, dicitur enim, *thronus: sacerdote*, dicitur enim, *purificationem fecit*. et sic cap. 2. de *propheta*, mox v. 1. ss. de *rege*, *coronasti:* de *sacerdote*, ubique. Hortatio incipit in prima persona; deinde in secunda incrementum capit, c. 3, 1. — περισσοτέρως, *abundantius*) Comparativus, proprie. v. seqq. Constr. cum δεῖ *oportet*. — προσέχειν, *attendere*) per obedientiam. coll. v. 2. not. — τοῖς ἀκουσθεῖσι· *iis, quae audita sunt*) Ref. ad c. 1, 1. fin. et conf. infra v. 3. c. 5, 11. Potiores sunt loquendi et audiendi, quam scribendi et legendi partes. — μήποτε παραῤῥυῶμεν) Aoristus 2. passivi, activa significatione, a ῥέω *fluo*, et *fundo*. *ne quando*, inquit, *praeterfluamus*, animo levissimo. conf. Gen. 49, 4. Respexit apostolus τοὺς LXX, Prov. 3, 21. υἱὲ, μὴ παραῤῥυῇς, *ne praelerlabaris, ne dimiseris* ex oculis. ubi etiam v. 20. legitur, νέφη ἐῤῥύη δρόσῳ, activo sensu, et sic passim. Zosimus l. 2., ἡ ῥωμαίων ἀρχὴ ὑπεῤῥύη κατὰ βραχύ· *paulatim defecit*. Greg. ἵνα μὴ ἐξίτηλα τῷ χρόνῳ γένηται τὰ καλὰ καὶ μὴ παραῤῥυῇ. Metaphora hujus verbi frequens. Hesychius, παραῤῥυῶμεν, ἐξολισθῶμεν. Simili verbo exprimitur poena socordium, ἐτάκησαν, Sap. 1, 16. Verbum stat: homo socors praeterfluit.

v. 2. δι᾽ ἀγγέλων· *per angelos*) Διὰ, *per*, proprie sumitur, uti v. seq. collatis *Pauli* verbis Gal. 3, 19. Alias non valeret argumentatio apostoli ab angelis ad Dominum. v. 5. Locutus ergo est *DEUS* Ex. 20, 1. per angelos: [*ita tamen, ut ipsa quoque DEI vox resonaret*. c. 12, 26. V. g.] in N. T. locutus est Deus per Dominum. — ἐγένετο βέβαιος· *factus est firmus*) auctoritate ei per poenas violantium constituta. — πᾶσα) *omnis*, sine acceptione personarum. — παράβασις καὶ παρακοὴ) Παράβασις *transgressio*, committendo mala: παρακοὴ *inobedientia*, omittendo bona. Metonymia abstracti, pro transgrediente et inobediente, qui proprie *mercedem accipit*. Antitheton in concreto, *nos, negligentes*. v. 3. Antitheton in abstracto, προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσι, *attendere iis, quae audita sunt*. Δεῖ habet accusativum cum infinitivo. Inde sententia: *Nos* (Subjectum) *debemus attendere iis, quae audita sunt* (Praedicatum.) Praedicatum hoc habet antithesin in abstracto. — ἔλαβεν· *accepit*) non modo in sanctione, sed etiam in exsecutione.

v. 3. πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα) *quomodo nos effugiemus* mercedem justam et gravem? Sic cap. 12, 25. *Illi non fugerunt: nos non effugiemus*. — σωτηρίας) *salutis*, in *orbe futuro*, cum *gloria* conjunctae. v. 5. 10. nott. *Salutis* vocabulum, quod versu illo 10. repetitur, affine est nomini *Jesu*, quod resonat in Evangelio *salutis*. — ἀρχὴν, *initium*) Antea non erat praedicata salus tanta, tam augusto interprete. — λαλεῖσθαι· *dici*) a baptismo usque ad ascensionem. Act. 1, 2. — διὰ τοῦ κυρίου· *per Dominum*) Augusta appellatio: coll. c. 3, 4. ss. Ps. 110, 1. Non dicit h. l. *per dominum nostrum*. nam etiam *angelorum dominum* innuit, quem ipsi angeli *Dominum* appellant. Luc. 2, 11. Matth. 28, 6. [*Continetur hac appellatione, quicquid* c. 1. *atque deinceps* v. 7—10. *memoratur*. V. g.] Antitheton, *per angelos*. v. 2. Conf. v. 5. seq. — ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων) *ab iis, qui* ex ipso Domino coram *audierant*. *Spectatores* etiam illi

Digitized by Google

fuerant et ministri, Luc. 1, 2. sed *auditum* hoc loco memorat apostolus, convenienter instituto suo. v. 1. s. Respicit apostolus non solum in genere ad historiam evangelicam, sed etiam ad singularia capita, v. gr. de supplicatione in horto. etc. c. 5, 7. not. Ad ecclesias ex gentibus scribens Paulus multa solet de sua vocatione, deque fructibus laboris sui dicere: hic vero ad fratres ex circumcisione scribens, apostolos potissimum citat longo tempore cum Domino versatos. conf. Act. 1, 21. 10, 41. 13, 31. not. atque illos ipsos apostolos tantummodo generatim citat, ut Hebraeos ad solum Dominum redigat. — εἰς ἡμᾶς· *in nos*) Hoc denotat aetatem praesentem illam. — ἐβεβαιώθη· *confirmata est*) non per poenas, sed per charismata. Resp. βέβαιος *firmus*. v. 2.

v. 4. συνεπιμαρτυροῦντος) Decompositum. Christi est, *testari*: DEI est, συνεπιμαρτυρεῖν, *testimonium superaddere*. Idque fecit et in terris ambulante Christo, *signis et prodigiis*, et in coelum sublato, *variis virtutibus*. Act. 2, 22. 33. Id Testimonium totum agit de *Domino* Jesu Christo. Act. 2, 36. 10, 36. 42. Rom. 14, 10. 1 Cor. 12, 3. Phil. 2, 11. Si quis *varias virtutes* etiam ad Christum in terris ambulantem referre velit, non repugno. Me, ni fallor, induxit parallelismus notae sequentis. — ποικίλαις, *variis*) Parallelum, μερισμοῖς *distributionibus*. coll. 1 Cor. 12, 11. — κατὰ τὴν αὐτοῦ θέλησιν· *secundum suam voluntatem*) liberrime, uberrime, clementissime, non pro *arbitrio* accipientium: unde patet, donum esse plane supernaturale. αὐτοῦ, *ipsius* Dei. רצון LXX θέλησις.

v. 5. οὐ γὰρ ἀγγέλοις· *non enim angelis*) Aetiologia, versum 3. ubi *Salutis* et *Domini* appellatio scite inserta est, respiciens, novae periochae inchoandae inservit. Quo major *Salus*, quo gloriosior *Dominus* spernitur, eo gravior est culpa spernentium. Non angelis, de quibus nil in eam sententiam scriptum est, sed homini, hominisve filio, Jesu Christo, et angelos et omnia subordinavit Deus. Plus negotii habuerunt angeli in V. T. sed in N. T. evecta per Christum humana natura angeli sunt conservi nostri. *Plus negotii* dixi εὐλαβῶς. ex antitheto etiam illud cogitari possit, quod in V. T. major angelis reverentia debebatur, quam in N. T., ubi nunc *conservi nostri* sunt. Eo ipso autem, quia *nostri conservi* sunt, intelligitur, eos non esse in N. T. otiosos, sed tantum sub alio respectu agere, quam in V. T. Ut hoc loco angeli opponuntur *Domino*, sic v. 16. opponuntur *fratribus*. Apostolus soli Christo solos homines credentes copulat. — ὑπέταξε, *subordinavit*) Hoc verbum jam repraesentatur ex v. 8. *Subordinavit* Deus. nam ad cap. 1, 1. respicit oratio. — τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν· *orbem terrae futurum*) Una omnium temporum οἰκουμένη *terra* est, c. 1, 6. Itaque οἰκουμένη μέλλουσα *terra futura* dicitur, ut *sol crastinus*, quamvis unus omnium sol dierum est. Hebraice הבא Gracce μέλλουσα. *Orbis* unus est, sub gratia et sub gloria; *futurus* dicitur, non quin jam sit, sed quia olim praedictus. Novitas, quae per Christum in N. T. instituta fuit, tanti aestimatur in Scriptura, ut inde exsistat dichotomia inter tempora V. T., et inter tempora N. T. una cum aeternitate inde pendente. haec, simul sumta, vocantur ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα. Μέλλοντα sunt identidem, ex prospectu V. T. prophetico in Novum Testamentum, Bona in N. T. praesentia, per Christum parta; quae incipiunt, dum orbis futurus ei subjicitur, quum primum gloria et honore coronatus fuit. De *Paulina* hac locutione conf. not. ad Rom. 3, 30. Quanquam etiam pro hujus epistolae tempore *futurus* est suo modo, tum, quum omnia Christo subjecta erunt, etiam mors. 1 Cor. 15, 24. seq. expende *nondum*, v. 8. et ipsam orbis futuri descriptionem, cap. 12, 26. seqq. Late patet nomen *orbis*. vide Psalmum, qui mox citatur. πατὴρ τοῦ ΜΕΛΛΟΝΤΟΣ αἰῶνος, *Pater futuri seculi*, Es. 9, 6. in Graec. et Lat. — περὶ ἧς λαλοῦμεν· *de qua loquimur*) *loquimur*: nos doctores. c. 5, 11. not. Huic versiculo per hoc incisum vis propositionis conciliatur. Propositio autem est: *Omnia subjicientur Jesu Christo.*

Digitized by Google

v. 6. διεμαρτύρατο δέ που τις, *testatus est autem alicubi aliquis*) *aliquis*, scil. *testis*. Non hic locutus est David de se ipso: quare nomen ejus non opus erat poni. Neque subsistendum est in internunciis, sed spectandum verbum DEI, semel *testatum*. Testatus est David in Psalmo 8. ad quem Psalmum hoc caput saepe respicit, etiam a versu 10., ut videbimus. δὲ, *autem*, facit antitheton inter *angelos* et inter eum, cui Psalmus omnia subordinata testatur. — τί ἐστιν — ποδῶν αὐτοῦ) Sic plane LXX, Ps. 8, 5—7. Incisum illud, *et constituisti eum super opera manuum tuarum*, apostolus in sua certe argumentatione non assumit, omnia ex eo, quod in Psalmo praecedit et subsequitur, deducens. Memorantur in inciso illo *opera manuum* DEI, i. e. coelum, luna et stellae (*Sol* abest: vel, quia, ut Abrahamo seminis sui servitus et liberatio, Gen. 15, 12. sic Davidi exinanitio et exaltatio Messiae, *noctu* indicata et ab eo decantata est: quemadmodum etiam sermo Domini ad Jobum noctu fuisse videtur, Job. 38, 7. 31. s. vel, quia Messias in cruce, derelictus, obscurato *sole*, *lunam et stellas vidit*:) at ultra horum durationem manet imperium Christi. — τί ἐστιν ἄνθρωπος) *quid est homo*, ad opera DEI, coelum etc. quid vero ad Deum ipsum? Ita demissior est sermo, quam si diceret: quis sum ego? ἄνθρωπος, *homo*, sine articulo; tanquam unus e multis. אנוש *homo*, παθητὸς, *passionibus et morti addictus*. — ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ, *quod meministi ejus*) Talis status Messiae describitur, in quo a divina recordatione et cura praetermissus videri posset. Unde hoc ipsum, *recordationem* sui, miratur ipse, admiranda humilitate: quanto magis tantam gloriam sibi paratam? Non *aliter* esse poterat: Act. 2, 24. at orat, quasi vix *ita* esse potuerit. — ἢ) *sive*. Tenuius quiddam hoc loco sonat בן אדם *filius hominis*, quam אדם *homo*. — υἱὸς ἀνθρώπου) בן אדם coll. Ps. 49, 3. Iterum sine articulo. — ἐπισκέπτῃ αὐτὸν, *rationem ejus habes*) Incrementum sermonis. nam *memoria* est vel de absente: ἐπισκέπτεσθαι, *invisere*, praesentem curam denotat.

v. 7. βραχύ τι) *perbrevе* tempus. Idem verbum, Luc. 22, 58. — παρ' ἀγγέλους) Psalmo 8, 6. illud ותחסרהו מעט מאלהים hunc habet sensum: *Fecisti filium hominis paulisper minorem esse Deo*, id est, se ipso. Pulcra periphrasis Christophori Corneri: *Christus homo factus sub cruce se humiliavit, et INFRA DEUM se abjecit, cum, quiescente natura divina et vires suas non exserente, ipse Deus et Dominus gloriae crucifixus et mortuus est*. Expos. Psalm. p. 24. Haec est vis Mem praefixi 2 Chron. 15, 16. Es. 52, 14. vid. Nold. Concord. hac partic. §. 21. Ipsum מחסר sequente Mem, Cohel. 4, 8. Alia phrasi *Paulina* dicitur μὴ ὧν ἴσα θεῷ et κενώσας ἑαυτὸν, Phil. 2, 6. 7. not. Interpretationem vero LXX interpretum apostolus suo aptam instituto retinet; nam homonymia hebraicae vocis אלהים naturam significat invisibilem, eoque humana superiorem, sive angelicam sive divinam: et qui praeter angelos minoratus est, utique praeter DEUM minoratus est: *DEI* autem appellationem postliminio quasi supplet capite 3. v. 4. Sic enim solet apostolus verbis LXX interpretum commode uti, et vim Hebraicorum, ubi ad propositum plus faciunt, lectori postliminio propinare. c. 10, 8. 12, 6. nott.

[1]) v. 8. πάντα ὑπέταξας) vid. 1 Cor. 15, 27. et anteced. cum annot. — γὰρ, *enim*) Infert apostolus, *cur* hunc locum *allegarit*: quia videlicet docemur in eo, *Jesum* esse, cui subordinata sunt omnia, adeoque futurus orbis. v. 5. Saepe γὰρ *enim* facit ad *aetiologiam Dicti*. c. 7, 14. 9, 24. Et sic *Paulus*, Rom. 3, 28. — αὐτῷ, αὐτῷ) *ei*, *ei*, de quo loquitur, homini, filio hominis. Id declaratur demum versu 9. medio, de *Jesu*, aptissime dilatum. — τὰ πάντα) τὰ secundo tertioque loco vim habet relativi ad πάντα *omnia* praecedens. Eadem vis articuli, Joh. 19, 5. 7. Gal. 5, 13. 6, 14. — οὐδὲν, *nihil*) ne angelos quidem. v. 5.

---

1) τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου, *opera manuum tuarum*] Solem, lunam, stellas etc. Ps. 8, 4. *V. g.*

cap. 1, 6. — ἀφῆκεν, *reliquit*) in sermone Psalmi, cui eventus rerum partim respondet, partim respondebit. — νῦν δὲ οὔπω, *nunc autem necdum*) Νῦν *nunc* hic servit anthypophorae. nam *tempus* denotatur in οὔπω *nondum*, et hoc construitur cum ὁρῶμεν *videmus*, in antitheto ad *praesens* βλέπομεν, *cernimus*. Subjecta Christo jam sunt plura, quam videmus; et suo tempore prorsus omnia erunt ei subjecta, nobis cernentibus. Eph. 1, 22. 1 Cor. 15, 27. s. sed cur *nondum omnia?* quia et corpus ejus, ecclesia, laborat: et ipse non agnoscitur, certe non conspicitur. Verbum βλέπω *cerno* notat quiddam magis definitum: ὁράω *video*, quiddam latius atque augustius.

v. 9. δὲ, *vero*) Antitheton inter id Psalmi, quod *nondum videmus*, et inter id, quod jam *cernimus* impletum in Jesu. Quid autem cernimus? Jesum, *qui* paululum praeter angelos minoratus erat, cernimus, *quod* propter passionem mortis sit gloria et honore coronatus. In hac periocha, ἠλαττωμένον (διὰ — ἐστεφανωμένον) ὅπως κτλ. est χιασμὸς, qualem habet *Paulus* Gal. 4, 4. 5. atque in praesenti inciso, διὰ κτλ. quod incisum ante δόξῃ nullam στιγμὴν desiderat, id *propter* quod coronatus est Jesus, nempe *passio mortis*, ex naturali ordine rei, nec sine emphasi, ante coronationem ipsam memoratur. Eximit Judaeis apostolus infestum crucis scandalum; et argumentum, quod a passione Jesu contra gloriam ipsius eamque nobis quoque gloriosam duci posset, ita solvit, ut etiam invertat. Passionem mortis adeo non obstare, ostendit, gloriae et honori Messiae, ut eam potius confirmet nobis. Unde infert, minorationem Jesu praeter angelos, quae ad paululum facta fuerit, non eo spectasse, ut in morte maneret, sed ut morte semel exantlata *omne* sibi subordinatum haberet. Jesus est, in quem et minoratio et coronatio in Psalmo descriptae conveniunt: Idem ergo est, cui etiam potestas in *omne*, quae in gradatione Psalmi subsequitur, convenit. — βραχύ τι, *paululum quiddam*) Aliquot horae crucis, dies passionis, anni laborum, quantulum sunt ad aeternitatem? — παρ᾽ ἀγγέλους, *praeter angelos*) pati ac mori nescios. — ἠλαττωμένον) *tenuiorem*, minorem, vermem *factum*. conf. Luc. 22, 43. *Participium* innuit, Jesum per se et sua causa potuisse sine passione capessere gloriam: sed fratrum etiam ducenda fuit ratio. — βλέπομεν, *cernimus*) *Adspectus*, inquit, *loquitur*. Idem verbum c. 3, 19. 10, 25. Res et eventus congruit cum fide testimonii praevii. v. 6. init. — τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, *passionem mortis*) *Mortis* passio, summa. vid. cap. 5, 7. — δόξῃ καὶ τιμῇ, *gloria et honore*) Filium Dei decente. [Gloria *mortem praesupponit: passionem* honor. V. g.] — ἐστεφανωμένον, *coronatum*) post *mortem*. — ὅπως, *ut*) Necti debet cum τῷ *tenuiorem factum*, et ideo finem notat. — χάριτι θεοῦ, *gratia Dei*) Alii pridem χωρὶς θεοῦ, *praeter Deum*. Bonam utraque lectio sententiam fundit: utramque videamus. Incisum hoc, cum χωρὶς, *praeter*, sic habet: *Christus mortem gustavit pro omni, excepto Deo*. Haec periocha est, per partes suas declaranda. I) παντὸς, quemadmodum πάντα v. 8. et 10. quinquies, est neutrum, ut *Orig. Theod. Ambros.* apud Estium agnoscunt. etenim in masculino plurale esse solet, ὑπὲρ πάντων, 2 Cor. 5, 15. 1 Tim. 2, 6. et plurale πάντων, πᾶσι, plerumque masculinum quidem, et interdum neutrum est: sed παντὸς, παντὶ, sine substantivo aut participio positum, semper neutrum est. vide supra ad 2 Cor. 11, 6. Marc. 9, 49. Ostendit Apostolus gloriam Christi ex Psalmo 8., maximeque ex illo inciso, כל *omne posuisti sub pedibus ejus*, atque emphasin numeri *singularis*, quae in grandi illa syllaba כל inest, a LXX int. praetermissam supplet, quum in hoc duntaxat palmario nervo ait, παντός. Neque enim πάντὸς neutrum, sine articulo, non est Graecum: Hesiodo quippe πλέον ἥμισυ παντὸς dicitur. Hoc πᾶν, hoc *omne*, cui οὐδὲν *nihil* neutro item genere opponitur v. 8., et *omnes*, masculino genere, includuntur, Joh. 3, 35. 36., complectitur maxime *angelos*, praeter quos paululum minoratus fuerat Christus: et tali pacto protasis et apodosis in-

Google

ter se respondent, *Nondum videmus ei omnia subjecta, sed tamen id, pro quo mortem gustavit, est Omne.* II) *Gustare mortem,* dicit mortis veritatem, et tamen hoc loco etiam brevitatem, ut *Chrysostomus, Sedulius, Haymo, Flacius* ad h. l. agnoscunt. III) Hinc demum colligitur, quid ὑπὲρ significet, *pro omni:* Germ. *um alles,* non, *für alle.* ὑπὲρ hoc loco denotat rem consequendam, ut Joh. 11, 4. 2 Cor. 1, 6. 12, 8. 19. 2 Thess. 1, 5. *Mortem gustarit pro omni;* ut *omne* sibi vindicaret, ut omnium rerum potestatem capesseret: sive, *pro* eo, ut ipsi obtingeret, quod scriptum est, *OMNE posuisti sub pedes ejus.* IV) Omne illud habet apertissimam et justissimam exceptionem. *Paulus* 1 Cor. 15, 27. eundem Psalmum, eandem voculam כֹּל *omne* tractans, adjicit, δῆλον, ὅτι ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαντος αὐτῷ τὰ πάντα. Eadem igitur exceptio hoc loco ponitur, χωρὶς θεοῦ ὑπὲρ παντός. *omne, praeter Deum, Christo subjectum est.* χωρὶς exceptioni servit. Sic Epiphanius, διὰ παντὸς, χωρὶς πεντηκοστῆς. haeres. LXXV. Thomas Magister: τὸ πλὴν καὶ τὸ ἐκτὸς, τὸ χωρὶς δηλοῦσι. Agnoscit Theodoritus, χωρὶς hoc loco exceptioni inservire: quae autem sit exceptio, ille Psalmi parallelismus nos docet. Atque ipsa exceptio amplitudinem rerum Christo subjectarum, quae sunt *praeter Deum plane omnia,* quam significantissime, et tamen, ne sermo interpelletur, quam brevissime commonstrat: decenterque exceptio ipsi rei, de qua fit exceptio, praemittitur.

Idem incisum, si χάριτι *gratia* retineas, sic explicabis: *ut gratia DEI pro omni gustaret mortem. Gratia DEI,* erga nos, Gal. 2, 21. Rom. 5, 8. et erga ipsum Jesum. Adversarii putabant, Jesum ira DEI esse passum et mortuum, Ps. 22, 8. s. 69, 27. Es. 53, 4. Joh. 19, 7. Sed plane gratia DEI passus est et mortuus, cujus gratiae munus est honor et gloria. Phil. 2, 9. ἐχαρίσατο· Luc. 2, 40. 52. Rom. 5, 15. Atque hoc nomen, χάριτι, idem dicit, quod verba μιμνήσκῃ, ἐπισκέπτῃ, *recordaris, rationem habes.* v. 6. ex Psalmo illo 8. In hac interpretatione ὑπὲρ παντὸς posset valere *pro omnibus,* Germ. *für alle,* quod ad praepositionem attinet: sed obstat neutrum παντός.

Nunc quaeritur, utra lectio genuina sit. Non ignoro, χάριτι plausibilius esse, quam χωρίς. et sine labore ullo a me impetrarem, ut hoc missum facerem, et illud amplecterer. Sed ubi de verbo DEI, ubi de unico DEI verbulo agitur, nil temporis causa statuere debemus. Facilius χωρὶς in χάριτι, quam χάριτι in χωρὶς librariorum sedulitas, planiora omnia quaerens, mutavit: et tamen χωρὶς remanet in monumentis antiquis, multis, gravibus. Ea enumerat *Apparatus* criticus: iis addatur *Anastasii* abbatis, qui seculo VIII. in Palaestina floruit, liber contra Judaeos, diserte hanc lectionem exhibens. Neque lectionem hanc, neque interpretationem hic a nobis propositam, quisquam, ut spero, exagitabit: lectori tamen integrum est, rem amplius expendere. *Syriacorum* exemplarium in utraque lectione conjungenda constantiam declarat La Croze lib. III. de Christianismo Indico, c. 3. §. 64. — γεύσηται, *gustaret*) Notatur hac phrasi *veritas* mortis, ut passim: et hoc loco, ut diximus, simul τὸ βραχὺ *brevitas,* cui notandae aptus est genitivus, θανάτου, coll. c. 6, 4. not. Aliud est, partem mortis gustare; aliud, pars sive brevitas temporis, qua mors tota gustatur. Brevitatis significationi non obstat locus Matth. 16, 28. nam ibi est locutio negativa, uti Luc. 14, 24. Adjuvat autem eam locus Psalmi 34, 9. γεύσασθε καὶ ἴδετε· i. e. *gustate modo, et videbitis.* alias *gustus* non poneretur ante *visum.*

v. 10. ἔπρεπε, *decebat*) Sic Psalm. 8, 2. הוֹדְךָ LXX, ἡ μεγαλοπρέπειά σου. Ceteroqui toto hoc versu 10. Propositio, quae versu 8. 9. verbis ejusdem Psalmi vestita erat, nunc verbis ad apostoli institutum propius accommodatis declaratur: sed cum hac differentia, ut versus 8. 9. expressius agat de *Gloria,* ex antecedentibus; versus 10. de *Passionibus* agat expressius, transitionem ad subsequentia parans. Praedicatum propositionis est, *Decebat illum, propter quem om-*

nia et per quem omnia sunt: subjectum sequitur, *multos filios in gloriam* ἀγαγόντα *ducentem, principem salutis eorum per passiones consummare.* Posset ἀγαγόντα resolvi, ἵνα ἀγαγὼν τελειώσῃ· sed construitur sic, ἀγαγόντα τὸν ἀρχηγόν, ut *primus dux salutis* sit etiam *perducens in gloriam.* ἀρχηγὸς componitur ex ἀρχὴ et ἄγω· et ἀρχὴ prospicit in textu ad τελειῶσαι (coll. cap. 12, 2.) ut ἄγω respicit ad ἀγαγόντα. Itaque complectitur Propositio sententias magnas et multas, quas sic evolveris:

1) Jesus est dux *salutis.*

2) Ut patiendo salutem pararet, necesse fuit.

3) Per passiones est *consummatus.*

4) Cum ea consummatione conjuncta est *gloria* filiorum.

5) Filii sunt *multi.*

6) Totum hoc institutum valde *decebat* Deum, quamvis infidelitas pro *dedecore* habeat.

7) Decebat Deum, ut Jesus pateretur et filios salvaret. nam *propter eum* sunt *omnia.*

8) Decebat Deum, ut Jesus consummaretur, et filii ad gloriam perducerentur. nam *per eum* sunt *omnia.*

Ex his, quatuor momenta, totidem literis notata, servato textus ordine, ponimus

A	II
Gloria filiorum:	dux patiens:
C	D
salus filiorum:	consummatio ducis.

Haec momenta reducuntur ad Deum, *propter quem et per quem omnia* sunt, id est, cui tribuenda sunt omnium rerum initia et exitus. Ad initia rerum pertinet B et C. ad exitus rerum pertinet D et A. Enimvero eadem quatuor momenta per χιασμὸν in textu sunt transposita, ut a fine *A* pulcherrimo ordine progrediatur oratio ad media, quae in *B C D* continentur. — αὐτῷ) *eum,* Deum Patrem: qui memoratur versu 9. et subauditur versu 5. — δι' ὃν, δι' οὗ, *propter quem, per quem*) Subtili et eleganti discrimine *Paulus* praepositiones cumulare solet. — πολλοὺς, *multos*) quam plurimos. unde ἐκκλησία, *coetus.* v. 12. — υἱοὺς, *filios*) Stilo V. T. dicuntur παιδία *pueri*, coll. v. 13. s. not. stilo N. T. υἱοὶ *filii,* quorum status opponitur *servituti*, v. 15.: ut apud *Paulum*, Rom. 8, 15. Gal. 4, 6. Ipse Jesus, Filius: is nos facit *filios* Dei, nos habet *sobolem* suam. ילדים παιδία, *soboles* sunt Synonyma. conf. Ps. 22, 31. Es. 53, 10. — εἰς δόξαν, *in gloriam*) Haec gloria in eo ipso consistit, quod sint filii, et tanquam filii tractentur. Rom. 8, 21. Expende Joh. 17, 10. 22. ac totam illam orationem: et confer v. 7. hujus capitis 2. Proximam inter se significationem habent *gloria* et *sanctitas, ductio in gloriam* et *sanctificatio.* v. 11. — τῆς σωτηρίας αὐτῶν, *salutis eorum*) Hoc ipsum vocabulum praesupponit *perniciem:* ex qua ut educeremur, *patiendum* Christo fuit. *Salutem* excipit δόξα *gloria,* stilo *Pauli*, 2 Tim. 2, 10. not. — τελειῶσαι, *consummare*) Hoc verbo continetur perductio ad finem molestiarum et ad metam gloriae plenam. c. 5, 9. Metaphora agonistica. Frequens enim in hac epistola, τελειοῦσθαι, τέλειος, τελειότης, τελείωσις, τελειωτὴς, de Christo et Christianis. Haec per *passiones consummatio* duo momenta innuit: I) *Gloriam* Christi, quippe cui, *consummato, omnia subordinantur.* II) *Passiones* praegressas. De *passionibus* mox tractat expresse, v. 11—18. quanquam eas etiam in praecedentibus attigit: tractationem de *Gloria* hoc ipso loco praemisit, ad acuendam hortationem suam, et ad praesanandum scandalum passionis et mortis. Uberiorem vero utriusque momenti considerationem intertexit insequenti tractationi de Sacerdotio, quae versu 17. proponitur. Ac de *Passionibus* quidem res

Digitized by Google

aperta est: *Gloriam* vero describit, dum opportunis locis memorat, Jesum *esse consummatum, esse in coelis, altiorem coelis factum, sedere ad dexteram Dei, secundo conspectum iri, hostes ejus positum iri scabellum pedum ejus.* hoc versu, et cap. 4, 14. 5, 9. 7, 26. 28. 8, 1. s. 9, 24. 28. 10, 12. 13. 12, 2.

v. 11. γὰρ, *enim*) Necessitudo summa, causa, cur decuerit, Jesum non sine nobis *consummari.* — ὁ ἁγιάζων, *sanctificans*) Christus. c. 13, 12. *Sanctificans* dicitur Christus propter totum illud beneficium, quod ipse per sese nos *sanctos,* i. e. *divinos,* facit. — οἱ ἁγιαζόμενοι, *qui sanctificantur*) populus. c. 10, 10. 14. 29. Synonyma, *sanctificare, ad DEUM adducere; sanctificari, ad DEUM adduci, appropinquare, accedere. Sanctificans* est a Patre genitus et Sanctificator constitutus: *qui sanctificantur,* a DEO creati, et ad sanctificationem accipiendam constituti. conf. ἔδωκεν, *dedit,* v. 13. Haec origo fraternitatis et communionis cum sanguine et carne. — ἐξ ἑνὸς, *ex uno*) εἷς *unus* ille est Abraham: uti Malach. 2, 15. Es. 51, 2. Ez. 33, 24. Ex uno Adam, omnes homines: ex uno Abraham, omnes Abrahamidae. Toto hoc loco, ad Abrahamidas scribens, Paulus ad eos sermonem seorsum accommodat, v. 16. 17. c. 13, 12. quemadmodum etiam Psalmo 22., qui hic citatur v. 12., sermo est de Israële, v. 23. ss. de gentibus autem, v. 26—32. ac tota deinceps de sacerdotio deque sacrificiis tractatio praecipue ad Hebraeorum captum congruit. Quocirca multum haec aliquando epistola ad *Israëlis* salutem conferre poterit. Si *unus* hic Deum innueret, angeli includendi essent, qui removentur versu 16. — πάντες, *omnes*) Constr. cum ἁγιαζόμενοι *qui sanctificantur.* nam dicit, πάντες, *omnes, utrosque* dicturus, si *sanctificantem* τῷ πάντες *omnes* includeret. — οὐκ ἐπαισχύνεται) *non erubescit,* quum extra hanc *causam,* (quod *ex Abrahamo* sunt, qui non ut peccator, ut salutis indigus, sed ut stirps communis, ut is qui promissionem acceperat, consideratur:) multa fuissent, cur eum puderet. nam minime sancti et valde sontes v. 14. s. fueramus. tamen non erubescit: imo propter sanctitatem illam et gloriam, in quam nos duxit, gloriosum sibi ducit. Tales *filios* restitutos habere, Deum *decet:* tales *fratres non erubescit* Christus. conf. *non erubescit,* c. 11, 16. not. — καλεῖν) *appellare,* appellando declarare.

v. 12. λέγων, *dicens*) Tria hic sunt allegata V. T. quibus praecedens sermo apostoli egregie confirmatur, per χιασμὸν, ordine retrogrado. Namque

apostolus memorat	Christus in dictis V. T. ait:
v. 10., *filios:*	v. 13. fin. *ego et nati.*
ibid. *consummationem* per passiones:	v. 13. init. *confisus ero:*
v. 11., *necessitudinem* ejus, qui sanctificat, et eorum, qui sanctificantur:	v. 12. *fratribus meis:*

Ac rursum v. 14—17. ordine inverso memorantur *nati,* et res a Christo *bene* gesta, et *fratres.* Duae catenae allegationum, c. 1. de Gloria Christi, et c. 2. de Redemtione, suavissime inter se respondent. — ἀπαγγελῶ — ὑμνήσω σε) Ps. 22, 23. LXX, διηγήσομαι· cetera, iisdem verbis. *Nomen* Domini boni, fratribus ignotum, Messias praedicat, ut fratres quoque laudent illum. Ps. cit. v. 24. — ὑμνήσω, *canam*) tanquam dux chori. conf. Psalm. 8, 3.

v. 13. ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ᾽ αὐτῷ, *ego ero fidens in eo*) LXX, καὶ πεποιθὼς ἔσομαι ἐπ᾽ αὐτῷ· apud Esajam proxime ante locum ex c. 8. citandum mox. πεποιθὼς ἔσομαι ἐπ᾽ αὐτῷ 2 Sam. 22, 3. quod ecclesia imitatur Es. 12, 2. Innuitur filialis fiducia Messiae ex *passionibus* ad Patrem confugientis. [*et nequaquam frustrati, coll.* v. 10. fin. V. g.] c. 5, 7. coll. 2 Sam. cap. cit. v. 4. seqq. Particula allegatur; periocha tota innuitur ab apostolo. Recte reprehendunt Theologi nostri scholasticos, negantes, satisfactionem Christi ex se et simpliciter condignam esse. vid. Calov. mataeol. pap. in Dedic. Sed tamen hujus satisfactionis

ed by Google

fragrantissima pars est fiducia purissima, qua fiducia unice nixus ipse est in accessu ad Patrem. Ps. 22, 10. Matth. 27, 43. neque enim sua merita ostendit, quin peccata potius in se conjecta confessus est. Ps. 69, 6. Ut igitur ille per sese fide in Patrem nixus est; sic nos fide in Christum, et per Christum in Patrem nitimur. Gravissimum argumentum contra humana operum merita. Hac autem fiducia Christus est usus non pro se; nam ipse et Pater unum sunt: sed pro suis. v. 16. Praesens quodque auxilium dabat *fiduciam* de auxilio futuro, (conf. Phil. 1, 6.) usque ad plenam ex morte et diabolo victoriam. — ἰδοὺ — ὁ θεὸς) Es. 8, 18. LXX, iisdem verbis. παιδία ילדים *natos* vocat, decente *Primogenitum* sermone, qui eosdem et *fratres* et *minores* innuit: atque hos omnes Deo, qui eos ipsi *dederat salvandos*, juxta secum *glorificandos sistit*.

v. 14. ἐπεὶ οὖν τὰ παιδία, *quia ergo pueri*) τὰ παιδία *pueri* h. l. non est nomen aetatis naturalis; sed deducitur ex v. 13. Messias non commode choro puerorum naturalium hic ingeritur. loquitur de filiis suis spiritualibus. οὖν *igitur* infert ex v. 10. seqq. — κεκοινώνηκεν αἵματος καὶ σαρκὸς, *communionem inter se habuere sanguinis et carnis*) Praeteritum, respectu majoris partis, quae jam vixerat tempore testimonii in Psalmo editi. In psalmo *fratres*; in Esaja, *natos* memorat: pro eo tempore, cum David et Esajas prophetarent, jam multi *fratrum* et *natorum* vivebant et vixerant, quos reconciliaturus erat. Hi non excluduntur, sed includuntur. κοινωνέω cum genitivo, Prov. 1, 11., ubi etiam v. 18. μετέχω eadem vi ponitur. κοινωνήσας ὁδοῦ, Job. 34, 8. Hoc tamen loco elegans est verborum commutatio, ut μετέσχε dicat similitudinem unius ac ceteros: κοινωνεῖν multorum inter se. σὰρξ καὶ αἷμα dicitur interdum per metonymiam pro homine, Gal. 1, 16.: sed hoc loco magis proprie sumitur in abstracto, ut 1 Cor. 15, 50. quanquam illo Pauli ad Corinthios loco σὰρξ καὶ αἷμα vetustatem corruptae naturae connotat. Alias, ut modo vidimus, dicitur σὰρξ καὶ αἷμα, potiore parte, *carne*, quae etiam sola interdum nominatur, praeposita: hic αἷμα καὶ σὰρξ (quanquam nonnulli voces trajecere) perinde ut Eph. 6, 12., πρὸς αἷμα καὶ σάρκα. Utrum promiscua sit locutio, an αἷμα aliquando certa de causa (quae ex Physicis hoc loco peti queat) praeponatur, non ausim definire. Etiamsi ad talia non descendat commentatio mea, tamen nimis curiosae subtilitatis notam apud generosos verborum coelestium libripendes aegre effugit. — αὐτὸς) Suaviter subsequitur, τῶν αὐτῶν. — παραπλησίως, *similiter*) παρὰ in παραπλήσιος interdum, ut Latinum *sub*, minuit significationem compositi, perinde ut in πάρεγγυς. Hoc autem loco idem fere est, atque mox κατὰ πάντα *per omnia*, v. 17. c. 4, 15. Itaque παραπλησίως *similiter* apostolo hanc tractationem ingredienti inservit ad εὐλάβειαν, ut gradatim eloquatur, quod sentit: conf. Phil. 2, 27. not. eoque commodior est particula minus significans, quia hic nondum additur, *sine peccato*. Manet igitur *veritas participationis*, quae asseritur apud Raphelium in annot. ex Herodoto. — τῶν αὐτῶν) Non est hoc merum relativum, ut articulus ostendit. τὰ αὐτὰ, *eadem*, quae fratribus accidunt, sanguine et carne laborantibus, ne *morte* quidem excepta. — ἵνα, *ut*) Hic res breviter notatur: uberius declaratur c. 5, 7. 8. 9. Utrumque locum, c. 5. et 2., seria meditatione invicem contulisse juverit, donec perspicias, quomodo uterque in elogium *sacerdotis magni* terminetur. — διὰ τοῦ θανάτου, *per mortem*) Paradoxon. Jesus mortem passus, vicit: diabolus mortem vibrans, succubuit. Vicissim Jesus per suam carnem et sanguinem vitam nobis impartit. Joh. 6. Assumsit, ut traderetur corpus et effunderetur sanguis. Ergo praecipue spectatur traditio et effusio. Joh. 6, 51. — καταργήσῃ, *destruerel*) Hoc infertur ex verbo ὑπέταξας, *subordinasti*. v. 8. coll. 1 Cor. 15, 27. cum anteced. ubi *Paulus* iisdem synonymis utitur καταργεῖν, ὑποτάσσειν. Sic Ps. 8. v. 3. להשבית τοῦ καταλῦσαι *ad reprimendum hostem et ultorem*. — τὸ κράτος, *robur*) magnum sane. Matth. 12, 26. 29. — ἔχοντα) *habentem*,

jure quodam, quatenus scilicet captivis nulla fiebat injuria: conf. צדיק Es. 49, 24., ubi videtur dici non *justus* moraliter, sed *potens* tyrannus, diabolus, qui ἐξουσίαν *potestatem* in captivos habebat: Col. 1, 13. 2 Petr. 2, 19. fin. quanquam hoc loco *robur*, restricte, non *potestas* dicitur. Diaboli, tanquam improbi Domini, lictor et minister erat mors, tradens ei homines, quos in peccato auferebat. sed Jesus, moriens, morientes, fecit suos. Rom. 14, 9. — τοῦ θανάτου, *mortis*) per peccatum. — τουτέστι, *id est*) *Robur* erat manifestum: quis subesset, mortales fugiebat.

v. 15. ἀπαλλάξῃ) *liberaret*, a diabolo vim mortis habente. — τούτους, *hos*) Demonstrativum, cum relatione ad antecedentia. — φόβῳ) *timore*, etiam antequam ipsum robur experirentur. id enim sequebatur. de timore conf. c. 12, 19. s. Ex. 19, 21. s. 2 Sam. 6, 9. — θανάτου, *mortis*) Mortes repentinae sub Mose et postea etiam incautis transgressoribus inflictae sunt. — διὰ παντὸς, *per omnem*) Antitheton, *paululum* v. 9. Multae aetates, et aliae post alias, sunt *fratrum*. — τοῦ ζῆν, *vitam*) Vita illa non erat vita. — δουλείας, *servituli*) Antitheton, *filios in gloriam*. Idem antitheton tractat *Paulus* Rom. 8, 15. s. Politici libertatem describunt, τὸ ζῆν, ὡς βούλεταί τις, *suo vivere arbitratu: servitutem* τὸ ζῆν μὴ ὡς βούλεται, *non suo vivere arbitratu*.

v. 16. δήπου) Particula morata στοχασμὸν sonans, sed οὐκ adjuncto βεβαίωσιν alens. totus versiculus miram declarandi vim habet. conf. πρόδηλον, c. 7, 14. Non angelos; *nos* igitur. nil est tertium. — ἀγγέλων, *angelos*) sine articulo. Id est, non sunt angeli, carnis et mortis expertes, quos apprehendit. — ἐπιλαμβάνεται) *apprehendit* Christus, sive *assumit*, in dictis citatis; opem laturus, liberaturus. v. 15. 10. s. Idem verbum c. 8, 9. Matth. 14, 31. Si sermo esset de incarnatione ipsa Filii DEI, in antitheto esset singularis numerus, ἀγγέλου *angelum*, angelicamve naturam: nunc quum ἀγγέλων *angelos* dicitur in plurali, etiam σπέρματος *semen* accipitur ut collectivum. — σπέρματος ἀβραὰμ, *semen Abrahae*) Sic appellat totum genus humanum, sed per synecdochen: quia respicitur Genesis, et ibi Abrahae data promissio, quae promissio praecipue ad Abramidas pertinuit. et ex Abrahae progenie natus est Christus. accedit, quod hic ad Abrahamidas scribitur, neque commodum erat dicere, σπέρματος ἀδὰμ, *semen Adami*: quia opponuntur Adamus primus et secundus. Nec tamen gentes excluduntur. non enim his, sed angelis opponitur semen Abrahae; et omnes fideles sunt semen Abrahae. [*Vid.* v. 10., *de* coetu magno; *coll.* Ps. 22, 23. 26. 28. V. g.] Praetermissionem articuli apud σπέρματος arbitror respondere statui constructo Hebraico. Non tam gentes includeret, quam Judaeos carnales excluderet praetermissio articuli.

v. 17. ὅθεν) Particula ὅθεν sexies in hac epistola occurrit; in epistolis *Pauli* nomine insignitis nunquam; sed tamen in sermone Pauli Act. 26, 19. — ὤφειλε, *debebat*) Grande verbum. c. 5, 3. *debebat*, ex necessitudine consanguinitatis, et quia in V. T. receperat. v. 12. 13. Incrementum fiduciae in loquendo, coll. v. 11., *non erubescit*. — κατὰ πάντα, *per omnia*) per omnes passiones et tentationes. — τοῖς ἀδελφοῖς, *fratribus*) v. 11. — ὁμοιωθῆναι, *similis fieri*) Anakephalaeosis haec est eorum, quae antecedunt. Statim additur summa eorum, quae sequuntur. — ἵνα, *ut*) Ter attingit apostolus summum sacerdotium, dum ad plenam tractationem cap. 7. accedit. Attingit autem per tres gradus. I. *UT misericors FIERET* et fidelis *archisacerdos*, debuit fratribus assimilari, h. l. II. *APPELLATUS est Sacerdos summus*, in ipsa consummatione. c. 5, 10. III. Summus Sacerdos *FACTUS* est, ingrediens ad id, quod intra velum est: cap. 6, 20. quo introitu semel facto semper faciei divinae pro nobis ut sacerdos obversatur. c. 9, 24. — ἐλεήμων, *misericors*) Hoc quoque, ut πιστὸς, *fidelis*, construitur cum ἀρχιερεὺς *pontifex*. c. 4, 15. 5, 2. *Misericors* est factus erga *populum* peccatis

laborantem: πιστὸς *fidelis*, quod ad *DEUM* attinet. χιασμὸς hic locum habet. *Sacerdos* et *princeps Sacerdos* est, qui jus habet accedendi et adducendi ad DEUM. τὸ πιστὸς, *fidelis*, tractatur c. 3, 2. seqq. addito usu: τὸ ἐλεήμων, *misericors*, c. 4, 14. seqq. usu item addito: τὸ ἀρχιερεὺς, *pontifex*, c. 5, 4. s. 7, 1. s. addito usu a c. 10, 19. Similima propositio multarum rerum, Rom. 1, 16. not. De tribus hisce momentis unum, ἐλεήμων *misericors*, ante γένηται *fierit* ponitur, quia ex ante dictis deducitur. Reliqua duo commode innectuntur, quia cum primo illo postmodum tractanda veniunt. Eleganter autem in hac propositione magis absolute sonat *misericors* et conjunctim *fidelis archisacerdos*, quia vicissim tractatio subsequens *fidelitatem* citra *sacerdotium*, in Mose, et *misericordiam* cum *sacerdotio*, in Aarone spectat. Primum *misericors* est Jesus. Nemo putet, Jesum ante passionem habuisse plus misericordiae, et nunc plus severitatis. Effugiamus modo iram Agni etiamnum futuram. — ἀρχιερεὺς) *Pontifex* Latinis dicebatur sacerdos ex eo, quod *pontem* Romae, vel sacra in *ponte faceret*: ac *pontifex*, ἱερεὺς vel unicus vel gregarius; ἀρχιερεὺς vero *pontifex maximus*, supra alios, quibus praeest, eminens. In Evangelistis et Actis, ubi frequens judaicorum ἀρχιερέων mentio, neminem, ut arbitror, offendet usitatum interpreti Vulgato ceterisque *pontificis* vocabulum: sed in hac epistola, maxime ubi de Christo agitur, nescio an id Pauli stilo aeque, ac Numae institutis, aptum sit. Invitus eo certe utitur Seb. Schmidius, et subinde dicit *princeps sacerdos*: sed praestat unum vocabulum, praesertim ubi alia epitheta accedunt, ut hoc loco *misericors et fidelis*: neque enim c. 4, 14. commode dixeris *pontificem maximum magnum*. Oportunissimum vocabulum, *archisacerdos*: quod ab eruditis pridem est adhibitum, et aeque bene sonat, atque *archigubernus* apud Jabolenum, et apud alios *archiflamen*, *archipraesul*, *archipontifex*, et alia, quae notat Vossius de vitiis Latini sermonis p. 371., et alii. Quod ad rem attinet, mox gloriosus hicce *summi sacerdotis* titulus recurrit cap. 3, 1. Nusquam autem nisi in Psalmo 110., et Zach. 6, 13., et in hac Epistola Christus expresse appellatur *Sacerdos*: et in hac unice epistola de Sacerdotio Christi ex professo agitur. Unde patet, quam singularis in suo genere, quamque necessarius hic Novi Testamenti sit liber. Omnibus tamen hisce, etiam Veteris Testamenti, locis additur *regni* mentio: quod saepius alibi sine sacerdotio memoratur. Etiam in cruce, in qua hic Sacerdos sacrificium peregit, titulus *Regis* erat. Sacerdotium juxta cum regno huic Primogenito competit. — τὰ πρὸς τὸν θεὸν, *ad Deum*) Sic c. 5, 1. — εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι) *ad expiandum*. — τὰς ἁμαρτίας, *peccata*) mortem et metum ejus afferentia. — τοῦ λαοῦ, *populi*) *populi*, quem dixit *semen Abrahae*. v. 16. Ipse peccatum non norat: *populi* peccata expiavit. Es. 53, 8.

v. 18. ἐν ᾧ, *in quo*) Hoc instar adverbii. Rom. 2, 1. — δύναται, *potest*) De hac animi potentia agitur c. 4, 15. 5, 2. — βοηθῆσαι, *opitulari*) Hinc infert Paulus βοήθειαν *opem*, c. 4, 16.

CAPUT III.

v. 1. Ὅθεν, *unde*) Urgens particula. Ex iis ipsis, quae dicta sunt capite 2., fluere debet *consideratio*. — ἀδελφοὶ, *fratres*) Nunc primum eos appellat, ad quos scribit. Et *fratrum* titulus *sanctitatem* habet ex cap. 2, 11. — ἅγιοι, *sancti*) Habet hic versus χιασμόν. — κλήσεως ἐπουρανίου, *vocationis coelestis*) per Dominum e coelo factae, et eo, unde facta est, perducentis: c. 12, 25. *vocationis Dei superne*, ut *Paulus* ait Phil. 3, 14. Vocationis correlatum ὁμολογία *confessio*: de qua mox. Sic *Paulus* 1 Tim. 6, 12. — μέτοχοι, *participes*) Idem verbum v. 14. c. 6, 4. 1, 9. 12, 8. — τὸν ἀπόστολον) *Apostolum*, Legatum, Dei Patris: eum, qui Dei causam apud nos agit. Inde dicimur, *vocationis coelestis*

Digitized by Google

participes. — καὶ ἀρχιερέα, *et archisacerdotem*) qui causam nostram apud DEUM agit. Inde dicimur *sancti.* Hic *Apostolatus* et *Pontificatus* uno *Mediatoris* vocabulo continetur. Ut *apostolum* confert Jesum Mosi; ut *sacerdotem* (quae appellatio reassumitur c. 4, 14.) Aaroni, simulque utrique praefert. utramque dignitatem, quam duumviri illi fratres divisam habebant, hic unus conjunctam habet, et multo eminentiorem. Hoc loco dicitur, sensu respectivo, πιστὸς *fidelis*, uti ἀληθὴς, *verus*, Joh. 5, 31., *unverwerflich*, testimonium, quod non potest recusari. — τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, *confessionis nostrae*) *Confessio* innuitur, non ea, quae fit ad homines, sed quae fit ad DEUM. Egregie hoc verbo exprimitur natura fidei, quae *prono responsu* in promissionem fertur. DEUS, qui filium *misit* et *sacerdotem* nobis dedit, λέγει, *dicit:* homo, ὁμολογεῖ, *condicit*, assentitur, subscribit. Sic c. 4, 14. 10, 23. Id faciebant solennissime in baptismo. Oppositum, ἀντιλογία, *contradictio.* c. 12, 3.

v. 2. πιστὸν ὄντα, *qui fidelis est*) Num. 12, 7. in fine עבדי משה בכל ביתי נאמן הוא LXX, ὁ θεράπων μου (conf. mox v. 5.) μωϋσῆς, ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ μου πιστός ἐστι. *fidelem* dicit eum, qui et ipse talis est, et a DEO talis agnoscitur, et laudatur. Inde fluit fidelitas in officio, et fides auditorum sine exceptione, eam ipsam ob causam, quia Moses sit נאמן conf. Num. cap. eod. v. 8., item in fine. — τῷ ποιήσαντι αὐτὸν) Jesum *fecit Christum* et *apostolum* suum et *archisacerdotem* Pater coelestis. c. 5, 5., ubi τῷ ποιήσαντι respondet τὸ γενηθῆναι *fieri*, per verbum Domini. Adde Act. 2, 36. Et hoc ad *fidem* nos movet. Simillima locutio 1 Sam. 12, 6. 8. *Dominus qui fecit* (LXX, ὁ ποιήσας,) et misit *Mosen et Aaron.* — ὡς καὶ μωϋσῆς, *ut etiam Moyses*) Sic Deut. 18, 15. Laudat Mosen, Judaeos concilians; antequam ei Christum praeponit: quanquam animos eorum ad id audiendum praeparavit, Eundem etiam angelis praeferens. — οἴκῳ, *domo*) Rara appellatio, Mosis tempore. — αὐτοῦ, *ejus*) DEI. v. 6. not.

v. 3. πλείονος, *uberiore*) Christus, propheta, ut Moses, Act. 3, 22. not. (quum ceteri prophetae Mosen tantummodo declaraverint:) et tamen alius atque Moses, c. 8, 9. Joh. 1, 17. Mose major. h. l. — γὰρ, *enim*) Aetiologia respicit ad κατανοήσατε *considerate.* — δόξης, *gloria*) Mox τιμὴν, *honorem.* τιμὴ h. l. quiddam magis internum notat. eam δόξα sequitur. — τοῦ οἴκου) Genitivus regitur a πλείονα comparativo. Est enim enthymema: Christus est major domo: (nam domus paratur; Christus paravit domum et omnia, adeoque DEUS est:) Ergo Christus est major Mose. Ratio: nam Moses est minor domo, tanquam minister et quasi quaedam portio domus. Conf. Matth. 12, 6. not.

v. 4. ὁ δὲ, *hic autem*) Christus. Articulus nota Subjecti, hoc loco etiam vi relativa praeditus, uti c. 7, 6. Θεὸς, *DEUS*, praedicatum. — θεὸς, *DEUS*) absolute. Moses erat deus Aaronis; sed idem non erat DEUS absolute.

v. 5. καὶ, *et*) Altera ratio excellentiae Christi supra Mosen. — θεράπων, *famulus*) Sic LXX, Num. 12, 7. Hoc innuit Mosis excellentiam contra omnes prophetas alios: sed rursus Mosen inferiorem dicit Christo Domino. — εἰς, *in*) Serviit, ut per eum testata fierent. — τῶν λαληθησομένων, *eorum, quae dicenda forent*) quae loquuturus esset Moses, (c. 9, 19.) de Christo maxime; et deinceps Christus ipse. In cap. 9, 19. est parallelismus verbalis, qui tamen simul infert parem rationem, quae Moses pro tempore Num. 12. et locutus erat et locuturus. Miriam non de praeterito solicitabat Mosis auctoritatem, sed in posterum volebat sibi tantundem vindicare, ob specimina quaedam praeterita.

v. 6. χριστὸς δὲ, *Christus vero*) Huic Moses cedit. Legatus, absente rege, valde conspicuus est: praesente rege, ad multitudinem recidit. Hic quoque subaudi: πιστός ἐστι *fidelis est.* Filius fidem praestat in omnibus Patris sui iisdemque suis ipsius rebus. — ἐπὶ, *super*) Hoc ἐπὶ עַל *super* indicat eminentem ejus potestatem. ἐν *in* datur Mosi, v. 5. — αὐτοῦ, *ejus*) DEI. c. 10, 21. — ὅς) Haec

lectio vetustissima. [1]) alii, οὗ, ex alliteratione ad αὐτοῦ· quo pacto scripturus erat Paulus, οὗ ὁ οἶκος, quemadmodum Erasmus initio edidit. Dicitur enim, οὗ τὸ πτύον, ἧς ὁ ἀδελφὸς, ὧν τὸ στόμα, ὧν τὰ ὀνόματα, οὗ ἡ πληγὴ, ὧν τὰ κῶλα, οὗ ἡ φωνὴ, οὗ ἡ οἰκία. Non agitur hic quaestio, *Cujus sit domus?* nam id ipsum modo in αὐτοῦ *ejus* memoratur: sed *quae sit domus*, diversa ab illa, cujus portio erat Moses. — ἐὰν, *si*) Eadem sententia v. 14. Sermo concisus. *domus sumus*, quum fiduciam habemus: *domus erimus*, si fiduciam retinebimus. Simillimus sermo *Pauli* Col. 1, 23. not. — τὴν παῤῥησίαν) Frequens vocabulum in hac epistola, παῤῥησία, c. 4, 16. 10, 19. 35., et ἐλπὶς, c. 6, 11. 18. 7, 19. 10, 23., item πληροφορία, ὑπόστασις. παῤῥησίαν *fiduciam*, erga DEUM: καύχημα *gloriam*, contra hostes. — κατάσχωμεν, *retineamus*) Sic v. 14. c. 10, 23. Sic κρατεῖν, c. 4, 14. 6, 18.

v. 7. διὸ, *quapropter*) Exquisita illatio, nervusque totius loci hujus: Jesus est πιστὸς *fidelis;* vos ne sitis ἄπιστοι *infideles*. v. 2. 12. — [2]) λέγει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *dicit Spiritus sanctus*) Sic c. 9, 8. 10, 15. — σήμερον — τεσσαράκοντα ἔτη. διὸ προσώχθισα — καὶ εἶπα· ἀεὶ —) Ps. 95, 7. ad fin. LXX, σήμερον —. τεσσαράκοντα ἔτη προσώχθισα —. Τὸ σήμερον, *hodie*, Davidicum, opponitur *diei illi*, qui erat tempore Mosis. v. 8. — ἐὰν, *si*) *Si vocem ejus audietis obedienter*. Sub hac auditione continetur etiam auditio qualiscunque. v. 16. c. 4, 2. Hujus hemistichii vis in Hebraeo jungitur cum antecedentibus, et inde in subsequentia redundat. — φωνῆς, *vocem*) quae plena gratiae, in his verbis propheticis, ob id ipsum audiendis.

v. 8. παραπικρασμῷ — πειρασμοῦ, *exacerbatione — tentatione*) Versu 9., per γιασμὸν, primum *tentatio* tractatur, deinde *exacerbatio*, ὕστερον πρότερον ἑβραϊδὸν, ut Franc. Junius loquitur, eandem figuram in hac epistola aliquoties observans. Utrumque respicit Historiam Ex. 17, 7., utpote primam. conf. infra, v. 16., *egressi*. Prima offensa caveri debet: nam plures inde facillime nascuntur; et prima gravissime solet exprobrari. — κατὰ, *secundum*) id est, *sicut in die*. Ita textus Hebraicus. — ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deserto*) maximarum rerum theatro.

v. 9. οὗ) scil. πειρασμοῦ. Attice, pro ᾧ. — ἐπείρασάν με, *tentaverunt me*) an possem, an vellem. — οἱ πατέρες ὑμῶν, *patres vestri*) quorum durities cordis saepissime commemoratur. Adeo non valet auctoritas *priscorum*. — ἐδοκίμασαν, *probarunt*) i. e. *explorarunt*. Non, *approbarunt*. Expendantur, quae sequuntur. — εἶδον, *viderunt*) evidenter, sed sine profectu. — τὰ ἔργα μου, *opera mea*) gloriosissima, opis, partim etiam vindictae. — τεσσαράκοντα ἔτη, *quadraginta annos*) Hoc jungitur cum προσώχθισα apud LXX, et in Hebr. et infra, v. 17. Eodem tempore populus et פעל opus DEI vidit, et DEUM offensum habuit; donec mensuram implevit. Hic cum εἶδον, *viderunt*, jungitur, eoque durum populi cor innuitur.

v. 10. διὸ, *quapropter*) Haec particula non est in Hebr. neque apud LXX. — προσώχθισα) Verbum apud LXX perfrequens, sed alibi vix obvium. Eustathio ὄχθος (sive ὄχθη, in genere, *locus editus;* in specie, *ripa:*) παρὰ τὸ ἔχειν, i. e. ἐξέχειν, *eminere, prominere*. notat τοπικὸν ἐπανάστημα· inde ὀχθέω et ὀχθίζω, de animo, *concitor*. προσώχθισα *infensus fui* eis, quo minus intrarent terram, cum vellent sero. Affinis phrasis, *adversum incedere*, Lev. 26, 24. 28. — τῇ γενεᾷ ἐκείνῃ) ἐκείνῃ, *illi*, hic habet vim removendi et alienandi [3]). Hebr. הַדּוֹר

---

1) *Consentit h. l.* Guomon *cum* Ed. 2. *et* Vers. germ.; *mutata crisi* Ed. maj. *quae lectioni* οὗ *palmam decreverat*. E. B.

2) καθὼς, *sicut*] Apodosis est versu 12. *Not. crit.*

3) *At lectionem* ταύτῃ utriusque Ed. *margo praefert*, *subsequente* Vers. germ. *Ergo hypothetica saltim est pronominis* ἐκείνῃ *explicatio ista*. E. B.

Digitized by Google

absolute, eadem vi. — καὶ εἶπα, *et dixi*) προσοχθισμὸν, *taedium animae* meae declaravi *ore* meo. Observa Gradationem subsequentem: primo *taedium* erga eos, qui *peccabant*, fecit, ut *diceret:* deinde *ira*, illo gravior, erga eos, qui *non credebant*, fecit, ut *juraret*, coll. v. 17. s. Prima tentatio, Ex. 17., mox causa fuit, propter quam Deus προσώχθισεν, *infensus fuit*. Secuta est querela de errore cordis; ira et juramentum. Sic *taedium* et *ira*, *querela* et *juramentum* magis distinguuntur. — αὐτοὶ, *ipsi*) הֵם in Hebr. iteratur magna vi. Accentus hic incipiunt hemistichium. Itaque non continetur sub εἶπον *dixi*, sed sensus hic est: illi, me sibi infensum esse, sentiebant, αὐτοὶ δὲ, *iidem* tamen nihilo magis vias meas cognoscere voluerunt. Simile antitheton: *illi*, *et ego*. c. 8, 9. coll. v. 10. Sic, *at illi*, Ps. 106, 43. Conf. etiam Luc. 7, 5. Es. 53, 7. in Hebr. — οὐκ ἔγνωσαν, *non cognoverunt*) Haec est ἀπείθεια, *non credere*. ἁμαρτία *peccatum* describitur v. 9., ἐπείρασαν *tentaverunt*. De utroque iterum v. 12. 13., et v. 17. s. — τὰς ὁδούς μου, *vias meas*) qua eos tanquam gregem meum volui ducere in requiem.

v. 11. ὡς ὤμοσα, *ut juravi*) Juramentum praecessit XL annos. — εἰ, *si*) Apodosis reticet aliquid per euphemiam, quod vim ipsius juramenti habet. εἰ hic negat, ut ἦ μὴν affirmat c. 6, 14. — εἰσελεύσονται, *intrarerint*) per vias meas. — εἰς τὴν κατάπαυσίν μου, *in requiem meam*) in terra promissa. Populus, oves; Ps. 95, 7.: harum bonum, מנוחה *requies*, Ps. 23, 3.

v. 12. βλέπετε) Hoc verbum pendet a διὸ, *quapropter:* v. 7. neque apodosis non fert τὸ ἀδελφοὶ, *fratres*. 1 Thess. 3, 7. Idem verbum c. 12, 25. *Cordi* non fidendum. Jer. 17, 9. — μήποτε — ἀπιστίας, *ne — infidelitatis*) Observa nexum. Christus est πιστὸς, *fidelis*, v. 2.: ideo nos debemus esse πιστοὶ, *fideles*, erga illum, non *infideles*, ut patres adversus Mosen. v. 18. s. c. 4, 2. s. 6, 12. Pari modo *fidem* Dei et *perfidiam* hominum opponit *Paulus* Rom. 3, 2. s. 2 Tim. 2, 13. — ἔσται, *futurum sit*) Cura etiam in futurum porrigenda, ob periculi magnitudinem. Utitur futuro indicativi prae praesenti Subjunctivi. — πονηρὰ, *malum*) Populus ἄπιστος, *infidelis*, רַע *mala* natio, et infelix. conf. κακοὺς κακῶς Matth. 21, 41. — ἐν τῷ ἀποστῆναι, *in discedendo*) Antitheton, προσεργώμεθα, *adeamus:* c. 4, 16. et ὑποστάσεως *substantiae*. mox v. 14. Conf. Jer. 6, 8., μὴ ἀποστῇ ἡ ψυχή μου ἀπὸ σοῦ. Tota haec apostoli periocha congruit cum Jer. 17, 5. 6. ΕΠΙΚΑΤΑΡΑΤΟΣ ὁ ἄνθρωπος, ὃς τὴν ΕΛΠΙΔΑ ἔχει ἐπ᾽ ἄνθρωπον, — καὶ ΑΠΟ ΚΥΡΙΟΥ ΑΠΟΣΤΗ ἡ καρδία αὐτοῦ — οὐκ ὄψεται ὅταν ἔλθῃ τὰ ΑΓΑΘΑ. — ἀπὸ θεοῦ ζῶντος, *a DEO vivo*) *Vita* DEI *fidem* nostram efficacissime et praesentissime animat. Laudatur etiam *Deus vivus*, c. 9, 14. 10, 31. 12, 22. Qui a Christo desciscit, a DEO desciscit. Cap. 3, 12—19. χιασμός.



v. 13. ἑαυτοὺς, *vosmet ipsos*) quisque se ipsum et alterum. tantum abest, ut alter alterum debeat instigare et exacerbare. — ἡμέραν, σήμερον, *diem, hodie*) Conjugata. c. 4, 7. — ἄχρις οὗ, *donec*) quamdiu. Non erit hoc *hodie* perpetuum. — τὸ) Relativum. — καλεῖται, *vocatur*) dum Psalmus ille auditur et legitur. — ἵνα μὴ σκληρυνθῇ τις, *ut ne obduretur quisquam*) Id repetitur ex v. 8. — ἀπάτῃ, *fraude*) Resp. πλανῶνται *errant*. v. 10. — τῆς ἁμαρτίας, *peccati*) ἀπιστία, ἁμαρτία, *infidelitas* et *peccatum*, tantundem. Joh. 16, 9. Neh. 6, 13. Ubi ἀπιστία et ἁμαρτία simul memorantur, differunt ut species et genus, et *infidelitas* tanquam praecipua species *peccati* habet aliquid tristius et funestius. Quod

Digitized by Google

si vero *peccatum* solum ponitur, contrahitur genus ἁμαρτία ad hanc praecise speciem, nimirum *infidelitatem:* quemadmodum ἁμαρτία proprie est, ubi a scopo aberratur, quod quam maxime per ἀπιστίαν fit, gratia Dei neglecta.

v. 14. μέτοχοι χριστοῦ, *participes Christi*) v. 1. 6. Sic μέτοχοι, *participes*, Spiritus sancti. c. 6, 4. — ἀρχὴν — μέχρι τέλους, *initium — usque ad finem*) conf. c. 6, 11. 12, 2. Christianus, quamdiu non est τετελειωμένος, *consummatus*, habet se pro *incipiente*. — τῆς ὑποστάσεως, *substantiae*) c. 11, 1. 2 Cor. 9, 4. not. — βεβαίαν, *firmam*) Frequens in hac epistola verbum, cum synonymis, ἀκλινὴς, ἀμετάθετος, ἀσφαλὴς, ἰσχυρός.

v. 15. ἐν τῷ λέγεσθαι, *dum dicitur*) Hoc annectitur versui 13., ad παρακαλεῖτε. Etiam in psalmo paraclesis divina praecedit *venite*. Confer הִיּוֹם Ps. 95, 7., perpenso Athnach praevio, qui subdistinctivus est posterioris hemistichii: i. e. tantummodo per vos stat, ut haec non modo sit mera invitatio et oblatio, in actu primo, sed etiam actu secundo vera fruitio. Sic ἐν τῷ λέγειν, *in dicendo*, c. 8, 13. — ὡς ἐν τῷ παραπικρασμῷ, *ut in Exacerbatione*) כִּמְרִיבָה nomen proprium cum sua significatione accipitur.

v. 16. τίνες, *qui*) Plerique τινὲς scribunt: sed sic languidior redditur elenchus apostoli, τινὲς, ἀλλ᾽ οὐ πάντες. generalis potius sermo est de exacerbatione, c. 4, 6. Ex. 17, 2. Plane est interrogatio, τίνες, uti c. 1, 5. 13. et simul anaphora gravissima, τίνες· τίσι· τίσι· v. 16. 17. 18. notaturque tribus hisce versiculis 1) Initium exacerbationis, sub exitum *ex Aegypto*. 2) Quadraginta anni molesti *in deserto*. 3) Negatus ingressus *in terram quietis*. Ponitur ἀλλ᾽ οὐ v. 16., uti εἰ μὴ v. 18. nam utrumque proprie non interrogat, sed stat sub vocula interrogante τίνες. Quo magis perspiciatur vis particulae, finge, dicere aliquem, ἦσαν ἄνθρωποι παραπικραίνοντες, ἀλλ᾽ οὐχ οὗτοι οἱ ἐξελθόντες. Id negat apostolus, ideoque dicit, τίνες ἦσαν ἀλλ᾽ οὐχ οὗτοι; id est, *plane hi ipsi fuerunt*. Similes particulae, apud Lucam, τίς, ἀλλ᾽ οὐχί; c. 17, 7. 8., et apud *Paulum*, τίς, ἢ οὐχὶ καὶ κτλ. 1 Thess. 2, 19. Πάντες hoc loco sunt *meri*. quam vim vocis πᾶς pulcre explanat Raphelius ad Jac. 1, 17. ex Ariano. Germ. *Diejenige, die eine Erbitterung angerichtet haben, wer waren sie? es waren lauter solche Leute, die von Egypten ausgegangen waren durch Mosen.* Hi non dicuntur *educti*, sed *egressi* h. l. Jam pignus habuerant divinae opis, et ductum fuerant secuti: sed praeclaro illi *initio* (conf. v. 14.) non responderunt in progressu. Plane τίνες legit Chrysostomus: τίνων μέμνηταί φησι σκληρυνθέντων; ubi σκληρυνθέντες, coll. v. 15., iidem sunt, qui παραπικράναντες. — ἀκούσαντες, *audientes*.) v. 15. — παρεπίκραναν) *exacerbarunt*, Dominum, rixantes cum Mose. Ex. 17, 2. — διὰ μωϋσέως, *per Moysen*) cujus sermonibus auditis debuerant credere.

v. 17. ὧν, *quorum*) Probat eventus. sic quoque v. 19. — ὧν τὰ κῶλα ἔπεσον ἐν τῇ ἐρήμῳ) Num. 14, 29. LXX, ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ πεσεῖται τὰ κῶλα ὑμῶν. Semper haec appellatio פגרים κῶλα *corpora mera et caduca*, indignationem indicat. κῶλα, artus, proprie pedes apud Eustathium. Sic XL anni in dies resolvantur, et in singulos dies aequalis morientium conferatur numerus, quilibet dies habuit XL virorum mortes. Magna causa Psalmi XC!

v. 19. οὐκ ἠδυνήθησαν, *non potuerunt*) quamvis postea voluerant.

CAPUT IV.

v. 1. Φοβηθῶμεν, *timeamus*) Ubi multi cecidere, causa timoris est. — καταλειπομένης ἐπαγγελίας) *quum relicta et reservata est nobis*, postquam alii eam neglexere, *promissio*. Idem verbum eodem sensu Rom. 11, 4. Affine verbum, ἀπολείπεται *relinquitur*, *superest*, v. 6. 9. c. 10, 26. Hoc, admoni-

Digitized by Google

tioni intextum, propositio est, quae probatur v. 3. Plurimum est, in hac epistola, verbum ἐπαγγέλλομαι, *promitto*, et nomen ἐπαγγελία, *promissio*. Hoc capite sermo est de requie vitae aeternae. adhuc enim est *hodie*, quum, si duritiei cordis indulgemus, cadendi periculum manet. *Hodie*, bene collocatum, desinit in *requiem*. *Requies* est id, quod, semel impetratum, non iterum amittitur. Nos nunc (coll. c. 2, 5. not.) urgemur plus ultra. Praegustus in hac vita non negatur: negatur plena quies. Omnes praegustus *quietis* plane sunt tenues, collati ad superna. — δοκῇ τις, *videatur quispiam*) Euphemia. Quilibet ita currat, ut sine specie contrarii dici possit: *Hic currit*. Conjugata sunt, δοκεῖν, h. l. ὑπόδειγμα, *exemplum*, v. 11., et ἐνδείκνυσθαι, *ostendere*, c. 6, 11.: δείκω, praeter. medii, δέδοκα, inde δοκέω, et ipsa noëmata congruunt. nam qui studium *ostendit*, non *videtur* remanere: qui remanere *videtur*, *exemplum* est contumaciae. — ὑστερηκέναι, *defecisse*) Idem verbum c. 12, 15. Exempla, cap. 12, 17. Num. 14, 40. Luc. 13, 25. LXX, ὑστερεῖν ποιῆσαι τὸ πάσχα. Num. 9, 13. ὑστερεῖν, Platoni, Gorgia ineunte, est *post festum venire*.

v. 2. γὰρ, *etenim*) Ref. ad φοβηθῶμεν, *timeamus*. — εὐηγγελισμένοι, *evangelio imbuti*) Hoc nobis dictum censeamus inprimis, qui *Evangelici* appellamur. v. 6. — κἀκεῖνοι, *etiam illi*) *Illis* veteribus nunciata erat promissio terrae Canaan. v. 6. — οὐκ ὠφέλησεν, *non profuit*) Μείωσις. contra ea maximam cepere noxam non credentes. Subaudi quoque: nec nobis proderit, sine fide. — μὴ συγκεκραμένος, *non admistus*) Verbum miscetur et insinuatur penitus animae credenti: et ubi miscetur, viam suam exserit mirifice, ut potus salutaris, et quidvis eo efficacius. v. 12. s. — τῇ πίστει) *fidei*. Dativus. — τοῖς ἀκούσασιν) *quod attinet ad eos, qui audierunt*. conf. Rom. 4, 12. not. His opponuntur οἱ πιστεύσαντες, *qui crediderunt*. v. seq.

v. 3. γὰρ) Hoc ref. ad illud, *relicta promissione*. v. 1. — καθὼς, *sicut*) Sola *infidelitas* remoratur. — καίτοι, *quamvis*) Protasis: *quamvis opera ab initio mundi facta sunt*. Apodosis: *tamen dixit, Juravi*. Sed quia apodosis in textu praecedit, *tamen* reticetur. Propositio est: Restat nobis requies. Haec v. 3—11. probatur hoc modo: In Psalmo memoratur requies: nec tamen ibi significatur I) requies DEI a creatione; haec enim fuit diu ante Mosis tempora. Ergo Mosis temporibus exspectanda erat alia requies: qua quidem iisdem temporibus plane exciderunt, qui audierant. nec tamen rursum hujus requiei titulum tuetur II) requies illa, quam nacti sunt per Josuam. nam postea demum cecinit Psaltes. Cecinit igitur III) de requie his omnibus requiei generibus recentiore, futura in coelo. — τῶν ἔργων ἀπὸ καταβολῆς κόσμου γενηθέντων) Genitivus absolutus, i. e. *quanquam opera* Creatoris inde *a condito mundo facta* et consummata *erant*.

v. 4. εἴρηκε, *dixit*) DEUS, qui etiam versu 5. 7. loquitur. — ἑβδόμης) scil. ἡμέρας. — καὶ κατέπαυσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ κτλ.) Gen. 2, 2. LXX, καὶ κατέπαυσε τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἐποίησε. *requievit*, se quasi recepit in suam aeternam tranquillitatem. Notabile est, quod Moses dierum superiorum, sed non septimi finem scripsit. Hebr. *ab opere suo*. erat opus unum, multa opera complexum. Unum verbum κατέπαυσεν Hebraicis מנוחה et שבת respondet opportunissima duorum locorum Ps. 95. et Gen. 2. consociatione.

v. 5. ἐν τούτῳ) *in hoc*, scil. Psalmi dicto. sic, ἐν ἑτέρῳ, *in alio*. c. 5, 6.

v. 6. ἐπεὶ οὖν, *quoniam ergo*) DEUS non vult, requiem suam vacare. Luc. 14, 23. — πρότερον, *prius*) sub Mose. — εὐαγγελισθέντες) Rarus verbi usus de veteribus. nempe sermo est de promissione terrae Canaan; sed cum prospectu ad *evangelium* vitae aeternae.

v. 7. πάλιν, *rursum*) Quis existimasset, tantam esse tamque solennem concionem in Psalmo 95. Magni faciamus verba DEI. Conf. c. 10, 8. not. —

d by Google

ὁρίζει, *definit*) DEUS. — ἡμέραν, *diem*) Hoc deducitur ex eo, quod mox allegatur, σήμερον *hodie*. Vide quam pulcre premat vocalem יוֹם *dies*, et sic saepe singula verba c. 2, 8. 11. s. 7, 11. 21. 8, 13. 10, 9. 12, 5. 27. *diem*, contendendi ad requiem coelestem. v. 8. — ἐν, *in*) Sic c. 1, 1. — τοσοῦτον χρόνον) *tantum tempus*, plus CCCC annorum a Mose et Josua ad Davidem, qui Psalmum cecinit. — καθὼς προείρηται, *sicut ante dictum est*) Remittit Apostolus auditores ad totum textum ex Psalmo supra repetitum.

v. 8. ἰησοῦς) *Josua*. — οὐκ ἄν) Similis ratio argumentandi c. 7, 11. 8, 4. 7. 11, 15. — περὶ ἄλλης ἡμέρας, *de alio die*) quo observato, pateat aditus ad requiem item aliam.

v. 9. ἄρα, *ergo*) ideo, quia alio de die loquitur. — σαββατισμὸς, *sabbatismus*) Commutatur vocabulum, pro κατάπαυσις, *requies*. conf. v. seq. In tempore sunt sabbata multa; sed tum erit *sabbatismus*, agitatio quietis una, perfecta, aeterna. Verbale emphaseos plenissimum, apud LXX int. non obvium. Non erit elementare sabbatum in coelo, sublato quippe terrestri labore; sed quies perpetua, quae tamen ipsa suas rursum habebit rationes diversas, pro vario statu sacerdotum et reliquae carnis beatae, proque ipsis temporum coelestium intervallis, quibus numeniae sabbatumque judaicum respondebant. Es. 66, 21. 23. — τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ, *populo DEI*) Absolute dixerat, *populi*, c. 2, 17., de reconciliatione agens: sed nunc, de aeterna requie agens, dicit, *populo Dei*, id est, *Israeli Dei*, ut *Paulus* loquitur Gal. 6, 16. Israëlitas igitur (quatenus ad *Hebraeos* scribit,) eosque fideles, speciatim innuit.

v. 10. γὰρ, *enim*) Versus 9. probatur: Qui ingressus est, in requiem DEI, quiescit a suis operibus. atqui populus DEI nondum requiescit. Ergo nondum est ingressus. Restat, ut ingrediatur. — ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ) *ab operibus suis*, etiam bonis, tempori operis faciendi convenientibus. Labor ante quietem. Idque futurum fuit sine dubio etiam in paradiso. Gen. 2, 15. — ὥσπερ, *sicut*) DEI opus et quies est archetypon illud, ad quod nos conformari debemus.

v. 11. ἐκείνην, *illam*) futuram, magnam. — ἐν τῷ αὐτῷ) *eodem*, ac veteres illi. — ὑποδείγματι, *exemplo*) Idem verbum, c. 8, 5. 9, 23. Qui per *infidelitatem* cadit, exemplo est aliis, qui inde dicunt: *Ecce*, ὁ δεῖνα, *ille*, pariter cecidit. — πέσῃ) *ruat*, anima, non modo corpore. c. 3, 17. Moses praescindit ab animarum ruina, quum stragem populi in eremo recenset.

v. 12. ζῶν γὰρ, *vivens enim*) Efficacia verbi DEI, et omniscientia ipsius DEI describitur, ut salutaris iis, quorum fidei verbum DEI contemperatur; terribilis autem, contumacibus. conf. 2 Cor. 2, 15. — ὁ λόγος τοῦ θεοῦ) *sermo DEI* praedicatus, v. 2., et evangelicus, ibid. et cum comminatione conjunctus, v. 3. Nam Christus, verbum hypostaticum, non dicitur esse *gladius*, sed habere *gladium*: (conf. Jos. 5, 13.: quem locum hic locus, Josuam respiciens, v. 8., simul respicere videtur:) neque κριτικὸς, *judicialis*, sed κριτὴς, *Judex*, appellatur. Appellatio gladii, Deo tributa Deut. 33, 29., convenit cantico, non ordinario orationis epistolicae stilo. — τομώτερος) *secantior*. — διϊκνούμενος ἄχρι μερισμοῦ, *pertingens usque ad divisionem*) Parallelum mox, κριτικὸς, *judicialis*. — ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, *animae juxta ac spiritus*) Patet hinc, animam et spiritum non esse synonyma: sed spiritus est in anima. Homo secundum suam naturam spectatus, constat anima et corpore, Matth. 10, 28.: sed ut operationem verbi DEI in se habet, constat spiritu, anima et corpore. ἁρμοὶ καὶ μυελοὶ, *junctura et medullae*, dicuntur synecdochice partes intimae et recessus in spiritu, anima et corpore hominis. Animam format Moses, Spiritum Christus: 2 Cor. 3, 6. corpus trahit anima, utrumque spiritus. 1 Thess. 5, 23. Spiritus per efficaciam verbi DEI dividitur ab anima, quum ille DEO asseritur; haec sibi relinquitur, quatenus spiritum aut non assequitur, aut non sequitur. Atque ut

junctiurae non solum a *medullis* dividuntur, sed ipsae *junctiurae* in suas partes, *medullae* in suas partes dividuntur; neque *intentiones* solum ■ *cogitationibus*, sed ipsae *intentiones*, ipsae *cogitationes* dijudicantur: sic non solum *anima* a *spiritu*, sed *quasi* pars *spiritus* a parte spiritus, pars animae a parte animae dividitur. Luc. 2, 35. Separatur etiam *caro* et *spiritus*. 1 Petr. 4, 6. not. — ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν, *intentionum et cogitationum*) A partibus majoribus, ut sunt *anima et spiritus*, et minoribus, ut sunt *junctiurae et medullae*, venit ad facultates. ἐνθύμησις, *intentio*, involvit affectum; sequitur, per gradationem, ἔννοια *cogitatio*, quae dicit simplicius, prius et interius quiddam. utrumque aut bona aut mala alit. θυμὸς, ■ θύω, ὁρμῶ· νόος a νέω, κινοῦμαι.

v. 13. κτίσις, *creatura*) Sermo plane universalis. mox πάντα *omnia*. — ἐνώπιον αὐτοῦ, *in conspectu ejus*) *ejus*, DEI v. 12. Facilis erit analysis dicti, si utraque ejus pars recto casu proferatur: *Deus* est, cujus verbum est vivum; *Deus* est, coram quo nulla creatura non apparet. Sic cap. 11, 23. casus rectus subauditur, fide, *patres* Mosis Mosen occuluerunt. Ibid. v. 30.: fide, circuierunt *Israëlitae* muros Jericho, ut ruerent. Omniscientia DEI patefit hominibus per verbum: et qui non habent verbum, tamen sentiunt vim illam omnisciam in conscientia. Argumentum insigne pro veritate religionis ab efficacia. — τετραχηλισμένα) τραχηλίζω, *resupino*, Graece et Latine dicitur pro *patefacio*. Corpora, quae prona jacent, vix nuda censentur; nam se ipsa tegunt: *resupinata*, secundum partes nobilissimas quasque et distinctissimas visui patent. *Pudorem, timorem*, o homo, exhibe DEO tuo: nam nullo velamine, tortu, flexu, colore, fuco tegi *perfidia* potest. — αὐτοῦ, *ejus*) Iterum refertur ad *DEUM*. — πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, *ad quem nobis est ratio*) Negotium, res, est nobis *cum Hoc*, cum *Deo*, tali, qui versu 12. 13. describitur: [*cujus faciem effugere atque judicium non possumus*. V. g.] ergo *studium* nobis est necessarium. Relativum, ὃν, *quem*, habet vim demonstrativi. λόγος, דבר *ratio, negotium*. Sic LXX, Jud. 18, 28., λόγος οὐκ ἔστιν αὐτοῖς μετὰ ἀνθρώπου. 2 Reg. 9, 5., λόγος μοι πρός σε. Conf. Act. 19, 38. Eadem locutio Chrysostomi περὶ ἱερωσ. p. 336. αἱ θυγατέρες τῶν ἱερέων, αἷς οὐδεὶς πρὸς τὴν ἱερωσύνην λόγος.

v. 14. ἔχοντες, *habentes*) Simile initium hortationis, c. 10, 19. 12, 1. — οὖν, *ergo*) Reassumit, quod proposuerat c. 2, 17. — μέγαν, *magnum*) Est enim *Filius DEI*, celsior coelis. *Sacerdos magnus*, hebraica phrasi dicitur, absolute, c. 10, 21. hic autem, *archisacerdos magnus*, major *archisacerdote* levitico. — διεληλυθότα) *qui transiit*, non modo intravit coelos. c. 7, 26. — κρατῶμεν, *teneamus*) A c. 3, 1. ad cap. 5, 3. sunt quatuor momenta per χιασμὸν exposita, quippe quae doctrinam et usum, usum et doctrinam continent. Respiciatur, quaeso, Conspectus epistolae.

v. 15. οὐ, *non*) Comparationem levitici pontificis et Christi, 1) quod ad qualitates, 2) quod ad vocationem attinet, apostolus per χιασμὸν instituit. in priore est apodosis et protasis: in altera, protasis et apodosis. c. 4, 15. s. 5, 1. s. 4. 5. — συμπαθῆσαι, *compati*) *Compatitur*, eadem perpessus. Es. 50, 6. 4. Cognatum nomen, *misericordia*. v. 16. Respicitur ad cap. 2, 17. — ταῖς ἀσθενείαις, *infirmitatibus*) Aptum vocabulum. c. 5, 2. Peccati notio, nostri respectu, includitur: respectu Christi, excluditur. sequitur mox, *absque peccato*. — καθ' ὁμοιότητα, *secundum similitudinem*) quatenus similis nobis est factus. c. 2, 17. — χωρὶς ἁμαρτίας, *sine peccato*) Sic c. 9, 28. Quomodo autem, *sine peccato* tentatus, compati potest tentatis *cum peccato*? In intellectu, multo acrius anima Salvatoris percepit imagines tentantes, quam nos infirmi: in voluntate, tam celeriter incursum earum retudit, quam ignis aquae guttulam sibi objectam. Expertus est igitur, qua virtute sit opus ad tentationes vincendas. Compati potest: nam et sine peccato, et tamen vere est tentatus.

Digitized by Google

v. 16. προσερχώμεθα, *accedamus*) Idem verbum, c. 7, 25. 10, 1. 22. 11, 6. 12, 18. 22. item, ἐγγίζειν, c. 7, 19. εἰσέρχεσθαι, c. 6, 19. εἴσοδος, c. 10, 19. Sic *Paulus* etiam Rom. 5, 2., προσαγωγή. — τῷ θρόνῳ, *ad thronum*) c. 8, 1. 12, 2. Es. 16, 5. — τῆς χάριτος, *gratiae*) Hoc quoque verbum in hac epistola frequens. — λάβωμεν κτλ.) *Sumitur* misericordia Christi, ostensa; et, ulterius, gratia DEI *invenitur*. Alteri nomini praemittitur conveniens verbum, alteri subjungitur. χιασμός.— ἔλεον, *misericordiam*) Ref. ad *compati*. — χάριν, *gratiam*) Ref. ad *gratiae*. — εὔκαιρον, *tempestivam*) Fideles apparatum gratiae non sentiunt simul in longa tempora; sed quum incidit tempus, praesentem eam inveniunt: et haec opportunitas maxime incidit in tempora N. T. Rom. 3, 26. 5, 6., et sub eo in tempora crucis. — βοήθειαν, *opem*) c. 2, 18.

CAPUT V.

v. 1. Πᾶς) *omnis*, leviticus. Antitheton ad Christum. nam de levitico sacerdote sermo est v. 1—3. neque apodosis additur, quippe quae in *antecedentibus* habetur. At v. 4. in nova parte comparationis est protasis *subsequente* apodosi. Summa est haec: Quicquid praestans est apud sacerdotes leviticos, id in Christo est, et quidem modo eminentiore: quicquid illis deest, id tamen etiam in Christo est. — ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος, *ex hominibus sumtus*) Pars praedicati. Antequam sumebantur, ejusdem plane erant conditionis. — ὑπὲρ, *pro*) *ex hominibus, pro hominibus*. concinna oratio. — καθίσταται, *constituitur*) Praesens: *constitui solet*. — τὰ πρὸς τὸν θεὸν, *quae sunt ad DEUM*) Sic LXX, Deut. 31, 27. — δῶρα, *dona*) *in rebus inanimatis*. — θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν, *sacrificia pro peccatis*) ex animalibus.

v. 2. μετριοπαθεῖν) *moderate affici*. Hesychius, μετριοπαθὴς, μικρὰ πάσχων, ἢ συγγινώσκων ἐπιεικῶς. Opponitur τὸ μέτρον *moderatio* severitati et rigori, qui non nisi in contumaces editur. c. 10, 28. — δυνάμενος, *qui possit*) qui non placeat sibi. conf. Rom. 15, 3. — ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις, *ignorantibus et in errore versantibus*) peccantibus per ignorantiam et errorem. שגה LXX, ἀγνοεῖν. *Ignorantia* (simplex) est mera privatio advertentiae, memoriae: sed *error* permutat bonum et malum, verum et falsum. — ἀσθένειαν, *infirmitatem*) peccaminosam, sacrificiis expiandam.

v. 3. διὰ ταύτην, *propter hanc*) *infirmitatem* subaudi. vel ταύτην, *hanc* ponitur pro neutro, uti Matth. 21, 42.

v. 4. καὶ, *et*) Hic ingreditur in tractationem de ipso sacerdotio Christi. — τὶς, *quisquam*) Sacerdos leviticus. — τὴν τιμὴν, *honorem*) Sacerdotium, honos est. Synonymon, δόξα *gloria*. v. 5. — ἀαρὼν, *Aaron*) accepit, vocatus.

v. 5. ἀρχιερέα, *archisacerdotem*) Sic saepe appellatur Christus: idem saepe, et mox v. 6., *sacerdos* dicitur. *Sacerdos* absolute, quia unicus est, sine pari: *archisacerdos*, respectu typi Aaronitici, et respectu nostri, quos suo ad Deum aditu et ductu sacerdotes facit. — ὁ λαλήσας πρὸς αὐτὸν, *qui locutus est ad eum*) יְהוָה אָמַר אֵלַי Ps. 2, 7. — υἱός μου, *filius meus*) Non innuit apostolus, *tum, quum* Pater dixit: *Filius meus es Tu*, Patrem Filio honorem sacerdotii contulisse; nam *generatio* utique prior est *sacerdotio:* sed declarat, Filium, qui nil a se ipso facere potest, sed semper in Patris potestate est, et, quod Pater vult, id demum facit, quod Pater dat, id demum accipit, a Patre etiam, *sacerdotii honorem* accepisse, cujus nemo nisi ipse Filius capax erat. Inde nexus, καθὼς, *quemadmodum*. v. seq. Tali modo David *filios* habebat *sacerdotes*, i. e. intimae admissionis. 2 Sam. 8, 18. cum Scholiis Michaëlis. Et *Filii* et *Sacerdotis* nomen, ex Psalmis citatum versu 5. 6., mox versu 8., et cap. 7, 3. 28. repetitur.

v. 6. ἐν ἑτέρῳ, *in alio*) Sic *Paulus* etiam Act. 13, 35. — λέγει, *dicit*)

Digitized by Google

DEUS. — σὺ) Ps. 110, 4., ubi LXX totidem verbis. — μελχισεδὲκ, *Melchisedek*) Quis fuerit Melchisedekus, scire ceteroqui nil refert, praeter id quod de eo commemoratur, imo ipsum silentium de reliquis ejus rebus mysteria continet. Fuit certe rex et sacerdos illo tempore, ex humano genere.

v. 7. ὃς, *qui*) nempe *Christus, Filius Dei, Sacerdos.* Non dicitur *hic,* sed *qui,* magna relativi pronominis significatione. namque nominibus versu 5. 6. positis respondet sermo subsequens. Habetur versu 7—10. summa eorum, quae cap. 7. et seqq. tractabuntur, interjecta insigni προθεραπείᾳ et praeparatione. v. 11. s. Exquisitissimeque comprehenditur in hac summa processus passionis, cum intimis suis causis, a Gethsemane usque ad Golgatha, et adhibentur eaedem locutiones, quae ab evangelistis. conf. etiam Ps. 22, 3. 20. ss. 25. 69, 4. 11. 109, 22. — ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, *in diebus carnis suae*) *in diebus* illis, duobus praecipue, quibus ea passus est, quae ut pateretur, *carnem* peccaminosae et mortali similem assumsit: c. 2, 14. 10, 20. Matth. 26, 41. fin. quum prae infirmitate visus est merus esse homo. Joh. 19, 5. — δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας, *precationes juxta atque supplicationes*) Pluralis. nam in Gethsemane ter oravit. Particula τὲ *que* indicat, non esse mera synonyma hoc loco. *orationes* sunt animi; *supplicationes,* etiam corporis, ut docet etymon vocabuli ἱκετεύω *supplico,* apud Eustathium. De utrisque vide Matth. 26, 39. — πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου, *ad eum qui posset ipsum servare ex morte*) *Abba Pater,* inquit, *omnia sunt POSSIBILIA tibi: transfer calicem a me hunc.* Marc. 14, 36. coll. Joh. 12, 27. Hoc *posse* opponitur infirmitati carnis Christi. — σώζειν, *servare*) σώζειν et mox σωτηρίας, conjugata: *salvare, salus.* — ἐκ) Mox ἀπό. Duae voculae, alioqui aequipollentes, hic differentiae rei congruunt: *ex morte, ab horrore.* Mortem, *ex* qua Pater eum liberare posset, ne moreretur, tamen subiit, voluntati Patris obediens: *ab* horrore plane liberatus est per exauditionem. — μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων, *cum clamore valido et lacrymis*) In cruce, *clamasse* dicitur; *lacrymasse* non dicitur. Utrumque horum, ut series rerum ostendit, respicit locum Gethsemane. κράζειν et κραυγὴ apud LXX verbis זעק et צעק et שׁוע respondet, notatque clamorem animae sive desiderium vehemens, ἐκτενέστερον, *impensius,* Luc. 22, 44. *promtissimo spiritu,* Matth. 26, 41. quaecunque sit vox oris; in Psalmis passim: sicut אמר *dicere* etiam cogitationem notat. Sane lacrymis et tristitiae magis convenit clamor animi, ore tacito. nec dubium tamen est, quin et *orationibus* stimulum addiderit Jesus in Gethsemane per *clamores* breves interjectos, uti *supplicationibus* per *lacrumas,* (observetur χασμὸς,) non solum ex oculis, sed ex tota facie et toto corpore *aestu* illo summo expressas. Luc. l. c. coll. Ap. 7, 17. 16., καῦμα, δάκρυον, *aestus, lacryma. Sudor* et *sanguis* Christi effusus est *aquae* instar. In tota Passione alternatim clamavit et siluit. Matth. 26, 37. seqq. Psalm 22, 2. s. 15. 69, 2. seqq. 109, 21. seqq. ubi *silentium* innuit *cor interfectum.* — καὶ εἰσακουσθεὶς, *et exauditus*) חושׁיע LXX εἰσακούειν, Ps. 55, 17. עזר item, 2 Par. 18, 31. Itaque h. l. σώζειν, εἰσακούειν, *servare, exaudire,* sunt proxima. Respicitur agon ille ejusque exitus. ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν — ἕως θανάτου, Matth. 26, 37. s. ἐκθαμβεῖσθαι, Marc. 14, 33. ἀγωνίαν et *sudorem* commemorat Luc. c. 22, 44. Oblato calice, oblata est animae Salvatoris illa horrenda imago mortis cum dolore, ignominia et maledictione conjunctae, ac lentae; eumque movit ad deprecandum calicem. Sed horrorem puritas affectus filialis in Salvatore illico sancta ratione et moderatione temperavit, et deinceps, redeunte serenitate, plane absorpsit. Atque *exauditus est,* non ut ne biberet calicem, sed ut jam sine ullo horrore biberet: unde etiam per angelum est corroboratus. Horribilius quiddam erat timor, quam mors ipsa: horrore ante adventum hostium demto, calicem, quem sub conditione optarat non bibere, jam non posse non bibi statuit. Joh. 18, 11. — ἀπὸ) Locutio con-

Digitized by Google

cisa, εἰσακουσθεὶς ἀπὸ, uti ἐῤῥαντισμένοι ἀπὸ, c. 10, 22. Sic Ps. 118, (117) 5. אנני במרחב ἐπήκουσέ μου εἰς πλατυσμόν. — ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, *ab horrore*) Graecum vocabulum singularem hic habet elegantiam, et multo subtilius quiddam notat, quam si *timorem* diceres. Latinum commodius nullum, quam *horroris*, occurrit. Conf. εὐλαβηθεὶς, cap. 11, 7. Sine articulo dixit modo θανάτου· nunc τῆς εὐλαβείας, cum articulo cujus relativa vis indicat, εὐλαβείας significationem contineri in mentione *mortis*, quae incursione sua *horribilis* erat.

v. 8. καίπερ ὢν υἱὸς, *quanquam erat filius*) Periocha haec, *in diebus etc.* duas habet partes. Prior est, *in diebus — obedientiam:* altera, *et consummatus — aeternae.* Prior pars valde humilia loquitur; nam *mortem* et *horrere*, et, quamlibet sublato horrore, *obire, obedientiam*que a tali passione *discere, servile* quiddam videri potest: quare hoc inciso, *quanquam erat filius*, cavetur, ne sermo in ea parte praecedens et subsequens offendat quenquam. Altera plane laeta est et gloriosa, et ex versu 5. repetendum insinuat, *quia erat Filius.* coll. cap. 7, 28. fin. Luctans, in Gethsemane, tam suaviter, tam saepe, *Patrem* appellavit, Matth. 26, 39. etc. Evidentissimeque hinc confirmatur, Jesum non demum ex resurrectione esse Filium DEI. — ἔμαθεν, *didicit*) Promtissima voluntate *discentem* Christum eleganter refert verbum *discendi* verbo *patiendi* praemissum. *Didicit* obedientiam, dum pati coepit, dum ad bibendum calicem se contulit. Verbum *discere* innuit *initium* quoddam, et huic *initio* respondet *consummatio*, de qua mox. Suavis paronomasia, ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε. Ipsi quoque fuere παθήματα μαθήματα. Viam obedientiae unus munivit Christus, ad voluntatem Patris. *Obedientia* sine *votis* praestari potest. — ἀφ' ὧν) Sic μαθεῖν ἀπὸ, Matth. 24, 32. — τὴν ὑπακοὴν, *obedientiam*) humilem illam ad patiendum et moriendum. Phil. 2, 8. not. *Ut tu vis*, ait Patri. Conjugata, εἰσακουσθεὶς, ὑπακοήν. *Auscultavit* Pater Filio, et Filius Patri. Item Patri *obediit* Christus: nos *obedimus* Christo v. seq.

v. 9. καὶ τελειωθεὶς, *et consummatus*) per passiones. c. 2, 10. — τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ, *obedientibus ipsi*) 2 Cor. 10, 5. Obediendum, item per crucem et mortem, [*ut Christus Patri obedivit.* V. g.] maximeque per fidem. c. 11, 8. — πᾶσιν, *omnibus*) Magna *potentia.* c. 2, 10. 11. 15. — αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου, *auctor salutis aeternae*) *Dessen habe der liebe Herr Jesus Dank von uns in Ewigkeit.* E. Schmidius. pie. Est autem αἴτιος vocabulum valde dignum et aptum (coll. 1 Sam. 22, 22., αἴτιος ψυχῶν·) quo innuitur, Christum consummatum agere causam fratrum ex eo, quia Ipsius jam plane est, salutem eorum *praestare. potest* enim: conf. δυνάμενον *qui poterat*, v. 7. c. 7, 25. et *debet:* conf. ὤφειλε *debebat*, c. 2, 17. [*Der für Etwas stehet, an den man sich halten kann.* V. g.] Observandum etiam epitheton *aeternae* salutis, quod brevitati dierum carnis Jesu opponitur, et ex v. 6., *in aeternum*, fluit. De ipsa *salute* respice cap. 2, 10. 14. seqq. *Aeternitas salutis* memoratur Es. 45, 17., ἰσραὴλ σώζεται ὑπὸ Κυρίου σωτηρίαν αἰώνιον.

v. 10. προσαγορευθεὶς) *appellatus. Filius DEI* est nominatus; *Sacerdos* cognominatus, appellatus. προσηγορία, *appellatio* sacerdotis, non solum secuta est consummationem Jesu, sed antecessit etiam passionem, tempore Psalmi, 110, 4. Idem verbum 2 Macc. 14, 37., ubi Razis fertur πατὴρ τῶν ἰουδαίων προσαγορευόμενος.

v. 11. περὶ οὗ, *de quo*) οὗ masculinum, coll. ὃς *qui*. v. 7. Nunc ingreditur προθεραπείαν sive praeparationem illam bene longam, quae reprehensione, admonitione, cohortatione et consolatione constat. *Captationem* benevolentiae vocant rhetores. Saepe plus operae requirit praeparatio cordis, cui doctrina mandatur, quam doctrina ipsa. — πολὺς) רב *multus*, i. e. nimius. coll. c. 13, 22. — ἡμῖν, *nobis*) Includit *Paulus*, ut solet, Timotheum aliosve. coll. c. 6, 1. 3. 9. 11. 2, 5. 13, 18. — δυσερμήνευτος, *difficilis interpretatu*) non scribentis, sed vestro vitio.

Google

— λέγειν) Correlatum, ἀκοαῖς. Λέγειν non παρέλκει· τὸ *dicere* opponitur *scriptioni*, uti c. 13, 22. Difficile dictu: difficilius scriptu, et tamen scriptu eo magis necessarium. — νωθροὶ) c. 6, 12. Etymon dicit στέρησιν τοῦ θεῖν, *verlegen* in via. — γεγόνατε, *facti estis*) Notandus Judaeorum status, qua malus, qua bonus. v. 12. c. 6, 10. 10, 25. 32. s. 12, 4. s. 12.

v. 12. διδάσκαλοι, *doctores*) Vocabulum non muneris, sed facultatis h. l. Antitheton: τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς, *docendi vos*. — διὰ τὸν χρόνον) *per aetatem*. Sic Arist. l. 7. Polit. c. 9. hac phrasi utitur. Antitheton, διὰ τὴν ἕξιν, *propter habitum*, v. 14. Aetas dicitur vel in abstracto pro annis; vel in concreto, pro robore. Aetas aut vigorem affert cum tempore, aut impeditur. — πάλιν χρείαν ἔχετε, *rursum indigetis*) Sequitur, γεγόνατε χρείαν ἔχοντες *facti estis indigentes*. Illud spectat articulos doctrinae V. T., hoc articulos doctrinae N. T. — τίνα) Non modo ipsa *elementa* docendi estis, sed etiam, τίνα, *quaenam* illa sint. Ideo enumerantur c. 6, 1. s. — στοιχεῖα) *elementa*. Verbum *Paulinum*, Gal. 4, 9. Et plane haec periocha usque ad finem capitis scatet locutionibus *Paulinis*. Literae, *Buchstaben, elementa*, prima, simplicia. Articuli V. T. habent se ad perfectionem doctrinae N. T. uti literae ad doctrinam ulteriorem. Sed tamen *literae*, *Buchstaben*, per tropum, denotant principia disciplinae, quae rudimenta vocantur. Sic quaelibet disciplina habet sua *elementa*, et *elementorum* titulus saepe datur systemati non plane subtili. Confer finem notae ad 2 Petr. 3, 10. — τῆς ἀρχῆς, *initii*) c. 3, 14.: ubi altera phrasis alteram illustrat: quanquam altera theoriam, praxin altera innuit. Antitheton, interjecta similitudine a cibis, expeditur c. 6. ineunte, ubi ipsum vocabulum recurrit. — τῶν λογίων τοῦ θεοῦ, *eloquiorum DEI*) Rom. 3, 2. — γάλακτος, *lactis*) *Lac* est h. l. doctrina ex V. T. repetita. 1Cor. 3, 2. — καὶ) *adeoque*. Huc ref. γὰρ, *enim*, v. seq.

v. 13. ὁ μετέχων, *participans*) Lacte etiam robusti vescuntur, sed non lacte praecipue, nedum lacte solo. Itaque notantur hoc loco ii, qui nil denique nisi lac aut capiunt aut petunt. — ἄπειρος, *expers*) non expertus, carens robore et usu. — λόγου δικαιοσύνης, *sermonis justitiae*) Δίκαιον a δίκα. conf. διάκρισιν, *discretionem*, v. seq. Est enim δικαιοσύνη, *justitia*, talis *perfectio* (תמים Jos. 24, 14., LXX.) quae, sejuncto *malo*, *justum boni* gradum assequitur. congruit γεγυμνασμένα, *exercitata*. conf. c. 12, 11., ubi item *exercitatio* et *justitia* conjungitur. Talis *sermo justitiae* est doctrina Christi in N. T. Intelligitur *justitia* fidei et vitae, utraque utrobique; pro re nata. — νήπιος, *parvulus*) Antitheton, τελείων, *perfectorum*, coll. Eph. 4, 13. s.

v. 14. τελείων, *perfectorum*) Conjugatum, τελειότητα, *perfectionem*. c. 6, 1. Τέλειοι καὶ μανθάνοντες inter se opponuntur 1 Chron. 25, 8. מבין עם־תלמיד. — ἔστιν, *est*) Perfecti et appetunt et capiunt solidum cibum. — διὰ) *propter*. — τὴν ἕξιν, *habitum*) Utuntur hoc verbo LXX, Jud. 14, 9. 1 Sam. 16, 7. Dan. 7, 15.: et utitur Sir. 30, 14. Dicitur de toto, in quo partes se invicem *habent* et *habentur*, tenent et tenentur: et h. l. notat *robur facultatis cognoscentis ex maturitate aetatis spiritualis existens*; non *habitum exercitatione* acquisitum. διὰ τὴν ἕξιν, *eo quod sunt habitiores*. *Habitum exercitatio* sequitur: ac *robur* facit, ut aliquis capiat *exercitationem*, cum alacritate, dexteritate, utilitate, sine affectatione et perversa aliorum imitatione. — τὰ αἰσθητήρια) proprie, *sensoria*: v. gr. linguam, gustandi organon. conf. αἰσθήσει, *sensu*. Phil. 1, 9. not.

CAPUT VI.

v. 1. Διό, *quapropter*) Dicendum putares, δέ, *autem*: sed excitatior est particula διό, *quapropter*. Sic *Paulus* etiam Rom. 2, 1. not. — ἀφέντες, *omittentes*) in hac tractatione. Ceteroqui haec capita non abjiciuntur, sed praesup-

Digitized by Google

ponuntur. Suo et aliorum doctorum nomine loquitur, *plurali* numero. — τὸν λόγον, *sermonem*) c. 5, 11. — τῆς ἀρχῆς τοῦ χριστοῦ, *initii Christi*) Tria capitum paria, quae versu hoc et sequenti enumerantur, ejusmodi erant, ut Judaeus apud suos ex V. T. probe institutus ea ad *Christianismum* fere adferre debuerit. De *poenitentia, resurrectione et judicio* res est aperta: nam quod *vita aeterna* in his duntaxat implicite, et in antitheto expresse memoratur, v. 5., utriusque item testamenti rationi congruit. tum, *fidem* apostolus appellat in *DEUM*, non in *Dominum Jesum*. coll. Act. 11, 21. not. *Baptismos* dicit in plurali, quos ad initiandum habebant varios Judaei: *manuumque impositio* (Num. 27, 18. 23.) valde erat illis usitata. quae duo qui callebat, doctrinam de *Baptismo* Christiano deque *impositione manuum* apostolica celeriter capiebat: quae ipsa est ratio, cur haec duo capita ceteris magis fundamentalibus intertexantur; quia nempe his in antitheto respondet donum *Spiritus sancti*, quorum utrumque ad perfectionem pertinet, non ad initium. Haec igitur sex capita erant ἡ ἀρχὴ τῶν λογίων τοῦ θεοῦ, *initium eloquiorum DEI*, c. 5, 12., item ἡ ἀρχὴ τοῦ χριστοῦ, *initium Christi*, scil. apud discentes Christum. saepe quippe *Christus* dicitur *Paulo* per metonymiam concreti pro *Christianismo*. Gal. 4, 19. Phil. 1, 21.: *vita mea*, sive mansio in carne, *est Christus*, id est, *opus Christi*. Adde Col. 3, 11. not. Haec capita fuerant, ut ita dicamus, *catechismus Christianus* veteris Testamenti; iique, qui Jesum agnoscere Christum coeperant, confestim luce nova capitibus hisce *fundamentalibus* illata *initium Christi* habere censebantur. Huic *initio* opponitur *perfectio*, perfecta de ipso Christo doctrina. [v. 4. 5.] — φερώμεθα, *feramur*) Strenuum verbum. Hunc subjunctivum commode praemittit indicativo ποιήσομεν, *faciemus*. v. 3. — πάλιν, *iterum*) Huc congruit v. 6., *iterum*. — θεμέλιον, *fundamentum*) Synonymon ἀρχῆς, *initii*. — καταβαλλόμενοι, *jacientes*) Verbum architectonicum. — μετανοίας κτλ., *poenitentiae* etc.) Poterat dicere: *de DEO et fide in eum, de peccato et de poenitentia;* vel certe, *de poenitentia ex operibus mortuis, de fide in DEUM:* sed protinus dicit, *fundamentum poenitentiae* etc. Adeo non morari debemus in consideratione peccati, sed a *poenitentia* agenda incipere. Adeo cum prima de *DEO* mentione *fidem* copulare debemus. Adeo practica est Theologia. — ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, *a mortuis operibus*) Sic c. 9, 14. Fastidium peccati habet haec appellatio.

v. 2. βαπτισμῶν διδαχῆς) Non ponitur καὶ ante βαπτισμῶν, enumerantur enim tria capitum paria, et in quovis pari secundum caput habet conjunctionem; sed non nisi ipsum par tertium similiter conjungitur: ex quo etiam patet, βαπτισμῶν διδαχῆς non esse divellenda. βαπτισμοὶ διδαχῆς erant *baptismi*, quos qui suscipiebant, *doctrinae* sacrae Judaeorum sese addicebant. itaque adjecto διδαχῆς *doctrinae* distinguuntur a lotionibus ceteris leviticis. c. 9, 10. — κρίματος αἰωνίου) *judicii aeterni*. Vid. Marc. 3, 29. not.

v. 3. τοῦτο, *hoc*) Ref. ad φερώμεθα *feramur*. — ἐάνπερ, *si quidem*) Huc ref. *enim*, v. seq. Sine benedictione divina non proficit agricultura. v. 7.

v. 4. ἀδύνατον) *impossibile* hominibus, quamlibet idoneis. — ἅπαξ, *semel*) Adverbium non extenuat rem, sed sermonem facit praecisum. — φωτισθέντας, *illuminatos*) Totum est Christianismus, in quem intratur per evangelium fide susceptum et per baptismum. Sequuntur hic tres partes, respectu trium summorum beneficiorum in N. T. *a Filio DEI, a Spiritu sancto, a DEO*, proficiscentium. Sic, *illuminati*, c. 10, 32. unde perfrequens hujus verbi apud patres usus de baptismo. *Vita* et *Lux* saepe conjunctim memoratur, saepe alterum in altero connotatur. itaque in Baptismo, ut *regeneratio*, sic quoque *illuminatio* fieri dicitur. Inprimisque Israëlitis haec locutio congruit; qui per fidem ex V. T. non expertes fuerant *vitae*, ubi abstinebant a *mortuis* operibus: v. 1. sed tamen nova deinde *luce* N. T. *tingebantur*. — γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρα-

γίου, *gustum nactos doni coelestis*) In visu est fructus *lucis:* nunc visui additur *gustus,* quo invitati credentes semper retineri debent. ἡ δωρεὰ ἡ ἐπουράνιος, *donum coeleste,* est *DEI Filius,* ut exprimitur versu 6. *Christus,* qui per fidem, nec non in sacra ipsius Coena gustatur: 1 Petr. 2, 3. atque hic gustus plus involvit, quam *poenitentia a mortuis operibus et fides in DEUM.* Participium γευσαμένους, quanquam genitivus et accusativus saepe promiscue adhibetur, tamen hoc loco differentiam casuum videtur inferre. alter *partem* denotat; nam gustum Christi, *doni coelestis,* non exhaurimus in hac vita: alter plus dicit, quatenus *Verbi* DEI praedicati gustus *totus* ad hanc vitam pertinet, quanquam eidem verbo futuri virtutes seculi annectuntur. — μετόχους, *participes*) *Participatio* haec, uti ad v. 1. notavimus, plus involvit, quam *baptismi doctrinae* et *impositio manuum.* In hoc inciso non adhibetur vocabulum *gustus;* quia Spiritus sanctus hoc loco potius, ut effector gustus, quam ut objectum ejusdem spectatur. — πνεύματος ἁγίου, *spiritus sancti*) Saepe hujus conjuncta cum Christo mentio. Act. 2, 38.

v. 5. γευσαμένους, *qui gustaverunt*) Gustus novus, item plus involvens, quam notitia *resurrectionis mortuorum et judicii aeterni.* — καλὸν ῥῆμα, *bonum verbum*) Jer. 33, 14. את הדבר הטוב Evangelium. — δυνάμεις, *virtutes*) *sapidissimas.* Plurale grande. Idem verbum, c. 2, 4. conf. c. 11, 34. Uterque locus declarat emphasin vocabuli δυνάμεις. — μέλλοντος αἰῶνος, *futuri aevi*) Maxime innuitur gloria aeterna, coll. v. 2. fin. sicut dicitur ἡ μέλλουσα πόλις *futura civitas,* c. 13, 14. Sed non excluditur tempus hoc sub N. T. nam sic quoque dicuntur τὰ μέλλοντα *futura.* c. 9, 11. 10, 1. 2, 5. not.

v. 6. καὶ παραπεσόντας, *et prolapsos*) Grave verbum, subito occurrens, justum terrorem incutit. Sic Hebraeum מעל exprimunt LXX. Non *relapsos* modo dicit in pristina, sed nova pernicie *praelerlapsos a toto illo statu lautissimo, simulque a fide, spe et amore,* v. 10. ss. idque sponte. c. 10, 26. Talis lapsus potest esse sejunctus a blasphemia in Spiritum sanctum: sed tamen amara animae constitutio prope eadem est. conf. c. 10, 29. not. Non dicit apostolus, eos, ad quos scribit, tales esse, sed innuit, tales fieri posse. Ovum, quod pulli stamina habuit et perdidit, ne vescum quidem est: qui fidem perdidit, deploratior est, quam qui nunquam credidit. — πάλιν ἀνακαινίζειν, *iterum innovare*) Innovatio jam facta erat; ideo additur πάλιν *iterum:* idque respondet τῷ ἅπαξ *semel.* v. 4. Maxime vero observandum est, ἀνακαινίζειν, *innovare,* dici in activo. hominibus est *impossibile,* non DEO. ideo apostolus hoc, quod agit, sub hac ipsa conditione, si DEUS ἐπιτρέπῃ *permittat,* agendum suscepit. v. 3. not. Matth. 19, 26. [*Similis admonitio, c.* 10, 26. V. g.] Homines, ministri, quod poterant, erga tales pridem fecerunt: Tit. 3, 11. ministri certam habent mensuram: hanc, adversando excesserunt illi contumaces: superest, ut ministri eos DEO relinquant, et (sive plus interim sive minus eos moneant et de iis sperent) exspectent, quid daturus sit DEUS, 2 Tim. 2, 25., per singulares afflictiones et operationes. Graecolatinus codex *Claromontanus* habet hoc loco: ἀδύνατον, *difficile.* — εἰς μετάνοιαν, *in poenitentiam*) Convenienter appellat id, quod primum in fundamento est. v. 1. Subaudiuntur autem cetera, vel per se, vel in suo effectu spectata. — ἀνασταυροῦντας, *iterum crucifigentes*) Superioribus participiis descripsit subjectum: nunc aetiologiam τοῦ ἀδυνάτου *impossibilitatis* illius subjicit. Praepositio in ἀνασταυροῦντας significat *sursum,* apud Herodianum quidem: sed hoc loco, *iterum.* assonat enim ad ἀνὰ in ἀνακαινίζειν. ἑαυτοῖς, *sibi,* quod additur, facit antitheton ad παραδειγματίζοντας, *ostentantes,* scil. *aliis.* vid. σταυρόω cum eodem casu, Gal. 6, 14. Ex quo manifestum est, de iis esse sermonem, qui ex odio et acerbitate illudunt Christo, animi causa; revera id ipsum, si possent, Christo facturi, quod sub Pilato fecerant *Judaei.* Qui efficaciam crucis Christi

Digitized by Google

pridem exantlatae non credunt, vel jure eum a Judaeis crucifixum putant, perinde faciunt, ac si Christum dicerent demum esse crucifigendum. conf. Rom. 10, 6. 7.

v. 7. γῆ, *terra*) Allegoria. — πιοῦσα, *bibens*) non solum in superficie. — ἐπ᾽ αὐτῆς, *super ipsa*) Hoc significantius est, quam si diceret, ἐπ᾽ αὐτὴν, *super ipsam*. denotat enim *continuam* coeli benignitatem. — πολλάκις, *saepe*) Hinc mitigatur τὸ ἅπαξ, *semel*. v. 4. — ἐρχόμενον, *venientem*) ultro. — τίκτουσα, *gignens*) per viam legitimam generationis. Antitheton, ἐκφέρουσα, *proferens*, sine lege et ordine. v. seq. Etiam in bonam partem LXX int. ἐκφέρω, *profero*, ponunt: sed hic vis particulae δὲ *autem* cadit super ἐκφέρουσα *proferens*. — εὔθετον, *aptam*) Antitheton, ἀδόκιμος, *reproba*. — δι᾽ οὓς) *propter quos*. — καὶ, *etiam*) Haec particula intendit vim verbi praesentis in γεωργεῖται, *colitur*, constanter. Opposita, per χιασμὸν, *cultura, benedictio: maledictio, exustio*. — μεταλαμβάνει, *particeps est*) Antitheton, *propinqua*. Benedictio divina bonae terrae durabilis est: maledictio divina malam terram excipit. De utraque confer Jer. 17, 5. 7. — ἀπὸ τοῦ θεοῦ, *a Deo*) non modo colitur ab hominibus.

v. 8. ἐκφέρουσα, *proferens*) Hoc quoque cohaeret cum πιοῦσα, *bibens*. — ἀκάνθας καὶ τριβόλους, *spinas ac tribulos*) unice, vel certe praecipue. — ἀδόκιμος, *reproba*) ut inculta relinquatur. — κατάρας ἐγγὺς, *maledictioni propinqua*) ut omni malo cumuletur. — ἧς) sc. γῆς *terrae*. — εἰς καῦσιν, *in exustionem*) Hae voculae magnam hoc loco ἀποτομίαν, severitatem, exprimunt. Subaudi βλέπει, vel ἔρχεται, coll. LXX, Prov. 14, 12. 13. 16, 25. vel ἐστὶ, coll. LXX, Es. 44, 15., ἵνα ᾖ ἀνθρώποις εἰς καῦσιν. Eadem ellipsis v. 16., πέρας εἰς βεβαίωσιν. *Ignis*, poena *Judaeorum*, Matth. 22, 7., *terraeque* illorum. Strictura prophetica, perpaucis annis ante *combustam* urbem Hierosolymorum. Perditissimi Judaeorum erant, qui in urbe, et circum eam, fidei repugnabant.

v. 9. πεπείσμεθα — ἀγαπητοὶ, *confidimus — dilecti*) 1 Cor. 13, 7. Hoc uno loco sic eos appellat, *dilecti;* hortandi videlicet causa. Nam saepe sine hoc titulo hortatur *Paulus*, sed eodem nusquam, nisi hortandi causa, utitur. Sic ad Romanos, item semel, nempe cap. 12, 19., saepius autem ad Corinthios et Philippenses. — δὲ, *autem*) Insignis ἐπιθεραπεία et mitigatio. — περὶ ὑμῶν, *de robis*) Antitheton, in hypothesi, ad eos, qui in thesi notantur versu 6. 7. 8. — τὰ κρείσσονα, *meliora*) pietati magis consentanea. v. 10. — ἐχόμενα σωτηρίας, *ea, quae saluti sunt proxima*) Egregia locutio. DEUS, salutem nobis conferens, nos ἔχει· nos, ex Ipso per fidem pendentes, ἐχόμεθα, quo pacto dicimus, ἔχεσθαι ἀγκύρας, *tenere se in ancora*. conf. v. 19. Ipsa salus bonos retinebit.

v. 10. οὐ γὰρ ἄδικος, *non enim injustus*) i. e. plane justus et bonus. — ἀγάπης, *amoris*) *De spe* agitur v. 11. de *fide*, v. 12. de *amore* h. l. Sic *Paulus* 1 Cor. 13, 13., et passim: item infra, c. 10, 22. 23. 24. Ansam ab amore capit, ut illos ad spem et fidem acuat. — ἐνεδείξασθε, *ostendistis*) Etiam ubi minor spes est, quacunque de causa, in praesenti, pristina multum juvant. Ap. 3, 10. Eodem *Paulus* verbo utitur 2 Cor. 8, 24. — εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *in nomen ipsius*) Ita ⊏ּם ponunt Hebraei. conf. 3 Joh. v. 7. Matth. 10, 41. Nomen *DEI* movet verum amorem. — διακονήσαντες τοῖς ἁγίοις, *quum ministravistis sanctis*) *Pauli* phrasis Rom. 15, 25. 1 Cor. 16, 15. *Sanctis* in *Hierusalem* pauperibus praestabatur ministerium beneficentiae: fratres in Graecia et Asia, praestabant. ll. cc. Saepe sic fit apud Paulum, ut quamvis ad Judaeos et gentes promiscue loquatur, adhibeat tamen ea motiva, quae alterutram partem in specie tangebant.

v. 11. ἐπιθυμοῦμεν δὲ, *cupimus autem*) Ideo sic loquimur. — ἕκαστον, *quemvis*) non modo, ut adhuc fecistis, in communi. — τὴν αὐτὴν) *eandem* in spe ac fide, quam in *amore*. Haec epistola magis necesse habuit, *fidem* urgere; *Jacobi, opera*. c. 10, 36. 13, 7. — ἐνδείκνυσθαι, *ostendere*) Iteratur verbum ex v. 10.

Google

— πρὸς) i. e. *quod attinet.* — τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος, *plenitudinem spei*) Affine, *longanimitas.* v. 12. Sic, ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, c. 10, 22. et *Paulus* saepe, v. gr. Rom. 4, 21. Πληροφορία, quasi *plenum iter,* dicit plenitudinem vel negotii, 2 Tim. 4, 5. 17., vel animi. 1 Thess. 1, 5. et h. l. Coh. 8, 11., LXX. — ἄχρι, *usque*) Constr. cum ἐνδείκνυσθαι *ostendere.*

v. 12. νωθροὶ, *segnes*) Sequitur mox antitheton, διὰ πίστεως, *per fidem* etc. Erant νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς, *segnes auribus.* c. 5, 11. nunc cavet, ne fiant νωθροὶ *segnes* absolute, etiam *animo.* — διὰ πίστεως καὶ μακροθυμίας, *per fidem et longanimitatem*) Sic *Paulus* 2 Tim. 3, 10., et Jacobus c. 5, 8. Est *longanimitas amoris,* 1 Cor. 13, 4. est etiam *longanimitas fidei.* v. 15. — κληρονομούντων) Participium imperfecti temporis, coll. v. 15. nam respicitur *Abraham.* — ἐπαγγελίας, *promissiones*) Hoc ipso vocabulo excitatur fiducia: et sequitur mox ἐπαγγειλάμενος, *pollicitus.*

v. 13. κατ' οὐδενὸς, *per neminem*) Delectatur haec epistola comparationibus: hic nullam comparationem inveniri indicat. — ὤμοσε, *juravit*) Quos cap. 3. et 4. admonuerat ex juramento irae, nunc consolatur ex juramento gratiae: quanquam juramentum quidem irae non porrexit vim suam ultra desertum in perpetuum; nil enim ex ipso juramento David et Paulus in sua tempora deducunt: sed gratiae juramentum habet vim in perpetuum.

v. 14. ἦ μὴν) כי Gen. 22, 17. LXX, κατ' ἐμαυτοῦ ὤμοσα, λέγει κύριος, — ἦ μὴν εὐλογῶν εὐλογήσω σὲ, καὶ πληθύνων πληθυνῶ τὸ σπέρμά σου. sic ἦ μὴν Gen. 42, 16. *Devarius,* exemplis ἦ μὴν particulae collectis, infert, *ornamenti locum obtinere vocem hanc, cum sponsioni aut jurijurando adhibetur: secus in simplicibus affirmationibus, in quibus necessario adhibetur.* Resolvas autem sic: ἦ *sit,* quicquid evenerit, μὴν *tamen* hoc fiet.

v. 15. μακροθυμήσας, *longanimiter agens*) Id patet ex Abrahami vita. — ἐπέτυχε τῆς ἐπαγγελίας, *obtinuit promissionem*) reportavit id, quod promissum erat. v. 14.

v. 16. κατὰ τοῦ μείζονος, *per majorem*) per ipsum plerumque DEUM. — καὶ, *et*) *et* sic, propter auctoritatem majoris allegatam. — ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν, *contradictionis terminus in confirmationem*) quo controversia terminatur *in* confirmationem rei, omni exceptione majorem. Prov. 18, 18., מדינים ἀντιλογίας παύει κλῆρος. — ὁ ὅρκος, *juramentum*) Ultimum remedium; quo non debemus uti, quum alia superest ἀντιλογίας, *contradictionis* tollendae via.

v. 17. ἐν ᾧ, *in quo*) qua in re. — περισσότερον) *abundantius,* quam sine juramento factum videretur. — βουλόμενος — τῆς βουλῆς) Conjugata. Summa hic exprimitur benignitas. — ἐμεσίτευσεν) *in medium descendit.* DEUS [*qui largissimam fidem verbo suo habendam a nobis requirere posset,* V. g.] juramento propius ad nos accedens et mirabiliter condescendens, inter se et inter nos, cum sit maximus, quasi medius agit, et intervenit; ut si minor esset, dum jurat, se ipso, per quem jurat. Adhuc non credis, auditor promissionis?

v. 18. δύο, *duo*) Alterum promissio, alterum juramentum. — ἐν οἷς, *in quibus*) Ref. ad δύο, *duo.* — ἰσχυρὰν, *robustam*) quae omnem contradictionem diffidentiae absorbeat. Sequitur, βεβαίαν *firmam,* v. 19. Utrumque verbum conjungitur etiam c. 9, 17. ἰσχυρὸς, *robustus,* qui hosti suo dura verbera infligit: βέβαιος, *firmus,* qui non de gradu dimovetur suo. — οἱ καταφυγόντες, *qui confugimus*) velut a *naufragio.* sequitur ἄγκυραν, *ancoram.* — προκειμένης) *quae proposita est.* Idem verbum, c. 12, 1. 2.

v. 19. ἣν) *quam,* spem. Comparata sunt:

navis;	anima:
ancora certa;	spes, id est, bona coelestia, a DEO proposita, a nobis sperata: sensu complexo.

Digitized by Google

nexus navis et ancorae; paraclesis per promissionem et juramentum DEI.

— ἀσφαλῆ, *certam*) respectu nostri. — βεβαίαν, *firmam*) in se. — τοῦ καταπετάσματος, *velaminis*) Pedetentim redit ad sacerdotium. c. 9, 3. 10, 20.

v. 20. πρόδρομος, *praecursor*) celer. Verbum valde significans. praecursor habet, qui subsequantur. Alibi dicitur *primus, primitiae, primogenitus.* — κατὰ, *secundum*) Hoc emphaseos causa ponitur incunte commate.

CAPUT VII.

v. 1. Οὗτος) Subjectum, *Hic,* qui nempe c. 6, 20., ex Psalmo, idemque ille, qui in Genesi memoratur: Praedicatum, v. 3., ἀπάτωρ — εἰς τὸ διηνεκὲς, *sine patre — in perpetuum.* Summa hujus capitis: Christus, ut ostendit typus Melchisedeki, ipso Abrahamo, ex quo Levi descendit, majoris, habet Sacerdotium prorsus excellens, novum, perfectum, firmum, perpetuum. — βασιλεὺς — ἱερεὺς, *rex — sacerdos*) Etiam Christus utrumque est. — ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου) Sic LXX, Gen. 14, 18.: id est, *sacerdos DEI summi.* — ὁ συναντήσας ἀβραὰμ ὑποστρέφοντι ἀπὸ τῆς κοπῆς) LXX, ibid. v. 17., ἐξῆλθε δὲ βασιλεὺς σοδόμων εἰς συνάντησιν αὐτῷ μετὰ τὸ ὑποστρέψαι αὐτὸν ἀπὸ τῆς κοπῆς κτλ. In *Ordine temporum* p. 176. τὴν κοπὴν presse accepi pro *caede* interituque ipsorum regum: sed cum verbo הכּוֹת (LXX κοπὴ) etiam *fuga* stare potest. Gen. 14, 17. coll. v. 15. Itaque hic locus non prohibet, quo minus Arjoch rex Ellasar post cladem vixerit et regnarit. Arjochum ibi non ausus fui eundem affirmare atque Arium, et hodie minus audeo. Ita incerta foris est Assyriorum antiquitas: de quo speciose disputat L. Offerhaus in secundo Spicilegiorum libro. — εὐλογήσας) LXX, εὐλόγησε.

v. 2. δεκάτην ἀπὸ πάντων — 4. ἔδωκεν) LXX, ἔδωκεν αὐτῷ δεκάτην ἀπὸ πάντων. — πρῶτον, *primum*) ex-nomine suo. ἔπειτα *deinde*, ex nomine loci. Etiam in nominibus propriis hominum et locorum saepe sunt mysteria. — δικαιοσύνης· εἰρήνης) Sic *justitiae pacisque* conjuncta apud *Paulum* mentio Rom. 5, 1. — δὲ καὶ) scil. ὧν. nam τῷ ἑρμηνευόμενος respondet ὅ ἐστι.

v. 3. ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, *sine patre, sine matre, sine genealogia*) Melchisedeki parentes, majores, liberi, posteri, non deducuntur ex Levitis, ut apud Levitas fieri debebat, v. 6., ac ne memorantur quidem apud Mosen. Atque hoc silentium est plenum mysterii, quod mox panditur. Pauci sunt etiam levitici sacerdotes in Scriptura, quorum *matres* memorentur: sed tamen universe cautum est leviticae earum sanctitati, Lev. 21, 13. s. et Aaronis certe uxor, ex qua omnes sacerdotes orti sunt, commemoratur, Ex. 6, 23. atque Sara, uxor ipsius Abrahami, Es. 51, 2. — μήτε ἀρχὴν, *neque initium*) Innuitur *aeternitas Filii Dei.* — ἔχων, *habens*) apud Mosen, qui tamen Aaronis mortem refert. — ἡμερῶν, *dierum*) Non ita commodum erat dicere, *vitae initium* aut *dierum finem.* conf. v. 16., ubi cum *vita* jungitur mentio *virtutis.* — ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, *assimilatus autem filio DEI*) δὲ *autem* proprie spectat oppositionem inter negativa, quae praecedunt, et inter positivum, quod sequitur, illa quoque praesupponens. *Assimilatio* Melchisedeki cum Filio DEI et ad illa et ad hoc pertinet; cum hoc autem expressius jungitur, quia magis pertinet ad propositum. Non dicitur Filius DEI assimilatus Melchisedeko, sed contra. nam Filius DEI est antiquior et archetypus. conf. c. 8, 5. [*ubi itidem* res coelestes *antiquiores sistuntur leviticis,* V. g.] — μένει, *manet*) Positivum pro negativo, respectu Melchisedeki: *manet* et *virit.* v. 8. i. e. nil de ejus decessu vel successione refertur. Sed de Christo proprie valet.

v. 4. θεωρεῖτε) *videtis:* coll. Act. 25, 24. not. vel potius, *videte.* Nam do-

Digitized by Google

cere instituit hoc loco Paulus, simulque admirationem movet. Congruit οὗτος, *hic.* — ᾧ, *cui*) tanquam majori et sacerdoti. — καὶ) *etiam.* Magnitudo Melchisedeki describitur in iis omnibus, quae hoc comma praecedunt et sequuntur: sed praecipuum est *decimas* accipere. Hoc enim est Superioris. — ἐκ τῶν ἀκροθινίων) quae Abrahami proprie fuerant, ut victoris. Hesychius, ἀκροθίνιον, ἀπαρχὴ καρπῶν, ἢ σκῦλα, λαφύρων ἀπαρχαί. Ἀκροθίνιον, ἀπαρχὴ τῶν θινῶν. θίνες δέ εἰσιν οἱ σωροὶ τῶν πυρῶν ἢ κριθῶν· ἢ πᾶσα ἀπαρχή. — ὁ πατριάρχης, *patriarcha*) Magnifice laudat Abrahamum, quo major fiat Melchisedekus. *Patriarcha,* major etiam rege, regum progenitor.

v. 5. τὸν λαὸν, *populum*) Sermo concisus, resolvendus in subjectum et praedicatum bimembre: *Sacerdotes* (et levitae) *decimant* (levitas et) *populum.* Num. 18, 21. 26. Neh. 10, 38. Sic fert *Pauli* stilus Rom. 5, 16. not. — κατὰ τὸν νόμον) *in lege.* c. 9, 19. — ἀδελφοὺς, *fratres*) quibuscum eadem sunt naturali conditione. His tamen praeferuntur levitae; his sacerdotes; his, Abraham patriarcha; huic, Melchisedekus.

v. 6. ἐξ αὐτῶν) *ex illis,* quibus etiam antiquior erat. — καὶ, *et*) Habet hic versus duas propositiones, quarum priorem antecedit declaratio; alteram subsequitur. χιασμός. Simulque hoc alterum momentum praestantiae Melchisedeki prae Abrahamo, nempe *benedictio*, commode innectitur priori momento de *decimis*, quippe cujus descriptio postea pertexitur. — τὸν ἔχοντα, *qui habebat*) Hoc et dignitatem Abrahae auget; et innuit, etiam posteros, qui Abrahamo jam tum promissi erant, concedere Melchisedeko. — τὰς ἐπαγγελίας, *promissiones*) Pluralis. Ubi de Christo agitur, *promissio* dicitur: *promissiones*, ad reliqua pertinent. Bis jam promiserat DEUS Abrahamo, Gen. 12, 2. 13, 15., ante benedictionem Melchisedeki. — εὐλόγηκε, *benedixit*) In protasi, de sacerdotibus leviticis, implicite continetur etiam *benedictio,* quam sacerdotes in populum pronunciabant.

v. 7. εὐλογεῖται, *benedictionem accipit*) si videlicet benedictio fiat cum auctoritate v. gr. sacerdotali.

v. 8. μαρτυρούμενος) *testimonio ornatus.* — ὅτι ζῇ, *quod vivat*) Melchisedeki mors in V. T. non memoratur: id positive exprimitur *vitae* vocabulo, propter apodosin de Christo.

v. 9. ὡς ἔπος εἰπεῖν) Quum in explicatione rei alicujus post alias partes, de quibus dictum erat et dici poterat, de improviso summum quiddam dicendum venit, in quo Latinis particula *denique* apta est; haec formula morata, ὡς ἔπος εἰπεῖν, vel ὡς εἰπεῖν, in N. T. alias non obvia, a Graecis ad vitandam hyperbolen vel praecisioris sermonis prolixitatem vel cujuscunque προθεραπείας et mitigationis causa, adhiberi solita fuit, quo innuerent, rem, nisi praesentibus verbis exprimatur, vix posse dici, et tamen necessario dici. Vid. Not. ad Chrys. de Sacerd. p. 494. — Λευΐ, *Levi*) sacerdotum progenitor. — λαμβάνων, *accipiens*) v. 5.

v. 10. ἔτι, *adhuc*) *Adhuc,* inquit, non *jam.* Proles e parentis potestate egressa, in suam venit tutelam: sed quoad in parentis potestate, imo in lumbis est, illius conditionem sequitur. Dices: Annon, ut Levi, sic ipse Christus secundum carnem, erat in lumbis Abrahae? coll. Act. 2, 30. Resp. Christus per Psalmum diserte proponitur, tanquam sacerdos secundum ordinem Melchisedek, et quidem ita, ut Melchisedekus Filio DEI, non Filius DEI Melchisedeko, assimiletur: neque Abrahamo subordinatur Christus, sed levitis opponitur. Atque Abrahamus, quum ei Melchisedekus benediceret, Gen. 14, 19. jam habebat promissiones, Hebr. 7, 6.: eas videlicet, quibus continebatur et benedictio generalius expressa et naturale semen, adeoque etiam Levi. Gen. 12, 3. 7. 13, 15. s. sed eae promissiones, sub quibus Christus continebatur, subsecutae sunt occur-

sum Melchisedeki, perinde uti laudatissima Abrahami fides. Gen. 15, 1. seqq. ubi notabile initium, *Posthaec.*

v. 11. εἰ μὲν οὖν, *si ergo*) Nunc apostolus, psalmo 110. in partes vocato, demonstrat, leviticum sacerdotium cedere sacerdotio Jesu Christi: quia Melchisedek, secundum cujus ordinem et similitudinem Jesus Christus sacerdos est, (1.) Aaroni opponitur: v. 11—14. (2.) non habet finem vitae. v. 15—19. — τελείωσις, *consummatio*) Hoc verbum ponunt LXX pro Hebraico מְלֵאִים Ex. 29, 22. etc. Lev. 7, 37. 8, 22. 28. 29. 31. 33. ubi sermo est de consummatione *levitica:* hic vero innuitur τελείωσις τελείᾳ, *consummatio absoluta.* conf. v. 19. Non additur articulus; eoque auget Paulus vim orationis negativae. — ἦν) *esset.* sic ἦν, c. 8, 7. — ὁ λαὸς γὰρ, *populus enim*) Conjunctio γὰρ nomini postposita, uti v. 28., innuit, nomen *populus* hic habere emphasin: *populus DEI totus.* Eadem ipsa ostendit, cur quispiam levitico sacerdotio forte posset *consummationem* adscribere, et cur opus sit hanc opinionem confutari. conf. γὰρ, *enim,* item subjunctum τῷ εἰ, *si,* c. 8, 7. 8. — ἐπ' αὐτῇ, *super eo*) super sacerdotio levitico. Ἐπὶ, cum Dativo, *super,* denotat saepe objectum, idque interdum vel causae vel effectus vim habens. c. 8, 1. 6. 9, 10. 17. 11, 4. — νενομοθέτητο, *legem susceperat*) Plusquamperfectum, quia intervenit tempus, quo exiit psalmus 110. Ut תורה est νόμος, *lex,* v. 12. ita verbum יהורה LXX exprimunt, νομοθετεῖν τινα, *instituere aliquem,* Ps. 25, 8. 27, 11. 119, 33. 102. Populus unice institutus est de levitico sacerdotio, in quo tota lex occupatur, de nullo alio loquens sacerdotio: v. 5. at psalmus 110. aliam institutionem introducit; quia nempe DEUS sacerdotium transtulit. — τίς ἔτι, *quae jam*) Hoc *jam* valde urget. — χρεία, *necessitas*) Nam DEUS nil facit frustra. — ἕτερον, *alterum*) Confer epitheta, *novum, secundum.* c. 8, 13. 10, 9. — ἀνίστασθαι) *exsistere* de integro. v. 15. Antitheton, λέγεσθαι, *dici* ex instituto veteri. — λέγεσθαι, *dici*) in Psalmo, cujus tempore vigebat *Aaron,* i. e. *ordo Aaronis.*

v. 12. μετατιθεμένης, *translato*) ex ordine in ordinem, ex tribu in tribum. — γὰρ, *enim*) Aperit, cur versu 11. urgeat verba Psalmi de ordine Melchisedeki: quia inde consequatur, cum sacerdotio simul etiam legem transponi, et utrumque ad Christum redigi. — νόμου, *legis*) v. 5. 16. 19. 28. c. 8, 4. De Christo dicitur τάξις, *ordo.*

v. 13. ἐφ' ὃν) is, *in quem* haec dicuntur per Psalten, Jesus. — μετέσχηκεν, *participavit*) Idem verbum, c. 2, 14. — τῷ θυσιαστηρίῳ, *altari*) levitico.

v. 14. πρόδηλον) *manifestum* est. Illo igitur tempore nulla difficultate laborabat genealogia Jesu Christi: et hoc ipsum difficultatibus postea exortis abunde medetur. Rem olim liquidam fuisse, et constat et sufficit. — ἐξ ἰούδα, *ex Juda*) Vide Luc. 1, 27. 39. not. et cap. 2, 4. s. Etenim *Tribus* praecipue spectatur; nec tamen non urbs, ubi natus est Dominus noster, *Bethlehem Juda*; quin etiam *urbs Juda,* Hebron, ubi eum conceptum esse, admodum verisimile ait esse etiam Lightfootus in Chron. N. T. Part. I. sect. 3. et 4. et in Harmon. evangel. ad Luc. 1, 39. — ὅτι ἀνατέταλκεν, *exortum esse*) ut *Germen* justitiae. — εἰς ἣν) *in quam.* Sic εἰς, *in,* Eph. 5, 32. 1 Petr. 1, 11.

v. 15. κατάδηλόν ἐστιν) *patet,* scilicet illud, quod versu 11. asseritur. [*nullam consummationem factam esse per sacerdotium leviticum.* V. g.] — εἰ, *si*) Elegans particula, pro ὅτε *quum,* ad eos, quibus res esse nova aut dubia videtur; uti Act. 26, 23. — ὁμοιότητα, *similitudinem*) Hanc includit τάξις, *ordo:* et similitudo dicitur, quia hic sermo instituitur de *perenni vigore* sacerdotii, v. seq. ex illo, εἰς τὸν αἰῶνα, *in aeternum.* v. 17.

v. 16. ὃς γέγονεν) *qui factus est* sacerdos. Cum *sacerdos* construitur κατὰ *secundum.* — νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς, *legem praecepti carnalis*) *Legi* mox opponitur *virtus: praecepto vita: carnali indissolubile. Praeceptum* recurrit

v. 18., *lex* versu 19., de *carne* conf. c. 9, 10. — δύναμιν ζωῆς, *potentiam vitae*) Utrumque verbum recurrit versu 25.

v. 18. ἀθέτησις, *sublatio*) Sic, ἀναιρεῖ, *tollit*. c. 10, 9. — γίνεται, *fit*) in Psalmo. — προαγούσης ἐντολῆς, *praecedentis praecepti*) Notatur hoc praeceptum in abstracto, v. 16. et in concreto, cum hominibus, v. 28. perinde ut *prius testamentum*, c. 8, 7. s. — ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς, *infirmitatem et inutilitatem*) Sic *infirma elementa* appellat *Paulus*, Gal. 4, 9. idemque utilitatem saepe desiderat et spectat. c. 13, 9. coll. Epp. ad Tim. et Tit.

v. 19. οὐδὲν ἐτελείωσεν ὁ νόμος, *nil perfecit lex*) Non multo aliter *Paulus* dicit τὸ ἀδύνατον κτλ. *impossibile legis, quia infirmabatur per carnem.* Rom. 8, 3. — ἐπεισαγωγὴ) *superintroductio* proprie. Constr. cum γίνεται, *fit*. [— *in Psalmo nimirum.* V. g.] Manifestum antitheton: *sublatio quidem, superintroductio autem.* ἐπὶ in ἐπεισαγωγὴ opponitur τῷ πρὸ in προαγούσης, et valet μετὰ, *post*. v. 28. — κρείττονος, *melioris*) id est, *non infirmae et inutilis.* Frequens in hac epistola epitheton, κρείττων, item αἰώνιος, ἀληθινὸς, δεύτερος, διαφορώτερος, ἕτερος, ζῶν, καινὸς, μέλλων, νέος, πρόσφατος, τέλειος. — ἐγγίζομεν, *appropinquamus*) Haec vera τελείωσις *perfectio.*

v. 20. καθ' ὅσον, *in quantum*) subaudi ex eo, quod sequitur, *sacerdos factus est.* Apodosis est v. 22. κατὰ τοσοῦτον, *in tantum.* — ὁρκωμοσίας) Compositum magnificum.

v. 21. διὰ τοῦ λέγοντος πρὸς αὐτὸν, *per eum, qui dicebat ad illum*) Alius jurat, qui munus recipit: hic juravit, qui sacerdotium contulit. De hoc juramento nil apud Mosen, sed in Psalmo. Vide, quanta Psalmorum quoque auctoritas! v. 28. — ὤμοσε Κύριος καὶ οὐ μεταμεληθήσεται, *juravit Dominus, et non poenitebit eum*) Sic LXX. Ipso jurejurando innuitur decretum ἀμεταμέλητον, *nulla poenitudine retractandum.*

v. 22. κρείττονος, *melioris*) nunquam poenitendi testamenti, aeterni. c. 13, 20. — διαθήκης, *testamenti*) Ab hoc loco frequens hoc verbum est capp. 8. 9. 10. it. c. 12, 24. 13, 20. *Paulo* etiam alibi frequens. Denotatur institutum divinum, partim foederis, partim testamenti rationes complexum. — ἔγγυος, *sponsor*) Hesychius, ἔγγυος, ἀνάδοχος. Synonymon, μεσίτης, *mediator*. c. 8, 6.

v. 23. πλείονες, *plures*) alius post alium. — παραμένειν) *una manere*, in terra. Antitheton, μένειν, *manere*, absolute, in coelo. v. 24.

v. 24. μένειν, *manet*) in vita et in sacerdotio. — αὐτὸν) quia *Ipse* manet. σὺ, *tu* es *Sacerdos*, in singulari. — ἀπαράβατον, *non transeuntem*) in successores.

v. 25. ὅθεν, *unde*) ex eo, quia *manet*. — καὶ, *etiam*) non modo ipse manet, sed etiam salvat. — σώζειν, *salvare*) suo, *Jesu*, nomine, v. 22. — εἰς τὸ παντελὲς, *prorsus*) Sic Luc. 13, 11. Valet παντελῶς, *omnimodis*, l. 2. Macc. saepe. Constr. cum δύναται, *potest*; *ut* πάντοτε, *semper*, cum ζῶν, *vivens*. — τοὺς προσερχομένους, *accedentes*) fide. c. 4, 16. 10, 22. — δι' αὐτοῦ, *per ipsum*) tanquam per sacerdotem. — τῷ θεῷ, *ad DEUM*) c. 11, 6. 12, 22. s. — πάντοτε ζῶν, *semper vivens*) Quia semper vivit: ideo prorsus *potest*. Non impeditur morte. conf. v. 23. — εἰς, *ad*) id est, usque adeo, ut interveniat pro illis. Conferatur, in simillimo *Pauli* loco, gradatio, Rom. 8, 34. et εἰς τὸ, infra, c. 11, 3. Oblatio una quidem erat, v. 27. sed ἔντευξις, *interpellatio*, pro salvandis nobis, in *coelis* perpetua est, v. 26.: qua fit, ut non possimus unquam separari ab amore DEI in Christo. Vid. iterum Rom. 8, 34. 38. 39.

v. 26. τοιοῦτος, *talis*) Ex antecedentibus magna exsultatio sanctae gloriationis in hunc et sequentem versum diffunditur. — ἔπρεπεν ἡμῖν) *decebat nos*, qui minime eramus *pii* etc. Ita verbum *decebat* facit orationem paradoxam, qualem *Paulus* amat, in plausum exardescens. Idem verbum, c. 2, 10. — ὅσιος, *pius*) in respectu ad *DEUM*. — ἄκακος, *sine vitio*) secundum se. תמים LXX

Digitized by Google

ἄκακος. — ἀμίαντος) *nil labis trahens* a ceteris *hominibus*. Idem verbum, c. 13, 4. Omnia haec praedicata, conjunctim, faciunt periphrasin τοῦ ἅγιος, *sanctus*, et illustrantur per praeparationem sacerdotis summi levitici ad festum expiationis, quum etiam in *solitudine* et *loco edito* commorari debuit. Princeps sacerdos noster debebat esse prorsus immunis a peccato, et, post mortem semel gustatam, a morte quoque. — κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν) non modo a peccato immunis, sed etiam separatus a peccatoribus. Separatus est, relicto mundo. Expende incisum subsequens et Joh. 16, 10. 1 Joh. 2, 1. — ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν) *altior coelis*, atque adeo coelitibus. [*Est verus DEUS. Conf. Hiob.* 22, 12. Ps. 57, 6. *Prov.* 30, 4. V. g.] Eph. 1, 21. 4, 10. — γενόμενος, *factus*) Christus altior coelis et erat antea, et postea factus est. conf. γενόμενος, *factus*, c. 1, 4. Eadem vis participii τετελειωμένον, *consummatum*. v. 28.

v. 27. οὐ, *non*) Negatio dupliciter valet, et sic evolvitur: Non habet necesse offerre, 1) quotidie: 2) pro suis quoque peccatis. Non *quotidie:* id enim fecit *semel*. Non *pro suis* peccatis: nam se ipsum obtulit, victimam sanctam. Accedit chiasmus inversus. Prius ex altero consequitur: alterum versu 28. confirmatur. Saepe in Scriptura duae theses ponuntur, et per duplex γὰρ, *enim* sequens probantur. — καθ' ἡμέραν, *quotidie*) Proprie κατ' ἐνιαυτὸν, *quotannis*: c. 10, 3. *Diem*, pro *die expiationis*, dicunt Hebraei: unde nonnulli καθ' ἡμέραν interpretantur, *quoris die expiationis*: sed hoc, καθ' ἡμέραν, usitatam vim retinet, ut sit quaedam quasi indignabunda hyperbole (qualis est c. 10, 1. εἰς τὸ διηνεκὲς, *in perpetuum*) innuens, nihilo plus profecisse principem sacerdotem *quotannis*, stato *die*, offerentem, quam si cum vulgo sacerdotum *quotidie* obtulisset. c. 9, 6. 7. — τοῦτο) *hoc*, simpliciter refertur ad *oblationem*, non ad oblationem etiam pro se. — ἐφάπαξ, *semel*) Rom. 6, 10. not. Sic infra, c. 9, 12. 10, 10.

v. 28. ὁ νόμος γὰρ, ὁ λόγος δὲ, *lex enim, sermo autem*) Antitheton valde expressum, conjunctione nominibus postposita. — ὁ λόγος, *sermo*) firmissimus ex juramento. — τῆς μετὰ τὸν νόμον) Non modo sermo, sed ipsum juramentum divinum factum dicitur post legem, [*coll.* v. 18.] tempore Davidis, et quidem per Davidem, sicut DEUS persaepe ex ore prophetarum jurat. Conf. Act. 2, 30. ubi de regno Christi per juramentum eadem aetate sancito. Argumentatur *Paulus* ex ordine revelationum, uti Gal. 3, 17. not. Infra, c. 10, 7. 16. — υἱὸν) *Filium* DEI. Antitheton, *homines habentes infirmitatem*. — εἰς τὸν αἰῶνα, *in aeternum*) Resolve: Filius (semel consummatus) constitutus est sacerdos in aeternum. c. 5, 9. 10. not. Aeternitas absoluta hic innuitur. In aeternum manet sacerdos Jesus. Absolutis actibus, manet status.

CAPUT VIII.

v. 1. Κεφάλαιον, *caput*) Accusativus absolutus, quo *Paulus* utitur 1 Tim. 2, 6. not. *Caput*, id est, praecipuum. — ἐπὶ τοῖς λεγομένοις) *dum* haec *dicuntur*, dum hoc objectum tractamus, dum haec omnia de archisacerdote nostro dicimus, caput totius sermonis, ordine ita postulante, commemorandum venit. conf. ἐπὶ, v. 6. c. 9, 10. 15. 17. 10, 28. Praepositionum graecarum vis interdum per se capi debet, nec periphrasin adaequatam latinam aut germanicam subit. Videatur nota 3. ad ipsum v. 15. cap. 9. Eum versum non allegavi ad cap. 7, 11. not. 5.: quare verba hujus notae 5. non sunt ad cap. 9, 15. extendenda. ἐπὶ etiam concomitantiam dicit, quae per *dum* exprimitur. — τοιοῦτον, *talem*) Propositio *capitalis*, valde extans. Finita enim evolutione *typi* in Melchisedeko, *simpliciter* tractare ingreditur excellentiam sacerdotii Christi prae sacerdotio levitico. — ἐκάθισεν, *consedit*) peracta oblatione. [*Hoc ipsum* caput *rei est, inquit Aposto-*

oogle

lus, quod Christus sedens, in coelo, *sacerdotio suo fungitur.* cap. 10, 12. V. g.] — τῆς μεγαλωσύνης, *Majestatis*) i. e. τοῦ θεοῦ, *DEI.* c. 12, 2. fin.

v. 2. τῶν ἁγίων, *sanctorum*) sanctuarii, absolute dicti, *veri*, non manufacti. c. 9, 8. 12. 10, 19. — λειτουργὸς) scil. ὤν. sic, λειτουργία. v. 6. Latine possis, sed augustissimo sensu, dicere, *Officialis, officium.* — τῆς σκηνῆς, *tabernaculi*) c. 9, 11. not. — τῆς ἀληθινῆς, *veri*) c. 9, 24. — ἔπηξεν, *fixit*) firmiter. — οὐκ ἄνθρωπος, *non homo*) ut Moses. v. 5.

v. 3. γὰρ, *enim*) Causa, cur λειτουργὸν appellet. v. 2. — ἀναγκαῖον, *necessum*) scil. ἦν, *erat.* nam sequitur aoristus, προσενέγκῃ *offerret.*

v. 4. γὰρ, *enim*) Causa, cur dixerit, ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *in coelis.* v. 1. χιασμὸς, coll. v. 2. 3. — ἐπὶ γῆς) *Si* sacerdos noster *esset* sacerdos *in terra*, si sacerdotium ejus terminaretur in terra, ne sacerdos quidem Is omnino esset. Christus, dum sacerdotio functus est, intravit in coelum. — ὄντων) quippe *quum* jam in medio *essent* sacerdotes.

v. 5. ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ) ἓν διὰ δυοῖν, posterius additur, ne prius augustiore notione accipiatur, utrumvis repetitur seorsum c. 9, 23. 10, 1. Est autem hoc loco casus sextus: *exemplari et umbra.* sic, ὑποδείγματι, c. 4, 11. — λατρεύουσι, *serviunt*) Idem verbum, c. 9. passim, c. 10, 2. 13, 10. Loquitur in praesenti, templo nondum destructo. c. 9, 6. 13, 11. — τῶν ἐπουρανίων, *coelestium*) quae et antiquiora sunt, in intentione, et ulteriora, in consummatione. Conf. Ap. 11, 19. *Coelo* congruit *montis* mentio. — κεχρημάτισται) *divinitus jussus est.* — ὅρα γάρ φησι ποιήσῃς πάντα κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντά σοι ἐν τῷ ὄρει) Ex. 25, 40. LXX, ὅρα ποιήσῃς κατὰ τὸν τύπον τὸν δεδειγμένον σοι ἐν τῷ ὄρει. et sic ibid. v. 9. c. 26, 30. 27, 8.

v. 6. νυνὶ, *nunc*) Hoc opponitur τῷ εἰ, *si*, v. 4. — [1]) τέτευχε) Eadem locutio, 3 Macc. 5, 32. βοηθείας τετευχότες. — ὅσῳ, *quanto*) Naturam testamenti sequitur ratio officii, ut promissiones, quas illud habet, ad exitum perveniant. — διαθήκης μεσίτης — ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται) Omnia *Paulina*, 1 Tim. 2, 5. Rom. 9, 4. — ἐπαγγελίαις, *promissionibus*) quae enumerantur v. 10. 11. Promissiones *veteres, praecise* spectatae, erant de rebus hujus vitae. atque illae exacte impletae sunt, ut populus satiatus coelestes deinde avidius amplecteretur. — νενομοθέτηται) Eleganti verborum differentia de V. T. dicitur, ὁ λαὸς νενομοθέτητο, *populus lege fixus erat*, c. 7, 11.: sed Novum Testamentum *ipsum* νενομοθέτηται *lege fixum est.* Homo violat: DEUS servat. Verbum graecum νενομοθέτηται non fert particulam *quasi:* et tamen sensus est, *durch ein Gesetz*, vel, *durch Gesetze*, v. 10. νόμος, *institutum.*

v. 7. ἡ πρώτη, *prius*) Metonymia. nam *reprehensio* cadit non in institutum divinum, sed in objectum reale et personale. αὐτοῖς, *eis*, dicitur v. 8. ex quo patet, novum testamentum non modo ipsum esse sine *reprehensione*, sed etiam populum ejus. — ἐκείνη, *illud*) Pronomen praeteritae rei aptum. — ἐζητεῖτο, *quaereretur*) Aptum verbum. omnia occuparat prius illud.

v. 8. μεμφόμενος) Exquisitum verbum, ut modo, ἄμεμπτος. *Ammonius*, Μέμψις, ἀμελοῦντος κατηγορία· et penes populum veterem fuit ἀμέλεια. Ἀμέλεια populi activa erat, quae ἀμέλειαν divinam erga se provocavit. v. 9. not. — αὐτοῖς) *illis*, qui erant sub veteri testamento. μέμφομαι dativum regit. — ἰδοὺ, *ecce*) Jer. 31, 31—34. LXX ubi differant, notabimus. — λέγει) LXX φησί. et sic v. 9. 10. Ter enim adhibetur gravissima formula: *Dicit Dominus.* — συντελέσω) LXX, διαθήσομαι. Hebr. וכרתי pro quo verbo LXX συντελεῖν ponunt Jer. 34, 8. 15. Aptum huic loco verbum, *consummabo*, coll. antitheto, v. 9. fin. et promissione, v. 10. fin. — ἐπὶ) LXX, τῷ οἴκῳ ἰσραὴλ καὶ τῷ οἴκῳ ἰούδα. Hebr. את *cum.* Da-

1) διαφορωτέρας, *praestantiorem*] coelestem. *V. g.*

Digitized by Google

tivus retinetur v. 9. de V. T. sed praepositio *super* plus dicit de N. T. — ισραὴλ — ιούδα, *Israël — Juda*) Ergo decem tribus aeque ac Juda hujus foederis participes sunt.

v. 9. ἐποίησα, *feci*) LXX, διεθέμην, *disposui. consummare* plus est, quam *facere* et *disponere*. — ἡμέρᾳ, *die*) Huic uni *diei* opponuntur *dies* plures. v. 8. Hi plures dies sunt dies interjecti inter diem Exodi et inter N. T. — ἐπιλαβομένου μου τῆς χειρὸς αὐτῶν, *quum apprehendi manum eorum*) Recenti sensu opis et virtutis divinae, veteres morem gesserunt; sed mox deficere *solebant*, et Deum a se avertere. Hunc morem habebant. confer mox *non manserunt*. Non erat tantummodo unicus actus. — ἐκ γῆς αἰγύπτου, *ex terra Aegypti*) Tria sunt tempora: 1) promissionis; 2) paedagogiae; 3) impletionis. Paedagogia coepit tempore exitus ex Aegypto, cum eo, quod debebat veterascere. — αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, *illi non manserunt in foedere meo, et ego non curari eos*) Correlata, uti v. 10. ex opposito: *Ero eis in DEUM, et illi erunt mihi in populum.* sed ratione inversa: populus fecerat initium tollendi foederis prius: in novo omnia et incipit et perficit DEUS. v. 10. s. — κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν) LXX, καὶ ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν. ואנכי בעלתי בם *et ego dominatus sum in eos:* quanquam sunt, qui verbo בעל notionem געל ἀμελείας *fastidii* ex Arabismo vindicent. Dominatus quidem et ἀμέλεια conciliari quodammodo possunt, hoc sensu: *tractari eos, ut si ego non essem illis:* Hos. 1, 9. *nec propitius fui peccatis eorum.* Deut. 29, 19. 31, 16. seqq. In quos talis *dominatio* exercetur, ii non *curantur,* non gaudent admissione illa, qua gaudent *foederati* sive *amici:* Joh. 15, 15. sed tractantur, ut *servi,* neque magna eorum, quicquid obtingat, ratio habetur. Ez. 24, 6. fin. Jer. 15, 1. s. Simile quiddam dicunt loca Jer. 3, 14. Ex. 20, 33. 37. Sed utroque loco promissio est magis, quam comminatio. Quin etiam in praesenti, Jer. 31, 32. Hebraeorum magistri, ut Surenhusius in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 628. docet, verbum בעלתי de *dominio amoris et beneplaciti* accipiunt, neque id nisi per paragramma in contrarium בחלתי *fastidivi* vertunt. Plane LXX בם געלתי legisse videntur, quo ipso verbo Jeremias c. 14, 19. utitur: μὴ ἀπὸ σιὼν ἀπέστη (געלה) ἡ ψυχή σου;

v. 10. διαθήκη) διαθήκη μου LXX. — ισραὴλ, *Israël*) Hic subauditur *Juda.* Nova conjunctio populi: quae in V. T. duae domus erant, v. 8. in Novo fiunt una domus. — διδοὺς) Participium pro verbo. 2 Petr. 1, 17. διδοὺς δώσω, LXX. sic διδοὺς, Es. 40, 29. Sunt quatuor sententiae per χιασμὸν dispositae: prima, *Dabo:* secunda, *et ero:* tertia, *et non:* quarta, *quia omnes.* Primam declarat secunda, tertiam quarta. — νόμους μου) Hebr. את תורתי *legem meam.* Summa harum legum est mox, *Ero eis in DEUM, et illi erunt mihi in populum.* — εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν) בקרבם *in medium eorum:* ut obediant ex animo. — ἐπὶ καρδίας) Genitivus. c. 10, 16. — ἐπιγράψω αὐτοὺς) LXX, γράψω αὐτοὺς, καὶ ὄψομαι αὐτούς.

v. 11. οὐ μὴ διδάξωσιν, *non docebunt*) Metonymia consequentis: i. e. omnes a DEO ipso edocti erunt, praesertim amorem, qui summa legis est. Non negatur absolute opera fraterna in docendo. primum enim docendi sunt homines, dum ipsum testamentum eis promulgatur: Act. 3, 25. Es. 2, 3. tum, qui ipsam virtutem testamenti assequuntur in remissione peccatorum et cognitione Domini, his certe non plane necessaria jam est fraterna institutio. *Non opus est nobis, ut scribamus; non vobis, ut scribatur,* inquit *Paulus,* 1 Thess. 4, 9. 5, 1. Plenissimum harum promissionum complementum erit, quum venerit *perfectum,* vita aeterna. In via autem quisque se ipsum et fratrem *hortari* certe debet. c. 13, 22. Jud. v. 3. quid? etiam doctrina, quae vel solidus cibus est vel lac, pro robustis et pro minoribus, utrisque piis, pios juvat: Hebr. 5, 12. s. 13, 7. imo hi ipsi *doctrinam* nunc demum maxime capiunt. 1 Cor. 2, 6. 3, 1. atque ipse apostolus et hic et in toto suo munere *docet.* Summa illa, γνῶθι τὸν

Googl

Κύριον, ***nosce Dominum***, a Domino discitur. omnem doctrinam huic summae consentaneam, alter alteri indigitat. Maximeque admonitio locum habet. 2 Petr. 1, 12. Interim non est operosa et coacta doctrina: quia gratia omnes facit valde dociles. neque enim jam literae, sed spiritûs ministerium est. 2 Cor. 3, 6. not. Neque fidelium firmitudo ***auctoritate doctorum*** humanorum nititur. Est haec quoque causa, cur Scriptura N. T. multo sit brevior; et cur aliqua sint minus aperte decisa. DEUS ipse suos docet. — τὸν ἀδελφὸν, ***fratrem***) Hoc arctiorem necessitudinem sonat, quam ***proximus*** aut ***civis***. [1]) — [2]) ἀπὸ μικροῦ, ***a parvo***) ***Debilis in eis erit ut David.*** Zach. 12, 8.

v. 12. ὅτι, ***quia***) Remissio peccatorum, radix beneficiorum et agnitionis. — ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν, ***iniquitatibus eorum***) Abstractum pro concreto. peccatum aboletur: peccatores gratiam consequuntur. — καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν, ***et iniquitatum eorum***) Hoc non extat in Hebraeo, neque apud LXX. Sed apostolus addit, gravitatis causa. c. 10, 17. coll. ibid. v. 8. 5. — οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι, ***non recordabor posthac***) Conf. c. 10, 3.

v. 13. ἐν) ***in***. Notatur tempus, quo dictum est per Jeremiam. — πεπαλαίωκε, ***antiquavit***) Neque enim utrique simul locus esse potest. Praeteritum verbi ***antiquavit*** innuit, antiquationem esse factam tum, quum per Jeremiam locutus est. semel in V. T. promissum fuit ***Novum testamentum*** sub hac ipsa appellatione. Et tamen id valde urget apostolus. Tanti sunt verba prophetica. — τὸ παλαιούμενον, ***quod antiquatur***) ore DEI. Etiam 2 Cor. 3, 14. ***vetus testamentum*** appellat ***Paulus***. — καὶ γηράσκον, ***et quod senescit***) desciscente populo. Opposita παλαιὸς et καινὸς, item γέρων et νέος. inde διαθήκη νέα. c. 12, 24. est enim ***rita*** nova. c. 10, 20. 2 Cor. 5, 17. 15. — ἐγγὺς, ***prope***) Jeremias tempore captivitatis Babylonicae, paene extrema prophetarum aetate, longo [***i. e. annorum*** 899, V. g.] intervallo post exitum ex Aegypto, non valde diu [***anno nimirum circiter*** 627.] ante adventum Messiae, cujus propinquitas eo ipso comprobabatur, haec cecinit.

CAPUT IX.

v. 1. Ἡ πρώτη, ***primum***) Subauditur διαθήκη, ***testamentum***, non σκηνὴ, ***tabernaculum***. Etenim ipsum tabernaculum erat τὸ ἅγιον κοσμικὸν, ***sanctuarium mundanum***, quod mox videbimus. Elegantissima ellipsi praetermittitur vocabulum διαθήκη, quippe quod potius novo testamento convenit: unde etiam v. 15. dicitur διαθήκης καινῆς, substantivo ante adjectivum posito. [***Admirabilis hic introitus Christi in verum Sanctuarium descriptio habetur, usque ad*** c. 10, 18. V. g.] — δικαιώματα, ***justa officia***) ea, per quae muneris sacri partes implebantur. [v. 6. s.] Idem verbum v. 10. — λατρείας, ***cultus***) externi. — ἅγιον κοσμικὸν, ***sanctum mundiale***) Oxymoron. Sanctuarium illud erat ***mundiale*** (quae ***Sidonii*** vox opportuna est ad exprimendum τὸ materiale) sive ***mundanum***, (quomodo ***elementa mundi*** dicit ***Paulus*** Gal. 4, 3.:) et ***carnale:*** c. 7, 16. Constabat ex materia pretiosa; sed tamen ex materia. Habet hic versus partitionem, in qua primum ***officia*** proponuntur, deinde ***sanctuarium***. sequitur tractatio primum de ***sanctuario***, v. 2—5., deinde de ***officiis***, v. 6. seqq. (Simillimus ***Pauli*** χιασμὸς, 1 Cor. 9, 1. not.) utrorumque antitheton, v. 11. 12.

v. 2. ἡ πρώτη, ***primum***) anterius tabernaculum. — ἥ τε λυχνία καὶ ἡ τράπεζα, ***candelabrum et mensa***) Typus lucis et vitae. — ἡ πρόθεσις τῶν ἄρτων, ***propositio panum***) Metonymia abstracti. i. e. panes, qui propositi erant. — ἅγια)

---

1) Civis, *inquit: nam lectio* πολίτην *et praefertur lectioni* πλησίον *in marg.* utriusque Ed., *et in* Vers. germ. *exprimitur voce* Mitbürger. E. B.

2) εἰδήσουσί με, *noscent me*] ex penitissima gratiae meae experientia. Jer. 9, 24. *V. g.*

Digitized by Google

Proparoxytonon, nil officiente foeminino ἥτις· nam sic quoque mox, ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων. τὰ ἅγια saepius in hac epistola significat *sancta sanctorum*: sed hic ἅγια, sine articulo, denotat *sancta*, in antitheto ad ἅγια ἁγίων. Aliqui ἁγία habent h. l.

v. 3. ἡ λεγομένη, *quod dicitur*) Sic v. 2., λέγεται *dicitur*. Oppositum τῶν ἀληθινῶν, *verorum*. v. 24.

v. 4. χρυσοῦν, *aureum*) Iis verbis utitur apostolus, quae pretiosum quiddam et gloriosum sonant. uti δόξης, *gloriae* v. 5. — θυμιατήριον) Sic LXX dicunt מקטרת *turibulum;* non *altare suffitus*, quod altari holocausti non memorato, nihilo magis memorari debuit. Turibulum autem solum cum arca foederis hoc versu citatur, quia praecipua erat pars supellectilis, qua summus sacerdos utebatur in die expiationis; et quamvis eo die et inferret demum et rursus efferret turibulum, tamen participium ἔχουσα, *habens*, rei congruit. Porro prius hoc ponitur, quia *arcae* descriptio sequitur copiosior. — ἐν ᾗ, *in qua*) scil. κιβωτῷ, *arca*. nam huc quoque refertur αὐτῆς, *ejus*. v. 5. — στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, *urna aurea habens manna*) Articulum habet μάννα, *manna*, non στάμνος, *urna*. nam pluris erat contentum, quam continens aureum, Ex. 16, 33. צנצנת אחת LXX, στάμνον χρυσοῦν ἕνα. Hanc urnam et virgam Aaronis, duo nobilissima cimelia, perpetuo miraculo instructa, alii suspicantur ex arca ante templum conditum exemta fuisse; alii, postea demum imposita: quia nempe 1 Reg. 8, 9. tabularum duntaxat in arca repositarum mentio fiat. Atqui ibidem liquido confirmatur, Mosis exemplo fecisse Salomonem: et Mosis tempora apostolus spectat, v. 6. init. c. 8, 5. coll. c. 13, 11., ubi nulla *urbis*, ut hic nulla *templi* mentio. Quid ergo dicemus? in ipsa arca solae fuerunt tabulae: sed urna et virga erant לפני העדות *ante testimonium*, adeoque ante arcam, Ex. 16, 34. Num. 17, 25. in Hebr., proxime arcam, tanquam ejus appendices: quomodo etiam liber legis, et cimelia Palaestinorum posita sunt a latere arcae. Deut. 31, 26. 1 Sam. 6, 8. Itaque ἐν *in* h. l. latitudinem quandam habet, uti Luc. 9, 31. etc. — τὸ μάννα, *manna*) Monumentum divinae in Israëlem providentiae. — ἡ ῥάβδος, *virga*) Monumentum sacerdotii legitimi. Num. 17, 16. ss. in Hebr. — αἱ πλάκες τῆς διαθήκης, *tabulae testamenti*) Deut. 9, 9. Hae extremo loco ponuntur per gradationem.

v. 5. χερουβὶμ, *Cherubim*) Ex. 25, 20. 37, 9. — δόξης, *gloriae*) Erant ex materia pretiosissima, et repraesentabant Gloriam DEI, vehentis super Cherubim. Ez. 10, 4. — κατασκιάζοντα) LXX, συσκιάζοντες. ll. cit. — περὶ ὧν, *de quibus*) Pronomen refertur ad totam enumerationem a v. 2. — οὐκ ἔστι νῦν λέγειν, *non est nunc dicere*) Non tam de sanctuario, ejusque apparatu, quam de sacrificiis tractationem institutam habet apostolus: neque dicit, *posthac non*, sed, *non nunc*, innuens, de his quoque singulatim rebus utiliter dici posse.

v. 6. εἰσίασιν) *intrant*, in praesenti. Sic. v. 7. 13. 22. 25. c. 10, 1.

v. 7. ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ) Sic LXX, Lev. 16, 34. *semel anno:* uno anni die, eoque ipso die semel. vid. *A. A. Hochstetteri* Ex. de Ingressu summi pontificis in sanctum sanctorum, p. 19—24. — ὑπὲρ ἑαυτοῦ) *pro se ipso*. Vulgatus, pro *sua*, scil. ignorantia. non tamen puto, ὑπὲρ τῶν ἑαυτοῦ in Graeco ejus exemplari fuisse. Quanquam sacerdos a popularibus ignorantiis immunis esset, tamen neque peccatis carebat, neque sacrificiis non egebat. c. 7, 27. — ἀγνοημάτων, *ignorantiis*) Vocabulum late patet, ut e contrario ἐπίγνωσις, *cognitio*. Vid. Num. 15, 22—31.

v. 8. δηλοῦντος, *ostendente*) tanquam rem, quae nobis aliter occulta mansisset. sic, δηλοῖ *ostendit*, c. 12, 27. — πεφανερῶσθαι, *manifestatam esse*) Idem verbum, v. 26. — τῶν ἁγίων, *sanctuarii*) Plurale Graecum respondet Hebraico singulari. Ut sancta se habebant ad sancta sanctorum, sic totum tabernaculum leviticum se habuit ad sanctuarium coeleste. inde, ut sancta arcebant illos ab

Google

aditu in sanctum sanctorum: sic totum tabernaculum interpellabat introitum in sanctuarium coeleste. Itaque πρώτης *primo* mox, habet amphiboliam paraboli-cam. si de *loco* accipias, denotat anteriorem partem tabernaculi, oppositam sanctis sanctorum: sin de *tempore*, denotat tabernaculum leviticum universum oppositum coelo. — ὁδὸν, *viam*) nedum εἴσοδον, *introitum*. conf. c. 10, 19. s. — ἐχούσης στάσιν, *habente stationem*) Apta phrasis. מִשְׁמָר LXX, στάσις. Nondum erat, Paulo scribente, destructum templum sive primum tabernaculum: sed tamen *statio* jam nulla ejus erat, ex quo velum fuerat scissum: et statione fracta, ipsum etiam tabernaculum paulo post penitus destructum est.

v. 9. ἥτις παραβολὴ, *quae est parabola*) ἥτις, pro ὅ, ante foemininum, παραβολή. Relativum hoc spectat ad tres versus antecedentes. — ἑνεστηκότα) *praesens*, respectu *stationis* illius. *Statio*, emphatice talis, *nulla* jam erat, quanquam ἡ σκηνὴ nondum *fracta*, nondum *deleta*, nondum *diruta*. Antitheton, μελλόντων, *futurorum*. v. 11. — δῶρά τε καὶ θυσίαι μὴ δυνάμεναι κτλ., *munera et victimae, non valentes etc.*) Poterant *victimae* videri efficaciores *muneribus* reliquis. itaque eleganter victimis expressius abdicitur efficacia. — συνείδησιν, *conscientiam*) Idem verbum, c. 10, 2. 22. Antitheton, σαρκὸς, *carnis*, v. 10.: uti v. 13. 14. [1 *Petr.* 3, 21.] — τὸν λατρεύοντα, *serrientem*) sacerdotem, qui pro se offerebat; vel Israëlitam, pro quo sacerdos offerebat.

v. 10. μόνον, *tantummodo*) Praecepta de *cibis* etc. sunt quasi appendix praeceptorum de *sacrificiis*: eamque appendicem extenuat haec particula. *Sacrificia* non purgant *conscientiam*: *cibi* ad *carnem* spectant. De utrisque confer c. 13, 9. seqq. Saepius μόνον *tantummodo* absolute ponit *Paulus*. 1 Cor. 7, 39. Gal. 2, 10. 5, 13. Phil. 1, 27. 2 Thess. 2, 7. — ἐπὶ, *super*) ἐπὶ cum Dativo, dicit quiddam concurrens, ut modo de *appendice* notavimus. conf. v. 15. 17. 26. Concurrunt *sacrificia* in *cultu publico*, et *cibi* etiam in *vita quotidiana*; dum eadem lex ceremonialis de utrisque agit, et in his atque similibus rebus tota versatur. — βρώμασι, *cibis*) quorum alii nunquam, alii non omnibus, nec semper, nec ubique permissi. — πώμασι, *potibus*) Lev. 11, 34. Num. 6, 3. — διαφόροις βαπτισμοῖς, *diversis lotionibus*) Hae multifariae erant, sacerdotum, levitarum, aliorum hominum. — δικαιώματα) Appositio casus recti et obliqui, uti Luc. 22, 20. not. — διορθώσεως, *correctionis*) תִּקּוּן LXX διορθοῦν· Jer. 7, 3. 5. itaque verbale διόρθωσις *correctio* respondet epitheto κρείττων *melior*. v. 23. — ἐπικείμενα, *incumbentia*) tanquam onus, sine intermissione.

v. 11. χριστὸς — ἀρχιερεὺς, *Christus — archisacerdos*) Sic Lev. 4, 5., ὁ ἱερεὺς ὁ χριστὸς, *sacerdos unctus*. Etiam Paulus hic Christum ut sacerdotem spectat: sed apud Mosen *unctus* est epitheton. — παραγενόμενος, *praesens factus*) Tum dixit repente: *Cedite, levitae*. c. 10, 5. 7. — τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, *futurorum bonorum*) Sic c. 10, 1. Ea bona describuntur v. 15. fin. — διὰ, *per*) Constr. cum εἰσῆλθεν, *intravit*. v. 12. — μείζονος) quod erat *majus* et nobilius. sic πλείονα, *potiorem*. c. 11, 4. — σκηνῆς, *tabernaculum*) Erat id Corpus ipsius. c. 10, 5. 20. coll. Joh. 2, 21. Tabernaculo opponitur corpus, ut sanguis sanguini, v. 12. Recte *Schomerus* in exeg. ad h. l. p. 33.: *tabernaculum hic sumitur pro via, ad interius Sanctum*. Etenim abstractam ejusmodi notionem comprobat subsequens appellatio κτίσεως, *instituti*, ut non ipsum denotetur Tabernaculum, sed *institutum, die Anstalt*. Igitur *Corpus* sive *Caro* (nam caro a corpore est *inseparabilis*) est velum; et Sanctuarium, Coelum. Sic, ut spero, res distincte evolvitur. — οὐ χειροποιήτου, *non manufactum*) Ideo majus erat hoc v. 24. Sic *Paulus*, Col. 2, 11. — οὐ ταύτης, *non istius*) Tabernaculum, per quod Christus intravit, *non* erat *istius*, fabrilis, structurae.

v. 12. τράγων καὶ μόσχων, *hircorum et vitulorum*) Unus uno tempore mactabatur hircus et juvencus, Lev. 16, 9. 3. sed is per se non erat melior om-

Digitized by Google

nibus ejusdem speciei animantibus. ideo pluralis hic ponitur. Accedit annua reiteratio. פר LXX, μόσχος l. c. et passim. — εἰς τὰ ἅγια, *in sancta*) in coelum. v. 24. — αἰωνίαν, *aeternam*) non modo ad diem aut annum. — εὑράμενος, *inveniens*) Sic, *inveni propitiationem*, Job. 33, 24. Denotatur *inventoris* studium, sapientia et fides; *inventionis* novitas et festivitas. c. 10, 20. Arduus fuit Christi aditus ad Patrem. c. 5, 7. Nemo antea calcarat viam vitae. Act. 2, 28. Joh. 3, 13. Christus non potuit non invenire; sed tamen *quaerere*, laboris fuit.

v. 13. γὰρ, *enim*) Confirmat, tantam esse vim unius sacrificii Christi, quantam versu 12. innuit. — ταύρων καὶ τράγων) *taurorum et hircorum*, brutorum. Extenuatio. — δαμάλεως, *vaccae*) rufae. Num. 19. Maimonidis de ea tractatum amplificavit vir S. R. Andr. Christ. Zellerus, hunc Apostoli conferens locum, p. 504. seq. Novem ejusmodi vaccas fuisse mactatas, a Mose usque ad vastationem templi secundi, tradunt Judaei. vid. ibid. p. 416. seq. — τοὺς κεκοινωμένους, *inquinatos*) Participium: minus quam κοινοὺς, *communes*. Construe cum ἁγιάζει, *sanctificat*, coll. seqq. — καθαρότητα, *munditiem*) Purificatio fiebat per aspersionem, non per lotionem: lotio autem indivulso nexu sequebatur. Num. 19, 19. Id praeclare facit ad distinguendam justificationem et renovationem.

v. 14. τὸ αἷμα) *sanguis*, et mors. v. seqq. — διὰ πνεύματος αἰωνίου, *per Spiritum aeternum*) per Spiritum sanctum. Vid. Luc. 4, 18., et conf. Rom. 1, 4. 15, 16. *Spiritus* opponitur conditioni animantum ratione carentium. v. 13. Epitheton *aeternus* intelligitur ex v. 12. 15. c. 7, 16., et opponitur *vaccae cinefactae*. — ἄμωμον, *sine vitio*) prae omni victima levitica. — καθαριεῖ, *mundabit*) Resp. καθαρότητα, *munditiem*. v. 13. Sic v. 22. 23. 10, 23. 1, 3. Futurum ponitur, in antitheto ad praesens ἁγιάζει, *sanctificat*, levitice. v. 13. — ἀπὸ) ἀπὸ, εἰς, *ab*, *in*, denotant res contrarias. — νεκρῶν ἔργων, *mortuis operibus*) *Mortua*, maxime *inquinant*. Antitheton, ζῶντι, *viventi*. Sanguine Christi abolitus est vigor peccati et mortis. — εἰς τὸ λατρεύειν, *ad serviendum*) in perpetuum, modo beatissimo et vere sacerdotali. [r. 12. *Apoc.* 22, 3. V. g.]

v. 15. διαθήκης καινῆς, *testamenti novi*) Hic testamentum potius, quam novitas testamenti urgetur. coll. v. 16. — θανάτου γενομένου, *morte facta*) id est, tum, cum mors evenisset. Articulus hujus mortis proprie dirimit V. T. a novo. — εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων, *in redemtionem earum, quae sub primo testamento erant, transgressionum*) Simillimus *Pauli* locus, Rom. 3, 24. s. Praepositio ἐπὶ *sub* non solum tempus denotat, sed innuit, primum testamentum non habuisse vim redimendi, et populum veterem eo magis fuisse transgressorem. Compositum ἀπολύτρωσις, h. l. Simplex, λύτρωσις, v. 12. — ἐπαγγελίαν, *promissionem*) Abrahamo datam. — λάβωσιν, *accipiant*) Nam prius non potuerant. — οἱ κεκλημένοι) *vocati*, appellati heredes [c. 3, 1.] — κληρονομίας, *hereditatis*) Apposita appellatio. nam est allegoria: *testamentum, mors, hereditas*.

v. 16. διαθήκη) *testamentum*. Haec Graeci vocabuli prae ברית Hebraico proprietas est. Articulus ἡ praetermissus generali sententiae congruit, uti Gal. 3, 15. — φέρεσθαι) *praestari*. Graeca φέρεσθαι, προσφέρεσθαι v. 14., inter se alludunt. — τοῦ διαθεμένου, *testatoris*) Christus est testator respectu nostri. Congruit hoc cum verbis Domini ante mortem, Luc. 22, 29.

v. 17. ἐπὶ νεκροῖς, *super mortuis*) Breviter expressum, pro his verbis: *super obitu testatorum*. Sic LXX Lev. 21, 5., ἐπὶ νεκρῷ, *super mortuo*. — μήποτε) Haec particula plane infert interrogationem: ἐπεὶ autem cum interrogatione vim habet. Rom. 3, 6. 1 Cor. 14, 16. 15, 29. Vid. Not. ad Chrys. de Sacerd. p. 424.

v. 18. ὅθεν, *unde*) Vocabula duo ברית et διαθήκη, differunt: sed tamen idem significant, quatenus ambo denotant *conventionem*, sive *dispositionem*, ejus-

Digitized by Google

modi, quae *sanguine* sancitur. Ubi *conventio* sancitur sanguine alieno, animalium, quae *pacisci* non possunt, nedum *testari*, non est proprie διαθήκη, *testamentum*, sed tamen ברית *foedus*, a testamenti ratione, ob caesas victimas, non longe remotum: ubi *dispositio* sanguine ipsius disponentis, id est, morte ejus, sancitur, est proprie διαθήκη *testamentum*, quod etiam vocabulo hebraico, latiorem significatum habente, ברית dicitur. Particula ὅθεν *unde* non debet nimium premi, quasi Testatoris sanguine sive morte etiam V. T. fuerit dedicatum. sed tamen vim suam habet, quatenus innuitur, testamentum novum, atque *adeo* etiam vetus, sanguine dedicandum fuisse. — ἐγκεκαίνισται, *initiatum est*) Sic LXX Hebraeum חנך exprimunt. Illo ipso initiationis die, maxime proprie coepit Vetus testamentum: idque mansit usque ad noctem et diem, quum Dominus proditus et mortuus est.

v. 19. λαληθείσης, *recitato*) Ex. 24, 6. ss. — πάσης ἐντολῆς κατὰ νόμον, *omni praecepto in lege*) Recitarat sive legerat Moses ea, quae Ex. 20., et fortasse etiam ea, quae capp. seqq. praecepta erant. Et totius recitationis anakephalaeosin habebat momentanea indigitatio scripti libri. — τῶν μόσχων καὶ τράγων, *vitulorum et hircorum*) Ex. 24, 5. expresse appellantur μοσχάρια, *vituli*: τράγους, *hircos* innuunt *holocausta*. — μετὰ ὕδατος καὶ ἐρίου κοκκίνου καὶ ὑσσώπου, *cum aqua et lana coccina et hyssopo*) Haec l. c. non extant, sed ut ex aliis Mosis locis jam nota praesupponuntur. Lev. 14, 5. s. Lana coccina Hebraeo שני התולעת respondet. LXX תולעת vertunt κόκκινον. שני κλωστὸν διπλοῦν, *netum duplex*, a forma; apostolus a materia. *coccinus* color, *sanguini* similis. — βιβλίον) Plerique, et Latini quidem ex Vulgato, hoc construunt cum ἐῤῥάντισε, *aspersit*: sed plane construi debet cum λαβὼν, *accipiens*, uti Ex. 24, 7., καὶ λαβὼν τὸ βιβλίον τῆς διαθήκης, *et accipiens librum testamenti*. Concinna est conjunctio, τὸ αἷμα αὐτό τε τὸ βιβλίον, collatis verbis illis, τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης· ut sanguis in hac ceremonia demonstretur, per se; testamentum, demonstrato libro: et ἐγκαινισμὸς *dedicatio* gemina illa demonstratione perficiatur. αὐτὸ, *ipsum*, additur, quia testamentum, libro descriptum, pluris erat, quam sanguis ille. τε non semper spectat particulam καὶ subsequentem, v. 1. Joh. 2, 15., ubi connectit sermonem potius cum antecedentibus, quam cum sequentibus: *etiam oves et boves*. confer porro Act. 26, 11.: quare non opus est hoc loco construi, αὐτό τε τὸ βιβλίον καὶ πάντα τὸν λαὸν ἐῤῥάντισε. Cetera, quae hic ab apostolo commemorantur, nec tamen Exodi c. 24. extant, aliis ex locis peti possunt: de *libri* vero aspersione, quae tamen ingens illius ceremoniae portio esset, nil in toto Mose invenias. Porro si liber aspersus esset, et si eam aspersionem diceret apostolus; eam non cum aspersione populi, sed cum aspersione tabernaculi et vasorum, adeoque altaris copularet. conf. *van Hoeke*, p. 190. Vide tamen *Jun.* I. 1209. l. 54. Verum enimvero ne aspergi quidem decuit librum ipsum. nam *liber continens verbum DEI, ipsum DEUM ibi repraesentabat*, ut ait Flacius in Glossa, ubi tamen librum quoque aspersum fuisse putat. Certe tabernaculum quidem cum vasis, [*illo ipso tempore adaptatum altari*, Ex. 24, 6—8. 25, 8. V. g.] purificationis eguit, v. 21. Lev. 16, 16. 19. seq. 33. 2 Chron. 29, 21. sed liber sive verbum DEI non eguit. Quae cum ita sunt, tamen καὶ ante πάντα non modo nil incommodi, sed plurimum elegantiae habet. Est enim oratio copulativa: ΚΑΙ πάντα τὸν λαὸν ἐῤῥάντισε Moses ex una parte, ΚΑΙ τὴν σκηνὴν δὲ — ἐῤῥάντισεν idem ex altera parte. Latini dicunt: *et, et vero*: vel, *non modo, verum etiam*. Sic οὔτε — καὶ οὐ, Ap. 9, 20. 21. — πάντα τὸν λαὸν ἐῤῥάντισε) LXX, κατεσκέδασε τοῦ λαοῦ. l. c. Alibi autem frequenter ponunt ῥαίνω, ῥαντίζω κτλ.

v. 20. τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ θεὸς) LXX, ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς διέθετο Κύριος πρὸς ὑμᾶς περὶ πάντων τῶν λόγων τούτων. — ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς) *Praecepit* mihi, ut perferrem *ad vos*.

v. 21. τὰ σκεύη, *vasa*) etiam vestes. — ἐῤῥάντισε) LXX, τὸ ἥμισυ τοῦ αἵματος προσέχεε πρὸς τὸ θυσιαστήριον.

v. 22. σχεδὸν, *fere*) Vis hujus particulae restringentis non cadit super πάντα, *omnia;* hoc enim non admittit exceptionem: sed super proximum illud, *in sanguine;* quia praeter sanguinem etiam alia adhibebantur materialia. v. 19. — χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις, *sine sanguinis effusione non fit remissio*) Hoc axioma totidem verbis extat in Tr. Talmudico Joma. vid. inprimis Lev. 17, 11. — ἄφεσις, *remissio*) levitica.

v. 23. οὖν, *igitur*) Particula innuit complexum hoc loco factum eorum, quae a v. 18. commemorata sunt. — κρείττοσι θυσίαις, *melioribus victimis*) Pluralis, plurali levitico respondens, pro singulari adhibitus, propter praestantiam unici sacrificii Christi, omnibus partibus absoluti. Si Judaeus quaerat, quae sunt sacrificia vestra? respondebimus, Sacrificia nostra consistunt in unico Crucifixi sacrificio. In hac apodosi verbum καθαρίζεσθαι, *mundari*, subauditum, facit hypallagen. nam *coelestia* per se sunt pura: sed nos purificandi fuimus, ut illa possemus capessere. v. 14. sic, ἁγιάζεται, *sanctificatur*, 1 Tim. 4, 5. 4., i. e. usus redditur sanctus respectu nostri. Conf. Lev. 16, 16. 19. Num. 18, 1.

v. 24. οὐ, *non*) Jesus Hierosolymis nunquam in intima templi venit; nunquam sacrificium pro se offerendum curavit, toto inter baptismum et oblationem sui tempore. — ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, *exemplaria rerorum*) Vera, antiquiora: manu facta, imitamina illorum. c. 8, 5. — εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν, *in ipsum coelum*) quo nil ulterius erat. — νῦν, *nunc*) Sic v. 26. — ἐμφανισθῆναι, *ut appareret*) Conveniens verbum respectu DEI: respectu nostri, πεφανέρωται, *manifestatus est*, v. 26., et ὀφθήσεται, *cernetur*. v. 28. — τῷ προσώπῳ τοῦ θεοῦ, *faciei DEI*) magis, quam Aaron, in tabernaculo, coram arca.

v. 25. οὐδ' ἵνα) *neque* ideo ingressus est, *ut*.

v. 26. ἐπεὶ ἔδει, *alioqui oportuisset*) Hic praesupponitur, Christum passum esse pro peccatis ab initio mundi commissis. v. 15. Christus in principio jam is erat, qui est secundum divinam naturam. Pro toto genere humano obtulisse archisacerdotem Hebraeorum, docet *Philo*, de mon. pag. 637. — παθεῖν, *pati*) Igitur oblatio non est sine passione. — ἅπαξ) Hoc *semel* est absolutum, adumbratum in *semel* respectivo, levitico. v. 7. — ἐπὶ συντελείᾳ, *in consummatione*) quum ad summa venerat peccatum. conf. not. ad Joh. 1, 10. — τῶν αἰώνων, *aevorum*) Initium aevorum horum non est ducendum a Mose, sed a *conditu mundi*: conf. c. 1, 2. not. adeoque *consummatio* hoc loco non est finis V. T. sed mundi. ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος est ipsa *seculi consummatio*, apud Matthaeum, saepius: ἡ συντέλεια τῶν αἰώνων, hoc loco, tempora etiam citeriora complectitur, plurali numero. Sacrificium Christi totam mundi aetatem in duas secat partes, quarum prior certe non brevior est, quam altera. — ἁμαρτίας, *peccati*) Singularis, magna vi. — πεφανέρωται, *manifestatus est*) mundo.

v. 27. καθ' ὅσον, *in quantum*) Hoc habet vim ad comparandum, et ad apodosin intendendam. — ἀπόκειται, *manet*) ex divina sanctione. — ἅπαξ, *semel*) Huc refertur *semel* v. seq. — ἀποθανεῖν, *mori*) Verbum, pro nomine: *mors* ejusque status. — μετὰ δὲ τοῦτο, *posthac vero*) *Mors* et *judicium* immediate conjunguntur, quia status hominis interjectus est uniformis. — κρίσις, *judicium*) tum, quum *Christus cernetur*. coll. versu eod. Conf. Matth. 7, 22. not.

v. 28. οὕτω, *sic*) i. e. Christus liberavit nos a morte et judicio; tametsi ut *mors*, sic *judicium* nominetenus remanet. — προσενεχθεὶς εἰς τὸ ἀνενεγκεῖν) Differunt verba. conf. 1 Petr. 2, 24., τὰς ἁμαρτίας ἀνήνεγκεν, *peccata tulit*. In eum conjecta a Patre erant peccata: dum ergo sublatus est in lignum, peccata secum sustulit. Eodem verbo LXX, Num. 14, 33., ἀνοίσουσι τὴν πορνείαν ὑμῶν. Alias promiscue ponuntur. c. 7, 27. — πολλῶν, *multorum*) Suave antitheton: *semel;*

Digitized by Google

multorum, qui tot seculis vixerunt. Es. 53, 12. LXX, καὶ αὐτὸς ἁμαρτίας πολλῶν ἀνήνεγκε, *et ipse peccata* (Hebr. *peccatum*) *multorum tulit*. — ἐκ δευτέρου, *secundo*) Sic absoluta vis unius sacrificii Christi clarissime evincitur. Congruit τὸ πάλιν Joh. 14, 3. Uterque locus agit de adventu secundum se spectato. Sed adventus I. in carnem erat in peregrina servi forma: adventus II. est in Sua gloria. In oculis omnium, qui eum antea non viderant, sed nec agnoverant, est tum temporis *Veniens*. Cogitetur adveniens hospes, patrisfamilias necessarius, familiae ignotus. Paterfamilias cogitabit: *REDIT frater*. In familia dicetur: *VENIT hospes*. — ὀφθήσεται, *cernetur*) in sua gloria. — ἀπεκδεχομένοις, *exspectantibus*) Dativus commodi. Etiam injusti eum videbunt, sed non ad salutem. *Exspectantibus Salvator* erit. Phil. 3, 20. — εἰς σωτηρίαν, *in salutem*) adeoque in immunitatem a *judicio*.

CAPUT X.

v. 1. Σκιὰν, *umbram*) Antitheton, εἰκόνα, *imaginem*. — αὐτὴν τὴν εἰκόνα, *ipsam imaginem*) imaginem archetypam et primam solidamque. c. 9, 24. not. Hanc *umbra* illa, quanquam futuris praeludebat rebus, non tamen, ut in pictura, praecessit, sed subsecuta fuit aliquantisper. Vid. omnino c. 8, 5. — κατ' ἐνιαυτὸν, *quotannis*) Hoc pertinet ad totam sententiam usque ad finem versus. — ταῖς αὐταῖς) *iisdem*, non numero, sed specie. — ἃς προσφέρουσιν εἰς τὸ διηνεκὲς, *quas offerunt in perpetuum*) *offerunt*, scil. ii, qui offerunt, qui accedunt et serviunt. *Offerunt in perpetuum*, i. e. non desinunt offerre, nec desinent, nisi coacti. — οὐδέποτε δύναται, *nunquam potest*) Sic v. 11.

v. 2. ἐπεὶ) Sic plane ἐπεὶ, cum interrogatione, c. 9, 17. not.

v. 3. ἐν αὐταῖς, *in iis*) sacrificiis. — ἀνάμνησις, *commemoratio*) publica. conf. v. 17. — ἁμαρτιῶν, *peccatorum*) anni proximi, et annorum omnium. Dies expiationis non eo die fuit, quo Christus est crucifixus, sed die X Tisri, de quo vid. *Ord. Temp.* p. 22. Huic *admonitioni* opponitur *oblivio peccatorum*. v. 17.— κατ' ἐνιαυτὸν, *quotannis*) Epanalepsis, coll. v. 1. Sermo est maxime de sacrificiis *solemnibus*.

v. 4. ἀφελεῖν, *auferre*) περιελεῖν, *demere*, v. 11. Apud Mosen elementariis illis cultibus grandes effectus tribuuntur; eo ipso fine, ut appareret, illos non per se tantam vim habere.

v. 5. εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον, *intrans in mundum*) Psalmo 40. introitus Messiae in mundum repraesentatus est. Mundi pars erat ipsum tabernaculum, c. 9, 1., et mundus hic dicitur, quia Messiae sacrificium multo latius, quam levitica, patet, ut per omnia tempora, sic per mundum omnem ei assertum, Ps. 40, 10., quippe cujus Ipse est heres. τὸ εἰσερχόμενος, *intrans*, elicitur et repraesentatur ex ἥκω, *veni*. v. 7. — θυσίαν — οὐκ εὐδόκησας. — τοῦ ποιῆσαι, ὁ θεὸς, τὸ θέλημά σου) LXX, Ps. cit. θυσίαν — οὐκ ἐζήτησας. — τοῦ ποιῆσαι τὸ θέλημά σου, ὁ θεός μου, ἠβουλήθην, καὶ τὸν νόμον σου ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου. Apostolus verba illa, τοῦ ποιῆσαι, ὁ θεὸς, τὸ θέλημά σου, a subsequentibus sejuncta, cum prioribus idem spectantibus conjungit, uti *XL. annos* in deserto, c. 3, 9. — σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι) Hebr. *aures perfodisti mihi* (conf. Exod. 21, 6.) scil. ut voluntati tuae, perfecto amore, serviam. conf. Es. 50, 5. Servus, cujus aures perfodiebantur, toto corpore asscrebatur hero suo, quem amabat. Interpretationem Graecam Prophetarum et Psalmorum Essenis adscribit Sam. Petitus var. lect. c. 28., et ab Essenis repetit illud, *corpus aptasti mihi*. nam *servum* apud Essenos fuisse nullum: fuisse vero *corpora* sive collegia eorum, qui inter se ministrarent atque obtemperarent. Lectionem, *aures*, quamlibet magni libertatis fautores retinere poterant: *corporis* vero propriam acceptionem tuetur apostolus. *Aures*, pars: earum obedientiam sequitur *corpus*, totum. *corpus aptasti mihi*, ad oblationem. v. 10. *Totius* mentio valde hic est conveniens. Simillimus *Pauli* sermo de *corpore* Christi, Rom. 7, 4.

v. 7. τότε, *tunc*) De hac particula agemus ad v. 8. Parallela sunt *tunc; adsum; in libro: dixi; de me; scriptum est.*

— ἥκω) *praesto adsum.* Respondet באתי praeterito Hebraico. [1]) De verbo ἥκω agitur ad Ap. 2, 25. — ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, *in volumine literario scriptum est de me*) מגלת ספר LXX, κεφαλὶς βιβλίου, h. l. et Ez. 2, 9. מגלה iidem κεφαλὶς, Ez. 3, 1. s. Ezr. 6, 2. Non de singulari aliqua *parte* Pentateuchi (praeter hunc enim tempore Davidis non extabant alia, quae Psalmus respicere videretur, prophetica scripta,) accipi potest haec nomenclatura: nam plures, imo omnes, de Christo agunt. neque de *toto:* nam totum volumen legis, etsi saepe laudatur, tamen nunquam sic appellatur. Porro sacrificia h. l. dicuntur τὸ πρῶτον, *primum,* quare κεφαλὶς βιβλίου, *volumen literarium,* non denotat librum ipsam antehac sacrificiorum quoque rationem complexum. Secutaque est sacrificiorum demum assiduitatem nausea divina, et Messiae exhibitio sui ad faciendam DEI voluntatem. Quid ergo est κεφαλὶς βιβλίου, *volumen literarium?* Non longe abierimus. est ipsa pagina, in qua scriptus est hic ipse Psalmus. Sunt enim parallela haec duo: *Dixi, ecce adsum:* et, *in libello scriptum est* עלי *super me, de me. hac ipsa scriptione in me recipio, me facturum esse voluntatem tuam.* Utraque locutione sponsorem se sistit Messias: summaque hinc perspicitur Spiritus prophetici praesentia. Libellum, in quo Psalmus scribebatur, in oculis et manu habebat David, atque hunc ipsum demonstrat, tanquam Messiae *Syngraphum.* conf. Nehem. 10, 1. Ab eo ipso die, cum hic Psalmus scribebatur, nova quadam ratione *incubuit* Christo, voluntatem DEI facere. Congruit, quod non dicitur, *in libro tuo,* aut *in libro Domini,* uti Ps. 139, 16., et Es. 34, 16., sed simpliciter, *in libro.* Conf. not. ad v. seq. Augustinus interpretatur de principio libri Psalmorum: sed eo tempore nondum in unum collecti erant Psalmi. Alii de tota scriptura sacra: sed ne veteris quidem testamenti scripta, quae tum erant, ita in unum erant collecta, ut unus liber dici posset. — τὸ θέλημά σου, *voluntatem tuam*) Aliud quiddam *velle* DEUM eique placere, atque sacrificia legalia, patebat ex eo ipso, quia boum caro, sanguis hircorum, Ei non satisfaciebant: quid autem velit, deducitur ex ipsa aptatione corporis Messiae; quo oblato sanctificandi eramus. v. 10. Hanc DEI voluntatem agnoscit et amplectitur Christus in Psalmo.

v. 8. s. ἀνώτερον λέγων — τότε εἴρηκεν, *superius dicens — tunc dixit*) Urget Paulus ordinem verborum Psalmi, innixum particulae אז τότε *tunc,* ostendens, eam cadere super illud ipsum tempus, quum propheta Psalmum per Messiae personam cecinit, et super illum ipsum temporis articulum, quum sub verba illa, θυσίαν κτλ. *sacrificium* etc. ἀνώτερον, *superius* in Psalmo illo posita, nascebantur haec verba, ἰδοὺ ἥκω, *ecce veni.* Itaque אז est valde demonstrativum praesentis (conf. אז τότε, Ps. 69, 5.) cum antitheto rerum, ex quo πρῶτον καὶ δεύτερον, *primum* et *secundum* sapientia apostolica infert. conf. μετὰ, *post,* c. 7, 28. not. אז Hic terminus esto. Ponit etiam Paulus primo verbum LXX vi-

---

1) *Venio,* vel potius, *Veni;* Symbolum quasi Domini Jesu fuit. *Veni,* inquit, *legem impleturus,* Matth. 5, 17.: *praedicaturus,* Marc. 1, 38.: *peccatores vocaturus ad poenitentiam,* Luc. 5, 32.: *gladium immissurus, hominemque separaturus,* Matth. 10, 34. 35.: *coelitus descendi, voluntatem Ejus perfecturus, qui misit me,* Joh. 6, 38. sq. — Quae ipsa sunt Psalmi 40. verba. — *Missus sum ad oves perditas domus Israëlis,* Matth. 15, 24.: *veni in hunc mundum ad judicium,* Joh. 9, 39.: *veni, ut vitam habeant et satietatem,* c. 10, 10.: *salvaturus, quod perditum fuerat,* Matth. 18, 11.: *animas hominum servaturus,* Luc. 9, 56.: *ignem terrae injecturus,* c. 12, 49.: *ministraturus,* Matth. 20, 28.: *quaesiturus et salvaturus, quod fuerat amissum,* Luc. 19, 10. coll. 1 Tim. 1, 15.: *veni in mundum, Lumen,* Joh. 12, 46. etc. *veritatem testaturus,* c. 18, 37. Fac, Lector, scopo isto suo Salvator tuus ut potiatur in te. Tu vero, dic cur hic? Dei voluntatem tunc quoque perficis? ex quo tempore? et quibus modis? *V. g.*

rale εἶπον, deinde significantius, εἴρηκεν. Unde patet, λέγων, *dicens*, esse imperfecti temporis. Vide autem, quanta *Psalmorum* sit auctoritas. Jusjurandum Jehovae factum est eo ipso tempore, quum Psalmus 110. factus est. Hebr. 7, 28. not. Invitatio solennis ad populum facta est, quum Psalmus 95. factus est. c. 4, 7. Declaratio Filii facta est, quum Psalmus 2. factus est. Act. 13, 33. not. Sic Messias DEO, se facturum esse voluntatem ejus, promisit tum, quum Psalmus 40. factus est. Hocce chirographon, quod David administrabat, opponitur *legi* per Mosen scriptae. v. 8. fin. Quare Christus semper, potissimum autem ineunte passione, ad scripturas summa vi provocavit. — κατὰ τὸν νόμον, *secundum legem*) Nervus, quo id ipsum, quod v. 1. dicitur, ex Psalmo probatur.

v. 9. ἵνα) Potens particula: *ut* continuo statuat secundum. — στήσῃ, *statuat*) summa auctoritate, suo quasi chirographo. Ab ἵστημι, στάσις est, c. 9, 8., eadem notione.

v. 10. ἐν ᾧ θελήματι) *in qua voluntate* DEI, per Christum ejusque sacrificium facta et exsaturata. Nonne haec *Satisfactio* dici meretur? — ἡγιασμένοι, *sanctificati*) Idem verbum v. 14. 29. 13, 12. 2, 11. — σώματος, *corporis*) v. 5.

[1]) v. 12. οὗτος) Sic c. 3, 3. Alii αὐτὸς, facili alliteratione [2]). — μίαν, *unam*) Antitheton, *eandem saepe*. v. 11. — εἰς τὸ διηνεκὲς, *in perpetuum*) Oblatio Christi, semel peracta, in aeternum una et sola manebit: non alia superveniet. — ἐκάθισεν, *consedit*) Antitheton, ἕστηκε, *stetit*. v. 11. Cum Sessione ad Dextram DEI non consistit missaticum sacrificium. nam Christi sacrificium, in Missa neque continuatur neque reiteratur. Apostolus non modo identitatem, sed τὸ ἅπαξ *semel* urget de sacrificio Christi, in antitheto ad sacrificia levitica *saepe* oblata, quamvis *eadem* essent. Sacrificium, quod saepe iteratur, quamvis idem sit, non satisfacit DEO. Christi non solum est corpus unum, sed una etiam oblatio, eaque inseparabilis a passione. c. 9, 26. Posterior quaeque oblatio declarat, priorem esse nullam: prior quaeque declarat, posteriorem esse supervacuam. c. 10, 2. 18.

v. 13. ἐκδεχόμενος, *expectans*) Hoc verbo non negatur scientia Domini exaltati, Ap. 1, 1. coll. Marc. 13, 32. sed subordinatio ejus erga Patrem innuitur. Act. 3, 20. *Sedens et quietus expectat*. — οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ, *hostes sui*) quorum robur in *peccato* situm.

v. 14. μιᾷ γὰρ προσφορᾷ, *una enim oblatione*) An potius legendum, μία γὰρ προσφορὰ, *una enim oblatio* [3]). Nam in abstracto incedit oratio etiam v. 11. et cum ipso verbo τελειοῦν, *consummare*, quod hic apodosin sustinet, incessit c. 7, 19. 9, 9. 10, 1. — γὰρ, *enim*) Refertur aetiologia ad v. 12. — τοὺς ἁγιαζομένους, *eos qui sanctificabantur*) Participium imperfecti temporis. Nam haec sanctificatio peracta est in ipso actu sacrificii. v. 10.

v. 15. καὶ) *etiam*. Accedit, non testimonium ad rationes. nam etiam praecessere testimonia: sed μαρτυρῶν ad μαρτυροῦντας. Posuerat Paulus, de sacerdotio Christi, testimonium Patris, c. 5, 10., et Filii, c. 10, 5., nunc etiam Spiritus sancti, eandem ubique conclusionem inferens. v. 18. Respice *Conspectum* epistolae. Repetitque mox in admonitione hunc respectum ad S. Trinitatem, v. 29. not. — μετὰ, *post*) Verbum φησὶν *inquit* absorbetur in inciso, λέγει Κύριος, *dicit Dominus*. v. seq. Ostendit autem hoc μετὰ *post*, Novi Testamenti esse remissionem peccatorum. Ideo intermedia verba Jeremiae hic non repetuntur. Locus

---

1) V. 11. πᾶς — ἱερεὺς, *omnis sacerdos*] archisacerdos praecipue quilibet. *V. g.*

2) *Atque* αὐτὸς *praetulerat quidem* Ed. maj.: sed Gnomoni *et margo* Ed. 2. *respondet*, *et* Vers. germ. E. B.

3) *Lectionem hanc*, *per marginem* utriusque Ed. *in aequilibrio positam*, *praefert* Versio germ., Gnomonis *rationes persecuta*. E. B.

Digitized by Google

Jer. citatur Hebr. 8. ob τὸ καινήν, et cap. 10. ob ἄφεσιν. congruit appellatio *Spiritus gratiae.* v. 29.

v. 16. αὕτη, *hoc*) Vid. c. 8, 10. 12.

v. 18. ἄφεσις, *remissio*) Ea patet ex v. 17.

v. 19. ἔχοντες, *habentes*) Adhortatio ducitur ex iis, quae a cap. 5, 4. tractata sunt, ab anakephalaeosi initium sumens. — εἴσοδον — ἱερέα μέγαν, *introitum — sacerdotem magnum*) v. 21. De *sacerdote magno* egit apostolus a cap. 5, 4. 5.; de *introitu* a cap. 9, 1. 12. Nunc, per χιασμὸν, de *introitu* h. v. et de *sacerdote magno,* v. 21.; ineunte adhortatione, mentionem facit. Eadem et sententia et figura, c. 6, 20., coll. capp. seqq.

v. 20. ἣν) scil. εἴσοδον. nam sequitur, ὁδὸν, quasi synonymon. Non tamen sunt synonyma simpliciter, sed quatenus ἡ ὁδὸς, *via*, pertingit ad metam. *PER velum.* — ἐνεκαίνισεν, *initiavit*) Idem verbum c. 9, 18. Hoc verbo innuitur, *via* via, qua Christus iit, nostrum esse sequi. — πρόσφατον) Saepe LXX hoc verbo utuntur. Πρόσφατον dicitur proprie *recens mactatum.* — πρόσφατον καὶ ζῶσαν, *recentem et viventem*) Via *recens* per sanguinem effusum et mortem Christi munita, atque *virens* est. Opponitur *veteri* et *exanimo.* Per prosopopoeiam *vita* adscribitur *viae,* ex ipsa *vita* Christi, qui est *Via.* Denotat vigorem Novi Testamenti, ut *spes viva*: e contrario sunt opera mortua. Est quasi Oxymoron, quod πρόσφατος *(recens mactatus)* et *virens* conjunguntur. Quum primum Christus per momentum mortis transierat, praesto fuit mera *virtus* et *vita.* — τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, *carnem suam*) quae item scissa est, ut velum.

v. 21. ἱερέα μέγαν, *sacerdotem magnum*) c. 7. — ἐπὶ τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ, *super domum DEI*) c. 3, 6.

v. 22. προσερχώμεθα, *accedamus*) via illa. — ἀληθινῆς) quod *(cor)* *veritatem* penitus imbiberit. v. 26. — πίστεως, *fidei*) Accedit *spes, amor.* v. 23. 24. Haec tria manent. *Fides* et *Spes* saepe eandem habent rationem: quare et hic arcte conjunguntur, et in sequentibus periochis coalescunt. c. 11, 1. [12, 18. 13, 1.] etc. — ἐῤῥαντισμένοι, *aspersi*) Sic c. 12, 24. 9, 13. 19. 21. 1 Petr. 1, 2. — τὰς καρδίας, *corda*) Et *corda* et *corpus* v. 23. mundantur. Non necesse est κατὰ subaudire. nam ut dicitur, διδάσκω τὸν υἱὸν, sic, διδάσκομαι τὸν υἱὸν, *filium docendum curo,* et sic, ῥαντίζομαι τὴν καρδίαν, λούομαι τὸ σῶμα. — ἀπὸ, *a*) Sermo concisus: *adspersi* et liberati *a conscientia mala.* — συνειδήσεως, *conscientia*) c. 9, 9. not.

v. 23. καὶ λελουμένοι, *et loti*) Singula verba et singula participia cohaerent versu 22—24., et cola dirimit particula καὶ *et.* Per χιασμὸν vero ponitur verbum, participium; participium, verbum; verbum, participium. — τὸ σῶμα, *corpore*) Alludit ad lotiones leviticas: nec tamen dicit *carne*, sed *corpore*, quo per synecdochen tota hominis substantia denotatur. *Corpus* etiam peccato antea fuerat inquinatum, sed abluitur, ut idoneum sit, exemplo sancti corporis Christi, v. 10., ad oblationem. Rom. 12, 1. 1 Cor. 6, 13. 20. — ὕδατι καθαρῷ, *aqua munda*) Ez. 36, 25. Joh. 19, 34. 1 Cor. 6, 11. Tit. 3, 5. 1 Joh. 5, 6. — [1]) τὴν ὁμολογίαν, *confessionem*) In baptismo *confessio* suscepta est: ea *retinenda* est.

v. 24. κατανοῶμεν, *attendamus*) Sic, ἐπισκοποῦντες *inspicientes.* c. 12, 15. — εἰς) *ad.* — παροξυσμὸν ἀγάπης, *provocationem amoris*) cui contraria provocatio odii.

v. 25. τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, *nostram ipsorum episynagogam*) Ἐπισυναγωγὴν versio neograeca interpretatur συχνοσύναξιν. Sed alludit apostolus ad synagogam judaicam, praepositione ἐπὶ significatum vocabuli nonnihil immutante.

---

1) καθαρῷ — τῆς ἐλπίδος, *munda spei*] Pari modo cum spe conjungitur mundities 1 Joh. 3, 3. *V. g.*

Digitized by Google

Sensus est: non modo debetis synagogam frequentare, ut Judaei, quod libentius facitis, sed etiam episynagogam, ut Christiani. neque tamen innuitur praecise aggregatio in unum *locum;* aut aggregatio ad unam *fidem*: sed, medio sensu, congregatio mutua *per amorem* et communicatio publica et privata officiorum Christianorum, qua frater fratri se non subducit, sed alter alterum acuit et ab altero acuitur. Nam etiam spiritualis calor et ardor separat heterogenea, et congregat homogenea. Sic satisfit et ordini sermonis, quo secundum fidem erga DEUM, *amor* erga sanctos commendatur; et verbali ἐπισυναγωγὴν, ejusque singulari numero; et pronomini, quod est ἑαυτῶν, *nostram ipsorum*, non *nostram;* et querelae, *sicut mos est quibusdam*, et antitheto, *hortantes.* — τισὶν, *quibusdam*) Judaeos fortasse timentibus. — παρακαλοῦντες, *hortantes*) Vis hortandi, quae requiritur, includit ardorem cujusque proprium. — καὶ τοσούτῳ μᾶλλον, *et tanto magis*) Hoc pertinet ad totam adhortationem a v. 22. coll. v. 37. — βλέπετε, *videtis*) ex signis temporum, et ex ipso sacrificio pro peccatis consummato. v. 13. — τὴν ἡμέραν, *diem*) diem Christi. Post adventum Christi in carne per *tot* aetates mundi exspectatum, illico appropinquans censetur adventus gloriosus. conf. v. 27. 30. 35. seqq.

v. 26. ἑκουσίως, *sponte*) Nam post *agnitam* veritatem sublata est *ignorantiae* excusatio. — ἁμαρτανόντων, *peccantibus*) *Peccare* h. l. dicit plenam defectionem a DEO, v. 29. c. 3, 12. 2 Reg. 21, 16., et violationem, non legis, v. 28., sed totius oeconomiae N. T. v. 29. Conf. ἀθετήσας, *tollens.* v. 28. not. — μετὰ τὸ λαβεῖν, *postquam accepimus*) Hoc non tam ad singulos pertinet, quam ad statum fidelium N. T. unde tamen ad singulos conclusio valet. v. 29. — τῆς ἀληθείας, *veritatis*) *Veritas*, h. l. et *gratia*, v. 29., dicitur de N. T. *Spiritus gratiae*, ibid. *Spiritus veritatis*, Joh. 14, 17. — οὐκέτι, *jam non*) Fructus ex sacrificio Christi semper patet non repudiantibus: qui autem repudiant, non aliud habent. — περὶ ἁμαρτιῶν, *pro peccatis*) Ref. ad ἁμαρτανόντων, *peccantibus.*

v. 27. φοβερὰ, *terribilis*) pessima Spes. — ἐκδοχὴ, *exspectatio*) longe alia, atque illa, quae describitur versu 13. — πυρὸς — τοὺς ὑπεναντίους) Es. 64, 1. LXX, κατακαύσει πῦρ τοὺς ὑπεναντίους. Non est in ὑπὸ, *sub*, quaerendum aliquid. Ex. 15, 7. ὑπεναντίοι dicuntur hostes apertissimi. — πυρὸς, *ignis*) Deut. 32, 22. coll. Ps. 106, 18. — ζῆλος, *zelus*) Deut. 29, 20. — ἐσθίειν, *edere*) c. 12, 29. Es. 26, 11.

v. 28. ἀθετήσας, *tollens*) non quovis errato, sed enormi violatione, contra totam legem tendente, delicto morte plectendo. *Pauci* ita legem violarunt, ut capite plecterentur. — χωρὶς οἰκτιρμῶν· *sine misericordia*) sine mitigatione et sine dilatione poenae praescriptae.

v. 29. χείρονος) quae quovis supplicio corporis *pejor* et horribilior. — ὁ) i. e. is, qui atrocissime peccat in *DEUM*, cujus *filius* est Sacerdos, c. 5, 5. et in *Filium*, cujus ipsius sanguis est sanguis N. T. et in *Spiritum S.* qui est Spiritus gratiae. Talis homo totam baptismi formulam et confessionem retractat, totam oeconomiam N. T. repudiat. conf. c. 6, 6. not. — καταπατήσας, *conculcans*) cum deberet adorare. Conculcat autem, qui sponte peccat, uti v. 26. describitur. — τῆς διαθήκης) *testamenti*, melioris, quod DEUS pepigit. — κοινὸν, *communem*) ut si esset sanguis hominis ψιλοῦ, communis, vel etiam sontis. Antitheton, *sanctificatus erat.* — ἡγησάμενος, *ducens*) sine discretione. conf. 1 Cor. 11, 29. — ἐν ᾧ ἡγιάσθη, *in quo sanctificatus erat*) Ergo Christus etiam pro tali mortuus est. Idem verbum, de redemtis, v. 10. 14. c. 2, 11., (ubi distinguuntur a *sanctificante* Redemtore:) c. 13, 12., ubi item *sanguinis* fit mentio. — τῆς χάριτος, *gratiae*) Vid. not. ad v. 26. — ἐνυβρίσας, *ignominiose tractans*) repellendo. *Ignominia* fit factis; *blasphemia*, verbis. conf. 1 Tim. 1, 13. not. *Blasphemia* ubi accedit, multo gravissimus fit reatus. Marc. 3, 29.

Digitized by Google

v. 30. τὸν εἰπόντα, *Eum, qui dixit*) DEUM, qui non frustra minatur. — ἐμοὶ, *mihi*) Vid. Rom. 12, 19. not. ex Deut. 32, 35. — πάλιν, *iterum*) paucis verbis in eodem cantico Mosis interjectis. — Κύριος κρινεῖ τὸν λαὸν αὐτοῦ, *Dominus judicabit populum suum*) Deut. 32, 36. LXX, κρινεῖ Κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ. Passim haec epistola Canticum Mosis et Deuteronomion, qui liber multum inde explicationis habebit, respicit. *judicabit*, in gratia et in ira, ut quemque inveniet.

v. 31. τὸ ἐμπεσεῖν, *incidere*) Bonum est *incidere* cum fide; 2 Sam. 24, 14. temere, terribile. v. 27. conf. Sir. 8, 1.

v. 32. ἀναμιμνήσκεσθε, *recordamini*) Imperativus. Subjungit consolationem. — φωτισθέντες, *illuminati*) i. e. statim post φωτισμὸν, i. e. baptismum Christianum. c. 6, 4. In *baptismo* induitur Christus: Christus est lux: Ergo lux induitur in baptismo. *illuminatio* notat id, quod ad vim et virtutem Spiritus ex V. T. praejacentem amplius accessit, ex vigore Novi Testamenti, apud eos, qui baptizabantur. Hic primus erat ingressus ad Christianismum; baptismus apud idoneos salutare medium. Existimo, haec instituta divina etiam in theoria non tanti aestimari, quanti decebat. Apud ipsum *baptismum* Christi sancta ejus humanitas magnifice *illuminata* fuit. Jam antea erat filius Dei: et tamen virtus hujus divini testimonii diu eum vivide affecit. Quemadmodum vero homo corpore et anima constat, ita instituta divina etiam talem duplicem speciem habent. Nihil ergo separandum, neque vitrum pro liquore, vel vagina loco gladii prensanda est.

v. 33. τοῦτο· τοῦτο] Pronomen adverbiascens. Proponuntur duo capita, quae ordine per χιασμὸν inverso exponuntur v. 34.

v. 34. δεσμίοις, *vinctis*) Horum mentio fit etiam c. 13, 3. et in his fuerat Timotheus. ibid. v. 23. quare non de se, vel certe non de se uno, Paulus loquitur. coll. c. 6, 10. Alii tamen habent δεσμοῖς, et porro δεσμοῖς μου, [1]) ex rhythmo ὀνειδισμοῖς, vel ex frequenti alias *vinculorum* Pauli mentione. — ὑπαρχόντων, *facultatum*) Conjugatum, in Graecis, ὕπαρξιν, *substantiam*. — προσεδέξασθε, *excepistis*) Elegans oxymoron, collato *rapinae* vocabulo. — γινώσκοντες, *noscentes*) statuentes, cum fiducia. — ἔχειν ἑαυτοῖς, *habere vobismet*) Dativus proprietatem significans: uti c. 5, 4., *sibi sumere*. Sic Latini: *tibi habe*. Describuntur bona propria. Luc. 16, 12. [12, 33.] — κρείττονα, *meliorem*) coelestem. conf. c. 11, 16. — καὶ μένουσαν) nulli rapinae expositam.

v. 35. μὴ ἀποβάλητε, *ne abjeceritis*) Parrhesia ubi semel locum invenit, non nisi pulsa recedit. pellitur autem et abjicitur, ut si vile quiddam esset, ab iis, qui non perstant. — ἔχει, *habet*) Ad hoc praesens refertur versus 37. — μισθαποδοσίαν, *mercedis redditionem*) Sic c. 2, 2. 11, 26., et μισθαποδότης, *mercedis redditor*, ibid. v. 6.

v. 36. ὑπομονῆς) Paulatim apostolus, ab hoc versu ad 38., prophetam inducit, Hab. 2, 3. 4., ubi LXX sic: ὅτι ἔτι ὅρασις εἰς καιρὸν, καὶ ἀνατελεῖ εἰς πέρας καὶ οὐκ εἰς κενόν. Ἐὰν ὑστερήσῃ, ΥΠΟΜΕΙΝΟΝ αὐτὸν, ὅτι ἐρχόμενος ἥξει καὶ οὐ μὴ χρονίσῃ. ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ· ὁ δὲ δίκαιός μου ἐκ πίστεως ζήσεται. — τὸ θέλημα, *voluntatem*) c. 13, 21. — ποιήσαντες) ut, *quum* voluntatem DEI *feceritis* adhuc, v. 32. s. nunc etiam *patientiam* praestetis, adeoque *promissam* obedientiae mercedem *assequamini*. Conf. cap. 6, 10—12. Et agendum est et patiendum. 1 Petr. 4, 19. Apostolus, ut patet, rationes sumit ex praeterito, et specimina, quod voluntatem Dei fecerint, v. 32. ss. recenset. Neque tamen τὸ *facere voluntatem Dei* in praesens et in futurum excluditur. Hoc, *facere voluntatem Dei*, praesupponitur in omnibus fidelium *virtutibus*, quae hic capite 11. percensentur. alias ea, quae ibi, v. gr. versu 33., laudantur, inanis

---

1) *Sed margo* Ed. 2. *lectionem* δισμίοις, *alteri olim aequiparatam, ad signum* β *elevavit; hinc et* Vers. germ. *interpretatur:* mit den Gebundenen. E. B.

Digitized by Google

fuissent. coll. Matth. 7, 21. seqq. — κομίσησθε, *reportetis*) ***Promissionem***, id est, vitam aeternam, conjunctim accipient fideles V. et N. T. in adventu Christi. v. seq. ***Promissio***, vita aeterna. c. 4, 1. 9, 15. 11, 13. 12, 26. Individualis beatitudo nemini abjudicatur: sed ardua est ingens *consummatio* adhuc futura. Exsistet futuro Die magna βελτίωσις, quae multo majoris aestimari debebat. Etiam praesens lautitia fidei, qua multi tam large utuntur, non potest cum illa conferri. — τὴν ἐπαγγελίαν, *promissionem*) חזון Hab. l. c.

v. 37. μικρὸν ὅσον ὅσον) Sic LXX, Es. 26, 20. Vocula, μικρὸν addito ὅσον ὅσον, formam accipit diminutivam, sed tamen indefinitam; adeoque huic loco valde congruit. Gen. 27, 30.: ὡς ἐγένετο ὅσον ἐξῆλθεν. — ὁ ἐρχόμενος, *Veniens ille*) Apostolus articulo addito verba prophetae eleganter flectit ad Christum. — ἥξει) ***aderit.***

v. 38. ὁ δὲ) Apostolus hemistichia transponit; et sic, addito versu sequente, aptissimum χιασμὸν efficit. Repetuntur enim opposita: ***fides in vitam, subtractio; subtractio, fides in vitam.*** v. 38. 39. Particula δὲ *autem* facit antitheton ad segnes. — δίκαιος, *justus*) Vid. Rom. 1, 17. not. — ἐκ πίστεως, ***ex fide***) LXX, ἐκ πίστεώς μου, vel eodem sensu, μου ἐκ πίστεως, ex fide mea. Confer pronomen item praepositum 1 Cor. 11, 24. Joh. 6, 54. 9, 10. Hebr. ***in fide ejus***, scil. ***Visi***, i. e. Christi, qui ***non fallet***, eleganti antitheto. Textum N. T. ad Hebraica refero, quoad fieri potest. — καὶ) ***et:*** pro ***sed.*** Eleganter. nam ex eodem affectu sancto fluit utrumque hemistichium. — ἐὰν ὑποστείληται) Hebraea sic, ut videtur, habeant: ***Ecce, si subduxerit se*** anima, ***non recta*** (nec placita) ***est anima ejus*** (ejus scil. qui se subducit) ***in eo*** (scil. ***in viso*** sive promisso:) ***at justus, in fide ejus*** (scil. promissionis,) vivet. Conf. Marc. 16, 16. Verbum עפלה habet metaphoram ab iis, qui se atris abdunt speluncis. vid. Sam. Petiti var. lect. c. 13.

v. 39. οὐκ ἐσμὲν, ***non sumus***) Moratum verbum, ex ***Pauli*** stilo. Rom. 8, 12. not. — ὑποστολῆς) Resp. ὑποστείληται. v. 38. — εἰς ἀπώλειαν, ***in perniciem***) Pereunt, qui animam suam DEO non probant. — εἰς περιποίησιν ψυχῆς, ***in conservationem animae***) Resp. ***vivet.*** v. 38.

CAPUT XI.

v. 1. Ἔστι δὲ πίστις, ***est autem fides***) Reassumitur hoc ex cap. 10, 39. Atque eam fidei descriptionem apostolus hoc loco ponit, quae rei propositae maxime congruit, ut fratrum animi confirmentur. — ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, ***eorum, quae sperantur, substantia; rerum demonstratio, quae non cernuntur***) ***Quae sperantur***, sunt species; genus, ***quae non cernuntur***. nam illa sunt futura duntaxat et nobis laeta; haec etiam praeterita vel praesentia, eaque vel laeta vel tristia nobis aliisve. v. 3. 7. 8. 27. 29. Unde duo commata hujus versus in asyndeto gradationem habent. Porro ut ad ***ea, quae sperantur***, se habent ***ea, quae non cernuntur***, sic ad ***substantiam*** habet se ***rerum demonstratio***. adeoque fides est ***substantia***, qua futura, quae sperantur, repraesentantur, sive ut praesentia sistuntur: eademque est ***rerum demonstratio***, qua ea, quae non cernuntur, sistuntur ut πράγματα, ***res solidae. Substantiae*** opponitur id quod abest; ***rerum elencho***, non ens, somnium. Unde patet, quam arcte cohaereant duo verba πραγμάτων ἔλεγχος, ut quasi compositum, ***rerum-demonstratio***; et cur hoc, ***rerum***, in posteriore, non etiam in priore commate collocetur. Opponitur ὑπόστασις τῇ ὑποστολῇ, ***substantia subtractioni***, modo repudiatae. cap. 10. fin. dicitur enim per metaphoram a columna oneri ***substante***, et notat patientiam et constantiam, καρτερίαν. coll. v. 27. ὑπόστασις, Vulgato, ***substantia***: recte. nam ***Substantia*** opponitur ***opinioni***, l. 10. §. 1., Digest. ***de diversis temporalibus praescriptionibus, et de***

Digitized by Google

accessionibus possessionum, et alibi. Est igitur *Substantia*, rei certae, adeoque etiam rei *praesentis*. Fide *repraesentantur* res futurae. ἔλεγχος est *demonstratio*, philosophorum quoque idiomate. Ὑπόστασις *substantia* prior proponitur; deinde πραγμάτων ἔλεγχος *rerum demonstratio*. at exempla, quae subsequuntur, primum sunt *demonstrationis rerum*, v. 3. etc. deinde *substantiae eorum, quae sperantur*. v. 6. etc. χιασμός.

v. 2. ἐν ταύτῃ, *in hac*) *in fide*, i. e. *fide*. v. seqq. κατὰ πίστιν, *secundum fidem*; διὰ πίστεως, *per fidem*, v. 13. 33. — γὰρ, *enim*) Ex veterum exemplis demonstrat Paulus fidei naturam. Multa, quae illi sperarunt ac non viderunt, deinceps extiterunt et conspecta sunt, fidem confirmante eventu. — ἐμαρτυρήθησαν, *testimonium nacti sunt*) Praegnantissimum verbum. DEUS testimonium non modo *de illis*, sed partim etiam *ad illos* dedit: illi *TESTIMONIUM SUSCEPERE*, ipsarum rerum instar. Conf. v. 4. 5. 39. Inde illi quoque sunt *testes* facti, ut ipsi ad alios, et alii de illis *testarentur*, c. 12, 1. — οἱ πρεσβύτεροι) *seniores*, qui et olim et diu vixerunt. Non dicit οἱ ἀρχαῖοι *veteres*, sed οἱ πρεσβύτεροι *seniores*, quasi per prosopopoeiam, quod adhuc vigente testimonio fungantur tanquam praesentes. conf. c. 12, 1. Est hoc egregium quoddam V. T. summarium, quo apostolus, insigni gradatione, veterum studia, labores, peregrinationes, exspectationes, tentationes, martyria complectitur, docetque, quomodo sub historiarum involucro succum doctrinae interdum breviter indigitatum, copiose quaerere debeamus. Priores eorum habuere exercitium patientiae potissimum in longa aetate; posteriores in afflictione acriore.

v. 3. πίστει, *fide*) Aliquatenus quidem etiam citra fidem, Rom. 1, 20., sed fide multo magis, quae habetur v. gr. capiti 1. Geneseos. — νοοῦμεν, *intelligimus*) *Intellexerunt* etiam *Seniores*, quorum mentio idcirco praemittitur versu 2. Intellexit etiam Adam, post omnia cetera creatus, quae non fieri vidit, sed facta credidit. Sed de hujus fide Moses plenum mysterii silentium tenet. Et Mosen sequitur apostolus, praeterquam quod haec ante Abelis sacrificium commemorans fidem protoplastorum agnoscit. Adamus non consideratur, nisi ceu stirps miseriae nostrae; abstrahendo a ceteris, quae de eo dici poterant. — κατηρτίσθαι, *confecta esse*) Καταρτισμὸς, *coagmentatio, consolidatio* totius mundi, includit Creationem singularum partium, Providentiamque continuam, per omnes aetates; mirabili harmonia. — τοὺς αἰῶνας) *secula, aera*. Grandis pluralis, quo innuitur coeli, terraeque et omnium quae in eis sunt, invisibilium et visibilium, decursus ad metam, et status deinceps (post decursum ad metam) perpetuus: quaecunque tandem sit, quae metam comitatur, mutatio. Atque ut creatio fundamentum et specimen est omnis oeconomiae divinae: sic fides creationis, est fundamentum et specimen omnis fidei. — ῥήματι, *verbo*) jussu, potentia, sine materia aut instrumento. Congruit, quod mox sequitur. — εἰς τὸ) *usque eo ut*. Conf. εἰς τὸ, 2 Cor. 7, 3. Multa οἱ αἰῶνες, *aeva*, complectuntur, quae non cernuntur; quodque illa verbo DEI producta esse, non nisi fide intelligimus, minus mirere: sed *adeo* horum, quae cernuntur, creationem fide intelligimus unà optime; id quod multo magis admirandam ostendit fidei vim. Hoc commate amplificatur τὸ κατηρτίσθαι *confecta esse*. — μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι) Apprime observanda verborum differentia. φαίνομαι, *appareo, incipio cerni*, notione inchoativa: βλέπομαι, *cernor*, ante oculos versor. τὰ βλεπόμενα, *quae cernuntur*, sunt hodieque lux, coelum, terra, astra etc. eadem autem tum, quum ἐξ οὐκ ὄντων *ex non entibus* fiebant, 2 Macc. 7, 28., et exoriri jubebantur, erant φαινόμενα, *apparentia*. Atque ita quidem *dici posset*, ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, scil. secundum se: id est, ea, quae hodienum cernuntur, initio fuisse apparentia; non fuisse ab aeterno, sed aliquando apparere et conspicua esse coepisse, cum antea non es-

Digitized by Google

sent. conf. ἐκ, *ex*, Rom. 6, 13. Sed respectu nostri apostolus, μὴ, *non*, praeposito, *diversum* dicit, et declarat μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, *non ex apparentibus ea, quae cernuntur, facta esse.* Nam mundo jam producto, et primus homo factus est, et nos nascimur. Non fuimus spectatores creationis. Expendatur Interrogatio illa Creatoris, Job 38, 4. ss. Ideo fide creationem percipimus. fides et retrorsum et prorsum habet, unde exerceatur. Patet hinc, particulas μὴ ἐκ *non ex* suo ordine debere explicari; quanquam interdum οὐ vel μὴ *non*, cum praepositione, ἤθους et morati sermonis gratia, sensu fere manente, trajicitur, uti 1 Chron. 15, 13., οὐκ ἐν τῷ πρότερον ὑμᾶς εἶναι *ante vos adhibitos.*

v. 4. πλείονα) *potiorem*, eoque pluris habitam. Suum utervis frater vitae genus in sacrificio sequebatur, sed rectius in suo genere Abel se gessit. Agricola Cain de *fructibus terrae* obtulit: Abel, ovium pastor, de *primogenitis* et de *pinguedine* earum. Hic igitur optima sumsit, quod ille non dicitur fecisse. Simul Caini *oblatio* confessionem duntaxat obligationis habuit; Abelis *victima* confessionem peccati et desiderium expiationis. Id *fidei* valde congruebat. — παρὰ κάϊν, *praeter Cainum*) fide carentem, eoque testimonii divini expertem. — δι' ἧς, *per quam*) *Per fidem* nactus est et justitiam, et justitiae testimonium. v. 7. — μαρτυροῦντος, *testante*) Nam ἐπεῖδεν, *intuitus est*, Gen. 4, 4. signo quodam etiam in Caini oculos incurrente. — δι' αὐτῆς, *per illam*) *fidem.* Constr. cum ἀποθανὼν, *mortuus*, coll. v. 13. nam διὰ valet κατὰ vel ἐν, 1 Tim. 2, 15. — λαλεῖ, *loquitur*) *loquitur de se* et sui similibus contra Cainos. c. 12, 24.

v. 5. μετετέθη, *transpositus est*) Quorsum transpositus sit? hoc fides nostra exspectat. Gen. 5, 22. 24. LXX, εὐηρέστησε δὲ ἐνὼχ τῷ θεῷ — καὶ εὐηρέστησεν ἐνὼχ τῷ θεῷ, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεός. — μὴ, *non*) Igitur ex mortalitate sine morte in immortalitatem traductus est. — πρὸ, *ante*) Constr. cum εὐηρεστηκέναι, *placuisse.* — εὐηρεστηκέναι, *placuisse*) Pro *ambulare cum DEO, coram DEO*, habent LXX εὐαρεστεῖν etiam Gen. 6, 9. 17, 1. 24, 40. 48, 15. Ps. 116, 9. Conf. Ps. 26, 3. 35, 14. Notat non modo *placere*, passivo sensu, sed connotat *studium placendi.* ideo Gen. 39, 4. שרת est εὐαρεστεῖν. conf. ἀρέσαι, Rom. 8, 8. not.

v. 6. χωρὶς, *sine*) Probat ab eventu fidem Enochi. — εὐαρεστῆσαι) *placitum se exhibere.* Parallelum mox, προσέρχεσθαι τῷ θεῷ *accedere ad DEUM, ambulare cum Deo.* Itaque Hebraicum textum et Graecum scite conjungit apostolus. — πιστεῦσαι, *credere*) Henocho, ut hinc colligere licet, nulla obtigerat apparitio divina, sicut nec Mosi ante relictam Aegyptum. v. 27. Thesis, *illum esse etc.* apud Henochum vigebat, et ex Henochi fide asseritur. Videtur *Henochi* fides, quae tam singulari modo describitur, non adeo multa, perspicua Data habuisse. Alias fides ejus non ad hoc praecise punctum reduceretur. — δεῖ, *oportet*) Illatio *necessaria* et firma innuitur, quae hoc loco extat. — τῷ θεῷ, *DEO*) quippe invisibili. v. 27. — ὅτι ἐστὶ) *illum esse.* Hinc absolute dicitur ὁ ΩΝ. Sap. 13, 1. conf. πραγμάτων *rerum.* v. 1. not. Qui *cum* Deo ambulat, Deum esse agnoscit. Hoc opponitur atheismo antediluviano. — καὶ) Hoc quoque pendet ab ὅτι. — τοῖς) iis, non aliis. — ἐκζητοῦσιν, *exquirentibus*) sine visu. Compositum grande. — μισθαποδότης, *mercedis redditorem*) ut Henocho, quem transposuit. — γίνεται, *fore*) *Futura* mercedis redditio innuitur. *Merces* est, Ipse, qui *exquiritur. CUM DEO*, inquit Moses, et *communionem* innuit.

v. 7. χρηματισθεὶς) *divino admonitu.* Revelatio prophetica fidem non tollit. v. 20. ss. — περὶ) *de* diluvio venturo. Constr. cum participio antecedente. — εὐλαβηθεὶς, *timens*) Idem participium, Act. 23, 10. Mundus contra, *non credens,* non cepit *timorem,* neque cautionem ullam adhibuit poenitentiae aut perfugii. contempsit, risit secure. — κιβωτὸν, *arcam*) Articuli praetermissio con-

venit paradoxae aedificationi illi. — δι' ἧς) *per quam*, fidem. v. 4. — κατέκρινε) *condemnavit*, insigni *testimonio*. — τὸν κόσμον, *mundum*) qui Noachi dissimillimus erat. — τῆς κατὰ πίστιν δικαιοσύνης, *justitiae, quae secundum fidem est*) Sic *Paulus* Rom. 1, 17. κατὰ pari modo positum, Tit. 1, 1. Noe איש צדיק ἄνθρωπος δίκαιος *vir justus*, Gen. 6, 9. δικαιοσύνης κήρυξ, *justitiae praeco*. 2 Petr. 2, 5. — κληρονόμος, *heres*) in successione patriarcharum, ex quibus semper erat aliquis caput credentium promissioni, eorumque propagator. Appositum h. l. eoque frequens vocabulum, v. 8. 9. perinde ut ἐπαγγελία, *promissio*. v. 9. 11. 13. 17. 33. 39.

v. 8. ἀβραάμ, *Abraham*) Rom. 4, 1. 16. ss. — ὑπήκουσεν ἐξελθεῖν, καὶ ἐξῆλθε, *obediit, ut exiret, et exiit*) Gradatio, coll. 2 Cor. 8. v. 10. fin. et v. 11. — ἔμελλε) Aptum rebus *futuris* verbum. Sic v. 20. coll. v. 1. — μὴ ἐπιστάμενος, *nesciens*) Conf. Act. 7, 3. fin.

v. 9. παρῴκησεν) *advena concessit*. v. 13. not. — τῆς ἐπαγγελίας, *promissionis*) Promissa erat statim Gen. 12, 7. — ἐν σκηναῖς, *in tabernaculis*) Gen. 12, 8. Tentoriis utuntur πάροικοι, *adrenae*. Antitheton, πόλις *urbs*. v. 10. — μετὰ, *cum*) Idem victus, ejusdem fidei indicium. Constr. cum παρῴκησέν, *advena fuit*. — καὶ ἰακὼβ, *et Jacob*) Hic XV annis natus ante obitum Abrahae. — τῶν συγκληρονόμων, *coheredibus*) Alias filii non dicuntur parentum *coheredes*, sed heredes. Non Abrahamo Isaacus, non Isaaco Jacob in acceptis retulit hereditatem, sed singuli ab ipso DEO acceperunt. Locutio haec, *heredes promissionis*, et, ἐπέτυχε ΓΗΣ ἐπαγγελίας, *adeptus est promissionem*, cap. 6, 17. 12. 15., dicitur de *ipsa re promissa*: at utraque, in hoc cap. 11, v. 9. 33. *coheredibus promissionis*, et ἐπέτυχον ἐπαγγελιῶν (sine articulo τῶν,) *obtinuere promissiones*, itemque, v. 17., ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος, *qui promissiones susceperat*, de *promissione rei futurae* dicitur; et *ipsam rem promissam*, in hoc eodem potissimum capite, credentes dicuntur λαμβάνειν, κομίζεσθαι, *accipere, reportare*. v. 13. 39. Differentia locutionum diverso capitis 6. et 11. scopo congruit. namque capite 6. laudatur ipsa veterum conditio, et in exemplum proponitur: sed capite 11. conditio fidelium N. T. prae illa celebratur.

v. 10. τοὺς θεμελίους, *fundamenta*) quibus tentoria carebant. De his fundamentis vide in Ap. 21, 14. — πόλιν, *urbem*) quae non dimovetur. v. 16. — ἧς, *cujus*) quae digna DEO conditore. — τεχνίτης καὶ δημιουργὸς, *artifex et conditor*) Synonyma innuunt, totam urbem plane ab hoc uno esse conditore. is eam non solum fecit, sed etiam invenit.

v. 11. καὶ αὐτὴ) *etiam ipsa:* vas infirmius. — σπέρματος, *seminis*) a marito sene profecti. — παρὰ καιρὸν ἡλικίας, *praeter tempus aetatis*) Similis locus *Pauli* Rom. 4, 19. — πιστὸν ἡγήσατο, *fidum ducebat*) Alias non risisset. Diffidentiae aliquid admixtum risus arguebat; sed plus tamen *fidei*, praesertim post elenchum.

v. 12. ἀφ' ἑνὸς, *ab uno*) *ab* Abrahamo, per Saram. — ἐγεννήθησαν) *nati sunt*, scil. Nati.

v. 13. κατὰ πίστιν, *juxta fidem*) Non dicit hic πίστει *fide*. nam cum verbo ἀπέθανον *mortui sunt* magis congruit κατὰ πίστιν *juxta fidem*. Conf. κατὰ, Matth. 1, 20. — ἀπέθανον, *mortui sunt*) Fides maxime apud morientes viget: v. 20. ss. et in morte maxime elucet spes in invisibilia et futura. — οὗτοι, *hi*) Pronomen refertur ad eos, qui a v. 8. memorantur, expressiores nacti promissiones. — τὰς ἐπαγγελίας, *promissiones*) i. e. ea, quae promissa erant, v. 39. bona, etiam coelestia. v. 13. fin. — ἰδόντες καὶ ἀσπασάμενοι, *conspicati et amplexati*) Id cum πόρρωθεν, *procul*, facit oxymoron, quo *Paulus* delectatur. namque ἀσπάζεσθαι Eustathio est εἰς ἑαυτὸν σπᾶσθαι καὶ ἕλκειν διὰ δεξιώσεως καὶ περιπλέκεσθαι. sic enim solent amici, inter se occurrentes. Exquisite sic describitur fides

Digitized by Google

veterum: et plane videtur respici illud Joh. 8, 56.: *Abrahamus diem Christi vidit et gavisus est.* — ὁμολογήσαντες, *fassi*) ultro. Confessio peregrinitatis nascitur ex amplexu coelestium. — ξένοι καὶ παρεπίδημοι) Gen. 23, 4., πάροικος καὶ παρεπίδημος ἐγώ εἰμι. ib. 47, 9., αἱ ἡμέραι ἃς παροικῶ — ἃς ἡμέρας παρώκησαν. παρὰ, in παρεπίδημοι, minuit. mundum tenent mundani; credentes vix in aliqua parte haerent, aut re aut animo certe. — ἐπὶ τῆς γῆς, *super terram*) Antitheton, ἐπουρανίου *coelestis.* v. 16.

v. 14. ἐμφανίζουσιν, *ostendunt*) Insigne verbum. Es. 3, 9. כִּי כְחֻדָּה ἐνεφάνισαν. — ἐπιζητοῦσιν, *requirunt*) *Cosmopolitae* se non *Cosmoxenos* appellant.

v. 15. ἐμνημόνευον, *meminissent*) Obliti erant, per fidem. — καιρὸν, *tempus*) tot annis.

v. 16. οὐκ ἐπαισχύνεται) *non erubescit*, tametsi sunt terricolae et peregrinatores: *non erubescit*, quia beatitudinem magnam, ut a Deo dari decet, eis tribuit, et promissiones eis datas explevit. itaque non solum non erubescit, sed laudem in eo reponit. μείωσις. vel etiam, *non erubescit:* quia ὀρέγονται, *cupide prensant:* modo ne divinum *beneplacitum* videatur demum ex ipsorum obedientia tanquam ex merito consecutum esse. — ἐπικαλεῖσθαι, *cognominari*) Verbum mediae vocis. Primum ipse se, deinde illi eum ita cognominarunt: *DEUS Abrahae etc.* — πόλιν, *urbem*) in qua ipse regnat. [*Cujus quantum splendorem esse debere existimes, quum ipse DEUS eam ostentet!* V. g.]

v. 17. προσενήνοχεν, *obtulit*) quantum in ipso erat. — τὸν μονογενῆ, *unigenitum*) respectu uxoris Sarae et promissionum. Ceteros filios amandavit Abraham. — ὁ) Hoc rem auget, uti ὁ, c. 7, 4. — ἀναδεξάμενος, *complexus*) item fide.

v. 18. πρὸς ὃν, *de quo*) Refertur pronomen ad *unigenitum*, imo definitionem *unigeniti* hic versus habet. Πρὸς, *quod attinet*, determinandi vim habet. Sermo dictus erat ad Abraham, sed pertinebat ad Isaacum. conf. πρὸς *ad* Luc. 19, 9.

v. 19. καὶ ἐκ νεκρῶν ἐγείρειν δυνατὸς, *etiam a mortuis excitare potens*) tametsi nullum antehac extiterat exemplum mortui suscitati. Pari modo commendat *Paulus* fidem Abrahae, Rom. 4, 17. 21. Statuit, si Isaacum, qui necdum uxorem et liberos habebat, immolasset, resuscitari illum posse, atque ita tamen promissa in illo impletum iri. — ὅθεν, *unde*) Particula illativa. — καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο, *etiam in parabola tulit*) ἐν παραβολῇ scil. ὤν. Simillima locutio Num. 26, 10., ἐγενήθησαν ἐν σημείῳ. Abraham non modo *tulit* filium, ut antea eum ad montem duxerat, sed etiam ipse factus est *parabola*, adeoque *testimonium nactus est.* v. 2. Omnis enim posteritas celebrat *fidem* Abrahae, offerentis *unigenitum.* sic παραβολὴ, Hab. 2, 6., et passim.

v. 20—22. πίστει, *fide*) Plura extant fidei in Isaaco, Jacobo et Josepho specimina: sed apostolus sat habet singulorum singula posuisse, de rebus maxime futuris. — εὐλόγησεν, *benedixit*) futura, quasi praesentia, utrique filio assignans.

v. 21. ἀποθνήσκων, *moriens*) morti vicinus. Gen. 47, 29. — τῶν υἱῶν ἰωσὴφ, *filiorum Joseph*) etiam suis filiis benedixit; Gen. 49. et terram Canaan inter eos, quasi jam occupata esset, distribuit: sed benedictio filiorum Joseph, quorum *utrique* manum imposuit, multa habebat singularia. nam suos filios pridem noverat; Josephi filios visu non potuerat distinguere, et tamen fide distinxit, Gen. 48, 10., et ex nepotibus filios declaravit, jure primogenitorae in Josephum translato, et duobus illis adoptatis. — καὶ προσεκύνησεν) *et adoravit* Dominum. Gen. 47, 31. Apostolus id ipsum respicit, quod Moses commemoravit ab Israël esse factum, quum juramento Josephi confirmatum ei esset de sepultura in terra promissionis. conf. v. 22. unde animus et corpus pii senis

Digitized by Google

erecta sunt. — ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ) Sic plane LXX l. c. *super extremum baculi sui.* Legerunt מִטָּתוֹ pro eo, quod Hebraice legitur מִטָּה τῆς κλίνης *lecti:* ut habet Chaldaeus quoque paraphrastes, Aquila, Symmachus. *Lectus* Jacobi memoratur etiam mox Gen. 48, 2. et 49, 33. et tamen Jacobo etiamnum *baculum* ad manum fuisse, existimare possumus. Id enim fieri solitum est apud senes debiles. Confert *Hombergkius* Homerum, qui heroas verba facientes inducens dicere soleat: σκήπτρῳ ἐρεισάμενος. sed idem dehinc τὸ προσεκύνησεν tenuius interpretatur *incurvavit se;* nedum *verba facientem,* nedum stantem illo ritu Jacobum, Moses memorat. Major causa fuit, cur a Mose et *lectus* et *lecti caput,* quam cur *virga* et *virgae extremum* commemoraretur. Nam pariter 1 Reg. 1, 47. David *rex adoravit super cubile.* Et Jacob illo situ corporis, quo juramentum Josephi in femore cubans exceperat, paululum mutato, facieque a reliquo lectulo aversa, et ad *summam* ejus *partem,* ubi cervical est, (רֹאשׁ ἄκρον, summa pars montis, muri etc.) conversa, videtur de geniculis, et collectis viribus, uti Gen. 48, 2., adorasse. In ipso tamen *lecto* latus aut brachium *baculo* suffulcire potuit. *Sic solent utriusque Testamenti scriptores alii interdum supplere, quod ab aliis est omissum, et data occasione quaedam ex majorum suorum traditione inserere, quae praeterlapsis temporibus non valde nota sunt.* Surenhusius. Sive veram esse circumstantiam de *baculo* quoque, divino aut humano documento norat apostolus, sive eam in summa rei nil mutare statuit, lectionem LXX viralem recte retinet, ut mox versu 23.

v. 22. ἐμνημόνευσε, *meminit*) *memoriam* rei, patribus promissae, retentam protulit et quasi renovavit in futurum. — περὶ τῶν ὀστέων, *de ossibus*) ut vel mortuus Aegyptum relinqueret, et in terram promissionis veniret. Qui fide carent, aut nullam aut vanam et evanidam ossium curam habent.

v. 23. πίστει, *fide*) Fides hoc versu non innuitur Mosis, sed *patrum,* uti v. 30. non civium *Jericho,* sed Israëlitarum. — πατέρων, *patribus*) LXX, Exodi 2, 2. seq. sic habent; ἰδόντες δὲ αὐτὸ ἀστεῖον ὂν, ἐσκέπασαν αὐτὸ μῆνας τρεῖς· ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐδύναντο ἔτι κρύπτειν αὐτὸ, ἔλαβεν ἡ μήτηρ αὐτῷ θίβιν. In Hebraeo totum hoc matri adscribitur: ab apostolo, *patribus. Patrum* nomine *patrem et matrem* innuunt Syri: sed apud Hebraeos Graecosque id aegre ostenderis. Chrys. h. l. ἄρχεται ἀπὸ τῶν γονέων τοῦ μωϋσέως, ἀσήμων τινῶν ΑΝΔΡΩΝ. Hesychius, πατέρες, πλούσιοι ἢ πρόγονοι. Sic πατέρες, c. 1, 1. 3, 9. 8, 9. Eph. 6, 4. not. Nunquam LXX dicunt γονεῖς pro אבות neque in N. T. pro verbo γονεῖς, tam saepe occurrente, πατέρας commode surrogari cognosces. Occultatus est Moses a *patribus,* id est, a patre, [*Amram*] et ab avo, non materno, qui erat ipse Levi, sed paterno, qui erat Kahath. Vixit ergo Kahath, nascente Mose. Magnus loci hujus recte explicati usus est in Chronologia sacra. vid. *Ord. Temp.* p. 68. [*Ed. II. p.* 58.] — εἶδον, *videbant*) cum quodam magnarum rerum praesagio. — ἀστεῖον, *pulcrum*) Act. 7, 20. not. — οὐκ ἐφοβήθησαν, *non timuerunt*) Affectus ponitur pro effectu. v. 27. not.

v. 24. πίστει μωϋσῆς, *fide Moses*) Tantum abest, ut fides adversa sit Mosi, ut ipse eximium ejus sit exemplum. Iteratur Mosis nomen, quia versu 23. de *patrum,* hic de ipsius fide agitur. De usu hujus observationis respice, si vacat, Apparatum, p. 725. [*Ed. II. p.* 418.] — μέγας γενόμενος) Sic LXX, Ex. 2, 11. — ἠρνήσατο, *negavit*) Specimen magnae *abnegationis* sui.

v. 25. ἑλόμενος) Resolve, *et elegit*: sed, ἡγησάμενος, *quia duxit.* v. 26. — συγκακουχεῖσθαι, *una affligi*) Oppressus erat populus. Antitheton, ἀπόλαυσιν, *fructum.* — πρόσκαιρον, *temporalem*) Opponitur *fidei* exspectanti *futura.* ideo emphatice ponitur ante ἔχειν, *habere.* — ἁμαρτίας, *peccati*) cui implicitus fuisset in aula Aegyptiaca, idololatrica. Abstracto simul innuitur concretum, *peccatores,* Aegyptii. Antitheton, τοῦ θεοῦ, *DEI.*

Digitized by Google

v. 26. τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ χριστοῦ, *opprobrium Christi*) Sic c. 13, 13. Exspectatio Christi, quae vel maxime in Mose erat, centrum fuit rerum omnium, quarum nomine et Aegyptii et omnes gentes Israëlem despicabantur, maxime circumcisionis: cujus oppositum, praeputium, dicitur ὁ ὀνειδισμὸς αἰγύπτου, *opprobrium Aegypti*, circumcisione carentis. Jos. 5, 9. Neque tamen ideo Moses populum deseruit. — ἀπέβλεπε) *prospiciebat*, in longinquum. — τὴν μισθαποδοσίαν, *mercedis redditionem*) quae *opprobrium Christi* sequitur, Aegypti thesauris lautior, et Mosi et sanctis omnibus exspectanda. Grande verbum.

v. 27. μὴ φοβηθεὶς, *non veritus*) *timebat* ille quidem, Ex. 2, 14. et tamen *non verebatur*. Utrumvis ex effectu distincte noscitur. *Timuit* et fugit: *non timuit*, neque respexit, quam in partem rex vel caedem Aegyptii vel fugam Mosis esset acceptarus. Hoc fidei erat, ex qua deinde regi obstitit fortissime. — τὸν ἀόρατον) *Invisibilem*, DEUM. — ἐκαρτέρησε, *tenuit*) firmiter, cum exspectatione, fidei robore. Hesychius, ἐκαραδόκουν, ἐκαρτέρουν, ἐπετήρουν.

v. 28. πρόσχυσιν, *affusionem*) זרק LXX saepe προχέω vertunt. Exodi 12. id verbum non occurrit. — ὁ ὀλοθρεύων, *Perditor*) Sic LXX, Ex. 12, 23. Hic sine dubio fuit angelus bonus. Conf. Act. 12, 23. not.

v. 29. διέβησαν, *transierunt*) Moses et Israël. — ἐρυθρὰν, *rubrum*) Edomiticum mare. אדם *ruber*. — πεῖραν λαβόντες, *tentantes*) Notatur temeritas, sine *fide*. [*Ausu non absimili multi ruunt in aeternitatem*, V. g.] Duo cum faciunt idem, non est idem. Hactenus ex Mose, ejusque Genesi et Exodo: dein ex *prophetis* prioribus et posterioribus exempla citantur.

v. 30. κυκλωθέντα) *circumita*, sine machinis. LXX, Jos. 6, 6. (7.) Implicite laudatur hoc loco fides Josuae: nec tamen memoratur solstitium miraculosum, quippe cui simile alterum non futurum erat. Jos. 10, 12. 14. — ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας, *ad dies septem*) Alioqui obsidiones multae, multorum annorum.

v. 31. ἡ πόρνη, *meretrix*) אשה זונה LXX, γυνὴ πόρνη. Jos. 2, 1. Ratio haec, cur Rahab solita sit peregrinos excipere, auget etiam admirationem, cur deinde servata sit.

v. 32. περὶ, *de*) Συναθροισμὸς et Congeries insignis, Subjecti, tum Praedicati. — γεδεὼν κτλ.) Ordo temporis, *Barak*, *Gedeon*, *Jephthah*, *Samson*, *Samuel*, *David*, *prophetae*, cur mutatus, colligas ex not. ad v. seq. Graeca orthographia apud LXX eadem. יפתח ἰεφθάε, ε pro χ ut in νῶε. — σαμουήλ, *Samuel*) Samueli commode subjicitur mentio *prophetarum*. Etiam David propheta erat: sed Samuel propheta, non rex. — τῶν προφητῶν, *prophetis*) Eliae, Esajae etc. Simul innuuntur alii fideles, quibus aliquid cum prophetis intercessit.

v. 33. s. οἳ — ἀλλοτρίων, *qui — externorum*) Subjectis VII. modo enumeratis, dantur IX. praedicata, verbis commata δεινῶς graviter incipientibus. De *Davide* enim potissimum dicitur illud, κατηγωνίσαντο βασιλείας, *debellarunt regna*. 2 Sam. 8, 1. ss. De *Samuele*, εἰργάσαντο δικαιοσύνην, *operati sunt justitiam*. 1 Sam. 8, 9. 12, 3. ss. 23. 15, 33. De *Prophetis* postremo generatim, ἐπέτυχον ἐπαγγελιῶν, *obtinuere promissiones*. hoc enim eis proprie *obtigit*, ut *promissiones*, aliquando in Christo implendae, per eos ederentur. v. gr. Dan. 9, 21. Hic phraseos significatus ipsi *prophetarum* vocabulo congruit. Sic hodie dicitur, *obtinere diploma*. Conf. not. ad v. 9. De prophetis item, ἔφραξαν στόματα λεόντων, ἔσβεσαν δύναμιν πυρὸς, *occluserunt ora leonum, exstinxerunt vim ignis*, Dan. 6, 22., (ubi eadem phrasis τῶν LXX) 3, 27. quae sunt ultima in V. T. et quidem in *Hagiographis*, descripta miracula. Atque h. l. de ipsis fidelibus praedicantur ea, quae ll. cc. DEO adscribuntur, ejusque angelo. His demum exemplis, unde fides apertius elucet, antiquiora illa, quae evidentiam ex his accipiunt, subtexuntur, per χιασμὸν, (qualis est Matth. 22, 46. coll. v. 41. 29.) retrogradoque

Digitized by Google

ordine. [1]) namque de *Jephthah* potissimum dicitur, ἔφυγον στόμα μαχαίρας, *effugerunt aciem gladii:* Jud. 12, 3. de *Simsone*, ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας, *convaluerunt ex infirmitate:* Jud. 15, 19. 16, 28. s. de *Barak*, ἐγενήθησαν ἰσχυροὶ ἐν πολέμῳ, *facti sunt robusti in bello:* Jud. 4, 14. s. de *Gideone*, παρεμβολὰς ἔκλιναν ἀλλοτρίων, *castra pepulerunt externorum:* Jud. 7, 21. ut haec quatuor praedicata, coll. v. 32., totidem subjectis, ordine retrogrado, singulariter respondeant, gradatione inclusa. Sic maxima quaeque, etiam heroica facinora, civilia et militaria, fides animat. Denique observa, hac Congerie summatim comprobari auctoritatem Prophetarum priorum et posteriorum.

v. 34. ἔκλιναν, *pepulerunt*) fuga hostium et caede eorundem mutua. — ἀλλοτρίων, *alienorum*) i. e. hostium.

v. 35. ἔλαβον, *acceperunt*) quasi eripuerunt. — γυναῖκες, *mulieres*) crudentes, natura infirmae. — ἐξ ἀναστάσεως, *ex resurrectione*) *ex*, ait, non, *per*. Futuram resurrectionem anteverterunt. — νεκροὺς) *mortuos* filios. 1 Reg. 17, 22. 2 Reg. 4, 35. — ἄλλοι δὲ, *alii vero*) Ab agentibus ad patientes venit; (quanquam et agentis et patientis exemplum vel Abel pridem fuit, v. 4.) ac δὲ vero particula epitasin facit. haec genera distinguit τὸ ἄλλοι, *alii:* species patientium distinguit τὸ ἕτεροι, *ceteri*. v. 36. Eandem differentiam observat *Paulus* 1 Cor. 12, 8. seq. — ἐτυμπανίσθησαν) τύμπανον, bacillus tympanistae. inde, *fustuarium*; Gallice, *bastonnade*. ἐτυμπανίσθησαν, *fustibus caesi sunt*. Hesychius, ἐτυμπανίσθησαν, ἐκρεμάσθησαν, ἐσφαιρίσθησαν. Vulgatus, *distenti sunt*. etenim ut in tympano membrana sive corium, sic in tali supplicio corpora distendebantur, quo magis paterent ad ictum. Respicit apostolus Eleazarum, in persecutione Antiochina, 2 Macc. 6., de quo v. 20. sic scribitur: αὐθαίρετος ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγε. rursum, v. 28., ἐπὶ τὸ τύμπανον εὐθέως ἦλθε. tum, v. 30., μέλλων δὲ ταῖς πληγαῖς τελευτᾶν, ἀναστενάξας εἶπε· τῷ κυρίῳ τῷ τὴν ἁγίαν γνῶσιν ἔχοντι φανερόν ἐστιν, ὅτι δυνάμενος ἀπολυθῆναι τοῦ θανάτου, σκληρὰς ὑποφέρω κατὰ τὸ σῶμα ἀλγηδόνας μαστιγούμενος κτλ. Porro ut τυμπανίζειν est *fustibus caedere*, sic ἀποτυμπανίζειν *fustibus occidere*: et simplici verbo utitur apostolus, quia post τυμπάνων πεῖραν (conf. v. 36.) etiamnum poterant, si fidem frangere vellent, τὴν ἀπολύτρωσιν *liberationem* accipere. Vide Suiceri Thesaurum ex Galaeo illud quoque demonstrantem, id verbum saepe de qualibet morte violenta dici: opinor, quia maxime obvium armorum genus in omni tumultu et concursu fustes sunt. certe hoc ipso loco videtur apostolus universum tumultuariae necis genus per fustes inflictum denotare (cui tympanum Antiochi ante cetera tortorum instrumenta memoratum includitur) et versu seq. ad quaesitiora venire supplicia. Habet autem forma passiva vim mediam: *passi sunt se fustibus caedi*. sic quoque v. 37., coll. v. 36. — τὴν ἀπολύτρωσιν, *liberationem*) Eleazarus, ἀπολυθῆναι, dixit, ut modo vidimus. Ipse scriptor libri II. Maccabaici cavit, ne nulla videretur egere venia: excusat se c. 2, 24–31–33.: sed tamen historia populi Judaici ab aedificatione templi secundi ad initium N. T. pretiosa est. — κρείττονος) Resurrectio illa *melior* est, quam ea, quae vitam mortalem restituit. Respicitur

---

1) *Quem ordinem* Notulae criticae [*App. crit. Ed. II. P. IV. N. XIV. p.* 918.] sequenti Schemate *exhibent:*

1. γεδεὼν — — παρεμβολὰς ἔκλιναν ἀλλοτρίων.
2. βαρὰκ — — ἐγενήθησαν ἰσχυροὶ ἐν πολέμῳ.
3. σαμψὼν — — ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας.
4. ἰεφθὰε — — ἔφυγον στόμα μαχαίρας.
5. δαυὶδ — — κατηγωνίσαντο βασιλείας.
6. σαμουὴλ — εἰργάσαντο δικαιοσύνην.
7. προφητῶν — ἐπέτυχον ἐπαγγελιῶν,
   ἔφραξαν στόματα λεόντων,
   ἔσβεσαν δύναμιν πυρός.

Digitized by Google

initium hujus versus. Planum est antitheton: *mulieres* accepere mortuos et recuperarunt ex resuscitatione ad vitam temporalem: *martyres*, mortem subeuntes, proposuere sibi *resurrectionem meliorem*, non ad temporalem vitam, sed aeternam. Conf. 2 Macc. 7, 9. 11. 14. 29. 36.

v. 36. ἐμπαιγμῶν καὶ μαστίγων) Eadem verba, 2 Macc. 7, 7. 1. — πεῖραν ἔλαβον, *experientiam ceperunt*) Hoc auget constantiae laudem. multos, qui sibi fortes videbantur, fregit *experientiae* acerbitas. Eadem phrasis Deut. 28, 56. Hanc *experientiam* ignorant delicati et lauti; modo ne fugiant eam. — ἔτι δὲ, *insuper vero*) Incrementum. coll. Luc. 14, 26. — δεσμῶν κτλ., *vinculorum* etc.) Videtur apostolus hic descendere ad exempla recentia; quanquam talia etiam in libris canonicis extant.

v. 37. ἐπρίσθησαν) *Esajam serratum esse a Manasse serra lignea, apud Judaeos certissima traditio est; unde et nostrorum plurimi illud, quod de passione sanctorum in ep. ad Hebr. ponitur*, serrati sunt, *ad Esajae referunt passionem.* Hieronymus lib. XV. comm. in Esaj. Si de Esaja, ut Tostato et aliis videtur, fabula est: aliis vere accidit. — ἐπειράσθησαν, *tentati sunt*) Habet periocha quatuor partes: prima est varia, *ludibriorum etc.* secunda varia, *lapidati, serra diuisi sunt:* tertia simplex, *tentati sunt;* quarta simplex, *in occisione gladii mortui sunt.* Primae respondet tertia (πεῖραν, ἐπειράσθησαν, *tentamen, tentati,*) secundae quarta, cruciatibusque neces alternatim miscentur. *tentati sunt*, quovis modo, (idem verbum, v. 17. c. 2, 18.) minis, contumeliis, tormentis, quorum varietas et novitas, verborum copiam excedit; rursum blanditiis (1 Thess. 3, 3. not.) quae saepe non minus solicitant, pollicitationibusque et beneficiis. conf. iterum 2 Macc. 6, 21. s. 7, 24. — ἐν φόνῳ μαχαίρας ἀπέθανον, *in caede gladii mortui sunt*) לפי חרב LXX non uno loco ἐν φόνῳ μαχαίρας. Gladius, suppliciorum extremum, *Paulo* notatus, Rom. 8, 35. not. — ἐν μηλωταῖς, *in pellibus ovinis*) ut Elias, LXX, 1 Reg. 19, 13. Eliam tamen etiam falsi prophetae externo habitu sunt imitati. Zach. 13, 4.

v. 38. ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος, *quibus non erat dignus mundus*) Sancti quamvis pauci et miseri sunt pluris, quam reliquus mundus omnis. Sic Prov. 8, 11., πᾶν τίμιον οὐκ ἄξιον αὐτῆς ἐστιν. Construitur incisum cum *circumierunt:* et tamen hoc demum loco ponitur ob antitheton inter *mundum* spatiosum et inter *foramina terrae.* — πλανώμενοι, *errantes*) ab improbis exclusi. — σπηλαίοις, *speluncis*) 1 Reg. 18, 4. 13. — καὶ ταῖς) Articulus facit epitasin, *adeo.* conf. annot. ad Chrysost. de Sacerd. p. 493.

v. 39. καὶ οὗτοι πάντες, *et hi omnes*) Symperasma patheticum. — μαρτυρηθέντες, *testimonium nacti*) v. 2. not. — τὴν ἐπαγγελίαν, *promissionem*) i. e. promissam coelestem hereditatem. c. 10, 36. not. Flacius: *Probabile est, sanctis animabus aliquem quasi gradum cumulumve beatitatis, veniente omniaque implente Christo, accessisse; sicut eo sepulto multos resurrexisse Evangelistae testantur, qui procul dubio cum ipso in coelum ascenderunt.* Omnino in morte Christi et ipse Christus *consummatus est*, cap. 2, 10., et vivi mortuique *consummationis* potiti sunt: cap. 10, 14. et fit *consummatio* fidelium singularis in ipsorum obitu; c. 12, 23. universalis vero fidelium et extrema *consummatio* fiet in adventu Domini; de qua h. l.

v. 40. κρεῖττόν τι, *melius quiddam*) Hoc *melius* est promissae salutis revelatio clarior, confirmatio testatior, exspectatio propior, per Christum exhibitum, et tandem ipsa salus et gloria. — προβλεψαμένου, *providente*) Exquisitum verbum. Quae *nondum videt* fides, DEUS *providet.* Gen. 22, 8. 14. Joh. 6, 6. Ex hac *provisione* fluxit tota oeconomia temporum, et *testimonium* DEI ad veteres. — χωρὶς ἡμῶν, *sine nobis*) Μείωσις. non modo non sine nobis consummati sunt, sed illi potius nobiscum, quam nos cum illis. Non dicit, *ne nos*

Digitized by Google

sine illis, sed, ***ne illi sine nobis***. Hoc probe tenendum est. non enim innuitur tantummodo aggregatio nostra ad illos, sed melior conditio nostra, quam illorum ***expectantium***.

CAPUT XII.

v. 1. Περικείμενον) proprie, ***circumjacentem***. Verbo κεῖμαι, ejusque compositis, ut mox v. 2., saepe utuntur Graeci, et varie: quare verbum ***jaceo*** hic non valde premendum est. Sed praepositio περὶ dicit, ***prope circumdantem, urgentem nubem***, magna emphasi. Congruit ex opposito περὶ in εὐπερίστατον. — νέφος) ***nubem*** dicit, ob multitudinem magnam, cum sancta velocitate tendendi in altum. νέφος ἅγιον καὶ διειδὲς, ***nubem sanctam et pellucidam*** dixit ***Clemens Al.*** l. IV. Strom. — μαρτύρων, ***testium***) c. 11, 39. not. — ὄγκον) ὄγκος (ab ἔγκω, ἐνέγκω) ***pondus***. inde, quum ad animum transfertur, ***tumor, fastus***. Themistius Or. IV, αὐτοὶ μὲν μέτριοι φύσει εἰσὶν, ἐγὼ δὲ αὐτοὺς ὄγκου ἐμπίπλημι καὶ χαυνότητος. Hesychius, ὄγκος, φύσημα, ὑπερηφανία, ἔπαρσις, μέγεθος. Talis ὄγκος ***moderationi*** spirituali inimicissimus est, et amentiam conjunctam habet. — τὴν εὐπερίστατον) περίστασις, τὸ περιεστηκός. inde, per synecdochen speciei, τὸ δύσκολον, ***periculum, incommodum***. inde εὐπερίστατος. Hesychius, τὴν εὐπερίστατον, τὴν εὔκολον, i. e. ***facillime difficultates objicientem, et in pericula conjicientem***. ואליך תשוקתו Gen. 4, 7., ***peccatum ambit te***. Contra, ἀπερίστατον ἕλκος, Galeno, ***ulcus periculo carens***. ἡ ἁμαρτία, ***peccatum***, genus: species, ἡ εὐπερίστατος ἁμαρτία, ***infidelitas***, quia praesentaneum est ejus periculum, et quia hoc peccatum, si admittas, maximum perniciei periculum affert. c. 3, 12. ss. Neh. 6, 13. — δι' ὑπομονῆς, ***per patientiam***) Respicit ad c. 10, 36. Huic opponitur ὄγκος, in excessu; et ἡ εὐπερίστατος ἁμαρτία, in defectu: uterque morbus, ***judaicus***. illi respondet τὸ ὀλιγωρεῖν, ***vilipendere;*** huic τὸ ἐκλύεσθαι, ***frangi***. v. 5. not. — τρέχωμεν, ***curramus***) ***cursu conficiamus*** certamen. Sic ***Paulus*** 1 Cor. 9, 24. s.

v. 2. ἀφορῶντες) ἀπὸ notat ***longe***, ut in ἀπέβλεπε. c. 11, 26. Ille, inquit, sedet in dextra throni DEI. — εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν, ***in fidei principem et consummatorem***) Hac appellatione distinguitur Jesus ab omnibus iis, qui c. 11. enumerantur. Ipse exemplum unicum, unica norma ac regula fidei est. ***fidei princeps et consummator*** dicitur, quia ipse fidem Patri ab initio ad exitum praestitit. c. 2, 13. Eum fides nostra initio et fine spectat: ex eo ad sequelam trahitur et corroboratur: eum fideles a primo ad novissimum usque intuiti sunt et intuentur. c. 11, 26. 13, 8. — ἀντὶ, ***pro***) Denotatur fides Jesu. ***Pro*** gaudio proposito, illo scilicet, quod mox erat aditurus, Act. 2, 28., crucem tantisper aeque libenter sustinuit. [— — — Pro gaudio, ***i. e. ut consequeretur gaudium***. V. g.] Christus non eo fuit animo, ut crux ipsi videretur non esse ***gaudii***. conf. v. 11. Sic inter se respondent προκείμενον et προκειμένης. — σταυρὸν, ***crucem***) Nunc demum Paulus, confirmata eorum fide, ad quos scribit, invisum multis nomen crucis exprimit. — αἰσχύνης, ***contumeliam***) maximam, cum cruce conjunctam. Conf. c. 13, 13. 1 Petr. 2, 24. not. Matth. 27, 35. — καταφρονήσας, ***contemnens***) quanquam ea dolori fuit. Ps. 69, 20. s. — ἐν δεξιᾷ τε, ***atque in dextera***) postquam consummatus est. In ***Dextra*** illa est ***gaudium***, Ps. 16, 11., et ***gloria***. Opponuntur inter se, ***gaudium*** et ***crux: ignominia*** et ***sessio in dextra throni DEI***.

v. 3. ἀναλογίσασθε) ***comparatione*** instituta ***cogitate:*** Dominus tanta tulit; ***quanto magis*** servi ferant aliquid? Est quasi locutio modalis. Rarissime enim fit, ut γὰρ ad imperativum addatur. tantundem est, ac si diceret: Dominus ***enim*** tantam ***contradictionem*** sustinuit: et id vos recordari debetis. Vis aetiologiae cadit in alterum verbum, quod ad latus apponitur. confer ὑπομεμενηκότα, hic,

et ὑπέμεινε, v. 2. — ὑπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *a peccatoribus*) De nobis dicitur, *adversus peccatum*, v. 4.: coll. v. 1. Nos ipsum peccatum oppugnat, quo alii aguntur et quo nos tentamur; Christo non peccatum, sed peccatores *contradixerunt*. — ἀντιλογίαν) LXX, ἀντιλογία, pro מדון Ps. 80, 7.: pro ריב saepe. *Contradictio* involvit repugnationem, Joh. 19, 12. Act. 28, 19., maximeque denotat indolem *infidelitatis*, sicut *fidem* sequitur *confessio*. — ἵνα μὴ κάμητε ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν) LXX, κάμνων τῇ ψυχῇ μου· Job. 10, 1. Nam alias κάμνειν est corporis. Sed ἐκλυόμενοι ponitur absolute, uti v. 5. — ἐκλυόμενοι) v. 5. Qui ἐκλύεται *deficit* actu, is κάμνει *defatigatur* habitu.

v. 4. οὔπω, *nondum*) Asyndeton animosum. — μέχρις αἵματος, *usque ad sanguinem*) usque ad vulnera et mortem. A cursu venit ad pugilatum, ut *Paulus* l. c. Opes, inquit, non sanguinem, impendistis. c. 10, 34. Proponite vobis graviora. [*qualia scil. nondum experti estis.* 1 Cor. 10, 13. V. g.] — ἀντικατέστητε, *restitistis*) Quod *contradictio* est in malam partem, id ἀντικαταστῆναι *resistere* dicit in bonam. LXX, loco mox citando. — πρὸς) Constr. cum ἀντικατέστητε. Deut. 31, 21., καὶ ἀντικαταστήσεται ἡ ᾠδὴ αὕτη ΚΑΤΑ πρόσωπον αὐτῶν μαρτυροῦσα, *et respondebit canticum hoc adversus eos tanquam testis.* — ἀνταγωνιζόμενοι, *repugnantes*) Peccatum pugnam excitat: nostrum est *repugnare*.

v. 5. καὶ) et tamen jam. — ἐκλέλησθε, *obliti estis*) ex memoria et animo dimisistis. Sic *meminisse* et de memoria et de animo dicitur. — τῆς παρακλήσεως, *hortationis*) Illustre testimonium de auctoritate librorum Salomonis. Conf. 1 Petr. 3, 6. 4, 8. 18. nott. et c. 5, 5. 2 Petr. 2, 22. Haec paraclesis plus apud vos valere debebat, quam apud certantes in mundo omnes voces *hortantium*. — ὡς υἱοῖς, *tanquam filiis*) Dicitur enim, υἱέ μου, *fili mi*, amantissime. — υἱέ μου, *fili mi*) Prov. 3, 11. 12. LXX, υἱέ. cetera usque ad παραδέχεται, iisdem verbis. Et solent illi בני υἱὲ vertere. Sic enim Salomo eum, quem in Paroemiis, DEI nomine, instituit, appellitat. — μὴ [1]) ὀλιγώρει) אל תמאס (coll. מאס Es. 8, 6.) id est, *ne spreveris*, animo contumaci. Praecipitur ὑποταγή, *subjectio*, v. 9., respectu παιδείας, *disciplinae*, quae lenior. — μηδὲ ἐκλύου) ואל תקץ (coll. קץ Es. 7, 16.) *ne refugeris animo fracto*. Praecipitur ὑπομονή, *patientia*, v. 7. respectu ἐλέγχου, *quo quis arguitur* severius.

v. 6. μαστιγοῖ δὲ, *flagellat autem*) Hebr. וְכִאֵב et (subaudi, *Dominus* ייסר *castigabit*) sicut pater filium, quem *placitum habebit*. LXX legerunt וְכָאֵב μαστιγοῖ δέ. Id retinuit apostolus, quanquam id alias non denotat paternam castigationem. Flagello cietur sanguis. v. 4. Atque ipse vim lectionis Hebraicae insinuat v. seqq. Prudentis doctoris est, versionem apud plures non aperte reprehendere: et tamen vim fontium eis inscientibus propinare.

v. 7. εἰ, *si*) Disciplinae necessitas asseritur hic et versu seq. eorum autem, quibus disciplina obtingit, officium, versu 9. seq. Itaque versu 7. *disciplina* potius spectatur, quam *patientia*. In v. 7. et 9. *disciplina* simul comprehendit *elenchum;* sed in v. 5. *disciplina elencho* contradistinguitur. — υἱοῖς) non modo τέκνοις. Gloriosissima conditio *filiorum*. — προσφέρεται) *praebet se*, eo ipso, dum castigat. — τίς γὰρ, *quis enim*) Praesupponitur, omnes egere castigatione, ob culpam.

v. 8. εἰ δὲ χωρίς ἐστε) Si *estis* et esse vultis etc. χωρὶς, *extra*, particula tristis. — μέτοχοι, *participes*) Verbum favorabile. — πάντες, *omnes*) omnes filii, v. 7. omnes *testes*, v. 1. — ἄρα νόθοι ἐστὲ καὶ οὐχ υἱοὶ, *nothi igitur estis*,

---

1) ὀλιγώρει — — — ἐκλύου] Duo extrema: ὀλιγωρεῖν est animi contumacis: ἐκλύεσθαι, fracti. Illud dicitur ὄγκος, v. 1.: hoc, ἡ ἁμαρτία, non in genere, sed speciatim ἡ εὐπερίστατος ἁμαρτία, id est, ἀπιστία c. 3, 12. *Not. crit.*

Digitized by Google

ac non filii) Enthymema, in quo subaudias hoc: atqui non volumus esse nothi, sed filii. Ergo suscipiemus disciplinam.

v. 9. εἶτα) *tum.* Particula, quae argumentum institutum persequitur, et auditorem amplius urget. Vid. ad Chrysost. περὶ ἱερωσ. p. 462. — τοὺς μὲν τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας, *carnis quidem nostrae patres*) Antitheton, τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων, *Patri spirituum.* Ex hominibus generatio carnalis; ex DEO spiritualis. Non negatur hic propagatio *animae* per parentes, sicut mentione *spirituum* non negatur, *carnem* nostram, i. e. naturam, a DEO formari. — εἴχομεν) *habebamus,* ferebamus, aequo animo, initio aetatis. — καὶ ἐνετρεπόμεθα) Fructus disciplinae, *verti* ad virtutem et frugem. ἐντρέπεσθαι, τὸ ἐπιστρέφεσθαι, μεταβάλλεσθαι, in Homero notat Eustathius. sed et pro נכנע LXX ἐντρέπεσθαι. 2 Chron. 7, 14. 12, 7. 12. 30, 11. 36, 12. etc. — τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων, *Patri spirituum*) Exquisita appellatio. conf. πνεύμασι, *spiritibus.* v. 23. Sic LXX, Κύριος ὁ θεὸς τῶν πνευμάτων. Num. 27, 16. nec non Num. 16, 22. — καὶ ζήσομεν, *et vivemus*) vita spirituali et perpetua. Id declaratur v. seq. Saepe *spiritus* et *vita* conjunctim memorantur. καὶ *et* habet vim consecutivam, ut modo καὶ ἐνετρεπόμεθα, *et reverebamur.*

v. 10. πρὸς ὀλίγας ἡμέρας) *ad paucos dies*, quibus vita nostra in carne constat. Notantur dies non solum ii, quos durat ipsa disciplina: sed *ad* quos disciplinae fructus pertinet. Huic πρὸς respondet τὸ εἰς, in fine versiculi: coll. c. 9, 13. 14. Similiter has praepositiones jungit *Paulus* Eph. 4, 12. not. — κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, *prout ipsis videbatur*) Sane ita est. Multum indulgentia, multum severitate in disciplina peccant patres carnis: nec tam castigant, quam castigare se putant. At Pater spirituum plane ἐπὶ τὸ συμφέρον, *commodo* nostro castigat. αὐτοῖς *ipsis* continet antitheton ad eos, qui castigantur a patribus carnis. Sic respondet δοκοῦν, et δοκεῖν v. seq. — εἰς τὸ μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ, *ut fiamus consortes Sanctitatis ipsius*) ἁγιωσύνη, *sanctimonia:* ἁγιασμὸς, *sanctificatio:* v. 14. at ἁγιότης, *sanctitas. Sanctitas DEI,* i. e. Deus, qui sanctus est: quem non assequuntur nisi sanctificati; quem qui assequuntur, vita spirituali aeternum fruentur. [*Filiali reverentia fas est hanc* Sanctitatem *prosequi: neque tamen prope ad eam accedere non datur.* V. g.] Appellatio abstracta, uti ἡ μεγαλωσύνη *Majestas* c. 1, 3. ἡ δόξα αὐτοῦ, *Gloria ipsius.* Jud. v. 24. ἡ μεγαλοπρεπὴς δόξα, *magnifica Gloria,* 2 Petr. 1, 17. Atque illud, ἵνα γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως, *ut fiatis divinae consortes naturae,* i. e. DEI, 2 Petr. 1, 4. cum praesenti loco singulariter congruit.

v. 11. πᾶσα, *omnis*) quam et patres carnis et Pater spirituum adhibet. — δὲ, *autem*) Occupatio. — δοκεῖ, *videtur*) Saepe enim sensus dolorosus impedit judicium sincerum. — λύπης, *moeroris*) Castigatores videntur eorum, qui castigantur, *moerorem* habere propositum; sed non ita est. 2 Cor. 1, 24. 7, 8. — εἰρηνικὸν — δικαιοσύνης) LXX, καὶ ἔσται τὰ ἔργα τῆς δικαιοσύνης εἰρήνη. Es. 32, 17. εἰρηνικὸν, *pacatem.* Hebr. שלם LXX εἰρηνικὸς, Gen. 37, 4. etc. antitheton ad δοκεῖ *videtur.* Castigator demonstrat, se fideliter fecisse: castigatus id agnoscit, et gratiam habet. inde *pax.* — γεγυμνασμένοις, *exercitatis*) Tales et minus oneris habent, et quicquid oneris habent, facilius ferunt. Callent. — ἀποδίδωσι) *reddit,* scil. antehac reservatum fructum. — δικαιοσύνης, *justitiae*) Suaviter haec declaratio, postquam suspensum sermo lectorem tenuerat, in extremo additur: fructum pacatum, nempe *justitiae,* qua praeditus homo accedit ad *Sanctitatem* DEI, cum gaudio.

v. 12. διὸ, *propter quod*) Reassumitur cohortatio. v. 1. — τὰς παρειμένας χεῖρας καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε) Es. 35, 3. LXX, ἰσχύσατε χεῖρες ἀνειμέναι, καὶ γόνατα παραλελυμένα. Iidem, Deut. 32, 36., εἶδε γὰρ αὐτοὺς παραλελυμένους — καὶ παρειμένους. παρειμένας χεῖρας — παραλελυμένα γόνατα. Sic Sir.

Digitized by Google

25,25. Habet haec cohortatio tres partes, respectu ipsorum, et aliorum, et DEI; quem triplicem respectum saepe habet *Paulus*, v. gr. 1 Cor. 6, 11. Prima pars incipit, τὰς παρειμένας, *remissas*: secunda, εἰρήνην, *pacem*: tertia, καὶ τὸν ἁγιασμὸν, *et sanctimoniam*: et primam respicit illud, μή τις ὑστερῶν, *ne quis se retardet*. secundam illud, μή τις ῥίζα πικρίας, *ne quae radix amaritudinis*: tertiam illud, μή τις πόρνος ἢ βέβηλος, *ne quis scortator aut profanus*. Id anaphora in μή τις *ne quis* ter posito comprobat. — χεῖρας, *manus*) vestras, coll. v. 13. et fratrum v. 15. Es. cap. cit. v. 4. et sic, γόνατα, *genua*, et ποσὶν, *pedibus*.

v. 13. καὶ τροχιὰς) *orbitas*, conspicuas. Hexameter, valde opportunus. Prov. 4, 26. ὀρθὰς τροχιὰς ποίει σοῖς ποσίν. — [1]) τοῖς ποσὶν, *pedibus*) Dativus, Genitivo Hebraico in Prov. l. c. conveniens. Ipsi pedes, *claudi* quippe, opis egent, non minus, quam *manus* et *genua*. — τὸ χωλὸν) Hoc in pedibus est, quod πάρεσις in manibus. desinite *claudicare* inter Judaismum et Christianismum. conf. 1 Reg. 18, 21. et Es. cap. cit. v. 6. — ἐκτραπῇ, *deflectat*) ad dextram vel sinistram, a rectitudine. Prov. l. c. v. 27. Τὸ ἐκτρέπεσθαι novum *claudicati* vitium addit. — ἰαθῇ, *sanetur*) Ipsa exercitatio recta ad sanitatem confert.

v. 14. μετὰ, *cum*) Constr. cum εἰρήνην, *pacem*. coll. πολλοὶ, *multi*. v. 15. — καὶ τὸν) Articulus facit epitasin. c. 11, 38. — ἁγιασμὸν, *sanctificationem*) cujus praecipuae partes, *castitas* et *sobrietas*. coll. v. 16. — οὐδεὶς ὄψεται, *nemo videbit*) tanquam sacerdos, Ap. 22, 3. s. aut filius. conf. 2 Sam. 14, 24. — τὸν Κύριον, *Dominum*) sanctum, purum.

v. 15. μή τις ὑστερῶν, *ne quis se retardet*) per segnitiem in currendo. — μή τις ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα ἐνοχλῇ, *ne quae radix amaritudinis, supra germinans, turbas det*) Deut. 29, 18. LXX, μή τις ἐστὶν ἐν ὑμῖν ῥίζα ἄνω φύουσα ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ. Sed apostolus pro ἐν χολῇ totidem literis scripsit ἐνοχλῇ. Potuit ἐνοχλῇ etiam antea apud LXX invectum esse: potuit apostolus primum ita scribere. Opportune certe inflexum est verbum ad commendandum *pacis* studium. ἐν χολῇ non scripsit apostolus, ut τὸ πικρίας, trajectum, ostendit. In Hebraeo is ipse, qui pessime cogitat, שֹׁרֶשׁ *radix* appellatur. id quod etiam apostoli contextui congruit. *Amaritudine* perimitur dulcis *pax*. Adverbium *supra* opponitur *radici*, quae infra est. conf. Es. 37, 31. — πολλοὶ, *multi*) Deut. cap. cit. v. 19. *irriguum cum sitibundo*, scil. solo sive terra.

v. 16. πόρνος, *scortator*) c. 13, 4. 1 Cor. 10, 8. — ἢ, *aut*) *Libido* et *intemperantia cibi*, affines. — βέβηλος, *profanus*) spiritualem praerogativam projiciens pro fructu *gulae*. vide Gen. 25, 34. Esau *et edit et bibit; et surrexit et abiit*. Graphica profani animi hypotyposis. — ὡς ἡσαῦ, *ut Esau*) Exemplum aptissimum ad horrorem, *Jacobi* secundum carnem filiis incutiendum. — μιᾶς, *una*) Id culpam auget, non misericordiam meretur. conf. Gen. 3, 6. In utramque partem *unica* quandoque actio maximum habere momentum potest. Constat idem exemplo Rubenis et Sauli: et rursum Abrahami, Pinechasi etc. — τὰ πρωτοτόκια, *primogenituram*) pretiosissimam. Etiam Hebraeorum, ad quos scribitur, erat jus primogeniturae ante gentes, v. 23. not. — αὐτοῦ, *suam*) Hanc ergo revera habuerat. Primogeniturae spiritualis consortes decet sancta sobrietas et temperantia.

v. 17. ἴστε γὰρ, *scitis enim*) Causa admonitionis ex Gen. 27, 30. ss. — καὶ μετέπειτα, *etiam deinceps*) *Qui non habet, amittit*. Luc. 8, 18. — θέλων, *volens*) Rom. 9, 16. — ἀπεδοκιμάσθη) *repulsus est*. Non omni benedictione excidit, c. 11, 20., sed ea, quae primogenituram secutura fuerat. — μετανοίας τόπον, *poenitentiae locum*) Μετάνοια fuisse nulla dicitur, non penes Isaacum: non quo res ipsa obstet, nam is sane sententiam adeo non mutavit, ut de Jacobo

---

1) ὀρθὰς, *rectas*] rectâ viâ ad gaudium et gratiam deducentes. v. 1. 2. 15. *V. g.*

zed by Google

dixerit, εὐλόγησα αὐτὸν, καὶ εὐλογημένος ἔσται, Gen. 27, 33.: sed quia apud LXX et alios quidem τὸ μετανοεῖν vel etiam μετάνοια dicit poenitentiam, qua quis sententiam mutat quamcunque, in Novo autem Testamento semper illam, qua peccator totus resipiscit. Neque nulla fuisse dicitur penes Esavum: qui quum primogenitura quidem, sed benedictione nunquam, se abdicaverit, *consilii mutationem* (si vel maxime hanc denotaret μετάνοια) non dicetur quaesisse. Quod reliquum est, ille labor animi in Esavo benedictionem postliminio postulante μετάνοια appellatur, vocabulo ad apodosin (conf. not. ad Matth. 18, 13. Gal. 4, 29.) spectante, de *profanis* contemtoribus, *gratiam* ultro abjicientibus. v. 15. s. Ill sane *olim* quaerent poenitentiam, sed frustra. c. 6, 6. Matth. 25, 10. s. Locutio eadem Sap. 12, 10. κρίνων δὲ καταβραχὺ, ἐδίδους τόπον μετανοίας. Μετάνοια ponitur quasi impersonaliter, uti θέλημα *voluntas* 1 Cor. 16, 12. *Es wollte bey Esau nicht mehr seyn.* Natura rei recusabat. — μετὰ δακρύων, *cum lacrymis*) Antea sine lacrymis habuisset: postea quamlibet flens, repulsam tulit. [*Durissimae aliquando indolis hominibus* lacrymae *oboriuntur:* 1 Sam. 24, 17. *Tum quae non fiunt, vix fiunt deinceps.* V. g.] Utamur tempore! Luc. 13, 28. — αὐτὴν, *eam*) *benedictionem.* Sic diserte scriptum est Gen. 27, 38. Et synonyma sunt hoc loco, *volens hereditare, exquirens.*

v. 18. οὐ γὰρ) Causa, cur toti huic hortationi ex sacerdotio Christi deductae obtemperare debeant, quia praesentior salus est, et praesentior ultio. Conf. c. 2, 1. ss. — προσεληλύθατε) Deut. 4, 11. LXX, καὶ προσήλθετε καὶ ἔστητε ὑπὸ τὸ ὄρος, καὶ τὸ ὄρος ἐκαίετο πυρὶ ἕως τοῦ οὐρανοῦ· σκότος, γνόφος, θύελλα κτλ. — ψηλαφωμένῳ) *qui tangebatur*, divinitus, ita ut totus commoveretur, v. 26. Ps. 104, 32. 144, 5., a nullo tantisper homine aut bruto attingendus. v. 20. Ita ψηλαφᾶν *tangere* ponitur Jud. 16, 26. Tangebatur mons uno illo tempore: sed aeterna DEI sedes describitur versu 22. — ὄρει. *monti*) Eleganter nomen *Sina* reticetur, *Sion* memoratur. — κεκαυμένῳ πυρὶ) *igni, qui ardebat.* — καὶ γνόφῳ καὶ σκότῳ, *et caligini et tenebris*) Ephraim Syrus f. 85. ed. Oxon. οὔτε φῶς ἐκ τοῦ πυρὸς, οὔτε σκότος γνόφου χωρίς. unde apparet vocum proprietas. Eadem verba τῶν LXX jam vidimus. γνόφου synonymon ζόφος.

v. 19. καὶ σάλπιγγος ἤχῳ, *et tubae sono*) Ex. 19, 16. LXX, φωνὴ τῆς σάλπιγγος ἤχει μέγα. Tuba auditores excitat ad audienda verba. — καὶ φωνῇ ῥημάτων, *et voci verborum*) Sic LXX, Deut. 4, 12. Innuuntur autem τὰ δέκα ῥήματα, *Decalogus*, ib. v. 13. pronunciatus φωνῇ μεγάλῃ, *voce magna.* ib. c. 5, 19. (22.) — ἧς) Constr. cum ἀκούσαντες. — παρητήσαντο) *recusarunt*, vel verbum amplius dici. Ex. 20, 16. (19.) — μὴ προστεθῆναι, *ut ne adderetur*) Deut. 5, 19. LXX, ταῦτα τὰ ῥήματα ἐλάλησε Κύριος — καὶ οὐ προσέθηκε. Cetera enim Mosi deinceps commissa sunt.

v. 20. τὸ διαστελλόμενον, *interdictum*) illud ipsum, *Etsi bestia* etc. Participium loco nominis, uti v. seq. — κἂν θηρίον θίγῃ τοῦ ὄρους, λιθοβοληθήσεται, *si bestia tetigerit montem, lapidabitur*) Plenus textus, apud Mosen, de monte: οὐχ ἅψεται αὐτοῦ χεὶρ, ἐν γὰρ λίθοις λιθοβοληθήσεται, ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται· ἐάν τε κτῆνος, ἐάν τε ἄνθρωπος, οὐ ζήσεται. Ex. 19, 13. Hic duplex edictum est, ut telo interimatur *bestia; lapidibus*, homo. Apostolus brevitatis studio, ex altera sententia subjectum exprimit, ex altera praedicatum; cetera ex his ipsis subaudienda relinquens. Sermo eadem prope ratione concisus est cap. 7, 5. Act. 7, 16. nott. *Semiduplex* potest oratio dici, cujus exempla plura habet *Ordo temporum*, p. 83. 88. 213. [*Ed. II. p.* 73. 77. 187. s.] Librarius parum antiquus, qui ex LXX adjecit, ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται, non cogitavit, pari jure ex LXX adjiciendum fuisse, λίθοις *lapidibus*, quod responderet *jacudo:* majori vero jure supplendum sibi fuisse, κἂν ἄνθρωπος, *etsi homo.* nam in *hominem* sontem, prae *bestia*, conveniebat *lapidatio;* in *bestiam*, prae *homine, jaculatio.*

Digitized by Google

v. 21. τὸ φανταζόμενον) Notatur *visum* verissimum. Herodianus, εἴτε ἀληθῶς ἐφαντάσθη τισὶν, ἢ κτλ. — μωϋσῆς, *Moses*) qui tamen proximae unus admissionis erat, et ob id ipsum magis vidit et sensit, quam ceteri. Internuncium ille quidem egit; sed dum ipsa Decem verba pronunciata sunt, adstitit tanquam unus auditorum. Ex. 19, 25. 20, 16. (19.) seqq. — ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος) *timore* animi *et tremore* corporis *perculsus sum*. Differunt verba, 1 Cor. 2, 3. not. Deut. 9, 19. pro יגרתי LXX habent ἔκφοβός εἰμι, in praesenti. Id accipit Apostolus, et supplet, καὶ ἔντρομος. Moses ibi timorem suum tremoremque notat super ira Dei per delictum populi post legem datam incensa: sed *risum* ipsum Mosi, qui antea quoque populo accensebatur, Ex. 19, 23. in voce בנו; cap. 34, 27., timorem eo majorem super delicto populi fecit, perseverante etiam *montis ardore*. Deut. 9, 15.

v. 22. ἀλλὰ, *sed*) Septemplex oppositio: videamus articulos.

I. *Mons* qui tangebatur:	Sion *mons:*
II. Incensus ignis:	Urbs DEI viventis:
III. Caligo:	Myriades, angelorum et primogenitorum:
IV. Tenebrae:	Judex DEUS omnium:
V. Procella:	Spiritus justorum consummatorum:
VI. Tubae sonus:	Testamenti novi mediator Jesus:
VII. *Vox* verborum:	Sanguis aspersionis perbene *loquens*.

In articulo I. et VII. evidens est oppositio; non dubium, quin etiam in intermediis, quorum etiam numerum apostolus invicem aptat. *Accessus* in V. T. ejusmodi erat, ut populus submoveretur: in accessu N. T. omnia patent. — προσεληλύθατε, *accessistis*) fide N. T. suscepta. Atque ab eo initio fructum accessus hujus magis magisque percipiunt consortes Christi usque ad consummationem sui in obitu, et ad judicium, et in vitam aeternam. Neque enim hic sermo est de accessu ad militantem ecclesiam, quippe cum ad Israëlem potius accesserint reliqui, quam Israëlitae ad alios: sed lautissimus describitur status fidelium N. T. per communionem cum ecclesia consummata, ipsoque Christo et ipso DEO. Hic quoque accessus, non minus, quam ille pristinus, v. 19. cum *audiendi* facultate, in hac quidem vita, conjunctus est, v. 24. seqq. quanquam *appropinquatio* nostra coelestibus oculis multo magis est obvia, quam nostris adhuc velatis: et optimas in posterum *spes* secum trahit. Excellentem coelestis oeconomiae cognitionem promit hoc loco apostolus, dignam beato illo *Pauli* raptu 2 Cor. 12, 2. 4. — σιὼν ὄρει, *Sion monti*) Haec est sedes oeconomiae Christi. [*adeoque spiritus justorum consummatorum complectitur*, V. g.] Ap. 14, 1. Joh. 12, 15. 1 Petr. 2, 6. — καὶ πόλει θεοῦ ζῶντος, *et urbi DEI viventis*) Sedes oeconomiae *DEI*, v. 23. [*angelorum atque primogenitorum complectens myriades*, V. g.] Est enim chiasmus: 1) *Sion*, 2) *urbs Dei:* 3) *Judex Deus*, 4) *Mediator Jesus*. primum et quartum, secundum et tertium correspondent. — ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ, *Jerusalem coelesti*) Ap. 21, 2. — μυριάσιν, *myriadibus*) Hae dicuntur absolute, ut in prophetia Henochi Jud. v. 14. coll. Deut. 33, 2. Dan. 7, 10. — ἀγγέλων, *angelorum*) Non licet construere, καὶ μυριάσιν ἀγγέλων, πανηγύρει καὶ ἐκκλησίᾳ κτλ. Nam et polysyndeton retinendum est; et aliorum sine dubio est *panegyris:* aliorum, *ecclesia*. quis enim *conjungeret* synonyma, *panegyris et ecclesia? Ecclesia, primogenitorum est; panegyris* igitur, *angelorum*. *Myriades* vero non solum in *angelorum panegyri* consistunt, sed etiam in *ecclesia primogenitorum*. Utrique enim convenit *myriadum* vocabulum, et ad utrumque accommodatus est Dativus μυριάσιν. Addantur mox dicenda. Interim hic notandus χιασμὸς genitivi et dativi, *angelorum panegyri, et ecclesiae primogenitorum*. — πανηγύρει, *panegyri*) Hoc verbum, et mox, *ecclesiae* et *judici*, solennitatem indicant; quae

Digitized by Google

et jam est in coelo, et maxima erit in revelatione Jesu de coelo. Expende illud, *omnes angeli, omnes gentes,* Matth. 25, 31. s.

v. 23. καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων, *et ecclesiae primogenitorum in coelis descriptorum*) *Primogenitorum* nomine veniunt *filii* DEI, ex aetatibus Christum praegressis, et fideles Israëlitae, Ex. 4, 22. Jer. 31, 9. Eph. 1, 12.: patriarchae praesertim, Matth. 8, 11.: et qui primum illum *Primogenitum ex mortuis* resurgentem comitati sunt, Matth. 27, 53.: neque tamen non etiam reliqui, ut sic dicam, gregarii. Est enim horum *ecclesia* sive coetus, ut angelorum est *panegyris*. *Descripti* sunt primogeniti sub Mose, Num. 3, 40.: hi autem, de quibus apostolus, *in coelis,* quia cives urbis coelestis. conf. ἀπογράφεσθαι, *describi*. Luc. 2, 1. Hinc patet, non ideo, quia in coelis descripti sunt, ipsos non esse in coelis. Sunt tamen descripti etiam, ut nomina eorum olim publice citentur. Ap. 20, 12. 21, 27. Horum *primogenitorum* suave antitheton est, *consummatorum:* nam per alteros ducitur agmen beatorum, per alteros clauditur. Denique notabile est, hos primogenitos in Gradatione propius, quam angelos, conjungi cum mentione DEI. conf. Jac. 1, 18. — καὶ κριτῇ θεῷ πάντων, *et Judici DEO omnium*) Hic est *DEUS omnium,* Eph. 4, 6. *Judex* vester, propitius vobis, contra hostes. — καὶ πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων, *et spiritibus justorum consummatorum*) Hoc extremo loco apostolus ea enumerat, quae viatorum oculos oeconomiae DEI splendore perculsos, ex oeconomia Christi lenius afficiant et reficiant. *Spiritus,* animae separatae. 1 Petr. 3, 19. Tres pueri in Cantico suo, εὐλογεῖτε πνεύματα καὶ ψυχαὶ δικαίων τὸν κύριον. v. 86. *Justi consummati,* fideles N. T. qui *consummationis,* quae per Christi mortem facta est, et *justitiae* inde exortae, consummatum post suam mortem fructum capiunt. conf. c. 11, 40. not. Horum minor adhuc erat numerus: et ob hanc quoque causam sejuncti sunt a *myriadibus,* adeoque a primogenitis illis. Cur *primogeniti* et *spiritus justorum consummatorum* in sermone disjungantur, patebit e serie sermonis mox evolvenda. *Paulus* ipse dum vivit, negat se τετελειῶσθαι, *consummatum esse,* Phil. 3, 12. alia enim ratio est verbi τετέλεκα, 2 Tim. 4, 7. alia verbi τελειοῦμαι. illud munus spectat, hoc personam. τελειοῦμαι non valet, quam diu quis vel unum passum ante se habet, etiamsi eo usque in perfectione sua interna non amplius proficiat. Ipse Christus in morte τελειωθείς, Hebr. 5, 9. In 2 ad Tim. gratulatur sibi Paulus de cursu confecto: in ep. ad Philipp. alacriter instigat ad cursum, eoque fine ipse se talem facit, qui procul adhuc a meta absit. conf. Hebr. 3, 14. not.

v. 24. διαθήκης νέας, *testamenti novi*) Alias dicitur καινή· νέα, hîc. νέος notat novitatem ejus, quod *nativum* vel etiam *vivum* est. conf. c. 8, 13. not. et cap. 10, 20. Es. 43, 19. — μεσίτῃ, *Mediatori*) Olim *Moses,* ipse *internuncius, timebat et tremebat:* nunc ad Mediatorem N. T. accessus est datus. — αἵματι ῥαντισμοῦ, *sanguini adspersionis*) Notabilis conjunctio: *novi testamenti Mediatori Jesu, ET sanguini adspersionis.* Sanguis spectatur h. l. ut est in coelo, quemadmodum spectatur etiam *Mediator,* et *Deus,* et *myriades etc.* Attende, Lector, quae dicenda veniunt, per Positiones distinctas.

§. 1. *Sanguis J. C. in passione et post mortem effusus est quam largissime.*

In victimis V. T. requirebatur αἱματεκχυσία *effusio sanguinis;* et penitus erat effundendus sanguis, ita ut nil remaneret in venis et vasis corporum. Hoc peractum est etiam in unica N. T. oblatione corporis Jesu. Omnimoda pretiosissimi sanguinis tum facta est effusio, in horto, per sudorem; in praetorio, per flagellationem; in cruce, per clavos; et post mortem, per lanceam. Ita Christus θανατώθη plane est *necatus* carne. 1 Petr. 3, 18. Vel guttam de tota sanguinis massa in corpore sanctissimo remansisse, haud scio an dicere possit, qui verba

Digitized by Google

Psalmi 22. v. 15. 16. perpenderit: *Sicut AQUA effusus sum. ARUIT tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: et in PULVEREM mortis* deduxisti me. Revera ἐσφάγη *mactatus est* Agnus Dei. Non est alia pars Sanguinis ejus effusa, alia non effusa: sed sicut totum corpus est traditum, sic omnis sanguis effusus. Matth. 26, 28. *Effusio sanguinis* et *mors Christi* sunt concomitantia, non illa hujus causa. Vere sanguinem et vitam posuit; sed non ob naturales causas, ob quas alias obeunt, qui violenta morte obeunt. Id est ex praestantia Subjecti.

§. 2. *Actualem sanguinis illius effusionem* status *effusi sanguinis est insecutus.*

Actualis erat effusio sanguinis, *dum* effundebatur: *statum* effusi sanguinis dicimus omnem commorationem sanguinis extra corpus dominicum, sive brevis ea sit sive diuturna.

§. 3. *Sanguis ille etiam in statu effusionis ab omni corruptione* indelibatus *est.*

NON CORRUPTIBILIBUS, argento aurove, redemti sumus, sed PRETIOSO sanguine, ut agni sine vitio et macula, Christi. 1 Petr. 1, 18. 19. Omnem *corruptionem* excludit *pretiositas* sanguinis illius. Hoc certum et ratum manet: neque ullo modo probamus indignas quorundam de effuso Domini sanguine opiniones, quos nominatim redarguit inprimis Hoepfnerus in tract. de S. C. pag. 55.

§. 4. *Sanguinem, qui effusus est, in venas corporis dominici iterum esse immissum, affirmari nequit.*

Nil nisi animale humana capit ratio: quare non nisi Scriptura nitimur. Ea sanguinis effusionem et mortem J. C. saepissime refert: eadem resurrectionem ejus et vitam perennem non minus celebrat. Sed de sanguine in corpus iterum immisso nil expresse indicat: neque per consequentiam ea immissio ex scriptura deducitur. Saltum certe committit haec argumentatio: *Sanguis Christi est incorruptus, ergo in venas rediit.* Si corpus sine sanguine, si sanguis extra corpus, in triduo mortis, incorrupta fuerunt: utrumvis etiam magis post mortem exantlatam sine altero incorruptum permanet. Audiamus, quid scriptura suggerat.

§. 5. *Adscensionis tempore sejunctus a corpore sanguis in coelum est illatus.*

Introitus sacerdotis N. T. in sanctuarium verum Adscensio erat in coelum: et in morte quidem J. C. discissum est velum templi terreni, ac tum apertum est sanctuarium verum, coelum; sed introitus ipse peractus est per adscensionem in coelum. Tertio die post mortem erat resurrectio; quadragesimo post resurrectionem, adscensio. Porro *per sanguinem proprium* introivit Christus in sanctuarium; (non modo *post* effusum sanguinem, et *vi* effusionis, neque *cum* sanguine in corpus resumto, sed *PER* sanguinem:) ergo separatim a corpore sanguinem proprium hic ipse sacerdos in sanctuarium intulit, (recteque temeritatis Scherzerus in Syst. p. 390. arcessit quendam, qui putavit, particulas carnis Christi, quae flagello, coronae spineae clavisque adhaeserint, et guttulas sanguinis effusas, miraculose in terra conservari, et in eucharistia multiplicari:) atque ipso introitus sive adscensionis tempore sejunctum Christus a corpore sanguinem habebat. Exsangue corpus erat; non tamen exanime, sed vivum. Sanguis in corpore, non respondisset typo sacerdotis in V. T. cum sanguine animalium in sanctuarium ingressi. Vid. cap. 9, 7. 25. maximeque 12, ubi δι' et διὰ eadem prorsus inter sese vi respondent. *Analogiam typi et antitypi servandam esse,* agnoscit *Witsius* in Diss. de sacerdotio Aaronis et Christi, T. I. misc. p. 510., ubi de loco Hebr. 13, 11. agit. Idem vero *sanguinem* Christi, animam ejus interpretatur, non recte. nam *sanguis*, proprie dictus, ut in typo, sic in antitypo, denotatur. conf. Exx. in Symb. ap. p. 171. Porro dilutior est Sibrandi Lubberti explicatio,

lib. II. c. Socin. de J. C. Servatore, c. 21.: *Legimus de anniversario sacrificio, de quo est Levit.* 16., *quod ejus sanguis allatus sit in sacrarium. Jam vero inter hunc et Christi sanguinem magna est differentia. Materialis enim sanguis, qui effundebatur, cum anniversaria victima mactaretur, inferebatur in sanctuarium: sed materialis Christi sanguis, qui effusus est, cum ille pro nobis occideretur, NON allatus est in coelum. Quid igitur? ut sacerdos legalis cum sanguine caesae victimae pro se et pro populo apparebat in sacrario levitico: ita Christus non cum materiali sanguine effuso, sed vi et vigore sanguinis pro nobis effusi apparet pro nobis in coelo.* Non *vim et vigorem* sanguinis dicit apostolus, sed *proprium* sanguinem Christi, *per* quem factus sit introitus in sanctuarium: nec *materialem* sanguinem appellat, sed *sanguinem* ejus, *qui per spiritum aeternum seipsum obtulit immaculatum Deo.* Hanc, apostolicam, emphasin saepe imitantur excellentium interpretum sermones. Chrysost. Hom. 33. in Hebr. 13. αὐτὴ ἡ οἰκονομία ἔξω πάθους ἦν. ἔξω· ἀλλ' εἰς τὸν οὐρανὸν τὸ αἷμα ἀνηνέχθη. ὁρᾷς ὅτι αἵματος μετέχομεν τοῦ εἰς τὰ ἅγια εἰσφερομένου, τὰ ἅγια τὰ ἀληθινά· τῆς θυσίας ἧς μόνος ἀπήλαυσεν ὁ ἀρχιερεύς. Quaedam periochae verba alii aliter referunt: sed ἀλλ' εἰς τὸν κτλ. uno tenore. Sic verterim: *Ipsa passionis dispensatio foris erat: foris; sed IN coelum sanguis est sublatus. vides, participes nos esse sanguinis, qui inferebatur in sancta, sancta vera; sacrificii, quo solus est gavisus archisacerdos.* Conr. Pellicanus in Hebr. 9.: *Christus pretium sanguinis sui pro nobis redimendis intulit Deo Patri in coelum.* Calvin. in Hebr. 10.: *Pecudum sanguis quum statim tabesceret, non potuit diu vigorem suum retinere: at Christi sanguis, qui nullo tabo corrumpitur, sed puro semper colore fluit, nobis in finem usque mundi sufficiet. Nihil mirum, si caesae pecudum victimae vivificandi facultate non pollebant, quum essent mortuae. at Christus, qui a morte resurrexit, ut nobis vitam conferat, suam in nos diffundit. Haec est perpetua viae dedicatio, quod coram facie Patris semper quodammodo stillat sanguis Christi ad irrigandum coelum et terram.* et in cap. 13.: *Christus sanguinem suum, ut mundi peccata expiaret, IN coeleste sanctuarium intulit.* Rursum: *Videtur mihi Apostolus* (Hebr. 13, 20.) *hoc velle, Christum ita resurrexisse a mortuis, ut mors tamen ejus non sit abolita, sed aeternum vigorem retineat: ac si dixisset, Deus Filium suum excitavit, sed ita ut sanguis, quem semel in morte fudit, ad sanctionem foederis aeterni, post resurrectionem vigeat, fructumque suum proferat, perinde ac si semper flueret.* Hunnius in Hebr. 13.: *Christus suum proprium sanguinem sancto sanctorum intulit.* Dorscheus P. I. Theol. Zach. p. 51. seqq. *Sanguis,* inquit, hoc loco, Zach. 9, 11., *cum illa affectione profusionis et effusionis, non autem, ut est in naturali suo statu et intra vasa sua ordinaria, consideratur.* 1) *Quia hoc requirit typi ratio. Sanguis enim in V. foedere, ut extravasatus et effusus, considerabatur, et hoc ipso adumbrabat profusionem et effusionem sanguinis in N. foedere futuram.* 2) *Quia hoc foederis divini indoles requirit, quae postulat* αἱματεκχυσίαν. 3) *Quia in hac ratione sanguinis exercetur actus obedientiae satisfactoriae Deo pro peccatis debitae etc.* Sal. Deylingius: *Christus in coelos evectus sedensque ad dexteram DEI res nostras commendat DEO, et sanguinem pro nobis effusum ac vulnera ostentat Patri.* Iterum, Rappoltum laudans: *Patri suo,* inquit, *sanguinem suum, ut* λύτρον *et pretium redemtionis pro nobis offert* (demonstrat,) *ejusque effusione justitiae divinae satisfactum esse docet.* Observ. miscell. p. 571. seq. Non affirmo, hos interpretes praesentem sanguinis effusi statum docere: sed dico, sermones eorum, si talem statum in mente habeas, textibus, quos tractant, magis congruere.

§. 6. *Sanguis J. C. semper manet sanguis effusus.*

Si unquam fieri potuit aut debuit reditus sanguinis J. C. in corpus ipsius,

fieri potuit ac debuit in ipso saltem resurrectionis momento, non postea demum. At ante adscensionem hoc non esse factum, patet ex §. praeced. Ergo non factum est in resurrectione: neque adeo ullum tempus reperitur, cui reditum illum adscribamus. Perpetuus est effusi sanguinis status. Ipse Jesus in coelo est, et corpus ejus: etiam sanguis ejus est in coelo; sed non propterea nunc sanguis inest in corpore. Non retulerim huc *visionem* Apoc. 1, 14., de *albedine* capitis J. C. quasi exsangui. Nam ea *capillos nireos* spectat, *facies* vero cum lucidissima solis virtute comparatur ibidem v. 16. Neque, quod Luc. 24, 39. extat, huc, ab Augustino allegatum, nos allegamus. nam *sanguis*, etiamsi in corpore sit, minus palpatur et cernitur, quam *caro et ossa*. Alia dantur sanguinis a corpore sejuncti indicia. Divisam corporis et sanguinis rationem, non solum in passione et morte Domini, sed etiam in coena ad recordationem mortis ejus instituta, sacrae exhibent literae. Expende cap. 13, 9. seqq. 10, 10. 29. 1 Cor. 11, 24. seq. Modus praedicandi sequitur modum essendi: hanc ipsam ob causam distinctissime considerantur corpus et sanguis Christi, quia a parte rei distinctio sive sejunctio adest. Igitur adhuc in coelo sanguis, ut effusus, extat ante oculos Dei: adhuc loquitur pro nobis: adhuc est sanguis adspersionis. 1 Petr. 1, 2. Sanguis Abel, quem terra aperto ore de manu Kaini hausit, clamabat, *seorsum* a corpore: sanguis J. C. loquitur, item *seorsum*, in coelo, potentius et benignius. Hac proprie de causa *seorsum* ab ipso Jesu sanguinis adspersionis h. l. memoratur, uti cap. 10, 19. 21. introitus sanctuarii in sanguine Jesu et hic ipse sacerdos magnus *seorsum* laudatur, et cap. 13, 12. *sanguis Jesu seorsum* ab ipsius *corpore* (coll. v. 11.) consideratur, et cap. 13, 20. ipsa magni ovium Pastoris resuscitatio facta dicitur in *sanguine* testamenti *aeterni*. Conf. Rev. Riegeri Hist. Frr. Boh. Vol. II. p. 68. seqq. ubi per vestigia Pfaffiana amplissimus veterum et recentiorum opinionum campus ita nobis panditur, ut haec una sententia, ab illo scite proposita, ex omnibus reliquarum incommodis emergat. Sanguis ipse effusus, non effusio sanguinis, λύτρον, *redemtionis* aeternae *pretium* est. Id pretium, Deo solutum, solutum manet, sine restitutione in Redemtoris corpus. Aeterna est redemtio: aeternus pretii valor, perinde, ac si redemtor quotidie pro nobis in cruce pendens exspiraret. In morte ejus erat vis vitae non dissolvendae: in vita ejus est valor mortis perpetuus. Ipsa mors Domini absorpsit infirmitatem vitae in mundo, in qua sanguinis et carnis particeps erat factus subeundae mortis causa; cap. 2, 14,: adeoque eadem mors, tanquam transitus in vitam gloriosam *protinus* quiddam gloriosae vitae consentaneum habebat. conf. 1 Tim. 3, 16. not. Inde *annunciatio mortis Domini* complectitur totam Ipsius commemorationem, etiam sepulturae et resurrectionis, (cui illa arcte conjungitur 1 Cor. 15, 4.) adscensionis, sessionis ad dexteram Dei, *usque dum venit*. 1 Cor. 11, 26. Ex mortuis eductus est magnus ovium pastor; sed testamentum, in cujus sanguine eductus est, *aeternum* est. c. 13, 20. Patet hinc, quanta proprietate Johannes Agnum *ut* mactatum in vita gloriaque Ipsius sibi visum descripserit.

§. 7. *Id ipsum agnoverunt antiqui doctores ecclesiae.*

Magna patres consensione statuerunt, *exsangue* nunc esse corpus Domini, vel etiam *aëreum*. vid. Magnif. *Pfaffii* diss. c. Roger. p. 50. Atque inde ad nimiam etiam subtilitatem devenerunt aliqui. Auctor quaestionum inter opera Athanasii T. II. f. 433. qu. 128. *Ipsi quoque Veteres*, inquit, *et prisci prophetae baptizati sunt ex eo, qui de latere Christi fluxit, sanguine et aqua. Et quomodo? audi. Quoniam quatuor elementis constat corpus hominis, rursum post mortem in ea resolvitur. Sic factum est etiam Christo: quia sanguinem et aquam sanctum ejus dedit latus, ἀνελύθη resoluta sunt, quo resoluta sunt etiam prophetarum, in elementa nempe, et inventa ea baptizavit. etc.* Paraphrasin hujus philosophematis adornavit *Theodorus Abucaras*, cui uni id adscribit Ittigius

in Exercitatione opusculum Abucarae et luci reddente et refutante. *In elementa resolvi*, quid est, nisi *corrumpi?* Absit vero a nobis ejusmodi de sanguine Domini cogitatio. Non essent in eam delapsi hi scriptores, si ex antiquioribus audissent, sanguinem corpori resuscitato immissum fuisse. Haud scio, an immissio illa vel a patribus agnita (agnitam affirmanti incumbit probatio,) vel prius saltem in medium producta reperiatur, quam communio sub una specie (Seculo demum XIII ac XIV) invalesceret, cujus patronis, Scholasticis, opportunus erat concomitantiae praetextus. Ne *Gersonis* quidem aetate sanguinem immissum omnes affirmabant, ut patet ex Serm. in die circumcisionis Domini, et ex Josephinis, dist. 8. Post Reformationem multi eam sententiam, sine controversia, et ideo, ut fit, sine dubitatione admiserunt et propagarunt: rationes autem, quibus nituntur, evincunt illae quidem, sanguinem Domini a corruptione mansisse immunem, neque reliquias ejus in terra, miraculis comitatas, remanere, quorum utrumque nos ex animo agnoscimus; sed per easdem non definitur positive, quae sit in praesenti conditio sanguinis illius pretiosi. Vid. *I. Gerhardi* dispp. p. 789. 1426. seq. *I. Meisneri* exam. catech. Pal. p. 596. etc. Tuum erit, Christiane Lector, quasvis hac de re sententias inter se conferre, et ad normam Scripturae sacrae dijudicare.

§. 8. *Unio personalis, et status effusi sanguinis, bene conveniunt.*

Non pugnant inter sese in triduo mortis: ac multo minus post triduum illud inter sese pugnant unquam. Nihil Nestorianum, nihil Eutychianum, tota admittit haecce consideratio.

§. 9. *Resurrectio et vita J. C. gloriosa non tollit statum effusi sanguinis.*

Si quis putaret, in corpore Salvatoris etiam post latus perfossum remansisse modicum sanguinis, rationi naturali eo minus necessaria videri posset effusi sanguinis in corpus immissio: sed revera omnis sanguis est effusus, nec tamen iterum immissus. nam naturalis quidem sive animalis vita sita est in sanguine et circulatione ejus, et sustentatur pane: sed sine pane verbum Dei pascit corpora sanctorum. Vid. de Mose, Ex. 24, 18. 34, 28. nec non de Elia, 1 Reg. 19, 8.: maxime vero de Jesu Christo, Matth. 4, 2. 4. Etenim tota ipsius *diaeta* ultra munditiem omnium mortalium evecta noscitur vel ex apto vestitu. Joh. 19, 23. not. Quodsi in terra id praestat virtus Dei, quanto magis in coelo id fit et fiet? Matth. 22, 29. (quam ob causam hoc quoque, obiter, sed serio, monendus est Lector, noviter productum sanguinem, in loco effusi, redivivo Redemtori a nobis ne per somnium quidem adscribi.) Vita gloriosa non desiderat circulationem sanguinis: tota ex Deo est. Rom. 6, 4. 10. 1 Cor. 6, 13. 15, 44. 50. Nostrum corpus, noster sanguis, corruptioni sunt obnoxia: sanguine nostro, quid futurum sit, ignoro; (in ipsa quidem vita animali, summam sanguinis jacturam, modo mors absit, minoris aestimamus, quam digiti articulive mutilationem:) corpus certe conforme faciet Salvator corpori gloriae suae. Conf. *Samml. von A. und N.* 1739. I. Beytr. art. 8. *Vates.* philos. sacr. p. 81. *Melch.* I. 712.: *Manifestum esse putamus, pugnam* Michaëlis Ap. 12. *non absolutam fuisse mox post Christi adscensum in coelos, quo SANGUIS AGNI illatus accusandi jus draconi infringebat etc. Pfaff.* Syst. germ. p. 307. *Heding.* ad Hebr. 9, 24. 10, 14. *Kraft* Nachr. I. Band p. 878. Hiatus in latere (qualis in corpore naturali vulnus letale esset) perpetuum gloriosae vitae documentum et ornamentum est. Ez. 37, 6. 8. non memorantur *venae:* sed גידים sunt *nervi* aut *musculi.*

§. 10. *Status effusi sanguinis validissime corroborat communionem sub utraque.*

Nullum speciosiorem fucum habent defensores communionis sub una, quam *concomitantiam* corporis et sanguinis. Sed *distinctissima* in sacra coena ratio est corporis et sanguinis Domini. Primum dicit, *Hoc est corpus meum:* deinde, *Hic est sanguis meus.* Igitur corpus non per sanguinem exhibetur, sed per se:

ed by gle

sanguis non per corpus exhibetur, sed per se. Locum Gen. 9, 4. huc confert Lightfootus in Chron. V. T. Apposite vero Dannhawerus scribit: *Res coelestis in sacra* (eucharistica) *potione est sanguis Jesu Christi pro discipulis et pro multis effusus, et, quia incorruptibilis, adhuc existens,* 1 Petr. 1, 19. *quem Christus in sanctuarium* ἀχειροποίητον *intulit, et tamen ille ipse, qui in passione effusus est. Non hic in litigia scholastica, vere scholastica ac otiosa, ingrediendum, de reliquiis sanguinis Christi, et reassumtione illius, de quibus ridendus Baron.* etc. Hodos. p. 1202. In morte Domini ex corpore eductus est sanguis: ejus mortis annunciatio postulat, ut panis benedictus in recordationem Domini edatur, et ut poculum benedictum, item in recordationem Domini, bibatur. 1 Cor. 11, 24. 25. Profundum *Thomas Bromley* Responsum, in decem tractatibus editum, habet, de *differenti* ratione fruendi corpore et sanguine Christi.

§. 11. *Eadem causa fidem nostram egregie sustentat.*

In Revelatione Paradisi sic scribit idem Bromlejus: *In sanctuario sanguis aeterni foederis spargitur, quod per Dominum Jesum post adscensionem ipsius semel singulari modo factum est, secundum* Hebr. 9. v. 12.: Per proprium sanguinem semel in sanctuarium introivit, aeternam redemtionem inveniens. *Id vero adhuc certis temporibus per magnum archisacerdotem continuatur ad sedandam iram Dei, per peccatum commotam: et propterea dicitur* sanguis adspersionis, *propter usum ejus, qui continuatur in coelo, et in conscientiis sanctorum in terra.* Hebr. 9. v. 14. Dijudicent haec, qui spirituali valent judicio. Sane fideles in omni exercitio fidei, maximeque in sacra coena, aeque fruuntur efficacia sanguinis J. C. ac si in eo momento, quo sanguis ejus est effusus, constituti essent.

§. 12. *Haec res considerationem ab amatoribus Christi uberiorem postulat.*

Quod in Exercitatione de Ingressu summi pontificis in sanctum sanctorum Andreas Adamus Hochstetterus p. m. scripsit: *Non dubitamus, Lectorem ex argumenti tam perplexi magnisque etiam Interpretibus transmissi tractatione perspecturum, quantum* ἐρευνήσει *nostrae relictum adhuc sit, et, quam in veri latentis indagatione operam sumsimus, ad Servatoris gloriam adplicaturum:* pag. 20. 21. id ad praesentem considerationem transferre licet. Parum eam adhuc, fateor, excultam reperio: et tali in re pauci solent adduci, ut subsistant, et oculos in ea consideranda defigant. Sed qui non confestim resiluerit, ex eo, quod initio paradoxon erat, dulcedinem paulo post gustabit cum profectu fidei. Nil tamen obtrudo cuiquam: tantum rogo Sapientes, ut totam rem non ad humani, sed divini sensus normam religiose examinare dignentur. Non curiositas carnalis hic locum habet, sed desiderium cognoscendi Redemtoris, quoad Ipse gloriam suam per radios apostolici testimonii amatoribus suis voluerit patefacere.

In Commentariis quidem et Systematibus haec res non facile vel uberius tractata vel leviter duntaxat tacta reperitur: idque ex rationibus forte sequentibus. 1) In locis de *gratia applicatrice* dicitur: *Causa operans terminative est Spiritus S.* id quod verum est: sed mentio Christi et meriti ejus fit nonnisi apud quaestionem *de causa externa impulsiva.* Sic fit, ut nec uno nec altero loco *efficax operatio Christi et sanguinis ejus* in considerationem veniat. 2) *Propria* consideratio sanguinis Christi parce instituitur, multique confestim se ad *tropum* vertunt, ubi sub hac voce, *sanguis,* aut universum meritum Christi, aut *vitam, animam* ejus intelligunt. 3) In seriis tractationibus confestim potius ad sanctos et beatos fructus, quam ad modum ipsarum operationum respicitur, e quibus fructus oriuntur. Confer ex gr. scriptum Anonymi, *die reinigende Kraft des Gottes-Blutes Jesu Christi* (ed. A. 1745. Prenzl.) p. 49. Equidem

jam in juventute mea solidam disquisitionem *de habitu meriti Christi ad nostram salutem* cupide animo meo versabam: sed post multas cogitationes nunquam ad peculiarem de ea re scriptionem ventum est. *Dominus Jesus nobis nunc porro bonum lucis suae radium largiatur propter se ipsum. Amen.*

1) Duplex nobis beneficium obtingit per sanguinem Christi, nempe I. *liberatio* a reatu peccati, et II. *donatio* novarum virium vitae, quae deinceps in bonis operibus se exserunt. Illa vocatur *justificatio* per sanguinem Jesu Christi et hanc adipiscitur, qui carnem Christi edit et sanguinem ejus bibit. Joh. 6.

2) Quia vero sanguis Christi est *sanguis aspersionis*, quaeritur, an is sanguis, *qua talis, utroque* nunc memorato modo, an tantum *priore* modo fidelibus obtingat?

3) In V. T. multae erant *aspersiones*, sive considerentur ii, qui aspersionem peragebant; sive materia, qua aspersio fiebat; sive homines et res, pro quibus et in quibus aspersio fiebat; sive scopus aspersionis, ad dedicationem, consecrationem etc. *Aspersio* fiebat Ex. 24, 8. apud totum populum, et Ex. 29, 21. Lev. 8, 23. ss. apud Aaronem et filios ejus: utrumque, initio, ad initiationem, adeoque *semel*, ut ajunt, *pro semper*. Apud leprosos item erat initiatio quaedam ad conversationem cum aliis in Israële, a quibus tempus bene longum exclusi erant. Aspersio ad *altare* semper erat praecipua: Israëlitae vero ex sua parte per esum victimarum in communione cum Deo conservabantur.

4) In N. T. est aspersio, quae per *sanguinem* Christi Jesu fit: et quia haec *unica* N. T. aspersio est, omnia levitica autem ad Christum tendebant: opus est, ut omnes leviticae aspersiones meri typi ejusdem aspersionis fuerint; uti sane sanguis Christi non tantum adversus sanguinem *taurorum* et *hircorum*, sed etiam adversus *cinerem raccae* apud aquam aspersionis, in spirituali sua excellentia celebratur, cap. 9, 13. s.

5) Memoratur *aspersio sanguinis*, 1 Petr. 1, 2., et iterum *sanguis aspersionis*, nostro hoc loco. Dicimur etiam in *cordibus aspersi* et per aspersionem liberati *a conscientia mala*, unde *verum cor in plerophoria fidei* habeamus, Hebr. 10, 22. Plura in N. T. non occurrunt de aspersione Novi Testamenti: sed Esajas vaticinabatur, c. 52, 15.: *sic* (Christus, Jehovae magnus Minister,) *asperget gentes multas: super eo obturabunt reges os suum.* etc. ubi semel videmus, quis Is sit qui aspergit; qui sint Illi qui asperguntur; qua ratione illa aspersio sequela Passionis Ejus sit; et quod obedientia fidei inde sequatur, quemadmodum Petrus *obedientium* et *aspersionem sanguinis* Jesu Christi conjungit.

6) Leviticae aspersiones non *physice* purificabant, sed *moraliter*. Nam 1) non praecise manus vel alia certa pars corporis, quae impuritatem forte contraxerat, neque etiam totum corpus aspergebatur, sed in genere fiebat aspersio, quocunque sanguis vel aqua aspersionis caderet. 2) aspersio analogiam habebat cum sanguine paschatis, Ex. 12, 7. 13., qui non corporibus sed januis affundebatur, et Israëlitis tamen profuit. 3) Post aspersionem debuit aspersus demum corpus suum et vestes suas lavare. Per consequens *aspersio* habebat effectum *moralem*, et *lotio* effectum *physicum*.

7) Cum hac *lotione* analogiam in N. T. habet *lotio*, quae tribuitur aquae mundae, Spiritui sancto, 1 Cor. 6, 11. Hebr. 10, 23., nec non sanguini Jesu Christi. *Lavit nos ex peccatis in sanguine suo*, Ap. 1, 5. *Laverunt stolas suas et dealbarunt in sanguine Agnelli*, cap. 7, 14.

8) *Aspersio* autem habet vim *moralem*. *Dorscheus: Illa conspersio ALTER* non *FIT, NISI per communicationem virtutis meritoriae, seu potius acquisitae satisfactionis et redemtionis Jesu Christi.* Part. I. Theol. Zachar. p. 53.

9) Locus ille Joh. 6. de *esu* carnis Christi et de *potu* sanguinis ejus valde emphaticus est: non tamen verba nimis ample extendenda sunt. Nam Jesus ibi,

ed by Google

(quemadmodum interdum adversus duros oblocutores faciebat,) usus est locutione metaphorica plane singulari, qua erga discipulos, ante et post, non utebatur. Τὸ *vere* v. 55. explicandum est ex c. 15, 1. *Ego sum vitis vera:* ubi tamen metaphora manet, et quidem apud ipsum praedicatum. In sententia illa, *caro mea vere est cibus* etc. illud *vere* non afficit praedicatum, sed copulam, *est*, ut res adversus contradictionem confirmetur. Ab initio et in fine colloquii *esus* carnis Christi et *bibitio* sanguinis ejus (ut Joh. 3. nova nativitas) in *Fidem* resolvitur. Per tales repraesentationes cavetur, ne quis *fidem* nimis tenuiter et leviter accipiat: et per phrases de *fide* docemur, illas repraesentationes non esse justo difficiliores.

10) Apud haec omnia clarum est certumque, quod per *esum* carnis Christi et *bibitionem* sanguinis ejus, vel per fidem, 1) Christiani cum Christo intime uniantur: 2) quod id carni ejus et sanguini, quippe quam edunt, quem bibunt, in acceptis referre debeant: 3) quod caro et sanguis Christi efficacem, intimam operationem in illis habeant, et vitam aeternam illis afferant.

11) Ubi alias sanguini Christi *mundatio* a peccatis tribuitur, id pro ratione contextus vel *moraliter* vel *physice*, vel utroque modo, accipiendum est: ex. gr. Hebr. 1, 3. 1 Joh. 1, 7. Idemque valet de *victoria*. Ap. 12, 11.

12) Haec omnia naturam transcendunt, et valde opus est, ut a dulci fallacia sensuum humanorum nobis caveamus. Conf. *Closterbergische Sammlung* P. II. p. 138. et seqq. ubi homilia *Larii* de *virtute sanguinis* Christi laudatur, et monita adversus deviationes dantur. Si quando ex. gr. gaudium Spiritus se in animam vel etiam in corpus diffundit, id non debet reprimi. Non per sensum (*Gefühl*) *ad* fidem venitur, etsi fides saepe aliquid quod sentiri potest *post* se trahat: quod tamen absit ut vel nomine *caloris* vel physicae cujusdam qualitatis appellemus. Quae se sine affectatione dant, ea cum humili gratiarum actione accipiamus et sine ostentatione custodiamus. Nemo tamen aliis se tanquam modulum et exemplar obtrudat, neque alios sibi sic imitandos proponat. Alias multi in cupidam et violentam activitatem adiguntur, ut existiment, eadem experimenta et sensationes sibi ipsis extorquendas esse: et apud conatum ejusmodi natura defatigatur, ut se tandem per id, quod ipsa, sibi non conscia, conficit, vel in somnio, tranquillet.

13) Paucis, sanguis Christi pretiosus applicatur nobis apud aspersionem, apud lotionem, apud bibitionem, propter unionem personalem, *modo reali*, supernaturali tamen, adeoque plane incomprehensibili. *Id* (dictum de sanguine Jesu Christi, 1 Joh. 1, 7.) *non tantum de MERITO sanguinis Christi in cruce semel perfecto accipiendum est, sed Johannes eo loco de ea re agit, quod in negotio justificationis non tantum divina natura in Christo, verum etiam ipsius sanguis per modum EFFICACIAE nos ab omni peccato emundet. Ita caro Christi est vivificus cibus.* Form. Conc. Art. 8. de Persona Christi, pag. 776.

14) Simili modo, ex nostra parte, *fides* non modo habet vim *moralem*, sed etiam *suo modo* physicam quandam efficaciam et operationem, ad nostram justificationem et salutem.

15) Gaudebo equidem, si per ea, quae dixi, ad augmentum amoris et agnitionis Redemtoris nostri, qui sanguinem nobis suum impendit, ansa quaedam dabitur. Capacitas nostri cordis ad sancta mysteria, non tam exercitatione intellectus, quam per incrementum hominis novi amplificatur.

16) Jesus *salvare prorsus potest accedentes per Ipsum ad Deum, semper vivens, ad interveniendum pro illis.*

— κρεῖττον] Sic codd. probatiores [1]): recentiores aliqui, κρείττονα. — λα-

1) *Hinc margo* Ed. 2. *apertius, quam* Ed. maj., *palmam concedit lectioni* κρεῖττον, *et* Vers. germ. *habet:* besser. E. B.

Digitized by Google

λοῦντι, *loquenti*) non, *clamanti*. — παρὰ τὸν ἄβελ, *quam Abel*) Sanguis Abel, primo parricidio effusus, per synecdochen ponitur pro omni sanguine effuso in *terra* et vindictam clamante coelum versus, reliquosque peccati in mundo clamores cumulante: et hunc *clamorem* sanguinis a Kaino celati violentum vincit *loquela* aperta et placida sanguinis Christi in *coelo* pro nobis, et ex coelo ad nos. Conf. κρείττονα, *meliora*, c. 6, 9.

Nunc, quorsum accesserint Christiani, universe recognoscamus.

Est *A*. *Sion* mons,

B. et urbs DEI viventis, *Jerusalem coelestis*.

C. *a*. et myriades;

α. *angelorum* pancgyris,

β. et ecclesia *primogenitorum* in coelis descriptorum:

b. et judex *DEUS* omnium:

D. *c*. et *spiritus* justorum consummatorum:

d. et novi testamenti mediator *Jesus*;

e. et *sanguis* adspersionis, melius loquens, quam Abel.

Haec enumeratio non modo non confusa est, sed ordinem plane consideratum habet. *A* et *D*, *B* et *C*, inter se respiciunt per χιασμόν. In *B* et *C* describitur oeconomia DEI, latius extensa, eaque ita potissimum, uti in die novissimo gloriosissime apparebit, qui fidei jam praesens est, v. 26. cap. 11, 1. et a *Paulo* sic consideratur Rom. 2, 16. not. In *A* et *D*, oeconomia Christi, interior, novi testamenti, quatenus ea tantisper viget, ut *Paulus* testatur 1 Cor. 15, 24. De utriusque oeconomiae differentia et nexu confer annot. ult. Exeg. Germ. ad Ap. 14, 10. Naturali ordine *A* ponitur ante *B*, quia in Ap. cap. 14. et 21. mons Sion conspicitur ante Jerusalem novam; adeoque *D* et *C*, et articuli in *D* et *C*, retrogrado ordine (de quo conf. c. 11, 33. not.) considerandi veniunt.

v. 25. βλέπετε, *videte*) Admonitio, quae acuitur particula οὖν *igitur* praetermissa. — μὴ παραιτήσησθε, *ne recusetis*) per infidelitatem. — τὸν λαλοῦντα, *eum qui loquitur*) nempe, DEUM, cujus sermo, jam praesens, est ejusmodi, ut praeludium sit commotionis ultimae. Eadem vox, quae in evangelio de *coelis* auditur, concutiet *coelum* et terram. Sanguis *loquitur* ad DEUM, v. 24.: sed in v. 25. est *loquela*, quae ad nos fit. λαλοῦντι v. 24. est neutrum ad αἷμα· λαλοῦντα est masculinum. Apostolus redit ad prima. c. 1, 1. — οὐκ ἔφυγον, *non fugerunt*) non potuerunt auditui se subducere, imo in poenas incurrerunt. — παραιτησάμενοι, *recusantes*) v. 19. — χρηματίζοντα, *oracula dantem*) Deum ipsum innuit. v. 26. initio. — πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς, *multo magis nos*) scil. *non fugiemus*. — τὸν ἀπ' οὐρανῶν) scil. χρηματίζοντα, *Eum*, qui *de coelis* oracula dat. Mons Sinai pertingebat *in terra* ad infimam regionem coeli: sed *ex coelis*, adeoque ex ipso coelo gloriae et Filius attulit beatitudinem ejusque praeconium, unde frequentissima in ipsius sermonibus mentio *regni coelorum*; et Pater testimonium superaddidit: ac jam in sermone suo repraesentat coeli commotionem, de qua v. 26. — ἀποστρεφόμενοι, *aversantes*) Id majorem contumaciam significat, quam παραιτησάμενοι, *recusantes*.

v. 26. οὗ ἡ φωνὴ) quippe *cujus vox*. Declaratur, qualis fuerit illa in terra, et qualis haec sit a coelis oraculorum loquela, χρηματισμός. Non igitur obstat articulus τὸν v. 25., quo minus unus sit idemque, qui super terra, et qui ex coelis loquitur. Est tamen mimesis, et exprimitur affectus eorum, qui *Loquentem* non agnoscunt. — τὴν γῆν) γῆ ἐσείσθη, *terra commota est*. Ps. 68, 9. רָעָשָׁה quo eodem verbo Haggaeus utitur. Etiam *coelos* tunc stillasse, Psalmus memorat; videlicet monti vicinos: Haggaeus autem de omnibus coelis factis loquitur. — νῦν, *nunc*) Ostendit apostolus, quid DEUS *nunc* non modo promiserit, sed quid faciat. — ἐπήγγελται) *promisit*. Est promissio, *spei* sanctorum proposita,

Digitized by Google

quanquam impii terrentur ea re. habet igitur hic locus admonitionem plane evangelicam. coll. c. 2, 3. — ἔτι ἅπαξ, ἐγὼ σείσω οὐ μόνον τὴν γῆν, ἀλλὰ καὶ τὸν οὐρανὸν, *adhuc semel ego concutiam non solum terram, sed etiam coelum*) Hagg. 2, 6. עוד אחת מעט הוא ואני מרעיש וגו׳ LXX, ἔτι ἅπαξ ἐγὼ σείσω τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηράν. κτλ. et v. 21., ἐγὼ σείω τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηράν. Duos versiculos in unum confert apostolus: quo ostendit, unam eandemque esse commotionem, cujus prima unus versiculus Haggai, alter extrema denotat. Coepit enim illa adventu Messiae priore; consummabitur, adventu altero. de priore confer Matth. 3, 17. 27, 51. ss. 28, 2. Act. 2, 2. 4, 31.; de altero, Matth. 24, 7. Ap. 16, 20. 20, 11. Illustre est testimonium *Is. Newtoni* ad Dan. p. 91.: *vixque in omni V. T. aliquod de Christo extat vaticinium, quod non, aliquatenus saltem, secundum ejus adventum respiciat.* — σείσω) Alii, σείω. Utrumque habent LXX, ut modo vidimus. sed σείσω, *morebo*, exprimit *promissionem* [1]).

v. 27. τῶν σαλευομένων, *eorum quae morentur*) coeli et terrae. — τὴν μετάθεσιν, *transpositionem*) Idem verbum c. 7, 12. Antitheton, μείνῃ, *manerent*. Dices: Quum terra commoveretur olim, nulla facta est transpositio; quomodo jam cum coeli et terrae commotione conjuncta est transpositio? Resp. Haec commotio est *totalis:* est *finalis:* est *promissa*, adeoque innuit, iis quae moventur, successura esse meliora, id est, ea quae non moventur, sed immobilia sunt. Prior illa praeludium erat alterius. — ὡς πεποιημένων, *tanquam factorum*) Ratio, cur ea, quae commovenda dicuntur, sub *transpositionem* cadant. sunt enim *facta*, olim, per creationem; et *ita* facta, ut non manerent ipsa, sed moverentur; et ut deinceps ea tantummodo manerent, quae non moventur. Sic *Paulus* loquitur 2 Cor. 5, 1. — ἵνα μείνῃ) *ut manerent*. Μείνῃ enim ait, non μένῃ. Imperfectum pendet a praeterito πεποιημένων, *factorum*. Saepe μένω, *maneo*, dicitur de re, quae, ceteris transeuntibus, superstes est. unde etiam ex μένω est μόνος. 1 Cor. 13, 13. — τὰ μὴ σαλευόμενα, *ea quae non morentur*) urbs DEI viventis, v. 22. novum coelum et nova terra. Ap. 21, 1. not.

v. 28. βασιλείαν) *regnum*, coelo terraque praesenti augustius. — παραλαμβάνοντες, *accipientes*) a DEO promissum, *lubentia* fidei *acceptantes*. — ἔχωμεν χάριν, *habeamus gratiam*) χάριν ἔχειν est *gratiam habere, gratum esse,* Luc. 17, 9. et saepe: valet etiam, *acceptum esse,* Act. 2, 47.: et sic fere 2 Cor. 1, 15. *Gratiam habere*, passive, est *gratia affici:* sic quoque fere hoc loco. *Gratiam invenire* est actus: *gratiam habere* status, cum fidelium prolubio conjunctus. — λατρεύωμεν [2]), *serviamus*) tanquam sacerdotes regales. — μετὰ αἰδοῦς, *cum verecundia*) ex agnitione indignitatis nostrae, ne DEI oculos offendamus. — καὶ εὐλαβείας, *et metu*) ex agnitione majestatis divinae, ne nobis ipsis perniciem arcessamus. Hesychius, εὐλαβεῖσθαι, φυλάττεσθαι, φοβεῖσθαι. *Verecundia et metu* temperatur *spes*, ne in protervam audaciam degeneret. confer versum seq. cum c. 10, 27.

v. 29. καὶ γὰρ, *etenim*) Epiphonema gravissimum. — ὁ θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον, *Deus noster ignis consumens*) Deut. supra ad v. 18. 19. aliquoties cit. cap. 4, 24., LXX, ὅτι Κύριος ὁ θεός σου πῦρ καταναλίσκον ἐστὶ, θεὸς ζηλωτής. conf. ibid. c. 9, 3. *Deus noster*, in quem *speramus*, idem *metuendus est*.

CAPUT XIII.

v. 1. Ἡ φιλαδελφία, *fraternus amor*) Hujus virtutis partes explicantur in seqq. Eodem vocabulo *Paulus* alibi utitur. — μενέτω, *maneto*) quamvis ve-

1) *Eaque lectio, in* Ed. maj. *non probandis annumerata, per marginem* Ed. 2. *aequiparatur lectioni* σείω, *et praefertur omnino in* Vers. germ. E. B.

2) *Indicativum* λατρεύομεν, *praefert* utriusque Ed. *margo*. E. B.

Digitized by Google

tera transierint. *manet* (*Pauli* verbum) per se: 1 Cor. 13, 8. 13. *maneto* etiam penes vos.

v. 2. μὴ ἐπιλανθάνεσθε, *nolite oblivisci*) quanquam spoliati. Facilis oblivio talis officii. v. 16. sic, μιμνήσκεσθε, μνημονεύετε, *recordamini*. v. 3. 7. — ἔλαθον ξενίσαντες, *latuere hospitio accipientes*) pro, λαθόντες ἐξένισαν. Hypallage Graecis frequens. Conf. ad Chrysost. de Sacerd. p. 427. Occurritur diffidentiae erga *ignotos* hospites. — τινὲς, *quidam*) Abraham, Lot. Gen. 18, 2. 19, 1. — ἀγγέλους, *angelos*) Sic saepe hospes ignotus est dignior, quam videtur, et comites, quamvis non conspicuos, habet angelos. Actiones aestimantur pro eo, quod quis facit, non solum pro eo, quod se facere putat. Matth. 25, 40. 45.

v. 3. μιμνήσκεσθε, *mementote*) in precibus, in beneficiis. — ὡς συνδεδεμένοι, *tanquam simul vincti*) propter unitatem corporis sub uno capite Christo. — ἐν σώματι, *in corpore*) in corpore naturali *incommodis* eorumque periculis nondum erepto. Alius toto vitae tempore adversa multa experitur, ut Jacob: alius in juventute, ut Joseph: alius in confirmata aetate, ut Job: alius demum extremo tempore; et in talem eventum praecipue conducit haec admonitio.

v. 4. τίμιος) scil. ἔστω, coll. v. 5. i. e. *honoretur*. Antitheton ad *scortatores*. Coelibes, quibus scortationis periculum imminet, hortatur, ut matrimonium contrahant, tanquam *pretiosum* quiddam agnoscentes, ejusque bono digne utantur. conf. 1 Thess. 4, 4. — γάμος) *nuptiae*, id est, matrimonium. — ἐν πᾶσι) *in omnibus*. Latius patet periculum scortationis, quam adulterii. conf. 1 Cor. 7, 2., ἕκαστος, *quivis*: omnesque debent matrimonium magni facere, ut, si quis eo ipse non utatur, alios tamen *non prohibeat*. 1 Tim. 4, 3. — ἡ κοίτη) *cubile*, torus, status ususque matrimonii. *Nuptiae — cubile — scortatores — adulteros*: Chiasmus. — ἀμίαντος, *impollutum*) Subaudi iterum, *sit*. Antitheton ad *adulteros*. — κρινεῖ ὁ θεὸς, *judicabit DEUS*) Longe plurima pars scortatorum et adulterorum est sine dubio, quae effugit notitiam judicum mortalium: quum talia furta non iis modis patefiant, quibus olim: Num. 5, 20. s. magna pars, etiamsi innotescat, tamen poenam civilem et disciplinam ecclesiasticam vel effugit, vel levissime persentiscit. [*Videlicet scortatores et adulteri sunt ipsi quandoque* judices, *ecclesiasticis politicisve muneribus ornati: adeoque consulere sibi norunt; quin et aliis, sui similibus, ubi res tulerit, consulunt. Plurima prorsus celata manent in mundo; vel variis artibus diluuntur; vel sustinentur per violentiam.* V. g.] *Deus judicabit*; [*Horrendum dictu!* c. 10, 30. 31. V. g.] eos maxime, quos homo non punit. conf. 2 Sam. 3, 39. Loquitur apostolus de judicio, ut propinquo. [*Amplissimo illo die quanta, quaeso, in lucem protrahentur! Tum profecto nefanda ista* scelera *desinent* morum venustatibus *accenseri*. V. g.]

v. 5. ὁ τρόπος) *vita quotidiana*. — ἀρκούμενοι) Participium pro imperativo. perinde ut ellipsis verbi *sit*, sic verbi *estote* morata est. — τοῖς παροῦσιν, *praesentibus*) Sic *Paulus* de se, Phil. 4, 11. — αὐτὸς) *IPSE*. — εἴρηκεν, *dixit*) Quod Jacobo, Josuae et populo, et Salomoni dictum est, etiam ad nos pertinet. — οὐ μή σε ἀνῶ. οὐδ' οὐ μή σε ἐγκαταλίπω) Gen. 28, 15. LXX, οὐ μή σε ἐγκαταλίπω. Deut. 31, 6., οὐ μή σε ἀνῇ, οὐδ' οὐ μή σε ἐγκαταλίπῃ. ibid. v. 8., οὐκ ἀνήσει σὲ, οὐδ' οὐ μή σε ἐγκαταλίπῃ. Jos. 1, 5., οὐκ ἐγκαταλείψω σὲ, οὐδ' ὑπερόψομαί σε. 1 Par. 28, 20., οὐκ ἀνήσει σὲ, καὶ οὐ μὴ ἐγκαταλίπῃ σέ. Est igitur instar adagii divini. Neque *opem*, neque *praesentiam* subtrahet.

v. 6. Κύριος ἐμοὶ κτλ.) Sic LXX, Ps. 118, 6., et sic fere Ps. 56, 5. 12.

v. 7. ἡγουμένων) *antistitum*. v. 17. 24. Late patet hujus verbi usus, de principe, de doctore etc. Mox declaratur h. l. *qui loculi sunt vobis verbum DEI*. Innuit ergo doctores ex primis Christi testibus et apostolis, eorumve discipulis et sociis, qui paulo ante *decesserant*, vel jam jamque decessuri erant.

— ἀναθεωροῦντες) *spectantes*, id est, quum spectatis cum recordatione. Idem, grande, verbum, Act. 17, 23. *Magnam* ἀναθεώρησιν *res habet*. Cicero lib. XIV. ad Att. Ep. XV. *quanta est* ἀναθεώρησις! ep. XVI. — τὴν ἔκβασιν, *exitum*) beatum, optatum. — τῆς ἀναστροφῆς, *conversationis*) in fide, constantis. — μιμεῖσθε, *imitamini*) Imperativus. Facilius spectamus et miramur beatum obitum piorum, quam fidem, qua eum consecuti sunt, imitamur. — τὴν πίστιν, *fidem*) in *exitu* maxime praestitam.

v. 8. ἰησοῦς χριστὸς, *Jesus Christus*) Solennis appellatio: Summa Evangelii, fide tenendi. Non solum innitur doctrina *de Christo*, sed *ipse Jesus Christus*, de quo agit doctrina fidei. In ea fide, verbo DEI nixa, antecessores nostri salvi decesserunt. — χθὲς καὶ σήμερον, *heri et hodie*) Propria significatione ἐχθὲς καὶ σήμερον *heri et hodie* occurrit 1 Sam. 20, 27. sed apostolus ampliore sensu loquitur. Jesus Christus, qui erat heri, idem est hodie: *heri*, ante passionem et mortem: *hodie*, in gloria. conf. c. 1, 3. Ap. 1, 18. Ut inter *heri* et *hodie* nox intervenit, et ipsa nox tamen ab *heri* et *hodie* absorbetur, sic *passio* gloriam Jesu Christi *hesternam*, ut sic loquar, et *hodiernam*, non ita interpellavit, ut eadem non esset continua. Proverbii vim habent hae locutiones, *heri, heri et pridie, heri et hodie, heri et cras:* Es. 30, 33. Deut. 4, 42. 2 Sam. 15, 20. Sir. 38, 23. et in hac apostoli sententia generali *heri et hodie* instar est proverbii, ut denotet quodvis tempus *praeteritum* et *praesens*, praesertim in tractatione hactenus deducta notatum. Idem est Jesus Christus, *heri*, ante adventum in mundum, ante passionem, ante adscensionem, et *hodie*, in coelo: *heri et hodie*, in priore et altera hujus Hortationis parte: *heri*, tempore antecessorum nostrorum veterum et proximorum, et *hodie*, nostra aetate. Quoquo modo accipias, *heri* breve et *secula* longa non potest inter se committere Artemonius p. 347. — ὁ αὐτὸς) Alii comma praemittunt, minus commode. Sententia apostolica: *Jesus Christus* semper idem est; qui *heri* erat, *IDEM est HODIE*, imo *in secula*. [*Idem semper Salvator idemque Doctor*. V. g.] Etiam vera, vobis per *doctores* vestros tradita, doctrina, semper *eadem* est, non *varia*. v. 7. 9. Ipse semper idem est. Cap. 1, 12., *tu idem es. Idem*, in V. et N. T. c. 12, 2. not. Vid. etiam 1 Cor. 3, 11. Phil. 3, 16. Non mutatur Hic, nec moritur; quamvis doctores obeant. — καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας) *et in secula*. v. 20. c. 7, 3. 16. 24. s.

v. 9. διδαχαῖς, *doctrinis*) Sic *Paulus* Eph. 4, 14. — ποικίλαις, *variis*) quae differunt a fide una in unum eundemque Jesum Christum. Varietas erat in cultu levitico. c. 9, 10. — ξέναις, *peregrinis*) quae differunt a fide *antistitum*. Fidei praesenti jam etiam levitica erant *peregrina*, v. 9—14., ipsiusque jam *vetustatis* oblitus erat apostolus: ideo non *vetera*, sed *peregrina* appellat. — μὴ παραφέρεσθε) *nolite auferri*. [*Neben hin*. Not. Crit.] Sic παρὰ in composito, cap. 2, 1. Antitheton, βεβαιοῦσθαι *firmari*. 1 Sam. 21, 13. (14.) וַיִּתְהֹלֵל LXX, καὶ παρεφέρετο. Eccl. 1, 17. הֹלֵלוֹת Theodotion παραφοράς. — καλὸν γὰρ χάριτι βεβαιοῦσθαι τὴν καρδίαν, *bonum enim est gratia firmari cor*) Sententia categorica, χάριτι βεβαιούμεθα (κατὰ) τὴν καρδίαν, *gratia firmamur cor*: cui respondet antitheton, *non cibis*. sed modale, *bonum*, additur ex affectu apostolico, ad acuendam admonitionem. Sic *Paulus*, Rom. 6, 17. not. Καλὸν, *bonum*, pulcrum, salutare; jucundum etiam, citra *varietatem peregrinam*; et *proficuum*. Antitheton, *nil profecerunt*. — χάριτι, *gratia*) gratia, quae per Christum, oblato ejus corpore, nobis obtigit. — βεβαιοῦσθαι) *firmari*. Affine verbum, στηρίζθηναι, *fulciri*, quemadmodum *pane*, sive *baculo panis*, ut Hebraica locutio habet, *fulcitur cor*. Jud. 19, 5. Es. 3, 1. Ps. 104, 15. etc. Id hic de *cibis* negatur, et gratiae vindicatur. — οὐ, *non*) Non convenit Judaismus et Christianismus. — βρώμασιν, *cibis*) Extenuatio, uti c. 9, 10. Etiam ii notantur cibi, qui in loco sancto edebantur. An-

ed by Google

titheton, *edere*. v. 10. Judaeis suus est cibus; noster cibus, saluberrimus, nobis. — ἐν οἷς, *in quibus*) Constr. cum *ambulantes*. — οὐκ ὠφελήθησαν) Conf. ἀνωφελὲς, c. 7, 18. — οἱ περιπατήσαντες, *ambulantes*) diu multumque.

v. 10. ἔχομεν, *habemus*) Habet hic versus duo commata. ex priore pendet versus 15. et 16., ex altero, versus interjecti. χιασμός. — θυσιαστήριον, *altare*) *Crucem Christi*, in qua immolatum est corpus ipsius. — ἐξ οὗ) *ex quo*. Hujus quoque altaris participes sunt, qui victimam ejus, non alterius, edunt. conf. 1 Cor. 10, 18. — φαγεῖν, *edere*) Cibus, caro Christi data pro nobis. Antitheton ad cibos ceremoniales. *Editur* inprimis in S. Coena, ubi exhibetur corpus pro nobis traditum, et sanguis pro nobis effusus in *sacrificio* illo crucis unico. — οὐκ, *non*) Gal. 5, 2. seqq. — τῇ σκηνῇ, *tabernaculo*) Amphibolia parabolica, qualis c. 9, 8. not. Namque tabernaculum, si protasin spectes versu 11. expressam, denotat partem sanctuarii anteriorem: sin apodosin, de qua v. 12., innuit totum cultum leviticum. Est etiam aculeus, quod dicit τῇ σκηνῇ, *tabernaculo*, non ἐν τῇ σκηνῇ, *in tabernaculo*. Similiter *Paulus* Rom. 7, 6. not.

v. 11. ὧν γὰρ εἰσφέρεται) Lev. 6, 23. (30.) καὶ πάντα τὰ περὶ τῆς ἁμαρτίας, ὧν ἂν εἰσενεχθῇ ἀπὸ τοῦ αἵματος αὐτῶν εἰς τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου ἐξιλάσασθαι ἐν τῷ ἁγίῳ, οὐ βρωθήσεται, ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται. — ζώων, *animalium*) c. 9, 12. s. — αἷμα· σώματα, *sanguis: corpora*) quae erant umbrae sanguinis et corporis Christi. — ἔξω τῆς παρεμβολῆς) *extra castra*, in quibus erat tabernaculum, et sacerdotes levitici, et quotquot illi cultui inhaerebant. Sic LXX, Lev. 4, 12. 21. etc. c. 16, 27.

v. 12. ἵνα ἁγιάσῃ) *ut sanctificaret*, a peccatis mundaret, ex mundo ad DEUM duceret. Resp. *sancta*, v. 11. — ἰδίου, *proprium*) Antitheton, *animalium*. — αἵματος, *sanguinem*) Corporis mentio latet sub verbo, *passus est*. quo pacto apodosin hic habet versus 11., de *sanguine* animantum eorumque corporibus. — τὸν λαὸν, *populum*) c. 2, 17. — ἔξω τῆς πύλης, *extra portam*) quasi indignus hominum aestimatus consortio. Matth. 27, 32. coll. Lev. 24, 13. *Extra portam* passus est urbis (quanquam *urbis* vocabulo scite abstinet apostolus,) quae urbs ipsa erat instar *castrorum* in deserto, et templum habebat, sicut castra habuerant tabernaculum. — ἔπαθε, *passus est*) Typus passionis, victimarum combustio. *Passio* proprie est illa in cruce, *extra portam*.

v. 13. τοίνυν) Particula initio posita (Es. 5, 13. 27, 4. 33, 23.) hoc loco deliberatam fidelium fortitudinem spirat. Sic τοιγαροῦν initio capitis 12. — ἔξω τῆς παρεμβολῆς, *extra castra*) v. 11. *Castra* Judaismum notant. — τὸν ὀνειδισμὸν αὐτοῦ, *opprobrium ejus*) i. e. crucem. c. 12, 2. — φέροντες, *portantes*) ut Simon Cyrenaeus. Matth. l. c.

v. 14. γὰρ, *enim*) Ratio, cur dicat *castra*, non *urbem*. v. 13. Hierosolymam ipsam fides pro castris habet. — μένουσαν, μέλλουσαν) Paronomasia. Simul *non manentem* alludit ad instantem Hierosolymorum vastationem. non dignatur eam *appellare* urbem, quae non manet. Nos non manemus hic: nec ipsa urbs manet omnino. — πόλιν, *urbem*) c. 11, 10. not. Pari modo *Paulus* Phil. 3, 20. — μέλλουσαν, *futuram*) c. 2, 5. not.

v. 15. δι' αὐτοῦ, *per ipsum*) 1 Petr. 2, 5. — θυσίαν, *hostiam*) *Altare* memoratur v. 10. nunc *sacrificia* enumerantur: *laudationis*, h. l. *beneficentiae*, v. 16. — αἰνέσεως, *laudationis*) pro salute firma. — διαπαντὸς, *jugiter*) *Juge* sacrificium. Nil de Missa. Huic *jugiter* respondet, quod sequitur, *nolite oblivisci*. v. 16. — καρπὸν χειλέων, *fructum labiorum*) Sic LXX, Hos. 14, 3., nec non Es. 57, 19.; sed Hebraea priore loco פְּרִים שְׂפָתֵינוּ altero שִׂפְתֵי (נִיב) נִיב — ὁμολογούντων, *confitentium*) In fide, contemta omni contumelia mundi. v. 13.

v. 16. εὐποιΐας, *beneficentiae*) erga egentes. — κοινωνίας, *communionis*) erga merentes. Gal. 6, 6. coll. mox v. 17. — τοιαύταις, *talibus*) Ref. etiam ad v.

ed by Google

praeced. *his, talibus,* non sanguine quadrupedum. — εὐαρεστεῖται) Verba, εὐαρεστοῦμαι, δυσαρεστοῦμαι, cum sexto casu, significant, *hoc mihi placet, displicet.* δυσαρεστούμενος, *sibi displicens;* ut solent, qui prope a morbo absunt. Diogenes Laërtius in Arcesilao, καί τινος μὴ εὐαρεστουμένου τῇ διατριβῇ αὐτοῦ, *cum quidam non libenter cum eo esset.*

v. 17. πείθεσθε, *obedite*) Doctoribus defunctis *memoriam* praestate, v. 7., viventibus *obedientiam.* — ὑπείκετε, *concedite*) Id plus est, quam obedire. *Obedite* in iis, quae praecipiunt vobis tanquam salutaria: *concedite,* etiam ubi videntur plusculum postulare. Hinc pendet, *ut.* — αὐτοὶ, *ipsi*) Ut *ipsi* sunt accurati, sic, quum vos accuratos esse volunt, debetis *concedere.* — ὡς λόγον ἀποδώσοντες, *tanquam rationem reddituri*) Sane hoc et ad vigilandum movet, et ad cavendum auctoritatis abusum. His verbis anima Chrysostomi semper concussa fuit, ut ipse fatetur initio libri VI. de sacerdotio: quem ad locum aliqua notavimus p. 490. — μετὰ χαρᾶς, *cum gaudio*) si vos videant vigilantiae suae respondere. — τοῦτο, *hoc*) Spectat hoc τοῦτο non ad *rationem reddituri,* sed ad *vigilant.* Auditores debent ductoribus suis *obedire* et *concedere, ut cum gaudio* etc. *Gementes rationem reddere* ipsis ductoribus laetum non esset: e contrario *gementes vigilare* ductoribus damnosum non est, auditoribus est inutile. — καὶ μὴ, *ac non*) Non est bonus antistes, quisquis non aut *gaudet* aut *suspirat,* aut utrumque. — στενάζοντες, *gementes*) Audiuntur gemitus creaturarum aliarum: quanto magis, pastorum? — ἀλυσιτελὲς, *inutile*) Tristitia, *gaudio* opposita, ex qua fluunt suspiria, ductores vehementer debilitat: et ipsa eorundem *suspiria* auditoribus *non prosunt,* imo multum nocent.

v. 18. προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν, *orate pro nobis*) Sic solet *Paulus,* praesertim in conclusione, rogare eos, ad quos scribit. Rom. 15, 30. — πεποίθαμεν) *confidimus,* nos ipsos exaudiri et liberatum iri. — γὰρ, *enim*) Vis aetiologiae proprie cadit super versum 19. — ὅτι) id est, *quia.* nam *confidimus* ponitur absolute, uti *audemus.* 2 Cor. 5, 8. Conscientia fiduciam affert. 1 Joh. 3, 21. 2 Cor. 1, 12. — καλὴν, καλῶς, *bonam, bene*) Conjugata. — πᾶσι, *omnibus*) Neutrum. vid. not. ad 2 Cor. 11, 6. — θέλοντες, *volentes*) Voluntatem sequitur conscientia.

v. 19. περισσοτέρως, *amplius*) Constr. cum ποιῆσαι, *facere.* — παρακαλῶ, *rogo*) Hoc primum epistolae hujus loco Paulus aliquid de se uno scribit. — τάχιον) eo *citius.*

v. 20. ὁ δὲ θεὸς, *Deus vero*) Fratres jussit orare pro se, v. 18. nunc pro illis orat. — τῆς εἰρήνης, *pacis*) *Paulus* saepe *Deum pacis* appellat. Rom. 15, 33. Hic congruit τὸ καταρτίσαι, *coaptet.* v. 21. — ὁ ἀναγαγὼν ἐκ νεκρῶν, *qui reduxit ex mortuis*) Deus pastorem duxit, Pastor gregem. e profundo reduxit in altum, ubi ab omnibus conspiciatur. Non concludit apostolus, antequam mentionem fecerit *resurrectionis* Christi. — τὸν ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν, *Pastorem ovium magnum*) Apposita appellatio. Habetis, inquit, antistites multos, v. 17. sed hic omnium est *Antistes.* Ego sum absens, v. 19. sed DEUS non abest, neque deerit. Alluditur ad Es. 63, 11. [*Unde varians lectio* ἐκ τῆς γῆς, pro ἐκ νεκρῶν, *h. l. orta.* Not. crit.] et hac allusione apostolus, in ipsa conclusione epistolae, Christum etiam atque etiam Mosi, de quo Es. l. c. sermo est, antetonit. — ἐν) *in.* Significanter. Constr. cum ὁ ἀναγαγὼν, *qui reduxit.* coll. c. 2, 9., διὰ, *propter*: item Joh. 10, 17. 18. Phil. 2, 9. — αἰωνίου, *aeterni*) Augustum epitheton. Haec aeternitas testamenti infert necessitatem resurrectionis. Act. 13, 34. not. ex Esaja.

v. 21. καταρτίσαι, *coaptet*) 1 Cor. 1, 10. not. — ποιῆσαι· ποιῶν) Deo *faciente,* nos *faciemus.* [*Deus aptat nos ad* faciendum: *imo vero Ipse potius* facit. 2 Petr. 1, 3. V. g.] — τὸ θέλημα, *voluntatem*) Conf. Es. 53, 10. de *resur-*

Digitized by Google

rectione Christi et progressu *voluntatis* divinae. — διὰ, *per*) Constr. cum ποιῶν, *faciens*. Phil. 1, 11. — ᾧ, *cui*) scil. θεῷ, *DEO*. v. 20. Rom. 16, 27. not. Gal. 1, 5. not. Tum demum gloria Deo dari potest, si te voluntati ejus salutari subjeceris. Conf. de *Christo*, 2 Petr. 3, 18. — δόξα, *gloria*) Non dederant hi, ad quos scripsit, locum exordii laeti, in quo gratiarum actio fieret. hoc igitur loco Doxologia ponitur a *Paulo*, uti Gal. 1, 5. 6. not.

v. 22. παρακαλῶ· παρακλήσεως, *hortor: hortationis*) Conjugata suaviter posita. — τοῦ λόγου, *verbum*) quo vestri antistites vos coram et copiose hortantur. Antitheton, ἐπέστειλα, *misi*, scripsi. conf. Act. 15, 27. 32. — διὰ βραχέων) *paucis*, pro copia rerum. — ἐπέστειλα, *misi*) hanc nempe epistolam, *paracleticam*, hortatoriam.

v. 23. γινώσκετε) *scitote*, cum gaudio. — τὸν ἀδελφὸν, *fratrem*) Sic Timotheum *Paulus* appellat. Vid. not. ad 1 Cor. 4, 17. — ἀπολελυμένον, *solutum*) Fuerat igitur in custodia. — ἔρχηται, *veniat*) ad me. Diversis ergo fuerant in locis.

v. 24. πάντας τοὺς ἡγουμένους ὑμῶν, *omnes praepositos vestros*) Tarditate laborabant: habet autem epistola solidum pro perfectis cibum. Ergo, si ulla epistola, haec certe multitudini subducenda fuisset. Et tamen haec quoque epistola ad multitudinem potius, quam ad antistites, ad quos minus necesse erat, dirigitur. [*Sic ad mulieres, liberos, servos, adolescentes etc. dirigitur sermo* Eph. 5, 22. *etc.* 1 Joh. 2, 18. 2 Joh. v. 1. *atque ad omnes omnino* 1 Petr. 3, 8. 5, 5. *Paulus* Archippo *mandatum dat per* Colossenses, c. 4, 17. V. g.] Scripta apostolorum publice in coetu, quemadmodum olim prophetarum, recitabantur: quanto magis privatim legere, quoad opus est, cuivis ita liberum relinqui debet, ut non demum per dispensationem pontificalem concedatur. Nam quae semel audire tutum est, saepe legere plus juvat. Alibi memorat Paulus *episcopos et diaconos*, Phil. 1, 1. Hic tantummodo ἡγουμένους, *antistites*, appellat. conf. 1 Thess. 5, 12. 1 Tim. 5, 17. *Omnes* eos salutari jubet: nam ii, ad quos scribit, multis in locis erant. — πάντας τοὺς ἁγίους, *omnes sanctos*) credentes, Israëlitas praesertim.

v. 25. ἡ χάρις, *gratia*) Clausula *Pauli* propria.

ANNOTATIONES IN EPISTOLAM JACOBI.

CAPUT I.

v. 1. Ἰάκωβος, *Jacobus*) *Petrus, Johannes, Jacobus*, apostolatu circumcisionis functi sunt: Gal. 2. et *Jacobus* quidem Hierosolymis et in Palaestina Syriaque; *Petrus* Babylone et in aliis orientis partibus; *Johannes* Ephesi et in Asia potissimum, versati. Atque horum, et Judae, de XII apostolis, habemus Epistolas VII, quae conjunctim antiquo potius, quam apto peraeque omnibus titulo *Catholicae* appellantur, quum familiares sint nonnullae; et *VII Canonicarum* titulo a Paulinis canonicis distinguuntur. *Johannes* Epheso misit ad Parthos, ut antiqui tradidere: *Petrus*, Babylone, ad *Dispersos* Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae: *Judas*, nescio unde, ad eosdem, ad quos frater, Jacobus: *Jacobus*, Hierosolymis, ad *XII tribus dispersas*. Hic Jacobus est apostolus: de quo vid. ad Act. 15, 23. atque hujus epistolae partes sunt tres:

Digitized by Google

I. Inscriptio. CAP. I. 1.
II. Adhortatio,
1. ad Patientiam, ut fratres tentationes
a) externas bene ferant. v. 2—12.
b) internas vincant. v. 13—15.
2. ut quivis, divinae bonitatis respectu, v. 16—18, sit celer ad AUDIENDUM, tardus ad LOQUENDUM, tardus ad IRAM. Atque haec tria
a) proponuntur. v. 19—21.
b) tractantur.
I. AUDITUS sit conjunctus cum facto, v. 22—25. (et quidem in specie cum taciturnitate, v. 26., cum misericordia et abstinentia, v. 27., sine intuitu personarum, c. II, 1—13.) adeoque fides sit conjuncta universe cum operibus. v. 14—26.
II. LOQUELA sit modesta. c. III. 1—12.
III. IRA, cum ceteris tumidis affectibus, cohibeatur. 13—IV. 10. 11. s. 13—17.
3. iterum ad Patientiam, quam
a) acuit Judicis ADVENTUS, in quo appropinquat
I. calamitas injustorum. c. V. 1—6.
II. liberatio justorum. 7—12.
b) nutrit ORATIO. 13—18.
III. Conclusio, per apodioxin. 19. 20.

— κυρίου ἰησοῦ χριστοῦ, *Domini Jesu Christi*) *Jesu Christi* nomen hic apostolus in hac epistola non nisi c. 2, 1. iterum ponit; nec in oratione Act. 15, 14. s. 21, 20. s. unquam. Videri potuisset, si *Jesum* saepe appellaret, id ex ambitione facere, cum esset frater Domini. Atque eo minus novit Christum secundum carnem. 2 Cor. 5, 16. Nil de Abrahamo, et Isaaco, (nisi obiter, c. 2, 21.) de Jacobo, de Mose, nil de Judaea, Hierosolymis, templo memorat: tota epistola ex novitate illa christiana fluit. — δώδεκα φυλαῖς, *duodecim tribubus*) Israëlis. — διασπορᾷ, *dispersione*) 1 Petr. 1, 1. Act. 8, 1. LXX Deut. 28, 25. 30, 4. — χαίρειν, *gaudere*) Verbum in salute dicenda frequens, et huic loco proprie conveniens. χαρὰν, *gaudium*, v. seq. [*quod promoretur potius, quam impeditur afflictionibus.* V. g.] Scopus est hortari ad ὑπομονὴν, *patientiam*, in afflictione illorum temporum, et compescere *tumorem* Judaicum abusu fidei christianae exaggeratum: brevius, commendare mediocritatem, vel, si mavis, spiritualem animae temperantiam. v. 19. not. Conf. Hebr. 12, 1. Etenim multis in rebus epistolae ad Hebraeos epistola Jacobi respondet: itemque priori epistolae Petri. Convenientiam suis notabimus locis. Saepe prophetae, saepe apostoli diversi easdem sententias locutionesque adhibuerunt, ad confirmandas mentes auditorum. Anadiplosis, latius sumta, Jacobo frequens, ut χαίρειν, χαρὰν, v. 1. s. et sic in verbo ὑπομονὴν, v. 3. s. λειπόμενοι, v. 4. s. διακρινόμενος, v. 6. Adde v. 13. ss. 19. s. 21. s. 22. s. 26. s.

v. 2. πᾶσαν χαρὰν, *omne gaudium*) Sententia: *omnis tentatio gaudium duci debet*. inde τὸ *omnis* a subjecto ad praedicatum transponitur, manente hoc sensu: tentatio non nisi gaudium duci debet. Conf. Hebr. 12, 11. Luth. h. l. *eitel Freude:* et c. 3, 16., πᾶν, *eitel böse Ding*. Sic 1 Petr. 5, 10., πάσης χάριτος, *omnis gratiae*. Es. 60, 21., ὁ λαός σου πᾶς δίκαιος, *populus tuus omnis justus*. Sic Num. 13, 2. 3. Dan. 12, 1. coll. Ap. 20, 15. Summo patientiae gradu, *gaudio*, continentur ceteri. — ἀδελφοὶ, *fratres*) Persaepe hac appellatione Jacobus utitur, praesertim ineunte nova periocha. — πειρασμοῖς ποικίλοις, *tentationibus variis*) Sic v. 12. 1 Petr. 1, 6. *variis*, animae et corporis, v. gr. *morbis*. c. 5, 16. — περιπέσητε) Idem verbum, Luc. 10, 30. coll. v. 36.

v. 3. τὸ δοκίμιον ὑμῶν) *probamentum, probatio vestra*. Sic, τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως, 1 Petr. 1, 7. LXX, Prov. 27, 21., δοκίμιον ἀργυρίῳ, καὶ χρυσῷ πύρωσις· ἀνὴρ δὲ δοκιμάζεται διὰ στόματος ἐγκωμιαζόντων αὐτόν. Herodianus,

Digitized by Google

δοκίμιον στρατιωτῶν (adde, χριστιανῶν) κάματος, ἀλλ' οὐ τρυφή. Zosimus, εὐνοίας δοκίμια παρασχόμενος. Itaque δοκίμιον est *tentatio patienter suscepta*. Nisi parallelismus Petrinus me retineret, lectionem τῆς πίστεως tot fultam testibus apud Jacobum facilius amplecterer. [1]) Ut est, *probatio* absolute dicta, probationem fidei, amoris et spei complectitur. Et quamvis τὸ τῆς πίστεως in hoc versu omittatur, tamen *fides* etiam Jacobo prora et puppis est, v. 6. c. 5, 15.: et *probatio fidei* speciatim salva manet ex Petri testimonio. — κατεργάζεται ὑπομονήν, *operatur patientiam*) Idem Rom. 5, 3. dicitur, et additur, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν, *patientia autem probationem*. conf. infra v. 12. — ὑπομονήν, *patientiam*) v. 12. Luc. 8, 15. not. Sic Ps. 62, 6. LXX, ὅτι παρ' αὐτῷ ἡ ὑπομονή μου.

v. 4. ἔργον τέλειον, *opus perfectum*) Sequitur, τέλειος. a rebus et opere denominatio fit hominis ipsius. Id ut assequare, *gaudio* opus est. Τέλειος idem, qui δόκιμος, v. 12. coll. not. ad 2 Tim. 2, 15. — ἡγέτω, *habeat*) Hortatur: ut in v. 2., *existimate*. Perfecta est patientia, quae gaudet. — τέλειοι καὶ ὁλόκληροι, *perfecti et integri*) Id denotat absolutum quiddam; *in nullo deficientes*, respectivum. namque opponuntur inter se λείπεσθαι et πλεονεκτεῖν. [*Homines seculi, vel et literati, siquando amplissima laude mactare quendam gestiunt, hominis aut viri* omnibus numeris absoluti (consummatissimi) *encomio eum ornant. Hoc praedicatum qualibus ex vero competat, videre est hoc ipso loco:* probatio *requiritur et* opus perfectum. *Quod* absolutum *videtur mundo*, nullum *coram DEO est*, *si* fidem *detraxeris*. V. g.]

v. 5. εἰ, *si*) Nexum rerum a v. 1. seqq. et cap. 4, 1. ss. is facile inveniet, qui, dum injuriam patitur, animum huc refert. Nam boni et mali affectus varie cientur. — δὲ, *vero*) Antitheton, *in nullo deficientes: deficit*. — σοφίας, *sapientia*) qua intelligimus, unde veniat tentatio, et cur; et quomodo ferenda; et quomodo v. gr. *morbo* occurrendum. Patientia magis est in potestate hominis pii, quam sapientia. illa praestanda; haec petenda. Summa sapientiae, quae patientiam in tentatione paupertatis et opum gubernat, v. 9. 10. describitur. — αἰτείτω, *postulet*) Valde urget Jacobus *preces fidei*. coll. c. 5, 13. ss. — πᾶσιν, *omnibus*) recte rogantibus. — ἁπλῶς, *simpliciter*) Constr. cum *qui dat omnibus*. Admirabilis virtus, divina *simplicitas*. dat simpliciter, magis minusve dignis, sive bene sive pejus usuri sint. Huic simplicitati respondet simplicitas fidelium, non διψύχων. — μὴ ὀνειδίζοντος, *qui non exprobrat*) Non dat repulsam: nec, quum bona dat, insipientiam et indignitatem praeteritam nobis exprobrat, neque abusum futurum.

v. 6. πίστει, *fide*) Etiam Jacobo *fides* est prora et puppis, coll. c. 5, 15. In media epistolae parte remoras duntaxat fidei removet. [*et veram ejus indolem ostendit*. V. g.] — ἔοικε) Idem verbum v. 23. — κλύδωνι θαλάσσης, *fluctui maris*) Talis est, qui sapientia destituitur, per preces non impetrata. — ἀνεμιζομένῳ, *qui a vento moretur*) extrinsecus. — ῥιπιζομένῳ, *qui circumfertur*) intrinsecus, sua instabilitate.

v. 7. μὴ γὰρ οἰέσθω, *ne enim opinetur*) Fides non *opinatur*. is, qui *opinatur*, ut δίψυχος, *duplex animo*, frustra *opinatur*.

v. 8. ἀνὴρ δίψυχος) Sic δίψυχοι dicuntur c. 4, 8., qui non habent cor purum et Deo *simpliciter* deditum. Alias nusquam occurrit in N. T. hoc nomen, neque apud LXX int. Possis reddere *bianimis*, uti dicitur *bilinguis*. Utrumque in Germ. *falsch*. Hesychius: διψυχία, ἀπορία. Est igitur affine τῷ διακρινόμενος. Habet quasi duas animas, quarum altera hoc, altera illud sentit. Sir. 2, 13., οὐαὶ καρδίαις δειλαῖς, καὶ χερσὶ παρειμέναις, καὶ ἁμαρτωλῷ ἐπιβαίνοντι ἐπὶ δύο τρίβους.

---

1) *Et sane b.* Auctor *lectionem istam pleniorem praetulit postea in marg.* Ed. 2.; *diserte vero expressit* in Vers. germ. E. B.

Google

[Viri *nomen occurrit etiam* v. 12. 20. V. g.] — ἀκατάστατος, *inconstans*) Non enim impetrat per preces gubernationem divinam: *sapientiae*que expers dissidet a se et ab aliis. c. 3, 16.

v. 9. καυχάσθω δὲ, *glorietur autem*) Optimum remedium contra διψυχίαν sive *animam bifidam*. *Gloriandi* verbum extat etiam cap. 2, 13. 3, 14. 4, 16. — ὁ ἀδελφὸς, *frater*) Hac appellatione Jacobus dignatur potius humilem, quam divitem. — ὁ ταπεινὸς) *humilis*, pauper, tentatus. — ὕψει, *altitudine*) Proponit Jacobus de humili et de divite: mox subjicit tractationem de divite, v. 11. deinde de humili. v. 12., utrumque tractaturus uberius capite 5. Totius epistolae institutum est, omnia ad aequabilitatem redigere. Conf. c. 2, 1. 5, 13. ὕψος, beatitudo, corona vitae, sine *marasmo*.

v. 10. πλούσιος, *dives*) Synecdoche, pro omni florente et lauto. — ἐν τῇ ταπεινώσει, *in humiliatione*) Hoc proprie construitur cum *glorietur*. conf. 2 Cor. 12, 9. 2 Sam. 6, 22. ταπείνωσις non dicit *marasmum* divitis; sed demissionem animi, ex illius marasmi intuitu. — ὅτι ὡς, *quoniam sicut*) Protasis, *sicut — periit*: apodosis, *ita*. v. 11. — ἄνθος χόρτου, *flos foeni*) Graminis pars amoenissima, flos. 1 Petr. 1, 24.

v. 11. ἀνέτειλε — ἀπώλετο, *exortus est — periit*) Quatuor momenta. primum est causa secundi; tertium, quarti. — καύσωνι) *aestu* meridiano, et vento urente, *ortum* subsequente. Gradatio. — ἡ εὐπρέπεια, *decor*) qui est in flore. — πορείαις) Divitibus alias adscribitur εὐπορία· apostolus autem ponit verbum simplex, idque plurali numero, ob molestam negotiorum amplitudinem. πορεία, *iter*, a πορεύομαι, ut βασιλεία, βασιλεύω. Lectioni πορίαις (litera ε demta) nil tribuo. Alleganda in Appar. p. 728. fuit, quia *Millius* de *codicibus nonnullis* ita legentibus obscure loquitur, et de *Estio Gaignaeum* allegante silet. — μαρανθήσεται, *tabescet*) in morte.

v. 12. μακάριος, *beatus*) μακάριος ex μὴ et κὴρ, *immortalis*. Hoc, et *vitae*, opponitur τῷ μαρανθήσεται. — ὑπομενεῖ, *sufferet*) v. 3. 4. 1 Petr. 2, 20. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — ἐπηγγείλατο, *promisit*) c. 2, 5. — ἀγαπῶσιν, *qui amant*) Amor parit *patientiam*. [*Omnes nimirum tentationes eo, quo par est, loco habere novit*. Rom. 8, 28. V. g.]

v. 13. μηδεὶς πειραζόμενος, *nemo, qui tentatur*) Nunc aliud de tentationibus caput sequitur. Magnus patientiae nervus, ortum scire mali. — λεγέτω, *dicat*) corde aut ore. — αὐτὸς) *Ipse*. i. e. nec mala ulla Deum, ad nos in deteriora solicitandos, extrinsecus tentant; nec vero ipse sua sponte quenquam tentat. Id ipsum etiam est *simplicitatis* divinae. v. 5. Saepe τὸ αὐτὸς spontaneum quiddam innuit: unde congruit, in opposito, τὸ βουληθεὶς, v. 18.

v. 14. ἕκαστος, *unusquisque*) Antitheton, οὐδένα, *neminem*. v. 13. — ὑπὸ, *a*) Concupiscentia est pellex; homo ipse, quasi vir. — ἰδίας, *sua*) Causam igitur peccati debemus in nobis quaerere, non extra nos. Ne ea quidem, quae diabolus injicit, periculum facessunt, antequam fiant ἴδια *nostra*. *Propriam* quisque *concupiscentiam* habet, ex ingenio, temperamento, more, *suo*. — ἐξελκόμενος, *abstractus*) initio tentationis, *ex* veritate et virtute *trahentis*. Passivum. — δελεαζόμενος, *illectus*) ulteriore progressu, illecebram *ad* malum admittens. Medium.

v. 15. συλλαβοῦσα, *cum conceperit*) peccatum, ex hominis voluntate. — ἁμαρτίαν, *peccatum*) peccati actum. Non ideo concupiscentia ipsa non est peccatum. Qui hominem gignit, homo est. — ἀποτελεσθεῖσα, *consummatum*) adultum robur nactum. id quod celeriter fit. — θάνατον, *mortem*) Peccatum morte gravidum nascitur.

v. 16. μὴ πλανᾶσθε, *nolite errare*) Summus *error* est, non bona, sed mala accepta referre Deo. ab hoc errore deducere, est *amoris*. Fidelis ad-

Digitized by Google

monitio. coll. c. 5, 19. Μὴ οὖν *Al. Lat.* Constat vel hoc exemplo, consensioni *Al. Lat.* nullis aliis testibus firmatae me non nimium tribuere, quod hanc varietatem in margine textus indicare nolui.

v. 17. πᾶσα, *omne*) Nexus sermonis patet, si ita resolvas: δόσις, *datio*, quae omnis est bona: δώρημα, *donum*, quod omne est perfectum etc. bona tantummodo et perfecta, nulla mala, superne sunt. *bona* et *perfectum* in inciso est praedicatum: *datio* et *donum* subjectum: *omnis* et *omne*, si sensum spectes, pertinet ad subjectum. conf. *omne*, v. 2. not. — δόσις, *datio*) *Datio bona*, in antitheto ad *peccatum*, denotat ea, quae initio et indies conducunt ad justitiam et pietatem: *donum perfectum*, in antitheto ad *consummatum* et *mortem*, denotat ea, quae pertinent ad *consummationem* et vitam beatam. conf. 2 Petr. 1, 3. — ἄνωθέν ἐστι καταβαῖνον) *est id, quod deorsum descendit*. conf. *descendens*. c. 3, 15. — ἀπὸ, *a*) nempe *a Patre luminum*. Declaratur τὸ *superne*. — τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, *Patre luminum*) *Patris* appellatio congruens huic loco. sequitur ἀπεκύησεν. Ipse Patris et matris loco est. Est Pater luminum etiam spiritualium in regno gratiae et gloriae. Ergo multo magis Ipse *Lux* est. 1 Joh. 1, 5. *Lucis* mentione statim, ut solet, subjungitur mentio *vitae*, ex regeneratione. v. 18. — παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, *apud quem non est transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio*) Παραλλαγὴ dicit mutationem in intellectu; (vid. LXX, 2 Reg. 9, 20.) τροπὴ mutationem voluntatis. In utroque vocabulo est metaphora a stellis, huic loco, ubi *luminum* mentio fit, aptissima. παραλλαγὴ et τροπὴ est in natura, (vid. τροπὰς, Job. 38, 33.) quae habet quotidianam vicissitudinem diei et noctis, et longiores modo dies modo noctes: in Deo nil tale est. Ipse est Lux mera. παραλλαγὴ et τροπὴ, si qua accidit, penes nos est, non penes Patrem luminum. ἀποσκίασμα interdum dicit ὁμοίωμα. sic enim Hesychius interpretatur. unde Gregorius Naz. τὸ τῆς ἀληθείας ἴνδαλμα καὶ ἀποσκίασμα tanquam synonyma ponit: et apud Tullium, Budaeo observante, *adumbratio rei* opponitur *perfectioni ejus*: sed hoc loco opponitur *luminibus*, adeoque magis proprie sumitur, ut ἀποσκίασμα τροπῆς sit *jactus umbrae primulus, revolutionem habens conjunctam*. Idem Hebraismus genitivi mox, *abundantiam malitiae*. ex quo colligere licet, τὸ *transmutatio* opponi τῷ *datio bona*, quemadmodum *vicissitudinis obumbratio* opponitur τῷ *donum perfectum*. Παραλλαγὴ aliquid majus est. hinc gradatio in oratione negante: *ne quidem vicissitudinis adumbratio*. Hoc demum efficit *perfectionem*; illud, *bonum* est. *Perfectior* est, qui ne quidem vicissitudinis adumbrationem habet.

v. 18. βουληθεὶς) *volens*, voluntate amantissima, liberrima, purissima, foecundissima. Hebr. אב ab אבה *voluit*: conf. Joh. 1, 13. Congruit ἔλεος, *misericordia*, 1 Petr. 1, 3. Antitheton, *concupiscentia cum conceperit*. — ἀπεκύησεν) Antitheton, ἀποκύει, v. 15. — ἡμᾶς) *nos*, credentes, praesertim ex Israël. Opponitur inter se duplex generatio: eaque in malo describitur per abstracta; in bono, per concreta. — ἀληθείας, *veritatis*) N. T. — ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων, *primitiae quaedam creaturarum ejus*) Sumus ex Deo per creationem et generationem, *factura et genus ejus*, Eph. 2, 10. Act. 17, 29. *Creaturae* reliquae visibiles sunt tot ac tantae; sed harum *primitiae* sunt fideles, pars prima et nobilissima, sanctior ceteris, et ceteras sanctificans; qui ob id ipsum tentationibus exercentur. *quaedam*, habet modestiam: nam *primitiae* proprie et absolute unus est Christus.

v. 19. ὥστε, *igitur*) Symperasma: simulque Propositio eorum, quae sequuntur, trimembris. Auscultationi salutari inimica est nimietas in verbis et affectibus, *oris et cordis*. v. 26. — πᾶς, *omnis*) Oppositum, *nemo*, v. 13. Nam eo, non modo ad versum proximum, respicit versus 19. — ταχὺς εἰς τὸ ἀκοῦσαι, *velox ad audiendum*) Vera audiendi ratio (*suscipite*) cum obedientia et recta

Digitized by Google

auditorii constitutione tractatur v. 21—27., et capite 2. toto. — βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι, *tardus ad loquendum*) Hoc tractatur v. 26., et c. 3. *Tardus ad loquendum*, ut nil loquatur contra Deum, c. 1. v. 13.; nec sinistre de Deo, c. 3, 1—13. — βραδὺς εἰς ὀργήν, *tardus ad iram*) Hoc tractatur cap. 3, 13. s. c. 4. 5. *Tardus ad iram* sive impatientiam erga Deum; iracundiam erga proximum. Qui *tardus* ad iram est; facile omni ira, mala certe, supersedebit. Festinatio impellit ad peccandum.

v. 20. ὀργὴ) *ira*, affectus potentissimus. — ἀνδρὸς, *viri*) Sexus virilis maxime iram alit: 1 Tim. 2, 8. actionesque ejus vel justae vel injustae latius patent. Innuitur ira naturalis, extra gratiam. — δικαιοσύνην θεοῦ, *justitiam Dei*) omnia officia divinitus praescripta et Deo placita. — οὐ κατεργάζεται, *non operatur*) i. e. plane impedit justitiam Dei; [*adeoque orationis hujus trimembris praecipuam ea partem constituit.* V. g.] tametsi sibi, dum fervet, quam maxime operari eam videatur. Purius sine ira fit.

v. 21. ἀποθέμενοι πᾶσαν ῥυπαρίαν, *deponentes omnem immunditiam*) Metaphora a veste. c. 2, 2. ῥυπαρία, *sordities*, quae expurgatur *audiendo* verbum. Joh. 15, 3. — περισσείαν κακίας) *abundantiam, nimietatem, quae solet vitiosa esse*, praecipue in *loquendo*. (Matth. 5, 37.) [*In cogitationibus, verbis, gestibus, operibus vitio non caret excessus.* V. g.] κακία non est *malitia* sive *nequitia*, sed *malitas* sive *vitium*, virtuti contrarium: et genitivus κακίας habet hoc loco vim epitheti. — ἐν πραΰτητι, *in mansuetudine*) Haec opponitur *irae:* praestaturque in omnibus rebus. Conf. 1 Petr. 2, 1. 2. Ira et subitus animi impetus impedit auditum: ideo lenitate opus est. — δέξασθε) *accipite* animo, auribus, opere. [*Promtos agite auditores.* V. g.] — τὸν ἔμφυτον) *insitum*, per regenerationem, v. 18. et per *habitum*, [*ab ineunte aetate vobis concilialum*, V. g.] Hebr. 5, 14., nec non per assuetudinem inde a majoribus, Israëlitis. [*DEI videlicet populo.* V. g.] v. 1. coll. 2 Tim. 1, 5. Est insitum: ergo summa necessitudine fidelibus conjunctum, et propinquum: Rom. 10, 8. ergo accipiendum in mansuetudine. — λόγον, *verbum*) Evangelium. 1 Petr. 1, 23. ss. — τὸν δυνάμενον, *quod potest*) magna efficacia. — σῶσαι, *salvare*) *Salutis* spes alit *mansuetudinem:* et haec illam sustentat.

[1]) v. 23. ὅτι, *quia*) Explicatur ille *paralogismus* otiosorum auditorum. — γενέσεως) c. 3, 6. — ἐν ἐσόπτρῳ, *in speculo*) Demonstratur hinc veritas Scripturae, quod homini faciem animae refert exactissime.

v. 24. [2]) εὐθέως, *statim*) aversus ad alia. Magnam vim exprimendae hujus celeritatis cum levitate conjunctae habet καὶ cumulatum. Gen. 25, 34. — ἐπελάθετο, *oblitus est*) Oblivio non excusat. v. 25. 2 Petr. 1, 9.

v. 25. παρακύψας, *qui perspexerit*) Resp. *considerarit*, v. 24. Verbo παρακύπτω innuitur rei reconditae indago, non in *superficie speculi* haerens, sed ad interiora penetrans. Sir. 14, 24. ὁ παρακύπτων διὰ τῶν θυρίδων τῆς σοφίας. Beata curiositas, si efficax ad fructum. — εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας, *in legem perfectam libertatis*) Sic appellat legem, quatenus per fidem stabilitur. Rom. 3, 31. Conf. infra c. 2, 12. 8. not. Cavet Jacobus, ne quis abutatur idiomate Paulino de *servitute legali et jugo.* Qui legem facit, liber est. Joh. 8, 31. s. *Perfectioni* legis respondere homo debet perfectione cognitionis et obedientiae: alias non est liber, sed *reus.* c. 2, 10. — καὶ παραμείνας, *et permanserit*) Antitheton, *abiit.* v. 24. — οὗτος — οὗτος) *hic, hic*, inquam. Verba interjecta aetiologiam addunt praedicato, et repetitio vim habet.

---

1) παραλογιζόμενοι ἑαυτούς, *decipientes semetipsos*] Audiendo sibi placentes. *V. g.*

2) κατενόησε, *contemplatus est*] Haud facile nullam plane sui cognitionem affert auditus verbi. 1 Cor. 14, 24. *V. g.*

Digitized by Google

v. 26. εἴ τις, *si quis*) Nunc exempla addit *factionis operis*. — θρῆσκος, *religiosus*) cultor Dei, privatim et publice. Hesychius, θρῆσκος, ἑτερόδοξος, εὐγενής. i. e. qui plus novit, quam ceteri, et nobiliori mente praeditus est. Congruit Oecum. exegesis, cui θρῆσκος est γνώστης τῶν ἐν τῷ νόμῳ ἀπορρήτων καὶ ἀκριβὴς φύλαξ. — μὴ χαλιναγωγῶν, *non refroenans*) Aptissima metaphora. c. 3, 2. s. — γλῶσσαν, *linguam*) et cor. — καρδίαν, *cor*) et linguam. Altera alteram et ducit et sequitur. linguae est loquela; cordis, affectus. v. 19. [*Utrumque pari modo conjungitur Cohel.* 5, 1.: *qui Salomonis liber cum hac* Jacobi *epistola in eo praecipue consentit, quod utrinque* mediocritas *urgetur per omnia. Conf. etiam Matth.* 12, 34. *Lingua peccatur objurgando, pejerando, mentiendo, jocando, falsa promittendo, murmurando etc.* V. g.]

v. 27. θρησκεία, *religio*) Id est, qui miseros sublevat, et mundi lautitia mersos vitat, ejus demum cultus omnis, Deo praestitus, recte se habere potest. — καθαρὰ καὶ ἀμίαντος, *munda et immaculata*) ex amore *puro* fluens, et a *mundi sordibus* remota. — ἐπισκέπτεσθαι, *visitare*) cum consilio, solatio, beneficio, etiam sua sponte. — ὀρφανοὺς καὶ χήρας, *pupillos et viduas*) i. e. afflictos, etiam alieniores, a multis neglectos. Synecdoche. — ἐν τῇ θλίψει, *in afflictione*) Nam si aliis de causis id fiat, non est *religio*. — ἄσπιλον ἑαυτὸν, *immaculatum se*) Id fit, si abstineatur a consuetudine aliorum, qui neque nobis prosunt, neque nos illis. — τηρεῖν, *custodire*) solicite.

CAPUT II.

v. 1. Ἀδελφοί μου, *fratres mei*) Aequalitas Christianorum, *fraterno* nomine indicata, fundamentum hujus admonitionis. — ἐν) Similes phrases, ἐν προσωποληψίαις ἔχειν, ἐν ἐπιγνώσει ἔχειν, Rom. 1, 28. — προσωποληψίαις, *personarum acceptionibus*) quarum altera divitum a fide alienorum, altera pauperum Christianorum valde diversa. — τὴν πίστιν, *fidem*) qua pauperes abundant. — τῆς δόξης, *gloriae*) Hoc quo minus a *Domini* construi videatur, facit pronomen *nostri*. Est igitur appositio, ut ipse Christus dicatur ἡ δόξα, *Gloria*. conf. Luc. 2, 32. Es. 40, 5. Eph. 1, 17. 1 Petr. 4, 14. Δόξα, ipse Christus. Ita et Ipsum Jacobus ut Filium Dei praedicat, et resurrectionem ejus ex mortuis; ut apostolum decet. Christus, Gloria: hinc etium fides in eum gloriosa, et fideles gloriosi. Hanc fidelium gloriam nullus mundi honos aequat: nemo personarum acceptor agnoscit.

v. 2. εἰσέλθῃ, *introierit*) tanquam hospes ignotus. — συναγωγὴν) *coetum eumque sacrum*. addit enim, *vestrum*. Nomen a Judaeis ad Christianos traductum. — ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος, *vir aureum annulum habens*) Rarior olim usus annulorum. Antitheton simplex, *pauper*. — λαμπρᾷ, *splendida*) nitida, nova, cujuscunque coloris.

v. 3. ἐπιβλέψητε, *intueamini*) cum admiratione. — τὸν φοροῦντα) *gestantem*, quamvis, quis sit, nesciatis; cum fortasse sit ethnicus. — σὺ — σὺ, *tu — tu*) Hoc instar est nominis proprii h. l. — κάθου ὧδε, *sede hic*) Antitheton, *sta istic*. — καλῶς) הֵטֵיב LXX καλῶς. *honeste*. — ἐκεῖ, *istic*) procul a nobis.

v. 4. καὶ οὐ, *neque*) *Si*, v. 2. apodosin habet in hoc versu, καὶ οὐ, καὶ, *neque, et*. — οὐ διεκρίθητε) Isto discrimine divitis et pauperis utentes, tamen *non discreveristis* justa dubitatione, consideratione et aestimatione, quid tribuendum esset pauperi potius, vel certe non minus, quam diviti. διεκρίθη, active, etiam Rom. 4, 20. praeterea vero διακρίνεσθαι in bonam partem, in hoc loco Jacobi. Huic composito opponitur simplex κριταὶ, quo notantur definite aliquid *constituentes*. διάκρισις κρίσιν debet praecedere: vos illa omissa hanc exercetis. — κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν) *judices*, approbatores, *malarum cogitationum*, i. e. divitum, foris splendentium, sed malis cogitationibus scatentium. Qui divitem prae pau-

ed by Google

pere honorant, non praecise cupiunt *malas* ejus *cogitationes* approbare, sed Jacobus id sic interpretatur et imputat, quia dives in sua pompa plenus est malarum cogitationum. Communior sententia ut nota praesupponitur.

v. 5. ἀκούσατε, *audite*) Hac compellatione *sistit* ac retinet apostolus *judices* praecipites; ostendens, de paupere potius, quam de divite esse bene praesumendum. — ὁ θεὸς, *Deus*) Dei judicio subscribere nostrum debet judicium, etiam in ceremoniis et gestibus externis. — ἐξελέξατο τοὺς πτωχοὺς, *elegit pauperes*) Qui electi sunt, egeni sunt. Non denotantur hic pauperes omnes, neque soli; nam paupertas ac divitiae neminem per se faciunt bonum aut malum: sed tamen passim pauperes prae divitibus beati praedicantur. c. 5, 1. Suntque fere synonyma, *impius et dives, justus et pauper.* Es. 53, 9. Amos 2, 6. 5, 12. Dives, si pius est, divitias abnegat: pauper, si malus est, paupertatis bonum negligit. Christiani multi ex pauperibus erant; pauci ex divitibus: praesertim Hierosolymis, et inter eos, ad quos Jacobus scribit. conf. cit. cap. 5, 1. ss. Sic quoque, *elegit,* 1 Cor. 1, 27. — πλουσίους ἐν πίστει, καὶ κληρονόμους, *divites in fide, et heredes*) Beza sic interpretatur: *elegit pauperes, ut fierent divites fide et heredes, etc.* E. Schmidius sic: *elegit pauperes, qui tamen sunt divites in fide, ut sint etiam heredes etc.* Hic duo momenta arctissime cohaerentia, *divites et heredes,* divellit; ille, contra scopum apostoli, post *electionem* ponit *fidem et amorem.* Neque enim aliter Jacobus agit de ordine electionis, fidei et amoris, atque ille ordo nobis innotescit, adeoque judicii recti regulam de pauperibus praebet. quo quidem modo non solum fides, sed etiam amor electionem in ordine cognitionis nostrae antecedit. Mens apostoli haec est: *Deus elegit pauperes, qui sunt divites in fide et qui sunt heredes etc.* unde hoc fluit argumentum: Quicunque sunt divites in fide et heredes: illos debemus ut a Deo electos agnoscere et tractare. atqui pauperes etc. Sic electio adeo non antecedit fidem, ut etiam hereditas electionem antecedat; antithetoque inter *elegit,* et *ignominia affecistis,* expenso haec emergit conclusio: Divites in fide et heredes regni et Deus magni facit et nos magni facere debebamus. — ἐν πίστει *in fide*) quae tendit in Dominum gloriae. v. 1. Huic *fidei* tanquam sequela tribuuntur *divitiae* coelestes et mundi futuri, sicut *amori hereditas.* — κληρονόμους) *heredes,* quia filii. — τῆς βασιλείας, *regni*) Maxima dignitas.

v. 6. ἠτιμάσατε, *ignominia affecistis*) dum pauperem postposuistis. Grande verbum. — οὐχ οἱ πλούσιοι, *nonne divites*) Non omnes, sed tamen plerique, et soli. nam pauperes, etiamsi vellent, non possunt. Commemorat hoc apostolus, non ut pios ad invidiam concitet, sed ut indignitatem divitum demonstret. — αὐτοὶ, *hi*) Demonstrativum, uti v. 7. Hebr. הם *Hi* sunt, qui et vi aperta et specie juris agunt. — ἕλκουσιν ὑμᾶς, *trahunt vos*) importune.

v. 7. βλασφημοῦσι, *blasphemant*) Prov. 30, 9. Loquitur apostolus maxime de divitibus ethnicis. conf. 1 Petr. 4, 14. 2, 12. Inter Judaeos enim non erant multi divites, certe Hierosolymis. — τὸ καλὸν ὄνομα, *bonum Nomen*) השם nomen Dei, laudandum super omnia, כי טוב *quoniam bonus est,* et *nomen* ejus *bonum.* Huc notavi: κ *pro* λ, *ed. non una hodie: sphalmate omnibus modis emendando.* Subjunxit *Baumg. a quo* (Sphalmate) *nemo facile periclitabitur.* Respondeo: non *periculi,* sed *pietatis* causa dandum fuit monitum. — τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς, *quod invocatum est super vos*) ex quo appellati estis *populus Dei.* Similis locutio, Gen. 48, 16. Es. 4, 1.

v. 8. νόμον βασιλικὸν) *legem regiam,* quae se non patitur sub arbitrium humanum in *servitutem* redigi; sed ipsa *libertatis* lex est, v. 12., et summa praeceptorum, omnes et amare et amari jubens: *legem* maximam *Regis* summi, qui Amor est, apud quem nulla est *personarum acceptio,* et qui suos omnes ad libertatem et ad regnum evehit, et personarum acceptionem fugere jubet, et

Digitized by Google

transgressores punire potest. Conf. Not. ad Chrysost. de Sacerdotio p. 443., de epitheto βασιλικός. — τελεῖτε, *perficitis*) etiam per fugam *acceptionis personarum*. — κατὰ, *secundum*) *Secundum* determinat. *lex* est totum: *scriptura* illa, *diliges etc.* est pars. conf. v. 10. s. — ἀγαπήσεις, *amabis*) etiam in habendo honore. Lex regia, amoris. Luth. *die Liebe ist Kayserin.* conf. 2 Cor. 2, 8. not. — τὸν πλησίον σου, *proximum tuum*) etiam pauperem. — καλῶς) *pulchre*: prae illo καλῶς, *bene*, quod notatur v. 3. Conf. v. 19. 7.

v. 9. προσωπολημπτεῖτε, *personas accipitis*) *Personarum acceptio* non amat omnes aeque. — ἁμαρτίαν ἐργάζεσθε, *peccatum operamini*) Omnis actio vestra peccatum est. Huc ref. *enim*, v. 10. — ἐλεγχόμενοι, *convicti*) propter *acceptionem personarum*, incurrentes in elenchum.

v. 10. πταίσει) *offendet*, gravius praesertim. πταίειν, de offensione quotidiana. c. 3, 2.

v. 11. ὁ γὰρ εἰπὼν, *qui enim dixit*) Unus est, qui totam legem tulit: cujus voluntatem qui una in re violant, totam violant.

v. 12. οὕτως λαλεῖτε, *sic loquimini*) Tales estote in loquendo. In hac anakephalaeosi respicit cap. 1, 26. — διὰ νόμου ἐλευθερίας, *per legem libertatis*) Vid. c. 1, 25. not. Lex abhorret a servitute. ergo etiam a respectu personae.

v. 13. ἡ γὰρ κρίσις, *judicium enim*) Judicium illud Dei de nobis, quod nemo subterfugiet, tale erit in quemque, qualis fuerit quisque, *haud misericors* illi, qui non fecerit *misericordiam*. — ἔλεος, *misericordiam*) Haec, praesupposita communi miseria, synonymon est *amoris*. v. 8. — κατακαυχᾶται, *gloriatur contra*) Grande verbum: memorabile axioma. Ipsum judicium libenter fert hanc *gloriationem*. Frequens apostolis est asyndeton: et hujus criterium solet esse varietas particularum, quas librarii supplent, ut hoc loco alii καὶ praefixerunt, alii δὲ subjecerunt. Lectio brevior, media, genuina. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — ἔλεος, *misericordia*) divina, humanae respondens.

v. 14. τί, *quid*) Apostolus a c. 1, 22. adhortatus est ad faciendum: nunc iis occurrit, qui fidei praetextu facere fugiunt. Porro sic docebat Paulus: *Ex fide est justitia et salus, non ex operibus.* id, ut omnia solet perversitas humana, jam tum in abusum rapuerant pseudochristiani, et verba Pauli, contra mentem Pauli, usurparant. quare Jacobus (iisdem phrasibus, testimoniis et exemplis, quae Paulus posuit, Rom. 4, 3. Hebr. 11, 17. 31., hic repetitis, v. 23. 21. 25.) non doctrinam Pauli, sed errorem abutentium, post Pauli verba latitare conantem, refutat. v. 24. 14. Aliquando usus locutionum per se bonarum, dum multi abutuntur, inhibetur. Jer. 23, 33. coll. Hab. 1, 1. Malach. 1, 1. Diversus erat character, nemo negabit, Pauli et Jacobi: et hujus diversitatis vestigia quaedam in hoc potissimum capite animadverti possunt. conf. Gal. 2, 9. not. Neque tamen idcirco inter se pugnare censendi sunt, ut facile censere posset, quisquis aut Paulo aut Jacobo seorsum sese addixerit. Summa potius cum reverentia et simplicitate, et sine fastidio verborumque tortura, utriusque doctrinam, ut apostolicam, a Christo ejusque Spiritu profectam, suscipere debemus. Uterque enim et vera et dextre scripserunt; sed alio alioque modo, ut qui etiam cum vario hominum genere negotium haberent. Proinde alia in scena ipse Jacobus fidei causam egerat, Act. 15, 13—21. et ipse deinceps Paulus opera strenue ursit, in epistolis praesertim extremo tempore scriptis, quum homines jam doctrina de fide abuterentur. Nunc autem eadem verba non eodem plane uterque modo posuit, ut mox videbimus. Hic porro versiculus Summarium est trium partium: et ad *quae utilitas* spectat v. 15—17. ad *si dicat quis* respondet v. 18. 19. et *num potest* explicatur v. 20—26. Prima parte finiente, et sub finem secundae, et tertia finiente, adeoque ter, infertur fides sine operibus *mortua*. v. 17. 20. 26. — ἐὰν πίστιν λέγῃ τὶς ἔχειν, *si fidem dicat aliquis habere* se)

ed by Google

Non dicit, *si quis habeat*, sed, si quis putet et dictitet: hic ergo Jacobus, ut Paulus ubique, fidem innuit veram et vivam, et sic quoque v. 22. 18. fin. ubi de subjecto sancto agitur: sed mox hoc versu et in hoc reliquo elencho sub *fidei* vocabulo, per mimesin, studio brevitatis, et καθ' ἄνθρωπον, intelligit fidem hypocriticam, paralogismo nixam. c. 1, 22. Non docet, fidem posse esse sine operibus, sed potius, fidem sine operibus esse non posse. Non opponit fidem et opera; sed inane fidei jactatae vocabulum, et fidem veram solidamque in se atque fructibus onustam. — ἡ πίστις) *fides ista*. Articulus habet vim pronominis. *ista*, praetensa, quae *fides* dicitur, ut *sapientia* dicitur *ea*, quam *mendaces* jactant. c. 3, 15. — αὐτὸν) *ipsum*. neque *utilitatem* ullam ea proximo affert, neque *ipsum* salvat.

v. 15. ἐὰν δὲ, *si autem*) Comparatio, (cujus protasis etiam per se opportunam habet admonitionem, ab instituto non alienam:) hinc Epanalepsis, *quae utilitas?* v. 14. 16.

v. 16. ἐξ ὑμῶν, *ex vobis*) Haec tacita communicatio apodosin facit penetrantiorem. — ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ, *ite in pace*) Hodierna repulsae formula: *sublevet te Deus*, id est, *non ego*. — θερμαίνεσθε καὶ χορτάζεσθε, *calefacite et satiate vos*) Bonum consilium et come; si adsit res, amictus calefaciens et cibus satians.

v. 17. ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ, *si non opera habeat*) Si opera, quae alias viva fides parit, nulla sunt; id *indicio* est, fidem *ipsam* (id valet καθ' ἑαυτὴν) nullam esse, eamve, quam quis fidem jactat, mortuam esse. — νεκρά ἐστι, *mortua est*) Ut dicere illud, *cape cibum, potum, vestem*, non est cibus et potus satians, vestis calefaciens: *sic* dicere, *habeo fidem*, non est *fides* realis, proximo *utilitatem* adferens, ipsi dicenti salutaris. Appellatio, *mortua*, horrorem incutit. Abstractum ponitur: concretum innuitur. Fides est mortua: id est, homo, qui se fidem habere dicit, non habet illam vitam, quae ipsa est fides. Similis hypallage, c. 3, 4. not. — καθ' ἑαυτήν, *secundum semet ipsam*) et, ubi opera habet, non *secundum opera*, sed *secundum semet ipsam viva* est et esse dignoscitur. Non habet suam vitam ex operibus.

v. 18. ἀλλ' ἐρεῖ τις) *sed dicet aliquis*, rectius sentiens, quam ille *aliquis*, de quo v. 14., et veram fidei operumque rationem vindicans. — δεῖξόν μοι) *ostende mihi fidem tuam sine operibus tuis;* (ostende, si potes, i. e. nullo modo poteris:) *et ego ostendam tibi ex operibus meis*, quibus me carere non posse scio, *fidem meam*. Sunt duo effata, quorum prius fidem ante opera, posterius opera ante fidem, emphaseos causa, enunciat: (sic quoque v. 22. Luc. 11, 36. not.) et prius spectat ad illud, *tu fidem habes;* posterius ad illud, *et ego opera habeo*. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. [Τὸ χωρὶς *acuit provocationem*, δεῖξον κτλ. Not. crit.]

v. 19. σὺ πιστεύεις, *tu credis*) Anaphora est in *tu:* nam hic quoque versus continetur sub *dicet quis*. — ὁ θεὸς εἷς, *Deus unus*) Notanter ponitur fundamentalis ille articulus, qui semper fideles ab infidelibus diremit. — πιστεύουσι, *credunt*) Verbum *credo* latissime hic accipitur: nam daemonia sentiunt et intelligunt et meminerunt, Deum esse et unum esse. — καὶ φρίσσουσι, *et tremunt*) terribili exspectatione aeternorum cruciatuum. Usque adeo fides illa nec justificat nec salvat: et tamen efficaciam aliquam habet, sed in contrarium. Hoc praeter exspectationem lectoris additum magnam vim habet.

v. 20. θέλεις, *vis*) Morata interrogatio, sane *inanes* homines nolunt scire, et dissimulant. — κενὲ, *inanis*) *inania* verba jactans. — χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστιν, *sine operibus mortua est*) Id et declaratur et probatur versu seq. — νεκρὰ, *mortua*) expers vitae et vigoris justifici et salvifici. ἀργὴ, *Cov.* 4. *Gen.* cum *Latinis plerisque*. Negat *Baumgartenius* hanc variationem inter *memora-*

Digitized by Google

biliores referri oportuisse. Memoravi in margine haud fortasse memoraturus, nisi *Latina* lectio usitata haberet *otiosa*. Addidi tamen ε. Praeterea in editione minore delevi.

v. 21. ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ἡμῶν, *Abraham pater noster*) Sic Paulus, Rom. 4, 1. — ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, *ex operibus justificatus est*) Agnoscit Jacobus internum propriumque fidei vigorem, operibus priorem et ab operibus eorumque in fidem redundante virtute distinctum, v. seq. ignorant autem eundem hypocritae; opera, quibus tamen iidem carent, facilius palpantes. quare Jacobus *ad hominem* agit, et ad eos convincendos fere opera commemorat, ipsum fidei vigorem sub eorum commemoratione subaudiens. Neque verbum δικαιοῦσθαι *justificari* Jacobus non eodem, quo Paulus significatu adhibet; quo videlicet *justitia* conjunctissimam habet salutem. v. 14. Est autem significatus ille valde praegnans, ut quam late patet *peccatum* cum *reatu* et *vitio*, tam late ex adverso pateat *justitia*, (vid. omnino Rom. 3, 20. not.) denotans omne id, quo homo sit, et judicetur, et dicatur *justus*, i. e. talis, cui Deus jam non sit iratus ob reatum, sed reconciliatus; et qui vicissim jam non sit hostis Deo, sed *amicus*. v. 23. coll. Rom. 8, 7. cum antec. et conseq. Hunc unum eundemque significatum vocis δικαιοῦν *justificare* Paulus restrictius adhibet, Jacobus latius. cur? nimirum ille loqui solet de actu justificationis, qui maxime constat in remissione peccatorum: hic, quod apprime notandum, de statu loquitur ejusdem justificationis (qui perperam appellitatur justificatio secunda) quum homo in justitia, quae fidei est, perstat; in ea, quae operum est, progreditur. Exinde Paulus Abrahamum credentem, ex Gen. 15, 6. Jacobus, etiam immolantem multo post, ex Gen. 22, 10. producit. Ille simpliciter allegat τὸ *reputatum est:* hic etiam τὸ *amicus appellatus est*, quod postea accessit. Ille ait: *Deus justificat*, et, *justificat impium*, et, *justificati sumus:* hic simpliciter, *homo justificatur*. Ille fidem solam, non opera quamvis ex fide fluentia memorat; hic, fidem et opera. — ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, *super altare*) Innuit, opus Abrahami fuisse plane serium.

v. 22. ὅτι, *quod*) Duo commata, quorum in priore si illud, *fides*, in altero *operibus* cum accentu pronunciaveris, sententia liquido percipietur, qua exprimitur, quid utravis pars alteri conferat. — ἡ πίστις, *fides*) Fide obtulit Abraham. Hebr. 11, 17. — συνήργει, *cooperabatur*) Igitur aliam fides habet ἐνέργειαν, efficaciam et *operationem*, aliam opera; et quidem illa ante haec, et *cum* his. Non animant opera fidem, sed fides opera parit, opera fidem consummant. — ἐτελειώθη, *consummata est*) Non dicit, *vivificata est*. Ex operibus fides habet, non ut sit vera, nam veritatem habet ante opera; sed ut sit perfecta, et amicitiam divinam assequatur. v. 23. coll. Joh. 15, 10. Vigor fidei, qui opera parit, ex illo partu et actu augetur, excitatur et corroboratur, uti calor nativus corporis labore, quem ciet. conf. 1 Joh. 3, 22. Multo perfectior in fide rediit Abraham a sacrificio illo, quam eo accesserat. Idem verbum, τελειοῦσθαι, adhibet Alexander Aphrod. l. 2. de Anima, cap. Τρίτος δέ ἐστι, quum describit intellectum, cognitione auctum rerum extra ipsum positarum. Fides ipsa *consummatur* per opera, i. e. [1]) vera demonstratur.

v. 23. ἐπληρώθη ἡ γραφὴ, *impleta est scriptura*) Ampliatio in sermone est. nam *impletum* ante fuit, quam *scriptum*. porro quo Abrahae tempore impletum? quum primum credidit, an postea quum immolavit? utroque tempore: sed ad tempus immolationis maxime refert Jacobus, de statu quippe Abrahami justificati loquens, ad quem etiam pertinet illud, *amicus appellatus est*. sed hinc probat justificationem ex operibus, illinc justificationem ex fide. — δὲ) Par-

1) *Conf. D. Ernesti. Bibl. th. T. VI.* p. 22. E. B.

Digitized by Google

ticulam hanc reperi in duobus ms. *Lat.* Id quod notasse juvat, ne dubitationem de genuina ejus lectione augeant aliae versiones. — καὶ φίλος θεοῦ ἐκλήθη, *et amicus Dei appellatus est*) Haec est totius versus pars altera; neque enim pertinet ad ditionem verbi *impleta est.* Fuerat *amicus Dei* Abraham, jam ante obitum, et post obitum ita appellatus est a posteris, 2 Chron. 20, 7., et a Deo ipso, Es. 41, 8. *Amicus* erat, active, *amator Dei,* id quod pertinet ad opera; et passive, *amatus a Deo,* id quod pertinet ad justificationem ex operibus. Uterque sensus, vi relatorum conjunctus, habetur etiam Joh. 15, 14. In Hebraeo est אהב, quod ll. cc. activè sonat, passive significat: certe apud Esajam parallela sunt *servus, electus, amicus.* et LXX, ὃν ἠγάπησα, uti l. c. Chron. τῷ ἠγαπημένῳ σου. quem ad locum etiam Halenses annotant, Arabibus Abraham velut proprio nomine *Alchalilo* i. e. amicum Dei dici. Sic quoque Judith 8, 22.: *Abraham amicus Dei effectus est.* quae tamen Graece non leguntur.

v. 24. ὁρᾶτε, *videtis*) Sic, βλέπεις, *vides,* v. 22. — ἐξ ἔργων δικαιοῦται, *ex operibus justificatur*) v. 21. not. — ἄνθρωπος, *homo*) Judaeus, Graecus. — μόνον, *solum*) Cyclopas evangeliophoros, ut Erasmus appellat, degeneresque Lutheri discipulos, qui fidem *solam,* non Paulinam, sed ab operibus desolatam pro vexillo habent, praevidens hoc loco notavit Scriptura.

v. 25. καὶ ῥαὰβ, *et Rahab*) Post virum Abrahamum Judaeorum patrem ponitur mulier; nam viros et mulieres appellat c. 4, 4.: eaque ex gentibus, quae plane flagitiosa fuerat, ne quis a Judaeis tantum opera requirat.

v. 26. γὰρ, *enim*) *Enim* pro *igitur,* uti Rom. 3, 28. not. — τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος, *corpus sine spiritu*) πνεῦμα saepe πνοὴν *halitum,* vitae indicem; sed quum *corpori* opponitur, spiritum sive animam notat: neque id h. l. alienum. fides sine operibus est ut corpus exanime: sed non ideo fides viva originem vitae habet ex operibus. cur Jacobus opera potius, quam proprium fidei vigorem commemoraverit, notatum est ad v. 21. Habent vani *speciem,* non *virtutem.* 2 Tim. 3, 5. Tit. 1, 16.

CAPUT III.

v. 1. Μὴ πολλοὶ, *ne multi*) Rarum, lingua recta. v. 2., *omnes.* rari ergo debent esse doctores. conf. Rom. 15, 18. Ex ea ratione etiam is, qui doctorem agit, non debet *multus* esse in loquendo. — γίνεσθε, *sitis*) ultro. — μεῖζον κρίμα, *majus judicium*) ob plures offensiones. Conf. Sap. 6, 6. [*Omnium scilicet verborum reddenda erit ratio.* V. g.]

v. 2. πολλὰ) *multis* variisque rebus et *modis.* — ἅπαντες, *omnes*) Ne se ipsos quidem excipiunt apostoli. 1 Joh. 1, 8. — ἐν λόγῳ) *in sermone,* uno. Antitheton, *multa.* Lingua non semper satisfacit sensui. — πταίει, *offendit*) Hoc verbum proprie de linguae vitio lapsuve dicitur. — οὗτος) *hic* demum. — δυνατὸς — σῶμα, *potens — corpus*) Descriptio *perfecti.* — τὸ σῶμα) *corpus,* i. e. hominem, sese. Antitheton ad linguam, *membrum,* v. 5. Conf. *corpus,* v. 3. 6.

v. 3. ἴδε) Sic edidi ex potissima testium parte. ἰδοὺ *Er.* Ex mss. perpauci remanent, quos ἰδοὺ habere, satis firmiter statuamus. Interjectio ἴδε est ex activo verbo, ἰδοὺ mediam vocem imitatur. Si quid differentiae est, ἴδε consideratum quiddam sonat potius, ἰδοὺ patheticum magis est. Itaque Jacobus primo hoc loco ἴδε ponit, postea ἰδοὺ saepe, in incremento δεινότητος. Certe alibi quoque unus scriptor, et ἰδοὺ et ἴδε, habet, idque in brevi sermonis tractu. Joh. 12, 15. 19. 16, 29. 32. ἴδε. Media est lectio: ex qua pauci fecerunt ἰδοὺ, ac multi pridem (fortasse etiam Cant. 2. quem ad v. 4. refert *Millius,* et cum eo *Baumgartenius:*) εἰ δὲ vel εἰδὲ, discrimine unius voculae vel duarum, quod in mss. Graecis minus apparet, quam apud *Arab. Copt.* in *Lat. Si autem.* In re levicula non ero prolixus: tantum dicam, non poenitere me rationum pro ἴδε paullo

ed by Google

ante redditarum. — τῶν ἵππων, *equorum*) Hoc emphaseos causa ponitur initio. — στόματα, *ora*) Apposite. nam in ore lingua est. — αὐτῶν) ***Omittit Hunt.*** 2. ***nec est in Barb.*** 2. etc. Sic ***Baumgartenius:*** at ed. 1 Millii: omittit Hunt. 1. nec est in B. 2. (id est, in Bas. 2.) etc. Ipsi cel. Viro nil nocet, aliis autem expedit, si eum notitia codicum exactissima nondum uti patet. — μετάγομεν) ***circumagimus.***

v. 4. καὶ) ***etiam.*** Non modo animalia, sed etiam naves. — σκληρῶν) σκληρός, ***rehemens.*** Duplex momentum: navium moles, et ventorum vis. — πηδαλίου, ***gubernaculo***) Elegans simile, ad linguam. Respondent inter se, ***minimo,*** et, ***parvum membrum.*** Eadem ratio calami, linguae vicarii, inter absentes. — ἡ ὁρμὴ, ***impetus***) vis movens ac vertens tendensque in locum. Huic respondet affectus linguam movens. — βούληται, ***voluerit***) Hypallage. id est, quocunque vult regens, penes quem est ***impetus.***

v. 5. [1]) μεγαλαυχεῖ) ***magnopere se jactat:*** plurimum sibi arrogat, de praeteritis et in futurum. Saepe ***magnitudo*** est earum rerum, quas securi ***parvas*** putant. ***Magna*** etiam exprimit ***mundus,*** et ***rota,*** et ***gehenna.*** v. 6. — ἰδοὺ, ***ecce***) ***ecce,*** tertium, tertiae comparationi praemissum. — ὀλίγον) Sic modo, μικρόν. ἡλίκον ***Alex.*** cum quo ***Latinus,*** neque is solus, plane conspirat: ac tamen jure a margine meo hanc varietatem removi: 1) quia plana est alliteratio ad ἡλίκην subsequens. 2) quia ***modicum*** etiam ***Latini*** scriptores retinent. Hoc sufficit ad tuendam lectionem receptam.

v. 6. ὁ κόσμος, ***mundus***) Pars subjecti, articulo addito, (ut mox illud ἡ σπιλοῦσα κτλ.) declarans, cur lingua dicatur ***ignis***: quia scilicet illa est ***mundus*** (Vulgato, ***universitas***) ***iniquitatis.*** Respiciunt inter se ***quantam sylvam*** et ***mundus.*** Ut macrocosmi instar est microcosmus; sic microcosmi instar est lingua, hunc totum ciens. Frequens est a macrocosmo ad microcosmum metaphora: Ps. 139, 15. Cohel. 12, 2.: neque solum ad hominem, sed etiam ad cetum, Jon. 2, 3. 6. 7. Eam Jacobus adhibet. ***Mundus*** habet superiora et inferiora. ea, ad partem meliorem, sunt coelum et terra; ad deteriorem, terra et gehenna. atque ut in mundo ad terram se habet coelum aut gehenna: sic in homine ad totum ***corpus*** sive naturam se habet cor, cui lingua servit. nam penes pios coelum, penes malos gehenna suas habet in corde venas, unde tot mira ad ***rotam nativitatis*** diffunduntur. Haec ***rota*** quid notet, ex Ps. 77, 19. declarari possit: φωνὴ τῆς βροντῆς σου ἐν τῷ τροχῷ, ἔφαναν αἱ ἀστραπαί σου τῇ οἰκουμένῃ. namque ut ibi גלגל τροχὸς τῇ οἰκουμένῃ חבל oppositus denotat sphaeram coelestem sive aëream; sic hoc loco τροχὸς τῆς γενέσεως, τῇ γεέννῃ cordive oppositus, denotat partes terrae superiores, hominisve naturam totam, mediam inter coelum et gehennam; atque adeo ***corpus*** cum toto ejus temperamento. Conf. ***desursum, terrena, daemoniaca:*** infra, v. 15. γένεσις, constitutio naturalis, c. 1, 23., et vita; Judith 12, 19., πάσας τὰς ἡμέρας τῆς γενέσεώς μου. Metaphora a ***rota rotunda*** valde congruens. nam ut rota celerrime circumagitur; sic sphaera coeli, et hominis natura. et haec accensa, dum circumagitur, mox tota exardescit, ut ignis non solum in gyrum agi, sed gyrus esse videatur. Confer, de ***rotis flammeis*** throni divini, Dan. 7, 9. — οὕτως, ***sic***) Haec vocula, Afris haud lecta, ex initio versus 5. huc est illata. Si apostolus eam in hac similitudine iterum adhibere voluisset, non in medio, sed in principio apodoseos adhibuisset, οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ. Pauca, sed magni momenti sunt monumenta, quae οὕτως omittunt, praesertim Isidoro Pelusiota accedente. Comparationes sunt tres, ab ἴδε, ἰδοὺ, ἰδοὺ (v. 3. 4. 5.) incipientes. Tertia comparatio protasin habet in

---

1) ἡ γλῶσσα, *lingua*] Eadem de *penna* valent, linguae vicem saepenumero praestante. *V. g.*

Google

versu 5. medio: ἰδοὺ ὀλίγον πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει· apodosis incipit versu 6. ineunte, et ex duabus constat enunciationibus, quarum prior haec est: καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας scil. ἐστίν· altera vero, ἡ γλῶσσα καθίσταται ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν ἡ σπιλοῦσα ὅλον τὸ σῶμα. In hac altera enunciatione ἡ γλῶσσα tanquam Subjectum per anaphoram et emphasin iterum appellatur, citra particulam οὕτως· praedicatum est, καθίσταται — — σῶμα, facili hoc sensu, *Lingua est quae maculat totum corpus.* Inter duo haec membra οὕτως alienum esse videtur: tantum abest, ut οὕτως amoto *truncata* fiat oratio. Subsequitur declaratio: *quippe quae et inflammat et inflammatur. etc.* ubi, per metaphoram a macrocosmo ad microcosmum, *Rota* sive sphaera superior (coll. Ps. 77. v. cit.) est ipsa *natura* humana rationalis: *gehenna* vero est pars profundior, cor. *Lingua*, in medio, ex inferioribus inflammatur, et superiora inflammat, ipsa *mundus* sive orbis injustitiae. Sic expedita fore spero, quae Wolfius ad h. l. notavit: eademque, quae dixi, cum *interpretatione Baumgarteniana* h. l. conferri facile patior. — καθίσταται) Idem verbum, c. 4, 4. — σπιλοῦσα, *maculans*) ut ignis, per fumum. — καὶ φλογίζουσα καὶ φλογιζομένη) quippe *quae et inflammat et inflammatur.* Activo passivum postponitur: nam magis magisque a sua potestate exit, qui lingua peccat.

v. 7. γὰρ, *enim*) Nil acrius igni. — φύσις θηρίων) i. e. θηρία. Periphrasis. — δαμάζεται καὶ δεδάμασται) *domatur*, sensu passivo; *et domita est*, sensu medio. — τῇ φύσει, *naturae*) Dativus notat obedientiam eorum, quae domantur.

v. 8. οὐδεὶς, ἀνθρώπων, *nullus hominum*) Antitheton, *humanae.* v. 7. οὐδεὶς, *nemo* alius: vix ipse quisque. — ἀκατάσχετον κακὸν) Phocylides, λαός τοι καὶ ὕδωρ καὶ πῦρ, ἀκατάσχετα πάντα. Sic v. 6., πῦρ. — μεστὴ, *plena*) Nominativus, collato (post parenthesin) versu 6. Tum maxime est malum cohiberi nescium, *quum* turget veneno letali.

v. 9. ἐν αὐτῇ — καὶ ἐν αὐτῇ, *in ipsa — et in ipsa*) Sermo valde expressus. — θεὸν) κύριον *Alex. Colb. 7. Syr.* Errorem agnoscit *Baumg.* etenim solennis est appellatio, *Deus et Pater*, non *Dominus et Pater:* sed addit versionem veterem *vulgatam* seu *italam.* In ms. quidem *Reutlingensi* sic legitur; nam *Dei* et *Domini* nomen saepe librarii promiscue scripserant: sed ceteri *Latini* codices constanter *Deum*, (unde etiam multi eorum particulam *et* continuo subsequentem omittunt.) et sic *Cassiodorus* in Complex. disertiusque in praef. ps. — καὶ πατέρα) Annotat, *Millii* nomine, *Baumgartenius*: *Deest* δὲ *in Arab. Aethiop.* — γεγονότας) γεγεννημένους *Alex. Colb. 7.* additque pro δὲ legendum esse καὶ. Ipse *Millius* καὶ habet; δὲ *Kusterus.* Hic etiam γεγενημένους, ν simplici. — καθ' ὁμοίωσιν θεοῦ, *ad similitudinem Dei*) Amisimus Dei similitudinem: sed exinde tamen remanet nobilitas indelebilis, quam in nobis et in aliis debemus revereri. mansimus tamen homines, ad similitudinem illam, per *benedictionem* divinam, cui humana subscribere debet, reformandi. Id interpellant, qui maledicunt. Absalom excidit gratia parentis: sed tamen populus eum agnoscit filium regis.

v. 10. ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος ἐξέρχεται εὐλογία καὶ κατάρα) Ps. 62, 5. LXX, τῷ στόματι αὐτῶν εὐλόγουν, καὶ τῇ καρδίᾳ αὐτῶν κατηρῶντο. — οὐ χρὴ, *non opus est*) i. e. nullo modo convenit. — ταῦτα οὕτω, *haec sic*) *haec* bona, *sic* adjunctis malis.

v. 11. πηγὴ, *fons*) Huic simile cor. — ὀπῆς, *foramine*) Huic simile os.

v. 12. μὴ δύναται, *num potest*) Nunc ab ore ad cor transitionem praeparat. de illo dixerat, *non opus est;* de hoc, *non potest.* — οὕτως οὐδὲ ἁλυκὸν γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ, *sic neque salsum dulcem facere aquam*) Scil. δύναται, *potest.* Sic gravissimi testes *Colb. 7. Cov. 4. Gen. Aeth. Copt. Lat.* nec non *Syr.*

οὔτε ἁλυκὸν *Alex.* Longa hic est *Baumgartenii* disquisitio pro receptiore lectione Exam. p. XXXII. ss. Responsionem videbis in App. crit. Ed. II. ad h. l.

Dixerat apostolus v. 11., ex uno principio non convenire, ut proficiscantur duo contraria: nunc ait, ex quolibet principio non nisi id, quod suae speciei sit, provenire posse. *Salsum,* casu recto, vim habet substantivi, ut modo *dulce* et *amarum.* Apud Hesychium, ἁλυκή, ἡ θάλασσα. Jacobo, ἁλυκὸν, latiore notione, *lacus aut scatebra salsa, aquam fundens.* [*ut* Salzmeer, salziger Teich *etc. Hunc nominativum sequitur accusativus*, süss Wasser. Not. crit.] Οὕτως, *sic,* adhibetur ante *salsum* demum, quia haec similitudo jam versu 11. repraesentata, majorem proprietatem induit, et h. l. ipsam apodosin continet, mox verbis propriis continuandam.

v. 13. τίς, *quis*) Omnes videri sapientes volunt: non omnes sunt. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — δειξάτω, *ostendat*) re potius, quam verbis. v. 1. — καλῆς ἀναστροφῆς, *bona conversatione*) Oppositum, v. 16. Ipsa *bona conversatio* describitur v. 17. s. coll. 1 Petr. 2, 12. — ἐν πραΰτητι σοφίας, *in mansuetudine sapientiae*) *in mansuetudine,* cum qua conjuncta est vera *sapientia.*

v. 14. ζῆλον πικρὸν, *zelum amarum*) Non damnatur zelus dulcis et ira dulcis, ex fide et amore. — μὴ, *ne*) Gloriantur et mentiuntur contra veritatem, qui, quum zelum amarum habeant, tamen se eosdem sapientiam habere dictitant. — μὴ κατακαυχᾶσθε) μὴ καυχᾶσθε *Al.* et alii. Vid. App. crit. Ed. II.

v. 15. [1]) ἐπίγειος, *terrena*) non coelestis, quae descendit a Patre. — ψυχική, *animalis*) non spiritualis, quae est a Spiritu sancto. conf. *animalis* 1 Cor. 2, 14. Jud. v. 19. Hoc medium est inter *terrenum* et *daemoniacum.* — δαιμονιώδης, *daemoniaca*) talis, qualem habent etiam daemonia: c. 2, 19. non ea, quam dat Christus.

v. 16. ἐκεῖ ἀκαταστασία, *ibi conquassatio*) *paci* contraria. v. 17. Ex effectu cognoscitur, cujusmodi sit sapientia ista. *fructum* appellare dedignatur Jacobus. coll. v. 17. 18. — πᾶν φαῦλον πρᾶγμα, *omne pravum negotium*) Vis vocalae *omne* apparet, hac enunciatione formata: *omne negotium* inde nascens est malum. Antitheton, *plena misericordiae et fructuum bonorum* etc.

v. 17. πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστιν, *primum quidem pura est*) pura a sordibus terrenis, animalibus, daemoniacis. Occupatio quaedam. *pacem* commendaturus removet prius *pacem impuram* cum mundo, quae omnia obvia convasat et conglutinat. c. 1, 27. fin. et c. 4, 4. toto. sic, *emundate,* c. 4, 8. 1 Petr. 1, 22. — μὲν, *quidem*) Sequitur *autem.* v. 18. — εἰρηνική, *pacifica*) Totum: sequuntur partes mox. — ἐπιεικὴς) *aequa,* lenis, non rigida; ubi agitur de officiis proximi. — εὐπειθὴς) *tractabilis*, facilis, non morosa; ubi agitur de culpa proximi. — μεστὴ ἐλέους, *plena misericordiae*) ubi agitur de miseria proximi. — καρπῶν ἀγαθῶν, *fructuum bonorum*) Sequuntur duo fructus insigniores, et iis, ad quos scribitur, inprimis commendabiles: *non judicans et sine simulatione.* — ἀδιάκριτος, *non judicans*) Non facit *discrimen,* ubi non opus est, v. gr. inter potentes ac tenues. Hesychius, ἀδιάφορον, ἀδιάκριτον. Omnia bona et justa amplectitur: omnia mala rejicit. nullo discrimine agit, non alterum prae aliis duriter habet. — ἀνυπόκριτος, *sine simulatione*) remota a simulatione et adulatione, quae erga potentes exercetur directe; indirecte vero, per asperitatem erga tenuiores.

v. 18. καρπὸς δὲ δικαιοσύνης ἐν εἰρήνῃ, *fructus autem justitiae in pace*) Sic Hebr. 12, 11. not. Fructus justitiae, uberrimus: quanquam ubertas illa non statim initio apparet. *Justitia* est pacata: *pax* est fructuosa. — ἐν εἰρήνῃ σπείρεται, *in pace seminatur*) Cum *fructus* congruit *seminatur. Pax* descripta est v. 17. De *semente* et *justo* conf. Ps. 97, 11. in Hebr. — τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην,

1) ἄνωθεν, *superne*] c. 1, 17. *V. g.*

Digitized by

facientibus pacem) Dativus commodi, cum limitandi vi. Vid. oppositum c. 4, 1. s. ποιεῖν εἰρήνην, *pacem proferre*, ut ποιῆσαι ὕδωρ, *aquam proferre*. v. 12.

CAPUT IV.

v. 1. Πόθεν, *unde*) Innuit Jacobus, multos saepe quaerere de causis litium, quae tamen in promtu sunt. — πόλεμοι καὶ μάχαι, *bella et pugnae*) adversa paci, de qua cap. 3. *Pugna* est actio *belli*. Sequitur mox in v. 2. *pugnatis et bellatis*. Chiasmus inversus. καὶ μάχαι ἐν ὑμῖν· sed ἐν ὑμῖν, καὶ πόθεν μάχαι Alex. in ed *Ox.* min. nam verborum ordinem *Millius*, ut solet, praetermittit. πόθεν ante μάχαι inserunt etiam *L. N.* 1. In hac varietate nescio quid sit memorabile. — ἐντεῦθεν, *hinc*) Refertur ad *voluptates*, de quibus confestim (coll. v. 3.) mentio expressa fit; implicita, c. 3. — στρατευομένων, *quae militant*) Idem verbum, 1 Petr. 2, 11. — μέλεσιν, *membris*) Corpus, prima sedes belli: inde procedit bellum hominis cum homine, regis cum rege, gentis cum gente.

v. 2. ἐπιθυμεῖτε, *concupiscitis*) Anaphora quasi, in qua incrementum est: *concupiscitis*, affectu in rem; *occiditis et zelatis*, actione et affectu singulorum ad singulos; *pugnatis et belligeratis*, actione multorum cum multis. — φονεύετε καὶ ζηλοῦτε, *occiditis et zelatis*) *occiditis* per odia et zelum. est ἓν διὰ δυοῖν. Idem verbum, c. 5, 6. Qui concupiscit, sublatum e medio cupit possessorem pristinum. Homicidas dicit, uti v. 4. adulteros. conf. 1 Joh. 3, 15. Sic, φονεύετε LXX, Ps. 62, 4. תִּרְצְחוּ Haec enim hebraica lectio, media inter ceteras, bene ab Halensibus statuminatur. Atque cum toto hoc Psalmo tota Jacobi epistola quam simillimum tenorem habet. vid. not. ad v. 7. 12. 14. c. 1, 3. 3, 10. vid. etiam Ps. 10, 8. — οὐκ ἔχετε δὲ) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — διὰ, *propter*) Hoc cohaeret cum triplici illa clausula, *et non habetis: et non potestis adipisci: non autem habetis*. — μὴ αἰτεῖσθαι, *quod non petitis*) Neque enim cupidus, homicida, pugnax homo orare potest.

v. 3. καὶ οὐ λαμβάνετε, *et non accipitis*) Hic non dicit: *non habetis*. *Rogare* et *accipere* sunt relata. — αἰτεῖσθε, *petitis*) Nunc alios redarguit, qui paulo meliores videri volunt.

v. 4. μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες, *adulteri et adulterae*) Viri et mulieres tali bello implicantur, et fidem Deo datam frangunt. — ἡ φιλία τοῦ κόσμου, *amicitia hujus mundi*) *mundi* via, *voluptas* v. 3. — ἔχθρα, *inimicitia*) 1 Joh. 2, 15. ἐχθρὰ *Steph. t. Lat.* Hoc praeterii, quia sententiae obest. Opposita sunt enim, ἔχθρα et φιλία. — ὃς ἂν οὖν, *quicunque ergo*) Priori sententiae superadditur quiddam in hac altera per verba *voluerit* et *constituitur*. — ἐχθρὸς, *inimicus*) nil exoraturus. — καθίσταται) Medium. i. e. *se ipsum constituit*.

v. 5. κενῶς) *inaniter*, *sine re*, ut nil referat ad noxam aut ad salutem. Seria sunt, quaecunque Scriptura dicit: omnia verba revereri debemus. — λέγει, *dicit*) non, λαλεῖ, *loquitur*. *dicit* ea, quae sequuntur. — πρὸς φθόνον) *contra invidiam*. Hoc nomen apud LXX nusquam occurrit; nec videtur Jacobus, versu 6. aliud dictum totidem verbis allegans, hic tam multa voluisse mutare. Hinc colligas, ex scriptura N. T. allegationem fieri: nam Novi quoque Testamenti scripta *scripturis* accensentur 2 Petr. 3, 16. Referunt alii ad Gen. 6, 5. 3., vel ad Num. 11, 29., vel ad Prov. 21, 10., vel ad librum quempiam, qui interciderit. Sed sat prope accedunt Jacobi verba ad Gal. 5, 17. ss. ubi φθόνοι *invidiae* ponuntur inter opera carnis, et contra carnem *concupiscere* dicitur *spiritus*, quo qui *ducuntur*, hi non sunt *sub lege, sed sub gratia*. Maxime vero assonant ad 1 Petr. 2, 1. s. 5. *deponentes — INVIDIAS, — lac CONCUPISCITE — DOMUS SPIRITUALIS*. Quodque hic sequitur, *majorem vero dat gratiam*: congruit cum illo, *suavis est Dominus*. ib. v. 3. Qui locum Petri probe habuerit animo impressum, Ja-

ed by Google

cobi respectum ad illum prorsus agnoscet. Neque obest chronologica epistolarum series. Sic Jacobus non solum Petro, sed etiam Paulo subscribit. — φθόνον) *Invidiam* necessario parit amicitia mundi: *invidiam* non fert Spiritus, qui habitationem cepit in nobis. — τὸ πνεῦμα) *Spiritus gratiae* et amoris. — κατῴκησεν) *habitationem cepit.* — ἐν ἡμῖν, *in nobis*) filiis N. T.

v. 6. μείζονα) eo *majorem*, quo longius recesseris ab *invidia*. — δίδωσι, *dat*) Deus. — λέγει, *dicit*) *Scriptura*, v. 5. Confirmat Jacobus auctoritatem Salomonis: quem convenienter allegat, a *sapientiae* impedimentis nos dehortans. — ὁ θεὸς — χάριν) Prov. 3, 34. LXX. Κύριος. cetera iisdem verbis. Plane cum Petro Jacobus congruit. vid. 1. ejusdem ep. c. 5, 5. — ὑπερηφάνοις, *superbis*) Superbia mater *invidiae*, de qua v. 5. Hebr. ללצים *irrisoribus*. tales sunt, qui scripturam *inaniter* loqui putant. — ἀντιτάσσεται, *resistit*) Hebr. יליץ *irridebit*. Humiles ita animati sunt, ut Deo, si fieri posset, ut Ipse cujusquam gratiam requireret, eam praestaturi forent; superbi autem resistere Ei conantur, ut Pharao. utrisque ergo par pro pari refert. superbis resistit; humilibus dat gratiam. — χάριν, *gratiam*) Cui Deus *gratiam* dat, is omnem *invidiam* dediscit.

v. 7. ὑποτάγητε οὖν τῷ θεῷ) LXX, Ps. cit. v. 6., πλὴν τῷ θεῷ ὑποτάγηθι ἡ ψυχή μου. Hoc *submittite vos* congruit cum *humilibus*, v. 6., et interjecta explicatione hujus submissionis concluditur versu 10. coll. 1 Petr. 5, 6. — ἀντίστητε — ἀφ᾽ ὑμῶν, *resistite — a vobis*) Sequitur oppositum: *appropinquate — vobis*. Conf. *resistite*, 1 Petr. 5, 9. — τῷ διαβόλῳ, *diabolo*) superbo, maxime per superbiam tentanti; hosti, cui militant superbia et invidia in mundo. — φεύξεται, *fugiet*) ut superatus. Laetum verbum. 1 Joh. 5, 18.

v. 8. ἐγγίσατε, *appropinquate*) Fugam diaboli sequitur, naturae potius quam temporis ordine, appropinquatio ad Deum, per bonas preces. v. 2. s. — ἐγγιεῖ, *appropinquabit*) ut propitius. Laetissimum verbum. — καθαρίσατε, *mundate*) ut possitis diabolum fugare. — ἁγνίσατε, *purificate*) ut possitis accedere ad Deum, deposito adulterio animae. — δίψυχοι, *duplices animo*) qui et Deo et mundo vos datis. v. 4. Alternat oratio in hac epistola; et modo fratres sancti, modo peccatores, modo fluctuantes compellantur. *Bianimus* laborat *corde;* peccator, etiam *manibus*.

v. 9. ταλαιπωρήσατε, *miseri estote*) ut ablactemini et abalienemini a mundo. Miseria haec beata. non additur hic, *ululantes*, c. 5, 1.

[1]) v. 11. μὴ καταλαλεῖτε, *nolite obtrectare*) Nunc alias notat irrequietae animae excessus, postquam c. 3. quietem, et cap. 4. ineunte turbam descripserat. — τὸν ἀδελφὸν, *fratrem*) Articulus hic additus, ad ἀδελφοῦ non additus. fraterna aequalitas laeditur obtrectando; sed *magis*, judicando. — κρίνει νόμον, *judicat legem*) Proinde enim facit, ac si lex ipsa non faceret illud officium, in quod homo ejusmodi involat. — εἰ δὲ, *si vero*) *si judicas, es judex*. Ploce. — νόμου, *legis*) Ab hoc loco desinit *Legis* expressa in volumine Novi Test. mentio, neque in epp. Petri, Johannis, Judae obvia, neque in Apocalypsi.

v. 12. ὁ νομοθέτης) *Unus est*, nempe *Legislator Deus, qui potest* etc. καὶ κριτὴς addunt *Al. Lat.* aliique testes sat multi et valde graves: sed huic pleniori lectioni receptiorem olim praetuli. Saepenumero negat *Baumg.* me mihi constare. Atqui sententiam in melius mutare, laudabile est: eodem autem tempore me a me ipso dissentire, nusquam evicit. Vid. omnino App. crit. Ed. II. ad h. l. — ὁ δυνάμενος, *qui potest*) Nostrum non est judicare; praesertim cum exequi non *possimus*. — σῶσαι) Ps. cit. v. 2., παρ᾽ αὐτῷ γὰρ τὸ σωτήριόν μου. et sic ibi-

---

1) εἰς κατήφειαν, *in demissionem vultus*] Eadem locutio, quae Germanis dicitur *Kopfhängen*. Conf. 1 Reg. 21, 29. Jes. 58, 5. Mich. 6, 8. Eo nomine qui alios carpunt, ipsi tales sunt vulgo, ut prae aliis *vultum demittere* opus habeant. *V. g.*

dem v. 3. 7. 8. Verborum ordinem invertit *Lat.* et sic Scriptura saepe, *occidere et vivificare, percutere et sanare, contristare et consolari.* Vid. App. crit. Ed. II. — σὺ δὲ) Σὺ soli Graeci, atque hi pauci: quos cel. *Baumgartenius* non conaretur in multitudinem extendere, nisi criticis, codices ad Erasmi textum recensentibus, nimium confideret. Iterum conf. App. crit. Ed. II. ad h. l. In crisi magnopere valet illud, *Defectus non possunt numerari,* Eccl. 1, 15. — τίς, *quis*) imbecillus. — τὸν ἕτερον) Multi ὁ κρίνων τὸν πλησίον· et sic aperte etiam *Syr.* coll. c. 2, 8. Graecum ἕτερος alio verbo, quod *socium,* non *proximum* dicit, interpretari solet. [1])

v. 13. ἄγε νῦν, *age nunc*) Interjectio ad excitandam attentionem. c. 5, 1. — λέγοντες, *dicentes*) categorice, gloriabundi, v. 16. — σήμερον ἢ αὔριον, *hodie aut cras*) Unus dicit, *hodie,* idem aliusve *cras,* ut commodum est; quasi liberam haberet optionem. ἢ αὔριον *Beza;* et ad hanc lectionem accommodata fuit pridem annotatio in Gnomone: postea καὶ αὔριον in progressu criscos praetuli. Vid. App. crit. Ed. II. — πορευσώμεθα κτλ., *proficiscemur etc.*) Subjunctivus facit sermonem modalem, et innuit rationes rerum urgentes. — τήνδε) Hoc ponitur loco nominis proprii, ut ὁ δεῖνα. — καὶ, *et*) *et* frequens. Polysyndeton exprimit libidinem animi securi. — ἐνιαυτὸν ἕνα, *annum unum*) Sic loquuntur, quasi mox etiam de insequentibus annis deliberaturi.

v. 14. οὐκ ἐπίστασθε, *non scitis*) Prov. 3, 28. — τὸ τῆς) Vid. App. crit. — ποία) Ps. cit. v. 10. — ἡ ζωὴ) *vita,* unde crastina actio suspenditur. — ἀτμίς, *vapor*) Diminutivum. — γὰρ, *enim*) Ex interrogatione repetitur particula in responsione, cum vi. — ἔσται, *erit*) Vid. App. crit. Ed. II. In futuro ἔσται verisimilitudinem sensus confirmat τὸ αὔριον *cras,* et totus futuri temporis sermo v. 13. 15.

v. 15. ἀντὶ τοῦ λέγειν ὑμᾶς, *cum dicere vos oporteret*) Ref. ad *dicentes,* v. 13. Latet hic imperativus, *potius sic dicite.* — καὶ, *et*) *Si Dominus voluerit; ET vivemus Et faciemus. et vivemus,* pars apodoseos. nam si esset pars protaseos, *et* non poneretur ante *faciemus.* καὶ ζήσωμεν Latinus expressit *si vixerimus, si* non recte addito, et καὶ subsequente non recte omisso: nam ad apodosin pertinet καὶ ζήσωμεν, i. e. *vivemus;* ut diximus: et gloriabundus homo ita loquitur, ut si in sua potestate haberet 1) speciem actionis, 2) actionem, 3) vitam; quamvis a voluntate Domini pendet 1) vita hominum. 2) actio. 3) actionis species. Iterum conf. App. crit. Ed. II. ad h. l. — ζήσωμεν· ποιήσωμεν) Subjunctivus modestiam sermoni adspergit.

v. 16. καυχᾶσθε ἐν ταῖς ἀλαζονείαις, *gloriamini in arrogantiis*) *Arrogantiae* exprimuntur in illis verbis, *proficiscemur — lucrabimur; gloriatio,* in praesumtione temporis. — πονηρὰ, *mala*) Oppositum, *bonum,* v. 17.

v. 17. εἰδότι, *scienti*) Conclusio praecisa, contumaces sibi relinquens. — μὴ, *non*) Peccatum omissionis.

CAPUT V.

v. 1. Οἱ πλούσιοι, *divites*) [*qui neglexistis per beneficentiam frui divitiis vestris.* v. 2. 3. V. g.] Saepe apud prophetas externae gentes compellantur per apostrophen, cum tamen prophetia non ad illas, sed ad Judaeos perveniret. Sub eadem figura apostolus de divitibus non tam ad divites ipsos, a fide alienos, scribit, quam ad sanctos, ut illorum vim patienter ferant, v. 7. — ταλαιπωρίαις, *miseriis*) Scripta sunt haec paucis annis ante obsidionem Hierosolymorum. — ἐπερχομέναις, *supervenientibus*) de improviso, et celeriter.

---

1) *Itaque et margo* utriusque Ed. *et* Vers. germ. *praefert lectionem* τὸν πλησίον. E. B.

Digitized by Google

v. 2. σέσηπε, *putrefactae sunt*) Notatur tenacitas divitum. — σητόβρωτα] ἱμάτιον σητόβρωτον. Job. 13, 28.

v. 3. ὁ ἰὸς αὐτῶν, *aerugo eorum*) Synecdoche. Etiam divitiarum et vestimentorum situs erit in testimonium captivitatis, qua detentae facultates nemini profuere, sed otiosae jacuere, sine foenore. — ὑμῖν, *vobis*) contra vos. — φάγεται, *comedet*) morte. — σάρκας, *carnes*) vivas. non dicit κρέα. — ὡς πῦρ, *sicut ignis*) Locutio adagialis, de consumtione celeri ac totali; quum rubigo antea fuerit lenta et modica. — ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, *in novissimis diebus*) Thesaurus in posterum solet reponi: vos collegistis sero; non fruemini. Eadem phrasis, 2 Tim. 3, 1. not. Apostolus adventum Domini proponit hic ad terrorem impiorum; ad solatium sanctorum, versu 7. ss.

v. 4. [1]) κράζει, *clamat*) De iis maxime peccatis clamor ascendit ad Deum, de quibus silentium est apud homines [*vel quibus in violentia patet refugium; quo minus luant in his terris.* V. g.]: ut de impudicitia et injustitia. [*Hodie*, ob disciplinae ecclesiasticae *defectum, omnis omnium, quos dicunt, Christianorum vita et conversatio* unum *fere* peccatum clamans *constituit. Qua in re non facinorosorum duntaxat, sed eorum quoque culpa est, qui, cum publica munera gerant, nimis in agendo frigidi sunt atque inertes.* V. g.] Eum clamorem et *merces negata* et *operarii* emittunt. Duplex clamor. — εἰσεληλύθασιν, *introierunt*) Metonymia antecedentis. id est, nunc venit ultor Dominus.

v. 5. ἐτρυφήσατε, *deliciati estis*) deliciis speciosis, quas ex illa ipsa *mercede* aluistis. — ἐπὶ τῆς γῆς) *super terra*, nunc vastanda. — καὶ ἐσπαταλήσατε, *et luxuriati estis*) luxu sordido et insano, vosque consumente. τρυφὴ parit σπατάλην· et σπατάλη affine τῇ σφαγῇ. Mixtim describit Jacobus divitum voluptatem et immanitatem, uti gradationi congruit. — ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς, *ut in die mactationis*) Adagium. *mactatio* hic innuitur non divitum, sed boum, ovium etc. ad epulas. *Aethiops* omittit: *Millius* omissionem approbat: me qui approbationem illam non confutarim, cel. *Baumgartenius* reprehendit. Atqui talia satis confutavi in Appar. p. 443. [*Ed.* II. *p.* 78.]

v. 6. κατεδικάσατε, ἐφονεύσατε, *condemnastis, occidistis*) Asyndeton, celeritatem exprimens. Denuo conf. App. crit. Ed. II. ad h. l.

Gratiam habeo ven. *Baumgartenio:* nam dum nullam lectionem memorata digniorem a me omissam profert, plenitudinem delectus mei egregie confirmat. — τὸν δίκαιον, *Justum*) Distributiva significatio in singulari numero locum invenit, denotans quemlibet justum, ut quemque nanciscuntur improbi: maxime vero Christum ipsum, *Justum*, Act. 3, 14., a Judaeis et gentibus occisum; et deinceps Jacobum, haec scribentem, ab Hebraeis *Justum* cognominatum, cujus supplicium hic divinitus praesignificetur. Congruit praesens, *non resistit vobis.* quo commate subsequente per asyndeton simul innuitur, ipsa Justi patientia impios sese ad caedem acuere. conf. Sap. 2, 10—20.

v. 7. οὖν, *igitur*) quicquid interim faciant improbi. — παρουσίας, *adventum*) v. 8. 9. 12. — τοῦ κυρίου, *Domini*) Jesu Christi. — ἐκδέχεται, *exspectat*) exspectando assequitur, in messe. יקצר *metet*, LXX, ἐκδέξεται. Hos. 8, 7. — τίμιον, *pretiosum*) operae et patientiae pretium. — ἕως, *usque*) Constr. cum *patienter ferens.* Non prius desinit. — ἂν] Vid. App. crit. — λάβῃ] *acceperit*, coelitus. — πρώϊμον] post satum. — ὄψιμον] cui messis proxima.

v. 8. ἡ παρουσία, *adventus*) qui item afferet pretiosum fructum. — ἤγγικε,

---

1) τῶν ἀμησάντων, *qui demessuere*] Dignum consideratu est, quod, cum tanta sit injustitiae varietas (Job. 22, 6—9. 24, 2—12. 31, 7. 13.), ea solo memoratur h. l., quae in *messe* committitur. *V. g.*

Digitized by Google

appropinquavit) Vere hoc dixerunt apostoli; tametsi tempora interveniunt illa, de quibus 2 Thess. 2., et in Apoc. Conf. not. ad Act. 2, 39.

v. 9. μὴ στενάζετε, *ne ingemiscite*) per impatientiam. — ἵνα μὴ κριθῆτε, *ut ne judicemini*) Judice veniente. Suspiria nocent et iis, a quibus, et iis, contra quos mittuntur. Vid. App. crit. Ed. II. — ὁ κριτὴς, *Judex*) Christus is est: in cujus officium involant, qui perperam suspirant, et judicii tempus antevertunt. Si cel. *Baumgartenius* ullo vestigio docuerit, articulum *Stephano* non fuisse lectum, negabo, articulum, ineunte linea, per sphalma excidisse. — θυρῶν, *fores*) Summa propinquitas. Matth. 24, 33. — ἕστηκεν, *stitit se*) stat, semper audiens omnia.

v. 10. ἀδελφοί μου, τῆς κακοπαθείας) Lectionis hujus vindicias habet App. crit. Ed. II. ad h. h. — τῆς κακοπαθείας, *tolerantiae malorum*) ne quid novi vobis accidisse putetis. Verbum κακοπαθεῖ extat v. 13. — τοὺς προφήτας, *prophetas*) singulariter suo tempore pressos, inde beatos. Matth. 5, 12. — ἐλάλησαν, *loculi sunt*) Innuitur, quanta fuerit et injuria mundi, et patientia prophetarum. — τῷ ὀνόματι, *nomine*) Innuitur obedientia prophetarum in celebrando nomine Domini. ἐν subauditur, uti Matth. 7, 22. LXX Lev. 19, 12.

v. 11. ἰδοὺ) Vid. App. ad h. l. — τοὺς ὑπομείναντας, *eos qui perpessi sunt*) prae iis, qui molliter vixerunt. Pondus codicibus, qui hic ὑπομείναντας habent, addunt *Al.* et *Euthal.* — ὑπομονὴν, *patientiam*) Redit ad prima Jacobus, coll. c. 1, 3. not. סבלות LXX, ὑπομονὴ, apud ipsum Jobum, c. 14, 19. Hic notat constantiam fine sperato potitam. — τὸ τέλος Κυρίου) *exitum*, quem *Dominus* Jobo dedit. — εἴδετε, *vidistis*) Idem usus verbi, de re olim facta, Hebr. 3, 19. *Patientia* et *exitus* congruunt. c. 1, 4. Matth. 24, 13. Non reticuit Jacobus patientiae Jobeae exitum. — ὅτι, *quoniam*) Hoc pendet a verbis proximis. Est oratio continuata. Bis memoratur *patientia;* bis, *Dominus* [1]). Sir. 2, 12., οἰκτίρμων καὶ ἐλεήμων, μακρόθυμος καὶ πολυέλεος. — πολύσπλαγχνος) *patienti* non ultra vires injungit. — οἰκτίρμων) clementer dat *exitum* beatum. Chiasmus. οἰκτίρμων, ab εἴκω, *cedo*, notat tenerum affectum etiam citra respectum calamitatis vel miseriae, ut David ad Dominum dicit ארחמך Ps. 18, 2.

v. 12. μὴ ὀμνύετε, *ne jurate*) v. gr. per impatientiam. Opponitur linguae in adversis usus versu 13. — μήτε τὸν οὐρανὸν, *neque per coelum*) Matth. 5, 34. s. — ὑμῶν τὸ ναὶ, ναὶ, *vestrum etiam, etiam*) Vestrum *etiam*, quod est in re, sit pariter *etiam* in sermone. — ὑπὸ κρίσιν, *sub judicium*) Conf. v. 9. *Hoc totius*, inquam in Apparatu, *epistolae tenori congruit*. Apud *Baumgartenium*, pro *Hoc*, irrepsit *Nec*. id quod moneo, ne secum pugnare videatur.

v. 13. προσευχέσθω· ψαλλέτω, *oret : psallat*) Licet etiam psallere in adversis, et orare in secundis: sed plerumque animus in adversis minus fert τὸ *psallere:* et quod fert animus, id magis fieri debet. Faciebant id maxime publice in coetu fidelium; ut docet antitheton, *adrocet*, de aegroto; v. 14.

v. 14. πρεσβυτέρους, *presbyteros*) qui dum orant, non multo minus est, quam si tota oraret *ecclesia*. — ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ, *ungentes eum oleo*) Quod Christus apostolis commiserat, Marc. 6, 13., id deinceps in ecclesia continuatum est, etiam post apostolorum tempora: atque hoc ipsum charisma, maxime simplex, conspicuum et salutare, ex omnibus unum diutissime duravit. Exemplum vide in *Macarii* Op. p. 272. Testimoniumque illustre habet Ephraim Syrus συμβουλ. οστ. Ἐὰν οἰκονομίαν πληρῶν ἀλείφῃς ἐλαίῳ τὸν κάμνοντα κτλ. Imo divinitus eo consilio datum fuisse videtur, ut semper maneret in ecclesia, tanquam specimen ceterorum: sicut portio Mannae fuit specimen miraculi anti-

1) *Quanquam repetitio vocis* Κύριος, *per marginem* utriusque Ed. *et per* Vers. germ. *ad lectiones dubias refertur.* E. B.

Digitized by Google

qui. certe *presbyteris,* ministris ordinariis, Jacobus administrationem hujus olei adscribit. Erat haec ecclesiae summa Facultas Medica, ut Juridicam ejusdem habemus 1 Cor. 6. Beata simplicitas! intermissa vel amissa per ἀπιστίαν. Nam quod ecclesia Latina *unctionem extremam*, Graeca εὐχέλαιον habent; multo minorem huic μυστηρίῳ sive sacramento, ut illae appellant, efficaciam ad sanitatem corporis, experientia cogente, tribuunt, quam ritui apostolico Jacobus. Nervose Whitakerus contra Duraeum: *Oleo utantur, qui possunt aegrotis sanitatem precibus impetrare: qui non possunt, abstineant inani symbolo.* Unus enim illius *unctionis* scopus initio erat miraculosa sanatio: qua deficiente non est nisi *inane symbolum.* Sed *impositio manuum* etiam pius externus ritus est, licet Spiritum S. non actu conferat. Neque enim, etiam initio, hoc semper et uno scopo adhibita fuit. — ἐν, *in*) Hoc non certe minus cum verbo *orent,* quam cum participio *ungentes* cohaeret: unde sequitur, *oratio fidei.* — τοῦ κυρίου, *Domini*) Jesu Christi.

v. 15. ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως, *oratio fidei*) [*Non*, oleum, *inquit*. V. g.] Ubi aliquot fideles orant, tota vis fidei per totum corpus ecclesiae diffusa agitatur. Jacobus, si quis eum diceret remissionem peccatorum tribuisse operibus, magnam sibi injuriam fieri questurus esset. — κἂν, *etsi*) Potest aliquis aegrotare, etiamsi non admiserit peccata. — ἀφεθήσεται, *remittetur*) τὸ *admisisse peccata.*

v. 16. ἐξομολογεῖσθε, *confitemini*) Aegrotus et quisquis offendit, jubetur confiteri; offensus, orare. confitenda, quae maxime premunt: cui fit confessio, scit magis, quomodo orare debeat, et magis commovetur. — ἀλλήλοις, *invicem*) Confessio cuilibet fieri potest, qui orare potest. — ὅπως ἰαθῆτε, *ut sanemini*) Grassabantur ergo morbi. — πολὺ, *multum*) etiam ad sanitatem restituendam. — ἰσχύει, *valet*) etiam pro altero. — δικαίου, *justi*) qui ipse non haeret in lapsu aliquo. — ἐνεργουμένη, *efficaciam habens*) *Efficaciam* sequitur exauditio; ex hac *valet* precatio. Itaque *tria* sunt: 1) *efficacia* precum. 2) *exauditio.* 3) τὸ ἰσχύειν, *valere.* Hoc sequitur demum ex duobus prioribus. Primum est internum in animo precantis: tertium producit etiam effectus ad extra.

v. 17. ἦλίας, *Elias*) Omnis effectus precum est supernaturalis, et eatenus miraculosus, quanquam foris non sic apparet. — ὁμοιοπαθὴς, *similiter affectus*) Idem verbum Act. 14, 15. eadem πάθη, eosdem *affectus* habens animi et corporis, in quos non videretur cadere tanta ἐνέργεια *efficacia.* — προσευχῇ προσηύξατο, *oratione oravit*) vigente idololatria Baalitica, mera at seria utebatur precatione; nullis aliis adjumentis usus ad hoc apotelesma producendum. Ipsa phrasis hebraea, ubi verbum et substantivum vel quasi substantivum junguntur, semper aliquid vehemens notat: ex gr. *moriendo morieris,* ita morieris, ut mors appellari digna sit.

v. 18. πάλιν προσηύξατο, *rursum oravit*) abolita idololatria. Gestus orantis, 1 Reg. 18, 42. — καὶ ἡ γῆ, *et terra*) καὶ *atque ita.* — αὐτῆς, *suum*) quem paullo ante dare non potuerat.

v. 19. ἀδελφοὶ, *fratres*) Jacobus, multitudinem verborum, Spiritu ipsum agente, vitans, finem facit. Ego, inquit, hac epistola salutem vestram quaero: quaerat quilibet coram salutem alterius. conf. Hebr. 13, 22. — τὶς, τὶς, *aliquis, aliquis*) *Quilibet cujuslibet* salutem debet quaerere. — πλανηθῇ, *seductus fuerit*) per peccatum. — τὶς, *aliquis*) quisquis erit, hujus praeda illa erit. Apta conclusio epistolae.

v. 20. γινωσκέτω) *scito,* et convertens, ut sit studiosior; et conversus, ut gratus obsequatur. — σώσει, *salvabit*) Futurum. olim constabit. — ψυχὴν αὐτοῦ, *animam ejus*) peccatoris. Magnum opus. — ἐκ θανάτου, *ex morte*) errantes haustura. Connexio: non solum in corporis *morbis* v. 14. invicem succurrite; sed etiam animae *mortem* depellite. — καλύψει) *teget,* illo ipso *amore* impulsus,

ed Google

quo ductus errantem revocavit. 1 Petr. 4, 8. not. — πλῆθος ἁμαρτιῶν, *multitudinem peccatorum*) peccata, quae errans vel commiserat, convertenti nota, vel commissurus fuerat. [*Itemque, quae a converlente aliisve vel commissa fuerant vel porro committi potuissent.* V. g.] *Peccatorum ejus* Steph. Aethiop. Cur *Steph.* apud cel. Baumgartenium inseratur, nescio. Conclusionem facit Jacobus, non ut epistolae, sed ut libri cujuspiam.

IN EPISTOLAM PETRI PRIOREM.

CAPUT I.

v. 1. Πέτρος, *Petrus*) Mirabilis est gravitas et alacritas Petrini sermonis, lectorem suavissime retinens. Utriusque Epistolae scopus est, *suscitare, per admonitionem, sinceram mentem* fidelium, 2 Petr. 3, 1., et munire non modo contra errorem, sed etiam contra dubitationem. c. 5, 12. Id agit per commemorationem gratiae evangelicae, qua delibuti fideles inflammantur ad ferendos fidei, spei, amoris, patientiae fructus, in omni functione et afflictione. Prioris epistolae partes sunt tres.

I. Inscriptio. Cap. I. 1. 2.
II. Excitatio sinceri sensus. Excitat autem electos
  a) tanquam Renatos ex Deo. Hic tam beneficia DEI erga fideles, quam officia fidelium erga Deum commemorat, et alternatim ea contexit, per tria momenta, quibus ex mysterio CHRISTI robur additur.
    A) Deus nos regeneravit ad SPEM vivam, ad hereditatem gloriae et salutis: v. 3—12. Propterea SPERATE perfecte. v. 13.
    B) ut filii obedientiae, sancto Patri fructum FIDEI ferte. v. 14—21.
    C) per Spiritum MUNDATI, PURO corde AMATE, sine vitio. v. 22. — c. II. 10.
  b) tanquam Peregrinos in mundo: ut ABSTINEANT a carnalibus cupiditatibus, v. 11., et fungantur
    A) CONVERSATIONE bona: v. 12.
      1) speciatim,
        1. subditi, v. 13—17.
        2. servi, exemplo Christi: v. 18—25.
        3. uxores, c. III. 1—6.
        4. mariti, v. 7.
      2) generatim, omnes. v. 8—15.
    B) PROFESSIONE bona:
      1. per apologiam, et per mali sodalitii fugam. v. 15 — 22. c. IV, 1—6. (Huic parti vim addit totus Christi cursus, a passione ad judicium.)
      2. per virtutes et bonam charismatum administrationem. v. 7—11.
  c) tanquam Consortes gloriae futurae: ut SUSTINEANT adversa. Id faciat quisque
      1. in universo statu Christianismi. v. 12—19.
      2. in suo seorsum statu. c. V. 1—11.

  (A prima parte secundam, et a secunda tertiam dirimit titulus ἀγαπητοὶ, *dilecti*, bis adhibitus. c. 2, 11. 4, 12. Status, *presbyterorum* etiam spectatur ut status aerumnosus in hac vita, ex quo prospectus esse debeat salutaris ad *gloriam*, c. 5, 1. 4. atque τὸ *subjicimini*, c. 5, 5. tamen etiam passionem infert et *sustinentiam*, et videtur haec praecise ratio esse, cur hos duos status c. 5, 1—11. separet apostolus ab iis statibus, de quibus cap. 2, 12. ss.)
III. Conclusio. v. 12—14.

— ἐκλεκτοῖς, *electis*) in coelo. *electis*, ex toto populo, ex humano genere. Hoc, et versum 5., confer cum Matth. 24, 24. — παρεπιδήμοις, *advenis*) in terra. [*patriae coelestis respectu.* V. g.] — διασπορᾶς πόντου, *dispersionis Ponti*) Judaeos

Digitized by Google

dispersos compellat: Jac. 1, 1.: quanquam subinde etiam fideles ex gentibus, illis admixtos, alloquitur. c. 2, 10. not. 4, 3. Quinque provincias nominat eo ordine, quo occurrebant scribenti ex oriente. c. 5, 13. Memoratur *Cappadocia, Pontus et Asia*, Act. 2, 9. Epistolae Petri olim ante epistolas Johannis, Jacobi et Judae ponebantur: atque inde omnes videntur *Catholicae* dictae, quia id nomen primae earum inprimis convenit. Utrum in Pontum Petrus epistolam primum, an Hierosolyma, ubi confluxerint, miserit, non constat.

v. 2. κατὰ πρόγνωσιν, *secundum praescientiam*) Constr. cum *electis*. Laudatur etiam *praescientia*, v. 20. Complectitur etiam voluntatem et amorem. — θεοῦ, *Dei*) Mysterium Trinitatis, et oeconomia salutis nostrae innuitur hoc versu, atque adeo summa epistolae. [*Agitur deinceps de Patre* v. 3. 15. 17. 21. 23.: *de Christo* v. 3. 7. 11. 13. 19. 2, 3.: *de Spiritu* v. 11. 12. 22. V. g.] — πατρὸς, *Patris*) etiam nostri. — ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, *in sanctificatione Spiritus*) 2 Thess. 2, 13. not. — εἰς ὑπακοήν, *in obedientiam*) *Obedientia* innuitur ea, quae praestatur per fidem v. 22. not. certe *sanctificationem Spiritus* et *fidem* jungit Paulus l. c. Observa etiam particulas κατὰ, ἐν, εἰς· quibus habitus trium beneficiorum cardinalium ad electionem et mutuus ipsorum ordo (coll. Ap. 1, 4. 5. 6.) indigitatur. — καὶ ῥαντισμὸν, *et aspersionem*) Obedientes illi asperguntur, ad remissionem peccatorum. 1 Joh. 1, 7. Est autem hic *aspersio* passiva, qua *obedienter* admittitur aspersio. De *obedientia* iterum vide v. 14.: de *sanguine* aspersionis, v. 19. — πληθυνθείη, *multiplicetur*) Plus ultra. Idem verbum, 2 Petr. 1, 2. Sic Dan. 3, 31., εἰρήνη ὑμῖν πληθυνθείη.

v. 3. εὐλογητὸς, *benedictus*) Sententia: Deus nos regeneravit. Accedit modus sive gratiarum actio. — πατὴρ, *Pater*) Tota haec epistola valde congruit cum *oratione Dominica*, maxime autem cum prioribus ejus articulis. Conferantur inter se sententiae, ordine suo:

Pater:	c. 1, 3. 14. 17. 23. 2, 2.
noster:	c. 1, 4. fin.
in coelis.	ibid.
Sanctificetur nomen tuum:	c. 1, 15. 16. 3, 15.
Adveniat regnum tuum:	c. 2, 9.
Fiat voluntas tua.	c. 2, 15. 3, 17. 4, 2. 19.
Panem quotidianum.	c. 5, 7.
Remissio peccatorum.	c. 4, 8. 1.
Tentatio.	c. 4, 12.
Liberatio.	c. 4, 18.

Atque ad preces ipsas multa expresse refert Petrus. c. 3, 7. 4, 7. — κατὰ — ἔλεος, *secundum misericordiam*) Fueramus miseri. Eph. 2, 1. s. — ἀναγεννήσας, *qui regeneravit*) v. 23. c. 2, 2. [*Ab hoc inde loco usque ad* c. 2, 10. *commemorat Petrus, quae nostro commodo DEUS fecerit; atque ex ea salutis penu efficacissima monita derivat ad spem*, v. 3—13.; *ad sanctificationem et timorem in fide*, v. 14—21.; *ad amorem*, v. 22 — c. 2, 10.; *suavissime doctrinam de Christo subingerens*. V. g.] — εἰς, *in*) Insignis anaphora: *in spem, in hereditatem, in salutem*. — εἰς ἐλπίδα ζῶσαν, *in spem vivam*) *Spes* haec est hereditas coelestis, v. 4.: et dicitur *viva*, quia ex resurrectione Christi efflorescit. Amat Petrus epitheton *virus*, v. 28. c. 2, 4. s. et mentionem *spei*, v. 13. 21. c. 3, 5. 15. Conf. epitheta v. seq. Spei autem jungit fidem et amorem. v. 8. 21. 22. — δι' ἀναστάσεως, *per resurrectionem*) Hoc pendet a *vivam*, coll. v. 21.

v. 4. κληρονομίαν, *hereditatem*) Filii, regeniti, sunt heredes. De *hereditate* etiam c. 3, 7. 9. — ἄφθαρτον, *incorruptibilem*) Est enim hereditas *divina*. — ἀμίαντον, *incontaminatam*) Nullus enim impurus e *proximis* est coheres. — ἀμάραντον, *marcoris expertem*) Nam heredes ipsi non μαραίνονται, non moriun-

Digitized by Google

tur. Amat Petrus synonyma cumulata. v. 7. 8. 19. c. 5, 10. — τετηρημένην, *servatam*) ab initio. Conf. v. 10. Idem verbum, Joh. 17, 12. Conf. ibid. c. 2, 10. — ἐν οὐρανοῖς, *in coelis*) penes Deum. — εἰς ὑμᾶς, *in vos*) hoc tempore viventes.

v. 5. ἐν δυνάμει θεοῦ, *in virtute Dei*) Ipse facit et faciet plane. c. 5, 10. coll. 2 Petr. 1, 3. [1 Thess. 5, 24. Matth. 19, 26. *Hac tutela destituti qui persisteremus coram adversario?* 1 Petr. 5, 8. V. g.] Nemo potest sibi proponere, qua ratione velit ad metam pervenire. Salutem nobis praestat contra hostes potentia Dei; contra nos ipsos, longanimitas Domini. 2 Petr. 3, 15. Exemplo sunt apostoli ipsi. — φρουρουμένους, *qui custodimini*) Hereditas *servata* est: heredes *custodiuntur*. Neque illa his, neque hi deerunt illi. *Corroboratio* insignis, 2 Petr. 3, 17. — διὰ πίστεως, *per fidem*) Per fidem salus et accipitur et retinetur. — ἑτοίμην ἀποκαλυφθῆναι, *paratam ut reveletur*) *Revelatio* fit in die novissimo: ea parari coepta est, quum Christus veniret. — ἀποκαλυφθῆναι, *ut reveletur*) Frequens verbum in hac epistola. v. 7. 12. 13. 4, 13. 5, 1. — ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ, *in tempore ultimo*) Petrus totum tempus ab initio N. T. ad gloriosum Christi adventum pro uno tempore, eoque brevi, in comparatione ad tempora V. T. accipit. conf. not. ad Act. 1, 11. Itaque *in* constr. cum *paratam*.

v. 6. ἐν ᾧ) *qua in re*. — ἀγαλλιᾶσθε, *exultatis*) Praesens. v. 8. Augustinus, *gaudete*. conf. Jac. 1, 2. — ὀλίγον, *paululum*) Id respectu cunctae ecclesiae dicitur. c. 5, 10. coll. c. 4, 7. — εἰ δέον ἐστὶ, *si opus est*) *Si*, affirmandi vim habet. v. 17.

v. 7. δοκίμιον, *probatio*) Id est, *fides vestra*, quae sic *probatur*. nam comparatur cum auro. — πολυτιμότερον, *multo pretiosior*) Epitheton subjecti. — τοῦ ἀπολλυμένου, *quod perit*) Aurum, cum mundo, perit, v. 18.: nec tum juvabit quenquam. Idem participium, Joh. 6, 27. — δὲ, [1]) *sed*) Fides cum auro comparatur, non ut illud perit, *sed* ut per ignem probatur. — εὑρεθῇ, *inveniatur*) Nunc enim non apparet: apparebit autem, quum cetera *peribunt*. — ἔπαινον, *laudem*) verbis. — τιμὴν, *honorem*) rebus. — δόξαν, *gloriam*) judicio. — ἀποκαλύψει, *revelatione*) v. 13.

v. 8. οὐκ εἰδότες ἀγαπᾶτε) *amatis, tametsi non novistis* facie. Paradoxon: nam notitia amorem alias parit. Hoc de amore: idem mox de *fide* Petrus praedicat. *quem* et *in quem*, anaphorae affine asyndeton. — εἰς ὃν, *in quem*) *In* proprie pertinet ad *credentes*, sicut etiam *nunc*. — μὴ ὁρῶντες, *non videntes*) Praesens, i. e. quamvis non videtis eum in gloria adhuc. Apostoli, qui ipsi viderant, fidem suam non tam magnam censuere, quam aliorum. — ἀνεκλαλήτῳ) *ineffabili*, jam nunc. 1 Cor. 2, 9. — καὶ δεδοξασμένῃ, *et glorificato*) Glorificatum est hoc gaudium in se, et glorificatum per testes: conf. v. 10.: ceteroqui ineffabile.

v. 9. κομιζόμενοι, *reportantes*) jam, in praesenti. — τῆς πίστεως, *fidei*) v. 8. — ψυχῶν, *animarum*) *Anima* praecipue salvatur: corpus in resurrectione participat.

v. 10. περὶ ἧς σωτηρίας, *de qua salute*) Magnum argumentum veritatis, prophetarum praedictio et studium. — ἐξεζήτησαν καὶ ἐξηρεύνησαν, *exquisiverunt et perscrutati sunt*) Magna emphasis duorum verborum compositorum. ἐκζητεῖν, *exquirere*, quaerendo assequi: ἐξερευνᾶν, *perscrutari*, scrutando assequi. Simplex verbum, ἐρευνῶντες, *scrutantes* v. 11. Quid quaerendo et scrutando sint assecuti, exprimitur et limitatur versu 12. ἐρευνῶντες, *scrutantes* refertur ad scrutinium primum et principale, de Christo ipso: ἐξεζήτησαν καὶ ἐξηρεύνησαν, *exquisiverunt et perscrutati sunt*, ad scrutinium progrediens, de Christianis. — προφῆται, *prophetae*) cum ceteris justis. Matth. 13, 17. Joh. 8, 56. Articulus hic praetermissus grandem, ut saepe, etiam apud Germanos, facit orationem: nam

---

1) *Valet haec particula ex judicio* Ed. 2. *potius, quam ex crisi* Ed. maj.: *quanquam in* Vers. germ. *non extat*. E. B.

auditorem a determinata indĭviduorum consideratione ad ipsum Genus spectandum traducit. sic v. 12. *angeli*. Gradatio. — εἰς ὑμᾶς) *in vos*, hac aetate viventes. — χάριτος, *gratia*) Gratia N. T. v. 13. *Gratia vera*, c. 5, 12. coll. Joh. 1, 17.

v. 11. εἰς τίνα ἢ ποῖον, *in quod vel quale*) Disjunctiva exprimit ingens prophetarum studium: utrum ipsorum an postero tempore illa essent eventura. v. 12. *Quod* innuit tempus per se, quasi dicas *aeram* suis numeris notatam: *quale* dicit tempus ex eventibus variis noscendum. Dan. 9, 2. — πνεῦμα χριστοῦ) *Spiritus Christi*, testans de Christo. Ap. 19, 10. *Spiritus Dei*, Gen. 1, 2., *Spiritus Messiae* dicitur in *Baal Hatturim*. — τὰ — παθήματα, *passiones*) Hinc *salus*. — τὰ εἰς χριστὸν παθήματα) *passiones in Christum* eventuras. — μετὰ ταῦτα) *post has*, passiones. — δόξας, *glorias*) Plurale. Gloriam resurrectionis: gloriam adscensionis: gloriam judicii novissimi et regni coelestis.

v. 12. οἷς) *quibus*, scrutantibus. — ὅτι) *quod*. — οὐχ ἑαυτοῖς, *non ipsis*) Matth. 13, 17. Ps. 102, 19. Dan. 12, 13. — ἡμῖν, *nobis*) Tempora v. gr. per LXX hebdomadas apud Danielem definita exacte pertingunt ad aetatem Christi in terra et ad fideles tum viventes. id valet, *nobis*. Et *Petro* quidem agente exierunt illae hebdomades. Vid. *Ord. Temp.* p. 366. [*Ed. II.* 314.] — αὐτὰ) *res illas*. nam cum *ministrabant* subauditur *prophetae*, ut patet ex reciproco, *non ipsis*. conf. διακονέω cum accusativo, c. 4, 10. Ad αὐτὰ ref. ἃ et εἰς ἅ. — νῦν) *nunc*. Latine dicitur, *hodie*. — ἐν, *in*) Evangelistae, testes infallibiles. — ἀπ᾽ οὐρανοῦ, *a coelo*) id est, a Deo. — ἐπιθυμοῦσιν, *concupiscunt*) Angelis non tam cito revelatum est, certe non omnibus. *Curiositas* ordinata, non modo prophetica, v. 10., sed etiam angelica virtus. — ἄγγελοι, *angeli*) Incrementum sumit revelatio coelestis. Prophetae, justi, reges, cupiebant videre et audire, quae Christus loquebatur et faciebat: Matth. 13. quae Paracletus de Christo docet, angeli cupiunt inspicere. — παρακύψαι, *inspicere*) Nobis per auditum; angelis per visum, quod majus est, innotuit. 1 Tim. 3, 16. Nos tamen propius attingit. angelorum est, παρακύπτειν· παρὰ, observandum.

v. 13. διὸ, *quapropter*) Adhortatio nunc deducitur ex iis, quae dicta sunt. — ἀναζωσάμενοι, *succincti*) ad colligendas vires. Conf. *excitare*, 2 Petr. 1, 13. — τὰς ὀσφύας, *lumbos*) Similis phrasis, Job. 38, 3. — νήφοντες) *sobrii*. c. 5, 8. — τελείως ἐλπίσατε, *perfecte sperate*) eam spem habete, quae τέλος, *finem*, propositum apprehendat. v. 9. *sperate* repetitur ex v. 3. — φερομένην) *quae praestatur* et exhibetur. Idem verbum, Hebr. 9, 16. Gratia *perfecte* nobis obtigit: ei *perfecte* nostra respondere spes debet. Correlata. — ἐν ἀποκαλύψει, *in revelatione*) Una est revelatio, quae toto Novi Testamenti fit tempore, per epiphaniam Christi utramque. Tit. 2, 11. 13.

v. 14. τέκνα, *filii*) v. 17. init. — ὑπακοῆς, *obedientiae*) ὑπακοή, *obedientia*, praestatur vel *veritati* divinae, v. 22., vel praecepto divino. Haec est fructus fidei; illa est *fides* ipsa. Itaque Petrus *spem* excitat, v. 3. seqq. (ipso *spei* vocabulo adhibito, v. 3. 13.) *fidem*, v. 14. seqq. (ipso *fidei* vocabulo adhibito, v. 21. bis:) *amorem*, expresso, v. 22. sic tamen, ut spei attemperet fidem, v. 7. seqq. et rursus fidei spem, v. 21., et amori fidem. v. 22. c. 2, 6. seq. — μὴ συσχηματιζόμενοι) scil. γενήθητε. v. 15. *ne conformemini*. — ἀγνοίᾳ, *ignorantia*) Status pristinus, ante *vocationem*, etiam apud Judaeos.

v. 15. κατὰ, *secundum*) Summum exemplum. — καλέσαντα, *qui vocavit*) Saepe *vocationem* allegat Petrus. c. 2, 9. 21. 3, 9. 5, 10. 2 Petr. 1, 3. 10. — ἀναστροφῇ, *conversatione*) v. 17. 18.

v. 17. ἐπικαλεῖσθε) *appellatis*, et ex ejus nomine appellamini. — ἀπροσωπολήπτως, *citra respectum personarum*) sive quis sit Hebraeus sive Graecus. — ἀπροσωπολήπτως — ἐν φόβῳ) Conf. 2 Chron. 19, 7. — ἔργον, *opus*) Singularis. Unius hominis, unum est opus, bonum malumve. — ἐν φόβῳ, *in timore*) Spei

oogle

adjungitur timor. utrumque ex eodem fonte. timor prohibet, ne spe excidamus. — παροικίας, *incolatus*) *Advenas* appellat, quia in mundo sunt: c. 2, 11. non tamen sine allusione ad διασπορὰν, *dispersionem* in Asia. v. 1.

v. 18. οὐ φθαρτοῖς, *non corruptibilibus*) v. 23. — ματαίας, *vana*) Vana vivendi ratio, quae, ubi tempus praeteriit, nil reliqui fructus habet. — πατροπαραδότου, *a patribus tradita*) Unus *Pater* imitandus. v. 17. Idem antitheton, Matth. 23, 9. Nimium libenter inhaerent homines in religione vestigiis patrum, Judaei praesertim.

v. 19. τιμίῳ, *pretioso*) Sanguis Christi, *incorruptibilis*. v. 18. — ὡς, *ut*) Aetiologia τοῦ *pretioso*. — ἀμώμου, *sine vitio*) Jesus Christus *in se* non habuit labem. — ἀσπίλου, *sine macula*) Neque *extrinsecus* maculam contraxit.

v. 20. προεγνωσμένου, *praecogniti*) Act. 2, 23. — πρὸ, *ante*) Igitur in Christo omne Dei beneplacitum est. — φανερωθέντος δὲ, *manifestati autem*) *Praescientia* penes solum Deum fuerat. — χρόνων) *temporibus*, mundi.

v. 21. δι' αὐτοῦ, *per ipsum*) *per Christum*, in cujus resuscitatione est argumentum et virtus fidei et spei. — [1]) ὥστε) *ut adeo*. — πίστιν ὑμῶν καὶ ἐλπίδα, *fides vestra et spes*) Haec duo sunt conjunctissima, et tamen differunt, respectu praesentis et futuri. [*Ex resuscitatione Christi derivatur fides; spes, ex glorificatione.* V. g.] — εἰς θεὸν) *in Deum* solum, c. 3, 5., qui Jesum exaltavit nobisque ancoram paravit. Hebr. 6, 19. Rom. 8, 34.; quem, extra Christum, nonnisi timeremus. Nunc liquido credimus et speramus.

v. 22. τὰς ψυχὰς, *animas*) Asyndeton, uti v. 14. s. — ἡγνικότες, *qui mundastis*) qui purificationem animarum vestrarum suscepistis. Hinc mox καθαρᾷ *puro*. τὸ ἁγνίζειν et *castitatem* et reliquam puritatem omnem denotat. vid. LXX. — ὑπακοῇ, *obedientia*) Haec est fides; cui amor jungi solet. nam purificationem tribuit fidei Petrus, Act. 15, 9. — τῆς ἀληθείας, *veritatis*) in Christo revelatae. — διὰ πνεύματος, *per Spiritum*) Spiritus sanctus confert obedientiam illam et puritatem. Conf. c. 1, 2. — εἰς φιλαδελφίαν — ἀγαπήσατε, *in amorem fraternum — amate*) Duo gradus: coll. 2 Petr. 1, 7. Unde quae hic versu 22., et illic versu 5. 6. antecedunt, pari modo inter se conferri possunt. — ἀνυπόκριτον, *non simulatum*) Fluit enim ex veritate. Conf. cap. 2, 1. 2. — ἀγαπήσατε, *amate*) Congruunt noëmata cap. 2, 3. 10. — ἐκτενῶς, *impense*) c. 4, 8.

v. 23. ἀναγεγεννημένοι, *renati*) inde fraternitas. — ἐκ σπορᾶς, *ex sementi*) Verbum Dei, est σπόρος, *semen*: verbum Dei praedicatum, σπορὰ, *sementis*. inde mox non repetitur *ex*, sed *per verbum* dicitur. — ζῶντος καὶ μένοντος, *vivens et manens*) Constr. cum *verbum*, v. 25. Evangelium fert fructus *incorruptibiles*, non opera mortua; quia ipsum est *incorruptibile*. *Verbum vivens*, plenum virtutis: *manens in aeternum*, ab omni corruptione immune.

v. 24. πᾶσα σὰρξ, *omnis caro*) Es. 40, 6—8. *Caro*, i. e. homo, ex veteri generatione. — ὡς χόρτος, *ut foenum*) LXX, ὡς *ut* non habent: [2]) neque αὐτοῦ, *ejus*, mox. — δόξα, *gloria*) sapientia, robur, opes, justitia humana. — ἐξηράνθη, *aruit*) radicitus. — ὁ χόρτος, *foenum*) i. e. *caro*. — ἄνθος, *flos*) i. e. *gloria*. — ἐξέπεσε, *excidit*) in summa parte.

v. 25. Κυρίου] LXX, τοῦ θεοῦ ἡμῶν. — εὐαγγελισθὲν, *evangelizatum*) v. 12. — εἰς ὑμᾶς, *in vos*) quibus inde insita est immortalitas.

CAPUT II.

v. 1. Πᾶσαν κακίαν, *omne vitium*) *omne, omnem, omnes*, notat tria genera. κακίαν, vitium animi, virtuti contrarium. — πάντα δόλον καὶ ὑποκρίσεις καὶ φθόνους,

---

1) πιστεύοντας, *credentes*] manifestationis istius virtute. *V. g.*

2) *Hinc* omissio *voculae h. l. et in margine* Ed. 2. *ut lectio firmior probatur, et observatur in* Vers. Germ. *Simili ratione, mox, lectioni* ἀνθρώπου, *in* Ed. maj. *pluris aestimatae, nunc in margine* Ed. 2. *et* Vers. germ. *praefertur lectio* αὐτῆς. E. B.

Digitized by Google

omnem dolum et simulationes et invidias) in actionibus. *Dolus* nocet, *simulatio* decipit, *invidia* infestat proximum: omnia *amorem* laedunt, de quo c. 1, 22. — πάσας καταλαλιὰς, *omnes obtrectationes*) in sermonibus.

v. 2. ὡς ἀρτιγέννητα, *ut modo genili*) qui nil aliud agunt; tantum appetunt. Denotatur prima aetas ecclesiae N. T. — βρέφη, *infantes*) in quos dolus nullus cadit. — λογικὸν) Dicitur a λόγος, *verbum*. c. 1, 23. *Lac verbi*, est periphrasis *verbi* ipsius. conf. Rom. 12, 1. not. [1]) — ἄδολον, *absque dolo*) Antitheton, *dolum*. v. 1. — γάλα, *lac*) Hoc idem est, quod antea *semen*. c. 1, 23. — ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε εἰς σωτηρίαν) *Regeneramur ad salutem*. c. 1, 3. 5. 9. et *crescimus ad salutem*. h. l. Gravissima monumenta pridem habent, εἰς σωτηρίαν· in recentioribus, unius alteriusve librarii oculo ab εἰς in εἴπερ dilapso, hiatus est admissus. [2]) Erat in mente Petri Psalmus 34., qui versu 9. mox sub ea verba, quae Petrus repetit, σωτηρίαν nobis propinat. γεύσασθε καὶ ἴδετε, ὅτι χρηστὸς ὁ Κύριος. ΜΑΚΑΡΙΟΣ ἀνὴρ, ὃς ἐλπίζει ἐπ᾽ αὐτόν. Primos gustus, de bonitate Domini, uberiora subinde experimenta et beatiora excipiunt.

v. 3. ἐγεύσασθε, *gustastis*) Gustus appetitum ciet. [*Conf. Mal.* 3, 10. V. g.] — ὅτι, *quod*) Ps. 34, 9. Eundem Psalmum citat Petrus cap. seq. — χρηστὸς, *bonus*) ex quo qui renati sunt, similes ei sunt et esse debent. — ὁ Κύριος, *Dominus*) יהוה Christus. v. 4. Ps. 47, 6.

v. 4. ὃν, *quem*) Appositio, *quem*, scil. *Dominum, lapidem*. — προσερχόμενοι, *accedentes*) ultro, per fidem. — λίθον, *Lapidem*) Hunc quomodo spectent et fideles et infideles, declaratur v. 6. 7. Haerebat animo *Petri* cognomen ipsi a Domino datum: hinc varie ad id alludit, non modo *Lapidis* vocabulo, Act. 4, 11., sed etiam frequenti *firmitudinis* mentione. — ζῶντα, *virentem*) *viventem*, a principio, 1 Joh. 1, 1., et resuscitatum ex mortuis, Ap. 1, 18. postquam eum repudiarant *homines*, Judaei et gentes. — ἀποδεδοκιμασμένον, *reprobatum*) praesertim ante mortem. v. 7. not. — ἐκλεκτὸν, *electum*) v. 6.

v. 5. καὶ) *etiam*. — αὐτοὶ) *ipsi*, ejusdem nominis (*lapis*) participes. — λίθοι, *lapides*) Multa nomina, quae Christo competunt in singulari, Christianis tribuuntur in plurali. Christus, Lapis vivus; Christiani, lapides vivi. Ex illo, hi quoque sunt filii, sacerdotes, reges, agni etc. Ex Salomone dicitur Sulammitis. — ζῶντες, *virentes*) Tales, vivi lapides, possunt simul et domus esse et sacerdotium. — οἰκοδομεῖσθε, *aedificamini*) Indicativus, uti Eph. 2, 22. — οἶκος) *domus*, templum. — ἱεράτευμα, *sacerdotium*) multitudo sacerdotum. Hoc declaratur mox, et (praemisso contrario, v. 8.) v. 9. 10. — ἅγιον) *sanctum*, Dei. — θυσίας, *hostias*) laudis. v. 9. — εὐπροσδέκτους) Es. 56, 7., αἱ θυσίαι αὐτῶν ἔσονται δεκταὶ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριόν μου. — διὰ, *per*) Christus et ipse *pretiosus* est, et nos acceptos facit. est enim altare. vid. Es. l. c.

v. 6. περιέχει, *habetur*) Verbum impersonale h. l. — ἰδοὺ, *ecce*) Vid. Rom. 9, 33. not. — ἐκλεκτὸν, ἔντιμον, *electum, pretiosum*) *Electum* proprie pertinet ad *lapidem*; *pretiosum*, ad *summum angularem* Hebr. אבן *lapidem* בחן פנת יקרת מוסד מוסד *explorationis*, lapidem *anguli pretiositatis fundatissimi*. *Electum* dicitur etiam de credentibus, v. 9. Ex *pretiosum* ducitur *pretium*, v. 7. — ὁ πιστεύων, *credens*) Inde ducitur *credentibus*. v. 7. — οὐ μὴ καταισχυνθῇ, *non pudefiet*) Christi pretiositatem sentiet in se, credentem, redundare.

v. 7. ἡ τιμὴ, *pretium*) scil. ἐστὶν, *extat*, constat, i. e. penes vos pretiosus est. ἡ *illud* refertur ad *pretiosum* v. 6. not. Abstractum, *pretium*, dicit rationem, sub qua fideles Christum intueantur. — λίθον — γωνίας, *lapidem — anguli*)

---

1) *Ibi scil. ratio redditur, cur voc.* λογικὸν *non eodem prorsus h. l. significatu sumendum esse auctor censeat. Attamen et hic in* Vers. germ. *retinuit voc.* vernünftig. E. B.

2) *Pleniorem itaque lectionem confidentius margo* Ed. 2., *quam* Ed. maj., *tuetur, eandemque exhibet* Vers. germ. E. B.

ed by Google

Vid. Matth. 21, 42. not. Idem dictum citarat Petrus, Act. 4, 11., et hoc loco citat aptissime. Λίθον κτλ. Syrus interpres, Graecusve librarius, illo superior, a λίθον ad λίθος delapsus, intermedia verba, ut fit, praetermisit. Atqui ea plane ad rem pertinent. Citat Petrus v. 6. et 7. Dicta tria, primum ex Esaja, secundum ex Psalmis, tertium ex Esaja iterum. Ad tertium alludit versu 8., sed ad secundum et primum versu 4., jam tum mente utrumque agitans, allusit. Itaque verba ἀποδεδοκιμασμένον et ἀπεδοκίμασαν v. 4. 7. inter se respiciunt. Dativus ἀπειθοῦσι, uti modo ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν, congruit cum Hebraico ל praefixo, hoc sensu, *quod ad non credentes attinet;* et huic Dativo reliqua pars hujus versiculi cohaeret, facilisque est constructio: ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας καὶ λίθος προσκόμματος κτλ. duorum Dictorum consociatione disparitatem casus obliqui et recti molliente, εἰς κεφαλὴν — λίθος. Dupliciter congruit dictum Psalmi. nam I) qui lapidem ἀπεδοκίμασαν, sane ἀπειθοῦντες erant. II) Iidem, dum lapidem reprobarunt, operam vel inscii eo contulerunt, ut fieret κεφαλὴ γωνίας· nec jam id possunt prohibere, quamvis ringantur: et caput anguli Eum esse, magno suo malo experientur. Matth. 21, 44. — κεφαλὴν, *caput*) Christus est *caput anguli* proprie respectu credentium, qui ei superstruuntur; infideles tamen alio modo experiuntur.

v. 8. οἳ προσκόπτουσι, τῷ λόγῳ ἀπειθοῦντες, *qui offendunt, verbo non credentes*) Diversa fidelium et infidelium de Christo judicia exposuit v. 7. nunc ipsam fidelium et infidelium differentiam exponit. Multi construunt, προσκόπτουσι τῷ λόγῳ· sed προσκόπτουσι, absolute positum, (uti Joh. 11, 9.) ex Esajano vocabulo προσκόμματος deducitur, subsequente declaratione, τῷ λόγῳ ἀπειθοῦντες, uti c. 4, 17., τί τὸ τέλος τῶν ἀπειθούντων τῷ τοῦ θεοῦ εὐαγγελίῳ; et plane c. 3, 1., εἴ τινες ἀπειθοῦσι τῷ λόγῳ. In verbo evangelii panditur *pretium* Christi. qui verbo non credunt, Christum spernunt et in illo offendunt. — εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν, *in quod etiam positi sunt*) *quod* refertur ad *offendunt*. qui non credunt, offendunt: qui offendunt, in offensionem etiam ponuntur. Hoc *poni* sequitur infidelitatem et offensionem, ut particula quoque intensiva, *etiam*, et ordo commatis hujus postremo collocati innuit. Sed tamen *offendunt* praesens est, *positi sunt* praeteriti vim habet; quo innuitur, infideles justissimo divino judicio indies magis magisque offendere. *positi sunt* respondet τῷ *pono*, v. 6., sed cum differentia. nam Deus Christum et electos active dicitur *ponere*: infideles dicuntur *poni*, passive. Conf. Rom. 9, 22. not.

v. 9. ὑμεῖς δὲ, *vos vero*) scil. *estis*. Post mentionem rei tristissimae solatur pios: uti 2 Thess. 2, 13. — γένος — εἰς περιποίησιν, *genus — in proprietatem*) Bis duo elogia eximia, fidelium respectum innuentia, ut erga Patrem et erga Deum. Es. 43, 20. 21. LXX, — τὸ γένος μου τὸ ἐκλεκτόν· λαόν μου ὃν περιεποιησάμην, τὰς ἀρετάς μου διηγεῖσθαι. Ex. 19, 5. 6., λαὸς περιούσιος ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν βασίλειον ἱεράτευμα, καὶ ἔθνος ἅγιον. περὶ in compositione saepe dicit *superstes quiddam*, ut περιγίνεσθαι, vincere, hoste submoto. περιποιεῖσθαι, reservare aliquid, cum cetera omittas. περιβιοῦν, non interficere: περιόντες שרידים superstites. Job. 27, 15. Itaque pro סגלה LXX περιούσιος, Exod. l. c. etc. περιουσιασμὸς et περιποίησις. Malach. 3, 17. Non addit Petrus ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν, *ob omnibus gentibus:* quia etiam gentes hoc titulo ornat, v. 10. — ἐκλεκτὸν) *electum*, eximium. — βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸς εἰς περιποίησιν, *regale sacerdotium, gens sancta, populus in proprietatem*) *Regnum Sacerdotum* in Hebraeo dicitur. Deus est Rex: ejus sacerdotes sunt fideles. Ap. 1, 6. conf. 2 Sam. 8, 18. cum 1 Chron. 19, (c. 18.) 17. *Gens sancta*, Dei propria. περιποίησις in abstracto idem est, quod apud LXX περιούσιος in concreto. conf. Eph. 1, 14. not. — τὰς ἀρετὰς) *virtutes:* gloriam admirabilem, h. v., misericordiam, v. seq., bonitatem, v. 3. [*Conf. Num.* 14, 17. V. g.] Vocabulo ἀρετὴ semel utitur

Digitized by Google

Paulus, Phil. 4, 8., de piis: Petrus, hoc uno hujus epistolae loco, de Deo; in altera, c. 1, 3., iterum de Deo; ibid. v. 5. de fidelibus. Hebr. תהלתי l. c. quod verbum LXX etiam ejusdem prophetae capite 42, 8. 12. 63, 7. per ἀρετὰς reddunt, sicut pro הוד ἀρετὴ ponunt Hab. 3, 3. Zach. 6, 13. Eustathius ad Hom. Od. Σ. ἀρετὴν οὐ μίαν τινὰ λέγει, ἀλλὰ τὸ εὔδαιμον τῆς ζωῆς καὶ μακαριστὸν, ἤ καὶ πᾶσαν δεξιότητα, οὐ μόνον τὴν κατὰ φρένας, ἀλλὰ καὶ τὴν κατὰ ἔργα καὶ οἰκονομίαν καὶ ὅσα τοιαῦτα. et sic ille passim. — ἐξαγγείλητε, *enuncietis*) Sensus: ut agnoscatis et enuncietis. LXX, Es. 42, 12., τὰς ἀρετὰς αὐτοῦ ἐν ταῖς νήσοις ἀπαγγελοῦσι. ἐξ in ἐξαγγείλητε innuit multorum ignorantiam, quibus fideles debent virtutes Dei praedicare. — τοῦ) Dei. 2 Petr. 1, 3. not.

v. 10. οἱ ποτὲ, *qui aliquando*) Vid. Rom. 9, 25. not. et cum *aliquando* conf. mox *eratis*, v. 25. Ex Hosea citatum est quasi aenigma. In Hosea, vi literae, ad Judaeos spectat: nam pro contextu tanquam axioma tantum ad hypothesin applicatur, sed thesis tamen potest in pectore loquentis universalior esse, et ad plura dein applicari. *Vocabo populum meum, qui non erat populus (meus)*: convenit in Judaeos et gentes. Sic cavetur, ne sensus textus videri debeat duplex esse. — οὐ λαὸς, *non populus*) Rom. 10, 19. not. ne populus quidem, nedum Dei populus. Prius hemistichium maxime convenit in gentes; posterius in Judaeos. Conf. de his Tit. 3, 4., et contextum: de illis, Act. 15, 14.

v. 11. ἀγαπητοὶ, *dilecti*) Hortatio amica et propensa. — παρακαλῶ, *hortor*) Sic c. 5, 1. [*Magna adhortatio, cujus prior pars incipit hic: altera, c.* 3, 15. *medio. Utraque pars habet*, ἵνα ἐν ᾧ κτλ. Not. crit.] — παροίκους καὶ παρεπιδήμους, *advenas et peregrinos*) Gradatio, non tantum, ut in aliena *domo*, sed etiam ut in aliena *civitate* estis, vos, ex Judaeis et gentibus credentes. Causa, cur *abstinendum* sit. Lev. 25, 23., προσήλυτοι καὶ πάροικοι ὑμεῖς ἐστε ἐναντίον ἐμοῦ. Ps. 39, 13., ὅτι πάροικος ἐγώ εἰμι παρὰ σοὶ καὶ παρεπίδημος, καθὼς πάντες οἱ πατέρες μου. Conf. Hebr. 11, 13. not. — ἀπέχεσθε, *abstinete*) Imperativus, uti cap. 5, 1. seq. *hortor — pascite*. Sic cohaeret *habentes* etc. v. seq. et cap. 3, 7. 8. 9. atque ipsum *parati*. ibid. v. 15. — σαρκικῶν, *carnalibus*) 2 Petr. 2, 10. 18. — στρατεύονται, *militant*) Non modo impediunt, sed oppugnant. Grande verbum.

v. 12. τὴν ἀναστροφὴν, *conversationem*) Duo sunt, in quibus advenae et peregrini debent se rite praestare: *Conversatio*, quae praescribitur pulcra subditis, v. 13.; servis, v. 18.; mulieribus, cap. 3, 1.; viris, ibid. v. 7., omnibus, ibid. v. 8.: et *Confessio*, ib. v. 15. med. et 16., qui locus hunc locum aperte respicit. Uterque locus ducitur ex *voluntate* Dei. c. 2, 15. 3, 17. — καταλαλοῦσιν, *obtrectant*) Id jam tum frequens erat. v. 15. c. 3, 16. 4, 4. 14. — ὡς κακοποιῶν, *tanquam maleficis*) quasi potestatibus magistratibusque et honestis legibus non pareatis. v. seqq. — ἐκ, *ex*) Constr. cum *glorificent*. — καλῶν ἔργων, *bonis operibus*) Inde, *benefacientes*. v. 14. 15. Ea est vera *subjectio*. — ἐποπτεύσαντες, *inspectantes*) Idem verbum, c. 3, 2. Piorum actiones ceteri curiose inspectant. — δοξάσωσι τὸν θεὸν, *glorificent Deum*) Deum, qui similes sui habeat filios. — ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς, *in die visitationis*) ἡμέρᾳ *die*, indefinite. [1]) Innuitur *visitatio* divina, quum Deus innocentiam piorum, diu latentem, saepe per ipsos magistratus infensos, dum inquirunt, patefacit, ipsosque saepe adversarios convertit. Sic LXX, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἐπισκοπῆς, Es. 10, 3. ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς, Jer. 6, 15. Dum dies talis venit, patientia opus est.

v. 13. πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, *omni humanae creaturae*) *Creatura* dicitur rex sive Caesar, praesidesque ab illo missi; per metonymiam abstracti pro concreto, uti locutione politica dici solet *eine Creatur*, *creare magistratum*: (conf.

1) *Nota in* Vers. germ. *interpretatur de die* novissimo. E. B.

ted by Google

κτίσις, *creatura*, Hebr. 9, 11.) unde τὸ *omni* dividitur per *sive, sive*. Et *humanae* appellantur *creaturae*, quia res humanas moderantur, humano more: quae locutio sensum apostoli coelestem sapit supra humana omnia evectum. Atque hoc ipso nomine ii, qui ad nobilitatem fidei pervenerunt, possent *creaturam* illam omnem despicere. id Petrus cavet, et jubet subjici, *propter Dominum*, Christum, qui olim subjectus fuit, cui omnia sunt subjecta. — διὰ, *propter*) Summa obligatio, per nomen Jesu Christi, cujus honos agitur. — βασιλεῖ, *regi*) Caesari. Erant enim provinciae Romanae, in quas mittebat Petrus. Obsequium detrectabant zelotae Judaici. — ὑπερέχοντι, *supereminenti*) Gallis, *Souverain*.

v. 14. ἀγαθοποιῶν, *beneficorum*) Valde frequens verbum in hac epistola.

v. 15. φιμοῦν, *obturare*) ad silentium redigere. — ἀγνωσίαν, *ignorationem*) v. gr. de Christianorum probitate. Hoc verbo continetur ratio, cur Christiani debeant misericordiam ethnicis.

v. 16. ὡς ἐλεύθεροι, *tanquam liberi*) citra *malitiam*. Hoc pendet a v. 13. De libertate conf. v. 9. — κακίας) *malitiae*, vitii servilis.

v. 17. πάντας, *omnes*) quibus honos debetur. Rom. 13, 7. — τιμήσατε, *honorate*) Alieniores civiliter tractandi; fratres, familiariter. Hunc aoristum sequitur triplex praesens. Rex ita honorandus est, ut non laedatur amor fraternitatis, et Dei timor. — τὴν ἀδελφότητα, *fraternitatem*) Abstractum. c. 5, 9. Fratres diligendi, quia fratres. — τὸν θεὸν, *Deum*) LXX, Prov. 24, 21., φοβοῦ τὸν θεὸν υἱὲ καὶ βασιλέα. — τὸν βασιλέα, *regem*) v. 13. — τιμᾶτε, *honorate*) etiam re, non modo affectu.

v. 18. οἱ οἰκέται, *servi*) His, non heris, quorum plerique ethnici erant, officia praescribit. — ὑποτασσόμενοι, *subjecti*) Participium, pro imperativo, pendens ab ὑποτάγητε, v. 13. Unde imperativi forma per zeugma repeti debet. Sic quoque c. 3, 1. — οὐ μόνον, *non solum*) Aequitas facilius impetrat obedientiam, quam asperitas. — ἀγαθοῖς, *bonis*) nil mali inferentibus. — ἐπιεικέσιν, *aequis*) errata ignoscentibus. — σκολιοῖς, *pravis*) *tristitias, colaphos, convicia* sine causa intentantibus.

v. 19. χάρις, *gratia*) apud Deum, v. 20. — διὰ συνείδησιν θεοῦ, *propter conscientiam Dei*) propter conscientiam animi, bona et Deo placita, etiamsi nulli homini placeant, (expendatur mox κλέος,) facientis. [*Justus quum benefaciendo non probatur hominibus, neque assensum, subsidium gratiae animi significationem vel ante vel post acquirit, imo vero contraria quaevis experitur; doloribus haut exiguis potest affici. Quodsi DEUM conscientia propitium habuerit, mera dulcedo restat.* V. g.] — ἀδίκως, *injuste*) i. e. patiens ea, quae injuste inferuntur. חנם LXX, ἀδίκως. Prov. 1, 11. 17.

v. 20. κλέος) Κλέος notat *laudem* non tam a multis, quam a bonis, et hic a Deo ipso proficiscentem, pro contumeliis. — κολαφιζόμενοι, *colaphis caesi*) Poena *servorum*, eaque subita. — πάσχοντες, *patientes*) deliberatis malis affecti. — χάρις, *gratia*) Imitatur Petrus phrasin, quam ipse, recens discipulus, ex Domino audierat. Luc. 6, 32. ss.

v. 21. εἰς τοῦτο, *in hoc*) ad imitationem Christi; qui exemplum suum dignatur servis proponere, ipse olim pro servo habitus. — ἐκλήθητε, *vocati estis*) vocatione coelesti, quae vos in statu servili invenit. — ὑπολιμπάνων, *relinquens*) in abitu ad Patrem [*in gloriam*. V. g.] — ὑπογραμμὸν) Ὑπογραμμὸς, *praescriptum*, attemperatur captui tironis pingere discentis. Sic plane Petrus hoc loco servis exemplum Christi ante oculos pingit, ea lineamenta exprimens, quae servis praecipue apta sunt. — ἴχνεσιν, *vestigia*) innocentiae et patientiae. Idem verbum, Rom. 4, 12. not.

v. 22. ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος κτλ. *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus* etc.) Es. 53, 9. LXX, ὅτι ἀνομίαν οὐκ ἐποίησεν,

Digitized by Google

οὐδὲ δόλον ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. i. e. *nec manifestum nec subdolum peccatum admisit.* Verba ad servos admonendos aptissima, quorum facilis lapsus in peccata ac dolos, convicia erga conservos, et minas, ex ira sine viribus.

v. 23. οὐκ ἀντελοιδόρει, *non vicissim conviciabatur*) Es. 53, 7. — οὐκ ἠπείλει) *non minabatur*, quamvis posset, ut Dominus. [*et quamvis adventum suum professus fuerit Matth.* 26, 64. V. g.] quanto magis oportet, servos patientiam habere. [*Ejusmodi nimirum armis utuntur subinde qui sunt imbelles; quales praecipue servi erant, qui judicium divinum facile intentare poterant heris.* V. g.] — παρεδίδου δὲ, *tradebat autem*) scil. *judicium.* — δικαίως, *juste*) Justitia Dei, fundamentum tranquillitatis apud afflictos.

v. 24. ὃς, *qui*) Petrus infert, posse et debere nos vestigia Christi subsequi. — αὐτὸς ἀνήνεγκεν, *ipse sustulit*) Servum decet αὐτουργία, ut *ipse*, quod faciendum est, faciat. [*Er muss selber daran.* Not. crit.] Alienas partes Jesus Christus ipse suscepit: non alios sibi surrogavit, ut hodie faciunt, qui *Horas canonicas* aliis locant. Congruit Petrus cum Es. cap. cit. v. 11. LXX, καὶ τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν αὐτὸς ἀνοίσει. Conf. Hebr. 9, 28. not. — ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ) *in suo corpore*, afflictissimo. — ἐπὶ τὸ ξύλον, *super lignum*) Ligno, cruce, furca plecti soliti erant *servi.* — ἵνα, *ut*) Hoc *ut* indicat, expiationem peccatorum, proprie dictam, factam esse in cruce Christi; quippe cujus demum fructus est liberatio a servitute peccati. — ἀπογενόμενοι, *defuncti*) Apposite denotatur liberatio a *servitute* peccati. nam γενέσθαι τινὸς *fieri alicujus* dicitur servus. ἀπὸ dicit sejunctionem, ut LXX Job 15, 4., ἀπεποιήσω φόβον. Germ. *ohne werden.* Oppositum προσγίνεσθαι, apud LXX. Corpus Christi ἀπεγένετο mox *ademtum est* ligno illi, in quod peccata nostra sustulerat: sic nos peccato. — τῇ δικαιοσύνῃ, *justitiae*) Justitia tota una est: peccatum multiplex, *peccatis.* De *justitia* conf. Es. l. c. v. 11. — ζήσωμεν, *vivamus*) ingenua servitute.

v. 25. οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθητε. ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα, *cujus vibice sanati estis. eratis enim sicut oves errantes*) Es. l. c. v. 5. 6. LXX, τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἡμεῖς ἰάθημεν. πάντες ὡς πρόβατα ἐπλανήθημεν. Paradoxon apostolicum, *vibice sanati estis.* Est autem μώλωψ, *vibex*, frequens in corpore servili. Sir. 23, (10.) 12. — ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον, *pastorem et episcopum*) cui obsequi debetis. Synonyma, coll. c. 5, 2.

CAPUT III.

v. 1. Ὑποτασσόμεναι, *subjectae*) In progressu sermonis participium, morata enallage, ponitur pro imperativo, v. 7. s. — καὶ εἴ τινες, *etiam si qui*) Clementer loquitur Petrus. — λόγῳ· λόγου, *verbo: verbo*) Antanaclasis. priore loco denotatur *evangelium:* deinde, *loquela.* Ipsa *conversatio* vim doctrinae spirat. — κερδηθήσωνται) Rarum futurum subjunctivi. Sic κλυθήσωμαι, 1 Cor. 13, 3. ἐμβληθήσηται, Dan. 3, 11. 6, 7. Est futurum remotius, ut apud Latinos, *lucraturus eris.*

v. 2. ἐν φόβῳ, *in timore*) Refer ad ἁγνὴν, *castam*, non ad ἀναστροφὴν, *conversationem. Timor* est aliquid generale, omnibus christianis commendatum ab apostolo, inprimis autem commendatum mulieribus, ut *conversatio* earum sit *casta.*

v. 3. ὧν ἔστω, *quarum sit*) Ethopoeia. Ipsae mulieres ita animum inducunt: nobis vindicamus, nostrum ducimus, non externum mundum, sed internum hominem etc. — οὐχ ὁ — κόσμος, *non — mundus*) Quamvis tali *mundo*, ut res fert, utantur; tamen pro mundo non habent. — ἐμπλοκῆς· περιθέσεως· ἐνδύσεως) Verbalia innuunt operam comendi multa tempora absumentem.

v. 4. ἀλλ' ὁ κρυπτὸς, *sed absconditus*) *Exteriori* opponitur *interior:* sed pro eo dicitur *absconditus*, quo justum connotatur occultandi sui studium. —

Digitized by Google

ἄνθρωπος, *homo*) Eph. 3, 16. not. — ἐν, *in*) Subaudi ὢν *qui est*. Hic homo absconditus non est ipse mundus, sed mundo ornatur: mundus ipse, *incorruptibile* etc. unde ornatae sunt eae, quarum *homo* absconditus tali *spiritu* gaudet. — ἀφθάρτῳ, *incorruptibili*) Eph. 6, 24. not. Hoc opponitur mundo externo, qui *corrumpitur*. conf. de *auro*, c. 1, 18. *mansuetudo* et *tranquillitas* debet esse *incorruptibilis*. *Corruptio* autem ejus est *contumacia* et *paror*. — πραέος καὶ ἡσυχίου, *mansueti et tranquilli*) *Mansuetus*, qui non turbat, *tranquillus*, qui turbas aliorum, superiorum, inferiorum, aequalium, fert placide. ad illud ref. v. 5. fin. ad hoc ref. v. 6. fin. Adde, *mansuetus* in affectibus; *tranquillus* in verbis, vultu, actu. — ὅ, *quod*) *incorruptibile*. — ἐνώπιον τοῦ θεοῦ) *coram Deo*, qui interna, non externa spectat: cui placere curant pii.

v. 5. αἱ ἅγιαι γυναῖκες, *sanctae mulieres*) imitatione dignissimae. — αἱ ἐλπίζουσαι, *speantes*) Vera sanctitas, spes in Deum. Est hoc epitheton pars subjecti. — ὑποτασσόμεναι, *subjectae*) Declaratur mundus matronarum veterum, per *subjectae* (cujus *subjectionis* exemplum est Sara) et per *benefacientes et non timentes etc.*

v. 6. ὡς, *sicut*) Particula allegandi exemplum. — ὑπήκουσε, *obedivit*) Gen. 18, 6. — κύριον, *dominum*) Gen. 18, 12. LXX, ὁ δὲ κύριός μου. Sic iidem 1 Sam. 1, 8., καὶ εἶπεν αὐτῇ ἐλκανᾶ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς· ἄννα. καὶ εἶπεν· ἰδοὺ ἐγὼ κύριε. καὶ εἶπεν αὐτῇ· τί ἐστί σοι ὅτι κλαίεις; — αὐτὸν, *eum*) quamvis eodem patre genitus erat. Gen. 20, 12. — ἐγενήθητε) *factae estis*, ait; non, *estis*. Alloquitur etiam credentes ex gentibus. — τέκνα, *filiae*) Filiae matrem imitari debent, ut filii Abrahamum. — ἀγαθοποιοῦσαι, *benefacientes*) Hoc quoque ab *ornabant* pendet. — καὶ μὴ, *et non*) Conf. v. 13. et v. 16. 15. Recte faciendo neminem timeas. — φοβούμεναι, *timentes*) Viros ira, mulieres timor infestat. — πτόησιν) *terrorem*) extrinsecus obvenientem. v. 14. not. Prov. 3, 25., καὶ οὐ φοβηθήσῃ πτόησιν ἐπελθοῦσαν.

v. 7. ὁμοίως, *similiter*) *Similitudo* non spectat ad officia specialia, quae alia habet uxor, alia maritus; sed ad fundamentum amoris. sic *similiter*, c. 5, 5. — γνῶσιν) Herus praestat *lenitatem*, c. 2, 18.; maritus, γνῶσιν. γνῶσις, quae *vasis infirmioris* rationem habet, dicit *moderationem*, et parit γνώμην, de quo vocabulo vid. 1 Cor. 7, 25. not. Excludit ergo omnem, qua *terror* incutitur infirmioribus, importunitatem, iracundiae praesertim. Egregium dominii maritalis, modestia temperati, exemplum praebuit Adam, qui mulieri ipse nomen, nominisque liberis dandi potestatem dedit. — ὡς, *tanquam*) bis hic ponitur: priore loco pertinet ad γνῶσιν *moderationem*; altero, ad τιμὴν *honorem*. *Moderationem* poscit *infirmitas vasis*; *honorem* (qui plus dicit) *hereditas* injungit. — ἀσθενεστέρῳ, *infirmiori*) Comparativus. etiam vir habet *infirmitatem*. — σκεύει, *vasi*) Denotat hoc sexum et totum ingenium temperamentumque foemineum. — τῷ γυναικείῳ) Τὸ γυναικεῖον, absolute: id est, mulieres. — ἀπονέμοντες τιμὴν, *tribuentes honorem*) Hoc dicitur pro eo, quod mulieres jubentur *subjici*. conf. c. 2, 17. — τιμὴν, *honorem*) justae existimationis de illis, beneficentiae, castae consuetudinis. conf. *honore*, 1 Thess. 4, 4. — συγκληρονόμοι) Alii, συγκληρονόμοις· atqui officium praescribit apostolus maritis erga conjuges quasvis, etiam eas, quae verbo non credunt, coll. v. 1. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. συγκληρονόμοι, *coheredes*, heredes cum ceteris credentibus. Ratio, cur vir mulieri *moderationem* exhibere debeat, deducitur a *mulieris infirmitate:* ratio, cur vir mulieri *honorem* habere debeat, deducitur ex eo, quod Deus etiam viro *honorem* habeat, tanquam heredi. Gloriae aeternae spes facit generosos et mites. Simile mox argumentum v. 9.: *benedicite, vocati* ad hereditatem benedictionis. Concinne casus rectus, *coheredes*, respondet τῷ *cohabitantes*. *Coheredes* dicuntur viri, non mulierum, sed fidelium omnium. conf. συνεκλεκτὴ, *coelecta*.

zed by Google

c. 5, 13. — ἐγκόπτεσθαι) Perpauci, ἐκκόπτεσθαι. Cum utroque Graeco verbo congruunt Hebraeorum locutiones apud Schoettgenium, et quidem עקר cum verbo ἐκκόπτεσθαι, ubi agitur de *sterilitate*, qua liberi, parentibus in *precando* alias succedentes, deficiunt; עכב et עכר cum verbo ἐγκόπτεσθαι, ubi agitur de *peccatis preces* impedientibus. Haec igitur lectio praestat. Nam ne impediri quidem aut interpellari orationes virorum vult apostolus. Interpellantur autem per intemperantiam et iracundiam. 1 Cor. 7, 5. Nunquam magis, quam inter orandum, subit offensarum recordatio: [*haud raro etiam, ubi inter amicos, vicinos, collegas, eruditos simultas inaluerit, interdiu noctuque animum detinens, cessant omnino preces.* V. g.] et qui non remittunt, iis quamlibet orantibus non remittit Pater coelestis. — προσευχὰς, *preces*) quibus hereditatem illam capessitis, et mulierum salutem petitis. Conf. 1 Tim. 2, 8. not.

v. 8. πάντες, *omnes*) Antehac a cap. 2, 18. specialia descripsit officia. — ὁμόφρονες, *unanimes*) mente. Membra tria versûs 8. et 9. per χιασμὸν inverso ordine respondent Psalmo, qui versu 10. et 11. per tria cola repetitur. [*Itaque locutio* τὸ δὲ τέλος *non totius epistolae conclusionem spectat, sed hortationem ad conversandum ut fas est, v.* 11. V. g.] — συμπαθεῖς, *compatientes*) affectu, in rebus secundis et adversis. Latitudinem notionis probat Raphelius ex Polybio: θάρσος ἐμβαλεῖν καὶ συμπαθεῖς ποιῆσαι τοὺς παρακαλουμένους. — φιλάδελφοι, *fraterna caritate praediti*) erga sanctos. — εὔσπλαγχνοι, *misericordes*) erga afflictos.

v. 9. κακὸν, *malum*) in re. — λοιδορίαν, *conricium*) in verbis. — τοὐναντίον, *e contrario*) Hoc refertur ad *conricium*. nam *malum* est contrarium eorum, quae versu praecedente occurrunt. — ὅτι, *quia*) Nullum *conricium* vobis potest nocere. conf. v. 13. Deum, vobis *benedicentem*, debetis imitari. — εἰς, *in*) Sic, *in hoc, ut*, c. 4, 6. — εὐλογίαν) *benedictionem* aeternam; cujus primitias jam nunc pii habent. v. seq.

v. 10. ὁ γὰρ θέλων ζωὴν ἀγαπᾶν καὶ ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθὰς, *qui enim vult vitam amare et videre dies bonos*) Si vultis, inquit Petrus, hereditatem illam gustare, debetis abstinere a malitia dicti et facti. Ps. 34, 13—17. LXX, τίς ἐστιν ἄνθρωπος ὁ θέλων ζωὴν, ἀγαπῶν ἡμέρας ἰδεῖν ἀγαθάς; et sic ibi Hebr. et h. l. Versio Syriaca. Petrus, manente sensu, novum salem addit: θέλων ζωὴν ἀγαπᾶν, *qui vult ita vivere, ut ipsum non taedeat vitae.* Oppositum, ἐμίσησα τὴν ζωὴν, Coh. 2, 17. i. e. poenituit me vitae. et sic Gen. 27, 46. Num. 11, 15. — παυσάτω τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ) LXX, παῦσον τὴν γλῶσσάν σου· et reliqua, in secunda persona, usque ad illud, δίωξον αὐτήν.

v. 12. ὅτι οἱ ὀφθαλμοὶ) LXX, ὀφθαλμοί· cetera iisdem verbis, usque ad illud, κακά. — ἐπὶ δικαίους, *super justos*) qui inde vitam habent et dies bonos. — πρόσωπον, *vultus*) cum ira. Conf. 2 Sam. 22, 28. Ira totam *faciem* humanam commovet: *amor* oculos tingit.

v. 13. καὶ τίς, *et quis*) *Et* habet vim inferendi et contendendi. — τίς ὁ κακώσων, *quis est qui afflicturus sit*) i. e. saepe multo facilior est res, quam putatur. Oppositum, *boni*. Es. 50, 9. מִי הוּא יַרְשִׁיעֵנִי LXX, τίς κακώσει με; — τοῦ ἀγαθοῦ [1]) μιμηταὶ, *boni imitatores*) *Imitare bonum*, neutro genere, dicit Johannes ep. 3, 11. Et sic Petrus h. l. Dicitur Satanas ὁ πονηρὸς, *malus*: at Deus est *bonus*, sed hoc epitheton non solet poni per antonomasian.

v. 14. πάσχοιτε, *patiamini*) Lenius verbum, quam κακοῦσθαι, *affligi*. — μακάριοι, *beati*) c. 4, 14. Ne hoc quidem vitam beatam vobis aufert; imo potius auget. Insignis tractatio de cruce. — τὸν δὲ φόβον αὐτῶν μὴ φοβηθῆτε, μηδὲ

---

1) *Lectionem* ζηλωταὶ, *per marginem* utriusque Ed. *in medio relictam, praeferre videtur* Vers germ. E. B.

Digitized by Google

ταραχθῆτε. Κύριον δὲ τὸν θεὸν ἁγιάσατε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, *timorem autem eorum ne timueritis, neque turbemini: Dominum autem Deum sanctificate in cordibus vestris*) Docet, quomodo suscipienda sint adversa, ne beatitas imminuatur. Es. 8, 12. 13. LXX, τὸν δὲ φόβον αὐτοῦ (τοῦ λαοῦ) οὐ μὴ φοβηθῆτε, οὐδὲ μὴ ταραχθῆτε. τὸν Κύριον τῶν δυνάμεων αὐτὸν ἁγιάσατε, καὶ αὐτὸς ἔσται σου φόβος. Timorem, quem improbi et alunt ipsi et vobis incussum eunt, nolite timere. φοβεῖσθαι φόβον dicitur, ut χαίρειν χαρὰν, *gaudere gaudium*. Unus timendus est, *Dominus;* qui puro timore *sanctificatur*, et vere *ut Deus* honoratur, affectu piorum respondente divinae omnipotentiae etc. [*Jes.* 8, 13.]

v. 15. ἕτοιμοι δὲ, *parati vero*) *Parati* parrhesiam innuit; δὲ vim habet. non modo *conversatio* debet esse pulcra; de qua c. 2, 12. not. *sed* etiam quilibet paratus ad *confessionem*. — τῷ αἰτοῦντι, *poscenti*) Inter ethnicos alii erant aperte mali, v. 16.; alii dubitabant. his respondere comiter jubentur credentes — ἐλπίδος, *spei*) quam fatentur, qui se in mundo *peregrinari* ajunt, et concupiscentias ejus vitant. c. 2, 11. coll. Hebr. 11, 13. seqq. *Spes* Christianorum saepe commovit alios ad percontandum. — μετὰ, *cum*) Hoc cum *poscenti* construit Twellus P. I. p. 125., sed pendet a *parati ad defensionem*. *Mansuetudine* opus est respectu nostri; *timore*, erga alios; *bona conscientia*, erga Deum. — φόβου, *timore*) Vulgo, *respect.* Qui bonam habent conscientiam, ii cum accusantur, facilius exacerbantur, et minus facile, quam sontes, *mansuetudinem* et *timorem* servant. itaque hoc loco admonentur, ut cum *bona conscientia mansuetudinem* et *timorem* conjungant, et sic plena potiantur victoria. Valet inprimis *mansuetudo*, ubi cum inferioribus res est; *timor*, ubi cum superioribus.

v. 16. ἔχοντες, *habentes*) Hoc τῷ *parati* additur per asyndeton. — ἐπηρεάζοντες ὑμῶν — ἀναστροφὴν, *qui incessunt vestram — conversationem*) Sermo concisus. i. e. qui vos incessunt propter bonam conversationem.

v. 17. κρεῖττον, *melius*) beatius, infinitis modis. — εἰ, *si*) Atque haec voluntas agnoscitur ex iis, quae nobis obveniunt. — τὸ θέλημα, *voluntas*) benigna. — τοῦ θεοῦ, *Dei*) Nam nostra voluntas non vult. conf. verba Christi ad *Petrum*, Joh. 21, 18.

v. 18. ὅτι, *quia*) *Melius* est illud, in quo Christo similiores reddimur, in morte et vita. cujus passio *optimum* et Ipsi exitum tulit et nobis fructum. — χριστὸς, *Christus*) Sanctus sanctorum. Concinne sonant haec: *Christus pro peccatis, justus pro injustis.* — ἅπαξ, *semel*) non posthac unquam. Nobis quoque *melius* est, semel cum Christo, quam in aeternum sine Christo. — περὶ ἁμαρτιῶν, *pro peccatis*) perinde ac si ipse ea admisisset. — ἔπαθε, *passus est*) et ita quidem, ut hostes eum ob *confessionem* interfecerint. sed praeconium non est impeditum: eo enim functus est et ante diem mortis, et in die mortis, et statim a morte. — δίκαιος, *Justus*) [*qui modo extantissimo bonum perpetravit*, v. 17. V. g.] Cur nos non patiamur propter justitiam? v. 14. — ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ, *ut nos adduceret*) *ut nos*, qui abalienati fueramus, ipse *abiens* ad Patrem, secum una, justificatos, *adduceret* in coelum, v. 22., per eosdem gradus, quos ipse emensus est, exinanitionis et exaltationis. Ex hoc verbo Petrus, usque ad c. 4, 6., penitus connectit Christi et fidelium iter sive processum, (quo etiam ipse *sequebatur* Dominum, ex ejus praedictione, Joh. 13, 36.) infidelitatem multorum et poenam innectens. — τῷ θεῷ) Deo, id volenti. Plus notatur per Dativum, quam si diceretur, *ad Deum*. — θανατωθεὶς) *morte interemtus*, quasi jam nullus esset. Ostendit Petrus, quomodo προσαγωγὴ peracta sit. — σαρκὶ, *carne*) *Caro* et *spiritus* non denotant proprie naturam Christi humanam et divinam: coll. c. 4, 6.: sed utramvis, quatenus est principium statusque vitae et operationis congruae vel inter mortales, quamlibet justae; vel cum Deo, etiam gloriosae. Rom. 1, 4. not. Illi statui aptior est anima in corpore; huic anima

vel extra corpus, vel cum corpore glorificato et *spirituali*. conf. 1 Cor. 15, 44. — ζωοποιηθεὶς, *virificatus*) *Virificatio* ex antitheto ad *mortificationem* resolvi debet. Ceteroqui Christus, vitam in semet ipso habens, et Ipse vita, spiritu vivere neque desiit neque iterum coepit; sed simul atque per mortificationem involucro infirmitatis in carne solutus erat, *statim* (ut insignes Theologi agnoscunt,) vitae solvi nesciae virtus modis novis et multo expeditissimis sese exserere coepit. Sapienter igitur D. *Hauberus* sepulturam Redemtoris quodammodo ad exaltationem ejus refert *in den Betrachtungen über die Begräbniss J. C.* pag. 8. Conf. *Essenii* diss. p. 10. Hanc vivificationem conjunctamque cum ea profectionem praedicationemque ad spiritus necessario celeriter subsecuta est *excitatio* corporis ex morte et *resurrectio* e sepulcro. v. 21. Vivit Christus Deo. Rom. 6, 10. conf. *secundum Deum*, infra c. 4, 6. Domini sermo, Joh. 6., quem versu 68. decenter acceperat Petrus, fixus erat in corde Petri: et cum periocha illa, praesertim v. 51. 53. 62. 63. conferri possunt, quae Petrus scribit c. 1, 2. 19. 3, 18. 22. 4, 1.

v. 18. 19. πνεύματι· πνεύμασι, *spiritu: spiritibus*) Congruens sermo.

v. 19. ἐν ᾧ) *in quo*, spiritu. Christus cum viventibus egit in carne; cum spiritibus, in spiritu. Ipse efficax est apud vivos et mortuos. Mira sunt in mundo illo, quem non cernimus. In loco mysterii pleno non debemus proprietatem sermonis ex eo dimittere, quod non habeat parallelos. Nam ii, quibus mysterium quodvis primo revelatum est, etiam sine locis parallelis verbo Dei generosissime credidere. v. gr. illud, *Hoc est corpus meum*, non nisi semel dixit Salvator. Mysterium de mutatione viventium semel scriptum est. — τοῖς — πνεύμασι, *spiritibus*) Non dicit Petrus, omnes spiritus fuisse in illa custodia; nam multi poterant esse in loco tristiore: sed innuit, omnibus, qui in custodia erant, Christum praedicasse. — ἐν φυλακῇ, *in custodia*) In carcere, puniuntur sontes; in *custodia*, servantur, dum experiantur, quid facturus sit judex. Analogiam habet locutio de statu degentium sub V. T. Gal. 3, 23. — πνεύμασι), *spiritibus*, defunctorum. Conf. Hebr. 12, 23. Non appellat *animas*, uti v. seq. — πορευθεὶς, *profectus*) scil. ad spiritus illos. Idem verbum v. 22. Spiritus illi non erant in sepulcro Jesu: ad illos profectus est. — ἐκήρυξεν, *praedicavit*) Hac praedicatione, quae sane vivificationem subsecuta est, Christus se et *vivum* jam tum et *justum* ostendit. Nolebat Petrus dicere εὐηγγελίσατο, *evangelizavit*, si vel maxime praedicatio gratiae sola hic innueretur: nam auditores ante *evangelii* tempora obdormierant. Itaque verbo latiore utitur, *praedicavit*. Noe, *praeco* justitiae, contemtus: 2 Petr. 2, 5. at Christus, *praeco* potentior; qui justitiam suam, a priscis non creditam, pristina infidelitate eorum coram confutata, in spiritu vivificatus asseruit. 1 Tim. 3, 16. Si sermo esset de praeconio per Noe, τὸ *aliquando* aut plane omitteretur, aut cum *praedicavit* conjungeretur. Hoc praeconium erat praeludium judicii universalis, coll. c. 4, 5., ipsumque praeconii vocabulum in sua latitudine accipiendum est, ut intelligatur fuisse quibusdam evangelicum, quemadmodum Hutterus loquitur, ad consolationem, quod magis proprium Christi est; aliis, et fortasse plerisque, legale, ad terrorem. Etenim si ipsum judicium aliquibus erit laetum; sane praeconium non omnibus horribile fuit. Auctor Adumbrationum, quae Clementi Al. et Cassiodoro tribuuntur, ait: *speciem quidem ejus non viderunt, sonum vero vocis audierunt. Calvinus* in Inst. L. II. c. 16, 9. *Nam et contextus*, inquit, *eo nos ducit, fideles qui ante id tempus defuncti fuerant consortes fuisse ejusdem nobiscum gratiae: quia vim mortis inde amplificat, quod ad* mortuos *usque penetraverit, dum piae animae* ejus visitationis, *quam sollicite exspectaverant*, praesenti aspectu *sunt potitae: contra*, reprobis *clarius patuit se excludi ab omni salute. Quod autem* Petrus *non tam distincte loquitur, non ita accipiendum est, quasi nullo discrimine pios simul et impios*

permisceat: sed tantum docere vult communem utriusque *fuisse mortis Christi* sensum.

v. 20. ἀπειθήσασι, *qui increduli fuerant*) qui in vita non habuerant fidem patriarchis, Dei nomine monentibus. — ποτὲ, *aliquando*) Hoc *aliquando*, (etiam v. 5. ad longum tempus relatum,) et haec *longanimitas*, de qua mox, pertinet ad omnia secula V. T. antegressa mortem Christi. Dicitur *tolerantia*, Rom. 3, 26. *Longanimitas* praecessit adventum Christi primum, h. l. et secundum, 2 Petr. 3, 9. not. — ὅτε) Debilis lectio, ὅτι, recte refutatur a Wolfio. Editio quaedam, quae ὅτι habet, valde vitiosa est, etiam in hoc ipso dicto. *Nonnulli codices* ὅτι habent apud Erasmum, etiam in prima ejus editione: sed non alius ac *Basileensis secundus* reperitur, quem Erasmus raro, et tamen hic recte deseruit. — ἀπεξεδέχετο) Alii cod. ἅπαξ ἐδέχετο· sed perpauci sic habent, ε primo in α, ut saepe accidit, depresso; neque simplex verbum δέχεσθαι huc quadrat. Vid. App. crit. ad h. l. ἀπεξεδέχετο, i. e. *exspectabat* Deus, ut homines crederent. Sed major vis est in decomposito Graeco: *exspectabat, donec* exspectandi *finis* erat, in morte hominum. — ἐν, *in*) Subaudi οἷον. id est, *exempli gratia*, *in diebus Noe*. Subjicitur generi species maxime insignis. quia 1) nunquam plures simul vitam cum morte commutarunt, quam in diluvio. 2) per mentionem *aquae* percommode transit Petrus ad baptismum. 3) interitus mundi per aquam est praeludium interitus per ignem, 2 Petr. 3, 6. 7., conjuncti cum judicio extremo. c. 4, 5. Neque mirum τὸ *aliquando* latius extendi, quam *dies Noe;* quando etiam dies Noe in universum multo plures fuere, quam *dies arcae aedificatae*, qui tamen statim subjiciuntur. Conferatur determinatio gradatim specialior, Marc. 14, 30. Luc. 4, 25. Deut. 31, 10. O quam ampla praedicatio! — κατασκευαζομένης κιβωτοῦ, *cum appararetur arca*) κιβωτοῦ sine articulo. Hebr. 11, 7. Conformatur sermo ad mentem spectatorum infidelium. Longi temporis haec structura fuit: neque enim verisimile est, in opere multos Noachum adjuvisse. Totum inprimis illud tempus exspectavit Dei longanimitas. — εἰς ἣν) *in quam*. In arcam ingressi, per fidem, salutem petierunt et invenerunt. — ὀλίγοι, *pauci*) Eo probabilius est, nonnullos ex tanta multitudine, veniente pluvia, resipuisse; cumque non credidissent, dum exspectaret Deus, dum arca strueretur, postea, cum arca structa esset, et poena ingrueret, credere coepisse: quibus postea Christus, eorumque similibus, se praeconem gratiae praestiterit. Minus huic interpretationi Lutherus tribuit in homiliis ad 1 Petri, A. 1523 editis: magis vero eam est amplexus paulo ante obitum. Notus est locus Comm. in Gen. 7, 1. congruitque Enarratio Hoseae, anno 1545 edita, ubi c. 6, 2. *biduum* retulit ad descensum ad inferos, et hunc Petri adhibens locum ait, *Hic Petrus clare dicit, non solum apparuisse Christum defunctis patribus et patriarchis, quorum sine dubio Christus aliquos, cum resurgeret, secum ad vitam aeternam excitavit, sed etiam aliquibus, qui tempore Noae non crediderunt, ac exspectaverunt patientiam Dei, hoc est, qui sperarunt, Deum non sic duriter grassaturum in universam carnem, praedicasse, ut agnoscerent, SIBI per Christi sacrificium peccata CONDONATA esse.* Consonae his commentationes sunt *L. Osiandri* in h. l. *Hutteri* in Explic. Concordiae p. 993. quin etiam *Petri Martyris*, T. I. LL. CC. col. 783. — ὀκτὼ, *octo*) Demto Chamo, maledictionem incursuro, erant VII. numerus sacer. — δι' ὕδατος, *per aquam*) διὰ, *per*, apta particula, *transitum* notans, citra considerationem vel periculi ab aquis per se intentati, vel salutis per vecturam praestitae. Ita cohaeret versus sequens.

v. 21. ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον) Relativum ὅ, *quae*, loco nominis ὕδωρ, *aqua*, ponitur, et additum habet epitheton, ἀντίτυπον· substantiva vero *baptisma* et *interrogatio* per appositionem constructa. — νῦν, *nunc*) hoc tempore, ceteroqui malo. — σώζει, *servat*) educit e pernicie mundi totius, et populi Judaici. Resp.

ed by Google

conservati sunt. v. 20. Ostendit Petrus, ut olim fuerint alii, qui perirent per infidelitatem; alii, qui servarentur per fidem: sic prorsus in N. T. alios esse, qui salvi fiant, h. l. alios autem, qui pereant. c. 4, 4. ss. utrosque, sed diversis modis, virtutem Christi experiri: quod ipsum ad pios ex impiis educendos et in patientia confirmandos egregiam vim habet. — οὐ σαρκὸς, *non carnis*) Declarat, quare et quatenus baptismus tam salutarem vim habeat. Etiam apud Judaeos fuere baptismata; sed carnem abluentia, eoque ipso effectu terminata: etiam hodie in baptismo abluitur caro, sed carnis ablutio non agitur in baptismo, neque ex ea parte, quatenus est *manu factus,* salvat; conf. Eph. 2, 11. verum quatenus est *interrogatio etc.* Nomen σαρκὸς *carnis* emphatice praeponitur, *carnique* adscribitur *depositio sordium;* (ideo non dicitur, *depositio sordium carnis:*) et *carni* opponitur *conscientia.* — συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα, *conscientiae bonae interrogatio*) Dan. 4, 14. שְׁאֵלְתָא (cujus parallelum מִתְגְּמָא *decretum judiciale,* Hebr. דבר) LXX, ἐπερώτημα. hoc uno loco. at שׁאל et דרשׁ iidem saepe verbo ἐπερωτάω reddunt. Graeca Scholia: ἐπερώτημα, τουτέστιν, ἀρράβων, ἐνέχυρον, ἀπόδειξις. Non dubium est, quin Hebraicum שְׁאֵלָה spectarit apostolus. Piorum est, *rogare,* consulere, compellare cum fiducia, Deum; at impiorum, non rogare illum, aut idola rogare. Jud. 20, 18. 23. 27. 1 Sam. 10, 22. 23, 2. 4. Es. 30, 2. Hos. 4, 12. quibus omnibus locis LXX ἐπερωτᾶν. Salvat ergo nos *rogatio bonae conscientiae*, i. e. rogatio, qua nos Deum compellamus cum bona conscientia, peccatis remissis et depositis. conf. v. 16. Hebr. 10, 22. Haec rogatio in baptismo datur, et in omnibus fidei, precum, vitaeque christianae actibus exercetur: eamque Deus semper responso dignatur. Conf. Deut. 26, 17. 18. אֶת יְהוָה הֶאֱמַרְתָּ τὸν θεὸν εἵλου· וַיהוָה הֶאֱמִירְךָ καὶ Κύριος εἵλετό σε. Es. 19, 21. — δι' ἀναστάσεως, *per resurrectionem*) Constr. cum *servat.* coll. c. 1, 3. 21.

v. 22. ὃς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, καταπιὼν τὸν θάνατον, ἵνα ζωῆς αἰωνίου κληρονόμοι γενώμεθα.] Sic habet interpretatio longe omnium antiquissima, *qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae heredes efficeremur.* Ita sequitur *Augustinus, Fulgentius, Cassiodorius, Beda,* et, ut Millius affirmat, *Latini omnes.* Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Ex Christi passione, ex morte, ex vivificatione, ex resurrectione, ex profectione in coelum, ex judicatione vivorum et mortuorum, peculiares usus derivat Petrus: ex sessione ad dexteram Dei, aut nullum deducit usum, aut eum, qui *Latine* adhuc legitur. Omnino in *morte* sua mortem destruxit Christus: sed sessio ejus *ad dexteram Dei* praesupponit mortem illam semel pro nobis vitae asserendis exantlatam, et *STATUM* involvit *VITAE* gloriosum, aeternum, nobis salutarem. Act. 2, 28. Rom. 6, 9. 10. Hebr. 7, 16. 24. s. 1 Cor. 15, 54. Joh. 14, 19. Praeteriti temporis significatio in καταπιὼν apprime considerari debet. — πορευθεὶς) *postquam profectus est.* — ἀγγέλων, *angelis*) Subjecti sunt ei angeli, iique *omnium ordinum*, sive boni sive mali: et sic quoque homines.

CAPUT IV.

v. 1. Χριστοῦ, *Christo*) qui est Dominus gloriae. — σαρκὶ, *carne*) Mss. ἐν σαρκὶ [1]), *in carne.* — [2]) ὁπλίσασθε) *armamini*, contra hostes. — ὅτι) quod. Haec est illa ipsa *cogitatio* continua. conf. plane Rom. 6, 6–11. — πέπαυται *pausam,* immunitatem, *nactus est.*

v. 2. εἰς τὸ) *ut degat.* nam construitur cum τῷ *pausam nactus est.* Conjuncta sunt τὸ *in carne,* v. 1., et τὸ *in carne*, v. 2. *Peccatum,* v. 1., exserit se

---

1) *In* Vers. germ. *differentia haec non est notata; et in margine* utriusque Ed. gr. *duae positae.* E. B.

2) τὴν αὐτὴν ἔννοιαν, *eandem mentem*] patiendi cum prolubio. *V. g.*

Digitized by Google

in *concupiscentiis*, et *passio in carne* commonefacit hominem, quod *reliquum in carne tempus* habiturum aliquando sit finem. — ἀνθρώπων, *hominum*) vestris et aliorum. — ἐπιθυμίαις, *concupiscentiis*) variis. at *voluntas Dei*, perfecta. Idem antitheton, 1 Joh. 2, 17. — βιῶσαι) Aptum verbum. non dicitur de brutis.

v. 3. ἀρκετὸς, *sufficit*) Μείωσις. nam ne pristina quidem tempora debuere peccatis teri. Simul notatur fastidium peccati apud resipiscentes. — κατεργάσασθαι, *patrarisse*) scil. *vos*. Id mox declaratur. — πεπορευμένους, *profectos*) progressos, insaniter. Oppositum, *profectus* c. 3, 19. 22. — οἰνοφλυγίαις, κώμοις, πότοις, *vinolentiis, comessationibus, potationibus*) Illas, singuli exercent; has, sodalitia. — ἀθεμίτοις, *nefariis*) quibus sanctissimum Dei jus violatur. Rom. 1, 23. s. — εἰδωλολατρείαις, *idololatriis*) varii generis. Sic ex opposito, *variae*. v. 10.

v. 4. ἐν ᾧ, *in quo*) dum statuitis, satis esse, male vixisse. — συντρεχόντων, *concurrentibus*) turmatim, avide. — τὴν αὐτὴν) *eandem*, atque adhuc illi, et antea vos cum illis. — ἀνάχυσιν, *confusionem*) Haec depingitur versu 3. — βλασφημοῦντες, *blasphemantes*) jactantes convicia in vos, superbiae, singularitatis, occultae impietatis etc.

v. 5. ἀποδώσουσι λόγον, *reddent rationem*) praecipue de blasphemiis. Judae v. 15. — τῷ) Christo. — ἑτοίμως ἔχοντι, *qui paratus est*) Apostoli, ubi non ex professo de tempore adventus Christi agunt, adventum illum exspectationi suae et pietati tanquam instantem proposuerunt. inde illos, qui tum blasphemabant, Petrus sub *viventibus* comprehendit, quasi mox judicandis.

v. 6. γὰρ, *enim*) Particula connectit *paratus* et *appropinquavit*. v. 5. 7. Paratus est Judex. nam, evangelio praedicato, nil nisi finis restat. — καὶ νεκροῖς, *etiam mortuis*) Appellat Petrus *mortuos* eos, qui toto N. T. tempore fuerunt, ex quo *evangelium* per apostolos post adscensionem Christi praedicatum est, maxime de Christo *judice*, Act. 10, 42., et quos eosdem judex jamjam venturus *mortuos* inveniet ac resuscitabit. v. 5. Etiam *viventibus* praedicatur; sed *mortuos* citat, quia in morte maxime peragitur τὸ *ut judicarentur etc.* ex quo ipso etiam patet, evangelii praedicationem innui morte illa priorem, non posteriorem. Quum corpus in morte exuitur, anima vel in malam, vel in bonam partem plane figitur. Evangelium nulli post mortem praedicatur. iis, qui olim vixerant, Christus ipse praedicavit. c. 3, 20. in N. T. abunde praedicatur viventibus. ad quos ea praedicatio in vita non pervenit, de iis videt Dominus. — εὐηγγελίσθη, *evangelizatus est*) scil. Christus. Dum viverent illi, per evangelium eis praedicari se fecit. Evangelium hodie semper praedicatur: sed Petrus in praeterito loquitur, pro tempore judicii, quod ille, ut diximus, tanquam ingruens spectat. — ἵνα, *ut*) Evangelii finis et efficacia, ut similes reddantur homines Christo in morte ac vita. c. 3, 18. Omnibus et munita et ostensa est via salutis per Christum: qui crediderunt, salvi sunt, ceterisque imitandi, non blasphemandi erant: qui non crediderunt, quin etiam blasphemarunt, jure plectuntur. — κριθῶσι· ζῶσι, *judicarentur: viverent*) Qui evangelium suscipiunt, fiunt mortis Christi similes per poenitentiam, et deinceps per adversa omnia usque ad mortem corporis. ea mors *judicium* dicitur, respectu veteris hominis, cui judicio, mala a bonis secernenti, fideles ipsi aequo animo subscribunt; neque venient sub *judicium* horrendum universale. v. 5. 17. s. 1 Cor. 11, 32. Iidem autem *vivunt* cum Christo: et *vivere* dicuntur, non *vivificari*, quia vivificatio illorum jam facta est cum Christo. c. 3, 18. coll. Eph. 2, 5. De hoc judicio et vita confer v. 1. 2. 3. nam fideles, dum in carne versantur, jam initium harum rerum capiunt. — κατὰ ἀνθρώπους) *quod ad homines attinet*. sunt enim exemti rebus humanis. — κατὰ θεὸν) *quod ad Deum attinet*. nam Deo vivunt. — πνεύματι, *spiritu*) c. 3, 18. not.

v. 7. πάντων) rerum *omnium*; adeoque etiam petulantiae malorum; et passionum, piorum. — τέλος, *finis*) ubi mortuorum et viventium numerus erit

ed by Google

completus [*in ultimo judicio.* V. g.] — οὖν, *itaque*) Revertitur ad hortationem: et officia v. 7—11. opponuntur peccatis v. 3. enumeratis. Sunt enim opposita, *luxuriae* et *sobrium esse et vigilare; concupiscentiae*, et *amor; violentiae, comessationes, potationes*, et *hospitalitas; nefariae idololatriae*, et legitima *administratio* coelestium munerum ad gloriam veri Dei. — καὶ νήψατε, *et vigilate*) Temperantia adjuvat vigilantiam, et utraque preces. qui absunt a temperantia, sunt somnolenti: et somnolenti segnes sunt ad orandum, vel ideo, quia labori et vitae communi nil temporis libenter deducunt. — προσευχὰς, *preces*) extremo tempore necessarias.

v. 8. τὴν — ἀγάπην, *amorem*) Amor jam praesupponitur: ut sit vehemens, praecipitur. — ὅτι ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν, *quod amor operit multitudinem peccatorum*) Prov. 10, 12. LXX, πάντας δὲ τοὺς μὴ φιλονεικοῦντας καλύψει φιλία. conf. Prov. 17, 9. Qui amat valde, legit peccata, quotquot sunt, ejus, quem amat. suos oculos ab iis avertit, et alios, quoad fas est, celat de illis; et Deum implorat. Atque hunc amorem divinus amor ope et approbatione prosequitur; eumque ipsum, qui amat, pariter remunerat. Matth. 6, 14. Etiam amor necessarius inprimis ideo, quia Judex prope est. Jac. 5, 9. Beatique sunt, quos non nisi *opertis peccatis* invenit rerum *omnium finis.*

v. 9. εἰς ἀλλήλους, *invicem*) Hoc ad eos pertinet, qui in diversis urbibus aut regionibus habitabant. — γογγυσμῶν, *murmurationibus*) Hae vitantur, aequalitate officiorum servata, inaequalitate non curiose expensa.

v. 10. καθὼς, *sicut*) Subaudi mox, *ita.* — αὐτὸ, *id ipsum*) non affectato alio. — ποικίλης, *variae*) *varia* dona distribuentis, ad sermonem vel ad diaconiam. v. seq.

v. 11. ὡς λόγια θεοῦ) *tanquam oracula*, scil. loquatur, quae Deus *suppeditat*, in praesenti. — ὡς ἐξ ἰσχύος, *tanquam ex virtute*) strenue. — ἐν πᾶσι) *in omnibus.* nam omnes et *omnia* ex illo, per illum, in illum. — ᾧ, *cui*) Deo. De Christo similiter, 2 Petr. 3, 18. — ἡ δόξα, *gloria*) v. gr. Sapientiae, *oracula* fundentis. — τὸ κράτος, *robur*) *virtutem* praebens piis. Eadem doxologia, c. 5, 11.

v. 12. ἀγαπητοὶ μὴ ξενίζεσθε, *dilecti, nolite novum putare*) Amanter hortatur. Gustus divinae virtutis, quem versus praecedentes referunt, vetat *offendi ut re peregrina.* Adversa Sanctis obtingere, est partim *peregrinum* quiddam; nam sunt filii Dei: partim *non peregrinum;* convenit enim iis, excoqui. — πυρώσει, *ardore*) c. 1, 7. — πρὸς πειρασμὸν) nonnisi *ad tentationem.* — ὑμῖν, *vobis*) Dativus commodi. — γινομένῃ, *facto*) consilio divino. — συμβαίνοντος, *contingente*) temere.

v. 13. καθὸ, *sicut*) Mensurae passionum respondet gloria, sed multo abundantius. — κοινωνεῖτε, *communicatis*) libenter. — παθήμασι, *passionibus*) v. 1. — χαίρετε, ἵνα, *gaudete, ut*) *Ut* hic plus est, quam si diceret ὅτι *quod.* Gaudio desiderioque assequimur gaudium et exultationem. conf. ἵνα *ut* Joh. 8, 56. Spectatur praemium patientiae lactae. — ἀγαλλιώμενοι, *exultantes*) sine omni tum passione.

v. 14. εἰ ὀνειδίζεσθε ἐν ὀνόματι χριστοῦ, *si probris afficimini in nomine Christi*) Probrum putabant gentes, si quem appellarent *Christianum.* v. 16. — τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα, *Gloriae et Dei Spiritus*) Idem Spiritus, qui super Christum fuit. Luc. 4, 18. Hic dicitur *Spiritus gloriae*, omnia mundi probra devincens, et *Spiritus Dei*, cujus Filius est Jesus Christus. Abstractum *Gloria* ponitur pro concreto, uti 2 Petr. 1, 17. 3. 4. Articulus τὸ, summa vi, bis ponitur, uti Ap. 21, 6. et *gloria* ita accipi potest, ut sit ἓν διὰ δυοῖν, *Gloria et Deus*, i. e. *Deus gloriae;* vel ut sit appellatio Christi, (coll. v. 16., *ut Christianus*: et v. 13. Jac. 2, 1. not.) innuaturque, Spiritum Christi eundem esse Spi-

Digitized by Google

ritum Dei Patris. Fideles, gaudium persentiscentes, eundem Spiritum interdum ut Spiritum Gloriae, interdum ut Spiritum Dei, diverso sensu, cujus differentiam ipse Spiritus pandit, experiuntur. — ἐφ᾽ ὑμᾶς ἀναπαύεται, *super vos requiescit*) Spiritus ille super pios est etiam antequam convicia ferant: sed tum ea ipsa de re magis confirmantur, et solatia Spiritus accipiunt uberiora. Num. 11, 25. 26., ἐπανεπαύσατο ἐπ᾽ αὐτοὺς τὸ πνεῦμα. — βλασφημεῖται) *blasphematur*, Christus. — δοξάζεται, *glorificatur*) in mediis vestris contumeliis. v. 16. Expertus scribit. coll. Act. 5, 41.

v. 15. μὴ γὰρ, *non enim*) Particula *enim* innuit, cur apud eos, qui patiuntur, glorificetur Dominus. praesupponit enim, illos secum constitutum habere, non aliter velle pati, nisi ut Christianos; neque contrarium quicquam, poena dignum, admittere. Similis imperativus, c. 3, 3. — ὡς φονεὺς, *ut homicida*) Turpes tituli. — ἢ ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος, *aut ut alienarum rerum inspector*) Particula *ut* hic demum repetita, *alienarum rerum inspectorem* longius sejungit a generibus maleficorum, sed tamen eundem etiam a Christiano distinguit. Tales sunt, qui sese in negotia publica aut privata, sacra aut civilia, ad ipsos nil pertinentia, quasi magna prudentia et fidelitate et odio mundanae iniquitatis impellerentur, ingerunt. cujusmodi homines saepe mala, imo pejore, quam merebantur, a mundo, (praesertim ab iis, qui rerum potiuntur, et justos monitores inspectoresque minus, quam sui similes ferunt,) gratia inita, facile in *passiones* incurrunt. Idque inprimis fieri poterat apud ethnicos magistratus.

v. 16. μὴ αἰσχυνέσθω, *ne erubescat*) quamvis mundus pudorem pudet. — δοξαζέτω, *glorificet*) Poterat Petrus, antitheti vi, dicere, *honori sibi ducat:* sed honorem Deo resignandum esse docet. glorificet Deum, qui hominem honore passionum dignatur, simulque magnum ei beneficium tribuit, cum immunitate a poenis impiorum insecuturis. Simile antitheton in Ps. 79, 12. 13.: *pudefiant hostes nostri: Dominus glorificetur.* — ἐν τῷ μέρει [1]) τούτῳ) *in hac parte* passionum meliorum. v. seq.

v. 17. ὁ καιρὸς, *tempus*) scil. *nunc est.* — τοῦ ἄρξασθαι τὸ κρίμα, *ut incipiat judicium*) Unum idemque est judicium a tempore *evangelii* per apostolos praedicati usque ad *judicium* extremum. Ἄρξασθαι, medium. — ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ, *a domo Dei*) ecclesia. c. 2, 5. Ab hac incipit judicium, miti initio. Jer. 25, 29. 49, 12. Ez. 9, 6. — τί τὸ τέλος, *quis finis*) Judicium, initio tolerabilius, sensim ingravescit. pii, sua parte perfuncti, cum immunitate spectant miserias impiorum: impii, dum pios affligunt, suam mensuram implent, et discunt, quae sua ipsorum portio futura sit; sed id melius sciunt pii, quare patientes sunt.

v. 18. καὶ εἰ ὁ δίκαιος — φανεῖται; *et si justus — comparebit*) Prov. 11, 31. LXX, εἰ ὁ μὲν δίκαιος — φανεῖται; Justis, interim delinquentibus, gravissimae incutiuntur castigationes: quanto graviores poenas luent improbi? Paucis annis persecutio Neroniana praecessit calamitatem Judaeorum. *Justus, impius et peccator:* Oratio semiduplex: *justus* respectum habet ad proximum, *impius* ad Deum, *peccator* ad se ipsum. Supplendum ergo, vi oppositorum, in prima propositione εὐσεβὴς, *pius* et ὅσιος, *sanctus:* in secunda ἄδικος, *injustus.* — μόλις) *aegre.* [*coll. Matth.* 25, 5. 9.] Hoc temperatur 2 Petr. 1, 11., πλουσίως *prolixe.*

v. 19. καὶ οἱ πάσχοντες) *etiam qui patiuntur.* καὶ *etiam*, concessive. καὶ, *etiam*, cum participio, idem quod εἰ καὶ, *et si* cum verbo. εἰ καὶ πάσχοιτε, *et si patiamini*, c. 3, 14. Non debemus ex passione diffidentiam capere. — κατὰ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, *secundum voluntatem Dei*) ob factam Dei voluntatem, secus ac malefici, qui patiuntur secundum Dei voluntatem, quatenus Deus eos vult puniri.

---

1) *Lectionem* ἐν τῷ ὀνόματι τούτῳ, *quam non probandam censuerat* Ed. maj., *aperte praefert* Ed. 2., *et confidenter exhibet* Vers. germ. E. B.

zed by Google

v. 15. In Christo est voluntas Dei. — πιστῷ κτίστῃ, *fideli creatori*) ei, cui tuto *committuntur* animae, qui *passiones* non ad damnum immittit primo quoque tempore. Viderint Supralapsarii, quomodo Creatorem erga omnes fidelem agnoscant. — παρατιθέσθωσαν, *committant*) tanquam *depositum*, non absterriti, sed potius exhilarati passionibus, quippe quas in optimam partem accipiunt. — ψυχὰς, *animas*) tametsi corpus videatur interire. — ἐν ἀγαθοποιΐᾳ, *in beneficentia*) Haec una patientium cura: *bene* et *agere* et pati. cetera curabit Ille. Constr. cum *committant*. *Beneficentia* semper conjunctam habet fiduciam. c. 3, 6. 1 Joh. 3, 22.

CAPUT V.

v. 1. Πρεσβυτέρους, *presbyteros*) Vocabulum muneris, v. 2., et aetatis, v. 5. — συμπρεσβύτερος, *compresbyter*) Hortatio mutua inter aequales et collegas inprimis valet. apposite et modeste sic se appellat primus apostolorum. — καὶ μάρτυς, *et testis*) Petrus et viderat ipsum Dominum patientem, et nunc passiones sustinebat. — δόξης, *gloriae*) v. 4. 2 Petr. 1, 16. — κοινωνὸς, *consors*) Ap. 1, 9. Stimulus bonorum pastorum.

v. 2. ποιμάνατε, *pascite*) per disciplinam et doctrinam. — τὸ ἐν ὑμῖν) *vobis pro vestra parte commissum*. — μὴ ἀναγκαστῶς, *non coacte*) Necessitas incumbit, 1 Cor. 9, 16. sed hujus sensum absorbet lubentia. Id valet et in suscipiendo et in gerendo munere. Non sine reprehensione sunt pastores, qui, si res integra esset, mallent quidvis potius esse. — [1]) μηδὲ αἰσχροκερδῶς, *neque turpis lucri gratia*) Merces non est prohibita, 1 Cor. 9, 14., sed abesse debet turpitudo, et esse alacritas ingenua. — προθύμως, *libenter*) ut fructus non sit merces, sed pastura.

v. 3. ὡς κατακυριεύοντες, *ut dominantes*) qui tantum praecipiant, elato animo, non humili, et urgeant. Presbyteri postea dominatum sumserunt. unde ex *Seniore* factus est *Signore*, in Italia praesertim. — τῶν κλήρων, *sortibus*) Plurale: singulare, *gregis*. *Grex*, unus, sub uno pastore principe Christo: sed κλῆροι, *portiones* multae, pro numero locorum vel antistitum. Accedit autem sermo ad mimesin. nam coetus non est *sors propria* presbyteri; sed is, qui *dominatur*, ita tractat, ac si *sors* ejus esset. κλῆρος *sors*: inde, portio ecclesiae, quae presbytero pascenda obtigit: inde, pasturae officium: inde, pastores; inde, ceteri *clerici*. quanta metalepsis, et notionis degeneratio tandem. conf. Not. ad Chrys. de Sacerd. p. 504. s. — τύποι, *exempla*) Exemplo impetratur obsequium purissimum. [*quale vix videris praestari acerrimis quibusvis institoribus*. V. g.] Talis communitas frangit dominandi pruritum.

v. 4. φανερωθέντος, *manifestato*) Fidei est, servire Domino nondum viso. — ἀρχιποίμενος) ἀρχιποίμην, penaculum, ut φιλοποίμην, βουποίμην.

v. 5. ὁμοίως, *similiter*) Hortationis praecedentis et subsequentis fundamentum, humilitas. — ἀλλήλοις, *invicem*) etiam citra respectum aetatis. — ἐγκομβώσασθε, *induite*) κόμβος, *nodus*, vinculum, quo illigabantur manicae, praesertim in vestitu servorum. Hesychius: κομβώσασθαι, στολίσασθαι. et, ἐγκομβωθεὶς, δεθείς· et ἐγκεκόμβωται, ἐνείληται. Itaque ἐγκομβώσασθε, *induite vos et involvite*, ut amictus humilitatis nulla vi vobis detrahi possit. — ὁ θεὸς, *Deus*) Vid. Jac. 4, 6. not.

v. 6. κραταιὰν χεῖρα, *potentem manum*) Manus Dei instituit ordines: frangit superbos: exaltat humiles. Qui propter Dominum subjicitur ordinationibus humanis, c. 2, 13., ipsi Domino se submittit. conf. Rom. 13, 2. — ἐν καιρῷ) *in tempore*, opportuno. conf. ὀλίγον v. 10. Petrus saepe spectat diem judicii.

---

1) ἀλλ' — ἀλλὰ, *sed — sed*] Motivum et scopum oportet vitio carere. *V. g.*

Digitized by Google

v. 7. πᾶσαν τὴν μέριμναν, *omnem solicitudinem*) si mundus vos deprimat, vel si multa vobis desint. — ἐπιῤῥίψαντες, *conjicientes*) animose. [*Egregie cum humilitate conspirat immunitas a curis.* V. g.] Ps. 55, 23. LXX, ἐπίῤῥιψον ἐπὶ Κύριον τὴν μέριμνάν σου, καὶ αὐτός σε διαθρέψει. *conjicientes: vigilate.* arcte cohaerent haec duo officia, Luc. 12, 22. 37., et utrique Petrus addit suum *quia.* Deus providet: ergo nolite curare. Diabolus quaerit: ergo vigilate. — μέλει, *curae est*) Id lenius, quam μέριμνα, *solicitudo.*

v. 8. νήψατε, *vigilate*) Haec vestra cura sit. *Vigilate*, anima. — γρηγορήσατε, *vigilate*) corpore. — ὁ ἀντίδικος — καταπίῃ, *adversarius — devoret*) simul et per speciem juris petit pios, et per vim. Ap. 12, 10. — ὠρυόμενος, *rugiens*) cum furore. — ζητῶν, *quaerens*) cum insidiis. — τίνα, *quem*) ex fidelibus maxime. Job. 1, 8. — καταπίῃ, *devoret*) primum quod ad animam, tum quod ad corpus attinet. Maxime autem insidiatur per tristitiam curarum, *fidei* noxiam.

v. 9. τῇ πίστει, *fide*) Constr. cum *resistite.* — τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων, *ea ipsa passionum*) *ea ipsa*, non modo *similia, eu ipsa* regit Dativum *fraternitati.* Sic Lucretius: *eadem aliis sopitus quiete est.* Chrysost. de sacerd. p. 202, εἰς τὴν αὐτὴν ἐκείνοις ἐκπίπτειν μανίαν. Apostoli sensus est: *quae fratribus, eadem vobis exantlantur.* conf. Matth. 5, 12. 2 Cor. 1, 6. Phil. 1, 30. [*Haque non mali indicii res est, siquem diabolus passionibus infestet.* V. g.] — ἐν κόσμῳ) *in mundo* hoc toto, qui jacet in malo, *diabolo*, v. 8. Antitheton ad *gloriam aeternam* Dei. v. 10. — ὑμῶν ἀδελφότητι, *vestrae fraternitati*) ex Judaeis et gentibus. — ἐπιτελεῖσθαι, *peragi*) Sensim mensura impletur passionum.

v. 10. πάσης χάριτος) *omnis* et merae *gratiae*, incipientis et consummantis, *vocantis, fundantis* etc. [Gratiae *est*, *quum vel passiones immittit DEUS.* V. g.] — ἐν, *in*) Constr. cum *qui vocavit.* — ὀλίγον, *paullum*) Quantumcunque videtur, *parvum* et breve est, ad gloriam *aeternam.* — παθόντας, *passos*) *Passiones* aliquae ferendae sunt: tum obtingit *perfectio etc.* — αὐτὸς) *Ipse.* [*hominibus nequicquam conferentibus.* V. g.] Vos tantum vigilate, et resistite hosti: reliqua Deus praestabit. Conf. *Ego*, Jos. 13, 6. 1. — καταρτίσει) *perficiet*, ne remaneat in vobis *defectus.* Indicativo magis, quam optativo, quem aliqui hic legunt, congruit Doxologia subsequens. coll. 1 Tim. 1, 17. 2 Tim. 4, 18. — στηρίξει, *stabiliet*) ne quid vos labefactet. — σθενώσει, *roborabit*) ut superetis vim omnem adversam. Digna *Petro* oratio. Confirmat fratres suos.

v. 11. κράτος) *robur*, cujus effectus v. 10. innuitur.

v. 12. σιλουανοῦ, *Silvanum*) Silvanus sive Silas, Pauli comes, a Paulo ad Petrum videtur missus fuisse. hac occasione Petrus doctrinam et acta Pauli comprobat. conf. 2 Petr. 3, 16. — ὡς λογίζομαι, *ut existimo*) Fidelem fratrem esse Silvanum, non revelatum est Petro, sed ex judicio prudentis charitatis *existimarit*, non multum antehac cum illo conversatus; ideoque epistolam ei commisit. — δι' ὀλίγων ἔγραψα, *paucis scripsi*) In hac ipsa scilicet epistola. Locutio concisa: *scripsi*, scriptum misi, *per Silvanum.* conf. Act. 15, 23. — παρακαλῶν, *adhortans*) Causa brevitatis. *Doctrina* copiosiorem, quam *adhortatio* sermonem postulat. — καὶ ἐπιμαρτυρῶν, *et insuper testans*) Compositum. *testimonium* jam per Paulum et Silam audierant pridem: Petrus *insuper testatur.* 1 Joh. 2, 27. — ταύτην εἶναι ἀληθῆ χάριν) *hanc*, praesentem, 2 Petr. 1, 12. *gratiam, esse veram* illam et olim promissam per prophetas gratiam, neque alteram esse exspectandam. — εἰς ἣν ἑστήκατε, *in qua statis*) Rom. 5, 2. not. In vera gratia debet vera esse nostra statio.

v. 13. ἐν βαβυλῶνι, *in Babylone*) Haec erat Babylon Chaldaeorum, quae scatebat Judaeis. v. Lightf. Hor. in 1 Cor. p. 269. Ex hujus Babylonis prospectu sequitur series regionum, c. 1, 1. not. — συνεκλεκτὴ, *coëlecta*) Sic conjugem

suam appellare videtur. conf. c. 3, 7. erat enim *soror*. 1 Cor. 9, 5. et congruit mentio *filii*, Marci.

v. 14. ἀγάπης) *amoris* sancti. — εἰρήνη, *pax*) שלום i. e. *salutem* vobis precor: valete.

IN EPISTOLAM PETRI SECUNDAM.

CAPUT I.

v. 1. Συμεὼν πέτρος, *Simeon Petrus*) Cognomen solum posuerat ineunte priore epistola; nunc, etiam nomen, extremo tempore admonens se ipsum conditionis pristinae, antequam cognomen nactus erat. Egregie congruit hujus epistolae character cum priore Petri epistola et cum sermonibus ejusdem in actis. Vid. not. ad cap. 2, 22. 3, 1. Partes rursum sunt tres:

I. Inscriptio. cap. I. 1. 2.
II. Iterata sinceri sensus excitatio: qua
  1. hortatur fidei consortes, ut divinis muneribus macti, exhibeant omne studium, ad incrementum in gratia et cognitione Jesu Christi. v. 3—11.
  2. stimulos addit
    1. a verorum doctorum firmitudine. v. 12—21.
    2. a falsorum doctorum pravitate. c. II. 1—22.
    3. munit contra empaectas:
      1. errorem redarguit. c. III. 1—9.
      2. diem novissimum describit, cum hortationibus congruentibus. v. 10—14.
III. Conclusio, qua
  1. suum Paulique consensum declarat. v. 15. 16.
  2. summam epistolae repetit. v. 17. 18.

— δοῦλος καὶ ἀπόστολος, *servus et apostolus*) *servus* ut Domini *Jesu; apostolus* ejusdem, ut *Christi*. — ἰσότιμον, *aeque pretiosam*) *Fides* habet *pretium*, sicut *pretiosa* apprehendit *promissa*. v. 4. *aeque pretiosa* est, ex Jesu Christo, fides eorum, qui Jesum Christum viderunt, ut Petrus et reliqui apostoli; et eorum, qui citra visum credunt: eandem justitiam ac salutem apprehendit. 1 Joh. 1, 3. 1 Petr. 1, 8. — ἡμῖν) *nobis*, apostolis. v. 18. — λαχοῦσι, *sortitis*) Non ipsi sibi pararunt. — ἐν δικαιοσύνῃ, *in justitia*) Ratio τοῦ *aeque pretiosam*. Est haec *justitia Dei, fide* prior: nam fides est *in* justitia. De hac *justitia Dei* conf. Rom. 1, 17. 3, 26. nott. Convenienter additur appellatio σωτῆρος *Servatoris*.

v. 2. ἐν ἐπιγνώσει τοῦ κυρίου ἡμῶν) Brevis haec lectio et simplex, videtur primaeva fuisse et *Latini* interpretis et paullo ante ipsius apostoli. Namque *cognitionem Dei* praesupponit haec epistola; v. 3. *cognitionem* autem *Domini nostri*, nempe *Jesu Christi* urget proprie. v. 8. c. 2, 20. 3, 18., ubi conclusio huic principio respondet. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l.

v. 3. ὡς πάντα ἡμῖν, *ut omnia nobis*) Mira est hujus exordii alacritas, ab ipsa incipiens exhortatione, *subministrate*, v. 5. Hic enim scopus est. v. 13. c. 3, 1. *Omnia*, hic, et *omne*, v. 5., ad sese referuntur. nam ut hic protasis, sic ibi apodosis est. *ut* pertinet ad declarandum, uti 2 Cor. 5, 20. Confer omnino parabolam de decem virginibus Matth. 25. Flammula est id, quod nobis absque nostro labore a Deo et ex Deo impertitur: sed oleum est id, quod homo suo studio et fidelitate affundere debet, ut flammula nutriatur et augeatur. Sic extra parabolam res proponitur in hoc loco Petrino: in v. 3. 4. est flammula: sed v. 5. 6. ss. est id, quod homo, praesupposita divina gratia, ipse affundere debet. — τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ, *divina virtute ejus*) *ejus*, scil. *Dei*. hoc enim re-

Digitized by Google

petendum ex *divina*. Ex virtute Dei, virtus omnis ad vitam et pietatem. — τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν) *ea, quae* pertinent *ad vitam* ex Deo *et studium in Deum*. Ecce, non demum pietate vitam consequimur. *Vitam* affert divina *gloria*, (coll. Rom. 6, 4. not.) *pietatem virtus*. Alteri opponitur *corruptio*, alteri *concupiscentia*. v. 4. — δεδωρημένης, *donante*) Sic, δεδώρηται, *donarit:* bis, activo sensu. sic LXX, Gen. 30, 20., δεδώρηται ὁ θεός μοι δῶρον καλόν. — τοῦ καλέσαντος, *ejus, qui vocavit*) Huc ref. *vocationem*, v. 10. *Vocatio* et *cognitio* sunt correlata. *Cognitio* innuitur Dei, et ad hanc vocat nos Deus. — ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ, *sua gloria et virtute*) Explicatur, quid sit *divina potentia:* ut ad *gloriam* referantur attributa Dei naturalia; ad *virtutem* ea, quae dicuntur moralia. intime unum sunt utraque.

v. 4. δι' ὧν, *per quae*) scil. *per gloriam et virtutem. Gloria* facit, ut *promissa* sint *maxima: virtus*, ut sint *pretiosa*. — ἡμῖν — γένησθε, *nobis — fieretis*) Paulatim jam accedit ad hortationem. Et commutationem personae primae et secundae sustentat τὸ *aeque pretiosam*. v. 1. — ἐπαγγέλματα δεδώρηται, *promissa donarit*) Donum est ipsa promissio; tum, quae eam subsequitur, res promissa. Valde σεμνῶς *graviter* Petrus et in Actis verba faciens et in epistolis scribens, substantiva plurali numero solet ponere. — ἵνα διὰ τούτων, *ut per has*) id est, per Gloriam Ejus et Virtutem. Promissa est ipsa *communio* cum Deo: quare poterat Petrus *quod* dicere; sed *ut* dicit, majore vi. nam promissio ad hoc data est, ut per ipsam allecti, re promissa, magna et pretiosa, potiamur. — θείας κοινωνοὶ φύσεως, *divinae participes naturae*) *Divina natura*, Deus ipse. Sic, *divina potentia:* v. 3. *magnifica gloria:* v. 17. *sanctitas Dei*. Hebr. 12, 10. pro *Deo ipso*. vid. Macar. Homil. 39. Similiter, *natura humana* etc. Jac. 3, 7. Uti τῷ *participes* opponitur *effugientes*, sic *divinae naturae* opponitur *in concupiscentia corruptio*. porro contraria sunt *gloria* et *corruptio*, *virtus* et *concupiscentia*. itaque *divinae naturae* appellatio *gloriam et virtutem* complectitur: eademque dicitur *divina potentia*, quatenus est origo omnis boni; *divina natura*, quatenus nos ad se admittit. Est autem gradatio, differuntque ut pars et totum haec duo: δυνάμεως *POTENTIAE divinae* dona suscipere, et *NATURAE divinae* consortem i. e. sanctum fieri. conf. Rom. 1, 20. — ἀποφυγόντες, *effugientes*) expedite et celeriter. φεύγω, *fugio:* ἀποφεύγω, *effugio*. Haec fuga non tam ut officium nostrum, quam ut beneficium divinum, communionem cum Deo comitans, hoc loco ponitur. conf. c. 2, 18. 20. — τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς, *quae in mundo est in concupiscentia corruptionem*) c. 2, 20. 18. 19. Sententia: *in* mundo est corruptio *in* concupiscentia.

v. 5. καὶ) *etiam*, item. — αὐτὸ τοῦτο, *ipsum illud*) Accurate exprimitur piorum responsus erga dona divina. αὐτὸ τοῦτο [1]) ponitur quasi adverbialiter, pro κατ' αὐτὸ τοῦτο. — σπουδήν, *studium*) *Studium*, multa complectitur, 2 Cor. 7, 11. not., et apud Petrum ea, quae sequuntur. unde huc refertur *studete*, v. 10. Sic *studere*, v. 15. c. 3, 14. — παρεισενέγκαντες, *subinferentes*) παρὰ *sub* modestiam indicat. Deus facit: nos studemus. — ἐπιχορηγήσατε, *exhibete*) Resp. *exhibebitur*. v. 11. Dei dona sequitur studium nostrum; studium nostrum, introitus in regnum. — ἐν τῇ πίστει, *in fide*) Haec dicitur *cognitio*, v. 3., qua gratia et veritas agnoscitur et hanc Deus nobis, perinde ut *vitam*, *suppeditat: fides*, Dei donum, Eph. 2, 8. ideo non jubemur *subministrare* fidem, sed in fide fructus illos, qui septem enumerantur, *fide* chorum ducente, *amore* concludente. — ὑμῶν, *vestra*) Constr. cum *fide*. 1 Petr. 1, 7. 9. 21. — τὴν ἀρετὴν, *virtutem*) qua *virtutem* Dei imitemini, v. 3., et omnia, quae vita spiritualis molitur, strenue efficiatis.

---

1) *Atqui lectio* αὐτοὶ δὲ τούτῳ (ipsi vero huic rei etc.) *et in margine* utriusque Ed. *et in* Vers. germ. *praefertur alteri*. E. B.

Digitized by Google

Praesens quisque gradus subsequentem parit et facilem reddit; subsequens priorem temperat ac perficit. Ordo est autem naturae potius, quam temporis. Ἀρετὴ, *virtus*, strenuus animae tonus ac vigor. 1 Petr. 1, 13. Hanc parit *fides*. 2 Cor. 4, 13. 16. init. Inde γνῶσις, *cognitio, moderatio:* coll. Rom. 15, 14. not. *Virtus* facit alacres, vigilantes, circumspectos, discretos, ut reputemus, quid Dei, quid nostra, quid aliorum causa sit faciendum vel fugiendum, et quomodo, ubi, quando etc. 1 Cor. 16, 18. fin. Inde ἐγκράτεια, *abstinentia*. Hanc parit γνῶσις, quippe quae malum a bono secernit, et mali fugam docet. Inde ὑπομονὴ, *patientia*. Frangit incontinentia mentem: *continentia* mollitiem pellit, nervos confert. Inde εὐσέβεια, *pietas:* sanctificat affectus naturales erga parentes etc. imo etiam erga Creatorem. Omnia *pietatis* impedimenta removet ὑπομονὴ, *patientia*. Inde φιλαδελφία, *dilectio fratrum*. Qui naturales affectus habet sanctificatos, is ad στοργὴν pure spiritualem progreditur. Ἀγάπη, *amor* generalis claudit chorum. Col. 3. versu 14. toto. Qui erga *fratres* recte est animatus, amorem ad alieniores extendit, imo ad hostes. Hinc patet, quomodo praesens quisque gradus subsequentem pariat facilemque reddat. Porro, quomodo sequens quisque priorem temperet ac perficiat, patebit, si hoc schema ordine retrogrado expendatur. Qui habet *amorem, fraternam dilectionem* sine partialitate exercebit. Qui habet *fraternam dilectionem*, sentiet *pietatem* esse plane necessariam. Εὐσεβὴς, *pius*, nil Stoicum admiscebit τῇ ὑπομονῇ, *patientiae*. *Patienti* facilis est *abstinentia*. Ἐγκρατὴς, *continens*, mente serena perpendit omnia et habet γνῶσιν. Γνῶσις cavet, ne ἀρετὴν inconsultus auferat impetus. Oppositorum similis ratio apud malos: *infidelitas* parit *ritium*, etc. — γνῶσιν, *moderationem*) 1 Petr. 3, 7. not.

v. 6. ἐγκράτειαν, *abstinentiam*) quae vitat malas concupiscentias. *Abstine.* — ὑπομονὴν, *patientiam*) qua tolerantur adversa et adversarii. *Sustine.* — εὐσέβειαν, *pietatem*) qua fideles Deum super omnia spectant. Εὐσέβεια potest esse pietas erga necessarios, parentes, fratres etc. sed sanctificata. conf. 1 Tim. 5, 4.

v. 7. φιλαδελφίαν, *fraternam dilectionem*) erga sanctos in Deo vobis conjunctos. — τὴν ἀγάπην, *amorem*) Ex *fraterna dilectione* deducitur *amor*. 1 Petr. 1, 22.

v. 8. ταῦτα, *haec*) *virtus, moderatio etc.* Involvitur conditio: haec si habetis, tum demum habetis veram cognitionem. conf. v. 9., *enim*. — ὑμῖν ὑπάρχοντα, *si vobis adsint*) vere. Eadem phrasis Act. 3, 6. Huc. ref. *non otiosos*. — καὶ πλεονάζοντα, *et abundent*) copiose. Veritatem celeriter sequitur abundantia. Huc ref. *neque infructuosos*: i. e. habebitis fructum bonum et largum, quem producit cognitio I. C. v. 3. — καθίστησιν, *constituunt*) in praesenti. — εἰς, *in*) Conf. εἰς, *in*, Rom. 4, 20. — ἐπίγνωσιν) *agnitionem*, cum *purificatione peccatorum* conjunctam.

v. 9. γὰρ) *enim*, propric. — τυφλός ἐστι, κτλ. *coecus est etc.*) Eximio regressu sermonis depinguntur gradus relapsuum. talis 1) obliviscitur purificationis, peccatorum suorum, *pristinorum*. 2) coecutit ad *praesentia* bona, v. 12. 3) plane coecus est ad *futura*, v. 11. *Regressus* sermonis est in eo, quod temporis *praeteriti* ratio in textu habetur ultimo loco, cum secundum naturam rei dicatur, *praeteritum, praesens, futurum*. — μυωπάζων) Hesychius, μυωπάζων, ὀφθαλμιῶν. — λήθην λαβὼν) *oblivionem nactus*. Aptissima phrasis, participio *nactus* exprimente, quod homo volens patitur. conf. not. ad Rom. 5, 19. Qui cogitat, quam multa sint pristina, a quibus purgatus erat, facilius desistit.

v. 10. μᾶλλον, *magis*) Qui *studium* habent, majus tamen habere debent. — ἀδελφοὶ, *fratres*) In priore epistola nunquam, in altera semel hanc appellationem Petrus adhibet: ex quo gravitas hujus loci apparet. — βεβαίαν, *firmam*) Haec confirmatio fit per *virtutem, moderationem, abstinentiam etc.* unde mox sequitur, *haec enim facientes*. conf. Hebr. 6, 10. — βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκ-

λογὴν, *firmam vestram vocationem et electionem*) id est, vos in vocatione et electione vestri firmos. nam quorum foret τὸ *labi*, eorum est *confirmatio*. *Vocatio* ponitur ante *electionem*, secundum nos.

v. 11. πλουσίως) *abundanter*: ut quovis tempore, *inoffenso* pede, non tanquam ex naufragio vel incendio, sed quasi cum triumpho, intrare possitis; et praeterita, praesentia, futura vos juvent. Hic non jam *aegre* ait Petrus, ut 1 ep. 4, 18. Resp. *abundent*. v. 8.

v. 12. διὸ, *quapropter*) Loquitur ex praegustu sui jam instantis *exitus* et *introitus*. v. 15. 11. — μελλήσω ὑμᾶς ἀεὶ ὑπομιμνήσκειν) Vim lectionis hujusce vix agnoscent, qui non justum habent Graecae linguae usum, vel certe elegantias verbi μέλλω minus callent. Ipsi Graeci recentiores fecerunt, οὐκ ἀμελήσω, ex μελλήσω. μέλλειν, Germ. *sollen*. Sic Gregorius Neocaes. ἀρετὰς ἔχειν ἔτι μέλλω· *nondum habeo virtutes*. Paneg. ad Orig. p. 86. 203. ed. Stutgard. et vulgo, *venire debet*, i. e. *nondum venit*. Itaque Petrus ait, *vos semper admonendos habebo*: nunquam reputabo, quantum vos admonuerim; unum semper cogitabo, vos mihi admonendos esse. Praesens μέλλω, rem futuram innuit: quare μελλήσω est futurum cumulatum: *admoniturus ero*. Hesychius, μελλήσω, σπουδάσω· atque id ipsum synonymon σπουδάσω mox sequitur v. 15., ubi observanda est et σπουδὴ Apostoli, *per literas* se ultra ipsius decessum porrigens; et apta inde vocis μνήμη proprietas. Ammonius, Μνήμη μὲν γίνεται νεκροῦ· μνεία δὲ, ζῶντος. Vid. LXX Eccl. 1, 11. etc. — ἀεὶ, *semper*) Innuit, cur alteram scribat epistolam brevi intervallo post primam. Petrus magis magisque opus esse statuit admonitione propter ingruentem corruptionem malorum hominum. c. 2, 2. — εἰδότας, *scientes*) *veritatem*. — ἐστηριγμένους, *stabilitos*) Affine verbum, διεγείρειν, *excitare*, v. 13. Et firmos eos esse vult, et quam erectissimos. — παρούσῃ, *praesenti*) Veritas, ut in Novo Testamento, praesens est. 1 Petr. 5, 12. not.

v. 13. δὲ, *autem*) Particula declarandi. — σκηνώματι, *tabernaculo*) Innuitur animae immortalitas et brevis mansio in corpore mortali, cum facilitate discessus in fide.

v. 14. ταχινή ἐστιν) *repentina est*. Praesens. qui diu aegrotant, possunt alios adhuc pascere. Crux id Petro non erat permissura. Ideo prius agit, quod agendum est. — ἀπόθεσις, *depositio*) violenta et tamen optata. Sic, *exitum*, v. 15. — ἐδήλωσε, *patefecit*) Patefecerat pridem, Joh. 21, 18. s. *quum senesces*. *Ingruebat* jam senectus Petri. Potest etiam subsecutum esse aliud indicium.

v. 15. σπουδάσω, *studebo*) Hinc pendet, ὑμᾶς ἔχειν, *ut vos habeatis*. Sic quoque Latini *studeo* construunt. — ἑκάστοτε, *quovis tempore*) quotiescunque usus venerit. — ἔχειν) Elegans locutio, ἔχω ποιεῖσθαι. Habituri autem erant, hac eis epistola a Petro relicta. [*coll.* c. 3, 2.]

v. 16. γὰρ, *enim*) Ostendit, dignam rem esse, de qua vel morti proximus scribat; allegans apostolicum testimonium et propheticum sermonem. — σεσοφισμένοις) πλαστοῖς, c. 2, 3. *callide concinnatis*. — μύθοις) *fabulis*, quales de diis suis habebant gentes. — ἐξακολουθήσαντες) Τὸ ἐξ errorem notat, c. 2, 2. 15. Talis error in hac re nullus. — δύναμιν καὶ παρουσίαν, *vim et praesentiam*) ἓν διὰ δυοῖν· i. e. majestatem praesentissimam. δύναμις *vis* opponitur *fabulis*. conf. 1 Cor. 4, 20., ubi opponuntur *sermo* et *vis*. Transformatio in monte specimen est revelationis gloriae in die novissimo: et hanc revelationem spectat omne testimonium apostolorum. Act. 10, 42. — ἐπόπται, *spectatores*) ad intima arcana admissi, v. gr. in monte. — ἐκείνου, *Illius*) Ἐκεῖνος *Ille* remotum quiddam et admirabile et magnum notat. — μεγαλειότητος, *magnitudinis*) Correlata sunt, ut nomen *Patris* et *Filii*, sic *magnifica gloria* et *magnitudo*. *Magnifica gloria*, in textu tribuitur Patri, *magnitudo* sive μεγαλειότης (differt enim vox graeca a voce latina non nihil) tribuitur Filio.

v. 17. λαβὼν, *accipiens*) Participium, pro indicativo. *accepit*, testimonio paterno. — τιμὴν καὶ δόξαν, *honorem et gloriam*) divinam. Mox repetitur vocabulum *Gloriae*. — φωνῆς ἐνεχθείσης, *voce delata*) Hoc graviter iteratur versu seq. — αὐτῷ) *ei* soli. — τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης, *magnifica Gloria*) Sic appellatur Deus ipse.

v. 18. ἡμεῖς, *nos*) Johannes etiam adhuc vivebat. — ἐξ οὐρανοῦ, *ex coelo*) divinitus. — τῷ ἁγίῳ, *sancto*) Ex illa ipsa re sanctus erat mons, illo certe tempore.

v. 19. ἔχομεν βεβαιότερον, *habemus firmiorem*) Non dicit, clariorem, sed *firmiorem*. quare non hic opus est disquirere, de differentia claritatis propheticae ante implementum et post. Sed certe *firmior* fit sermo propheticus ex implemento. Rom. 15, 8. Eandem ob causam propheticus sermo non est firmior apostolico, neque in se, neque respectu eorum, ad quos scribit Petrus. v. 12. 16. [*Neque etiam vel visui vel auditui apostolico praefertur sermo propheticus. Dies nimirum in N. T. obtinet; atque ipsius diei jubar eximium fuit visus et auditus in monte sancto: tantum abest, ut* lychno *debeatur palma*. V. g.] Per se semper firmus erat etiam propheticus sermo: *firmior* autem factus est, non dicam, apud apostolos, sed vel apud auditores, (quorum nomine ait, *habemus*, non *habetis*) quibus apostoli demonstrabant complementum in Jesu Christo factum, et inde porro futurum inferebant. Ea quae ad lucernam debilius videras, dies superveniens te tamen recte vidisse *confirmat*. Vid. not. ad v. 20., *non fit*. — τὸν προφητικὸν, *propheticum*) Mosis, Esajae, et omnium prophetarum sermones unum sermonem sibi undequaque constantem faciunt. Non jam singularia dicta Petrus profert, sed universum eorum testimonium complectitur, ut jam patefactum. conf. Act. 10, 43. Moses adeo in monte simul fuerat. — καλῶς, *bene*) Petrus eos non objurgat tarditatis nomine, qui prophetis adhuc plus credant, quam sibi et ceteris apostolis. Suum cuique fulcrum fidei, quo maxime nititur, quisque laudare debet. Sed tamen ad ulteriora eos invitat. — προσέχοντες ὡς, *attendentes ut*) Intuitum ac respectum *lychni* jubar diei non tollit, sed tamen vincit. lumine majori minus et ut minus agnoscitur et corroboratur: lumine minori ostenditur majoris excellentia. [*Grata reminiscentia inculcatur, coll.* c. 3, 2. V. g.] — λύχνῳ, *lychno*) cujus in nocte usus est. [*At lychnus propheticus juvat etiamnum in die versantes.* V. g.] — φαίνοντι) *qui lucebat*. Est imperfectum, (ut ὄντες v. 18.) nam sequitur: *donec dies dilucesceret* etc. eadem vi temporis, non, in praesenti, διαυγάζῃ, ἀνατέλλῃ, *dilucescat, oriatur*. — αὐχμηρῷ, *obscuro*) ubi neque latex neque lux. — τόπῳ, *loco*) Talis locus, cor nostrum. — ἕως οὗ, *donec*) Non tollitur Scripturae usus omnis apud illuminatos, praesertim in aliis convincendis, ut ipsius Petri exemplum nos docet. Conf. *donec*, Matth. 1, 25. Sed tamen illuminati jam id ipsum habent, quod prophetae testantur. quare v. gr. Johannes in Ep. I. ad tales scribens et se scribere toties commemorans, nunquam ad τὸ *scriptum est* propheticum provocat; tantum testimonium apostolorum allegat. nam tenebris pulsis lux lucebat, 1 Joh. 2, 8. Et sic reperias τὸ *scriptum est* multo saepius occurrere in antiquioribus N. T. libris, quam in iis, qui postremo scripti sunt. — ἡμέρα, *dies*) plena lux N. T. En! ut differt lychnus et dies, sic lux V. T. et N. T. 1 Joh. l. c. — διαυγάσῃ, *dilucesceret*) perruptis tenebris. — φωσφόρος, *lucifer*) Jesus Christus: Ap. 22, 16.

v. 20. τοῦτο, *hoc*) Ratio τοῦ *bene facitis*. quippe *hoc scitis*. — πρῶτον) *prius*, quam ego dico. Germ. *vorhin*. Sic c. 3, 3. Petrus in his epistolis non docet, sed commonefacit. — προφητεία γραφῆς) *prophetia*, quae extat in *Scripturae* corpore. — ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται, *propriae interpretationis non fit*) ἐπίλυσις ex ἐπιλύω, Marc. 4, 34. Act. 19, 39. פתר Graeci quidam, ἐπέλυσε, Gen. 41, 12. Ut *callide concinnatis fabulis* opponitur spectatio apostolica; sic *propriae*

interpretationi opponitur φορὰ *vectura* prophetica. Itaque ἐπίλυσις dicitur *interpretatio*, qua ipsi prophetae res antea plane clausas *aperuere* mortalibus. *Prophetia* nec primo humana est, *nec* a se ipsa unquam ita desciscit, ut incipiat esse verbum *propriae*, i. e. humanae ἐπιλύσεως, sed plane divinae patefactionis est, et in rebus exituque talis esse cognoscitur, imo etiam *firmior* fit. Ita cohaeret *enim*, v. 21. — οὐ γίνεται) *non fit*. Quod semel vere dictum est per prophetas, hodienum manet veritas. Lychnus non est dies; sed tamen vincit tenebras.

v. 21. θελήματι) *voluntate*, studio. LXX Jer. 23, 26. Homo saepe, quod *vult*, fingit in fabulis, aut occultat in errore. conf. *volentes*. c. 3, 5. — ἀνθρώπου) *hominis*, meri. Antitheton, *sancti Dei homines*. prophetarum definitio. — ἠνέχθη, *lata*) Sic v. 17. 18. Hebr. נשׂא a נוּשׂ *ferre*. — ποτὲ) *unquam*, remoto aut propiori tempore. *hinc prophetia* sine articulo, indefinite dicitur. — ἀλλ' ὑπὸ, *sed a*) Conf. Joh. 11, 51. — φερόμενοι, *recti*) Resp. ἠνέχθη, *lata est*. Pulcerrimum antitheton: non ferebant, sed ferebantur. passive, non active, se habuerunt. Quod fertur; nulla sua vi, non suo labore movet et promovet. Conf. de prophetis, Ps. 45, 2. Jer. 36, 18. Mox verbum *locuti sunt* denotat quoque facilitatem propheticam. — ἐλάλησαν, *locuti sunt*) Hoc quoque ad *calamum* spectat, *scripturae*. *Locuti sunt:* hoc praeteritum ostendit, Petro proprie sermonem esse de prophetis V. T. conf. cap. 2, 1. not. et cap. 3, 2. — ἅγιοι, *sancti*) quia *sanctum Spiritum* habebant.

CAPUT II.

v. 1. Ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται, *extitere autem etiam pseudoprophetae*) Antitheton ad veros prophetas V. T. de quibus c. 1, 19. καὶ, *etiam*. — λαῷ, *populo*) Israël. Ad Israëlitas scribit. Exemplum pseudoprophetae, v. 15. — ἔσονται) *erunt*. et jam esse coeperant tum. Prophetia, antehac data, nunc iterata. c. 3, 2. Jud. v. 4. 14. — ψευδοδιδάσκαλοι, *falsi doctores*) Antitheton ad veros doctores N. T. — παρεισάξουσιν, *subintroducent*) παρὰ *praeter* doctrinam salutarem de Christo. — αἱρέσεις ἀπωλείας) *haereses* non modo malas, sed pessimas; *perditas*. — καὶ) *etiam*. congruit epitheton *celerem*, vocabulo *perditionem* iterato additum. — τὸν ἀγοράσαντα αὐτούς, *eum qui emit ipsos*) cujus idcirco confessioni immori debebant. c. 1, 16. — δεσπότην) quem vera doctrina *Dominum* testatur. — ἀρνούμενοι, *negantes*) doctrina et operibus. Jud. v. 4. *negant*, illum vere venisse in carne, et sic totum *redemtionis* mysterium tollunt. 1 Joh. 4, 2. s. — ἐπάγοντες, *inferentes*) Homo *infert* sibi: Deus *infert*, ut vindex. v. 5. — ταχινὴν, *celerem*) ob celerem adventum Domini.

v. 2. πολλοὶ, *multi*) Triste! — ἀσελγείαις) Alii, ἀπωλείαις. sed ἀσέλγειαι, non ἀπώλειαι, plurali numero, apud Petrum et alibi leguntur: et *luxuria* est illa esca, quae *multos in sequelam* trahit. Jud. v. 4. Sequelam illam demum *excipit perditio*: *luxuria*, non perditio, ita in oculos incurrit, ut homines ad *blasphemandam veritatis viam* inducantur: eademque crimen illud est, quo poena versu 6. memorata contrahitur. In tali varietate facile est, pro alterautra lectione rationes producere: sed non opus est, ubi codicum testimonio peragitur decisio. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — δι' οὓς, *propter quos*) Ref. ad *eorum*. — ἡ ὁδὸς, *via*) v. 15. 21. Gen. 24, 48. דרך אמת ἐν ὁδῷ ἀληθείας. — βλασφημηθήσεται, *blasphemabitur*) ab iis, qui foris sunt, discrimen ignorantibus verorum et falsorum Christianorum.

v. 3. πλεονεξίᾳ, *avaritia*) v. 14. — πλαστοῖς, *fictis*) ut faciunt mangones. — ὑμᾶς ἐμπορεύσονται) LXX, ἐμπορεύεσθαι cum accusativo pro Hebr. סחר ponunt, Gen. 34, 21. Prov. 3, 14. Ez. 27, 21. ed Vat. Sensus: *mercaturam in vos exercebunt*. dabunt verba: accipient pecunias. Plinius, de medicis quibusdam: *Nec dubium est, omnes istos, famam noritate aliqua aucupantes, ani-*

mas statim nostras negotiari. Plin. lib. 29. cap. 1. — οἷς, *quibus*) Ad consolandos et muniendos pios pertinet, quod poena copiose describitur ante commemorationem operum impiorum. — ἔκπαλαι) quasi *ex-olim*. a lapsu angelorum. — οὐκ ἀργεῖ) *non est otiosum*. i. e. plane viget. unum idemque est judicium super omnes peccantes, quod in animo Judicis sine intermissione agitatur, dum erumpit: et in iis, qui puniti in Scriptura memorantur, ostenditur, quid ceteros maneat; tametsi peccantes putant, illud cessare, ipsique *dormitant*. — ἀπώλεια αὐτῶν, *pernicies eorum*) *pernicies*, cui adjudicabuntur. Sic quoque *judicium et pernicies*, conjunctim, c. 3, 7. — οὐ νυστάζει, *non dormitat*) Idem verbum, Matth. 25, 5. not. Conf. *norit*, v. 9.

v. 4. εἰ, *si*) Apodosis extat v. 9. — ἀγγέλων, *angelis*) creaturis nobilissimis. Rom. 8, 38. not. — οὐκ ἐφείσατο, *non pepercit*) Sic quoque v. 5. Severum innuitur judicium in eos, quibus parsum iri putasses. — σειραῖς) σειρὰ, *plecta*, ex vimine, cannabi, crinibus etc. Sic, δεσμοῖς, *vinculis*, Jud. v. 6. — ζόφου, *tenebrarum*) Tenebrae ipsae vinctos tenent, suntque pro catenis. Sap. 17, (17.) 18., ἀλύσει σκότους ἐδέθησαν. — ταρταρώσας) Nomen ὁ καὶ ἡ τάρταρος, plur. τάρταρα, verbum ταρταρόω, neque in N. T. alias extat, neque apud LXX interpretes. Itaque significatio aliunde est repetenda, ex Homero, Hesiodo, Platone: apud quos *tartarus* est locus infimus in rerum natura, caligine et frigore horridissimus. Unde Hesychius, τάρταρος, ὁ ὑπὸ τὴν γῆν κατώτατος τόπος. Eustathius ad Il. H. τάρταρος, ὃς φερωνύμως τετάρακται, ἀὴρ ὑπόγαιος καὶ ἀνήλιος, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ψυχρός. κτλ. Quam notionem confirmat hoc loco vocabulum ζόφου, *tenebrarum*. Indo ταρταροῦν, ex ταρταρόω, (formae θανατόω, κατιόω, κυκλόω, πυρόω, σκοτόω, σταυρόω, ταπεινόω, φιμόω) est *tartaro*, sive *tenebris, addicere et tradere*. Possunt autem v. gr. in terra quoque versari mancipia tartari: Luc. 8, 31. Eph. 2, 2. Ap. 9, 11. 14. 12, 9. etc. sicut bello captus etiam extra locum captivitatis potest ambulare. Gradatim igitur angeli, qui peccarunt, ταρταροῦνται ad tartara dantur. — παρέδωκεν) *tradidit*, sicut judex captivum tradit ministris. conf. Ap. 20, 2. — εἰς κρίσιν τηρουμένους, *in judicium servatos*) *judicium magnae diei*. Jud. v. cit.

v. 5. ἀρχαίου, *antiquo*) antediluviano. — ὄγδοον νῶε, *octavum Noe*) Noe cum suis, *octo* erant. Hunc usum numeralium apud Graecos demonstrat Raphelius. conf. 1 Petr. 3, 20. *Octo* animis opponitur *universitas, mundus impiorum* numerosissimus. — δικαιοσύνης κήρυκα, *justitiae praeconem*) Non solum ipse erat justus, sed etiam justitiam mundo praedicarat. — κατακλυσμὸν, *diluvium*) Quamvis igitur pii serventur, tamen impii non possunt sperare, cum illis se servatum iri.

v. 6. πόλεις, *urbes*) Ergo similia peccata etiam in vicinia Sodomorum fuere, Gomorrhae etc. — τεφρώσας καταστροφῇ) Gen. 19, 25. 29. verbo καταστρέφειν et καταστροφὴ utuntur LXX. — τεθεικὼς, *ponens*) Irrefragabile monumentum erat Dei et judicii divini.

v. 7. δίκαιον, *justum*) Gen. 19, 1. 7. — ἀθέσμων, *nefariorum*) eorum, qui contra naturam peccabant. — ἐν ἀσελγείᾳ, *in luxuria*) ib. v. 5.

v. 8. ὁ δίκαιος — ψυχὴν δικαίαν, *justus — animam justam*) suam. Concinne notatur dolor reflexus. Lot se cruciabat: et cruciatus erant rei Sodomitae. — ἡμέραν ἐξ ἡμέρας) Sic LXX non semel יום יום exprimunt. — ἔργοις) *factis*, dictis.

v. 9. οἶδε) *novit*, et meminit; etiam ubi nullum homines auxilium norunt. Specimina hoc ostendunt. De *voluntate* Domini, dubium non est. — εὐσεβεῖς, *pios*) qualis *Noë* et *Lot*. *pios* et justos. — ῥύεσθαι, *eripere*) Plura exempla, Jer. 39, 11. 18. 45, 5. — ἀδίκους) *injustos* et impios, quales multi modo memorati.

Digitized by Google

— κολαζομένους) *cruciandos*, futurum: et tamen praesens, quia poena certa et imminens. v. 3.

v. 10. μάλιστα) Hi *maxime* punientur. — ὀπίσω, *post*) Genus, *post carnem proficisci*: species, *post carnem proficisci in concupiscentia pollutionis.* — καὶ, *et*) Partitio, de impuritate et blasphemia: *post* —, *et dominationem* —. Hoc tractatur mox: *audaces etc.* illud, *voluptatem etc.* v. 13. Utraque tractatio habet nominativum et verbum finitum. Eadem duo capita respiciuntur v. 18., *superba*: *pelliciunt.* — κυριότητος καταφρονοῦντας, *dominationem contemnentes*) In hac propositione *dominationem* appellat; mox, in tractatione, δόξας *dignitates:* altero alterum connotans. Utrumque, grandi metonymia abstracti pro concreto, angelos eosque peccatores (quanquam Hornejus in Ep. Jud. de sanctis angelis accipit) significare videtur. nam illud *judicium blasphemum*, quod hic contra *dignitates* ab angelis ferendum negatur, v. 11., idem *diabolo* ab archangelo illatum negat Judas v. 9., sermone magis definito, sententia eadem. *Dominatio* videtur dici *princeps spirituum lapsorum: dignitates, ceteri spiritus lapsi.* Certe etiam Judas v. 8. singularem et pluralem observat: *dominationem spernunt, dignitates vero blasphemant.* Uterque apostolus de creaturis, quas impii *non norint*, loqui se ostendit. Angeli, qui peccarunt, tamen, ut creaturae Dei, habent bonitatem, ut ait Gerh. ad h. l. et in sua natura praestantissima, quam a Creatore acceperunt, characterem retinent indelebilem majestatis; conf. Luc. 10, 18. 19. Matth. 12, 26. 29. Joh. 14, 30. 2 Cor. 4, 4. quam non ipsorum, sed Dei causa reverenter habere debemus. conf. Jac. 3, 9. not. Etenim hoc magnificentissimum est divini judicii reservatum, quod in angelos exercetur. huc nullus angelus, nullus homo, nedum impius (Sir. 21, 27., ἐν τῷ καταράσασθαι ἀσεβῆ τὸν σατανᾶν, αὐτὸς καταρᾶται τὴν ψυχὴν αὐτοῦ·) sua auctoritate, se ingerere debet: id autem nescio quomodo hi, quos Petrus Judasque notant, conabantur, spiritualia omnia susque deque habentes. v. 12. Jud. v. 10. 19. Vide majestatem sanctorum, quibus potestas erit judicandi angelos. 1 Cor. 6, 3. v. Ad *Sashout* f. 472. 480. — τολμηταὶ, *audaces*) tametsi Michaël *non ausus est.* Jud. v. 9. Casus rectus mox habet verbum, *non contremiscunt.* Multi comma ponunt, τολμηταὶ, αὐθάδεις· sed quin substantivum et adjectivum copulentur, causa nulla est. αὐθάδεια τόλμαν *superbia audaciam* parit: *audaciam* mox notat τὸ οὐ τρέμουσι. — οὐ τρέμουσι, *non contremiscunt*) tametsi *robore et potentia* pusilli sint. — βλασφημοῦντες, *blasphemantes*) *Blasphemia*, prius illorum crimen; cujus radix praemittitur, *audacia, superbia.* Sic alterum, *impuritas*, v. 14., cujus radix item praemittitur, *luxus.* v. 13.

v. 11. ὅπου) *ubi*, pro *cum.* Particula elencho apta. 1 Cor. 3, 3. — ἄγγελοι, *angeli*) atque adeo archangelus. Quod Petrus, lectoribus vel jam notum vel nondum aperiendum, in mente habuit; id Judas postea expressit. Utriusque epistola, proprie parallela. — ἰσχύι) *Robore* jus defenditur: et haec ambo inter se conveniunt. Homines utrinque, pusilli; angeli, majores: Deus, optimus maximus. — μείζονες, *majores*) Asteismus gravis, *majores* homunculis. — οὐ φέρουσι κατ' αὐτῶν, *non ferunt contra eas*) id est, *non inferunt dignitatibus etc.* Jud. l. c. — παρὰ κυρίῳ) *apud Dominum.* Judicem, eumque praesentem, reveriti, abstinent judicio. — βλάσφημον) *Blasphemum* interdum est, quod tametsi vere, at non convenienti ratione dicitur in aliquem. Deo convenit judicium, non angelis.

v. 12. ἄλογα ζῶα, *irrationalia animalia*) Hoc multum distat ab angelis. Ps. 49, 21. — φυσικὰ γεγεννημένα) *naturalia nata*, ignobilia ex ipso suo ortu, et ex suo principio φυσικῶς, *naturaliter*, agentia, Jud. v. 10. naturali sensuum ductui obsequentia, in pastu etc. nec quicquam his superius, supernaturale, spirituale noscentia. sequitur, *in his quae ignorant.* — εἰς ἅλωσιν καὶ φθοράν, *in*

ed by Google

capturam et corruptionem) Antitheton ad homines, qui ad *libertatem et gloriam* coelestem debebant contendere. — βλασφημοῦντες, *blasphemantes*) Magna cautio in sermone esse debet. — ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται, *in corruptione sua plane corrumpentur*) *Pernicies* iniquitatis, justam habet mercedem, *plenam perniciem* miseriae. Alia de re LXX, φθορᾷ καταφθαρήση. Ex. 18, 18.

v. 13. κομιούμενοι) *auferentes* libenter. — ἡδονὴν) *voluptatem* illam, quam homo summe debeat appetere. [*et quae alia omnia continet*, V. g.] — ἡγούμενοι, *ducentes*) Similis phrasis, c. 3, 15. — ἐν ἡμέρᾳ) *in die* agaparum praesenti quovis, secure; quicquid vecturus sit crastinus. — σπῖλοι καὶ μῶμοι) *maculae* per se; *dedecora*, alios ad ipsius ecclesiae vituperationem irritantia. Ut *maculae* nitidissima quaeque pessime dehonestant; sic isti agapas vestras. — ἐντρυφῶντες) *deliciantes* ita, ut sibi indulgeant, ceteris illudant. Verbum μέσον· idemque posuere, sequente ἐν, LXX. Es. 55, 2. 57, 4. — ἀπάταις) Judas v. 12., ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν· Petrus, ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν, gravi paragrammate utens. Observavit hoc Anonymus in MS. Catena, Millio laudatus: οὐ δι᾽ ΑΓΑΠΗΝ καὶ τὸ μεταλαβεῖν ἁλῶν, φησὶ, συνευωχοῦνται ὑμῖν, ἀλλὰ διὰ τὸ καιρὸν εὑρίσκειν τῆς πρὸς γυναῖκας ΑΠΑΤΗΣ ἐπιτήδειον. Certe ad *agapas* Petrum alludere, apparet ex eo, quod et uterque addit, *conviantes;* et alter *deliciantes*, alter *se ipsos pascentes*. — συνευωχούμενοι ὑμῖν) εὐωχία, epulum lautum, maxime sacrum. ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν τοὺς συνιόντας εἰς εὐφροσύνην τιμῇ τοῦ θείου, καὶ εἰς ἄνεσιν ἑαυτοὺς καθιέναι. vid. Eust. fol. 281. ed. Rom.

v. 14. μοιχαλίδος, *adulterae*) Occupavit oculos eorum *adultera*, i. e. concupiscentia alliciens. Parallelum, *peccati*. — δελεάζοντες, *pellicientes*) oculis illis, ad flagitia carnis. — καρδίαν, *cor*) Praeter *oculos* fit etiam *cordis* mentio. Ez. 6, 9. — κατάρας, *maledictionis*) non *benedictionis* in Christo. 1 Petr. 3, 9. *maledictio* maxime *avaritiam* sequitur. v. ss.

v. 15. ἐξακολουθήσαντες τῇ ὁδῷ τοῦ βαλαὰμ, *secuti viam Balaam*) Vid. not. ad Jud. v. 8. ex Es. 56. — βοσὸρ, *Bosor*) Hoc, et *Beor*, synonyma. vid. Hill. onom. p. 700. 763. 774. Sigma pro ϱ per *Chaldaismum* a Petro apud Babylonios scriptum statuit Lightf. Hor. in Act. p. 270.

v. 16. ὑποζύγιον ἄφωνον· προφήτου, *jumentum mutum: prophetae*) Grave antitheton. Tanta Bileami fuit amentia, quae ne elencho careret, asina fari debuit. — ἄφωνον) *expers vocis*, humanae.

v. 17. οὗτοί εἰσι, *hi sunt*) A v. 10. ad 16. descriptus est character falsorum doctorum: nunc ipsa eorum ratio notatur, qua ad discipulos utuntur. — πηγαὶ, *putei*) *Puteus* et *nubes* aquam pollicentur: sic illi ὑπέρογκα *praegrandia* jactant, quasi lumina ecclesiae. conf. v. 10. 19. init. sed hi *putei*, hae *nubes*, nil praebent. *praegrandia* illa sunt *vanitatis*. — νεφέλαι, [1]) *nubes*) nebulones. — οἷς, *quibus*) Non refertur hoc ad *putei*, *nubes:* sed ad *hi*. Definitio ponitur pro definito, ἀστέρες πλανῆται, *stellae erraticae*. coll. Jud. v. 13. not. — ὁ ζόφος τοῦ σκότους) ζόφος est *horror algidus*, quem habet σκότος. conf. not. ad Hebr. 12, 18. — τετήρηται, *servatus est*) Ideo maxime, quia tot animas auferunt. v. seq.

v. 18. σαρκὸς ἀσελγείας) Σὰρξ ἀσελγείας est *caro impudicissima*. Multi pro ἀσελγείας scripsere ἀσελγείαις, plane proclivi post ἐπιθυμίαις calami in rhythmum lapsu. — τοὺς ὀλίγως ἀποφεύγοντας τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους, *eos, qui parum aufugiebant a versantibus in errore*) τοὺς iteratum, non est appositio, sed ἀποφεύγοντας, coll. v. 20., regit illud τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους, ut notetur, quid effugerint: et hi ἀναστρεφόμενοι sunt vel iidem falsi doctores vel alii. Ac-

---

1) *Lectionem* καὶ ὁμίχλαι (et nebulae) *praefert margo* utriusque Ed., *suffragante* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

cusativus accusativum regens, uti Luc. 18, 9., ἐξουθενοῦντας τοὺς λοιποὺς. Pro ὀλίγως, alii ὄντως. Pari proclivitate utrumvis pro altero arripuere librarii. Verbum compositum ἀποφεύγειν per se tantam vim habet, ut etiam citra adverbium ὄντως eos denotet, qui *revera effugiunt*, v. 20. c. 1, 4. at ὀλίγως ei verbo adjectum, insigne quiddam superaddit. *Simul atque* eos, qui in errore versantur, effugerunt aliqui, hi miseri ab illis denuo capiuntur. Talis celeritas notatur versu 21. et 22., propter quam videlicet stultus manet stultus, Prov. 26, 11., canis canis, sus sus. In apparatu accidit mihi, ut minus, quam et margo textûs et rationes ferrent, lectioni ὀλίγως tribuerem.

v. 19. ἐλευθερίαν, *libertatem*) ut nec diabolum reformident, nec carnem fastidiant. — ᾧ γάρ τις ἥττηται) *cui enim aliquis se superandum permisit, victumque se praebuit*. — τούτῳ καὶ δεδούλωται) 1 Sam. 17, 9. Theocr. Idyll. 22., σὸς μὲν ἐγὼ, σὺ δ' ἐμὸς κεκλήσεαι, εἶλε κρατήσω.

v. 20. ἀποφυγόντες, *effugientes*) Hoc de iis, qui pelliciuntur, dicitur, uti v. 18. Atque hi pellicientium cladi implicantur. *supernntur*. — μιάσματα, *inquinamenta*) *corruptionem* ferentia. — τούτοις) His, impuris. — δὲ, *autem*) Antitheton inter duo participia. — χείρονα, *deteriora*) Antitheton, *melius*, v. 21.

v. 21. ἢ ἐπιγνοῦσιν, *quam cognoscentibus*) Subaudi *est*, ex *erat*. — παραδοθείσης, *tradito*) Jud. v. 3.

v. 22. δὲ, *autem*) Mirere, illos ita recedere; *sed* minus mirum. erant enim antea, et manent, canes et porci. — παροιμίας) מִשְׁלֵי LXX, παροιμίαι σολομῶντος. Prov. 1, 1. Ibid. c. 26, 11. ὥσπερ κύων ὅταν ἐπέλθῃ ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ ἔμετον, καὶ μισητὸς γένηται κτλ. Proverbia Salomonis saepe citarat Petrus, epistolae prioris capite 1, 7. 2, 17. 4, 8. 18. nunc citat in altera quoque. Addatur hoc ceteris de uno utriusque epistolae scriptore argumentis. — ἑξέραμα, *egeriem*) Animantia, quae inter homines degunt, facilius ingluviem contrahunt, quam ferae. Rarum vocabulum, et jambici carminis vestigia notat Gatakerus:

Κύων ἐπιστρέψας ἐπ' ἴδιον ἑξέραμα
Ὡς θ' ἡ λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου.

Quis non fastidiat *egeriem* peccati?

CAPUT III.

v. 1. Ἤδη, *jam*) Priorem igitur paullo ante scripserat. Epistolae 7. canonicae ab apostolis fere ante decessum eorum scriptae sunt. Dum in vita erant, minus opus esse statuerant. — αἷς, *quibus*) Syllepsis. i. e. in qua, ut in priore. — ἐν ὑπομνήσει, *in admonitione*) c. 1, 12. s. Jam *scitis*, v. 3. tantum admonitione opus est. Jud. v. 5. — εἰλικρινῆ, *sinceram*) nullo errore adulteratam.

v. 2. προφητῶν, *prophetis*) Jud. v. 14. — τῶν ἀποστόλων, ἡμῶν) Appositio, uti Act. 10, 41. Alii, τῶν ἀποστόλων ὑμῶν, *apostolorum vestrorum*, inter vos hac aetate versantium; in antitheto ad prophetas veteres. conf. *apostolus gentium*, Rom. 11, 13. — τοῦ κυρίου, *Domini*) Constr. cum *Apostolorum*.

v. 3. πρῶτον, *primum*) Sic c. 1, 20. not. — γινώσκοντες, *scientes*) Casus rectus cohaeret cum *memores esse*. conf. Act. 15, 23. not. *Norant* pii ex sermone apostolorum. Jud. v. 17. s. — ἐλεύσονται) *venient*, majore numero et protervia. quo ipso veritatem hujus praedictionis ipsi confirmant. — ἐμπαῖκται, [1]) *illusores*) Sic LXX, Es. 3, 4. pro תעלולים qui gravissima levissime agunt, etiam sine joco et risu. [*Toti in eo sunt, ut illudant, nullum praeterea placitorum*

1) *Plenior lectio* ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐμπαῖκται *et in margine* utriusque Ed. *praefertur*, *et in* Vers germ., *quae habet* lauter Spötter, *vel potius* (*ut in* marg. *Vers. germ. legitur*) Erz-Spötter. E. B.

Digitized by Google

fundamentum habentes. V. g.] — [1]) ἐπιθυμίας, *concupiscentias*) Haec origo erroris: radix Libertinismi.

v. 4. ποῦ ἔστιν; *ubi est*) Putant, aut jam fieri debuisse, aut nunquam fore. Hac etiam mente dicunt, *omnia sic permanent.* — ἡ ἐπαγγελία, *promissio*) Empaectae sic appellant, non respectu sui, sed per mimesin, quia piis est optata *promissio.* — αὐτοῦ, *Ejus*) Domini venientis, quem appellare dedignantur. — ἀφ' ἧς, *ex qua*) scil. ἡμέρας, *die.* — οἱ πατέρες, *patres*) qui promissione nitebantur. — πάντα, *omnia*) coelum, aqua, terra. — οὕτω, *sic*) Adverbium praegnans. i. e. sic permanent, ut permanent. — ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, *ab initio creaturae*) Illud saltem hi empaectae confitentur, mundum non esse ab aeterno.

v. 5. λανθάνει γὰρ, *latet enim*) Causa, cur ita dicant. Antitheton, *ne latent.* v. 8. — τοῦτο, *hoc*) Nominativus. — θέλοντας, *volentes*) Voluntaria ignorantia. Petulanter negligunt considerationem diluvii. — οὐρανοὶ — γῆ, *coeli — terra*) Coeli et terra ante diluvium non ad substantiam, sed tamen ad qualitatem multo erant aliter, atque nunc. — ἦσαν ἔκπαλαι) *fuerant, olim,* perinde ut nunc. Aeque incredibile, inquit Petrus, videri potuit diluvium, atque interitus mundi per ignem: et tamen illud evenit; et hoc eveniet. Quomodo empaectae argumentabantur contra finem mundi per ignem, sic potuissent homines ante diluvium argumentari contra diluvium. Sed ut horum argumentum, teste eventu, inane erat: sic illorum quoque. Instantia de diluvio infringit τὸ *sic* empaectarum. Plusquamperfectum respicit a tempore diluvii ad tempus creationis: eoque refertur etiam *tunc.* v. 6. — ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος, *ex aqua et per aquam*) Gradatio. aqua terram texerat: *ex* aquis terra emersit; et aqua *inservit*, ut terra consisteret, sicut Creator eam formavit et collocavit. Aqua ceteroqui levior est, et terra inferiores partes petit, usque eo, ut omnis aqua, in linea recta a superficie ad centrum orbis hujus sive rotundi systematis, terram semper sub se habeat: sed in ipsa superficie terra passim supra aquas plus minusve eminet; et vel hunc aqua locum quasi invita, et potentissimo jussu divino coacta, terrae concessit et reliquit. Ex. 20, 4. Ps. 24, 2. 104, 5—8. 136, 6. Job. 38, 10. s. 4 Ezr. 16, 59. — συνεστῶσα, *consistens*) sc. *erat.* Notatur compages, et diuturnitas. et sic *consistens* respondet τῷ *olim.* Hoc participium (Anglis ambiguum, *standing,*) Thomas Burnetius non modo ad *terram*, sed etiam ad *coelos* refert, lib. II. theor. tellur. c. 5. Quo errore animadverso, multa, quae Burnetius ei superstruit, vitaveris. — τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ, *Dei verbo*) Gen. 1, 6. 9. Constr. cum *erant* expresso et *erat* subaudito. Verbo Dei definitur duratio rerum omnium, ut nec longior illa nec brevior esse queat.

v. 6. δι' ὧν, *per quae*) per coelos et terram; unde aqua confluxit. — ὁ τότε κόσμος, qui *tum* erat *mundus*) id est, genus humanum: neque enim ἀπώλεια *interitus* coelo et terrae, ut Burnetius accipit, adscribitur hoc loco. conf. v. 7. fin. et v. 10. seqq. Fuit universalis cataclysmus. — ἀπώλετο, *periit*) Sequitur epitasis: *judicii et perditionis.* v. 7. Respondet illud, *peribunt, judicabuntur.* Rom. 2, 12. Ante diluvium dixit Deus: *Non judicabit Spiritus meus in hominem in aeternum.* Gen. 6, 3. Reservatum est judicium diei novissimo.

v. 7. οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ, *qui autem nunc sunt coeli*) Iidem coeli sunt eademque terra, atque olim; (quanquam non levem videntur in diluvio mutationem subisse:) sed empaectae perinde loquuntur, ac si plane non essent eadem. Horum sensum exprimit apostolus. δὲ *autem* facit antitheton: *aqua*, et, *igni.* Ignis confutabit empaectas. Hic quoque versus pendet a *quod.* v. 5. — τῷ αὐτοῦ) Raro ponitur articulus ante αὐτοῦ. [2]) sed sic ponitur Hebr. 2, 4. Jac. 1, 18.

---

1) κατὰ τὰς ἰδίας — πορευόμενοι, *secundum proprias — ambulantes*] Exactissima haec perditi hominis descriptio est, ut, quicquid libuerit, agat, neque ulla DEI reverentia refrenetur. *V. g.*

2) *Attamen lectio* αὐτῷ, *per marginem* Ed. maj. *ad non probandas relata, in margine* **Ed. 2. *aequiparatur lectioni* αὐτοῦ, *et* Vers. germ. *habet:* durch eben das Wort. E. B.

— τεθησαυρισμένοι, *repositi*) Itaque coeli et terra non senescunt citius. — πυρὶ, *igni*) Dativus. Cogitentur phaenomena ignea, quae nostra aetate ex alto aethere saepius promicant. — τῶν ἀσεβῶν, *impiorum*) horum ipsorum, et reliquorum.

v. 8. ἓν δὲ τοῦτο) *unum vero hoc*, quod scilicet ad hanc rem attinet. Hoc unum ad *docendum* pertinet in hac epistola, ceteroqui monente, non docente. — μὴ λανθανέτω) *nolite* committere, ut vos *lateat*. — ὑμᾶς, *vos*) Antitheton, *illos*, v. 5. Empaectis non tam copiose respondet, quam fideles docet. — μία ἡμέρα παρὰ Κυρίῳ ὡς χίλια ἔτη, καὶ χίλια ἔτη ὡς ἡμέρα μία) Ps. 90, 4. LXX, ὅτι χίλια ἔτη ἐν ὀφθαλμοῖς σου, κύριε, ὡς ἡμέρα ἡ ἐχθὲς ἥτις διῆλθε, καὶ φυλακὴ ἐν νυκτί. Antecedentia hanc vim habent: Perfugium nostrum Tu es, aeterne Deus, non nos ipsi caduci homunciones. Ratio: *nam mille anni* etc. Moses aeternitatem Dei aliquanto magis absolute describit: Petrus, cum relatione ad diem novissimum et ad homines cum spectantes: ut et notetur ipsa aeternitas, qua omnem temporis mensuram admirabiliter in essendo et in operando excedit; et connotetur scientia divina, cui omnia futura coram sunt; et Potentia, quae non longis eget moris ad suum opus perficiendum; Longanimitasque, a qua omnis abest impatientia exspectationis et cupiditas festinationis. *Apud Dominum unus dies est instar mille annorum:* (hoc Petrus addit ad Mosis dictum:) i. e. In uno die, in uno puncto, aeque beatus est, atque in mille annis et omni aevo: in uno die operari Ille potest opus millennii. unde versu seq. infertur: *non tardat:* semper Ei integrum est, *promissionem* suam implere. *Et mille anni instar unius diei sunt:* (sic Petrus, dum hoc commate ad prius assonat, et utrumque ad rem propositam accommodat, verba Mosis apposite variat:) i. e. nulla mora Deo longa accidit. ut homini valde pecunioso mille aurei sunt instar assis unius; sic Deo aeterno mille anni instar unius diei. unde versu seq. infertur: *sed longanimis est*, poenitentiae spatium sine sua molestia dat nobis. conf. Sir. 18, 10. 11. Summa: Dei *aeconologium* (sic appellare liceat) differt ab *horologio* mortalium. Illius gnomon omnes horas simul indicat in summa actione et in summa quiete. Ei nec tardius nec celerius labuntur tempora, quam Ipsi et oeconomiae ejus aptum est. Nulla causa est, cur finem rerum aut protelare aut accelerare necessum habeat. Qui hoc comprehendemus? si comprehendere possemus, non opus foret a Mose et Petro addi, *apud Dominum.*

v. 9. οὐ βραδύνει) *non moratur*, ac si jam tempus fuerit adventus promissi. Hebr. 10, 37. not. Sic Sir. 35, 22., καὶ κρινεῖ δικαίως (ὁ Ὕψιστος) καὶ ποιήσει κρίσιν, καὶ ὁ κύριος οὐ μὴ βραδύνῃ, οὐδὲ μὴ μακροθυμήσῃ ἐπ' αὐτοῖς κτλ. Valde congruit hic Siracidae locus et locus epistolae Petri. — τῆς ἐπαγγελίας, *promissionis*) scil. ἕνεκα, *causa*. Implebitur promissio, v. 13., quicquid empaectae garriant. v. 4. — μακροθυμεῖ, *longanimis est*) Ideo differt, dum plenus erit salvandorum numerus. v. 15. — τινὰς, *aliquos*) ne eos quidem, qui modo *aliqui* dicti sunt. — ἀπολέσθαι, *perire*) Id fieret, nisi poenitentiae spatium daret. Conf. 4. Ezr. 8, 59. — χωρῆσαι) *confugere.*

v. 10. ἥξει) *aderit.* — οἱ οὐρανοὶ, *coeli*) quos empaectae sic mansuros dictitant. v. 4. — ῥοιζηδὸν) Vocabulum ῥοῖζος habet literas, stridorem referentes sagittae, aquae etc. — στοιχεῖα, *elementa*) i. e. *quae in coelis sunt opera*, coll. verbis mox seqq. Sol, luna, stellae, saepe dicuntur στοιχεῖα a Theophilo Antiocheno p. 22. 148. 228., et ab aliis, quos ad eum contulit Wolfius, quosque Suicerus notavit, et Menagius ad Diogenem Laërt. l. VI. §. 102. *elementa*, ab Hieronymo. Ut in creatione, sic in fine mundi sol, luna, stellae inprimis memorari solent; Matth. 24, 29.: et aliquo hypotyposeos Petrinae loco utique continentur, maximeque *elementorum* vocabulo, prae *igne, aëre, aqua, terra.* Nam *terram* Petrus seorsum memorat, sub ea *aquam*, vel etiam *aërem*, (quem tamen Scriptura de rerum natura loquens vix appellat,) complectens: *ignis* erit ipse, quo elementa

ed by Google

liquescent. Idem vocabulum, Sap. 7, 17. Metaphora elegantissima. nam quod litera est in membrana, id in coelo astrum est. — ἔργα, *opera*) naturae et artis.

v. 11. λυομένων, *cum solvantur*) Praesens: quasi id jam fiat. sic v. 12., τήκεται, *liquescunt*. Quarto hexaëmeri die etiam astra facta sunt. Gen. 1, 16. Eadem solventur, cum terra. Falluntur, qui historiam creationis et descriptionem interitus tantummodo ad tellurem et ad regionem coeli, telluri viciniorem, restringunt; stellas autem terra antiquiores et terrae superstites fingunt. Non uni coelo, quod terram ambit, sed *coelis*, et solutio et novitas adscribuntur, v. 10. 13. — δεῖ, *oportet*) Hoc est illud *praeceptum*, v. 2. Alii distinguunt — ὑμᾶς; — εὐσεβείαις προσδοκῶντας —. — ἀναστροφαῖς, *conversationibus*) circa res humanas. — εὐσεβείαις, *pietatibus*) circa res divinas.

v. 12. τὴν παρουσίαν, *adventum*) Hoc pendet ab *exspectantes et accelerantes* conjunctim: *quum rota facialis pro celeri adventu*. qui desiderio urgetur, rem ipsam, si possit; urget ad festinandum. σπεύδω cum accusativo, LXX, Esth. 5, 5. Es. 16, 5. Participio includitur aetiologia, uti v. 14. — τοῦ θεοῦ, *Dei*) Rara locutio, *dies Dei*. Pro *diei Dei*, interpres Latinus, aut librarius valde antiquus, *diei Domini*, commodioris fortasse pronunciationis gratia, posuit. Id secuti sunt codices quidam Graeci passim latinizantes. Vicissim unus cod. Latinus in margine Lovan. habet *diei Dei*. Multas dierum myriadas *hominibus* concedit Deus: unus, novissimus, est *Dei* ipsius magnus dies. — δι' ἣν, *propter quem*) scil. *adventum*. χιασμὸς quatuor partium: *quales — exspectantes — propter quem — novos vero*. prima deducitur ex tertia; secunda, ex quarta. — πυρούμενοι· καυσούμενα) Πυροῦσθαι alias magis competit sicco: καυσοῦσθαι, humido corpori.

v. 13. καινούς, *novos*) Magnum mysterium, *novi coeli et nova terra*. Est aliquid extra Deum et extra hominem. — ἐπάγγελμα, *promissum*) v. 4. — ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ, *in quibus justitia habitat*) Idcirco non veterascent. Absoluta tum extabit boni et mali separatio. Matth. 3, 12. 13, 30. *Justi* esse debent etiam incolae. v. 11. coll. v. 6. s. In novo mundo (qui coelum et terram complectitur) habitat justitia. Unum totum est novus mundus: in eo habitat justitia. Pars ea, quam infecerat injustitia, erit liberata.

v. 14. προσδοκῶντες, *exspectantes*) cum tremore et gaudio. Late patet hujus verbi vis. — αὐτῷ, *Ei*) Deo.

v. 15. σωτηρίαν ἡγεῖσθε, *salutem ducite*) quamvis empaectae isti *tarditatem ducunt*. v. 9. — καθὼς, *sicut*) Hoc refertur ad totam tractationem hactenus progressam. Conf. περὶ τούτων, *de his*, v. 16. — ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφός, *dilectus noster frater*) Paulus Petrum non laudavit: Petrus Paulum laudat, ostendens, se ei non esse infensum, quamvis aliquando ab illo reprehensus et in opere Domini longe superatus esset. de Pauli *amore* erga Petrum nil dubii esse poterat. — ὑμῖν, *vobis*) Hebraeis. Innuit, eo minus opus esse, ut ipse pluribus verbis scribat; Paulique epistolam approbat. Scripserat autem Paulus in hanc sententiam, de consummatione seculi instante, Hebr. 1, 1. 9, 26. 10, 25. 37., et sic in ceteris epistolis.

v. 16. ἐν πάσαις, *in omnibus*) Petrus hanc epistolam proxime ante suum et Pauli martyrium scripsit. Ergo Paulus epistolas suas, fere omnes, multo ante scripserat, etiam epistolam ad hos, quibus scribit Petrus. Cunctas igitur Pauli epistolas legit Petrus, ab ipso fortasse Paulo ad illum missas: neque indigne tulit, quae de Petro scripserat Paulus ad Gal. cap. 2. Quis dubitet, quin Pauli epistolae mature in unum corpus redactae sint? — περὶ τούτων) *de his* rebus: de adventu Domini, per longanimitatem dilato, sed tamen propinquo et repentino, quaeque in illo et ante illum evenient. Cum Paulus diem Domini videretur diutius differre, quam ceteri apostoli: erant, qui adventum ipsum aut dubium facerent aut negarent. — ἐν οἷς, *in quibus*) scil. rebus. — δυσνόητα, *difficilia intellectu*) Aliud est

ed oogle

difficile, aliud impossibile intellectu. — τινὰ) *quaedam*, non omnia. — ἃ) *quae, quas res*, adeoque etiam Pauli *scripta*. Respondet mox *scripturas*, adeoque etiam res in iis commemoratas. Altero alterum connotatur. — οἱ ἀμαθεῖς, *indociles*) doctrinae coelestis expertes. — στρεβλοῦσιν) *distorquent*, cum illa in se recta sint. Exemplum, 2 Tim. 2, 18. — τὰς λοιπὰς γραφὰς, *ceteras scripturas*) Pauli igitur epistolae jam pars *scripturarum*. conf. *scripsit*, v. 15. — πρὸς) *ad*: ut videantur *ad* sensum perversorum perditum congruere. — ἰδίαν, *propriam*) sine Pauli noxa. — ἀπώλειαν, *perniciem*) c. 2, 1.

v. 17. ὑμεῖς) *vos*, aliorum damno admoniti. — προγινώσκοντες) *ante scientes* periculum. — στηριγμοῦ, *munimento*) Conf. v. 16. cap. 1, 12. Hoc *munimentum* est Gratia. coll. Jud. v. 21.

v. 18. αὐξάνετε, *crescite*) eo magis, quo magis isti decrescunt. — [1]) ἡμέραν αἰῶνος, *diem aeternitatis*) Congruit haec appellatio cum eo sensu, quem apostolus hoc toto capite habuit. *Aeternitas* est *dies*, sine nocte, merus ac perpetuus.

IN EPISTOLAM PRIMAM JOHANNIS.

CAPUT I.

v. 1. Ὃ ἦν, *quod erat*) Epistolam [*augustissimo exordio ornatam*, V. g.] scribit Johannes simpliciter, sine inscriptione et conclusione. Non videtur peregre misisse, sed coram impertiisse auditoribus. v. 4. coll. 2 Joh. v. 12. fin. *Quod erat a principio*, ait, pro *qui*, c. 2, 13.; quia mox *quod* recurrit. Amat apostolus, de Deo et Christo loquens, antonomasian, *Ipse, Ille, Sanctus, Verus*, et periphrasin, *qui* est *a principio*, etc. Primo commate denotat λόγον *Verbum* ipsum; deinde ea, quae de illo audiverunt. — ἦν) *erat*, etiam antequam *manifestatum est*. *erat*, apud Patrem. v. 2. — ἀπ' ἀρχῆς, *a principio*) Locutio ἀπ' ἀρχῆς, *a principio*, in hac epistola frequens, non uno eodemque modo accipi, sed ex praesenti quolibet loco declarari debet. c. 2, 7. 13. s. 3, 8. Hoc primo epistolae loco, *a principio*, complectitur statum Verbi vitae totum, *apud Patrem*, v. 2., qui status ejus manifestationem antecessit. conf. *in principio* Joh. 1, 1. not. Quare non est inconveniens orationis saltus. — ὃ ἀκηκόαμεν, *quod audivimus*) Sensus disciplinae, *auditus*, primo loco ponitur: sequitur, per gradationem, *visus*. Utrumque reassumitur versu 3., ubi *inquam* subaudiri potest. Tantam praedicat Johannes evidentiam hujus *manifestationis*, ut non jam necesse sit prophetas allegare. conf. 2 Petr. 1, 19. not. Loquitur plurali numero, nomine suo et aliorum *patrum*. c. 2, 13. Videtur eo tempore scripsisse, quo multi remanebant patres in vita. — ἐθεασάμεθα) *contemplati sumus*, plurimum. — περὶ, *de*) Perceperunt veritatem carnis, et unigeniti gloriam in ea. hanc denotat τὸ *erat*, illam τὸ *manifestata est*. — τοῦ λόγου τῆς ζωῆς, *Verbo vitae*) ὁ λόγος *Verbum* dicitur simpliciter et *Vita* simpliciter; unde Appositio, *Verbum Vita*: tum, *Verbum vitae*; *Verbum, in quo vita erat*; Joh. 1, 4. et, *Vita*, scil. *aeterna*; et, *vita aeterna*. v. 2. Sic appellatio illa, *Deus gloriae*, absolutam *Dei* appellationem includit.

v. 2. ἐφανερώθη, *manifestata est*) in oculos, aures, manus se dedit, in carne. Joh. 1, 14. Idem verbum, de adventu glorioso, c. 2, 28. — καὶ μαρτυροῦμεν καὶ ἀπαγγέλλομεν, *et testamur et annunciamus*) *Testimonium*, genus: spe-

---

1) ἐν χάριτι καὶ γνώσει, *in gratia et cognitione*) c. 1. 3. 8. *V. g.*

Digitized by Google

cies duae, *annunciatio et scriptio*, v. 3. 4. *Annunciatio* ponit fundamentum, v. 5—10.: *scriptio* superaedificat, v. 4. not. — ὑμῖν, *vobis*) qui non vidistis. — τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, *Vitam aeternam*) Ineunte epistola commemoratur *Vita aeterna*, quae semper erat, et postmodum nobis apparuit: in fine epistolae commemoratur eadem *Vita aeterna*, qua semper fruemur. Haec una appellatio docet, summam Jesu *Bonitatem* non negari Marc. 10, 18. not. — ἦν, *erat*) Epanodos, coll. v. 1. init. — πρὸς τὸν πατέρα, *apud Patrem*) Joh. 1, 1. *apud Deum.*

v. 3. ἀκηκόαμεν, *audivimus*) Hoc jam post visum ponitur, quia ex auditu est annunciatio maxime. — κοινωνίαν — μεθ' ἡμῶν, *communionem — nobiscum*) eandem, quam nos, *qui vidimus.* — κοινωνία) scil. ἐστί. *Communio*, ut ipse sit noster: Ille in nobis, nos in illo. — μετὰ τοῦ πατρὸς, *cum Patre*) qui Filium misit. [v. 4—10.] — μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, *cum Filio ejus*) quem Pater misit. [*cap.* 2, 1. *sq.*] De Spiritu sancto, vid. c. 3, 24. not.

v. 4. ταῦτα, *haec*) A singulari emphatico ad pluralem venit, commodioris sermonis causa. *haec*, non alia: 2 Cor. 1, 13. nedum minora et leviora, ut traditionum defensores perhibent. — γράφομεν ὑμῖν, *scribimus vobis*) Huic praesenti respondet praeteritum, *scripsi*. c. 5, 13. conf. c. 2, 1. 12. seqq. *Scriptio* valde confirmat. — ἵνα, *ut*) Gaudium plenum, ex plena et cumulata confirmatione animi in fide et amore. Huc maxime facit *annunciatio* et *scriptio* conjunctim. conf. 2 Joh. v. 12. — χαρὰ, *gaudium*) Sic quoque Johannes in evangelio, c. 15, 11. 16, 22. Est gaudium fidei, gaudium amoris, gaudium spei. Hoc loco primum notatur gaudium fidei; estque locutio concisa, *gaudium vestrum*, i. e. fides vestra, et inde nascens gaudium: notatur vero inde etiam gaudium amoris ac spei.

v. 5. ἡ ἀγγελία) c. 3, 11. *Annunciatio*. quod ad ipsam summam attinet. Johannes neque in evangelio, neque in epistolis *evangelium* appellat, sed *testimonium, verbum, veritatem*, et hic, proximo sumo, ἀγγελίαν, *annunciationem*. Quae in ore Christi fuit ἀγγελία, eam apostoli ἀναγγέλλουσι· nam ἀγγελίαν, *annunciationem*, ab ipso acceptam *reddunt* et propagant. *Sermo* dicitur cap. 2, 7. — ἀπ' αὐτοῦ, *ab Illo*) a Filio Dei. Joh. 1, 18. — φῶς) *Lux*, sapientiae, amoris, gloriae. Quod oculo naturali est lux, id oculo spirituali est Deus. Ut hic Deum Lucem dicit: sic 2, 8. Christum Lucem dicit. — σκοτία, *tenebrae*) Harum ratio patet ex opposito.

v. 6. ἐὰν εἴπωμεν, *si dicamus*) *Dicere*, secus ac res est, fraus est. v. 8. 10. sic, *dicens*, c. 2, 4. 9. *si quis dicat*, c. 4, 20. *Dicere* est persuadere sibi et aliis, cogitare, prae se ferre, assimulare. — κοινωνίαν, *communionem*) v. 3. — ἐν τῷ σκότει, *in tenebris*) Conf. c. 2, 8. ss. — περιπατῶμεν, *ambulemus*) actione interna et externa, quoquo nos vertimus. — ψευδόμεθα, *mentimur*) Similis locutio, cap. 2, 4. — οὐ ποιοῦμεν τὴν ἀλήθειαν, *non facimus veritatem*) i. e. veritas non *facto* ipso nostro apud nos locum habet.

v. 7. ὡς, *sicut*) Imitatio Dei, criterium communionis cum Illo. — αὐτὸς) *Ipse*, Deus. Sic saepe Hebraei, הוּא *Ille* i. e. Deus. Sic, αὐτὸς, 1 Macc. 3, 22. — ἐστιν, *est*) Id verbum penitius et Deo dignius est, quam *ambulare*. — κοινωνίαν ἔχομεν, *communionem habemus*) i. e. tum vere dicimus, nos communionem habere. hanc enim certo et statim sequitur ambulatio in luce. — μετ' ἀλλήλων) *mutuam*, inter nos et vos. v. 3. nam ἀλλήλων, *invicem*, de Deo et hominibus, non videtur digne dici, coll. Joh. 20, 17. Est autem locutio concisa: v. 6., *cum Illo*, subaudi ex v. 7., *et inter nos*; v. 7., *inter nos*, subaudi ex v. 6., *cum Illo*. conf. Joh. 14, 10. not. — καὶ τὸ αἷμα, *et sanguis*) Describitur communio cum Filio Dei. Conf. de *Sanguine*, cap. 5, 6. Joh. 6, 53. ss. Ap. 1, 5. — καθαρίζει ἡμᾶς, *purificat nos*) per remissionem et ablationem. conf. v. 9. — πάσης, *omni*) originali, actuali.

v. 8. ἁμαρτίαν, *peccatum*) Opponuntur inter se, qui dicunt, *Non habemus*

Digitized by Google

peccatum; et qui *peccata sua* (plurale) *confitentur.* Sermo igitur est de actualibus peccatis, ex originali manantibus. Prout quisque minus aut plus contraxit, ita minus aut plus confiteri necessum habet, Prov. 28, 13., idque vel de praeterito, v. 10., vel de praesenti, v. 8. Johannes sermonibus suis omnes, ad quos *annunciatio* illa pervenit, et bonos et malos, pro suo quosvis modulo, complectitur. Erant autem jam tum, qui peccatum, adeoque etiam gratiam, extenuarent. — ἡ ἀλήθεια, *veritas*) Saepe Johannes *veritatis* notione *fidem* simul complectitur. cap. 2, 4. אמת et אמונה conjugata. — οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν, *non est in nobis*) non in corde, neque adeo in ore. Vitium est *in nobis,* nostrum: Dei est gloria. v. 9.

v. 9. ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, *si confiteamur peccata nostra*) Ponitur hic versus inter duo antitheta, uti c. 2. versus 10. Est enim antitheton, dicere: *peccatum non habeo*, et, *non peccavi*, v. 8. 10. illud, de *reatu* peccati *adhuc* manente; hoc de *actu commisso.* illo, *decipimus nos ipsos;* hoc, *mendacem facimus Illum.* Optimum consilium, *confiteri*, erga Deum, nos peccatores reos agentem: v. 10. et hujus confessionis necessitas hic asseritur universalis, ut Johannes non solum dicat, si peccaverimus, confitendum esse; sed omnes habere quod dicant, *peccatum habeo,* et, *peccavi,* idque confiteri debere, quanquam vario gradu. Alias non egeremus purificatione per sanguinem Jesu Christi. — πιστὸς, *fidelis*) Omnia praestat, quae nobis de Deo bono pollicemur. — ἐστι, *est*) ita ut nos id experiamur, nec mendacem faciamus illum. — καὶ δίκαιος, *et justus*) ut peccatori parcat, peccata aboleat. Sic quoque Jesus Christus dicitur *Justus.* c. 2, 1. — ἀφῇ, *remittat*) dum reatum tollit. — καθαρίσῃ, *purificet*) ut posthac non peccemus.

v. 10. ψεύστην ποιοῦμεν αὐτὸν, *mendacem facimus eum*) Deus dicit: *peccasti.* id negare, nefandum est. Conf. c. 5, 10. — ὁ λόγος αὐτοῦ, *verbum ejus*) verum. v. 8. Verbum nos vere accusat, et contradicendo arcetur a corde. — ἐν ἡμῖν, *in nobis*) adeoque nos sumus *mendaces.* c. 2, 4.

CAPUT II.

v. 1. Τεκνία μου, *filioli mei*) Diminutivum, amoris causa. Nunc primum eos appellat, quibus scribit. — ταῦτα) *haec*, quae sequuntur. — ἵνα μὴ ἁμάρτητε, *ut ne peccetis*) μὴ, *ne*, cum accentu pronunciandum. Praemunit animos, ne sermone de reconciliatione abutantur ad licentiam peccandi. Est hoc loco προθεραπεία· et similis ἐπιθεραπεία, c. 5, 18. not. Omnia instituta, verba, judicia divina, tendunt contra peccatum, aut ut ne fiat, aut ut aboleatur. — ἐάν τις ἁμάρτῃ, *si quis peccet*) et fiduciam pro se ipso rogandi, de qua vide Joh. 16, 26., amittat. — παράκλητον, *advocatum*) qui causam nostram agit, ne *Pater* amorem a nobis avertat. — δίκαιον, *justum*) v. 29. Jesus Christus, apud Patrem, in dextera ejus, maxime ex accessu ad illum, peracto sacrificio pro peccatis, *Justus* appellatur. Joh. 16, 10. Ejus *justitia* tollit *peccatum* nostrum: ipsa non imminuitur ex eo, quod Paracletus est pro peccantibus. Es. 53, 11. *s.*

v. 2. αὐτὸς, *Ipse*) Hoc facit epitasin. *paracletus* valentissimus, quia ipse *propitiatio.* — ἱλασμός ἐστι, *propitiatio est*) Verbum ἱλασμὸς et ἐξιλασμὸς apud LXX frequens: notat *sacrificium propitians.* c. 4, 10. conf. 2 Cor. 5, 21. Id ipse Salvator est. Ergo offensa fuerat inter Deum et peccatores. — ἡμῶν, *nostris*) fidelium. Non refertur hoc ad Judaeos; neque enim ad Judaeos scribit. c. 5, 21. — περὶ ὅλου) *de* peccatis *totius mundi.* Si tantum *mundi* dixisset, uti c. 4, 14., *totius* subaudiendum esset: nunc, *totius* expresso, quis restringere audet? c. 5, 19. Quam late patet peccatum, tam late *propitiatio.*

v. 3. ἐν τούτῳ γινώσκομεν, *in hoc cognoscimus*) i. e. Ita demum vera *cognitio* est in nobis. Novimus, nos nosse: cognitio reflexa. Saepe in hac epistola dantur gnorismata spiritualia. *manifesti: novimus.* c. 3, 10. 14. 19. Redarguun-

Google

tur *Gnostici*, qui jactabant scientiam, obedientiam abjiciebant. — ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτὸν) *nos eum habere cognitum*, ut est *paracletus, justus, propitiatio*. sic v. 4. 13. 14. Es. l. c. — ἐντολὰς, *praecepta*) de fide et amore. — τηρῶμεν, *servemus*) Joh. 8, 51. not.

v. 5. αὐτοῦ τὸν λόγον, *ejus verbum*) verbum Jesu Christi, de Patre. c. 1, 5. *Praecepta* multa: unum *verbum*. — ἀληθῶς, *vere*) Non est mendacium aut vana jactantia. Adverbium hoc magnam ineunte commate vim habet. — ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ) *amor Dei*, erga hominem, per Christum nobis reconciliatus. — τετελείωται, *perfectus est*) perfectum regimen nactus, et perfecte cognitus est. c. 4, 12. — ἐν τούτῳ, *in hoc*) Refertur ad praecedentia, *quicunque autem servat:* uti c. 4, 6., *ex hoc*. — ἐν αὐτῷ ἐσμεν, *in ipso sumus*) Synonyma, cum gradatione: *Illum nosse: in Illo esse: in Illo manere*. v. 6. Cognitio: communio: constantia.

v. 6. μένειν, *manere*) Frequens hoc verbum, capp. 2. 3. 4. Innuit statum durabilem, sine intermissione, sine fine. — ὀφείλει) *debet*, vi exempli illius divini. sic, *debemus*, c. 3, 16. 4, 11. — καθὼς ἐκεῖνος, *sicut Ille*) *Ille*, quem quondam vidimus. Sic, *sicut ille*, etc. c. 3, 3. 5. 7. 16. 4, 17. Nomen facile suppleni credentes, plenum pectus habentes memoria Domini. — περιεπάτησε, *ambulavit*) dum in mundo erat.

v. 7. ἀπ' ἀρχῆς) *a principio*, quo primum tempore *audistis* evangelium Christi. v. 24. c. 3, 11. — ὁ λόγος, *verbum*) v. 5. — ὃν ἠκούσατε, *quod audistis*) Hoc *verbum* Johannes, ut jam cognitum, non necesse habuit reponere. *audistis*, inquit saepius. nam *audierant*, antequam apostoli etiam scriberent.

v. 8. ἐντολὴν καινὴν, *praeceptum novum*) quod vobis nunc primum in hac epistola scribitur. Sapit hic locus plenitudinem Spiritus in apostolo. — ὅ ἐστιν ἀληθὲς, *quod est verum*) *Verum*, substantive, uti v. 27., ubi opponuntur *verum* et *mendacium*. inde etiam ὅ pro ἥ, scil. ἐντολή. Sensus: *praeceptum est veritas*. i. e. vere transeunt tenebrae etc. Uti versu 7. τῷ *vetus*, sic hoc versu τὸ *novum* statim sua subjicitur definitio, quid sit *vetus*, quid sit *novum*. vetus est, quod habebamus ab initio: novum est, quod verum est in Jesu Christo et in nobis. Huc facit differentia temporis in *habebatis* et *est*. In Christo omnia semper vera sunt et ab initio illo erant; sed in Christo et in nobis, conjunctim, praeceptum tum est veritas, quum veritatem, quae in illo est, agnoscimus, eandemque in nobis vigentem habemus. Laudat Johannes praesentem eorum, quibus scribit, statum in veritate, etiam eo ipso, quem initio evangelii auditi habuerant, lautiorem, uti Rom. 13, 11. 12. unde etiam praeceptum vetus eis sub nova ratione cum suavitate propinari poterat. — ὅτι) *quod*. Hoc est illud praeceptum, amor fratris, ex luce. Hinc v. 9. initio subaudiendum *igitur*. coll. c. 1, 5. s. — παράγεται) Non dicit, παράγει, *transit*, sed, παράγεται, *traducitur*, commutatur, ita ut tandem absorbeatur. Idem verbum, v. 17., ubi opponitur *mansioni*. Sic Ezr. 9, 2. LXX, παρήχθη σπέρμα τὸ ἅγιον, *semen sanctum ad gentes traductum*, et cum iis commixtum est. Herodianus, ὄνομα παραχθὲν, *nomen commutatum*, aliunde aliorsumve traductum. l. 1. c. 16. et l. 5. c. 7. Observandum praesens, ut in *lucet*. — τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, *lux vera*) Jesus Christus. Joh. 1, 9. — ἤδη) *jam*, apud vos. lucebit autem amplius in perpetuum. v. 28. Conf. *usque nunc*, v. 9. — φαίνει, *lucet*) Hanc ob causam Johanni in epistolis minus jam necesse erat allegare prophetas, quam Petro, cujus confer Ep. 2. c. 1, 19., de *die et phosphoro*. Petrus cum suis epistolis est fere in medio inter passionem Christi et inter extremam aetatem Johannis.

v. 9. ἐν τῷ φωτὶ, *in luce*) tanquam in suo elemento. sic *in*, v. 11. — ἀδελφὸν, *fratrem*) fidelem. 3 Joh. 3. 5. 10. Ipsa appellatio, amoris causam continet.

v. 10. σκάνδαλον ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν, *scandalum in eo non est*) Contrarium, v. 11., *excoecaverunt*. Suppletur autem notio alterius ex altero: in eo qui amat,

Digitized by Google

nec coecitas est, nec *scandalum*; in eo qui non amat, et *coecitas* est et scandalum. Qui fratrem odit, ipse sibi offendiculum est, et incurrit in se ipsum et in omnia intus et foris: qui amat, expeditum iter habet.

v. 11. ὁ δὲ μισῶν, *qui autem odit*) Oppositio immediata. Ubi non est amor, odium est; cor non est vacuum. — ποῦ) *ubi* et quorsum. — ἐτύφλωσε, *excoecarunt*) Tenebrae non solum circumdant illum, sed etiam excoecarunt.

v. 12. ἔγραψα ὑμῖν τεκνία, *scripsi vobis, filioli*) Johannes, ut in tota epistola, sic capite 2., omnes, quibus scribit, τεκνία *filiolos* vocat: speciatim vero v. 13—27. eos in *patres, juvenes*, παιδία sive *puerulos*, distribuit. quare τεκνία καὶ παιδία non sunt synonyma. Ad τεκνία *filiolos* c. 2, 1. scribens, initio periochae dicit, *scribo*, v. 1. (coll. v. 7. 8.) et hic, in conclusione, *scripsi* subjicit, superiora illa non mutans, sed etiam atque etiam confirmans. v. 12. coll. 1 Petr. 5, 12. *scripsi*. Inde convenienter alloquitur tres gradus aetatis, naturales illos quidem, sed gratia varie delibutos: ac *patres* appellat, qui tempus *Jesu Christi* in mundo versantis viderant: *juvenes*, qui maligno devicto, etiam mundum in maligno situm, et mundi *concupiscentiam strenue* vincere debebant: παιδία *puerulos*, quos, post patrum et juvenum decessum, ultima occupabat hora, et in ea *antichristus*. Haec allocutio habet propositionem et tractationem. In propositione ait: *scribo vobis, patres: scribo vobis, juvenes: scribo vobis*, παιδία *pueruli*. v. 13. at in tractatione ait, *scripsi vobis, patres*, v. 14.: *scripsi vobis, juvenes*, v. 14—17.: *scripsi vobis*, παιδία *pueruli*, v. 18 — 27.: ipso verbo *scripsi* bis interjecto, v. 21. 26. Simillima ratio est horum locorum, atque initii et conclusionis. nam c. 1, 4. *scribendi* verbo in praesenti utitur; at c. 5, 13. dicit *scripsi*. Finita allocutione tergemina, ad universos redit, τεκνία, *filiolos* iterum appellans. v. 28. Ex hac partitione variantes lectiones v. 12. seqq. in *Apparatu* notatae, facilius diluuntur. — ὑμῖν, *vobis*) Doctrina de *remissione peccatorum* pertinet etiam ad *patres*, de quibus modo diximus. — ἀφέωνται, *remissa sunt*) Hanc anakephalaeosin eorum, quae hactenus tractavit, ponit apostolus, pergens ad alia, quorum fundamentum est remissio peccatorum. — διὰ) *propter*. — αὐτοῦ, *ipsius*) Jesu Christi.

v. 13. ὅτι) *quod*. Sic ter, coll. v. 12. 1 Petr. 5, 12., ubi τὸ *quod* explicatur per accusativum cum infinitivo, quod clarius est. Tria proponit, et mox tractabit; et quae tractaturus est, eorum summas hic repraesentat. — ἐγνώκατε, *cognostis*) vos, Patrem coelestem, prae parentibus carnis. — τὸν πατέρα, *Patrem*) adeoque omnia. v. 20.

v. 14. ἔγραψα, *scripsi*) Versu 13. et 14., a *scribo* transit ad *scripsi*; non temere. Scilicet verbo *scribendi* ex praesenti in praeteritum transposito innuit commonitionem firmissimam. — ὅτι) *quod*. — ἐγνώκατε τὸν ἀπ᾽ ἀρχῆς, *cognoristis eum, qui a principio*) *Qui a principio*, est Jesus Christus. Ἀρχὴ non principium evangelii, sed principium rerum omnium. c. 1, 1. not. Excipit Artemonius, sic quoque Deum Patrem potuisse appellari. Part. 2. c. 13. Resp. Quidni? Sed antonomasia frequens est Johanni de Christo loquenti. conf. v. 20. Vivebant jam *patres*, perinde ut apostolus, eo tempore, quo Jesus Christus in terris fuerat conspiciendus; et eorum nonnulli, ut verisimile est, eum et facie et fide, coll. c. 3, 6. not. 1 Cor. 15, 6. Matth. 13, 16., omnes certe fide cognorant, et auream illam aetatem ecclesiae viderant, cui opponitur actas minorum, qui antichristos vitare debeant. Hoc comma Johannes ex versu praecedente, non additis pluribus verbis, repetit, propositioni tractationem aeque brevem subjungens, et modestia ad *patres* utens, quibus non opus erat multa scribi. Etiam horum cognitio summa est de Christo, omnia complectens. Patribus et minoribus tribuitur cognitio; juvenibus, robur. — ἰσχυροὶ, *robusti*) alii juvenes, corpore; vos, fide. — ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, *Verbum Dei*) ex quo robur. c. 4, 4. — ἐν ὑμῖν μένει, *in ro-*

bis manet) neque Malus potest id vobis excutere, neque vobis imminet antichristus. — τὸν πονηρὸν, *Malum*) qui juventuti maxime insidiatur. Videtur Johannes spectare insigne quoddam specimen virtutis a juvenibus, quibus scribit, exhibitum: cujusmodi erat constantia confessionis in persecutione Domitiani; itemque reditus *jurenis* illius, quem apostolus summa mansuetudine a latrocinio ad poenitentiam reduxit, (quanquam apostolus redux ex pathmo demum eam expeditionem fecit: conf. v. 22. not.) suavissime descriptus a *Clemente Al.* lib. quis dives salv. c. 42. ab *Eusebio* l. 3. H. E. c. 20. et a *Chrysostomo* Paraen. I. ad Theodorum lapsum, cap. 11.

v. 15. μὴ ἀγαπᾶτε τὸν κόσμον, *nolite diligere mundum*) Ad vos, juvenes, hoc proprie pertinet. Prosequimini *victoriam* contra *malignum*, in quo *mundus* jacet. c. 5, 19. — οὐκ ἔστιν, *non est*) Contraria non sunt simul. — ἡ ἀγάπη τοῦ πατρὸς) *amor Patris* erga suos, et filialis erga Patrem.

v. 16. πᾶν — ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου, *omne — concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et arrogantia vitae*) Haec habet mundus *omnia*, nil praeterea. *Concupiscentia carnis* dicit ea, quibus pascuntur sensus, qui appellantur, fruitivi, gustus et tactus. *Concupiscentia oculorum*, ea, quibus tenentur sensus investigativi, *oculus* sive visus, auditus et olfactus. ἀλαζονεία est *arrogans pompa*, cum quis nimium sibi aut verbis aut factis assumit. vide Raphelium. Continetur etiam sub *concupiscentiae* vocabulo versu seq. itaque *arrogantia vitae* est, quae *cupiditatem* foras educit, et longius in mundum diffundit, ut homo *velit quam plurimus esse in victu*, cultu, apparatu, suppellectile, aedificiis, praediis, famulitio, clientibus, jumentis, muneribus etc. conf. Ap. 18, 12. s. Chrysostomus l. c. appellat τὸν τῦφον τὸν βιωτικὸν et τὴν φαντασίαν τοῦ βίου, ubi juvenile exemplum narrat talis insolentiae, sancto amore victae. *concupiscentia* utraque est igniculus; *arrogantia*, incendium. Etiam ii, qui *arrogantiam vitae* non amant, tamen *concupiscentiam oculorum* sectari possunt; et qui hanc superarunt, tamen *concupiscentiam carnis* persaepe retinent. haec enim est profundissima et communissima, apud inopes, medioximos et potentes; apud eos etiam, qui abnegationem sui colere videntur. et rursum, nisi vincatur, ab ea facile progreditur homo ad *concupiscentiam oculorum*, ubi materiam habet; et ab hac ad *superbiam vitae*, ubi facultatem habet. tertioque includitur secundum, secundo primum. Non coincidunt cum his tribus tria vitia cardinalia, voluptas, avaritia, superbia; sed tamen in his continentur. conf. Luc. 8, 14. Deut. 17, 16. 17. Matth. 4, 3. 6. 9. Atque haec tria maxime *juventus* vitare jubetur, coll. 2 Tim. 2, 22., quum maximo vigore abuti posset. Cohel. 12.

v. 17. καὶ, *et*) Sermo concisus. i. e. *mundus transit et concupiscentia ejus* et qui mundum amat: *Deus* vero et *qui facit* etc. — ποιῶν, *faciens*) ut amor Patris secum fert. — τὸ θέλημα, *voluntatem*) Haec voluntas postulat a nobis continentiam, temperantiam, modestiam, mundo contraria. — μένει, *manet*) et habet bona manentia, vere optanda, tribus istis opposita: divitias, et gloriam, et vitam. Prov. 22, 4. — καθὼς καὶ ὁ θεὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα, *sicut etiam Deus manet in aeternum*) Varians lectio egregia et sine dubio vera [1]). Habent eam latini patres, non contemnendi.

v. 18. παιδία, *pueruli*) Vid. ad v. 12. Non est supra captum tenerioris aetatis doctrina de antichristo. 2 Joh. v. 7. not. Unde etiam *Catechesis* undecima Cyrilli de antichristo agit. — ἐσχάτη) *ultima*, non respectu omnium mundi temporum: sed in antitheto *puerulorum* ad *patres*, et ad *juvenes*. [*Tres omnino he-*

---

1) *Attamen neque in margine* Ed. maj. *notata, neque in contextu* Vers. germ. *(sed in notis duntaxat). Nimirum* graecorum *codicum editionumque auctoritas desideratur.* E. B.

Digitized by Google

rae erant, quarum una post aliam et inchoavit, et, conjunctim continuato cursu, ad finem se inclinavit. Patrum idemque juvenum hora statim absoluta fuit. Hinc puerulis *Johannes dicit:* ultima hora est. *Hac ultima hora* nos *etiamnum vivimus omnes.* V. g.] — καὶ καθὼς, *et sicut*) *et* ita est, *sicut audistis*, nempe, *antichristum venire: atque* adeo *jam multi* etc. Similis ellipsis, v. 27. not. — ἠκούσατε, *audistis*) c. 4, 3. — ὅτι, *quod*) Particula non abundat. conf. v. seq. Sermo planior est per ὅτι *quod* appositum. — ὁ ἀντίχριστος, *antichristus*) Defectionem *multorum* a veritate Christi Jesu Filii Dei praedixerat Spiritus: sed *antichristi* vocabulum singulari numero Johannes non nisi in Ep. I. cap. 2, 18. 22. 4, 3. Ep. II. 7. ponit; in Epistola tertia, in Evangelio, in Apocalypsi, non ponit: neque alius ullus scriptor N. T. id ponit. Sive id vocabulum phrasis apostolica, sive sermo fidelium introduxit, Johannes errores, qui oriri possent, praecisurus, non modo *antichristum*, sed etiam *antichristos* vult dici: et, ubi *antichristum*, vel *spiritum antichristi*, vel *deceptorem et antichristum* dicit, sub singulari numero omnes *mendaces* et veritatis inimicos innuit. Audierant fideles, *spiritum antichristi* et *ipsum antichristum* venire. id agnoscit Johannes, et addit, *spiritum antichristi nunc in mundo esse jam, nunc antichristos multos esse factos.* Quemadmodumque *Christus* interdum pro *Christianismo*, sic *antichristus* pro *antichristianismo* sive doctrina et multitudine hominum Christo contraria dicitur. Unus est adversarius insignis, qui dicitur *Cornu magniloquum*, Dan. 7, 8. 20., *homo peccati* etc. 2 Thess. 2, 3. seq. *bestia ascendens ex abysso*, Ap. 11, 7. 17, 8. sed is quidem ex usu potius ecclesiastico antiquo et novo, quam ex apostolico sensu videtur eodem *antichristi* vocabulo denotari. conf. *H. Mori* synopsis proph. lib. 1. cap. 1. §. 4. *Antichristum* jam tum venire, ita assentitur Johannes, ut non unum, sed multos, id quod amplius quiddam et tristius esse censet, antichristos factos esse, doceat. Saepe totum genus eorum, qui bonam aliquam aut malam indolem habent, singulari numero cum articulo exprimitur. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος, *bonus homo*, etc. Matth. 12, 35. 18, 17. 1 Petr. 4, 18. Tit. 2, 8. Joh. 10, 10. 12., et sic passim, maxime in Proverbiis, item 1 Joh. 4, 2. 3. 6. Sic ὁ ψεύστης, ὁ πλάνος, ὁ ἀντίχριστος, *mendax, deceptor, antichristus* c. 2, 22. Ep. 2. Joh. v. 7. Igitur *antichristus* sive *antichristianismus* ab extrema Johannis aetate per omnem seculorum tractum se propagavit, et permanet, donec magnus ille adversarius exoritur. — ἔρχεται) *venit*, aliunde. antitheton, *facti sunt*, ex nobis. v. 19. Conf. Act. 20, 29. 30. — καὶ νῦν) καὶ, *et:* νῦν, Lat. *hodie*. Germ. *würklich*. Opponitur hoc auditioni meae praeviae. — ὅθεν — ἐστὶν, *unde — sit*) Sequitur hinc moniti necessitas.

v. 19. ἐξῆλθον, *egressi sunt*) Antitheton, *mansissent*. — εἰ γὰρ, *si enim*) Vere fidelis non facile deficit. c. 3, 9. 5, 18. — ἀλλ᾽ ἵνα, *sed ut*) i. e. *sed* egressi sunt, *ut* etc.

v. 20. καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, *et vos unctionem habetis a Sancto*) Sermo concisus (uti Joh. 1, 18. 14, 10. nott.) hoc sensu: *Chrisma habetis* a Christo: Spiritum sanctum habetis *a Sancto*. Alludit autem appellatio *chrismatis* ad *antichristi* nomen, ex opposito. v. 18. ὁ χρίσας, θεὸς, *qui unxit, Deus*. 2 Cor. 1, 21. χριστὸς, Christus, *Unctus*, Filius Dei. Act. 4, 26. s. χρίσμα, *unctio*, Spiritus sanctus. Hebr. 1, 9. Eam unctionem spiritualem habent τὰ παιδία *pueruli*: namque cum baptismo, quem susceperunt, conjunctum erat donum Spiritus sancti; cujus significandi causa ex hoc ipso loco deinceps usu receptum esse videtur, ut oleo corpora baptizatorum ungerentur. Vide Suiceri Thesaurum in χρίσμα. De Spiritu sancto apertius cap. 3, 24. 4, 13. 5, 6. Habet enim Johannes hanc methodum, ut subinde aliquid attingat, ex intervallo planius et uberius tractandum. Sic, *genitus est*, v. 29. coll. c. 3, 9. sic, *libertatem*, c. 3, 21. coll. c. 5, 14. — ἀπὸ τοῦ ἁγίου) *a Sancto*, Justo, v. 1, 29. Filio Dei. Joh. 10, 36.

Digitized by Google

Vide de *unctione Sanctitatis sanctitatum*. Dan. 9, 24. Olim erat *unguentum sanctum* materiale, Ex. 30, 25., nunc spirituale. — καὶ) *et* inde. — πάντα) *omnia*, quae vos scire opus est. Hoc responso repellendi erant seductores: sicut prudens homo institori importuno respondet, *Nil mihi deest*.

v. 21. ἔγραψα, *scripsi*) Id fecit versu 13. fin. — ὅτι) *quod*. sic v. 13. not. Oratio est valde confirmans: *scitote, vos scire*. conf. v. 3. — τὴν ἀλήθειαν) *veritatem*, de Filio, adeoque de Patre. v. cit. — πᾶν ψεῦδος, *omne mendacium*) Veritas est plane vera, nil falsi alit.

v. 22. τίς; *quis?*) Sic, *quis?* c. 5, 5. — ὁ ψεύστης) ὁ vim relativam habet ad abstractum, *mendacium*, v. 21. i. e. *quis est illius mendacii impostiraeque reus?* — ὅτι, *quod*) Summa veritas, Jesum esse Christum. Joh. 20, 31. Hanc summam Paulus in Actis constanter demonstravit: in epistolis autem praesupposuit. Hanc summam Johannes in evangelio et in epistola hac et sequente saepe memorat. Ex quo colligas, hos libros ab eo non plane ultima aetate esse scriptos. — ὁ ἀντίχριστος, *antichristus*) v. 18. Veritas de Jesu, hunc esse Christum, esse Filium Dei, et in carne venisse, integra tenenda est. qui partem unam de Jesu negat, is et Ipsum totum non habet, et simul Patrem. Id egit et agit antichristi spiritus et antichristus ipse. — τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱόν, *Patrem et Filium*) i. e. Filium, adeoque Patrem.

v. 23. πᾶς, *omnis*) etiamsi non putet, se eundem esse, qui Patrem negat. — ἔχει, *habet*) in agnitione et communione. 2 Joh. v. 9.

v. 24. ὑμεῖς, *vos*) Antitheton est in pronomine. ideo adhibetur trajectio, uti v. 27. — ὅ) *quod*, de Patre et Filio. — ἠκούσατε, *audistis*) Hoc cum emphasi pronunciandum. — μενέτω, *maneto*) Hortatur. unde, *si maneat*, hanc vim habet, *si tales eritis, in quibus maneat*. — ὃ ἀπ᾽ ἀρχῆς, *quod a principio*) Jam hoc cum emphasi pronunciandum. — καὶ ὑμεῖς) *etiam vos*, vicissim. Sic, *in vobis*: in *ipso*. v. 27.

v. 25. αὐτὸς) *Ipse*, Filius. v. 27. 28. — ἡμῖν) *nobis*, in Illo manentibus. — τὴν ζωὴν, *vitam*) Constructio sequitur verbum proximum, *promisit*. sensus, *promissio est vita aeterna*.

v. 26. ταῦτα ἔγραψα, *haec scripsi*) *haec*, a v. 21. Eadem formula Johannes, ut solet, orditur et concludit: finitaque quasi parenthesi versum 20. continuat versu 27. — πλανώντων, *seducentibus*) i. e. seducere conantibus.

v. 27. καὶ ὑμεῖς, *et vos*) Hinc pendet, *non opus est vobis*. aptum hyperbaton. — ἐλάβετε ἀπ᾽ αὐτοῦ, *accepistis ab ipso*) Joh. 1, 16. — ἐν ὑμῖν μένει, *in vobis manet*) Habet hic indicativus per quam subtilem adhortationem, (conferendam ad 2 Tim. 3, 14.) qua fideles, a deceptoribus sollicitatos, ita eis respondere facit: *Unctio in nobis manet: non egemus doctore. illa nos verum docet: in ea doctrina permanebimus*. Vide quam amoena sit transitio ab hac sermocinatione ad sermonem directum, versu sequenti. *Manet in vobis: manebitis in Illo*, correlata. — καὶ) *et* ideo. — οὐ χρείαν ἔχετε, *non opus est vobis*) Phrasis morata, repulsam fidelium contra mendaces exprimens. Αὐτάρκεια θεοδιδάκτων· Deus iis, quos docet, sufficit. — τις) *quisquam*, quisquis ille sit. Toto seductorum genere rejecto, singuli facilius jubentur facessere, quamvis videri velint ceteris excellentiores. — διδάσκῃ, *doceat*) Hebr. 8, 11. not. — ὑμᾶς, *vos*) Estis παιδία *parvuli*, non tamen rudes. — ἀλλ᾽ ὡς, *sed sicut*) Subaudiendum inter duas particulas verbum substantivum, ut inter *sed ut, et sicut, non sicut*, supra v. 19. 18. c. 3, 12. 2 Cor. 3, 13. Neque *sicut* hic apodosin demum in *est* aut in *manebitis* habet. — τὸ αὐτὸ) *idem* semper, non aliud atque aliud, sed sibi constans; et *idem* apud sanctos omnes. — διδάσκει ὑμᾶς, *docet vos*) Non tollitur, sed comprobatur communicatio mutua eorum, chrismatis in uno corpore participes facti sunt. *docet*, praesens: ex quo praeteritum fit, *docuit*, intuitu futuri *manebitis*. —

Digitized by Google

περὶ πάντων) *de omnibus*, quae scire et doceri debetis. Antitheton ad *unum idemque*. — καὶ οὐκ ἔστι ψεῦδος) *ac non est mendacium*, simile illius, quod isti jactant. — ἐδίδαξεν, *docuit*) unctio. — μενεῖτε, *manebitis*) *Sicut unctio*, dicere jubentur fideles, *nos docuit*; in ea doctrina manentes, *manebimus in Filio*, adeoque in Patre. v. 24. Vim consolandi et hortandi habet hoc Futurum. Totus sermo a v. 18. ad hunc versum deductus suavissime congruit in parvulos, praesertim mentio *doctrinae* et *unctionis*.

v. 28. τεκνία, [1]) *filioli*) Nunc expeditis tribus aetatibus, ad cunctos revertitur. — μένετε) *manete*. — ἐν αὐτῷ, *in ipso*) in Jesu Christo. Hic enim *manifestabitur*. — παῤῥησίαν) *fiduciam*, servatae veritatis. [c. 3, 21. 4, 17. 5, 14.] — μὴ αἰσχυνθῶμεν, *ne pudefiamus*) O quantus tum erit pudor vester, Judaei, Sociniani, pseudochristiani omnes, et quoscunque negabit esse suos. — παρουσίᾳ, *adventu*) Hunc patribus, juvenibus, minoribus proponit. Epistolam igitur hanc prius scripsisse videtur, quam apocalypsin, in qua demum adventus magis est dilatus. Epistolam postea scriptam fuisse, censet Tertullianus.

v. 29. ἐὰν εἰδῆτε, *si scitis*) Ex mentione futurae *manifestationis* Filii filiorumque Dei deducit tractationem novam de peccato et justitia. — δίκαιός ἐστι) *Justus est* Jesus Christus. v. 1. c. 3, 5. s. — γινώσκετε) *agnoscitis*. — πᾶς) *omnis* et solus. — γεγέννηται, *natus est*) Justus justum gignit.

CAPUT III.

v. 1. Δέδωκεν, *dedit*) non modo destinavit et contulit, sed etiam exhibuit. — τέκνα θεοῦ, *filii Dei*) Quid majus, quam *Deus?* quae propior necessitudo, quam *filialis?* — κληθῶμεν, *vocemur*) Simus, cum titulo; qui mundo inanis videtur. — διὰ τοῦτο, *propter hoc*) Consectarium, uti v. 13. Mundo pios contemnenti opponendum τὸ *videte*. — ἡμᾶς, *nos*) Dei similes. [*Quodsi aliquo te loco habuerint, qui DEUM nihili faciunt; est sane, cur solicitudinem concipias.* V. g.]

v. 2. ἀγαπητοὶ) *dilecti* mihi, quia Pater nos amat. — νῦν) *nunc*, in praesenti. Antitheton, *nondum*. In hoc versu inprimis videndum, quae verba extantiore sono pronuncianda sint: *nunc, nondum, quid, similes ipsi*. — τέκνα, *filii*) Hoc repetitur ex v. 1. — τί ἐσόμεθα) *quid simus futuri* amplius, vi hujus filiationis. Hoc *quid* per epitasin innuit ineffabile quiddam, situm in similitudine Dei, quae filios Dei ita evehit, ut *quasi dii* sint. — οἴδαμεν) *scimus*, in genere. — φανερωθῇ) *manifestatum fuerit*. Idem verbum, c. 2, 28. — ὅμοιοι αὐτῷ, *similes ipsi*) Deo, cujus sumus *filii*. — ὅτι, *quoniam*) Ex aspectu, similitudo. 2 Cor. 3, 18. uti totum corpus, facies, maxime oculi, eorum, qui *solem* spectant, *insolantur*. — ὀψόμεθα, *videbimus*) Visus omnes alias sensuum species connotat. — αὐτὸν, *ipsum*) Deum. — καθώς ἐστι, *sicut est*) id est, *manifeste*.

v. 3. τὴν ἐλπίδα, *spem*) De fide egit et aget; de amore, aget deinceps: nunc, de spe. — ἐπ' αὐτῷ, *in ipso*) in Deo. — ἁγνίζει, *mundat*) Apta est haec sanctimoniae appellatio post mentionem *visus*, qui *puritate* delectatur. — ἐκεῖνος, *Ille*) Jesus Christus. v. 5.

v. 4. ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, *qui facit peccatum*) Antitheton, *qui facit justitiam*, v. 7. ποιεῖν est *facere*, exercere. — καὶ) *etiam*, eo ipso. — τὴν ἀνομίαν, *iniquitatem*) ἀνομία *iniquitas* horribilius quiddam, apud eos praesertim, qui legem et Dei voluntatem magni faciunt, sonat, quam ἁμαρτία *peccatum*. Ex lege agnitio peccati. Affine dictum, c. 5, 17., *omnis injustitia peccatum est*. Linea curva cernitur per se; sed magis, ad regulam collata. Pertinentissime redarguitur hoc

---

1) *Voc.* μου, *per marginem* utriusque Ed. *ad lectiones non probandas relata, nescio quo casu irrepsit in* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

dicto *peccatum philosophicum.* — καὶ) *et,* imo. non solum conjuncta est ratio *peccati* et *iniquitatis*, sed eadem. sic καὶ *et,* c. 5, 4. et γὰρ, *enim*, c. 5, 3. — ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, *peccatum est iniquitas*) *Peccatum* est subjectum, quippe de quo totus sermo agit. Antitheton, *faciens justitiam justus est:* qui justitiam facit, non censetur ἄνομος *iniquus,* sed testimonium et laudem justitiae habet. v. 7. coll. Gal. 5, 23. 1 Tim. 1, 9.

v. 5. ἐφανερώθη, *manifestatus est*) in carne. — τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, *peccata nostra*) quippe ei maxime displicentia. — ἄρῃ, *tolleret*) Joh. 1, 29. not. — ἐν αὐτῷ) *in Ipso.* Huc respicit illud, *Ille justus est.* v. 7.

v. 6. οὐχ ἁμαρτάνει, *non peccat*) Bonum justitiae in eo non superatur a malo peccati. — οὐχ ἑώρακεν αὐτὸν) *non vidit Illum* spiritu; quamvis forte de facie eum in carne *viderit.* vel etiamsi spiritu viderit, in ipso peccati momento talis fit, ac si eum nullo viderit modo. — οὐδὲ ἔγνωκεν αὐτὸν) *neque novit illum* vere; quamvis forte de facie quondam *noverit.* Visio et cognitio, similes Deo facit. v. 2.

v. 7. μηδεὶς πλανάτω, *nemo seducat*) Fallit, qui sine justitiae factis se justum perhiberi posse putat.[1])

v. 8. ἐκ τοῦ διαβόλου) *ex diabolo,* tanquam *filius.* v. 10. non tamen hic dicitur, *genitus;* neque *semen,* sed *opera.* Nam ex diabolo non est generatio, sed corruptio. — ἀπ' ἀρχῆς, *a principio*) ex quo diabolus est diabolus. minime Eva tenuisse videtur statum primitivum. — ἁμαρτάνει, *peccat*) Sermo concisus. i. e. ab initio peccavit, et omnium peccatorum causa est, et adhuc *peccat: peccat,* (cumulatiore indies reatu,) et ad peccandum inducit. Nunquam satiatur. [*At in abysso ceu carcere concludetur grandis peccator: tum supplicium denique remetur de ipso in igne.* V. g.] *quia,* oppositum. v. 8. 9. — εἰς τοῦτο, *in hoc*) Diabolus peccandi finem non facit: peccatum solvere, Filii Dei opus est. — τὰ ἔργα *opera* contortissima, quae solvere, res digna erat Filio Dei.

v. 9. ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ, *peccatum non facit*) Mox intenditur sententia: *non potest peccare.* utrique propositioni suum *quia* additur: alteri, ex parte seminis sive hominis renati; alteri, a Deo ipso. — σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει, *semen ejus in ipso manet*) In eo, qui genitus est ex Deo, manet semen Dei, i. e. verbum, cum sua virtute: 1 Petr. 1, 23. Jac. 1, 18. quamvis peccatum saepe furioso impetu conetur prosternere renatum. Vel potius sic: *Semen Dei,* i. e. is, qui natus est ex Deo, *manet* in Deo. σπέρμα, *natus.* Tales sunt vere זרע אלהים *semen Dei.* Malach. 2, 15. — οὐ δύναται, *non potest*) Non negatur penitus, id fieri posse: sed hoc dicitur, novam generationem et peccatum *non posse* esse simul. sic, *quomodo potest,* c. 4, 20. coll. Ap. 2, 2. Act. 4, 20. Res se habet, ut in abstemio, qui non potest vinum bibere, et in variis antipathiae generibus. Gataker hanc paraphrasin concinnavit: *Regenitus non peccat: vitam peccato immunem, quantum potest, sibi proponit; nec peccato unquam sponte dat operam. quod si quando praeter animi propositum deliquerit, nec in peccatum totus prorui, nec in eodem persistit; sed errore agnito ad institutum mox pristinum, quam primum quantumque potest, festinus revertitur.* Posth. c. 33.: ubi similitudinem addit acus magneticae, quae polum petit; facile dimovetur; sed semper polum repetit. — ἐκ τοῦ θεοῦ γεγέννηται, *ex Deo natus est*) Priora verba, *ex Deo,* majorem habent in pronunciando accentum: quod ubi observatur, patet, non idem per idem probari, collato initio versûs.

v. 10. ἐν τούτῳ, *in hoc*) Hoc refertur ad antecedentia. — καὶ ὁ μὴ ἀγαπῶν, *et non amans*) Transitio a genere vel toto ad partem.

---

1) δίκαιός ἐστι, *justus est*] Deuteron. 6, 25. *V. g.*

Digitized by Google

v. 11. ἀγγελία, *annunciatio*) Liberalissima appellatio. nunquam *legem* appellat.

v. 12. οὐ καθὼς, *non sicut*) Ellipsis. c. 2, 27. not. — κάϊν, *Kain*) De ipso *Adamo* lenius loquitur Scriptura, quam de Kaino hujusque similibus. — ἐκ τοῦ πονηροῦ, *ex Malo*) Mox, πονηρὰ *mala*. Antitheton, *ex Deo*. v. 10.

v. 13. ἀδελφοί μου, *fratres mei*) Hoc uno loco *fratres* dicit, in antitheto foras ad *mundum*, et in mentione *fratrum* perfrequenti. Alias dicit, *dilecti, filioli*, c. 2, 7. 1. 12. — μισεῖ, *odio habet*) ut Cainus ipsum fratrem. [*internecino scil. odio: etenim mala ejus opera vestris operibus justis redarguuntur*. V. g.]

v. 14. μεταβεβήκαμεν, *transcendimus*) fueramus igitur in morte. — ἐκ τοῦ θανάτου, *ex morte*) spirituali. — εἰς τὴν ζωήν, *in vitam*) spiritualem, eandemque aeternam. v. seq. Iterum sermo reciprocus: *nos in vita; vita in nobis*: v. 15. — ὅτι, *quia*) Criterium ab effectu. — μένει, *manet*) adhuc est.

v. 15. ἀνθρωποκτόνος, *homicida*) ut Cain. Omne odium est Conatus contra vitam: at vita vitam non insectatur. Qui odit fratrem, aut illum aut se ipsum non vult vivere. Hinc *Duella*. [*quae, quum* v. 16. *vitam* pro *fratribus ponere jubeamur, id inferunt* (*horrendum dictu!*) *ut* suam *quis vitam impendat, ne vita non surripiatur* alteri. *Desperatae hoc insaniae est, a fortitudine alienae. Ipsum diabolum mirari existimes, qui homines, christiani etiam nominis, eo usque delapsi fuerint. Dolendum est, summos in mundo Imperantes omni vi a DEO ipsis concessa aut non posse ista supprimere aut non velle. Unicum hujus generis nefas universum genus humanum, universam Christianorum panegyrin, militumve universa castra tristissimo coram DEO reatu involvere valet*. V. g.] — μένουσαν, *manentem*) Revera vita aeterna est in credente et amante.

v. 16. τὴν ἀγάπην, *amorem*) amoris naturam.

v. 17. τὸν βίον τοῦ κόσμου, *victum mundi*) Litotes, in antitheto ad *animas*, v. 16. — κλείσῃ, *clauserit*) rogatus, vel non rogatus opem. Aspectus miserorum, corda spectatorum illico pulsat, vel etiam aperit: tum homo libere vel claudit, vel pandit amplius viscera. Conf. Deut. 15, 7. — τὰ σπλάγχνα, *viscera*) Cum visceribus clauditur vel aperitur res familiaris. — ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ) i. e. *amor erga Deum*. c. 4, 20. — μένει, *manet*) Dicebat, se amare Deum: sed *non jam* amat. v. 18.

v. 18. λόγῳ) *sermone* otioso. opponitur *opere*. — γλώσσῃ) *lingua* simulante. opponitur *veritate*.

v. 19. ἐν τούτῳ, *in hoc*) Hinc pendet *cognoscimus* et *pacabimus*: et huc ref. *quoniam major*, v. 20. — ἐκ τῆς ἀληθείας, *ex veritate*) *Ex* dicit principium sive ortum. Rom. 2, 8. Veritas etiam amorem facit verum. v. 18. — ἔμπροσθεν αὐτοῦ) *Coram illo*, omnia vere noscente, pacabimus corda in precibus, v. 22. — πείσομεν, *pacabimus*) ut desistant *condemnare*. Idem verbum, Matth. 28, 14. — τὰς καρδίας ἡμῶν, *corda nostra*) Vocabulum συνείδησις, *conscientia*, Petrus et Paulus, soli ex sacris scriptoribus, adhibent: nec nisi semel, idque alio sensu, ponunt LXX Eccl. 10, 20. nam Hebr. לֵב dicitur καρδία v. gr. 1 Reg. 2, 44. 8, 38. Itaque nusquam Johannes συνείδησιν, *conscientiam*, vocat, hic autem *cordis* eam nomine innuit. conscientia enim *pacatur, condemnat*. Conf. *Apparat*. p. 588.

v. 20. ὅτι ἐὰν) ὅτι ἐὰν, *quicquid*: Col. 3, 23. not. idem propemodum quod ὃ ἐὰν, mox v. 22. quicquid sive quibuscunque rebus condemnarit nos cor nostrum, id poterimus *pacare*. Vel potius, si ὅτι et ἐὰν diremtum velis, *quod* post incisum, subaudito *inquam*, repetitum statues, ut persaepe fit. — καταγινώσκῃ, *condemnet*) non de toto statu nostro, sed de uno alterove defectu aut errato. Hoc verbum cum emphasi pronunciandum est: at versu sequente emphasis cadit in vocabulum *cor*. — ὅτι μείζων, *quod major*) Conscientia pusilla est, et scit aliquid nostri duntaxat, non sine trepidatione, neque habet quod condonet: at Deus

Digitized by Google

magnus est, novit omnia nostra, praesentia, praeterita, futura, et omnium, et habet jus voluntatemque condonandi. Hoc per se nondum *pacat* corda: sed dum hoc idem pii agnoscunt, et delicta sua confitentur, et a conscientia ad Deum, illa majorem, appellant, Deique omniscientiae se nulla re subducere conantur; tranquillitatem assequuntur. c. 1, 9. Exempla, Ps. 51, 8. cum contextu: Ps. 32, 5. 19, 13. 90, 8. — γινώσκει, *noscit*) nec tamen καταγινώσκει, *condemnat*. Dulce Paregmenon in Graeco.

v. 21. μὴ καταγινώσκῃ, *non condemnet*) vel laesa nunquam, vel iterum placata. — παῤῥησίαν, *fiduciam*) in rogando. Id repetitur c. 5, 14. s. Haec *parrhesia* longo gradu excellit tranquillitatem illam, quae verbo πείσομεν *placabimus* exprimitur.

v. 23. τῷ ὀνόματι) *nomini*. conf. Hebr. 6, 10. — καθὼς, *sicut*) Particula haec pertinet ad verba *credamus et amemus*.

[1]) v. 24. ἐκ τοῦ πνεύματος, *ex Spiritu*) Prima est haec *Spiritus* sancti in hac epistola mentio, oeconomiae divinae hic, ut etiam in evangelio Johannis, c. 14, 1. ss. 26. convenienter. Et hoc versu est quasi transitio ad tractationem de Spiritu sancto, quae sequitur mox, c. 4, 1. seqq. Datur nobis *ex* Spiritu, ut datur Spiritus.

CAPUT IV.

v. 1. Παντὶ) *cuivis* obvio. — πνεύματι) *spiritui*, quo doctor aliquis agitur. — δοκιμάζετε, *probate*) ad regulam, quae datur v. 2. s. — πολλοὶ) *multi*, ut aliis temporibus, sic illa quoque aetate. Horrenda haeresium seges illis temporibus exorta est. Contra eas cum zelo agit Johannes. Hodie si viveret, nimis severus diceretur a quibusdam. — ψευδοπροφῆται, *pseudoprophetae*) 2 Petr. 2, 1. Matth. 24, 11. 24. — ἐξεληλύθασιν, *exiere*) ex sedibus suis. *Intrarunt* in mundum. 2 Joh. v. 7. — κόσμον, *mundum*) deceptu facilem. v. 4. s.

v. 2. γινώσκετε) [2]) *cognoscitis*. De haeresibus aetatis illius recentia et obvia scripta sunt, Buddei Eccl. apost. I. Langii Dispp. etc. — πᾶν, *omnis*) Sermo est de spiritibus illius temporis. nam aliis temporibus alia etiam doctrinae de Jesu Christo capita impugnarunt pseudoprophetae. — πᾶν πνεῦμα, *omnis spiritus*) Spiritus Dei est unus: sed ex eo quilibet verus doctor habet suum motum, qui πνεῦμα *spiritus* dicitur. — ὁμολογεῖ) *agnoscit*, assensu cordis et oris. Hoc verbo praesupponitur doctrina jam rata et confirmata. — ἐν σαρκὶ) *in carne*. Est ergo Ipse aliquid praeter carnem. Haereses veritatem carnis Jesu Christi negantes praesupponunt et eo ipso confirmant *Deitatem* ejus, quippe cum qua non poterant conciliare carnem, tanquam ea dignam. — ἐληλυθότα, *qui venerit*) Ab hoc adventu pendet tota doctrina de Christo, quam adventus ille partim praesupponit, partim complectitur, partim post se trahit. v. 15. not.

v. 3. τὸ) scil. πνεῦμα. — καὶ νῦν, *et nunc*) c. 2, 18. not.

v. 4. ὑμεῖς, *vos*) Jesum Christum agnoscentes. — νενικήκατε, *vicistis*) c. 5, 4. s. — [3]) ὁ ἐν ὑμῖν, *qui in vobis*) Deus. — ὁ ἐν τῷ κόσμῳ, *qui in mundo*) spiritus antichristi, vel Malus.

v. 5. αὐτοὶ) *ipsi*. — ἐκ τοῦ κόσμου λαλοῦσι, *e mundo loquuntur*) ex mundi vita ac sensu sermones suos promunt. — ἀκούει, *audit*) propter congruentiam.

v. 6. ἐσμὲν, *sumus*) Subaudi, *propter hoc ex Deo loquimur*. — ἐκ τούτου *ex hoc*, quod v. 2—6. dicitur.

---

1) ἡμῖν, *nobis*] *Pronomen hoc, utut expressum in* Vers. germ., *per marginem* utriusque Ed. gr. *exulare potius censendum est.* E. B.

2) *Lectio* γινώσκεται (cognoscitur), *in margine* utriusque Ed. *lectorum arbitrio relicta, praefertur in* Vers. germ. E. B.

3) αὐτοὺς, *illos*] pseudoprophetas. *V. g.*

Digitized by Google

v. 7. ἀγαπῶμεν, *diligamus*) Ex ea ipsa doctrina, quam modo defendit, nunc adhortationem ad amorem educit. vid. v. 9. Dei amor effusus est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. v. 2. Rom. 5, 5. — ἡ ἀγάπη, *amor*) Omnis amor ex Deo est.

v. 8. οὐκ ἔγνω, *non novit*) non est natus ex Deo et non novit Deum. — ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστὶν, *Deus amor est*) ἀγάπη, sine articulo, uti v. 16. Haec sententiola Johanni tantisper duntaxat, dum eam perscripsit, plus dulcedinis attulit, quam totus mundus afferre potest.

v. 9. ἐν ἡμῖν, *in nobis*) i. e. amor Dei, qui nunc *in nobis* est per omnem experientiam spiritualem. — ὅτι, *quod*) Hoc motivum amoris ducitur ex v. 3. Ex eo, quod v. 3. dicitur de Jesu Christo, qui venit in carne, infertur v. 7. amor mutuus: consequentia probatur ex amore Dei erga nos, qui filium misit, ut viveremus. Est *argumentum* amoris Dei erga nos: est *motivum* amoris nostri mutui.

v. 10. ἔστιν, *est*) Id notat prius quiddam, quam, *manifestatus est*. — τὸν θεὸν, *Deum*) amari dignissimum. — ἡμᾶς, *nos*) indignissimos.

v. 11. ὁ θεὸς, *Deus*) nil debens.

v. 12. ὁ θεὸς) *Deus*, ceteroqui invisibilis. conf. v. 20. — ἐν ἡμῖν μένει, *in nobis manet*) Hoc tractatur v. 13—16. — τετελειωμένη ἐστὶν, *perfectus est*) omnia peragit, quae expiationem peccatorum consequuntur. Hoc tractatur v. 17—19.

v. 13. ὅτι ἐκ, *quoniam ex*) Ubi Spiritus Dei est, ibi Deus est.

v. 14. καὶ ἡμεῖς) *et nos*met. Sic Joh. 15, 27. — τεθεάμεθα καὶ μαρτυροῦμεν, *spectavimus et testamur*) Hoc infertur ex eo, quod sequitur, *cognovimus et credidimus*, v. 16. Per τὸ *cognovimus* notatur, ut apparet, primula *cognitio*, ut est in vernacula *Kennen lernen*. Est enim quaedam *cognitio*, quae *fidem* antecedit; et fides antecedit μαρτυρίαν, *testimonium*. Sed τὸ *spectavimus* notat plenum *pabulum oculorum* in spectando. — τὸν υἱὸν, *filium*) Duo fundamenta et criteria mansionis nostrae in Deo et Dei in nobis: communio Spiritus et agnitio Filii Dei. v. 13. 15.

v. 15. ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, *Filius Dei*) adeoque *Salvator mundi*. v. 14.

v. 16. καὶ ἡμεῖς, *et nos*) Anaphora: coll. v. 14. not. Est hic quoque epitasis: quare mox ἐν ἡμῖν proprie valet *in nobis*. coll. fine versus.

[1]) v. 17. μεθ' ἡμῶν, *nobiscum*) Dei amor in se semper idem ac perfectus est: sed *nobiscum* τετελείωται, *consummatus est*, ex sua ad nos descensione magis magisque assurgens. — ἵνα) *usque eo, ut*. — παῤῥησίαν, *parrhesiam*) Oppositum, *timor*. — ἐν, *in*) Sic *in*, Rom. 2, 16. not. — ἡμέρᾳ) *die* aliis terribilissimo, prae ipso mortis die. — τῆς κρίσεως) *judicii* extremi. — ὅτι, *quia*) Refertur ad *hoc*. — ἐκεῖνός ἐστι, *Ille est*) Jesus Christus est amor, in coelo; quod tacite opponitur *mundo*. Per τὸ *in coelo* tamen suppono praeviam ejus commorationem in mundo. τὸ *est* autem praesentem utique statum Jesu Christi indicat. — ἡμεῖς ἐσμεν, *nos sumus*) amantes Dei. v. seq. Joh. 15, 10. — ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ) *in mundo hoc*, amoris experte, judicium timente. Mentio *mundi* argumento est, τὸ *ille* innuere Jesum Christum. coll. v. 9.

v. 18. φόβος, *timor*) Deum refugiens et judicii diem. Varius hominum status: sine timore et amore; cum timore sine amore; cum timore et amore; sine timore cum amore. — ἀγάπη, *amore*) erga Deum. — τελεία, *perfectus*) Huc ref. *consummatus est*. — κόλασιν ἔχει, *tormentum habet*) Nam diffidit, omnia inimica et adversa sibi fingit ac proponit, fugit, odit.

---

1) ἐν τῇ ἀγάπῃ, *in amore*] divino scilicet. *V. g.*

Digitized by Google

v. 19. ἀγαπῶμεν) [1]) *amamus*, pellentes timorem. — πρῶτος ἠγάπησεν) *prior amore complexus est* nos, quanto magis posthac? ergo timor ejicitur.

v. 20. ὃν ἑώρακε, *quem vidit*) In hac vita tenemur sensibus externis. — πῶς δύναται, *quomodo potest*) Sermo modalis: *impossibile est, ut talis sit amans Dei*, in praesenti.

v. 21. τὴν ἐντολὴν, *praeceptum*) servandum Dei amantibus. Matth. 22, 39. [*Qui fratrem non amat, non servat praeceptum de* φιλαδελφία, *adeoque non amat DEUM.* V. g.]

CAPUT V.

v. 1. Πᾶς, *omnis*) Scopus et summa hujus periochae patet ex conclusione. v. 13. — καὶ πᾶς, *et omnis*) Qui non amat fratrem, non amat Deum: c. 4, 20. qui Deum amat, amat fratrem. Concinne apostolus in hac tractationis parte mentionem amoris ita collocat, ut fides, tanquam prora et puppis totius tractationis, in extremo spectetur. — καὶ) *etiam.* στοργὴ, *amor* spiritualis, magnus, erga quemlibet fratrem. ubi est aversatio, statim laeditur vita nova. — τὸν γεγεννημένον, *eum qui genitus est*) Enthymema, cujus conclusio: Credens gaudet amore omnium Dei amatorum: et vicissim illos amat. v. 2.

v. 2. καὶ, *et*) ἐν διὰ δυοῖν. coll. v. 3.

v. 3. βαρεῖαι οὐκ εἰσὶν, *gravia non sunt*) regenitis, amantibus; et in sese. In se sunt suavia: sed τὸ *non gravia* contradicit et occurrit iis, qui *gravia* esse putant.

v. 4. πᾶν τὸ γεγεννημένον, *omne natum*) Joh. 3, 6. not. — τὸν κόσμον, *mundum*) servandis Dei mandatis et cognitioni Jesu Christi infensum, et omnia, quae mundus objicit ad invitandum et terrendum. — ἡ νίκη, *victoria*) Quantum fides in corde invalescit, tantum mundus cedit. — ἡ πίστις, *fides*) Vide vim fidei.

v. 5. τίς ἐστιν, *quis est*) Credens omnis et solus vincit. Prae Filio Dei nil aestimat.

v. 6. οὗτός ἐστιν, *Hic est*) Versum hunc cum sequentibus conjunctim mox videbimus.

v. 7. s. ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐπὶ τῆς γῆς — ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ καὶ ὁ λόγος (ὁ υἱὸς) καὶ τὸ πνεῦμα· καὶ οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν. *quod tres sunt qui testantur in terra — in coelo, Pater et Verbum (Filius) et Spiritus: et hi tres unum sunt*) Formulam in margine editionis meae adhibitam, et ab aliquo reprehensam, pridem declaravi, quanquam tota in ipso Apparatu dissertatio ad locum vere vindicandum comparata fuerat. Nunc quum fulgidissimum hocce Dictum etiam atque etiam sub considerationem nostram venit, primum racemationem *criticam* instituemus, et nervos aliquot [2]) ex apparatu nostro, secundum seriem thesium ibi tractatarum, ciebimus, quibus Critici, si placet, invitentur ad ea, quae illo loco diximus, amplius, prout veritas postulaverit, discutienda: ultima vero illarum thesium nos ad contemplationem multo dulciorem, *hermeneuticam*, deferet.

Ad §. 1. Plerique studium suum criticum intra unum hunc locum terminant, vel id certe ab hoc loco ordiri volunt. Perinde faciunt, ac si quis Geometriae studium a quadratura circuli inchoaret. Tales vix inveniunt, ubi consistant: qui vero per reliquos anfractus penetravit, hic quoque poterit evadere, et dociles certe aliorum animos pacare. Nonnisi mutata hic velificatione, portus tenetur: propriam methodum praesens locus postulat.

Ad §. 2. Non pauci ex iis, qui dictum hoc ipsum recte religioseque defen-

---

1) *Omissio pronominis* αὐτὸν, *utut expressi in* Vers. germ., *firmioribus lectionibus annumeratur per marginem* utriusque Ed. E. B.

2) *Hos equidem* (*utut alteri* App. critici *Editioni per b.* Burkium *legitime insertos*), *non putavi, ut reliquas annotationes criticas, hoc praecipuo loco eliminandos esse; facile, ut confido, veniam nacturus vel gratiam adeo inituras penes lectorum eos, quibus ipse* App. crit. *non ad manus fuerit.* E. B.

Digitized by Google

dunt, justo tamen sunt avidiores in conquirendis et adhibendis ejusmodi quoque fulcris, quae nullam firmitudinem habent. Accidit id praestanti viro, Leonardo Twells, cujus farraginem, ex Anglico sermone in Latinum traductam, Wolfius ad h. l. pag. 300—313. cum una et altera castigatione exhibuit. Twellsium legi et pensavi, antequam Apparatum emitterem: quare ubi diffidentius incessi, atque ille, non temere id feci, cogitandique materiem esse, lector velim putet. Nil novi magnopere supplendum habeo: paucula, quae ad rem pertineant, commemorabo.

Ad §. 3. *Complutenses*, Latinorum codicum auctoritate, uti c. 2. v. 14. partem priorem, et c. 5. comma extremum versus octavi, quamvis Graece legerent, omiserunt, sic ipsum versum septimum, Graece non lectum, restituerunt; singulari quidem in hac epistola libertate utentes. Aperta Stunicae confessio, de Latinis codicibus hic adhibitis, potior est omni suspicione de duobus codicibus Graecis Vaticanis, quorum alter caruerit dicto, alter id ipsi Stunicae ejusve collegis suggesserit. Vaticanum Hispanos exemplar hic secutos esse, non est clara Erasmi, ut Twellsius accipit, professio. tantum, *ni fallor*, ait. Si Amelotus postea in Vaticano codice dictum legit, videndum, ne hic latinizet.

Ad §. 4. Ex Britannia schedae aliquid Erasmus, nescio per quem, est nactus: ipse diffisus est: diffidentiae causas, non sane iniquas, enarravit. Idoneum hinc codicem manuscriptum *Britannicum* sola credulitas spontanea potest fingere. *Aliam* dicti versionem Graecam ex Latinis dedere Complutenses, *aliam* Britannus Erasmi, *aliam* Graecus concilii Lateranensis metaphrastes, *aliam* Montfortini codicis interpolator.

Ad §. 5. In nullo ms. Graeco dictum *Stephanis* lectum esse, Latinorum Roberti Bibliorum margo vel solus evincit.

Stephanicas editiones et reliquas citare, plane supervacaneum est. Erasmicas et Complutensem, in omittendo vel exprimendo dicto, omnes ceterae sunt secutae.

Ad §. 6. Non adeo grandes sunt copiae codicum Gr. ms. in quibus epistolae, v. gr. Johannis, descriptae sint: et quorum hodie copia est, eorum vix unus alterque mille annorum aetatem excedit; ceteri aliquanto, vel etiam multo, recentiores sunt. Eo minus mirandum est, Graece hodie vix reperiri dictum in cod. Graecis, quibus adjiciendum esse didici regium *Hafniensem*, et *Ebnerianum*, et *Parisinos* omnes (in libro, *Journal des savans*, A. 1720 mens. Jun.) et complures, quos sibi visos ait cel. *La Croze* in Hist. christianismi Ind. pag. 316. ed. II. Germ. In codicibus *Florentinis*, quos recenset V. C. *Jo. Lamius* in libro de eruditione apostolorum, c. 13, reperiuntur duodecim, qui et habent epistolas Catholicas, et hoc dicto carent: sed omnes post seculum IX scripti sunt. Eo contra pluris aestimare debemus succenturiatam translationem vetustissimam *Latinam*, unde hoc dictum a multis patribus continua serie lectum et laudatum fuit, et subinde in aliarum linguarum monumenta redundavit, et hodie in codicibus Latinis N. T. superat.

Vallam in Graecis suis codicibus legisse dictum, ex ejus silentio sine ulla ratione conjicitur. Praeteriit Valla etiam versu 6. insignem differentiam, ubi Graece est τὸ πνεῦμα, Latine *Christus*. et capite 2. priorem partem versus 14., qua Latini carent, sine dubio Graece legerat Valla, et tamen in pausa est. Oppido parcas in hanc epistolam notulas dedit.

Concilium *Lateranense* inciso illo, *sicut in codicibus QUIBUSDAM invenitur*, non respicit totum versum 7., sed clausulam versus 8., *et hi tres unum sunt*: quae clausula, in *OMNIBUS* Graecis codicibus obvia, vel sola demonstrat, concilium non de Graecis loqui codicibus, sed de Latinis, quorum tantummodo *QUIDAM* illam habent clausulam.

Digitized by Google

Montfortinum, sive *Dubliniense*, sive *Hibernicum* exemplar, cui permultum, hujus dicti gratia, alicubi tribuitur, novum est et latinizat, in occidente descriptum, ut Latina, quam sequitur, capitum distinctio prodit. *Berolinensem* codicem nil seorsum a Complutensibus valere, Berolinensium candor fatetur.

Ad §. 8. Patribus Graecis, qui dictum non legerunt, accensendus est *Germanus* Constantinopolitanus, uti Theoria rerum eccles. demonstrat. Negativum argumentum, in tali quaestione, repudiari non potest. Nil id valet de uno alterove duntaxat ecclesiastico scriptore: valet de permultis, dictum tam insigne, ad controversias decidendas singulariter opportunum, praetereuntibus. Si Afri tam frequentes id citant, cur Asiani tam frequentes id non citant? Hi non legerunt: illi legerunt.

Ad §. 19. *Latinos* Florentinorum codices, qui Dictum habent vel non habent, memorat *Jo. Lamius* in libro citato, p. 260. 266. 284. Porro Latinae versionis, ubicunque eam Tertullianus, Cyprianus, et quorundam duntaxat, sed tamen continuus ordo patrum sequitur, tanta est antiquitas, tanta auctoritas, ut ea optimo jure nitamur, neque suspensi manere cogamur, quamvis nondum constet, quid insecuta secula in aliis aliisque orientis partibus legerint. Qui abstrusiores illas versiones in numerato habent, iis facile usu venit, ut *Latinam*, a Romanensibus nimium evectam, nimium deprimant.

Ad §. 21. Cod. Florentinus, isque Laurentianus, quem ex Burneto citavimus, idem est, ni fallor, quem describit *Jo. Lami* lib. cit. pag. 265. Accedunt alii Florentinorum codices Latini, qui eum *ordinem* versiculorum habent, pag. 258. 268. 285. Habet etiam scriptor seculi VIII, *Etherius* Axumensis in Hispania episcopus, qui libro I. contra Elipandum, permagnam hujus epistolae partem recensens, duos versus sic exhibet: *Quia tres sunt, qui testimonium dant in terris, aqua et sanguis et caro; et tria haec unum sunt: et tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus; et haec tria unum sunt in Christo Jesu.* Eos quoque vel codices vel patres Latinos, qui sic legunt, imitatus est *Corn. Jansenius*, comm. in Concord. evang. cap. 144. *Versus septimus*, Cameronis judicio, *parenthesi includendus est, et sextus conjungendus cum octavo.* Non opus parenthesi: sextus versus cum octavo conjunctus est per se.

Ad §. 22. Quod *Manuel Calecas*, *DOMINICANUS*, et Lectionarium Graecorum, hic certe interpolatum, *VENETIIS* editum, Vulgatae translationis auctoritatem sequuntur, minime mirum est. Prius fecerunt idem Armenii.

Ad §. 23. Raris (i. e. paucos gemellos habentibus, qui in suo genere peculiares erant,) codicibus epistolicis usum fuisse *Basilium M.* patet ex Appar. p. 690. [Ed. II. p. 378.]: atque is Johannei dicti vestigium nobis pandit, quum libro V. adv. Eunom. ait: *Deus et Verbum et Spiritus, una Deitas et sola adoranda.* Dialogo, qui *Maximo* adscribitur, vix plus tribui potest, quam in apparatu meo tribuitur. Latinis Afrorum codicibus notitiam dicti sine dubio debet auctor ille: in Graecis an deinceps repererit, considerent eruditi.

Nunc *plurima* manuscripta, quae Ger. a Mastricht in Notis ad h. l. corrogat, et *XIV testes Graecos*, quos Twellsius, pagina Wolfii 302, enumerat, et e diverso haec, quae ad §. 3. et deinceps sublegimus, Lector, velim, serio invicem conferas. Operam ab eo navatum iri dices, qui, *unum* duntaxat testem alterumve Graecae auctoritatis esse, utcunque probaverit. Qui firmos testes ex Graeca antiquitate producet, gratiam ab ecclesia inibit.

Ad §. 25. Qui dictum defendunt, non idcirco causam, cur id in tot monumentis desideretur, scire aut proferre necessum habent. Minus certa causa esto praetermissionis: praetermissio tamen, atque adeo ipsa germanitas dicti, certa est. qui cimelium amisit et invenit, etiamsi, quomodo amissum fuerit, ignoret, tamen id agnoscit et recuperat. Tarde, ut arbitror, exspirabit suspicio hiatus

hoc loco ex homoeoteleuto nati. Homoeoteleuton quidem quantam in hiatibus vim habere soleat, passim animadverto: sed in praesenti loco eam causam valere non posse, evici, ni fallor, in Appar. p. 765. [Ed. II. p. 474.] Alia vero ibidem, quomodo expunctum fuerit dictum, non irrationabilis subjungitur conjectura: a contrario, nullo modo id tanquam assumentum reputari potest, a Latinis patribus, dicto ipso carentibus aut gaudentibus, notis aut ignotis deperditisve, antiquissimis, recentioribus, profectum. Suspicionibus quoquoversus indulge: nil conficies. Tam mature, tam serio, tam passim gentium, tam perpetua aetatum serie allegant.

Ad §. 28. Haec ultima thesis deducit nos ad pretiosissimi Dicti exegesin, qua versus 7. (1) ad contextum totius epistolae, maximeque (2) ad versum 8. collatus, ex intimis rationibus vindicatur.

(1) Scopum dispositionemque hujus epistolae non facile inveniri, sunt qui censeant: at sine violentia, si simpliciter eam intueamur, resolvetur. Johannes epistola, vel libello potius, (nam epistola ad absentes mittitur; ille autem apud eos, quibus scribebat, eodem tempore fuisse videtur:) id agit, ut beata et sancta cum Deo et Jesu Christo communio fidelium confirmetur, Gnorismatis lautissimi eorum statûs ostensis.

Partes sunt tres:

Exordium, c. I. 1—4.
Tractatio, c. I. 5. — V. 12.
Conclusio, c. V. 13—21. *Evolvatur textus ipse.*

In Exordio apostolus ab apparitione Verbi Vitae constituit auctoritatem praedicationi et scriptioni suae, et scopum (ἵνα, *ut*, v. 3. s.) exserte indicat: exordio respondet (ut hoc statim expediamus,) Conclusio, eundem scopum amplius explanans, instituta Gnorismatum illorum recapitulatione per triplex *norimus*. c. 5, 18. 19. 20.

Tractatio habet duas partes, agens

I. speciatim
   α) de communione cum DEO, in luce. c. I. 5—10.
   β) de communione cum FILIO, in luce. c. II. 1. s. 7. s. subjuncta applicatione propria ad patres, juvenes, pueruloS. v. 13—27. Innectitur hîc adhortatio ad MANENDUM in eo, c. II. 28. — III. 24., ut fructus ex MANIFESTATIONE ejus in carne, se porrigat ad MANIFESTATIONEM gloriosam.
   γ) de corroboratione et fructu mansionis illius, per SPIRITUM. capite IV. toto, ad quod aditum parat c. III, versus 24., conferendus ad c. IV. 13.

II. per Symperasma sive Congeriem, de Testimonio Patris et Filii et Spiritus, cui fides in Jesum Christum, generatio ex Deo, amor erga Deum et filios ejus, observatio praeceptorum, et victoria mundi innititur. c. V. 1—12.

Saepe partes similiter incipiunt et desinunt, uti exordio quoque respondet conclusio. vid. supra ad c. 2, 12. Interdum est allusio praevia in parte aliqua praecedenti, et recapitulatio in subsequenti. Quaelibet pars agit de beneficio divino, et de officio fidelium: atque ex beneficio officium derivatur per consectaria convenientissima, de amore erga Deum, de imitatione Jesu Christi, de amore fratrum; et quanquam multa videri possint sine ordine repeti, tamen ordinatissimis modis ex aliis causis alio intuitu eadem illa consectaria formantur.

Habet ergo versus septimus anakephalaeosin, quae sane, uti de Patre et Filio, sic etiam de Spiritu agit. Quod Sol est in mundo, quod in pyxide nautica acus, quod in corpore cor, id in hac tractatione est versus septimus capitis V. Adhibe primum editionem eo versu destitutam, deinde editionem eo praeditam: facile senties, quid universus Johannei sermonis postulet tenor.

(2) Adamantinus versuum nexus est, in hocce textu: v. 6. *Hic est, qui*

Digitized by Google

venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et sanguine: et spiritus est qui testatur; quia spiritus est veritas. 7. Quia tres sunt, qui testantur in terra, spiritus et aqua et sanguis; et hi tres in unum sunt: 8. et tres sunt, qui testantur in coelo, Pater et Verbum et Spiritus; et hi tres unum sunt. 9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.

Ne quid confusionis oboriatur, monemus, *versum* 7. a nobis in hac deinceps consideratione dici eum, qui agit de testantibus *in terra;* et *versum* 8., qui agit de testantibus *in coelo.* Atque hunc ipsum versum 8. partim ut argumentis criticis in Apparatu confirmatum, partim ut exegeticis argumentis amplius confirmandum supponimus.

v. 6. οὗτός ἐστιν, *Hic est*) Causam Johannes exponit, cur ei demum, qui credit, Jesum esse Filium Dei, victoriam ex mundo adscribat: quia nempe illa in Jesum Dei Filium fides invictum robur habet, a testimonio hominum, satis eo quidem firmo, sed multo magis a testimonio Dei, absolutam firmitudinem habente. — ὁ ἐλθὼν, *qui venit*) Non dicit, ὁ ἐρχόμενος, *veniens*, in praesenti, sed ὁ ἐλθὼν, aoristo tempore, praeteriti vim habente: uti c. 1, 2., ἐφανερώθη, *manifestata est:* c. 4, 2., ἐληλυθότα· et infra, v. 20., ἦκει. nam ἥκω praesens non *veni* significat, sed *veni:* (v. 20. not.) unde Johannes ibidem subjicit, *et dedit*, in praeterito. Jesus est is, quem propter promissiones venire oportuit, et qui venit revera: idque testantur et probant spiritus et aqua et sanguis. — δι' ὕδατος καὶ αἵματος, *per aquam et sanguinem*) *Aqua* dicit baptismum, quem primum administravit Johannes, inde Baptista cognominatus, et ideo in aqua baptizare missus, ut Jesus manifestaretur tanquam Filius Dei. Joh. 1, 33. 34. Porro baptismus etiam per discipulos Jesu administratus est, Joh. 4, 1. s. Act. 2, 38. etc. *Sanguis* est utique sanguis unius ipsiusque Jesu Christi, qui effusus in passione, in coena dominica bibitur. — ἰησοῦς ὁ χριστὸς, *Jesus Christus*) *Jesus*, per aquam et sanguinem veniens, eo ipso monstratur ut *Christus.* — οὐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον, *non in aqua solum*) Modo dixit, *per;* nunc, *in.* Utraque particula opponitur τῷ χωρὶς, 1 Cor. 11, 11. s. Hebr. 9, 7. 12. 25. Ostendit apostolus, verba proxima antecedentia plane considerate esse posita. Articulus τῷ habet vim relativam. *Per* magis proprie videtur referri ad *aquam*, et *in* ad *sanguinem.* nam Johannes aqua baptizans, Jesum venientem antecessit, et Jesus venit *per* aquam: sed Jesus peracto opere, quod Pater ei faciendum dederat, sanguinem impendit; itaque prius venerat *in sanguine.* — ἀλλ' ἐν τῷ ὕδατι καὶ τῷ αἵματι, *sed in aqua et sanguine*) Non modo suscepit, ad *baptismum* accedens, munus implendae omnis justitiae, Matth. 3, 15., sed etiam effuso *sanguine* consummavit. Joh. 19, 30. quo facto *sanguis et aqua* ex latere J. C. in cruce mortui exiit. ibid. v. 34. — καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, *et spiritus est qui testatur*) *testatur*, de Jesu Christo, v. 5. c. 2, 22. 2 Joh. v. 9. — ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, *quia spiritus est veritas*) Declarat apostolus, quid hic innuat vocabulo *spiritus*, *veritatem* videlicet. Quid porro *veritatis* vocabulo innuit? Non dubium est, quin hac professa enumeratione complectatur quodammodo omnia, quae, praeter ipsum divinum testimonium, ad testimonium de Jesu Christo pertinent. Ea colligemus ex Johannis aliisque N. T. scriptis. Testantur de Jesu Christo scripturae, Joh. 5, 39., i. e. Moses et prophetae, Joh. 5, 46. 1, 46. Act. 10, 43. Testatus est Johannes baptista, Joh. 1, 7. Testati vero sunt deinceps apostoli, Joh. 15, 27. 1 Joh. 1, 2. 4, 14. Act. 1, 8. 2, 32.: maximeque scriptor hujus epistolae, Joh. 19, 35. Nunc quum apostolus testimonia de Jesu Christo, tanquam de eo, qui venit, colligit, sane evangelium minime praetermisit. *Evangelium* ille quidem nunquam appellat: *testimonium* plerumque appellat. Sed hoc loco minus commode diceretur: *tres sunt testantes, testimonium et aqua et sanguis.* quare

Digitized by Google

pro testimonio *veritatem*, veritatem videlicet non modo cognitionis, sed etiam praedicationis dicit, et veritatem *spiritûs* vocabulo insignit. cui subjecto praedicatum *testari* eleganter cohaeret. Expendatur nomen *spiritus*, c. 4, 1. s. 1 Cor. 14, 12. Ap. 19, 10. Joh. 6, 63. Hoc spiritu propheticum quoque testimonium V. T. cum complemento ejusque demonstratione continetur. Dicit apostolus: *Jesus Christus venit et per aquam et per sanguinem:* non dicit hic: *et aqua et sanguis sunt, qui testantur.* Rursum dicit, cum insigni epitasi, ΚΑΙ τὸ πνεῦμά ἐστι ΤΟ μαρτυροῦν, *spiritus est testans:* non dicit, *Jesus Christus venit per spiritum* sive *in spiritu.* etenim *spiritus* etiam ante adventum Christi testabatur, multis seculis: at aqua et sanguis cum ipso adventu erant conjunctissima. Testimoniumque magis proprie adscribitur spiritui, quam aquae et sanguini: testandi quippe vim per se habet spiritus, eandemque vim aqua et sanguis accedente spiritu nanciscuntur et exserunt.

v. 7. ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, *quia tres sunt testantes*) Participium, *testantes*, pro nomine, *testes*, adhibitum, actum effectumve testimonii semper praesentem innuit. Antea etiam de spiritu dixerat, neutro genere, τὸ πνεῦμά ἐστι ΤΟ ΜΑΡΤΥΡΟΥΝ. nunc masculino genere, *tres sunt, qui testantur,* etiam de spiritu dicit, simul aquam et sanguinem testantes esse dicens, item masculino genere. Foeminina illa, *fides, spes, caritas, tria* dicuntur, neutro genere, 1 Cor. 13, 13.: at hic πνεῦμα, ὕδωρ, αἷμα, omnia neutrius generis in Graecis, id est, *spiritus, aqua, sanguis,* sunt τρεῖς μαρτυροῦντες, masculino genere. *Testantes esse,* proprie personis convenit; quodque tres in terra testantes, quasi personae essent, per prosopopoeiam describuntur, id personalitati trium in coelo testantium pulcre subservit: sed tamen neque spiritus (veritas evangelica) neque aqua neque sanguis personae sunt. Tropum igitur a versu praecedenti ad praesentem progressus apostolus adhibet, brevitati sermonis opportunum, ut hoc dicat: Tria sunt genera hominum, (v. 9. coll. Joh. 5, 34.) qui ministerio testandi in terra funguntur: 1) illud, in universum, genus testium, quod praeconio evangelii vacat; et speciatim 2) illud genus testium, quod baptismum administrat, ut Johannes baptista et ceteri; itemque 3) illud genus testium, quod passionem et mortem Domini spectavit et celebrat. Est ergo *METALEPSIS,* eaque gravissima: ubi α) per Synecdochen numeri, pro toto genere testium, unus, qui testetur, ponitur, ut si diceretur, *propheta, baptista, apostolus.* quamvis enim hae tres functiones saepe in uno homine poterant concurrere, tamen ipsae erant divisae: coll. Eph. 4, 11. eoque commodior est metonymia, de qua mox. Gradus trium harum functionum, strictius tamen sumto *prophetae* vocabulo, extant Matth. 11, 9. 11. β) per Metonymiam abstracti, pro iis, qui testantur, tanquam αὐτόπται καὶ ὑπηρέται, ipse *spiritus, aqua, sanguis,* memorantur. — ἐν τῇ γῇ, *in terra*) Vid. infra. — τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα, *spiritus et aqua et sanguis*) Ordinem permutat apostolus. nam cum antea spiritum tertio loco posuisset, nunc cum primo loco ponit ex ordine naturae. spiritus, ut modo dictum est, ante aquam et sanguinem testabatur, et spiritus etiam sine aquae et sanguinis testimonio, sed aqua et sanguis nunquam sine spiritu testantur. — καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, *et hi tres in unum sunt*) Sunt ejusdem aeque terrestris *naturae* per se, propheta, baptista, apostolus: (conf. *unum sunt:* 1 Cor. 3, 8.) et ad unum penitus *finem* ordinati, ut testentur de Jesu Christo, ut de eo, qui venit in mundum. conf. εἶναι εἰς τι, Luc. 5, 17. τὸ ἕν, cum articulo, non tam *unum,* quam *idem* notat.

Num dilutior videtur haec versiculi 7. interpretatio? Mox proderit nobis haecce *querela.*

v. 8. καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, *et tres sunt qui testantur*) Testimonium spiritus et aquae et sanguinis per insignem gradationem et epitasin corro-

Digitized by Google

boratur superveniente testimonio trium majus testimonium perhibentium. conf. omnino Joh. 3, 8. 11. — ἐν τῷ οὐρανῷ, *in coelo*) Vid. infra. — ὁ πατὴρ, *Pater*) sub hoc nomine simul intelligitur nomen *Dei*, ut sub *Verbi* nomine, (de quo tamen mox vide,) *Filius*; ex natura relatorum. conf. 1 Cor. 15, 28. — ὁ λόγος, *Verbum*) *Verbi* appellatio egregie convenit cum testimonio. *Verbum* testatur de se, ut de Filio Dei, Ap. 1, 5. 19, 13. Patres aliqui hoc loco scribunt *Filius*, ex frequentiori Scripturae locutione. Habent tamen hoc (*filius*) etiam cod. MSS. Lat. *Florentinus* et *Reutlingensis*. — τὸ πνεῦμα, *Spiritus*) Hoc loco, et ubique in hac epistola, Johannes, de Spiritu sancto loquens, *Sancti* epitheton subaudit. Jesus Christus ante passionem de suo et Patris testimonio aperte locutus erat: accedit, post glorificationem maxime, testimonium Spiritus sancti. c. 2, 27. Joh. 15, 26. Act. 5, 32. Rom. 8, 16. Quare, ut antea binarius testium urgebatur, Joh. 8, 17. s. ita nunc Trias. — καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσι, *et hi tres unum sunt*) Versus praecedens habet, *et hi tres in unum sunt:* nunc, *hi tres unum sunt.* Considerata sermonis differentia, quanquam alias εἰς promiscue vel ponitur vel omittitur. Unum sunt hi tres; sicut duo, Pater et Filius, unum sunt. Spiritum a Patre et Filio sejungere nil potest. nam si cum Patre et Filio Spiritus unum non esset, dicere deberemus, cum Patre et Filio, qui unum sunt, Spiritum esse duo. quod abhorret a tota revelationis divinae summa. Unum sunt, essentia, notitia, voluntate, atque adeo consensu testimonii. Joh. 10, 30. 38. 14, 9. seqq. Non universis tribus, sed singulis, tres singulatim opponuntur, hoc sensu: Testantur, non solum spiritus, sed etiam Pater; Joh. 5, 37. non solum aqua, sed etiam Verbum; Joh. 3, 11. 10, 41. non solum sanguis, sed etiam Spiritus. Joh. 15, 26. seq. Nunc quam necessaria sit versus octavi lectio, dispalescit. Non potuit Johannes cogitare de spiritus et aquae et sanguinis testimonio, et testimonium Dei tanquam majus subjungere, quin etiam de testimonio Filii et Spiritus sancti cogitaret, idque in enumeratione tam solenni memoraret: neque ratio ulla excogitari potest, cur sine tribus in coelo testantibus testantes in terra, eosque tres enumeraret. Solent ejusmodi enumerationes non simplices esse, sed multiplices, Prov. 30. quanto magis hoc loco? Versus septimus, quantus quantus est, vim habet respectivam, et eo pertinet, ut a versu 6. ad versum 8. progressus fiat. Atque hic sita est utilitas *querelae* supra notatae. Sive cum antecedenti sive cum subsequenti versu conferas versum 7. de tribus in terra testantibus, necessarius est octavus. Nam versus sextus et septimus nonnulla habent eadem, nonnulla diversa. Quae eadem sunt, ideo tantum iterata sunt, ut aptarentur versui octavo: quae diversa sunt, et vel orationem variant, vel ad sententiam aliquid amplius addunt; clariorem etiam respectum habent ad octavum versum. v. gr. In absoluto sermone, spiritus tantummodo dicitur esse testans; in respectivo, etiam aqua et sanguis. Similiter versus septimus et octavus nonnulla habent communia verba: in aliis, ubi oratio commutatur, ipsa sententia diversum quiddam importat, ut *in unum* et *unum*. Ternarium testantium in terra, accommodatitium, plane sustentat Trinitas coelestis, archetypa, fundamentalis, immutabilis. Poterat apostolus testantes in terra vel plures statuere, coll. v. 9., vel omnes ad unum revocare spiritum, coll. v. 6., sed ad ternarium eos redigit, solo trium in coelo testantium intuitu. Ex eo, quod Pater et Verbum et Spiritus proprie tres sunt, et testantes sunt, et unum sunt, etiam spiritus et aqua et sanguis per tropum similia praedicata nanciscuntur, quae eis per se minus competere, et sua sponte patet, et ii sensere, qui in versu de spiritu et aqua et sanguine *tres* mutarunt in *tria*. Vid. Appar. p. 750. 755. Si ullam testantes in terra relationem habent ad testantes in coelo, series verborum, *spiritus et aqua et sanguis*, postulat, ut *spiritus* referatur ad *Patrem*, aqua ad *Verbum*, sanguis ad *Spiritum:* at hoc non nisi expressa *Patris et Verbi* et

Digitized by Google

Spiritus lectio comprobat: qua seposita, varie fluctuans allegoria verborum ordinem mutavit. Vid. Appar. p. 757. 764. *Praecepta* Dei gravia esse negans apostolus, observationem eorum non modo ex sacramentis, sed maxime etiam ex fide S. Trinitatis deducit, uti Dominus ipse, Matth. 28, 19. 20. Plane Johanneum ex Deo sensum eoque sensu dignum stilum tota haec sapit periocha. Qui versum 8. non admittunt, non possunt versum 7. commode resolvere. *Metalepsin*, quam supra notavimus, in apertam *catachresin* ii deducunt: sed admisso versu 8., tota illa metalepsis mitigatur, et ordo, quo spiritus ante aquam et sanguinem ponitur, declaratur, et omnium vocum ratio redditur. Intima denique versus utriusque connexio, exactus rhythmus, indivulsa parodia est: et alter sine altero se habet tanquam periodus composita aut stropha poëtica, ubi pars dimidia desideratur.

v. 7. 8. ἐν τῇ γῇ· ἐν τῷ οὐρανῷ, *in terra: in coelo*) Non fertur testimonium in coelo, sed in terra: qui autem testantur, sunt in terra, sunt in coelo. i. e. illi sunt naturae terrestris et humanae, hi sunt naturae divinae et gloriosae. Porro quia testantes qui sunt in terra, et testantes qui sunt in coelo, testantur de Jesu Christo, et testis verus praesens est, non absens, non tam respectu eorum, ad quos testatur, quam respectu eorum, quae testatur: ideo testantes qui sunt in terra, testari dicuntur de Jesu Christo, ita, ut testimonium eorum agat praecipue de commoratione Jesu in terra, ut testatum fiat, illum esse Christum; unde ipse per aquam et sanguinem dicitur *venisse*, in mundum videlicet: neque tamen status exaltationis, praesertim dum apostoli viverent, excluditur. Sed testantes qui sunt in coelo, testantur de eodem Jesu Christo, ita ut testimonium eorum agat praecipue de coelesti gloria Jesu, Filii Dei, exaltati ad dexteram Patris, non tamen excluso statu exinanitionis. Certe testimonium v. gr. aquae, sive baptismi, per Johannem maxime administratum fuit, ante mortem, imo ante manifestationem I. C. in terra ambulantis: testimonium vero Paracleti in glorificationem I. C. reservatum est. Unde μαρτυρεῖτε, *testamini*, in praesenti, de apostolis: μαρτυρήσει, *testabitur*, de Paracleto dixit Dominus. Joh. 15, 27. 26.

Habet ergo versus 7. cum versu 6. anakephalaeosin totius oeconomiae Christi Jesu a baptismo ejus usque ad pentecosten Act. 2. Habet versus 8. summam oeconomiae divinae ab exaltatione ejus et deinceps. Vid. Joh. 8, 28. 14, 20. Matth. 26, 64. Quocirca Christus ascendens jussit baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: Matth. 28, 19. et Apocalypsis gratiam et pacem a S. Trinitate praefatur.

Quae cum ita sint, novum argumentum suboritur, eum ordinem versuum, qui testantes in terra praemittit, ac deinde testantes in coelo memorat, Gradatione rebus ipsis longe convenientissima praestare.

v. 9. εἰ, *si*) Ab eo, quod negari nequit, et tamen minus est, concludit ad majus. — τῶν ἀνθρώπων, *hominum*) in quocunque negotio, Joh. 8, 17., et in ipso spiritus et aquae et sanguinis testimonio administrando. nam tametsi id divino instituto et jussu faciunt, tamen ipsi manent homines. Joh. 5, 34. 3, 31. — ἡ μαρτυρία τοῦ θεοῦ, *testimonium Dei*) *Patris*, cujus Filius est Jesus. Vide finem versus hujus. Notatur autem simul cum testimonio Patris testimonium Filii et Spiritus item divinum et coeleste, quia opponitur testimonio *hominum* in plurali. Testimonium Patris est quasi basis testimonii Verbi et Spiritus sancti, sicut testimonium spiritus est quasi basis testimonii aquae et sanguinis. — μείζων ἐστίν, *majus est*) [*adeoque acceptatione multo dignius.* V. g.] Joh. 5, 36.

Summa eorum, quae diximus, haec est: Graeci codices, in quibus epistolae, v. gr. Johanneae, habentur, nec tam multi sunt, nec tam antiqui, ut versui de Tribus in coelo testantibus, quippe cujus plane singularis est ratio, debeant officere. Latino is nititur interprete, solo propemodum, sed vetustis-

Digitized by Google

simo et sincerissimo, quem continuo sequuntur plurimi perpetua seculorum serie patres, in Africa, Hispania, Gallia, Italia, cum provocatione ad Arianorum consentientem lectionem. Ipse denique contextus hunc versum tanquam centrum et summam epistolae comprobat. — αὕτη ἐστὶν, *hoc est*) Plane in eo versatur.

v. 10. ἐν ἑαυτῷ, [1]) *in se ipso*) intime.

v. 12. ὁ ἔχων) *habens*, in fide. — τὸν υἱὸν, *Filium*) Habet versus duo cola. in priore non additur *Dei:* nam fideles norunt *Filium.* in altero additur, ut demum sciant infideles, quanti sit, non habere. — ἔχει, *habet*) Priore hemistichio cum emphasi pronunciandum est *habet;* in altero, *vitam.*

v. 13. ταῦτα) *haec*, quae in hac epistola habentur. Verbum *scribo*, in exordio, cap. 1, 4., nunc in conclusione fit praeteritum, *scripsi.* — τοῖς [2]) πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, *credentibus in nomen Filii Dei*) Summa versus 5—10. — ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, *ut sciatis quod vitam habetis aeternam*) Id fluit ex versu 11. — καὶ ἵνα πιστεύητε) *et ut credatis*, scil. sub propiore spe vitae. Id fluit ex v. 12. Plane in fide esse debemus.

v. 14. κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ, *secundum voluntatem ejus*) Conditio sequissima, latissime patens. [*Pron.* αὐτοῦ *DEUM spectat.* V. g.]

v. 15. ἐὰν οἴδαμεν) ἐὰν interdum habet indicativum, praeteriti temporis; idque hic facit ad confirmandum. — ἔχομεν) *habemus*, etiam ante eventum ipsum: (conf. 1 Sam. 1, 17. s.) et eventum ipsum scimus non esse fortuitum, sed precibus impetratum.

v. 16. ἐάν τις, *si quis*) Additur casus omnium maximus; ut possis orare etiam pro altero, in re gravissima. conf. c. 2, 1. — ἴδῃ, *viderit*) Ergo peccatum hoc potest nosci a regenito. — ἁμαρτάνοντα ἁμαρτίαν, μὴ πρὸς θάνατον, *peccantem peccatum, non ad mortem*) qualecunque peccatum, *modo ne* ad mortem. μὴ, *ne*, formula excipiendi, (Matth. 19, 9.) plus, quam οὐ, *non*, v. 17. Quam diu non constat, esse peccatum ad mortem, orare fas est. — θάνατον, *mortem*) De morbo, ex quo Lazarus mortuus est, sed postea mox resuscitatus, dicitur, *non est ad mortem,* Joh. 11, 4. not. at Ezekias aegrotavit לְמוּת *ad mortem*, Es. 38, 1., nisi miraculo convaluisset. Hoc autem loco Johannes *mortem* et *vitam* dicit, uti cap. 3, 14. Quid porro sit *peccatum ad mortem*, declaratur ex opposito, versu 17., ubi subjectum est, *Omnis injustitia;* praedicatum bimembre, *peccatum, idque citra mortem.* Ergo quaelibet injustitia, quae in vita communi admittitur, est peccatum non ad mortem. Peccatum autem ad mortem est peccatum non obvium, neque subitum, sed talis status animae, in quo fides, et amor, et spes, in summa, vita nova, exstincta est: si quis sciens volensque *mortem* amplectitur, non ex illecebris carnis, sed ex amore *peccati*, sub ratione *peccati.* Repudium gratiae proaereticum. Homo, dum hoc peccatum peccat, vitam a se repellit: qui igitur alii vitam ei concilient? Datur tamen etiam *peccatum ad mortem* corporis, v. gr. apud populum, pro quo ter deprecatus propheta, deprecari vetatur: Jer. 7, 16. 11, 14. 14, 11. 15, 1. 2.: imo *peccatum ad mortem* ejusmodi ipse admisit Moses, ad mortem non deprecandum: Deut. 3, 26. Conf. 1 Sam. 2, 25. 3, 14. de domo Eli: et contra, de peccatis ad morbis per preces depellendis, Jac. 5, 14. seqq. — αἰτήσει) ὁ παῤῥησιαστής — δώσει, *dabit*) Deus, rogatus. — αὐτῷ) *illi*, fratri. — ζωὴν, *vitam*) Ergo peccans ad mortem est in morte, et tamen ulterius peccat ad mortem. — τοῖς) ὃ i. e. quod attinet ad peccantes non ad mortem. — ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον, *est peccatum ad mortem*) Summum praeceptum est fides et amor. ergo summum

---

1) *Lectionem* ἐν αὐτῷ *praefert crisis* Ed. 1. et 2. *Sensus perstat.* E. B.

2) *Hic verborum ordo nititur crisi* Ed. maj.; *alius, in* Vers. germ. *obvius, sequitur crisin* Ed. 2. E. B.

Digitized by Google

peccatum est, quo fides et amor perimitur. Illic, vita: hic, mors. Non tamen denotatur hic tale peccatum, quod nos appellamus, mortale, ut sunt omnia irregenitorum, c. 3, 14., et nonnulla *fratrum* relabentium; qui proprie soli egent, ut *vita* eis *detur*. — οὐ — λέγω, *non — dico*) pro *dico — non*. locutio morata et Attica. Deus non vult, ut pii frustra orent. Deut. 3, 26. Si ergo, qui peccatum ad mortem commisit, ad vitam reducitur, id ex mero provenit reservato divino. — ἐκείνης, *illo*) Vocula habet vim removendi h. l. — ἐρωτήσῃ) Modo, αἰτήσει. Differunt verba. Joh. 11, 22. not. Hic non modo non αἰτεῖν, sed ne ἐρωτᾷν quidem praecipitur. ἐρωτήσῃ est ut genus: αἰτεῖν species quasi humilior. Non αἰτεῖν modo removetur, sed etiam genus. Species haec αἰτεῖν non occurrit apud preces Christi. αἰτεῖν in victum quasi et reum convenit.

v. 17. πᾶσα ἀδικία) *omne nefas*. Ubique occurrunt in vita exempla *peccati non ad mortem*. — καὶ, *et*) et quidem. Enunciatio est haec: *Quodlibet nefas est peccatum non ad mortem:* sed ne quisquam id levius interpretetur, praemittit, *est peccatum*.

v. 18. οἴδαμεν, *novimus*) Anaphora. v. ss. — ὅτι πᾶς, *quod omnis*) Nunc cavet, ne quis versu 16. 17. ad securitatem abutatur. — γεγεννημένος) Mox, γεννηθείς. Praeteritum grandius quiddam sonat, quam aoristus. Lexicon vetus: ὠψωνηκότες, μέγα· ὀψωνήσαντες δὲ, μικρόν. Non modo qui magnum in regeneratione gradum assecutus, sed quilibet, qui regenitus est, servat se. — τηρεῖ ἑαυτὸν, *servat se ipsum*) non deficit intrinsecus. — οὐχ ἅπτεται, *non tangit*) Regenitus non pessundatur extrinsecus. Malignus appropinquat, ut musca ad lychnum; sed non nocet, ne tangit quidem. Antitheton, *jacet*. v. 19.

v. 19. ἐκ, *ex*) Sermo concisus: *Ex Deo sumus*, et in Deo manemus: *at mundus* ex malo est, et *in malo jacet totus*. — ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται, *in malo jacet*) [*Itaque non magis, ac Malus, in quo jacet, filios DEI tangere potest.* V. g.] *Malus*, coll. v. 18., opponitur *Vero*, v. 20. Totus mundus [*isque universus, eruditos, honestos, aliosve complectens omnes, exceptis duntaxat qui DEO se et Christo vindicarunt.* V. g.] non modo tangitur a malo, sed plane jacet, (Germ. *bleibt liegen,*) per idololatriam, coecitatem, fraudem, vim, lasciviam, impietatem, malitiam omnem, in malo, expers et vitae ex Deo et διανοίας, *sensûs*. Vid. 1 Cor. 5, 10. 11, 32. Brevi hac summa vividissime denotatur horribilis status mundi. Commentarii loco est ipse mundus et mundanorum hominum actiones, sermones, contractus, lites, sodalitia etc. [*Mundanos pessimis non pejora perpetrare, mirandum potius est, quam pessime agere. Felices in miseria sua seipsos aestimant, et salute cassos DEI filios.* V. g.] Antitheton, *manet*, de Deo et sanctis. Habetis, regeniti, quod oretis. cap. 2, 2. [*Habetis, quod e mundo cupiatis ad DEUM evolare.* V. g.]

v. 20. ἥκει) *adest*. Sic, ἥκω, Marc. 8, 3. not. — δέδωκεν, *dedit*) *Deus*. nam etiam in praecedenti commate Subjectum implicite est *Deus*, hoc sensu: *Deus misit Filium suum:* et huc refertur αὐτοῦ, *ejus*, mox. — διάνοιαν, *sensum*) non solum notitiam, sed facultatem noscendi. — τὸν ἀληθινὸν, *Verum*) subaudi, *Filium ejus Jesum Christum*, ut mox. unde perspicitur, quanta majestate sic se appellet Filius, Ap. 3, 7. — οὗτος) *Hic*, Verus, Filius Dei Jesus Christus: cui convenit appellatio *Vitae aeternae*. — ζωὴ αἰώνιος, *Vita aeterna*) Initium epistolae et finis conveniunt.

v. 21. φυλάξατε ἑαυτοὺς) *custodite vos* ipsos, me absente, ne quis vos decipiat. Elegantia activi verbi cum pronomine reciproco plus dicit, quam φυλάξασθε *custodimini*. Vid. ad Chrys. de sacerd. p. 423. — ἀπὸ τῶν εἰδώλων) *a simulacris*, neque solum ab ipsorum cultu, sed etiam ab omni eorum communione et communionis specie. Ap. 2, 14. 20.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM JOHANNIS SECUNDAM.

v. 1. Ὁ πρεσβύτερος, *Senior*) Appellatio conveniens familiari epistolae, huic, et sequenti. Et quidem admirabili temperamento gravitas argumenti et familiaritas epistolii concurrunt. Partes epistolae sunt tres:

I. Inscriptio.	v. 1—3.
II. Hortatio ad perseverantiam in veritate amoris et fidei.	v. 4—11.
III. Conclusio.	v. 12. 13.

— ἐκλεκτῇ, *electae*) Appellat *electam*, a conditione spirituali. nomen enim hoc appellativum esse, patet ex eo, quia etiam sorori tribuitur. v. 13. quod si proprium esset, foret ἐκλέκτη, ab ἔκλεκτος. Erant aut viduae, aut uxores prae maritis piae. Κυρία autem, [*hebraico* Martha *respondens*, V. g.] ut passim, ita hoc loco, esse nomen proprium, docet Heumanni Poecile, T. 2. lib. 3. artic. 13. et T. 3. lib. 1. art. 2. Neque dubitare quisquam potest, nisi qui stilum veterum ignorat, aut non recordatur. Appellativum Κυρία, *domina*, extra relationem ad servos, eo tempore vix reginae sine invidia dari poterat. Etiam ad personas illustres olim nomina propria sunt adhiberi solita, prae appellativis. Eleganter autem *Senior* vocabulum spiritualis necessitudinis, unde epistolion fluxit, interponit inter suum et mulieris nomen. Recurrit Κυρία, v. 5. Syrus nomen proprium retinet: et synopsis Athanasiana ait, γράφει κυρίᾳ, ubi nomen proprium ponit, epitheton ἐκλεκτῇ, *electa*, reticet. Saepe autem nomina propria et appellativa invicem confunduntur. v. Wesseling. Probabil. p. 199. seqq. — οὓς, *quos*) Ref. ad matrem et liberos. — ἐν ἀληθείᾳ, *in veritate*) Amor non modo verus amor est, sed veritate evangelica nititur. v. 3. fin. — πάντες, *omnes*) Communio sanctorum.

v. 2. διὰ, *propter*) Constr. cum ἀγαπῶ *amo*. Amantes in veritate, amant etiam propter veritatem. — τὴν μένουσαν, *quae manet*) quae adhuc est. Sequitur futurum, *erit*. τὴν μένουσαν — καὶ ἔσται, resolve, *QUAE manet, et erit*. conf. 1 Cor. 7, 37. not.

v. 3. ἔσται, *erit*) יהי Votum cum affirmatione. — μεθ' ὑμῶν, *vobiscum*) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. *Latinus* habet, *vobiscum:* et hoc proprie salutationi congruit. conf. 3 Joh. v. 2. — χάρις, ἔλεος, εἰρήνη, *gratia, misericordia, pax*) *Gratia* tollit culpam; *misericordia*, miseriam; *pax* dicit permansionem in gratia et misericordia. — εἰρήνη, *pax*) etiam ingruente tentatione. — κυρίου, *Domino*) Hoc uno loco appellationem *Domini*, salutationi convenientem, habent epistolae Johannis [1]). *Filium Dei* appellitat. — ἐν ἀληθείᾳ καὶ ἀγάπῃ, *in veritate et amore*) De illa, v. 4. de hoc, v. 5. Paulus appellare solet *fidem et amorem*. etenim *fides* et *veritas* synonyma sunt; et utroque vocabulo Hebraeum אמת passim exprimunt LXX. Conf. 3 Joh. v. 3., *veritati tuae*.

v. 4. εὗρηκα, *inveni*) Rarum hodie *inventum*, rarum gaudium. — ἐκ τῶν τέκνων σου, *ex liberis tuis*) Liberos Kyria ad minimum quatuor habebat. coll. v. 1. cum 4. Hos liberos in domo materterae eorum invenerat Johannes. v. 13. — καθὼς, *sicut*) Norma.

v. 5. οὐχ ὡς — καινὴν, *non tanquam — novum*) Amor utramque paginam facit. nil aliud fert veritas.

v. 6. αὐτοῦ, *ejus*) Patris. v. 4. — ἐν αὐτῇ, *in eo*) in amore. Epanodon

---

1) *Atqui*, utriusque Ed. *margo etiam hoc loco praefert* omissionem *voc.* κυρίου, *et omittit omnino* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

habet hic versus, valde dulcem. — περιπατῆτε, *ambuletis*) Modo, *ambulemus*: nunc secunda persona respondet verbo *audistis*, scil. ex nobis, apostolis.

v. 7. ὅτι, *quia*) Ratio, cur jubeat retinere audita *a principio*. — πολλοὶ, *multi*) 1 Joh. 2, 18. 4, 1. — εἰσῆλθον) *intrarunt*. Mundus est aversus a Deo et Christo, siliquis suis intentus: sed ut Deum et Christum oppugnet, a Satanae fermento est. — ἐρχόμενον) *qui veniebat*. sic, ἐρχομένων, 3 Joh. v. 3. Conf. ἐλήλυθότα, 1 Joh. 4, 2. — οὗτός ἐστιν, *hic est*) Gradatio. Hic ipse est etiam magni impostoris et antichristi character. non alius atrociori specie quaerendus est. — πλάνος, *seductor*) contrarius Deo. — ἀντίχριστος, *antichristus*) contrarius Christo. Etiam ad mulieres et adolescentes pertinet admonitio contra antichristum. v. 4. s. Antichristus negat Patrem et Filium; neque confitetur Jesum Christum venientem in carne.

v. 8. ἑαυτοὺς, *vosmet ipsos*) me absente. — ἵνα μὴ ἀπολέσητε κτλ.) Apostolum scripsisse arbitror, ἵνα μὴ ἀπολέσητε ἃ εἰργάσασθε [1]), ἀλλὰ μισθὸν πλήρη ἀπολάβωμεν· unde alii totam sententiam admonentem in secunda persona, alii deinde in prima retulerint. — ἀλλὰ, *sed*) Nulla merces sanctorum dimidia est: aut tota amittitur, aut plena accipitur. Oppositio est immediata. Consideranda tamen diversitas graduum in gloria. — πλήρη, *plenam*) in plena communione cum Deo. v. 9.

v. 9. ὁ παραβαίνων, *qui transgreditur*) ex perfidia. — ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ χριστοῦ, *in doctrina Christi*) in doctrina, quae Jesum docet esse *Christum* Filium Dei. — οὗτος) *hic* demum.

v. 10. ἔρχεται, *venit*) quasi doctor aut frater. — ταύτην) *hanc*, Christi. — οὐ φέρει, *non fert*) per veram professionem. — καὶ) *atque* adeo. — χαίρειν, *salutem*) Eo loco sit vobis, quo ethnicus, cui tamen *salutem* tutius dicitur. 1 Cor. 5, 10. Sermo est de salutatione familiari, eaque fraterna et christiana. Inter ignotos et alienos videntur olim rariores fuisse salutationes.

v. 11. γὰρ, *enim*) Severitas in amore. — κοινωνεῖ, *communicat*) Eum enim declarat pro tali, cui possit obtingere gaudium et salus in isto ipso statu antichristiano. [*Subtilissimae sunt purioris doctrinae rationes.* V. g.] — ἔργοις) *operibus*, fidei et amori contrariis. — τοῖς πονηροῖς, *malis*) Contra, bonorum operum communicatio, beata.

v. 12. πολλὰ) *multa*, laeta. Hoc igitur, quod scribit apostolus, maxime erat necessarium et subitum. — οὐκ ἠβουλήθην, *non volui*) Ipsa scribendi opera non juvat semper cor affectu sacro plenum. — διὰ χάρτου καὶ μέλανος, *per chartam et atramentum*) Ταπείνωσις. Antitheton, *os ad os*. *Charta*, non membrana, usus est apostolus ad hoc epistolium.

v. 13. ἀσπάζεταί σε, *salutant te*) Comitas apostoli, minorum verbis salutem nunciantis. [*Suavissima communitas!* V. g.]

IN EPISTOLAM JOHANNIS TERTIAM.

v. 1. Ὁ πρεσβύτερος, *Senior*) Tres hujus quoque epistolae sunt partes:

I. Inscriptio. v. 1. 2.
II. Commendatio hospitum: ubi

---

1) *Congruit hactenus margo* Ed 2., *nec non* Vers. germ.; *sed quoad membrum alterum* Vers. germ. *abludit, secundam personam retinens, eoque ipso eam* Gnomonis *observationem, quae mox ad voc.* ἀλλὰ *subsequitur, confirmans.* E. B.

Digitized by Google

1. superiora Caji beneficia probat. v. 2—4.
2. commendationem ipsam promit, rationes, et exempla in utramque partem; innectens. v. 6—12.

III. Conclusio. v. 13—15.

— γαΐῳ, *Cajo*) Cajus Corinthi, de quo Rom. 16, 23., vel huic Cajo, Johannis amico, fuit simillimus, in hospitalitate, vel idem: si idem, vel ex Achaja in Asiam migravit, vel Corinthum Johannes hanc epistolam misit.

v. 2. ἀγαπητὲ, *dilecte*) Sic ter, v. 2. 5. 11. — περὶ πάντων, *de omnibus*) quod ad omnes partes attinet. — εὐοδοῦσθαι, *prospere agere*) in re familiari etc. — ὑγιαίνειν, *valere*) in corpore. — καθὼς, *sicut*) Ubi *anima* valet, omnia valere possunt.

v. 3. ἐχάρην, *gavisus sum*) Hoc amplificatur versu 4. — γὰρ, *enim*) Ex operibus cognoscitur valetudo animae, et hanc prosequuntur vota sanctorum. — καθὼς, *sicut*) Declarat. — σὺ) *tu*. Antitheton, *Diotrephes*. v. 9.

v. 4. τούτων) *his*, gaudiis.

v. 5. πιστὸν ποιεῖς, *fidele facis*) *facis* quiddam, quod facile a te *polliceor* mihi et fratribus. Sic *quodcunque* congruit. — ἐργάσῃ, *operatus fueris*) labore amoris. — καὶ) *et*, quod maximum, *in hospites* speciatim.

v. 6. ἐνώπιον ἐκκλησίας, *coram ecclesia*) Publice commemorabantur exempla, ad hortandum [*methodo perquam familiari*. V. g.] — καλῶς ποιήσας, *bene facies*) Morata formula hortandi. Sic, in praeterito et praesenti, ad approbandum, *bene dixisti, fecisti* etc. Luc. 20, 39. Act. 10, 33. Marc. 7, 37. Joh. 4, 17. cap. 13, 13. Jac. 2, 8. 19. 2 Petr. 1, 19. — προπέμψας, *deducens*) cum commeatu. Tit. 3, 13. Beneficium praesta usque ad finem. — ἀξίως τοῦ θεοῦ, *ut Deo dignum est*) Qui tales, quales versu sequente describuntur, honore afficit, is Deum honorat.

v. 7. τοῦ ὀνόματος, *Nomine*) Subaudi, *Dei*. Lev. 24, 11. Conf. Jac. 2, 7. — [1]) μηδὲν, *nihil*) De jure suo decesserunt: et vel mercedem laboris reliquerunt, vel rapinam facultatum tolerarunt. — ἀπὸ, *a*) Constr. cum. *exierunt*.

v. 8. συνεργοὶ, *cooperatores*) ut veritatem adjuvemus, ne ea impediatur.

v. 9. ἔγραψα, *scripsi*) de his. Ea epistola non extat. — τῇ ἐκκλησίᾳ, *ecclesiae*) illius loci, ex quo exierunt. v. 7. Occupatio: ne Cajus dicat, *cur itur ad nos?* — ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν, *qui vult esse primus eorum*) si jam tum Diotrephes extitit, vivente apostolo, quid postea non factum? — ἡμᾶς, *nos*) commendantes et commendatos.

v. 10. ἐὰν ἔλθω, *si venero*) v. 14. — ὑπομνήσω, *commonebo*) Metonymia antecedentis: i. e. *animadvertam, notabo*, ita ut sentiat. — λόγοις πονηροῖς, *verbis malis*) quibus se excusare conatur. — τοὺς βουλομένους, *volentes*) scil. *accipere*. — ἐκβάλλει, *ejicit*) Magna importunitas.

v. 11. τὸ κακὸν, *malum*) in Diotrephe. — τὸ ἀγαθὸν, *bonum*) in Demetrio. — ἐκ τοῦ θεοῦ) *ex Deo*, bono. — ἐστιν, *est*) ut ex Ipso natus.

v. 12. δημητρίῳ, *Demetrio*) Videtur hic fuisse antistes hospitalis. — ἡμεῖς, *nos*) ego et qui mecum sunt. — δὲ) *tamen*, etsi jam multis ornatus testimoniis sit Demetrius. — καὶ οἴδατε, *et nostis*) neque enim in ulla re mentimur.

v. 15. φίλους, *amicos*) Conf. Joh. 15, 15. Rara in N. T. appellatio, absorpta a majori, *fraternitatis*. Errant philosophi, qui putant amicitiam non instrui a fide. — κατ' ὄνομα, *nominatim*) non secus ac si nomina eorum perscripta essent.

---

1) ἐξῆλθον, *exierunt*] vel ut exules, vel ut praecones Evangelii. *V. g.*

Digitized by Google

IN EPISTOLAM JUDAE.

v. 1. Ἰούδας, *Judas*) Partes epistolae sunt tres:

I. Inscriptio.	v. 1. 2.
II. Tractatio, qua hortatur ad certamen pro fide, v. 3., et, adversariorum interitu moribusque descriptis, v. 4—16., sanctos commonefacit, v. 17. 18., confirmat, v. 19. 20. s. de officio erga alios instruit.	v. 22. 23.
III. Conclusio per Doxologiam.	v. 24. 25.

Valde haec epistola congruit cum secunda Petri; eamque videtur prae oculis habuisse Judas. v. 17. 18. coll. cum 2 Petr. 3, 3. Eam Petrus extremo suo tempore scripsit: ex quo colligi potest, S. Judam diutius vixisse, magnamque vidisse jam tum in ecclesia inclinationem rerum a Petro praedictam. Sed tamen alia praetermittit, alia alio instituto et sermone ponit, alia addit, sapientia apostolica perspicue elucente, et severitate incrementa sumente. Sic Paulum Petrus, Petrum Judas allegat et comprobat. — ἀδελφὸς δὲ ἰακώβου, *frater vero Jacobi*) Jacobus erat celebrior, *frater Domini* appellatus. pro eo Judas se appellat *fratrem Jacobi*, modeste. — τοῖς) Periphrasis, cui respondet contrarium versu 4. — ἠγαπημένοις, *dilectis*) Exordio respondet conclusio. v. 21. — τετηρημένοις, *servatis*) Christo indelibatum servari, laetum. Joh. 17, 2. 11. 15. 2 Cor. 11, 2. Significantur salutis origines et consummatio: habetque hic locus προθεραπείαν, ne pii percellantur mentione rerum dirissimarum. — κλητοῖς, *vocatis*) *Vocatio*, omnis beneficii divini praerogativa.

v. 2. ἔλεος κτλ., *misericordia etc.*) tempore miserabili. hinc primo loco ponitur *misericordia*. *misericordia*, Jesu Christi, v. 21.: *pax*, in Spiritu S. coll. v. 20.: *amor*, Dei, v. 21. Testimonium de S. Trinitate.

v. 3. πᾶσαν σπουδὴν ποιούμενος) *cum omnem operam darem*. — γράφειν — σωτηρίας, *scribere — salute*) Antitheton, *praescripti in judicium*. v. 4. — περὶ, *de*) Scopus epistolae, v. 20. s. Prima et extrema epistolae, accurate conveniunt. — κοινῆς, *communi*) per *aeque pretiosam fidem*. 2 Petr. 1, 1. Ratio mutuae adhortationis. — σωτηρίας, *salute*) Etiam severae admonitiones, *salutares* sunt. — ἀνάγκην ἔσχον) *non potui non*. — γράψαι ὑμῖν παρακαλῶν, *scribere vobis adhortans*) Ex omnibus scribendi generibus *adhortationem* hoc tempore saluberrimam statuit Judas. τὸ *scribere* arcte cohaeret cum *adhortans*. *Adhortatio* infertur v. 17. s. Hic scopus epistolae expressus. — ἐπαγωνίζεσθαι, *ut decertetis*) Officium duplex, *pugnare* strenue pro fide, contra hostes: et aedificare se ipsum, in fide. v. 20. conf. Neh. 4, 16. ss. — ἅπαξ, *semel*) Particula valde urgens. nulla alia dabitur fides. coll. *secundo*, v. 5. — παραδοθείσῃ, *traditae*) divinitus. — τοῖς ἁγίοις) *sanctis* omnibus, ex fide *sanctissima*. v. 20. Constr. cum *traditae*. — πίστει, *fide*) qua venitur ad *salutem* v. 20. 21.

v. 4. παρεισέδυσαν, *subrepserunt*) παρὰ, *sub*, *obiter*. — οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, *olim praescripti in hoc judicium*) quos venturos esse, praedictum est, v. 17. et quos hoc judicium, de quo mox, subituros esse, patet ex poenarum exemplis in similes impuros editis, pridem perscriptis. Non innuitur praedestinatio, de qua tamen locutio extat similis, οἱ γραφέντες εἰς ζωὴν, Es. 4, 3., sed Scripturae praedictio. Πάλαι, *olim*, Enochi tempore: v. 14. qui si ipse tantum dixit, non etiam scripsit; sermo erit concisus, hoc sensu: *pridem* per Enochum praedicti, et postea *per scripturam notati*. quare τὸ ἀσεβεῖς, *impii*, confer cum versu 15. εἰς valet *quod attinet*. Τοῦτο, *hoc*, valde demonstrat, apostolo jam quasi cernente poenam. Sermo per Enochum factus complectitur om-

Digitized by Google

nes impios primi et extremi mundi. Par omnium indoles et poena. — ἡμῶν, *nostri*) non *impiorum*. — χάριν, *gratiam*) evangelicam. — τὸν μόνον δεσπότην) Sir. 18, 33. in ed. Complut. Κρείσσων παῤῥησία ἐν δεσπότῃ μόνῳ, εἴπερ νεκρὰ καρδία νεκρῷ ἀντέχεται. — καὶ κύριον) S. Judas impietatem eorum, quos notat, ostendit incurrere et in Deum et in Christum, τὴν τοῦ ΘΕΟΥ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν, καὶ τὸν μόνον δεσπότην καὶ κύριον ἡμῶν ΙΗΣΟΥΝ ΧΡΙΣΤΟΝ ἀρνούμενοι. Hoc non observarunt, qui post δεσπότην interposuere θεόν. Locus proprie parallelus, 2 Petr. 2, 1. τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι. — ἀρνούμενοι, *negantes*) Expendantur portenta haereticorum veterum a patribus commemorata.

v. 5. ὑπομνῆσαι, *commonere*) Activum. — εἰδότας ὑμᾶς, *scientes vos*) Accusativus absolutus, ut Act. 26, 3. Causa, cur admoneat duntaxat; quia jam sciant, semelque cognitum habeant. Respondet haec formula Petrinae illi, *hoc primum scientes*. — ἅπαξ) *semel*. v. 3. not. — σώσας, *servans*) Antitheton, *perdidit*.

v. 6. ἀγγέλους, *angelos*) 2 Petr. 2, 4. not. — μὴ τηρήσαντας, *non servantes*) Debuerant igitur servare. — ἀρχὴν) *imperium*, statum *semel* eis assignatum, sub Filio Dei. Col. 1. — ἀπολιπόντας, *relinquentes*) ultro. — ἴδιον, *proprium*) conveniens. — οἰκητήριον) *domicilium* lucidum. Antitheton, ζόφον *caliginem*. — ἀϊδίοις) *sempiternis*. Epitheton horribile, h. l. Sic v. 7., αἰωνίου, *aeterni*. — τετήρηκεν, *servarit*) servare instituit.

v. 7. τούτοις) *his*, impiis, parem poenam subituris. — ἐκπορνεύσασαι) Saepe pro simplici πορνεύω זנה LXX habent ἐκπορνεύω. sed hic proprie convenit in libidinem magis abominandam. — ἀπελθοῦσαι — ἑτέρας, *abeuntes — alteram*) praeter naturam. — [1]) δεῖγμα — δίκην, *exemplum — poenam*) Appositio. *poenam*, quam sustinent, est *exemplum ignis aeterni*, ut Cassiodorius loquitur. neque enim ipsa urbium illarum poena aeterna est. Ez. 16, 53. 55. Conf. 2 Petr. 2, 6.

v. 8. μέντοι, *quidem*) Particula declarans, impuritatemque talium impiorum cum Sodomis comparans, unde similitudo poenae versu 7. memorata pateat. — ἐνυπνιαζόμενοι) *somniis* impuris et confusis *agitati*, et ex somniis futura conjectantes. Aequipollet illud, *non norunt* v. 10. Es. 56, 10. 11. LXX, οὐκ ἔγνωσαν — · ἐνυπνιαζόμενοι κοίτην· — οὐκ εἰδότες σύνεσιν, πάντες ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν ἐξηλλούθησαν. [*Uno verbo* ἐνυπνιαζόμενοι *hominum mere naturalium indoles graphice admodum descripta est. Somnians multa videre, audire etc. sibi videtur; concupiscentia agitatur, gaudio, angore, timore, rel. At nescit imperare sibi in isto statu: sed qualis est imago in somnio ex imagine orta, talis hominum illorum conditio. Hinc, omnibus licet rationis nervis adhibitis, concipere nequeunt, filios lucis vera libertate, in luce expergefactos, perfrui.* V. g.] — κυριότητα, *dominationem*) Vid. 2 Petr. 2, 10. not.

v. 9. ὁ δὲ μιχαὴλ, *Michael vero*) Hujus pugnae notitiam utrum ex sola revelatione, an ex traditione majorum acceperit apostolus, nil refert: sufficit, quod vera, quin etiam confessa fratribus, scribit. conf. v. 14. not. Δὲ respondet τῷ μέντοι. — ὁ ἀρχάγγελος, *archangelus*) Hoc loco et 1 Thess. 4, 16., (ubi item de re gravissima, resuscitatione mortuorum, agitur,) archangeli fit mentio; alibi nusquam: ut, utrum unus hic sit, an plures, definire nequeamus. — ὅτε, *quando*) Quando haec disceptatio facta sit, et quo die, non exprimitur: facta est certe post mortem Mosis. — τῷ διαβόλῳ, *diabolo*) contra quem pugnare Michaëli imprimis convenit. Ap. 12. — διακρινόμενος διελέγετο, *disceptans disputaret*) Erat ergo pugna judicialis. — περὶ τοῦ μωσέως σώματος, *de Mosis corpore*) De ipso

---

1) πρόκινται, *ante* (oculos) *jacent*] Non in mari mortuo, sed *ad* litus sitae erant urbes. *V. g.*

Digitized by Google

Mosis corpore exanimi apertus est sermo. In re mysterii plena non debemus apertam sermonis partem pro eo, ac nobis commodum est, inflectere. In corpus Mosis conatus est aliquid, quicquid fuit, diabolus, mortis robur habens, adeoque Mosis fortasse resuscitationem impedire postulans. — οὐκ ἐτόλμησε, *non ausus est*) Virtus angelica, modestia. Eo major deinceps Michaëli data est victoria. Ap. 12, 7. Synopsis Sohar p. 92. n. 6. *Non licet homini ignominiose convitiari genus adversum*, h. e. spiritus malos. Schoettgenius. οὐκ — ἀλλ᾽ ὡς, Rom. 9, 32. — βλασφημίας, *blasphemiae*) id est, βλάσφημον, *blasphemum*. 2 Petr. 2, 11. — ἐπιτιμήσαι σοι, *animadvertat in te*) Reservatum divinum. — Κύριος) *Dominus*, solus. Hujus judicio in antecessum subscribit angelus.

v. 10. ὅσα) *omnia, quae*. — οὐκ οἴδασι, *non norunt*) de rebus spiritualibus, Dei et sanctorum. — φυσικῶς, *naturaliter*) per facultates naturales, de rebus naturalibus, modo cognoscendi naturali, appetitu naturali. *physicum* opponitur hic *spirituali*. v. 19. — ἐπίστανται, *sciunt*) Subtilius quiddam notat *norunt*. — φθείρονται) *pereunt*, coll. v. seq.

v. 11. οὐαὶ, *vae*) Uno hoc loco unus hic apostolus *vae* intentat, ex triplici ratione, quae mox sequitur. Petrus, eadem vi, *maledictionis filios* appellat. — τοῦ κάϊν, *Caini*) fratricidae. — τοῦ βαλαὰμ, *Balaami*) pseudoprophetae. — μισθοῦ) *mercede*. — ἐξεχύθησαν) *effusi sunt*, ut torrens sine aggere. — ἀντιλογίᾳ) מריבה LXX, ἀντιλογία. — τοῦ κορὲ, *Core*) sacerdotio se ingerentis.

v. 12. ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν, *in agapis vestris*) in vestris conviviis, quibus *amor* fraternus alitur. — σπιλάδες) Quemadmodum inter Petrum et Judam in ἀγάπαις et ἀπάταις paronomasia intercedit: sic inter eosdem in vocabulo σπῖλοι 2 Petr. 2, 13., et σπιλάδες h. l. homonymia locum invenit. nam σπιλάδες pro *maculis* quidem accipi possunt, ut Vulgatus reddit: coll. v. 23. unde *Hesychius*, σπιλάδες, μεμιασμένοι, simul metonymiam h. l. ostendens. Sed idem, σπιλάδες, αἱ περιεχόμεναι τῇ θαλάσσῃ πέτραι. quin σπιλὰς etiam *procellam* denotat, et hanc ipsam notionem, cujus exemplum notavimus ad Chrys. de Sacerd. p. 375., Oecumenius probat. Eligat lector. Sequuntur hanc metaphoram quatuor aliae, ab aëre, terra, mari, coelo. — συνευωχούμενοι ἀφόβως, *convivantes sine timore*) Cum *timore* [*luxuriei opposito*. V. g.] colenda sunt *convivia* sacra. *Convivari* per se nil vitii habet: ideo *sine timore* huic verbo annecti debet. — ἑαυτοὺς, *se ipsos*) non gregem. — δένδρα φθινοπωρινὰ) Φθίνων sc. μὴν, *extrema pars mensis*. sic φθινόπωρον, *autumnus extremus*. inde δένδρον φθινοπωρινὸν, *arbor tali specie, qualis est autumno extremo, sine foliis et pomis*. Est hic gradatio quadrimembris. Primum, et inde secundum, refertur ad fructum: tertium, et inde quartum, refertur ad arborem ipsam. — ἄκαρπα, *infructuosae*) arbores nil vescum ferentes. — δὶς) *bis*, i. e. plane: respectu status pristini, et status christiani. — ἐκριζωθέντα, *eradicatae*) Hic gradus est ultimus h. l.

v. 13. ἐπαφρίζοντα, *despumantes*) prae copia turgidi. Es. 57, 20. — ἀστέρες πλανῆται, *stellae errantes*) Recentiori aevo compertum est, *planetas* esse per se corpora opaca, mutuato lumine fulgentia. id S. Judas jam tum ex lumine divino innuit. neque enim ad etymon tantum errantium stellarum alludi (quanquam hoc quoque congruit) patet ex subsequente *tenebrarum* mentione. coll. 2 Petr. 2, 17. Eademque ratio prohibet accipi de *ignibus fatuis*. Aperte alii dicuntur apud Aristotelem οἱ δοκοῦντες ἀστέρες διάττειν, alii οἱ πλανῆται ἀστέρες. lib. I. Meteor. cap. 4. et 6. — οἷς, *quibus*) Ut modo nubibus, arboribus, fluctibus, sic jam stellis errantibus sua additur descriptio, cum respectu ad apodosin.

v. 14. προεφήτευσε) *prophetam egit*. — καὶ τούτοις) *etiam his*: non modo de his, non modo antediluvianis. ait enim, *omnes*, v. 15. — ἕβδομος, *septimus*) Innuitur antiquitas prophetiae, v. 4. quae de adventu Judicis prima videtur fuisse. Quinque duntaxat patres fuere inter Enochum et Adamum: 1 Cor. 1, 1. et

Digitized by Google

Enochi translatio facta est ante A. M. 1000. Estque hoc ipsum elogium Enochi proprium, Hebraeis frequens. ***Septimus ab Adam***, mysterii non expers, in quo immunitas a morte et numerus sanctus concurrunt. nam septimum quodque, aestimatissimum. Septenarium quidem decemplicatum refert Fragmentum Henochi; quod impii illi diluvio oppressi δεθέντες ἐπὶ ἑβδομήκοντα γενεὰς εἰς τὰς νάπας τῆς γῆς ligati ad LXX generationes fuerint in obscuras terrae valles, usque ad diem judicii eorum. vid. Heidan. de orig. err. p. 174. — ἀπὸ ἀδὰμ, *ab Adam*) Adamo praedictus est adventus Christi prior; Enocho, secundus. Septimus ab Adam prophetavit, quae septimam aetatem mundi terminabunt. — ἑνὼχ, *Enoch*) Utrum ex libro veteri, an ex traditione, an ex revelatione immediata hoc quoque habuerit S. Judas, quis definiet? Si ex libro; alius tamen fuisse censetur ab illo, contra quem disputat ***Bangius*** in Exx. de ortu literarum, maxime pag. 94. Conf. Suicer. Thes. P. I. col. 1131. — Κύριος, *Dominus*) Jam Henochi tempore nomen *Jehovah* notum erat. — ἐν ἁγίαις μυριάσιν, *in sanctis myriadibus*) angelorum. Matth. 25, 31. Ellipsis cryptica primis illis temporibus congruebat.

v. 15. κρίσιν, *judicium*) Ultra diluvium prospexit Enoch. — κατὰ πάντων, *contra omnes*, homines, qui defecerunt. Genus. — ἐξελέγξαι, [1]) *redarguere*) Elenchus, qui jam tum erat, in judicio consummabitur. *Elenchus* adhibetur contra eos, qui nosse nolunt. — πάντας τοὺς ἀσεβεῖς, *omnes impios*) Species. — ἐλάλησαν, *locuti sunt*) v. 8. 10. — κατ' αὐτοῦ, *contra Ipsum*) etiamsi non petassent, omnes sermones impios [*quibus Domini filii quoque atque servi impetuntur*, Job. 42, 7. Mal. 3, 13. V. g.] *contra Ipsum* tendere. — ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς, *peccatores impii*) *Peccator*, malus est: ἀσεβὴς, peccans *sine timore*, pejor.

v. 16. γογγυσταὶ, *murmuratores*) adversus homines. — μεμψίμοιροι, *queruli*) contra Deum. — πορευόμενοι, *incedentes*) respectu sui ipsorum. v. 18. — θαυμάζοντες πρόσωπα) Sic LXX pro נשׂא פנים et הדר פנים in utramque partem.

v. 17. ὑμεῖς δὲ ἀγαπητοὶ, *vos vero dilecti*) sic quoque v. 20. — μνήσθητε, *recordamini*) Ergo hi, ad quos Judas scribit, ceteros quoque apostolos audierant. — ἀποστόλων, *apostolis*) Non eximit se Judas apostolorum numero. non v. seq. dicit, *vobis*, non *nobis*.

v. 19. οὗτοι, *hi*) *Horum* mores ostendit tales esse, quales praedicti sint v. 18. — οἱ ἀποδιορίζοντες) ἑαυτοὺς subauditur, quanquam id ipsum alii adjecerunt. Es. 45, 24. LXX, αἰσχυνθήσονται πάντες οἱ ἀφορίζοντες (διορίζοντες ed. Vatican.) αὐτούς. *Segregant* se, a Deo et a communione viva ecclesiae; tametsi non a societate hujus externa. v. 12. init. Conf. Hos. 4, 14., יפרדו [*Prov.* 18, 1. *Es.* 66, 5. *Luc.* 6, 22. V. g.] — ψυχικοὶ, *animales*) quos anima mera, sine spiritu, animat. — πνεῦμα μὴ ἔχοντες, *spiritum non habentes*) Itaque spiritus non est pars essentialis hominis.

v. 20. δὲ, *autem*) Opposita: *segregantes*, et, *superstruentes vos ipsos* item, *animales*, et *in Spiritu sancto*. — ἁγιωτάτῃ) *sanctissimae*; qua nulla sanctior esse potest. Superlativus singularis, magnam cohortandi et urgendi vim habens. — ἐν πνεύματι ἁγίῳ προσευχόμενοι, *in Spiritu sancto orantes*) Eph. 6, 18. Zach. 12, 10. Joh. 4, 24. Memorat Judas Patrem, Filium et Spiritum sanctum: memorat fidem, amorem, spem. versu hoc et sequente. — προσευχόμενοι, *orantes*) Requiritur studium piorum, sed multo magis preces, quibus opem divinam impetrant.

v. 21. ἑαυτοὺς, *vos ipsos*) Qui se primum defendit, alios demum servare potest. v. seqq. — προσδεχόμενοι, *exspectantes*) *Exspectare* possunt cum fiducia, qui sese muniunt. — ἔλεος, *misericordiam*) Antitheton, *ignis* v. 23. — εἰς, in) Constr. cum *exspectantes*.

---

1) *Attamen simplici ἐλέγξαι palma conceditur in margine* utriusque Ed. E. B.

Digitized by Google

v. 22. καὶ, *et*) Qui sibi jam consuluit, consulat aliis.

v. 22. 23. οὓς μὲν ἐλέγχετε διακρινομένους· οὓς δὲ σώζετε ἐκ πυρὸς ἁρπάζοντες· οὓς δὲ ἐλεεῖτε ἐν φόβῳ, *alios quidem redarguite dubitantes: alios vero servate ex igne rapientes: aliorum vero miseremini in metu*) Tria genera enumerat apostolus eorum, quorum saluti consulere sancti debeant: ac primum quidem genus intellectu laborat; secundum affectu, vehementer; tertium affectu, minus vehementer. Itaque I. *elenchus* sive demonstratio boni et mali adhiberi debet iis, qui cum dubitationibus conflictantur, et in medio ancipitique haerent. II. quos *ignis* jam prope corripuit, ii rapida vi, quacunque parte prehensi, *servari* debent. III. *misericorditer* et leniter tractandi sunt ii, qui metu solo, et benigna periculi demonstratione, in viam reduci possunt. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — μισοῦντες, *odio habentes*) Hoc proprie cohaeret cum ἐλεεῖτε, *miseremini*. Aliter ex igne, inquit, aliter ex luto eximendi sunt miseri. Hos clementer, metu duntaxat incusso, tractari sufficit: hi, ferme intacti a vobis, ex hoc ipso sentiant vestrum *odium* et fastidium adversus ipsam impuritatis superficiem. — καὶ, *etiam*) non modo *carnem* ipsam, quam isti polluunt, v. 8., sed etiam amictum. — ἐσπιλωμένον χιτῶνα, *maculatam tunicam*) *Tunica* est totus vitae habitus exterior, qua ab aliis attingimur. Locutio proverbiali similis.

v. 24. φυλάξαι αὐτοὺς ἀπταίστους, *custodire vos* [1]) *a titubatione immunes*) contra impios istos. αὐτοὺς, pro ὑμᾶς, refertur ad praedicata praecedentia, uti Matth. 23, 37. — κατενώπιον τῆς δόξης αὐτοῦ, *coram Gloria sua*) coram se ipso, quum gloriosissime revelabitur. — ἀμώμους, *inculpatos*) penes vos ipsos. Antitheton, *a titubatione immunes*.

v. 25. [2]) δόξα καὶ μεγαλωσύνη, *gloria et magnificentia*) Ref. ad *soli Deo*. — κράτος καὶ ἐξουσία, *robur et potestas*) Ref. ad *potenti*.

ANNOTATIONES AD APOCALYPSIN.

PROOEMIUM.

Duas in Apocalypsin commentationes uno tempore adornavi: alteram *Germanicam*, separatim editam, [3]) in gratiam videlicet eorum etiam, qui, quamvis Latine nesciant, tamen veritatem requirunt; alteram, *Latinam*, quae est haec ipsa Gnomonis N. T. pars extrema. Nolim putes, Lector, eas sola lingua differre: majus multo discrimen intercedit, cujus causa *conjungi* possunt, vel, si mavis, debent. Germanica illa tractatio plena, justa, perpetua est: hae autem Latinae annotationes miscellum quasi spicilegium, in suo item genere salubre,

---

1) *Cur et h. l. et in* Vers. germ. *pronomen* αὐτοὺς *per* vos (euch) *translata sit, haec ipsa* Gnomonis *nota indicat. Lectio videlicet* ὑμᾶς *per crisin* utriusque Ed. gr. *non videtur eligenda.* E. B.

2) *Verba*, διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, *immediate praecedentia, in* Vers. germ. *recepta sunt, suadente crisi* Ed. 2. E. B.

3) *Hujus Editio* prima *prodiit A.* 1740; secunda, *in rebus praecipuis nil mutata, et novo stipata* Prologo, *A.* 1746: *de* reliquis *post obitum Beati recusis, ut et de subsecutis A.* 1747. *Sermonibus sacris in Apoc. s. t.* 60 erbauliche Reden, *quorum itidem plures jam Editiones prostant, non est quod verba faciam. Unum nescire nolo rerum ignaros:* Es waren keine öffentliche Predigten (wie man sie schon genennet hat), sondern vertrauliche Vorträge, die in sogenannten Erbauungs-Stunden gemacht worden. E. B.

Digitized by Google

exhibent. etenim testimonia antiquitatis, Graecarum locutionum explicationem, critica supplementa, [1]) falsarum opinionum refutationem, Latino commodius, censuimus, quam vernaculo sermone proponi. Igitur quae illic fusius explanantur, hic tantummodo attinguntur: quae illic vix loci quidquam habuere, hic copiosius tractantur. Alia est et alia commentatio: utraque in suo genere integrum quiddam est. [2]) Qui conjunxerit, unius operis instar esse dicet, duplicem autem fructum percipiet.

2) *Crisis* vero, inquis, hoc etiam loco inculcatur? Saturior egomet hujusmodi sum laboris, quam videar multis. Nam quum apocalypticum textum in versiculos plus CCCC diviserit Rob. Stephanus, totidem fortasse dierum operam sola Apocalypseos *recognitio*, (ignoscat, quisquis ejus operae pretium non perspicit,) sibi antehac a me vindicavit. Exemplaria excusa, et quidem praecipua ad verbum, conferre, Kusteri editionem ex Milliana ipsa retractare, manuscriptos codices Graecos et Latinos recensere, excerpta codicum ab aliis hinc inde prolata digerere, versiones consulere, patres Graecos et Latinos excutere, interpunctiones examinare, quam prolixi laboris sit, ambitiose exaggerare nolo. Neque tamen id ipsum plane dissimulari hoc loco oportere putavi. Namque ab iis, qui tali in re justam dicere sententiam velint, optimo jure postulatur, ut, praeter caeteras dotes quamlibet excellentes, in numerato habeant codicum, versionum, patrum lectionem tenoremque, et horum testium indolem, numerum, consensionem, divortia, vim modo majorem, modo minorem calleant: neque ea loca, in quae inciderint, subito arbitrio singulatim expediri posse putent, sed decisiones varietatum ex cohaerentibus totius scrutinii rationibus repetant. Huc plane spectant *Fundamenta criseos apocalypticae*, in Apparatu, a pag. 776. ad 789. [*Ed. II. p.* 487. *sqq.*] posita, in quibus *universam* Apocalypseos considerationem non perfunctorie institui, et subsequenti ibidem *singulorum* locorum tractationi criticae lucem et robur praeparavi. Fundamentorum summam dedi in Defensione altera, [3]) et partem ejus summae hoc loco repetam: »Ad Apocalypsin Erasmus, *ut ipse* »*confitetur*, non nisi unum habuit MS. Graecum a Jo. Capnione, et quidem An»dreae Caesareensis exegesin, cui textus (τὸ κείμενον) erat interjectus. *Ex eo*, »inquit, *contextûs verba describenda CURAVIMUS*. Cumque *mutilus* esset liber, »textum ex Vulgata nondum revisa *properanter*, et, cum hanc prophetiam haud »plurimi faceret, *citra summam curam* supplevit. Stephanus, eruditus ille qui»dem, sed negotiis obrutus typographus, talem Erasmi textum apocalypticum *ad* »*verbum* recudit, praecipue in ultima sua editione, quam tot alii sunt secuti. »*Hoc ad oculum patet*. At ante hos duos, id est, ante Reformationem, in editione »Complutensi, praeclarissimus et ad *testimonium* contra papatum inprimis efi»cax apocalypticus textus, quem *nullo modo extenuare* debemus, in media exiit »Hispania, in aliis Europae regionibus late propagatus. *Postmodum orientales* »linguae versionesque sunt excultae: antiquissima *Latina* versio restituta, in »qua spicilegium tale, quale Apparatus meus exhibet, nactus sum: multi Graeci »Latinique *patres*, et ii quidem, qui Apocalypsin copiose firmiterque allegant, »eruti et recogniti. Multi et diversi *Graeci codices MS.* apocalyptici, antehac »adeo rari, sunt comparati: et de duobus, quorum ego sum potius, alter oppor»tune eandem habebat Andreae Caesareensis exegesin, quo adjutus dispexi ac-

---

1) *Haec et h. l. maximam partem, ob rationes in* Prooemio *meo allegatas, abesse nunc jussi*: aliqua *tamen, utut* Apparatui *inserta, cur non existimaverim resecanda, res ipsa loquitur.* E. B.

2) *Nemo itaque* integram *istam commentationem germanicam ea methodo, qua notulas* Vers. germ. *inserui,* Gnomonis *lectoribus propinandam fuisse censebit.* E. B.

3) *App. crit. Ed. II. P. IV. N. IX.*

Digitized by Google

»curatius, qua parte Erasmus vel valeret vel laboraret. Quodque praecipuum »est, *Alexandrinus* codex MS. qui *vetustatis*, et, praecipue in Apocalypsi, *sin»ceritatis* et *auctoritatis* nomine a veris criticis pro *incomparabili* agnoscitur, »in occidentem est delatus. Quae omnia a Deo data subsidia Erasmus et Stepha»nus, si hodie viverent, cum *admiratione et gaudio*, melius sane, quam omnes »ipsorum asseclae, adhiberent, et uno ore declararent, non eas editiones, quas »ipsi tam aegre, et alii post ipsos tam religiose procudissent, sed *ambas* con»junctim classes editionum, imo vero etiam totam *Antiquitatem* christianam, et »*Medullam* documentorum ejus, textum nobis apocalypticum propinare quam pu»rissimum. Haec omnia sunt, quibus crisis mea superstruitur. — Tali modo non »solum multa minoris, quanquam non plane nullius, momenti, sed etiam quaedam »*ponderosissima* loca, oeconomiam divinam spectantia, in Apocalypsi, *REGIA* »*PROMULGATIONE J. C.* amatoribus appararitionis ejus postliminio sunt re»praesentata. Hoc agnoscunt jam complures bonae animae: Deo gratias agunt, et »rem in suum usum vertunt.« Huc quum res evadit, ulteriores animadversiones, mihi, fortasse prae quovis altero quamlibet erudito, sua sponte, etiam quum alias res ago, subinde occurrentes, obiter notare, vindiciisque eas, ubi usu venit, augere, nec molestum esse sentio, et fas esse duco.

3) Ad ea subsidia, quae in Apparatu adhibui, nunc commentarius in Apocalypsin, *Apringio* adscriptus, accedit, de quo aliquid dixisse juverit. Pacis Juliae in Hispania episcopus circa annum DXXXX *Apringius* fuit, quem *Aprigium* plerique, nonnulli aliter paulo aliterque appellant. Commentarium ejus in Apocalypsin, ab *Isidoro* Hispalensi aliisque laudatum, erant qui pro deperdito haberent. At *extat*, inquit *Garsias Loaisa* apud Fabricium, *opus ingens manuscriptum in Apocalypsin. Sed ego, cum vidissem codicem Gothicum Legionensem, scriptum aera millesima octava, animadverti, de auctoris nomine inde non constare, sed editum opus in gratiam cujusdam Aeterii. Quin et in praefatione auctor ille ait, se collegisse sua ex libris Victorini, Isidori et Aprigii.* Aliud exemplar membranaceum *Barcinonae ex alio vetustiore* (fortasse Legionensi illo,) *A. MXXXXII descriptum*, ex Hispania, superiore seculo pervenit in Daniam. Ibi *Arnae Magnaei Islandi*, Professoris Hafniensis, concessu librum quondam descripsit cel. Abbas *I. L. Moshemius*, qui certiorem me fecit, membranas incendio Hafniensi consumtas esse, et tamen suum exemplar, ex illis accuratissime deductum, liberaliter mihi muneri misit. *Apringius* in eo codice constanter vocatur: et *Apringio* episcopo tractatus hicce, ubi *incipit* et ubi *explicit*, adscribitur; sed tamen interpolatum esse opus, liquido apparet. Uno loco, Johannes dicitur sub Claudio scripsisse Apocalypsin: alibi, sub Domitiano. Numerus *DCLXVI* ad voculam *DICLVX* redigitur, cujus se inventorem duobus an tribus post Apringium seculis professus est *Ambrosius Ansbertus*. Ipsius *Apringii* nominatim *explanatio* uno alteroque loco ita cum ceteris contexitur, ut partes praecedentes eo ipso aliis tribuantur auctoribus. Commentarius cujusmodi sit, hoc loco dicere nil attinet: textum, commentario interjectum, ita fere pro suo tum instituto descripsit Moshemius, ut prima duntaxat et extrema periocharum verba exprimeret: sed tamen multorum locorum lectiones perspiciuntur, quae sinceritatem subinde *Vulgati* referunt interpretis, ac sententias nostras ante notitiam Apringii latas passim confirmant. *Apringium* verbo ubi citamus, lectiones apographi Hafniensis a nobis innui, lector meminerit, quamvis *Apringianae* ipsae ab reliquis internosci vix possint. Neque enim magni interest, quum ipsae interpolationes satis antiquae et quaedam earum ex auctoribus Apringio fortasse antiquioribus decerptae sint, et vel cum ipsius Apringii vel cum aliorum codicum Latinorum N. T. textu congruant. Certe *Hispaniensem* Latinae Apocalypseos lectionem, vix alibi obviam, hinc subinde colligere possumus.

4) Pervenit porro editio nostra N. T. cum apparatu critico ad manus *Jo. Christophori Wolfii* p. m. antequam quartum is volumen Curarum in N. T. emitteret: quare in Apocalypsi potissimum rationem habuit annotationum nostrarum. Aliter interdum, ut libenter credo, judicasset, si properatio, quam opus praeclarum in extremo redolet, penitiorem considerationem tulisset. Subinde ille quidem sententiam meam calculo comprobavit suo: quae laudatissimi viri consensio multos a praejudiciis in hoc genere frequentibus deducere debet. Aliis locis dissensionem suam vel certe dubitationem professus est, rationes simul commemorans, cum Theologica civilitate. Talia etiam atque etiam a me declarari existimavi oportere, ea quidem lege, ut argumentis non magis, quam humanitate cum Defuncto certarem. Quae in fundamentis illis explanavi, uno jam non repetimus loco: in Apparatu legant, quibus commodum est. Ad singula sparsim loca monui, quod opportunum esset: a quibus attentus lector non sine fructu, quemadmodum spero, esset discessurus. Nam de iis locis, ubi in dictione versatur controversia, non multa dixi: sed *gravissimas* aliquot lectiones vindicavi studiosius. [1])

5) Neque tamen *Exegesin*, praecipue nobis in hoc opere propositam, *critica* racematio obruit, nedum excludat. Bilicem dixeris tractationem. Operam enim dedi, ne nimis macilenta haec pars evaderet, neve eadem a solida ceterorum N. T. librorum consideratione in hocce *Gnomone*, cujus exegesin *Apparatus* criticus etiam ad Apocalypsin crebro citavit, abluderet. Res maximas in quilibet prophetiae periocha comprehensas, nervose strictimque, per lemmata duntaxat, indicavi. Insignis exegetae, D. *Joachimi Langii*, sententia compluribus in locis examinata, dilucidiorem feci tractationem meam. Uberiorem vero argumentorum et emblematum explanationem a *Germanico* nostro commentario repetendam esse memineris.

6) *Synopsin* equidem totius Apocalypseos, nativam, ut spero, atque utilem, in hoc quoque limine colloco.

Apocalypsin constituunt

I. Introitus:
  1. Titulus libri. — Cap. I. 1—3.
  2. Inscriptio. — 4—6.
  3. Summa. — 7. 8.
  4. Apparitio gloriosa, qua DOMINUS JESUS
    a. JOHANNEM ad scribendum instruit. — v. 9—11.
    b. ANGELOS SEPTEM ECCLESIARUM, Ephesi et Smyrnae et Pergami, et Thyatiris et Sardibus et Philadelphiae et Laodiceae, ut ad Ipsius adventum digne se parent, excitat, Vincenti bona futura promittens. — Cap. II. III.

II. OSTENSIO eorum, quae fient. Hic in uno continuo Viso proponitur
  1. generatim et universe, omnis potestas in coelo et in terra, a Sessore throni data Agno, SEPTEM SIGILLIS obsignati libri apertis. cap. IV. V. Primis quatuor sigillis continentur visibilia, ad ortum, occasum, meridiem, septentrionem; cap. VI. 1—8.: reliquis tribus, invisibilia; cap. VI. 9. etc. Septimum, ut momentosissimum,
    a. propriam habet praeparationem, — cap. VII.
    b. complectitur silentium in coelo, septem angelos cum tubis, et magnum suffitum. — cap. VIII. 1—6.
  2. specialis Exsecutio, qua sub SEPTEM ANGELIS EORUMQUE TUBIS regnum mundi conquassatur, donec id Dei et Christi fit. Hic considerandi sunt
    A. quatuor angeli primi, cum suis tubis: — cap. VIII. 7—12.
    B. tres angeli reliqui cum suis tubis; et vae tria, per locustas, equitatum, bestiam. cap. VIII. 13. IX. 1. etc. Tuba angeli septimi est amplissima: unde notandum
      a. Iusjurandum angeli de consummatione mysterii divini sub tuba angeli septimi, et futura urbis magnae conversio. — c. X. XI.

1) *in iprius nunc* Apparatus *critici Ed. II., ut diximus, quaerendas.* E. B.

Digitized by Google

b. Tuba ipsa, et sub ea
I. Summa rerum ac propositio. c. XI. 15.
II. praevia gratiarum actio seniorum pro exsecutione. v. 16—18.
III. exsecutio ipsa. v. 19. Hic memoratur
a. Filii masculi nativitas, et hostis primarii jactus e COELO. c. XII. 1—12.
b. Remora in TERRA, vae tertium horribile: ubi
1. vae ipsum excitatur 1. per draconem: c. XII. 12.
2. per duas bestias. c. XIII.
2. homines interim
1. per tres angelos monentur: c. XIV. 6.
2. per messem et vindemiam colliguntur: v. 14.
3. per plagas sive PHIALAS SEPTEM affliguntur et ad poenitentiam invitantur. c. XV. XVI.
3. meretrix magna cum bestia calamitatem cumulat. c. XVII.
c. Victoria regalis, qua hostes illi, inverso ordine, submoventur. Namque
1. meretrix magna judicatur, et regnum Dei praevalet. Cap. XVIII. XIX.
2. bestia et pseudopropheta in stagnum ignis jaciuntur. c. XIX.
3. diabolus ligatur. c. XX.
d. Regnum expeditum. Id enim, post superiores gradus, subinde ante tubam angeli septimi, c. VII. 9. et maxime sub ea indicatos, c. XIV, 1. 13. XV. 2., nunc penitus viget.
1. Nationes non a satana seducuntur, sed a Christo pascuntur. c. XX. 3.
2. Participes primae resurrectionis regnant cum Christo. v. 4.
3. Gog et Magog delentur, et diabolus, parvum chronon solutus, in stagnum ignis jacitur. v. 7.
4. mortui judicantur. v. 11.
5. Coelum novum, terra nova: Jerusalem nova, regnum in secula seculorum. c. XXI. XXII.
III. Conclusio, ad introitum libri exacte respondens. c. XXII. 6—21.

Tabellam etiam cel. D. Joachimus Langius Commentario praefixit apocalyptico. Utrum illa, an nostra, nativum prophetiae *Nexum* referat, declarent, velim, qui rem tenent.

7) Qui *Tabellam* nostram animo infigere, *Notas*que sapidiores, seorsum a criticis, quanquam interdum coalescunt, sumere, et, quanquam paucae sunt, vim earum expendere dignatus fuerit, is fructum certe aliquem, ut confido, percipiet, neque solum vaga multorum commenta vitabit, sed etiam verae interpretationis adminicula agnoscet. Prophetica *tempora* in communia suis resolvimus locis: demonstratio autem ejus rei, id quod semel monuisse satis esse debet, potissimum ad cap. 13, 18. datur.

CAPUT I.

v. 1. Ἀποκάλυψις) *Revelationem* appellant Latini patres, proprie. Nam res antea tectae revelantur in hoc libro. Hunc titulum nulla in V. T. habet prophetia: uni *Revelationi Jesu Christi* in N. T. reservatus erat. Est *Manifestum*, ut vocant, idque Regni Christi. — ἰησοῦ χριστοῦ, *Jesu Christi*) Titulus ab hominibus praefixus est, ἀποκάλυψις ἰωάννου τοῦ θεολόγου. Antiquus ille quidem est [1]), sed dubitationes de scriptore Apocalypseos, longo post seculum apostolicum intervallo ortas; Theologique cognomen et in ecclesiam introductum et Johanni tributum; et alias Apocalypses nescio quas, a quibus haec vera discerneretur, praesupponit. *Theologi* cognomen *apostolum* propemodum obruit. Sane *Johannes* est apostolus, qui hunc librum scripsit: sed Auctor [2]) est *Jesus Christus*.

1) *adeoque etiam in rubro* Vers. Beng. *non posthabitus*. E. B.

2) *Vid.* Erkl. Offenb. *Ed. II.* p. 154. sq. *et conf. si placet, meine* Beleuchtung etc. §. 2. p. 4—8. §. 38. n. 4. p. 149 sq. *Neque tam vesanum est*, singulare *huic libro* momentum *tribuere*, *uti quidem cel.* Ernesti *judicat v. gr. Bibl. th.* noviss. *T. I.* p. 689. *Facilius*

Digitized by Google

Johannis nomine veteres Apocalypsin veram a tot apocryphis voluere discernere. Evangelia epistolaeque apocryphae, praesupponunt canonicas, et sic apocalypses apocryphae apocalypsin genuinam. *Apocalypsin ante Cajum* presbyterum Romanum, *et Alogos, neminem unquam repudiasse, rerum ab omnibus receptam fuisse,* non temere affirmat Artemonius de Init. Evang. Joh. p. 88. 140. seqq. Multa ante discessum apostolos docuit Dominus: sed ea, quae tum dici non conveniebat, in Apocalypsin contulit. Quare in N. T. Aethiopico non inepte post IV Evangelistas Apocalypsis continuo ponitur. — δεῖξαι, *ostendere*) Hoc verbum recurrit c. 22, 6. Et sic partes hujus libri passim inter se respiciunt. Omnino structura libri hujus prorsus artem divinam spirat: estque ejus quodammodo proprium, ut res futuras multas, et in multitudine varias, proximas, intermedias, remotissimas, maximas, minimas, terribiles, salutares, ex veteribus prophetis repetitas, novas, longas, breves, easque inter se contextas, oppositas, compositas, seque mutuo involventes et evolventes, ad se invicem ex intervallo parvo aut magno respicientes, adeoque interdum quasi disparentes, abruptas, suspensas, et postea de improviso opportunissime sub conspectum redeuntes, absoluto compendio complectatur: atque his rebus, quas complectitur liber, structura libri exacte respondet. Itaque in omnibus suis partibus admirabilem habet varietatem, spirasque pulcerrimas, simulque summam harmoniam, per ipsas anomalias, quae illam interpellare videntur, valde illustratam: idque tanta subtilitate, ut nusquam magis unum saepe verbum aut commation additum demtumve (c. 22, 18. s.) intelligentiam contextus et collationem locorum possit impedire, finesque libri sanctissimos intervertere. Illudque inprimis est admirabile, quod quum res maximas ex prophetis veteribus vel digito innuat, novas autem copiosius explicet; tamen summam proportionem servat. Quae cum ita sint, vera ac plena analysis, quaecunque est, non poterit non nimis ingeniosa videri, et simplicitatis amatoribus, veritatis cognitione dignissimis, suspecta esse. Verum enim vero a DEI ingenio, si sic loqui licet, profecta est Apocalypsis, et πολυποίκιλον *multifariam* ejus sapientiam in oeconomia tot seculorum N. T. effulgentem, in summa quidem simplicitate dignissime refert. Quare qui ob varietates rerum ex contextu in interpretationem redundantes, interpretationem repudiare velit, ipsam simplicitatem, Scripturis utique obsequentem, violaverit. Illud certe cavendum, ne humanum ingenium, hunc sibi campum dari putet, et una alterave concinnitate observata, omnia in Systema sibi placitum cogat. Quod scriptum est, id solum, id omne, tenere; et, ut *ostenditur*, ita observare debemus. — τοῖς δούλοις αὐτοῦ, *servis suis*) Qui sibi non patitur *ostendi, quae fieri oportet*, is *servi* officio deest. Utinam id cogitent viri sancti, qui ita in optima quaeque intenti sunt, ut hanc ostensionem pro impedimento habeant, quae tamen *servos J. C.* in omni opere bono provehere potest. — ἃ δεῖ γενέσθαι, *quae oportet fieri*) Sunt homines, qui ita usum aliquem didascalicum et paracleticum, (quem ne Bossuetus quidem inficietur,) ex hoc libro peti posse agnoscant, ut ultra non tendant. Non *partem tantisper sensus specialis prophetici* tantummodo seponunt, ut summa sobrietate in dissertatione de *excellente apocalypseos doctrina fidei et morum* fecit Ven. D. Weismannus; (quo pacto Systemata Theologica Apocalypsin nullo non citant Loco sive articulo:) sed totum sensum propheticum reapse rejiciunt, et hoc nomine sibi plaudunt. Neque solum ipsi non intrant in hujus libri intelligentiam, sed etiam intrantes prohibent, deterrent, irrident. Videant vero, ne peccent, neve ab ipso libri scopo aberrent. quae ad doctrinam et exhortationem pertinent, in aliis libris continentur: Apocalypsis

---

enim e. gr. vel Matthaeus Marcum, vel Paulinarum epistolarum aliam alia, quam ullus *N. T.* liber *ea rependere posset, quae in* Apocalypsi *serius revelata sunt.* E. B.

d by Google

autem praecipue ostendit, *quae oportet fieri;* idque tam serio, ut juramentum maximum interponatur. c. 10. Hunc scopum non debemus invertere: quid dicam, quae Deus conjunxit, videlicet notitiam eventuum futurorum, atque adeo temporum, et poenitentiam, vigilantiam etc. separare? Sancti omnium temporum, martyres etc. perpetuam habuere successionem exspectationum ex Apocalypsi: et quanquam in hypothesi non potuere tum tempora discernere, tamen in thesi usum habuere praesentissimum, error autem eis non nocuit. Veritatem generalem alii et fundamentalem a Christo in evangelio propositam defendunt? recte. sed non ita se gerere debent, ac si Apocalypsis non eundem haberet auctorem, per omnes libri partes; eundemque glorificatum. Nemo eorum, qui reliqua scriptura salutariter utuntur, Apocalypsin sine singulari fructu colit: si non invenit, quod quaerebat, invenit, quod non quaerebat. Quae *fieri* oportet, ostenduntur hoc libro. Verbum γίνομαι (cujus tempora quaedam, v. gr. γενέσθαι h. l. ex inusitato γενέομαι deducit Sylburgius ad Clenard. p. 470.) si quis hunc librum percurrens, (adhibitis fortasse Concordantiis,) consideraverit, non sine suavitate discedet. *fiunt* tristia, *fiunt* laeta, magna, multa. Repraesentat hic liber, *ea quae fiunt*, absolute, id est, rerum summas ac seriem, per tot secula, ad ipsum Jesu Christi *adventum*. Illuc Daniel, illuc Johannes, a sua utervis aetate, pertingunt. — ἐν τάχει, *celeriter*) *Cura Christianismi secum affert curam temporum.* Paulus Antonius in Collegio antithetico, p. 930. De *celeritate*, omnino, velim, videas Not. ad Cap. 6, 11., unde constabit, dilutiorem esse interpretationem cel. D. Langii, de eventu sigillorum etc. interjectis multis seculis, *celeri* futuro. Tom. I. Gl. Chr. Part. I. sive comm. apoc. fol. 22. Ipsum finale *tempus prope* est, v. 3.: eaque propinquitas etiam adventum et ortum rerum citeriorum, non modo eventum et cursum earum, celerem reddit. Totus liber tanquam unum verbum uno momento pronunciatum debet accipi. Exceptis temporibus definitis, sat spatiosis, omnia fiunt ἐν τάχει, *celeriter*, verissime. Talis significatur *celeritas* c. 11, 14. 2 Petr. 1, 14. et passim. — ἐσήμανεν, *significavit*) Apocalypsis scatet Hebraismo, in verbis simplicibus, μάχαιρα, coll. Gen. 49, 5., ubi jam memorantur מכרות κτλ. et in verbis plane Hebraicis, ut ἀβαδδών, σατανᾶς, ἀρμαγεδών. et in constructione, ut ἀπὸ ἰησοῦ χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστός. κτλ. ἀπὸ ὁ ὢν κτλ. ut nomen proprium Hebraico more ἄκλιτον et sine articulo ponatur. Atque hic non dicitur, ἀπέστειλε, sed ἐσήμανεν ἀποστείλας, quanquam praecessit verbum δεῖξαι. Itaque Johannes videtur innuere Hebraicum שִׁגָּה, cui respondeat Graecum δεῖξαι. Saepe enim Hebraica et Graeca jungit. σημαίνειν LXX ponunt de magno indicio magnae rei. Ez. 33, 3. Vid. etiam Joh. 12, 33.

v. 2. ὅσα εἶδε, *quaecunque vidit*) Vid. App. crit. ad h. l. Ed. II. ὅσα εἶδε, *quaecunque vidit*, testatus est Johannes, quum in hoc ipso libro *omnia* quae vidit, et *nihil nisi* quod vidit, testatus est. Nec tamen se *testari* dicit, sed *testatum esse.* quia tum, quum in Asia, legebatur liber, jam scriptum habebat. Non debuit Lampius, ob tempus verbi ἐμαρτύρησε, *testatus est*, de Johanne versûs 1. 2. 3. scriptore dubitare. Medit. anecd. in Apoc. pag. 255. 257. Conf. v. 9. not. Eundem, et alios interpretes, qui verbum *testatus est* ad Evangelium et Epistolas Johannis referunt, particula τὲ aliena induxit. Porro ut in Apocalypsi *visio* et *testimonium*, sic apud eos, qui hunc librum rite tractant, *mensura fidei* et *prophetia* (Rom. 12, 3. 6.) sive cognitio et interpretatio, commensurantur. Sapienter D. Antonius, in eodem Collegio, de *Novissimis*, ex Apocalypsi praecipue, ita disserit, ut et *antipropheticum* morbum, et *idiopropheticum* pruritum reprimat.

v. 3. μακάριος, *beatus*) Sunt, qui librum sanctissimum irrequieta curiositate *misere* tractent: ex quo fit, ut alii in contrarium currentes vel nomen Apocalypseos, quo excitari debebant, audiant inviti; ipsique libro ob singularem interpretationum sinistrarum et conjecturarum eventu carentium multitudinem

diffidant. Inde, cum omnia scire velint, unam scientiam eorum, quae Dominus *futura ostendit*, rejiciunt; inde conatum veri hic investigandi pro aerumna; socordiam pro modestia; taciturnitatem pro prudentia habent, et quidvis potius curant et quaerunt, perinde ac si scriptum esset: ***Beatus, qui non legit, et qui non audiunt, etc.*** Videant, ne, dum omnes praetextus excogitant, pro dono coelesti recusando, molestiam Deo exhibeant (Es. 7, 12. 13.) et erga Jesum Christum reperiantur INGRATI. Imo vero ***beatus, qui legit, et qui audiunt et servant;*** nostris maxime temporibus, quae a magna rerum mutatione, ut videbimus, prope absunt. Praestat, in quaerendis temporibus, modo fides, spes, amor in corde palmam obtineat, quam plurimum conari et rideri, (Gen. 37, 19.) quam cum fortibus mundi spiritibus paradoxa monita contemnere, et rerum eventibus opprimi, Dan. 2, 34. 45. coll. Matth. 22, 44. fin. vel eventus etiam pristinos, Judaeorum more, identidem exspectare. ***Maledicunt*** Judaei, tempora Messiae calculantibus: Apocalypsis ***benedicit*** bonis auditoribus prophetiae, propinquitatem temporis et tempora interim calculanda complexae. Interpretationum quidem luctuosa varietas quotidie crescit: unde multorum oculis quaedam quasi nebula offunditur, ut veritatem, liquido propositam, vel minus, quam figmenta speciosa, vel certe non magis admittant. Non desunt tamen adjumenta intelligentiae omnibus, qui recte iis utuntur, spem intelligendi non abjicientes.

I. Fundamentum est, textus sincerus, ex optimis monumentis restitutus.

II. Articulatissimus est hic liber: res multifarias per septenas epistolas, sigillas, tubas, phialas digerit: quemlibet de hisce septenariis, in quaternarium et ternarium dividit: multa ipse interpretatur, declaratque, quid sint ***septem stellae; septem candelabra; Agnus, ejusque cornua septem et oculi septem; thymiamata; draco; spiritus tres, ranarum instar; capita bestiae et cornua; aquae, ubi sedet meretrix; byssinum; testimonium Jesu; mors secunda; Agni uxor.*** Formulas nobis praebet opportunissimas: ***vae primum abiit*** etc. ***numerus hominis: mensura hominis, quae est angeli.*** etc.

III. Juvat etiam collatio prophetarum veterum, et praedictionum Jesu et apostolorum in ceteris libris N. T. plurimum vero ipsius literae apocalypticae evidentia, et cum tropis propheticis contemperata proprietas. Hoc ipsum aliquanto uberius declarabimus.

1) Complexus est Dominus Jesus in Apocalypsi Reliquum ***veteris prophetiae,*** quod attinet ad tempora ascensionem ejus et adventum Paracleti, finemque Judaismi subsequentia. Itaque a veteri Jerusalem ad novam Jerusalem pertingit liber, omnibus rebus in unam summam concinnumque ordinem redactis; magnamque cum prophetis antiquis habet similitudinem. Exordium et conclusio congruit cum ***Daniele:*** cum ***Esaja,*** descriptio Filii masculi et promissiones Sioni datae; cum ***Jeremia,*** judicium Babylonis: rursum cum ***Daniele,*** Jeremiam secuto, determinatio temporum; cum ***Ezechiele,*** Esajam secuto, architectura urbis sanctae; cum ***Zacharia,*** emblemata equorum, candelabrorum etc. Ex illis prophetis multa per eos copiosius descripta, nunc summatim repetuntur, iisdem saepe verbis. ad illos igitur respiciendum. Habet tamen Apocalypsis αὐτάρκειαν quandam, et ipsa ad sui interpretationem sufficit, etiamsi veteres prophetas, ubi de iisdem rebus loquuntur, nondum intelligas; imo ad intelligendos illos filum praebet. Saepe etiam sub similitudine Apocalypseos et veterum prophetarum latet quaedam dissimilitudo, stirpemque a pristino aliquo propheta sumit Apocalypsis, novum ei calamum inserens. v. gr. Oleas duas habet Zacharias; habet etiam Johannes, sed alio significatu: Bestiam decem cornuum habet Daniel; habet etiam Johannes, non eodem plane significatu. Hic differentia verborum, emblematum, rerum, temporum, studiose debet observari. Sed et multum juvat Tabernaculi per ***Mosen*** erecti et descripti ratio. nam coelestia, quorum exem-

plari et umbrae servierunt sacerdotes levitici, Hebr. 8, 5., in Apocalypsi accurate exhibentur.

2) Multa praedixit *Dominus* ante passionem; v. gr. Matth. capp. 13. 22. seqq. Joh. 14. s. sed non omnia: neque enim maturum erat. multa sparsim in *Epistolis* Johannis ceterorumque apostolorum per Spiritum Christi praedicta habentur; prout videlicet necessitas primorum illorum temporum ferebat. Nunc uno omnia libello complectitur Dominus, superiora illa respiciens, praesupponens, explicans, continuans, pertexens. Illa ergo conferre prorsus decet; non tamen cum illorum brevitate horum ubertatem committere. In Evangelistis praedixit Christus, quae ante Apocalypsin Johanni dictandam erant eventura, adjunxitque descriptionem Novissimorum; in Apocalypsi, intermedias quoque res. Ex utrisque unum quoddam Totum constat.

3) Non solum summa et clavis prophetiae, et olim et proxime antegressae, in hoc libro exhibetur, sed etiam supplementum, sigillis antea clausis. Igitur non potest non multa habere nunc primum revelata, neque in reliquis Scripturis extantia, ut Gomarus et Cluverus agnoscunt. Erga revelationem igitur hanc tantam, statui exaltationis Christi reservatam, parum grati sunt, qui quicquid in ea primum revelatur aut determinatius describitur, idcirco segnius aestimant, et timidius accipiunt audaciusve repudiant. Argumenti amplitudo et libelli brevitas evincunt, omnia verba esse longe significantissima. — ὁ ἀναγινώσκων καὶ οἱ ἀκούοντες, *qui legit et qui audiunt*) *Unus*, ille primum, per quem Johannes librum ex Patmo in Asiam misit, *legebat* publice in ecclesiis, et multi audiebant. Magnopere Scriptura publicam sui lectionem commendat. Deut. 31, 11. Neh. 8, 8. Jer. 36, 6. Luc. 4, 16. Act. 15, 21. Col. 4, 16. 1 Thess. 5, 27. 1 Tim. 4, 13. Plus esset aedificationis, si doctores minus de suo loquerentur, vel certe Scriptura multitudini sane rudi legeretur copiosius. — τῆς προφητείας, *prophetiae*) Est *apocalypsis*, respectu Jesu Christi: est *prophetia*, respectu Johannis, cujus mentione facta, *prophetiae* demum vocabulum ponitur. *Prophetiae* se sua, adeoque divina tuentur auctoritate, speciatim Apocalypsis, quae idcirco antiquas prophetias non allegat, nisi summatim, idque semel. c. 10, 7. In ceteris libris N. T. allegantur prophetiae V. T. ut earum videlicet completio demonstretur: in Apocalypsi non allegantur. Hinc quum v. gr. Surenhusius allegata V. T. per singulos evangelistas, per Acta apostolorum, per epistolas Paulinas catholicasque deduxisset, non habuit, quod in Apocalypsi allegatum conferret. Pari fere modo Franc. Junius Parallelos abrupit, ita in conclusione scribens: *Sunt quidem innumerae voces, sententiae multae, argumenta non pauca in toto libro Apocalypseos, quae Testamentum vetus redolent dignitate maxima: sed eorum interpretatio mihi quidem non videtur hujus loci esse, tum quia NON ADDUCUNTUR NOMINATIM scripturae loci, aut profertur authoritas aliqua una, unde illi depromti sunt; sed plurimum bini, terni, aut plures loci una consumuntur artificio elegantissimo: tum vero quia, si quis hoc instituerit, eum necesse fuerit aggredi totius libri Apocalypseos interpretationem.*

v. 4. ἀπὸ ὁ] ἀπὸ τοῦ ὁ, *Erasmus* introduxit. Primus hic locus est ex iis, in quibus me defendi posse plane negat censor. Atqui lectio mihi probata, ἀπὸ ὁ primaeva est. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — *Quando tandem morebuntur, qui pretium Stephani pluris faciunt, inscientes, quam cuncta vestigia Johannis in Patmo?* — ἀπὸ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, *a Qui est et qui erat et qui venit*) Decem Sephiroth, [1]) tres superiores et septem inferiores, in hac

---

1) *Magnifica harum delineatio, ante hos centum annos* (1673) *principis* Antoniae *b. m. jussu atque impensis adornata, prostat in templo* Deinacensi, *quod non multis antea annis illustrissimae Virginis Frater*, Eberhardus III. *Würtembergiae Dux*, *in gratiam hospi-*

Digitized by Google

salutatione descriptas quaerit *Jacobus Rhenferdus* in Dissertatione de stilo Apocalypseos cabbalistico. Et aliquam quidem esse similitudinem, evicit ille: sed nil protulit ex Cabbalistis, quod non purius apud Johannem extet. conf. Lamp. comm. in Apoc. p. 253. Nomen Hebraeum יהוה est ἄκλιτον· ejusque nominis periphrasis est haec, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ut videbimus mox versu 8. Itaque periphrasis quoque sine flexione casus ponitur. Articulus ὁ ter expressus Graecae paraphrasi nominis Hebraici conciliat formam nominis. — ἑπτὰ, *septem*) Judaei *ab* Es. 11, 2. *multa et magna loquuntur de* Septem Spiritibus Messiae. *Lightfoot.*

v. 5. ἀπὸ ἰησοῦ χριστοῦ, ὁ μάρτυς κτλ.) Frequens in hoc libro est Appositio, casu obliquo et recto. Exempla collegimus in Appar. pag. 778. [*Ed. II. p.* 488.] Ita nempe Hebraei solo v. gr. *Mem* praefixo nomenclaturam multis vocabulis constantem declinant: similiterque Galli, adhibita praepositione *de* etc. Quin etiam Lucas, ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. c. 22, 20. — τῶν νεκρῶν) Editi, ἐκ τῶν νεκρῶν. In *sola* Apocalypsi diversam interdum ab editis lectionem noster exhibet textus. Causam dixi in Apparatu pag. 788. [*Ed. II. p.* 498. *sq.*] et in utraque Defensione, [*App. crit. Ed. II. P. IV. N. IV. et IX.*] prolixe. — ἀγαπῶντι) Sic habet cod. antiquissimus *Alex.* et sex alii non contemnendi, ac fortasse plures a pristinis collatoribus neglecti. Alii, ἀγαπήσαντι, ob sequens λούσαντι et ἐποίησεν· idque praefert Wolfius. Sed participium praesens etiam praeteriti imperfecti vim includit. οἱ μισοῦντες, οἱ ἀγαπῶντες, οἱ φιλοῦντες, οἱ δοξάζοντες, *qui oderant, qui amabant, qui diligebant, qui honorabant*, 2 Sam. 19, 6. Thren. 1, 2. 8. Sic Matth. 2, 20. οἱ ζητοῦντες, *qui quaerebant.* 2 Petr. 1, 19. φαίνοντι notat *lychnum qui LUCEBAT.* nam sequitur aoristus l. διαυγάσῃ καὶ ἀνατείλῃ. Sic θεωροῦντες, et ὢν, in imperfecto, Joh. 9, 8. 25., et passim. Eoque facilius erat ἀγαπῶντι cum vi praeteriti, quia duo aoristi subsequuntur. Sic praesens, pro praeterito, subsequente praeterito, cap. 13, 12. Veruntamen ἀγαπῶντι proprie praesens est, et denotat *amorem perpetuum*, ut Joh. 3, 35., ὁ πατὴρ ΑΓΑΠΑ τὸν υἱὸν, καὶ πάντα ΔΕΔΩΚΕΝ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. ubi praesens et praeteritum copulantur. *Qui nos amat*, reddidi studiose in Germanica Apocalypseos translatione: et talia, ut intelligo, loca displicent multis. Atqui Johannis stilus et hodiernus gustus toto coelo differunt. Ego in transferendo non molles auriculas delinio, sed Johannem, qui ex Hebraico plane sensu scripsit, religiose imitor. Haec pars est contumeliae Christi. — [1]) αὐτοῦ] Αὐτοῦ, etiam reciprocum, leni ubique spiritu expressi [2]), Erasmi exemplo, qui quidem in editionibus suis fere promiscue exhibet αὑτοῦ, facilitatis, ut arbitror, gratia, et αὐτοῦ, etiam reciproco sensu, ex mss. Causa in apparatu p. 453. [*Ed.* II. *p.* 93.] semel dicta est, (suffragante Buttigio in praef. N. T.) et quovis

---

tum acidulis *utentium curaverat extrui. Descriptionem hujus monumenti*, Turris Antonia *dicti*, *uberiorem*, *adjecto* chalcographo, *dedit S. R.* F. C. Oetingerus, *Monasterii nunc Murrhardensis Abbas*, *s. t.* Oeffentliches Denkmal der Lehrtafel einer weyl. Würtembergischen Princessin Antonia etc. *Tub.* 1763. *Sunt, qui alto supercilio talia omnia, ut quisquilias Rabbinicas, rideant: sunt fortassis, qui nimium eis pretium statuant, in cortice fere subsistentes. Viderit quilibet, quid vera σοφροσύνη suadeat, quidve permittat fidei mensura et cognitionis ex Verbo DEI haustae analogia.* E. B.

1) καὶ λούσαντι, *et lavit*] Nimirum non lotus nequit fungi sacerdotio. *V. g.*

2) *Id quidem factum in* Ed. maj. *et* min. *de A.* 1734: *sed in* Admonitione, *Editioni man. d. A.* 1753 *praemissa*, *haec habet Beatus:* In pronunciatione apostolicum morem prae recenti fas est imitari: sed quia in αὐτοῦ reciproco non modo tirones, sed etiam viri valde docti adhaerescunt, αὑτοῦ iis fere locis, ubi Stephanorum editiones sic habent, excudendum curavi; idque cordatiores non pro norma pronunciationis, sed pro adjumento interpretationis, velim, habendum meminerint. — *Specimen habes, Lector, non eum fuisse* Bengelium, *qui cedere nesciret.* E. B.

Digitized by Google

loco dicta putari debet. Conf. igitur etiam ad h. l. Appar. crit. Ed. II. p. 504. — Ut apud Hebraeos ו et alia suffixa tertiae personae et relativam et reciprocam vim habent: sic scriptores N. T. αὐτοῦ promiscue ponunt. Itaque h. l. Ap. 1, 5. αὐτοῦ omnino ad *Jesum Christum* refertur, qui nos in sanguine *suo* lavit.

v. 6. καὶ ἐποίησεν) Sensus erat, ὃς ἀγαπᾷ ἡμᾶς καὶ ἐποίησε· sed prius verbum cum articulo postpositivo transiit in participium; alterum verbum mansit, et cum eo subaudiri debet articulus absorptus. — βασιλείαν, ἱερεῖς) Wolfius quum in multas lectiones, quamvis minus ipsi probatas, *unam* meam editionem allegarit, (id quod optimo eum animo fecisse existimo,) lector, velim, meminerit, easdem lectiones *in aliis editionibus a me suo loco citatis* extare. Semel hoc monere necessum duco, ne contextus meus nimis saepe solus incedere videatur. Vid. App. Ed. II. Similem varietatem infra videbimus ad c. 5, 10. sed sive βασιλεῖς sive βασιλείαν illo loco genuinum est, hic certe βασιλείαν legi debet. Illic enim loquuntur quatuor animalia, et viginti quatuor presbyteri, coronati, quorum dignitas eminet: hic sermo est omnium fidelium nomine. hos Christus fecit DEO et Patri suo sacerdotes: et horum sacerdotum universitas est regnum, quod Ipso gaudet Rege. Βασίλειον ἱεράτευμα dicitur Exod. 19, 6. 1 Petr. 2, 9., ubi ἱεράτευμα, ut στράτευμα, *exercitus*, collectivum est. Eandem vim habet Appositio, *regnum, sacerdotes*. quanquam inter cives regni eximia apud regem admissione sacerdotes gaudent. Davidis sacerdotes erant filii. 2 Sam. 8, 18.

[1]) v. 7. ἔρχεται) videlicet ὁ ἐρχόμενος. *Venit*, qui venit. Innuitur adventus gloriosus in die novissimo. — ἐξεκέντησαν, *pupugerunt*) Evidentissimis clavorum lanceaeque notis in corpore redivivo et glorificato Salvator et Judex se et exhibuit et exhibebit. Tum fastidia et convicia hostium, Judaeorum praesertim, quae tantisper admiranda fert longanimitate, refutabuntur in perpetuum. — κόψονται, *plangent*) sine dubio prae terrore hostili, vel etiam apud quosdam poenitentiali.

v. 8. τὸ ἄλφα καὶ τὸ Ω) Ω non ω μέγα, hoc loco legere et pronunciare debemus. nam ω μέγα opponitur ο μικρῷ. ω, tanquam ultima alphabeti Graeci litera, opponitur τῷ *alpha*. Graece scripsit Johannes. Valde solennis hic est locus: in quo pauci, cum *Apringio*, ἀρχὴ καὶ τέλος addunt, *expositionis causa*, ut in notis Vatablo adscriptis existimatur, videlicet ex parallelis. Cernamus vero parallela loca. Ea (non annumerato versu 11., de quo inferius dicemus,) sunt quatuor.

I) Τὸ ἄλφα καὶ τὸ Ω, *Alpha et O*. c. 1, 8.
II) Ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, *Primus et Ultimus*. c. 1, 17. 2, 8.
III) Τὸ ἄλφα καὶ τὸ Ω, ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος, *Alpha et O, Principium et Finis*. c. 21, 6.
IV) Τὸ ἄλφα καὶ τὸ Ω, πρῶτος καὶ ἔσχατος, ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος, *Alpha et O, Primus et Ultimus, Principium et Finis*. c. 22, 13.

Itaque in principio libri unum incisum ponitur, primum de Patre, c. 1, 8., coll. c. 4, 8., deinde de Christo, c. 1, 17. In fine libri copiosior fit sermo, et duo incisa ponuntur de Patre, *sedente* in throno, c. 21, 6., et tria, de Christo, *Veniente*, c. 22, 13. Saepe in hoc libro unam sententiam Graece et Hebraice exhiberi, mox videbimus. Idque hic jam quoque fit. Pater dicitur τὸ ἄλφα καὶ τὸ Ω Graece: Idem Johanni, Hebraice, ut mox videbimus, cogitanti, est *Principium et Finis*, quod per א et ת primam et extremam Hebraeorum literam Hebraice exprimitur. Et sic quoque Christus.

Locus quartus, tribus incisis constans, memorabilem ansam nobis praebet. Tertium ejus incisum nunquam ponitur sine primo, ergo pertinet ad primum de-

---

1) αὐτῷ, *Ipsi*] Jesu Christo videlicet. *V. g.*

Digitized by Google

clarandum. Secundum ponitur aliquando sine primo: ergo suam per se, ut in Esaja, sic in Apocalypsi, significationem habet. Primum et tertium adscribitur etiam Patri, cap. 21. secundum, Christo soli. c. 1, 17. *Alpha, et Principium*, est Deus, ut Ipse, rerum omnium conditor et auctor, tantas res proponit, declarat, promittit. Ω *et Finis* est Idem, ut Apocalypsin, praesertim in tuba septimi Angeli, ad opus, complementum, *finemque* exspectatissimum et gloriosissimum perducit. Et sic quoque Christus. *Prima et extrema* rei, stilo scripturae, est res sive totum ipsum. vid. 1 Sam. 3, 12. Cohel. 10, 13. 2 Chron. 35, 27. Graeci *proram et puppim* proverbio dicunt. Ergo *Alpha et* Ω, *Primus et Postremus, Principium et Finis* est *Unus omnia, semperque Idem.* Confer Psalmum 8., initio et fine, ubi *Intentio* et *Executio* describitur. Sic, magnifico sensu, finis ab origine pendet. Continet Apocalypsis in augusta appellatione, *Alpha et* Ω etc. in principio, Protestationem Dei contra draconem, et Christi contra bestiam, ceterosque hostes; et in fine, triumphum ex hostibus. Hostes enim procedente libro insurgunt, sed penitus delentur, ut nusquam appareant. Est item Protestatio contra omnes falsos deos et falsos christos, ad nihilum redituros. Nam ante revelationem Dei primam in creatione, et post ultimam in consummatione, nullus est alius Deus; omnes falsi dii intermedio tempore et ficti et sublati sunt: ante adventum Christi in carne et post adventum ejus ad judicium nullus est alius Christus; omnes pseudochristi intermedio tempore fuerunt. *Quumque omnia subordinata erunt Filio Dei, tum et ipse Filius subordinabitur ei, qui omnia subordinavit ipsi, ut sit Deus omnia in omnibus.* 1 Cor. 15, 28. — Κύριος, *Dominus*) Augustus est totus hic locus; et magnificus hoc loco ac plenus Dei titulus, uberiorem considerationem postulat.

§. 1. Rudimentum nos quidem duntaxat ponemus: et in eo complura confluent observationes, quae nemini vel placeant ex toto (etenim ne mihi quidem ipse satisfacio,) vel ex toto displiceant, adeoque cujusvis delectui et examini maturiori subjiciuntur.

§. 2. Quatuor membra habet titulus:

1) Κύριος, *Dominus,*
2) ὁ Θεός· *Deus:*
3) ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Qui est et qui Erat et qui Venit,*
4) ὁ παντοκράτωρ, *Omnitenens.* Haec membra commode ordine retrogrado spectaverimus.

§. 3. *Quartum*, ὁ παντοκράτωρ, *Omnitenens*, in V. T. non nisi duobus Hebraicis vocabulis respondet. nam in Jobo saepe ponitur pro שדי sed absolute, non in appositione cum aliis divinis nominibus: quare parallelismus non est ibi figendus. Vid. infra, §. 24. de loco Exod. 6. Alterum vocabulum, quod ceteris in locis comprehendit nomenclatura ὁ παντοκράτωρ, est *Sabaoth.*

§. 4. *Sabaoth* non est nomen divinum recto casu, sed ingreditur nomenclaturam Dei, quum dicitur *Jehovah Sabaoth, Deus Sabaoth, Jehovah Deus Sabaoth,* i. e. *exercituum.*

§. 5. Nomenclatura haec non occurrit in Genesi: extant demum principia ejus in Exod. 7, 4., *educam exercitus meos, populum meum, filios Israël, ex terra Aegypti.* et cap. 12, 41.: *exierunt omnes exercitus Jehovah ex terra Aegypti.* Josuae, trajecto Jordane, apparuit, qui se ipse sic appellavit, *Dux exercitus Jehovah.* Jos. 5, 14. seq. Inde in libris Samuelis et Regum, in Chronicis, in Psalmis, in Esaja, Jeremia et plerisque prophetis minoribus, ante captivitatem Babylonicam, et post eam, frequentissima est locutio de *Domino Deo Sabaoth.* Varie expressere LXX interpretes: sed maxime utuntur epitheto παντοκράτωρ, et dicunt Κύριος παντοκράτωρ, ὁ Κύριος ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ. Id in ceteris N. T.

Digitized by Google

libris nusquam reperitur, nisi 2 Cor. 6, 18. in expressa videlicet loci Esajani allegatione. In sola Apocalypsi saepe dicitur.

§. 6. Denotat vocabulum *Sabaoth, exercitus* sive *copias* ingentes, speciatim quidem Israëliticas illas, sed generatim in coelo et in terra omnes, quia omnium Deus est Jehovah: et inde ὁ παντοκράτωρ dicit *Omnitenentem.* Huic uni omnis militia servit: et omnis illius militiae opera in Apocalypsi cietur et ad summa pervenit.

§. 7. Quae cum ita sint, Hebraico יהוה non potest non respondere membrum *Tertium*, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. num epitheton, ὁ παντοκράτωρ, nunquam ponitur, quin immediate aut θεὸς aut יהוה praecedat. Illud mediate praecedit in praesenti: ergo יהוה est immediate praecedens. Respondent autem nomini יהוה vel tria incisa simul, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, vel tertium sine dubio, ὁ ἐρχόμενος.

§. 8. Ὁ ἐρχόμενος dicitur *Is qui* יהוה *erit*: nec tamen dicitur ὁ ἐσόμενος, sed, perquam scite, ὁ ἐρχόμενος, ne quid de *esse* praesenti detrahi videatur, et ut adventus clarius exprimatur. *Futurus*, Hebr. הבא *veniens*, coll. Joh. 16, 13. et sic aliae linguae.

§. 9. Quomodo nomen יהוה legendum sit, et quam late ejus significatio pateat, vehementer contenditur: nonnulli, quia ei puncta nominis אלהים saepe, et nominis אדני saepissime appicta sunt, alias vocales introducunt, et v. gr. יִהְוָה *Iihvaeh* legunt.

§. 10. Sed etiamsi nomen יהוה semper alienas, nunquam suas vocales in codicibus nostris adscriptas haberet, tamen aeque posset *Jehovah*, quam *Iihvaeh* legi. Atqui etiam oportere *Jehovah* legi, multa evincunt.

§. 11. Curaverunt Hebraei, ut nomen יהוה nunquam nisi quam sincerissime pronunciaretur: quare ubi praefixa mutationem vocalium importabant, saepissime nomen אדני vocales quam maxime ad יהוה accedentes habens surrogarunt. Sed ubicunque יְהוָה scribitur, plane *Jehovah* legendum est. Hac una de causa sub Jod retinuere Scheva: id quod etiam Chaldaei paraphrastae faciunt, in ipso scriptionis suae compendio יְיָ nomen *Jehovah* et *Adonai* referente. Quemadmodum יְהוָה per puncta nominis אלהים scribitur, sic per puncta nominis אדני posset יַהְוָה scribi, nisi יְהוָה per se pronunciandum esset. Nomina propria ut *Jehojakim*, et multa alia, quae ex nomine יְהוָה formantur, et Graecas nominis hujusce scriptiones, ad eos, qui foris sunt, propagatas, eruditi pridem collegerunt.

§. 12. Incomparabilis et admiranda est coagmentatio nominis יהוה ex יִהְיֶה *Erit* et הֹוֶה *Ens* et הָיָה *Erat*. Manavit haec nominis divini paraphrasis per tria tempora ad poetas Graecos vetustissimos et ad scriptores Talmudicos. Loca extant apud Wolfium T. IV Curar. in N. T. pag. 436. Summum vero robur habet Apocalypsis.

§. 13. *Secundum* membrum, ὁ θεὸς, nullam habet difficultatem: nomen θεὸς, a θέω *pono*, dicit auctorem rerum omnium. *primum* vero, Κύριος, aliquid dici postulat.

§. 14. Jo. Pearsonus in Expos. Symb. Apost. p. 261. rem eo deducere conatur, ut τὸ κύριος, quatenus τῷ יהוה respondet, derivetur a κύρω, *stum.* Sed exempla, quae ex Tragicis potissimum profert, omnia *esse* quoddam *fortuitum* inferunt, ut κύρω vel potius κυρῶ non magis verbo ὑπάρχω, quam verbo τυγχάνω in significatu, et verbo קרה in ipso sono respondeat. Qui vim nominis κῦρος, ex quo κύριος dicitur, perspexerit, qua non modo moralem auctoritatem, sed etiam naturalem stabilitatem firmitudinemque denotat, is facile agnoscet, nomen κύριος idoneum esse ad interpretandum nomen יהוה demto temporum ternione, et certe denotare *Eum qui est.*

Digitized by Google

§. 15. Quotiescunque nomini Κύριος nomen θεὸς apponitur, illud nomini proprio יהוה respondet: idque in praesenti quoque loco valet.

§. 16. Jam quid causae est, cur, quum inter tot commemorationes *Dei*, quae in V. T. extant, hae ipsae, tres ad summum, appellationes, *Jehovah Deus omnitenens*, uno loco poni sint solitae, Apocalypsis hic quatuor, Κύριος tribus reliquis praemisso, ponat?

§. 17. Saepe Apocalypsis dupliciter aliquid exprimit, Hebraice et Graece, ut ναὶ, ἀμήν· ἀβαδδὼν, ἀπολλύων· διάβολος, σατανᾶς· κατήγωρ, κατηγορῶν. Hostium nomina duplici idiomate exprimuntur: et prius ipsius Domini Dei nomen dupliciter exprimitur.

§. 18. Graece in titulo divino, quem consideramus, membrum I et II per se ponuntur, membrum autem III et IV, quae idem quod duo priora significant, unice eo pertinent, ut lectori Hebraicum יהוה צבאות in memoriam redigant. quanquam enim ipsum nomen יהוה Graecis exprimi posset, tamen in populo Dei nunquam sic expressum fuit. Graeco et Hebraico nomine Deus Judaeorum et Gentium describitur.

§. 19. Membrum I et III sunt parallela, utrumque nominis proprii vim habens: primo additur ὁ θεὸς, tertio ὁ παντοκράτωρ, utrumque appellativum.

§. 20. Hactenus hunc locum tractavimus seorsum: nunc idem cum parallelis conferendus venit. Dicitur enim ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, h. l. et ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος, c. 4, 8. et deinceps, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν· denique ὁ ὤν. Vid. infra ad c. 11, 17. 19, 1.

§. 21. Quum in rubo apparuit Mosi Deus, Ipse se nominavit אהיה *Ero*. Exodi c. 3, 14. hanc nominis sui rationem praestruit: *Ero qui Ero*, sicuti ad Mosen dixerat ibidem v. 12.: *Ero tecum*. Deinde Nomen exprimit Ipse, Mosen dicere jubens: אהיה *ERO misit me*. Verbum אהיה fit Nomen, ut ὁ ἦν, praefixo articulo: et ipsum ὁ ἦν commoda locutio, ut apud Aristotelem, εὐθὺς τὸ ἔσται καὶ τὸ μέλλειν, ἕτερον. l. 2. de gener. et corrupt. c. 11.

§. 22. Hoc Nomine ad Mosen promulgato, in eadem continuo apparitione, et per totam deinceps scripturam V. T. nomen יהוה memoratur. אהיה primae personae, ibi locum habere videri posset, ubi Dominus de se loquitur, et יהוה tertiae personae, ubi de Domino loquuntur angeli et homines. Atqui Moses dicere jussus est, יהוה *ERO misit me;* et Dominus se ipsum quoque יהוה *Jehovah* vocat: ac nomen אהיה deinceps non repetitur, nomen יהוה nusquam non occurrit. Plane igitur nomen יהוה ad significatum nominis אהיה praeter differentiam primae tertiaeque personae amplius quiddam superaddit: ut primum videlicet Dominus se appellavit *Ero*, mox se appellitare instituit *Erit* — *Ens* — *Erat*.

§. 23. Olim ante Mosis tempora, nomen יהוה ita memoratum legitur, ut certum habeamus, Mosen id non ex sui demum temporis idiomate in tempora Enosi, Abrami etc. intulisse. Gen. 4, 26. 13, 4. 14, 22. 15, 2. 7. etc.

§. 24. Rursus apertum est, Mosi et per Mosen Israëlitis eam revelationem esse factam, qua nomen *Jehovah* novo modo eis *innotuerit*. Laudavimus modo locum Exod. 3, 15. Accedit alter, Exod. 6, 3.: *Visus sum erga Abraham, erga Isaac et erga Jacob* באל שדי *qua Deus abundans* omnibus bonis: *sed nomine meo Jehovah non sum eis notus factus.* Hic אל שדי praefigitur ב et rationem *sub qua* denotans, per Gallicum *en* apte reddi potest, sicut v. gr. dicunt rien *en Chrétien.* Abrahamo quum apparuit Deus appellavit se אל שדי Gen. 17, 1. et inde Isaac et Jacob saepe Eum sic appellarunt. Appellabatur tum quoque *Jehovah*, sed minus solenni usu. Mosis demum tempore Ipse hoc nomen suum in seculum, et hanc mentionem sui in progeniem et progeniem esse jussit. Ex. 3, 15. Tunc *nomen sibi aeternum* re ipsa *fecit*. Es. 63, 12. Videatur locus Exod. 15, 3., et totum illud Canticum.

Digitized by Google

§. 25. יהוה ab הוה *esse*, dicitur: ac potest id Ipsius nomen considerari vel absolute, ut est in se *Is qui est* ab aeterno in aeternum: vel respective, uti populo suo, promissionem per opus ipsum implendo, innotescit ut *Is qui est*.

§. 26. Priore notione nomen יהוה celebratum est etiam patriarcharum temporibus: sed altera notione superinducta Mosis demum tempore Israëlitis se notum fecit Dominus, per ingens illud opus eductionis ex Aegypto.

§. 27. Tali modo significationem nominis sui יהוה admirabili methodo quasi contraxit, ut quemadmodum *Deus*, quamlibet omnium Deus, tamen non erat alius, neque alius dicebatur, neque alius dici volebat, atque *Deus Israëlis*, sic יהוה *Is qui est* non esset alius, atque *Is qui* Israëli *est*, sive qui Israëli se praestat et re exhibet. *Ero vobis*, revera dixit, sicut postea, *non ero vobis*. Hos. 1, 9. Non dissimili ratione, quotiescunque Deus insigne aliquod opus fecit, Ipsum nomenve ejus cognitum esse legimus. Ps. 76, 2. 83, 19. Es. 52, 6. Ez. 39, 7.

§. 28. Itaque Mosis tempore quasi ab integro se nominavit אהיה *Ero*. Non dicit *Ero qui eram, Ero qui sum;* sed אהיה אשר אהיה *Ero qui Ero*: ubi declaratio involvitur beneficii jam jamque praestandi. Id est, *Ero* Israëlitis is, *qui* eo ipso *Ero* patribus eorum, et quem me iis fore dixi, quemque me iis fore oportet, promissionem olim datam deinceps implendo. Itaque significatio futuri praevalebat in אהיה includens et recapitulationem revelationum et promissionum Dei, quae patribus obtigerant, et declarationem rei jam exhibendae per eductionem populi ex Aegypto.

§. 29. Nomen אהיה mox in nomen יהוה quasi excrescens eandem simul futuri significationem in nomen יהוה transmisit, ut in ipsa nominis forma futurum emineret, atque inde ad praesens cum praeterito progressus fieret.

§. 30. יהוה idem est syllabatim, quod ὁ ἐρχόμενος καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν. Ita conveniens erat sermo Veteri Testamento. Sed in Apocalypsi ordo per elegantiam non nisi superbis fastidiendam invertitur, et cap. 4, 8. dicitur ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ubi, ordine naturali temporum, quatuor animalia Dominum celebrant summatim, ut Ipse se exhibuit, et exhibet, et exhibiturus est. Hic autem, cap. 1, 4. 8. et Johannis stilo et ore suo Dominus dicitur ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, et ita novo, sed in ipsa natura divina fundato idiomate, τὸ ὤν, tanquam principale et radicale, primum ponitur, notabili praeludio et omine permutationis illius, qua deinceps et τὸ ἐρχόμενος et τὸ ἦν, ut §. 20. indicavimus, ad τὸ ὢν se recipiunt.

v. 9. ἐν τῇ θλίψει, *in tribulatione*) In tribulatione fidelibus maxime hic liber sapit.[1]) Asiatica ecclesia, praesertim a floridissimo Constantini tempore, minus magni aestimavit hunc librum. Vix vestigium reperias Apocalypseos a Constantinopolitanis doctoribus allegatae: ubi in Chrysostomi operibus citatur, hoc ipsum alieni tractatus indicium est. Africana ecclesia, cruci magis obnoxia, semper hunc librum plurimi fecit. — καὶ βασιλείᾳ καὶ ὑπομονῇ, *et regno et patientia*) Conjunguntur haec etiam 2 Tim. 2, 12. *Patientiae spes* (1 Thess. 1, 3.) uberrimum in Apocalypsi nutrimentum habet. Notabilis *ordo* verborum: *afflictio, et regnum, et patientia.* cum primo horum et tertio *simul* datur secundum. — ἐγενόμην ἐν τῇ νήσῳ) γενέσθαι ἐν ῥώμῃ est *pervenire Romam*, 2 Tim. 1, 17. Itaque Johannes hoc loco innuit, se *delatum esse in insulam Patmum*, et sub adventum suum haec, quae memorat, audisse et vidisse. Neque praeteritum hocce tempus nos impedit, quo minus Apocalypsin in Patmo scriptam existimemus. Nam veteres in scribendo tempora verborum accommodarunt ad tempus lectionis, non scriptionis. Act. 15, 27. *misimus*. Tenuis haec videtur observatio: sed magnis erroribus medetur. — τῇ καλουμένῃ, *quae vocatur*) Sunt, qui

1) *Conf. not.* Gnom. *ad phrasin* ἃ δεῖ γενέσθαι, *v.* 1. E. B.

Digitized by Google

hoc participium omittant: recte, ut videtur. [1]) Sive id legas, sive non legas, *Patmus*, quamlibet Asiae vicina, tamen non omnibus Asiae incolis nota fuit. Ideo Johannes memorat, *Patmon* esse *insulam*. At *Cyprus*, celebris insula, per se nominatur, Act. 13, 4., nec dicitur *insula Cyprus*, nedum, *insula, quae appellatur Cyprus*. — πάτμῳ, *Patmus*) Erat ibi, tempore Domitiani et Nervae. Opinionem de vita Johannis usque ad ultima Domitiani aut prima Trajani tempora, falsam quidem et ex confusione duorum Joannum exortam esse putat Artemonius in lib. de Init. evang. Joh. p. 350. Atqui Petrus sub Nerone defunctus est martyrio: et longe ultra Petrum mansit Johannes. Joh. 21, 22. Apocalypsin autem non diu ante obitum scripsit. Neque enim partem unam sub Claudio, aliam sub Domitiano aut Nerva scriptam dixeris, una quippe est *apocalypsis*, una prophetia, unus liber. Neque Epiphanius, qui eam sub Claudio, id est, ante Petri sub Nerone mortem, editam censet, unus veterum est Irenaeo caeterisque anteponendus. Titulus versionis Syriacae jam est recentior. Cur in Apocalypsi, dices, multo magis *hebraizat* Johannes, quam in Evangelio? nonne tum, quum Apocalypsin scriberet, Graecismo demum assueverat? nam Evangelium scripsit ante vastationem Hierosolymorum, Apocalypsin postea. Enimvero non ex assuetudine, sed *ex divino dictamine*, cujus infinita est εὐπορία, formam totus trahit Johannis stilus, sed magis propheticus.

v. 10. ἐγενόμην) Periodus trimembris: ἐγενόμην· ἐγενόμην· καὶ ἤκουσα. v. 9. 10. — ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ, *die dominico*) Et esse aliquem et dici *Dominicum diem*, vel ex hoc constat loco: diem autem Dominicum esse illum diem, qui dies Solis a gentibus dicebatur, qui primus est hebdomadis cujusque dies, qui Sabbato, septimo hebdomadis diei opponitur, universo antiquitatis christianae testimonio constat. Rationem appellationis rursus ex ipsa Scriptura N. T. discimus. Appellationem multi ex eo repetunt, quod illo die resurrexerit Dominus. Vera haec quidem, sed non praecipua, aut non unica ratio fuerit. Insignes sunt dies Nativitatis, Baptismi, Transformationis, Crucis, Resurrectionis, Ascensionis, Adventus gloriosi. Quis horum maxime dominicus dies est? Coena dominica est coena Domini: Dies dominicus est dies Domini nostri Jesu Christi; quo nomine stilus apostolicus denotat unum diem adventus, qui etiam absolute *dies* vel *dies ille* dicitur. Non abhorret sensus veterum Christianorum, de quo apud *Hieronymum* ad illud, *Media nocte*, Matth. 25. haec leguntur: *Dicamus aliquid, quod forsitan lectori utile sit. Traditio Judaeorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem aegyptii temporis, quando pascha celebratum est, et exterminator venit, et Dominus super tabernacula transiit: et sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt. Unde reor et traditionem apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum paschae ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, exspectantes* adventum *Christi; et postquam illud tempus transierit, securitate praesumpta, festum cunctis agentibus diem.* Ad diem quemque dominicum exspectabatur Dominus, quanquam exspectationis solennitas ante paschalem potissimum celebrabatur Dominicam. Monumentum creationis dies septimus: primus dies, monumentum consummationis. Ille, dies Jehovah: hic, dies dominicus. Certe quisquis animo suo praecipit, diem hebdomadis primum, dominicum ideo dici diem, quia eo die veniat Dominus, is demum perspicit, quam singulari convenientia obtigerit Johanni, ut Dominico die Dominum venientem et videret et describeret.

Putavi aliquando, visionem illam, quam Ezechiel a cap. 40. refert, fuisse die sabbati, eumque diem sabbati cum die dominico hic memorato posse conferri

---

1) *Hinc omittit etiam* Vers. germ., *quamvis optionem lectoribus reliquerit* margo utriusque Edit. E. B.

Digitized by Google

sed id ultro nunc omitto. Nam in anno quidem mundi 3374, in quo visionem illam ponit Calvisius, dies 1 Tisri fuit sabbatum: sed visio fuit tribus post annis die 10 Tisri, media hebdomade. Aliam indaginem dominicus aperit dies. Apocalypsin visam esse ΠΡΟΣ τῷ τέλει *in fine imperii Domitiani*, ejusdem prope aetatis scriptor affirmat Irenaeus: quem praeter alios *Newtonus* in Observ. ad Ap. p. 163. seqq. frustra oppugnat. Vid. *Exeg. Germ.* p. 174. Occisus est autem Domitianus anno 96 Dion. d. 18. sept. die Dominico: quumque visionis tempus per celeberrimum persecutoris interitum ita accurate notat Irenaeus, tutissimum fuerit ab ipso die quam minimum recedere. Quid si *dies* ille *dominicus* eo anno fuerit d. 3. april. id est, pascha: vel d. 19 junii, coll. *Ord. temp.* p. 389. [*Ed. II. p.* 334. *sq.*] vel ipse dies 18. septembris? Nil definio: Irenaei vestigia sequor. Certe Apocalypsis ante Domitiani exitum data aliam quoque praebet observationem. Verba ad populum *Ephesi* faciebat Apollonius Tyaneus, et in media oratione exclamabat, *Feri tyrannum*, iterumque, *Confidite, tyrannus occisus est.* Atque eo die, ea hora, Domitianus Romae est occisus. Sive conjurationem in Domitianum scierat Apollonius, sive aliunde, quid ageretur, persensit: Apocalypsis multo majus rerum futurarum indicium Ephesiis, ad reprimendos Apollonii asseclas, et ad vindicandam Jesu Christi gloriam, eodem tempore dedit. — ἤκουσα ὀπίσω μου, *audivi post me*) Johannes faciem habuerat versam ad orientem: similiterque Dominus, dum ei apparet, faciem ad orientem, Asiam versus, quo scribendum erat, direxit.

v. 11. λεγούσης) Saepe Johannes verba, quorum sententia cum remotioribus cohaeret, Hebraico more cum propioribus construit. Dicere volebat: φωνὴν λέγουσαν· pro eo dicit, σάλπιγγος λεγούσης. — ὃ βλέπεις) Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, καὶ, praemittunt nonnulli. Vid. App. crit. ad h. l. Ed. II. Saepe demum post apparitionis initium Is qui apparet, eloquitur, quis Ipse sit. Exod. 3, 6. In praesenti autem grandis illa summa, ὃ βλέπεις, *quod vides*, et ipsa adeo Johannis visio, per se titulorum omnium instar erat, dum versu 17. mox titulus sequebatur expressus. Atque ex hoc ipso fonte derivantur tot tituli in capite 2. et 3. In summa, intuitu versus 8. et 17., illata potius versui 11. haec verba videntur, quam pro superfluis habita. Non facile pro superfluo aliquid hodie habent complures docti viri, eademque mente plerique quondam librarii fuere. Codicibus tutius, quam rationibus talia loca deciduntur: atque in eo genere eximium pondus *Latinus* habet interpres, ubicunque eum propriis non laborare naevis, idonei, quamlibet pauci, testes Graeci confirmant. Utinam hoc omnes penitus infixum animo habere vellent: maximum ad plerasque dubitationes eximendas compendium foret. De antiquitate Latini interpretis egimus in Appar. p. 391. 419. etc. [*i. e. P. I.* §. XXXII. *Obs. VI.* XX. *Cons. VIII. etc.*] eamque confirmat egregia Latinorum patrum cum textu interpretis consensio. Carebat aetas illa multis additamentis, quae posteritas, ut alibi paulatim, sic hoc loco invexit. — εἰς βιβλίον, *in librum*) Huic *libro*, talem ortum habenti, nec non ceteris, ex quibus sacrae corpus Scripturae constat, quis est, qui tantum tribuat, quantum res ipsa postulat, posthabita multitudine aliorum librorum? Eccles. 12, 12.

v. 12. βλέπειν τὴν φωνὴν, *videre vocem*) *videre* eum, cujus erat *vox*. vel, Oratio semiduplex.

v. 13. ποδήρη) מגיל LXX ποδήρης, de vestitu Aaronis.

v. 14. ἡ κεφαλὴ καὶ αἱ τρίχες) ἓν διὰ δυοῖν· id est, capilli. Sic vidit Johannes.

v. 15. πεπυρωμένῳ) Sic *Uffenb.* pluresve, et versiones antiquae. Alii, πεπυρωμένοι. Epitheton est, non pedum, sed χαλκολιβάνου· [1]) ideo non repetitur c. 2, 18. Χαλκὸς, *aes*: λίβανος, *tus*. χαλκολίβανος, aeris species, turi similis.

---

1) *Huic observationi minus suffragatur* Ed. maj. *quam margo* Ed. 2. E. B.

Digitized by Google

Vide Bocharti Hierozoicon, in extremo, ubi *aes album* interpretatur copiosa disputatio. Conf. Dan. 10, 6., de *aere splendente*. Hesychius, ἄπαστα χαλκᾷ, λαμπρὰ ὅλη, κρῆτες.

v. 17. [1]) ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, *primus et postremus*) Gloriosissima appellatio. Hebr. ראשון ואחרון Es. 44, 6. 48, 12., ubi LXX reddunt, ἐγὼ πρῶτος καὶ ἐγὼ μετὰ ταῦτα, πλὴν ἐμοῦ οὐκ ἔστι θεός. et rursum, ἐγώ εἰμι πρῶτος, καὶ ἐγώ εἰμι εἰς τὸν αἰῶνα. Utroque loco vocabulum ἔσχατος videntur non satis dignum putasse, quod tamen revera Hebraeo egregie respondebat. Es. 41, 4. Ἐγὼ θεὸς πρῶτος, καὶ εἰς τὰ ἐπερχόμενα (את אחרונים) ἐγώ εἰμι. Loquitur Messias de sese, coll. c. 48, 16. Hinc id praeconium in Apocalypsi Dominus Jesus ad se applicat, et per verba subsequentia declarat. Spectetur Schema:

Ego sum primus, *et Postremus:*
et Vivens; *et fiebam mortuus, et*
ecce vivens sum etc.

Immediata constructio, *Primus et Postremus*, declarat, Vitam ejus, interventu mortis perbrevi, ita interpellatam esse, ut ne interpellata quidem existimari debeat. *Artemonius* in tr. de Initio Evang. Joh. *Primum et Ultimum* interpretatur *praestantissimum et abjectissimum.* p. 248. sed si haec sententia esset, ordo rerum postularet inverti, et dici, *Ultimus et Primus.* Plane titulus divinae gloriae est, *primus et ultimus,* apud Esajam, apud quem frustra Artemonius eundem titulum ita conatur flectere, ut denotet *Principium et Finem.* p. 249. seqq.

v. 18. ἐγενόμην νεκρὸς, *fiebam mortuus*) Dici poterat, ἀπέθανον, *mortuus fui:* sed hoc loco elegantia singulari dicitur, *fiebam mortuus*, ad denotandam temporum et in iis rerum differentiam. — αἰώνων) Et formula εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, et vocula ἀμὴν, perfrequens est in Doxologiis. ideo librarii, quamquam hic non est Doxologia, tamen post formulam illam etiam voculam hanc prono calamo perscripserunt, ut in Apparatu notavi. [*Vid. Ed. II. ad h. l.*, ubi *memorabilis de nimio* Editionum *aestimio cautela habetur.*]

CAPUT II.

v. 1. Τῷ ἀγγέλῳ, *angelo*) Gravissima 7 harum epistolarum causa est. Populus legem in Sinai suscepturus, prius sanctificabatur: idem opera Johannis Baptistae, quum immineret regnum Dei, per poenitentiam praeparabatur: nunc ecclesia christiana ad tantam Revelationem digne suscipiendam (perinde ut antea scriptor ipse, per deportationem et per consternationem,) his instruitur epistolis. Id enim agitur, ut malos, prius admonitos, et mala ex medio sui exterminans, ipsa cum sua posteritate ad hoc pretiosissimum depositum, hanc tanti momenti revelationem, quam ipsi coelites tam profundis adorationibus prosequuntur, recte amplectendam asservandamque, ad eventus maximos spectandos, et fructus uberrimos percipiendos plagasque effugiendas praeparetur, inspersis in ipsas epistolas revelationis reliquae stricturis fulgidissimis, ad attentionem excitandam et viam intelligentiae muniendam aptissimis: ecclesiaeque per poenitentiam renovatio, ut par est, conspectui iridis praemittitur. c. 4, 3. Quisquis igitur idoneus esse vult auditor apocalypseos, monita harum 7 epistolarum debet observare [2]): tum enim ex specimine, quod illae praebent, discet, quomodo

---

1) ὡς νεκρὸς, *ut mortuus*] Largam spiritualium donorum collationem ingens naturae contritio solet praecedere. *V. g.*

2) *Memini ego sub* extremas *peregrinationis suae horas* (*ante hos* 20 *et quod excurrit annos*) *Epistolarum apocalypticarum lectitationem et scrutinium impense Suis commendare b. Parentem; addita ratione:* es ist nicht leicht etwas, das einen so durchdringen und durchläutern könnte. E. B.

Digitized by Google

apocalypsis in omnes homines aetatesque applicanda sit. Nonnulli septem epistolas capite 2. et 3. comprehensas ad septem periodos ecclesiae referre sunt conati, historico earum sensu vel servato, vel, quod deterius erat, remoto. Cel. D. *Langius*, servato historico sensu, propheticum a tempore Johannis usque ad meretricis et bestiae cladem extendit, in Comm. apoc. f. 34. seq. Sed humanae solertiae esse septem epistolarum ad septem periodos accommodationem, ostendimus. Vid. *Erkl. Offenb.* pag. 285 – 295. Epistolae tum plane ad septem ecclesias in Asia, et earum maxime angelos, spectabant: et sive tum, quum mittebatur e Patmo liber in Asiam, aliae ecclesiae his 7 fuere comparandae, sive minus, consideratur hic subordinatio harum ecclesiarum sub *Johanne:* inde vero omnes auditores, omnium locorum et temporum, boni, mali, varii, ad sese referre debent, quae ad ipsos pari modo pertinent. Quodvis alloquium *ad* angelum ecclesiae concludit promissio, quae *vincenti* datur. — τῇς) Cod. *Alex.* τῷ· neque id per incuriam. Ter enim habet, τῷ ἐν ἐφέσῳ ἐκκλησίας· τῷ ἐν περγάμῳ ἐκκλησίας· (Latine diceres, *angelo ecclesiastico, qui est Ephesi, Pergami*:) et, τῷ ἐν θυατίροις. Hi ipsi tres angeli sunt, qui partim laudantur, partim reprehenduntur: et sermo magis directe eos tres petit in epistolis, quam binos reliquos, qui sine exceptione vel laudantur vel vituperantur. — ἐν ἐφέσῳ, *Ephesi*) In ea urbe et floruit diu Timotheus, et obiit paulo post Apocalypsin datam. *Polycrates*, Ephesi episcopus, martyrium descripsit Timothei: quod quidem scriptum, ut alia permulta, citeriorum Graecorum sedulitas interpolavit, sic tamen, ut res praecipuae manerent, easque ab interpolamento simpliciora defenderent exemplaria. Is igitur Polycrates apud Usser. de anno solari f. 96. Catagogia infidelium Ephesi fuisse ait d. 22. januarii, et tertio post die Timotheum ab illis interfectum, Nerva imperatore. Diem 22 et 24 januarii imperator non vidit Nerva, nisi A. XCVII solus, et A. XCVIII cum Trajano, mox d. 27 jan. mortuus. Itaque apocalypsis Ephesum quoque missa fuerat, perbrevi utique ante necem Timothei: neque tamen hunc apocalyptico putarim alloquio peti. Evangelista erat Timotheus, non ecclesiae unius angelus: idemque, si extremo suo tempore *a primo amore delapsus* esse potuit, certe non minus de morte tam propinqua, ut credibile est, quam Smyrnensis ecclesiae angelus, admoneretur.

v. 2. οἶδα τὰ ἔργα σου, *scio opera tua*) Hoc οἶδα *scio* septies occurrit:

scio tua opera, c. 3, 1. 8. 15.	*scio, ubi habites*, c. 2, 13.
scio tuam pressuram, c. 2, 9.	*scio tuum amorem*, c. 2, 19.

— καὶ ὅτι) Καὶ omissum a quibusdam olim: sed retinendum est. [1]) Sunt enim diversae [*utut conjunctae in hoc Viro*, V. g.] virtutes, *tolerantia* et *severitas contra malos*. — ἐπείρασας) Ἐπειράσω, *Erasmus*, sine ullo codice: ἐπείρασας, cod. *omnes*. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Medium πειράομαι non nisi cum infinitivo, idque raro, occurrit, ut ἐπειρᾶτο κολλᾶσθαι, Act. 9, 26. πειρῶμαί σε, cum accusativo, nunquam dicitur: πειράζω, in omnes partes usitatum est. [*Praeclarum in hoc Antistite judicii acumen fuerit.* V. g.] — ἀποστόλους, *apostolos*) Repelluntur hoc loco falsi apostoli: falsi Judaei, v. 9., Ethnicismo dediti, v. 13. s.

v. 3. οὐ κεκοπίακας) Sic *Alex.* habet. Ceteri item, magno consensu, οὐκ ἐκοπίασας· tantummodo Σ pro K, ex rhythmo ἐβάστασας. Vid. App. Ed. II. ad h. l. κοπιᾶν, pro κάμνειν, Matth. 11, 28. 1 Cor. 4, 12., nec non Joh. 4, 6. Unde apud LXX verbis יגע maximeque עיף חלה חשל כשל לאה respondet. Hesychius, κεκμηκὼς, κεκοπιακώς. Antanaclasis, a Wolfio laudata, haec est: *novi* laborem *tuum*, *nec tamen* laboras, *id est*, labore *non frangeris*.

---

1) *Omissionem praetulerat margo* Ed. maj., *sed* Gnomoni *et* Ed. 2. *congruit*, *et* Vers. germ. E. B.

Digitized by Google

v. 5. [1]) εἰ δὲ μή) Hoc dicitur absolute, sine verbo, v. 16., ἐὰν μή, cum verbo, mox, et v. 22. C. 3, 3. 20. — ἔρχομαί σοι καὶ κινήσω) Adventus Domini futurus erat *uno* tempore; et adventus *denunciatio* facta est primum Ephesi, etc. postremo Laodiceae. [*Crescit in his denunciationibus propinquitas.* v. 16. 25. c. 3, 3. 11, 20. Not. crit.] Tanta constantia verbum ἔρχομαι in praesenti ponitur, ut etiam subsequente futuro maneat. ἔρχομαι καὶ κινήσω· ἔρχομαι καὶ πολεμήσω, v. 16. Vide etiam Joh. 14, 3. Multum praestare debet angelus, propter arctam necessitudinem cum ecclesia sua.

v. 7. οὖς) Singularis eo magis notandus, quia pluralis usitatior. πίστις, ὦτα ψυχῆς ait Clemens Al. Strom. V init. quanquam in Hebraeo frequens est auris. — ταῖς ἐκκλησίαις) Casus sextus, uti c. 22, 16. Pari modo dicitur, ταῖς προσευχαῖς, c. 8, 3. 4. Conferantur, quae in Notis ad Marc. 5, 2. collegit Heupelius. — τῷ νικῶντι) Septem promissiones variam habent constructionem.

I. τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ κτλ.	V. ὁ νικῶν, οὗτος περιβαλεῖται κτλ.
II. ὁ νικῶν οὐ μὴ ἀδικηθῇ κτλ.	VI. ὁ νικῶν, ποιήσω αὐτὸν κτλ.
III. τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ κτλ.	VII. ὁ νικῶν, δώσω αὐτῷ κτλ.
IV. καὶ ὁ νικῶν, — δώσω αὐτῷ κτλ.	

In quatuor citerioribus, ὁ νικῶν, ut si distinctivum accentum Hebraicum haberet, majore emphasi notatur: in *tribus* prioribus τῷ νικῶντι (cui aequipollet in secunda ὁ νικῶν, absque οὗτος,) arctior est conjunctio cum subsequenti verbo. — ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐστιν ἐν τῷ παραδείσῳ τοῦ θεοῦ μου) LXX Gen. 2, 9. τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου· ubi coll. Gen. 3, 3. τὸ ἐν μέσῳ magna cum proprietate dicitur, quod reliquae arbores forent in horto, sed non in medio horti. Hoc loco simpliciter *in paradiso Dei* dicitur esse, juxta codices potiores, lignum vitae: neque aliud lignum, nisi lignum vitae memoratur. *In medio* quidem plateae Jerusalem est lignum vitae. c. 22, 2. Ex eo loco, vel ex Genesi, nonnulli hic scripsere, ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου.

[2]) v. 10. βαλεῖν, *conjicere*) *quendam*, subaudi, vel *quosdam* potius.

v. 11. τοῦ θανάτου τοῦ δευτέρου) Hanc phrasin מותא תנינא habet Paraphrasis Chaldaica, Deut. 33, 6. Es. 22, 14. [*Conf. Apoc.* 20, 6. V. g.]

v. 13. πίστιν) Huc mox respondet conjugatum πιστός. — ἐν ταῖς ἡμέραις) Vid. App. ad h. l. — αἷς ἀντίπας) scil. οὐκ ἠρνήσατο. Antipam sub Domitiano occisum ajunt Menologia; Martyrologia, eum in taurum aeneum ardentem fuisse conjectum.

v. 14. τῷ βαλὰκ) Sic habet cod. *Alex.* et quidem, ut in Apparatu monui, in prima editione Millii. Vid. App. Ed. II. — *Ipsi passim Millio a philologis cismarinis adscribuntur, quae Kusteriana demum editio deteriora vel etiam meliora fecit. Magno equidem labore, ex prima editione Millii, errata secundae, in Apocalypsi praesertim, correxi: quare ubi a secunda Apparatus meus differt, non temere id accidisse, etiam atque etiam confirmo.* — Omnino in hac phrasi, *docuit* τῷ *Balak*, obtinet Dativus commodi, quem non diffitetur Wolfius p. 463. neque usquam is casus magis est obvius, quam in historia de Balaamo: κατάρασαί μοι τὸν λαὸν τοῦτον κτλ. Num. 22. et 23. Josephus l. 4. Ant. c. 6. §. 6. Balaamum sic loqui facit: Βάλακε καὶ τῶν μαδιανιτῶν οἱ παρόντες· χρὴ γάρ με καὶ παρὰ βούλησιν τοῦ θεοῦ χαρίσασθαι ΥΜΙΝ κτλ. Eadem igitur mente Apocalypsis habet, ἐδίδασκεν τῷ βαλάκ. Neque enim Balakum docuit Balaamus, sed populum Balaki, Balaki causa, a quo Balaamus conductus fuerat. Vid. Num. 24, 14. 25, 1. s. 31, 8. 16.

---

1) μνημόνευε, *memento*] Plurimum juvat ejusmodi reminiscentia. c. 3, 3. *V. g.*

2) τὴν θλῖψιν] Alii, τὰ ἔργα καὶ τὴν θλῖψιν. Elegantem multorum locorum diversitatem recentiores ex parallelismo obliteraverunt. vide mox v. 13. *Not. crit.*

Digitized by Google

v. 15. 16. ὁμοίως μετανόησον οὖν) *Similiter resipiscere* jubetur Pergamensis, ut Ephesius. Respondet καὶ *etiam*. v. 15. Lectionem ὁμοίως, pro qua alii ὃ μισῶ ex v. 6. rescripsere, defendunt testes fere [1]) omnes. Manet tamen οὖν, *igitur*, magna emphasi, coll. v. 5. cap. 3, 3. 19.

v. 16. ἔρχομαί σοι καὶ πολεμήσω μετ' αὐτῶν) Ταχὺ, post σοὶ, inseruere plerique, ex parallelis. Sed *cito* non habuit *Italica* versio Johannis manui proxima. Ad scriptores eam secutos accedit *Ansbertus* satis constanter, et *Beda*, et *Ambrosius*, etiam in Psalm. 118. Serm. 19. neque *cito* habet *Apringius* in paraphrasi hujus loci. Operae pretium fuerit, Latinos codd. Apocalypticos mss. hoc loco evolvisse. Interdum lectio plenior, genuina est; plerumque vero, brevior. Utrumvis quo casu obtineat, dicemus. Plenior, potior interdum. nam I. in homoeoteleuto vel iisdem verbis syllabisve recurrentibus librarii facile intermedium textum transiliverunt, ex vetustioribus testibus restituendum. II. Conjunctiones, in aliis linguis minus frequentes, quam in Graeca, saepe omissae sunt in versionibus, quas hac in parte cupide sequi nil attinet. III. Subinde Graeci a publica lectione, cui plerique codices accommodabantur, aliquid removerunt: ac tum plenior lectio, vetustissimis aliis documentis, *Latino* praesertim interprete nixa, retineri debet. Exempla passim occurrunt. A tribus hisce causis si discesserimus, character germanae lectionis tantum non perpetuus est *brevitas*. Nam quum in duo genera dirimantur codices Graeci, et secuti eos metaphrastae ac patres, videlicet in Asiaticos et Africanos, ut in Apparatu copiose explanavi, raro utrosque simul, sed tamen alibi ex his, alibi ex illis multos reperias brevia loca per declarationes aliquas supplere conatos. Inde plenior lectio, quae nunc a plerisque nimis religiose defenditur, fere semper fucata; brevior autem genuina est. Talibus in locis testes quamlibet pauci, modo idoneam habeant antiquitatem, valere debent: qua in parte *Latini* rursum eminent, ut paullo ante ad c. 1, 11. notavimus. Sane praestat, ubi de talibus micis agitur, genuinum aliquid in tanta panis abundantia praeterire, quam heterogeneum quidquam et ab humano sensu adspersum arripere. Id certe ubivis praeferendum est, quod rationes ei loco, qui sub manu est, propriae postulant. *Hic nemo quidem criticus alios ad assensum potest cogere: sed ipsum vicissim alii nullo jure retinere possunt.* Revertimur ad particulam *cito*. Multipliciter denunciat Dominus adventum suum in Apocalypsi, maxime a cap. 2, 5. ad c. 3, 20., ita quidem, ut adventum gradatim propiorem faciat. Particula *cito* adhibetur demum c. 3, 11. itaque in praesenti, c. 2, 16., nondum locum habet.

v. 17. ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον) Scribebant veteres multa in *lapillis* (vid. Not. ad Gregorii Neocaes. Paneg. pag. 139.) praesertim suffragia. *Calculum album* fuisse tesseram σιτήσεως docet Sam. Petitus var. lect. c. 8. idque ille huc confert. Sed hoc *loco calculus candidus* et *nomen novum* per se praemium est, ideoque post manna absconditum ponitur.

v. 18. τῆς ἐν θυατείροις ἐκκλησίας) τῷ ἐν θυατίροις cod. *Alex.* nec non *Tertullianus*, non addito ἐκκλησίας vocabulo. Ubi conjunctim angeli memorantur septem ecclesiarum, c. 1, 20., non excipitur nomen *ecclesiae* Thyatirensis. Nunc ubi series ad *angelum in Thyatiris* seorsum pervenit, praetermissum *ecclesiae* vocabulum, (etenim *ecclesiam* tum ibi fuisse, olim negavere nonnulli,) paucitati certe Christianorum in oppido illo congruit. Separatim ad eos sermo fit versu 24. Apud Hebraeos decem minimum requirebantur homines ad coetum sacrum: rursum Neocaesareae quum essent 17. Christiani, episcopus iis datus est Grego-

1) *Praefertur igitur haec lectio* (ὁμοίως) *in marg.* Ed. 2. *et* Vers. germ., *secus ac in* Ed. maj. *factum*. E. B.

Digitized by Google

rius. Thyatiris ergo parvulus grex et ignotus esse potuit, qui *ecclesiae* nomen vix sustineret, et tamen angelum haberet. Hic S. Carpus fuisse fertur.

v. 19. τὰ ἔσχατα πλείονα τῶν πρώτων) Similis locutio, τὸ ἔσχατον ὑπὲρ τὸ πρῶτον, Ruth. 3, 10. Contra, τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων, Matth. 12, 45.

v. 20. ἔχω κατὰ σοῦ) Non modo aliquot codices, sed multo plurimi testes, hanc lectionem exhibent, quam ceteri, πολλὰ, vel πολὺ, de suo, vel ὀλίγα, ex v. 14. supplentes, hoc ipso suo in extrema discessu comprobant. Talibus in locis brevior lectio tantum non semper genuina est. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Versu 19. πλείονα comparativus ultima opera primis praefert, non ad ὀλίγα opponitur. Nec multa, nec pauca, sed unum illud, quod exprimitur, Dominus contra angelum Thyatiris habebat, uti contra angelum ecclesiae Ephesi, c. 2, 4., ubi Andreas ἓν *unum* reprehendi scribit. quare his duobus leniora denunciantur, quam angelo ecclesiae Pergami, contra quem Dominus *pauca* habebat. — ὅτι ἀφεῖς τὴν γυναῖκα ἰεζάβελ, ἡ λέγουσα ἑαυτὴν προφῆτιν, καὶ διδάσκει καὶ πλανᾷ τοὺς ἐμοὺς δούλους) Negat se *intelligere* Wolfius, *quomodo* ἀφεῖς *Graece dici possit*. Atqui ἀφεῖς legitur Exodi 32, 32., in edd. probatissimis; ἀφεῖς Ex. 32. citat Chrys. hom. 3. ad Pox. Ant. in notis Ducaei. et in Apocalypsi consensu nititur mss. omnium, si a silentio unius alteriusque segnius collati discesseris. Conf. Marck. in Ap. II. §. 46. 53. Ex ἔω (Jon ἔημι, communiter ἵημι,) formatur ἀφέω, ἀφέεις, ἀφέει, etiamsi solum ἀφεῖς, idque contractum, in usu sit. Utut est, nil prohibuit, quin Johannes ipse aeque ἀφεῖς scriberet, ac librarii Graeci, significatu dubitationis experte. *Arethas*, qui ἀφίης surrogat, alibi quoque Johanneis meliora Graeca, ut ipsi videbantur, fecit. vid. infra, ad c. 16, 13. Eadem causa est, quod ad codices attinet, verborum subsequentium, καὶ διδάσκει καὶ πλανᾷ, quorum item sensus est obvius. nam primo verbum ἀφίημι etiam absolute ponitur, Matth. 3, 15. deinde hoc loco subjicitur determinatio: *sinis mulierem* istam, scil. docere, *et* revera *docet* etc. Sic c. 11, 3., dabo *duobus testibus meis* ut prophetent, *et prophetabunt*. Conf. etiam c. 13, 16. Vid. App. crit. Ed. II. ἡ λέγουσα, pro τὴν λέγουσαν, alias expeditum dedimus. — τὴν γυναῖκα) Multi pridem, τὴν γυναῖκά σου. Certe *maritum* habebat, habebat enim *moechos*. v. 22. Illud σοῦ videtur esse glossa, sed cum re ipsa conveniens. Eleganter autem dicitur, *mulierem*, pro, *mulierem tuam;* vel quia talis ellipsis frequens est: Act. 7, 20. vel quia hic agitur de adultera; coll. Joh. 4, 18. Act. 24, 24. et, *mulierem Jezabel*, quum ipsum *Jezabelis* nomen mulierem indicaret. namque partes *docendi*, contra ac *mulierem* decet, usurpabat.

v. 22. βαλῶ) Sic *Hunt. Aeth. Arab. Lat.* multi, qui *mittam*, et *Tertullianus*, qui *dabo* habet. βάλλω, ceteri. Etenim λλ pro λ saepe in hoc verbo ponunt librarii, et ἰδοὺ plerumque cum praesenti construitur: interdum tamen etiam cum futuro. Luc. 1, 20. 31. 48. Et huic loco futurum congruit, quia conditio, *si non resipiscent*, intervallum dat temporis: et cum βαλῶ cohaeret ἀποκτενῶ· denique in omnibus his denunciationibus futurum praevalet, c. 2, 5. κινήσω· v. 16. πολεμήσω· v. 24. βαλῶ, ubi item multi βάλλω· c. 3, 4. περιπατήσουσι· v. 9. ποιήσω, cum ἰδού· v. 20. εἰσελεύσομαι κτλ.

v. 23. ἀποκτενῶ ἐν θανάτῳ) Ez. 33, 27. בדבר ימותו LXX, θανάτῳ ἀποκτενῶ.

[1]) v. 24. ὅσοι οὐκ ἔχουσι — οὐκ ἔγνωσαν) Tertia persona pro secunda. Vid. Vorst. de Hebraism. c. 26. — οὐκ ἔγνωσαν) Non erant *Gnostici*. — τὰ βάθεα) Dan. 2, 22. in bonam partem dicitur, αὐτὸς ἀποκαλύπτει βαθέα καὶ ἀπόκρυφα.

v. 25. πλὴν) Amos 3, 2. רק LXX πλήν. — ἄχρις οὗ ἂν ἥξω) Ἥκω, derivatum a praeterito verbi ἵημι, jam in praesenti praeteritum involvit. Itaque fu-

---

1) ὁ ἐρευνῶν — — — δώσω, *scrutans — dabo*] Utrumque conjunctim habetur Prov. 24, 12. Jer. 17, 10. *V. g.*

Digitized by Google

turum, ἥξω, *adero*, c. 3, 3. propius est, quam ipsum praesens ἔρχομαι per se. Sic, ἥκω, ἥκει, ἥκουσι. Joh. 8, 42. 2, 4. 4, 47. 1 Joh. 5, 20. Luc. 15, 27. Marc. 8, 3. not. Unde Hebr. 10, 7. 9. ἥκω, pro praeterito באתי Ps. 40, 8.: et sic LXX passim: Num. 23, 1. (vel c. 22, 36.) Deut. 33, 2. Jos. 23, 14. s. Jud. 16, 2. 1 Sam. 16, 2. 29, 6. 10. 2 Sam. 3, 23. Insigne exemplum Eccl. 5, 14., ἐπιστρέψει, ὡς ἥκει.

v. 26. ὁ νικῶν — δώσω αὐτῷ) Quae Graece minus sonare putes, Hebraice cogitata, bene sonabunt. Talia vide c. 6, 8. 7, 2. 9, 12. (ubi femininum pro neutro:) 14. 20, 8. Simillima constructio, Κύριος, ἐν οὐρανῷ ὁ θρόνος αὐτοῦ. Ps. 11, 4. et sic Ps. 57, 5. (4.) 103, 15. — ἐπὶ τῶν ἐθνῶν) Ps. 2, 8. 9., αἴτησαι παρ' ἐμοῦ, καὶ δώσω σοὶ ἔθνη τὴν κληρονομίαν σου, καὶ τὴν κατάσχεσίν σου τὰ πέρατα τῆς γῆς. ποιμανεῖς αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, ὡς σκεύη κεραμέως συντρίψεις αὐτούς.

v. 27. ποιμανεῖ) In Hebraeo est תרועם *confringes eos*, Ps. 2, 9. a רעע *confregit*, subsequente verbo cognatae significationis תנפצם *dissipabis eos*, συντρίψεις αὐτούς. LXX, ut si priore loco legissent, תרעם a רעה *pavit*, reddidere ποιμανεῖς. Id verbum Apocalypsis, valde aptum, non imitatione LXX interpretum, sed sua adhibet auctoritate. Atque aliis ea locis, ad veterem prophetiam alludens, Hebraici textus proprietatem decentissime servat. c. 6, 16. 7, 17. 11, 4. [1])

CAPUT III.

[2]) v. 2. Ἔμελλον) Sic *Al. And. Pet.* 3. ἔμελλεν *Cor. Areth.* nec non *Uff.* μέλλει *Er.* ex Andreae comm. ἔμελλες *Leicestrensis* et (ἀποθανεῖν idcirco in ἀποβάλλειν mutato,) octo alii, nec non *Comp. Arab.* Non displicebat quondam mihi haec incisi lectio, ἃ ἔμελλες ἀποθανεῖν, hoc sensu: *confirma reliquas partes, quas, nisi admonitus hic esses, morte spirituali amissurus eras.* Simillima Philonis locutio, τὸν τῆς ἀρετῆς βίον θνήσκειν· item, τὰς ψυχὰς τεθνᾶσι. Heraclitique apud Philonem, τεθνήκαμεν τὸν ἐκείνων βίον. Sed ea ipsa locutio magis philosophica videtur, quam prophetica. Simplex et germana sententia fuerit, quam *Latinus* refert, *quae moritura erant.* atque ita *Armen. Copt. Syr.*

v. 3. πῶς· ποίαν) Respectus *qualitatis* pristinae Sardensem munire debet, ut hora futura, *quaecunque* erit, ipsi non sit calamitosa.

v. 7. κλεῖν) Hinc pluralis κλεῖς, c. 1, 18. — καὶ κλείει) Articulus ὃς continetur in ὁ ἀνοίγων, et inde subaudiendus est.

v. 9. τῶν λεγόντων) Hoc pendet a subaudito τινάς. — ποιήσω αὐτοὺς, ἵνα) Eadem constructio, c. 13, 12. 16.

v. 10. [3]) τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς) Sic saepe LXX, quum in Hebraeo ישבי הארץ extat, Es. 26, 21. etc. At de coelicolis dicitur, σκηνοῦν. c. 12, 12.

v. 12. [4]) ναῷ) Recens sphalma habet, λαῷ. Vid. Appar. ad h. l. Ed. II.

---

1) παρὰ τοῦ πατρός μου, *a Patre meo*] Jesus, quum in terra degeret, saepiuscule dixit, *Pater meus in coelis:* jam vero, *Pater meus*, simpliciter; Ipse videlicet *in coelis*, apud Patrem, constitutus. *V. g.*

2) v. 1. ὄνομα, *nomen*] Hoc rem non conficit. c. 2, 2. *V. g.*

3) σὲ, *te*] Gratiosissima exceptio, in tanta tentatione! *V. g.*

4) *De* columna *tacet quidem Bengelius et* h. l. *et in der* Erkl. Offenb. (*ut* S. R. Ernesti *monet*, *Bibl. th.* noviss. *T. I. p.* 708.): *at, non dissimulandum puto, quod illustrare locutionem studuerit* in den LX Reden, *p.* 155. *sq. his verbis usus:* Der Tempel Gottes ist das Heiligthum Gottes. In demselben eine Säule abgeben, ist eine sehr grosse Ehre. — — Sie gehöret ganz in jene Welt, und da ist es eine immerwährende Ehre, denn er wird nicht mehr hinauskommen. So lang der Tempel selber steht, wird auch der Pfeiler darinn stehen. Wann einer in der Welt schon etwa viel zu bedeuten hat, ist ein General oder Gesandter, oder Staats-Minister, auf welchem ein Königreich, als auf einer Säule, ruhet; so kann er über eine Weile gestürzet und weggethan werden, dass man kaum weiss, wo er hingekommen ist. Aber ein Pfeiler in Gottes Tempel kommt nimmer hinaus. (*Conf.* Apoc. 22, 5. fin. *Vid. etiam* Gal. 2, 9.) E. B.

Digitized by Google

[1]) v. 16. μέλλω σὲ ἐμέσαι) mitior est oratio, quam si esset ἐμέσω σέ. μέλλω ex oratione categorica facit modalem. [*Innuit abnegationem coram Patre sub ista hypothesi futuram.* Ps. 16, 4. V. g.]

v. 17. ὅτι λέγεις) Hoc ὅτι non nectitur cum antecedentibus, quibus suum ὅτι insertum est, ὅτι γλιαρὸς εἶ· sed cum subsequentibus, ut res ipsa loquitur. Sic c. 18, 7. seq. ὅτι — διὰ τοῦτο. — πλούσιος) Pauci, ὅτι πλούσιος. Talis usus particulae ὅτι, ad recitandum cujuspiam sermonem, frequens est, sed non in Apocalypsi. Vid. cap. 5, 12. 18, 7. etc. — πεπλούτηκα) *Divitiis meis usus sum, et auro meo paravi mihi multa*, v. gr. *vestimenta*. Sic LXX, πεπλούτηκα, Hos. 12, 9.

v. 18. συμβουλεύω, *consilium do*) Atqui si Superior suam potestatem tantisper seponit, id ipsum animi potest esse alienioris, ut si servus a Domino increpatur et Dominus dicit, *suasor tibi sum, ut caveas tibi.* Etiam *amicis* consilia damus, sed non dum increpamus. — ἡ αἰσχύνη) Hebr. ערות LXX interdum, αἰσχύνη. — κολλούριον) scil. ἀγοράσαι, *emere*, ad ungendum. [*Hoc postremum est. Divitiae cum vestitu praecedunt.* V. g.] De *collyriis* multa Celsus.

v. 19. φιλῶ) Philadelphiensem ἠγάπησε. Laodicensem φιλεῖ. Illud, judicio: hoc, gratia. Conf. Joh. 21, 15. not. Utroque loco ἀγαπᾷν est plus quam φιλεῖν. Joh. l. c. pluris est necessitudo spiritualis, quam Petri judicium. Hic, in Apoc., beatius est judicio Domini florere, quam gratia mera castigari. — ζήλωσον) Et ζεστὸς, v. 15. 16., et ζῆλος, est ex ζέω.

v. 20. ἰδοὺ —, *ecce* —) Hoc ipso *propinquitatis* incremento nititur tota fere observatio de ordine retrogrado, de quo vide *Erkl. Off.*

CAPUT IV.

v. 1. Μετὰ ταῦτα, *posthaec*) Magnum hoc loco bivium est interpretationum. Incidit enim quaestio, Utrum *sigillorum* eventus coeperit sub libri *scriptionem*, an is totus adhuc *futurus* sit? Hoc affirmat, praeter alios, cel. D. Langius: illud vel particula *posthaec*, iterata hoc versu, firmissime docet. Prius *posthaec* connectit visionem; alterum, connectit eventum. *Posthaec*, id est, post ea, *quae SUNT*, quae ad septem ecclesias eorumque angelos attinent, *fieri oportet*, quae jam ostendet Dominus. Praeteritum et praesens et futurum, cap. 1. vers. 19. (ex quo versu illud *posthaec* repetitur hoc loco) *totum* librum insequentem complectuntur: et quemadmodum praeteritum et praesens adeo sunt conjuncta, ut praesens versu 11., *quod vides*, transeat in praeteritum, *quae vidisti*, v. 20.; et rursus praeteritum, *quae vidisti*, transeat in praesens, *sunt, sunt:* ibid. sic praesens et futurum, immediate, sine ullo hiatu, cohaerent, connexioque praeteriti et praesentis tantummodo connexioni praesentis futurique inservit. Non modo nullum dilationis ab aetate Johannis in ultima tempora vestigium est, sed etiam mora aperte excluditur. Futura, quorum *celeritas* c. 1, 1. 22, 6. evidenter declaratur, per *posthaec* praesentibus arcte annectuntur.

Particulam *posthaec* ita interpretatur D. Langius, ut, *post* elapsas, ex sensu prophetico septem epistolarum, totidem periodos ecclesiae, impleantur *sigilla* etc. Comm. apoc. f. 62., 73. Resp. I. *Talem* propheticum septem epistolarum sensum refutavimus ad c. 2, 1. II. Stante historicâ epistolarum sensu, particula *posthaec* intra eventus ecclesiarum in Asia terminatur: idque ita esset, etiamsi eae propheticum sibi sensum haberent affixum. III. Periodi si essent, non abrumperentur intereunte meretrice et bestia, ut D. Langio videtur, sed potius ultra millennium et parvum tempus soluti Satanae ad finem mundi cum ipsa ecclesia viatrice, cujus idem mutationem nimis magnam in millennio statuit, (vid. infra, ad cap. 19, 11. 21, 2.) pertingerent, adeoque ultra sigilla et tubas et phia-

---

1) v. 14. ἡ ἀρχὴ, *Principium*] Prov. 8, 22. Col. 1, 18. *V. g.*

Digitized by Google

las excurrerent. Argumentum apocalypseos *PRAECIPUUM* ait esse mysterium *ultimorum* temporum, cap. 10, 7. 11, 15. seqq. Vid. *Comm. apoc.* fol. 5. *Hermen. Einl.* p. 27. *Facile fit, ut veritatis alicujus cum gaudio susceptae declaratio nimis avide, et longe ultra proprios limites, proferatur.* Sic vir cel. millennium pro semihora silenti in sigillo septimo amplectitur, sigillis prioribus valde coarctatis, et tubis omnibus ad id accommodatis: tum opinionem de mysterio ultimorum temporum, tanquam *praecipuo* apocalypseos argumento, mox, quasi *demonstratam,* assumit et constanter supponit. fol. 9. et 11. init. Hic cardo est systematis apocalyptici a celeberrimo Exegeta adornati. Sed tali pacto nimium extenditur *PRAECIPUUM* istud. Est illud apocalypseos argumentum inde quidem a citatis locis, (quatenus id ibi *proponitur,*) ad finem usque libri: sed argumentum capitum praecedentium ipsa textûs verba multo latius extendunt, quam illi videtur. Nulla in iis bestia, nulla meretrix: post caput 10. demum in scenam prodeunt, idque ex intervallo. Quare initium judiciorum in hostes antichristianos ab ipsis v. gr. sigillis duci non debet. Plura vide ad cap. 6, 2. 11, 15.

Capita Apocalypseos ibidem f. 7. ita partitur, ut omnia fere in futurum differantur. Nos ita partimur:

CAP. 1. 2. 3. habent Praeparationem:
4. 5. Propositionem,
6—9. sunt impleta, ut sine violentia ostenditur.
CAP. 10—14. sunt in cursu, jamdudum, ut idoneis evictum est argumentis.
15—19. exhibent Futura brevi.
20—22. spectant ulteriora.

Et illius et meam tractationem ad leges DEMONSTRATIONIS quam severissime exigat, quisquis potest.

v. 2. ἐν τῷ οὐρανῷ, *in coelo*) Sic describitur coelestis curia. Quae de rebus coelestibus, templo, throno, synedrio, altari, arca foederis, Apocalypsis passim attingit, ea ex veterum Hebraeorum scriptis non inepte illustrari possunt. vid. Christiani Schoettgenii Dissertatio V. Horis hebraicis adjecta, p. 1212—1223.

v. 3. ἰάσπιδι, *jaspidi*) *Cum* Sardius *sit igneus et speciem sanguinis referat,* Jaspis *ruborem ALBICANTEM exprimit.* Lampius ad h. l. — σαρδίῳ) *Erasmus,* cum *Latinis* deterioribus, σαρδίνῳ· ceteri, σαρδίῳ, recte. Substantiva sunt, λίθῳ ἰάσπιδι καὶ σαρδίῳ, coll. c. 21, 20. sed adjectivum, etiam foeminino genere, est σμαραγδίνῳ (ὁράσει,) ex quo per rhythmum librario obrepsit illud σαρδίνῳ, quanquam Wolfius terminationem σαρδίνῳ ex σμαραγδίνῳ confirmari censet.

v. 4. θρόνοι — καὶ εἰκοσιτέσσαρας πρεσβυτέρους — καὶ — στεφάνους χρυσοῦς) Vid. App. crit. Ed. II. Recte habet prima Erasmi editio. etenim miscere casus solet Johannes. c. 1, 16. 18, 12. 13. etc. — τοὺς) Articulus vi relativa. Sunt igitur throni 24., seniores 24.: et singuli seniores singulos habent thronos. Utinam hunc articulum considerasset, qui thronos atque sessores nupero opere cabbalistico multiplicavit. Seniores (coll. πρεσβύτεροι Hebr. 11, 2.) iique 24. videntur esse totidem individua excellentissima ex genere humano, ex gr. *Adam, Seth, Enos, Kenan, Mahalaleel, Jared, Hanoch, Methusela, Lamech, Noa, Sem, Arphachsad, Selah, Eber, Peleg, Regu, Serug, Nahor, Thara, Abram, Isaac, Jacob, Abel, Japhet,* (Melchisedek, Job.)

v. 5. ἀστραπαὶ καὶ φωναὶ καὶ βρονταὶ) Memorantur βρονταὶ καὶ ἀστραπαὶ καὶ φωναὶ καὶ σεισμὸς c. 8, 5. ἀστραπαὶ καὶ φωναὶ καὶ βρονταὶ καὶ σεισμὸς καὶ χάλαζα μεγάλη c. 11, 19. et rursum, cum epitasi, quod ad σεισμὸν καὶ χάλαζαν attinet, c. 16, 18. 21. Molestum est, quod librarii *fulgura et voces et tonitrua* quatuor his locis tam neglecto ordine descripserunt. *fulgura* tamen c. 4, 5. 11, 19. omnes primo loco ponunt: c. 16, 18. fere omnes: c. 8, 5. nullus. — ἑπτὰ λαμπάδες, *septem lampades*) Spiritus sanctus, oeconomice, ut *Sapientia* חכמות plurali numero. c. 5, 6. textus se ipse explicat.

v. 6. ὡς θάλασσα ὑαλίνη, *ut mare vitreum*) Vis particulae ὡς *ut* magis ca-

Digitized by Google

dit super *vitreum*, quam super *mare*: et *mare* aliquanto magis proprie dicitur, quam *vitreum*. notatur enim Profundum quiddam, idque et *fluidum* et *pellucidum*, quanquam non fluens, sed placide stans. Conf. c. 15, 2., ubi et *ut mare vitreum* et *mare vitreum* dicitur, idem quoad substantiam, ut arbitror. Sic Joh. 6, 19., ὡς σταδίους εἰκοσιπέντε, ubi ὡς proprie super numerum cadit. Vitringa a significatu *maris* longius abit, quum *stratum* sive *parimentum* interpretatur. — ζῶα] ζῶον et θηρίον valde differunt. φύσεις ζώων καὶ θυμοὺς θηρίων, Sap. 7, 20. Haec quatuor animalia sunt viva throni *emblemata* et ornamenta, propioris admissionis, quam 24. Seniores. [*Germanice* Lebbilder *dixeris, ut* Mannsbild, Weibsbild. V. g.] Videatur ipsorum confessio c. 5, 9. unde conjunctissima eorum, quasi partium insertarum, cum throno mentio solet fieri.

v. 7. μόσχῳ] *juvenco, bovi.* Hebr. בקר et סר et שור LXX μόσχος.

v. 8. ἔχον] Εἶχον *Er.* (invitis ceteris *Andreae* codicibus,) et *Bar. L.* ἔσχον Hunt. Τὸ ἀνὰ pluralem verbi formam requirere censetur Wolfio: singularis tamen extat Ap. 21, 21. ἔχον vel εἶχον ceteri habent, magna consensione. — [1]) γέμουσιν ὀφθαλμῶν] γέμουσιν ὀφθαλμοὺς habet *Uffenb.* recens ille quidem liber: sed sic alios quoque legisse, colligas ex *And.* 1. qui surrogat ἔχοντα ὀφθαλμούς. Idem *Uff.* v. 6. item habet γέμοντα ὀφθαλμούς. Fortasse plures mss. eandem varietatem habent, a collatoribus praetermissam. Verbum γέμω cum genitivo simul et cum accusativo extat cap. 17, 4. — ἅγιος ἅγιος ἅγιος, *sanctus sanctus sanctus*] Novies hoc scripsere librarii quidam, ex more Graecorum liturgico: sed ter, ut Esajas, sic Johannes. Atque apud Johannem id quatuor animalia acclamant Sedenti in throno, id est, Patri, ex cujus dextera librum septem sigillis obsignatum Agnus, id est, Christus, sumit. Τρισάγιον, ut Graeci appellant, occurrit etiam Psalmo 99., ubi sub Majestatis se ostensurae, Justitiae se ostendentis, Clementiae ostensae praeconium tria resonant Epiphonemata de *Sanctitate*. Atque ut illud, sic Apocalypticum quoque Τρισάγιον in ipso textu suam secum rationem indicatam habet.

Sanctus, Qui erat:
Sanctus, Qui est:
Sanctus, Veniens.

Sanctificandum Ipse se exhibuit in creatione rerum omnium: Sanctificandum se exhibet amplius in gubernatione rerum omnium: Sanctificandum se exhibebit maxime, in consummatione rerum omnium. *Ex Ipso, et per Ipsum, et in Ipsum omnia: Ipsi gloria in secula.* Quae de *Sanctitate* diximus in notis Germanicis, ab iis non abhorret Castellio, quo interprete קדוש est *Augustus*, ut in Indice Bibliorum Castellionis observat I. L. Bunemannus.

In simili hymno, Es. 6, 3., additur, *plena est omnis TERRA gloriae Ejus*: in Apocalypsi vero id differtur, dum *terram*, deletis hostibus, Gloria DOMINI replet. Vid. cap. 5, 10. 11, 16. 17. 18. 19, 2. Quibus locis adhibitis colligimus, quatuor animalia magis occupata esse, dum in coelo res agitur; presbyteros, dum in terram res profertur.

v. 9. 10. ὅταν δώσουσι—πεσοῦνται] Futurum utrumque exprimit simultaneum glorificationis actum apud animalia et apud presbyteros: et simul habet vim frequentativam. *quotiescunque animalia dant gloriam: protinus seniores cadunt.*

v. 11. θέλημα, *voluntatem*) רצון voluntatem liberam et benignam. — ἐκτίσθησαν] *Condita sunt*, id est, manent. Simillimae locutiones: *benedictus erit*, i. e. manebit, Gen. 27, 33. *scripsi*, i. e. non muto, Joh. 19, 22. *domita est*, domitam se permittit, Jac. 3, 7. *mutabuntur*, mutata erunt et manebunt. Hebr. 1, 12.

---

1) κυκλόθεν, *circumcirca*] Ad oculos hoc, non ad alas, referendum. *V. g.*

Digitized by Google

[Creatio *omnium reliquorum DEI operum, adeoque omnis etiam gratiarum actionis a creaturis profectae fundamentum est.* V. g.]

CAPUT V.

v. 1. Βιβλίον, *librum*) Non septem erant libri, sed unus, septem sigillis obsignatus. — ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν) Sic Ez. 2, 10. κεφαλὶς βιβλίου — καὶ ἦν ἐν αὐτῇ γεγραμμένα τὰ ἔμπροσθεν καὶ τὰ ὄπισθεν. Atque ὄπισθεν, pro ἔξωθεν, in hunc locum vel ex cap. 4, 6., vel ex illo Ezechielis loco inferre potuere librarii. Opposita sunt ἔμπροσθεν et ὄπισθεν, ἔσωθεν et ἔξωθεν. Sed quum Ez. 2, 10. פנים ואחור extat, ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν ex Hebraismo defenditur. ὄπισθεν ipsum habet Origenis philocalia.[1]) — σφραγῖσιν ἑπτὰ, *sigillis septem*) Scatet haec prophetia *septenariis*, ex quibus quatuor copiosissime describuntur: septem angeli *ecclesiarum;* septem *sigilla* libri obsignati; septem angeli cum *tubis;* septem angeli cum *phialis. Ecclesiae,* sunt exemplar, ad quod *Commune ecclesiae,* omnium climatum et seculorum, juxta cum doctoribus et pastoribus, conformari debet. *Sigilla* referunt *potestatem omnem* in terra et in coelo, datam Agno. *Tubis* conquassatur *regnum mundi,* ut id tandem Domini et Christi ejus fiat. *Phialis* frangitur *bestia,* et quicquid cum ea conjunctum est. Hanc *Summam* semper ante oculos habere debemus. Sic tota Apocalypsis nativo suo decurrit *ordine.* Divisio horum septenariorum in IV et III infra explicabitur. Hypothesis VII periodorum ecclesiae, non solum per VII ecclesias, sed etiam per VII sigilla, VII tubas, VII phialas repraesentatae, aliis septenariis in V. et N. T. ad eandem pertractis, multorum Theologiam, exegeticam praesertim, valde enervavit.

v. 2. ἰσχυρὸν, *robustum*) Psalm. 103, 20.

v. 4. ἔκλαιον, *flebam*) Optimo exemplo Johannes cupidum se docilemque Apocalypseos discipulum sistit. conf. cap. 10, 10. 17, 1. 21, 9. 22, 8. Longe absunt a Johannis sensu, in hac certe parte, qui quidvis potius quaerunt, quam hujus libri ab Agno aperti argumentum, et se faciles putant, si aliis, qui quaerunt, veniam dent. Quae tempore silentii divini vel angelis optabilia intuitu fuerant, ea nunc, quum divinitus patefacta in verbo prophetico emicant, ad gloriam Dei cognoscenda et admiranda, ab hominibus viatoribus tanquam circumstantialia et inutilia contemnuntur. — πολὺ) Sic πολὺ, Luc. 7, 47. — ἀνοῖξαι) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Inconcinnus nascitur ordo verborum, *non aperire, non legere, non videre.* Versu 1. *vidit* librum Johannes: versu 4. negat *videri* potuisse librum, id ipsum est legi. quanquam sermo, citra *legendi* verbum, regalior est et Agni majestati convenientior.

v. 5. εἷς, *unus*) *Procul dubio unus eorum, qui cum Christo resurrexerunt et in coelum ascenderunt,* Matth. 27, 52. *Videtur esse patriarcha Jacobus, quia ex ipsius vaticinio Christo nomen* leonis *tribuitur.* Gen. 49. v. 9. Joh. Gerhardus et alii ap. *Richter* ad h. l. et ap. Viet. Sed hoc, de *Jacobo, incertum* esse judicat Cluverus.

v. 6. ἀρνίον) Ἀμνὸς dicitur absolute, Joh. 1, 29. 1 Petr. 1, 19., nunc, ἀρνίον, respectu gregis subsecuturi. Κριὸς, ἀμνὸς, ἀρνίον, aetate differunt. Orig. t. 2. f. 140. in Joh. 1, 29. ἀρνίον, *agnellus,* quatenus tamen sexum masculinum connotat, proprie ducatum gregis propius spectat.

v. 9. ᾠδὴν καινήν) Sic Ps. 144, (143,) 9. ᾠδὴν καινήν· sed ceteris in Psalmis ᾆσμα καινόν. — ἐκ πάσης φυλῆς καὶ γλώσσης καὶ λαοῦ καὶ ἔθνους) Sic, ἐκ παντὸς ἔθνους καὶ φυλῶν καὶ λαῶν καὶ γλωσσῶν c. 7, 9. ἐκ τῶν λαῶν καὶ φυλῶν καὶ γλωσσῶν καὶ ἐθνῶν c. 11, 9. ἐπὶ πᾶσαν φυλὴν καὶ λαὸν καὶ γλῶσσαν καὶ ἔθνος

---

1) *Idque etiam in* Vers. germ. *N. T. exhibuit b.* Auctor. E. B.

Digitized by Google

c. 13, 7. πᾶν ἔθνος καὶ φυλὴν καὶ γλῶσσαν καὶ λαὸν c. 14, 6. Sic fere, ἐπὶ λαοῖς καὶ ἔθνεσι καὶ γλώσσαις καὶ βασιλεῦσι πολλοῖς c. 10, 11. λαοὶ καὶ ὄχλοι καὶ ἔθνη καὶ γλῶσσαι c. 17, 15. In his locis semper memorantur γλῶσσαι, ἔθνη, λαοί· et, loco φυλῶν, ὄχλοι semel, βασιλεῖς semel. semper igitur *quaternarius* servatur, quatuor mundi plagas spectans. Ternarius, Dan. 3, 4. 7. 29., demtis *tribubus*, (in Hebraeo,) id est, Israëlitis.

v. 10. αὐτοὺς — καὶ βασιλεύσουσιν) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Conf. Matth. 23, 37. et Jud. v. 24. Sic quoque ἐν αὐτῇ, pro ἐν σοὶ, cap. 18, 24. ἡ λέγουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς, pro σοῦ, Es. 47, 8. 10. Hoc loco Hebraismus tertiae personae pro prima, et graphice refertur ad *redemtos*, et simul modestius sonat, quam *nos — sacerdotes etc.* — βασιλείαν) Sic *Al. Lat. Cyprianus.* uti cap. 1, 6. Recentiores hic quoque, βασιλεῖς. [1]) Sed qui coronas suas ante thronum abjiciunt, ipsi se non appellant *reges* in conspectu *Regis* magni, quanquam sacerdotalis eorum admissio tantam habet dignitatem, ut potestas regnandi in terra eam certe non exsuperet. Pariter c. 20, 6. participes primae resurrectionis dicuntur *sacerdotes*, et dicuntur *regnaturi;* nec tamen *regum* eis nomen datur. — ἐπὶ τῆς γῆς *super terra*) Ἐπὶ hic notat locum, uti cap. 3, 10., et passim: vel potius potestatem, uti cap. 2, 26.: quomodo dicitur, βασιλεύει ἐπὶ τῆς ἰουδαίας, Matth. 2, 22. Et sic LXX, Jud. 9, 8. 1 Sam. 8, 7. 12, 12. 14. 2 Reg. 8, 20. 11, 3. Non igitur ausim ex hac phrasi affirmare horum super terram regnantium commorationem in terra. Presbyteri fuere mansueti: (confer Matth. 5, 5.) sed mansuetorum grex ceteroqui multo major est.

v. 11. μυριάδες μυριάδων καὶ χιλιάδες χιλιάδων) μυριὰς, decem millia. μυριάδες, (si subaudias tantum δύο, uti c. 12, 14., καιροὺς, scil. δύο,) sunt viginti millia. inde *myriades myriadum*, sunt 200,000,000. et sic praeterea *chiliades chiliadum*, 2,000,000. Numerus minor majori adjunctus vetat utrumque nimis indefinite sumi.

v. 12. ἄξιος) Ἀρνίον est neutrum; unde plerique scripsere ἄξιον· sed ἄξιος spectat sententiam ipsam [2]). — τὴν δύναμιν καὶ πλοῦτον κτλ.) Septemplex plausus respondet septem sigillis, quorum quatuor primis visibilia, tribus reliquis invisibilia Agno subjecta continentur.

v. 13. πᾶν κτίσμα — ἐν αὐτοῖς, *omnem creaturam — in iis*) *omnia opera Domini in omnibus locis dominii ejus.* Psalm. 103, 22. — καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς, πάντας ἤκουσα λέγοντας) Lectio haec majore nititur numero codicum. Pauci πάντας, vel etiam λέγοντας, in neutrum verterunt. τὰ ἐν αὐτοῖς absolute dicitur, ut c. 10, 6. Et hoc, πάντας ἤκουσα λέγοντας, *concentum omnium* incolarum, quos habent regiones quatuor in universitate rerum, egregie complectitur.

v. 14. καὶ προσεκύνησαν) Hoc verbo terminatur periocha in *monumentis* omnibus. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Talia additamenta, deposito timore, resecare pium est. Brevior lectio, καὶ προσεκύνησαν, *et adoraverunt*, adorationem *et Sedenti in throno et Agno* praestitam denotat. coll. v. 13. Saepe προσκυνεῖν absolute dicitur. c. 11, 1. Joh. 4, 20. 12, 20.

CAPUT VI.

v. 1. Καὶ, *et*) Primis quatuor sigillis ostenditur, omnia omnium seculorum tempora publica, *florem imperii, bellum, annonam, calamitates*, esse Jesu Christo subjecta: ac primi sigilli specimen, Trajano imperante subsecutum, innuitur, in oriente; secundi, in occidente; tertii, in meridie; quarti, in septentrione et

1) *Quae lectio quum palmam nacta sit in* Ed. maj., *alteri tamen postposita est ut in* Gnom. *ita et in* Ed. 2. *et* Vers. germ. E. B.

2) *Hinc margo* Ed. 2. *lectionem* ἄξιος, *in* Ed. maj. *minus firmis annumeratam, retulit inter firmiores.* E. B.

Digitized by Google

toto orbe terrarum. Etenim eas mundi regiones *leo, bos, homo, aquila* spectabant. — ὡς φωνὴ βροντῆς) Vid. App. Ed. II. De casu recto, φωνὴ, qui Wolfio displicet, Vallae non displicet, vide infra ad cap. 16, 13. — ἔρχου, ἴδε) Verba mea ad hoc celeusma decurtavit Wolfius: sententiam meam lectores, si quid refert, ex Apparatu ad h. l. velim repetant.

v. 2. ἵππος λευκὸς, *equus albus*) Sigilla plane in futurum confert cel. D. Langius, Comm. apoc. f. 73., ubi quinque argumentis utitur:

I. a figuris sigillorum. Resp. Praeterita, recte explicata, iis congruunt.

II. a defectu rationum, quibus Vitringa cum aliis nitatur. Resp. Meliores et suppetunt et proferuntur. Vid. ad cap. 4, 1.

III. a parallelismo Matth. 24, 6. seqq. cum sigillo secundo, tertio, quarto, quinto. vid. fol. 83. 257. Resp. Matth. 24, 14. *finem* denotare vastationem Hierosolymorum, totus probat sermonis nexus, maximeque particula οὖν *igitur*, v. 15., et quaestio discipulorum, ut eam Marcus et Lucas referunt. Similitudo plagarum in utroque textu non easdem infert plagas. Vide supra, pag. 135. seq.

IV. a parallelismo Zach. 6. cum iisdem sigillis. vid. fol. 84. Resp. Apud Zachariam non sunt singuli singulorum colorum equi, sed plures, iique curribus juncti: neque colores plane iidem (certe *pallorem* pro *albedine* ponit D. Langius:) neque idem colorum ordo: neque idem ad quatuor mundi plagas iter: neque eadem expeditio. In primo sigillo album ille equum refert ad victorem Christum; in tertio, nigrum ad caritatem annonae: hoc quomodo cum Zach. 6, 6. 8. parallelum sit, ostendi nequit.

V. a nexu cum tubis et phialis. Resp. Ut epistolas nimium dilatat cel. interpres, sic idem sigilla, tubas, etc. nimium coarctat. Phialae id propemodum omne exhauriunt, quod ille etiam in sigillis et tubis repraesentatum autumat. Sunt *sphaerae* quatuor distinctae, quae singulae convenientem *ecclesiarum, sigillorum, tubarum, phialarum* titulis materiem habent, et, ubi distincte explicantur, amplitudinem hac prophetia dignam nanciscuntur. Tali modo vera explicatio nativum libri servat *ORDINEM*, quo semel seposito, humanum ingenium nil non dividere potest atque componere, et sibi de veritate reperta gratulari. Quod ad Ven. D. Langii systema attinet, *tempus* breve sub sigillo quinto; *menses* 42 *et dies* 1260., capite 11.; *dies* 1260 *et tempus paucum et tempus* 1. 2. $^1/_2$, capite 12.; *menses* 42., capite 13.; et *paululum*, capite 17. quae periodi sunt temporum *et omnifariam et longe et eleganter* diversae, id systema non modo pro aequalibus, sed etiam pro una, eaque $3^1/_2$ annorum, accipit, et ad eam hypothesin sigilla et tubas digerit. Comm. Apoc. f. 16. 115. etc. quo pacto quam multa in prophetia loco moveantur, perspicient, qui rite expenderint ibid. f. 15. 88. 95. 133. 143. etc. In epicrisi, v. gr. p. 390., meas rationes, fiducia eorum, quae antea scripserat, minus ponderavit.

[1]) v. 4. τὴν εἰρήνην τῆς γῆς) Vid. App. Brevior lectio, plerumque germana. — ἵνα) Vid. App. — [*Dirissima bella significantur.* V. g.]

v. 5. μέλας) Famem, quam hic eques, nisi inhiberetur, hominibus infligeret, poëtae Graeci appellant αἴθοπα λιμὸν, λιμὸν αἰανῆ, id est, *atram, luridam:* iisdemque epithetis utuntur Latini.

v. 8. χλωρὸς) χλωρὸς c. 8, 7. est *viridis:* at hic, *pallidus*, ὠχρός. quae notio ab Eustathio firmatur: sicut etiam utroque Graeco LXX Hebraeum ירק exprimunt. — ἐξουσία ἐπὶ τὸ τέταρτον) Similis constructio, ἐπὶ cum accusativo, c. 16, 9. — ἐν θανάτῳ) *peste.* דבר *pestis*, LXX θάνατος, Ex. 9, 3. 2 Sam. 24, 13., et passim. [*Diversarum calamitatum cumulus.* V. g.]

---

1) νικῶν, *vincens*] Brevi post exhibitam prophetiam meras victorias Regnum Romanum spiravit. *V. g.*

Digitized by Google

v. 9. καὶ, *et*) Sigillum quintum, sextum, septimum referuntur ad Invisibilia: quintum, ad bene defunctos, nominatim martyras. sextum, ad male defunctos, *reges* etc. coll. Ez. 32, 18. seqq. septimum, ad angelos, praesertim illos eximios, quibus *tubae* dantur. — ὑποκάτω) Congruit, quod 2 Maccab. 7, 36. septimus fratrum ait, οἱ μὲν γὰρ νῦν ἡμέτεροι ἀδελφοὶ βραχὺν ὑπενέγκαντες πόνον ἀενάου ζωῆς ΥΠΟ διαθήκην θεοῦ πεπτώκασι. pro quo Latinus interpres, *Nam fratres mei modico nunc dolore sustentato, sub testamento aeternae vitae effecti sunt.* Non modo ecclesia sub Christo, ut mundus sub Satana militans, sed etiam ecclesia consummata, et regnum tenebrarum, describuntur hoc libro. Quin piarum juxta atque impiarum copiarum in terra actiones, et ex hac in statum beatiorem miserioremve translationes, diversis temporibus inter se succedentes, per varios gradus distinctae, per varios plausus celebratae, atque ipsius exspectationis tripudiique coelestis, ipsiusque terroris ac poenae infernalis incrementa commonstrantur. Vid. capp. 4. 5. 6. 7. 14. 19. ss. et nott.

v. 11. αὐτοῖς ἑκάστῳ) *Merito dubites*, inquit Wolfius, *Ioannem scripsisse* αὐτοῖς ἑκάστῳ. At scripsit ὑμῖν ἑκάστῳ c. 2, 23. et sic Lucas, c. 2, 3., et Act. 2, 8., πάντες, ἕκαστος· ἡμεῖς, ἕκαστος. Paulus, Eph. 5, 33., ὑμεῖς ἕκαστος. Ipsum αὐτοῖς ἑκάστῳ, Sir. 17, 14. Qui consociationem pluralis et singularis numeri non ceperunt, varie mutarunt: eorum aliqui ἑκάστῳ omiserunt, non recte assentiente Millio, Proleg. §. 1003. — [1]) χρόνον) Alii, χρόνον μικρόν· idque defendit Wolfius. *Eadem phrasi*, inquit, *utitur Ioannes infra* 20, 3. Ex illo videlicet loco huc intulere nonnulli adjectivum: etenim adjectiva passim inserere gestierunt librarii, ne abruptior videretur oratio. unde etiam *Augustinus* l. II. contra Gaudentium c. 19. non semel, et *Hieronymus* in lib. de Viro perf. sic habent. Atqui hic χρόνος, de quo c. 6, 11., longo intervallo exit ante initium μικροῦ χρόνου, de quo c. 20, 3. Subjicit Wolfius: *Poterat utique ad excitationem animarum illarum multum facere, si intelligerent, exiguam fore judiciorum divinorum moram.* Hoc sane induxit Afros, ut μικρὸν, in martyrum solatium, adjicerent; (conf. Antonii Colleg. antithet. p. 909., de spe praecipitata:) quanquam ubi mora reapse non exigua est, ii non durabilem praebent excitationem, qui moram tamen exiguam dicunt. Optimum in ipsa veritate solatium est, quae tamen graviora subinde laetioribus admista, ut hoc loco moram diuturniorem, orationis involucro interim mitigat. Quod ad *crisin* attinet, nil habeo hoc loco, quod Apparatui adjiciam, nisi exegesin *Apringii*, quae sic habet: *Sed quia in novissimo tempore et sanctorum remuneratio perpetua et impiorum ventura est damnatio, dictum est eis exspectare, et pro corporis solatio etc.* De *parvitate* temporis nil notat. χρόνον, absolute dicitur, ut ἐπὶ χρόνον, sine epitheto, Luc. 18, 4. quem ad locum E. Schmidius notat, χρόνον etiam absolute saepius dici ab Homero. Dicitur vero etiam Act. 19, 22., et Es. 27, 11. apud LXX. Sic, δι' ἡμερῶν, Marc. 2, 1. etiam sine epitheto. Χρόνον, lectio antiquissimis, plurimis, optimis testibus nixa, brevis, nativa, absque fuco, et, ut *exegesis* ex totius nunc libri compage demonstrat, necessario vera. *Breve* quidem *tempus* a clamore animarum ad judicium ultionemque statuit cel. D. Langius, comm. apoc. f. 81. et passim. Est hic locus de iis, in quibus apocalypticus cel. viri labor majorem tulisset fructum, si momenta sincerae lectionis penitius explorasset. Parvitatem hujus temporis recusat prophetia. Argumentum ejus a tempore Johannis per secula mundi residua, elapsis non multo pauciora, continuo filo extenditur ad finem mundi: et tamen multa in periodos temporum bene *longas* suis locis definite *expressas* includit: *cetera* omnia fiunt ἐν τάχει, *celeriter*. Itaque

---

1) στολὴ λευκὴ, *stola alba*] Sic et c. 7, 9. *V. g.*

Digitized by Google

sigilla septem protinus et subita serie aperit Agnus, quorum quintum animas clamantes habet. Hic clamor, haec *querela*, multo post in *canticum*, IISDEM VERBIS, transponitur, c. 19, 2., tum demum videlicet, quum judicium sanctorum, et apostolorum, et prophetarum, judicatum erit ex Babylone sive Roma. c. 18, 20. Itaque duo notantur martyrum genera: alterum sub Roma ethnica, alterum sub Roma papali. illi jubentur requiescere, dum hi ad eos aggregentur. illos jam Johannis habebat aetas: horum primitias seculum XIII tulit. Illis igitur dum hos exspectabant, non erat μικρὸς χρόνος, sed plane χρόνος. Specialem in hoc libro significatum, uti καιρὸς, c. 12, 12. 14., sic etiam χρόνος habet, quem etiam latine *Chronon* (cujus vocabuli derivata Latinis non ignota sunt,) dicimus, ne cum eo *tempus* καιρὸς confundatur. Habet *chronus* annos $1111^1/_9$, ut suo loco ostendimus, et hic chronus fluxit ab A. 98 ad 1209, sive ab anno primo Trajani ad Cruciatam expeditionem, Innocentii III. zelo contra Waldenses excitatam. Antea papa nunquam cruentus persecutor fuerat: postea nunquam talis esse desiit. Huicce Chrono opponitur *Non — chronus*, c. 10, 6. unde suave antitheton utriusque loci, χρόνον ἔτι, χρόνος οὐκέτι. Ipse *Non — chronus* includit tempora sat longa, c. 11. et 12. et 13. expressa: et tamen *Non — chronum* longitudine excedit *Chronus*. Quam recte haec, quamlibet paradoxa, dicantur, veritas patefaciet, sed tempore. Dicam hic aliquid, quod ad *omnia* loca, temporis indicium habentia, pertinet: *Non ex rebus tempora determinantur penitus, nedum res ex temporibus: sed mutuum sibi auxilium praestant, ut eventus definite dignoscatur.* — ἕως, *usque dum*) Chronus interjicitur inter hoc responsum et inter initium πληρώσεως, *complementi*, sicut 4 reges Persidis inter prophetiam et inter cladem regis quarti. Dan. 11, 3. Post *chronum* accedunt fratres, quorum occisione continua sub bestiae furoribus peracta, impletur promissio. *Chronus* pertingit in tempora bestiae: his elapsis, fit *judicium*. — πληρωθῶσι) Passivum hoc habent *Comp. Al. Lat.* convenientissime. Neutrum, πληρώσωσι, plerique cum *Andrea* Caesariensi. Medium, πληρώσονται, (quanquam subjunctivum postulabat constructio,) *Erasmus* solus. qui in Apocalypsi recognoscenda quomodo versatus fuerit, demonstravi in Apparatu, Fund. Cris. §. XVII. Sed quia disputatio illa non ad certum aliquem textum specialiter accommodata est, valde vereor, ne plerique lectores eam praetereant, et in singulis textûs locis, ad quae applicari ea debebat, eo minus expeditum faciant judicium. Quare meum esse duxi, in his quoque annotationibus nervos quosdam ciere. Hoc loco dicam, quae huc conveniant.

I) Erasmus in Apocalypsi unum tantummodo exemplar manuscriptum habuit, Reuchlinianum.

II) Reuchlinianum exemplar erat commentarius Andreae Caesariensis in Apocalypsin, qui τὸ κείμενον sive textum habebat interpositum.

III) Vetustatem ejus exemplaris mire extollit Erasmus. Textum id certe bonum, et aliquando singulariter excellentem habuit: sed mutilum idem fuisse, ex eo intelligitur, quod Erasmus et auctorem commentarii nescivit, et partem capitis 22. ex Latinis supplevit. Illud ipse in Annotationibus ad N. T. et hoc in Epistolis suis fatetur.

IV) Erasmi editio saepe ab editione *Complutensi* et a mss. omnibus, praesertim rite collatis, et ab omnibus versionibus ac patribus, quorum suffragia extant, et ab reliquis ipsius Andreae exemplaribus, ita discrepat, ut cum Latinis codicibus, iisque deterioribus et per meliores Latinos refutatis, interdum etiam cum Ticonio, mendosave ejus editione, congruat, verbaque Graeca textui inferat a Graeci sermonis usu remota.

V) Non pauca nobis, dum haec commentamur, occurrunt talia loca, et talibus in locis, dubium non est, quin exemplar Reuchlinianum vetustate exesum fuerit, et Erasmus defectum ejus ex Latinis sarserit.

Digitized by Google

Hoc igitur loco Erasmus ex Latino *compleantur* dedit πληρώσονται, Mediamque vocem, verbo proximo ἀναπαύσωνται respondentem, facile arripuit. Quotiescunque tale quiddam Erasmo accidit, recensio ejus ne unius quidem codicis vim habet, neque ullae sequacium editionum centuriae, omnibus mss. refragantibus, meliorem ejus conjecturam faciunt. Τολμηρότερον et confidentius loquor interdum, non equidem per immodestiam, sed ut ad veritatem cernendam excitentur, qui nimis religiose unamquamque editionem, cui semel assuevere, defendunt. πληρωθῶσι dicitur hoc loco de numero martyrum complendo.

v. 12. τὴν ἕκτην, *sextum*) Vid. not. ad vers. 9. Sigilli *sexti res esse futuras, omnium fere interpretum consensu comprobari* ait cel. D. *Langius*, comm. apoc. f. 11. At omnes fere interpretes, cum ab iis discesseris, qui ad ipsam seculi consummationem referunt, de praeteritis interpretantur, ut vel Jungnitii Parallela sententiarum apocalyptica docent, p. 138. seqq. Quod ad rem attinet, hoc sigillum ad ea referri, quae ante finem mundi futura, nec tamen adhuc facta sint, non evicit ille: et tamen huic theoremati totam molem superstruit fol. seqq. Quare hoc quam firmissime demonstratum oportuit. Locum Matth. 24., cui parallelus est Luc. 21., vindicavimus modo. — ὁ ἥλιος — ἡ σελήνη, [1]) *sol — luna*) Sumuntur h. l. proprie. Describitur terror inferis incussus eo universi habitu, qui erit in die novissimo: incussus tempore apocalypseos scriptae: quae jam tum vere dixit, *venit*. [*Nimirum neque ad ipsum* mundi interitum *haec referri possunt; nam sequitur demum septimum sigillum plurimas res easque ingentes continens: neque ad* judicium quoddam *aliud, contra hostes exercendum; quorum videlicet mentio postmodum incidit. Pari ratione sub sigillo quinto animabus sub altari gratiose quidem istis, quid ipsorum causa ageretur, patefactum est. — A loco fit initium, ut* c. 20, 11. V. g.]

[2])

CAPUT VII.

v. 1. Ἄνεμος, *ventus*) *Venti* denotant hoc loco lenimenta malorum imminentium: etenim *suppressio* eorum *laedit*. Insignis allegoria.

v. 2. ἄλλον, *alium*) Distinguitur *alius* hic angelus vel ab angelo praecone, c. 5, 2. vel ab angelis quatuor laedentibus. h. l.

[3]) v. 3. σφραγίσωμεν, *obsignemus*) Hac obsignatione muniuntur servi Dei ex tribubus Israël inde a tempore Johannis adversus calamitates sub septem tubis imminentes. Antea non opus fuerat, ante periculum. Alio tempore majores, alio tempore posteri eorum obsignantur. Si majores occiderentur, nulli essent posteri. Sub tuba angeli quinti ne ii quidem occiduntur, qui non sunt obsignati: ergo obsignati multo minus occiduntur.

v. 4. ἰσραήλ) *Israël* proprie notatur. Etenim multa proprie de Israële pronunciat hic liber, quae nonnulli per tropum interpretantur. *Israëlismus*, ut H. Morus appellat lib. I. Synops. proph. cap. 4. non nimis debet extendi. Recte Lampius *Judaeos in Apocalypsi plus* ait *esse quaerendos, quam plerique interpretes invenerint*. Medit. anecd. in Apoc. p. 261.

v. 5. s. δώδεκα χιλιάδες, *duodecim millia*) Ita duodecim millia duodecies

---

1) *Epitheton* ὅλη *minoris factum in margine* Ed. maj., *quam in* Ed. 2. *et* Ver. germ. E. B.

2) v. 15. ἔκρυψαν ἑαυτούς, *absconderunt se*] Ubi eorum nunc animositas, quos tantopere mundus reformidaverat? *V. g.* —

v. 17. τίς, *quis*] Ii, qui liberati sunt ira futura, communionem cum Agnello colentes. *V. g.*

3) ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου, *ab ortu solis*] Ab Oriente igitur ordiebantur plagae. *V. g.* — τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, *terram et mare*] Connotantur hîc arbores. Terra est Asia, mare Europa, amnes (c. 8, 10.) et arbores Africa. *V. g.*

Digitized by Google

accipere debemus, ut in summa non sint 143 aut 145, sed 144 millia. Numeri rotundi saepe praecise valent. Vid. Jer. 52, 30.: ubi summa 4600 animarum colligitur ex numeris, eodem loco praecedentibus, minime rotundis. Fortasse sunt tot capita sive patres (sicut Rom. 11, 4. *viri*, non animae numerantur:) cum sua posteritate. [Tribus *duodecim* [*die zwölf* Stämme] *per sex paria referuntur.* Not. crit.]

v. 6. νεφθαλίμ· μανασσῆ· *Naphthali: Manasse*) *Omittitur Dan, quia jam olim ea Tribus ad unam familiam Hussim reciderat, ut ajunt Hebraei, quae ipsa familia bellis interiisse videtur ante Esdrae tempora. Nam in Paralipomenis, ubi posteritas Patriarcharum memoratur, Dan omittitur. Et forte* id *praedicitur apud Amosum*, 8, 14. *Ex Danis tribu paucos superfuisse, eosque in Phoenicem profugisse, narrat Johannes Antiochenus.* Grotius. Non tam omittitur Dan, quam paucitas ejus, sub Manasse latens, cum Naphthali, cujus frater uterinus erat, conjungitur. [*Unus enim* Naphthali, *nisi hoc subinnuatur, in tota hac serie* uterinum *sibi conjunctum non haberet. — Ceteroquin* Levi *in hac enumeratione suum denuo locum occupat, et* Josepho *binae portiones, altera* suo, *altera* Manassis *titulo, tribuuntur.* V. g.]

v. 9. μετὰ ταῦτα εἶδον, καὶ ἰδοὺ ὄχλος πολὺς — ἑστῶτες — περιβεβλημένους κτλ.) Media lectio: unde totam periocham alii ad nominativum redigunt, alii ad accusativum. Displicet Wolfio mixtura casuum: quae in hoc quidem libro frequens est. Describitur hoc loco ὄχλος *agmen* aliquod beatorum, cui Simultaneum est cum obsignatione praecedenti et cum subsequentibus tubis, sub quibus plaga non tangit obsignatos. Huc incidit hic ὄχλος, in suo ordine, post beatum ex mundo discessum. Postea plura ejusmodi agmina memorantur. cap. 14, 1. 15, 2. etc. Varii sunt *gradus* beatitudinis, et valde diversi; sed infimus eorum, comparate loquendo, jam est supra omnem purgationis indigentiam. — ἐκ παντὸς ἔθνους καὶ φυλῶν καὶ λαῶν καὶ γλωσσῶν) In tali enumeratione cetera loca aut pluralem quater habent, aut quater singularem numerum. vid. Not. ad cap. 5, 9. Hoc uno loco singularis primo loco, deinde pluralis ter ponitur, non temere. Educta est *haec multitudo* ex toto genere humano. Id unum est ἔθνος, inde ab origine sua. Act. 17, 26. Sed progressu temporis, ipso *Adamo* vivente, multiplicatum est, et in *tribus* et *populos* et *linguas* discessit.

v. 10. κράζουσι) Sic cod. omnes. Librarius Andreanus, κράζοντες, ex rhythmo λέγοντες, festinans arripuit. Ipsum Andreae exemplar Augustanum habet κράζουσι.

[1]) [2]) v. 12. ἡ τιμὴ) Apocalypsis passim septenarios in quatuor et tria dividit, ut suo loco ostendimus. Nunc quum omnes angeli dicunt: ἡ εὐλογία καὶ ἡ δόξα καὶ ἡ σοφία καὶ ἡ εὐχαριστία, (καὶ) ἡ τιμὴ καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ ἰσχὺς τῷ θεῷ ἡμῶν, primi quatuor plausus referuntur ad tubam angeli primi, secundi, tertii, quarti; tres reliqui, ad tubam angeli quinti, sexti, septimi. Itaque si καὶ ante ἡ τιμὴ omissum sit, sententia quasi denuo inchoatur. Omittit quidem et particulam *Latinus*, et cum eo *Ambrosius Ansbertus.* Neque id negligendum videtur. nam saepe in polysyndeto incisa quaedam sine conjunctione ponuntur. Ex. 23, 23. 33, 2. Jer. 1, 10. Librarii Graeci facile καὶ suppleverunt: atque hoc loco opportune in septem vocabulis — hymni quaternarius et ternarius distinguuntur. Nil definio. Judicet lector. [*Opportune autem hic hymnus descriptioni multitudinis vestibus albis ornatae inseritur; quum statim postea 7 angelis tubae tradantur.* V. g.]

---

1) ἡ σωτηρία, *salus*] Salute eos DEUS mactavit, quam depraedicant. Sublimiores doxologiae sequuntur deinceps. *V. g.*

2) v. 11. πάντες, *omnes*] Nondum haec vocula extat c. 5, 11. *V. g.*

Digitized by Google

1) 2) **v. 17.** ὅτι) כי praecedente *non*, valet saepe *sed*. — ἀνὰ μέσον τοῦ θρόνου) ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου κτλ. vidit Johannes τὸ ἀρνίον, c. 5, 7. Hoc uno loco dicit ἀνὰ μέσον τοῦ θρόνου. Confer ἀνὰ μέσον 1 Cor. 6, 5. — ἐπὶ ζωῆς πηγὰς ὑδάτων) Prona constructio esset, ἐπὶ πηγὰς ὑδάτων ζωῆς· sed ζωῆς emphaseos causa praeponitur, (uti σαρκὸς 1 Petr. 3, 21.) et πηγὰς ὑδάτων est quasi unum vocabulum compositum, ut sit, *zu den Lebens-Wasserbrunnen*. Vid. App. Ed. II. — ἐκ) Iterum vid. App. Ed. II. Ἀπὸ et ἐκ Wolfius conjungit infra, c. 22, 19. Itaque in una sententia Johannes ἐκ, et inferius ἀπὸ, scribere potuit.

CAPUT VIII.

v. 1. Σιγὴ, *silentium*) *Silentium* opponitur *voci*. *Voces* in hoc libro quo sunt frequentiores, v. gr. cap. 7, 10. seqq. eo magis notabile est hoc exspectationis venerabundae *silentium*, tubarum *clangorem* praecedens. *Mille annorum sabbatismum* interpretatur cel. D. *Langius*, (*Hermen. Einleit.* p. 30. 68. etc.) errore (verum dicere cogor,) plurima turbante. Neque *silentium* est sabbatum, neque *semihorium* est millennium. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 407. seqq.

v. 2. 3) ἑπτὰ σάλπιγγες, *septem tubae*) Per has tubas regnum mundi conquassatur, donec id sub tuba angeli septimi, post gravissimas remoras, ad Dominum et ad Christum ejus redigitur. Tubae angeli primi, secundi, tertii, quarti, propriam inter se conjunctionem habent; et item tubae angeli quinti, sexti, septimi, quae solae habent *vae vae vae*.

v. 3. καὶ ἄλλος ἄγγελος ἦλθε, καὶ ἐστάθη ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου ἔχων λιβανωτὸν χρυσοῦν· καὶ ἐδόθη αὐτῷ θυμιάματα πολλὰ, ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων κτλ. *et alius angelus venit et stetit ad altare, habens turibulum aureum; et dati sunt ei suffitus multi, ut afferret* (eos) *cum precibus sanctorum* etc.) De angelo, sanctorum preces Deo offerente, Hebraei in *Elle shemoth rabba* sect. 21. loquuntur in hunc modum, *Cum Israëlitae precantur, non inveniuntur omnes simul precari, sed unaquaeque synagoga* (seu *congregatio* כנסת) *seorsum precatur, primum haec synagoga, deinde alia: et cum omnes synagogae omnes preces suas consummarerint,*

המלאך הממונה על התפלות נוטל כל התפלות
שהתפללו בכל הכנסיות כולן ועושה אותן עטרות
ונותנין בראשו של הק״ב שנא׳ עדיך כל בשר יבואו
ואין עדיך אלא עטרה שנא׳ כי כלם בעדי תלבשי

Angelus qui precibus praeficitur, portat omnes preces, quas precati sunt in omnibus synagogis, et facit eas coronas, et imponit eas (pro נותנין legendum censeo נותנן) *capiti Dei S. B. sicut dictum est* Psal. 65, 2., *omnis caro veniet corona tua:* (sic ibi exponitur עדיך ut ex sequentibus clarius elucescit; cum revera exponi debeat, *ad te*) *vox autem* עדיך *non nisi coronam denotat, quemadmodum dicitur* Isa. 49, 18., *Et indues te eis omnibus tanquam corona.* Christoph. Cartwright. in Mellif. hebr. lib. 3. c. 8. Itaque Hebraei dicunt, esse Angelum, qui praesit precibus coetuum suorum: Apocalypsis tantummodo dicit, esse Angelum, qui suffitum faciat, dum sancti orant. ταῖς προσευχαῖς v. 3. 4. est casus

---

1) v. 14. οἱ ἐρχόμενοι, *venientes*] Ergo nondum completus est eorum numerus, hac ipsa de causa tanto minus determinandus. *V. g.* — ἐν τῷ αἵματι τοῦ ἀρνίου, *in sanguine Agnelli*] Non potest multitudinis hujus numerus iniri, adeoque Beatos etiam ex V. T. complectitur: iisque sua quoque in sanguine agnelli pars est. *V. g.*

2) v. 15. διὰ τοῦτο, *propterea*] Nemini integrum est in conspectum prodire, nisi alba stola praedito. *V. g.*

3) τοὺς ἑπτὰ ἀγγέλους, *septem angelos*] Magna hi praerogativa gaudent. Unus eorum Gabriel est. Luc. 1, 19. *V. g.*

Digitized by Google

sextus, *concomitantiam* denotans, uti Rom. 11, 11. 30. 31. τῷ αὐτῶν παραπτώματι, τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει. Plura aliunde notavimus ad Chrysost. de sacerd. p. 514. Sunt, qui h. l. subaudiant σύν· non incommodius subaudires ἐπί· sed neutrum est necessarium. Imo casus sextus absolute, ταῖς προσευχαῖς, majorem vim habet. Suffitus angeli, et precationes sanctorum in terra, sunt simul: sed sanctorum precationes acceptae sunt Deo per Jesum Christum, non per angelum. [*Vide, qualis sit legitima precatio. Est* Sanctorum *precatio, quam comitatur suffitus* angelicus, *et Christus ipse* coram Patre *gratam reddit. Tune precaris ita, ut in memoriam coram DEO venire queant preces tuae?* V. g.] *Angelorum* nomine angelos creatos in N. T. praesertim in Apocalypsi notari, confirmat *Thummius* in admon. de error. Wigel. p. 280. et hoc ipso in loco id agnoscunt in commentariis ad Ap. *Nic. Selneccerus, L. et Andr. Osiandri, Beza, Hogelius* p. 277. nec non *Chemnitius* Part. III. Exam. Conc. Trid. f. 189. quem hoc nomine laudat Melch. Kromajer. in Ap. p. 111. *Arndius* de V. C. l. 2. c. 35. Accedunt D. Ioach. Langius et Dimpelius. Liturgia coelestis, cum effectu in mundo. — ἐπὶ τὸ) Scita casuum varietas: Angelus stetit ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου *juxta* altare: et dedit thymiamata ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον *super* altare.

v. 7. ὁ πρῶτος) Ἄγγελος suppletur in textu Andreae: sic enim initium sermonis VIII apud illum postulabat. Id secutus est *Erasmus:* id defendit Wolfius. Sed Graeci codices N. T. (omnes, ut existimare licet,) omittunt ἄγγελος. Et hoc arctissimo nexui versus 6. et 7., primum angelum praecipue urgenti, convenit. In mentione sequentium angelorum tubicinum exprimitur ἄγγελος, per longiora videlicet sermonis eventuumque intervalla. Tubarum eventum perbrevi sub libri scriptionem coepisse, patet ex eo, quod obsignatio servos Dei muniit contra plagas, quae non sub sigillis, sed sub tubis, et sub ipsa primi angeli tuba sequebantur. Adde quod *obsignatio* praecedit apertionem sigilli 7. Atqui sigilla mox incipiunt post apocalypsin datam. ergo etiam *obsignatio* mox procedat oportet.

Angeli *primi* tuba *Judaeos*, convenienter, pulsat: et complectitur bella Judaica sub Trajano et Adriano, de quibus inprimis legendae sunt S. R. Abbatis *Zelleri* annot. hist. ad *R. Abraham ben Dior* comment. rerum Rom. p. 69—79. Is ceteros scriptores copiose recenset, quibus adjicias *Hottingeri* Hist. eccl. N. T. Sec. II. p. 66., et ex antiquis *Orosium*, lib. VII. c. 12. et 13. — καὶ τὸ τρίτον τῆς γῆς κατεκάη) Hoc incisum omnes testes, integri certe et penitius excussi, exhibent, in his *Andreas*. Carebat autem eo Capnioneus liber: hiatumque Erasmus sequitur, et defendit Wolfius. Tam facile omissum est hoc incisum, quam ab aliis illud, quod sequitur, καὶ τὸ τρίτον τῶν δένδρων κατεκάη, recurrente videlicet verbo κατεκάη. Neutrum omitti debet: ac prius, *de terra combusta*, retinendum est, quia *terram* proprie spectat angeli primi tuba, (quare locus c. 9, 4. huc minus commode confertur,) et *terra* praeter *arbores* et *gramen* multa alia complectitur.

v. 8. ὡς ὄρος, *quasi mons*) Moles gentium barbararum innuitur: de quarum migratione et irruptione, cum maximis detrimentis conjuncta, a Seculo III. tam plena est historia, ut non opus sit scriptores allegari. *Mons* in *mare* jactus apte exprimitur ex Cassiodorii Variis, ubi obvia satis est *Gothorum Romanorumque* mentio conjuncta.

v. 9. διεφθάρησαν) Vid. App. Ed. II. Singularis, ineunte commate, non obest. nam singularem excipit pluralis etiam versu 7., ἐγένετο χάλαζα καὶ πῦρ μεμιγμένα ἐν αἵματι. Simile illud, quod Wolfius notat, *tertia pars hominum occisi*. c. 9, 18.

v. 10. ὁ τρίτος, *tertius*) Arianas et Vandalicas calamitates hic notari, series rerum, temporum et locorum probat. *Stellam* Arium esse, recte censet

Digitized by Google

Bullingerus, Nigrinus, Viegas, (quanquam, Lyrano et Aureolo obsecutus, de Pelagio quoque disputat,) tum *Forbesius, Coccejus, Gulichius, Sandhagenius, N. Mulerius, Biermannus, Amelius, Horchius, Vitringa, Reinbeckius, Stockius, Loesekenius:* atque ante hos omnes *Seb. Meyerus* Arium juxta cum aliis haereticis hic notari existimavit. Interpretamentum *Brightmanni* de Imperatoribus Arianis, Constantio, Valente, solide refutat Marckius: *Si imperatores hi in stella considerentur propter principalem majestatem, non video, quomodo lapsus non ad imperii ablatum decus, sed ad defectionem a fide referri possit.* Quo ipso argumento etiam *Jacobus Abbadie* refellitur, stellam de *Bonifacio* Comite, cujus invitatu Vandali Africam occuparunt, interpretans, in opere non solum Gallice, sed etiam Belgice edito. Ceteroqui magnus Arianismi in rempublicam quoque influxus fuit: ne eam haeresin in tubis miremur locum habere.

v. 11. καὶ τὸ ὄνομα τοῦ ἀστέρος λέγεται ὁ ἄψινθος, *et nomen stellae dicitur Absinthus*) Arianismus, amaritudinis plenus. Theodoritus lib. II. H. E. c. 14. de Arianis sub Georgio Cappadoce episcopos pellentibus, οὕτω ΠΙΚΡΩΣ ἤλασαν αὐτοὺς κτλ. *tanta amaritudine eos pepulerunt etc.* Victor lib. I. de Persec. Vandalica, Augustinum, in obsidione Hipponis, ita miseratur, *Dulcedo suavitatis in AMARITUDINEM ABSINTHII versa est.* Ἄψινθος est ex α privativo, et ψίνθος, quod est τέρψις apud Hesychium. Graecumque, ἀψίνθιον, ex Hebraica pronunciatione אפסינתין vel אפסינתא videtur factum esse trisyllabon.

v. 12. ἐπλήγη, *percussa est*) Id factum seculo V., Italia, et Roma, sede imperii, per externas nationes occupata et obscurata.

v. 13. ἀετοῦ) Alii, ἀγγέλου. Sed vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Certe lectionem ἀετοῦ *Itala* versio, aliique testes antiquissimi, seculis et climatibus inter se remotissimi, et longe plurimi, ab omni glossae suspicione vindicant. Omnino *alius angelus volans in medio coeli* c. 14, 6. praesentem locum respicit: sed hunc respectum non perimit lectio ἀετοῦ. Ipsa *aquilae,* non *angeli,* appellatio, priore hoc loco, monet, non innui *angelum* proprie dictum; et altero illo loco respectus ad priorem hunc locum docet, *angeli alius* vocabulo insignem ex humano genere praeconem, ut eximii agnoscunt interpretes, denotari. — μεσουρανήματι) Μεσούρανημα, verbale, a verbo μεσουρανεῖν, quod dicitur de sidere tribus zodiaci signis ante solem orto, adeoque meridianum tenente, ut demonstrat Tzetzes in Exegesi Hesiodi, ad illud, εὖ τ' ἂν δ' ὠρίων καὶ σείριος εἰς μέσον ἔλθῃ οὐρανόν. ἔργ. v. 607. seq. — οὐαὶ οὐαὶ οὐαὶ, *vae vae vae*) Circa finem Seculi V. non defuere praesagia futurarum calamitatum. Primo vae gravius est secundum; secundo, tertium. — ἐπὶ τῆς γῆς, *super terra*) *Vae tria,* inquit cel. D. Langius, *quae vindictam adhuc futuram in bestiam et meretricem spectant, non modo in praeterita tempora refert* Bengelius, *sed etiam ipsum papatus initium ad vae tertium revocat, adeoque vae tertium jam mille abhinc annis et amplius venisse perhibet. At quum de vae secundo, Ap.* 11, 14., *dicatur,* Vae secundum abiit, ecce vae tertium venit cito: *et continua tuba septima, quae consummationem judiciorum et amplificationem regni Christi spectat, sequatur, facile existimari potest, vae tertium non posse tam longe retrahi.* Epicr. p. 406. Resp. Vae tria *terricolas* spectant, ac pridem ea venisse, et vae tertium non mille quidem, sed tamen propemodum octingentis abhinc annis venisse, ostendi. Tuba angeli septimi, elapso vae secundo, primum proponit res optatissimas: deinde vae *tertium* describit: eoquè exantlato, judiciorum fit consummatio et regni Christi amplificatio. Hunc ordinem migrat Halensis Theologi interpretatio: et vae tria, *terricolis* denunciata, sine causa ad extrema hostium tempora restringit; bestiaeque furorem, qui revera in vae tertio est, pro vae secundo habet. Quo pacto ordinatissima textûs series vehementer luxatur. — τῆς σάλπιγγος, *tubae*) Singularis numerus, distributive, pro, *tubarum.*

Digitized by Google

CAPUT IX.

v. 1. Τοῦ φρέατος) φρέαρ, quasi orificium abyssi.

v. 2. καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος καὶ ὁ ἀὴρ, *et obscuratus est sol et aër*) Est ἓν διὰ δυοῖν, uti c. 1, 14. *caput et capilli*: c. 19, 16. *vestis et femur*. Aër, quatenus per solem illuminatur; sol, quatenus lumen suum per aëra ad homines transmittit, obscurabatur. Hinc ἐσκοτίσθη dicitur, non ἐσκοτίσθησαν. Quare non seorsum hic quaeri opus est, quid sit sol et ejus obscuratio, quid aër et ejus obscuratio. Notantur tenebrae, Judaeis in Perside obortae [*Sec. VI.*]

v. 5. 10. βασανισθῶσι· ἀδικῆσαι) Dupliciter una res exprimitur, passive et active. ἀδικοῦσι *laedunt* locustae: βασανίζονται *cruciantur* homines. Sic, *occidere et occidi*: v. 15. 18. *alentes* habere, et *ali*. c. 12, 6. 14.

v. 5. μῆνας πέντε) *Lat.* aliqui, *menses sex*. Pridem, sed facile, ad *V* appictum est *I*. Iteratur *quinarius* versu 10. *Quinque menses* prophetici sunt anni communes 79 pleni, ab A. 510 ad 589. Homines, qui cruciabantur, erant Israëlitae, sigillo divino carentes: locustae, Persae, qui illos vehementer vexarunt.

v. 8. ὡς τρίχας γυναικῶν, *ut capillos mulierum*) id est, capillos promissos. Sic Arabes apud Plinium: sic quondam etiam Persae. Aeschylus apud Athenaeum l. 14. f. 627., βαθυχαιτήεις μῆδος. Persae, κομῆται dicti ab oraculo Delphico. Herodotus l. 6. f. 176. Vid. omnino Thom. Hyde Hist. relig. vet. Pers. pag. 369. *Ursus* villosus, Persarum regnum. Dan. 7, 5.

v. 9. τρεχόντων) Ut constructio appareat, φωνὴν habent ἅρματα ἵππων πολλῶν τρέχοντα εἰς πόλεμον. Andreas ἅρματα πολεμικὰ vocat h. l. Equi currentes trahunt currum: sed *strepitum* proprie proximeque currus ipsi suo cursu efficiunt. Vid. Joël 2, 5.

v. 11. [1]) ἀβαδδὼν — ἀπολλύων) *Abaddon* LXX interpretantur ἀπώλεια· hic ponitur in concreto, ἀπολλύων. — ἐν δὲ τῇ ἑλληνικῇ) Foemininum, pro neutro, per Hebraismum, ut mox ἡ οὐαὶ· vel per ellipsin nominis γλῶττα, cujus a Graecis omissi exempla notat L. Bos. Hebraica et Graeca hujus angeli nomenclatura Judaeos Graecosque a locustis vexatos innui agnoscunt Patricius Forbesius et Jac. Durham.

v. 12. ἡ οὐαὶ ἡ μία) Foemininum, modo notatum. Nos *vae* modo neutro genere, cum Latinis interpretibus dicemus, modo foeminino, prout perspicuitati conducet sermonis nostri. *Vae una*, id est, prima.

v. 13. καὶ, *et*) Vac secundum est Saracenicum. — ἐκ τῶν τεσσάρων κεράτων) τεσσάρων omittunt antiqui. *cornua* habuit altare suffitus: *quatuor cornua* habuisse non legitur apud Mosen.

v. 13. 14. φωνὴν μίαν — λέγοντα) Hanc codicis *Alexandrini* lectionem pro genuina habeo. Vid. App. crit. Ed. II. Genus masculinum a participio in adjectivum transfertur in cod. Berolinensi, interjecto puncto, *vocem. unum* etc. — ἐνώπιον —, *coram* —) ubi liturgia coelestis peragitur.

v. 14. ὁ ἔχων) Vid. App. Τῷ ἀγγέλῳ ὁ ἔχων quomodo dicatur, patebit ex notula ad c. 20, 2. — μεγάλῳ) Frequens hoc *Euphratis* epitheton *magis necessarium* dixi c. 16, 12., quam c. 9, 14. Utrique loco aeque conveniens censetur a Wolfio: sed certe miraculum *exsiccationis* amplificat magnitudo sive latitudo et profunditas fluminis: Psalm. 74, 15. hic autem ad angelos flumini *alligatos* non tantopere pertinet eadem fluminis magnitudo; imo alienior ea est, si angeli, quod nemo aut affirmare aut negare potest, in ea regione, ubi *minor* sit ille fluvius, alligati fuerint. Utut est, ad testes, adjectivo hocce carentes, *Apringii*

---

1) τὸν ἄγγελον τῆς ἀβύσσου, *angelum abyssi*] Non est ipse Satanas. *V. g.*

Digitized by Google

commentarius accedit; et *flumen magnum Euphrates* legitur Deut. 1, 7. Jos. 1, 4. sed *flumen Euphrates*, Deut. 11, 24. in Hebraeo: nam ibi quoque Graece τοῦ μεγάλου additur. Neque inepte iteratur articulus, τῷ ποταμῷ τῷ εὐφράτῃ· sic enim legimus Gen. 19, 9., τὸν ἄνδρα τὸν λώτ. Apud Ez. saepius, ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ τοῦ χοβάρ. Est Appositio.

v. 15. τὴν) Articulus tollit vim distributivam, ut docet E. Schmidius in Not. ad N. T. f. 806. quare hic non quaelibet *hora, dies, mensis, annus*, denotatur, sed definita temporum periodus. Ea est propemodum 207 annorum, si videtur, ab A. 629 ad A. 836. an ab A. 634 ad A. 840, id est, ab extremo Abubeker tempore ad obitum Mutasimi. Videatur inprimis Drechsleri chronicon Saracenicum a *Reiskio* auctum, p. 14—37. et *Hottingeri* Hist. eccl. Sec. VII. VIII. IX. et Comp. theatri orient. Part. I. cap. 3.

v. 16. δισμυριάδες μυριάδων) Chilias est 1000; at myrias, 10,000. Myriades (plurali numero strictissime sumto, pro binario, uti c. 12, 14.) 20,000. Ergo una chilias chiliadum, 1,000,000. chilias myriadum, 10,000,000. myrias myriadum, 100,000,000. myriades myriadum, 200,000,000. Sed quid sunt δισμυριάδες μυριάδων, δὶς in optimis monumentis ad pluralem myriadum numerum superveniente? Saepe δισμύριοι extant in libro II. Macc. Inde δισμυριὰς, (instar δισχιλιὰς, priore compositi parte, ut fit in numeralibus, immutabili,) id est, *myrias duplicata:* [400 *millionen, auf das wenigste.* Not. crit.] qualia etiam sunt illa, Gen. 32, 3., *bina castra.* Kohel. 6, 6., *mille annos bis.* Psalm. 68, 19., *duae myriades, millia iterata;* Geiero inprimis interprete. Apud *Primasium* quisquis *octoginta millia* interpretatus est, neque Graecus neque Arithmeticus fuit: sed tamen is quoque, ut alii apud Primasium legebant, δισμυριάδες μυριάδων legisse videtur: ac, ni fallor, primo *myriadas myriadum*, quadratum quiddam referre visas, putavit esse *quatuor myriadas*, sive 40,000. deinde, hac ipsa summa ob δὶς particulam duplicata, sumsit 80,000, cum essent 400,000,000 *equites.* Complures temporum periodos, praesertim sub vae primo et tertio, duplici ter exprimit Apocalypsis: at secundi vae durationem semel notat per *horam et diem et mensem et annum;* ac vicissim sub eo vae pro altero temporis indicio numerum *exercituum equestrium*, id est, equitum indicat. Vae secundum est fere 207 annorum humanorum. itaque in singulos annos, (si alii sive novi quotannis equites existerent,) numerosissimae copiae 2,000,000, vel certe, si cui δὶς illud non placet, 1,000,000 equitum conferuntur. *Auditum sibi numerum eorum* quum subdit Johannes, innuit, numerum certum, si pro incerto sit positus, non tamen latam habere incertitudinem; et magnitudinem numeri, quamvis *incredibilis* videatur, tamen credendam esse. In extremo major etiam multitudo exsurgit c. 20, 8.

v. 17. πυρίνους καὶ ὑακινθίνους καὶ θειώδεις, *igneos et hyacinthinos et sulphureos*) Eosdem colores in alia re conjungit Lucretius lib. IV., *lutea russaque vela Et ferruginea.* ferruginea, eadem, quae *hyacinthina.* Virgilius *ferrugineos hyacinthos* dicit; id Servio est, *nigri coloris.* Quare hoc loco *hyacinthini thoraces* et *fumus* inter se respondent: ut *ignei thoraces et ignis, sulphurei thoraces et sulphur.* Propria et tropica versu hoc et seqq. sunt contemperata.

v. 19. αἱ γὰρ οὐραὶ αὐτῶν ὅμοιαι ὄφεσιν, ἔχουσαι κεφαλὰς, καὶ ἐν αὐταῖς ἀδικοῦσι, *nam caudae eorum similes serpentibus, habentes capita, et in iis laedunt*) Talis serpens, amphisbaena, ἀμφισβαίνης, de qua Plinius lib. VIII. c. 23. *Geminum caput amphisbaenae, hoc est, et a cauda, tanquam parum esset uno ore fundi venenum.* Lucanus: *et gravis in geminum surgens caput amphisbaena.* Solinus c. 30., *Amphisbaena consurgit in caput geminum, quorum alterum in loco suo est, alterum in ea parte, qua cauda. quae causa efficit, ut capite utrinque secus nitibundo serpat tractibus orbiculatis.* Adde Nican-

Digitized by

drum et Hesychium, qui ait esse εἶδος ὄφεως — τὴν οὐρὰν κολοβὴν ἔχον, καὶ ταύτῃ πολλάκις τὴν πορείαν ποιούμενον, ὥστε τινὰς ἀμφισβητεῖν, μὴ δύο κεφαλὰς ἔχει. Caput in cauda amphisbaenae qualecunque est, hanc apocalypticam picturam illustrat.

v. 20. 21. οὔτε — καὶ οὐ) Praedicatum bimembre. Latine, *neque, neque.* Similes particulae, Joh. 4, 11. 3 Joh. v. 10. Marc. 5, 3. s. [Poenitentia *plagarum scopus fuerat.* V. g.] — τὰ εἴδωλα, *simulacra*) Cultus imaginum A. 842 in oriente solenniter stabilitus est. — τῆς πορνείας) Dicitur in plurali, πορνεῖαι, 1 Cor. 7, 2., et tamen hoc loco singularis numerus pluralibus interponitur. Alia scelera ab hominibus per intervalla patrantur: una perpetua πορνεία est apud eos, qui munditie cordis carent.

CAPUT X.

v. 1. Καὶ, *et*) A c. 10, 1. ad c. 11, 13. insignis est locus, quo amplissima septimi angeli tuba praelibatur. Dum enim draco etiamnum in *coelo* est, et ex *mari terra*que bestia septiceps et bestia biceps ascensurae sunt, neque calamitatum ullus in mundo finis apparet: *angelus*, quem creatum angelum esse Cluverus T. III. f. 4. agnoscit, *coelo* dextram manum, *mari* pedem dextrum, *terrae* sinistrum immittit, ostendens et jurato confirmans, omnes tamen hosce hostes [*quomodocunque saeviant*, draconem *nimirum coelo, mari terraque* bestiam, V. g.] *intra chronum* amotos fore. [*DEI videlicet, Creatoris* (v. 6.) *sunt manentque coelum, terra et mare.* V. g.] Habet hic locus duas partes parallelas: c. 10, 1—7. et v. 8. — c. 11, 13. Unde etiam duae periodi, *Nonchronus*, et *multitudo regum*, parallelae sunt, c. 10, 6. 11. Ambae periodi incipiunt ante exitum vae secundi, c. 11, 14.: sed, ubi semel inceperunt, continuo cursu in ipsam angeli septimi tubam longe porriguntur, usque ad magnam illam metam, de qua c. 12, 14. Ideo ob concatenatum nexum cum iis rebus, quae ortum bestiae ex mari praecedunt, complura hic, non turbato libri ordine, repraesentantur, quae tamen multo inferius recurrunt. Sic *consummatio indignationis Dei*, c. 15, 1., praecedit laetam *mysterii Dei consummationem*, c. 10, 7.: et haec consummatio ut futura notatur etiam in c. 17, 17. Ascensus bestiae ex *abysso*, c. 11, 7., futurus est etiamnum in c. 17, 8. *Terrae motus* ille, quo urbs magna in *tres* partes scinditur, c. 16, 19., praecedit *terrae motum* hunc, quo pars ejusdem urbis *decima* cadit, et reliqui convertuntur, c. 11, 13. Firma est haec et valde necessaria observatio, cujus ope magni multique errores, passim obvii, effugiuntur. — ὡς στύλοι πυρὸς) Apud LXX dicitur στύλος πυρὸς columna, qua Israëlitae ducebantur noctu in deserto. Pedes hujus angeli, *columnis* similes, erant *paralleli* in stando; et rotundi, rotunditate aequali, ad plantam usque. conf. Ez. 1, 7.

v. 2. βιβλαρίδιον) At v. 8. 9. 10., βιβλίον. Hac lectione, *libellulus* esse primum videbatur Johanni, ad ingentem staturam, in qua angelus apparebat, coelum, mare, terram quodammodo complectens. Deinde vox e coelo appellavit *librum*, ob magnitudinem argumenti: et hanc appellationem ore ac manu docili imitatus est Johannes. Βιβλιδάριον σφόδρα ὑποκοριστικῶς λεχθὲν dicitur apud Andream Caesariensem in cod. Augustano. — θαλάσσης — γῆς, *mari — terra*) *Le Buy, Marckius, Newtonus*, recte *mare* interpretantur Europam, *terram* Asiam. quo pacto *flumina* Africam denotant, et *sol* ad totum orbem pertinet. c. 8, 7. 8. 10. 12. 16, 2. 3. 4. 8. Mare, Europa: Terra, Asia. Sic *Huth* diss. II. ad Ap. 14. p. 12.

v. 3. μυκᾶται) ὠρύεσθαι dicit vocem animalis fame vel ira affecti: μυκᾶσθαι, vocem naturalem. Utrumque etiam leoni tribuitur. Theocritus μύκημα adscribit leaenae.

Digitized by Google

v. 6. ὅτι χρόνος οὐκέτι ἔσται, *chronum non amplius fore*) Gravissimum hoc apophthegma levi commento multi praetermittunt. Henr. Efferhen in Homilia VI. et XIII. de Gog et Magog interpretatur sic, *non praeteribit spacium anni*, videlicet inter Gog et inter finem rerum. Agnovit, *chronon* hic specifi significatu accipi oportere: sed Gog multo serior est, quam *Non-chronus*, (quem *Ne-chronum* dixeris latinius:) et haec periodus multo longior est, quam *annus*. Imo longior est, quam 1000 anni: et brevior, quam chronus, id est, quam anni 1111 1/9. Exibit A. 1836. Inde retrorsum *chronus* est ad priores partes Anni 725: et mox initium Chroni initia Non-chroni exceperunt. Ineunte non-chrono Saraceni non solum Hierosolymam tenebant, sed etiam toti ecclesiae christianae, ad summum veniente vae secundo, interitum videbantur intentare. Sed tamen *intra* chronum et haec et insequentia mala fore superata confirmat angelus. Eudo Saracenos A. 726 vicit: et Carolus Martellus A. 731 ingentem eorum multitudinem praelio Turonensi delevit. v. *Vitringa* ad Ap. 12, 16. Nepos Martelli Carolus M. A. 800 novum in occidente inchoavit ordinem Imperatorum, sive *regum multorum* v. 11. Atque hic Non-chronus complectitur, praeter cetera, paucum tempus vae tertii, tempora 3 1/2 mulieris in deserto, et durationem bestiae varie divisam. Magna quidem super his periodis est dubitatio, et multi negant, ante exitum sciri quidquam posse: quo ipso martyres testesque veritatis, in Reformatione, et antea et postea, Apocalypsi, ejusque maxime capite 13. et 17. freti, deseruntur, et palmarius prophetiae, contra mala imminentia nos praemonentis et praemunientis, fructus evacuatur. Sane ad reserandam Apocalypsin aut totus eventus est necessarius, aut pars bona sufficit. Si totus eventus est necessarius, Apocalypsis neutiquam ante consummationem seculi intelligetur: nam eventus eo usque, imo in ipsam aeternitatem porrigitur. Si pars bona sufficit, quin ubimur ea parte, ut ex praeteritis futura metiamur, neque in eventus incurramus imparati! *Temerarius* est, qui dormit in periculo, non qui id prospicit. Non ita debemus esse confidentes in determinandis futuris, ut non ex eventu suspendi debeant, quae textus non definiit, vel certe interpres nondum distincte cernit. Multa exempla habet *Die Erkl. Offenb.* pag. 725. 874. 1064. etc. Sed qui omnia specialia vitant, ne quid in eventu quidem observare debeant, norunt. Spiritualis docilitas et sobrietas bene conveniunt.

v. 7. καὶ ἐτελέσθη) καὶ habet vim consecutivam, *atque*, uti Joh. 4, 35., ἤδη τετράμηνός ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται. — τὸ μυστήριον — τοῖς προφήταις, *mysterium — prophetis*) Hoc *mysterium*, Apocalypsi cum *prophetis* V. T. copiosissime collata, egregie illustravit D. Joach. Langius in *Gloria Christi*. Tempus autem consummandi hujus mysterii, modo ad versum 6., et alias passim, declaravimus. Non solum per prophetas, sed ipsis quoque prophetis annunciatum est. Dan. 10, 12.

v. 9. δοῦναι) δὸς, perpauci, facilitatis gratia: δοῦναι, multo plurimi. unde olim *Latinus* reddidit, *ut daret*, et sic quoque *Syrus*. At praesenti allocutioni rectus sermo prae obliquo congruit. Quod superest, Infinitivus pro Imperativo ponitur. Frequens enim est haec enallage Modi apud Graecos, ut ostendimus ad Chrysost. de Sacerd. p. 510. seq. Adde Biblioth. Brem. Class. VIII. p. 945. seqq. Ipsum δοῦναι pro δὸς extat apud Theocritum. Fert hoc Hebraeus etiam sermo, de quo vid. Dign. Speidelii Gramm. Hebr. p. 139. Ac LXX Gen. 45, 19. קחו λαβεῖν — καὶ παραγίνεσθε. Adde Luc. 9, 3. Rom. 12, 15. Phil. 3, 16. Moratum talis figura sermonem efficit, eique vel *majestatis* sensum indit, praesertim ubi Deus loquitur: vel *modestiam*, ut h. l. Etenim Johannes magnam subinde in hoc libro, ac propemodum nimiam, erga coelites reverentiam declaravit, c. 7, 14. 19, 10. 22, 8. Itaque δοῦναι pro δὸς modestiae illi respondet, qua in postulando libello usus est erga angelum. Johannis exemplo humilitatem

Digitized by Google

cordis et scrutinium propheticum debemus conjungere: eamque conjunctionem commode explicat, si dextre accipias, Lampius ad Psalmum 131.

v. 11. [1]) προφητεῦσαι, *prophetare*) Johannes, in visione agit per totum libri decursum.

CAPUT XI.

v. 1. Καὶ ἐδόθη μοι κάλαμος ὅμοιος ῥάβδῳ λέγων) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Ἐδόθη μοι λέγων posset per syllepsin resolvi. nam Hebraei לאמר absolute ponunt, unde idiotismus LXX interpretum, λέγων et λέγοντες, v. gr. Es. 7, 2., καὶ ἀπηγγέλη εἰς τὸν οἶκον δαυὶδ λέγων· ubi passivo ἀπηγγέλη continetur activum ἀπήγγειλεν, et ex ἀπήγγειλεν pendet λέγων. 2 Reg. 18, 36. ὅτι ἐντολὴ τοῦ βασιλέως, λέγων. Et sic saepe, praesertim in Genesi et in Prophetis prioribus, et Ex. 18, 3. 6. 2 Chron. 10, 15. Es. 30, 21. Ez. 12, 22. Ps. 78, 4. Job. 22, 17. Pari modo λέγων hic necti posset cum verbo ἔδωκεν, quod continetur in ἐδόθη. Sed commodius ipsi calamo per metonymiam loquela tribuitur, Johanne Eum, qui calamum dabat, ex v. 3. 8. noscendus, non conspiciente. Nam sic etiam *Altare loquens* audivit Johannes c. 16, 7. — μέτρησον, *metire*) *Mensio*, adhuc futura.

v. 2. τὴν αὐλὴν) In tabernaculo Mosaico, in templo Salomonis, et in templo Ezechielis pro Hebraico חצר LXX αὐλὴ ponere solent. Notatur atrium *subdiale* (in quo facile חציר *gramen* crescit:) quare sequitur, τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ· ἔσωθεν, pro ἔξωθεν, alicubi irrepsit: sed haec, αὐλὴ, quum unica sit, intra templum, cui contradistinguitur, esse non potest. Etiam Ezech. 8, 16. est חצר פנימית. Sed hic solius *aulae* (*templo* contradistinctae) *exterioris* mentio fit: quae in *mensurando* non cum templo in censum venire, sed ut *exterior* est, ita extra templum sini debet. Per codices lectio ἔξωθεν multo est firmior. — ἔξωθεν — ἔξω) Ploce: uti Es. 32, 19., *in humili humilis erit urbs*. — πατήσουσι, *calcabunt*) Vid. Luc. 21, 24. not. — μῆνας τεσσαράκοντα δύο, *menses XLII*) Hi menses, et versu 3. *dies MCCLX*, sunt communes. namque in eventu seriores sunt numero bestiae, qui partim aenigmatice partim proprie positus, transitum libri a propheticis temporibus ad communia definit, ut alias ostendi copiosius. Porro, in *Harmonia Evangelistarum*, A. 1736, declaraveram, me in Gnomone responsurum ad *Joh. Christiani Seiz.* Demonstrationem mathematicam de 1260 diebus testium et mulieris, Apoc. 11. et 12. Responsionem equidem hoc loco adornatam habui satis copiosam, non modo ad illam Demonstrationem, sed etiam ad alteram, quam idem, anno 1737 ineunte, *Calami mensorii* titulo edidit. Sed eodem anno, ut res tum postulabat, scripsi diatriben, a collectoribus operis, quod vocatur *Geistliche Fama*, post alias Seizii et meas commentationes, Parti XXIII insertam: et interea dies, decisionem afferens, sententiam meam comprobavit, responsionemque supervacuam fecit. Hac igitur amota, alios interea nactus adversarios, illum dimitto. nam a disceptationibus haud necessariis vehementer abhorreo.

v. 3. δώσω, *dabo*) videlicet, ut *prophetent*. [*Jesu Domini hic sermo est, de serris prorsus eximiis*. V. g.] καὶ sequitur hic tale, quale ו est Jobi 6, 9. ויאל אלוה וידכאני Gen. 47, 6. ואם ידעת ויש. — τοῖς δυσὶ μάρτυσί μου, *duobus testibus meis*) Non sunt hi Moses et Elias: sed insignes duumviri, (ut praeter alios interpretes Nic. Selneccerus agnoscit,) illorum simul, et Josuae ac Zorobabelis similes. Ceterum venturus utique est, ante adventum Christi ad judicium, *Elias* propheta, uti venit ante adventum Christi in carne *Johannes* baptista, Mal. 3, 23. (4, 5.) Et quemadmodum se habet indoles et agendi ratio Johannis bap-

---

1) πάλιν, *iterum*] ut alii, te praegressi v. 7. *V. g.* — βασιλεῦσι πολλοῖς, *regibus multis*] cum illa temporis periodo, quae v. 6. memoratur, pari passu ambulantibus. *V. g.*

Digitized by Google

tistae ad adventum priorem, ita habet se indoles et agendi ratio Eliae prophetae ad adventum ultimum. conf. Matth. 17, 12. not.

v. 4. αἱ δύο ἔλαιαι καὶ αἱ δύο λυχνίαι αἱ ἐνώπιον τοῦ κυρίου τῆς γῆς ἑστῶτες) Vid. App. crit. Ed. II. *Deus coeli* dicitur versu 13., et *Deus terrae*, Es. 54, 5. *Deus coeli et Deus terrae*, Gen. 24, 3. sed hoc loco *Dominus terrae*, ut in parallelo, Zach. 4, 14. — Omnino Grammaticis regulis et multorum gustui congruit ἑστῶτες, ac potius αἱ ἑστῶσαι· neque recusarem αἱ ἑστῶτες pro vitio librariorum habere, si hic unus ejusmodi locus esset. Sed quia Apocalypsis scatet figuratis locutionibus, ut passim ostendimus: quovis loco variante *paradoxam*, fateor, lectionem *genuinam* esse praesumo, eamque per librarios minus obstinatos fideliter simpliciterque propagatam, ceteras vero ad vulgarem regulam per recentiores librarios conformatas censeo. In praesenti exprimitur illud העמדים ex Zach. l. c. quamvis in Hebraeo facilior sit constructio, quam in Graeco, uti modo in לאמר λέγων v. 1. Articulus hoc loco est necessarius, ad nexum sermonis, ut ה in העמדים Nullus liber οἱ habet: manet igitur αἱ. Multo flexilior est articulus Graecus, quam nostra fert assuetudo: ut τῷ τὸν φόρον, ὁ τὸ πολὺ, οἱ μακρὰν κτλ. Itaque αἱ — ἑστῶτες, si placet, dicitur, ut si diceretur αἳ — εἰσὶν ἑστῶτες, ubi αἱ subjectum et ἑστῶτες praedicatum non male conveniunt. Non dissimilis generum disparitas c. 14, 19. Vid. etiam Not. ad Chrys. de Sacerd. p. 504. Si quis statuit, Johannem non potuisse ita scribere, sequatur, quod eum scripsisse judicat.

v. 8. 9. τὸ πτῶμα) נבלה singulari numero, collective dicitur, Ps. 79, 2. Es. 26, 19. Jer. 34, 20. et sic h. l. τὸ πτῶμα, de duobus. Etiam *caput Oreb et Zeeb* dicitur, pro *capitibus*, Jud. 7, 25. Tertio mox loco τὰ πτώματα dicuntur: quanquam ibi quoque singularis numeri vestigium est in cod. *Leicestrensi*, τὸ σῶμα. Differentiae rationem tametsi nullam videmus, tamen nullam esse temere dixeris. [Jacere *non dicuntur in textu. Quid, si* suspensum *iri supponas, quemadmodum et Dominus eorum e cruce fuit suspensus?* V. g.] — τῆς πλατείας — ἐσταυρώθη, *platea — crucifixus est*) *Crucis* locus sub Tiberio extra urbem erat, haud scio an etiam sub Adriano: in urbem a Constantino exstructam transiisse *martyrium* Dominicum sive crucis locum, docet Eusebius lib. III. de vita Const. cap. 32., et cap. 38., ubi *plateae* vicinae meminit. Varie mutata est urbis figura, et posthac mutabitur. Urbs intra moenia locum *crucis* sive habet hodie, sive non habet, (nam peregrinatores inter se dissentiunt, et qui negant, longe majori cum specie id faciunt:) testium certe tempore locum crucis habebit in *platea*, vel intra moenia, vel extra. nam sic quoque רחב πλατεῖα dicitur. 2 Sam. 21, 12. Prov. 26, 13. Neh. 8, 1. cum adnot. Halens. p. 178. Luc. 10, 10. (coll. Matth. 10, 14.) Esth. 4, 6. Conf. Lightfoot. Hor. in Matth. p. 54. Bestia pridem valde laborat de Palaestina: post ascensum ex abysso laborat multo magis.

v. 9. καὶ βλέπουσιν — καὶ οὐκ ἀφήσουσι) Praesens, subsequente alio tempore. Sic mox, χαίρουσι καὶ εὐφρανθήσονται. Conf. c. 12, 4. 13, 12. — ἡμέρας τρεῖς ἥμισυ) *dies* $3^1/_2$, non 3, aut 4. Irrefragabile exemplum vel unus praebet hic locus, quam religiose, i. e. quam praecise interpres, DOMINI verba tremens, propheticos numeros, proverbiali rotunditate carentes, accipere debeat. vid. *Erkl. Offenb.* p. 99.

v. 11. πνεῦμα ζωῆς) Sic LXX Gen. 6, 17. — εἰσῆλθεν αὐτοῖς) Hanc lectionem *Wolfius*, Graece alioqui callentissimus, *exemplo destitui* arbitratur. Atqui *Plutarchus*, πυθομένοις τοῦτο, δεινὸν εἰσῆλθε μῖσος. Multo antiquior *Herodotus*, τοῖσι ἐσελθεῖν ἡδονήν. *Plato*, εἰσέρχεται αὐτῷ δέος. Veruntamen hoc ab Hebraismo remotius est. Malim εἰσῆλθεν ἐν αὐτοῖς בם ab *Alex.* et *Augustano* codice admittere, praesertim quum facile syllabam ἐν bis legendam, semel scripserint librarii. Sic Luc. 9, 46., εἰσῆλθε δὲ διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς· ubi item ἐν in duobus codicibus, Seldeni et Wolfii, omittitur.

Digitized by Google

v. 13. ὀνόματα ἀνθρώπων χιλιάδες ἑπτὰ) Frequens appositio: δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι, c. 7, 5. seq. τρεῖς χιλιάδας παραβολὰς, 1 Reg. 4, 32. ψυχὰς ἀνδρῶν ἑκατὸν χιλιάδας, 1 Chron. 5, 21. — καὶ οἱ λοιποὶ, *et reliqui*) qui ex *Decimatione* supererant [*i. e.* 63 *hominum millia. Amplissima conversio!* V. g.] *Baal Turim* (ut docet Lightfootus in Chron. N. T. ad Joh. 3.) *in* Num. 24, 8. *in ea verba*, Consumet gentes inimicas sibi, et ossa eorum franget; *notat literam* ז *donatam peculiari quodam signo, quod praemonstrat* eradicaturum septem gentes (Canaanitarum *scilicet*) et tempore venturo (לעתיד לבוא) reliquas sexaginta tres gentes, *i. e. universas septuaginta gentes mundi.* Tristitiam ominis mitigat hic Apocalypseos locus. — [1]) ἔδωκαν δόξαν, *dedere gloriam*) Character conversionis. Jer. 13, 16. — τῷ θεῷ τοῦ οὐρανοῦ, *Deo coeli*) *Dominus terrae* dicitur, versu 4. quando in terra jus suum per duos testes adversus contumaces declarat: *Deus coeli* dicitur, quando non solum, post calamitosissimam siccitatem, pluviam dat *de coelo*, sed etiam duobus testibus *in coelum* sublatis suam *in coelo* majestatem ostendit.

v. 14. ἡ οὐαὶ ἡ δευτέρα, *vae secundum*) Hoc cel. D. Langio *designat periodum furoris antichristiani* 42 *mensium.* Comm. Ap. f. 221. Sed plane vae secundum attulerunt quatuor angeli Euphrataei. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 73. etc.

[2]) v. 15. ὁ ἕβδομος, *septimus*) *Septimi* angeli praecipua Tuba est. Haec ipsis apostolorum temporibus habebat propinquitatem: habitura vero eadem erat diuturnitatem. Propinquitatem rerum, quae in ea seculurae erant, saepe seorsum spectavere apostoli, et fidelibus proposuere: ex diuturnitate autem ipsum terminum, ad quem res decursura foret, negarunt empaectae; fideles diuturnitatem ipsam minus ceperunt. Ab utrisque causa apostolis data est, mysterii plenius explicandi. 2 Petr. 3. 2 Thess. 2.

Num *Gabriel* hic sit angelus, *cogitandum* lectori proponimus in Exegesi Germanica. Atque ipsum nomen גבריאל congruit. nam אל est *Deus:* et גבר *vir, validus.* Itaque id nomen, summam exhibet legationis ad Mariam, Luc. 1, 31. 35., et tubae in coelo hic ineuntis. ñam c. 12, 5. nascitur υἱὸς ἄῤῥην. Is est אל גבור Es. 9, 5. Nil definio: nil conjicio: tantum quaero. Quod vero sequitur, affirmo: Haec tuba omnium est amplissima, quae et ipsa laetissimum hic habet argumentum, et omnes tubas priorum angelorum, coelitibus duntaxat, laetas reddit. Quare audiendi non sunt, qui hic malunt *tristes buccinas,* ab Judaeis in excommunicatione adhibitas, quam *festivas tubas* interpretari. Antiquitatum Judaicarum abusus in exegesi N. T. praesertim Apocalypseos, plus obest, quam usus earundem prodest. Veritas, ex ipsa textus evidentia, suam habente αὐτάρκειαν, discitur: abusus, errores injicit. Alia exempla videmus ad cap. 13, 18. (annot. 2. §. 2.) et ad cap. 14, 20. 17, 9. not. 1. Praestaret, non attingere Judaeorum libros, si non melius operae pretium ex iis reportari posset. — ἐν τῷ οὐρανῷ, *in coelo*) Hoc proprie parallelum est cum loco illo Dan. 2, 44.: *IN Diebus regum illorum* (non posteaquam deleti erunt) *Deus COELI eriget regnum.* Dicitur *Deus coeli,* majestatem suam in *coelo* ostendens. conf. omnino v. 13. *not.* Postea res in *terram* descendit. Vid. mox de *regno mundi.* — λέγοντες) Vid. App. Ed. II. Sic c. 4, 1. multi, ἡ φωνὴ λέγων. Vid. etiam cap. 5, 12., et quae notavimus supra ad cap. 9, 13. s. quaeque notat Wolfius ad c. 14, 7. 19, 1. De scriptore Apocalypseos, non 200 post annis, sic existimavit Dionysius Alexandrinus, διάλεκτον μέντοι καὶ γλῶσσαν οὐκ ἀκριβῶς ἑλληνίζουσαν αὐτοῦ βλέπω, ἀλλ' ἰδιώμασι μὲν βαρβαρικοῖς χρώμενον,

---

1) ἔμφοβοι ἐγένοντο, *perterrefacti sunt*] Optabilius hoc auditu, quam istud: *quorum nulla fit mutatio, quique Deum nihil reverentur.* Ps. 55, 20. Conf. etiam Apoc. 16, 9. *V. g.*

2) ἡ οὐαὶ ἡ τρίτη, *vae tertium*] Ultima hoc vice praedicitur c. 12, 12.: tum c. 13. sq. reapse consequitur. *V. g.*

Digitized by Google

καί που καὶ σολοικίζοντα. *Verum sic,* inquit Lightfoot, *de dialecto et phraseologia judicat, qui neutram callebat, et id, quod hunc librum maxime commendat, eo vituperium culpat.* Johannes *enim* θεοδίδακτος *passim in sua* Apocalypsi *veteris Testamenti stylum assumebat: hic autem, qui* Hebraeae *linguae erat ignarus, id omne, quod DEI DIALECTUS erat, SOLOECISMO imputabat, et quod intelligere nequibat, barbarum esse credebat.* Op. posth. f. 145. Sed tamen lectiones apocalypticae, (soloecismi *specie* praeditae,) ut Dionysius demonstrat, vetustae sunt, frequentes sunt, atque analogiam inter se habent: quae autem syntaxin communem sequuntur, per librarios sunt invectae, multis post Dionysium seculis. — ἐγένετο ἡ βασιλεία τοῦ κόσμου, *factum est regnum mundi*) Multo gloriosior est haec primaeva lectio, quam illa festinantis librarii, ἐγένοντο αἱ βασιλεῖαι κτλ. Tales et tanti naevi, quos cap. 1, 18. 3, 12. 5, 14. 6, 11. 11, 2. 17. 14, 1. 15, 3. 17, 8. 16. 20, 4. 21, 24. 22, 19. etc. notavimus, in iis remanent editionibus, quae certatim recuduntur: quae iis medetur recensio (non mea queror causa) neglecta jacet. Vid. Praef. §. VIII. monit. 20. Revertimur ad locum. Divino *mundi regno* regna mundi cedunt. Sic Obad. v. 21., et Psalmi passim. Recte quidem Vitringa: *Tempore Constantini,* inquit, *implementum hujus oraculi frustra quaeritur:* Anacr. Ap. p. 512. sed idem prophetiam hanc *post interitum bestiae* impletam iri putat. In utroque assentitur ei cel. D. Langius. Hic vera textus analysis summe est necessaria: repraesentavimus autem eam supra, in Prooemio ad Apoc. num. 6. Multi nativam seriem capitis 11. et sequentium convellunt: sed ea se ipsam vindicat. vid. *Erkl. Offenb.* p. 71. seq. 552. 564. etc. Vae tertium, quod capite 12, 12. proponitur, et praecipue capite 13. describitur, jamdiu est in cursu: et ex praesentibus dignoscitur, quae sub tuba angeli septimi praeterita sint, quae futura. — τοῦ κυρίου Vid. App. crit. Ed. II. Sane κυρίου hic ponitur ut nomen proprium, (ut Grotius et Le Buy agnoscunt) cui optime cohaeret, quod mox sequitur, καὶ χριστοῦ αὐτοῦ. Etenim *Christus Domini* משיח יהוה dicitur, non *Christus Domini nostri.* Et sic in Apocalypsi coelites dicunt *Deus, Dominus, Deus noster, Dominus Deus noster*: nunquam, *Dominus noster.* Eandem, si non lectionem, at mentem, habuere *Athanasius* in Synopsi ad h. l. et *Rupertus* in comm. pag. 308. — καὶ τοῦ χριστοῦ αὐτοῦ, *et Christi, sive Uncti, ejus*) Prima haec est in Tractatione hac prophetica, post Exordium libri, appellatio *Christi,* in mentione videlicet *Regni* sub tuba angeli septimi. Namque rex antonomastice dicitur *Christus,* ut observat Hillerus Syntagm. p. 356. Conf. Brentii Homil. XLII. in Act. et Explic. catech. p. 114. seq. et p. 23. *Unctus* fuit Elisa *propheta,* 1 Reg. 19, 16. *Uncti* fuere *sacerdotes,* Exod. 28, 41.; sed maxime proprie *Reges.* Unde absoluta *Uncti* appellatio non nisi *regem* denotat. *Unctus Domini* solet dici, non *rex unctus:* at non nisi *sacerdos unctus* dicitur, per epitheton, Lev. 4, 5. imo Unctus etiam expresse a sacerdote distinguitur, 1 Sam. 2, 35. Psalm. 132, 16. 17. In tota historia evangelica nomen *Christi* nunquam vocabulo *sacerdotis, regis* nomine saepissime declaratur. Adeoque quotiescunque in Scriptura *Messias* memoratur, *Regnum* ejus spectatur. Sacerdotale officium simul et propheticum in regio (quod per metaphoram etiam *Pastor* significat, cap. 12, 5.) continetur. Vid. Hebr. 2, 17. not. Regnum saepe ad sacerdotium unus homo apud gentes quoque gessit, modo sub sacerdotis, modo sub regis titulo.

v. 16. ἐνώπιον τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ) Sic major pars codicum,[1]) quanquam antiquiores, τοῦ θρόνου, saltu a τοῦ ad τοῦ facto, omiserunt. *Throni* mentio vel maxime huic loco, de *regno,* congruit, ubi etiam *throni* seniorum memorantur.[2])

v. 17. ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, *qui est et qui erat*) Καὶ ὁ ἐρχόμενος, addidere aliqui

---

1) *Eamque confidentius margo* Ed. 2. *cum* Vers. germ. *sequitur, quam* Ed. maj. E. B.

2) ἐπὶ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, *in facies suas*] Nusquam alibi de Senioribus hoc legitur. E. B.

Digitized by Google

Brevior lectio, hic quoque genuina; plenior, ex parallelismo est. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Tales varietates non cursim, ex rationibus communibus, sed explorate, ex nervis cuilibet proprie loco insitis, decidendae veniunt. Quo pacto deprehendemus in praesenti, non tam cum tribus praecedentibus hunc locum c. 11, 17., quam cum uno subsequenti illo c. 16, 5., esse conferendum. Trium praecedentium locorum quae sit ratio, ad ea ipsa loca, praesertim ad c. 1, 8., notavimus supra: nunc vero uterque hic locus, c. 11, 17. et 16, 5., in tubam angeli septimi, adeoque in consummationem mysterii Dei cadit, in qua, quod antehac per τὸ καὶ ὁ ἐρχόμενος praenunciatum fuerat, nunc opere ipso exhibetur, et exhibetur quidem primum in coelo, c. 11, 17., deinde in terra, c. 16, 5. Viderunt id pridem interpretes h. l. Ansbertus: *Nequaquam subjungunt, ut solebant,* et qui venturus es; *praesentem jam demonstrant.* Haymo, Ansberti vestigiis insistere solitus: *Intuendum est, quia non subjungit,* qui venturus es, *ut supra. Praesentem enim jam in judicio, quo haec omnia agentur, demonstrant, quem venturum minime praedicant.* Joh. Purvaeus in comm. cum praefatione Lutheri excuso: *Tertium quod apponere consuerit, scilicet,* Et qui venturus est, *ideo non apponit, quia intellectuali visione tunc vidit propheta, quasi Deum jam judicantem.* Zeltnerus dissertationem A. 1712 edidit, quae inscribitur *Evangelium tetragrammaton e Novo Testamento exulans.* Argumentum, ut id titulus complectitur, ex vero trahit aliquid. Quum Filius Dei versabatur in mundo, de promissionibus in V. T. datis et in nomine *Jehovah* comprehensis, quotquot eo tempore implendae erant, impletae sunt: et tum, quod futurum fuerat, in praesens ibat. Sed tamen in prophetia N. T. id est, in Apocalypsi, illud ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, quo tetragrammaton יהוה exprimi solet, quasi de integro proponitur, et ipsum futurum, καὶ ὁ ἐρχόμενος, quasi redivivum in altero adventu Christi, de quo vid. Hebr. 10, 37., sistitur, donec ineunte amplissima septimi angeli tuba primum καὶ ὁ ἐρχόμενος, quod initio solum in אהיה extabat, deinde etiam καὶ ὁ ἦν, quod terminatio nominis יהוה denotabat, gloriosissime absorbentur et in merum illud ὁ ὢν transeunt. Hinc fit, ut etiam res magnae, ab hoc ipso loco, non *venire* dicantur, uti *venire* dicebantur modo v. 14. et cap. 9, 12., sed *venisse,* mox v. 18. et cap. 14, 7. 15. 19, 7. Normativam Scripturae vim, etiam in locutionibus tenendam, ii minus tenent, qui etiamnum in precibus, in canticis, subinde dicunt, *Jehovah,* pro, *Domine* vel *Jah.* Nam sub tuba septimi Angeli desinit usitatum esse hoc *Tetragrammaton,* et solum *Digrammaton* יה cum plausu effantur sancti. c. 19, 1.

v. 17. s. ἐβασίλευσας· καὶ τὰ ἔθνη ὠργίσθησαν) Psalm. 99, 1. LXX. int. Κύριος ἐβασίλευσεν· ὀργιζέσθωσαν λαοί. Verbum ὀργιζέσθωσαν respondet hic Hebraeo ירגזו uti Exod. 15, 14. 2 Reg. 19, 28., coll. v. 27. quo denotatur iracundia cum trepidatione.

v. 18. καὶ ὁ καιρὸς) scil. ἐστίν. Non enim videtur hic ὁ καιρὸς jungi cum ἦλθεν (quanquam saepe alias tempus et *esse* subintelligitur, et *venire* dicitur, idque uno junctim loco Psalmi 102. v. 14.) quum sententia illa, τὰ ἔθνη ὠργίσθησαν, καὶ ἦλθεν ἡ ὀργή σου, jam absoluta sit. Similiter post verbum ἔρχομαι subauditur ἐστὶ c. 22, 12. Similiter, ὁ καιρὸς (scil. ἐστὶ) τοῦ ἄρξασθαι τὸ κρίμα, 1 Petr. 4, 17. πότε ὁ καιρός ἐστιν, Marc. 13, 33. — τῶν νεκρῶν, *mortuorum*) mortalium et defunctorum. Plura sic loquentis Scripturae loca citat Exegesis Germanica. Adde Siracidem, supra notatum, ad Jud. v. 4. — κριθῆναι) Hoc verbum perinde, ut δοῦναι καὶ διαφθεῖραι, de Deo dicitur: respondetque Hebraeo נשפט quod item de Deo dicitur. Es. 66, 16. Ez. 38, 22. in Hebr. et Ez. 17, 20. 20, 35. 36. Joel. 4, (3,) 2. in Hebr. et apud LXX int. qui tamen non κριθῆναι, sed διακριθῆναι habent: et Jer. 2, 35. 25, 31.: quibus locis habent κρίνομαι. Innuitur admiranda Judicis summi συγκατάβασις, qua *disceptationem,* pro justitia suae causae demonstranda,

Digitized by Google

judicationi irrefragabili attemperat. ὅπως ἂν νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε, Rom. 3, 4. not.

v. 19. ὁ ναὸς) ὁ ναὸς, cap. 3, 12. 7, 15., est הֵיכָל templum *totum*, sed h. l. et deinceps דְּבִיר interior *pars* templi. [1])

CAPUT XII.

v. 3. Πυρρὸς) Alii πυρὸς, quod veteres ex πῦρ declinarunt, ut si Johannes diceret μέγαν πυρὸς δράκοντα. Sed etiam pro πυρρὸς scribitur πυρὸς, c. 6, 4. Vid. Apparat. p. 805. 820. [*Ed. II. p.* 524. 544.] Igneam draconis indolem refert color. — κεφαλὰς ἑπτὰ, *capita septem*) *qualia commemorat etiam historia, et in hac ipsa urbe* (Hamburgi) *olim ostensum fuit talis draconis septicipitis sceleton. Joh. Diet. Winckler.* Disquisition. p. 162.

v. 4. καταφάγῃ, *devoraret*) *Olim apud plures fidem obtinuit, serpentes recens natorum infantium carnibus inhiare solitos.* Pricaeus.

v. 5. ἔτεκεν, *peperit*) *Filium masculum* peperit ecclesia christiana, Christum, non in persona sua, sed in regno consideratum. De Constantino, imperii potito, interpretatur Vitringa, quem graviter refutat cel. D. Langius, in comm. Ap. f. 137. 141. Neque vero, ut hic idem statuit, *Israëlis conversio* hoc loco significatur: nam ea natio in conversione sua non parit, sed nascitur: et *corona stellarum duodecim*, duodecim tribus conversas praefigurat: coll. Gen. 37, 9. Partus hic descriptus jamdudum est factus: conversio illa nondum est facta. Peperit mulier, quum seculo IX multo plures, quam antea, *nationes*, cum suis principibus, ad coetum christiani nominis aggregatae sunt, *Slavorum* nominatim. Hoc igitur fere totum caput impletum est, quamvis in futura referat *D. Langius*, ibidem, et in Epicr. p. 408. Ipsum draconis bellum cum reliquo mulieris semine, v. 17., praecedit exortum bestiae ex mari: hic autem factus est Seculo XI, ut mox demonstrabitur. — υἱὸν ἄρρενα) Contulere huc literati homines loca apud Aristophanem et Alciphronem, ubi mulier dicitur peperisse παιδίον ἄρρεν· sed diversa est ratio. nam παιδίον est genus, υἱὸς species. Nec tamen sine causa υἱὸν ἄρρενα scribit Johannes. Etenim sic quoque Jer. 20, 15. dicitur זכר בן ubi Graece est υἱὸς ἄρσην, vel ἄρσην simpliciter, ut hoc loco Primasius, *filium* omittens, *masculum* dicit, quemadmodum versus 13. habet. — ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, in *virga ferrea*) Vindicta in diutinam contumaciam, dum se ad obsequium submittunt.

v. 6. εἰς τὴν ἔρημον) *Eremus* est pars orbis occidua, Europa, ejusve regiones praecipue cis Danubium: nam trans Danubium jam antehac magis imbutae erant Christianismo. Conjugata sunt ערבה *eremus*, et מערב *occidens*. Spectari hoc loco statum ecclesiae a Seculo IX, recte existimat *D. Laurentius Reinhardus* in Chronotaxi apoc. pag. 14. — ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἑξήκοντα, *dies MCCLX*) *Dies MCCLX* prophetici sunt anni communes DCLVII plani: quos si ab A. 864. ad 1521. numeres, certe non longe a vero aberraveris. *Firmum* in deserto, in Europa, locum mulier est nacta, in *Bohemia* praecipue, et ibi potissimum nutrita est, donec per *Reformationem* liberius et lautius ei *nutrimentum* obtigit. Terminus dierum 1260. est Reformatio [2]): terminus tempo-

---

1) τῆς διαθήκης, *testamenti*) foederis, cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo sanciti. *V. s.*

2) *Alia paullulum computandi ratione, in der* Erkl. Offenb. *Ed. II. p.* 592., terminus a quo *dierum* 1260 (*quibus ibi anni communes* 677 *aequiparantur*) *non* in anno 864, *sed* 946, *et* terminus ad quem *non in anno* 1521, *i. e. in* Reformatione, *figitur, sed in* Ecclesiae Bohemicae *violenta* suppressione, *anno* 1617 *subsecuta; eo quidem pacto, ut ipsa* Reformatio v. 14, *in* medio temporum 1. 2. ½, *et, praecise loquendo, in* medio binarii, *quem haec tempora referunt, locum suum inveniat. Ne magnum hic saltum committi existimes, Lector! memineris velim* (*aus der* Einleitung *zur Erkl. Offenb.*, §. 52.), diem propheticum *complecti* ½ annum

rum, 1, 2, et ½, est Millennium. *Inter Reformationem et Millennium non est notabilior revolutio, quam ipsa Reformatio,* cujus hinc momentum ingens satis perspicitur.

v. 7. ὁ μιχαὴλ, *Michaël*) Archangelus, sed tamen angelus creatus. Dan. 10, 13. Jud. v. 9. Creatum agnoscunt angelum Nic. Collado, Raph. Eglinus, Jonas Le Buy, Grotius, Cluverus, Medus, Dimpelius, alii. — τοῦ πολεμῆσαι) scil. ἦσαν. Elegans locutio. Sic Basilius Seleuciensis de Abele, ὅλος τοῦ δώρου γενόμενος, *totus in id, quod offerebat, intentus.* Conf. 2 Chron. 26, 5. in Hebr. Bellum coepit super πλάνῃ, qua totus orbis ablatus erat. — μετὰ) *cum,* id est, *contra.* Sic μετὰ, v. 17. 2, 16. 11, 7. 13, 4. 7. 17, 14. 19, 19.

v. 8. οὐκ ἴσχυσεν — αὐτῷ) Alii, οὐκ ἴσχυσαν, οὐδὲ τόπος εὑρέθη αὐτῶν. Pluralis numerus si valeret, esset οὐδὲ τόπος εὑρέθη αὐτοῖς (non αὐτῶν) uti dicitur Ap. 20, 11. Dan. 2, 35., nec non Job. 16, 18. *Victorinus* quoque habet, *Et non est inventus EI* (non, *EORUM*) *locus in coelo.* Et *Cassiod.* in Complexion. *draco praecipitatus in terram corruit, ita ut locum beatitudinis ulterius non HABERET.* Exegesis item *Andreae* de dracone solo, non de angelis ejus loquitur. Quo pacto fere omnia pro plurali testimonia disparent. Stilus Apocalypticus, quod boni fit, quod adversi accidit, id principi sive antistiti, in singulari numero, prae iis quos habet subjectos, solet tribuere. Id hoc quoque loco obtinet. nam versu 7., in proelio, draco primum solus, deinde idem cum angelis suis, singulari tamen verbo, ἐπολέμησε, memoratur: et sic versu 9. 10., in clade, draco primum solus, deinde cum angelis suis describitur. Posthac solius draconis mentionem hic liber facit: quare ex hoc primo loco angeli draconis, ubi res fert, subaudientur. Simplex verbum ἰσχύειν, pro quo Pricaeus mallet κατισχύειν, ponitur hoc loco, uti apud LXX int. Psalm. 13, (12,) 5. Dan. 7, 21. ἰσχύειν πρός τινα. — ἐν τῷ οὐρανῷ, *in coelo*) in quo, inde a triumpho Christi, adhuc accusarat fratres coelitum, v. 10. Conf. v. 12. Coelo terra includitur: non contra.

v. 9. ὁ καλούμενος διάβολος, καὶ ὁ σατανᾶς κτλ.) *Diabolus* et *Satan* exacte sunt synonyma, ut docet Drusius, et Raphelius in Annot. ex Polyb. p. 719. nam et שטן et διαβάλλειν est *interjicere se* ad obsistendum: quare etiam LXX pro שטן quod 1 Reg. 11, 14. 23. 25. Graece retinetur, saepius ponunt διάβολος. Proinde non magis differunt, quam *gladius* vocabulo communi, et *ensis* poëtice. In solo idiomate Hebraeo et Graeco inest differentia: ac notatur adversarius, gentes, ut *diabolus*, Judaeos, ut *Satanas*, infestans, hoc quidem loco utrosque sanctos. Etiam Andreas Caesariensis vidit, vim esse in duplici appellatione; et

---

communem, *additis* fere 14 *diebus. Si* plenos 14 *dies sumas:* dies 1260, *ex hac mensura, efficient* annos 678 cum appendice (*quos exhibet propemodum die* Erkl. Offenb. *l. c.*); *sin* 8 pro 14 diebus *sumseris: emerget* summa annorum 657 (*quam* Gnomon *propinat qui pari fere ratione ab* Erkl. Offenb. *abludit* c. 9, 15.) *Ipsa igitur computandi* ratio *nonnisi* 21 annorum *differentiam infert* (*qua in re malim der* Erkl. Offenb., *cujus* Editio *certe* II *Gnomone recentior est, quam* Gnomoni *palmam dare*): *sed* terminorum *a quo et ad quem diversa constitutio intra* annorum 96 *spatium vagatur; quae ipsa differentia quoad* caput rei, *amplissimas revolutiones, easque* gradatim *factas, complexae, nihil variat.* (*Conf. de tali* latitudine *den* Beschluss *der Erkl. Offenb., II St. p.* 1082 *sq., vel die* Vorrede *zu meiner* erklärenden Umschreibung etc. *p. IX.*) *Huc referas conclusionem, in der* Erkl. Offenb. *Ed. II. p.* 591. *obviam:* Also wären die 677 Jahre zwischen A. 1524 und 1624 ausgeloffen. In dem Raum dieser 100 Jahre ist nichts bedenklicher, als die *Reformation*, und die mit deren Bestätigung verknüpfte betrübte Zerstörung der *Böhmischen Brüder-Gemeine:* und also ist bey solcher Revolution das Ziel der 677 Jahre oder der 1260 prophetischen Tage zu suchen. Wir lassen einem jeden die Freyheit, das Jahr zu bestimmen: doch prüfe man, was folgt. A. 1517 nahm dieß grosse Werk seinen Anfang. Die Böhmische Brüder-Gemeine, und die Reformation, *stunden* 100 *Jahr nebeneinander*, bis auf das Jahr 1617. — Von A. 1617 kommt man mit 677 Jahren zurücke auf das Jahr 940. — und also geben die 1260 Tage den Periodum der böhmischen Kirche. — E. B.

Digitized by Google

hanc duplicitatem ad Iudaeos et Gentes, ne ego nimiae subtilitatis arcessar, refert Grotius. Ceterum nota ad hunc textum pertinet, in quo utrumque, hebraeum et graecum nomen jungitur, in aliis textibus etiam *diaboli* appellatio, sola quippe, ad Judaeos pertinere utique potest. — ὁ πλανῶν, *seducens*) Diabolus est *mendax* et *homicida*, Joh. 8, 44. *seductor*, h. l. et *saevus*, v. 12., ubi *desperatio*, ex paucitate temporis, saevitiam incendit. At sancti, qui eum vincunt, habent *fidem*, *amorem*, *spem*.

v. 10. ἄρτι, *nunc*) Evidentissime docet haec particula, caput hoc 12. ab ipso suo initio ad septimi tubam angeli pertinere. nam quod sub ejus tubae clangore protinus cap. 11, 15. resonabat, de *regno*, id hoc loco eximia cum epitasi iteratur, neque ullo modo ante tubam hancce collocari potest. *Accusator* non impedivit *regem*, sed cives. porro cum hoc ipso loco superior pars capitis 12. arctissime cohaeret. Capite 11, 15—18. *proponuntur*, quae complectitur amplissima haec tuba: versu 19. et cap. 12—22. est Exergasia, et copiosa executionis descriptio. — ὁ κατήγωρ) Nomen etiam orientali civitate donatum, a *Syro* interprete h. l. adhibitum. Itaque hoc ipso loco non ut Graecum (id quod Camero notat,) sed ut Hebraicum ponitur, subsequente synonymo mere Graeco, ὁ κατηγορῶν. Copulatur utraque lingua, uti versu 9. et passim in hoc libro, Israëlitas et gentes spectante. Vid. Schoettgen. Hor. Hebr. p. 1120. seqq. ubi etiam *Michaëlis* officium, et *antiqui serpentis* appellatio, ex Hebraeorum scriptis illustrantur.

[1]) v. 12. οὐαὶ, *vae*) Haec est *vae* tertii, gravissimi, saepius jam denunciati, denunciatio ultima: et sub eo deinceps grassatur bestia. Quare quae Wolfius T. IV. Curar. p. 530. *Norissime*, animadvertit, ea idem p. 535. comprobat, quum eos interpretes ceteris praefert, qui per bestiam Ap. 13, 1. imperium *Romano-pontificium* designari existimant. — τῇ γῇ καὶ τῇ θαλάσσῃ, *terrae et mari*) Terra ante mare ponitur, *vel* quia terra, coelo opposita, potior est, et mare pars tantummodo est terrae, quae versu seq. sub terra subauditur: *vel* quia vere in Asia prius coepit vae tertium, quam, per bestiam, in Europa. — ὀλίγον καιρὸν, *paucum tempus*) καιρὸς, hoc loco, singulari significatu est *tempus* $222^2/_9$ annorum: et ὀλίγος καιρὸς est periodus proxime major temporibus $3^1/_2$, de quibus versu 14., adeoque *tempora* 4., sive $888^8/_9$ anni, ab A. 947 ad A. 1836, ut ex aliarum periodorum, quibuscum haec connectitur, rationibus colligitur. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 619.

v. 13. καὶ ὅτε κτλ., *et ut vidit draco, se jactum esse in terram*) *Draconem portentosum in aëre*, inquit Usserius, *circa haec tempora conspectum affirmat, qui se oculatum rei testem facit Arnolfus monachus Ratisbonensis.* (*de S. Emmerammo l. 2. t. 2. ant. lect. H. Canisii p.* 98. 99.) Ante aliquot annos in Pannonia constitutus, die quadam a tertia hora usque ad sextam diabolum vel draconem in aëre suspensum vidi. Erat autem magnitudo ejus incredibilis, longitudo tanta, ut quasi unius milliarii spatio videretur esse protensus. *Ex Arnolfo quaerit, qui in hoc dialogo sermonem cum eo confert, Admonitius*: Nunquid in illo tempore recordatus es aliquid horum, quae beatus Johannes in Apocalypsi sua de dracone et bestia scribit? *Respondet ille*: Vere in memoriam venerunt haec, maxime autem urgebat me recordatio scripturae ejusdem apocalypsis, in qua continetur: *Vae vobis, quia draco venit ad vos cum ira magna, sciens, quod modicum tempus habet.* de success. eccl. christian. f. 46. 47. Idem

---

1) v. 11. οὐκ, *non*] Hac *negatione* contradicitur accusationi, cujus argumentum hoc ipso indicatur. *V. g.* — τὴν ψυχὴν αὐτῶν, *animam suam*] vel *vitam*. Pari modo Jobum quoque criminatus fuerat Satan, Job. 2, 4. Vitae amori qui renunciat, in eum nihil jam valet calumniator. *V. g.*

Digitized by Google

s. 36. ex Glabro *Rodulpho* memorat tale portentum in Gallia visum, circ. A. 1000 vel post. Floruitque *Arnolfus* circ. A. 1040. Quare visiones a *Rodulpho* et *Arnolfo* memoratae, erant inter initia *pauci temporis* et $3^1/_2$ *temporum*, et tum *in terram* certe jam erat *jactus* draco, *mulierem persequens:* sed revera hunc hostem tunc in Gallia et in Pannonia esse visum, minus sum credulus, quam ut assentiar. Referendum tamen censui, quia vir gravissimus, Jacobus Usserius, et retulit et satis aperte assensus est. Qui plura tantorum phaenomenorum testimonia inveniunt, ea producant: qui spirituali judicio pollent, considerent.

v. 14. αἱ δύο πτέρυγες) Hebraicum duale כְּנָפַיִם non semper *binarium* involvit: sed adhibetur etiam in notatione *quatuor* vel *sex* alarum, Ez. 1. et Es. 6. Unde apud LXX nunquam כְּנָפַיִם sunt δύο πτέρυγες. Itaque hoc loco non sine magna significatione dicitur, αἱ δύο πτέρυγες, *duae illae alae.* ipsa *aquila magna* est imperium Romanum: duae alae, ditio orientis et occidentis. — εἰς τὸν τόπον αὐτῆς, *in locum suum*) Hic *locus* [1]) amplissimas regiones complectitur, *Poloniam, Russiam, Hungariam, Transilvaniam etc.* quibus ad ecclesiam aggregatis, A. 965 et deinceps, ditio Christiana continuo tractu ab orientali imperio ad occidentale pertigit. — καιρὸν καὶ καιροὺς καὶ ἥμισυ καιροῦ) Sic Dan. 7, 25., ἕως καιροῦ καὶ καιρῶν καὶ ἥμισυ καιροῦ· et c. 12, 7., εἰς καιρὸν καὶ καιροὺς καὶ ἥμισυ καιροῦ. Utroque loco de calamitate sancti populi agitur. Plurale καιροὺς, notat duo *tempora.* Pluralis numerus strictissime sumendus. Hoc sermone, *post annos*, biennium significatur, l. 17. §. 3. Digest. *de manum. test.* Post annos *indistincte liber esse jussus*, post biennium *liber erit*: *idque et favor libertatis exigit et* verba *patiuntur.* Sic עֶשֶׂר *decem*, עֲשָׂרִים *decades* duae, id est, *viginti. Secundum veterum Hebraeorum Doctorum regulam, in sacris Scripturis exponendis usitatam, numerus pluralis de* duobus *est intelligendus, si nihil obstet.* Guil. Surenhusius de Alleg. V. T. in N. T. p. 589. Et hoc quidem loco stricta acceptio vel eo nomine locum habet, quia inter *unum* et inter *dimidium* interjacet. Indefinito sensu *aliquot* καιροὶ sunt χρόνος. Moeris Atticista, ὥρα ἔτους, ἀττικῶς· καιρὸς ἔτους, ἑλληνικῶς. Ammonius et Thomas Magister, καιρὸς μέρος χρόνου, οἷον μεμετρημένων ἡμερῶν σύστημα· χρόνος δὲ, πολλῶν καιρῶν περιοχὴ καὶ σύλληψις. Apocalyptico sensu καιρὸς *tempus* definitam habet longitudinem, ut ex distributione hujus ipsius periodi in *tempus et tempora et dimidium temporis* patet. Incipit haec periodus ante numerum bestiae, et ultra eum excurrit: nec tamen eum tota longe excedit. Habet annos $777^7/_9$. Tali pacto etiam *chronus* definitam habet longitudinem, et *quinque* καιροὺς sive *tempora* complectitur: quanquam Leop. Frid. Gans Nobilis de Putlitz καιρὸν statuit habere 80 annos, et *chronon* 240 annos, adeoque *tres* καιροὺς pro chrono habet. Per *tempus et tempora et dimidium temporis* alitur ecclesia, serpenti subducta, et flumine, *Turcico* impetu, petita, nec tamen obruta: ergo ea tempora terminantur captivitate serpentis, et per historiae Turcicae articulos commode dividuntur. Captivitatis initium, uti suo loco ostenditur, erit A. 1836. Itaque *tempus* sunt $222^2/_9$ anni, ab A. 1058 ad 1280. ac medio seculo XI novum apud Turcas regnum est exortum, et mox orientalem orbis christiani partem *inundavit:* exeunte autem eo seculo, Hierosolymorum urbs eis est erepta, quam non multo post denuo ceperunt. *Tempora* sunt $444^4/_9$ anni, ab A. 1280 ad 1725. Eo intervallo maximopere infestarunt ecclesiam, Constantinopoli capta, Buda diu possessa, Vienna non semel obsessa. *Dimidium temporis*, sunt $111^1/_9$ anni, ab A. 1725 ad 1836. Ante hujus dimidii temporis exitum, et quidem

---

1) *Determinatius aliquanto in der* Erkl. Offenb. *Ed. II. p.* 642. *ab* eremo, *regiones istas complexo*, (*coll. p.* 639.) *distinguitur* locus *eremi singularis*, Germania; *ita, ut fugae in* eremum *ala orientalis, occidentalis fugae in* locum *quam maxime inserviret.* E. B.

Digitized by Google

aliquanto ante, ultimos fluminis impetus terra absorbet. — ἀπὸ προσώπου) Constr. cum τρέφεται. Conf. מפני ἀπὸ προσώπου, 2 Reg. 16, 18., et Jud. 9, 21., ubi accentus hebraicus locutionem plane parallelam efficit: et Neh. 4, (9.) 3.

v. 17. μετὰ τῶν λοιπῶν, *cum reliquis*) Hi sunt fideles in terris infidelium dispersi.

[1]) v. 18. ἐστάθην) Sic *Arethas* quoque: et probat *Ribera*. quanquam *Latini* plerique habent *stetit*, ἐστάθη, quam vicissim lectionem probat Doelingius de antichr. p. 284., et Peganius in Ap. p. 212. Utriusque lectionis par fere et a codicibus est auctoritas, et ad sensum commoditas. Nam de dracone sic flueret oratio: *Iratus est, et abiit: et stetit in arena maris, et dedit bestiae ex mari ortae potestatem suam.* Sed quia nova pars incipit in *et stetit*, et hujus partis initio non iterum expressum est draconis nomen, haec statio potius ad Johannem refertur. Qui quidem, tam varia quum viderit, tamen nullam aliam profectionem suam, nisi in spiritu factam, v. gr. c. 17, 3., commemorat: enimvero haec quoque statio super arenam maris facta est in visione. Valde singularis est haec visio, et hinc Johannes hanc suam in arena maris stationem commemorat. De visionibus ad aquas conf. Dan. 8, 2. 10, 4. Ez. 1, 3. Gen. 41, 1.

CAPUT XIII.

v. 1. Ἐκ τῆς θαλάσσης, *ex mari*) Tria vae orbem terrae ab ortu ad occasum permeant. Primum erat in Perside: secundum, ab Euphrate profectum est: tertium, sub dracone, bestia in occidente sustentat. In epilogo commentationis Germanicae, leges et characteres plus quadraginta verae interpretationis apocalypticae enumeravimus. In his non minimam vim habet expedita vae trium, ipsius vae tertii, evolutio. — θηρίον κτλ., *bestiam etc.*) θηρίον, sono diminutivum, non sensu. nam etiam elephanti θηρία dicuntur: et apud Homerum μάλα μέγα θηρίον est magnus cervus ab Ulysse confixus.

Vetustissimi patres *capita septem* bestiae statuerunt esse totidem secula sive regna mundi ab ejus initio ad finem: a quo interpretamento non longe remotus est D. *Gebhardi*, cui bestia apocalyptica est abusus potestatis politicae, civitatis antichristianae fulcrum; septem capita, Pharao, Jeroboam, Assur Babel, Antiochus, Synedrium pharisaicum, tum, Imperator Romae, et bestia ex abysso. vid. comm. in XII proph. pag. 508—524. coll. pag. 217. seqq. 292. Contra, *Victorinus* caput sive regem unum accepit de Domitiano, qui Johannis tempore imperabat: cetera de ejus quinque antecessoribus singulis et successore proximo: et sic Hammondus a Claudio ad Domitianum; sic Bossuetus, de Maximino ejusque quinque consortibus, quibus ipse superstes erat, et uno ei superstite Licinio; quod ipsum ab Epilysi Raph. Eglini non longe abest. Altera interpretatio nimis *laxa* est; altera nimis *angusta*, quanquam commodior, quatenus septem montes non deserit. Ab utravis ansam potuere sumere, qui septem illa capita magno consensu referunt ad septem formas politiae Romanae, quas dent (vide inprimis Borrhaum ad h. l.) 1) Reges, 2) consules, 3) decemviri, 4) tribuni militares consulari potestate, 5) dictatores, 6) Imperatores. Septimam paulo post videbimus. Quid autem l. opus est, res Romanas, quas Daniel, cujus id antiquitati conveniebat, satis jam tum descripsit, in apocalypsi non solum supra vae tertii initia, sed etiam a bestiae quartae Danieliticae initiis, imo longe altius repetitas quaerere? nam Daniel bestiae tertiae quartam, uti secundae tertiam, primae

---

1) τῶν τηρούντων τὰς ἐντολὰς τοῦ θεοῦ, *servantium praecepta DEI*] Hoc eorum est omnium, qui draconem habent adversarium. *V. g.* — τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ, *testimonium Jesu*] quod Filius DEI sit ac mundi Salvator. *V. g.*

Digitized by Google

secundam duntaxat subnectit: at ii, quibus caput primum bestiae apocalypticae sunt Romae reges, ultra bestiam Danieliticam tertiam totam ascendunt, quum vel ultimus rex et primi consules Romae in principia secundae, id est, Persarum, cadant. II. Ipse septenarius capitum titubat hoc modo; neque consules, decemviri, tribuni, pro tribus capitibus numerari possunt, sed aut pro uno, qui collegarum numerus speciem regiminis non variat: aut pro viginti circiter; adeo saepe consulibus interjecti sunt ceteri: aut si interjectu illo numerus formarum non augetur, etiam reges (ut dictatores, quocunque placet, referas) cum imperatoribus pro uno capite numerandi fuerint. Certe chronologi epochas Romanas non nisi a regibus consulibusque denominant, et his reliqua subordinant, donec ad imperatores veniunt. vid. Com. Camilli de Sylvestris Chronol. p. 190. seqq. Utut est, ex diversitate capitum, et ex numero septem regum, bestia ejusque caput ultimum non demum cognoscuntur; quanquam id unum causantur interpretes: clarius vero, citra ejusmodi ambages, prophetia et meretricem et cum ea bestiam innuit. III. Soli septimo capiti *paullulum mansionis* adscribitur. at ceteris capitibus, v. gr. si decemviri sunt caput, quorum potestatem ultra biennium valuisse, Tacitus in prooemio annalium negat; quis hac methodo longiorem mansionem conficiet? IV. Quum ad imperatores, quasi ad caput sextum, deventum est, varie se exercent ingenia, quis eorum ultimus hoc respectu sit habendus: Domitianus, cui succedere coeperint imperatores externi; an Diocletianus, in quo ethnicismus finierit; an Constantinus, qui paululum manere debuerit, Romae videlicet; an Augustulus, ab Odoacro devictus? V. In *septimo* capite illud non effugiunt, quin nimis longam ejus mansionem, nimisque magnum ab eo discrimen octavi, qui tamen e septem est, introducant: ut quum huc referunt Constantinum, qui in oriente sedere coeperit; aut Odoacrum Herulosque cum Gothis et Longobardis; aut Bonifacium III. aut Carolum M. cum utriusque successoribus. Plura ad tales opiniones refutandas idonea, si opus est, sumi possunt ex iis, quae jam sequuntur.

Namque hoc potissimum loco Germanica mea *Exegesis*, et cel. D. *Joachimi Langii* Epicrisis, invicem conferendae sunt. Ac primum constare debet, quid sit in quaestione. Uterque nostrum agnoscit, I. aliam esse *bestiam*, aliam *meretricem*: II. *Babylonem* esse Romam, eamque novissimi praecipue temporis sui: III. nonnulla, quae in Apocalypsi de bestia dicuntur, dici etiam apud *Danielem* de quarta bestia: IV. bestiam et ut *corpus*, et ut *individuum* describi: V. *papatum* quoque in Apocalypsi notari: VI. Impium illum, qui *antichristus* dicitur, esse individuum. Sed in eo vis est differentiae, quod Theologus Halensis *papatum* sub *Babylonis* pictura ait haberi; ego, sub descriptione *bestiae*, ita quidem, ut capita hujus denotent *successionem* papalem a seculo XI, ac postremo tempore Impius ille *unus* simul et papatum gerat, quatenus e septem est, et novam ex abysso malignitatem adjungat, quatenus octavus ipse est. *Permagnum igitur nobis momentum in hac prophetiae parte situm est, cujus eventum hodiernus habet dies.* Primum *THESES* in illa exegesi ad h. l. exhibitas, et in Epicrisi examinatas, repetam, partimque declarabo amplius, partim vindicabo. Solicite agam et perspicue: tu, Lector, si quid tua referre judicas (refert autem multum,) fac adsis. Miserum enim est, ubi in re seria multum verborum fit, profectuum nihil. Qui tractationem illam meam in singulas Theses, et Epicrisin Langianam, ad verbum expenderit alternatim, et cum utravis praesentem meam explanationem contulerit, hunc operae non poenitebit.

THESIS 1. *Una eademque bestia est, cornuum decem et capitum septem, quae* Apoc. 13. et 17. *describitur.* — Concedit D. Langius, p. 376. Sed quum ego hanc thesin praestruxissem ea tantummodo mente, ut demonstratio ex capite 13. et 17. deinceps conjunctim deducenda cohaereret, ille ante, quam ego

Digitized by Google

quidquam de meretrice dicam, protinus occupat, et ait, *Ap.* 13. *et* 17. *bestiam ita sisti, ut meretricem* ***SIVE PAPATUM*** *pessundet*. De suo addit, *sive papatum*. Bestiam a meretrice diversam esse, uterque nostrum, ut dixi, peraeque agnoscit: sed antequam quaestio de textibus, qui *papatum* notent, decisa sit, *papatum* neque mihi pro *bestia*, neque illi pro *meretrice* licet ponere. Perpetuus ex *homonymia* error Epicrisin tenet. Tu, Lector, recordabere: neque enim quovis id loco inculcabo. Pro mea autem parte distincte incedam.

THES. 2. *Bestia est potestas regno Christi opposita ecclesiastico-politica.* — Hoc quoque concedit, p. 377. Sed quum ego opinioni quorundam, qui bestiam pro potestate vel mere spirituali vel mere politica (invito D. Langio,) haberent, occurrerem, neque adhuc de papatu subsumerem: ille, ne de papatu accipiam, intercedit. Exspectandum erat, donec ego hac utrinque agnita thesi in progressu abuti viderer.

THES. 3. *Bestia cum urbe Roma intimam et plane singularem habet conjunctionem.* — Hanc Thesin Epicrisis p. 377. ita concedit, ut ne *probationis* quidem egere dicat: et tamen p. 378. ei quoque ipsam *verisimilitudinem* abdicit; quatenus videlicet bestia non idcirco, et Roma, sint idem. Sed ego non magis, idem esse, dico. Conjuncta non sunt idem: conjunctionemque probavi capitis 17. allegatione, non quod eam hodie negari putarem, sed quo firmius haec Thesis cum Thesi 4. sustentaret Thesin 5.

THES. 4. *Bestia est in praesenti.* — Postularam, ut hae Theses quam rigidissime examinarentur. Examinavit Theologus Halensis, sed, ut ait, *parum rigide: neque enim opus fuisse.* p. 386. Opus certe fuit in hac Thesi, ob Thesin sequentem, cujus examen speciatim petieram, idque jure. Amanter dicam atque aperte: (nam veritas hoc sontico loco in discrimen adducta cogit:) *Epicrisi lectoribus suis, quos utique multos propter celebritatem Auctoris habet, non refert, quod referri magnopere oportuit.* Ea tota sic habet: *Haec Thesis innititur praecedenti. Sed quum ea plane fundamento careat, nempe bestiam esse papatum, juxta cum illa ruit,* p. 377. Strenuae formulae, *plane, ruit,* et aliae, quas Venerando Auctori plerophoria sententiae suae passim suppeditat, lectorem occupare non debent, quo minus dubitet, et, quae uterque nostrum profert, invicem expendat. Valde necessaria est et admonitio haec et ejus recordatio. Ego Thesin sic probaram: *Nondum praeteriit bestia: nam Roma stat, et hac urbe vastata, interit demum bestia. Non tota demum FUTURA est: nam vae secundum jam pridem abiit; eo autem elapso tertium vae veniebat cito, et sub initium hujus vae bestia ex mari cito est exorta. Ergo bestia, quaecunque est, hodie est.* Non Thesi praecedenti, quamvis et Theologo Halensi et mihi placitae, Thesin 4., ut ille ait, superstruxi: multo minus huic propositioni, *bestia est papatus,* quam, per se veram, ille Thesi praecedenti aequipollentem sine causa facit, Thesis 4. vim suam in acceptis refert; indignus quippe circulus esset, collata Thesi 5.: minime omnium *sola* ea propositione, solam enim Epicrisis refert, Thesis 4. nititur. Mea probatio perstat: 1) Bestia nondum praeteriit: 2) non tota FUTURA est: 3) ergo in praesenti est. *Quartum* non datur: *primum* agnoscit Theologus Halensis: ex primo et secundo *tertium* necessario sequitur; idque totam de bestia sententiam Langianam tollit, meam sustentat. *Secundum,* ut debui, probavi, paucis, sed tamen ex toto prophetiae nexu, qui lectorem commentationis ad eum usque locum deductae continuum (talem enim postulat) non potest fugere. Summam petis argumentorum ex analysi temporum desumtam? Vide *Erkl. Offenb.* p. 114. Summam mavis argumentorum a temporum analysi sejunctam? Vide ibidem p. 92. seqq. Haec referre potius et examinare debuit Epicrisis, quam in ipso controversiae *centro* unum mihi argu-

Digitized by Goog

mentum prorsus inane attribuere, et, eo facile soluto, rem aliis quasi transactam repraesentare.

THES. 5. ***Bestia est Papatus Romanus.*** — Haec vero Thesis est palmaria, de qua Epicrisis agit p. 378. Thesis 3. est extra controversiam: Thesin 4. vindicavimus modo. Thesis haec 5., duabus illis innixa, manet irrefragabilis, id est, evidens et certa. Bestia, inquam, cum urbe *Roma* arcte conjuncta est: et bestia est *hodie*. Ergo aut aliam potestatem hodiernam papa majorem et cum urbe Roma conjunctiorem monstrari, aut papam pro bestia haberi, necesse est. Plura dixeram ad hanc ipsam Thesin, p. 664. et congruunt, quae disserueram p. 659: *Per considerationem rae trium, et omnium adeo, quae in prophetia ejusque eventu praecedunt et sequuntur, ita includimur, ut neque antea neque postea, neque in oriente neque in occidente, aliud quidpiam cogitare possimus, atque papatum. Conferantur, quae ad* cap. 12, 12. 14. *exposita sunt.* Adde *Introductionem*, praesertim §. 31. 40. 42. 44., num. 12. Omnes hi nervi adhuc sunt integri.

Ulterior Elenchus *(Fernerer Beweis)* Daniele praecipue adhibito, a cel. viro est adornatus, noviter, hoc nomine, ut me convinceret. p. 393. seqq. coll. p. 381. 384. Gratum est munus: rem ipsam considerabo.

Probat Elenchus, 1) bestiam apocalypticam primo, ut totum corpus, deinde ut individuum spectari: 2) eandem esse monarchiae Romanae. p. 393. s. 402. s. Resp. Utrumque ego, etiam citra ambages rationum ex Daniele quaesitarum, concedo: et id ipsum interpretationem bestiae a me datam adjuvabit. Videamus momenta singula.

1) Hac differentia, quae bestiam primo ut totum corpus, deinde ut individuum sumat, non percepta, errorem praesto ait esse. p. 394. Resp. Sane haec differentia est; etiam *magis varia*, quam Theologo Halensi videtur. Inde erroris, in quo versatur, originem videbimus, maxime Thesi 10.

2) *Bestiae*, etiam totius, ac *meretricis* (et papatus) magnam esse *conjunctionem*, demonstrat. p. 394. seqq. Praeclare; si glossa de papatu a meretrice ad bestiam transferatur.

3) *Demonstratio*, ut Auctor appellat, *concentrata*, qua ostendatur, bestiam apocalypticam non esse papam, tribus constat rationibus. p. 396. seq. Eas solvemus.

a) Negat, me sententiam meam ulla re probasse. Resp. Probavi plane, et probo, hac ipsa potissimum Thesi, iterum iterumque. Singulas *textus* partes postea recognoscemus. Neque contrarium quidquam cum demonstratione mea unquam contexere necesse habui.

b) Totam vim demonstrationis meae, quod bestia sit papa, desumtam ait esse a regio statu et dominatu paparum: at papalem hierarchiam sub schemate meretricis regalis sisti. p. 397. Resp. Hanc quaestionem, utrum bestiae an meretricis regnum sit papae regnum, regalis status et dominatus, quem utraque illarum habet, non terminat. Regalem statum et dominatum paparum ostendi oportuit, quia *sine* eo papatus non esset bestia: sed papatum esse bestiam, aliis antea modis ostensum est.

c) repetit, aliam esse bestiam, atque meretricem. ibid. coll. p. 371—374. Iterum et saepius concedo: sed non ostendit, papam esse meretricem.

4) Parallelismus quoque prophetiae Danieliticae et Apocalypticae, a Theologo Halensi subjunctus, ibidem, sententiam ejus ita frangit, ut meam corroboret. Distincte procedemus, et per aliquot Observationes speciales Thesin hanc 5. denuo resultantem videbimus.

Observ. 1. *Cum bestia quarta,* Dan. 7, 7. *s. similitudinem habet Apocalyptica.* — Permultas similitudines enumerat Epicrisis, p. 398—402. In his

Digitized by Google

eminet ipsa *bestiae* appellatio utrique communis: *decem cornua:* ingens *potentia: duratio* usque ad regnum Christi et sanctorum. De *ore magniloquo*, de *bello cum sanctis*, de *temporibus* $3^1/_2$, infra dicemus.

Obs. 2. *Notabilis est etiam dissimilitudo.* — Nonnulla solus memorat Daniel: speciem formidabilem, robur ingens, ferreos dentes, diversitatem a prioribus bestiis, cornu parvum, oculos hujus humanos, tria cornua evulsa, ungues aereos etc. Rursus multa nova sunt in Apocalypsi: capita septem, (quum unum sit in Dan. 7, 20.) nomen blasphemiae; similitudo ipsius bestiae, pedum, oris, cum bestia apud Danielem tertia, secunda, prima; draconis praesidium, plaga letalis eaque sanata, terrae admiratio, terricolae adorantes, insidens mulier, ascensus ex abysso etc. Ipsa decem cornua aliter Daniel describit, aliter Johannes.

Obs. 3. *Non eadem prorsus bestia est.* — Eandem esse, Theologus Halensis existimat: sed similia non semper sunt eadem; dissimilia, etiam rarius: et cum tali dissimilitudine, qualis hoc loco est, quod v. gr. ad capita pertinet, identitas stare nequit.

Obs. 4. *Multis seculis seriorem ortum habet apocalyptica bestia, quam Danielitica.* — Quarta apud Danielem bestia, utrum sit regnum *Graeco-Syriacum*, an imperium *Romanum*, ambigitur. Utrumvis interpretes non proletarii statuunt: illud v. gr. Franc. Junius, hoc Joach. Langius. Sume Romanum imperium, et quidem ortum ejus quam maxime serum, sub Augusto, qui Aegypti, ultimi regni de Graeca monarchia, potitus est. Id erat ante Johannis, non dicam, nativitatem, sed visionem. Porro visio et prophetia futurarum est rerum: unde, quanquam monarchia Babylonica, Daniele propheta, in medio flore erat, tamen initia ejus in visione, quasi ex abrupto, a tempore tum praesente ducuntur. Dan. 2, 38. 7, 17. Certum igitur est, Danieliticam bestiam habere ortum antiquiorem, quam Apocalypticam. Hanc autem visionis Johanneae series ortam esse demonstrat *post* abitum vae secundi, Saracenici, et, sub tuba angeli septimi, *post* draconis res capite 12. relatas, sub vae tertio, *post* ipsum draconis abitum ad bellum cum reliquis seminis mulieris gerendum. Recte cel. D. *Langius* in comm. Germ. ad Apoc. fol. 92. observat, c. 9, 1. πεπτωκότα in praeterito, non πίπτοντα in praesenti, dici de stella: quanquam de ipso stellae ibi lapsae tempore nunc non quaerimus. Non minus observandum est, quod h. l. θηρίον dicitur vicissim ἀναβαῖνον in praesenti, non ἀναβεβηκὸς in praeterito. Ascensus bestiae ex mari est sub vae tertio.

Obs. 5. *Bestia apocalyptica est papatus Romanus.* — Hoc inevitabili sequela ex praecedentibus fluit observationibus. Neque rationes, quas ex Daniele et Apocalypsi conjunctim proponit Halensis Theologus, id impediunt, sive ex Apocalypsi sola, sive ex Daniele quoque stringantur:

α) *Bestia est tale*, inquit, *individuum, quod in suo regno successores non habet: quippe quod regnum cum interitu bestiae simul deletur. At papae in sua hierarchia habent successores.* Epicr. p. 403. Resp. Ultimum in ea successione individuum, quod Thesi 10. videbimus, non habet successorem.

β) *Bestia oritur ex stirpe principum* (*Regenten-Stamm*) *monarchiae Romanae: inde autem nullus papa est exortus.* ibid. Resp. Utrum *genealogico* sensu *stirpem principum* dicat Epicrisis, an *politico*, non apparet. *Genealogico* sensu ipsi imperatores tam variae stirpis fuere, ut plerique pontifices majori jure censeantur *Romanae* stirpis, quam ipse v. gr. Trajanus. *Politico* sensu, quicquid potentiae habet papa, ex *Romana*, non hierarchia, sed monarchia habet.

Digitized by Google

γ) ***Bestia est futura: papae jam diu regnant.*** ibid. Resp. Papa ultimus, singularis, pessimus, est futurus.

δ) ***Bestia summo imperio politico regna obtinebit.*** p. 404. Resp. Papae obtinuerunt, et papa individualis postremo suo tempore obtinebit multo magis.

ε) ***Bestia jacietur in stagnum ignis: Babylon prius delebitur, ab ipsa bestia. Babylon igitur non est bestia.*** ibid. Resp. Concedo, salva Thesi.

Uberiorem Elenchum, ut arbitror, expediimus: nunc revertimur ad Theses, quarum decima, quintam hancce amplius dilucidabit, etiam quod ad Danielem attinet.

THES. 6. ***Hic papatus sive regnum papale jam dudum esse coepit.*** — Hac thesi non conor probare, ***papam esse bestiam,*** ut Epicrisis refert, p. 378. Id probatum est hactenus. Nunc, eo constituto, progressus legitimae demonstrationis postulat, ut ostendatur, talem potestatem, qualis in prophetia adscribitur bestiae, prae ea, quae meretrici adscribitur, in papatu reperiri: et ut investigetur, quo potissimum tempore sit orta. Quare vel maxime ad rem faciunt, quae ad hanc Thesin collegeram. Opponitur Christo, non quod ad Personam ejus, sed quod ad ***Regnum*** attinet, bestia: et hic apprime considerandum est, quod in Praefatione ad Sherlockii Antidotum contra Papismum egregie docet Ven. Langius: doctrinam de Persona Christi in papatu, propter concilia oecumenica, plus sanitatis retinuisse; sed doctrinam de Officio ***regnoque*** Christi apertissime et maximopere esse corruptam.

THES. 7. ***Regni papalis conditor est Hildebrandus sive Gregorius VII.***

a) Distinguit Epicrisis inter incunabula regni, et inter fastigium. p. 379. Incunabula papalia praecipue repetit a Bonifacio III., cujus nomen *oecumenicum* haud praeterii, p. 462. coll. p. 445. s. 548. quamvis rem tum ipsam non magnam fuisse, peculiari dissertatione ostendit Magnif. *Pfaffius.*

b) Fastigium non inficiatur Epicrisis in Hildebrando, *ibidem*: atqui fastigium decisionem affert, ubi regnum aliquod, superiore victo, primas arripit. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 675.

c) Notat Epicrisis, quod in Thesi 6., et deinceps, non bestiae, sed papatûs vocabulo utar. p. 380. Resp. Ex methodi lege id fit. nam Thesis 5. docuit, bestiam esse papam: nunc progrediente demonstratione, ex praedicato, ***papa***, fit subjectum, cui ulteriora praedicata junguntur in Thesibus sequentibus. Talia non debent promiscue dici, dum quaestio est: sed quaestione expedita, pressior fit sermo, ut ad Thesin 1. monuimus.

d) Proprio hoc loco *Vitringam* commendavi, argumentis ejus et D. Langii probe perpensis. Alter ceteroqui implenda multa pro impletis habet, alter impleta fere omnia pro implendis: ego medium verumque cum textûs ordine sequor. Ubi Vitringa errat vel veram sententiam non veris argumentis defendit, et Theologus Halensis aut recte ei aut non recte aut refragatur aut assentitur, ego securus specto. Quare Systema hic meum cum Vitringiano non recte comparat p. 381. Gregoriana quidem epocha, per Vitringam et per me demonstrata, manet. ***Elenchus,*** cujus ibidem fit mentio, solutus est Thesi 5.

Novum enim quiddam Romano episcopatui opera Gregorii VII. acquisitum esse, agnoverunt omnes, etiam qui tum vivebant, etiam qui postea Romam defenderunt: atque id ipsum, bestiam sive imperium quoddam constituit. Clamant Gregorii Dicta nova; clamant Acta nova. Dicta sive ***Dictatus*** hominis hi fuere:

1. ***Quod Romana ecclesia a solo Domino sit fundata.***
2. ***Quod solus Romanus pontifex jure dicatur universalis.***
3. ***Quod ille solus possit deponere episcopos vel reconciliare.***

Digitized by Google

4. *Quod legatus ejus omnibus episcopis praesit in concilio, etiam inferioris gradus, et adversus eos sententiam depositionis dare possit.*

5. *Quod absentes Papa possit deponere.*

6. *Quod cum excommunicatis ab illo inter cetera nec in eadem domo debemus permanere.*

7. *Quod illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, et e contra, ditiem episcopatum dividere, et inopes unire.*

8. *Quod solus uti possit imperialibus insignibus.*

9. *Quod solius Papae pedes omnes principes deosculentur.*

10. *Quod illius solius nomen in ecclesiis recitetur.*

11. *Quod unicum est nomen in mundo.*

12. *Quod illi liceat Imperatores deponere.*

13. *Quod illi liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, episcopos transmutare.*

14. *Quod de omni ecclesia, quocunque voluerit, clericum valeat ordinare.*

15. *Quod ab illo ordinatus alii praeesse ecclesiae potest, sed non militare, et quod ab aliquo episcopo non debet superiorem gradum accipere.*

16. *Quod nulla Synodus absque praecepto ejus debet generalis vocari.*

17. *Quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur, absque illius auctoritate.*

18. *Quod sententia illius a nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit.*

19. *Quod a nemine ipse judicari debeat.*

20. *Quod nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem.*

21. *Quod majores causae cujuscunque ecclesiae ad eum referri debeant.*

22. *Quod Romana ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura teste, errabit.*

23. *Quod Romanus pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus, testante S. Ennodio, Papiensi episcopo, ei multis S. Patribus faventibus, sicut in decretis B. Symmachi papae continetur.*

24. *Quod illius praecepto et licentia subjectis liceat accusare.*

25. *Quod absque synodali conventu possit episcopos deponere et reconciliare.*

26. *Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanae ecclesiae.*

27. *Quod a fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.*

Genuinos esse hos dictatus, agnovit Panvinius, P. de Marca, et Christianus Lupus, ad quos accedit Joh. Mabillon de re diplom. f. 63. mentem eos certe Hildebrandi exacte referre, demonstrat Magnif. Pfaffius Inst. H. E. p. 510. imo Privilegia apostolicae sedis et Romani pontificis appellat Baronius: neque abludunt cetera Postulata Romanensia, quae magno numero collecta exhibet liber publicus Germanice scriptus de *recus. Concil. Trid.* p. 134—159. *Phil. Nicolai* l. 1. de Regno Christi, c. 7. *Calixti* Digress. p. 446—456. *Carpzov.* Isag. in libb. symb. p. 813. seq. et alii. Dictum, factum: dictatibus *Acta* congruunt, quae ubique extant. Summa est haec: Adhuc subjecti pontifices fuerant imperatori, quanquam freno saepe morso: tum autem papa imperatorem subegit, et ipse totius orbis Christiani, sub spirituali praetextu, Monarcham agere coepit. Palmarium erat illud, ut Majestatem Caesaream, quae inprimis obstabat, subigeret. De *Investituris* titulus ferebatur: atque haec ipsa *pars* majoris opinione momenti erat, sed *totum* multo maximi. Etenim *imperii vel omnino tollendi vel in*

Digitized by Google

perpetuam stabiliendi causam tunc maxime tractatam esse docet Panvinius. Videatur *Justi Christophori Dithmari Vita Gregorii VII, et Historia controversiae de Investitura episcoporum usque ad Henrici V. et Calixti II. pactum,* praesertim in extremo. Imperatorem Henricum IV. Gregorius VII. A. 1076. in Synodo Romana, praesentibus CX episcopis, *anathemate notarit, privatum PRIUS* (ut Platina loquitur) *omni regia administratione. Abrogationis autem pontificiae habita fere haec formula est:* (inquit idem; nam Sigonius Latiniorem fecit:) ***Beate Petre apostolorum princeps, inclina quaeso aures tuas, et me servum tuum exaudi, quem et ab infantia educasti, et usque ad hunc diem ab iniquorum manibus vindicasti, qui me pro mea in te fide oderunt et persecuti sunt. Tu mihi testis es optimus et pia JESU CHRISTI mater, et frater tuus Paulus tecum martyrii particeps, me non sponte, sed invitum pontificatus gubernacula suscepisse. Non quod rapinam arbitratus sim sedem tuam legitime conscendere, sed malebam vitam meam in peregrinatione degere, quam locum tuum pro fama et gloria tantum occupare. Fateor ego, ac merito quidem, mihi tua gratia, non meritis meis, populi christiani curam demandatam esse, concessamque ligandi et solvendi potestatem. Hac itaque fiducia fretus, pro dignitate et tutela ecclesiae suae sanctae, omnipotentis Dei nomine, Patris, Filii et Spiritus sancti, et Henricum regem Henrici quondam imperatoris filium, qui audacter nimium et temerarie in ecclesiam tuam manus injecit, imperatoria administratione regiaque dejicio: et Christianos omnes imperio subjectos, juramento illo absolvo, quo fidem veris regibus praestare consueverunt. Dignum est enim, ut is dignitate careat, qui majestatem ecclesiae imminuere conatur. Praeterea vero quia monita mea, imo tua ad sui ipsius populorumque salutem pertinentia contempsit, et se ab ecclesia Dei, quam seditionibus pessundare cupit, separarit, eum anathematis vinculo colligo, certo sciens, te esse Petrum, in cujus petra, ut in vero fundamento, rex noster CHRISTUS aedificavit ecclesiam suam.*** Eandem *vero exsecrationem,* inquit Platina, *his verbis* A. 1080 *denuo confirmavit: **Beate Petre apostolorum princeps, et tu Paule gentium doctor, vestras quaeso aures mihi paululum praebete, neque clementer exaudite: nam veritatis discipuli estis et amatores: quae dicam vera sunt. Hanc causam suscipio veritatis gratia, ut fratres mei, quorum salutem exopto, mihi obsequentius acquiescant, sciant, intelligant, quod vestro auxilio fretus post Christum et matrem ejus semper virginem, flagitiosis et iniquis resisto: fidelibus autem praesto adsum et auxilium fero. Non enim volens et libens hanc sedem conscendi, sed invitus et lacrymans, quod me indignum judicabam, qui in tam excelso throno sederem. Haec autem dico, quia non ego vos, sed vos me elegistis, et gravissimum pondus humeris nostris imposuistis. In me autem vestro jussu montem ipsum conscendentem, clamantem et annunciantem populis eorum scelera, et filiis ecclesiae peccata, membra diaboli consurrexere, et ad sanguinem usque manus suas in me conjecere. Astiterunt enim reges terrae et principes seculi, cum his conjurarunt ecclesiastici quidam et vulgares in Dominum et nos Christos* (al. *Christianos*) *ejus, dicentes: Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum: hoc autem fecere, ut me vel morte vel exilio mulctarent: quorum de numero fuit Henricus, quem regem vocant, Henricus, inquam, Henrici imperatoris filius, qui cornua et calcem contra ecclesiam DEI superbe nimium erexit, facta conjuratione cum multis episcopis Italici, Gallici, Germanicique nominis, cujus superbiae vestra adhuc restitit auctoritas, qui fractus potius, quam ad sanitatem redactus, ad me in Cisalpinam perveniens, absolutionem anathematis suppliciter quaesivit. Hunc ego, quem ad poenitentiam venisse credideram, in gratiam recepi, huicque tantummodo communionem reddidi, non***

Digitized by Google

tamen in regnum, e quo eum in Romana synodo merito depuleram, restitui, nec vectigalibus regni, ut ad finem (fort. *fidem*) *redirent, concessi. Hoc ideo feci, ut si redire in gratiam cum finitimis suis, quos semper vexaverat, differret, reddereque res tum ecclesiasticas tum profanas ex foedere abnueret, cogi ad officium execrationibus et armis posset. Hac opportunitate adjuti quidam Germaniae episcopi et principes, ab hac fera bestia diu vexati, in locum Henrici suis flagitiis e regno cadentis, ducem suum et regem Rodulphum deligunt. Qui regia modestia et integritate usus statim nuncios ad me misit, a quibus intelligerem, se coactum regni gubernacula suscipere, non esse tamen adeo regnandi cupidum, ut non malit nobis, quam regnum pollicentibus obtemperare: futurum se in Dei potestate semper ac nostra, idque ut arbitremur ipsum facturum, filios obsides pollicitus est. Stomachari tum Henricus coepit, et nos primo quidem precari, ut Rodulphum ab occupatione regni execrationibus propelleremus. Dixi me velle videre, cui jus competeret, et eo missurum nuncios, qui rem omnem resciscerent, meque deinceps judicaturum, uter ipsorum in causa potior habendus esset. Vetuit Henricus, quo minus rex a legatis nostris decerneretur, multosque tum seculares tum ecclesiasticos interfecit, ecclesias diripuit et profanavit, atque hoc modo sese anathematis vinculis illigavit. Hanc ob rem fidens in Dei judicio et misericordia, inque patrocinio beatae virginis, fultus etiam auctoritate vestra, ipsum Henricum ejusque fautores vinculo anathematis colligo: atque iterum regiam ei potestatem adimo, interdicoque Christianis omnibus illo juramento absolutis, quo fides regibus dari consuevit, ne Henrico ulla in re obtemperent, Rodulphum in regem suscipiant, quem multi provinciae principes abrogato Henrico in regem optimum sibi delegere. Etenim par est, ut sicuti Henricus ob superbiam et contumaciam facultatibus suis privatur, ita Rodulphus omnibus gratus pro sua pietate et religione regia dignitate et potestate donetur. Agite igitur apostolorum sanctissimi principes, et quod dixi vestra auctoritate interposita confirmate, ut omnes nunc demum intelligant, si potestis in coelo ligare et solvere, in terra quoque imperia, regna, principatus, et quicquid habere mortales possunt, auferre et dare nos posse. Si enim quae ad Deum pertinent, judicare potestis, quid de his inferioribus et profanis censendum est? Et si angelos dominantes superbis principibus vestrum est judicare, quid in servos illorum facere vos* (al. *nos*) *decet? Ediscant nunc reges hujus exemplo et omnes seculi principes, quid in coelo possitis: quantique apud Deum sitis, ac deinceps timeant sanctae ecclesiae mandata contemnere. Hoc autem judicium cito in Henricum exercete, ut intelligant omnes, iniquitatis filium non fortuito, sed vestra opera e regno cadere. Hoc tamen a vobis optaverim, ut poenitentia ductus in die judicii vestro rogatu gratiam a Domino consequatur. Actum Romae nonis Martii, indictione tertia.* Divino interdicto, *Miki vindicta*, compesci debet humana bilis etiamnum, si quis legit aut recordatur inauditam imperatoris juvenis contumeliam et pastoris superbiam, in toto negotio: illum ab omnibus desertum: veniam coram petere coactum: asperrima hieme non tam euntem, quam repentem: sordido habitu foris exspectantem, donec huic commodum fuit ex alta Canusina arce despicere saltem imperatorem supplicem, A. 1077. Tum Henricus Italiam reliquit: Gregorius, Romae institutus, strenue regnare coepit. Eodem anno epistolas misit in *insulam* Corsicam, quae adscensum ex *mari* non mediocriter illustrant. Una sic habet apud Nic. Coletum:

Gregorius episcopus servus servorum Dei omnibus episcopis, clericis, consulibus, majoribus et minoribus, in insula Corsica consistentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Digitized by Google

Quoniam propter multas occupationes ad peragendum nostrae solicitudinis debitum, singularum provinciarum ecclesias per nosmet ipsos visitare non possumus, necessarium valde est, ut exigente ratione vel tempore aliquem modo ad illas partes mittere studeamus, per quem commissa nobis secundum voluntatem Dei repraesentetur auctoritas, et dominici gregis salus atque communis provideatur utilitas. Scimus enim quoniam sine detrimento et magno animarum periculo esse non potest, cum illius diligentia, ad quem summa negotiorum et curae necessitas praecipue spectat, diu subditis ac commissis sibi fratribus deest. Quapropter considerantes, et valde timentes, ne hujusmodi erga vos providentiae tam diu praetermissum studium et nobis in negligentiae culpam reputetur, et vestrae saluti (quod absit) perniciosum aut contrarium fuerit, data primum opportunitate, misimus ad vos hunc fratrem nostrum Landulphum Pisanae ecclesiae electum episcopum, cui et vicem nostram in vobis commisimus, ut ea quae ad ordinem sacrae religionis pertinent rite exequens, juxta prophetae dictum, evellat et destruat, aedificet et plantet: *cui vos obedire et unanimiter assistere volumus, admonentes, et apostolica auctoritate praecipientes, talem sibi honorem et reverentiam exhibeatis, qualem ex constitutione sanctorum patrum iis exhibere oportet, quos sancta et apostolica sedes in partem suae solicitudinis assumendos, quibusque vicem Romani pontificis committendam esse praeridet. Data Senae Kalendis Sept. indictione INCIPIENTE PRIMA.*

Pondus huic epistolae addit altera, quae sequitur:

Gregorius episcopus servus servorum Dei omnibus episcopis et viris nobilibus, cunctisque tam majoribus quam minoribus in insula Corsica consistentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Scitis, fratres et carissimi in Christo filii, non solum vobis, sed multis gentibus manifestum esse, insulam, quam inhabitatis, nulli mortalium, nullique potestati, *nisi sanctae Rom. ecclesiae ex* debito *vel* juris proprietate *pertinere: et quod illi qui eam hactenus violenter, nihil servitii, nihil fidelitatis, nihil penitus subjectionis aut obedientiae beato Petro exhibentes, tenuerunt, semet ipsos crimine* sacrilegii, *et animarum suarum gravi periculo obligaverunt. Cognoscentes autem per quosdam fideles nostros et vestros amicos, vos ad honorem et justitiam apostolici principatus, sicut oportere cognoscitis, velle reverti, et diu subtractam ab invasoribus justitiam beato Petro vestris temporibus vestrisque studiis redhiberi, valde gavisi sumus, scientes, vobis hoc non solum ad praesentem, sed etiam ad futuram provenire utilitatem et gloriam. Nec diffidere quidem, aut quidquam in hac causa vos dubitare oportet: quoniam, si modo vestra voluntas firma et erga beatum Petrum fides immota permanserit, habemus per misericordiam Dei in Tuscia multas comitum et nobilium virorum COPIAS, ad vestrum adjutorium, si necesse fuerit, defensionemque paratas. Quapropter, quod in hac re opportunissimum nobis visum est, misimus ad vos fratrem nostrum Landulphum Pisanae ecclesiae episcopum, cui etiam inter vos vicem nostram in spiritualibus commisimus, ut TERRAM ex parte beati Petri et nostra vice suscipiat, et eam cum omni studio et diligentia regat, et de omnibus rebus ac causis beato Petro et nobis per illum pertinentibus se intromittat. Cui vos pro amore et reverentia ejusdem beati Petri apostolorum principis obedire et fideliter in omnibus assistere, volumus, et apostolica auctoritate monemus; et ut magis securus magisque ad omnia inter vos promtus esse valeat, fidelitatem quoque, si postulaverit, praemissa tamen sancti Petri et nostra nostrorumque successorum, non denegetis, nec aliqua occasione sibi facere recusetis. Data Romae decimo sexto kalendas Oct. Indictione prima.*

Adde Imperatorem postmodum a filio suo per Paschalem II. concitato im-

Digitized by Google

perialibus insignibus exutum: ne panem quidem ei privato, a clericis, quos ditarat, datum: sepulturam denique diu interpellatam. Neminem unquam colonem parochus ullus pejus tractavit. Hoc novum et singulare quiddam erat: sic insigniendum fuit tempus, quum imperator factus est inferior, papa superior. Neque solum imperatoriam, sed omnem omnium principum Christianorum Majestatem Gregorius ad Petrum, id est, ad se ipsum redigere postulavit, et magna ex parte redegit, ut regna, titulos, feuda auferret, conferret, transferret, tanquam rex regum, augusto augustior, ἀνυπεύθυνος. Moribundum Gregorium sive non poenituit, sive poenituit; successores nihilominus, quod ille adeptus erat, rapinam arbitrati sunt: (conf. eatenus Matth. 27, 4.) et fundamentis semel jactis molem Monarchiae suae superstruxerunt. Nota enim sunt, quae Papae deinceps in imperatores principesque et ausi et executi sunt, a posterioribus papis adeo non retractata, ut Gregorius VII. demum a Clemente VIII., a Paulo V., a Benedicto XIII., gradatim Divis adscriberetur. Reges feudatarios recenset Fulmen brutum Sixti V. p. 75. seqq. etc. Aperte Tannerus: *Dico, pontificem esse caput ipsius Romani imperii ac christianae ecclesiae universae: addo et amplifico dictum, esse caput Romani imperatoris, omniumque et singulorum principum imperii.* Anat. Demonstrat. 5. n. 131. Habemus bestiam, id est, regem: unde etiam sub illa tempora, v. gr. A. 1103., *chartae quaedam datae dicuntur PAPA REGNANTE*, ut docet Mabillon. de Re diplom. p. 187. Regem tamen, non nomine, sed re. Non nomine: etenim ipse Antichristus *imperium Romanum tenebit, tamen sine nomine Romani imperatoris*, ut Bellarminus praeclare ait l. 3. de Rom. Pont. c. 15. Sed re. nam Blondus: *Dictatorem nunc perpetuum*, inquit, *non Caesaris, sed piscatoris Petri successorem, et Imperatoris praedicti vicarium, pontificem summum, principes orbis adorant et colunt.* et Aug. Steuchus: *Everso imperio, nisi Deus pontificatum restituisset, futurum erat, ut Roma, a nullo excitata et restituta, inhabitabilis, posthaec foedissima bestiarum et pecorum futura esset habitatio. At in pontificatu, etsi non illa veteris imperii magnitudo, specie certe non longe dissimilis renata est, quia gentes omnes ab ortu et occasu haud secus pontificem Romanum venerantur, quam olim imperatoribus parebant.* Videlicet nomen regis ab re ipsa sejungit titulus spiritualis. nam *Romanum imperium commutatum est DE TEMPORALI IN SPIRITUALE*, ut scripsit Thomas in 2 Thess. 2. et in Romanae *Sedis potestatem fuit temporale illud imperium commutatum*, ut ex Leone ep. Rom. dictat Dominicus a Soto. imo ut episcopatus interdum dicuntur secularisari; sic orbis christianus imperans est quasi spiritualisatus et amortisatus. Hujus vero novitatis caput est *Gregorius. Hic PRIMUS specie religionis, antichristi imperii fundamenta jecit*, ut *Epocham* hanc *CLXX* post *annis* in conventu Ratisbonensi notavit Eberhardus archiepiscopus Salisburgensis, apud Aventinum. Aventinus ipse: *Gregorius VII. PRIMUS*, inquit, *imperium pontificium condidit.* Vid. Vitringa in Ap. qui p. 570. seqq. et hunc ipsum exortum Hildebrandinum, ceteris, de Roma ethnica, de Diocletiano etc. refutatis, firmatum dedit, et testimonia, quae modo produximus, pleraque collegit. Sed et M. Ant. de Dominis, de Hildebrando, *PRIMUS*, inquit, *aperto marte temporalem voluit exercere in reges et impp. potestatem.* l. 4. de rep. eccl. c. 3. et NOVO inauditoque exemplo factum esse, ut papa Caesarem non solum excommunicaret, sed etiam exauctoraret, gravissimis Ottonis Frisingensis, Godofridi Viterbiensis, Joh. Trithemii et Onuphrii Panvinii suffragiis confirmat Lairizius in hist. pap. Germanice adornata p. 482. seqq. Addantur *Is. Casauboni* Exx. c. Baron. passim: *Johannis* episcopi *Reffensis* de potestate papae in rebus temporalibus liber maxime II. cap. 9. et 10. *Hottingeri* hist. eccl. Sec. XI. *Blondelli* diatribe de formula, *Regnante Christo*, sect. II. cap. 16. *Edm. Richerii* Hist. conc. gen. T. I. c. 13. p. 758. *Natalis*

Alexandri Hist. eccl. Sec. XI. et XII. Diss. II. art. IX. *Lud. Ellies du Pin* de antiqua ecclesiae disciplina, diss. septima: *A. Rechenbergii* diss. de totatu Hildebrandino: *Sal. Deylingii* Observ. misc. exerc. sexta, de novitate regiminis monarchici in ecclesiam universam: D. *Maichelii* Diss. de jure principis circa doctrinam publicam, p. 57. s. etc.

Memorabili ratione Lutherus in *Supputatione annorum mundi*, T. IV. Jen. Lat. fol. 741. seqq. sub annum salutis millesimum notavit, *fit episcopus Romanus antichristus etiam vi gladii.*

Non momentanea metamorphosi a spirituali simplicitate primorum episcoporum ultra omnem mundanam majestatem transiit papa: sed sensim auctoritatem opesque acquisivit, donec nixu plane extraordinario culmen est assecutus. Ab hoc exortu regnum novum suo statu, sua forma, suo apparatu, multo magis, quam antea, usum est: cumque antehac papa pastor fuisset, annexo principatu; jam monarcha evasit, annexo episcopatu, episcopatus tamen titulo. Quocirca etiam hodierno die Reges externi, v. gr. Sinenses, Papam *Regem* appellant in literis. Eamus per summas rerum. Pedetentim nactus est proprium senatum, Cardinales, paribus cum papa crescendi gradibus gavisos, qui primum populo, deinde etiam clero omni atque Imperatore excluso, papam, eumque ex sese, facerent: proprios milites, Clericos, potestati civili subtractos, per coelibatum pontifici mancipatos, per usum calicis eucharistici a laicis distinctos: ditionem amplissimam, per Mathildem inprimis: proprios vasallos, reges christianos, ut diximus: proprium corpus legum, Jus canonicum, theologia scholastica septum: propria comitia, concilia, suis auspiciis coacta; antea enim omnia concilia oecumenica fuerant in oriente, deinceps omnia in occidente: proprios satellites, monachos praecipue Dominicanos et Franciscanos, novissimeque Jesuitas: proprium tribunal, Inquisitionis: proprium insigne, tiaram illam mysticam, A. 1048 triplicatam, quae *Regnum mundi* vocatur. *Ab ipso maxime Gregorio VII. pontifices, omissis imperatorum annis, suos substituerunt, eumque morem deinceps cum Indictione retinuerunt*, ut ait Mabillon. p. 181. quod quam vim habeat, patet ex 1 Macc. 13, 41. s. et id ipsum paucis post annis Paschalis II. solennius facere coepit. Ab illo fere tempore, coronationis major, quam consecrationis papalis ratio habetur ab historicis, v. gr. a Panvinio in Chronico pontificum, et ab ipso papa in numerandis annis suis. Ipsum *Papae* nomen, *Sanctitatisque* titulum, et *pedum osculum*, quae communia fuerant episcopis abbatibusque idem Gregorius sibi tum uni vindicavit. Neque ultra seculum Hildebrandinum Claudius Fleury habuit, quod de *moribus Christianorum*, libro gallico descriptis, diceret. Sed et illo primum tempore publica adversus hoc regnum e coelo terraque mixtum protestatio increbuit, (quam pura, non quaerimus,) per Arnaldum Brixiensem, quem exinde *politicorum haereticorum patriarcham* Baronius fuisse censet. Non est praetermittendum, quod a Gregorio VII. maxime, simul et imperii majestas et conjugii sanctitas est afflicta; unde duae illae haereses fictae, Simoniacorum et Nicolaitarum. Ac conjugii quidem sanctitas apud sacerdotes, non apud omnes homines, est impugnata, sed tamen ex iis rationibus, quae ipsum statum deprimerent. Quisquis est rex, quem Daniel c. 11. notat, illud certe, quod versu 37. extat: *Appetitum feminarum*, et *quenquam deorum, non curabit:* (sic enim LXX habent, quos Vulgatus haud assecutus, a priore parte negationem avellit:) in contemtorem conjugii et majestatis caesareae Pontificem Gregorium VII. inprimis convenit.

Exprobrant Romanenses Protestantibus, quod in assignando antichristi initio multis seculis inter se discrepent. [1]) Mille vero annos et amplius objicere

1) *Ejusmodi autem* discrepantias *ab Eruditorum recentiorum nonnullis*, qui Lutherani

Digitized by Google

poterant: tantam res latitudinem habet. Revera omnia, quae fiunt, et tempus habent, quo fiunt, et articulum temporis, quo fieri incipiunt: temporisque scientia, quo accuratior est, eo plus scientiam rei adjuvat. Sed rursum scientia rei esse potest, etiamsi a temporis scientia multum absis: alias plurimi mortalium de semet ipsis, an sint in rerum natura, dubitare debebunt, quia, qua hora, quo die, quo mense, quo anno et amplius, nati sint, haud sciunt. Veruntamen bestiae natale tempus satis expeditum est. Etenim apostasia et mysterium iniquitatis a primis suis staminibus varie crevit et crescit, donec evadit ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος, *Contrarius et Extollens sese.* 2 Thess. 2, 3. ss. Totius durationis dichotomiam facit Tuba angeli VII. in apocalypsi. ante eam tubam ex aliis vel apocalypseos locis vel apostolicis scriptis praesupponitur adversarius in mysterio: sub tuba angeli septimi, brevi intervallo post initium ejus, Christo opponitur *bestia* in *regno* aperto, quae momenti longe majoris est consideratio. Priorum graduum tempora ob id ipsum, quia et varii et occulti sunt, in N. T. non praecise definiuntur, quare ne in eventu quidem curiose ea notare attinet: sed regni ac floris, de quo Ap. 13. agitur, simul *praecise* definiuntur tempora, ac *Johannes*, ut Bellarminus l. 3. de Rom. Pont. c. 3. ait, *etiam minutias addidit*: quas quidem ipsas minutias ad tempora pertinere ostendimus. Patet hinc, quid ex vero responderi debeat Bellarmino, qui l. 3. de R. P. c. 3. in fine, sententiam, quam W. Musculo tribuit, de antichristi initio tempore Bernardi, ita refutat: *Fuerunt pontifices sine comparatione ulla pejores ab anno* 900 *ad* 1000, *quam ab* 1100 *ad* 1200. *si ergo illi non fuerunt antichristi, quare isti erunt?* Enimvero non malitia illorum propria (quae tamen opinionem publicam de antichristo appropinquante non mediocriter promovit, et certe in initia vae tertii incurrit) sed novi regni per Gregorium VII. constituti forma pessima, regno Christi adversissima, ecclesiae funestissima, reputari debet.

THES. 8. *Papatus Hildebrandini initium proprie habet Annus* 1077.—De hoc ipso quoque anno agitur Thesi 7: de parte anni, Thesi 9.

THES. 9. *In anno* 1077 *consideratu dignus est mensis September, ejusque dies primus.* — Epocham Hildebrandini Totatus comitatur *Indictio*, quae cum Septembri mense tum *incipiebat*, eaque *prima*. Primae Indictionis initio distinctae sunt literae ad Corsos, Thesi 7. exhibitae.

Non in puncto ortum ex mari peractum esse dicimus: sed latitudinem habet notabilem, et quidem a Gregorio VII, si placet, ad Alexandrum III. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 670. Horoscopus tamen, ut sic dicam, observandus venit.

THES. 10. *A veritate hujus interpretationis neque inimici neque amici veritatis debent nos deducere.* — *Dissensum* facilius fero, quam autumat Epicrisis, p. 382. sed quum longaevum veritatis testimonium, quatenus eximia ejus portio est germana bestiae de papatu interpretatio, periclitatur, et viri insignes, hac autem in parte errantes, nunc demum deditionem faciunt, justus est dolor: et quo plures suffragabuntur, eo major fiet timor detrimenti secuturi. Multo plus nervorum ad *patientiam et fidem* recta affert expositio, quae papatum sub descriptione bestiae cernit, quam sequior illa, quae eum sub meretricis descriptione quaerit: omninoque a genuina prophetiae sententia discedere nocet. Negat Ha-

---

dicuntur, quavis occasione exprobrari, quis non miretur? Indies cumulatur conquerendi materia, quam his verbis b. Auctor (*in der* Erkl. Offenb. *Ed. II. p.* 687. *sq.*) *tetigit:* Viel beschwerlicher ist es, dass von wenigen Jahren her etliche in der *evangelischen* Kirche selbst die rechte Auslegung des Thiers nicht nur fahren lassen, sondern auch gar bestreiten, da dieselbe doch von der Waldenser Zeiten her mit dem Blut so vieler Wahrheits-Zeugen bekräftiget, durch die Reformation so theuer behauptet, durch das immer zunehmende Licht so deutlich erwiesen ist, und, in der bevorstehenden Drangsal auszuharren so unentbehrlich seyn wird.— *Enimvero; non audit currus habenas.* — E. B.

Digitized by Google

lensis Theologus, p. 383., testes illos veritatis pro bestia habuisse papatum. Habuere vero, multi, ut ante Reformationem Purvaeus; post, Cluverus: alii certe pro altera bestia, illi conjunctissima, Ap. 13., habuere, ut Lutherus.

Idem ille, *meretricem plane esse urbem Romam, quatenus nempe urbs a papatu, qui pro bestia apocalyptica habendus sit, distinguatur, non meminit unquam audire vel legere:* singularisque opinionis speciem in me confert. *Utrum auctor,* inquit, *an CUM ALIIS ego hallucinatus sim, lector judicet.* Epicr. p. 385. seq. Diserte mecum facit Pareus, comm. in Apoc. col. 874. 892, neque alios addo. Etenim omnes, qui papatum in capite 13. Apocalypseos notatum agnoscunt, (qui permulti sunt,) iidem Babylonem non possunt non ab eo distinguere, quanquam non omnes aeque commode distinguunt. Novus saepe videor, ubi antiquam veritatem, a Luthero in omnibus fere hic partibus agnitam, refero: nec diffiteor, mihi notitiam priscarum sententiarum, sine praejudicio auctoritatis, non parum adjumenti attulisse. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 1111. 1121. Ad rem redeamus.

Bestiam a *meretrice* diversam esse, eandemque vel ut *corpus* vel ut *individuum* spectari, recte quidem docet Halensis Theologus: sed neque periochas de *corpore*, de *individuo* agentes; neque *mare* et *abyssum*, unde bestia alium aliumque ortum habet; neque *capita* ejus et *cornua* distinguit; neque de *Roma*, si papatus removeatur, satis amplam habet ideam. Epicr. p. 385. 387. s. 393. Quare has quoque partes per Observationes quam distinctissimas evolvemus. Adeste, qui veritatem amatis.

Obs. 1. *Bestia apocalyptica est Papatus Romanus per complura jam secula dominans.* — Hanc proram et puppim habet Thesis 5. Ubi ea desinit, ibi haec reliqua consideratio incipit.

Obs. 2. *Bestia habet et cornua decem et capita septem.* — Id aperte scribit Johannes.

Obs. 3. *Capita septem sunt septem et montes et reges: eademque sunt diversa a decem cornibus.* — Prior pars observationis diserte scripta extat: *septem capita, septem montes sunt, in quibus mulier sedet, et reges septem sunt.* Nec potuisset unum ex *capitibus* bestiae esse *quasi mactatum ad mortem*, si id esset mons seorsum a rege. Quod ad alteram observationis partem attinet, *capita sunt capita, cornua cornua: capita septem, cornua decem.* Non sunt synonyma, neque cornua in capita mutantur: nam conjuncta eorum est mentio. *Capita inter se succedunt: cornua sunt simul. Capita per totam bestiae durationem extenduntur: cornua sunt extremo bestiae tempore. Capita sunt de substantia bestiae: cornua sunt quiddam adscititium.* In unum hic cumulum differentias conjecimus: quicquid earum dubium est, jam jamque confirmabitur. Halensis Theologus, differentia bestiae Danieliticae et Apocalypticae haud perspecta, ne capitum quidem, quae septem demum habet Apocalyptica bestia, notabili a decem cornibus differentiae potuit satisfacere, et e contrario capita septem et reges septem, longe, non bene, separavit. Reges suspicatur esse Pharaonem, Jeroboam, Achab, Nebucadnezar, Antiochum, (quid his cum montibus Romae?) Domitianum, Antichristum: capita vero eosdem ait esse una aetate reges atque cornua, quorum tribus evulsis denarius numerus, sub antichristo, cum septenario commutetur. Comm. Apoc. f. 202.

Obs. 4. *Alius bestiae ortus ex mari est, alius ex abysso.* — Saepe *mare* memorat Apocalypsis, saepe *abyssum:* nunquam vero haec duo promiscue appellat, atque in locis de bestia clarissime distinguit. nam bestia h. l. ex mari ascendit, et c. 11, 7. ita ascensus ejus ex abysso repraesentatur, ut idem capite 17, 8. tanquam futurus describatur. Hoc sedulo tenendum est.

Obs. 5. *Bestiae capita non ante ortum ejus ex mari incipiunt, sed cum ortu ipso.* — Quis profectus est intelligentiae, ubi bestia, tanquam *subjectum*,

Digitized by Google

a Romulo, Bruto etc. tanquam principibus Romae, vel certe a Pharaone, Jeroboamo etc. tanquam prodromis antichristi, (de quibus fere consentiunt DD. Gebhardi et Langius) designatur? Imo *Praedicata* bestiae per hypotyposin rerum ejus actionumque futurarum describuntur: et hoc ad docendum facit. Quemadmodum post draconis e coelo jactum, et post initium vae tertii, bestia ex mari est orta: Thes. 5. Obs. 4. sic ortum bestiae non antecedunt, sed comitantur et sequuntur pedes et os et cornua, etc. neque capita sola excipi et ortu illo priora putari debent. nam super capita sine exceptione, omnia videlicet, (sicut super omnia ejus cornua sunt diademata,) nomen blasphemiae esse dicitur: neque uni alterique capitum citeriorum, sed ipsi bestiae ex mari exortae, id quod accuratissime notari debet, tempora adscribuntur, quanquam a temporibus deinceps capita revelli non possunt. Rursus, cum ipso ortu ex mari incipiunt capita. nunquam enim bestia est sine capite: ac primo quoque tempore mentio fit capitis unius, id est, primi, letali plaga affecti.

Obs. 6. *Capita inter se succedunt.* — Reges, cel. D. Langius recte agnoscit, inter se succedere: igitur etiam capita inter se succedunt. nam capita sunt reges. Obs. 3. Successio declaratur Observatione sequente.

Obs. 7. *Id spatium temporis, quod septem capitum seriem habet, in tria incisa, sive in tres articulos, diriditur.* — *Quinque* (de regibus, qui cum montibus per capita bestiae significantur,) *ceciderunt: unus est; alter nondum venit, et quum venit paulum eum oportet manere.*

Obs. 8. *Praesens tempus, pro quo angelus loquitur, in medium incisum cadit.* — Praesens tempus Theologo Halensi est pro visione Johannis. unde sic interpretatur: *unus* (i. e. Domitianus) *est*, et *alter* (i. e. antichristus) *nondum venit*. At hoc, *unus est*, et illud, quod mox videbimus, *bestia non est*, inter se respondent: neque aut illud, *non est*, quoquo vertatur, ullo modo pro tempore visionis ad imperium Romanum applicari potest; aut hoc, *unus est*, ad Domitianum referri patitur clausula subsequens, *alter nondum venit*. nam particula *nondum* excludit intervallum inter *unum* et *alterum*, quos etiam contradistinctio *quinque* regum ad *unum* et *alterum* proprie conjungit: Domitianus autem annis abhinc plus 1600 occisus est, et hodienum valet illud: *alter nondum venit*. Saepe tempus praesens sermonis pro ipsa rerum serie praesens est. tale illud, *cingebas te ipsum*, etc. Joh. 21, 18. Inde prophetae futuros tanquam jam natos et degentes alloquuntur, v. gr. Ez. 38, 17. Sic vae primum et secundum *abisse* dicitur. Ap. 9, 12. 11, 14. Adde illud: *vixerunt: qui habet: erunt*. c. 20, 4. 6. Confer cap. 17, 12. 14. Praeclare hanc ipsam loquendi rationem probavit, ne ceteros dicam, Bossuetus, in thesi; nam hypothesis, cui inserviit, nihil est, ab aliis pridem confutata, idque operosius, quam necesse fuit. Ita h. l. exprimit angelus tria tempora diserte, in medio eorum, i. e. in secundo, et se collocans et Johannem, quo commodiore differentia primum tempus in praeterito, secundum in praesenti, tertium in futuro declaretur: neque alia erat causa, cur angelus illud tempus potius, quo bestia non est, quam quo est, pro praesenti sumeret.

Obs. 9. *In eosdem articulos ipsa dividitur bestiae duratio.* — *Bestia erat: non est: ascendet ex abysso et interibit etc.* Cap. 17. versu 8. bis, et versu 11. Inter hos versiculos tanquam parallelum interponitur illud, *quinque ceciderunt: unus est: alius nondum venit etc.* v. 10. Summa ex utrisque conflata, est *Bestia ex mari: Non bestia: Bestia ex abysso.*

Obs. 10. *Babylon est Roma.* — Nomen, *Roma*, ῥώμη, a robore dicitur: unde olim eadem *Valentia* appellata. *Urbs valida*, cap. 18, 10., per antonomasian, non per epitheton. In Romam omnia, et in Romam solam conveniunt, quae de Babylone dicit Apocalypsis. Babylon haec est, donec prorsus deletur: sed quando esse coepit? tum, quum *magna* esse coepit. Quum in oriente desiit Ba-

Digitized by Google

bylon, in occidente emersit. Erat igitur *apostolorum* jam tempore, quorum judicium ex Babylone judicari dicitur, cap. 18, 20. non ideo, quia apostoli judicium illud praedixere, quam causam profert D. Langius in Comm. Ap. f. 213., Babylonem ad hierarchiam seculo VII. degenerem restringens, adeoque nimis seram faciens: sed quia, ut sanctos et prophetas, sic etiam apostolos interfecit. coll. v. 24. Prima Babylonis mentio est cap. 14, 8., neque ibi indicatur, tum Romam Babylonem esse incipere: sed quemadmodum Agnus, qui pridem Agnus erat, ut talis praesupponitur in Apocalypsi; et e contrario draco, qui pridem draco fuerat, ut talis praesupponitur: sic Babylon, quae pridem Babylon fuerat, ut talis praesupponitur. Praesens Babylonis agentis tempus in Apocalypsi determinatur per ea, quae urbi attribuuntur.

Obs. 11. ***Bestia et ante regnum Babylonis regnat et post regnum Babylonis.*** — Recte judicat Theologus Halensis, non posse simul regno tanto gaudere et meretricem et bestiam: sed idem bestiae regnum nonnisi post regnum meretricis collocat. Primum regnat bestia, cap. 13, 1. seqq. deinde Babylon, c. 17, 1. seqq. iterumque bestia, ibid. v. 8. seqq. Seriem textûs analysis nostra exacte servat: Epicrisis, non servat.

Obs. 12. ***Capita sunt de ipsa bestiae substantia: cornua sunt quiddam adscititium.*** — Plaga *capitis* unius dicitur etiam *ipsius* bestiae plaga: sed *cornua* sive reges ***CUM bestia*** regnum accipiunt. c. 13, 3. 17, 12. Praeterea reges septem non per se, sed cum montibus sunt capita bestiae: ergo cum urbe eam habent necessitudinem, quam soli pontifices Romani; et sunt ipsi pontifices. at illud unum, ***cornua ET bestia,*** ibid. v. 16., cornua satis a bestia distinguit, ut quiddam subsidiarium.

Obs. 13. ***In primum incisum cadunt menses XLII. bestiae: qui certe sunt aliquot seculorum.*** — Bestia ex mari orta est A. 1077, et paulo post data est ei potestas menses XLII. potestas autem hodienum durat. Propior determinatio alibi explanatur.

Obs. 14. ***Bestiae Non-esse et Babylonis Regnum sunt simul.*** — Utrumque horum aperte confert prophetia in medium incisorum trium, ex quibus constat duratio bestiae. Bestia post ascensum ex mari vehementer grassabatur, donec per phialam angeli quinti regnum ejus obscuratum fieret. Sed tamen obscuratum regnum est regnum; et bestia, obscuratum habens regnum, est bestia. Deinceps autem res eo deveniebat, ut locus esset huic sermoni: ***Bestia erat,*** erat bestia, id est, regnabat, improbe illa quidem: ***et non est,*** non est bestia, non regnat, eo statu, quem ex mari orta habebat, amisso: cur? quia ***Mulier*** insidet bestiae, et bestia illi pro jumento servit, mulier autem, regno gaudens super reges terrae, sedet ***regina.*** Tali ea schemate in scenam producitur sub vae tertio, post bestiam ex mari, et alteram ex terra exortam, post res capitis 14., atque adeo post phialas effusas, donec bestia ex abysso exorta, adscitis decem regibus, eam de subito delet.

Obs. 15. ***Eo maxime tempore manifesta erit, quae nunquam nulla fuit, differentia Romae et Papae.*** — Differentiam Romae a Papa nimis tenuiter definiit Vitringa, Anacr. p. 756., eoque majori specie Theologus Halensis papatum sub Roma abdidit. Ampliorem differentiam ostendimus in libro, ***Erkl. Offenb.*** praef. §. IX. et pag. 689. 776. seq. et ad totum caput 17., maxime pag. 845. sed quum ea, quae sparsim ibi notata sunt, a plerisque praetereantur, distinctius pleniusque hoc uno in loco rem exponemus. ***Roma*** quum dicitur, etiam seorsum a pontifice, tria dicuntur: ***Urbs septicollis, Ecclesia Romana, Civitas Romana. Civitatem Romanam*** describit ***Is. Newtonus*** in Observ. ad Dan. interprete Guil. Suderman, ea ille quidem mente, ut tria cornua, per cornu parvum evulsa, interpretetur de Exarchatu, de regno Longobardorum, et de Roma ejusque senatu, sub potestatem papae redactis. Hac opinione seposita, quae cornu fingit nimis maturum,

Digitized by Google

totus locus rectam de civitate Romana ideam egregie adjuvabit. *Roma cum suo Ducatu*, inquit, *qui* Etruriae *et Campaniae partem complectebatur, a Graecis Imperatoribus defecit A. C.* 726, *et libera erasit Respublica sub Senatus Romani regimine. Hujus Senatus auctoritas in rebus civilibus deinceps suprema fuit, Papae auctoritate hactenus non ultra res ecclesiasticas patente.* pag. 53. Iterum: *Anno* 796 Leo III., *creatus Pontifex electionis suae Carolum Magnum, legatione certiorem fecit, missis etiam muneri aureis Confessionis Petri clavibus, nec non urbis Romae vexillo: illas quidem in professionem quod Papa urbes Exarchatus Ravennatensis et Longobardiae dono Caroli possideret; hoc ad significandum Regi ut rediret ac S. P. Q. Romanum subigeret, perinde ac subegerat Exarchatum et Longobardorum regnum. Petiit quippe eodem tempore a Carolo Pontifex, ut quosdam ex suis principibus Romam mitteret, qui populum Romanum ei subjicerent, atque obstringerent sacramento* in fide et subjectione, *ut verba, quibus utebatur, refert Sigonius. Anonymus Poëta, quem Argentorati edidit* Boeclerus, *hoc modo illud describit:*

> Admonuitque piis precibus, qui mittere vellet
> Ex propriis aliquos primoribus, ac sibi plebem
> Subdere Romanam, servandaque foedera cogens
> Hanc fidei sacramentis promittere magnis.

Hinc inter Papam et Romanos cives dissidium exortum est. Et hi quidem duobus vel tribus post annis, quibusdam ex Clericis adjuti, tantos in illum excitarunt tumultus, ut novae rerum in omni Occidente faciei causa extiterint. Duo enim e Clericis Papam quorundam criminum accusarunt, quem mox armata vi corripuere Romani, vestibusque sacerdotalibus exutum monasterio incluserunt. Auxilio autem amicorum ille cum evasisset, in Germaniam ad Carolum Magnum fugit, apud quem de Romanis conquestus est, quasi eo animo sese ipsi opponerent, ut omnem Ecclesiae exueterent auctoritatem, pristinamque libertatem recuperarent. Eo absente ipsius accusatores copiis suis Ecclesiae ditiones depopulati sunt, accusationisque capita ad Carolum Magnum miserunt. Hic autem, anno nondum circumacto, Papam cum ingenti comitum pompa Romam remisit. Nobiles et Episcopi e Francia, qui ipsum comitabantur, praecipuos ex ipsius accusatoribus Romae examinarunt, eosque in Franciam in custodiam miserunt. Contigit hoc anno 799. Proximo anno ipse Carolus Romam profectus est et statuto die Concilio Italorum et Francorum Episcoporum praesedit, utramque partem auditurus. Quum vero Papae adversarii se auditum iri expectarent, statuit Concilium, illum qui supremus omnium hominum esset Judex, majorem esse quam qui ab ullo, praeter se ipsum, judicaretur: quo facto ille solenni oratione coram omni populo innocentiam suam professus est, atque ita habitus pro absoluto. Breri post, die quo natalis Domini memoria celebrabatur, populus Romanus, qui hactenus suos Episcopos elegerat, ac se suumque Senatum censebat veteris Senatus Populique Romani jura rite possidere, Carolum Imperatorem elegit, atque eadem ipsi se submisit ratione, qua vetus Imperium Romanum ejusque Senatus olim Romanis Imperatoribus erant subjecti. Huic Papa diadema capiti imposuit, eumque sacro inunxit oleo, atque adoravit flexis genibus, ut olim fiebat Imperatoribus Romanis, narrante id hisce verbis Poëta supra citato:

> Post laudes igitur dictas et summus eundem
> Praesul adoravit, sicut mos debitus olim
> Principibus fuit antiquis. — — —

Ab altera parte Imperator hoc sacramento Papae se obstrinxit: In nomine Christi spondeo atque polliceor Ego Carolus Imperator, coram Deo et beato Petro Apostolo, me Protectorem ac defensorem fore hujus sanctae Roma-

Digitized by Google

nae Ecclesiae, in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio, prout sciero poteroque. *Porro etiam creatus est Imperator urbis Romae Consul, ejusque filius* Pipinus *Rex Italiae coronatus, atque ex eo tempore ille hac ratione nomen suum scribi voluit:* Carolus serenissimus, Augustus, a Deo coronatus, Magnus, pacificus, Romae gubernans Imperium, *vel* Imperator Romanorum; *proque eo in Ecclesiis Romanis dicebantur preces. Ex hoc etiam tempore ejus effigie Romani nummi signabantur. Papae autem adversarii, trecenti numero e Romanis, duo vel tres e Clericis, ad mortem damnati sunt. Illi uno eodemque die omnes* in campis Lateranensibus *securi percussi; hisce vero intercessione Papae noxa remissa est, ipsique in Franciam in exilium missi. Atque ita* Romani Imperatoris *titulus, quo hactenus insigniti fuerant Imperatores Graeci, sive Orientis, ad Reges Franciae in Occidente translatus est. Posthaec Carolus Urbis et Ducatus Romani principatum Papae dedit, sibi tamen ut Romanorum Imperatori subjectum: hyemem in rebus Romae politicis, iisque quae ad Sedem Apostolicam attinebant, imo totius Italiae negotiis tam civilibus quam ecclesiasticis ordinandis, norasque de iis condendo leges transegit: proxima aestate in Franciam rerersus est, relicta sub imperio Senatûs civitate, et illo simul et hac sub Papa atque se ipso. Audito autem noras suas leges nec a Judicibus in edicendo jure, nec a populo illi obsequendo observari, nec non potentiores a liberis hominibus, imo et ab Ecclesiis et monasteriis, servos capere, qui in suis vinetis, agris, pascuis domibusque opus facerent; pergere etiam illos ab hisce pecora exigere et vinum, eosque qui Ecclesiis ministrabant opprimere; literas ad filium Pipinum dedit, monentes ut his malis ille mederetur, Ecclesiae curam gereret, ac videret ut leges suae observarentur.* pag. 55. seqq. Cetera complura, si opus est, apud Newtonum legantur. *Ecclesia Romana* quid sit, seorsum a pontifice, patet, 1) quando concilium habetur, vel ante pontificis confirmationem, vel citra eam. 2) quando in schismate judicium fit de papa legitimo. 3) quando sedes vacat, praesertim longiori tempore, et Interregnum sive Interpontificium, et Conclave est. 4) quando zelus pro Catholicismo etiam ab iis, qui pontificia amplitudine minus capiuntur, exercetur. 5) quando ipse papa Inquisitioni suspectus est, aut primoribus ordinum, v. gr. Generali Lojolitarum praeposito non satisfacit. *Roma* denique *septicollis* cum suis muris, templis, palatiis, domiciliis, quomodo a papa differat, non opus est dicere. In summa, Roma et *architectonice*, et *politice*, et *ecclesiastice* spectata, quiddam a papa divisum habet. Bestia quidem regnante, Roma vix, nisi papae radiis coruscat, ut apparuit, quum Papa Avenione sederet: idcirco pauci Romam a papa distinctam animadvertunt. Sed commutabitur utriusque ratio: mulier regnabit, bestia eam portabit. Tum vero in omnium oculos incurret differentia.

Obs. 16. *Bestia est corpus, in primo et secundo inciso durationis suae: in tertio, est individuum.* — Grandes duo errores pridem extitere, quorum alter septimum tantummodo bestiae caput pro papatu multorum seculorum, alter totam bestiam septicipitem pro antichristo individuali habet. Contra, bestia septiceps est papatus multorum seculorum: caput septimum, homo peccati, qui a plerisque antichristus dicitur. Bestia est *corpus*, a cap. 13, 1. ad cap. 17, 7. Est *corpus et individuum*, ibid. v. 8—11., pro diversis incisis. Est *individuum*, ibid. a v. 12. ad c. 19, 20. Haec, ut spero, distincta sunt et facilia. Bestiam Halensis quidem Theologus ait esse primo *corpus*, deinde *individuum*: sed eam capite 13. ut *individuum*, capite 17. ut *corpus*, tractat. Id cujusmodi sit, patet. Quae in Epicrisi p. 387. 388. notantur, ea non allegavi ut sententias aliorum, (quemadmodum cel. D. Langius accipit) quanquam Ribera certe totam bestiae durationem annis $3^1/_2$ includit; sed ut consequens absonum, quo prematur opinio bestiam cum ipso corpore suo in annos $3^1/_2$ coarctans. Nam cum ortu be-

stiae ex mari incipit series septem capitum (ut ostendimus Obs. 5.) quae annos $3^1/_2$ longe excedit, praesertim quum ultimo tantummodo capiti sive regi *paululum* mansionis adscribatur.

Obs. 17. *Individuum illud est caput bestiae septimum; sive rex, post quinque et unum, alter; ipse octavus, idemque e septem.* — Ex septem capitibus sive regibus est, quatenus papa est: ipse autem octavus est, sive bestia ipsa, non caput duntaxat; non quatenus papa est, sed quatenus novam et plane singularem malitiam ex abysso affert. Similitudo rem illustrabit: arbor septem ramorum, quorum sex sint graciliores, et septimus valde crassus; si sex decisi sint, et septimus supersit, manet arbor. Conf. *Erkl. Offenb.* p. 885. Prius autem dicitur octavus, quam e septem: quia non prius papam aget, quam hominem peccati. Germanica mea exegesis cum parenthesibus cel. D. Langii haec est: *Bestia, respectu capitis ultimi, vel potius (non habet certum ipse commentator,) eo tempore, quando ultimum caput, ac proprie bestia ipsa, tanquam octavus, grassatur, est persona singularis (quae tamen non erit papa ullus) etc.* Epicr. p. 387. Resp. Formula, *vel potius*, non habet dubitationem de re, sed tantummodo inadaequatae locutioni subjungit adaequatam, quarum collatio lectori non sit inutilis. Ultimus ille papa, omnibus longe pejor, causa nulla est, quin eum habeat interitum, qui Ap. 19, 20. descriptus, Babylonis vastationem subsequitur.

Obs. 18. *Is est Impius, Homo peccati, Filius perditionis, Adversarius et Elatus, Nefarius.* — Sic eum Scriptura appellat, praesertim Paulus, 2 Thess. 2, 3. Quem ad locum quae notavi, ea hic velim respici.

Obs. 19. *Idem dicitur, usitatissimo vocabulo, antichristus.* — Nomen *antichristi*, ubi non adhibentur Epistolae Johannis, extra quas id in Scriptura non occurrit, commodissime seponitur, propter homonymiam. Dicitur enim vel de *antichristianismo* sub apostolorum tempora exorto, quo sensu ipse Johannes jam tum non unum, sed multos antichristos esse factos scripsit, 1. ep. c. 2. v. 18. vel de *papatu* per complura jam secula dominante, quo sensu plerique Protestantium accipiunt: vel de *Homine peccati* in individuo, ut inprimis Theologus Halensis adhibet. Ego non utor vocabulo in tantam adducto ambiguitatem, praeterquam ubi aut Epistolas Johannis tracto, aut sententias aliorum, qui utuntur, refero: et, si in Apocalypsi tractanda uterer, (quanquam Nefarius ille se *deum* perhibebit, non *Christum*,) eodem uterer sensu, quo Theologus Halensis, qui tamen negat, me rectam habere de *antichristo* ideam. Epicr. p. 375. 389. Non negaret, si *Praefationi* saltem meae vacasset attente perlegendae.

Obs. 20. *Cum bestia simul potestatem quasi reges accipiunt decem cornua sive reges unam horam.* — Id aperte dicitur Ap. 17, 12. *Bestia* innuitur individualis: et *una hora* est gerendi regni, quippe quod decem cornua mox dant bestiae. Bestia modo dicebatur *non esse:* quare potestatem denuo accipit, et *cum* ea reges, qui hora interjecta suam quoque potestatem tam recentem dant bestiae.

Obs. 21. *Tota vis monarchiae Romanae in decem regna divisae conferetur in bestiam.* — Id dicitur ibidem versu 13. 16. 17. Reges decem, non modo decem regna, erunt; reges autem, prorsus dediti bestiae, mirabili consensione.

Obs. 22. *Decem cornua, et bestia, meretricem vastabunt.* — Id dicitur ibidem, versu 16. Momentosissima particula, καὶ, *et*: vulgo obliterata, vindicatur suo loco.

Obs. 23. *Postremo bestia, cum decem cornibus, ceterisque regibus terrae, in magnam illam cladem irruet.* — Id scriptum est Ap. 19, 19., ubi sub *regibus terrae, decem cornua* contineri, patet ex cap. 17, 14. 17. fin.

Digitized by Google

Obs. 24. *Huic considerationi Daniel, quacunque eum ratione interpretere, non officit.* — Quae hactenus ex Apocalypsi didicimus, ea nos ad ipsum bestiae decemque cornuum exitum perducunt, et per se plana sunt, neque per Danielem, sive Langiana, sive alia ejus interpretatio vera est, labefactantur. Fac, bestiam quartam apud Danielem esse regnum *Graeco-Syriacum:* aut cornu parvum esse *Muhammedem:* (quam sententiam certe Epicrisis ratione minus idonea refutat, p. 404. s.) aut denique *decem cornua* apud Danielem alia esse, atque apud Johannem: (etenim *post* decem cornua cornu apud illum surgit, c. 7, 24. in Chaldaico; apud hunc autem decem cornua simul *cum* bestia regnum accipiunt, c. 17, 12.) horum nil interpretationi obest meae. Nam quemadmodum bestia apocalyptica similitudinem quandam habet etiam cum tertia, secunda, prima Danielitica, ut vidimus Thesi 5., obs. 2. nec tamen idcirco eadem est cum ulla earum: sic similitudo bestiae apocalypticae cum quarta Danielitica non eandem bestiam infert. Hoc in gratiam eorum dixerim, qui Danielem aliter interpretantur, atque nos Apocalypsin, vel certe de Danielis interpretatione dubitant. Sed progrediamur.

Obs. 25. *Bestia quarta Danielitica est Romana monarchia.* — Regnum Graeco-Syriacum sub quaternis alis capitibusve tertiae bestiae continetur: neque per se amplitudinem totius bestiae, nedum quartae, a prioribus tantopere distinctae, assequitur. Aegre in eo decem cornuum successiva ostendi series potest; unius temporis, ut textus postulat, multo minus. Denique multo id citius exspiravit, quam vel quarta bestia interiret, vel Lapis abscinderetur. Nil superest, nisi Romanum imperium: id quod, praeter alios, solide docet Abbadie in Apoc. T. IV. p. 446—537., et Janus de IV Monarchiis. Romanum si praetermissum esset, inter bestias Danieliticas et inter Apocalypticam unus, isque magnus esset hiatus. Atqui et Daniel, cap. 2. et 7., et Apocalypsis, cap. 13—19., a diversis regnorum, quae describunt, initiis, continuo filo, ad unam eandemque metam, ad Christum ejusque regnum sub toto coelo, deveniunt.

Obs. 26. *Eadem bestia Continuum quiddam est, ab initio monarchiae Romanae, usque dum throni ponuntur: et bestiam Apocalypticam et mulierem et multa alia diversa in se complectitur.* — Quae potissimum victoria initium dederit monarchiae Romanae, non magni interest. Quodcunque fuit initium, ab eo usque ad metam quatuor monarchiarum quarta instar est fluminis, quod unum a suo fonte alveum habet, sed interdum rivos quosdam imbibit, interdum in plures ipsum rivos dividitur, et tamen unum continuum flumen manet. Primum Romana potestas erat indivisa: deinde rudimenta quaedam divisionis extitere, et divisio ipsa in orientem et occidentem, quae multas habuit vicissitudines. Tum partes potentiae sibi Romanae vindicarunt Herulorum, Gothorum, Longobardorum reges: Exarchi: ipsi Romani: Imperatores Carolingi, Germani, non exclusis aliis regibus. Quicquid potentiae vel papa quoque vel urbs ante Gregorium VII. habuit, id bestia Danielitica immediate continet: quicquid potentiae papatus a Gregorio VII., (qui *Chrono* ab Augusto abest,) etiam sub schemate spirituali, in urbem, in Patrimonium Petri, in vasallos, in reges, in populos exercet, bestia apocalyptica refert: sed ipsa rursum bestia apocalyptica, et item Roma cum potentia sua extrema, adeoque et id quod retinet, et is qui retinetur, sub Danielitica bestia comprehenditur; quae propter papatum ab omnibus prioribus bestiis differt: c. 7, 7. Apud Danielem est series principum multo longior, quam in Apocalypsi. Ipsa varietas partium, ex quibus bestia quarta apud Danielem constat, praecipuam ejus differentiam a tribus prioribus bestiis exhibet: ac tertia quidem post mortem Alexandri M. multa diversa complectebatur, et tamen una erat; sed multo magis varias partes habet quarta, sic tamen, ut et conjunctim a tertia differant, et inter se cohaerentes unam bestiam exhibeant.

Digitized by Google

Obs. 27. *Cum interpretatione nostra Apocalyptica sic quoque congruant, quae Daniel de decem cornibus vidit.* — Apud Danielem de decem cornibus tria evelluntur, emergente cornu parvo: at in Apocalypsi decem cornua pleno se numero adjungunt bestiae, extremo ejus tempore. Ergo decem sunt prius apud Danielem, quam in Apocalypsi. Diversam dixeris formam, eandem materiam esse; ideoque Johannem, respectu Danielis, ante omnia cornuum in textu mentionem facere, versu 1. quae tamen postea constanter capitibus postponit. Varia pridem fuere, praesertim citerioribus seculis, *denarii* regum lineamenta ac molimina: *ipse denarius nondum liquido apparuit;* neque ternarius eorum, qui evulsi sint. Fient autem decem: et, quantum ex utriusque prophetiae collatione existimari potest, de decem regibus cornu aliud parvum, princeps non magnus, tres sibi vicinos subiget: idemque, admirantibus terricolis, nova ex abysso malitia mactus, regnum ipse, et cum eo reges, ex nova divisione, decem, accipient, idemque erit et octavus et ex septem, eique decem reges, post unius horae regnum, potestatem suam conferent. Ipse Daniel, cap. 7., uno versu 20., respectu decem cornuum, et trium, *aliud* memorat: deinde, multo exsertius, cornu illud, quod oculos et os magniloquum habebat.

Obs. 28. *Nec pugnant, quae Daniel de cornu parvo vidit.* — Cornu parvum, quod a quarta bestia differt, ut pars a toto, (neque enim versu 11. id pro ipsa bestia dicitur,) est apocalyptica bestia aut septiceps aut individualis. si septiceps, bene est; si individualis, (ut, quemadmodum Christus est Cornu salutis, sic Adversarius sit Cornu perniciei,) videtur tamen id ortum aliquanto celeriorem habere apud Danielem, ut tres reges de decem prius dejiciantur, quam bestia cum decem regibus regnum accipiat. Utut est, de bestia septem capitum dicuntur in Apocalypsi, quae cornu apud Danielem habet, ut *os magniloquum et blasphemum, bellum cum sanctis et victoria ex iis:* neque id obstat nobis. Nam quae male agit bestia in primo inciso durationis suae, ea in tertio agere perseverat atrocissime: quam ipsam ob causam actio bestiae individualis capite 17. et 19. parcius describitur; quia nempe pleraque ex capite 13. repetenda sunt. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 893. Eo uberius est indicium propheticum, quod subjectum aliter aliterque spectatum eadem habet praedicata.

Obs. 29. *Tempora bestiae apud Danielem et in Apocalypsi suaviter conveniunt.* — *Tempora* $3^1/_2$, dum cornu dominatur, Dan. 7, 25., et *menses* 42. bestiae grassantis, Ap. 13, 5., et ὀλίγον *paululum* illud mansionis, c. 17, 10. (ne cetera loca addamus, quae supra ad c. 6, 2. attigimus,) pro annis $3^1/_2$, iisque communibus, ingenti cum affirmatione habet Epicrisis p. 390. 399. et Comm. ap. f. 203. Obvia quidem facilitate multis pridem arridet mensis 30 dierum, ut dies 1260, menses 42., anni $3^1/_2$ inter se aequentur: sed ea ipsa facilitas, collatis dierum, mensium, annorum naturalium arduis invicem rationibus, fallax deprehenditur. Neque Johannis neque Danielis aevo singulares anni reperiuntur, qui habuerint dies 360, sine epagomenis, multo minus anni $3^1/_2$, qui habuerint dies 1260, ut vel Nabonassarei anni Daniele vetustiores evincunt. *Tempus* aliis locis alios habet significatus: vid. *Erkl. Offenb.* p. 130. s. 148. et *tempus* (καιρὸς) in Apocalypsi est longius anno, etiam prophetico: et *anni* $3^1/_2$ sive menses 42 sunt longiores diebus 1260, sive propheticos sive communes annos, menses diesque spectes. Vid. *ibidem* p. 136. etc. unde facile liquescent argumenta a cel. D. Langio in comm. apoc. f. 115. seq. pro periodo $3^1/_2$ annorum allata. Annuo die nitebatur cum multis Seizius: communis diei princeps assertor est Theologus Halensis. Et illius et hujus rationibus examinatis, vera temporum analysis, me in medio ducens, (v. 18. not.) mirifice confirmatur, nullo aut subito aut deliberato impetu retexenda. *Danieliticam* chronologiam, quod ad novissima pertinet tempora, expendi in *Ordine temporum*, pag. 371. seqq. [*Ed. II. p.* 319. *seqq.*]

Digitized by Google

Arcanum temporum panditur in Apocalypsi et per eam in Daniele: et id ipsum spectant augustissima juramenta in utraque prophetia. Interpretatio, quae longas in iis temporum periodos ad brevitatem redigit, non potest non plurimum turbare. Est parallelismus temporum in Daniele et in Apocalypsi, sed reconditus, et, quum semel inveneris, concinnus, longe ultra dierum 1260, mensium 42, temporum $3^1/_2$ congruentiam. Vid. *Ord. Temp.* l. c. et pag. 322. seq. [*Ed. II. p. 274. sq.*] Quod ad *tria citata loca* attinet, parallelismus in iis quaesitus se ipse conficit. Primum locum infra cum tertio componemus, ad c. 17, 10. sed secundus a tertio, adeoque etiam a primo longe differt. *Menses* 42. sunt ante phialas, et primum bestiae incisum propemodum exhauriunt, Obs. 9. 13. at post phialas est ὀλίγον *paululum*, et *tempora* $3^1/_2$, in inciso tertio. Non aequalis est periodus, nedum eadem. *Multo elegantior et subtilior est propheticarum periodorum varietas, quam ut in unam tam multa massam conjicienda veniant.*

Obs. 30. *Hac demum ratione conciliantur invicem etiam ea, quae de interitu bestiae scribuntur in utraque prophetia.* — Epicrisis hac quoque in parte solam notat similitudinem, p. 400. *Daniel ignem*, inquit, *tribuit bestiae: idque confirmat Johannes.* conf. p. 373. Dissimilitudo non minus est notabilis. *Vidi*, inquit Daniel, *donec occisa est bestia, et corpus ejus perditum est: et data est incendio ignis.* v. 11. Extremum illud, *et data est*, et accentus, et genus foemininum in Chaldaeo quoque, a *corpore* bestiae sejungunt, et cum ipsa *bestia* conjungunt. Pro uno eodemque, ultimo, bestiae tempore et Johannes loquitur et Daniel: sed Daniel *bestiam* innuit in toto *complexu*, (conf. Obs. 26.) id est, decem cornua, sive reges, in capite ejus, et cornu singulare inter decem cornua, et *corpus;* Johannes *decem cornua* secernit a bestia. Ideo hic ait, 1) *bestiam* cum pseudopropheta *vivam* conjectam in stagnum ignis, 2) *ceteros* hostes, et in eorum turba *decem* illos et reliquos terrae *reges*, *occisos*: at ille scribit, 1) ipsam *bestiam*, quod ad decem cornua capitis a *corpore* distincti attinet, esse *occisam;* 2) *corpus*, i. e. copias et opes bestiae *periisse:* ac rursum 3) *bestiam*, quod ad cornu singulare attinet, conjectam esse *in incendium ignis.* Dum primum hic et tertium membrum dirimuntur, simultaneum utriusque cum secundo indicatur. Interitus bestiae quartae, apud Danielem, conjunctum habet interitum priorum bestiarum, c. 7, 12. 2, 35. 45., et interitum bestiae apocalypticae postea exortae.

Hactenus de decem *Thesibus.* de quibus quicquid dixi, in Exegesi Germanica dixeram: sed quia *multi judicant* et *pauci legunt*, rem uno hic fasce comprehensam iterum oculis subjici oportuit. Deinceps Theologus Halensis annotationes meas ad versiculos capitis 13. singulatim visurus expendit, quomodo ostendam, bestiam esse papatum. Hoc autem, antea demonstratum, ego in annotatis praesuppono, et in textu, ut quaelibet portio postulat, tractando progredior. Qui superiora rite cognorit, facile pro me respondebit: strictim tamen aliqua notabo. Negat, ullam versiculi hujus et sequentium applicationem ad papatum a me dari. Epicr. p. 386. seqq. Non dedi pagina 690—695., quas citat: nam ibi similitudinem, nec non dissimilitudinem, bestiae Danieliticae et Apocalypticae praestruxi, ut par erat. Dedi applicationem, ordinatim, p. 658. 678. 696. seqq. et remisi pagina 663. lectorem ad caput 17., ubi de *capitibus* et *cornibus* distincte copioseque egi, p. 853. seqq. De *pardo*, *urso*, *leone*, eo brevior esse potui, quo uberius haec explicant, qui hanc periocham de papatu frequentes interpretantur. Neque nil navarunt Danielis exegetae. Non facile scribo, quod ab aliis scriptum sit prius. *Papae nomen*, (ὄνομα, singulare, *Erasmus* ex antiqua lectione refert *Andreae Caesariensis*,) blasphemum esse negat. p. 388. Ut papa hoc nomen ad se unum redegit, nullum is nomen majus, adeoque nullum magis blasphemum habet. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 697., et adde *Forbes.* in Ap. p. 118.

v. 3. καὶ μίαν) Sic omnia antiquissima vestigia. εἶδον interserunt duo tresve libri. Assentior Wolfio, μίαν, quum εἶδον deleveris, non referri ad verbum ἔδωκε proxime praecedens, quanquam glossa, in Apparatu notata, esse videtur, quae μίαν eo referat. Quodsi εἶδον subaudiendum est, ex v. 1. id repeti debet, quomodo verbum *videndi* per hyperbaton adhibet Plinius lib. VIII. H. N. c. 6., *Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi regis bello, et boves Lucas appellavit — Romae autem* (scil. *vidit*) *in triumpho etc.* Sed aeque commode cohaeret sermo, ἔχον μίαν κτλ. coll. v. 14. et *Latinus* interpres, quum *vidi* olim non legeret, sic construxisse videtur: *et vidi bestiam habentem capita septem — et* (habentem) *unum de capitibus SUIS* (non, *ejus,*) *quasi occisum in mortem.* Ea videlicet v. 1. 2. 3. casuum mixtura extat, quam non semel vidimus, et aliquanto inferius videbimus: facilisque est nexus *capitum septem* et *unius ex capitibus. Unum* dicitur caput, pro *primo.* nam εἷς, *unus,* etiam sine articulo *primum* dicit. c. 6, 1. bis: Ez. 32, 1., praesertim apud LXX etc. Accusativus μίαν, qui, ut modo notavimus, ab ἔχον v. 1. per hyperbaton pendet, ascensum bestiae ex mari et vulnus arctissime connectit. Quare etiam κεφαλὴν ἐσφαγμένην, non σφαττομένην dicit, ut ἀστέρα πεπτωκότα, in praeterito. c. 9, 1. Primum bestiae caput est papa in *Laterano,* in monte *Caelio,* a Gregorio VII. ad Innocentium III. aut ultra. Eo temporum tractu plurima adversa evenere papae per contentionem cum Imperatore, sed ex omnibus convaluit. — ὡς ἐσφαγμένην — ἐθεραπεύθη, *ut mactatum — sanata est*) Et plagae et sanationis paroxysmos in historia Gregorii VII., Paschalis II., Calixti II., Alexandri III., et aliorum videas. Quicquid tum adversi accidit, *plagae* est: quicquid secundi, *sanationis* est. — καὶ ἐθαύμασεν ὅλη ἡ γῆ ὀπίσω τοῦ θηρίου, *et admirata est tota terra post bestiam*) id est, admirabunda ivit post bestiam. Sermo concisus, uti Act. 15, 23., *scribentes* et mittentes *per manum eorum.* Secuti sunt omnes bestiam pedibus, vel oculis, vel affectu; v. gr. in Cruciatis.

v. 4. καὶ προσεκύνησαν τῷ δράκοντι — καὶ προσεκύνησαν τὸ θηρίον) Verbum προσκυνεῖν, quum de *Dei adoratione* agit, Dativum habet passim, et sic de *angeli adoratione,* c. 19, 10.: sed de *daemoniis et idolis,* Accusativum, c. 9, 20. Hinc προσκυνεῖν cum Dativo plus quiddam videtur dicere, quam cum Accusativo, praesertim ubi uno loco uterque casus ponitur, ut hic et cap. 14, 9. 11. 20, 4. Ex hac adoratione obiter confirmavi in Exegesi Germanica Thesin 2., supra, ad versum 1., recognitam. Bestiam pro potestate mere politica habere se negat cel. D. *Langius.* Epicr. p. 389. Ego autem hac in parte refutavi eos, qui cum illo alias consentiunt, et potestatem politicam h. l. quamvis varie statuunt. vid. ibidem, p. 383. — τίς δυνατὸς, *quis potens*) scil. ἐστί; sic LXX, δυνατὸς ἔσομαι; Num. 23, 1. (22, 38.) Confer eosdem ibid. c. 13, 31. Gen. 32, 28. Dan. 3, 17. Adoratores bestiae provocant alios: *quis similis bestiae? quis potens bellare cum ea?* Car. Sigonius lib. XIV. de regno Italiae, ad Ann. 1176. *Facile,* inquit, *impulere* (Fridericum) *summi viri, qui* bellum *hoc non cum homine, sed* cum Deo geri *identidem admonentes, ut de pace legatos ad Alexandrum mitteret, pervicerunt.* Ipse mox apud eundem Alexander ait, *Dei in hoc* bello *causam agi, quam* Fridericus *justo oppugnando pontifice oppugnarit.* Horatius Tursellinus in Epitome hist. *Tandem Fredericus,* inquit, *non cum hominibus, sed cum DEO bellare se sentiens, pacem denique cum Alexandro fecit.* Eodem de negotio Matthaeus Parisius ita loquitur: *Fredericus Imperator venit AD PEDES ALEXANDRI PAPAE; audivit enim et certificatus est super hoc, quod cum fugeret a persequutione imperiali, et non erat ei tutus transitus per terram, imo per mare, exorta tempestate, assumpsit omnia ornamenta papalia in navi, quasi celebraturus, et stans imperavit mari et ventis vice Jesu Christi, cujus Vicarius erat, UT AIT, et statim facta est tranquillitas magna. Quo audito,*

Digitized by Google

Imperator stupefactus, humiliatus satisfecit ei per omnia, TIMENS TAMEN PLUS DEUM, quam HOMINES. Hist. Angl. ad A. MCLXXVII. Sane magna et blasphema sunt, quae adoratores de bestia, et bestia de se, v. 5. 6. loquitur. Vid. Romae ruina finalis, p. 7 — 18. I. F. Mayerus in Diss. c. Grot. Num dogma papisticum sit, *Pontificem romanum esse deum.*

v. 5. καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία μῆνας τεσσαράκοντα δύο) Haec prisca, brevis, media, germana est lectio: ut accusativus μῆνας *menses* respondeat quaestioni *quam diu.* Alii supplevere ποιῆσαι, plures πόλεμον ποιῆσαι. Utrumque ex v. 7. Aliud momentum versu 5., aliud, crescente calamitate, versu 7. notatur. Uberior horum mensium consideratio versu 18. sequetur: qua adhibita non latebit, quid de exitu *potestatis* bestiae existimandum sit. Multi, ubi primum tale quidpiam audiunt, veluti novellas rerum futurarum admirantur, non sicuti verbum Dei reverentur: rem denique consideratu dignam ajunt, nec tamen ita considerant, ut sepositis paullisper rebus levioribus (quid autem ad haec, tam magna, non leve est?) veritatem perspiciant: tum, ubi semel iterumque audierunt et narraverunt, gustu novitatis amisso fastidiunt; et quales semper erant, tales in judicia divina, incognita, cognita, incurrunt, nec praeterita, nec praesentia, nec futura curantes. Videant, quid agant. Illis non scribimus: illorum respectu non silebimus. Vid. cap. 22, 10. 11. Appropinquat igitur magis magisque exitus *potestatis* bestiae: eumque exitum praecedent res gravissimae, quae de capite 13. et 14. restant, et quae capite 15. et 16. continentur. Sequetur autem eundem exitum *Non-esse* bestiae, et multa alia, quae capite 17. et sequentibus descripta sunt.

v. 6. τοὺς) Asyndeton, uti Job. 42, 9.

v. 7. πόλεμον ποιῆσαι μετὰ τῶν ἁγίων, *bellum facere cum sanctis*) Dan. 7, 21. עבדא קרב עם קדישין LXX, ἐποίει πόλεμον μετὰ τῶν ἁγίων. Sic, πόλεμον ποιεῖν, Ap. 12, 17. 19, 19., et pro עשה מלחמה LXX saepe. Recte hoc *bellum cum sanctis* ad Cruciatas contra Waldenses refert *I. C. Becmannus* in Dissertatione de justitia armorum Cebennensium, pag. 33. — πᾶσαν, *omnem*) *Plus terrarum lex Romanorum pontificum, quam Imperatorum obtinuit.* Greg. VII. lib. 2. Ep. 75.

v. 8. προσκυνήσουσιν, *adorabunt*) Ordinarium verbum, ubi de ceremoniis circa papam agitur, est *Adoratio*, cujus conjugatum est *Osculum*, pedum scil. ejus, perinde ut προσκυνεῖν, κυνεῖν, κύειν est *osculari.* unde נשק LXX 1 Reg. 19, 18., et Symmachus Psalm. 2, 12., προσκυνεῖν. — ἀπὸ) ἀπὸ hoc loco valet *ante*, uti Matth. 25, 34. not. et construitur plane cum οὐ γέγραπται, idque tam facile, ut ne hyperbaton quidem dicendum sit. Omne dubium tollit locus proprie parallelus c. 17, 8. *Mactatum Agnum* saepe memorat apocalypsis; *a mundo condito* nunquam addit: nec sane a mundo condito mactatus est. Hebr. 9, 26. Qui eum in decreto divino mactatum causantur, pari sensu eum a mundo condito natum, resuscitatum, in coelos profectum dicent.

v. 10. αἰχμαλωσίαν συνάγει) LXX, συγκλείειν αἰχμαλωσίαν, εἰςάγειν αἰχμαλωσίαν, ἄγειν αἰχμαλωσίαν, dicunt de victis in captivitatem abductis: sed 1 Maccab. 14, 6. dicitur, συνήγαγεν αἰχμαλωσίαν πολλήν· i. e. *Simon multos, qui captivi fuerant, liberavit et in unum conduxit.* item 1 Maccab. 3, 9. 13., συνήγαγεν ἀπολλυμένους, ἤθροισεν ἄθροισμα. Eaque notio huic loco congruit, hoc sensu: *si quis captos armat, capietur.* — ὑπάγει, *abit*) facile abductus. — ἀποκτένει) Praesens, ut συνάγει. κτένω, κτέννω, κτείνω, idem.

v. 11. καὶ, *et*) Arctissime cohaeret utriusque bestiae descriptio, sicut capite sequenti descriptio rerum laetiorum. — ἄλλο θηρίον, *aliam bestiam*) Haec dicitur *pseudopropheta*, infra, saepius: et hoc loco ipsa ejus actio describitur, ut pseudoprophetae. Opportuna illi erit *larvata virtus et sapientia, quae citra*

Digitized by Google

Verbum DEI, sine Redemtore et Paracleto, a multis per se et gregatim colitur, Deismum, Socinismum, Pelagianismum haud reformidans, dogmate de Verbo interno abutens, Christianismum cum ipso Muhammedismo facile conciliatura, nec non perversa ipsius Apocalypseos totiusque Scripturae sacrae interpretatio. De hac quoque bestia aliter sentit cel. D. Langius in Epicr. p. 391. seqq. Strictim hic quoque notabo nonnulla. Jam ab Hildebrandi temporibus priori bestiae alteram (ob communia utriusque, sed magis ob sua, ut improbi faciunt, commoda) inservisse, nusquam dico. Neque menses XLII prioris bestiae dico esse communes, sed locutionem textus imitor, suo loco explicatam. Prior bestia ortum longe antiquiorem habet, quam altera: sed ubi haec quoque orta est, cum priore est. Gregorius VII. pridem fuit: sed causam ejus nondum exspiravisse, testis est Legenda ejus. Cum bestia priore imaginem ejus eodem tempore viguisse, nunquam cogitavi. De interitu bestiae et pseudoprophetae obiter egeram p. 733., sed clarius, suo loco, p. 935. Apocalypticam et meam de bestia ideam si percepisset vir venerandus, non tot momenta inter se commisisset. Ad Elenchum, quem p. 393. subjungit, respondimus supra. — ἐκ τῆς γῆς, *ex terra*) *Terra, mari* opposita, coll. v. 1., est Asia: quae habet Palaestinam, Persidem etc.

v. 12. ποιεῖ—ἐποίει) Miscentur tempora, uti v. 15. et c. 11, 9. 10. cum annot. in Apparatu, p. 818. [*Ed. II. p.* 541.] — τὴν γῆν καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ κατοικοῦντας, *terram et habitantes in ea*) Singularis locutio. nam v. 14. et aliis locis dicitur, τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς, *habitantes in terra.* Nullam video sententiae differentiam, nisi hoc versu 12. *subita* innuitur *universalitas* adorationis, Edicto fortasse aliquo promulganda.

v. 13. ἵνα, *adeo ut*) ἵνα frequens Johanni particula. In omnibus suis libris non nisi semel, capite 3. evangelii, v. 16., ὥστε posuit, ἵνα videlicet subsequente. — ἐνώπιον) Constr. cum ποιῇ, vel potius cum ποιεῖ.

v. 14. τῆς μαχαίρας, *gladii*) Proprie fuerat plaga gladii. Etenim Henricus V. in transactione cum Calixto II. contentionem antegressam appellat *GUERRAM.*

v. 15. ἵνα λαλήσῃ ἡ εἰκὼν τοῦ θηρίου, *ut loqueretur imago bestiae*) *Imagines loqui, res mira, non tamen incredibilis. Habes id in historiis romanis et Valerio Maximo, de simulacris Junonis Monetae, Fortunae Muliebris, Silvani. Et Moses Maimonides parte III, cap.* 24., *Ductoris dubitantium, duos sibi libros lectos ait de Imaginibus locutis.* Grotius ad h. l. Adde quae ad hunc quoque locum citant Petrus Crugotius et Nic. Mulerius. Non abludunt, quae ad Florum, libro II. c. 8. de sudore Apollinis Cumani agentem, collegit Freinshemius: *apud nostratia simulacra ante duo tria secula adeo haec omnia in consuetudinem verterant, ut prope saepius quam homines fierent, riderent, LOQUERENTUR etiam et ambularent, aliaque peragerent opera, quae nostri homines vix credere possunt.* — ἵνα ἀποκτανθῶσι, *ut occidantur*) Graviter Rupertus ad h. l. *Hoc Christus non fecit, neque prophetae ejus, neque apostoli docuerunt, neque reges christiani jam facti hoc acceperunt, ut occidant, et sanguine cumulandum existiment Christi servitium. Verus namque deus non coacta, sed spontanea servitia vult. Ergo et in hoc, imo maxime in hoc palam faciet sensum habentibus et ratione pollentibus, quod vere sit antichristus, quod vere non Christus, sed secundum nomen suum Christo sit contrarius. Hic est Christus, qui sanguinem suum fudit. Hic est Antichristus, qui sanguinem fudit alienum.* Post Reformationem insignes subinde interpretes persecutionem truculentissimam etiamnum a bestia imminentem statuerunt: ut *Phil. Nicolai* lib. II. de regno Christi, p. 305. *Hoe* in Ap. 11. num. 78. *Doelingius* de antichr. p. 298. et passim. Adde *Matthaei Hofmanni* chronotaxin Apoc. p. 116.

Digitized by Google

v. 17. ἵνα) Alii, καὶ ἵνα. Id probat Wolfius, καὶ tamen etiam a *Copto* omitti notans. Sane brevior lectio antiquissimis nititur testibus. Latinis adjice *Apringium, Ansbertum, Etherium.* Vid. supra ad c. 6, 4. Constructio est haec, δῶσι χάραγμα, ἵνα κτλ. Tria esse Incisa durationis bestiae, ostendimus ad v. 1. In extrema incisi primi parte exoritur acerbissima aerumna: cujus longitudo vix definiri poterit, nisi sit numerus dierum numero bestiae, de quo mox, per analogiam congruens.

v. 18. ὁ ἔχων νοῦν, ψηφισάτω, *qui habet intellectum, computet*) Non dicitur, *qui legit,* νοείτω, *advertat, intelligat,* uti Matth. 24, 15. sed νοῦς, *mens,* intellectus, praesupponitur; et qui *mentem* jam *habet,* etiam ad computandum bestiae numerum et ad calculos adhibendos excitatur. νοῦς, *intellectus,* contradistinguitur *spiritui,* 1 Cor. 14, 14. seq. sed hoc loco *sapientiae* contradistinguitur. *Calculandum* est: ergo praecise accipi numeros oportet, qui calculationem ingrediuntur, et qui numeris calculationem ingredientibus respondent. Calculare jubetur, qui νοῦν *intellectum* habet: igitur placide alterum ferre debet, qui calculos non capit; modo ne eos contemnat et obterat, praesertim ὧδε *hîc,* ubi tale remedium est necessarium nobis. Respice locum Dan. 12, 4. 10. Quales sunt, quibus in hoc negotio vel diligentia et intelligentia, vel negligentia adscribitur? — ἀριθμὸς γὰρ κτλ., *numerus enim etc.*) Utrumque nomen sine articulo est, hoc sensu, ὁ ἀριθμὸς τοῦ θηρίου ἐστὶν ἀριθμὸς ἀνθρώπου. ἀριθμὸς, sine articulo, praedicatum est: et ἀνθρώπου dicit numerum *humanum.* Sic μέτρον, non τὸ μέτρον, c. 21, 17. Particula γὰρ *enim* exstimulat nos, spem praebens, imo etiam clavem, resolvendi numeri. Mox enim indicatur et *qualitas numeri numerati,* quod videlicet sit *numerus hominis;* et *quantitas numeri numerantis,* nempe *DCLXVI.* Operosiorem hujus numeri calculationem ex professo dedi in *Germanica exegesi* Apocalypseos, et quidem in Introductione praecipue, §. 43. Hoc loco *Decidua* quaedam dabimus per aphorismos quosdam illustrationibus suis comitatos: ipsam vero demonstrationem severiorem ab exegesi illa peti pervelim.

§. 1. *Recte legitur, Graece,* ἑξακόσια ἑξήκοντα ἕξ, *neutro genere; Latine tamen etiam ex vero,* sexcenti sexaginta sex, *masculino genere.* — Plerique habent literas numerales χξς. Id Latine est *DC. LX. VI.* Nullo vestigio constat, prophetas et apostolos, librariosque primos, in numeris exprimendis, literas numerales adhibuisse. Contra, non adhibuisse, existimare fas est: nam eae lectionem publicam impedissent. Certe *anagnostes,* ex Patmo in Asiam missus, sive χξς notavit Johannes, sive plenis verbis perscripsit, scire necessum habuit, masculino an neutro genere pronunciandum esset. Operae pretium fuerit, *Irenaeum,* libri V. capite 29. et 30., evolvere et expendere. Inde colligas, jam tum bestiae numerum Graece Latineque numeralibus literis fuisse descriptum, neque tamen apud omnes. Graece Irenaeum sua scripsisse, sed hac mente, ut mox ꝫ vestigio Latine per alios redderentur; adeoque ad Latinos aeque atque Graecos N. T. codices respexisse, ostendi in Apparatu, p. 826. Quare de numero bestiae ita disseruit, ut Graecae simul et Latinae lectioni congrueret. Graecum exemplar *Alexandrinum,* et *Latinus* interpres, ut passim, ita hic, inter se congruunt: sunt enim in illo ἑξακόσιοι ἑξήκοντα ἕξ, et apud hunc *sexcenti sexaginta sex.* Interpres, quo sensu masculinum vel Graece legeret vel Latine redderet, non fuit solicitus, ut arbitror: Graecus autem librarius id videtur praetulisse, quod in libris V. T. assuetus esset numeris fere masculino genere, v. gr. Ezr. 2, 13., ubi idem numerus, virorum, extat, exprimendis. Inde Irenaeus non semel *sexcentos sexaginta sex* loquitur. Idem rursus, quum eundem numerum in nominibus Graecis ΕΥΑΝΘΑΣ, ΛΑΤΕΙΝΟΣ, ΤΕΙΤΑΝ quaesitum scribit, ἑξακόσια ἑξήκοντα ἕξ, neutro genere, Graece lectum fuisse docet. neque enim va-

Digitized by Google

lor numericus *sexcentorum sexaginta sex*, in abstracto, per ejusmodi nomina, masculino genere, sed neutro, quaeri potuit. In censu virorum, v. gr. in libro quarto Mosis, qui inde Ἀριθμῶν *Numerorum* titulum habet, et apud Ezram masculino genere ponuntur numeri: sed ubi absolute ponitur numerus aliquis, non nisi neutrum genus commode adhibetur. *Masculino* genere numerum graecum exprimit Arias Montanus, Complutensium exemplo; Complutenses, Vulgati auctoritate: nam in ms. Graeco, Seideliani gemello, alias ab illis adhibito, χξς fuisse, ex Seideliani codicis excerptis, quae mihi amica impertiit manus, apparet. *Neutrum* genus complures, ut arbitror, codices manuscripti retinent, quorum a nota χξς differentiam collatores notare supervacaneum duxerint. nam ipse Millius extremo demum laboris sui tempore *Corsellianum* codicem pro lectione ἑξακόσια ἑξήκοντα ἕξ allegavit, cui duos alios Apparatus meus, inter se longe remotos, eoque nomine satis ponderosos, adjecit.

§. 2. *Numerus* 666 *certus est, neque pro incerto ponitur.* — Hoc paullo ante ex ipso *calculandi* jussu intulimus summatim. Audiemus eadem de re *Joh. Marckium: Magni quid*, inquit, *se reperisse putat* Carolus Gallus, *credens*, hominem *collective pro* hominibus *positum*, *et dein* numerum *hominum*, numerosam *admodum* multitudinem *significare. Verum quam probationis loco adducit*, *Hebraica phrasis, ipsius thesi plane adversatur. Illi sc.* homines numeri *pro* paucis *usurpant.* etc. *Prae reliquis vero sententiis omnibus rejicienda nobis esse videtur illa, quae* numerum *hic* definitum *pro* indefinito *positum vult, sicut cum* 144,000 *Agno tribuuntur, et notari tum numerum* magnum, *sive* blasphemiarum et errorum *antichristi, quorum corpus ita sit compactum et concatenatum, ut membra a se invicem pendeant, sive* Papistarum asseclarum *antichristi, quo bestia romana superbit, et alias pias reformatasque ecclesias longe vincit. Posterius hoc vult* Car. Gallus, *prius vero* Durhamus, *multis disputans, nomen debere notare doctrinas, quibus bestiae addicti discernantur, etiam ex antithesi electorum in fronte nomen Patris habentium*, numerare *porro aliquando pro* trutinare cum judicio *poni, coll.* Dan. 5, 26. *et* sapientiam theologicam ex doctrinis potius et factis, quam ex literis collectiones deducere. *Ad haec paucis notasse sufficiet, quod ubi character certus bestiae in designato numero nominis constituitur, hominibusque ejus supputatio praecipitur, omnino definite ille debeat intelligi, magis etiam ideo, quod nec numerus hic sit rotundus, nec alludens ad alium aliquem alibi celebrem hominum vel dogmatum calculum. Addo quodsi multitudo tantum indefinite notaretur, sive errorum sive errantium, nulla intelligentia et attentione tanta opus hic foret, quantam quidem exigit Johannes. Miror adhuc, quo pacto numerus* 666 *pro magna multitudine queat accipi, et facta quidem comparatione cum electis* 144,000, *siquidem hi illos magnopere excedunt. Quod agnoscens* Car. Gallus, 666 *homines in totidem* myriadas hominum *audacter commutat.* etc. Comm. in Ap. p. 589. seqq. Alia interpretatio accipit 666 pro 6666, 6666 pro legione, legionem pro *multitudine* hostium ecclesiae; contra ac *Tacitus Nicolaus Zegerus*, qui in Epanorthote ita commentatur: *Videtur allusum et respectum esse ad nomen illud legionis, quod* 6666 *continet: et dum primus hic numerus sublatus est, insinuari videtur, maximam diabolo et virium et eorum, quos sub se habebat, per Christum* subtractam *esse* copiam, *ita ut jam gloriari et dicere non possit, sicuti olim*, Legio mihi nomen est. Non abludit ab utroque interpretamento *Sebastianus Meyer* in Ap. fol. 55. ac complura vel circa utrumque vel circa alterum utrum utiliter observari possunt. 1) Legionem constare viris 6666, unus ait Hesychius in Lexico, nisi librarius animi causa senarios minores adjecit. Aliter graves rei militaris scriptores, ut Vegetius l. II. c. 2. et 6. Certe nec pro Johannis nec pro bestiae tempore legio efficietur 6666 vi-

Digitized by Google

rorum. 2) Millenarius in aera, numerisque annorum a mundo condito, reticetur, apud Hebraeos; quibus id moris Johannis jam aevo fuisse, convinci etiamnum desideramus. Anonymus quidem ille, qui perhibetur fuisse *Tobias Littleton*, tempore reginae Elisabetae, et *Romae ruinam finalem* scripsit, A. 1655 Londini editam, Anglisque Romae versantibus persuadere voluit, ejus urbis ruinam anno, post millesimum, 666 fore, deceptus est. Reticetur item in magna summa sestertium apud Romanos, quos nemo huc retulerit. In reliquis omnibus numeris ubivis gentium minima quaeque, non maxima pars, maxime omitti solet. 3) Hebraeos hoc compendio uti coëgit penuria literarum, quibus millenarios exprimerent: at Johanni praesto erant notae graecae, quibus totum exprimeret, ϛχξϛ 6666. 4) Hebraei defectum supplent per formulam expressam לסרם קטון cui respondet interdum formula majorum nostrorum, *nach der mindern Zahl*. Johannes autem numerum ponit absolute. 5) Citra millenarium ejusque ellipsin, citra legionem ejusque metalepsin, facilius poterat decima legionis pars, Cohors, adeoque 666 vel 600 (uti *sexcenti* per proverbium dicuntur) vel 555 vel 500. (vide Veget. l. c.) pro multitudine indefinita poni vel accipi. 6) Sed neque cohors neque legio una promiscue magnam semper multitudinem innuit, sed pro re rata, v. gr. respectu unius obsessi. Marc. 5, 9. alias multae potius legiones multitudinem exprimunt, v. gr. angelorum. Matth. 26, 53. 7) Multitudo in numero bestiae vel seductores solos vel etiam seductos complecteretur. non seductos, qui multo sunt plures: v. 8. neque seductores; qui regimen habent vel nullum, vel democraticum, vel aristocraticum, vel monarchicum: quorum quodvis hanc multitudinis notionem repellet. Habent autem, opinor, regimen, idque monarchicum: atque in monarchia denominatio fieri solet non a multis, nedum a permultis, sed ab uno; id quod praesertim in bestia opus est, ut sit, ubi capita septem et cornua decem figantur. 8) Indefinite notari multitudinem vel magnam vel imminutam, haud dixerit, quisquis rationem numerorum totius libri, totam bestiae picturam, maximeque extrema hujus capitis 13. Ap. expenderit. Eandem numeri bestiae interpretationem per legionem romanam, refutant Acta *Basileensia* etc. A. 1730 edita, p. 42. seqq.

Alio tramite ad eandem metam contendit *Lightfootus*, quum ita scribit: *Menses* 42 *et dies* 1260, *nec non tempus, tempora, et dimidium temporis, PHRASIUNCULAE sunt, e Daniele sumptae, qui, eo loquendi modo usus, Antiochi rabiem, et conculcatam Religionem, per spatium triennii et sex mensium duraturam, describit,* Dan. 7, 25. *et* 12, 7. 11. *quibus adversa et afflicta quaedam tempora* (*HAUD DEFINITA ULLA PERIODUS*) *designari videtur. Hic equidem sensus istiusmodi dictionum apud scriptores Judaicos passim obtinuit.* Chron. N. T. ad Ap. 11. Duo exempla, quae ibi subnectit, aliena sunt: cumque numeri in iisdem, ipsique numeri Danielitici, praecise valeant; Apocalyptici numeri non debent, quasi ad Danieliticos tantummodo *alluderent*, enervari, sed aeque praecise accipi. Alias numerus tandem LXX hebdomadum, quem Lightfootus praecise accipit, tamen, quia rotundus est, ut certus pro incerto, nescio qua *allusione*, (quod absit,) positus habebitur.

In summa, indefinita interpretatio, perinde est, ac si diceret: Multitudo notatur *in genere;* nil opus est computo arithmetico, quo numeri *specialiter* solvuntur. At textus dicit, *computa*. Id quum haud frustra, sed ad ostendendam inveniendi spem dicatur, jam computare ingredimur.

§. 3. *Numero bestiae per calculationem expediendo congruens alter, isque justae facilitatis, in textu et quaeri debet, et invenitur,* XLII mensium. — Prophetia 1) *computare* jubet: 2) appellat *numerum bestiae:* 3) appellat numerum *hominis:* 4) et ait *esse* 666. Ad rem pertinent haec omnia, eaque ordine apocalyptico, retrogrado, videbimus.

Digitized by Google

1) Dicitur *numerus esse* 666, solo adjectivo expresso. Numerus et adjectivo et substantivo expressus (v. gr. decem menses, centum drachmae, mille milites,) quorum alterum *numerantem* numerum, alterum *numeratum* numerum dicimus, solutionis non eget. At quum solvendus offertur numerus, tum aut substantivum patet, v. gr. numi; et adjectivum quaeritur et colligitur, v. gr. quinque myriades: Act. 19, 19., nec non Luc. 14, 28. aut adjectivum datur, ut 666, adeoque substantivum ei jungendum quaeritur; id quod vix nisi in aenigmatis, certe h. l. in aenigmate prophetico, usu venit. Datum, inquam, est adjectivum 666, idque tam aperte, ut rursum nullius solutionis egeat. Superest, ut investigetur et per calculos conficiatur non sane aliud adjectivum numerale merum, quo nil proficeretur, sed nomen substantivum, idque speciale, pro quo vocabulum generale *numeri* substituitur. Illud cujuscunque generis est, ellipsis ejus (lectoribus ad eam in vae tertio facilius ferendam, per ellipsin nominis *lingua* et *equites*, in vae primo et secundo praeparatis, c. 9, 11. 16. not.) ellipsis, inquam, substantivi certa est: tantum quaeritur, sintne 666 quasi puncta, qualia in eteostichis quaeri solent; an homines, an tempora, an quidvis aliud in mentem veniens. Interim magna apparet utriusque computi differentia. nam in priore quaesitum est numerans numerus, per arithmeticam facile expediendus: sed in altero, qualis est sub manu, quaesitum est numeratus numerus, plus facultatis hermeneuticae postulans.

Quare 2) occurrit appellatio numeri *hominis*, differentiae alicujus utique causa: unde amplius constat, quaerendum imperari numerum numeratum; cum nullus *ab humano* diversus in rerum natura reperitur numerus numerans. Longius hic progredi nil attinet.

3) Notandum est, quod dicitur numerus *bestiae* unius, non bestiarum multarum: quodque computandus proponitur ipsius *bestiae* numerus, non *nominis* bestiae. Numerus quidem et *nomini* bestiae saepius, et ipsi *bestiae* in uno versu 18. tribuitur: atque aliud esse numerum *bestiae*, aliud numerum *nominis ejus*, serio, ne ego curiosior videar, notavit *Rupertus Tuitiensis* in Ap. p. 380., et *Potterus* in Interpretatione numeri 666, cap. 1., ubi plures consentientes laudat: ipsaque id sermonis proprietas evincit. occurrit enim I. bestia, II. nomen ejus, III. numerus nominis ejus, IV. numerus bestiae: neque magis quarum cum ceteris confundi debet, quam cetera inter se. Quia tamen nullus seorsum a bestiae numero numerus nominis bestiae indicatur; hunc per illum indagari, facile agnoscam. Interim locutio prophetica praecise tenenda est, sermonisque considerati sequenda proprietas. Non dicitur numerus *nominis* bestiae computandus, sed numerus *bestiae*. Porro numerus et *ipsius* et *unius* bestiae argumento est, esse numerum seu multitudinem *accidentium*. nam numerus quidem *bestiarum*, diceret numerum, quem substantiae multarum bestiarum simul sumtae constituunt: sed numerus *bestiae* est, quem accidentia quaedam bestiae unius simul sumta constituunt. Quumque accidentium est hic numerus, ea sane bestiae ipsi inhaerent. nam uti, si dicerentur dies bestiae, dies pro duratione quadam bestiae ipsius sumerem: sic numerus accidentium bestiae in ipsa bestia, non extra, quaeri debet.

4) Hic non numerare solum, sed *computare* jubemur. ψηφισάτω dicitur, non ἀριθμησάτω, coll. c. 7, 9. *Proprius numerus bestiae*, inquit *Cassiodorius* in Complexionibus ad h. l. *sub quodam modo CALCULATIONIS exponitur*. Jam calculatio et computus tali in re institui non potest, nisi altero numero adscito. Convenienter rationi Potterus: *Nec additio, nec subtractio, nec multiplicatio, nec divisio peragi possunt, nisi datis saltem duobus numeris, ut tertius investigetur, qui eorum vel summa sit, vel residuus, vel factus, vel quotiens.* unde idem, alio numero, qui *exprimeretur*, non observato, ipsum numerum 666, radicem

quadratam extrahere conatus, dupliciter spectavit. vid. omnino tract. cit. cap. 10. Quid si alius sit in contextu numerus (ut Potterus postulabat) *expressus*, isque facilior, ex quo nomen huic epitheto 666 aptum eliciamus? num eum fortuito nobis offerri putabimus? Hem! praesto sunt 42 *menses*, v. 5. Quod nascitur, excipe, cupida veritatis anima, ac tolle. Menses 42 sunt tempora: ergo 666 sunt item tempora. Etenim quae accidentia, nisi tempora, numero 666, subesse posse putes?

§. 4. *Numerus, pro numero temporum, pro temporibus, annis etc. eleganter dicitur.* — Sententia haec, *bestia habet* 666 *dies, annos etc.* ubi jam inventa est, sequentibus verbis commode profertur, *numerus dierum, annorum etc. bestiae, sint* 666. Longe vero commodior est locutio, *computa numerum* 666, ubi problema demum proponitur solvendum, ut sensus sit, *computa* 666, *ut invenias, sintne dies, anni etc.* neque faciliorem problematis hujus proponendi formulam excogitare poteris. Quid? ne in categorica quidem enunciatione ineptum est, tempora vel per ellipsin vel per tropum exprimere. Nam sic LXX, Job. 36, 26., ὁ Ἰσχυρὸς ΠΟΛΥΣ, *Deus est multus*, i. e. aeternus: nam subjiciunt, ἀριθμὸς ἐτῶν αὐτοῦ, καὶ ἀπέραντος. sic 2 Chron. 30, 5. לרב ad interpretum quorundam sensum notat *saepe, multum, multis annis.* Plato libro de Republica octavo ineunte, periodum civitatum decantata illa numerorum suorum obscuritate circumscribens, vocabula τριὰς, πεμπὰς κτλ. et ipsum vocabulum ἀριθμὸς absolute adhibet, *tempora* innuens: et apud omnes πεντὰς, δεκὰς, εἰκὰς, τριακὰς, *hebdomas*, pro numero dierum dicitur. *Cajus* de Cerintho, apud Eusebium l. III. Hist. eccl. c. 25., ἀριθμὸν χιλιονταετίας λέγει γίνεσθαι. *Hesychius*, σάρος, ἀριθμός τις παρὰ βαβυλωνίοις· est autem annorum numerus, de quo agit *Ordo temp.* p. 323. *Plinius* lib. VIII. hist. natur. c. 6., *septem annis ad superiorem NUMERUM* (annum urbis 472.) *additis.* Orosius in Apol. pro lib. arb. *mundi numerum* dicit, quem paulo ante dixerat *temporum statutorum plenitudinem.* pag. 753. Simillima phrasis: *numerus bestiae, numerus mundi.* Prologus ad Marcum latinus: *jejunium numeri*, i. e. XL dierum. Ticonius in Ap. 11, 3., *NUMERUM novissimae persecutionis dixit*, inquit, *et futurae pacis, et totius temporis a Domini passione etc.* Tempus et locus multa habent similia: simile est, quod ἀριθμὸν ὁδοῦ *numerum viae*, pro *longitudine*, dicit Xenophon in Cyri paedia. Adde Eurip. ed. Gr. p. 920. r. 3. ed. Lat. part. 2. p. 232. Eus. praep. ev. f. 288. ex Afric.

§. 5. *Menses 42 et numerus* 666 *sunt aequales.* — Locustarum duratio, sub vae primo, per quinque menses bis exprimitur: angelis euphrateis, sub vae secundo, datur *hora et dies et mensis et annus*, et huic spatio aequatur equitatus ille, *decemyriades myriadum.* Sic, sub vae tertio, aequales sunt 42 *menses* potestatis, quam bestia habet, et numerus 666 ejusdem bestiae.

§. 6. *Formula de numero hominis infert* 666 *annos communes, et, ex opposito, 42 menses propheticos.* — Numerus bestiae dicitur numerus *hominis.* Hoc vocabulum, *hominis*, aut denotat definite hominem, aut indefinite. Si definite, refertur aut ad bestiam decem cornuum, aut ad hominem computantem. horum neutrum opus est, in re per se obvia: ac neutrum faceret ad adjuvandum calculum. ergo indefinite: unde articulus in graeco non additur. itaque genitivus singularis, *hominis*, dicitur pro *humano*, quemadmodum dicuntur ὀστᾶ ἀνθρώπου 1 Reg. 13, 2. (i. e. ὀστᾶ ἀνθρώπινα, Num. 19, 16.) σωτηρία ἀνθρώπου Ps. 60, 13. μάχαιρα ἀνθρώπου Es. 31, 8. Est autem vel numerus temporum *humanus*, vel numerus temporum humanorum. Non illud: nam esset humanus aut annorum aut mensium aut dierum numerus. atqui anni 666 aetatem hominis pridem excedunt longissime: dies autem mensesve 666 longe breviores sunt, quam pro bestiae duratione; neque dierum talis aut mensium ellipsis usitata est; mensium denique vocabulum jam occuparunt ex opposito menses 42. Ergo est numerus temporum

humanorum. Pro eo autem dicitur *numerus hominis*, percommode. nam uti Gal. 6, 11. *literis* tribuitur *magnitudo*, quae totius est epistolae; et *diebus* decurtatio, qua longius intervallum decurtatur; Ps. 102, 24. 25. et *annis* medium, quod est majorum mundi temporum: Hab. 3, 2. sic vicissim nomini collectivo datur interdum praedicatum individuis singulatim congruens. Prov. 30, 26., οἱ χοιρογρύλλιοι ἔθνος οὐκ ἰσχυρόν· item, *dies populi mei ut dies arboris*, Es. 65, 22. *populi*, i. e. singulorum in populo. Apud Romanos, *Gallia Togata*. Maximeque in aenigmate prophetico opportuna haec metalepsis fuit, donec inventae temporum monades epitheton *humanum*, a numero tantisper sustentatum, sed sibi proprie destinatum, ipsae subirent. Nunc quum epitheton *humanus* indefinite accipi et ad singula tempora referri constat, per se patet, talia tempora etiam degi a bestia, et, quod concinne cadit, a computatore numeri. Sic quoque res se habet in mensuris novae Jerusalem, quae sane non universae, sed singulae dicuntur *mensura hominis, quae est angeli:* c. 21, 17. et item angelus mensor de mensura hominis, quae est angeli indefinite, participat.

Vidimus §. 5., numerum 666 et menses 42 aequales inter se esse. Ergo 666 humana tempora sunt 666 inter homines *usitati anni:* et, ex opposito, 42 menses, uti in textu non dicuntur menses hominis, sic revera sunt *menses prophetici.* Q. E. D.

Ita demum satisfit (ad hominem loquimur) Vulgato interpreti, apud quem, ut §. 1. notavimus, *sexcenti sexaginta sex* leguntur. Si *DIoCLes aVgVstVs* Bossueti, aut aliud ejusmodi nomen, per sua 666 puncta numerum bestiae expleret, suppositio materialis postulabat *sexcenta etc.* neutro absoluto vim habente substantivi. quocirca etiam Rupertus Tuitiensis voculam *DICLVX*, ab Ambrosio Ansberto ex *DCLXVI* conflatam, resolvens, non potuit *sexcentos etc.* retinere, sed illam ait facere *sexcenta sexaginta sex.* Comm. in Ap. p. 379. quo ipso genere neutro multos interpretes libenter, Romanenses interdum invitos, uti videas ad h. l. Nunc *sexcentos sexaginta sex,* oportet, *aliquos* producant: aliter Interpretem, Tridenti tam alte evectum, ab errore, eoque sontico prorsus, (nam et res gravissima est, et lectio in latinis codicibus constantissima,) absolvere non poterunt. *Sexcenti sexaginta sex* illi, sunt anni. Annos jam pridem interpretatus est *Innocentius III* in epistola ad *UNIVERSOS* Christi fideles pro subsidio terrae sanctae, A. 1213. et, ut alios intermediorum seculorum commentatores omittamus, *F. Ludovicus S. Francisci* in globo arcanorum, p. 917. edit. Rom. Strictura haec *Innocentiana,* si addatur parallelismus mensium 42, analogis his longitudo vae primi et secundi, intervalla post vae primum et secundum, conjunctio bestiae et mulieris, veram totius prophetiae interpretationem, vel iis, qui ex *pontificia* pendent auctoritate, persuadere potest.

Ad rem ipsam revertimur. Frequens anni ellipsis est. Xenophon, οἱ δέκα ἀφ' ἥβης, *qui decimum a pubertate annum gerunt.* Plato lib. VI. de legib. κατ' ἐνιαυτὸν δὲ εἶναι καὶ μὴ μακρότερον χρὴ τὴν ἱερωσύνην ἑκάστῳ. ἔτι δὲ μὴ ἔλαττον ἑξήκοντα ἡμῖν εἴη γεγονὼς ὁ μέλλων καθ' ἱεροὺς νόμους περὶ τὰ θεῖα ἱκανῶς ἀγιστεύειν. Polybius, ὀκτωκαίδεκα γεγονὼς, *annorum octodecim.* Apte vero ad hunc locum Dio Cass. τόσα γέγονα· quasi dicat, *hic meus est numerus,* annorum scilicet. Proxima duo testimonia habent Lamberti Bos ellipses graecae: atque ex omnibus substantivis, quae ille omittis olita collegit, non nisi ἔτος huc convenire agnoscas. Apud Danielem LXX hebdomades, subaudito *temporum annalium* vocabulo, memorantur. Itaque ὁ ἀριθμὸς τοῦ θηρίου, idem est, quod ὁ ἀριθμὸς τῶν ἐτῶν τοῦ θηρίου, sicut ἀριθμὸς γενημάτων idem quod ἀριθμὸς ἐνιαυτῶν γενημάτων, Lev. 25, 15. 16.

Haec *annorum* ellipsis non caret utilitate. Si nomen eorum fuisset expressum. hic lectori proclive fuisset tempora proprie et improprie notata inter se

confundere, errore multa turbaturo: nunc anni communes appellationem suam, in conspectu mensium propheticorum occultant. Tanto minus offendere nos debent in hoc libro humana tempora tot propheticis tam parce provideque, adeoque sine confusionis periculo attemperata. Nam non per saltum, sed gradatim a temporibus propheticis ad annos communes hic per ellipsin indicatos et deinceps ad annos communes cap. 20. expresse sic dictos ducimur. Facit autem ellipsis etiam ad tempestivum aenigma, non solum respectu bestiae, cui eadem methodo occulta, atque olim regi Babylonico, *numerus* consummatioque regni sui ante oculos scribitur: Dan. 5, 26. sed etiam respectu sanctorum, quos tristissimorum temporum longitudo, si eam scissent, et sua et suorum causa exanimasset; nam tot annos ne mundo quidem ipsi superesse putarunt. constat autem, eos et ante reformationem et postea, spe illa diu fuisse sustentatos, celeriter finitum fore bellum in sanctos. Magno videlicet commodo suo (neque enim tum maturum erat) aetatem bestiae non ceperant. Bestia tempora aliquando, non se ipsam, noverat: sancti bestiam magis, quam tempora ejus noverant: nunc et bestia et numerus sive tempora ejus magis magisque simul innotescent.

Quod reliquum est, quaeritur, utrum masculino an neutro genere accipiendus sit, in graeco textu, 666 annorum numerus. Si illud, sunt ἑξακόσιοι ἑξήκοντα ἓξ ἐνιαυτοί· si hoc, sunt ἑξακόσια ἑξήκοντα ἓξ ἔτη. Veruntamen neutrum genus, quod §. 1. praetulimus, longe praevalet, uti mox §. 7. amplius cognoscemus.

§. 7. *Hi* 666 *anni habent appendiculam.* — Proprie inter se opponuntur 666, et 1000 anni sive ἔτη. Annos 666 grassatur bestia: 1000 annos regnant, qui bestiam non adoraverant. Praeterea 666 ad 1000 annos habent se, ut 2 ad 3, quam proxime: praecise vero, ut 3 se habent ad 2, sic 1000 anni expressi se habent ad 666 $^{666}/_{999}$ | $^{2}/_{3}$. et hic numerus fractus congruit cum ellipsi, *annum* subaudiendum relinquente: nam quaelibet monas de numero bestiae est annus tropicus, sed cum aliquot horarum accessione, quae communis anni veritatem non tollit, sed tamen appellationem anni quodammodo impropriam facit. Tali modo numerus 666 et 1000 anni se mutuo confirmant et illustrant. Venit nonnullis in mentem, 1000 annos, scilicet ex hypothesi illa anni apocalyptici, 360 dies, i. e. totidem annos habentis, accipi posse pro 360 millibus annorum communium. Quae cogitatio tametsi multum absurda est, eum tamen non mediocriter exercere potest, quem accurata temporum apocalypticorum analogia perculerit. Nunc non illo uno loco, sed etiam prius in numero 666, anni communes et humani ponuntur. Vicissim quia mille anni dicuntur ἔτη, numerus 666 annorum supplemento vocabuli ἔτος aptissimo augetur, eoque magis evitatur confusio temporum communium et propheticorum. nam propheticus annus in hoc libro dicitur ἐνιαυτὸς, c. 9, 15. at hic ἔτη partim dicuntur, partim subaudiuntur. Sane ἐνιαυτὸς quiddam magis generale sonat, quam ἔτος. unde comicus ἐτῶν ἐνιαυτοὺς dixit, a quo Plato in Cratylo non abludit. Propius huc spectat, quod nomen ἐνιαυτὸς anno positivo, ut sic dicam, cuicunque denotando inservit, ἔτος autem non nisi anno naturali. Apollodorus, lib. III., de Cadmo loquens, ἀΐδιον ἐνιαυτὸν ἐθήτευσεν ἄρει· ἦν δὲ ἐνιαυτὸς τότε ὀκτὼ ἔτη. Ac LXX, Deut. 31, 10., μετὰ ἑπτὰ ἔτη, ἐν καιρῷ ἐνιαυτοῦ τῆς ἀφέσεως. et sic constanter. Lev. 25, 10. 11. 52. 27, 18. Jud. 10, 8. Unde fit, ut innumeris locis nomen ἔτη cum quovis cardinali numero, grandi saepe, construant; ἐνιαυτὸν autem nunquam sic adhibeant, sed indefinite fere, aut singulari numero. Gen. 47, 28. 2 Sam. 21, 1. coll. 1 Reg. 14, 21. 2 Reg. 24, 18. 2 Chron. 22, 2. Quae vocum differentia non ideo, quia Graecis propria, nec nobis consueta est, negligi debet.

Quae §. 3. proposuimus, hactenus peregimus. Nam haec ratio plane 1) ψήφοις *calculis* constat, divisionem, multiplicationem, subtractionem, additionem habens: et per eos calculos primum ipsi epitheto 666 suum nomen, *anni*,

sociatur; deinde ex iis multa quoque alia computantur. 2) quadrat in *numerum bestiae* proprie ita dictum. 3) fert numerum temporum *hominis*, 4) et annos 666.

§. 8. *Hinc plures resolvuntur periodi temporum minores.* — Ad analogiam 42 mensium aliae periodi, v. gr. quinque menses vae primi, hora et dies et mensis et annus vae secundi, facile resolvuntur, et respondet historia, ut suis locis ostendimus. Quaestione vero de praecisa longitudine ipsius singulatim horae, diei, mensis, anni apocalyptici supersederi posset. Si tamen ea quaeritur, facile ex iis, quae diximus, deducitur. Mensis est pars duodecima anni: annus habet $365^{97}/_{100}$ dies; dies habet 24 horas: et huic divisioni naturali respondet prophetica. Porro cum 42 menses prophetici sint $666^{2}/_{3}$ anni communes, longitudo propheticorum temporum bene dat sese. In summa, quodvis tempus commune ad tempus propheticum se habet, ut $190^{10}/_{21}$ ad 1, sive ut 4000 ad 21.

§. 9. *Eadem ratione resolvuntur etiam majores temporum periodi.* — Progressionem hanc proponimus:

Semitempus sunt anni communes:	$111^{1}/_{9}$	Paucum tempus:	$888^{8}/_{9}$
Tempus (καιρὸς):	$222^{2}/_{9}$	Millennium:	$999^{9}/_{9}$
Numerus bestiae:	$666^{6}/_{9}$	Chronus:	$1111^{1}/_{9}$
Tempus 1, 2, $^{1}/_{2}$:	$777^{7}/_{9}$	Aevum:	$2222^{2}/_{9}$ etc.

Hanc *circiter* longitudinem periodorum ita crescentium comprobat nexus prophetiae, eventuumque series: hanc vero *ipsam* longitudinem primum suadet analogia numeri 666 et annorum 1000. deinde eam firmat *septenarius* inde resultans. Nam si omnes hujus progressionis articulos, astronomico rigore, in dies resolvas; secundus articulus meras dierum hebdomadas dabit, primus autem totidem semihebdomadas: (quae propria est ratio, cur primus ἥμισυ καιροῦ *dimidium temporis*, secundus autem demum καιρὸς *tempus* dicatur:) tum, quae vel primi vel secundi articuli ratio est, eadem est ceterorum, qui ex primo vel etiam ex secundo multiplicantur. Sic *Septenarius*, quem Moses et prophetae in temporibus, Apocalypsis in rebus tantopere frequentat, de improviso etiam ex temporibus apocalypticis, *insigni verae analyseos criterio*, emicat. Sed proprius demonstrationis hujusce locus est in *Ordine temporum*, c. 11. et 12.

§. 10. *Non absona putari debet haec analysis temporum, in medio incidens.* — Non abhorrens a sensu coelesti communive videri nobis debet v. gr. propheticus dies sex circiter mensium. Dimidiata tempora Apocalypsis suggerit ipsa, c. 8, 1. 11, 9. 12, 14. et in dimidiatas temporum formas interpretes alii, diversis ex viis, pridem inciderunt. Menses 42, dies 1260, tempora 1. 2. $^{1}/_{2}$, *dimidiatam annorum hebdomadem* vocat *Seb. Meyer*, sed citra ulteriorem explicationem. *Joh. Napeir* septem periodos temporum, quas a vastatione Hierosolymorum ad consummationem seculi statuit, ex eo resolvere conatur, quod sint septem Jubilaei magni; non toti, 490 annorum: ergo DIMIDII, 245 annorum. vid. Expl. Apoc. Part. I. Propos. 5. *Petrus Molinaeus* 1260 annos dominatus bestiae censet esse septimanam; ita ut dimidia testium duorum occisorum septimana denotet persecutionem annorum 630, qui sint 1260 annorum DIMIDIUM. Vid. *Accompliss. des proph.* p. 357. Nec hi quidem tam rationum veritate, quam solius rei probabili specie ducti sunt. Speciosius incedit *Bened. Aretius* in h. l. dies 1335 apud Danielem et numerum 666 invicem conferens. *Sex mensium* spatium non modo pars temporis, sed tempus est: quemadmodumque Indi mensem in 15 dies descriptum habuere apud Curtium, (unde Malabari hodienum VII planetarum semicirculos XIV pro XIV mundis habent;) et Sinenses 24 menses semisolares in anno statuunt: sic *annum*, non inscite, aliqui veterum *aestate unum determinabant, et alterum hieme*, notante Plinio, l. VII. c. 48. eundemque apud Aegyptios, et inde apud Graecos, certe apud Cares et Acarnanes, quibus interjecta Patmus, et quidem Cariae proxima, sex mensibus terminatum commo-

morat Plutarchus, Censorinus, alii. Vid. Jo. Hiskiae Cardilucii T. I. *evang. Naturwissenschaft* in praef. et Fabricii lib. de Mensibus p. 7. seq. et 153. Thucydidis historia per hiemes et aestates digeritur. Saxones veteres annum in duas *Malinas* diviserunt, autumnalem et vernalem, ut ex Scaligero notat Martinius in Lexico etym. col. 1438. Atque in omni vitae civilis usu *semestre* tempus perquam frequens semper fuit. Multi magistratus semestres, v. gr. tribunatus apud Plin. Ep. 4. l. 4. Consulum fasces olim semestres: et hodie Magistratus academici aliique. Annuli apud Romanos fuere aestivi et hiberni: unde *semestre aurum* apud Juven. Sat. 7. Semestria principum consilia citant juris consulti. Vid. P. Fabri praef. in sua semestria. sic enim ille et alii juris consulti, et ex theologis Dorscheus monumenta quaedam sua inscripserunt: hodieque apud Gallos *Semestria* in re forensi vigent. Ab Alexandrinis annos patriarchales, ante Abrahamum, semestres habitos fuisse, suspicatur Jac. Cappellus, aeram mundi conditi Alexandrinam conferens cum Judaica. Disp. Sedan. T. I. p. 1048. Conf. quae ex Joh. Georgio Herbarto ab Hohenburg refert Calvis. ad A. M. 3185. Mathematicis interdum, quum futura ex phaenomenis coelestibus conjectant, dies calculo mystico semestre denotat. vid. Zimmermanni tr. de cometa anni 1680. p. 101. Maxime vero huc congruit anni apud Israëlitas in duas partes aequales, i. e. in duo semestria, quorum alterum ab initio mensium, alterum ab initio anni ducebatur, solennissime celebrata divisio, vere et autumno. Vid. *Ord. temp.* p. 19. 27. [*Ed. II. p.* 16. 23.] Neque primo mense Judaei, sed septimo ineunte, aeram augent, ut v. gr. pro A. M. 5499 scribere incipiant 5500, non invito Mose. Ex. 23, 16. 34, 22. Certe a Mosis tempore Israëlitis semestre semper fuit tempus in vita ejusque vicissitudine admodum notabile: annumque in duo fere semestria diviserunt ephemeriae sacerdotales. Semestre etiam intervallum inter *praecursorem* Johannem et ipsum Christum Jesum. Luc. 1, 36. R. Ase discipulos quotannis sex menses secum habuit, sex menses domi eos esse jussit. Non ad demonstrandam ipsam diei prophetici longitudinem haec collegimus: sed tantummodo, ut ostenderemus, non tam paradoxam nobis eam longitudinem videri debere. Ipsam demonstrationem aliunde deduximus.

§. 11. *Imo ita demum vitantur interpretationes in avia et extrema discedentes.* — Dies *annuus*, quem multi Protestantium diu defenderunt, longior est, et multo longior, quam veritas patitur: dies *communis*, quem Romanenses et recentiores quidam nostri tuentur, brevior est, et multo brevior, quam veritas patitur. Utrumque demonstravi in Introductione germanica, §. 38. seqq. *Plane illae sunt duae scaturigines praecipuae, unde tot interpretationes falsae manarunt.* In medio est veritas. Huic quisquis se permittere potest, in tuto erit. Vid. ad versum 1. Thes. 10. Obs. 29.

§. 12. *Itaque et menses bestiae, et numerus ejus, et numerus nominis ejus, expeditam habent rationem.* — Annorum $666^2/_3$, qui menses bestiae, et numerum bestiae exaequant, (vid. *Erkl. Offenb.* p. 133.) initium fuit, cum eventus a principio capitis 13. ad medium versum 5. progrederetur, ineunte Coelestini II. pontificatu, A. 1143, d. 25 Septembris. Gregorius VII. ab Imperatore *Romano*, Coelestinus II. a *Roma* ipsa, qua vigente *non est* bestia, immunis esse coepit. Tum igitur *potestas data est* bestiae absolute. Numerus *nominis* bestiae a Gregorio VII. incepit, qui *Papae* nomen uni praesuli Romano vindicavit, elatissimo sensu. Id nomen habent, qui Gregorii novitatem teterrimam, quasi divinum quiddam amplectuntur et approbant. Sic numerus *nominis* bestiae ex numero bestiae noscitur, eumque aliquantum excedit. Facilis est haec et simplex ratio, qua numerus nominis bestiae declaratur. At sunt, qui putent, posse fieri, ut quemadmodum nomen ΙΗΣΟΥΣ, id est *Jesus*, 888 valet, (vid. Estium h. l.) sic nomen adversarii in valore literarum numerali numerum 666 habeat. *Neque*

illud hoc loco praetereundum est, inquit Edo Neuhusius, *quod historici adnotarunt, Numerum assumti a Papa nominis vitae regnique duraturi omen plerumque facere. Sane Alexander II. secundo, Clemens III. tertio, Victor IV. quarto, Pius V. quinto, Leo X. decimo, Gregorius XIII. decimo tertio, Sixtus V. quinto pontificatus anno ex mortali vita demigravit. Pari fato Benedictus II. Sixtus II. Anastasius II. Joannes II. Martinus II. Nicolaus II. secundo imperii anno obierunt. Stephanus III. Martinus III. Clemens III. Nicolaus III. tertio; Felix IV. Martinus IV. Nicolaus IV. Paulus IV. Benedictus IV. Clemens IV. quarto; Bonifacius V. quinto; Innocentius VIII. octavo summae dominationis anno in viri esse desierunt.* lib. II. Fatid. sacror. c. 31. Similia exempla non in annis solum, sed etiam in mensibus notavit *Guil. Burius* in Notitia pontificum, sect. XVI. In mente totum numerum 666 pridem quaesivere multi multis in nominibus. Ex Irenaeo supra retulimus aliqua, quorum ΛΑΤΕΙΝΟΣ cui non dictum est? quod quo modo jam tum cuipiam occurrere potuerit, suspicari liceat. In Sybillinis, quae antiqui multum respexere, lib. VIII dicitur, λίνος αὐτὸν ὀλεῖται. in multis autem principatibus primus et ultimus eodem nomine insigniti reperiuntur: primusque Romae episcopus non Petrus, sed Linus: postremum ergo, quanquam vetustus error *Petrum secundum* dicit, vetustior opinio *Linum secundum* (quam vere, nil refert) arripuisse videtur. Latine *LInVs seCVnDVs* 666 valeret forsitan: sed tales signaturae primo tempore, unde nonnulli pro ominibus habent, non extremo, in suis subjectis notari solent. Utut est, ΛΙΝΟΣ valet 360. Deficiunt ergo 306, id est, ΤΕΑ. Litteris ΤΕΑ et ΛΙΝΟΣ conjunctis, fiebat illud ΛΑΤΕΙΝΟΣ. Vel audierant, *Latinum* fore nomen bestiae, in Latina, non in Hebraea Graecave lingua extiturum: et id, materiali suppositione, de ipso nomine Λατεῖνος interpretati sunt. Sive hoc sive illud erat, λατεῖνος cum *E* sumi non debuit. nam *EI* Graecum, subsequente consona, Latini quidem per I exprimunt, ut εἰκὼν, *icon:* sed I Latinum Graece non transit in *EI,* neque λατεῖνος analogiam habet. non enim scribitur ἀκυλεῖνος κτλ. sed ἀκυλῖνος, ἀλβῖνος, ἀκραγαντῖνος, ἀλεξανδρῖνος, ἀντωνῖνος, ἀρκτῖνος, ἀρχῖνος, βροντῖνος, καλουῖνος, καρῖνος, κολλατῖνος, κρατῖνος, κρισπῖνος, κουαρτῖνος, κωνσταντῖνος, λεοντῖνος, λευῖνος, λιβερτῖνος, λογγῖνος, μακρῖνος, μαξιμῖνος, μαρῖνος, νερυλλῖνος, νιγρῖνος, ξιφιλῖνος, πισῖνος, σαβῖνος, σατορνῖνος, στασῖνος, ταραντῖνος, τιγελλῖνος, φιλῖνος, φλωρεντῖνος. Putidem esset, plura conquirere. Apud ipsum Irenaeum, ἰουστῖνος, οὐαλεντῖνος, ὑγῖνος, φλωρῖνος, constanter per I simplex: et sic λατῖνος, quod ipsum in Sybillinis etiam I modo productum, modo correptum habet. Itaque in uno Andreae codice ms. λατῖνος, a librario emendante, contra Andreae institutum, est repositum: in altero ad λατεῖνος additur, διὰ διφθόγγου, aperta licentiae confessione, quae ut apud Germanos in Germanicis, sic apud Graecos in Graecis eteostichis frequens est. Etenim ejusdem numeri 666 gratia fecere τειτὰν ex τιτὰν, παπεῖσκος ex παπίσκος, ἀρνοῦμε ex ἀρνοῦμαι. Sed ejusmodi licentiae in re gravissima nil loci esse debet. Alia nomina, Hippolyti exemplo, *exercitii* causa, adjecit Andreas Caesariensis, ejusve hac in parte amplificatores. In iis maxime insigne est ΒΕΝΕΔΙΚΤΟΣ, non solum in codice Augustano, qui alia aliis superaddit nomina, sed etiam in editione Sylburgiana: neque tamen Benedictus ille Nursinus, de quo Andreas audire potuit, quemque Nic. Mulerius huc confert, a Graeco quopiam librario notatus videtur: nam Graecorum quoque menologium prid. Id. Mart. memoriam ejus habet: sed Benedictus IX. pontifex Romanus. Nos abludit, qui Casparo Heunischio in mentem venit, *sILVester seCVnDVs.* Etenim Silvester, quum annus 1000 a nativitate Christi; Benedictus, quum annus 1000 a passione Christi numeraretur, sedebant: et ad utrumvis annum millesimum, quasi elapsi forent anni milleni capite 20. scripti, regnum bestiae exspectarunt veteres, (ut patet ex Andrea, cujus curioso cuipiam lectori numerum 666 ille ΒΕΝΕΔΙΚΤΟΣ, ut apparet, subministravit:) nec tales hodie Benedicti illius, quales

Silvestri fama vindices habet. Satis operae, opinor, considerandis antiquorum sententiis dedimus: recentiora etiam commenta vel nugamenta, praeter ceteros, recensere dignatus est Scherzerus in Syst. p. 865. Wolfius Tomo IV. Curar. p. 545. Itaque supersedere licet nobis: adjici tamen possit, quod Christophorus Seebachius in clavi Germ. Ap. p. 309. ἐπαῤῥησιάσατο· sed minus certe coactum est nomen *LVDoVICVs*, quod tractatus Belgice et Germanice editus, cum titulo, *Fides et patientia sanctorum*, cap. 23., huc accommodavit, quanquam ne gravis quidem illa Reformatorum in regno Galliarum persecutio tantam numeri vim est assecuta, planeque aut nusquam aut in papali serie nomen hoc numero praeditum deprehendi debet. Nonnulli, cum Vitringa, qui in Ap. p. 629. ceteroqui anonymum illum ac librum ejus laudat, numeralem vim Latinarum literarum solicitant: sed omnes, praeter *D*, probat Baudius Ep. 79. cent. 1. plane omnes, Scaliger, Priscianum secutus, in libro de causis L. L. cap. XLI. Nos his argutiis supersederi posse existimamus. Numerus, etiam *nominis* bestiae, ut vidimus, aliam vim habet.

CAPUT XIV.

v. 1. Ἑκατὸν κτλ.) Sunt eaedem *CXLIV chiliades*, quae cap. 7., sed nunc longe lautiori statu. quare sine αἱ articulo memorantur: uti cap. 17, 3., θηρίον *bestia*, sine τὸ articulo, eadem bestia, quae capite 13, 1., sed postea sui valde dissimilis. — τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ) Hoc uni codici Reuchliniano defuit, quanquam non videtur defuisse antiquiori codici, ex quo ille descriptus erat. Nam pro subsequente participio γεγραμμένον Erasmus in ed. 1. 2. 3. posuit καιόμενον. id quod ex margine, qui illud καὶ ὄνομα sublestiore pictura, in marginibus frequenti, supplendum moneret, alieno loco inductum videtur: sicut mox versu 6 ad τοὺς καθημένους idem Reuchlinianus liber glossam marginis τοὺς κατοικοῦντας ex aliis locis propinabat. Wolfio *veri fit similius*, καιόμενον *glossemati acceptum ferri debere. Constat enim*, inquit, *notas ejusmodi vel frontibus vel manibus* inuri *solitas. Atque hunc morem aliquis indicaturus consultum putavit*, *vocem* γεγραμμένον *per* καιόμενον *interpretari*. Resp. Si καιόμενον dici potest nomen, quod *inuritur*, non tamen sic dici potest, quod *inustum* est. Pusilla res est: glossema utrinque agnoscitur: tantummodo de origine ejus agitur. Mea suspicio lectioni illi de *nomine Agni* asserendae militat. Erasmi lectione, quae *Agni nomine* caret, fretus non nemo, nomen *Patris* ac non *Agni* posthac celebratum iri, sperare voluit. Deceptus est inimicus Nicaenae fidei, atque gloriae Christi. Imo vero et *Agni nomen et nomen Patris ejus* scriptum est in frontibus CXLIV millium.

v. 2. καὶ ἡ φωνὴ ἣν ἤκουσα ὡς) Sic *Comp. Copt.* et monumenta fere omnia. At *Erasmi* lectio, καὶ φωνὴν ἤκουσα, absque ὡς, (quae tamen particula etiam in And. 1. extat,) vix unum alterumque assensorem ex vetustate habet. Editionem meam cum Complutensi, non cum Graeco-Anglica, distinctius a Wolfio, quam a typotheta sociatam, lector velim observet. Johannes vocem sibi auditam gradatim articulatius describit; et ἡ articulus habet vim relativam, qua innuitur, *eandem* vocem primum ut *aquarum multarum* et *tonitrui magni*, deinde ut *citharoedorum* fuisse auditam. [1])

v. 5. ψεῦδος) δόλος, textus apud Andream in cod. *Reuchlin.* quem Erasmus sequitur, et in *Augustano*. Sed textus apud ipsum Andream a Sylburgio editum, et *Copt.* (apud Wolfium, qui tamen τὸ δόλος defendit,) cum monumentis omnibus, ψεῦδος. Petrinum illud, οὔτε εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, aperte

---

1) V. 4. τῷ θεῷ — τῷ ἀρνίῳ, *Deo — Agnello*] Hinc *Ietius* coram throno hymnum canunt, *Hujusque* se comites praebere dignantur. *V. g.*

Digitized by Google

respicit locum Es. 53, 9. Apocalyptica vero phrasis, quanquam se sustentat ipsa, parallelum quiddam habet Malach. 2, 6., de sacerdote: Νόμος ἀληθείας ἦν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, καὶ ἀδικία οὐχ εὑρέθη ἐν χείλεσιν αὐτοῦ. Vocabulum ψεῦδος, cum derivatis et compositis, perfrequens est in omnibus scriptis Johanneis. — ἄμωμοι εἰσιν) ἐνώπιον τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ addidere demum *Latini* recentiores. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Hoc quidem loco alienum est interpretamentum. nam harum primitiarum descriptio suaviter est figurata, instar cantici: atque ita duo haec incisa quendam quasi rhythmum habent, παρθένοι γάρ εἰσιν· ἄμωμοι εἰσίν· ubi, quod obiter notamus, in posterius incisum particula γὰρ ex praecedenti propagata videtur. Porro, *virgines* sunt, qua *Agnum* sequuntur: ἄμωμοι sunt, non qua *coram throno Dei* sunt, sed, qua emti sunt, primitiae, *Deo et Agno*. Quid multa? clausulam, *ante thronum Dei*, hoc loco nemo in Graecia, Asia, Syria, Africa legit: neque dubito Italiam Armeniamque antiquam addere. Non habuere illi editiones hodie obvias: genuinam lectionem habuere.

v. 6. ἄγγελον, *angelum*) *Angelorum* nomine v. 6. 8. 9. praecones coelestis doctrinae veniunt. [*Opponuntur illi, qui* triplex vae *exclamavit c.* 8, 13. V. g.] Quod autem G. G. Zeltnerus in Diss. de Chiliasmo praesenti, §. 13. p. 22. habet, *Nec repugnabimus, si quis* Angelorum *aut* unius praecipui *in animandis Confessoribus Evangelii operam, eo sensu, quo et Paulo adstitisse dicitur Act.* 27, 23. *coll. Dan.* 10. *cap. toto, hic* (Apoc. 20, 1.) *intervenisse affirmet, idque nobis omnium MAXIME probari fatemur:* id magis in tres hosce praecones convenire existimamus. — αἰώνιον, *aeviternum*) αἰών, *aevum*, evangelio, sive praeconio, quod hic habet angelus, adscribitur. Est ergo *aevum* finitum [1]), quod, ex analogia ceterorum temporum propheticorum, duobus chronis constat, et a praeconio hujus evangelii ad ipsum *judicii* diem porrigitur. Haec *aevi* praecipue longitudo, praeter complura alia, considerandi ansam praebet, *num* hic angelus sit *Arndius*. *Secundum* angelum jam venisse, minus certum habemus: si jam venit, de *Spenero* est cogitandum. *Tertius* exitum mensium 42 breviore intervallo antecedit: quanquam per eum bestiae ipsius, non modo imaginis serioris, adoratione interdicitur. — εὐαγγελίσαι) Similis locutio, πειρασμοῦ — πειράσαι, c. 3, 10. et h. l. εὐαγγέλιον — εὐαγγελίσαι. — τοὺς καθημένους) Τοὺς κατοικοῦντας, unum alterumque exemplar, ex frequentiore Apocalypseos phrasi. Conjunxit utrumque Reuchlinianus liber. τοὺς καθημένους, potior pars codicum, cum *Lat. Orig.* Innocentius quiddam est *sedere in terra*, quam *habitare in terra:* hoc civium, illud alieniorum. *Habitantes in terra* dicuntur, quos vae tria feriunt: *sedentes in terra*, quibus evangelium aeternum praedicatur. Differentia verborum elucet ex Es. 18, 3. כל ישבי תבל ושכני ארץ

v. 7. κρίσεως, *judicii*) In extrema tempora refert hoc praeconium Ven. D. *Langius*, Epicr. p. 402. nec tamen justo serius id statui debet. Locum Matth. 24, 14., quem confert, expendimus supra, ad cap. 6, 2. — πηγὰς, *fontes*) Non

---

1) Aevi *autem* finiti *notionem ad confirmandum reliquae chronologiae scripturariae concentum* non *conferre* nihil, *b.* Auctor *videtur mihi probasse in* Ord. temp. *Ed. I. p.* 410. *Ed. II. p.* 352. *n.* 20.: Multam, *inquiens*, τῶν αἰώνων *aevorum* mentionem, praesertim in epistolis ingruente *millennarii quarti* exitu scriptis, Paulus facit. Rom. 16, 25. Eph. 2, 7. 3, 9. Col. 1, 26. 1 Tim. 1, 17. 2 Tim. 1, 9. Tit. 1, 2.; maxime 1 Cor. 10, 11., ubi ait, τὰ τέλη τῶν αἰώνων, *fines aeonum* advenisse. Habet aetas mundi tempora 35, sive chronos 7, sive aeonas $3^1/_2$, in summa: et scribente illa Paulo, 18 tempora erant in exitu, et 17 tempora residua erant. Illa ad haec se habent, ut $1^8/_{10}$ ad $1^7/_{10}$, et in summa sunt aeones $3^1/_2$. Quam distinctam de praeteritis et futuris mundi temporibus cognitionem habuerint apostoli ante Apocalypsin Johanni datam, ignoramus: sed certe divinitus ita sunt gubernati, ut indicio postea venturo ipsorum locutiones pulcre congruerent. — *Conf. cel. D.* Burscher, *in dem* Versuch einer kurzen Erläuterung des Propheten Jeremiae, *Leipz.* 1756. p. 255. seq. E. B.

d by Google

additur articulus. nam sub *mari fontes* jam quodammodo continentur: quanquam hi per se quoque magnum quiddam sunt in universitate rerum. vid. Becmanni hist. geogr. cap. 3. part. 4.

v. 8. ἔπεσεν ἔπεσε) Vid. ad cap. 18, 2. — βαβυλὼν ἡ μεγάλη) Sic codices omnes, sic etiam *Copt.* sic cap. 16, 19. 17, 5. 18, 2. et LXX Dan. 4, 27. At ἡ πόλις interponitur ab *Erasmo*, ex cap. 18, 10. 21. Saepe nomini proprio additur epitheton, sine substantivo appellativo. Grandius quiddam sonat *Babylon magna*, absolute, quam *Babylon urbs magna*. — ἐκ, *de*) Asyndeton. — τοῦ οἴνου) Paucorum testium haec lectio est, antiquorum tamen, ex Graecis et Latinis, ad quos *Cassiodorius* accedit. Quia in iis locis, ubi de *ira Dei* agitur, ὁ οἶνος τοῦ θυμοῦ dici solet, ideo hic et c. 18, 3., ubi de fornicatione Babylonis agitur, item ὁ οἶνος τοῦ θυμοῦ a librariis est invectus. Sed vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Saepe *ira Dei*, saepe *meretricia impuritas*, sub schemate potûs describitur. In illo potu, non in hoc, adhibetur vocabulum τοῦ θυμοῦ. — πεπότικε, *potavit*) Lutherus in Praefatione ad Roberti Barns Vitas pont. *Ego sane in principio*, inquit, *non valde gnarus aut peritus historiarum, a priori, ut dicitur, invasi papatum, h. e. ex scripturis sanctis. Nunc mirifice gaudeo, alios idem facere a posteriori, h. e. ex historiis. Et plane mihi triumphare videor, cum, luce apparente, historias cum scripturis consentire intelligo.* Itaque secundi hujus angeli praeconio subservit historia rerum Romanensium, quae magis magisque in lucem profertur: praecipue vero ponderare h. l. fas erit, seposito partium studio, quae sub initium hujus seculi in oriente per Missiones non tam pontificias, quam *Romanas*, gesta, et e contrario per Evangelicas Missiones geri coepta sunt. Impurum potum *gentibus* datum excipit purior.

v. 9. ἄλλος, *alius*) Bonum est praeconium angeli cum aeterno evangelio, bonum secundi ac tertii: sed tamen *alius* est angelus secundus, *alius* etiam tertius. Recte intra limites suos se continuit v. gr. Spenerus. vid. Bar. Canstein. in Vita ejus, §. 32. Sed si quis intra eosdem limites propheticum posteritatis scrutinium atque testimonium coercendum putaret, peccaret. Varia sunt et dona et tempora. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 145. 158. s. 166. s. 176. ss. 1041. s. 1117. — εἴ τις κτλ., *si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua: et hic bibet de vino irae Dei, quod infusum est merum in calice irae ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum et ante conspectum Agni. Et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum, nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus*) Una omnium horrendissima in tota Scriptura est haecce comminatio. Pellit timorem ab interfectoribus corporis timor ab Eo, qui potest et animam et corpus perimere. Luc. 12, 4. 5.

v. 10. ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ — ἐν τῷ ποτηρίῳ τῆς ὀργῆς, *ex vino excandescentiae — in poculo irae*) Ut se habet vinum ad poculum, sic *excandescentia* ad *iram*. Considerata verborum differentia. cap. 16, 19. 19, 15. ἡ ὀργὴ τὸν θυμὸν in actum deducit. conf. Rom. 2, 8. not. חמה חרון θυμὸς, ὀργὴ apud LXX. — τοῦ κεκερασμένου ἀκράτου, *quod infusum est merum*) κεράννυμι, *misceo*, dicitur in genere pro *infundo*, etiam de *mero mero*. ἄκρατον *merum* est, cui nil gratiae aut spei attemperatur. Tale *merum* jam est *mixtum* et paratum adoratoribus bestiae. Propinqua impendet et sanctis salus, et malis poena. Psalm. 75, (74) 9., ποτήριον ἐν χειρὶ Κυρίου οἴνου ἀκράτου, πλῆρες κεράσματος.

v. 11. εἰς αἰῶνα αἰώνων) Sic quoque cap. 19, 3. 20, 10. Vestigia hujus lectionis, studiosissimam indaginem desiderantis, notavimus in Apparatu. Ceteris locis scribitur, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Utraque quasi quadrata locutio est, ut *myrias myriadum, coeli coelorum*. Articulus emphasin habet, praesertim ubi

de *Aeternitate Dei* sermo est. Magna in hisce locutionibus est opportunitas articuli Graeci vel adhibiti vel praetermissi. — ἀναβαίνει, *ascendit*) Praesens, post futurum, futuri vim habet, sed cum emphasi.

v. 12. [1]) οἱ τηροῦντες, *servantes*) Vel conjunguntur abstractum et concretum, *patientia* et *servantes:* vel potius est nominativus pro genitivo, τῶν ἁγίων, οἱ τηροῦντες, *sanctorum servantium:* coll. cap. 1, 5., ἰησοῦ χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστός.

v. 13. [2]) ἀπάρτι, λέγει τὸ πνεῦμα) Vocem illam, *Scribe, Beati mortui, qui in Domino moriuntur, ut requiescant etc.* elocutus est coelitum quispiam, cujus personae et conditioni proprie congruit, Jesum appellare *Dominum*. Eam vocem Spiritus ipse quasi per parenthesin interpellat, simulque comprobat et amplificat, per voculam ἀπάρτι, *a modo:* perinde uti post, *Scribe, Beati,* asseveratio sequitur capite 19, 9. *A modo,* scil. beati sunt, *inquit Spiritus. A modo*, ab hoc ipso articulo temporis, quum vox haec in serie prophetiae loquitur. Occurrit etiam loquela Spiritus, c. 22, 17. 2, 7. etc. Loquitur autem Spiritus in sanctis, praesertim afflictis, 1 Petr. 4, 14., domumque petentibus, 2 Cor. 5, 5. A vocabulo μακάριοι pendet ἵνα, uti c. 16, 15. 22, 14. Ναὶ primum in margine extitisse videtur, uti c. 22, 20. ναὶ alterum: unde alii ναὶ λέγει, alii λέγει ναὶ fecerunt. Sine hac vocula constat sensus [3]). Latinus eam non legit, sed ἀπ᾽ ἄρτι duplicater expressit, *a modo jam,* uti Gal. 1, 6. *sic tam.* [*Conf. App. crit. Ed. II. P. IV. N. IX. §. CXVI. CXVIII.*] — ἵνα ἀναπαύσωνται) Futurum, uti ἵνα ἔσται, c. 22, 14.

[4]) v. 14. καὶ, *et*) *Messis* et *vindemia,* quae hoc loco describuntur, extremum judicium antecedunt, ut Cluverus copiose demonstrat. Utraque describitur etiam apud Joël, c. 3, 18., et toto illo loco, ut Joach. Langius docet. — καθήμενον ὅμοιον) Alii, καθήμενος ὅμοιος· alii rursum, pro νεφέλη λευκὴ, *nubem candidam:* ut iidem fierent casus. Media lectio, casus miscet: (neque obstat hic ἔχων subsequens, coll. App. p. 778. *Ed. II.* p. 488.] vide supra ad cap. 4, 4. 7, 9. 13, 3. Communes constructionis regulas nemo ignorat: sed non temere tot locis in tam paradoxa sermonis figura codices optimi conveniunt. Quae hujus generis sunt, ab iis uti me, post longam considerationem, non facile recessurum puto, sic ea nemini obtrudo. Sensus in omnes partes idem manet. Per *messem* magna piorum, per *vindemiam* magna impiorum multitudo ex mundo educitur.

[5]) v. 15. τῆς γῆς, *terrae*) Sic quoque v. 18. in vindemia. *Terra* hic non contradistinguitur *mari:* sed tamen amplitudo hujus vocabuli restringitur versu 20. per *urbem.*

v. 18. καὶ ἄλλος ἄγγελος ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου, ὁ ἔχων ἐξουσίαν ἐπὶ τοῦ πυρός, ἐφώνησε κτλ.) Observationem generalem de Interprete Latino vid. in App. crit. Ed. II. ad h. l. — ἐπὶ τοῦ πυρὸς dicitur singulari numero: videtur autem singularis pro plurali, quem τὸ πῦρ non habet, hoc loco positus, coll. τῶν ὑδάτων. cap. 16, 5. — τοὺς βότρυας — αἱ σταφυλαὶ) Synonyma saepe sunt ὁ βότρυς καὶ ἡ σταφυλή. sed interdum differunt, apud LXX. Num. 13, 23. אשכול ענבים βότρυν σταφυλῆς. Gen. 40, 10., πέπειροι οἱ βότρυες σταφυλῆς. Itaque βότρυς, totum, uva: σταφυλαὶ, partes, *acini.* — τῆς ἀμπέλου, *vitis*) Non deest plurale גפנים LXX

---

1) ὧδε, *hic*] Etiam haec ad praeconium angeli tertii pertinent, quod itidem antithesin aliquam continet ad triplex vae. *V. g.*

2) ἀποθνήσκοντες, *morientes*] morte vel violenta vel naturali. *V. g.*

3) *Attamen majus ei pretium margo* Ed. 2., *quam* Ed. maj., *constituit.* E. B.

4) τὰ ἔργα αὐτῶν, *opera eorum*] connotata gratuita remuneratione. *V. g.*

5) ἐξηράνθη, *arefacta est*] maturitatem consecuta, in bono, ad metendum. Proxime huc res hodie pertigit; et quae restant, vix angescunt ultra. *V. g.*

Digitized by Google

αἱ ἄμπελοι· et tamen hoc loco singulare est: impii omnes, unius vitis instar sunt, omnes cohaerent.

[1]) v. 19. ἔβαλεν, *jecit*) Hujus igitur angeli opera perferentur uvae de vite amplissima terrae in unum torcular. — τὴν ληνὸν τὸν μέγαν) Etiam Hebraeis foemininum est גת ἡ ληνός· sed ad τὴν ληνὸν adjectivum additur masculinum, Hebraico more: (vid. Buxtorf. Thes. p. 338. 399. 423.) idque hoc certe loco facit ad amplificandum, ut etiam apud Graecos. vid. Budaei comm. L. Gr. col. 1500. seq. Olim nonnulli, Hebraismo non perspecto, sic interpretati sunt: *Jecit magnum*, i. e. superbum, antiquum hostem, *in torcular irae Dei*. Ita habet Primasius, et Ansbertus.

v. 20. αἷμα, *sanguis*) *sanguis* uvarum, vinum rubrum, id est, sanguis impiorum. Metalepsis. Occidio impiorum innuitur, non cruciatus aeternus. Alii quoque hostes in torcular postea incidunt. cap. 19, 15. — ἄχρι τῶν χαλινῶν τῶν ἵππων, ἀπὸ σταδίων χιλίων ἑξακοσίων, *usque ad frenos equorum, per stadia mille sexcenta*) Utraque phrasis profundum et longum sanguinis torrentem denotat. confer c. 11. Ἀπὸ σταδίων κτλ. de intervallo dicitur etiam Joh. 11, 18. Nonnulli Rabbinorum cultores hoc referunt ad Palaestinae circuitum aut longitudinem. Sed longitudo, etiam cum regionibus editis et ab inundatione immunibus, multo minor est; circuitus, multo major. Quid si innuatur vallis *Kidron*, inter *urbem* Jerusalem et inter *montem oliveti* (Act. 1, 12.) interjecta? nam torrens in ea valle, cum suis anfractibus, et in ipso mari, quoad sanguine tinctus fuerit, 1600 stadiorum longitudinem poterit habere. Locutionem proprie accipiamus. [*Conf. Ez.* 32, 6. *V. g.*]

CAPUT XV.

[2]) v. 2. Νικῶντας ἐκ) Rara phrasis, sed similis illa Lycurgi contra Leocr. τί ποιῶν ἂν νίκην λάβοι παρὰ τῶν πολεμίων. Quod ad praepositionem attinet, LXX habent, ποιεῖν ἐκδίκησιν ἐκ τῶν ἐχθρῶν κτλ. — καὶ ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ) Post καὶ additur apud Erasmum, ἐκ τοῦ χαράγματος αὐτοῦ· et sic fere duo tresve codices, ita inter se propinqui, ut unius instar sint, qui tamen ipsi glossam, dum aliter aliterque in textum inferunt, produnt. Vid. App. ad h. l. Revera non sunt tria: sed *nomen* bestiae, AUT *numerus nominis* ejus, (disjunctive,) est ipse ille character. *Character*, est genus: species duae, *nomen* bestiae, et *numerus nominis* ejus. Inde *character* bestiae, indefinite plerumque, citatur, c. 14, 9. 16, 2. 19, 20. 20, 4. definite vero, *charagma nominis* ejus seorsum, cap. 14, 11. vel *numerus nominis* ejus seorsum, h. l. Nam horum altero alterum connotatur; vel uno tempore *nomen bestiae*, alio *numerus nominis ejus* magis viget. ἐκ, praepositio, aliquoties hic ponitur, uti cap. 18, 20. — ἑστῶτας ἐπὶ τὴν θάλασσαν τὴν ὑαλίνην, *stantes ad mare vitreum*) ἐπὶ cum accusativo, et cum ipso *standi* verbo, denotat vel *super, in*, cap. 7, 1. 11, 11. 12, 18. 14, 1. vel *juxta, ad*, cap. 3, 20.

[3]) v. 3. ὁ βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν, *Rex gentium*) Augusta appellatio, et opportuna, coll. vers. seq. et Jer. 10, 7. et tamen a librariis varie mutata.

v. 4. πάντα τὰ ἔθνη, *omnes gentes*) Hic et conversio gentium omnium, (conf. Jer. 16, 19.) et motivum, cum tempore conversionis, declaratur.

---

1) ἥκμασαν, *maturuerunt*] poenae. Malitia penes omnis conditionis homines, qui nostra aetate vivunt, quoad omnia, quae fidei, spei et amori contrariantur, vix censenda est majora incrementa sumere posse. Perditissima est et plane desperata mundi facies. *V. g.*

2) v. 1. ἐτελέσθη, *consummata est*] Post hanc consummationem instant meliora. *V. g.*

3) τὴν ᾠδὴν τοῦ ἀρνίου, *hymnum agnelli*] Agnellus hymnum istum Patri suo intonat, in coetu magno. Ps. 22, 23. 26. *V. g.*

Digitized by Google

v. 7. φιάλας, *phialas*) φιάλη δέ φασιν, ἀγγείων λεβητοειδὲς πεπλατυσμένον ἄνωθεν. *Eustathius.* Phialarum in superiore parte latitudo facit ad repentinae effusionis amplitudinem. Phialas vae tertium afferre, multi putant. Sed vid. *Erkl. Offenb.* p. 808.

v. 8. καπνοῦ, *fumo*) Tegmen majestatis divinae. [1])

CAPUT XVI.

v. 1. Τὰς ἑπτὰ φιάλας, *septem phialas*) Epistolae ad VII. ecclesias distribuuntur in III. et IV. Sigilla VII. dividuntur in IV. et III. et item Tubae VII., ut vidimus: nunc etiam Phialae VII. Tubae longo circuitu regnum mundi labefactarunt: phialae celeri et acuta vi bestiam potissimum, quae se in regnum mundi induerat, et asseclas opesque ejus, frangunt. Itaque tubae phialaeque eodem ordine incedunt. Quaternae priores tangunt *terram, mare, flumina, solem:* ternae reliquae, aliorsum cadunt, et multo sunt acriores.

v. 2. ὁ πρῶτος, *primus*) Sic, *secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus,* sine nomine *angelus.* Sermo celerrimam phialarum effusionem exprimit: cujus celeritatis documentum est etiam hoc, quod phialae nullas temporum periodos notatas habent. Magnam eae similitudinem habent cum plagis Aegyptiacis, quas fere per mensium intervalla inflictas censent Hebraei. vid. Meyer ad Seder olam, p. 287. Quid si idem futurum sit in phialis? Tota quidem earum effusio adhuc in futuris est. — ἕλκος πονηρὸν, *ulcus malignum*) Deut. 28, 35., בשחין רע LXX ἐν ἕλκει πονηρῷ. [*Haec nova, credo, atque inaudita hactenus lues erit.* V. g.]

[2]) v. 5. ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, *qui es et qui eras*) Vid. ad c. 11, 17. et conf. D. Lang. comm. apoc. f. 188. — ὁ ὅσιος) Alii καὶ, ante ὁ, vel pro ὁ, ponunt, vel καὶ ὁ praetermittunt. Saepe uniones germanae lectionis a scoriis varietatum sincera internoscit exegesis: praeclareque huc confert Wolfius locum c. 1, 8., Κύριος ὁ θεὸς, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. Juverit etiam contulisse alterum, c. 4, 8., Ἅγιος ἅγιος ἅγιος, Κύριος ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος. Summa est illorum duorum locorum similitudo, et hujus loci, qui sic habet: δίκαιος εἶ, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, ὁ ὅσιος. Subjectum, illic, Κύριος ὁ θεὸς ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος· hic, vocandi casu, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν. Subjecti epitheton, illic, ὁ παντοκράτωρ· hic, eodem casu, ὁ ὅσιος· utrobique sine καὶ particula. Praedicatum, illic, c. 4, 8. ἅγιος· hic, δίκαιος. Neque enim ita construenda est oratio, δίκαιος καὶ ὅσιος· quum multa in textu verba sint interjecta. Primis et postremis Apocalypseos locis dicitur Dominus ὁ παντοκράτωρ, *Omnitenens;* hic, judiciis se exserentibus, ὁ ὅσιος, *pius.* Primum a *Robore* laudatur, ne tempore patientiae nil videatur valere, quum in fine satis sit ostensurus *Roboris;* deinde a *Gratia,* ineunte retributione. Pariter *Robur* et *Gratia* tribuitur Domino in Psalm. 62, 12. 13. Epitheton ὅσιος Hebraeo חסיד respondet, significatque, activo vel passivo sensu, *gratiosum.* Deus in omnibus operibus suis *gratiam suam* exhibet, et ab omnibus sanctis *gratiam* init.

v. 6. ἄξιοι εἰσὶ, *digni sunt*) Abrupta oratio, magna vi. Ita cap. 14, 5. ἄμωμοι εἰσίν. Psalm. 99, 5. קדוש הוא

v. 7. ἤκουσα τοῦ θυσιαστηρίου λέγοντος, *audivi altare dicens*) Audivit Johannes *altare,* qua clamor surgit et vindicta descendit, ejusve accolas, Johanni hic non conspectos, ut ipsum altare loqui videretur. Confer phrasin c. 1, 12. 9, 13. 11, 1. Talis illa, χρόνος ἐστὶν ὁ λαλῶν. Job. 32, 7.

v. 9. ἐβλασφήμησαν, *blasphemarunt*) Horribile peccatum, blasphemia: sed

---

1) οὐδεὶς, *nemo*] ne ipsi quidem angeli phialis instructi. *V. g.* — εἰς τὸν ναὸν, *in templum*] utut reclusum, v. 5. Absolutis plagis patet accessus templi. *V. g.*

2) τοῦ θηρίου, *bestiae*] Ergo phiala primi angeli prior erit bestiae character. *V. g.*

Digitized by Google

tamen vel contra voluntatem impiorum in honorem DEI cedit. fatentur enim, se succumbere.

v. 10. ἐγένετο ἐσκοτωμένη) Hoc multo majorem habet emphasin, quam si diceretur ἐσκοτώθη vel ἐσκοτίσθη, cap. 9, 2., vel, ἐπλήγη τὸ τρίτον, c. 8, 12. Similis locutio c. 17, 16. ἠρημωμένην ποιήσουσιν, c. 1, 18. ἐγενόμην νεκρὸς, Ps. 30, 8. ἐγενήθην τεταραγμένος. Arabs interpretatur, *desiit*. id vero nimium est. — τοῦ πόνου) כאב LXX πόνος, *dolor*.

v. 12. ἐπὶ) ἐπὶ *potius reddimus* super, *quam* in, *quod ob exsiccatas aquas nulla hic mixtio sit facta, ut in* mari et fluviis, *ubi erat praepositio* εἰς. *Marckius.* — ἐξήρανε, *siccavit*) Sic *Alex. Lat.* Cohaeret cum ἐξέγεε, cumque συνήγαγεν, v. 16. Plerique, ἐξηράνθη, vel ex rhythmo ἑτοιμασθῇ, vel ex consuetudine [1]). Saepe enim ἐξηράνθη in N. T. extat, et facile hic quoque a librariis arreptum est. — αὐτοῦ, *ejus*) adeoque eorum quoque fluminum, quae in Euphratem labuntur. Turcae id flumen hodie accolunt. Vel si perbrevi Mahomedismus, ut nonnulli putant, detrimenti aliquid capturus sit, fieri tamen poterit, ut angelus sextus phialam suam aliquanto serius effundat.

v. 13. ὡς βάτραχοι) Vid. App. ad h. l. Valet casus rectus, uti Exod. 34, 4., δύο πλάκας λιθίνας, καθάπερ αἱ πρῶται.

v. 14. ἐκπορεύεσθαι) Multae hic occurrunt varietates, in quibus speciem habet, ἃ ἐκπορεύεται. quae tamen si primaeva esset lectio, non tam varie fuisset mutata, quam infinitivus ille, ἐκπορεύεσθαι, propter parenthesin non aeque a librariis perceptus. Atqui sine infinitivo abrupta esset oratio, εἶδον πνεύματα ἐκ τοῦ στόματος. Non enim dicitur *bestia ex mari, ex terra, ex abysso,* sed *ascendens ex mari* etc. Neque obstat, allegatus a Wolfio, alter infinitivus, συναγαγεῖν, per asyndeton subjunctus. Saepe enim cumulantur infinitivi, Luc. 1, 74—79. Eph. 3, 16. s. 1 Thess. 4, 3. 4. 6. et hoc loco expeditus est sensus: *vidi exire, ut congregarent.* Est *Simultaneum*, de quo vid. *Erkl. Offenb.* p. 84. Notantur autem res duae concurrentes vel repetitis iisdem verbis, 2 Reg. 2, 14. vel interpellata constructione, ut h. l.

v. 15. τὴν ἀσχημοσύνην) ערוה LXX plerumque, ἀσχημοσύνη.

v. 16. καὶ συνήγαγεν, *et congregavit*) Non possumus hoc loco singulare verbum pro plurali, (quod *Syrus* exprimit,) positum censere, quia nomen neutrum πνεύματα tanto intervallo praecedit, v. 13. 14. et in ipso versu 14. plurale verbum εἰσὶ ponitur. Quis ergo *congregavit* reges? angelus sextus. Toto hoc capite saepe subauditur *angelus.* Sine incommodo saltu hic versus cum versu 12. connectitur. Vide Franc. Junium et E. Schmidium. — ἁρμαγεδὼν) Sic plerique cod. At pauci, μαγεδὼν, quomodo habet etiam ms. *Alex.* in 2 Par. 35, 22., ἐν τῷ πεδίῳ μαγεδών. *Magedon* vel *Megiddo* erat urbs, cujus frequens mentio in libris V. T. Ea loca, ut apparet, respexere librarii, qui vocabulo ἁρμαγεδὼν in Apocalypsi primam detraxere syllabam: sed propter hanc ipsam potissimum syllabam τὸ ἑβραϊστὶ videtur esse adhibitum. *Armagedon* significat vel עיר *urbem Megiddo,* ut docet Hillerus in syntagmatis, p. 229. vel הר *montem Megiddo:* nam ubi est בקעה *vallis*, ut *vallis Megiddo*, 2 Chron. 35, 22., ibi etiam est mons. Ipsum *Megiddo* unde derivetur, non perinde disquirimus. ponitur enim ut nomen proprium loci in Palaestina ex magnis rebus, quae ibi antiquis temporibus acciderant, notissimi. Neque verbo ob funestam Josiae cladem hac allusione citatur, sed ob cladem *regum* Cananaeorum. Jud. 5, 19.

[2]) v. 21. ὡς ταλαντιαῖα, *ut talenti pondere*) multarum singulatim librarum. Proprie accipio, sub initium Bestiae Non-esse.

---

1) *Nullum valorem lectioni* ἐξήρανε *tribuit margo* Ed. maj.; *modicum*, Ed. 2.; *certum*, Vers. germ., *suffragata* Gnomoni. E. B.

2) v. 19. ἡ πόλις ἡ μεγάλη, *Urbs magna*] Hierosolyma. c. 11, 8. *V. g.*

d by Google

CAPUT XVII.

v. 1. Τὸ κρίμα) משפט *rationem*. v. 16. — καὶ τῆς πόρνης, *meretricis*) Conf. Gloss. p. 1195. 1440.

v. 2. μεθ' ἧς, *cum qua*) *Cum regnis* terrae fornicata est Tyrus. Es 23, 17. 18. coll. Ap. 18, 23.

v. 3. ἔρημον, *desertum*) Europa, speciatim Italia. — θηρίον κόκκινον, *bestiam coccinam*) ut *rufus* erat draco. Id docet Ceremon. Romanum. Textus loquitur de tempore mulieris in bestia sedentis.

v. 5. ἡ μεγάλη, ἡ μήτηρ κτλ. *magna, mater etc.*) Gloriosum Romae nomen, si quisquam, Benedictus XIII., magnifice adornavit in Indictione universalis Jubilaei A. MDCCXXV. *Ad hanc* sanctam *civitatem, tot* sanctorum *martyrum memoria inclytam, ac beatorum praesertim apostolorum ecclesiae principum doctrina eruditam et glorioso sanguine consecratam, religiosa animi alacritate concurrite. Festinate ad locum, quem elegit Dominus, ascendite ad hanc Hierusalem novam, unde ab ipso ecclesiae nascentis exordio Lex Domini et Lux evangelicae veritatis in universas nationes effluxit. Urbem tot tantisque beneficiis auctam, tot muneribus cumulatam, ut civitas sacerdotalis et Regia in superbiam seculorum posita, Civitas Domini, Sion Sancti Israël jure optimo praedicetur. Hic vero confitemini Deo in ecclesia magna, in populo gravi laudabitis eum. Quandoquidem haec ipsa Catholica et apostolica Romana ecclesia per sacram B. Petri sedem, caput orbis effecta,* Mater *est cunctorum credentium, fida Divinitatis* interpres, et Magistra omnium ecclesiarum. *Hic intemeratum fidei depositum, hic fons sacerdotalis unitatis, hic claves regni coelorum, et summa ligandi atque solvendi potestas, hic demum inexhaustus ille thesaurus ecclesiae sacrarum indulgentiarum, cujus dispensator est Romanus pontifex, custoditur.* Sed gloriosum hunc titulum Johannes ex veritate παραφράζει et explanat: ***Babylon etc.***

v. 6. μεθύουσαν) Μεθύω, *ebrius fio,* vel, *ebrius sum.*

v. 7. τῆς γυναικὸς — τοῦ θηρίου, *mulieris — bestiae*) Sequitur, per chiasmum, tractatio de *bestia*, v. 8—14. et, cum praefatiuncula iterata, *et dicit mihi*, tractatio *de muliere*, v. 15—18.

v. 8. ἦν κτλ., *erat etc.*) Tria durationis bestiae sunt incisa: quorum tempora per conjecturam refert liber *Erkl. Offenb.* p. 1147. seqq. Possit autem (1) ad problema ibi datum secundarius quidam numeri bestiae cursus adjici, a consummato ejus ortu ex mari, in Alexandro III., A. 1169 ad A. 1836. (2) conferri, quod dixi supra ad c. 13, 1. Thesi 10. observ. 29. (3) tota illa Thesis ad multas capitis hujus XVII. partes resolvendas repeti. — [1]) βλεπόντων) Genitivus simplex, absolute, uti Luc. 8, 20. λεγόντων. — ὅτι, *quod*) Ratio, sub qua terricolae admirantur bestiam. sic plane, ὅτι, Joh. 9, 8. — καὶ παρέσται) Sic habent antiqua documenta, summo consensu: nonnulla, καὶ πάρεστιν. Tantummodo de *M.* et *Pet.* 3. minus liquet. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Ipse Erasmus, si viveret, tot codicibus, quorum nunc copia est, herbam, ut arbitror, porrigeret, et asseclas suos miraretur, qui lectiones ab ipso olim aegre constitutas tam religiose tuentur. — Neganti mihi, καίπερ *particulam ab Johanne usquam adhiberi*, Wolfius regerit, ne verbum quidem παρέσται ab Johanne adhiberi. [2]) Sed dispar est ratio. nam verbum παρέσται nullus idiotismus excludit: particulam *quamvis* Hebrais-

---

1) ἐκ τῆς ἀβύσσου, *ex abysso*] Ex mari bestia ascendit, quum esse coepit: postremo ascendet ex abysso. *V. g.*

2) *Quum ea, quae hic sequuntur, non ad* Crisin *tantum, sed ad* Philologiam *quoque sacram pertineant: nolui equidem eliminare, utut* Apparatui *inserta.* E. B.

Digitized by Google

mus, quem Johannes multum sequitur, fere ubivis per ו sive καὶ reddit, juxta Noldii Concord. p. 292. seq. non καίπερ. Accedit alia ratio, quae constructionem Erasmi, καίπερ ἐστὶν, aperte refellit. nam καίπερ non cum verbo, sed cum participio construi, docent omnia loca N. T. 2 Petri 1, 12. Hebr. 5, 8. 7, 5. 12, 17. maximeque Phil. 3, 4. Et sic οἱ ἔξω. *Demosth.* ταῦτα μνημονεύετε ῥηθέντα, καίπερ ὄντες οὐ δεινοὶ τοὺς ἀδικοῦντας μεμνῆσθαι. Idem, ἕκαστον ὑμῶν, καίπερ ἀκριβῶς εἰδότα, ὅμως ὑπομνῆσαι βούλομαι. Idem, δεῖ με, καίπερ οὐ φιλολοίδορον ὄντα φύσει, αὐτὰ τὰ ἀναγκαιότατα εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ. *Aristoteles*, ἀλλὰ καίπερ ὄντος τοιούτου τοῦ παρόντος λόγου, πειρατέον βοηθεῖν. *Euripides*, Κἀγώ σ' ἱκνοῦμαι, καὶ γυνή περ οὖσ' ὅμως, Τοῖς δεομένοισιν ὠφελεῖν, οἷός τε δ' εἶ. *Sophocles*, γινώσκω σαφῶς, Καίπερ σκοτεινὸς (scil. ὢν) τήν γε σὴν αὐδὴν ὅμως. *Dio*, τὰ τοῦ τιβερίου ἔργα, καίπερ (Xiphilinus, καὶ) χαλεπώτατα δόξαντα γεγονέναι, παρὰ τὰ γαΐου-παρήνεγκαν. *Zosimus*, καίπερ ἐν τούτοις ὄντι τῷ στρατοπέδῳ, περὶ φιλίας ὅμως ἐποιοῦντο λόγους οἱ πέρσαι. *Julianus*, καίπερ ταῦτα πολυπραγμονῶν, ᾠδεῖτο τὸ μέγεθος αὐτοῦ τῆς ἀρετῆς. Sin aliquis καίπερ etiam cum verbo construi affirmat, exemplis probet, et iis quidem, in quibus περ non sit παρέλκον, ut apud Apollonium Rhodium, sed *quamvis* notet. Obstat natura particulae. nam etiam simplices voculae, ex quibus καίπερ componitur, nempe καὶ (pro *quamvis*) minus saepe, et περ (apud Devarium,) nunquam, verbum adsciscunt. Gravius est, quod conjectura καίπερ multum de sententia detrahit: nam *admiratio* terricolarum non tam per illud, quod *bestia erat et non est*, quam per hoc, quod bestia παρέσται *aderit*, commovetur. Satis de crisi, nec tamen frustra. Momentosus enim locus est. Tetragrammaton illud יהוה *DOMINUS*, magnificam periphrasin habet, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui est et qui erat et qui venit*. At bestiam mirantur terricolae, quasi quoddam antitetragrammaton. nam *erat, et non est, et aderit*. Dominus dicitur ὁ ἐρχόμενος, *Veniens*: bestia παρέσται, *aderit*, alio illo rege *veniente*, v. 10. eaque παρουσία (conf. omnino 2 Thess. 2.) est longe perniciosissima. Hebraico verbo בוא apud LXX et ἔρχομαι et πάρειμι respondet: et hoc loco, ad ἦν καὶ οὐκ ἔστι, καὶ παρέσται aptissime adsonat, et minus quiddam dicit, quam si diceretur καὶ ἔρχεται vel καὶ ἔσται.

v. 9. ὄρη — βασιλεῖς, *montes — reges*) Septem montes Romae, septem olim arcibus muniti et ornati erant. *Pacatus* in Paneg. *Spectabas haec a tuis collibus, Roma, et septena ARCE sublimis, celsior gaudio ferebaris.* cap. 46. *Hos colles*, inquit G. Fabricius capite III. Romae suae, *Virgilius in Georgicis, et in Epithalamio Ausonius, propter* sedes regias *aliquando in iis constitutas, septem* Arces *nominarunt*. Septem illi montes erant *Palatinus, Capitolinus, Coelius, Exquilinus, Viminalis, Quirinalis, Aventinus*. Sed prophetia septem montes pro tempore bestiae spectat, in quo *Palatinus* desertus est, et *Vaticanus* viget. Ceteri, iidem sunt, qui olim erant. Neque vero *septem capita* bestiae duplicem habent significationem, unam seorsum *montium* confusam, alteram seorsum *regum* distinctam: sed unicam habent significationem, sic tamen, ut significatum sit quiddam compositum, ex monte et rege constans. Nonnulli septem montes Hierosolymis quaerunt, sed, ut nervose docet Wolfius, non conficiunt. Vid. Es. 10, 32. Fac autem, septem quondam montes ibi fuisse: nunquam ibidem septem reges, nedum septem montes cum septem regibus singulatim conjuncti fuere: urbs ipsa prius deleta est, quam Johannes scriberet: nusquam Jerusalem, etiam ubi maxime culpatur, *Babylon* dicitur: et ordo prophetiae in tempora multo citeriora Babylonem detrudit. In urbem Romam haec omnia conveniunt. ac primum bestiae caput est Mons Coelius et in eo Lateranum, cum Gregorio VII. ejusque successoribus: secundum, Mons Vaticanus cum templo S. Petri, a Bonifacio VIII. tertium, Mons Quirinalis, cum templo S. Marci et cum Palatio Quirinali, a Paulo II. quartum, Mons Exquilinus, cum templo S. Mariae Majoris, a Paulo V. Per hos

adhuc montes ambulat habitatio actioque pontificia, ita quidem, ut ad primum caput accedat alterum, non tamen ruente protinus primo; ad duo illa, tertium; ad tria, quartum: postea, ad quatuor, quintum, donec quinque reges et omnia in quinque montibus per eos constituta *cadunt*. Evolve *Bullarium* ordine: quatuor a Gregorio VII. notabilis tempora, quorum primo fere omnes bullae, in urbe datae, datae sunt in *Laterano;* secundo, apud *S. Petrum;* tertio, apud *S. Marcum* et in *Quirinali;* quarto, apud *S. Mariam Majorem*. Quintus, certe sextus septimusve, Mons nullus adhuc a papis ita cultus cernitur: et id ipsum veritatem hujus interpretationis comprobat. Septem montes, septimo exculto, distincte cernentur. — ὅπου — ἐπ' αὐτῶν) pro, ἐφ' ὧν. Hebr. אשר עליהם.

v. 10. οἱ πέντε, ὁ εἷς, ὁ ἄλλος) Articulus habet vim relativam ad *septem* illos, qui in *quinque*, et *unum*, et *alium* distribuuntur. — ὀλίγον, *paulum*) Hoc pertingit usque ad *horam*, qua non alter per se, sed *cum bestia*, reges decem regnant. v. 12. Specialem temporum considerationem habet *Exegesis Germanica Apocalypseos* et *Ordo temporum*, in *Gnomone* autem volebam supersedere: et tamen ea theoria ita recurrit, ut etiam ingravescat. Quodsi mathematici, musici, pictores, artifices omnes, minima quaeque curant, et in minimis DEMUM elegantiam quaerunt: cur non obsequamur prophetiae in minimis calculis se maxime admirabilem praebenti? Hanc quoque in partem *opera DOMINI sunt exquisita* דרושים Ps. 111, 2. Veram eorum subtilitatem nulla μικρολογία et curiositas humana potest excedere aut assequi. Temporum *mulieris alatae et bestiae* digerendorum *experimentum* quoddam fecimus in *Erkl. Offenb.* pag. 1072. et ea, *Daniele* etiam atque etiam adhibito, nunc aliquanto explicatius consolidantur. Quare ad illa, quae in cap. 13, 1. Thesi 10. observ. 29. cel. D. Langio respondi, haec addi velim, quae sequuntur, salva, quam praefatus saepe sum, modestia et sobrietate, dum eventus futura explanet.

TABULA.

Termini:

A. Anno 1058. d. 2 sept. fer. 4. Mulier alas nacta.
B. 1077. d. 1 sept. fer. 6. Bestia ex mari.
C. 1143. d. 25 sept. fer. 7. Menses 42 ineuntes.
D. 1810. d. 21 maj. (stil. nov. d. 1 Jun.) fer. 7. Menses 42 elapsi.
E. 1832. d. 14 oct. fer. 2. Bestia ex abysso: hora una.
F. 1832. d. 22 oct. fer. 3. Bestia, regno decem cornuum aucta.
G. 1836. d. 18 jun. fer. 1. Bestia devicta.

Intervalla,

eo termino, unde singula incipiunt, incluso; et eo, qui subsequitur, excluso:

	Dies et horae:		sive hebdomades et dies:	
A.	6938,	12.	991:	$1^{1}/_{2}$.
B.	24130,	$3^{189}/_{777}$.	3447:	1. plen.
C.	243495,	praecise:	34785:	0.
D.	8170,	$22^{218}/_{777}$.	1167:	2.
E.	7,	$22^{170}/_{777}$.	1:	1. propemodum.
F.	1335.		190:	5.

Sunt, in summa, dies $284077^{1}/_{2}$. sunt hebdomades $40582^{1}/_{2}$. sunt hebdomades quadratae $5797^{1}/_{2}$. sunt anni $777^{7}/_{9}$. sunt monades Danieliticae (de quibus mox,) 686 praecise.

Primum Intervalla, in abstracto; deinde Terminos, in concreto, declarabimus.

Declaratio Intervallorum.

Intervallum *A* complectitur annos 19, minus 1 d.
B annos $66^{66}/_{999}$ praecise:

Digitized by Google

C	annos	$666^{666}/_{999}$	praecise:
D	annos	$22^{123}/_{333}$	plen.
E	ann.	$^{22}/_{999}$	quam proxime:
F	annos	$8^{218}/_{333}$	plen.
ADEF conjunctim,	annos	$45^{45}/_{999}$	praecise:
ABDEF		$111^{1}/_{9}$	praecise:
ABCDEF		$777^{7}/_{9}$	praecise.

Danieliticae **hebdomades LXX habent monadas 490, quae conjunctim sunt anni $555^{5}/_{9}$, ut ostendimus in *Ordine Temporum*, cap. 10. In ejusmodi monadas et hebdomadas eadem Intervalla memorabili ratione transfunduntur.**

Intervallum *C* habet monadas ejusmodi 588 praecise, quae sunt *hebdomades quadratae* duodecim.

B **et *D* conjunctim, monadas 78, sine excessu diei.**

B C D **sunt monades 666, (sive dies $275795^{5}/_{14}$, qui ultra appendices dierum intervalli *B C D* non 17 horas excurrunt,) mirabili concentu. Etenim *numerus bestiae* dicitur *esse* 666, ea locutione, per quam is numerus non uno modo extet. Vid. *Erklär. Offenb.* p. 742. init. Sic numerus 666 *primum et secundum Incisum* de duratione bestiae complectitur.**

A E F **conjunctim sunt monades 20, sine defectu diei.**

A B D E F **sunt monades 98, quae sunt *hebdomades quadratae* duae.**

A B C D E F **conjunctim sunt monades 686 praecise, sive *HEBDOMADES CUBICAE* duae.**

Numeri, et, sub *diversorum* numerorum aenigmate *aequales*, periodi, apud Danielem et in Apocalypsi, *mire sunt ductiles et versatiles*, ut articulatissima expeditissimaque ratione *invicem* transmutentur, *firmo veritatis argumento.*

Declaratio Terminorum.

A. Mulier alas nacta: initium $3^{1}/_{2}$ temporum. Vid. *Erkl. Offenb.* p. 646.

B. De ascensu bestiae ex mari, deque ipso die 1 Sept. egimus ad cap. 13, 1., praesertim Thesi 9. Ab eo die est fluxus praevius annorum $666^{2}/_{3}$ (vid. *ibid.* p. 1069.) isque nunc ad exitum properans. Priusquam anni 5684 a mundo condito (vid. *Ord. Temp. pag.* 300. [*Ed.* II. *p.* 256.]) sive hebdomades annorum quadratae 116 compleantur, existimari poterit, quid ante exitum illum exspectari oporteat.

C. De potestate bestiae ad 42 menses data, et de initio mensium, egimus ad cap. 13, 18. §. 12. Idem est numerus bestiae, 666.

D. Mensibus 42 elapsis, bestia non idcirco protinus *non est.* nam etiam ante menses illos *erat.* Sed tamen sub phialam angeli quinti ita fit obscuratum regnum bestiae, ut plus laboret, quam ante initium mensium 42. Itaque observandum erit suo tempore, utrum sub exitum mensium 42 angelus ille phialam demum suam sit effusurus in thronum bestiae, an etiam bestia continuo meretricem portatura sit, dum ipsa *non est.* Hoc Intervallum, quo bestia *non est*, prope accedit ad *Semitempusculum*, de quo agit Ordo Temp. pag. 318. [*Ed.* II. *p.* 271.]

E. Horam unam, quam cornua decem regnum cum bestia accipiunt, ideo propheticam interpretamur, quia *mille annos* communi significatu ita dictos antecedit: possit vero eadem etiam de hora communi, naturali, sumi, quia, licet adhuc in tempora tristia bestiae, tamen proxime *post* numerum bestiae cadit. Res fere est in ambiguo. vid. *Erkl. Offenb.* Ed. II. p. 146. seq. 889.

F. Decem reges, et bestia, primo quoque tempore, quum regnum ei dederint, meretricem vastabunt. Roma condita est Anno 3960 Per. Jul. d. 29 Oct. (ut docet Des-Vignoles in Chronol. in extremo,) feria 2. Inde ad Ann. Dion. 1832 Per. Jul. 6545 d. 20. Oct. fer. 1. demto anni Juliani excessu, anni sunt 2585 praecise, sive hebdomades 134878, et dies 6 propemodum, a feria illa 2

Digitized by Google

ad feriam hanc 1. Vel: Anno 3960 Per. Jul. d. 29 Oct. feria 2. Inde ad A. D. 1834. P. I. 6547 d. 20 Oct. fer. 3. demto anni Juliani excessu, anni sunt 2587 praecise, sive hebdomades 134981. d. 1. h. 8. 2'0. 2"4 a feria illa 2 ad feriam 3 *(martis)* exeuntem. Conf. *Zeugniss der Wahrheit.* p. 207. ss. Quid Roma post annos 90 die suo natali sit expertura, observent, qui tum erunt.

Duo haec intervalla, *E* et *F*, sunt conjunctissima. *In manus cornu* singularis *dabuntur, sancti,* vel, ut Tigurini interpretantur, *temporum status et leges* (sic parallela sunt *verba* Psalm. 31, 16.) *TEMPUS ET TEMPORA ET DIMIDIUM TEMPORIS.* Dan. 7, 25. *Rex alter, cum venerit, PAULULUM oportet maneat.* h. l. De utroque loco sat multa conjecimus in libro, *Erkl. Offenb.* p. 883. Adjuvat autem tertius: *Decem cornua potestatem ut reges UNAM HORAM accipiunt cum bestia.* v. 12. *Paululum*, est intervallum *EF* conjunctim; nam totam *regis alterius mansionem*, in *tertio* bestiae *Inciso*, complectitur: *E* est *una hora*: *F* habet residuum de intervallis superioribus, id est, dies 1335, eosque communes. Hos sequuntur continuo dies 1335 prophetici Danielitici (quos *mille annos* esse docet *Ordo temp.* p. 379. [Ed. II. p. 326. seq.] qui premittuntur Dan. 12, 12. ut dies 1335 communes, miseri, *expectationis*, sustentationis, subaudiantur; et dies 1335 prophetici, beati, *attingendi*, exprimantur. Verba, *qui expectat, et attinget, dies, mille,* magnam ab accentibus vim habent. In Intervallum *F* cadunt, si id non explent, *tempus et tempora et dimidium temporis* apud Danielem: assentiorque Ven. D. Langio, esse annos $3^1/_2$, sed, in summa, dierum 1278, ex veritate naturali, non dierum 1260, quos ille accipit, neque dierum $1333^1/_3$, qui in mentem venire possent. Nunc quomodo etiam 1278 dies et 1335 conciliantur? Non dicam, utrumvis dierum numerum esse annos 3 cum בבּ parte sive dimidio, non quadriennium; quemadmodum etiam intervallum *f*, intervallo *E* vel *sepositio* vel *additio*, cum *Traditione* veteri de antichristo annos $3^1/_2$ grassaturo congruit. Sed apud Danielem videtur bestiae ex abysso actio *in terra Israël* spectari: in Apocalypsi extra eam quoque terram bestia ex abysso *prius* habet, quod agat.

Dubia in articulis quibusdam singularibus Tabella nostra putari potest: sed intra limites suos exegeticis historicisque nervis tota corroboratur. Quae in periodo sex intervallorum minus definiuntur ex Apocalypsi, ea ex Daniele definiuntur, ut *esse* bestiae ante menses 42, et *non esse* ejusdem, et *paululum* regis alterius: et quae apud Danielem *proprie* expressa erant *tempora* $3^1/_2$, ea in *paululum* illud *includit* Apocalypsis; rursum, quod apud Danielem *aenigma* 1335 *dierum* repraesentarat, id *propriis mille annorum* verbis declarat Apocalypsis. Num haec omnia sunt fortuita? Non omnia aequali confidentia affirmamus: sed tamen omnia proponimus, *ut posteri habeant, quod observent, et ex eventu partim emendent, partim comprobent.*

v. 11. καὶ αὐτὸς ὄγδοός ἐστι, καὶ ἐκ τῶν ἑπτά ἐστι, *et ipse octavus est, et ex septem est*) Καὶ, καὶ, valet *et, et.* ὄγδοος est pars praedicati, ideo sine articulo ponitur: cohaerens ei pronomen αὐτὸς item est pars praedicati, emphasin addens τῷ *octavus*, quatenus hic *ipse* τοῖς *septem* contradistinguitur. *Octavus*, et *septem*, sunt masculina, ut *regis regumve* nomen subaudiatur.

Innuitur hoc loco famosus ille pridem et magnus Adversarius, quem omnis antiquitas et tota ecclesia Romana pro *uno* quodam et *singulari* homine habet. Satis prope tetigit rem, qui patrum ultimus dicitur, *Bernardus.* nam sera aetate sua, Sermone VI. in Ps. *Qui habitat*, post amara de corrupto illo ecclesiae et antistitum statu lamenta, *superest*, inquit, *ut reveletur homo peccati, filius perditionis, daemonium non modo diurnum, sed et meridianum, quod non solum transfiguratur in angelum lucis, sed etiam extollitur super omne quod dicitur deus aut quod colitur.* Ex Reformatoribus, qui ceteroqui in sua potiss-

Digitized by Google

mum tempora non immerito intenti erant, *Franciscus Lambertus* agnovit, unum tamen quendam insignem adversarium, filium perditionis, posthac esse venturum, eamque calamitatem flebiliter descripsit. Exeg. Apoc. p. 183. 193. 215. 265. In Thesibus *Hier. Zanchi* haec erat: *Etsi revelatum est jam pridem regnum Antichristi; quique in illo primatum tenet, et regnat, verus est Antichristus: dicere tamen,* sub finem seculi insignem quendam, et omnium iniquitate excellentissimum, verum et perfectum Antichristum, qui etiam miracula edat, venturum, *non pugnat cum Sacris literis.* etenim Argentinae in praelectione de fine seculi in hanc sententiam disseruerat, ab aliis idcirco reprehensus. Eam thesin A. 1561 approbaverunt Heidelbergenses Theologi, Tigurini vero etiam confirmarunt, his praeter cetera verbis: *Cum indies malitia crescat et sine modo augeatur: nil obstat, quo minus* κατ' ἐξοχήν *aliquis ad extremum sit venturus, qui ceteros Evangelii hostes impietate sua longissime superet, quemque Dominus spiritu oris sui omnino sit profligaturus.* Vid. Zanchi misc. Theol. pag. 1. 18. 21. 44. 48. Neque aliter, hac duntaxat de re, eodem anno, *Jo. Brentius* Jo. Marpachio respondit: *De antichristo nollem contendere odiose. scimus, papatum esse antichristianismum. Fortassis autem fieri potest, ut inter papas exoriatur aliquis, qui impietate, astutia, dolis, crudelitate et tyrannide reliquos omnes superet, et det Filio Dei occasionem, ut properet ad extirpandum universum papatum et ad judicandum vivos ac mortuos. De hac re Dominus curabit: nos nostrum officium faciemus, et expectabimus adventum Domini.* Conferatur Epistola *Lud. Crocii* Vossianis inserta, *Heding.* ad 2 Thess. 2, 3. *Weismanni* Inst. pag. 1121. lin. 5. seq. *H. Horchii* Patmus, p. 70. *C. B. Michaëlis* in Dan. p. 230. *Jac. Koch* tr. Germ. in Dan. p. 247 seq. *Quid si Pontificiis,* inquit Rob. Baillius, *concederemus, in quo quidem orthodoxi NON SUNT DIFFICILES, ut in longa antichristorum Romanorum serie aliquis in seculi fine sodalibus suis, licet improbissimis, quadam tamen improbitatis* ἐξοχῇ *nequior exoriatur, qui Antiochi dies proximus referat: nihil ex hac concessione ipsi lucrarentur.* Op. hist. et chron. f. 244. Apposite vero ad h. l. Vitringa: *Bestiam ipsam esse quoque* Octavum *regem, ex ordine superiorum; sic absque ulla accipi potest difficultate, post hosce reges mysticae Babylonis* unum *adhuc expectandum esse sub finem imperii* antichristiani, *qui* testes *Christi sit* occisurus, *et in ecclesiam prae ceteris omnibus saeviturus. de quo Spiritus sub nomine* bestiae *speciatim vaticinatus fuerat* Cap. 11, 7. Omnesque hodie congruunt, qui prophetica tempora, et in his menses XLII bestiae communi significatu accipiunt, tam brevem potestatem uni videlicet regi adscribentes. Non soleo testimoniis humanae auctoritatis niti: haud indiget iis veritas. sed ubi doctrina aliqua paradoxa putari posset, latentes in animis hominum anticipationes veritatis colligere expedit. Hic unus, ultimus, rex, ab omnibus suis antecessoribus, ut malignitate, sic interitus genere longissime differet. Illi naturali fere morte obeunt: hic vivus ad cruciatum aeternum dabitur. c. 19, 20. 2 Thes. 2, 8. — ἐκ τῶν ἑπτὰ, *ex septem*) Praeclare Primasius: *Hunc, quem octavum dicit, NE ALTERIUS GENERIS aestimares, subjecit, Ex septem est.*

v. 12. τὰ δέκα κέρατα, *decem cornua*) Decem cornua respondent decem digitis pedum in statua regali, Dan. 2, 41. s. 7, 7. 20. 24. Quumque utervis pedum quinos habeat digitos, exspectandum erit, *num* decem reges futuri sint aliqua ratione in duos quinarios distincti. — οὐκ ἔλαβον — λαμβάνουσι — ἔχουσι — διδόασιν — πολεμήσουσι, *non acceperunt: accipiunt, habent, dant: pugnabunt*) Praeteritum, praesens, futurum. *Non acceperunt,* quia bestiae dederunt, v. 17. Obj. Sic migratur ordo textus. Resp. Expendatur chiasmus modo notatus: ex quo etiam in v. 18. praesentia ponuntur ante futura versu 14. notata; et, citra eum, etiam ante futura versus 16ti. Sub interitum bestiae memoratur etiam

Digitized by Google

regum clades. v. 8. 14. — ὡς βασιλεῖς, *ut reges*) regno nunc demum capto. — μίαν ὥραν, *unam horam*) Conf. v. 10. not. Non dicitur, *una hora*, uti c. 18, 10., sed *horam unam*. Similis accusativus c. 20, 2. — μετὰ τοῦ θηρίου, *cum bestia*) Bestia habet asseclas, decem reges: antitheton, v. 14., *cum eo*, Agno, qui suos item habet asseclas.

v. 13. μίαν γνώμην, *unam sententiam*) Magna consensio non semper est character bonae causae. — διδόασιν, *dant*) ad praelium cum Agno.

v. 14. κλητοὶ καὶ ἐκλεκτοὶ καὶ πιστοὶ, *vocati et electi et fideles*) Describuntur comites Victoris. Dicuntur hoc loco κλητοὶ, κεκλημένοι c. 19, 9. Utrumque semel in hoc libro, ut etiam ἐκλεκτοί. Confer 1 Reg. 1, 41.: καὶ πάντες οἱ κλητοὶ οἱ μετ' αὐτοῦ.

v. 16. κέρατα, *cornua*) *Decem cornuum* ante *bestiam* mentio docet, potiores, in ipsa *inimicissima vastatione* meretricis, cornuum partes fore. καὶ etiam αὐτῶν, *eorum*, versu 17., ad cornua prae bestia refertur. — καὶ τὸ θηρίον) ἐπὶ τὸ θηρίον, fecit *Erasmus*, quem hic quoque sequuntur, qui solent, editores, quanquam lectionem hanc, e Latinis deterioribus fictam, vel solus *Andreas* Caesariensis redarguit. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. — Haec vero oratio, *Et decem cornua, quae vidisti, καὶ et bestia, hi odio habebunt meretricem*, planissima est, *cornua et bestiam* per voculam οὗτοι *hi* complexa, ut *ad sensum* gravissimum, quem ea demum exhibet, *accommodatissima*, quod non modo decem cornua, sed etiam bestia ipsa (quo pacto Protestantes ab invidiosissima classici adversus Romam canendi suspicione liberantur), meretricem odio sint habituri. Divina gubernatione provisum est, ut Apocalypsis ante Reformationem, in media Hispania, Compluti, valde sincera, praesertim in stricturis Romam ferientibus, ederetur. Atque hoc loco Complutensis editio et lectionem, καὶ τὸ θηρίον, exhibet, et puncto, approbationis signo, eam distinguit. Consentiuntque monumenta fere omnia. Inanis esset tot codicum collatio, si talium quoque locorum germana lectio aut postponeretur sine fine, aut saltem in ancipiti relinqueretur. Hoc uno meam Wolfius in locis fere omnibus, ubi a me dissensit, sententiam firmat. — τὴν πόρνην, *meretricem*) Quaestio nascitur, utrum bestia, ex abysso ascendens, bellum cum duobus testibus gerat prius, (coll. *Erkl. Offenb.* p. 546.) an Babylonem vastet. Babylonem, ut videtur, prius delet, regno vixdum sibi a decem cornibus dato: deinde, relicta illa sede, totum in sanctam urbem furorem effundit, et mox cum suis in extremam cladem incurrit. Nam et sub duorum testium in coelum ascensum, resipiscente post terrae motum multitudine, *consummatur* mysterium DEI: et cornua decem regnum suum dant bestiae, donec *consummentur* sermones DEI. — καὶ αὐτὴν, et *ipsam*) Hoc emphasin habet, in antitheto ad *carnes* et opes meretricis.

v. 17. τὴν γνώμην αὐτοῦ, *sententiam ejus*) bestiae videlicet. Locutio γνώμη θεοῦ, extat Ezr. 6, 14. sed hoc loco Johannes τὴν γνώμην τοῦ θηρίου, *sententiam bestiae* contra meretricem, notat. — καὶ ποιῆσαι μίαν γνώμην) Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Duplex momentum notatur, primum, quod decem cornua, *bestiae sententiam faciunt*, deinde quod *unam* inter se, de tradendo bestiae regno suo, *sententiam faciunt*. [1])

CAPUT XVIII.

v. 2. Καὶ ἔκραξεν ἰσχυρᾷ φωνῇ μεγάλῃ λέγων) Saepe verbo nomen cognatae significationis, emphaseos causa, Dativo casu additur, apud LXX. ἀληθείᾳ τε-

---

1) ἡ ἔχουσα, *habens*] Hoc eo ipso tempore, quo meretrici vastatio imminet, pro re praesenti habendum. *V. g.*

Digitized by Google

πεινοῦν, βίᾳ ἀχθῆναι, βρώσει φαγεῖν, δάκρυσι κλαίειν, δεήσει λαλεῖν, θανάτῳ τελευτᾷν, θυμῷ ὀργίζεσθαι, ὀργῇ θυμοῦσθαι, μέτρῳ λαμβάνειν, σοφίᾳ ἀριθμεῖν, τόλμῃ ἐπικεῖσθαι, ὕβρει τρέχειν, ὕβρει φέρεσθαι, ὑπερόψει ὑπεριδεῖν, φόβῳ δειλιᾷν, φυγῇ πορεύεσθαι, φωνῇ καλεῖν. Vid. etiam Act. 2, 30. Eph. 3, 16. Phil. 1, 18. 1 Joh. 3, 18. Sic h. l. κράζειν ἰσχύϊ· et v. 21., ὁρμήματι βληθῆναι. Ipsum ἰσχύϊ absolute dicitur 2 Chron. 28, 6. ἀνδρῶν δυνατῶν ἰσχύϊ. — ἔπεσεν ἔπεσε, *cecidit cecidit*) Nonnulli codices interpretesque, c. 14, 8., et hoc loco, semel ponunt ἔπεσε, *cecidit:* atque horum locorum alteruter ad alterum conformatus videri possit. Emphasin auget interdum epizeuxis: sed *cecidit cecidit Babel* dictum est Es. 21, 9., multo ante casum, imo etiam ante florem ipsum: *cecidit Babel subito,* Jer. 51, 8., non multo ante casum ipsum. Itaque, si non utroque Apocalypseos loco una sit sequenda lectio, priore bis, altero semel legerim, eo fere modo, quo primum tria vae proponuntur, deinde duo, postremo unum: ut *cecidit cecidit* dicat casum gradatim ingruentem; *cecidit*, casum repentinum, totalem, finalem. nam *semel* saepe idem est, quod *prorsus.* Num. 20, 11. 1 Sam. 26, 8. Veruntamen librarii non raro verba bis scribenda semel scripserunt: et ἔπεσεν ἔπεσε c. 14, 8., et c. 18, 2., apud plerosque reperitur. Non esse actualem jam casum intelligendum hic, sed prophetiam de casu certe et proxime consecuturo, patet, quia v. 4. demum jubetur populus Dei exire. Sed populus ille Dei non est, cujus pastor est pontifex Romanus, uti non nemo Apocalypsin detorquere voluit. Dicitur populus *meus*, non, pontificis romani: sicut Act. 18, 10. *populus* in urbe Corinthiaca *magnus* esse Domino dicitur, sine praeciso ad Paulum vel alium ibi Pastorem respectu. [1])

[2]) v. 5. ἐκολλήθησαν) Mihi quidem, inquit Wolfius, suspecta est haec lectio. *Verbum enim* κολλᾶσθαι *de iis tantum dicitur, qui rei alicui vel personae, tanquam sibi placenti,* adhaerent, *quod quomodo de peccatis, atque adeo de peccatoribus, respectu ad coelos habito, dici possit, non perspicio.* At amplior est usus verbi κολλᾶσθαι. Zach. 14, 5., καὶ ἐγκολληθήσεται φάραγξ ἕως ἀσαήλ. Thren. 2, 2., τὰ ὀχυρώματα τῆς θυγατρὸς ἰούδα ἐκόλλησεν (Κύριος) εἰς τὴν γῆν. Addi possent loca, ubi דבק et κολλᾶσθαι inter se respondent. Sed rem conficiunt duo superiora. nam ἕως et εἰς in illis, et ἄχρι in Apocalypsi, phrasin plane similem reddunt, et extat in illis verbum הגיע quo verbo 2 Chron. 28, 9. notatur caedes *in coelum pertingens.* LXX, ἔφθασε. Respondet apocalyptica phrasis loco illi Jer. 51, (Graecis 28,) v. 9., ὅτι ἤγγισεν εἰς οὐρανὸν τὸ κρίμα αὐτῆς (βαβυλῶνος·) Hebr. est נגע cujus verbi notionem procul omni dubio in mente habuit Johannes. At huic verbo exprimendo nunquam adhibetur ἀκολουθέω, adhibentur synonyma φθάνειν, ἐγγίζειν, κολλᾶσθαι. Habent ἐκολλήθησαν codices, firmo consensu: ἠκολούθησαν, *Erasmus*, ex mera conjectura, ut apparet. nam ne *Andreas* quidem sic habet. Sive αἱ ἁμαρτίαι *peccata* sunt h. l. sive potius *poenae*, differt locus Ap. 14, 13. nam *opera sequuntur cum morientibus in Domino: peccata* non cum Babylone *in coelum usque* sequuntur.

v. 6. ἀπόδοτε, *reddite*) Sancti sancto, morali modo, potius quam violento *reddent.*

v. 7. κάθημαι — οὐκ εἰμὶ — οὐ μὴ ἴδω) κάθημαι, ex ἧμαι· ἧμαι, praesens, vim habet praeteriti, ex ἕω, ut στήκω ex στάω, et ἥκω ex eodem ἕω. Itaque Babylon summam securitatem, pro praeterito, praesenti ac futuro tempore, ostentat. *Reginam* se appellat: erratque Bossuetus, quum corruptam tantum-

---

1) κατοικητήριον, *domicilium*] Nondum hoc additum fuerat c. 14, 8. *V. g.*

2) v. 4. ἐξέλθατε, *exite*] Exitus hic proxime ante ingruentes Babylonis plagas injungetur. *V. g.*

Digitized by Google

modo ecclesiam, non etiam civitatem regalem, in Roma, a nobis quaeri putat. Utrumque spectatur. Vid. c. 17, 5. 18.

v. 8. ἰσχυρὸς, *robustus*) אל LXX ἰσχυρὸς, 2 Sam. 22, 32., et passim.

v. 10. βαβυλὼν ἡ πόλις ἡ ἰσχυρὰ, *Babylon urbs robusta*) *Illa civitas Valida*, Tertull. de cultu foem. c. 12. Ῥώμη, *robur*. Antiquiores *Valentiam* dixerant: advenae Graeci, *Romam*. Ad nomen *Romae* retuleris etiam עזזים *Robustos*. Es. 53, 12. Multis partibus validior apud prophetas est notationis locus, quam apud philosophos. Similiter *rheda*, et *securis*, Romanis propria, notantur, v. 13. c. 20, 4.

v. 11. seqq. γόμον [1]) κτλ.) Constructio facilis est a γόμον ad πρόβατα, et cum his cohaeret ψυχὰς, eodem casu: sed ad ἵππων, ῥεδῶν, σωμάτων, demo subaudias γόμον. nam *equi*, *rhedae*, *corpora*, vecturae variarum mercium inserviunt. Mixtura casuum, ut apud Hippocr. de humoribus, c. 25. Copiosus est Pricaeus, in exponenda hac enumeratione. Si *Ceremoniale Romanum* evolvas, sat crebro pleraque omnia harum mercium genera videas occurrere.

v. 12. θύϊνον) θύα nonnullis *citria*: sed *citria* κιτρία est, θύα *thya*. Etiam haec est arbor odora: itaque *thyae* generibus non absimilis *citria*. vid. Plin. l. XIII. c. 16. toto. Nil hic loci *hebeno*, sed paullo post. — ἐκ ξύλου τιμιωτάτου, *ex ligno pretiosissimo*) Pro ξύλου, λίθου Afri quidam legerunt, ex alliteratione ad praecedentia. [2]) Ex lapide pretiosissimo non fiunt vasa; sed ex lapide pretioso, vel ex ligno pretiosissimo. Tale inprimis *hebenum*, quod saepe cum ebore memoratur. Alterum candore, alterum nigrore excellit; utrumque laevore eximio. Vid. Fulleri misc. l. 6. c. 14. — χαλκοῦ κτλ.) ex *aere et ferro et marmore*.

v. 13. ἄμωμον, *amomum*) fruticis genus, cujus lignum suavem praebet odorem. [*Non omittenda haec lectio*. Amomum *Italis gratum*. Not. crit.] — καὶ κτήνη καὶ πρόβατα, *et jumenta et oves*) Differunt haec genera, ut בקר et צאן apud Hebraeos. Sic צאן ובקר Jer. 31, (Gr. 38,) 12., καὶ κτηνῶν καὶ προβάτων. Locum Gen. 46, 34. perspicue expressit unus de LXX, an, pro numero librorum Mosis, de *quinque*, ut tractatus Talmudicus de scribis docet, interpretibus, ἐρεῖτε, ἄνδρες κτηνοτρόφοι ἐσμὲν—βδέλυγμα γάρ ἐστιν αἰγυπτίοις πᾶς ποιμὴν προβάτων. — ῥεδῶν) Vulg. *rhedarum*. רכב LXX ἅρμα, quod nomen extat etiam c. 9, 9. עגלה LXX saepe, ἅμαξα. Sed ῥέδη, neminem, qui Graece ante Johannem scripserit, reperias: nec res ipsa in specie videtur nota Graecis fuisse. nam aliae nationes aliis vehiculorum formis gaudent. Neque *rheda*, Isidoro *reda*, Graecum est, ut satis Andreas Caesareensis ad h. l. docet, ῥέδαν in gratiam Graecorum ὄχημα interpretatus, sicut Theophylactus κουστωδίαν, φυλακὴν, Matth. 27, 65. Nec minus novum *rheda* in Graecis sonuit, quam in Latino sermone illud *ochema* sonaret. Hinc Graeci librarii tam varie h. l. scripsere ῥεδῶν. Neograeca versio, ἀμάξια. *Plurima Gallica valuerunt, ut* rheda, *quo Cicero utitur*, ait Quintil. l. I. c. 5. at Isidorus: *reda genus vehiculi quatuor rotarum. has antiqui* retas *dicebant, propter quod haberent* rotas. l. 20. c. 12. Arabs, Graece doctior, quam Latine, substituit *mulorum et camelorum*. Vocabulum Latina civitate donatum, atque adeo Latinum, non temere hoc loco est adhibitum. Romam videlicet propriumque Romae luxum haec strictura petit. Hieron. in Es. 66., *sarraco gallico, covinisque bellicis, et equis Cappadociae atque Hispaniae, ac REDIS ITALIAE etc.* Conf. de Hebraeis per Hebraica verba significatis, not. ad c. 7, 4. — καὶ σωμάτων, καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων) Saepe Graeci

---

1) *At lectio* γόμος *quoque*, v. 12. *in, praefertur in margine* utrinsque Edit. E. B.

2) *Itaque* Ed. 2., *cum* Vers. germ., *lectioni* ξύλου *palmam concedit, deserta erui* Ed. maj. E. B.

Digitized by Google

σώματα dicunt pro *mancipiis*: Tob. 10, 10. (11.) σώματα καὶ κτήνη καὶ ἀργύριον. et sic LXX Gen. 36, 6., πάντα τὰ σώματα τοῦ οἴκου αὐτοῦ. Rursum iidem, Ez. 27, 13., ἐνεμπορεύονταί σοι ἐν ψυχαῖς ἀνθρώπων. Utroque hoc loco נפש et נפש אדם est in Hebraeo. ψυχαὶ ἀνθρώπων dicuntur *cadavera, defuncti*, Num. 9, 6. 19, 11. sed et *virentes*, Lev. 24, 17. praesertim captivi, sive *mancipia*. Num. 31, 35. 40. 46. Hoc loco, ubi mercatores inducuntur conquerentes, *corpora* sunt servi, ad portandum merces aut heros: *animae hominum*, servi, quatenus per se mercis loco habentur.

v. 14. καὶ ἡ ὀπώρα κτλ.) Hebraeo תאות נפשך respondet apud LXX int. ὀπώρα, Jer. 48, 32., et denotat fructus arborum. Ab iis, quae in urbem per mercatores importabantur, nunc venitur ad domesticas ejus delicias, quarum haec una species, ἡ ὀπώρα, plurimi omnium ibi habita, exprimitur. Subsequuntur autem duo genera: τὰ λιπαρὰ sunt reliqua in victu, penes ipsam deliciosa; τὰ λαμπρὰ sunt in amictu et cultu, ad alios exsplendescentia. Opportunum ergo locum hic habent haec verba, quae nonnulli post versum 23. collocanda suspicati sunt. Verum uti v. 10. secunda persona adhibetur, eademque v. 22. tertiam excipit, ita hic quoque.

v. 17. πᾶς ὁ ἐπὶ τόπον πλέων) Non bene, ut arbitror, hanc lectionem in Apparatu posthabui. [1]) Optimis nititur monumentis, et denotat utique genus hominum diversum a *gubernatoribus*, quibus tamen adjungitur, et a *nautis*, et ab *omnibus qui mari operantur*. Itaque ὁ ἐπὶ τόπον πλέων is fuerit, qui unum in locum, emporium, regionem, identidem navem agit. Alii, πᾶς ὁ ἐπὶ τῶν πλοίων πλέων. alii, πᾶς ἐπὶ τῶν πλοίων ὁ ὅμιλος. Illud ex festinatione, ut videtur; hoc ex paraphrasi germanae lectionis. — καὶ ὅσοι τὴν θάλασσαν ἐργάζονται) ἐργάζεσθαι non solum est aliquid *operando efficere*, sed etiam, quod jam extat, tractare. Sic LXX, ἐργάζεσθαι γῆν, παράδεισον, ἀμπελῶνα, πόλιν, χρυσίον κτλ.

v. 18. τίς ὁμοία, *quae similis*) Una urbs in mundo *incomparabilis* habita, Roma. Vid. Pauli Aringhi Lib. II. Rom. subterr. c. 1. *Terrarum dea gentium-que Roma, Cui PAR est NIHIL et nihil secundum*, dicitur Martiali: Athenaeo, *epitome orbis terrarum*.

v. 20. οἱ ἅγιοι, *sancti*) Hi ponuntur ante *apostolos et prophetas*, vel tanquam genus ante speciem, vel tanquam ii, quorum aliqui ante *apostolos et prophetas* sint occisi.

[2]) v. 22. μουσικῶν) *musicorum*, id est, *cantorum*. hi enim sunt praecipui. שרים LXX μουσικοὶ, Gen. 31. 27. Ez. 26, 13. — τεχνίτης, *artifex*) Nusquam magis, quam Romae, florent, cum *musica*, ars pingendi, sculpendi etc. ut docent Topographiae et Itineraria, v. gr. *Keysleri*, Part. I. Ep. 49. etc.

v. 24. ἐν αὐτῇ, *in ea*) Hoc quoque angelus loquitur: nec tamen dicit *in te*, sed *in ea*, (conf. Matth. 23, 37.) nempe in deceptrice gentium, jam ita demersa, ut extremas hujus allocutionis partes non audiat. — πάντων τῶν ἐσφαγμένων, *omnium, qui mactati sunt*) Omnia Romani imperii theatra, Christianorum caedibus insignita, docet Aringhus T. I. operis citati, f. 125. idemque f. 132., *unam Romam mactandis Christi ovibus GENERALE quasi MACELLUM constitutum* fuisse ait. Multum sanguinis effudit Roma pagana; non minus, pontificia. Ab A. 1518 ad 1548 plus 15 milliones protestantium, Inquisitionis opera, occidisse, sunt qui putent, ut memoratur in Exeg. Germ. h. l. Grandis hic numerus etiam duplicatur ab A. 1550 ad 1580 apud *Hoe* in Ap. 17. qu. 234. Neutrum verisimile. Plus 90 myriades ab A. 1540 vel 1550 ad 1580 censentur

---

1) *Praefertur itaque in margine* Ed. 2. *et in* Vers. germ. E. B.

2) v. 21. Οὕτως, *ita*] Iudicio est haec vocula, nondum hoc vaticinium impletum esse. *V. g.*

apud *Frid. Seylerum* in Roma titubante, p. 339. s. Verus numerus, quisquis est, stupendus est.

CAPUT XIX.

v. 1. Φωνὴν, *vocem*) Longe diversam a questibus capite 18. descriptis. – ἀλληλούϊα, *Hallelujah*) Gravissimum est hoc celeusma, de quo aliquid dicere necesse habemus.

§. 1. Hebraicum est הללו יה ex הללו et יה compositum.

§. 2. Nomen יָהּ occurrit in *hymnis* V. T. Exod. 15, 2. Es. 38, 11. Psalm. 118, 5. 14. 17. 18. 19., et passim alibi, praesertim in hoc ipso *Hallelujah*, quod in Novo Testamento sola Apocalypsis, in hac una periocha, sed saepe, exhibet.

§. 3. Nonnulli יה ab יָאָה derivant, et ad *Decentiam* divinam referunt: sed, ut plerique agnoscunt, eo potius nomine denotatur *Is qui est*.

§. 4. Literam spiritalem tergeminam הההה statuminat Hillerus in Onom. p. 262. unde secunda radicali in י vel ו conversa, thema היה et הוה et porro nomen אהיה et יהוה derivatur.

§. 5. Eodem pacto formatur יָהּ per י pro ה (ut in עִמָּהּ pro עִמָּהוּ et אֶתְמָהּ pro אֶתְמָהוּ) perque ה mappikatum. nam quemadmodum ex ה finali fit ה medianum, pariter ex ה mediano fit ה finale, ut in נֹהַּ ex נהה et in aliis, quae Coccejus in Lexico, col. 284. bene notavit.

§. 6. Nemini hanc analysin obtrudo: non tamen facile quisquam negaverit, יָהּ dici eum *Qui est:* idque ratum manet, etiamsi cum Hillero ex יהי futuro repetas. nam illud, καὶ ὁ ἐρχόμενος, jam antea in pausam datum est. vid. supra, ad c. 11, 17. In tribus incisis, ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος, accurate erant discernenda tempora, sed ubi τὸ יָהּ seorsum extat, derivatio ex יהי vim praesentis temporis, ut in tot propriis nominibus humanis conspicitur, non tollit. Nomen, ὁ ὤν, ponunt LXX int. Exod. 3, 14., et (ubi minus loci erat) Jer. 1, 5. (6.) 14, 13. 32, 17. ipsumque יָהּ idem dicit, quod ὁ ὢν, interprete Euthymio apud Fuller. miscell. p. 486. seq. Adde Drusium ad h. l.

§. 7. Nomen יָהּ non ex nomine יְהוָה decurtatum esse, patet ex eo, quod יְהוָה multo saepius, quam יָהּ dicitur, et quod interdum conjunctim יָהּ יְהוָה laudatur.

§. 8. Ut Deus per Mosen se יְהוָה nominari jussit, statim sub ipsum exitum ex Aegypto etiam nomen יָהּ introductum est in Cantico Mosis, Exod. 15, 2, his verbis: עזי וזמרת יה ויהי לי לישועה ubi ex *praesentissimo* saluberrimi operis divini sensu Dominus dicitur יָהּ ὁ ὤν. Hinc non nisi in *Canticis* hoc nomen citatur. Concinit cum Mosis cantico Esajas, populum ita loquentem inducens כי ביהוה יהוה צור עולמים c. 26, 4. Utroque autem loco Esajas simul ad *fiduciam* in posterum hortatur, ideoque is יהוה et יה יהוה Dominum appellat, eoque ipso nos utriusque nominis differentiam docet. בטחו ביהוה עדי עד כי ביה יהוה וזמרת יה יהוה ויהי לי לישועה c. 12, 2. Idem

§. 9. יה dicitur Deus, quia *Est:* יהוה dicitur, quia *Erit et Est et Erat:* יה יהוה dicitur, quia v. gr. in Esajae Cantico celebratur, uti se *praesentem* Deum in opere ipso praestitit, et simul *in posterum se praestaturus*, omni fiducia declaratur. Nomen יהוה temporibus promissionum in effectum tendentium frequentabatur: יה omnibus temporibus aptum, praesenti ope exhilaratis, atque adeo maxime novissimis. Sic consideratio temporis futuri, nec non pristini (Jer. 23, 7.) in praesens coalescit, et qui antea dicebatur ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, deinceps dicitur ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, et, ὁ ὤν.

§. 10. Huic igitur Cantico, Ap. 19., etiam atque etiam convenit *Hallelujah*, et in eo nomen יָהּ ὁ ὢν *Ens*.

§. 11. Laudatur passim observatio, quae apud Kimchi extat, quod *Halle-*

Digitized by Google

lujah primo suo in Psalmis loco resonet sub interitum *peccatorum et impiorum*, Ps. 104, 35. Plura vero ex Rabbinis in eandem sententiam, coll. Prov. 11, 10., collegit Cartwrightus l. 3. Melif. Hebr. c. 8.

[1]) v. 5. αἰνεῖτε τῷ θεῷ ἡμῶν] LXX, καὶ ἤνεσαν τῷ Κυρίῳ, 1 Chron. 16, 36. αἰνεῖν τῷ Κυρίῳ, c. 23, 5. item 2 Chron. 5, 13. 20, 19. Hebr. הללו ליהוה Describitur his locis solennis illa laudatio, Domino praestari solita, per Levitas. Adde locum Ezr. 3, 11., de cuncto populo, eadem phrasi Hebraica et Graeca. Quanto major solennitas in Apocalypsi! Excitantur omnes servi ejus, et timentes eum parvi et magni, ad laudem solenniter ei dicendam. Id faciunt versu 6. [*coll. Ps.* 115, 13.]

[2]) v. 7. ἡτοίμασεν ἑαυτήν, *paravit se*) i. e. coepit parare se. ut πεπίστευκα, ἠγάπηκα, ἤλπικα, *nactus sum fidem etc.* De nuptiis ipsis vide c. 21, 2. 9. ss.

v. 8. γὰρ, *enim*) Particula explanativa, uti v. 10.

v. 9. γράψον] Codices hoc verbum omittentes memorat Apparatus. In iis sunt primae editiones Erasmi, quas secutus est Lutherus: unde suspicio typographici sphalmatis in Bibliis Germanicis eximitur. Recentiores Bibliorum Germanicorum editores id verbum inseruerunt. — ἀληθινοὶ, *veri*) Notabile epitheton. Hoc uno Apocalypseos loco per se ponitur, uti πιστὸς, *fidelis*, de Teste. c. 1, 5. Alibi utrumque jungitur. *Testis fidelis et verus.* c. 3, 14. *Fidelis et verus*, absolute. c. 19, 11. Inde, *Verba fidelia et vera.* c. 21, 5. 22, 6. Alibi aliud epitheton additur. Jesus, *Sanctus, verus*, c. 3, 7. Deus, *Dominus Sanctus et verus.* c. 6, 10. *Justae et verae viae* Dei: *vera et justa judicia* ejus. c. 15, 3. 16, 7. 19, 2. Ubi conjunctim ponuntur epitheta, *Sanctus* dicitur Deus, respectu sui: *fidelis et justus*, respectu suorum, et in verbo suis dato: *verus*, in opere, cujus exitus, hoc inprimis loco, respondet verbo antegresso. Ubi unum tantummodo epitheton ponitur, ut *Fidelis*, initio libri, et *Verus*, hic, circa finem, alterius vis est subintelligenda. Atque ut Ipse est, sic sermones ejus, et viae et judicia sunt.

[3]) v. 11. ἵππος λευκὸς, *equus albus*) Antitheton ad ὄνον Matth. 21. — κρίνει, *judicat*) Multa loca, etiam Novi Testamenti, de adventu Christi glorioso, de resurrectione mortuorum, de judicio, cum hac periocha conjungit cel. D. Langius, comm. apoc. f. 107. seq. 256—269. Sed unus revera est adventus Christi gloriosus, in die novissimo: cujus tamen illustre et singulare praeludium est destructio *bestiae.* vid. supra, ad 2 Thess. 2. p. 806. sq., et *Ord. Temp.* p. 412. [*Ed. II. p.* 354.] Eundemque diem novissimum spectat summa testimonii de resurrectione et de judicio.

v. 14. τὰ στρατεύματα, *exercitus*) *Vocati et electi et fideles*, c. 17, 14. — βύσσινον λευκὸν) Λευκὸν non est superfluum epitheton. [4]) nam est aliqua *byssus* etiam flava.

v. 15. ῥομφαία, *romphaea*) ad occidendum. — ῥάβδῳ, *virga*) ad subigendum.

[5]) [6]) v. 20. ἐπιάσθη] *capta est* bestia: at draconem angelus ἐκράτησε *comprehendit.* cap. 20, 2. Bestia et pseudopropheta jam tum ad incitas redacti

---

1) v. 2. ἀληθιναὶ, *veracia*] Quae per formam precationis c. 6, 10. referuntur verba, ea nunc, expresse iterata, transponuntur in doxologiam. *V. g.*

2) v. 6. καὶ, *et*] Satis jam fit excitationi v. 5. prolatae. Hallelujah! *V. g.*

3) v. 10. καὶ ἔπεσα, *et cecidi*] Johannes ea, quae v. 9. extant, pro conclusione Visionis habuisse videtur: atqui restabant prioribus excellentiora. *V. g.*

4) *Hinc omissio ejus, in* Ed. maj. *haut obscure probata, ad lectiones minus firmas relegatur per marginem* Ed. 2., *subsequente* Vers. germ., *quae habet* mit reiner weisser Seiden. E. B.

5) v. 17. δεῦτε, *adeste*] Victoria non potest non consequi. In antecessum hostium caro diripienda conceditur avibus. *V. g.*

6) v. 19. μετὰ, *cum*] Hostes id agent sine dubio, ut Sanctos in terra adoriantur. Enimvero Christus Dominus cum coelesti comitatu proelium faciet. *V. g.*

Digitized by Google

erunt; draco habebit vires, sed coërcebitur. — ζῶντες, *virentes*) Haec pernicies ipsa corporis morte longe horribilior est. Confer, de filio perditionis, 2 Thess. 2, 8., item Dan. 7, 11. 26., et Es. 11, 4., ubi רשע LXX ἀσεβὴς Chaldaeo paraphrastae est ארמילוס רשיעא *Romanus impius*. — τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς, *stagnum ignis*) In Apocalypsi non occurrit *gehennae* vocabulum.

v. 21. οἱ λοιποὶ, *ceteri*) etiam reges. v. 18. 19. Cum turba miscentur, ut *Pharao, Zaerach, Gog*. Vid. *Ord. Temp.* p. 161. s. 182. s. [*Ed. II. p.* 142. *s.* 160.]

CAPUT XX.

v. 1. Ἄγγελον, *angelum*) De angelo creato interpretatur *Clurerus*, T. III. Dil. p. 321. *Primasius* in summario libri V., et *Ticonius* in homil. 17., *Andreas Caes.* sermone 20. caput 19. et 20. arctissime connectunt. *Joh. Frid. Schmidius* cladem antichristi, (quem quomodo interpretetur, nil interest h. l.) agnoscit priorem esse millennio, et qui id neget, in poenam, c. 22, 18. 19. praedictam incurrere. vid. *Chronol. Anleitung*, Part. II. p. 316.

v. 2. τὸν δράκοντα ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος) Appositio, casu obliquo et recto. Vid. Appar. p. 778. [*Ed. II. p.* 488., §. 5.] — χίλια ἔτη, *mille annos*) Dissertationem D. Zeltnerus edidit A. 1716 *de Chiliasmo* (proprie dixisset, *de Millennio*) *praesenti:* qua ineunte miratur, *Chiliastae titulum detrectare quenquam posse,* quia videlicet *mille annos* aliquo sensu admittere necesse habet, quisquis divinam Apocalypseos auctoritatem amplectitur. Praeclare. Sunt autem, qui insignem quandam et diuturnam ecclesiae tranquillitatem, hoc Textu cogente, futuram confiteantur, et id impune ferant. Quamobrem impune? ob hoc unum, quod MILLE ANNOS EX ORE DEI PROFECTOS REMOVENT AB ORE SUO. Non expedit, talem bonis hominibus timorem incutere. Ceterum ne passum quidem simul cum temporibus bestiae currunt hi mille anni, neque ex toto illa hi praecedunt, sed ex toto sequuntur. Comprobat hoc I. totius libri series, unum perpetuum rerum nexum repraesentans. II. Ratio tubae angeli septimi, quippe sub quam etiam hi anni cadunt. c. 10, 1. not. III. Speciatim hoc comprobant ea quae *praecedunt*. Partum mulieris, de quo supra, subsecuta est draconis *e coelo in terram* dejectio: et cum hac dejectione connexum est vae tertium, quo *draco* per bestiam et cum bestia (c. 16, 13.) vel laxatissimis agit habenis: exeunte vae tertio bestia depugnabit et victa in stagnum ignis mittetur: eodemque tempore, post cladem ejus videlicet, reliquus hostis princeps in *abyssum* includetur. IV. Ante exitum numeri bestiae, tempora in Apocalypsi sunt aenigmatica; postea, proprio significatu expressa. Excellentem hanc prophetiae methodum violant, qui tempora bestiae et annos millenos commiscent. V. *Ipsum* millennium nova, magna, pura et diuturna immunitate a malis internis et externis, quippe quorum auctores sublati sunt, et variae beatitatis affluentia eminet, qualem adhuc non vidit ecclesia: Rom. 11, 12. 15. 25. neque enim unquam *gentes* non *seductae* fuerunt, v. gr. per Muhammedismum. VI. Comprobant hoc, quae *sequuntur*. sequuntur autem novissima mundi tempora, et in iis solutio diaboli, Gogum et Magogum seducentis, et in stagnum ignis ad bestiam et pseudoprophetam aggregandi. In summa, accusatio Satanae in *coelo;* furor in *terra*, per spatium millennio brevius; captivitas in *abysso*, per mille annos; et, post seductum Gog et Magog, cruciatus in *stagno ignis*, in secula seculorum; ita inter se succedunt, ut nullum horum cum altero conjungi, nullius ordo trajici possit. *Omnem Scripturae perspicuitatem neget oportet, qui hoc negare perseveret ac refutare conetur.* Accedit VII. tenor sermonis versu 1. proxima superiora continuantis, non ad telam aliquam longius interruptam redeuntis. VIII. Eas res, quae capite 19. extant, hae res, quae a c. 20, 11. ad c. 22, 5. usque occurrunt, plane sequuntur: in medio est millennium, cujus neque initium, neque exitus, si prae-

teritum est, huc incidit. id igitur alio trahere non possunt, nisi quibus pro ratione voluntas est. Patet hinc, non recte a D. Gebhardi chiliasmum fere ex eo derivatum esse, quod *Nexus verbi prophetici* negligeretur. Comm. in XII. proph. p. 655. Denique IX. inter angelum evangelii αἰωνίου *aeterni*, c. 14, 6., et inter consummationem seculi, αἰὼν *aerum* quoddam interjacet. id vero, exemto millennio, nemo poterit ostendere. Brevi tempore prae iis, qui millennium hoc fuisse contendunt, ii, qui idem instare credunt, veri sensus praerogativam obtinebunt: neque solis cursum remorantur, qui contra loquuntur. Interea quisque videat, quibus in rebus beatam ipse vitam quaerat. Non in eo error est, nedum periculum, si mille annos dicas esse *futuros;* sed si annos vel futuros vel praeteritos ex sensu carnis interpretere. Mysterium est, doctrina de *Filio* Dei; tum, *crux* ejus; denique, etiam *gloria* ejus. Ipse *signum* est, cui in alia parte post aliam contradicitur. Multa credendi et confitendi materia.

v. 3. ἔκλεισε] Αὐτὸν addit *Erasmus*, invitis mss. et ipsius *Andreae* textu. Omnino κλείειν *claudere* non solum v. gr. de carcere, sed etiam de captivo dici potest: sed hic recte construit *Apringius*, *clausit super eum*, ut et ἔκλεισεν et ἐσφράγισεν cohaereat cum ἐπάνω αὐτοῦ, uti Gen. 7, 16. dicitur, ἔκλεισεν ἔξωθεν αὐτοῦ· et plane יסגר על איש Job. 12, 14. — ἵνα μή, *ut ne*) Unum hic exprimitur beneficium: sed id ipsum est longe maximum, et multa magna bona secum habet conjuncta. Nam regnum Dei, principe hoste remoto, vigorem non impeditum obtinet, apud *gentes*, et grande mysterium Dei, prophetis evangelizatum, consummatur. Ap. 10, 7.

Chiliasmum modernum, quasi *errorem*, eumque *in fundamento*, argumentis ex articulo de creatione, de redemtione, de sanctificatione depromtis, coarguit *Jo. Dietericus Wincklerus* in Disquisitionibus, p. 193. seqq. tum idem me tanquam *defensorem* ejus erroris notat. Atqui ne unum quidem ex tuis, politissime Wincklere, argumentis commentationem tangit meam: mihi vero gratum fecisti. Nulla enim res sanitatem meae de millennio sententiae evidentius potest efficaciusque demonstrare, quam collatio libri tui et mei. Respice, quaeso, *Erkl. Offenb.* pag. 950. seqq. Quae chiliastis tu tribuis, ab iis ego plane abhorreo: imo statum mundi naturalem, viatores egentes remissionis peccatorum et credentes, usum legis et evangelii, mortem nondum absorptam, etc. aeque statuit illa exegesis mea, ac disquisitio tua. Tuque, Lector, hoc quoque casu admonitus, alteram semper partem audiri oportere, memineris. Haec de Wincklero: ad rem revertimur.

Martyres, dum solutus est Satanas ex custodia mille annorum, et ultima faece terra laborat, viventes, non in terra, sed cum Christo regnant: *deinde*, adventus demum Christi gloriosus est in die novissimo: *deinde*, coelum novum, nova terra, nova Jerusalem. Quae pseudochiliasmus confundit, vera interpretatio, textui obsecuta, distinguit. Tali pacto, *millenorum annorum*, quos prophetia tantopere praedicat, assensor ego haberi longe malo, quam cum indiscretis *antichiliastis* facere, qui hoc ipso suo nomine vel literam prophetiae disertam infestant, et juxta cum errore veritatem obterunt. *Mysterium Dei* agitur. Ap. 10, 7. Id tum consummatur, quando bestia interit et Satanas ligatur. Ea consummatio magis magisque appropinquat. Eadem complectitur longe maximas res et cum gloria Dei conjunctissimas. Earum rerum cognitio indies emergit lucidior, distinctior, facilior. Extremaeque interim saevitiae diaboli occurrere, summe est necessarium. At Deo, cujus est mysterium, obloqui, ut multi faciunt: juramentum angeli, mysterium confirmantis, enervare: interpretes, digne illud tractantes, per ignorantiam (Jud. v. 10.) exagitare: gratiam apud sui similes ea exagitatione aucupari: nonne σκληρὸν *grave* tandem erit? Vicissim vero cavendum est, ne in millennium conferas, quae ipsi aeternitati

reservantur. Neque satis est, si asseras, id adhuc futurum esse: sed quale sit, sobrie quoque debet considerari. Veruntamen haec non verbosa tractatione insinuantur plerisque: spiritualis maturitas exspectanda est. — μετὰ, *post*) Elegans asyndeton, in opposito, uti v. 5. initio. — μικρὸν χρόνον, *parvum chronon*) Hic, ut vestigiis quibusdam colligitur, *dimidium* καιροῦ *temporis* aequiparat. [*Neque incipit serius, quam eorum, qui primae resurrectionis consortes erunt, millennarium regimen. Inhaerendum est prophetiae ordini. Amplissimae postremorum temporum res succincte describuntur. quas ideo non expedit leni saltu transvolari.* V. g.]

v. 4. [1]) τῶν πεπελεκισμένων) πέλεκυς, *securis*, Romanis proprie usitata in suppliciis. Confert huc Raphelius illud Polybii, μαστιγώσαντες ἅπαντας, κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς (τοῖς ῥωμαίοις) ἦθος ἐπελέκισαν. — ἔζησαν, *vixerunt*) in vitam redierunt. [*eo modo, quo reliqui mortuorum non vixerunt ante resurrectionem universalem.* V. g.] sic idem verbum, eadem vi, v. seq. et c. 2, 8. Vidit Johannes non solum redivivos, sed reviviscentes; (coll. Ez. 37, 7.) ut antea actum, non modo statum, ligati draconis. — μετὰ, *cum*) Erunt cum Christo, v. 6. et cum Deo, ibid. non Deus et Christus cum illis. Igitur id regnum erit in coelo. Conf. c. 21, 3., μετὰ, *cum*. — χίλια ἔτη, *mille annos*) Qui articulo τὰ hic a nonnullis ante χίλια perperam inserto retinentur, maximopere se impediunt. Duo millennia toto hoc loco memorantur, utrumque ter. prius est millennium *ligati Satanae*; v. 2. 3. 7. alterum, *regni sanctorum*. v. 4. 5. 6. Bis mille annorum *fundamentum ullum* cel. D. Langius se *neque in textu, neque in re ipsa, neque in nexu partium apocalypticarum, invenire* scripsit. Epicris. p. 421. Atqui alterum millennium pertingit usque ad resurrectionem omnium mortuorum; v. 5. prius, ante finem mundi exit. v. 7. seqq. Ergo prioris initium et finis est ante initium et finem alterius. Propterea uti v. 2. in prima prioris, sic v. 4. in prima alterius millennii mentione dicitur, absque articulo, χίλια ἔτη· ceteris locis τὰ χίλια ἔτη, articulo vim relativam habente, et *illos mille annos* innuente, v. 3. 5. 7. Denique χίλια ἔτη, sine articulo, dicuntur versu 6., quasi in elogio seorsum posito. Articuli omissio minus adstrictam habet rationem, quam positio. Aliud esse ligati Satanae millennium, aliud sanctorum regnantium, *multi* agnoscunt, teste Pareo in Ap. col. 1093, ubi Thomam Brightmannum et Matthaeum Cotterium innuere videtur. Plane his adsentitur Jungmannus in Observ. germ. contra Beverley p. 71. Accedunt omnes ii, qui alterum duntaxat millennium pro ipsa aeternitate habent, ut Viegas in Ap. p. 793., Nic. Collado, Corn. a Lapide, et Nic. Mulerius.

Ingentem haec annorum bis mille diversitas *usum* praebet, eundemque tantae necessitatis, quae ipsam millenniorum diversitatem evincat. *Crucem figit*, judicio eximii viri, spes meliorum temporum, *vel ipsius etiam* regni millennarii *cum perversione illa extrema et securitate damnabili ultimorum hominum conciliatio*. Una difficultati medetur distinctio temporum. Priore millennio currente implebuntur promissiones de lautissimis ecclesiae temporibus: c. 10, 7. postea, dum sancti ex prima resurrectione regnabunt cum Christo, homines in terra erunt remissi et securi. Matth. 24, 37. seqq. quo pacto locus ille insignis, Luc. 18, 8., nativam verborum vim retinet. De hac securitate, remotis jam hostibus, homines occupatura, egregium est *Hypomnema* apocalyptico Patricii Forbesii commentario subjunctum. Confusio utriusque millennii multos pridem peperit errores, et ipsum chiliasmi nomen fecit odiosum atque suspectum: distinctio utriusque millennii resolvit difficultates chiliasmo jure oppositas, et sincerae prophetiae adjuvat interpretationem. Evolvatur, quaeso, liber, *Erklärte Offenb.*

---

1) θρόνους, *thronos*] tribunalia. *V. g.*

p. 942. seqq. Quid superest, quod ipsa orthodoxia possit reprehendere? Dicant ii sententiam, quorum ex auctoritate pendent alii. Adde quod qui residua mundi tempora neque extendunt ultra Scripturae veritatem, neque decurtant, ii demum empaectis bene occurrunt.

Ultima est haec periodus in aetate mundi: quare hoc loco analysin temporum summatim repetemus, ea quidem sobrietate ac modestia, quam alibi affatim praefati sumus.

Aetas mundi, sunt	$3^{1}/_{2}$ aeones:
Aeon,	2 chroni:
Chronus, 5 καιροὶ sive tempora:	
Tempus, 2 secula prisca:	
Seculum, 7 menses prophetici:	
Mensis, 2 hebdomades Danieliticae:	
Hebdomas $7^{59}/_{63}$ anni communes:	
Annus,	$365^{97}/_{400}$ dies.

Eadem aetas mundi complectitur annos naturales $7777^{7}/_{9}$, qui sunt menses prophetici 490.

Septenarius igitur perfectus elucet, non hic dicam, in diebus naturalibus, et quidem quadratus; sed in mensibus propheticis, et quidem quadratus: in annis naturalibus, cernitur per omnes totius summae articulos expressos, a millennario usque ad monadicum, et infra. Haec TESSELLATA temporum naturalium et propheticorum, Danieliticorum et Apocalypticorum, CONFIGURATIO, veritatem debet omnibus persuadere, quorum est quidquam, in hoc genere, veritatis capere.

v. 5. ἡ πρώτη, *prima*) Primam hanc resurrectionem multi agnovere, etiam ex antiquis. *Intra mille annorum aetatem concluditur sanctorum resurrectio, pro meritis maturius vel tardius resurgentium.* Tertull. l. 3. c. Marcion. c. 24. In eandem sententiam disserit *Ambrosius* in Luc. 17, 4., sed non item lib. I. de Interpellatione, cap. 7. quare verba ejus non exscribo. Quae *Augustinus* l. 20. de Civ. Dei, c. 7. disputat, non ipsam attingunt resurrectionem corporum primam, sed errores, quibus eam nonnulli contaminaverant. Citerioribus temporibus eam resurrectionem complures denuo defenderunt, inprimis *Petrus Crugotius* in Notis ad Apoc. cap. 20. nec non Apologia pro Confessione *Remonstrantium*, p. 209.

v. 6. μακάριος, *beatus*) Magna proprietate μακάριος dicitur, qui immunis est a *morte* secunda. namque μὴ, κὴρ, etymon est, ut *immortalem* dicat. — ἐν τῇ ἀναστάσει τῇ πρώτῃ, *in resurrectione prima*) Versio Aethiopica, apud Ioannem de la Haye, *in isto die, qui praecedit adventum ejus.*

v. 7. τὰ, *illi*) *illi* tantummodo mille anni, qui Satanam vinctum habebant: nunc enim iterum de Satana agitur. Articulus ad nomen (*mille annos*) duobus antea subjectis datum ita refertur, ut ad prius subjectum pertineat. Sic plane τὸ θηρίον, *bestia illa*, cap. 13, 15., non refertur ad v. 11., sed ad v. 1. Sic 2 Sam. 23, 19. 23. τρεῖς referuntur non ad ternarium proximum, sed ad remotiorem. v. 8. seqq. — χίλια ἔτη, *mille anni*) Triplex millennii prioris expressio (cui triplex alterius millennii mentio concinne respondet,) non obscure triplicem facit oppositionem, ad *Non-chronum* (qui versatur inter annos $1111^{1}/_{9}$ et $999^{9}/_{9}$ sive 1000.) ad *paucum tempus* (ann. $888^{8}/_{9}$) et ad *tempus* 1. 2. $^{1}/_{2}$ (ann. $777^{7}/_{9}$.) nam *tres* eas periodos, quas draco praecipue tristes fecit, continuo excipiunt laeti mille anni, dum draco vinctus est, *ter* expressi. — λυθήσεται ἐκ τῆς φυλακῆς) Locutio concisa: id est, *solvetur* a catena, et emittetur *ex custodia sua.*

Digitized by Google

v. 8. τὸν γὼγ καὶ μαγὼγ) *Magog*, Japheti filius, pater nationum septentrionalium, orientem versus. Earum gentium princeps, *Gog* dicitur apud Ez. cap. 38, 2., et h. l. Princeps et populus inimicissimus, fortasse minus boni, quam ceteri, ipsi tum minus mali, quam post πλάνην novam. Arctissimam principis et populi conjunctionem indicat unus τὸν articulus, et paronomasia, *Gog* et *Magog*. Utrumque significat *Celsum*, *Elatum*, ut *Hillerus* docet in Onomastico. Itaque *Magog* ut nomen proprium ponitur: *Gog* autem, grandis syllaba, per aphaeresin inde relicta, per antonomasian videtur proprii nominis tenere locum, dum ferox ille tot gentium sub Satana ductor suo olim nomine appareat. Non abhorrebat Hieronymus in Ez. 38. *Ros* ut nomen proprium accipere, si ei nomen talis gentis (Russorum) notum fuisset. Conf. Hist. univ. Vol. I. p. 257. — συναγαγεῖν, *congregare*) Non dicitur, *seducere et congregare*, sed, *seducere ut congregandum*. seductionis finis est *congregatio*. — αὐτοὺς, *eos*) Alias Apocalypsis ducem prae copiis spectat, c. 12, 7., sed de Gogo principe nil seorsum a Magog, quae ejus sunt copiae, recenset, partim quia de eo satis erat dictum apud Ezechielem, partim quia Gog praeter conatum nil agit, et in suo interitu miscetur ipsi turbae, uti reges in cap. 19, 21. not.

v. 9. τὴν πόλιν τὴν ἠγαπημένην) Πόλις ἠγαπημένη dicitur Jerusalem, Sir. 24, 11. At hic ea et *castrorum* et *urbis* nomine venit. ἓν διὰ δυοῖν. Opposita, μεμισημένος, c. 18, 2. et ἠγαπημένος. et hoc tamen loco securitas urbis non plane innoxia videtur notari, uti Deut. 32, 15. Graece est, ἀπελάκτισεν ὁ ἠγαπημένος.

v. 10. καὶ βασανισθήσονται) Hoc καὶ male omittunt recentiores Latini: et inde construunt sic, *ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur*; quasi diabolus ipse non sit cruciandus. Eo magis defendendus est hoc loco textus sincerus, ne obliteretur bestiae et pseudoprophetae conjectio in stagnum ignis ante diabolum, quam particula καὶ necessario infert. [*Hic demum Satanae poena inchoat. Ad istum usque terminum libere peccare pergit, si custodiam millenariam exceperis, qua interrumpitur pessima praxis.* V. g.]

v. 11. καὶ, *et*) Hactenus descripta sunt, quae inter diem visionis Johannene et inter diem novissimum fieri debent. Hoc igitur loco juvat inserere *Synopsin temporum*, quae complectitur prophetia.

TABULA CAPITUM APOCALYPTICORUM CHRONOLOGICA.

A. M.

3940 ineunte: JESU Christi Nativitas.
3943. Annus 1 Aerae Dionysianae.
A. D. 30. Jesus Christus patitur: moritur: resurgit: *stricturas* praebet Apocalypticas, Joh. 21, 22. 23. Act. 1, 7. et ascendit in coelum.
96. *Apocalypsis* datur: Adventus Domini denunciatur septem ecclesiis in Asia et earum angelis. Apoc. 1. 2. 3.
97. 98. Septem *sigilla* aperiuntur, et sub quinto *Chronus* promulgatur. cap. 4—6. Septem Angelis tubae septem dantur. cap. 7. 8.

Sec. 2. 3. 4. 5.	Tuba angeli 1. 2. 3. 4.	Cap. 8.
A. 510—589.	Vae primum.	Cap. 9.
589—634.	Intervallum post vae primum.	
634—840.	Vae secundum.	Cap. 9.
800—1836.	Non-chronus: reges multi.	Cap. 10. 11.
840—947.	Intervallum post vae secundum.	Cap. 11, 14.
864—1521.	Dies 1260 mulieris, postquam filium masculum peperererat.	Cap. 12, 6.
947—1836.	Vae tertium.	Cap. 12, 12.
1058—1836.	Tempus, tempora, dimidium temporis: et, intra eam periodum, Bestia, ejusque menses 42 et numerus 666.	Cap. 12, 14. 13, 5.

Digitized by Google

1209.	Bellum cum sanctis, finis Chroni.	Cap. 13, 7.
1614.	Evangelium aeternum.	Cap. 14, 6.
1810.	Finis 42 mensium bestiae, quibus elapsis, et septem phialis effusis, illa non est, et Babylon sedet regina.	Cap. 15. seqq.
1832.	Bestia ex abysso.	Cap. 17. 18.
1836.	Finis Non-chroni et regum multorum: consummatio sermonum Dei et mysterii Dei: resipiscentia superstitum in magna urbe. Finis pauci temporis, et $3^1/_2$ temporum. Interitus bestiae: captivitas Satanae.	Cap. 19. 20.
Postea:	Solutio Satanae ad parvum Chronon: millennium regni sanctorum incipiens: finis parvi Chroni.	Cap. 20.
Finis mundi. nova omnia:		Cap. 20—22.

Qua conditione annos in hac tabula determinatos putari velim, passim declaro. Quare omnes oro, *ne a me quidquam adversus veram sobrietatem admissum existiment*, sed ut, quod commode offertur, dextre accipiant. Interim ad ductum Apocalypseos secula ab Johanne in Patmo ad nostram usque aetatem non incommode his characteribus distinxeris:

Sec. 2.	Bustum Judaismi.	Apoc. 8, 7.
3.	Barbarorum incursus.	8.
4.	*Arianum*: Ariana amaritudo.	10.
5.	Imperium Romae pessundatum.	12.
6.	Synagoga discruciata.	9, 1.
7.	Saracenicus equitatus.	13.
8.	*Iconoclasticum*: Reges multi.	10, 11.
9.	*Photianum*: sed et Pastor gentium natus.	12, 5.
10.	*Infelix*: Vae tertium.	12.
11.	*Hildebrandinum*: Bestiae ortus ex mari.	13, 1.
12.	*Waldense*: Potestas data bestiae.	5.
13.	*Scholasticum*: Bellum cum sanctis.	7.
14.	*Wiclefianum*: Medium vae tertii.	ll. cc.
15.	*Synodale*: Medius bestiae vigor.	
16.	*Reformatum*: Mulier in eremo lautius nutrita.	
17.	Evangelium aeternum.	14, 6.
18.	Bestiae et imaginis ejus adoratio.	9.

— ἔφυγεν, *fugit*) Hic est *dies*, ille, magnus, Hebr. 10, 25., *fugientis terrae coelique*; adeoque *ultimus*, resurrectionis et judicii. v. 12. seqq. Joh. 6, 39. 12, 48. Filio datum est omne judicium. Joh. 5. Act. 17.

v. 12. ἑστῶτας, *stantes*) Mirabilis est *parvulorum statio*, ex quibus pars longe maxima generis humani constat. [1])

CAPUT XXI.

v. 1. Οὐρανὸν καινὸν κτλ.] *Coeli et terrae* nomen tuetur *coelum novum* et *terra nova* prae pristinis: ideo substantiva in priore duntaxat colo praecedunt; et sequitur, *nam primum coelum et prima terra* etc. Non lautam novissimi temporis ecclesiam, sed plane nova omnia et perfecta in aeternum, describit Johannes hoc loco. Augustinus: *In hoc quidem libro obscura multa dicuntur: verum in his verbis, ubi ait*, Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors jam non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, *tanta luce dicta sunt de seculo futuro et immortalitate atque aeternitate sanctorum: tunc enim solum atque ibi solum ista non erunt: ut nulla debeamus in literis sacris quaerere vel legere manifesta, si haec putaverimus obscura*. lib. XX. de Civ. Dei, c. 17. — παρῆλθε] At v. 4., ἀπῆλθον, uti cap. 9, 12. *Abire* amplius

1) κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν, *secundum opera eorum*] Nihil tum in lucem non proferetur. Bona fac facias, non mala. *V. g.*

Digitized by Google

quiddam sonat, quam *praeterire*. mors, luctus, clamor, dolor plane *abeunt*: prius coelum et prior terra *praetereunt*, coelo novo et terrae novae cedentes.

v. 2. ἱερουσαλὴμ) Non temere Johannes in evangelio omnibus locis scribit ἱεροσόλυμα, de urbe veteri: in Apocalypsi, semper, ἱερουσαλὴμ, de urbe coelesti. ἱερουσαλὴμ est appellatio Hebraica, originaria et sanctior: ἱεροσόλυμα, deinceps obvia, Graeca, magis politica. Idem discrimen tenet Paulus, Judaismum refutans, Gal. 4, 26. (coll. ibid. c. 1, 17. s. 2, 1.) Hebr. 12, 22. tametsi alias promiscue loquitur, et ad Romanos Corinthiosque, σεμνότητος et favoris causa, ἱερουσαλὴμ dicit. — εἶδον, *vidi*) Haud recte *Johannis*-nomen recentiores hoc versu inculcarunt. Initium erat pericopae ecclesiasticae: sed textus ipse coelum novum, terram novam, Jerusalem novam, arctissime connectit. Non est millennii urbs nova, ut cel. D. Langius, non solus, censet: comm. apoc. f. 241. seq. sed novitatis perfectae, atque aeternitatis, ut ostendit series visionum, descriptionis magnificentia, et oppositio ad mortem secundam. cap. 20, 11. 12. 21, 1. 2. 5. 8. 9. 22, 5. — καταβαίνουσαν, *descendentem*) Accipi hoc potest, in *visione*, de actu descendendi: in re ipsa, citra actum illum, de statu συγκαταβάσεως divinae ad homines. Saepe enim in *Topographiis* verba, quae *motum* sonant, *conditionem* significant, et in his ipsum verbum *descendendi*. Ps. 104, 8. Jos. 15, 3. 10. etc. Tota civitas est continens et contentum: quatenus ea incolas continet, *descendit*.

v. 3. ἰδοὺ) Non necesse est, subaudire ἐστὶ verbum: *ecce tabernaculum Dei* est *cum hominibus*. nam ἰδοὺ etiam per se rem demonstrat, v. gr. cap. 19, 11. et passim. — [1]) μετ' αὐτῶν) *cum eis, in terris*, habet, Idacii Clari nomine, *Vigilius Thapsensis*. *Ex coelo a Deo* descendentem urbem vidit Johannes: sed non addit, *in terram*.

v. 5. καινὰ πάντα ποιῶ) Antiquior lectio, καινὰ ποιῶ πάντα· et καινὰ ποιῶ uni verbo חַדֵּשׁ respondet, non intersecandum. Hoc est verbum non jussionis, sed promulgationis.

v. 6. τὸ ἄλφα καὶ τὸ Ω, ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος) Gloriosa Dei appellatio. Prius incisum declaratur per alterum.

[2]) v. 8. τοῖς) Dativus Hebraicum ל exprimit: id est, *quod attinet* ad formidolosos etc. Ita mox cohaeret αὐτῶν, *eorum*. — [3]) φαρμακοῖς, *veneficis*) φάρμακον, medium vocabulum est; saepe autem cum derivatis adhibetur de medicina noxia, veneficio, quod se saepe hominibus salubre jumentisque venditat, sed vel per se, vel etiam adjuncto expresso foedere aut coeco cum daemoniis commercio, pestilentissimum est. Hinc *idololatriae* jungitur Gal. 5, 20.

v. 11. ὁ φωστὴρ) Hesychius, φωστὴρ, θυρίς. Es. 54, 12. שמשתיך LXX, τὰς ἐπάλξεις σου, plurali numero. Sed ὁ φωστὴρ in singulari (coll. Gen. 6, 16.) dicit in aedificio partem patulam, vel pellucidam, qua lumen solis (שמש) permeat, ut sunt fenestrae vel spatia inter (ἐπάλξεις) pinnas moenium. vel, φωστὴρ est λύχνος. v. 23. φωστὴρ non componitur ex φῶς et τηρῶ, sed est derivatum.

v. 12. ἔχουσα) De casu recto vid. Apparat. p. 778. — τεῖχος — πυλῶνας, *murum — portas*) Chiasmus inversus, coll. v. hoc et seq. et v. 14. — ἐπὶ) Hic dicuntur ἐπὶ πυλῶσιν ὀνόματα. at Ez. 48, 31. αἱ πύλαι ἐπ' ὀνόμασι τῶν φυλῶν τοῦ ἰσραὴλ. ἐπὶ (עַל) variam vim habet; non solum superiorem locum dicit.

[4]) v. 16. ἐπὶ σταδίων δώδεκα χιλιάδων) Sic *Latinus* legit. habet enim, per

---

1) λαὸς αὐτοῦ — θεὸς αὐτῶν, *populus Ejus — DEUS eorum*] Beatissimus terminus! *V. g.*

2) v. 6. 7. διψῶντι — ὁ νικῶν, *sitienti — vincens*] Duplex hominum; donorum duplex genus. *V. g.* — τῆς ζωῆς, *vitae*] Mors jam nulla restat. v. 8. *V. g.*

3) δὲ, *vero*] Idem antitheton v. 27. c. 22, 15. *V. g.*

4) v. 14. θεμελίους, *fundamenta*] alio juxta alium posito. *V. g.* — ἀποστόλων, *apostolorum*] Huc pertigerunt v. gr. qui in lacu Genezareth piscatum exercuerant. *V. g.*

Digitized by Google

stadia duodecim millia. quodsi ἐπὶ σταδίους δώδεκα χιλιάδων, legisset, interpretari habuerat, *per stadia, duodecim millium*. Stupenda magnitudo! Alexandria XXX stadiorum longitudinem, non minus X stadiorum latitudinem habuisse dicitur apud Josephum. Hierosolymorum circuitus apud eundem XXXIII stadiis; Thebarum, apud Dicaearchum, XLIII stadiis; Ninives, apud Diodorum Siculum, CCCC stadiis definitur. Babylonem Herodotus libro I. ait habuisse in quolibet latere CXX stadia; in circuitu CCCCLXXX stadia: murumque fuisse L cubitos crassum, CC cubitos altum. Quicquid urbium mundus habet, viculi sunt ad novam Jerusalem. ἐπὶ habet hoc loco vim distributivam, ut in tacticis, ἐφ' ἑνὸς, ἐπὶ τεττάρων, ἐπ' ὀκτὼ, *singuli, quaterni, octoni*. vide *Budaei* comm. linguae Gr. col. 881. Itaque ἐπὶ hoc versu, non sequenti, adhibetur, et significat, 12,000 stadia [i. e. *plus ducentis quinquaginta ad minimum milliaria germanica*, V. g.] singulorum esse laterum urbis, non totius circuitûs.

v. 17. καὶ ἐμέτρησε τὸ τεῖχος αὐτῆς, ἑκατὸν τεσσαράκοντα τεσσάρων μέτρον ἀνθρώπου ὅ ἐστιν ἀγγέλου) Post ἑκατὸν τεσσαράκοντα τεσσάρων plerique addidere πηχῶν· sed antiquum testem non unum hoc vocabulo carere, ostendimus in *Apparatu*, cujus Ed. II. vid. ad h. l. Non *muros*, sed unius *muri* mensuras notari, certum est: ac possent subaudiri etiam *calami*. Stadia 12,000 exhibent urbis altitudinem quoque: 144 sive calami sive cubiti, dant muri altitudinem, altitudine urbis non multo minorem, vel ei potius parem. Etenim altitudo proprie spectatur in muris, ut vel poëtarum Graecorum Latinorumque epitheta comprobant. Stadia 12,000, quippe absolute dicta, erant humana: 144 sive cubiti sive calami, non erant humani, sed angelico-humani, humanis multo majores. Sive calami 144 sive cubiti erant, eandem muri altitudinem collatio 12,000 stadiorum exhibet. Sed tamen ut calamos potius accipiamus, magna ratio suadet. Nam quot cubitos habeat calamus, non indicatur: possetque habere quatuor cubitos, quia staturam *hominis* quatuor cubiti *metiuntur*; vel sex cubitos, uti Ez. 40, 5. Ergo si cubitorum 144 esset murus, nesciretur, quot idem calamorum esset; adeoque *calamus aureus*, qui *mensura* dicitur, ignota, id est, nulla revera esset mensura. Plane calamum centies quadragies quater admovente angelo, muri noscebatur altitudo. Apud Ezechielem, in simili argumento, et per ellipsin notatur saepius *mensura calami*, et aliquando, cap. 42, 17., perinde ut hic in Apocalypsi, Graeci intrusere πήχεις. Vid. Joh. Meyer de ultimis Ezech. pag. 26. seqq. Saepe Hebraei adjectivum numerale et substantivum plurali et singulari numero construunt, v. gr. ואַרבּעת אלפים מדה Ez. 48, 30. 33. Et sic Johannes, ἑκατὸν τεσσαράκοντα τεσσάρων μέτρον. Angelum mensorem Johannes ἀνθρωποειδῶς ἐθεώρησε, *humana specie vidit*, ut Andreas Caesareensis loquitur. itaque *illa pertica*, inquit Grotius, *tanta erat, quanta erat statura formae humanae, in qua angelus apparebat, ac proinde ad eum modum etiam cubiti*. Clausulam de *cubitis* compendifacere Grotius poterat.

v. 18. ἡ ἐνδόμησις) Hesychius, δώμησις (nam ω et η scribitur) οἰκοδομή. Ergo ipsa hic muri structura est jaspis, ut vulgo lapides. ἐν in composito hocce valet *penitus*.

v. 19. κεκοσμημένοι, *ornati*) id est, structi et ornati. nam ipsa fundamenta sunt gemmae; ut ipsae portae, *margaritae*. De *Adamante* vid. *Hilleri* Syntagm. p. 35. seq. Sermo concisus, ut apud Vitruvium l. 10. c. 20., *pluteum, turriculae similitudine ornatum*. Herodotus lib. 1. de Babylone, ἐκεκόσμητο δὲ ὡς οὐδὲν ἄλλο πόλισμα, ubi *ornatum* urbis appellat fossam, murum, portas.

v. 20. σάρδιος) σάρδιον [1]) probatissimi habent codices h. l. et LXX et Epiphanius. Conferatur hoc ad Hilleri Syntagmata, p. 86.

---

1) *Hinc, posthabita crisi* Ed. maj., σάρδιον *praefertur in margine* Ed. 2. E. B.

d by Google

v. 24. τὰ ἔθνη) τῶν σωζομένων adjecit *Erasmus*, et innumeri editores, cum videlicet sine ulteriore examine secuti. Erasmus si hodie viveret, Andreae commentarium, quem pro textu arripuit, protinus, opinor, expungeret. Idem, et alii, qui primo recensuere N. T. Graecum, si copias his duobus seculis collectas, cum ea paucitate, qua ipsi conflictabantur quondam, compararent, veritati lubentes cederent, et cupidissimum quemque lectionis ab ipsis tam aegre interdum constitutae defensorem ad sese in meliora vel sequendos vel ducendos hortarentur. — διὰ) Respondet praefixo ב Es. 60, 3. Apud LXX est τῷ φωτὶ sine praepositione. — φέρουσι) Praesens, post futurum περιπατήσουσι, vim futuri habet, coll. v. 26.

v. 27. [1]) ποιῶν) Alii, ὁ ποιῶν. Sed articulus abest etiam c. 22, 15. πᾶς ποιῶν· et hîc quoque πᾶς subaudiri potest e proximo πᾶν. — ψεῦδος) ἐργαζόμενοι ψεῦδος, Sir. 51, 4.

CAPUT XXII.

v. 1. Ποταμὸν) Vid. App. Ed. II. In mentione vestitus, καθαρὸν λαμπρόν junctim dicit Apocalypsis non semel; ceteris in locis, vel καθαρὸν seorsum, vel seorsum λαμπρὸν, uti hoc loco pars testium longe ponderosissima.

v. 2. ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν) ἔνθεν καὶ ἔνθεν Ez. 47, 7. 12. adverbialiter: sed hoc loco ἐντεῦθεν, ut alias ἐνταῦθα, praepositio est. — ἀποδιδοῦν) pro ἀποδιδόν, ut διδόω, pro δίδωμι. — εἰς θεραπείαν) לִתְרוּפָה Ez. 47, 12., ubi LXX, εἰς ὑγείαν. θεραπεία inchoativum aliquem significatum involvit: nec tamen morbidum quidquam erit. Conf. ibid. v. 9. Hinc possit expediri difficultas quaestionis de salute gentium.

v. 3. κατάθεμα) Sic *Comp.* cum aliis *Antverpiae Generaeque* excusis editionibus cumque mss. fere omnibus. Vid. App. Ed. II. — ἐν αὐτῇ, *in ea*) Possit hoc referri ad *plateam*, coll. Job. 29, 7., ἐν δὲ πλατείαις ἐτίθετό μου ὁ δίφρος. Sed refertur ad ipsam urbem, uti v. 2. αὐτῆς, *ejus*: quanquam revera in conspicuo maxime urbis loco erit thronus. — αὐτοῦ, *ejus*) Ubi et *Dei* et *Agni* fit mentio, subsequens relativum αὐτοῦ *ejus* refertur vel ad *Agnum*, cap. 6, 17. item cap. 1, 1. 20, 6. quia his locis *Agno* adscribitur; *ira*, *revelatio*, *regnum*: vel ad *Deum*, h. l. quia *thronus* saepius *Deo* adscribitur qua ex causa etiam cap. 11, 15. verbum βασιλεύσει *regnabit* ad *Dominum* refertur. Non dicitur ibi, *regnabunt*, neque usquam dicitur, αὐτῶν *eorum*, in plurali, ob intimam unitatem. Sub mentione *Agni* innuitur etiam *Deus*: sub mentione *Dei* innuitur etiam *Agnus*.

v. 5. ἐπ' αὐτοὺς) ἐπ' omittitur a plerisque quos tuetur Wolfius, conferens praecipue locum c. 21, 23. Sed differunt loca. *civitatem* illuminat gloria Dei: *super cives* lumen fundit Dominus Deus. Sic dicitur להאיר על הארץ Gen. 1, 15. Antiquitas testium ἐπὶ particulam defendit.

v. 6. καὶ, *et*) Mira est interpretum dissensio de sermonibus in hoc epilogo distribuendis. Loquitur autem, si cui nostra distributio placet,

angelus, v. 6.
Jesus, v. 7.
Johannes, de facto suo et de angeli correctione, v. 8. 9.

Rursum, eodem ordine,

angelus, v. 10. 11.
Jesus, v. 12—17.
Johannes, v. 18. 19.
Johannes, et Jesus, iterumque Johannes, v. 20. 21.

---

1) καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃ, *et non intrabit*] Inde quilibet, intraturus sit nec ne, colligere potest. *V. g.*

Digitized by Google

— πιστοὶ καὶ ἀληθινοὶ, *certi et veri*) Firma fide, nec non digna interpretatione, suscipiendi. Confirmata fuit veritas horum verborum, speciatim, de nuptiis Agni, c. 19, 9. deque novitate universi: c. 21, 5. nunc generatim, ut in epilogo, veritas verborum confirmatur totius libri: eaque sibi constat, etiam ubi multi credere recusant. Vae autem iis, qui prae hac veritate mendacium amant, v. 15., ac veritatem, praesertim eam ipsam, quae inter has confirmationes interjacet, c. 20, 1. seqq. pro mendacio traducunt. — ὁ θεὸς τῶν πνευμάτων τῶν προφητῶν, *Deus spirituum prophetarum*) Unus est spiritus, quo acti loquebantur prophetae: 1 Petr. 1, 11. 2 Petr. 1, 21. singuli autem, pro mensura ipsis data, suos habebant spiritus. horum spirituum Deus est DOMINUS, v. gr. Deus Davidis, Deus Danielis. Idemque misit angelum suum, ut Johanni nunc eorum, quae per veteres illos prophetas praedicta erant, complementum in proximo ostenderetur.

1) v. 8. καὶ ἐγὼ, *et ego*) Dionysius Alexandrinus hoc quoque construxit cum μακάριος, *beatus*. v. 7. Subaudiendum potius εἰμὶ, *sum*.

2) v. 9. ὅρα μή. σύνδουλός σου εἰμὶ) Post σοῦ, γὰρ inseruere *Latini* recentiores et *Erasmus*. Sed pulcre animadvertit Wolfius, *omnem hanc angeli orationem concisam esse et ellipticam, qualis esse consuevit illorum, qui aliquid graviter aversantur*. Simillimum exemplum γὰρ omissi, extat Act. 14, 15.

v. 10. καὶ λέγει μοι, *et dicit mihi*) Idem est angelus, cujus sermones versu 9. et 10. referuntur: et tamen formula, *et dicit mihi*, interponitur, quia angelus sermonem versu 6. memoratum, post interpellationes versu 7. 8. 9. factas, *denuo* prosequitur. Conf. *et dicit mihi*, cap. 17, 15. 19, 9. — μὴ σφραγίσῃς, *noli obsignare*) Obsignantium similes sunt, quibus consultum videtur, locupletiorem hujus prophetiae tractationem sub speciosis praetextibus inhibere.

v. 11. ῥυπαρευθήτω) *Erasmus*, Graeca ex Latinis hoc loco sarciens ῥυπωσάτω fecit, a ῥυπόω. ῥυπάω, non ῥυπόω, neutrum esse, dixi in Apparatu: verebatur autem Wolfius, *ut probari posset*, ῥυπάω tantummodo neutrum esse. Erat viri doctissimi, *affirmationem* suam de ῥυπόω etiam neutro exemplis tueri. Dantur quidem neutra in οω, δολιόω, μεσόω, σκηνόω· sed ubi ex uno themate duo verba formantur, persaepe forma in οω activa, in εω vel αω neutra est, ut χαρπόω, εὐχαρπέω· ἀντιστατέω, ἀναστατόω· ἀσθενέω, ἀσθενόω· κρατερέω, κρατερόω· sic ῥυπάω, ῥυπόω. Certe apud Aristophanem, Wolfio citatum, neutra sunt (praeter ῥυπῶν, quod per se ambiguum est,) ῥυπῶντα, ἐῤῥύπων, non ῥυποῦντα, ἐῤῥύπουν. Sed fac, ῥυποῦν etiam neutrum esse, verbum ῥυπαρεύομαι, etiamsi alibi non extet, tamen analogia πονηρεύομαι, σοβαρεύομαι, ψυχρεύομαι, quae item rara sunt verba, et quod caput est, mss. omnes defendunt. — δικαιοσύνην ποιησάτω, *justitiam facito*) Sic, ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην, *qui facit justitiam*. 1 Joh. 2, 29. 3, 7. — ὁ ἅγιος, *sanctus*) et purus, fugiens *sordida* et profana omnia, contra ac faciunt canes et porci.

v. 13. ἐγὼ τὸ ἄλφα καὶ τὸ Ω, πρῶτος καὶ ἔσχατος, ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος. *Ego Alpha et O, Primus et Ultimus, Principium et Finis*) Vid. App. crit Ed. II. ad h. l. Aperte hoc loco Dominus Jesus loquitur: et tria sunt incisa, quorum primum expendimus in Cap. 1, 8., ubi Pater de se loquitur: secundum consideravimus in Cap. 1, 17., ubi Dominus Jesus de se loquitur: tertium, juxta cum primo, attigimus in Cap. 21, 6., ubi rursus Pater loquitur. Nunc, in praesenti loco, tria incisa cumulantur, luculentissimo gloriae Domini Jesu documento; qui et ea, quae Pater de se dixerat Cap. 21, 6., et ea, quae Ipse de se dixerat Cap. 1, 17., de se testatur. Num autem una eademque sententia tripliciter est

1) ἀπέστειλε, *misit*] Cum introitu libri exacte conspirat conclusio. *V. g.*

2) ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν, *coram pedibus*] Angelum prius Johannes adorare voluerat, c. 19, 10.: jam nonnisi *ad pedes ejus* adorare (DEUM) parat. At ne hoc quidem permittit angelus. *V. g.*

ed by Google

expressa? Imo plus quiddam subest. A *et* Ω est quasi basis earum, quas modo notavimus, appellationum Dei et Christi, et habet vim quandam generalem et quasi hieroglyphicam, per alias appellationes supervenientes determinandam. Haec primum a Patre dicitur cap. 1, 8. eique respondet altera, qua Christus se dicit *primum et ultimum*, c. 1, 17. *Praestantissimum et abjectissimum* interpretatur Artemonius, praeclare a Wolfio refutatus. *Eum* interpretatur Ipse per Esajam, *ante quem et post quem non est alter* salutis auctor Deus. Haec in principio libri. In exitu Is qui in throno sedet, ait, *Ego sum* A et Ω, et ipse declarat, *Principium et Finis*. c. 21, 6. Tum Dominus Jesus, *Ego* A *et* Ω. Idemque declarationem addit, sed duplicem. nam et iterat suum illud, *primus et ultimus*, et nunc, quum *Dei et Agni* thronus in nova Jerusalem est, illud, quod Pater dixerat, de se loquens subjungit, *principium et finis*. Sine articulo dicitur, πρῶτος καὶ ἔσχατος, in primariis quidem codicibus; cum articulo autem, uti τὸ Α καὶ τὸ Ω, sic ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος. id quod gradationis cujusdam indicium est notabile.

v. 14. αὐτοῦ, *ejus*) ejus, qui venit. v. 12. Ipse de se loquitur. Simillima phrasis, c. 5, 10. *eos*, id est, *nos*. — ἵνα ἔσται) ἵνα declarat *beatitudinem* hic memoratam, uti c. 14, 13.; et ἔσται pro ἦ sermonem facit valde emphaticum. — τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, *lignum vitae*) De quo qui edunt, in aeternum vivunt. Gen. 3, 22.

[1]) v. 15. φιλῶν ψεῦδος) Bona mens veritatem amat, mala mendacium. Accommodari huc quodammodo possit illud Aristotelis, τοῦτ' ἔστιν ἡ κατ' ἀλήθειαν εὐφυΐα, τὸ δύνασθαι καλῶς ἐλέσθαι τ' αληθὲς καὶ φυγεῖν τὸ ψεῦδος· ὅπερ οἱ πονηρότες εὖ, δύνανται ποεῖν εὖ· οἱ γὰρ φιλοῦντες καὶ μισοῦντες τὸ προσφερόμενον εἰς κρίνουσι τὸ βέλτιστον. lib. VIII. Topic. cap. 14. Transferatur hoc ad spiritualia. Bonae indolis est, amare verum, odisse falsum: malae indolis, odisse verum, *amare falsum*. Tales nos quidem omnes sumus natura: sed alius verum admittit, alius surdae aspidis aemulus manet. Psalm. 58, 4. s. Hinc aversus multorum a canora veritate, apocalyptica praesertim, auditus. Perspicua sunt quae proponuntur ex verbis ipsis et ex parallelismo; sed σωφροσύνη adhibenda.

v. 16. ταῖς ἐκκλησίαις) Lectio genuina, cui non perceptae alius ἐν, alius ἐπὶ praefixit. Utramvis particulam, si initio scripta fuisset, librarii non tam facile aut commutassent aut omisissent. Distinguuntur tamen, ut Wolfius bene monet, ii, quos particula *vos* innuit, ab ecclesiis. nam ὑμῖν est dativus, et ταῖς ἐκκλησίαις casus sextus, uti c. 8, 3. 4. Ecclesiae septem in Asia cunctae sunt testes in singulas ecclesias, et hae in singulos ipsarum angelos atque auditores. — ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς ὁ πρωϊνὸς) Non dicit, ἑωσφόρος, neque φωσφόρος, sed, nova appellatione, ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς ὁ πρωϊνός. Id vim significationis valde auget.

v. 17. λέγουσα, *dicens*) Referri potest etiam ad τὸ πνεῦμα, per Hebraismum, quia רוח est feminini generis.

[2]) v. 18. μαρτυρῶ ἐγὼ) Vid. Appar. ad h. l. Severissima est versu 18. et 19. testificatio, gravissima admonitio, ad omnes Apocalypseos *auditores*. Qui *apposuerit*, super eum *imponentur* plagae: qui *ademerit*, ei *adimentur* bona. Talio. Gravius est, ut ex adjectis comminationibus patet, addere, quam demere, secus ac plerique critici, se existimare, re ipsa demonstrant, timidiores in delendis glossematis, quam in admittendis. Mutare est simul et apponere et adimere. Peccare in hanc partem potest primum *auditor* quilibet, quum pro

---

1) τοῖς πυλῶσιν, *per portas*] potestate videlicet legitima praediti. *V. g.*

2) Ἔρχου, *Veni*] In eo quidem cardo rei vertitur, ut fidenter atque cum gaudio et audire queas τὸ *Venio*, et τὸ *Veni* regerere. Quodsi nondum hoc adeptus fueris; ut consequaris, cura. *V. g.* — ὁ ἀκούων, *audiens*] Spiritum et sponsam dicentes, *Veni*. *V. g.*

Digitized by Google

apocalypticis venditat, quae talia non sunt, vel ea, quae vere apocalyptica sunt, supprimit. Peccat *tractator* imperitus, coecus et temerarius, maxime si se singulari quodam dono et munere prophetico instructum perhibet. Peccat vehementer *metaphrastes* infidelis, ac *librarius*, textum perperam describens. nam indelibato textu, praesertim in fonte, tractatoris et auditoris peccatum corrigi potest: corrupto textu, multo majus detrimentum est. Omnibus tamen hisce modis, plus minusve peccari potest, impedimento fidelibus allato, quo minus discant audire Domini *Venio*, et respondere *Veni*, adeoque veritatem fructumque libri totius singularumve partium et particularum percipere, et gloriam J. C. agnoscere. v. 17. 20. Neque levis eorum culpa est, qui mysteria perverse, sinistre, intempestive proferunt, invidiamque et suspicionem regno Dei apud mundum ejusque proceres pariunt. Non damnatur hic conatus modestus, cum voluntate proficiendi conjunctus, veritati aliunde exorienti viam non obstruens; damnatur profana audacia, ex sensu carnali proveniens. Maximeque Cerinthum, qui postea in hanc censuram incurrit, Johannes praemonuit. Convenit haec clausula in omnes Scripturae sacrae libros, coll. Deut. 4, 2. Prov. 30, 6. sed maxime in Apocalypsin, prophetiae apicem, cui singulare imminebat periculum, et cujus subtilem admirabilemque nexum vel unius voculae mutatio turbare vel obscurare poterat. Magni momenti sunt singulae partes hujus libri, tam gravi interdicto muniti. Non semper omnes religiose in hac parte egisse, singularis in Apocalypsi varietatum multitudo clamat. [*In hoc interdicto, de non addendo aut demendo, XXIV varietates a librariis admissas notavi.* Not. crit.] Gratia Deo, qui vestigia nobis indaginesque sincerae lectionis per tot seculorum discrimina servavit! — ἐάν τις ἐπιθῇ κτλ. *si quis addat*) *Addere*, cel. D. Langio interprete, est ea, quae impleta sunt, differre: *detrahere*, futura pro impletis habere. Comm. Apoc. f. 250. Videat alius, ne addat: ego caveo, ne detraham.

v. 19. ἀπὸ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς καὶ τῆς πόλεως τῆς ἁγίας, τῶν γεγραμμένων κτλ.] Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l. Ipsum *lignum vitae*, et ipsa *urbs sancta*, sunt primum et extremum, (c. 2. 3. 22.) imo etiam summa, *egregiarum illarum praerogativarum, quarum in hoc libro spes facta est fidelibus.*

[1]) v. 21. πάντων] Addunt aliqui, ὑμῶν, et ἀμήν. *Ultimam vocem* ἀμήν, *quae in codicibus manu exaratis plerisque, et editis omnibus legitur*, omitti recusat Wolfius. Quam impigri fuerint librarii ad *Amen* particulam, usitatissimam quippe, in Doxologiis et Clausulis votivis inculcandam, patet ex plerisque omnibus Novi Testamenti libris, in extremo et ex annot. Wolfii ad Ap. 1, 18., ubi ἀμὴν inepte interposuere librarii fere omnes. Unus librarius eam omittens pluris est, quam decem, eam, ut libet, addentes. Vid. App. crit. Ed. II. ad h. l.; [*ubi, quae cel.* Wolfii *ad b.* Bengelium *relatio fuerit, pluribus distincte exponitur.*] — Nunc si quis talem textum v. gr. Apocalypticum, qualem plerique amant hodie, penitus describat, lectionem plenam, planam, parallelismo tinctam, id est, interpolatam, et ex paucissimis recentissimisque testibus fere ubique conflatam habebit, quae, ad editiones collata, non multum abeat a textu per Henr. Stephanum et Elzevirios propagato. Mea recensio, in margine quidem, majore item testium numero destituitur interdum; sed hoc iis fit in locis, quae a patribus minus saepe citabantur: nec tamen idoneis testibus caret, quorum *antiquitas*, cum rationibus exegeticis ipsi textui innatis, numerum compensat. Talibus locis exceptis, (namque per exceptionem aliquantisper tractanda sunt,) textus meus perpetuo tenore ad monumenta longe plurima, a temporibus Johannis in omnes

---

1) v. 20. ἔρχομαι ταχὺ, *venio cito*] Sic Jesus ait: Johannes, *Veni*, ait et post et ante. Uno hoc momento coincidunt. Sic Ps. 27. 8.: *Dicit cor meum; (quaerite vultum meum:) vultum tuum quaero. V. g.*

Google

aetates et regiones dilata, sive Graecos codices, sive versiones, maxime, *Italam* illam, sive patres, *Irenaeum, Hippolytum, Origenem, Athanasium, Andream, Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Primasium* etc. spectes, accedit: nulli editioni, Complutensium, Erasmi, Bezae, Stephanorum, Elzeviriorum, unice addicta, et tamen raro ad solos codd. mss. se recipere coacta. Brevior ea lectio plerumque est; et ubi multiplex varietas erat, in medio ambulat: ubique priscum austerumque, id est, nativum colorem obtinet. Hoc cujusmodi esset, in *Supplementis* Curarum suarum, ut arbitror, dispexit Wolfius, (si eo usque progressus est,) et veritati liquidius indagatae manus dedit. Aequitatis ille in me suae semper memor fuit: omnesque, ut spero, intelligent, me quoque modestiae leges accurate servasse. Eodem pede *Exegesis*, cujus multo potiores hic partes erant, incedit. Ubicunque meam sententiam cum aliorum opinione permutare non potui, non pertinaciam, (nam sententia per multas antea dubitationes et considerationes collata, minus est mutabilis,) sed veritatis amorem, agnoscent, ut arbitror, idonei judices. iidemque, cum respexerint, quae primum fundamenta jecerim; cumque expenderint, quid ad dubitationes hinc inde objectas responderim: statuent fortasse, ceterorum quoque locorum, quae adhuc nemo reprehenderit, posthac, si reprehensa fuerint, idoneam defensionem [1])

---

1) *Non fefellit sua* Beatum *expectatio.* Defensores *post obitum suum nactus est complures, tum eruditionis fama, tum animi probitate spectatissimos; quorum quidem alii aliis* plus minusve accurate *mentem Bengelii vel* perspexerunt *vel* expresserunt. *Nominandi mihi h. l. veniunt e. g. S. R. D.* C. A. Crusius *Theologus Lips. primarius, in der* Vorrede *zu Hn. Past. Fehrens Anleitung zum rechten Verstand und Gebrauch der Offenb. Joh.*, 1760; *s. t. fassliche Vorstellung von dem ganzen Buche der Offenb. J. C., wie man es mit oder ohne Berechnung der geheimen Zeiten nutzen soll, recusa Lips.* 1766; *in Hypomnematibus ad Theologiam Propheticam, T. I. Lips.* 1764; *in der* Vorrede *zu Hn. Past.* Michaelis *erläutertem N. T., Leipz.* 1769, *et passim: S. R. D.* J. F. Burscher, *in dem Versuch einer kurzen Erläuterung des Propheten Jeremiae, Leipz.* 1756: (*S. T.*) S. B. Fehre, *in der Anleitung zum rechten Verstand und Gebrauch der Offenb. Joh., Altenburg*, 1760: W. B. Christlieb, *in der Grundfeste der Bengelischen Erklärung der Offenbarung J. C. etc., Frkf.* und *Leipz.* 1760: *D.* C. F. Schmid, *in der allgem.* Vorbereitung *zu seiner kritischen Untersuchung, Ob die Offenb. Joh. ein ächtes göttliches Buch ist? Leipz.* 1771: *M.* M. F. Roos, *in seiner Auslegung der Weissagungen Daniels, die in die Zeit des N. T. hinein reichen, nebst ihrer Vergleichung mit der Offenb. Joh. nach der Bengelischen Erklärung derselben, Leipz.* 1771: *M.* J. F. Frisch, *in seinem apocalyptischen Catechismus, oder catechetischen Erklärung der Offenb. Johannis, auf eine deutlich und fassliche Art vor die gemeine Christenheit abgefasset, Leipz.* 1773: *quibus adjungi omnino merentur* Anonymus *in den schriftmässigen Anmerkungen über die in des Hn.* D. Ernesti *theologischen Bibliothek B. VI. St. 4. befindliche Recension, des Hn.* D. Crusii *Hypomnemata ad Theol. Proph. betreffend, Frkf.* und *Leipz.* 1766. (*quo in libello eximia facilitate plurimi interpretationis* nervi *eientur, et praecipue locus illustris Habakuki* de medio annorum, *ex sensu Bengeliano, mascule vindicatur*); *et max. ven.* J. G. Böhmer, *in seinen erläuternden* Anmerkungen *zu dem — von ihme übersetzten Bengelischen Cyclus oder Betrachtung über das grosse Weltjahr, Leipz.* 1773. (ubi Chronologiae Bengelianae *cum* Astronomorum observationibus *convenientia argumentis, ut spero, haud proletariis adstruitur.*) — *Qua in re nunquam velim Lectores animo diuitant, quod b.* Bengelius, *in seiner* Vorrede zur Erkl. Offenb. §. XIII. *his verbis neminem non rogatum voluit:* Was in dieser Erklärung enthalten ist, und aus derselben durch eine rechtmässige Folge fleusst, das gilt: hingegen wolle sich niemand bereden lassen, dass ich irgendwo etwas, das doch mit dieser Erklärung keine Verwandtschaft hat, ausgesagt und veranlasset hätte etc. — *Ceterum si quis et reliquos recentiorum interpretum*, in alia omnia *abeuntes, scire aveat, ei notandi sunt v. gr.* (*S. T.*) J. C. Harenberg, *in der erklärten Offenbarung Johannis, Braunschw.* 1759: Anonymus *in Apocalypsi revelata, in qua detegantur arcana, quae ibi praedicta sunt, et hactenus latuerunt, Amstelod.* 1766. (*de qua conf.* meine Beleuchtung etc. §. 16. p. 70. *sqq.*): *D.* Ph. F. Hane, *in seinem Entwurf der Kirchengeschichte N. T., wie solche in den erfüllten Weissagungen der göttlichen Offenb. Joh. enthalten sind etc. Leipz.* 1768. 69. 72.: *D.* J. S. Semler, *in der freyen Untersuchung über die sogenannte Offenbarung Johannis, aus der Handschrift eines Fränkischen Gelehrten* (*D.* Oeder) *herausgegeben, mit eignen Anmerkungen. Halle* 1769. (— *qui liber etiamsi non continuum*

vel mihi in mundo fore, vel lectoribus, me tacente aut defuncto, esse occursuram.

---

exegesin, sed animosam *potius* rejectionem *apocalypseos contineat, hoc tamen loco non dissimulandus fuit*): Jac. Bruckerus, *in seinen* Anmerkungen *zum Englischen Bibelwerk, XIX. Th., oder des N. T. VIII. B. Leipz.* 1770: Anonymus, *s. t. die Offenbarung des heil. Johannis, erläutert, I. und II. Abschn. Halle* 1769. 72. *Inprimis vero et S. R. D.* Ernesti, *in seiner neuen und neuesten theol. Bibl.*, 1760—72, *et ill.* Michaëlis, *in seiner Einleitung in die göttliche Schriften des N. B.*, 1766, *acres se passim* Bengelii *censores, quoad punctum apocalypticum praebent, utut in* generalibus *potius* judiciis *subsistentes, quam argumentis maturam indaginem prodentibus ad arcem causae descendentes. Atque hic quidem* sen. Hellwagii (*Praef. ad novam Edit. Ord. Temp.* §. *XI.*) *verba liceat epiphonematis loco repetere:* Quid dixerit scripseritve (Bengelius), revideant atque amplius examinent, qui praesentes fluctus reformidant. Bona Bengelii pace proficiant, qui possunt, in cognoscenda et testanda veritate, quam ille docuit, et Bengelium id ipsum optantem et nobis gratulantem (conf. omnino dio Erkl. Offenb. ad c. 17, 9.), DEO dante, vincant; — εἰδότες, ὅτι ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ.

CONCLUSIO OPERIS.

Nunc, DEI benignitate, exegesin, non modo crisin, Apocalypseos et N. T. totius viridi aetate susceptam, ingravescentibus annis absolvi. Textum ad monumenta sincerissima exactum: sententiam ejus in dogmaticis, propheticis, historicis, chronologicis, explicatam: typum doctrinae evangelicae religiose observatum: omnia uno constanti regularum rationumque tenore coagmentata, boni lectores deprehendent. Quinque potissimum pensa sunt, *Apparatus* criticus ipsi textui adjectus, *Harmonia* evangelistarum, *Apocalypseos* exegesis Germanica, *Ordo* temporum, hic *Gnomon* denique: sed una tela est. Neque aliud habuere interea *Defensiones* meae: tantummodo, quae antea scripseram, rescripsi et recoxi. Molestum id quidem est, et putidum videtur: sed veniam dabunt periti. nam ob rei gravitatem et quorundam imbecillitatem sic fieri oportet. Verbum Dei quomodo mundus accipiat, dudum constat: ego si id ut Verbum Dei, quemadmodum confido, tractavi, me non aliter accipi postulo. Etiam cultores saepe veritatis ea, quibus haud assuevere, tardius admittunt. Cum pridem audierunt, *Hoc est:* quaerunt denique, *Quid est?* cumque Demonstratio defluxit, Postulata sibi proponi queruntur. Nonnulli obitu demum suo veritati, in parte non agnita, officere desinunt. Veruntamen non frustra laboratur: dum alii praeter opinionem dèsunt, alii praeter opinionem se dedunt vel dedent. Lux crescit indies: per adversa ad victoriam enititur veritas: multis de rebus posteritas aliter judicabit. O DEUS, Tuo judicio stat caditve, quicquid stat vel cadit: quod per me operari dignatus es, tuere: lectorum et mei miserere. Tibi est Gloria et esto in perpetuum.

Digitized by Google

INDICES

ad libros N. T. eorumque capita et versiculos idoneas ob causas, rarius autem ad paginas, accommodati, quos ex usu quisque suo optime locupletaverit, si qui eo pacto ducti sunt, ut, ubi *Capitum* numeri *Germanici* comparent, Gnomonis ipse *textus;* ubi *Romani,* notae *marginales* indigitentur.

INDEX I. LOCORUM V. T.

Gen. 1, 1. Principium pag 301.
3. Lux. 2 Cor. 4, 6.
2, 2. Quies. Hebr. 4, 4.
7. Homo de terra. 1 Cor. 15, 45.
23. Caro et ossa. Eph. 5, 30.
24. Una caro. Matth. 19, 5. 1 Cor. 6, 16.
5, 22. Enoch. Hebr. 11, 5.
10, 25. In diebus Peleg. Matth. 1, 11.
12, 1. Exitus Abrahami. Act. 7, 3.
3. Benedictio. Gal. 3, 8.
13, 15. et semini tuo. 3, 16.
14, 18. fs. Melchisedek. Hebr. 7, 1.
15, 6. Credidit. Rom. 4, 3. Gal. 3, 6.
13. Seminis peregr. Act. 7, 6.
17, 5. Pater mult. gent. Rom. 4, 17.
18, 12. Sarae dominus. 1 Petr. 3, 6.
19, 26. Uxor Loti. Luc. 17, 32.
20, 16. Tegmen. 1 Cor. 11, 10.
21, 10. Ejice ancillam. Gal. 4, 22.
12. Semen in Isaac. Rom. 9, 7.
22, 17. Seminis multitudo. Hebr. 6, 14.
18. Benedictio. Act. 3, 25.
25, 23. Major serviet. Rom. 9, 12.
34. Esau edit etc. Hebr. 12, 16.
28, 15. Non deseram. Hebr. 13, 5.
46, 27. Animae LXX etc. Act. 7, 14.
34. Pecora. Ap. 18, 13.
47, 31. Extremum baculi. Hebr. 11, 21.
Exodi totus fere liber: Act. 7, 17—44. 1 Cor. 10, 1 fs. Hebr. 9, 1 fs. c. 11, 23 fs.
3, 6. Deus Abrahami etc. Matth. 22, 32.
12. Colent me. Act. 7, 7.
9, 16. Excitavi te. Rom 9, 17.
12, 46. Os non frang. Joh. 19, 36.
16, 4. Panem e coelo. Joh. 6, 31.
16, 18. Qui multum. 2 Cor. 8, 15.
19, 5. 6. Peculium: regnum: gens sancta. 1 Petr. 2, 9.
13. Si bestia. Hebr. 12, 20.
20, 12. Honora patrem. Matth. 15, 4. Eph. 6, 2.
12 s. Non occides etc. Matth. 19, 18 s. 5, 21. 27.
21, 14. De altari. Matth. 8, 22.
17. Qui maledixerit. 15, 4.
24. Oculum pro oculo. 5, 38.
24, 6 fs. Sumsit sanguin. Hebr. 9, 19.
Exodi 33, 19. Miserebor. Rom. 9, 15.
34, 30. Facies Mosis. 2 Cor. 3, 7.
Lev. 11, 34. pag. 897.
18, 5. Qui fecerit. Rom. 10, 5.
19, 18. Proximum, ut te. Matth. 22, 39. Rom. 13, 9. Jac. 2, 8.
26, 11. Inhabitabo. 2 Cor. 6, 16.
Num. 11, 4. etc. Concupiscentes etc. 1 Cor. 10, 6. 10.
12, 7. Moses fidelis. Hebr. 3, 2.
8. Videt Moses. 1 Cor. 13, 12.
16, 5. Quis Domini. 2 Tim. 2, 19.
25, 9. Millia 23 ad 24. 1 Cor. 10, 8.
Deut. 1, 31. Tulit te. Act. 13, 18.
6, 4. s. Unus Dominus. Marc. 12, 29.
5. Amabis. Matth. 22, 37.
13. 16. c. 8, 3. Eum colito. etc. Matth. 4, 10. 7. 4.
18, 15. Prophetam ut me. Act. 3, 22. 7, 37.
21, 23. Qui pendet. Gal. 3, 13.
24, 1. Libellus repudii. Matth. 5, 31. 19, 7 s.
25, 4. Bos triturans. 1 Cor. 9, 9.
27, 26. Maledictus. Gal. 3, 10.
29, 18. Radix amara. Hebr. 12, 15.
30, 11. Mandatum prope. Rom. 10, 6.
32, 21. Ad zelum provocarunt etc. Rom. 10, 19. 1 Cor. 10, 22.
35. Mihi vindicta. Rom. 12, 19. Hebr. 10, 30.
36. Judicabit. Hebr. 10, 30.
43. Jubilate etc. Rom. 15, 10. Hebr. 1, 6.
Ruth 1, 1. Judices. Matth. 1, 5.
Libri Josuae et Judicum. Hebr. 11, 39 b.
Jos. 15, 58. 59. Bethlehem. Matth. 2, 6.
1 Sam. 21, 1. Sacerdos. Marc. 2, 26.
2 Sam. 7, 14. Pater: filius. Hebr. 1, 5.
1 Reg. 8, 9. Arca foederis. 9, 4.
12, 32. Festum mense VIII. Joh. 4, 35.
19, 15. Proph. occid. Rom. 11, 3.
2 Chron. 24, 20. Zacharias. Matth. 23, 35.
Jobi summa. Jac. 5, 11.
c. 5, 13. Capit sapientes. 1 Cor. 3, 19.
12, 2. Populus. Rom. 10, 19.
19, 25. Ultimus. 1 Cor. 15, 45.
20, 26. Ignis. Matth. 3, 12.

Digitized by Google

Jobi 41, 2. Quis dedit prius? Rom. 11, 35.
42, 17. Jobi resurrectio. Matth. 27, 52.
Psalm. 2, 1 s. Quare fremuerunt. Act. 4, 25.
7. Filius meus. Act. 13, 33. Hebr. 1, 5. 5, 5.
4, 5. Ira citra pecc. Eph. 4, 26.
8, 3. Ex ore. Matth. 21, 16.
5 s. Quid homo? Hebr. 2, 6.
7. Omnia. 1 Cor. 15, 27.
14, 2. Omnes recesserunt. Rom. 3, 10.
16, 10. Sanctus incorruptus. Act. 2, 25. 13, 35.
18, 50. Confitebor. Rom. 15, 9.
19, 5. Canon et sermo eorum. 10, 18.
22, 2. Deus meus. Matth. 27, 46.
9. Servet eum. 27, 43.
23. Fratribus meis. Hebr. 2, 12.
24, 1. Domini terra. 1 Cor. 10, 26.
32, 1. Beatus. Rom. 4, 6 s.
34, 9. Gustate. 1 Petr. 2, 2.
13 s. Qui vult vita frui. 3, 10.
21. Os non frang. Joh. 19, 36.
35, 19. Gratis oderunt. 15, 25.
37, 9. etc. Heredes terrae. Matth. 5, 5.
40, 7. Sacrificium. Hebr. 10, 5.
41, 10. Qui edit. Joh. 13, 18.
44, 23. Propter te trucid. Rom. 8, 36.
45, 7. 8. Thronus tuus. Hebr. 1, 8.
48, 3. Magnus rex. Matth. 5, 35.
51, 6. Ut justificeris. Rom. 3, 4.
55, 23. Curam tuam. 1 Petr. 5, 7.
62, 4. Occiditis. Jac. 4, 2.
14. Reddet unicuique. Rom. 2, 6.
68, 20. Ascendisti. Eph. 4, 8.
28. Principes Zabulon. Matth. 4, 15.
69, 10. Zelus: contumelia. Joh. 2, 17. Rom. 15, 3.
23 s. Mensa eorum. Rom. 11, 9.
26. Habitatio deserta. Act. 1, 20.
78, 2. Aperiam. Matth. 13, 35.
82, 6. Dii estis. Joh. 10, 34.
87, 4. Tyrus. Act. 21, 3.
89, 21. Inveni David. 13, 22.
90, 4. Mille anni. 2 Petr. 3, 8.
91, 11 s. Angelis. Matth. 4, 6.
94, 11. Novit cogitata. 1 Cor. 3, 20.
95, 7. Hodie. Hebr. 3, 7.
97, 7. Adorate eum. Hebr. 1, 6.
102, 26 s. Initio. 1, 10.
104, 4. Angeli, venti. Hebr. 1, 7.
85. Halleluja. Ap. 19, 1. §. 11.
109, 8. Episcopatum ejus. Act. 1, 20.
110, 1. Domino meo: Sede. Matth. 22, 43 s. Act. 2, 34.
4. Juravit. Hebr. 5, 6.
112, 9. Dispersit. 2 Cor. 9, 9.
116, 10. Credidi. 4, 13.
11. Homo mendax. Rom. 3, 4.
117, 1. Laudate. 15, 11.
118, 6. Mihi adjutor. Hebr. 13, 6.
22. Lapidem. Matth. 21, 42. 1 Petr. 2, 7.
25. s. Hosianna: Benedictus. Matth. 21, 9. 23, 39.
133, 2. Christus, unctus Sacerdos. Col. 2, 10.
Prov. 3, 4. Providens bona. Rom. 12, 17.
7. Ne sapias tibi. 12, 16.
11. s. Noli spernere. Hebr. 12, 5.
34. Humilibus. Jac. 4, 6.
8, 22. seqq. Initio. p. 302.
25. Ante colles. Joh. 8, 58.
10, 12. Pecc. tegit amor. 1 Petr. 4, 8.
11, 31. Si justus. 4, 18.
23, 31. Vino. Eph. 5, 18.
24, 16. Septies cadet. Luc. 17, 4.
25, 21 s. Si esuriat. Rom. 12, 20.
26, 11. Canis. 2 Petr. 2, 22.
Jes. 1, 2. Exaltavi. Act. 13, 17.
9. Semen relictum. Rom. 9, 29.
6, 1. Vidi. Joh. 12, 41.
9. Audietis. Matth. 13, 14. Act. 28, 26.
7, 14. Ecce virgo. Matth. 1, 22 s.
8, 12 s. Timorem eorum. 1 Petr. 3, 14.
17 s. Confidam. Ego et liberi. Hebr. 2, 13.
23. c. 9, 1. Terra Zabulon. Matth. 4, 15.
9, 5. Admirabilis. p. 304.
10, 22 s. Si fuerit pop. tuus. Rom. 9, 27.
11, 10. Radix Jesse. Rom. 15, 12.
22, 13. Edamus. 1 Cor. 15, 32.
25, 8. Absorbebit mortem. 1 Cor. 15, 54.
27, 9. Tolletur pecc. ejus. Rom. 11, 26.
28, 11. Aliis linguis. 1 Cor. 14, 21.
16. Lapis in Sion. Rom. 9, 33. 1 Petr. 2, 6.
29, 10. Spiritus soporis. Rom. 11, 8.
13. Labiis honorant. Matth. 15, 8.
14. Peribit sapientia. 1 Cor. 1, 19.
16. Ut si lutum. Rom. 9, 20.
33, 18. Ubi scriba? 1 Cor. 1, 20.
40, 3 s. Vox clamantis. Matth. 3, 3.
6. s. Caro foenum. 1 Petr. 1, 24.
13. Quis novit? Rom. 11, 34. 1 Cor. 2, 16.
42, 1. ss. Ecce minister meus. Matth. 12, 18.
12. Laudem ejus nunc. 1 Petr. 2, 9.
43, 20. s. Populus electus. ibid.
45, 23. Omne genu. Rom. 14, 11.
49, 6. Lux gentium. Act. 13, 47.
52, 5. Nomen meum. Rom. 2, 24.
7. Pulcri pedes. 10, 15.
11. Exite. 2 Cor. 6, 17.
15. Quibus non erat nunciatum. Rom. 15, 21.
53, 1. Quis credit? Joh. 12, 38.
4. Languores nostros. Matth. 8, 17.
5. Vibice ejus. 1 Petr. 2, 23. ss.
7. Ut ovis. Act. 8, 32.
12. Cum sceleratis. Marc. 15, 28.
54, 12. Fenestrae. Ap. 21, 11.
13. Docti a Deo. Joh. 6, 45.
55, 3. Benigna Davidica. Act. 13, 34.
56, 7. Domus precum. Matth. 21, 13.
10. 11. Dormitantes. Jud. v. 8.
59, 7. s. Pedes veloces. Rom. 3, 15.
20. s. Redemtor Sionis. 11, 26.
60, 1. Illuminare. Eph. 5, 14.
3. Gentes in lumine. Ap. 21, 24.
61, 1. s. Spiritus Domini. Luc. 4, 18.
64, 3. Oculus non vidit. 1 Cor. 2, 9.

Digitized by Google

Jes. 65, 1. s. Inventus sum. Rom. 10, 20. s.
66, 1. Coelum mihi thr. Act. 7, 49.
24. Vermis. Marc. 9, 44.
Jer. 7, 11. Spelunca latr. Matth. 21, 13.
9, 23. Qui gloriatur. 1 Cor. 1, 31.
16, 16. Piscatores. Matth. 4, 19.
22, 11. 18. 24. 28. 30. etc. Sterilis. p. 12.
31, 15. Rama. Matth. 2, 18.
31. N. T. p. 12. 893.
Ez. 1, 28. Vidi et audivi. Joh. 5, 37.
37, 7. Resurrectio. Apoc. XX. 4.
38, 2. Gog. Ap. 20, 8.
42, 17. Calami. 21, 17.
48, 31. Portae. 21, 12.
Dan. 7, 7. etc. Bestia quarta. Ap. 13, 1. (thesi 5) et cap. 17, 10.
9, 25. Hebd. LXX. p. 14. 371.
27. Abominatio. Matth. 24, 15.
11, 36. Elevabitur. 2 Thess. 2, 4.
12, 12. Dies 1335. Apoc. 17, 10.
Hos. 2, 25. Non-populus. Rom. 9, 25. 1 Petr. 2, 10.
6, 6. Misericordiam. Matth. 9, 13. 12, 7.
11, 1. Ex Aegypto. 2, 15.
13, 14. Ubi stimulus? 1 Cor. 15, 55.
Joel 3, 1. s. Effundam. Act. 2, 17.
Amos 5, 13. Dies mali. Eph. 5, 16.
25. Num sacrificia. Act. 7, 42.
9, 11. Tabernaculum David. 15, 16.
Obad. v. 21. Domini regnum. Ap. 11, 15.
Jon. 2, 1. Jonas in pisce. Matth. 12, 40.
3, 5. Ninive poenitens. 12, 41.
Mich. 5, 1. Bethlehem. Matth. 2, 6.
Hab. 1, 5. Videte. Act. 13, 40.
2, 3. 4. Veniet. Hebr. 10, 36.
4. Justus. Rom. 1, 17. Gal. 3, 11.
Sophon. 2, 11. Loco suo. Rom. 9, 26.
Hagg. 2, 6. Adhuc semel. Hebr. 12, 26.
Zach. 6, 13. Inter utrumque. Joh. 8, 17.
9, 9. Rex tuus. Matth. 2, 5. 2 Thess. 2, 3.
11, 12. s. Argentei 30. Matth. 27, 9.
12, 10. Videbunt. Joh. 19, 37.
13, 7. Pastor percussus. Matth. 26, 31.
14, 4. Mons olearum. 24, 15.
8. Aqua viva. Joh. 7, 38.
Malach. 1, 2. Jacobum dilexi. Rom. 9, 13.
3, 1. Ecce mitto. Matth. 11, 10.
4, 5. Elias. 11, 14.
vers. ult. anathemate. Matth. 3, 12. Luc. 1, 63.
Sap. 7, 25. Splendor. Hebr. 1, 3.
Sir. 35, 22. Non tardabit. 2 Petr. 3, 9.
48, 11. Elias. Luc. 1, 17.
2 Macc. 6, 19. etc. Tympanum. Hebr. 11, 35.
4 Ezr. 1, 30. etc. Ut gallina. Matth. 23, 37.

Permulta alia loca sedulo lectori occurrent: qui etiam *pericopas*, in diebus dominicis et festis tractari solitas, facile evolvet. v. gr. 1 Advent. pag. 120 et 596. etc. [*quae cum et* Editioni N. T. gr. *et* Versioni Germ. N. T. (*Ed. II.*) *subjunctae sint, h. l. tanto minus desiderabuntur.* Textus *enim nemini non debet ad manus esse, qui rite utitur quacunque exegesi.*]

INDEX II.

Verborum Hebraeorum et Graecorum *quorundam* insignium.

Hebr. 11, 23. אבות
Apoc. 1, 8. §. 21. אהיה
Matth. 2, 6. אלה
Matth. 5, 18. אמן
Joh. 7, 35. בטן
2 Cor. 6, 15. בליעל
Hebr. 9, 16. Matth. 26, 28. ברית
Rom. 10, 19. גוי
Jac. 3, 6. גלגל
Joh. 6, 63. דבר
Joh. 15, 16. הלך
Apoc. 19, 1. הללו יה
Matth. 23, 34. חכם
Rom. 1, 4. חק
Luc. 15, 16. חרובה
Jac. 1, 5. חרף
2 Tim. 2, 19. ידע
Apoc. 19, 1. יה
Apoc. 1, 8. §. 7. sqq. c. 11, 17. יהוה
Matth. 2, 6. יצא
Matth. 1, 21. ישוע
Act. 2, 26. כבוד
Matth. 7, 14. כי
Matth. IX, 9. לוי
Jac. 3, 6. לצים
Eph. 6, 4. מוסר
Apoc. 18, 13. diff. צאן מקנה
Matth. IX, 9. מתי, מתתי
Apoc. 11, 8. נבלה
Matth. 2, 23. נזר
Matth. 12, 18. עבד
Act. 1, 13. עלה
Matth. 1, 23. עלמה
Matth. 6, 7. ענה
Rom. 9, 29. Apoc. 1, 8. צבאות
Rom. 1, 4. קדוש
Matth. 12, 30. קהלת
Apoc. 12, 10. קטיגור
1 Petr. 3, 21. שאלה
Matth. 4, 1. Apoc. 12, 9. שטן
Joh. 1, 14. שכינה
Act. 1, 17. שרת
Matth. 12, 21. תורה
Hebr. 5, 13. תמים

* * *

Ἄγαρ Gal. IV, 25.
ἁγιασμὸς, ἁγιότης, ἁγιωσύνη, diff. Rom. 1, 4.
ᾅδης Luc. 16, 23. 1 Cor. 15, 55.
αἰγιαλὸς Matth. 13, 2.
αἷμα καὶ σὰρξ Hebr. 2, 14.
αἰτεῖσθαι, δεηθῆναι, ἐρωτᾶν, diff. Joh. 11, 22.
αἴτιος Hebr. 5, 9.
αἰχμαλωσία Eph. 4, 8. Ap. 13, 10.
αἰὼν, γενεὰ Col. 1, 26.
αἰὼν, κόσμος, diff. Eph. 6, 12.
ἄκαρπος Matth. 13, 22.
ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια diff. Eph. 4, 19.
ἄκακος Rom. 16, 18.
ἀκρασία Matth. 23, 25.
ἄκρον Matth. 24, 31.
ἀλλὰ Matth. 11, 8. 9. Luc. 11, 42. Rom. 10, 8.
ἄλλος, ἕτερος, diff. Act. 4, 12.
ἄλων, ἀποθήκη diff. Matth. 3, 12.
ἅμα, ὁμοῦ, diff. 1 Thess. 4, 17
ἄμωμον Ap. 18, 13.
ἄν Joh. 4, 10. Act. 3, 19.
Ἀγαθὸς Marc. 10, 18. ἀγαθὸς, δίκαιος, diff. Rom. 5, 7.
ἀγαλλιᾶσθαι, ex Arab. Joh. 5, 35.
ἀγαπᾶν Marc. 10, 21. φιλεῖν, diff. Joh. 21, 15.

Digitized by Google

ἀνατολὴ Luc. 1, 78.
ἀντὶ Joh. 1, 16.
ἀπάγχεσθαι Matth. 27, 5.
ἀπαλγεῖν Eph. 4, 19.
ἅπαξ, ἐφάπαξ, diff. Rom. 6, 10.
ἀπαρχὴ, ἀρχὴ, diff. Col. 1, 18.
ἀπελπίζειν Luc. 6, 35.
ἀπέρχεσθαι, πορεύεσθαι, diff. Joh. 16, 7.
ἄπιστον Act. 26, 8.
ἀπὸ, propter Luc. 7, 35.
ἀποθήκη, ταμεῖον diff. Luc. 12, 24.
ἀποκατάστασις Act. 3, 21.
ἀποκτένω Matth. 10, 28.
ἀπολύτρωσις, λασμὸς, καταλλαγὴ diff. Rom. 3, 24.
ἀπολύω, ἀφίημι diff. Luc. 6, 37.
ἀποστέλλω, πέμπω, diff. Luc. 24, 49. Joh. 20, 21.
ἄρα, οὖν, diff. Rom. 5, 18.
ἀρέσκω Rom. 8, 8.
ἁρπαγμὸς Phil. 2, 6.
ἀρραβὼν 2 Cor. 1, 22.
τὴν ἀρχὴν Joh. 8, 25.
ἀρχὴ, ἐξουσία Col. 1, 16.
ἀρχιερεῖς Matth. 2, 4.
ἄρχομαι Matth. 4, 17.
ἀσθένεια Rom. 5, 6.
ἀσώτως Luc. 15, 13.
αὔριον, ἐπαύριον, diff. Act. 25, 22.
αὐτὸς Matth. 1, 21. Joh. 16, 27. αὐτοῦ, reciprocum, Ap. 1, 5. αὐτῇ, Act. 8, 26. αὐτοὶ, Hebr. 3, 10. αὐτοὺς, *nos* Ap. 5, 10.
ἄφεσις Luc. 4, 18.
ἄφεσις, πάρεσις Rom 3, 25.
ἀφίημι Marc. 1, 34. Rom. 4, 7. ἀφεὶς Ap. 2, 20.
ἄφιξις Act. 20, 29.
ἀχλὺς Act. 13, 11.
ἄγριος Matth. 25, 30.
ἄχρι Act. 3, 21.

βάπτω Luc. 16, 24.
βάρβαρος Act. 28, 2.
βάρος, φορτίον, diff. Gal. 6, 2.
βασιλικὸς Jac. 2, 8.
βεβηλοῦν Matth. 12, 5.
βιάζεσθαι Matth. 11, 12.
βίβλος γενέσεως Matth. 1, 1.
βλέπω, ὁράω· θεωρῶ, ὄπτομαι, diff. Joh. 16, 16. Hebr. 2, 8.
βόσκω, ποιμαίνω, diff. Joh. 21, 16.
βρέφος, παιδίον diff. Luc. 18, 17.

γάμος Matth. XXII, 4.
γὰρ, Matth. 1, 18. Marc. 11, 13. Joh. 9, 30. Act. 15, 21. 27. Rom. 1, 18. 3, 28. 5, 7. 6, 4. Hebr. 2, 8.
γέεννα Matth. 5, 22.
γέμω Ap. 4, 8.
γενεὰ Matth. 1, 27. §. 12. et cap. 24, 34.
γίνομαι Joh. 1, 3. 14. 15. Act. 15, 25. Ap. 1, 1. 9.
γινώσκω, ἐπιγινώσκω, diff. 1 Cor. 13, 12.
γινώσκομαι, pro *erudior*. 1 Cor. 8, 3.
γνόφος, σκότος, diff. Hebr. 12, 18.
γνώμη 1 Cor. 7, 25.
γνῶσις 2 Cor. 6, 6. Diff. σοφία 1 Cor. 12, 8. 1 Petr. 3, 7. 2 Petr. 1, 5.
γραμματεὺς Matth. 2, 4.

δαιμόνιον 1 Tim. 4, 1.
δὲ epitaticum Rom. 8, 8.
δέησις, προσευχὴ, ἱκετηρία, diff. 1 Tim. 2, 1. Hebr. 5, 7.
δεῖ, ὀφείλει, diff. 1 Cor. 11, 10. Hebr. 2, 1.
δεισιδαίμων Act. 17, 22.
δέρειν, τύπτειν, παίειν diff. Luc. 22, 63.
δέρω Matth. 21, 35.
δέχομαι Act. 3, 21.
διὰ Hebr. 2, 10. Diff. ab ἐκ, Rom. 3, 30.
διακονία Act. 1, 17.
διαθήκη Matth. 26, 28. Hebr. 7, 22.
διακρίνομαι Jac. 2, 4.
δίδραχμον Matth. 17, 24.
διελθεῖν Hebr. 4, 14.
δίκαιος Matth. 1, 19. Rom. 5, 7.
δικαιοῦν Luc. 7, 29. 35. Rom. 3, 20.
δικαίωμα Rom. 5, 18.
δικαίωσις, δικαιοσύνη diff. Rom. 4, 25.
διχοτομεῖν Matth. 24, 51.
δοκεῖν Matth. 3, 9. 1 Cor. 3, 18.
δόξα DEI Rom. 6, 4.
δόξα, σωτηρία, diff. 2 Tim. 2, 10.
δύναμις Rom. 8, 38.

ἐγκομβώσασθαι 1 Petr. 5, 5.
ἐγκρατὴς Tit. 1, 8.
ἑδραῖος, τεθεμελιωμένος diff. Col. 1, 23.
ἐθελοθρησκεία Col. 2, 23.
ἔθνος, λαὸς diff. Luc. 23, 2.
εἰ Rom. 8, 31. εἰ καὶ 2 Cor. 7, 8.
εἰκῇ Matth. 5, 22.
εἰμὶ ὢν κτλ. Joh. 1, 1. 18. 3, 13. οὐκ ἔστι 1 Cor. 11, 20.
εἶμι Joh. 7, 34.
εἶπω, λαλῶ diff. Joh. 12, 49.
εἰς Marc. 13, 9. Diff. ab ἐπὶ Act. 8, 22. Rom. 1, 17. 3, 22.
εἶτα, ἔπειτα diff. 1 Cor. 15, 23.
ἐκ Rom 1, 17.
ἐκ, διὰ diff. Rom. 3, 30.
ἐκβάλλειν Matth. 9, 38. 11, 20.
ἐκεῖνος Matth. 24, 36. Marc. 4, 35. diff. ab οὗτος Matth. 23, 23.
ἐκκλησία Matth. 18, 17.
ἐκπειράζω Matth. 4, 7.
ἐκστῆναι Marc. 3, 21.
ἐκφέρειν, τίκτειν, diff. Hebr. 6, 7.
ἔλαιαι Ap. 11, 4.
ἔλεος Matth. 9, 13.
ἔμπροσθεν Joh. 1, 15.
ἐν Hebr. 9, 4. diff. a παρὰ et ἐξ. Joh. 14, 17. 18, 36.
ἐν diff. ab εἰς Rom. 5, 21.
ἐν pro, cum. Rom. 1, 23.
ἕνεκα Luc. 4, 18.
ἐνιαυτὸς, ἔτος, diff. Ap. 13, 18. §. 7.
ἔννοια 1 Petr. IV, 1.
ἐνταφιάζειν Matth. 26, 12.
ἐντολὴ Rom. 7, 9.
ἐντὸς Luc. 17, 21.
ἐξ, κατὰ diff. Rom. 2, 7.
ἕξις Hebr. 5, 14.
ἐξουσία, ἐξουσίαι, diff. Rom. 13, 1.
ἐπαγγελία Act. 1, 4.
ἐπεὶ Hebr. 9, 17.
ἐπηρεάζειν Matth. 5, 44.
ἐπὶ cum gen. Matth. 1, 11. Marc. 2, 26. 12, 26. Ap. 5, 10. 21, 16. cum dat. Ap. 21, 12. cum accus. Act. 1, 21. Luc. 1, 17.
ἐπιβάλλω Marc. 14, 72.
ἐπιθυμεῖν, ὀρέγεσθαι, diff. 1 Tim. 3, 1.
ἐπιούσιος Matth. 6, 11.
ἔπω, λαλῶ diff. Joh. 12, 49.
ἐργάζεσθαι Ap. 18, 17.
ἐρεύγεσθαι Matth. 13, 35.
ἔρημος Matth. 23, 38. Apoc. 17, 3.
ἑταῖρος Matth. 26, 50.
ἑτοιμασία Eph. 6, 15.
εὐαγγελίζεσθαι Matth. 11, 5.
εὐδοκεῖν Matth. 3, 17.
εὐεργέτης Luc. 22, 25.
εὐθέως, εὐθὺς Matth. 13, 20. s. Marc. 1, 20. s. et cap. 4, 29.
εὐλάβεια 2 Thess. 2, 3. Hebr. 5, 7.
εὔνοια Eph. 6, 7.
εὐπερίστατος Hebr. 12, 1.
εὐχαριστεῖν Matth. 15, 36.
ἐφ' ᾧ Rom. 5, 12.

ζιζάνια Matth. 13, 25.

ἤ Matth. 12, 29.
ἡγεμὼν Luc. 2, 2.
ἥκω Marc. 8, 3. Ap. 2, 25.
ἦ μὴν Hebr. 6, 14.
ἡνίκα 2 Cor. 3, 16.
ἦχος Luc. 21, 25.

θειότης, θεότης, diff. Rom. 1, 20.
θέλημα Matth. 18, 14.
θέλω Marc. 12, 38.
θεὸς Ap. 1, 8. §. 13.
θεωρία Luc. 23, 48.
θηρίον Ap. 13, 1.
θρόνοι, κυριότητες diff. Col. 1, 16.
θυμομαχεῖν Act. 12, 20.

Digitized by Google

θυμὸς, ὀργὴ, diff. Rom. 2, 8.
θύρα, πύλη diff. Luc. 13, 25.

ἴδε, ἰδοὺ Jac. 3, 3.
ἰδιώτης, ἀγράμματος diff. Act. 4, 13.
ἱκανὸν 17, 9.
ἵλεως Matth. 16, 22.
ἱμάτιον, χιτὼν, diff. Matth. 5, 40.
ἵστημι Matth. 12, 25. 26, 15. Joh. 8, 44.
ἱστορεῖν Gal. 1, 18.

καθεξῆς Marc. 14, 19.
καθὼς Joh. 17, 11.
καὶ Marc. 9, 5. Luc. 2, 14. 7, 16. 29. 37. Joh. 8, 25. 9, 36. 1 Cor. 15, 29. Ap. 10, 7.
καὶ consecutivum Matth. 6, 24.
καὶ pro *sed* Joh. 7, 4.
καὶ pro relativo Joh. 12, 35.
καινὸς, νέος, diff. Hebr. 8, 13.
καίπερ Ap. 17, 8.
καιρὸς, χρόνος, diff. Act. 1, 7.
κακία Matth. 6, 34. Rom. 1, 29. 1 Cor. 5, 8. Jac. 1, 21.
καλὸς Rom. 7, 16.
καλῶς Marc. 7, 9.
κἂν Marc. 6, 56.
κατὰ Act. 5, 15. Rom. 2, 7. 8, 27. 2 Cor. 7, 9. 8, 2.
καταβολὴ Matth. 13, 35.
κατάνυξις Rom. 11, 8.
κατάθεμα Ap. 22, 3.
καταθεματίζειν Matth. 26, 74.
καταλείπεσθαι Hebr. 4, 1.
καταργεῖσθαι, παύεσθαι, diff. 1 Cor. 13, 8.
κατάστημα Tit. 2, 3.
κατεργάζεσθαι Eph. 6, 13.
— diff. ab ἐργάζ. Rom. 2, 9. 10.
καρδία Matth. 5, 18.
κεράτια Luc. 15, 16.
κερδαίνειν Act. 27, 21.
κεφαλαιοῦν Marc. 12, 4.
κλήρος 1 Petr. 5, 3.
κλίνη, κράββατος, diff. Act. 5, 15.
κολλᾶσθαι Ap. 18, 5.
κοπιᾶν Ap. 2, 3.
κόσμος Rom. 4, 13. Eph. 6, 12.
κύφινος, σπυρὶς, diff. Matth. 16, 9. 8.
κρατεῖν, πιάζειν, diff. Apoc. 19, 20.
κρυπτὸν, συγκεκαλυμμένον diff. Luc. 12, 2.
κυρία 2 Joh. v. 1.
κύριος Matth. 3, 3. Ap. 1, 8. §. 14.
κῶλον Hebr. 3, 17.

λαῖλαψ Marc. 4, 37.
λαλῶ, ἔπω diff. Joh. 12, 49.
λανθάνω Hebr. 13, 2.
λατῖνος Ap. 13, 18. §. 12.
λειτουργία Act. 1, 17. Hebr. 1, 14.
λιχμᾶν Matth. 21, 44.
λόγος Joh. 1, 1.
λοιδεῖν, νίπτειν, diff. Joh. 13, 10.
λύειν Matth 5, 17. 12, 18. 18.

μαθητεύειν Matth. 28, 19.
μακροθυμεῖν Luc. 18, 7.
μαχαιρίται Ap. 21, 19.
μάχαιρα, ῥομφαία diff. Luc. 2, 35.
μέλλω, 2 Petr. 1, 12. μέλλων Matth. 11, 14.
μεσουράνημα Ap. 8, 13.
μετὰ Luc. 1, 28. Hebr. 7, 28.
μετανοεῖν Matth. 3, 2.
μετάνοια Luc. 5, 32. 2 Cor. 7, 10.
μεταξὺ Act. 13, 42.
μεταφρίζεσθαι Luc. 12, 29.
μηδὲ, μήτε diff. Act. 23, 8.
μνήμη 2 Petr. 1, 12.
μόνος Matth. 4, 10.

ναὶ Matth. 15, 27.
νεκροὶ Matth. 8, 22.
νοεῖν, συνιέναι, diff. Matth. 16, 9.
νομίζεσθαι Luc. 3, 23.
νομικὸς Matth. 22, 35.
νουθεσία, παιδεία diff. Eph. 6, 4.
νουθετεῖν, διδάσκειν diff. Col. 1, 28. coll. Rom. 15, 14.
νῦν Luc. 11, 39. Joh. 18, 36.

ὁ, ἡ, τὸ, Matth. 18, 17. 20, 16. etc. Articuli adhibiti vel omissi ratio persaepe notatur. Vid. sub. tit. *Articulus.*
ὄγκος Hebr. 12, 1.
ὄζειν 2, 17.
ὅλος 1 Cor. 5, 1. 15, 29.
ὁμοίως ὡσαύτως, diff. Luc. 13, 3.
ὅπως ἂν pro לְמַעַן Act. 3, 19.
ὀρθοτομεῖν 2 Tim. 2, 15.
ὁρίζειν, ἀφορίζειν diff. Rom. 1, 4.
ὃς Matth. 13, 23.
ὅσιος Ap. 16, 5.
ὅταν Marc. 3, 11.
ὅτι Matth. 2, 23. cum infinitivo, Act. 27, 10.
οὐ Rom. 3, 9. μὴ diff. 1 Cor. 12, 15. οὐ μὴ Matth. 5, 18.
οὐκ Joh. 7, 8.
οὐὰ Marc. 15, 29.
οὐαὶ Matth. 11, 21.
οὗτος Matth. 5, 19.
— diff. ab ἐκεῖνος Matth. 23, 23.
οὗτος Joh. 4, 6.
— incluso tempore Act. 7, 8.
ὄφελον Gal. 5, 12.
ὄχλος Act. 6, 7.
— diff. a θόρυβος Act. 24, 18.
ὀψὲ Matth. 28, 1.

παιδεία, vid. νουθεσία
παιδία, τεχνία, diff. 1 Joh. 2, 12.
παιδίον, βρέφος diff. Luc. 18, 17.
παῖς Matth. 12, 18.
παλιγγενεσία Matth. 19, 28.
παντοκράτωρ Ap. 1, 8.
παρὰ Marc. 3, 21. 1 Cor. 16, 1. Hebr. 1, 4.
παράγεσθαι 1 Joh. 2, 8.
παραχοὴ Rom. 5, 19.
παράκλητος Joh. 14, 16.
παραμυθία, παρηγορία, diff. Col. 4, 11.
παραπλησίως Hebr. 2, 14.
παραῤῥέω Hebr. 2, 1.
πάρεσις Rom. 3, 25.
παρέχειν πίστιν Act. 17, 31.
παρίστημι 1 Cor. 8, 8.
παροιμία Joh. 16, 25.
πᾶς Marc. 9, 49. Phil. 1, 9. Hebr. 2, 9. Jac. 1, 2.
πάσχω Gal. 3, 4.
πατέρες Hebr. 11, 23.
πείθεσθαι, πειθαρχεῖν diff. Act. 5, 32.
πείθω Gal. 1, 10.
πειράζω Ap. 2, 2.
πειρασμὸς Gal. 5, 8.
περὶ Joh. 11, 19. 3 Joh. v. 2.
περιαιροῦμαι 2 Cor. 3, 16.
περίστασθαι, περιούσιος κτλ. 2 Tim. 2, 16. Tit. 2, 14.
περισσεύειν, πλεονάζειν diff. Rom. 5, 17.
πιστικὸς Marc. 14, 3.
πλατεῖα Ap. 11, 8.
πλεονεξία Marc. 7, 22.
πλήρωμα Matth. XII, 35.
πληροφορεῖσθαι Luc. 1, 1.
πληρῶσαι (νόμον) Matth. 5, 17.
πνευματικὸν Eph. 6, 12.
πονηρία, κακία diff. Rom. 1, 29.
πορνεία Act. 15, 20.
ποτὲ Luc. 22, 32.
πράσσειν, ποιεῖν diff. Rom. 1, 32.
πρέπει Hebr. 2, 10.
πρεσβύτεροι Matth. 15, 2. Hebr. 11, 2. 2 Joh. v. 1. not.
πρηνὴς Act. 1, 18.
πρὸς (indirectum, Joh. 10, 35.) Marc. 12, 12.
— diff. ab εἰς Rom. 8, 24.
πρόσεχε Matth. 6, 1.
προσκεφάλαιον Marc. 4, 38.
προσκυνεῖν Matth. 2, 2.
πρῶτον, sine apodosi Rom. 1, 8. 3, 2.
πυγμῇ Marc. 7, 3.
πύλη, θύρα diff. Luc. 13, 25.
πυροῦσθαι 1 Cor. 7, 9.

ῥάβδος Apoc. 19, 15.
ῥακὰ Matth. 5, 22.
ῥαπίζω Matth. 5, 39. 26, 67.
ῥέδη Ap. 18, 13.
ῥῆμα, res. Joh. 6, 63.
ῥύεσθαι Rom. 7, 24.

σεβόμενοι Act. 17, 4.
σημεῖον Matth. 24, 30.
σκληρύνειν Rom. 9, 18.

Digitized by Google

σκύλλω Matth. 9, 36.
σπαργανοῦν Luc. 2, 7.
σπερμολόγος Act. 17, 18.
σπεύδω 2 Petr. 3, 12.
σπιλὰς Jud. v. 12.
σπουδὴ 2 Cor. 7, 11.
στέγω 1 Cor. 9, 12.
στεναγμὸς Rom. 8, 26.
στήκω Marc. 11, 25.
στοιχεῖα Gal. 4, 3. Hebr. 5, 12. 2 Petr. 3, 10.
σύμφυτος Rom. 6, 5.
συναρμολογοῦμαι, συμβιβάζομαι diff. Eph. 4, 16.
συνείδησις [2 Cor. 4, 2] 1 Joh. 3, 19.
σφραγίζειν Joh. 6, 27.

ταρταροῦν 2 Petr. 2, 4.
τέλειος, τετελειωμένος, diff. Phil. 3, 12.
τελέω, τελειόω diff. Joh. 19, 28.
τέλος Rom. 10, 4.
τηρεῖν Joh. 15, 20. diff. a φυλάττειν Joh. 17, 12.
τί ἡμῖν κτλ. Matth. 8, 29. 1 Cor. 5, 12.
τοίνυν Hebr. 13, 13.
τοιοῦτος Matth. 19, 14.
τροποφορεῖν Act. 13, 18.
τυφοῦσθαι 1 Tim. 6, 4.

ὑβρίζειν, ὀνειδίζειν diff. Luc. 11, 45.
ὕβρις Act. 27, 10.
ὑπάγειν, de gradu. vid. הלך Joh. 15, 16.
ὑπακοὴ Rom. 1, 5.
ὑπὲρ 1 Cor. 15, 29. Philem. v. 16.
ὑπεριδεῖν Act. 17, 30.
ὑπερῷον 1, 13.
ὑπὸ Rom. 3, 9. 21.
ὑποδείκνυμι Matth. 3, 7.
ὑποκριτὴς Luc. 12, 56.
ὑπόστασις Hebr. 1, 3. 11, 1.
ὕψος Luc. 24, 49. ὕψωμα, diff. Rom. 8, 39.

φθέγγεσθαι Act. 2, 4. 10, 18.
φιάλη Ap. 15, 7.
φυλακτήρια Matth. 23, 5.
φύσις θεία 2 Petr. 1, 4.
φωστὴρ Apoc. 21, 11.

χαρακτὴρ Hebr. 1, 3.
χάρισμα πνευμ. Rom. 1, 11.
χαριτόω Eph. 1, 6.
χειρόγραφον Col. 2, 14.
χλωρὸς Ap. 6, 8.
χόλος Joh. 7, 23.
χρόνοι, καιροὶ Act. 1, 7.
χωρὶς Hebr. 2, 9.

ψεῦδος Joh. 8, 44.
ψῆφος Ap. 2, 17.
ψωμίζω Rom. 12, 20.

ὡς Joh. 7, 10. Act. 3, 22. 17, 14. Rom. 9, 32.
ὥστε, οὕτως diff. Rom. 7, 4.

INDEX III.

Rerum, observationum, auctorum.

Abnegatio sui. Matth. 16, 24.
abruptus sermo. Luc. 13, 25.
abstracta. Luc. 1, 35. 2, 30.
abstractum pro concreto. Luc. 1, 17. 78. Joh. 1, 5. Rom. 4, 12. 6, 6. 8, 26. 10, 6. 1 Cor. 4, 3. 6, 14. 9, 10. 12, 28. 14, 32. 2 Cor. 3, 9. Gal. 5, 8. Eph. 4, 14. 5, 8. 13. Phil. 3, 3. Col. 1, 16. 2, 9. 2 Tim. 2, 19. 2 Petr. 2, 10.
abyssus. Rom. 10, 6.
accentus emph. Luc. 14, 26. 1 Cor. 14, 22.
accentus hebraici. Matth. 2, 18. 3, 3. 13, 15. Marc. 11, 17. 12, 29. Luc. 4, 18. Act. 7, 6. 15, 17. 28, 27. Rom. 9, 27. 1 Cor. 12, 12. Hebr. 3, 10. Apoc. 13, 1. (thes. 10. obs. 30.) etc. 17, 10.
accusativi duo. Act 26, 3.
accusativus absolutus. Act. 7, 21. 10, 36. 26, 3. Rom. 15, 20. 2 Thess. 1, 5. 1 Tim. 1, 6. 2 Tim. 2, 14. — temporis, Act. 20, 16.
activum cum pronomine reciproco. 2 Tim. 2, 21. — pro conatu, Joh. 5, 16.
adaemonismus. Eph. 1, 21.
adagialis sermo. Matth. 26, 24. Luc. 1, 17. 13, 32. 1 Cor. 2, 3. 9, 10. Jac. 5, 3. 5.
adjectivum, absolute positum, 1 Tim. 3, 15. — pro adverbio, Act. 4, 25. 1 Tim. 5, 19. — conveniens posteriori substantivo, Act. 5, 20.
adoptio. Eph. 1, 5.
adventus Christi. Joh. 21, 22. Act. 1, 11. 2 Thess. 2, 3. (Thes. 21). Jac. 5, 8. Apoc. 1, 7.
adverbium pro nomine. Joh. 1, 15. Act. 15, 25.
aequilibrium carnis et spiritus. Rom. 8, 18.
aevum finitum. Apoc. 14, 6.
affectus Jesu. Joh. 11, 33.
affinia verba. Luc. 1, 17.
αἴσθησις. Phil. 2, 21.
alacritas sermonis. 2 Petr. 1, 3.
Alchalilo, Abrahamus. Jac. 2, 23.
Alcoran. 1 Cor. 1, 17.
Alexandrinus codex. Praef. §. 8., monit. 11. Apoc. 22, 21.
Alexandrina dialectus. Act. 13, 18.
allegationes V. T. Matth. 1, 22. Marc. 12, 26.
allegoria. Act. 20, 29. 24, 16. Rom. 2, 15. 6, 13. 15, 16. 1 Cor. 15, 36. 2 Cor. 3, 13. Phil. 3, 9. 11. 2 Tim. 2, 18.
allusiones. Praef. §. 15. pag. XXV not. Luc. 1, 69. 72. 78. Joh. 7, 38. 2 Tim. 1, 17. Hebr. 13, 20.
Alogi p. 305.
Alpha et O. Apoc. 1, 8.
ambiguus sermo, ἀμφιβολία. Act. 17, 22. 1 Cor. 4, 8. 2 Cor. 10, 13. 12, 13. 2 Tim. 2, 17. Philem. v. 15.
amen. Matth. 5, 18. Joh. 1, 52.
America. Act. 8, 39.
amicitia. Rom. 5, 7. 3 Joh. v. 15. — Jesu in Johannem, Joh. 13, 23.
amoenum verbum. Luc. 1, 13. Joh. 4, 14. 52. Act. 7, 60. 1 Cor. 15, 42.
amor Dei et proximi Matth. 22, 37. seqq. — purus, Rom. 2, 7.
amphisbaena. Apoc. 9, 19.

Digitized by Google

ampla oratio. 1 Cor. 3, 22.
anadiplosis. Joh. 18, 37. Gal. 4, 31. Jac. 1, 1.
anakephalaeosis. Act. 7, 1. 18, 17. fs. Rom. 5, 1. 1 Cor. 10, 11.
analogia fidei. Rom. 12, 6.
analogia scripturae. vid. *parallela*.
anaphora. Act. 7, 35. 20, 18. 22. coll. 25. 26, 18. 1 Cor. 3, 9. 2 Cor. 2, 1. 8, 3. Gal. 4, 4. 5. Eph. 2, 21. 3, 19. Phil. 3, 2. Col. 1, 18. 2, 2. 23. 2 Tim. 1, 18. 2, 3. 16. Jac. 2, 19.
angeli. Matth. 18, 10. Luc. 15, 7. 9. 10. Act. 12, 15. 23. Col. 2, 15. Apoc. 16, 12. et passim.
antanaclasis. Rom. 2, 12. 1 Cor. 4, 7. Gal. 5, 8. Eph. 5, 13. Phil. 3, 8. 1 Petr. 3, 1. Apoc. 2, 3.
anthypophora. Rom. 8, 31. Hebr. 2, 8.
antichristus. 1 Joh. 2, 18. Apoc. 13, 1. thes. 10. obs. 19.
antipathia. Joh. 8, 37.
antiphrasis. 1 Cor. 8, 10.
antiquitatum usus et abusus. Apoc. 11, 15.
antonomasia. Act. 3, 14. 7, 52. 1 Cor. 15, 45. 2 Tim. 1, 8. Hebr. 1, 1.
aoristus. Joh. 1, 3. 4, 10. 15, 6. Col. 2, 13.
ἀπειρεργία, virtus. Joh. 13, 6.
Apocalypseos stricturae. Matth. 16, 28. Joh. 21, 22. Act. 1, 7. 11. — excellentia, Apoc. 1, 1. etc. — interpretes recentiores, Apoc. 22. fin.
apocrypha. Matth. 24, 15.
apodosis, occulta. Joh. 14, 31. Act. 23, 9. Rom. 5, 12. 9, 22. — interrogans. Rom. 8, 31. fin.
Apostoli. Matth. 10, 1. sq. Marc. 3, 14. 16, 20. Joh. 17, 6. Act. 1, 13. 4, 36. 8, 18. Rom. 1, 11. eorum adolescentia, Matth. 4, 21. 8, 14. — non omniscii, Act. 20, 22.
apostrophe. Act. 15, 10. 26, 8.
apostrophus. 1 Cor. 6, 11. Gal. 1, 1.
apotomia. Rom. 9, 14.
apparitiones. Luc. 16, 29.
appellationes Dei. Matth. 11, 25. Joh. 17, 1.
applicatio singularis. Joh. 11, 26. Act. 26, 2.
appodiare. Marc. 11, 25.
appositio. Luc. 11, 11. 22, 20. Act. 10, 38. Col. 2, 11. 3, 11. — elliptica, 1 Tim. 6, 19. — cum metonymia, Col. 1, 20. — nominis et pronom. Act. 10, 41. Rom. 1, 20. 8, 23. 12, 1. Hebr. 9, 10.
Apringius. Apoc. procem. n. 3.
apta verba. Luc. 8, 50. 9, 51. Act. 2, 2. 7, 48. 17, 29. 30. 31. 26, 25. 27, 3. 14. Col. 2, 11. 2 Tim. 1, 13. 2, 15.
arabismus. Matth. XII, 36.
archangelus. Jud. v. 9.
archisacerdos. Hebr. 2, 17.
argumentum ab invidia. Joh. 7, 52.
arithmetica demonstratio Justific. Rom. 3, 28.
Arius. Apoc. 8, 10.
Armena Versio. Matth. XXVII, 16.
Arndius. Apoc. XIV, 6.
Artemonius. Matth. 27, 53. Joh. 1, 1. 8, 58. 10, 34. 20, 28. Rom. 1, 4. 9, 5. 1 Cor. 2, 11. 5, 12. Gal. 1, 1. 1 Tim. 3, 16. Hebr. 1, 1. 8. 10. 13, 8. 1 Joh. 2, 14. Ap. 1, 1. 2. 17. 22, 13.
artes, in regno DEI utiles. Act. 18, 24.
Articulus. vid. ὁ, ἡ, τὸ. Ind. II. — promiscue scriptus vel omissus, Matth. 12, 35. — vim habens, Luc. 1, 62. 73. 3, 23. 15, 22. 23. Joh. 5, 35. Act. 1, 13. 2, 9. 47. 4, 11. 6. 11. 9, 35. 11, 13. 13, 2. 15, 20. 21, 27. 24. 25. 25, 11. 26, 10. 28, 14. Rom. 3, 5. 1 Cor. 1, 27. 2, 15. 4, 6. 9, 5. 2 Cor. 2, 17. 12, 12. Gal. 4, 18. 5, 10. Col. 2, 2. 6. 3, 5. 1 Thess. 4, 5. 2 Thess. 2, 3. 3, 14. — vim pronominis habens, Jac. 2, 14. — nota Subjecti, Joh. 2, 9. 1 Thess. 4, 3. 1 Tim. 1, 5. Hebr. 1, 7. — emphasin addens praedicato, Act. 18, 28. — omissus, Luc. 1, 69. 2, 12. 13. 13, 20. Act. 2, 3. 3, 19. 4, 9. 19, 2. 26, 2. 1 Cor. 1, 23. 2, 14. 4, 20. 6, 3. 14, 2. Gal. 1, 10. 6, 8. Phil. 3, 9. Eph. 4, 10. 1 Tim. 2, 5. 5, 21. Col. 2, 3. Jac. 5, 9. Hebr. 1, 1. — simplex, Eph. 5, 5.
articulus mortis mysticae. Rom. 7, 24.
artifici non semper credendum. Act. 27, 11.
ascensio Christi. Eph. 4, 8.
asseveratio. Rom. 1, 9.
asteismus, s. ἀστεῖος sermo. Luc. 14, 8. 1 Cor. 11, 19. 2 Cor. 12, 13. 2 Petr. 2, 11. Philem. v. 1.
asyndeton. Matth. 15, 19. Luc. 1, 17. 1 Cor. 13, 4. Gal. 3, 13. 5, 23. Eph. 3, 17. 4, 13. Phil. 3, 16. 4, 8. Col. 2, 13. 1 Thess. 4, 6. 1 Tim. 1, 17. 2 Tim. 4, 2. 1 Petr. 1, 22.
Athanasius. Matth. XXI, 28.
Atheismus practicus. Luc. 16, 30.
Attica dialectus. Luc. 4, 18. Act. 26, 3.
Atto. Col. I, 27.
auctor Gnomonis, orthodoxiae deditus. Praef. §. 21. Ejus scripta, ibid. §. 7. et conclus. operis. Notae ad Gregorii Neocaes. Paneg. Matth. 7, 11. ad Chrysost. de Sacerd. Luc. 1, 47. Edd. N. T. Gr. et Defensiones, Praef. §. 8. Apparatus criticus corr. Matth. 1, 25. Joh. 1, 1.; p. 301. Ap. 8, 13. 16, 13. et passim, (ut videre est in Ed. II., d. a. 1763). N. T. Gr. edd. vind. Luc. 10, 13. ed. min. anni 1734 corr. 1 Cor. 16, 5. Articuli quidam in libro, *Geistliche Fama*, Apoc. 11, 2. Harmon. Evang. Matth. 12, 40. Defensio II, Act. 9, 6. *Erklärte Offenbarung*, Matth. 11, 27. Apoc. procem. n. 1. et c. 1, 5. (Defensores ejus varii, Apoc. 22, 21. fin.) Ordo temporum, corr. Act. 13, 19. sq. Hebr. 7, 1. Cyclus, Praef. §. 20. p. XXX. not. (ejusque Vers. germ. anni 1773, Apoc. 1, 1. XXII, 21. fin.) Versio Germ. N. T., Praef. §. 26. — Vita, Praelimm. p. XXXIII. seqq.
auditor bonus. Luc. 8, 16.
augusta oratio. Act. 7, 56.
Augustinus. Joh. 4, 42.
aula. Marc. 6, 14. Luc. 9, 9. 23, 10.
αὐτάρκεια. Joh. 14, 8. 16, 23.
autographa N. T. Praef. §. 8. n. 17. Act. 13, 19.
auxiliare verbum. Act. 21, 35.
axioma speciale amitti potest. Act. 15, 37.

Digitized by Google

Babylon. 1 Petr. 5, 13.
baptismus. Joh. 3, 5. Matth. 21, 25. Rom. 6, 3. 10, 47. — infantum, Act. 16, 15. — Johannis, Act. 19, 3. 5. — non iterandus, Act. 8, 13. — privatio bapt. non damnat, Marc. 16, 16.
baptizatio, actio ministerialis. Joh. 4, 2.
Baraterius, J. Ph. p. 306.
barbarismus, negatur. Joh. 8, 58.
Bartholomaeus. Joh. 1, 46.
Baumgartenius. Matth. 1, 17. pag. 14. Rom. 1, 7. 16. 17. 4, 5. 6, 11. 12. 7, 10. 8, 1. 18. sq. 9, 5. 22. sq. 11, 21. 30. sq. 13, 5. 9. 14, 9. 16, 3. 20. Jac. 2, 7. et passim. *(Conf. App. crit. Ed. II.)*
beatus. Matth. 5, 3. 11, 6. 16, 17. Ap. 1, 3.
Bellarminus. Joh. 21, 16.
bellum. Matth. 24, 6.
beneplacitum Dei. Matth. 11, 26.
benignus sermo. Luc. 7, 40. 47. 12, 32. Act. 1, 7. 2, 15. 29. 3, 17. 5, 38. 11, 3. 17, 22. 29. 22, 5. 28, 19. 2 Cor. 8, 13.
Bertlingius, D. Praef. §. 18. p. XXVIII. not.
bestia, non Gregor. VII. Apoc. 13, 1. (obs. 1.)
Biblia Germanico-Originalia. Praef. §. 18. p. XXVII.
bivia chronologica. Matth. 1, 8.
Blackwallus. Praef. §. 9. 11. p. XVI. XXI. Rom. 11, 21.
blasphemia. Matth. 9, 3. 12, 31.
Boehmer, L. G. Apoc. XXII. fin.
Boernerianus codex. Praef. §. 8. monit 4.
bona ecclesiastica. Act. 6, 3.
bona opera, libera simul et necessaria. Rom. 15, 27.
Bromley, Thom. Hebr. 12, 24. p. 927.
Bruckerus, Jac. Apoc. XXII. fin.
Buchstaben. Hebr. 5, 12.
Büschingius, D. Praef. §. 18. p. XXVIII.
Burkius, Ph. D. Prooem. pag. 5. 7. sq. Praef. §. 25. fin.
Burkius, L. A. Prooem. p. 8.
Burscherus, D. L. F. Apoc. 14, 6.

Calculus mutatus. Apoc. 12, 6.
Calvinus. 1 Petr. 3, 19.
candor. Luc. 1, 1.
Canon, non mancus. Joh. 21, 25.
canones apostolici. 1 Tim. 3, 2.
canonizatio vera. Joh. 17, 19.
capillamenta. 1 Cor. 11, 5.
carnales, debitores. Rom. 8, 12.
caro, peccati officina. Rom. 7, 4.
caro et *spiritus.* Joh. 6, 63. Rom. 1, 4. 1 Tim. 3, 16. 1 Petr. 3, 18. Conf. tit. *spiritus.*
carouges, *gall.* Luc. 15, 16.
casus conscientiae, per regulas firmas decidendi. Matth. 9, 13. 12, 6. 19, 6. 1 Cor. 7, 15.
casus relativi. Rom. 6, 17.
casus sextus. Act. 13, 36. 17, 29. Eph. 3, 5. Col. 4, 6. Hebr. 8, 5. Apoc. 8, 3. 18, 2.
catachresis. Gal. 3, 8.
catechesis. Matth. 16, 13. Luc. 1, 4. 1 Joh. 2, 18.
catechismus Romanus. p. 48.
Cerinthus. p. 302. 304. 305.
characteres morales in scriptura. Matth. 13, 20. 23, 13. Luc. 12, 17. 13, 31. 16, 20. — spirituales, Joh. 20, 4.
charientismus. Joh. 9, 30.
charismata. 1 Cor. 12, 9.
charta blanca. Joh. 16, 23.
chiasmus, figura. Praef. §. 24. Matth. 5, 44. Joh. 5, 21. 8, 25. 28. Act. 2, 46. 20, 21. Rom. 2, 14. 17—20. 6, 12. sq. 8, 9. 32. 34. coll. 38. 9, 4. 24. sq. 11, 33. sq. 13, 13. 1 Cor. 9, 1. 13, 5. 2 Cor. 2, 16. 4, 1. Gal. 4, 4. Eph. 3, 16. Col. 2, 18. 2 Tim. 2, 24. Philem. v. 5. Hebr. 1, 4. 3, 12.
chiliasmus. Praef. §. 21. Ap. 20, 3. sq.
christiani. Act. 11, 26. 15, 7. sqq.
christianismus, unde aestimandus. Act. 2, 42.
Christlieb, W. B. Apoc. XXII. fin.
Christus. 2 Cor. 5, 16. Apoc. 11, 15. — metonymice, pro christianismus, Hebr. 6, 1. — de Christo interpretanda Scriptura, Matth. 2, 23. Act. 2, 31. 34. 8, 34. sq. vid. *Jesus.*
chronologica. p. 18. 224. 257. 346. 418. 470. 578. 808. 912.
Chrysostomus. Rom. 5, 13. Gal. 5, 26. 1 Joh. 2, 14. 16. Apoc. 1, 9.
circumcisio. Rom. 2, 25.
civilitas sancta. Joh. 21, 15. Act. 9, 38.
clamores Christi. Joh. 7, 28.
classificatio. 1 Joh. 4, 18.
claves. Matth. 16, 19.
clepsydrae non alligandi spirituales. Act. 20, 7.
clerus. 1 Petr. 5, 3.
climax. Act. 23, 6. Rom. 1, 23. 5, 7. 10, 14. sq. Eph. 4, 31.
Cluverus. Rom. 8, 21.
coelibatus. 1 Cor. 7, 1.
coelitum scientia. Luc. 15, 6. sq.
coelum. Matth. 6, 9. — pro DEUS, Matth. 7, 17. Joh. 3, 27.
coena Dominica. Matth. 26, 28. 1 Cor. 11, 20.
cognitio, maximi momenti res. Joh. 17, 3.
cognitio veritatis, unde? Joh. 7, 17.
commentarii. Praef. §. 3. sq.
commissarius. Act. 26, 12.
communicatio idiomatum. Marc. 13, 32.
communicatio rhet. Act. 4, 19. 1 Cor. 6, 2.
communio sub utraque. Matth. 26, 27. et p. 924. sq.
communio bonorum. Act. 2, 45. 4, 32. 9, 36. 21, 8. Rom. 15, 26. Act. 9, 6. — precum, Matth. 18, 19. 20. — Sanctorum, Luc. 1, 40.
comparatio implicita. Rom. 5, 14. sq.
comparativa Theologia. Matth. 23, 23. 1 Cor. 12, 31. Phil. 1, 10.
compositum verbum. Luc. 1, 4. 19. 4, 3. 6, 35. 8, 43. 14, 3. Act. 13, 27. 2 Tim. 4, 3.
conceptio J. C. ubi facta? Luc. 1, 39. Hebr. 7, 14.
concilii boni exemplum. Act. 15, 6. 15.
conciliantia argumenta. Matth. 14, 4.
concinnitas. Luc. 14, 2. Act. 23, 5—9. 1 Cor. 6, 19. 11, 31. 13, 12. 2 Cor. 6, 8. 12, 7. 1 Petr. 3, 7. 16. 2 Petr. 2, 8.

Digitized by Google

concisa locutio. Matth. 2, 20. 4, 5. Luc. 1, 15. 17. 23. 4, 2. 38. 13, 7. 16, 26. Joh. 1, 23. 6, 21. 8, 58. 12, 31. 15, 21. 27. 21, 20. Act. 7, 7. 9. 16. 8, 22. 13, 33. 15, 23. Rom. 1, 8. 2, 10. 6, 4. 9, 4. 13, 7. 15, 18. 1 Cor. 1, 25. 9, 5. 10, 13. 2 Cor. 11, 3. Gal. 3, 8. 23. Col. 2, 20. 3, 3. 2 Tim. 1, 10. 2, 8. 26. Hebr. 1, 6. 5, 7. 7, 5. 10, 22. 1 Petr. 3, 16. 5, 12. etc. vid. *semiduplex.*

concordia. Act. 1, 14. 4, 32.

concretum et *abstract.* Act. 10, 38. — pro abstracto, Gal. 4, 19. Eph. 4, 13. 22. Col. 3, 11.

concubinatus. Matth. 19, 6.

conditiones iniquae. Joh. 10, 24.

confessio laudis. Matth. 11, 25. — peccatorum, Matth. 3, 6. Act. 19, 18. — spei, 1 Petr. 3, 15.

conjugata. Luc. 8, 5. 1 Tim. 1, 8. 2 Tim. 2, 9.

conjugium. 1 Cor. 7, 1. sqq. conjugum officia, Eph. 5, 22. sqq.

conscientia. Act. 23, 1.

consequentia a posse ad esse, Rom. 14, 4. — a majori ad minus, Rom. 8, 32. — a min. ad majus, Rom. 3, 6.

consequentiae. Matth. 22, 32.

considerationes uberiores, Matth. 1, 16. de genealogia Josephi: 2, 23. de Nazareno: 10, 2. de apostolorum ordine: 12, 40. de passionis triduo: 13, 3. de 7 parabolis: 18, 17. de Articulo nunquam otioso: 22, 32. de consequentiarum valore: 24, 29. de optica vaticiniorum indole: 24, 33. de ordine verborum non posthabendo: Marc. 10, 18. de sermonibus Jesu ad captum audientium attemperatis, coll. 13, 32.; 15, 25. de horis in cruce peractis: Luc. 3, 23. 36. de genealogia Mariae: 7, 35. de Sapientia a filiis justificata: 9, 50. de pronominibus non confundendis: 16, 8. de mamona injusto: Joh. 1, 1. de Artemonio: 1, 15. de utroque Johanne: 1, 52. de voce Amen: 3, 5. de aqua et spiritu: 6, 37. de stilo N. T. graeco: 8, 1. 6. de adultera et scriptione: 8, 20. de Didactica Christi: 13, 14. de pedilavio: 14, 28. de Christi sensu et sermone humili: 21, 22. de Johanne mansuro: Act. 1, 7. de Reservato divino: 3, 21. de Christo coelum capiente: 8, 22. de Christo et Mose: 5, 5. de poena Ananiae et uxori inflicta: 7, 1. 14. de sermone Stephani opportunissimo: 12, 21. de morte Herodis: 13, 18. 19. de DEO, populum gestante: 13, 33. de voc. Hodie ex Ps. 2, 7.: 13, 48. de praedestin. et reprobatione: 17, 23. de ignoto Deo: 19, 5. de baptismo repetito: 19, 19. de αὐτογράφοις apostolorum: 23, 5. de Paulo, nec mendacii reo nec stratagematis: Rom. 1, 1. de epistolis, Paulinis praecipue: 1, 17. de justitia DEI: 3, 23. de gloria DEI: 3, 25. de παρέσει et ἀφέσει: 5, 7. de differ. Boni et Justi: 5, 12. sq. de peccato originali: 7, 14. de progressu hominis a statu sub lege in statum sub gratia: 8, 19. de creatura suspirante: 8, 31. de apodosi interrogante: 9, 3. de Paulo seipsum devovente: 9, 5. de Christo DEO: 12, 6. de prophetia et analogia fidei: 14, 9. de psychopannychia: 15, 6—8. de nominibus DEI et Christi: 1 Cor. 1, 27. de electione: 7, 25. de theopneustia: 10, 2. de sacramentis V. T. 10, 2. de Christo in respectu ad V. T. 11, 7. sq. de muliere velanda: 12, 9. de fide communi et miraculosa: 13, 4. de natura amoris: 15, 23. sq. de Ultimis: 15, 29. de baptismo super mortuis: 2 Cor. 5, 10. de peccatis fidelium manifestandis: 12, 2. de raptu Pauli: 12, 7. de colaphis satanicis: Gal. 2, 9. de Paulo et Jacobo: 2, 16. de legis operibus non justificantibus: 3, 16. de semine monadico: 4, 24. sq. de allegoria: Eph. 1, 1. de scopo epistolae: 1, 23. de plenitudine: 4, 11. de ministris evangelii: Phil. 1, 9. de cognitione et sensu: 2, 6. de exinanitione: Col. 2, 15. de sabbato: 2 Thess. 2, 3. sq. de mysterio iniquitatis: 1 Tim. 3, 2. de polygamia successiva: 3, 15. sq. de evangelio, ecclesiae columna et firmamento: 4, 2. de cauterizatis: Tit. 1, 7. de Oeconomo Dei: Hebr. *in Exord.*, de Paulo auctore: c. 1, 4. de chiasmo: 1, 6. de allegandi formulis: 2, 5. de angelis conservis: 2, 7. de Christo, pro omni mortem gustante: 4, 12. de anima et spiritu: 5, 7. de processu passionis: 6, 1. de catechismo V. T. christiano: 6, 4. de relapsu: 8, 11. de θεοδιδάκτοις: 9, 18. de voce בְּרִית et διαθήκη: 10, 7. de Volumine: 11, 1. de fidei definitione: 11, 21. de baculo Jacobi: 11, 33. de prophetis: 12, 24. de sanguine adspersionis in coelo: Jac. 2, 14. 21. de Jacobo et Paulo: 3, 6. de macrocosmo et microcosmo: 5, 14. de unctione: 1 Petr. 3, 18 sq. de descensu ad inferos: 2 Petr. 1, 5. de systemate virtutum: 2, 10. de angelorum peccatorum praestantia: 3, 8. de mille annis Ps. XC. 4.: 1 Joh. 2, 2. de gradibus aetatis: 2, 18. de antichristo: 5, 7. de tribus Testibus: 5, 16. de peccato ad mortem: Jud. v. 14. de Septenario: Apoc., *Procem.* de subsidiis criticis: c. 1, 1. de titulo et argumento libri: 1, 3. de adjumentis intelligendae Apocalypseos: 1, 8. coll. 11, 17. de nominibus divinis, inprimis יְהוָה: 1, 10. de die Domini: 2, 1. de septem epistolis: 2, 16. de lectione breviori, plerumque genuina: 4, 1. de sigillorum eventu: 4, 8. de σφραγίσω: 6, 2. de interpretatione sigillorum Langiana: 6, 11. de chrono: ib. de editione Erasmi: 8, 3. de suffitu angelico: 10, 6. de non-chrono: 12, 9. de voc. διάβολος et שָׂטָן: 12, 14. de 1. 2. ½ temporibus: 13, 1. sqq. de bestia ex mari: 13, 18. de numero 666 pag. 1096. sq.: 17, 9. de urbe septicolli: 17, 10. Tabula chronologica: 17, 11. de filio perditionis: 18, 13. de rhedis: 19, 1. de voce הַלְלוּ יָהּ: 20, 2. sq. de chiliasmo: 20, 4. de septenario: 20, 11. Tabula chronologica: 20, 16. 17. de 12000 stadiis et 144 calamis: 22, 13. de titulo Jesu: 22, 18. de peccatis in librum Apocalypseos. etc.

consilia evangelica. Matth. 19, 21.

Digitized by Google

constructiones singulares. Marc. 3, 27. Luc. 5, 17. 8, 20. 13, 16. Act. 15, 7. 23. 20, 3. 21, 16. 22, 17. 25, 20. 27, 1. 28, 27. Col. 2, 8. 2 Tim. 3, 14. Apoc. passim.
consuetudines J. C. Marc. 10, 1.
consummatio seculi. Matth. 13, 39. 2 Petr. 3, 11.
controversiae quomodo tractandae. Gal. 1, 8.
conversatio sancta. Act. 8, 30. 21, 29.
conversio. Matth. 18, 15. Luc. 1, 17. 15, 17. Joh. 7, 17. Act. 3, 26. 9, 5. 9. 20. 11, 21. 24, 25. 26, 18. 19. differt a *poenitentia*, Luc. 15, 17. Act. 3, 19. 26, 20. — Judaeorum, Rom. 11, 18.
cor. Matth. 5, 8. 11, 29. 13, 15. Luc. 16, 15. Act. 1, 24. 8, 21.
Cornerus. Hebr. 2, 7.
corpus Christi. Rom. 7, 4.
correctio frat. Act. 7, 26.
correctio serm. Gal. 3, 4. Eph. 3, 19.
correptio. Matth. 12, 2.
creatio. Marc. 10, 6. 16, 15. Hebr. 11, 3.
Creatur. 1 Petr. 2, 13.
crisis. Praef. §. 8. sqq. Apoc. prooem. n. 2, et cap. 22, 18. 21. etc.
Crusius, D. C. A. Praef. §. 14. p. XXV. not. §. 20. p. XXIX. not. Matth. 1, 8. 12. XXIII, 35. Luc. I, 9. VII, 30. Apoc. XXII. fin.
crux. Matth. 10, 38. crucis horae etc. Joh. 19, 14.
cumulatio verborum. Luc. 13, 15.
cursus. Act. 13, 25.
cyclopae evangeliophori. Jac. 2, 24.

Daemonia. Matth. 17, 21. 1 Cor. 10, 20. *daemonium habere*, Matth. 11, 18.
daemonologicae observationes: Matth. 4, 1. 3. 4. 5. 10. 24. 7, 22. 8, 28. 29. 31. 32. 10, 1. 12, 25. 26. 43. 44. 45. 13, 19. Marc. 1, 23. 24. 26. 3, 18. 5, 3. 7. 8. 10. 15. 6, 13. 7, 25. 30. 9, 22. 25. 26. Luc. 3, 22. 4, 6. 8, 12. 27. 31. 10, 18. 19. 11, 22. 12, 58. 16, 29. Joh. 8, 44. 12, 31. 13, 27. 14, 30. 16, 11. Act. 8, 7. 9. 16, 17. 19, 13. 19. Rom. 8, 20. 38. 39. 16, 20. etc.
Daniel, propheta. Matth. 24, 5.
Dannhauerus. Hebr. 12, 24. p. 927.
dativus. Luc. 9, 59. 12, 20. 15, 30. Act. 1, 6. 19, 27. Rom. 4, 12. 8, 24. 1 Thess. 5, 27. 1 Tim. 4, 3. Apoc. 2, 14.
decompositum. Act. 13, 26. 24, 12. 2 Cor. 9, 12. 2 Thess. 2, 1. Tit. 1, 5.
decorum in actione et sermone J. C. et in Scriptura N. T., Praef. §. 15. Matth. 3, 15. cap. 5, 11. 7, 28. 9, 13. 15, 23. Marc. 14, 8. Luc. 2, 9. 3, 23. 9, 50. 12, 21. Joh. 4, 6. 11, 15. Act. 2, 8. 14. 9, 9. 2 Cor. 9, 12. Gal. 5, 13. — in vita, Matth. 28, 26.
decretum absolutum. Rom. 11, 6.
δεινότης in sermone. Luc. 12, 5. Act. 7, 43. 20, 24. 26, 6. Rom. 2, 5. 3, 19. 11, 17. Col. 1, 20. 25. 1 Tim. 1, 15.
de Dieu. Act. 15, 17.
Deitas J. C. Matth. 11, 10. Luc. 1, 16. Joh. 1, 1. 5, 17. 8, 17. 19. 10, 30. 34. 17, 5. 20, 28. Rom. 9, 5. 14, 11. 1 Cor. 10, 9. Phil. 2, 6. 1 Thess. 5, 27. 1 Tim. 3, 16. Hebr. 1, 1 sqq. 3, 4. 7, 26. 1 Joh. 4, 2.
deprecatio pro aliis, magna res. 1 Tim. 2, 5.
derelictio J. C. in cruce. Matth. 27, 46.
descensus ad inferos. Eph. 4, 9. 1 Petr. 3, 19.
detorsio, impia. Matth. 27, 47.
Deuarius. 2 Cor. 7, 8.
DEUS est: Hebr. 11, 6. est in sanctis, 1 Cor. 14, 25.: est Deus *patientiae* etc. Rom. 15, 5. Dei patefactiones, Matth. 3, 17. 17, 5. Act. 17, 24. de Deo, sermo expressus, Matth. 5, 45. vel per ellipsin, Matth. 4, 23. 3 Joh. v. 7. de *Deo*, de *nobis*, de *proximo*, saepe agitur. Matth. 6, 1. 11, 7. *Dei fides* etc. 1 Petr. 2, 19. *Dei zelus* Rom. 10, 2. *Deo pulcher*, Act. 7, 20. *Solus Deus*, 1 Tim. 1, 17.
Deylingius, Sal. Hebr. 12, 24. Ap. 13, 1. thes. 7.
diabolus. Joh. 8, 44. peccator, 1 Joh. 3, 8. tentator, Matth. 4, 1. *diaboli judicium*, 1 Tim. 3, 6. Conf. *daemonol.*
diaconi. Act. 6, 2. Philem. v. 22. not.
diasyrmus. Joh. 7, 4.
die lux. Apoc. Prooem. n. 3.
dico vobis. Matth. 5, 18. 6, 29. Luc. 13, 3.
didactica Christi. (conf. *trivium*.) Joh. 8, 20.
dies. 1 Cor. 3, 13. Hebr. 10, 25. ille, Matth. 7, 22. propinquus, Matth. 16, 28. 1 Thess. 4, 5. 2 Thess. 2, 2. sq. Hebr. 1, 1. 1 Joh. 2, 18. *dies Dei*, 2 Petr. 3, 12. *Christi*, Joh. 8, 56. *dominic.* Apoc. 1, 10. dies conversionis, Luc. 19, 9.
dilatio, periculosa. Act. 24, 25.
diminutivum. Luc. 12, 32.
disciplina eccl. Jac. 5, 4.
discipuli. Matth. 10, 1.
discrepantiae in exeg. Apoc., p. 1028. Ap. XIII. 1. (th. 7.) p. 1081. sq.
divide et impera. Act. 23, 6.
divinis de rebus nonnisi modeste ratiocinandum. Rom. 11, 34. 1 Cor. 12, 18.
divortium. Matth. 5, 31. 19, 4.
doctoris falsi character. Act. 20, 30.
doctrina pura. Matth. 16, 6.
dona sanctificantia et administrantia. Rom. 12, 4.
doxologiae. 1 Tim. 1, 17.
dubitatio. Act. 10, 20.
duella. Matth. 5, 39.

Ecclesia. Matth. 15, 26. 18, 17. Joh. 4, 42. Act. 5, 11. 6, 3. 8. 1 Cor. 1, 2.
Echo. Matth. 8, 3.
ecstasis. Act. 10, 10.
editiones auctae et emendatae. Praef. p. XXVII. not.
efficacia verbi divini. Matth. 7, 29. 8, 7.
efficax sermo. 1 Cor. 15, 3.
electi. Matth. 20, 16. 24, 22. Col. 3, 12.
electio, *praedestinatio* etc. Matth. 7, 24. 11, 26. Rom. 2, 4. 8, 29. 1 Cor. 1, 27. Eph. 1, 4.
elegantia. Luc. 12, 17. Joh. 1, 17. 5, 2. 6, 37. Act. 1, 21. 2, 33. 3, 14. 7, 48. 8, 31. 10, 28. 35. 13, 26. 17, 31. 26, 15. 28. 29. 1 Cor. 3, 10. 6, 13. 7, 1. 8, 12. 12, 15. 14, 5. 26. 15, 8. 39. 2 Cor. 1, 23. 3, 18. 4, 11. Gal.

Digitized by Google

5, 17. 6, 6. Eph. 2, 15. 17. 3, 8. 1 Tim. 5, 4. 23. Jac. 3, 4. 2 Petr. 1, 15.
elementa. Hebr. 5, 12.
elenchus, quando opportunus. Joh. 8, 12. Act. 7, 51. Act. 13, 46.
elephantorum ejulatus. Rom. 8, 22.
ellipsis. Marc. 6, 14. 15, 8. Luc. 8, 19. 12, 20. 47. 48. 13, 9. 14, 18. 18, 14. Joh. 7, 38. Act. 2, 3. 29. 7, 20. 48. 10, 10. 36. Rom. 1, 26. 2, 8. 18. 12, 19. 1 Cor. 15, 25. 39. 2 Cor. 8, 13. Eph. 5, 33. 2 Thess. 2, 3. 1 Tim. 6, 2. Hebr. 6, 8. 1 Joh. 2, 27. — imperativi, Gal. 5, 13. — optativi, Phil. 4, 3. 23. — praedicati, Phil. 2, 1. Eph. 5, 4. — pronominis, Act. 5, 41. 6, 1. 23, 15. 27, 14. 43. 28, 3.
emphasis. Praef. §. 14. p. XXIII. Luc. 1, 4. 45. 2, 48. 4, 15. 13, 27. Joh. 5, 36. 42. 6, 37. Act. 15, 18. 22, 25. 1 Cor. 6, 8. 7, 22. 8, 12. 2 Cor. 10, 1. Gal. 3, 10. Eph. 2, 14. Col. 1, 27. 1 Petr. 1, 10.
enallage. Joh. 6, 61. Act. 3, 21. 10, 28. 19, 34. 25, 22. Col. 1, 27. Apoc. 10, 9.
encaenia. Matth. 14, 6.
epanalepsis. Joh. 14, 11. Act. 13, 24. Rom. 8, 1. 1 Cor. 2, 6. 4, 13. 10, 10. Jac. 2, 15.
epanodos. Joh. 14, 17.
epiphonema. Rom. 1, 15. 1 Cor. 6, 20.
episcopus. Act. 6, 4. 20, 28. 1 Tim. 3, 1. sq.
epistolica forma in N. T. Rom. 1, 1.
epitasis. Matth. 18, 19. Act. 7, 5. 10, 30. 39. 17, 27. Rom. 9, 7. 1 Cor. 9, 25. 15, 35. 2 Cor. 3, 6. 5, 8. 8, 3. Phil. 4, 4. Eph. 5, 13. Hebr. 1, 13. 1 Joh. 4, 16.
epitherapia. Act. 26, 29. 1 Cor. 4, 14. 2 Cor. 10, 17. 12, 1. Phil. 4, 10. 1 Joh. 5, 18.
epitheti omissio emphatica. 1 Cor. 6, 20. 7, 23.
epizeuxis. Luc. 8, 24. 10, 41. Joh. 1, 52.
Ernesti, D. I. A. Prooem. p. VI. Praef. §. 8. n. 22. not. §. 16. p. XXVI. not. Marc. X. 21. XVI. 17. Luc. XIII. 35. Joh. IV. 35. VII. 17. 37. Act. XIII. 32. Rom. XV. 29. 1 Cor. VIII. 7. XIV. 6. 2 Cor. I. 12 seq. XII. 9. Col. I. 27. Hebr. I. 12. Jac. II. 22. Apoc. I. 1. p. 1025. III. 12. XXII. fin.
erroris noxa. Joh. 8, 44. 46. 9, 41.
Esrae liber. Matth. 23, 34.
ethopoeia. 1 Petr. 3, 3.
ethos. Luc. 10, 29. 12, 4. Act. 2, 8. 29. 20, 37. 21, 39. 23, 5. Rom. 6, 17. 7, 25. 9, 14. 12, 16. 1 Cor. 15, 57. 2 Cor. 1, 18. 2, 14. 7, 8. Eph. 4, 1.
evangelicus. Phil. 1, 27.
Evangelistae. Matth. *tit.* Eorum harmonia, Praef. §. 18. — cura in recensendo, Joh. 21, 23.
Evangelium. Matth. 4, 23. Marc. 1, 1. Luc. 1, 19. Rom. 2, 16.
eventus, quatenus exspectandus in prophetiis, Ap. 10, 6.
evidentia. Act. 20, 26. 22, 3. 26, 4. Rom. 6, 19.
εὐλάβια. Marc. 12, 32. Act. 5, 41. Rom. 2, 18. 1 Cor. 10, 19. Gal. 5, 13. 2 Thess. 2, 3.
euphemismus. Matth. 8, 11. Luc. 7, 35. 13, 1. Joh. 2, 25. 17, 19. Act. 2, 32. 10, 25. 28. 15, 21. Rom. 1, 17. 3, 3. 9, 4. 12, 12. 1 Cor. 1, 26. 2 Cor. 7, 7. 12. 1 Thess. 3, 5. 4, 6.
Euphrates. Apoc. 16, 12.
Eustathius. 1 Cor. 13, 12.
Euthymius. Matth. 6, 13.
exaltatio Christi. Phil. 2, 9. Hebr. 2, 5.
excidium. Act. 3, 23.
exegeseos sacrae aetates. Praef. §. 5.
exercitium propheticum. Marc. 16, 17. fin.
exinanitio Christi. Phil. 2, 7. Hebr. 2, 2.
expressus sermo. Jac. 3, 9.
exquisita appellatio. Luc. 1, 3. Joh. 5, 15. Col. 2, 13.
exultatio. 1 Thess. 5, 24.

facilitas sermonis. Gal. 4, 20.
familiaritas. 1 Cor. 16, 6. Phil. 3, 13.
Fehre, S. B. Apoc. XXII. fin.
festinatio, non semper expedit. Act. 9, 23.
festis diebus multum peccatur. Joh. 8, 4.
ficus. Marc. 11, 13.
fides. Matth. 8, 10. Luc. 17, 7. Joh. 12, 15. Jac. 1, 6. conjuncta cum *spe* et *amore*, Act. 24, 14. 1 Cor. 13, 13. Hebr. 10, 22. 1 Petr. 1, 3. salutaris Matth. 9, 22. miraculosa, Matth. 17, 20. Marc. 16, 17. 1 Cor. 12, 9. extra munus justificationis spectata, 1 Tim. 4, 12. — implicita et explicita, Joh. 6, 68. — cognitione prior, Joh. 6, 69.; exceptis tardioribus, Joh. 10, 38. — fructus verbi, Luc. 8, 12. — tardior, celeriorve, Luc. 24, 25. — est in *intellectu* et in *voluntate*, l. c. — non deses est, sed agilis, Joh. 12, 35. — exoriens et defaecata, Marc. 16, 13. — omnipotentiam apprehendit, beatius vero misericordiam, Luc. 17, 7. — amore et cognitione vel prior vel posterior, Joh. 16, 27. 17, 21. — historica olim difficilior, Act. 1, 22. — in DEUM et Christum, Rom. 1, 7. — *quatenus* justificet, Rom. 3, 28. — Christum attrahit, Rom. 10, 8. — amplectitur, quae nondum capimus, Joh. 12, 16. *Fides Dei* quid? Marc. 11, 22. — *fides*, Treue, virtus ministri, Matth. 24, 45. Luc. 16, 10.
fiducia Christi erga Patrem. Hebr. 2, 13.
Filius hominis. Matth. 12, 32. 16, 13.
Filius DEI, Jesus, sec. humanitatem. Luc. 1, 32. — amoris, Col. 1, 13.
Flacius. Rom. 7, 18. 10, 2.
foecunditas sensus. Rom. 1, 4.
foederalis methodus Theol. Matth. 26, 28.
Foertschius, D. Rom. XV. 29.
fons Graecus N. T. quis? Praef. §. 8. not. 12.
Forbesius. Apoc. 20, 4.
forense verbum. 2 Cor. 2, 6.
formularum usus sanctior, Joh. 20, 19. Act. 15, 23. — impietatem auget solennitas. Act. 12, 22. Conf. *triviales* et *proverbia*.
formula concludendi et excitandi, Eph. 6, 10. declarandi, 1 Tim. 6, 7. abrumpendi, Gal. 6, 17. extenuandi, Joh. 6, 9. explanandi in summa, 1 Cor. 7, 29. inducendi objectionem, Rom. 8, 1. laudandi, Matth. 25, 21. progrediendi, Phil. 3, 1. revelandi, 1 Thess. 4, 15. transeundi, Act. 8, 17. intervalli, Luc. 4, 24.

Digitized by Google

fortuita. Luc. 10, 31.
Frankius, A. H. Philem. v. 1.
Franzius. Matth. 5, 45. 1 Thess. 5, 27.
fratres Christi. Matth. 25, 40. Joh. 2, 12. 20, 17. Hebr. 2, 11. *fratres*, titulus Christianorum, Rom. 1, 13.
frequentia verba: in Actis, c. 1, 13. 17. 4, 13.; in 1 ad Cor., c. 2, 2. 3, 18.; in 2 ad Cor., c. 2, 14.; in ep. ad Col., c. 1, 9.; in 1 ad Tim., c. 2, 2. 9. 10. 6, 14.; in 1 Petr., c. 1, 3. 5. 2, 14.
Freymäurer. 1 Cor. 1, 26.
Frisch, L. F. Apoc. XXII. fin.
fructus. Rom. 1, 13.
fuga, persecutionis tempore. Act. 12, 17.
futurum. Luc. 7, 43. 12, 42. — duplex, Act. 11, 28.
futurorum cognitio. Matth. 24, 4.

Gabriel. Luc. 1, 9. Apoc. 11, 15.
Gallia. 2 Tim. 4, 10.
Gastpredigten. Col. 2, 1.
*Gataker*us. Matth. 20, 26. 1 Joh. 3, 9. Rom. 5, 7. 19.
gaudium. Matth. 5, 12. Act. 8, 8. Phil. 1, 4.
Gebhardi. Apoc. 13, 1 (bis,) et c. 20, 2.
gehenna. Matth. 5, 22.
genealogia Christi. Matth. 1, 1. sqq. Hebr. 7, 14.
genitivus. 1 Tim. 5, 11. absolutus, Luc. 8, 20. objecti, Joh. 12, 31. Rom. 11, 31.
gentes quomodo refutarint apostoli, Act. 19, 37.
Gerberus. Rom. 1, 26.
gloria: sanctitas. Act. 3, 14. coll. Rom. 5, 2.
gnome. 1 Cor. 6, 12.
gnorismata spiritualia. 1 Joh. 2, 3.
Gnostici. Joh. 2, 3.
gradatio. Act. 7, 35. Rom. 11, 33. 1 Cor. 1, 12. 4, 8. 13, 1. 14, 8. 15, 38. 2 Cor. 4, 4. 6, 16. 7, 2. 1 Thess. 4, 16. 1 Petr. 1, 10. 2 Petr. 3, 5.
Graecae linguae observationes, pusillae interdum, et tamen utiles. Matth. 6, 11. 13, 30. 24, 15. 27. 13, 27. Marc. 1, 34. 6, 8. 7, 1. 14, 19. 15, 34. Luc. 1, 73. 3, 21. 17, 7. Joh. 1, 15. 7, 34. 17, 2. Act. 13, 18. Rom. 9, 32. 11, 8. 1 Cor. 4, 6. 6, 11. 15. 2 Cor. 7, 8. 12, 13. Eph. 1, 6. Hebr. 13, 2. 1 Petr. 3, 1. 5, 4. 2 Petr. 2, 4. Apoc. 1, 9. 22, 2. Collatio ejus ad Hebraeam, Matth. 2, 23. 10, 25. 12, 36. Marc. 3, 27. 15, 34. Joh. 18, 1. Col. 3, 15. 2 Petr. 2, 15. seq. Graecorum verborum differentiae non paucae notantur in Indice II. Vid. etiam in hoc Indice III. *articulus*, *concisa locutio*, *media verba*, *tempus etc.*
grande verbum. Luc. 3, 23. 12, 32. Joh. 1, 3. Act. 2, 17. 1 Thess. 4, 16. 1 Tim. 2, 7. 9. 2 Tim. 3, 15. 4, 5. 8. 1 Petr. 2, 11. 2 Petr. 2, 10.
grandis sermo. Act. 1, 3. Rom. 1, 29. 2, 27. 1 Cor. 6, 1. 2 Cor. 1, 23. 4, 4. 8, 9. Eph. 2, 6. 6, 13. Phil. 2, 9. 3, 7. Jac. 2, 6. 13.
gratia universalis. Joh. 1, 29. 12, 47. Rom. 3, 3. Hebr. 10, 29. 1 Joh. 2, 2.
gratiarum actio. Rom. 14, 6.
gratum verbum. Act. 14, 26. 1 Cor. 16, 2.
gravis sermo. Luc. 1, 1. 9, 31. 12, 5. 14, 11. Act. 15, 22. 24. Rom. 1, 26. 1 Cor. 8, 9. 5, 1. 3. 16, 1. 2 Cor. 1, 23. Gal. 1, 6. 18. 3, 2. 16. 1 Petr. 1, 1. 2 Petr. 1, 4. 2, 16.
Gregorius Neocaesariensis. p. 302. sq.
Gregorius VII. Apoc. 13, 1.

de Haas, Gerh. Marc. X, 21.
haeresiologia. 1 Tim. 4, 1.
haeresis. Act. 24, 14. 1 Cor. 11, 19.
haereticus. Tit. 3, 10.
Harduinus. Joh. 18, 20.
Harenberg, J. C. Apoc. XXII. fin.
Hauberus, D. Praef. §. 9. ad can. 26. §. 18. Act. 15, 34. 1 Petr. 3, 17.
Hebraei. Exord. Ep. ad Hebr. p. 856. sq.
hebraismus. Praef. §. 14. pag. XXIV. Matth. 1, 1. 15, 5. Rom. 1, 17. 5, 14. 9, 8. 10. 11, 25. Apoc. 1, 5. et passim in his tribus et ceteris libris N. T., v. gr. Luc. 1, 30. 2, 21. 11, 33. Act. 10, 36. 1 Tim. 4, 3.
Hellenistae. Act. 11, 20. Ex. ad Hebr. p. 856.
Helwagius, E. F. Prooem. p. V. Praef. §. 20. p. XXX. Apoc. XXII. fin.
hendiadys. Act. 9, 31. 23, 6. Rom. 2, 20. 27. 15, 4. 2 Cor. 8, 2. Col. 1, 26. 2, 8. 1 Tim. 1, 4. 2 Tim. 1, 10. 4, 1.
hermeneuticae observationes. Praef. §. 14. Matth. 1, 22. 2, 1. 15. 18. 23. 5, 18. 39. 9, 18. 16, 8. 11. 13. 18, 13. 24, 15. 29. 42. 26, 64. Marc. 1, 2. 7, 1. 13, 32. Luc. 3, 2. 9, 50. 16, 8. Act. 2, 39. 8, 34. Rom. 11, 34. 1 Cor. 3, 19. 7, 25. 9, 17. 2 Cor. 11, 17. 2 Thess. 2, 3. (pos. 21.) Hebr. 12, 17. 1 Joh. 2, 18. Apoc. 12, 8. etc.
Herodes. Matth. 2, 1.
herorum officium. Eph. 6, 9.
Hesychius, corr. Act. 3, 20.
Heumannus. 2 Cor. I, 12. sq. 2 Joh. v. 1.
Hieronymus. Joh. 21, 11.
Hillerus. Matth. 2, 23. Ap. 19, 1.
historiae ecclesiasticae enucleandae specimina. Act. 7, 1. Hebr. 11, 2.
Hobbesius. Rom. 1, 21.
Hochstetterus, A. A. Hebr. 12, 24. §. 12. p. 927.
Hofmannus, C. G. Praef. §. 9. Joh. 9, 14.
homicidium. Act. 28, 4.
homiletica. vid. *pastoral.*
homiliarum fructus quomodo colligendus. Luc. 11, 27. Act. 2, 37.
hominis partes duae. Matth. 10, 28.
hora ultima. 1 Joh. 2, 18.
horae veterum. Marc. 15, 25.
hospitalitas. Hebr. 13, 2.
hostien. Joh. 6, 31.
hostium amor. Matth. 5, 44. hostium veritatis iniquitas, Act. 5, 28.
humano more. Philem. v. 15.
humilis corde Jesus. Matth. 11, 29. 12, 6.
humilitas. 1 Cor. 3, 5. 4, 9. 13, 11.
hypallage. Matth. 10, 15. Jac. 2, 17. 3, 4. Hebr. 9, 23.
hyperbaton. Marc. 9, 20. 16, 1.
hypocrisis. Matth. 6, 2. 16, 3. 6. 23, 13. 16, 6. 21, 16. 24, 51. Marc. 7, 6. Luc. 12, 1. 56.

Digitized by Google

hypothetica locutio. 1 Cor. 4, 3.
hypotyposis. 1 Cor. 11, 13. 2 Cor. 4, 14.

Jacobus et Paulus. Gal. 2, 9. Jac. 2, 14. 4, 5.
ichthyologia. Joh. 21, 11.
idololatrae. Act. 7, 41. 17, 29.
jejunium. Matth. 6, 16.
Jenisch, Jos. Marc. XVI, 17. (p. 203 fin.)
Jerusalem. Luc. 21, 24. Gal. 4, 26. Ap. 21, 2.
Jesus est Christus. Matth. 1, 1. 16. sq. 22. Jesu nomen, Matth. 1, 21. *Christus Jesus* (praemisso cognomine,) Rom. 15, 8. Gal. 2, 16. Majestas ejus et gloria p. 55. 856. Conf. *methodus*, *preces*, *trivium*, *vita*.
ignis. Matth. 3, 10. sqq. 1 Cor. 3, 13.
illuminatio. Matth. 16, 17. Hebr. 6, 4.
imago Dei. Col. 3, 10. 1 Cor. 11, 7.
imperativus. Joh. 2, 19. Gal. 3, 7. — post imperativum, Joh. 7, 37. Col. 3, 15. — includens futurum indicativi, Joh. 1, 47. Gal. 6, 2.
impersonalis sermo. Luc. 9, 28. 12, 5. 1 Cor. 16, 12.
importunitas naturalis. Act. 17, 4.
imputatio immediata. Rom. 5, 14.
inchoativa verborum vis. Matth. 1, 5.
incrementum boni et mali. Matth. 13, 7. 30. Marc. 4, 19. Apoc. XIV, 19. — sermonis, 1 Cor. 3, 3. 15, 9. Phil. 3, 8.
indefinitus sermo. Rom. 7, 7.
indicativus. Luc. 1, 28. Act. 6, 3.
indifferentismus. Act. 10, 35. 2 Cor. 11, 13.
individuorum cura. Matth. 18, 5. Joh. 17, 12. Act. 20, 31. Conf. *providentia*.
infidelitas fluctuat. Rom. 10, 6.
infinitivus, pro imperativo, Luc. 9, 3. Phil. 3, 16. loco nominis, Phil. 3, 21. — moratus, Rom. 12, 15. Apoc. 10, 9.
infirmitas. Rom. 5, 6.
initium sermonis. Act. 7, 48. 1 Cor. 16, 1.
injustitia innoxia. Luc. 16, 8.
insigne verbum. Act. 11, 26. 17, 4. 2 Cor. 3, 16. Col. 2, 12. 13. 3, 15. Gal. 1, 16. 1 Thess. 3, 6.
inspiratio verborum. Matth. 10, 19. 16, 13. Joh. 4, 26. 14, 26. 21, 23. Conf. *theopneustia*.
interpunctio emendata. 2 Cor. 13, 5. Hebr. 2, 9.
interrogatio. Act. 7, 1.
interrogationis utilitas. Joh. 16, 30. — nimietas, Luc. 10, 29. — vis erga contumaces, Luc. 20, 68. interrogatio *desultoria*, non semper reprehendenda, Joh. 4, 20.
invisibilia. Matth. 17, 3. eorum habita in Apocalypsi ratio. Ap. 6, 9.
Johannes, baptista. Matth. 14, 2. apostolus, scripsit evangelium, Joh. 21, 2. quibus, c. 10, 22. quo stilo, c. 20, 20. nomen ejus, c. 13, 23. — discipulus praedilectus. c. 13, 23. quando et qua lingua scripserit evangelium et epistolas, Joh. 1, 1. 5, 2. 11, 16. 19, 23. 21, 19. 1 Joh. 2, 22. et apocalypsin, Apoc. 1, 9. etc.
Jojada. Matth. XXIII, 35.
Jonas, Just. p. 416.
Josephus, quando obierit. Joh. 2, 12.
jota. Matth. 5, 18.
ira. Rom. 1, 18. 2, 9.
Irenaeus. Apoc. 13, 18.
ironia, decens et suavis. Joh. 9, 27. — Christo non usurpata, Joh. 7, 27.
Israël. Apoc. 7, 4. ejus conversio, Matth. 23, 39. Rom. 11, 25. ad eam utilis epistola ad Hebraeos, Hebr. 2, 11.
iteratio. Joh. 5, 36.
Ittigius. p. 380. 925.
jucunda verba. Luc. 1, 7.
Judaeorum nomen. Matth. 2, 2. elenchus contra eos. Matth. 1, 22 sq.
Judas. Jud. v. 5. Judas Iscariotes, num interfuerit coenae Dominicae? Matth. 26, 21. Marc. 14, 23. Luc. XXII, 21.
judicium. Matth. 12, 41.
juramentum. Matth. 5, 33. Hebr. 6, 16.
juris remedia, in caussa Dei adhibenda. Act. 24, 11.
jus forense. Matth. 18, 16.
justificatio. Rom. 3, 20. 28. Jac. 2, 21. justificatio Christi, 1 Tim. 3, 16.
justitia. Matth. 5, 2. 6. 20. 6, 1. *justitia DEI*, Rom. 1, 17. 3, 20.
Justus, Christus. Act. 22, 14.

Kainan. Luc. 3, 36.
κατ' ἄνθρωπον. Marc. 13, 14.
kennen lernen. 1 Joh. 4, 14.
Kohlreifsius. p. 212.
Korb, *pagus*. Act. 20, 15.
Kornmannus. Matth. 23, 35.
Korte. Joh. XIX, 1.
Kusterus. Apoc. 2, 14.
Kyria, nomen propr. 2 Joh. v. 1.

Lacrumae. Matth. 26, 75. Joh. 11, 31. Act. 20, 19. 37. 2 Tim. 1, 4.
laeta verba. 1 Thess. 3, 8. 2 Tim. 4, 8. Jac. 4, 7. 8.
Lambertus. Apoc. 17, 11.
Lamius. Praef. §. 12. Ap. 1, 4.
Lampius. Apoc. 1, 2.
Langius, Joach. Praef. §. 20 etc.
latinitas auctoris. Praef. §. 23.
latronis crux. Luc. 23, 40.
lebbilder. Apoc. 4, 6.
lectio scripturae 1 Thess. 5, 27.
lectulus, conversioni aptus. Act. 9, 2. — mitis quam crux, Luc. 23, 40.
legio. Apoc. 13, 18.
legis cerim. finiendae praeludium. Luc. 1, 22.
lenis sermo. Act. 17, 28. 19, 40. 2 Cor. 2, 10. Philem. v. 15. 18.
lex. Act. 15, 5. Gal. 2, 16. — naturalis, Rom. 2, 14.
lexica. Praef. §. 14. fin. Gal. 1, 16.
libri mali et boni. Matth. 21, 42. Act. 19, 19. Ap. 1, 11.
liberorum officium. Eph. 6, 1.
libertas. Joh. 8, 32. Act. 17, 27.
Lightfoot. Praef. §. 18. Apoc. 13, 18.
Lilienthalius. Praef. §. 8. Apoc. 1, 4.
linguae novae. Marc. 16, 17.
litotes. Joh. 6, 37. Act. 17, 27. 26, 19. Rom. 10, 3. 1 Tim. 2, 12. Philem. v. 11.
loci theologici. Matth. 23, 23.
Lockius. Matth. 16, 16.
Loeberus, *D.* Praef. §. 18. p. XXVIII.
Loeflerus. Matth. 19, 30.

Digitized by Google

Lorenz, D. Luc. XIII, 35.
Lucas. Act. 16, 10.
lucrum spirituale. Matth. 18, 15. Act. 16, 15.
luctus. Joh. 11, 31.
Lüdecke, C. W. Matth. VI, 30.
lusus ingenii. Praef. §. 22. Matth. XVII, 3.
Lutherus. Act. 13, 25. 1 Petr. 3, 20.

Macarius. Matth. 27, 50.
macrocosmus et *microcosmus*. Jac. 3, 5. sq.
magi. Matth. 2, 1. magia, Act. 8, 9. 19, 19. Conf. *daemonol.*
magistratus. Matth. 18, 16. 24, 6. 25, 24. Marc. 8, 15. Luc. 16, 9. Act. 4, 19. 12, 3. 13, 6. 18, 14. 26, 16. Rom. 13, 1. seqq.
magnificae locutiones. Luc. 2, 11. 13. 7, 21. 13, 32. Act. 3, 14. 7, 8. 13, 48. 1 Thess. 2, 12.
Maichelius. Eph. 4, 14.
mansuetudo. Eph. 4, 2.
manu laboravere apostoli. Joh. 21, 3. Act. 28, 3.
manuum impositio. Matth. 19, 15. Act. 13, 3. 1 Tim. 5, 22. Hebr. 6, 1. Jac. 5, 14.
manuscripti codices N. T. 1 Joh. 5, 7. s. Ap. 1, 4.
Marcus, nonnulla solus memorat. Marc. 1, 13. quando scripserit, c. 5, 37. stilus ejus, c. 1, 16. 21. 4, 35. 13, 26. — non epitomator Matthaei, Marc. 13, 9.
Maria. Act. 1, 14. an sine labe, Matth. 12, 46. Marc. 3, 31. Rom. 5, 15. ejus nomen, Matth. 1, 20. cultus, Matth. 2, 11. Luc. 1, 43.
Mastrichtius. Praef. §. 9.
matrimoniales causae. Matth. 14, 4.
Matthaeus, qua lingua scripserit. Matth. *tit.* et c. 21, 23. ubi? c. 9, 26. quo candore, c. 8, 25. 10, 2. 3. 15. 15. 17, 1. 16. 20, 24. quando? c. 27, 8.
maturitas exspectanda. Act. 7, 23.
Mediator. Matth. 4, 2. 14, 23.
media verba. Matth. 3, 6. 6, 17. Luc. 2, 5. 5, 15. 15, 6. Joh. 5, 25. Act. 3, 2. 17, 25. 20, 26. Gal. 5, 18. 6, 7. Col. 2, 20. 2 Thess. 1, 7. 2, 7. 1 Tim. 4, 10. 2 Tim. 3, 13.
medici. 1 Cor. 2, 9.
mediocritas. Jac. 1, 26.
μείωσις. Luc. 12, 4. Act. 19, 19. 20, 29. 22, 18. Rom. 1, 28. 5, 5. 14, 15. 1 Cor. 11, 22. Gal. 4, 12. 1 Petr. 4, 3.
memoria, fidem juvat. Joh. 2, 22.
mendacium. Joh. 8, 24.
Messiae character. Joh. 7, 15.
messis. Joh. 4, 35.
metalepsis. Act. 20, 25. 1 Cor. 8, 8. 1 Joh. 5, 7.
metaphora. 1 Cor. 3, 13. 2 Cor. 5, 1. Eph. 4, 14. 1 Tim. 1, 8. 2 Tim. 4, 7. — cumulata, 1 Tim. 6, 19.
methodus J. C. Matth. 7, 22. 8, 7. 11, 1. 13, 3. 16, 21. 19, 1. 17. 26. 21, 24. 26, 1. Marc. 10, 1. 21. 13, 5. Luc. 4, 16. 23. 9, 61. 10, 1. 21. 23. 34. 11, 22. 12, 1. 13, 32. Joh. 2, 11. 4, 7. 6, 44. 8, 12. 20. 32. 9, 4. 37. 11, 4. 7. 23. 26. 12, 35. 13, 34. 14, 1. 16, 4. 5. 21, 28. — apostolica de justific. Rom. 6, 18. — gnomonica, Praef. §. 16. p. XXV.
metonymia antecedentis et conseq. Luc. 4, 23. Joh. 7, 49. Act. 12, 4. 13, 46. 15, 10. 27, 13. Rom. 2, 21. 15, 1. 1 Cor. 16, 18. 2 Cor. 11, 10. Gal. 2, 10. 3, 17. 5, 2. Phil. 3, 2. Col. 2, 16. 1 Thess. 5, 12. 1 Tim. 1, 12. 5, 4. 6, 12. 2 Tim. 4, 8.
metonymia. Luc. 1, 35. 13, 2. Joh. 3, 27. Act. 27, 9. 12. 1 Cor. 13, 4. 2 Cor. 9, 9. Eph. 5, 13. 1 Thess. 5, 19.
metropoles cepit evangelium. Act. 10, 1. 23, 11. Rom. 1, 8.
Michaël. Jud. v. 9. Apoc. 12, 7.
Michaëlis. L. D. Praef. §. 8. not. ib. p. XIV. not. §. 10. not. Matth. c. I, 25. X, 3. XII, 49. XXIII, 35. XXVII, 16. Marc. I, 13. XII, 26. Gal. IV, 25. 26. Eph. III, 4.
Michaëlis, C. G., Nov. Testam. Praef. §. 18. p. XXVIII. Apoc. XXII, fin.
Millius. Apoc. 2, 3. 14, 6, 1.
mimesis. Marc. 14, 9. Act. 4, 3. 22, 3. Rom. 13, 2. 14, 13. 1 Cor. 4, 9. 15, 32. 2 Cor. 3, 5. 4, 4. 10, 1. Gal. 1, 14. 6, 2. 4. 2 Tim. 2, 16. 1 Petr. 5, 3.
minima curat Deus. Matth. 5, 26. 10, 30. 12, 36. 23, 23. sq. vid. *providentia*.
minister, debet orare. Luc. 14, 21. Act. 8, 15. ministerii necessitas, Act. 9, 6. Conf. *pastoral.* ministrorum solatium, Matth. 3, 12. 10, 13. Luc. 4, 26. 19, 40. Joh. 10, 40.
miracula. Matth. 4, 23. 8, 3. 16, 32. 9, 24. 11, 4. 12, 40. 13, 58. 16, 1. 17, 27. Marc. 14, 13. XVI, 17. p. 202. sq.
misericordia. Marc. 6, 34. 1 Tim. 1, 2.
missa. Hebr. 10, 12. 13, 15.
missionis fundamentum. Joh. 17, 18. 20, 21.
missiones. Apoc. 14, 8.
mitigantia verba. 1 Cor. 4, 3. 2 Cor. 5, 1. 11, 1. Philem. v. 12. 14. 1 Petr. 3, 1.
modalis sermo. Act. 3, 23. Col. 4, 13. 1 Thess. 2, 13. 1 Tim. 1, 12. 2 Tim. 1, 16. 2, 7.
modestia et *liberalitas* sermonis. Joh. 3, 27. Act. 27, 22. 1 Cor. 4, 8. 16, 6. 2 Cor. 1, 21. 2, 10. 16. 4, 11. 12, 12. Eph. 3, 4. 8. Jac. 4, 15.
modus, in agendo. Joh. 18, 22.
modus, indicativus etc. Joh. 5, 39. 10, 16. 1 Cor. 11, 26. 15, 49. Hebr. 12, 28. Jac. 4, 13. 1 Joh. 4, 19. Apoc. 10, 9.
Moldenhauerus. 1 Cor. XIV, 6. XV, 24.
molliores locutiones. 1 Cor. 11, 18. 12, 23. 2 Cor. 6, 14. Gal. 4, 20. 6, 18. Phil. 2, 27.
moneta vetus. Matth. 17, 24. 18, 24. Marc. 6, 37. Act. 19, 19.
moratus sermo. Praef. §. 15. Act. 5, 34. 17, 23. morata enallage, Act. 25, 22. 1 Petr. 8, 1. — interrogatio, Jac. 2, 20. — particula, Act. 5, 39. 1 Cor. 6, 7. 15, 1. 2 Cor. 3, 1.
mors Christi. Joh. 10, 18. mors fidelium, Joh. 11, 6. mortem violentam quid mitiget, Act. 7, 55. status post mortem, Matth. 7, 22. 14, 2. Luc. 16, 29. Rom. 14, 9. Phil. 1, 23. 1 Petr. 3, 19.
mors aeterna non dicitur. Rom. 5, 21. 6, 21.
mortui. Apoc. 11, 18.
Morus. Apoc. 7, 4.
Moschius. Joh. 10, 7.
Moses, scriptor Pentateuchi. Marc. 10, 5. 21, 19. testatus est de Christo. Joh. 4, 25. Christi typus, Act. 3, 22.

Digitized by Google

Moshemius. Apoc. prooem. n. 2.
mundi duratio. Hebr. 9, 26.
mundities. 1 Tim. 3, 2.
mysteria. Matth. 13, 11. Rom. 11, 25.
mythologia. Rom. 1, 25.

Nathanaël, forte Barthol. Joh. 1, 46.
nativitas Christi. Matth. 1, 18.
natura humana, pro divina. Rom. 1, 4.
natura et gratia. Joh. 15, 4.
negatio geminata. Act. 19, 40.
nervosa sententia. 1 Cor. 11, 24.
neutralitas. Matth. 12, 30.
neutrum genus. Luc. 1, 35. — nomen, Luc. 12, 47. Act. 19, 40. — verbum, Act. 9, 19. 11, 26. 18, 18. 26, 18.
Newtonus. Hebr. 12, 26. Apoc. 1, 10. 13, 1.; thes. 10, obs. 15.
Nicopolis. Tit. 3, 12.
Noachi 7 praecepta. Rom. 5, 14. obs. 5.
nomen, loco pronominis. Matth. 12, 26. Luc. 11, 17. Act. 3, 16. Eph. 4, 16. 2 Tim. 1, 18.
nomina propria, veritatis arg. Marc. 5, 22.
nominativus. Matth. 12, 36. 2 Cor. 8, 23. Eph. 4, 2. — loco pronominis, Act. 3, 16. — cum accusativo subaudiendus, Act. 8, 7.
novellae. Matth. 24, 7.
novissima. vid. *ultima.*
novum Testamentum. Hebr. 8, 13. initium ejus, Hebr. 9, 15. vid. *Testamentum.*
numerus, i. e. tempora, Apoc. 13, 18. numeri praecise accipiendi. Apoc. 7, 5.

Obedientia activa. Rom. 5, 19. sq.
obitus beati exempla. Joh. 12, 30.
obsessio. Marc. 9, 18. Act. 8, 7. 16, 17. Conf. *daemonol.*
obsignatio. Eph. 1, 13.
occasione utendum. Matth. 25, 40. Act. 2, 14. 8, 30. 17, 2. 21, 37. 24, 14.
occupatio. Act. 2, 23. 10, 22. 14, 16. 1 Cor. 10, 19. 14, 35. 16, 2. Hebr. 1, 1. 3. Jac. 3, 17.
oeconomia divina. Joh. 4, 4. 34. 16, 14. — triplex, Rom. 5, 14. — trium Testium, Joh. 16, 14.
oeconomus Dei, non machina. Tit. 1, 7.
oecumenicus. Ap. 13, 1. thes. 7.
Oederus. Ap. XXII. fin.
Oetingerus. Ap. 1, 4.
officia erga Deum, nos et proximum. Matth. 6, 1.
ohne werden. 1 Petr. 2, 24.
oliveti mons. Act. 1, 12.
omnipotentia et *omniscientia* Christi. Joh. XX, 31. XXI, 17.
opera bona. Eph. 2, 10. 1 Tim. 2, 10.
opificium. Act. 18, 3.
opinionum varietas. Matth. 16, 14. Marc. 6, 15.
opportuna verba. Act. 22, 4. 14, 16. 1 Cor. 14, 35. 16, 2. Hebr. 1, 1. 3. Jac. 3, 17.
orbiculares panes. Joh. 6, 31.
ordo verborum. Praef. §. 15. p. XXV. not. Matth. 10, 2. 33. 24, 33. Marc. 3, 31. 13, 26. Luc. 9, 28. 11, 8. 36. 12, 22. Joh. 5, 2. 8, 21. 45. 12, 26. 14, 1. 2. 17, 16. 20, 6. Act. 1, 7. Rom. 2, 14. 15, 8. 2 Cor. 4, 10. s. Col. 3, 12. Hebr. 2, 10. 14. 12, 24. fin. Jac. 2, 18. 1 Joh. 3, 20. sq. et passim.

origines: ad eas recurrendum. Matth. 19, 4.
orthodoxia. Matth. 16, 6. Rom. 2, 20. orthodoxus. Matth. 7, 16.
osculum sanctum. Rom. 16, 16.
Osiander, Luc. 1 Petr. 3, 20. — I. A., Ap. 8, 3.
oxymoron. Luc. 2, 34. Act. 5, 41. Rom. 1, 20. 4, 18. 1 Cor 9, 17. 2 Cor. 4, 11. 17. 8, 2. 11, 30. Gal. 6, 14. 1 Thess. 4, 11. 1 Tim. 6, 19.

paedobaptismus. Act. 16, 15.
parabolae. Matth. 9, 15. 13, 3.
paradoxon. Rom. 3, 26. 5, 14. 7, 13. Col. 1, 27. 4, 3.
parallela loca non semper postulanda. 1 Petr. 3, 19.
paregmenon. Rom. 2, 1. 1 Joh. 3, 20.
παρέλκον. Luc. 12, 37. 18, 5. Joh. 6, 15. Act. 16, 3. Rom. 15, 24.
parentheses. Act. 1, 15. 2, 8. Rom. 1, 2. 1 Tim. 5, 23.
paronomasia. 1 Cor. 11, 17. Eph. 5, 4. Phil. 3, 2. 1 Tim. 6, 9.
parrhesia. 1 Cor. 15, 34.
participatio peccatorum. Matth. 23, 36.
participium. Joh. 1, 18. 3, 13. Col. 2, 2. 1 Tim. 6, 5. 2 Tim. 3, 15. Hebr. 1, 3. loco adverbii, Act. 10, 37. pro indicativo, Phil. 1, 23.
particularum ἦθος. Act. 5, 39. Rom. 1, 10. 8, 31.
particula declarandi, 2 Tim. 1, 3. excitandi, Act. 15, 36. intensiva, 1 Thess. 1, 8. provocandi ad experientiam, 1 Tim. 5, 15. Conf. *formula.*
particularismus Judaicus. Rom. 9, 6.
pascha passionale. Matth. 26, 18.
passio J. C. Joh. 10, 17.
pastorales observationes. Matth. 3, 6. 12. 4, 23. 5, 1. 13. 19. 22. 7, 5. 6. 16. 22. 27. 8, 7. 18. 19. 10, 8. 11. 13. 14. 18. 19. 28. 12, 5. 30. 13, 19. 20. s. 57. 14, 4. 22. 30. 15, 26. 16, 6. 8. 13. 20. s. 17, 27. 18, 12. 14. 15. 17. 19, 16. 17. 21. 26. 29. 20, 1. 21, 14. 22, 16. 23, 34. 24, 45. 25, 15. 25. 40. 27, 24. 28, 8. Marc. 8, 4. 5. 4, 9. 14. 19. 28. 6, 20. 31. 34. 7, 14. 8, 38. 9, 39. 10, 23. 12, 38. 4. 13, 35. Luc. 1, 80. 2, v. ult. 3, 19. 23. 4, 23. 26. 5, 1. 8. 16. 9, 45. 10, 5. 7. 26. 11, 1. 27. 12, 13. 54. 13, 32. 14, 7. 21. 35. 15, 4. 15. 16, 1. 10. 17, 7. 10. 21. 19, 40. 20, 14. 17. 39. 21, 31. 68. 23, 40. 24, 17. Joh. 1, 6. 52. 2, 11. 3, 31. 4, 10. 20. 37. 5, 35. 6, 5. 27. 44. 60. 64. 7, 7. 34. 8, 12. 20. 32. 9, 3. 10, 32. 11, 26. 12, 30. 43. 48. 13, 20. 16, 30. 17, 3. 12. 18. 18, 16. 19. 37. 20, 21. 21, 7. 15. Act. 1, 17. 24. 2, 14. 37. 40. 4, 8. 16. 6, 2. 4. 7, 27. 32. 51. 8, 2. 15. 21. 22. 30. 35. 37. 9, 6. 23. 10, 38. 44. 11, 26. 12, 17. 13, 2. 25. 46. 14, 9. 15, 5. 9. 32. 37. 16, 6. 15. 31. 17, 2. 18, 1. 5. 6. 11. 24. 26. 19, 9. 17. 18. 21. 27. 20, 7. 19. 20. 21. 27. 29. 30. 32. 21, 19. 22, 10. 24, 25. 25, 11. 26, 2. 25. 27, 24. etc.
Pater. Matth. 6, 4. 9. Joh. 14, 2. 17, 1. patrum officium. Eph. 6, 4.
πάθη et τρόπη. Act. 21, 39. 2 Tim. 1, 18.
patientia. Luc. 8, 15.

Digitized by Google

Patmos, insula. Apoc. 1, 9.
Pauli, nomen. Act. 13, 9. apostolatus, c. 26, 17. ardor, c. 19, 21. character, Gal. 2, 9. epistolae, 2 Petr. 3, 15. sq. Saepe solus stetit, Act. 17, 16.
pauperum cura. Act. 11, 30.
pax. Rom. 1, 7. Phil. 4, 7.
peccandi periculum. Matth. 18, 28.
peccatum. Marc. 7, 22. Joh. 8, 21. 16, 9. Act. 5, 2. 8. 4. 7, 35. 10, 14. Rom. 3, 13. 7, 4. 15. 28. 1 Joh. 2, 1. clamans, Matth. 2, 16. originale, Matth. 7, 11. 15, 11. Rom. 3, 10. 5, 12. 7, 7. 18. peccata piorum quoque, patebunt, 2 Cor. 5, 10.
pecunia, facile scandalum parit. Matth. 17, 27.
pedantismus. Act. 26, 24.
pedilavium. Joh. 13, 14.
Pelagius. 1 Cor. 3, 5. 11, 27.
pentecoste. Joh. 5, 1.
peregrinationes religiosae. Joh. 4, 21.
perfectio. Matth. 19, 21. Luc. 11, 36.
periodi septem ecclesiae. Ap. 2, 1. 5, 1.
periphrasis. 1 Thess. 4, 5. Jac. 3, 7.
persecutio. Matth. 5, 10. persecutionum auctores, Act. 17, 5. 24, 19. usus, Marc. 13, 10.
perspicuitas promiscua. Joh. 8, 20. Rom. 6, 19.
Petrismus. p. 810.
Petrus. Matth. 16, 18. primus apostolorum, Matth 10, 2. Marc. 1, 36. Luc. 9, 32. 22, 31. Act. 1, 13. 8, 14. 23, 11. Gal. 2, 9. Romaene fuerit? ibid. et Joh. 21, 16. Rom. 1, 11.
Pfaffius. Praef. §. 9, can. 22. Rom. 10, 21. Ap. 13, 1.: thes. 7. et p. 925.
phialae. Ap. 5, 1. 16, 1.
philautia. Luc. 10, 20. Rom. 2, 1.
philosophorum vitium. Act. 18, 1. Phil. 1, 9.
Phlegontis eclipsis. Matth. 27, 45.
physiognomia. Act. 7, 20.
pietista. 1 Tim. 2, 2.
piscium genera. Joh. 21, 11.
planetae. Jud. v. 13.
pleonasmus sublatus. Matth. 6, 26. Phil. 1, 23.
ploce. Matth. 5, 45. 19, 4. Luc. 11, 36. Joh. 8, 31. 10, 13. 12, 27. 19, 22. Rom. 6, 19. 7, 13. 8, 3. 9, 6. 15. 31. 12, 7. seq. 1 Cor. 16, 5. 2 Cor. 9, 5. Eph. 4, 15. 1 Thess. 5, 7. 1 Tim. 5, 3. Jac. 4, 11.
pluralis. Luc. 2, 31. 12, 33. 13, 15. Act. 4, 27. 5, 14. 13, 34. 28, 8. 1 Cor. 10, 11. 2 Cor. 5, 11. 9, 6. Gal. 5, 19. 1 Tim. 2, 1. 6, 15.
plusquamperfectum. Joh. 4, 10.
poenitentia. Luc. 5, 32. 15, 17. sqq. 18, 13. 23, 41. Act. 11, 18. lactum donum, Act. 5, 31. necessarium, Luc. 16, 30. fructus ejus, Luc. 3, 11.
Polycrates. Apoc. 2, 1.
polygamia. 1 Cor. 7, 2. 1 Tim. 3, 2.
polyptoton. 1 Cor. 2, 11. 15, 23.
polysyndeton. Jac. 4, 13.
Porphyrius. Marc. 1, 2.
postumus fructus muneris. Joh. 10, 40.
potentes mundi. Luc. 22, 8.
praecepta Noachica. Rom. 5, 14.
praeceptum novum. Joh. 13, 34.
praecisio. 1 Cor. 11, 16. Jac. 4, 17.
praedestinatio. Act. 13, 48. Rom. 8, 29.
praegnans locutio. 1 Cor. 15, 26. 2 Petr. 3, 4.
praejudicium. Marc. 7, 14. Joh. 8, 32.
praejudicia judaica. Joh. 7, 27.
praescientia divina. Act. 15, 18.
praesens. Luc. 1, 34. 7, 9. 12, 49. 13, 28. 30. Joh. 1, 5. Act. 15, 17. 1 Thess. 5, 2. absolutum, Act. 25, 11. includit praeteritum, Luc. 15, 29. 31. etc. Joh. 8, 58.
praesentia, potior literis. Rom. 1, 11.
praeteritum. Joh. 1, 3. Rom. 3, 23. 1 Tim. 4, 10.
preces J. C. Matth. 14, 23. Luc. 3, 21. 6, 12. ministrorum, Luc. 11, 1. 14, 21. Act. 6, 4. fidelium, etc. Matth. 6, 7. 8. 9. 7, 7. 11. 8, 31. 34. 9, 38. 11, 25. 18, 19. 21, 13. 24, 20. Marc. 8, 6. 11, 25. 16, 17. Luc. 1, 40. 7, 3. 11, 1. 2. 5. 6. 8. 13. 18, 1. s. 9. s. Joh. 12, 45. 15, 7. 16, 23. 17, 1. 9. Act. 6, 4. 7, 34. 8, 15. 24. 9, 11. 40. 10, 2. 4. 9. 10. 12, 5. Rom. 15, 30. 1 Tim. 2, 3. etc.
Pregizerus. 2 Tim. 4, 10.
Prideaux. Act. 7, 43.
Primasius. Apoc. 21, 17.
privata pastorum cura. Act. 20, 20. 31.
profani. Luc. 16, 30.
profectus J. C. Luc. 2, 52.
profectus in bono: 1 Tim. 4, 15. in malo, 2 Tim. 2, 16.
promissio maxima. Luc. 12, 37.
pronomina: ἐγὼ, Joh. 5, 45. ἐμοὶ, Act. 10, 28. 13, 33. 26, 10. σὺ, Act. 9, 5. αὐτὸς, Joh. 6, 15. Col. 1, 16. 18. ἐκεῖνος, Marc. 4, 35. Joh. 1, 18. Tit. 3, 7.
propheta, Christus. Joh. 16, 13. Act. 3, 22.
prophetiae indoles. Act. 2, 19. Rom. 12, 6. 1 Cor. 14, 6.
prophetica, quae? Joh. 12, 38.
propria verba. Act. 3, 7. 1 Cor. 2, 4. 2 Cor. 5, 4. Col. 2, 14. 1 Thess. 4, 17. 2 Thess. 1, 7.
proprietas sermonis. Luc. 4, 18. 13, 33. 15, 13. Act. 2, 30. 10, 28.
propriorum nominum mysteria. Hebr. 7, 2.
proselyti. Act. 6, 5.
προσωποληψία. Matth. 22, 16. Marc. 12, 14.
prosopopoeia. Rom. 7, 1. Gal. 3, 15. 24. Hebr. 11, 2.
protherapia. Joh. 4, 21. 13, 3. Act. 1, 16. 2, 23. 29. Rom. 3, 2. 5, 15. 9, 6. 1 Cor. 3, 10. 10, 19. 14, 18. 2 Cor. 11, 1. 16. 1 Joh. 2, 1.
proverbia prava. Joh. 7, 52.
providentia divina. Matth. 6, 26. 10, 29. Act. 27, 24. vid. *individuorum cura* et *minima*.
provincialia verba. Praef. §. 14. p. XXIV. not.
provocatio, utilis. Joh. 6, 5.
Psalmi. Act. 13, 33. eorum auctoritas, Hebr. 7, 21. 10, 8.
pseudojudaismus. Rom. 2, 8.
pseudomessiae LXIV. Joh. 5, 43.
pseudopolitici. Tit. 1, 7.
pseudoprophetae praeambula. Ap. 13, 11.
psychologica. Matth. 8, 17. 10, 28. 12, 35. 13, 19. 16, 9. 22, 37. Marc. 3, 5. 8, 17. 34. 10, 32. 12, 30. 15, 37. Luc. 2, 35. Act. 7, 23. Rom. 3, 18. 7, 7. 23. 12, 1.
psychopannychia. Rom. 14, 9.
pudor praeposterus, Rom. 1, 25. — vincendus, Marc. 8, 38.
punctum temporis beatum. Matth. 4, 20. Act. 26, 30.

Digitized by Google

purgatorium. Rom. 8, 10. 1 Cor. 3, 13.
Quadraginta dies etc. Matth. 4, 2. Act. 7, 6.
quaestiones. Act. 18, 15. vid. *interrog.*
quaestus. Act. 19, 27.
rara verba et phrases: Luc. 2, 14. Joh. 5, 28. Act. 7, 41. 13, 32. 15, 24. 26, 10. 1 Cor. 6, 14. 15, 55. 2 Cor. 3, 15. 13, 3. Gal. 6, 2. 7. 16. Eph. 5, 21. 6, 3. 1 Tim. 4, 7. 2 Tim. 1, 8. 1 Petr. 3, 1. 2 Petr. 2, 22.
Raumeierus, Dec. Leonh. Marc. 16, 17.
reduplicativus significatus. Rom. 4, 4.
Reformatio. Rom. 15, 23. Ap. 12, 6.
Regale divinum. Rom. 1, 32.
regeneratio. Joh. 1, 13. 3, 3.
regnum coelorum. Matth. 3, 2. 4, 17.: Dei, Act. 1, 3.: Christi, p. 872. Act. 10, 41.: sanctorum, Ap. 20, 4.
Reinhardus. Apoc. 12, 6.
religio christiana. Vide, *Deus, Jesus, Scriptura, veritas*. — invisa mundo, Matth. 24, 9.
reliquiae. Matth. 9, 20.
renovatio. Eph. 4, 24.
reservata divina. Act. 1, 7. Rom. 12, 19. Jud. v. 9.
resistibilis est conversio. Act. 26, 19.
resurrectio Christi. Act. 1, 22. 17, 31. mortuorum, Matth. 22, 23. Marc. 12, 25. Luc. 14, 14. Act. 26, 7. 1 Cor. 15, 12. prima, Apoc. 20, 4.
Reussius, D. L. F. Prooem. p. VII. Joh. VII, 17.
Rhenferdus. Apoc. 1, 4.
rhythmus. Luc. 15, 24. Joh. 15, 2. Eph. 2, 14.
Riegerus, L. C. p. 925.
rigidum verbum. Gal. 1, 11.
Roma, unde dicta. Apoc. 18, 10. quando condita, Apoc. 17, 10. frustra Petrum sibi vindicat, Joh. 21, 15. distincta a papa, Apoc. 13, 1.: thes. 10, obs. 15.
Roosius, M. F. Prooem. pag. VII. Praef. §. 20. p. XXX. not. Apoc. XXII. fin.
Sabbatum. Matth. 12, 1. sq. 5. 24, 20. Marc. 2, 28. Col. 2, 16.
sacerdotium J. C. Hebr. 2, 14.
sacramenta. 1 Cor. 11, 26.
sadducaei. Matth. 16, 1. 22, 23.
Sagittarius, Casp. Luc. XXI, 15.
salvari. Act. 2, 40.
salutatio. Luc. 1, 40.
salutis initium. Act. 2, 40.
Sanctitas: gloria. Act. 3, 14. Hebr. 2, 10.
Sanctus. Rom. 1, 4. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Apoc. 4, 8. sancti, Matth. 23, 29. 27, 52. sanctificati, Act. 20, 32.
sanguis J. C. p. 922. sqq.
Sartorius, D. C. F. Prooem. p. VII. Praef. §. 18. p. XXVIII. n.
satanae lapsus, Joh. 8, 44. satan, spiritus callidissimus, Act. 19, 13. vid. *daemonol.* et *magia*.
satisfactio. Rom. 5, 18. Hebr. 10, 10.
scandalum. Matth. 13, 41. 17, 27. 18, 6. sqq.
scapha dicenda scapha. Rom. 1, 26.
schechina. Joh. 1, 14.
schisma, multiplex. Joh. 7, 43.
Schmidius, Er., — C. F., Prooem. p. VII. Praef. §. 20. p. XXIX. not. Ap. L. 1. passim. XXII. fin. — J. F., Apoc. 20, 1.
Schnelle, ἐν τάχει. Apoc. L. 1. p. 1027.
Schoettgenius. p. 857.
schola J. C. Matth. 8, 23.
Schroeckhius, L. M., Prooem. p. VIII.
Schudt, Joh. Jac. Joh. 5, 43.
Scripturae sacrae encomium, Praef. §. 1. et 27. Rom. 1, 2. 8, 28. not. Gal. 3, 8. 1 Tim. 4, 15. auctoritas, Matth. 4, 4. 24, 6. 26, 13. Rom. 1, 2. efficacia, Act. 8, 28. integritas, Matth. 5, 18. verecundia, Act. 2, 30. veritas, Matth. 7, 11. Joh. 10, 35. 12, 38. 14, 26. Act. 2, 29. 39. utilitas, Luc. 3, 38. Joh. 21, 23. 25. 2 Tim. 3, 16. silentium, Rom. 4, 6. Hebr. 1, 5. 5, 6. summa, Rom. 15, 4. Sapienter a Domino citata, Matth. 4, 4. 9, 13. all frustra dicit, Jac. 4, 5. ad nos se demittit, Joh. 3, 12. 11, 11. Rom. 6, 19. 1 Cor. 15, 29. nemini non legenda, Phil. 1, 1. Col. 4, 17. Hebr. 13, 24. Scripturae N. T. initia, Act. 15, 20. 1 Thess. 5, 27.
sejugatio. Rom. 11, 22.
Seiz. Apoc. 11, 2. 13, 1.: thes. 10, obs. 22.
semestre. Apoc. 13, 18.: §. 10.
semiduplex oratio. Praef. §. 24. Matth. 7, 21. 18, 49. Marc. 1, 4. 13, 27. 14, 8. 16, 16. Joh. 5, 21. 24. 8, 28. 38. 10, 25. 14, 10. 17. 26. Act. 7, 16. Rom. 2, 8. 10. 5, 16. Gal. 4, 25. Hebr. 12, 20. 1 Joh. 1, 7. 2, 10. Vid. concio locutio.
Semlerus, D. Prooem. p. VI. Joh. I, 1. p. 302. Apoc. XXII. fin.
senectus piorum. Luc. 1, 7.
sensus literalis et literae. Matth. 16, 11.
separatio. Act. 19, 9. Jud. v. 19.
septem. Matth. 12, 45. Act. 19, 14. Jud. v. 14. septenarius in rebus, Apoc. 5, 1. dividitur in quatuor et tria, Ap. 16, 1. in temporibus, Ap. 13, 18. (§. 9.), et c. 20, 4.
septuaginta int. Vid. *Versio* Graeca V. T.
sepultura Christi. 1 Petr. 3, 18.
servus Domini, quis? Act. 20, 19.
servorum officium. Eph. 6, 5.
sessio Christi ad dexteram Dei. Hebr. 10, 12.
severitas sermonis. Act. 16, 37. Gal. 6, 17. vid. *apotomia*.
sigilla. Apoc. 5, 1. 12. 6, 1. 9.
significantissima verba. Col. 2, 9. 11.
signum. Matth. 24, 30. signa temporum, Matth. 16, 3.
Simonia. Act. 8, 18.
simplicitas. Matth. 6, 22.
simultates, gratiae impedimentum. Luc. 12, 54.
singulares locutiones. Luc. 4, 33. Act. 12, 18.
singularis numerus. Luc. 2, 2. 10, 19. Act. 15, 18. 1 Cor. 4, 17.
Siracidae liber. Luc. 1, 17.
sobrietas. 2 Tim. 3, 15.
solitudo, juvat. Matth. 26, 38. Marc. 6, 31. Luc. 1, 80. Act. 9, 40.
soloecismus. Joh. 6, 37.
somnia. Matth. 1, 20. Act. 16, 9.
somniantes, homines naturales. Jud. v. 8.
σωφροσύνη. Rom. 12, 3.
sors. Act. 1, 23. 26.
speculator. Marc. 6, 27.
Spenerus. Joh. 16, 23.
spes. Rom. 8, 24.

Digitized by Google

sphaera piorum. Act. 22, 10.
Spiera, Franc. Act. 26, 11.
Spinoza. Joh. 11, 4.
spiritualitas Dei. Joh. 4, 24.
spiritus: *caro*, in Christo, Rom. 1, 4: in homine, Rom. 8, 4.
Spiritus sanctus. Act. 5, 4. 10, 38. peccatum et blasphemia in eum, Matth. 12, 31. — non fuit *spiritus servitutis*, Rom. 8, 15.
stare, orantium. Marc. 11, 25.
stilus apostolicus. Joh. 12, 6. Rom. 1, 12. 26: Johannis, vid. not. ad c. 1, 1: Pauli, vid. not. ad Hebr. 1, 1.
stilus, ex relativo recitativus, Act. 1, 4: ex recitativo relativus, Act. 23, 24.
stoici, christiani non sunt. Joh. 11, 33.
στοργή. Matth. 24, 12.
Storrius, J. C. Luc. XXIII, 34.
Studiosi Theol. Matth. 10, 7.
studium saluberrimum. Luc. 1, 66. 1 Tim. 4, 15.
stupor, nonnisi gratia tollendus. Tit. 3, 3.
suavitas sermonis. Luc. 1, 13. 2, 26. 5, 25. 11, 42. Joh. 4, 32. Act. 1, 3. 2, 17. 7, 60. 1 Cor. 6, 19. 14, 20. 15, 23. 54. 55. 2 Cor. 1, 5. 20. 8, 10. 10, 1. Eph. 3, 19. Phil. 4, 1. 3. 1 Thess. 2, 7. 4, 14. 15. 2 Thess. 1, 10. 1 Tim. 6, 19. 2 Tim. 2, 13. Hebr. 1, 14.
sublimes locutiones. 2 Cor. 3, 17. Eph. 4, 10.
subtilitas, non inanis. Luc. 11, 36.
successio canonica. Marc. 9, 39.
Suevici Theologi. Praef. §. 17. n.
Suidas. Eph. 4, 19.
summarium V. T. Hebr. 11, 2. doctrinae christianae, Act. 20, 21.
superbia, mater haeresium. Act. 8, 9.
superlativus. Jud. v. 20.
supralapsarii. 1 Petr. 4, 19.
Surenhusius. Hebr. 8, 9.
suspensa oratio. Col. 2, 23. 2 Thess. 4, 6.
suspiria, πάθος. Matth. 8, 34. Act. 7, 34.
syllepsis. Joh. 21, 12. Act. 7, 52. 1 Cor. 6, 16. 17. 15, 50. Eph. 3, 18. Col. 3, 16. 1 Tim. 2, 15. 2 Petr. 3, 1.
syllogismus. Joh. 7, 18.
symbolum Domini. Luc. 4, 43. Hebr. 10, 7.
symperasma. 2 Cor. 5, 12. s. 6, 11. Phil. 4, 12. Jac. 1, 19.
συγκατάβασις, Dei Hebr. 6, 17. scripturae, Joh. 3, 12.
syncategorema. 1 Cor. 1, 17.
synecdoche. Rom. 7, 1. 2 Cor. 3, 3. Phil. 2, 10. 1 Tim. 5, 10. Hebr. 1, 1.
synopses librorum N. T. vid. *Testamentum*.
syriasmus. Matth. 10, 32.

taciturnitas. Luc. 10, 4.
Tafingerus, D. Praelim. p. XXXVIII. §. 25.
talio. Matth. 5, 38. 7, 2. 10, 33. Act. 28, 4.
ταπείνωσις. Act. 10, 47. 22, 18. Rom. 1, 6. 5, 5. 1 Cor. 12, 3. Col. 2, 18. 1 Thess. 2, 16. 2 Thess. 3, 2.
tempus praeteritum, praesenti incluso. Rom. 8, 23.
tentatio. Matth. 4, 1. Hebr. 4, 15.
tenuis oratio. Act. 7, 47. 2 Tim. 3, 9.
Tertullianus. Matth. 22, 40.
Testamentum novum p. 1. stilus, Praef. §. 14. differt a V. T., Matth. 9, 37. 11, 20. Luc. 1, 63. 10, 37. Rom. 1, 1. 7, 6. 8, 15. 18. 16, 25. admiranda in ea allegatio V. T., Rom. 1, 17. N. T. autographa, Act. 19, 19. (p. 497.) differentia librorum historicorum et epistolarum, Matth. 27, 50. elegantia realis, Matth. 16, 13. Joh. 1, 1. 12, 17. In *synopsi* exhibentur libri N. T., et quidem: Matthaeus p. 1. Marcus p. 166. Lucas p. 204. Johannes p. 300. Acta apostolorum p. 415. Epist. ad Rom. p. 523. I ad Cor. p. 608. II ad Cor. p. 676. ad Gal. p. 715. ad Eph. p. 741. ad Philipp. p. 765. ad Coloss. p. 782. I ad Thess. p. 796. II ad Thess. p. 805. I ad Tim. p. 815. II ad Tim. p. 837. ad Titum p. 849. ad Philem. p. 853. ad Hebr. p. 855. Epist. Jacobi p. 936. I Petri p. 957. II Petri p. 978. I Johannis p. 991. II Johannis p. 1014. III Johannis p. 1015. Judae p. 1017. Apocalypsis p. 1021.
textus sermonum Jesu. Joh. 7, 34.
Theologia est practica. Phil. 1, 16. Hebr. 6, 1. casualis, Matth. 9, 13. naturalis, catechetica et acroamatica, Act. 17, 22. prophetica, Joh. 16, 13.
theologorum falsorum character, Marc. 12, 38. futilitas, Luc. 14, 35.
Theophilus, Alexandrinus. Luc. 1, 3.
theopneustia. Matth. 16, 13. fin. 2 Tim. 3, 16. Pauli, Rom. 15, 18. Conf. *inspiratio*.
Thyatirae ecclesia. Apoc. 2, 18.
timidi. Joh. 7, 50.
timor hominum. Matth. 10, 28. 14, 9.
Timotheus. Apoc. 2, 1.
tmesis. Eph. 6, 8. Col. 3, 23.
traditiones. Matth. 15, 3. 5. Joh. 16, 12. 21, 23. Rom. 1, 2. 1 Cor. 11, 2. 2 Thess. 2, 15. Col. 2, 23.
trajectiones. Matth. 8, 15. Luc. 4, 5.
transitio ad Jesum, facilis a quolibet Scripturae textu, Act. 8, 35.
triduum mortis Christi. Matth. 2, 40.
Trinitas. Matth. 3, 16. sq. 28, 19. Luc. 1, 14. 15. 4, 18. Joh. 3, 11. 4, 23. 5, 32. 16, 14. Act. 2, 38. Rom. 8, 9. 9, 4. Eph. 3, 6. Hebr. 1, 1. 6, 4. 10, 29. 1 Petr. 1, 2. 1 Joh. 5, 7. sq.
triviales formulae. Matth. 5, 22. Joh. 7, 52.
trivium discipulorum. Matth. 4, 23. voc. καὶ περιῆγεν. 6, 11. τὸν ἄρτον. 25. μὴ μεριμνᾶτε. c. 8, 14. πενθερᾶν. 23. πλοῖον. 24. μέγας. 25. ἀπολλύμεθα. 26. δειλοὶ et τότε. c. 9, 11. τοῖς μαθηταῖς. 16. οὐδείς. c. 10, 1. ἔδωκεν et αὐτοῖς. 2. τὰ ὀνόματα. 7. κηρύσσετε. 9. μὴ κτήσησθε. 25. οἰκοδεσπότην. c. 13, 36. 14, 13. κατ' ἰδίαν. 15. ἑαυτοῖς. 16. ὑμεῖς. 25. τετάρτῃ ἀπῆλθε. c. 15, 23. κράζει. c. 16, 13. τινα. 16. ἀποκριθεὶς et σίμων πέτρος. 22. προσλαβόμενος. c. 17, 17. ἄπιστος, et ἔσομαι. 21. τοῦτο. 25. σίμων. 27. ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ. c. 19, 26. ἐμβλέψας. c. 21, 21. ἀποκριθεὶς. Marc. 1, 36. 4, 10. 11. 13. 38. οὐ μέλει σοι. 40. οὐκ. c. 6, 7. 52. ἦν γάρ. c. 9, 12. εἶπεν. 32. c. 10, 14. 18. fin. 24. τέκνα. Luc. 5, 11. 7, 19. 20. 8, 25. 9, 18. 54. Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης. c. 10, 23. 11, 1. ὡς ἐπαύσατο. c. 12, 1. 3. 4. Joh. 1, 37. 39. 40. ἔμειναν. 43. ἐμβλέψας. c. 2, 1. γάμος.

Digitized by Google

4. τί ἐμοὶ καὶ σοί. 11. ἐπίστευσαν. 12. οὐ πολλάς. c. IV, 2. obs. h. l. 32. οὐκ οἴδατε. c. 6, 5. ὀλίγον. 68. ῥήματα. c. 9, 2. ἠρώτησαν. 3. ἀπεκρίθη. c. 11, 7. 11. ἡμῶν. c. 12, 22.
tubae. Apoc. 5, 1. 7, 12. 8, 2.
Vae. Matth. 11, 21.
valedictio. Act. 20, 25. sq.
Vaticanus cod. Praef. §. 8.: mon. 11.
vaticiniorum allegationes. Matth. 1, 22.
vehemens verbum. 1 Cor. 7, 9.
vehementia sanctorum. Act. 26, 25.
veneficium. Gal. 5, 20.
venerabilis. Marc. 6, 20.
verbum finitum post participia, Hebr. 1, 3. pro adverbio. Act. 15, 16. pro participio, Eph. 2, 17.
verbi divini efficacia. Matth. 7, 29. Act. 18, 5. 19, 18.
verecundia intempestiva, pellitur fide. Luc. 8, 47.
verecundia sermonis. Act. 2, 30. Rom. 1, 26.
veritas, quid? Matth. 22, 16.
veritas religionis christianae. Matth. 26, 13. Marc. 5, 22. 6, 20. Joh. 1, 47. 7, 17. s. 8, 29. 11, 4. 13, 19. Act. prooem. et c. 2, 1. 4, 13. 5, 41. 8, 8. 9, 5. 13, 10. 16, 16. 21, 28. 17, 11. 22. 18, 15. 19, 12. 17. sqq. 20, 19. 37. 24, 25. 26, 26. Rom. 1, 2. 8. 6, 17. 7, 16. 13, 1. 1 Cor. 9, 2. 14, 25. 2 Cor. 3, 2. 18. 10, 4. 1 Thess. 2, 14. 4, 13. Hebr. 2, 3. sq. 4, 13.
Theoph. *a Veritate.* Praef. §. 8.
Versiones: Graeca V. T. Matth. 1, 1. 2, 6. 4, 1. 9, 13. 27, 52. Luc. 4, 19. Joh. 8, 58. 19, 37. Act. 7, 14. 15, 17. Rom. 9, 29. 11, 3. 1 Cor. 3, 19. Hebr. 1, 6. 8, 9. 11, 21. 12, 15. Apoc. 18, 13. — N. T. Anglica vetus, Marc. 4, 35. Arabica, 2 Joh. v. 1, voc. κύρια. Armena, Apoc. 5, 14. Gothica, Luc. 9, 43. Latina, Vulgata: Praef. §. 8. n. 10. not. Matth. 6, 13. Joh. 9, 21. Apoc. 1, 11. 13, 18. 14, 18. et passim. Syriaca, Act. 15, 23. Apoc. 11, 1. Versiones quomodo tractandae, Hebr. 12, 6.
versus jambicus. 1 Cor. 5, 6.
vestis nuptialis. Matth. XXII, 11.
vicarii ministri. Matth. 10, 7.
vigilantia. Marc. 13, 35.
vis sermonis. Act. 3, 18.
visitatio ecclesiastica. Act. 15, 36.
vita aeterna. Joh. 3, 15.
vita J. C. succinctis annotationibus delineata: Matth. 4, 12. voc. εἰς. 23. πᾶσαν. 24. κακῶς ἔχοντας. c. 6, 1. τὸ θέλημά σου. 27. τίς ἐξ ὑμῶν. 30. ὀλιγόπιστοι. c. 7, 21. κύριε. 23. ὁμολογήσω. c. 8, 3. θέλω. 10. ἐθαύμασε. 18. ἀπελθεῖν. 20. οὐκ ἔχει. 24. ἐκάθευδε. c. 9, 1. διεπέρασε. 10. συνανέκειντο. 11. διατί. 20. τοῦ κρασπέδου. 21. τοῦ ἱματίου. 24. ἀναχωρεῖτε. 25. ἠγέρθη. 36. ἐσπλαγχνίσθη. c. 10, 25. οἰκοδεσπότην. 36. τὸν σταυρόν. c. 11, 1. ἐτέλεσεν. 6. μακάριος. 25. πάτερ. 29. πρᾶος — ταπεινός. c. 12, 6. ὧδε. 15. 16. 19. c. 13, 53. μετῆρεν. 55. μήτηρ. c. 14, 12. ἀπήγγειλαν. 19. ἀναβλέψας. 22. ἕως. 23. c. 15, 32. 36. c. 16, 7. ἄρτους. 23. σκάνδαλόν μου — τὰ τοῦ θεοῦ. c. 17, 17. ἀνέξομαι. c. 18, 6. τῶν πιστευόντων. c. 19, 13. μαθηταί. c. 20, 22. ὃ ἐγώ. 34. σπλαγχνισθείς. c. 21, 2. πῶλον. 14. 18. 19. λέγει. Marc. 1, 35. 43. εὐθέως. c. 3, 5. περιβλεψάμενος et συλλυπούμενος. 7. 9. 10. 20. 21. ὃς ἐξέστη. c. 4, 36. ὡς ἦν. c. 5, 30. 40. ἐκβαλών. c. 8, 12. 23. ἐπιλαβόμενος. 26. μηδὲ εἴπῃ. c. 9, 25. c. 10, 1. ὡς εἰώθει. 18. 21. ἐμβλέψας. 23. περιβλεψάμενος. c. 11, 2. 11. 15. Luc. 4, 14. φήμη. 15. αὐτός. 16. κατὰ τὸ εἰωθός. 23. πάντως. 43. εἰς τοῦτο. c. 5, 1. ἐπικεῖσθαι. 7. ἐδέσατο. 16. c. 6, 12. c. 7, 36. 44. τοῖς ὄπισθεν. 45. c. 9, 18. 51. ἀναλήψεως. 52. 54. πρ. 60. c. 10, 21. 23. 42. c. 11, 1. τῶν μαθητῶν. 22. 37. c. 12, 50. πῶς συνέχομαι. c. 13, 16. δεκαδύο. 31. ἡρώδης. 32. ἐπιτελῶ et τελειοῦμαι. c. 15, 4. ἕως. c. 18, 15. 16. Joh. 1, 40. εἷς. c. 2, 1. γάμος. 11. ταύτην — καὶ ἐφανέρωσε — ἐπίστευσαν. 24. οὐκ ἐπίστευεν. c. 4, 6. οὕτως. 34. τελειώσω — βρῶμα. c. 5, 13. ἐξένευσεν. c. 6, 15. βασιλέα. c. 7, 5. 15. 20. καὶ εἶπε. c. 8, 1. ἐπορεύθη. 6. κατηγορεῖν — δέ. 9. ἀπὸ τῶν πρεσβ. 29. πάντοτε. 57. πεντήκοντα fin. 59. ἐκρύβη. c. 9, 4. οὐδείς. 33. 37. ὁ λαλῶν. c. 10, 18. ἀπ' ἐμαυτοῦ. it. παρὰ τοῦ πατρός μου. 34. ἀπεκρίθη. c. 11, 30. οὔπω. 33. ἐνεβριμήσατο, et ἐτάραξεν. 35. 38. 41. 42. ἤδειν. c. 12, 14. 23. 27. 28. 31. 32. 44. etc.
vita b. Auctoris. post Praef. p. XXXIII. sqq.
Vitringa. Apoc. 12, 5. 13, 1. (thes. 7.) 17, 8.
vivida expressio. Act. 15, 37.
vivificatio Christi. 1 Petr. 3, 18.
ultima. Matth. 7, 22. 25. 8, 11. sq. 12, 32. 41. 13, 12. 24, 4. 43. Marc. 9, 44. sq. 12, 43. Luc. 16, 19. 18, 8. Joh. 12, 48. Rom. 11, 34. etc.
unctio. 1 Joh. 2, 20. extrema, Marc. 6, 13. Jac. 5, 14.
unio actualis cum λόγῳ. Luc. 1, 35.
unio mystica. 1 Cor. 6, 17. Eph. 5, 30.
vocatio. Luc. 14, 18. Eph. 4, 1. seria, Luc. 14, 21. ministrorum evangelii, Joh. 10, 1. Act. 1, 24. 7, 27. 13, 2. 20, 28.
vocativus. Luc. 1, 28.
voluntas Dei antecedens. Rom. 3, 3.
voluntas divina, humanam excitat, Joh. 7, 17. hominis, frangitur. Matth. 8, 19. 21. — bona, bene impediri potest, Act. 19, 30.
votum. Act. 18, 18.
Urlspergerus. Luc. XXIII, 34.
vultus J. C. Marc. 10, 23.
Walchius. Praef. §. 18.
Weisius. Joh. 10, 3.
Weismannus. p. 306. 1026. sq.
Wetstenius. Praef. §. 10. p. XXI.
Whitby. Praef. §. 9. Rom. 1, 16. 13, 1. 9. 14, 9.
Wincklerus. Apoc. 12, 3. 20, 3.
Witsius. Joh. 2, 20.
Wolfius. Jac. 3, 6. Ap. prooem. n. 4. et passim.
Wollius. Praef. §. 11. p. XXI.
Zanchius. Apoc. 17, 11.
Zellerus. Hebr. 9, 13.
Zeltnerus. Apoc. 11, 17. 14, 6. 20, 2.
zelus. Matth. 13, 29. zelus falsus, Luc. 23, 10. Act. 17, 6.
zeugma. Marc. 13, 26. 1 Cor. 7, 10. Gal. 5, 17. 1 Tim. 4, 3.
Zullichau. Biblia. Praef. §. 8. p. XIV.

Digitized by Google

INDEX TERMINORUM TECHNICORUM

In Gnomone Novi Testamenti passim obviorum ita in usum tironum adornatus, ut clavis Gnomonicae vicem sustinere possit

opera

M. Ioannis Alberti Burkii.

AETIOLOGIA.

AETIOLOGIA [REI] est, cum sententia non simpliciter enunciatur, sed simul ratio ac caussa ejus affertur: quod vel *explicite* vel *implicite* fit. — 2 Cor. 11, 13. οἱ γαρ τοιουτοι ψευδαποστολοι — — Aetiologia, *cur nolit istos similes putari ipsius.* Gn. ad h. l. — Rom. 13, 1. πασα ψυχη ἐξουσιαις ὑπερεχουσαις ὑποτασσεσθω. *Implicita* aetiologia: sc. *quia sunt* ὑπερεχουσαι. Gn. ad h. l. Germ. *Weil sie souverain sind.* — 1 Thess. 4, 6. το μη ὑπερβαινειν και πλεονεκτειν ἐν τῳ πραγματι τον ἀδελφον αὐτου, διοτι ἐκδικος ὁ Κυριος περι παντων τουτων. — *Notanda duplex* aetiologia: 1) *implicita*, τον ἀδελφον αὐτου, sc. *quia est* ἀδελφος· 2) *explicita*: διοτι ἐκδικος ὁ Κυριος — Conf. Gn. ad h. l.

AETIOLOGIA DICTI est, cum caussam reddimus, cur hac propositione vel enunciatione usi simus: ut, — Gal. 2, 6. ἐμοι γαρ οἱ δοκουντες οὐδεν προσανεθεντο. Conf. 2 Cor. 5, 12. Hebr. 2, 8. *Saepe* γαρ *enim, facit ad aetiologiam dicti.* Vide Gnom. ad ll. cc.

ALLEGORIA.

ALLEGORIA componitur ex ἄλλος et ἀγορέω, *dico:* ut *Allegoria* sit, *ubi aliud dicitur, aliud potius significatur.* Vide Gnom. ad Gal. 4, 24.

Definitur *ALLEGORIA*, quod sit *Tropi ejusdem* per integram sententiam continuatio: nempe, si Rhetor totam aliquam sententiam, vel orationem continuam, per unum Tropi genus tractat, existit *Allegoria justa.*

Fieri hoc potest in omnibus Tropis, qui ea lege omnes tractandi sunt, ut conserves Tropum semel coeptum; sed quia in *Metaphoris* plerumque fieri solet, ut continuentur; sunt, qui *Allegoriam* minus accurate *continuatam Metaphoram* vocant.

Exempla: Joh. 6. v. 32. sqq. Sermo allegoricus *cum explicatione* propriis verbis *addita.* — Act. 20, 29. εἰσελευσονται — λυκοι βαρεις εἰς ὑμας, μη φειδομενοι του ποιμνιου. Allegoria *ab animalibus* desumta. — Rom. 2, 15. συμμαρτυρουσης — κατηγορουντων — ἀπολογουμενων: Alleg. *a judicio.* — Rom. 6, 23. ὁπλα — ὀψωνια — Allegoria *a re militari.* 2 Cor. 11, 8. — Cap. 15, 16. Allegoria *a cultu levitico V. T.* — 1 Cor. 15, 36. ss. Alleg. *ab agricultura.* — Phil. 3, 9. Allegoria *damni et lucri.*

AMPLIATIO.

AMPLIATIO est, cum denominativa aut epitheta de suis subjectis praedicantur, etiamsi denominationis ratio desierit, vel: quando mutata re, pristinum nomen asservatur. Sal. Glassii Philol. *S. L. III. Tract. I. Can. III. p. m. 538. ss.* ex. gr. — Matth. 10, 3. ματθαιος ὁ τελωνης· i. e. *qui olim fuerat:* cap. 9, 9. conf. Gnom. ad h. l. — Joh. 9, 17. λεγουσι τῳ τυφλῳ — i. e. τῳ ἀνθρωπῳ ὁς ἠν τυφλος· v. 24.

Aliud genus *AMPLIATIONIS* est [*quam specialius* Prolepsin *vocant*] si denominatio rei a futuro eventu petitur: vel, si res describitur non tam qualis nunc est, quam qualis futura est. Glass. L. c. p. 542. ex. gr. — Luc. 2, 11. ὁτι ἐτεχθη ὑμιν σημερον Σωτηρ — *Coelites puerulum in* ampliatione *Salvatorem appellant.* Gn. ad v. 30. — Joh. 10, 16. και ἀλλα προβατα ἐχω — *alias oves*, i. e. futuras et praevisas. Gn. ad h. l. — 1 Cor. 14, 22. Jac. 2, 23. Vide Gnom. ad ll. cc.

Conf. Flacii Clavem Scripturae. *P. II. Tract. IV. p.* 299. et de *Prolepsi Constructionis:* p. 225.

ANADIPLOSIS.

ANADIPLOSIS est repetitio ejusdem vocis in fine praecedentis et principio sequentis membri. ex. gr. — Joh. 18, 37. Συ λεγεις, ὁτι βασιλευς εἰμι ἐγω. ἐγω εἰς τουτο γεγεννημαι. — Rom. 8, 17. εἰ δε τεκνα, και κληρονομοι· κληρονομοι μεν θεου. — 2 Cor. 5, 17. 18. ἰδου γεγονε καινα τα παντα. Τα δε παντα ἐκ του θεου. —

Latius sumta etiam in conjugatis vocibus locum habet Anadiplosis [*Vide Gnom. ad Jac.* 1, v. 1. 2.]: ex. gr. — Gal. 4, 31. cap. 5, 1. ἀλλα της ἐλευθερας. Τῃ ἐλευθεριᾳ οὐν ἡ χριστος — Gn. ad h. l.

Vide Glassii Philol. *S. L. V. Tract. II. cap. I. p. m. 1992.*

Digitized by Google

ANAKEPHALAEOSIS.

ANAKEPHALAEOSIS est pars Perorationis rhetoricae, [vel *Epilogi*] quando antea uberius proposita brevi repetitione denuo inculcantur. Universe designat etiam *quamcunque repetitionem brevem et concinnam. RECAPITULATIO* idem significat. [vide Gnom. ad Joh. 14, 12. 16, 28. 1 Joh. 5, 7. s. p. 1007.] — Act. 7, 1. ss. *Stephanus rerum veterum instituit* Anakephalaeosin, i. e. *repetitionem.* Gn. ad l. c. — Rom. 8, 30. Anakephalaeosis *totius beneficii in justificatione et glorificatione siti.* Gn. ad cap. cit. v. 28. — Hebr. 2, 17. κατα παντα τοις αδελφοις ὁμοιωθηναι — Anakephalaeosis *eorum, quae antecedunt.* Gn. ad h. l.

ANANTAPODOTON.

ANANTAPODOTON est, cum integra Apodosis omittitur. Id fit potissimum in Comparationibus. Ex ipsa Protasi, quae adest, et reliquo contextu intelligere est, quae Apodoseos vis subaudienda veniat. ex. gr. — Luc. 13, 9. κἀν μεν ποιηση καρπον. (Apodosis subauditur: *bene est;* vel: *relinquam:* vel: *faciat fructum.*) Gn. ad h. l. — Joh. 6, 62. ἐαν οὐν θεωρητε τον υἱον του ἀνθρωπου — — το προτερον. Apodosis subaudienda: *quid erit?* Gn. ad h. l. — Rom. 9, 22. εἰ δε θελων ὁ θεος — Apodosis est in fine versus 23., ex v. 20. subaudienda: *multo jam major est, Deo, de homine querendi; et minor homini, cum Deo expostulandi, causa.* Gn. ad h. l. — 2 Petr. 2, 4. ss. posset quidem referri ad *Anantapodoton*, sed recte Gnomon notat Apodosin v. 9. esse quaerendam. Conf. C. L. Bauери Philologia Thucyd. Paull. *cap.* 13, 2. *p.* 277.

ANAPHORA.

ANAPHORA est ejusdem verbi in principiis frequens repetitio. — Habet ea magnam vim in ornandis argumentis gravioribus et amplificando; sed etiam saepissime, quod b. Parentem praecipere memini, facem praefert in investigandis Sectionibus majoribus libri prophetici, ex. gr. Jesajae, concinnae Analysi inservituris. Id vero planum facere hujus nec instituti nec loci est. — Exempla: Matth. 11, 18 sq. ἠλθε γαρ ἰωαννης — ἠλθεν ὁ υἱος του ἀνθρωπου — Insignis Anaphora. — Act. 20, 22. 25. και νυν ἰδου ἐγω δεδεμενος — και νυν ἰδου ἐγω οἰδα. — 1 Cor. 3, 9. θεου γαρ ἐσμεν συνεργοι· θεου γεωργιον, θεου οἰκοδομη ἐστε. — Phil. 3, 2. βλεπετε τους κυνας, βλεπετε τους κακους ἐργατας, βλεπετε την κατατομην.

ANTANACLASIS.

ANTANACLASIS est, cum eadem vox in vicinia bis, sed duplici sensu, ponitur. — Haec Figura *et* Paulo, *ut multi passim observant, et reliquis scriptoribus sacris, ut* Glassius [Philol. *S. L. V. Tract. II. cap. III. p. m. 2003. ss.*] *praeclare demonstrat, frequens est.* Gnom. ad Gal. 5, 8. — Rom. 2, 12. ὁσοι γαρ ἀνομως [i. e. οὐκ ἐν νομῳ] ἡμαρτον, ἀνομως [i. e. οὐ δια νομου] και ἀπολουνται. — Eph. 1, 3. Εὐλογητος ὁ θεος — ὁ εὐλογησας ἡμας ἐν πασῃ εὐλογια — *Aliter benedixit Deus nobis, aliter nos benedicimus illi.* — 1 Petr. 3, 1. ἱνα και εἰτινες ἀπειθουσι τῳ λογῳ [i. e. *Evangelio*] — — ἀνευ λογου [i. e. *loquela*] κερδηθησονται — —. Vide Gnom. ad ll. citt. — Vide Glassium L. c. p. 2003.

ANTHYPOPHORA.

ANTHYPOPHORA est pars refutationis per occupationem, cum refelluntur ea, quae contra nostram sententiam dici posse videantur. Vide Gnom. ad Hebr. 2, 8. — Exempla vide infra ad Tit. *OCCUPATIO.*

Differt haec *ANTHYPOPHORA, quae ad praevisam objectionem respondet*, ab altera ejusdem nominis, *quae objectionem ab adversario prolatam per contrariae sententiae oppositionem refutat.* [Glassii Philol. *S. L. V. Tract. II. cap. VII. p. 2048.*]

ANTIPHRASIS.

ANTIPHRASIS [praecipiente Franc. Sanctio in Minerva, *L. IV. cap. XVI. p.* 820. *m.* ubi Grammaticorum *Antiphrasin* multum explodit] est Ironiae quaedam forma, quum dicimus negando id quod debuit affirmari.

Vulgo autem dicitur universe sermo, contrarium, quam quod positum est, significans: ut, 1 Cor. 8, 10. οὐχι ἡ συνειδησις — — οἰκοδομηθησεται εἰς το τα εἰδωλοθυτα ἐσθιειν — aedificabitur; i. e. *impelletur* [ad malum aliquod faciendum.] conf. Bauери Philol. Th. P. *cap. XIV. p.* 303. — Act. 27, 8. coll. v. 12. Gn. ad ll. cc. — (Confer Tob. Godofr. Hegelmaieri admonitionem de *ANTIPHRASI*, in Notis ad b. Imman. Hofmanni Demonstrationem evangelicam, *Tom. I. p.* 17. *notâ e.*)

ANTITHETA.

ANTITHETA sunt, cum contraria contrariis opponuntur: *quod fit tripliciter, vel sic, ut verba singula singulis, vel bina binis, vel sententiae sententiis opponantur.* [Ernesti Init. Rhet. §. 351. p. 171. sq.] ex. gr. — Luc. 2, 14. δοξα ἐν ὑψιστοις θεῳ, και ἐπι γης — ἐν ἀνθρωποις —. Gn. ad h. l. — Rom. 8, 5. οἱ γαρ κατα σαρκα ὀντες, τα της σαρκος φρονουσιν. οἱ δε κατα πνευμα, τα του πνευματος. — Cap. 15, 12. ἐσται ἡ ριζα του Ἰεσσαι, και ὁ ἀνιστἀμενος ἀρχειν ἐθνων· [Hebr. נס *vexillum.*] Radix est in infimo; vexillum ad summa surgit. Gn. ad h. l. et ad 2 Cor. 4, 17.

Digitized by Google

ANTONOMASIA.

ANTONOMASIA est, cum pro nomine proprio nomen commune, idque per excellentiam, ponitur: ut: Act. 3, 14. ὑμεις δε τον ἁγιον και δικαιον [i. e. *JESUM*] ἠρνησασθε — Conf. cap. 7, 52. 22, 14. — Eph. 1, 6. ἐν τῳ ἠγαπημενῳ. — 2 Tim. 1, 6. του Κυριου ἡμων· vid. Gnom. ad ll. cc.

Aliud genus Antonomasias est, cum pro communi proprium ponitur, ut: Matth. 2, 18. βαχηλ κλαιουσα τα τεκνα αὐτης. — cap. 11, 14. αὐτος ἐστιν ἠλιας ὁ μελλων ἐρχεσθαι. Vide Gnom. ad ll. cc.

APHAERESIS.

APHAERESIS est, quando prima litera aut syllaba vocis alicujus abjicitur. ex. gr. — Tit. 1, 12. ἀργος pro: μαργος. Gn. ad h. l. — Apoc. 20, 8. *Gog* pro *Magog*. Gn. ad h. l. *Fortuita Aphaeresis* notatur in *Apparatu crit.* ad 1 Tim. 3, 16. et Matth. 7, 14.

APOCOPE.

APOCOPE est, quando vox in fine literam aut syllabam amittit. ex. gr. — 2 Cor. 12, 7. σατων pro σατανας. *Apocope considerata.* vid. Gnom. ad h. l.

APODIOXIS.

APODIOXIS est, si id, quod in narrando aut docendo nostri videbatur esse officii, scite in alium transferimus et ab ipso effectum iri perhibemus. — Eph. 6, 21. 22. Coloss. 4, 7. 8. 9. conf. Gn. ad ll. cc. — Vide Praef. Gnom. §. 24. p. XXXI. et Ciceronis Epp. ad diversos, Ed. Bengelii, *Lib. I. Ep. 8. 1. not. Ind. IV. cap. I. pag. 981. (4.)*

APOSTROPHE.

APOSTROPHE est, cum oratio ad aliam personam, praesentem aut absentem, subito convertitur, secus ac institutum fuerat. — Act. 15, 10. νυν οὐν τί πειραζετε τον θεον, ἐπιθειναι ζυγον ἐπι τον τραχηλον των μαθητων. — Vide Gnom. ad h. l. — Jacobi 5, 1. ἀγε νυν οἱ πλουσιοι, κλαυσατε ὀλολυζοντες — — Gn. ad h. l.

ASTEISMUS.

ASTEISMUS, sermo ἀστεῖος, est sermo acutus, festivus, urbanus, cum suavitate aut vi conjunctus. Ex. gr. — Epistola familiaris *ad Philemonem* est mire ἀστεῖος. Lepos est in ea mixtus gravitate. Gn. ad Philem. 1. 9.

Incomparabilem *ASTEISMUM* ut duae Epistolae ad Corinth. sic inprimis locus 1 Cor. 4, 8. habet. — Vide etiam Matth. 6, 34. 2 Cor. 12, 13. εἰ μη ὁτι αὐτος ἐγω οὐ κατεναρκησα ὑμων; χαρισασθε μοι την ἀδικιαν ταυτην. *Insignis Asteismus.* 2 Petr. 2, 11. ἀγγελοι ἰσχυι και δυναμει μειζονες ὀντες — — *Asteismus gravis.* Confer Gnom. ad ll. cc.

ASYNDETON.

ASYNDETON est species Ellipseos, cum conjunctiones *(copulativae, disjunctivae, adversativae, causales etc.)* omittuntur, vel inter singula verba vel inter singulas propositiones. ex. gr. — Matth. 15, 19. ἐκ γαρ της καρδιας ἐξερχονται διαλογισμοι πονηροι, φονοι, μοιχειαι, πορνειαι, κλοπαι, ψευδομαρτυριαι, βλασφημιαι — It. 1 Cor. 12, 28. Gal. 5, 22.

In talibus enumerationibus saepe *Asyndeton* vim habet τοῦ *et cetera*, quasi is, qui loquitur plura voluerit addere aut cogitanda relinquere. — Luc. 1, 17. ἐπιστρεψαι καρδιας — ἑτοιμασαι Κυριῳ λαον κατεσκευασμενον.

ASYNDETON etiam est: I. cum vocula, quae per *Anaphoram* poni debebat, omittitur: ex. gr. — 1 Cor. 13, 4. ἡ ἀγαπη μακροθυμει, χρηστευεται· ἡ ἀγαπη οὐ ζηλοι. — Ante: χρηστευεται repetenda videbatur vocula: ἀγαπη. — II. cum conjunctio ab initio sententiae vel semel tantum abest. ex. gr. — Joh. 19, 12. πας ὁ βασιλεα ἑαυτον ποιων. — Conjunctio causalis: *Enim*, abest. Lutherus: *denn wer sich zum Könige* — Gal. 3, 13. χριστος ἡμας ἐξηγορασε — ubi Lutherus adversativam: *Aber* supplet, ut etiam Coloss. 3, 4. — 1 Tim. 1, 17. est *Asyndeton*, quod ardorem apostolicum magnopere decet. vide Gnom. ad h. l.

CATACHRESIS.

CATACHRESIS est e quinque Troporum affectionibus, et vulgo dicitur apud artis rhetoricae magistros, *vocis a propria significatione ad alienam durior translatio.* [Ernesti In. Rhet. *P. II. cap. 2. p. 164.* conf. Kinderlinus *Grundsätze der Beredsamkeit, zum Gebrauch der Schulen. Th. 2. §. 117.*]

Generaliori fere sensu *CATACHRESIS* etiam dicitur, *abusio quaedam vocis, cum aliquid cognatum propriae rei notat: vocabula enim non semper propriissime rebus tribuuntur, sed ut aliquo saltem modo rei correspondeant.* [Flacii Clavis Script. *P. II. p. m. 221.*] ex. gr. — Rom. 3, 27. διὰ νομου πιστεως· *opportuna Catachresis vocabuli* Lex. — Gal. 3, 8. προευηγγελισατο τῳ Ἀβρααμ, *Verbum ad Catachresin accedens suavissime.* Abrahamo *ante tempora Evangelii* evangelizatum est. — 1 Thess. 4, 9. οὐ χρειαν ἐχομεν γραφειν ὑμιν· αὐτοι γαρ ὑμεις θεοδιδακτοι ἐστε — — To· *docti* habet quandam *Catachresin*, ut scriptioni opponatur. Gn. ad h. l. — Adde his, quam Gnom. [*ad Luc. 16, 8.*, τον οἰκονομον της ἀδικιας] habet ulteriorem de-

Digitized by Google

terminationem. *Frequens est et suavis saepe et grandis Catachresis, qua vocabulum non bonae rei tamen in bonam partem, non exstante aptiore altero, adhibetur. Talia sunt,* ἀλογον, *quod non reputatur:* ἀχαριστον, *pro quo nulla gratia digna referri potest: talia:* ἐξιστημεν· καταναρκων et ἐσυλησα, 2 Cor. 5, 13. 11, 8. *et quae propius huc spectant,* — — βιασται ἁρπαζουσιν, Matth. 11, 12. ἀναιδεια, Luc. 11, 8.

CHARIENTISMUS.

CHARIENTISMUS est, cum dictio, quae durior videri poterat, vocula temperante quasi mollitur: ut, Joh. 9, 30. ἐν γαρ τουτῳ θαυμαστον ἐστιν — Vide Gnom. ad h. l. conf. 2 Thess. 3, 10.

CHIASMUS.

CHIASMUS, σχημα χιαστον, *decussata oratio*, ἀλληλουχια, nomen habet a Graecorum litera X, quae quasi typus est, ad quem sermo dispositus videtur.

Est figurata ratio loquendi, quando *duo paria* vocum aut propositionum ponuntur ita, ut lector attentus intelligat, relationem obtinere inter utramque vocem aut propositionem paris *prioris*, et utramque vocem aut propositionem paris *posterioris*.

I. *CHIASMUS* observatur vel *directus*, vel *inversus*. *CHIASMUS directus* est, cum vox aut propositio *prior* in primo pari referri debet ad vocem aut propositionem *priorem* in secundo pari: et vox aut propositio *posterior* in primo pari ad vocem aut propositionem *posteriorem* in secundo pari.

CHIASMUS inversus est, cum vox aut propositio *prior* in primo pari referri debet ad vocem aut propositionem *posteriorem* in secundo pari: et vox aut propositio *posterior* in primo pari ad vocem aut propositionem *priorem* in secundo pari.

Verbo: Sint duo paria: *A* et *B*: *C* et *D*. Si relatio est του· *A* ad το· *C*; et του· *B* ad το· *D*; est Chiasmus *directus*: Si relatio est του· *A* ad το· *D*; et του. *B* ad το· *C*; est Chiasmus *inversus*. Si relatio est του· *A* ad το· *B*; et του· *C* ad το· *D*; tunc *NON EST Chiasmus*, sed *RELATIO IMMEDIATA*.

Non dantur nisi hi tres casus, quos jam planos faciam Exemplo quam simplicissimo: In Ep. ad Philemonem, v. 5. habetur *Chiasmus inversus*. [conf. Gn. ad h. l.] — — ἀκουων σου *A*) την ἀγαπην *B*) και την πιστιν, ἡν ἐχεις *C*) προς τον Κυριον Ἰησουν *D*) και εἰς παντας τους ἁγιους *A*) nectitur cum *D*): *amor — in omnes sanctos*: *B*) nectitur cum *C*) *fides* quam habes in *Dominum Jesum*.

Fingamus Chiasmum *directum*: — — ἀκουων σου *A*) την ἀγαπην *B*) και την πιστιν ἡν ἐχεις *C*) εἰς παντας τους ἁγιους *D*) και προς τον Κυριον Ἰησουν. *A*) nectitur cum *C*): et *B*) cum *D*).

Jam quatuor membra eo ordine incedant, qui *Chiasmo* careat: — — ἀκουων σου *A*) την ἀγαπην ἡν ἐχεις *B*) εἰς παντας τους ἁγιους *C*) και την πιστιν *D*) προς τον Κυριον Ἰησουν.

Quo ordine ipse Apostolus ea incedere jussit, cap. 1. v. 15. ad *Ephesios* scribens: — — ἀκουσας *A*) την καθ' ὑμας πιστιν *B*) ἐν τῳ Κυριῳ Ἰησου *C*) και την ἀγαπην *D*) την εἰς παντας τους ἁγιους. — Sic *A*) nectitur cum *B*) et *C*) cum *D*).

Aliud exemplum planissimum *Chiasmi inversi* est Matth. 12, 22. ὡστε *A*) τον τυφλον *B*) και κωφον *C*) και λαλειν *D*) και βλεπειν.

II. Jam videamus quaedam alia Exempla: Matth. 5, 44. ἐγω δε λεγω ὑμιν· *A*) ἀγαπατε — — *B*) εὐλογειτε — *C*) καλως ποιειτε — — *D*) και προσευχεσθε — — Est *Chiasmus directus*: cujus etiam vestigium adhuc observatur in v. 46. 47.

Igitur per duo paria disponuntur quatuor membra, quorum haec ad se relatio est: *A*) et *C*) deinde: *B*) et *D*). Chiasmum h. l. non fingi, *Lucae* relatio testatur, qui membra quatuor priora sic incedere jubet: *A*) ἀγαπατε — *B*) καλως ποιειτε — *C*) εὐλογειτε — *D*) προσευχεσθε — Cap. 7, 27. 28. coll. v. 32. sqq. — Iohannis 5, 21—27.

A) v. 21. ὡσπερ γαρ ὁ πατηρ ἐγειρει — — οὑς θελει ζωοποιει.
B) v. 22. οὐδε γαρ ὁ πατηρ κρινει οὐδενα — — τον πεμψαντα αὐτον.
C) v. 24. Ἀμην ἀμην λεγω ὑμιν, ὁτι ὁ τον λογον — — θανατου εἰς την ζωην.
D) v. 25. Ἀμ. ἀμ. λ. ὑ. ὁτι ἐρχεται ὡρα — — και οἱ ἀκουσαντες ζησονται.

Sunt quatuor membra: *A*) de vivificatione, *B*) de judicatione, *C*) de judicio, *D*) de resuscitatione. Ergo est *Chiasmus inversus*. Gn. ad h. l. Porro:

E) v. 26. ὡσπερ γαρ ὁ πατηρ — ἐν ἑαυτῳ.
F) v. 27. και ἐξουσιαν ἐδωκεν αὐτῳ — — ἐστι.
G) v. 28. ὁτι ἐρχεται ὡρα — — και ἐκπορευσονται.
H) v. 29. οἱ τα ἀγαθα — — ἀναστασιν κρισεως.

Sunt iterum quatuor membra: *E*) de vita, *F*) de judicio, *G*) de resurrectione, *H*) de judicio. Est ergo *Chiasmus directus*.

Hinc existit duplex series novem versus permeans:

$$A — D — E — G \text{ et: } B — C — F — H.$$

Act. 20, 21. διαμαρτυρομενος *A*) Ἰουδαιοις τε και *B*) ἑλλησι *C*) την εἰς τον θεον μετανοιαν *D*) και πιστιν την εἰς τον Κυριον ὑμων Ἰησουν χριστον.

Relatio est inter *A*) et *D*) et inter *B*) et *C*) ergo *Chiasmus inversus*, ut supra Philem.

Digitized by Google

v. 5. — Rom. 9, 24. οὓς καὶ ἐκάλεσεν ὑμας οὐ μονον *A)* ἐξ Ἰουδαιων, ἀλλα καὶ *B)* ἐξ ἐθνων. *C)* de *gentibus* agitur. v. 25.: ὡς καὶ ἐν τῳ ὡσηε — — *D)* de *Judaeis* agitur v. 27. ἡσαϊας δὲ κραζει — —

Chiasmus est *inversus*. Nominat enim Apostolus *A) Judaeos B) gentes* et tractat deinde *inverso ordine C)* de *Gentibus D)* de *Judaeis*. — 1 Cor. 9, 1. ss. est *Chiasmus inversus* ex sententia *Gnomonis* ad h. l. Sed lectio receptior duo membra vers. 1. ita ponit, ut existat *Chiasmus directus*. Videamus utrumque:

A) v. 1. οὐκ εἰμι ἀποστολος, B) οὐκ εἰμι ἐλευθερος;
C) v. 2. de *Apostolatu:* οὐχι Ἰησουν χριστον —
D) v. 4. de *Libertate:* Μη οὐκ ἐχομεν ἐξουσιαν — —
Relatio est inter *A)* et *C)* et inter *B)* et *D)* ergo *Chiasmus directus*.
A) οὐκ εἰμι ἐλευθερος; B) οὐκ εἰμι ἀποστολος;
C) οὐχι Ἰησουν χριστον — — D) μη οὐκ ἐχομεν ἐξουσιαν — —
Relatio est inter *A)* et *D)* et inter *B)* et *C)* ergo Chiasmus *inversus*.

III. *CHIASMUS* late sumtus existit etiam in membris, qui numerum quaternarium excedunt, ex. gr. — Rom. 2, 17. 20. Εἰ δὲ συ Ἰουδαιος ἐπονομαζῃ,

A) καὶ ἐπαναπαυῃ τῳ νομῳ.
B) καὶ καυχασαι ἐν θεῳ,
C) καὶ γινωσκεις το θελημα,
D) καὶ δοκιμαζεις τα διαφεροντα,
E) κατηχουμενος ἐκ του νομου·
F) πεποιθας τε σεαυτον ὁδηγον εἰναι τυφλων,
G) φως των ἐν σκοτει,
H) παιδευτην ἀφρονων,
I) διδασκαλον νηπιων,
K) ἐχοντα την μορφωσιν της γνωσεως καὶ της ἀληθειας ἐν τῳ νομῳ — —

Est *Chiasmus directus* decem membrorum, per commata bis quinque dispositus.

Universe ostenditur 1) quid sibi Judaeus sumat: *A, B, C, D, E:* 2) quid is sibi amplius ad alios arroget: *F, G, H, I, K:* Speciatim correspondent *A* et *F; B* et *G; C* et *H; D* et *I;* denique *E et K, quae duo simul denotant* caussam *membrorum antecedentium*. — Vide locum fere geminum cap. 8, 34. 38. 39. et Philipp. 4, 8. 9. coll. Gn. ad ll. cc. — Chiasmum *inversum* vel *retrogradum* sex membrorum vide in Gnom. ad 1 Cor. 13, 5.

IV. Figurae hujus *maximus* saepe, et nunquam nullus, usus est in perspiciendo ornatu, in observanda vi sermonis; in intelligendo vero et pleno sensu; in declaranda sana Exegesi; in demonstranda vera et concinna Analysi textus sacri: ut in Gnomone passim docetur. Vide inprimis Gnom. ad Hebr. 1, 4. τοσουτῳ *tanto:* et b. Parentis evang. Fingerzeig, *Tom. VI. P. 2. Vorrede von dem Nutzen der gnomonischen Auslegungsart.* §. 196. 197.

Dignus omnino est *CHIASMUS*, qui observetur studiose, cujusque cognitione studium hermeneuticum porro adjutum iri speremus.

Quam sane spem vix nobis eripient, qui nomen et provinciam Chiasmi et *directi* et *inversi* [quem utrumque Bengelius docet] ita despiciunt, ut negent, eum in scrutando textu aliquid momenti habere; neque etiam ii, qui doctrinam de hoc genere Figurarum insolitae novitatis student insimulare. Dudum enim Eruditis *CHIASMUM* vel *inversum* vel *directum* et agnitum et probatum fuisse, testimoniis Bochartı, Crusii, Flacii, Ickenii, Scapulae, aliorumque, nullo negotio planum facere possem, nisi legem brevitatis, quae quidem scribenda mihi visa est, essem transgressurus.

CLIMAX.

CLIMAX est, quae eodem verbo sequentia antecedentibus jungit. vel: quae antecedentis sententiae ultimum sive verbum sive membrum, in sequente repetit. ex. gr. — Rom. 10, 14. ss. πως οὐν ἐπικαλεσονται εἰς ὀν οὐκ ἐπιστευσαν; πως δὲ πιστευσουσιν οὑ οὐκ ἠκουσαν; πως δὲ ἀκουσουσι χωρις κηρυσσοντος; πως δὲ κηρυξουσιν, ἐαν μη ἀποσταλωσι; — Est *Anadiplosis continuata*, ut recte praecipit Glassius p. 1992. Veruntamen *ANADIPLOSIS* proprie non dicitur, nisi quando ultima vox praecedentis sententiae repetitur in initio sequentis: in *CLIMACE* vero sufficit, si una ex ultimis praecedentis sententiae repetatur. ex. gr. — Act. 23, 6. ἐγω φαρισαιος εἰμι, υἱος φαρισαιου, *Pharisaeus, Pharisaeorum filius*. Gn. ad h. l.

Generaliore etiam significatu vox: *CLIMAX* in Gnomone ad Rom. 1, 23. et Eph. 4, 31. adhibetur. Sic fit, ut sub *figura dictionis* simul lateat *figura sententiae*. — Cf. Tit. GRADATIO.

COMMUNICATIO.

COMMUNICATIO est, cum auditores [*vel lectores*] in consilium vocamus, ipsis, atque etiam adversariis, judicium permittimus: quod prodest in priori genere ad conciliandos animos; in utroque ad aequitatem caussae intelligendam. [Ernesti In. Rh. *P. II. Cap. III.* 356. *p.* 174.] ex. gr. — Actor. 4, 19. Εἰ δικαιον ἐστιν ἐνωπιον του θεου, ὑμων ἀκουειν μαλλον ἠ του θεου, κρινατε. — 1 Cor. 6, 2. καὶ εἰ ἐν ὑμιν κρινεται ὁ κοσμος, ἀναξιοι ἐστε κριτηριων ἐλαχιστων; — Conf. Glassii Philol. *S. L. V. Tract. II. cap. VI. p. 2036.*

CONCISA LOCUTIO.

CONCISA LOCUTIO est genus quoddam Ellipseos, cum altera vox ita ponitur, ut altera subintelligi debeat: vel, si ita loquitur scriptor sacer, ut ex Protasi Apodosis *AUT*

Digitized by Google

ex Apodosi Protasis sit supplenda. ex. gr. — Matth. 4, 5. 8. τοτε παραλαμβανει αὐτον ὁ διαβολος — concise dicitur, pro: assumit *et ducit.* — Luc. 4, 1. 2. ἠγετο ἐν τῳ πνευματι εἰς την ἐρημον ἡμερας τεσσαρακοντα, ducebatur in desertum [*et in deserto erat*] quadraginta dies. Gn. ad h. l. — c. 16, 26. μηδε οἱ [ἐκει] ἐκειθεν προς — Joh. 1, 23. ἐγω φωνη. supplendum ita: Ego *sum ille, de quo dictum est:* Vox clamantis — —. cap. 6, 21. ἠθελον οὐν λαβειν αὐτον εἰς το πλοιον· voluerunt accipere [*et acceperunt.*] — — Rom. 1, 8. ἡ πιστις ὑμων καταγγελλεται ἐν ὁλῳ τῳ κοσμῳ. Protasis est supplenda: *fidem nacti estis; eam audio; etenim* fides vestra ubique praedicatur. — Hebr. 10, 22. ἐῤῥαντισμενοι τας καρδιας ἀπο συνειδησεως πονηρας· aspersi — — *et liberati* a conscientia mala. — 2 Tim. 2, 26. ἀνανηψωσιν ἐκ της του διαβολου παγιδος, i. e. si quando evigilent [*sopore discusso: et liberentur*] ex laqueo Diaboli. Conf. Gnom. ad h. l. et Bauer Philol. Th. P. p. 293. — Nonnunquam *ex opposito* supplenda est concisa locutio, ut: 2 Tim. 1, 10. — Sermo multipliciter concisus notatur ad Gal. 3, 8. not. Gnom.: ἡ γραφη. — Confer infra Tit. SEMIDUPLEX ORATIO et SERMO PLENUS.

CONGERIES.

Vide Titulum SYMPERASMA.

CORRECTIO.

CORRECTIO est, cum tollimus quod dictum est, et melius graviusve reponimus, ut: Marci 9, 24: πιστευω Κυριε, βοηθει μου τῃ ἀπιστια. Credo Domine, [*inquit; mox vero memor infirmitatis suae, corrigit suam confessionem:*] succurre meae incredulitati! Glassii Phil. *S. L. V. Tract. II. cap. III. p. 2010. sqq.* — Gal. 3, 4. τοσαυτα ἐπαθετε εἰκῃ; εἰγε και εἰκῃ. Gnom. ad h. l. Glassius l. c.

DATIVUS COMMODI.

DATIVUS COMMODI [*vel etiam INCOMMODI*] est talis dativus, qui non secundum praecepta grammatica a verbo regitur, sed ex speciali ratione ponitur ad indicandum aliquod commodum [*vel incommodum*] inde fluens.

DATIVUS [ut Ben. Ar. Mont. *de Idiot. H. L.* p. 4. praecipit] praeter verbi solennem constructionem orationi adjectus, utilitatis et usus significationem indicat. ex. gr. — Marci 9, 23. παντα δυνατα τῳ πιστευοντι. germ.: *alles ist möglich, dem Glaubenden zu gut.* Beng.: Vera germ. not. ad h. l. et adde Gn. ad h. l. — Rom. 6, 10. ὁ γαρ ἀπεθανε, τῃ ἁμαρτια ἀπεθανεν ἐφαπαξ. i. e. *ad abolendum peccatum.* Dativus incommodi. — 2 Cor. 5, 15. ἱνα οἱ ζωντες μηκετι ἑαυτοις ζωσιν, ἀλλα τῳ ὑπερ αὐτων ἀποθανοντι και ἐγερθεντι. Dativus commodi. Vide Gn. ad h. l. — Vide etiam Gnom. ad Apoc. 2, 14. τῳ βαλακ.

DECORUM.

DECORUM est omne id, quod statui et provinciae agentis vel dicentis, vel eorum ad quos sermo dirigitur, vel tempori locoque etc. exacte et concinne convenit.

Speciatim in sermonibus et actionibus CHRISTI elucet ejusmodi Decorum, *quod ab Evangelistis tam bene expressum, argumento est, illos a Spiritu S. actos scripsisse. neque enim id humani ingenii, quamlibet excellentissimi, fuisset.* Gn. ad Matth. 3, 15. *In rebus summe humilibus tamen filius Dei caret juri majestatis suae.* Ibid. *In omni humiliatione Christi, per decoram quandam protestationem cautum est gloriae ejus divinae.* Gn. ad Luc. 2, 9. et Matth. 21, 19., marg.

Decorum *est, quod Jesus plerumque in secunda persona loquitur; quod ipsum significat non esse Eum conditionis communis.* Gn. ad Matth. 5, 11.

Perquam plena decoris *majestatisque est ratio Jesu, Scripturas citantis.* Gn. ad cap. 9, 13.

Cum decoro divino *pulcre congruit, quod praesente* vitae duce *nemo unquam legitur mortuus.* Gn. ad Joh. 11, 15.

Nolo autem omnia Specimina *DECORI DIVINI* in *Gnomone* observata huc inferre, cum Lectori, loca in Indice III. Gnomonis allegata evolventi, magno numero sint occursura. Notamus quaedam alia: Decore *loquitur Lucas,* cap. 8, 23. Decenter *rogat et monet Petrus,* Act. 2, 14. Decora *appellatione utitur Paulus,* 2 Cor. 9, 12. *et* decoro *antitheto,* Gal. 5, 13. conf. Gnom. ad ll. citt.

ΔΕΙΝΟΤΗΣ.

ΔΕΙΝΟΤΗΣ [δεινωσις] est vis singularis verborum, quae auctoritatem dicentis indicat, et ornatus suavitati servit. ut: Rom. 2, 5. θησαυριζεις σεαυτῳ ὀργην ἐν ἡμερᾳ ὀργης — — cap. 11, 17. συ δε ἀγριελαιος — — Coloss. 1, 28. νουθετουντες παντα ἀνθρωπον — — παντα ἀνθρωπον — — παντα ἀνθρωπον — —. Gn. ad ll. cc.

DIAGRAMMA.

DIAGRAMMA, [*Schematismus, Schema,*] in Gnomone dicitur, si mutuus vocum aut enunciationum respectus, quasi in tabella, per duo latera ex adverso posita, aut lineas, aut literas majusculas, repraesentatur. — Vide Gnom. ad 1 Cor. 11, 7., nota: κατακαλυπτεσθω. Rom. 5, 18. nota: δικαιωματος — —

Digitized by Google

DIASYRMUS.

DIASYRMUS est, si quis alterum exagitat, aut traducit: ex. gr. — Joh. 7, 4. οὐδεις γαρ ἐν κρυπτῳ — — — —) *Omnis, qui facit aliquid, id facit non in occulto, sed ita, ut quaerat ipse esse in propatulo.* Sic Jesum exagitant fratres, consobrini, ut si rem suam satis negligenter tractaret etc.

ELLIPSIS.

ELLIPSIS est vocis, aut sententiae etiam integrae ad sensum necessariae, omissio.

I.

Est vel grammatica *vel* rhetorica. *Illa* elegantiae *servit interdum: haec* Emphasi. *Utrum grammatice an rhetorice usurpetur, locus quisque indicabit.* [Vide Ernesti In. Rh. *P. II. cap. III. 346. p. 160.*] Deprehenditur

I. in singulis vocabulis *ELLIPSIS ABSOLUTA*, cujus supplementum solius contextus ratio suppeditat: cum omittitur *Substantivum, Adjectivum, Pronomen, Verbum, Participium, Adverbium, Praepositio, Conjunctio.* ex. gr.

Matth. 19, 17. τηρησον τας ἐντολας, [sc. θεου.] — Rom. 2, 18. γινωσκεις το θελημα [θεου.] — cap. 12, 19. τῃ ὀργῃ [του θεου·] *Ellipsis religiosa.* Gn. ad h. l. — Hebr. 9, 1. Gnom. ἡ πρωτη [διαθηκη.] — cap. 13, 25. ἡ χαρις [θεου] μετα παντων ὑμων. — Gn. ad Luc. 14, 18. ἀπο μιας. — 1 Cor. 3, 2. βρωμα (sc. στερεον, coll. Hebr. 5, 12.) — Rom. 5, 11. οὐ μονον δε [sc. τουτο] — — 2 Cor. 3, 13. και οὐ [ποιουμεν], καθαπερ Μωϋσης ἐτιθει — Gn. ad h. l. it. ad Luc. 19, 4., ubi ἐλλειπει· δια. — Luc. 18, 14. *subauditur* μαλλον.

II. *ELLIPSIS RELATA*, ubi quae suppleantur, verba ipsa, quae posita sunt, subministrant. ex. gr.

Verbum *ex Verbo*, vel *e Nomine Substantivo* supple: 1 Cor. 1, 26. 27. βλεπετε γαρ την κλησιν ὑμων ἀδελφοι, ὁτι οὐ πολλοι σοφοι κατα σαρκα [sc. ἐκληθησαν, *vocati sunt:* (vide Gn. ad h. l.) vel: *electi sunt*, coll. ἐξελεξατο, v. 27.] — Eph. 5, 24. ὡσπερ ἡ ἐκκλησια ὑποτασσεται τῳ χριστῳ, οὑτως και αἱ γυναικες τοις ἰδιοις ἀνδρασιν [*supple:* ὑποτασσεσθωσαν, *vel ex v.* 21.: ὑποτασσομεναι] ἐν παντι. Gnom. ad h. l.

III. *SENTENTIAE INTEGRAE* passim omittuntur per Ellipsin: ex. gr.

Propositiones absolutae: Rom. 9, 7. ἀλλ' ἐν Ἰσαακ κληθησεται σοι σπερμα. *Hoc ponitur suppositione materiali. nam subauditur:* scriptum est, idque impletur. Gnomon ad h. l. Post ἀλλα intellige: ἐσται, καθως γεγραπται — Bauebi Phil. Th. P. p. 193.

Propositiones relatae, ex antecedentibus vel consequentibus supplendae: Rom. 8, 3. Vide Gnomon. ad h. l. et Bauerum, L. c. p. 197.

II.

Quomodo igitur supplenda sit haec vel illa *ELLIPSIS*, colligi potest vel ex Antecedentibus, vel ex Consequentibus, vel ex natura rei ipsius, vel ex solo loquendi usu: ex. gr. — Rom. 7, 13. ἀλλα ἡ ἁμαρτια [*supple ex antecedente Hemistichio:* ἐμοι γεγονε θανατος] ἱνα φανῃ — [Gnomon ad. h. l.] vel, si mavis, fac *Enallagen* in: κατειργαζομενη θανατον et accipe pro finito: κατειργαζετο. Si priori modo explicatur, est simul Metonymia; sc. θανατος pro *causa mortis*, et Epexegesis: ὁτα του — — κατειργαζομενη θανατον. Gnom. ad h. l. — Joh. 6, 32. οὐ Μωσης δεδωκεν ὑμιν τον ἀρτον [supple ex hemistichio posteriori: τον ἀληθινον] ἐκ του οὐρανου. Gn. ad h. l. — v. 35. οὐ μη πεινασῃ (πωποτε) — — οὐ μη διψησῃ πωποτε. — Marc. 15, 8. ὁ ὀχλος ἠρξατο αἰτεισθαι (ποιειν) καθως ἀει ἐποιει αὐτοις. *Saepe omitti verbum ex commate sequenti repetendum*, Gnomon observat, et plura allegat loca. — Matth. 11, 18. ἠλθε γαρ Ἰωαννης μητε ἐσθιων [i. e. *neque edens, cum aliis, vel ne in conspectu quidem aliorum*] μητε πινων [sc. οἰνον και σικερα, Luc. 1, 15.] Vide Gn. ad h. l. — 1 Cor. 9, 4. φαγειν και πιειν [supple ex natura rei vel ex materia substrata: *sine labore manuum.*] Gn. ad h. l. — Ep. Judae v. 14. ἐν ἁγιοις μυριασιν αὐτου [sc. *Angelorum*] Ellipsis cryptica. Gn. ad h. l. — Apoc. 1, 5. ἀπο Ἰησου χριστου [supple secundum usum loquendi: *qui est*] ὁ μαρτυς ὁ πιστος — — conf. Gnom. ad h. l. — Cap. 19, 10. et 22, 9. ὁρα μη. ubi Gnomon ex Wolfio notat, *omnem hanc Angeli orationem concisam esse et ellipticam, qualis esse consuevit illorum, qui aliquid graviter aversantur.*

Conf. Titt. ANANTAPODOTON. ASYNDETON. LOCUTIO CONCISA. ORATIO SEMIDUPLEX. SYLLEPSIS. ZEUGMA.

EMPHASIS.

EMPHASIS est, si ad ordinariam vocis significationem aliquod auctarium (vel, *augmentum*) accedit, quod ad significationis amplitudinem et gravitatem pertinet.

vel: *EMPHASIS est quaedam ad solitam verbi significationem accessio, augendi vim habens in utramque partem.* Ernesti Inst. Int. N. T. *P. I. Sect. I. cap. II. 15. p. 21.*

EMPHASIS ex mente et intentione scribentis aut dicentis, vel in singulis verbis, vel in phrasibus, vel in verborum compositione, structura, repetitione etc. locum habere potest, et observari ab Interprete debet. Ita idem verbum hoc loco cum singulari quadam vi, alio loco sine ea invenitur adhibitum.

EMPHASIS non est ipsa vis aut significatio cujusvis verbi vera et genuina; sed, si ad

Digitized by Google

vim aut significationem nativam verbi *aliquid accedit.* Hinc recte praecipitur, et maxime in hoc loco est tenendum, *nullum verbum habere EMPHASIN per se: propterea, quod unum quodque verbum habet per se certam vim, indicatque certam quandam ideam rei, per se vel parvae vel magnae, in qua EMPHASIS esse non potest; nec, quia verbum aliquod rem valde magnam aut valde parvam significat, propterea ei statim EMPHASIS inest aut inesse putatur.* Ernesti L. c. p. 21. et *Sect. II. cap. V. 6. p. 69.*

Neque tamen peccant, qui *VERBA* quaedam *EMPHATICA* dicunt, quae sc. *prae aliis* foecunda sunt, aut quibus *prae aliis* ea peculiaris vis inest, ut cum notione principali, quam cum aliis communem habent, alias quoque accessorias, sive per se, sive in certis loquendi modis, contineant ac significent.

Singularis vis, ut hoc utamur, ad significatum verborum *potest* accedere a praepositionibus ἐν, εἰς, ἀπο, συν, ἐκ, περι, ἐπι etc. verum enim vero id fit *non universe, nec necessario*, quod post Bengelium *in Praef.* §. 14. diserte praecipit Ernesti L. c. p. 69.

DIVIDI igitur possunt *EMPHASES* in

TEMPORARIAS, quae certo loco ac tempore verbis accedunt. Eae solent nasci vel ex affectu dicentis, vel e gravitate rei, quam verbum supra usum ordinarium exprimit.

CONSTANTES, cum verbum accipit a consuetudine significationem majorem, quam per se habebat, eamque in certis modis loquendi semper obtinet. Ernesti L. c. p. 21. s.

Conferendae omnino sunt b. Auctoris *Praefationes ad Novum Testam. germ.* §. 10. n. 7. 8.; et ad *Gnomonem* §. 14. cum Notis ab Editore additis, pag. XXIII. sq. et Ernesti L. c. cap. 5. *de Emphasibus judicandis.* p. 67. sqq. quorum praecepta et monita de hoc genere locutionum non est quod huc omnia inferam. Attentus Lector ipse dispiciet. Ego si dixi, *quid res sit* dissolvi nomen: quomodo sit in ea versandum, non teneor praecipere.

In *Gnomone EMPHASIS* notatur: ad Matth. 24, 33. ταυτα παντα. *Non semper* [sic Gnomon ad h. l.] *praeteriri debet ordo verborum: saepe EMPHASIS et, in pronunciando, accentus, super prius verbum cadit. Primus est hic locus, qui id demonstrari postulet: sic igitur faciemus* — —

Evolve, Lector! et vide, quid Bengelius praecipiat de *EMPHASI ex ordine verborum* colligenda! Conf. Luc. 2, 48. 1 Cor. 7, 22. — Luc. 1, 4. ἱνα ἐπιγνως — *verbum compositum, emphaticum.* — v. 45. αὐτῃ· pro: *tibi* emphatice ponitur: *illi*, [sc. *quae credidit*]. — Luc. 4, 14. 15. — — περι αὐτου. και αὐτος ἐδιδασκεν· αὐτος repetitur non sine causa. vide Gnom. cf. Joh. 5, 36. Eph. 2, 14. — Joh. 5, 42. ἐν ἑαυτοις. 6, 37. προς ἐμε. *quam quidem lectionem non habet Editio manualis.* conf. Act. 15, 18. γνωστον — το ἐργον — *pro:* γνωστα — τα ἐργα — —. Act. 22, 25. ὑμιν. 1 Cor. 6, 8. ὑμεις — 2 Cor. 10, 1. αὐτος δε ἐγω παυλος — — Gal. 3, 10. ὑπο καταραν. — Col. 1, 28. παντα ἀνθρωπον *ter positum, emphatice.* — 1 Petr. 1, 10. περι ἡς σωτηριας ἐξεζητησαν και ἐξηρευνησαν προφηται — *Magna emphasis duorum verborum compositorum.* Gn. ad h. l.

ENALLAGE.

ENALLAGE est Figura Grammatica Etymologica, quae vocibus mutationem infert. — Est vel *Antimeria* vel *Heterosis.*

ANTIMERIA est, quando partes orationis *inter se* permutantur. Nominari potest *Enallage partium orationis.* Permutatio potest fieri vario modo: ex. gr. Substantivum pro *Verbo*, (*Antimeria Nominis*) pro *Pronomine*, pro *Adjectivo* etc. Adjectivum pro *Substantivo*, pro *Verbo*, pro *Adverbio* etc. Verbum pro *Nomine*, (*Antimeria Verbi*) etc. Adverbium pro *Nomine*, (*Antimeria Adverbii*) pro *Pronomine* etc.

Exempla: *Enallage* (vel *Antimeria*) *Nominis*: Nomen pro Infinitivo *Verbi*: Marc. 12, 38. και ἐλεγεν αὐτοις ἐν τῃ διδαχῃ αὐτου· *in doctrina sua:* i. e. ἐν τῳ διδασκειν· *inter docendum.*

Enallage (vel *Antimeria*) *Verbi:* Infinitivus ponitur pro Nomine: Hebr. 2, 15. διὰ παντος του ζῃν· i. e. *per omnem vitam.*

Adjectivi nominis Accusativus *adverbiascit:* Phil. 2, 6. εἰναι ἰσα θεῳ. Gn. ad h. l.

Huc etiam commode referas Observationem Gnomonis: Γινεσθαι και εἰναι, *fieri et esse, cum ADVERBIO, saepe significationem adverbii NOMINALEM facit.* Exempla habes ad Joh. 1, 15. not.

HETEROSIS est, quando Accidentia partium orationis (numerus, genus, casus etc.) inter se permutantur.

Nominari potest: *Enallage accidentium.* vel speciatim solet nominari *Enallage Numeri; generis; casus;* et sic porro.

In *Nominibus* poni dicitur, *numerus* singularis pro plurali (*Enallage*, vel Heterosis, *numeri*); *genus* masculinum aut femininum pro neutro (*En. generis*); *casus* rectus pro obliquo (*En. casus*); *gradus* positivus pro comparativo; — — et vicissim, per singula.

In *Verbis* poni dicitur, *numerus* singularis pro plurali; *persona* prima pro secunda aut tertia (*Enall. personae*); *modus* Indicativus pro Imperativo aut Subjunctivo; *tempus* praesens pro futuro aut praeterito; etc. — — et vicissim, per singula.

Exempla: Enallage (vel *Heterosis*) *Casuum*, quae speciatim *Antiptosis* vocatur: Act. 19, 34. ἐπιγνοντες δε ὁτι Ἰουδαιος ἐστι — — Casus *rectus* pro *obliquo.* Gn. ad h. l.

Digitized by Google

Enallage (vel *Heterosis*) *Gradus*: Matth. 18, 8. καλον σοι ἐστιν — i. e. *melius est tibi*. Gradus positivus pro comparativo.

Enallage (vel *Heterosis*) *Modi*: Apoc. 10, 9. δουναι μοι το βιβλιδαριον. Modus *Infinitivus*: δουναι, pro *Imperativo*: δος.

Ad Enallagen *Modi* spectat, quod ad Rom. 15, 10. in Gnomone observatur: *Imperativus per Apostrophen positus, instar est indicativi categorici*. conf. Joh. 2, 19. et Gnom. ad h. l.

Enallage (vel *Heterosis*) *Temporis*: 1 Cor. 5, 10. ἐπει ὀφειλετε ἀρα ἐκ του κοσμου ἐξελθειν. *Praesens* pro *Imperfecto*. Vide Gnom. ad h. l. et Baueri Philol. Th. P. p. 159. Conf. c. 7, 14. ἐπει ἀρα τα τεκνα ὑμων ἀκαθαρτα ἐστι — —

Saepe *Imperativus* post imperativum habet vim *Futuri*. Joh. 1, 47. ἐρχου και ἰδε. Veni et *vide*; i. e. *videbis*.

Enallage (vel *Heterosis*) *Generis*. Genus *femininum* ponitur pro *neutro*, hebraice; quia Hebraei *neutro* genere carent, et, quia sermo N. T. hebraizat, idem in eo fieri mirum non est. Vide Gnom. ad Matth. 21, 42. et Apocal. 14, 19.

Plura Exempla vel colligere vel huc transscribere abstineo, quae si Lector copiosissime congesta desiderat, apud Glassium in *Philol. S.* et, qui primo loco nominandus erat, apud Bauerum in *Philol. Th. P.* largam messem inveniet.

Quaedam etiam habet Olearius L. de Stilo N. T. p. 266. ss. qui vero *Enallagen* universe ad *Hebraismos* N. T. retulit: minus accurate.

ΕΝΑΡΓΕΙΑ.

ΕΝΑΡΓΕΙΑ, *Evidentia*, est quae sermonem perspicuum et apertum facit, ut ex illo quid et quomodo actum sit [vel, *quid fieri debeat*] plane intelligi possit. — Vide Gnom. ad Act. 22, 8. cap. 26, 4. it. ad 1 Cor. 6, 15.

ΈΝ ΔΙΑ ΔΥΟΙΝ.

Vide Titulum HENDIADYS, infra.

ENTHYMEMA.

ENTHYMEMA logicum est ratio concludendi trunca quaedam et decurtata, sine diserta propositione aut assumtione [vel: *Syllogismus crypticus, i. e. is, cujus alterutra praemissa subintelligenda est.*] Est quoddam concludendi compendium, facileque ad pleni perfectique Syllogismi modum redigi potest. Ernesti Initia doctr. solid. P. II. *Dialect.* c. 4, 78. [Ed. V. p. 344.]

ENTHYMEMA rhetoricum *habet duas formas, quarum altera est e* consequentibus, *altera* e contrariis, *quam non nulli veterum solam ENTHYMEMA vocarunt.* Ex consequentibus *est, quod proponit argumentum, eique statim subjicit confirmationem* — —. Ex contrariis est *cum argumentum confirmatur e contrario.* Ernesti L. c. In. Rh. P. I. Sect. I. cap. X. 123. coll. 155. ex. gr. — Gal. 3, 21. Vide Gn. ad h. l. — 2 Thess. 3, 20. ὁτι εἰ τις οὐ θελει ἐργαζεσθαι, μηδε ἐσθιετω. — Hebr. 12, 8. 1 Joh. 5, 1. Vide Gnom. ad ll. citt.

Generaliori significatu appellatur *ENTHYMEMA*, pro Enunciatione simplici, in Gnomone ad Rom. 6, 17. *Fuistis servi peccati, sed nunc obedientes facti justitiae.*

EPANALEPSIS.

EPANALEPSIS est, cum idem verbum, vel eaedem voces duae pluresve, sunt in principio praecedentis et in fine [*immediate vel mediate*] sequentis membri: vel: *cum Antecedens post Parenthesin repetitur*: ex. gr. — Joh. 14, 11. πιστευετε μοι ὁτι ἐγω ἐν τῳ πατρι, και ὁ πατηρ ἐν ἐμοι· εἰ δε μη, δια τα ἐργα αὐτα πιστευετε μοι. — Rom. 8, 1—4. Οὐδεν ἀρα νυν κατακριμα τοις ἐν χριστῳ Ἰησου, μη κατα σαρκα περιπατουσιν, — — τοις μη κατα σαρκα περιπατουσιν, *Parenthesis clauditur per* Epanalepsin, *et orationem complet illud*: ἀλλα κατα πνευμα. — 1 Cor. 4, 11. 13. ἀχρι της ἀρτι ὡρας — ἑως ἀρτι. — Jac. 2, 14—16. Τι το ὀφελος ἀδελφοι μου — — τι το ὀφελος;

Vide Glassium L. c. 1994. et Baueri Philol. Thucyd. Paull. c. XIII. 2. *b*) p. 278. sq.

EPANODOS.

EPANODOS est repetitio vocum [*vel quoad sonum vel quoad sensum*] earundem, ordine inverso. ex. gr. — Gal. 2, 16. εἰδοτες ὁτι οὐ δικαιουται — ἐαν μη δια πιστεως — ἐπιστευσαμεν, ἱνα δικαιωθωμεν ἐκ πιστεως χριστου — — 2 Johannis, v. 6. — ἱνα περιπατωμεν κατα τας ἐντολας αὐτου. αὐτη ἐστιν ἡ ἐντολη — ἱνα ἐν αὐτῃ περιπατητε. — Joh. 14, 17. το πνευμα της ἀληθειας, ὁ ὁ κοσμος (1) οὐ δυναται λαβειν, ὁτι — (2) οὐ γινωσκει αὐτο. (2) ὑμεις δε γινωσκετε αὐτο (1) ὁτι παρ' ὑμιν μενει, και ἐν ὑμιν ἐσται. conf. locum geminum, Gal. 3, 21. et Gnom. ad ll. citt. — 1 Joh. 1. 1. 2. ὁ ἡν ἀπ' ἀρχης, ὁ ἀκηκοαμεν, και μαρτυρουμεν, και ἀπαγγελλομεν ὑμιν — ἡτις ἡν — Conf. Gnom. ad h. l. — Vide Glassium L. c. pag. 1994. s.

EPEXEGESIS.

EPEXEGESIS s. EXERGASIA est *declaratio* aliqua expressa, in ipso ejusdem sermonis contextu; docens, quem significatum scriptor sacer voci alicui tribuerit, aut quae notio ex ipsius mente verbis suis subjicienda sit: e. g. Marc. 7, 2. κοιναις χερσι, τουτ' ἐστιν ἀνιπτοις — 1 Cor. 4, 9. τῳ κοσμῳ (scil.) και ἀγγελοις και ἀνθρωποις.

Digitized by Google

EPICRISIS.

EPICRISIS et enunciatio quaedam sermoni addita, ex qua liquidius intelligi potest id quod sub manu est.

Desumitur ea fere *a caussis, loco, occasionibus, finibus, effectibus, impedimentis, rerum actionum et sermonum:* Gnom. ad Joh. 1, 24. ex. gr. — Joh. 5, 39. 40. Ἐρευνατε τας γραφας — ἐχειν, [*additur* Epicrisis, *quae Judaeorum scrutinium et spem approbat:*] και ἐκειναι εἰσιν αι μαρτυρουσαι περι ἐμου· [*sequitur altera* Epicrisis, *defectum eorum ostendens:*] και οὐ θελετε ἐλθειν προς με, ἱνα ζωην ἐχητε. — cap. 12, 37. τοσαυτα δε αὐτου σημεια πεποιηκοτος ἐμπροσθεν αὐτων, οὐκ ἐπιστευον εἰς αὐτον· h. l. posset vulgari termino dici: *Eine Remarque des Evangelisten.*

EPIPHONEMA.

EPIPHONEMA est exclamatio post narrationem aut demonstrationem rei gravis subjecta: ut: — Matth. 11, 15. ὁ ἐχων ὠτα ἀκουειν, ἀκουετω. Apoc. 2, 7. 11. 17. sqq. — Rom. 11, 33. Ὡ βαθος πλουτου και σοφιας και γνωσεως θεου· — Vide Gnom. ad Rom. 1, 15. not. οὑτω.

EPITASIS.

EPITASIS est, cum voci aut enunciationi jam propositae, in sequentibus enunciationibus aut tractatione continuata augmentum quoddam emphaticum vel quaecunque declaratio accedit. — e. gr. — Marci 10, 43. ἐσται διακονος ὑμων v. 44. — ἐσται παντων δουλος. *Sensus iterum est hic:* ἐσται δουλος ὑμων, *sed accedit* Epitasis: παντων. — Act. 7, 5. και οὐκ ἐδωκεν αὐτῳ κληρονομιαν ἐν αὐτῃ — *accedit* Epitasis: οὐδε βημα ποδος. — 2 Cor. 3, 5. — ἡ ἱκανοτης ἡμων ἐκ του θεου. *accedit* Epitasis: ὁς και ἱκανωσεν ἡμας διακονους —

Nonnunquam sermo bis ponitur: primum simpliciter, deinde cum Epitasi, *ut* Joh. 13, 34. — ἱνα ἀγαπατε ἀλληλους — ἱνα και ὑμεις ἀγαπατε ἀλληλους. vide Gnom. ad h. l.

EPITHERAPIA.

EPITHERAPIA est, si universe declarationem nostri in lectores vel auditores animi dictis addimus; vel iis, quibus modestia, pudor, lenitas laedi potuisse videtur, mitigationem quandam subjungimus: ut: — Philipp. 4, 10. ἐφ' ᾧ και ἐφρονειτε, ἠκαιρεισθε δε. Vide Gnom. ad h. l. — Conf. Tit. PROTHERAPIA.

EPIZEUXIS.

EPIZEUXIS est, quae vocem eandem in eadem sententia continue cum vi repetit. ex. gr. — Matth. 23, 37. Ἱερουσαλημ, Ἱερουσαλημ, ἡ ἀποκτεινουσα τους προφητας — Marci 5, 41. *Jesus mortuos excitans* Epizeuxin *non adhibuit.* Gn. ad h. l. — Luc. 8, 24. ἐπιστατα, ἐπιστατα, ἀπολλυμεθα. — Joh. 1, 52. ἀμην, ἀμην λεγω ὑμιν — Vide Gnom. ad h. l. et ad Apoc. 18, 2. nota: ἐπεσεν ἐπεσε. — Conf. Glassii Phil. *S. Rhet. S. Tract. II.* p. 1990. s.

ETHOS.

ETHOS, ἠθος, est, cum Rhetor vel Scriptor sacer animi habitum, animique affectionem et propensionem [*prudentiam, probitatem, modestiam, benevolentiam* —] declarat, sive ea sit constans; sive specialius ad rem casumque praesentem pertinens; adeoque affectum *lenem, mitem* atque *compositum* prodit.

Nullus liber in mundo paria facit cum Scriptura, etiam quod ad τα ἠθη και παθη, MORES et AFFECTUS, spectat. Gn. ad Act. 20, 37. Scriptores sacri vel declarant habitum animi sui, vel eorum, quos loquentes aut agentes introducunt. — Act. 23, 5. οὐκ ἠδειν ἀδελφοι, ὁτι ἐστιν ἀρχιερευς· Varium ἠθος Apostoli haec locutio exprimit. Gn. ad h. l.

Sic Paulus saepe animi habitum aut affectionem prodit Phraseologia de *Gratiarum actione,* Rom. 6, 17. 7, 25. 1 Cor. 15, 57. 2 Cor. 2, 14. ut intelligas, Paulum omnia ad Deum referre, pro omnibus gratias agere.

Saepe in particulis *ETHOS* latet: Luc. 10, 29. Act. 21, 39. *Paterna* Pauli *lenitas* colligere est ex iteratione *particulae* εἰ και, 2 Cor. 7, 8. 12.: *loco* ἠθους *apostolici plenissimo.*

Vide Gnom. ad ll. citt. et conf. quae habet *Praefatio* b. Auctoris, §. 15. p. XXV. sq. et Ernesti Init. Rhet. *P. I. Sect. I. cap. IX. de Moribus, p.* 55. *sqq.* et b. Burkii *Evangel. Fingerzeig, Tom. VI. P.* 2. *Vorrede,* §. 270. *ss.*

ETHOPOEIA.

ETHOPOEIA habitum animi, sive sit constans, sive specialius ad rem casumque praesentem pertineat, eo modo pingit, quo eum fere externis signis, ut, vultu, voce, gestu, amictu etc. prodere solemus. — Luc. 18, 9. ss. est *ETHOPOEIA* in Parabola de Pharisaeo et publicano. Vide Glassii Phil. *S. L. V. Tract. II. cap. VII. p. 2043.* — 1 Petr. 3, 3. Apostolus feminis auctor futurus, ut habitum animi externo amictu declarent, ipsa genera amictus muliebris pingit.

EUPHEMISMUS.

EUPHEMISMUS, vel EUPHEMIA, est, cum odiosa et ingrata res, aut cujus notatio propria offensionem aliquam habere posset, verbis lenioribus aut minus propriis exprimitur, aut subintelligenda fere relinquitur. ex. gr. — Matth. 8, 11. mavult Jesus hac circuitione uti

Digitized by Google

ad designandos Ethnicos: πολλοι ἀπο ἀνατολων και δυσμων — quia ii, qui aderant, ferendae huic promissioni ethnicis datae impares videbantur. conf. Act. 2, 39. πασι τοις εἰς μακραν. — Plura loca allegat Index III. Gnomonis.

Huc etiam referas *verecundiam* Scripturae, quam Gnomon laudat ad Act. 2, 30. nota: καρπου της ὀσφυος. Cf. *Praef.* b. Auctoris, §. 15. et Tit. ETHOS, supra. PERIPHRASIS, infra.

EXERGASIA.

Vide Titulum EPEXEGESIS.

EXTENUATIO.

Vide Titulum LITOTES.

FIGURA.

FIGURA rhetorica est quaedam orationis vulgaris et simplicis cum virtute immutatio. *Virtus autem illa duplex est. Nam vel* suaviorem *orationem facit, vel* graviorem, *atque utraque de caussa affert Orationi ORNATUM.*

Suavitatem *porro afferunt* Figurae *vel sono quodam, vel sensu, vel copia: nam et soni quidam natura delectant aures animosque; et quaedam sententiarum conformatio jucundior est; denique copia omnes natura capimur.*

Gravitatem *autem efficiunt* Figurae *vel eadem illa copia, si rei augendae exaggerandaeque servit; vel affectu aliquo commovendo. —*

Est denique Figura *ipsa duplex; altera in* verbis, *altera in* sententiis. [*Figurae dictionis, Figurae sententiae.*] Ernesti Init. Rhet. *P. II. cap. III. p. 166.* Conf. Glassii Phil. S. *L. V. Tract. II. de Schematibus seu Figuris. p. m. 1989. ss.*

GNOME.

GNOME est sententia universalis, quae pertinet ad vitam actionesque humanas, aut saltim cum humanis rebus aliquo modo est conjuncta; [Ernesti In. Rh. §. 148.] ex. gr. — 2 Thess. 3, 10. εἰ τις οὐ θελει ἐργαζεσθαι, μηδε ἐσθιετω. — 1 Cor. 6, 12. Saepe Paulus prima persona singulari eloquitur, quae vim habent *GNOMES*, ut: — παντα μοι ἐξεστιν, ἀλλ' οὐ παντα συμφερει.

Sacrae literae sunt adeo praegnantes optimis rebus, ut sint quasi perpetuae quaedam sententiae, vel propalam tali forma propositae; vel quae licet sint circumstantiis convestitae et quasi ad individua applicatae [*Noëmata*] facile tamen ad generale dogma [*Gnomen*] perduci queant. Flacii Clavis Script. *P. II. p. 233.* Cf. Caldenbachii Comp. Rhet. *L. III. c. XXII.*

GRADATIO.

GRADATIO dicitur, cum quasi per gradus ab infimo ad summum progredimur. ex. gr. — Act. 7, 35. — ἀρχοντα και λυτρωτην; τουτον ὁ θεος ἀρχηγον και λυτρωτην ἀπεστειλεν — Gn. ad h. l. — 1 Cor. 1, 12. Ἐγω μεν εἰμι παυλου, ἐγω δε ἀπολλω, ἐγω δε κηφα, ἐγω δε χριστου. — cap. 4, 8. ἠδη κεκορεσμενοι ἐστε, ἠδη ἐπλουτησατε, χωρις ἡμων ἐβασιλευσατε. — 2 Cor. 7, 2. οὐδενα ἠδικησαμεν, οὐδενα ἐφθειραμεν, οὐδενα ἐπλεονεκτησαμεν.

GRADATIO [praecipiente Morhofio in Del. Orat. p. 190. s.] *est duplex: gradatio per ascensum, seu* incrementum; *et gradatio per descensum seu* decrementum.

HEBRAISMUS.

HEBRAISMO tinctus est sermo graecus novi Testamenti. *Gnom. Praefatio §. 14. p. XXIV. App. crit. p. 488. §. V.* hebraizat; *Gnom. ad Rom. 9, 8.*

Dictio novi Testamenti non est pure graeca; et imitatur hebraicam consuetudinem.

1) *in singulis verbis:* e. g. ὁ Μεσσιας, Joh. 1, 42. Σατανας, Matth. 4, 10. Ἀλληλουϊα, Apocal. 19, 1. πασχα, Luc. 2, 41. ἐμμανουηλ· Matth. 1, 23.

2) *in formulis ac Phrasibus:* e. g. αἱμα ἐχχεειν pro: *interficere*, Matth. 23, 35. It. ἐξερχεσθαι ἐξ ὀσφυος τινος· pro: *generari vel nasci ab aliquo* Hebr. 7, 5. υἱος γεεννης· *Inferno dignus.* Matth. 23, 15.

3) *in figuris grammaticis*, e. g. Enallage; abstracti pro concreto: ἀκροβυστια, i. e. *praeputiati.* Rom. 2, 26. περιτομη, i. e. *circumcisi.* c. 3, 30. Pleonasmo: (vid. *Pleonasmus*) Ellipsi; (vid. *Ellipsis.*) Hypallage; (vid. *Hypallage.*)

4) in universa forma Orationis. Ernesti Inst. Int. p. 48. ss. §. 8. ss. Joh. Olearii Liber de Stilo N. T. *Sect. didact. Membr. II. p. 232. sq.*

HEBRAISMUS etiam est, si voces graecae non eum significatum habent in N. T., quem auctorum pure graecorum usus eis attribuit, sed eum, qui inest hebraeis illis vocibus, quarum vices graecae sustinent. Ernesti l. c. §. 9. 10. e. g. ῥημα, Luc. 1, 37. uti דבר; pro *re sive negotio.* σπερμα, 2 Cor. 11, 22. uti זרע; pro *posteris* etc. Vide Olearium L. c. p. 241. ss.

HENDIADYS.

HENDIADYS, (vel ἑν δια δυοιν) est figura *grammatica* syntactica, quando unum per duo enunciatur. quod fieri potest vario modo:

Digitized by Google

I. quando una res per duo, vel synonyma, vel disparatae significationis vocabula exprimitur: ita, ut eorum alterum adjectivi vicem sustineat, ejusque habeat significationem.

II. quando duo Substantiva per copulam ET ita connectuntur, ut lector intelligat, alterum *per Genitivum* exponi debere.

III. quando idem fit in *Verbis*, ita ut alterum Verbum significatum adverbii nanciscatur. ex. gr. — Act. 9, 31. οἰκοδομουμεναι (vel: οἰκοδομουμενη) και πορευομεναι (vel: πορευομενη) i. e. Ecclesiae progressive aedificabantur. (vide III.) — Act. 23, 6. περι ἐλπιδος και ἀναστασεως νεκρων ἐγω κρινομαι· de Spe et resurrectione ego judicor: i. e. de *sperata resurrectione.* (vide I.) vel: *de spe resurrectionis;* (vide II.) — Rom. 2, 20. ἐχοντα την μορφωσιν της γνωσεως και της ἀληθειας· — informationem cognitionis et veritatis, i. e. accuratae (vel, *orthodoxae*) cognitionis. (vide I.) — 1 Tim. 1, 4. μηδε προσεχειν μυθοις και γενεαλογιαις ἀπεραντοις — fabulis et genealogiis, i. e. *fabularum genealogiis*, nunquam finiendis. Nam Apostolus loquitur de genealogiis *Aeonum*, quae non nisi *fabulae* sunt. (vide II.) — 2 Tim. 4, 1. κατα την ἐπιφανειαν αὐτου και την βασιλειαν αὐτου· H. l. ἐπιφανεια et βασιλεια faciunt ἐν δια δυοιν· ut sensus sit: *secundum revelationem regni* — (vide II.)

HOMOEOTELEUTA.

HOMOEOTELEUTA [Gn. ad Matth. 2, 6. not. γη Ἰουδα] sunt, cum verba plura similiter desinunt, suntque plerumque etiam *HOMŒOPTOTA:* ex. gr. — Rom. 12, 15. χαιρειν μετα χαιροντων, και κλαιειν μετα κλαιοντων.

HOMONYMIA.

HOMONYMIA est, si res natura diversae uno nomine vocantur [*per* Analogiam, i. e. *comparationem vel proportionem*: et *HOMONYMA* dicuntur, quorum solum nomen commune est, ratio vero naturae circa illud nomen, alia atque alia. [Franc. Sanctii Minerva, *L. IV. cap. XIV. p. 741. ss.*] Gn. ad 1 Cor. 8, 5. Hebr. 2, 7.

HYPALLAGE.

HYPALLAGE est ejusmodi immutatio aut transpositio verborum, qua de uno dicitur, quod dici deberet de altero: vel uni tribuitur, quod tribuendum esset alteri. — ex. gr. Matth. 10, 15. Gn. ad h. l. — Act. 5, 20. παντα τα ῥηματα της ζωης ταυτης· omnia verba vitae hujus, i. e. *omnia haec verba vitae.* Gnom. ad h. l. notat: *Sic apud Hebraeos adjectivum saepe convenit posteriori Substantivo.* — cap. 21, 3. ἀναφανεντες δε την κυπρον· — cum apparuissemus Cypro: i. e. *cum Cyprus nobis apparuisset.* — Rom. 7, 24. τις με ῥυσεται ἐκ του σωματος του θανατου τουτου; i. e. *ab hoc corpore mortis.* — Cap. 15, 19. ὡστε με ἀπο Ἱερουσαλημ και κυκλῳ μεχρι του Ἰλλυρικου πεπληρωκεναι το εὐαγγελιον του χριστου· i. e. *Evangelio Christi implevi Jerusalem etc.* — Hebr. 13, 2. ἐλαθον τινες ξενισαντες ἀγγελους· pro: λαθοντες ἐξενισαν. Gn. ad h. l. — Jac. 2, 17. ἡ πιστις — νεκρα ἐστι καθ' ἑαυτην· Gnom. ad h. l. et cap. 3, 4. et Hebr. 9, 23.

Vide C. L. Baueri Philol. Thuc. Paull. *cap. XII. de Hypallage, p. 263. sqq.*

HYPERBATON.

HYPERBATON est figura orationis, cum voces contra consuetum vel maxime naturalem constructionis ordinem transponuntur. — ex. gr. — Marc. 9, 20. και ἠνεγκαν αὐτον (*puerum*) προς αὐτον· (Jesum) και ἰδων (*puer*) αὐτον (Jesum) εὐθεως το πνευμα ἐσπαραξεν αὐτον (*puerum*) και πεσων (*puer*) ἐπι της γης —

Sermo sic decurrit, ut *VEL* ponendum sit, ἰδον pro ἰδων, [ita referri posset ad πνευμα] *VEL Transpositio* singulorum membrorum sit statuenda, quod placuit b. Bengelio in Gnom. ad h. l. — Vide etiam cap. 16, 1. 1 Joh. 2, 24. 27. — Apoc. 13, 3. 8. et Gnom. ad ll. citt. Conf. Tit. HYPALLAGE.

HYPERBOLE.

HYPERBOLE est, cum plus dixisse deprehenditur Scriptor, ad augendam rem aut minuendam, quam intelligi vult. — Joh. 12, 19. ἰδε ὁ κοσμος ὀπισω αὐτου ἀπηλθεν. *Hyperbole indignabunda.* Gn. ad h. l. — In propositionibus Jesu aut Apostolorum saepe *HYPERBOLE* esse videtur, quae non est: e. g. Marci 16, 15. πορευθεντες εἰς τον κοσμον ἁπαντα, κηρυξατε το εὐαγγελιον πασῃ τῃ κτισει. Luc. 6, 23. 1 Cor. 15, 52. Vide Gnom. ad ll. citt.

Nolim tamen *HYPERBOLAS* omnes e Novo Test. eliminatum ire. *Probantur enim* [ut recte praecipit Ernesti In. Rh. §. 335. p. 165. nosque Exemplis planum faciemus]

1.) *si veluti proverbiorum vim obtinent; quod cum est, nil nisi excellens* [aut insolens] *aliquid in aliquo genere intelligitur:* ut, Matth. 21, 13. — ὑμεις δε αὐτον (οἰκον) ἐποιησατε σπηλαιον ληστων. Joh. 3, 26. 32. — και παντες ἐρχονται προς αὐτον. — και την μαρτυριαν αὐτου οὐδεις λαμβανει.

2.) *cum res ipsa naturalem modum excessit, ut ex re nata Hyperbole videatur:* ut, Luc. 18, 5. ἱνα μη εἰς τελος ἐρχομενη ὑπωπιαζῃ με. Hyperbole judicis injusti et impatientis personae conveniens. Gn. ad h. l.

3.) *cum affectus vehementior eas generavit, quo nihil efficacius est ad omne genus duritiei in tropis, atque etiam figuris, molliendum:* ut, Hebr. 7, 27. ὁς οὐκ ἐχει καθ' ἡμεραν ἀναγκην

Digitized by Google

— vide Gn. ad h. l. cap. 10, 1. — θυσιαις ἁς προσφερουσιν εἰς το διηνεκες — — Huc quoque referri possunt istae locutiones Joh. 3, 26. 32. — Conf. KINDERLINGS *Grundsätze der Beredsamkeit*, §. 138. p. 110.

HYPOTYPOSIS.

HYPOTYPOSIS est, cum res acta verbis ita exprimitur, ut oculis subjecta videatur: ut, — Hebr. 12, 16. μη τις πορνος, ἡ βεβηλος ὡς ἡσαυ, ὃς ἀντι βρωσεως μιας ἀπεδοτο τα πρωτοτοκια αὐτου. *Graphica profani animi hypotyposis.* Gn. ad h. l.

HYSTERON PROTERON.

HYSTERON PROTERON est species *Hyperbati*, cum duorum membrorum alterum priore loco ponitur, quod posteriore ponendum videbatur.

In N. T. vix ac ne vix quidem verum *Hysteron proteron* invenitur, quia scriptura sacra (1) vel ordinem *rerum* tenet contra ordinem temporis — (2) vel *Chiasmo inverso* utitur, qui nihil vitii, elegantiae quiddam habet, ut supra demonstratum dedimus. Ex. gr.

(1) Phil. 3, 19. ὡν το τελος ἀπωλεια — Mentio *finis*, quae ultimo loco ponenda videbatur, ponitur ante alia; quo majore cum horrore haec legantur. Gn. ad h. l.

(2) Hebr. 3, 8. ss. non est *Hysteronproteron*, ut JUNIUS vocat, sed *Chiasmus inversus*. Gn. ad h. l. — Rom. 13, 9. Paulus liberiore ordine praecepta recensens, quintum sexto postponit. — Conf. BAUERI Philol. Thucyd. Paull. *cap.* 13, 3. *p.* 280. *sqq.*

IDIOMA, vel IDIOTISMUS.

IDIOTISMI nomen non uno modo accipitur. *Nunc enim nativam et propriam* linguae alicujus *consuetudinem; nunc peculiarem* auctoris alicujus *phraseologiam aut consuetudinem loquendi notat.* [G. H. URSINI *Institt. lat. linguae P. II. p.* 582. *s.*] — Vide Gn. ad Matth. 16, 13., *nota:* τον υἱον του ἀνθρωπου, *in fine.* Luc. 7, 30. Rom. 6, 17.

IRONIA.

IRONIA est Tropus, a disjunctione rerum ortus, et dicitur, cum vox aut Phrasis adhibetur contraria illi, quae debet intelligi: seu, ubi sensus vocis aut phraseos adhibitae significatui proprio contrarius est.

Est autem *IRONIA* duplex: altera, quae nihil irrisionis habet, sed contra suavitatis plurimum. — Joh. 9, 27. μη και ὑμεις θελετε αὐτου μαθηται γενεσθαι; *Ironia decens et suavis.* Gn. ad. h. l. — altera, quae pertinet ad irrisionem; Marc. 15, 29. οὐα ὁ καταλυων τον ναον και ἐν τρισιν ἡμεραις οἰκοδομων. —

ΗΘΟΣ.

Vide Titulum ETHOS, supra.

LITOTES.

LITOTES est, quando minus dicimus, quam intelligi volumus: et hactenus quidem *LITOTES* non differre videtur ab ista *Hyperbole, quae ad rem minuendam facit:* sed in eo fere *Litotes* et *Hyperbole minuens* differunt, quod illa ad *ETHOS*, haec ad *PATHOS* faciat. [Vide Titt. *Ethos et Pathos.*]

Igitur *Litotes* cum videatur minuere, saepe ad augendam rem facit; ut, cum vocabula negantia pro contrariis affirmantibus ponuntur: plus enim, *ut recte praecipit* VOSSIUS, negatione contrarii significamus, quam dicimus.

Potest etiam esse *ironica*: hinc est, quod quidam universe eam ad *Ironiam* referant; minus accurate.

LITOTES, Μειωσις, Ταπεινωσις, *EXTENUATIO*, quae singulae in Gnomone passim allegantur, vix ac ne vix quidem differunt. Percurramus Exempla:

LITOTES allegatur in Gnomone ad Joh 6, 37. τον ἐρχομενον προς με οὐ μη ἐκβαλω ἐξω· i. e. *recipiam, et omni modo tuebor.* — Act. 26, 19. οὐκ ἐγενομην ἀπειθης τῃ οὐρανιῳ ὀπτασιᾳ, non factus sum inobediens. — i. e. *plane statim obedii.* — Rom. 10, 2. 1 Joh. 3, 17. Philem. v. 11. Μειωσις allegatur: — Luc. 17, 9. οὐ δοκω. 1 Cor. 9, 17. ἑκων· *volens*, i. e. *gratis.* Ταπεινωσις allegatur: — Act. 10, 47. μητι το ὑδωρ κωλυσαι δυναται τις — Aquam, pro: *baptismum* — cap. 20, 18. οὐ παραδεξονται σου την μαρτυριαν περι ἐμου. — Rom. 5, 5. οὐ καταισχυνει· non pudefacit, i. e. *summam parit gloriationem.* — *EXTENUATIO allegatur:* — Hebr. 9, 13. το αἱμα ταυρων και τραγων — taurorum et hircorum sanguis — i. e. *sacrificia.*

LOCUTIO CONCISA.

Vide Titulum CONCISA LOCUTIO.

ΜΕΙΩΣΙΣ.

Vide Titulum LITOTES: et confer BAUERI Philol. Thucyd. Paull. cap. 11. p. 262.

METALEPSIS.

METALEPSIS est tropus duplex aut multiplex in eadem voce vel phrasi: sive, ut idem tropus multiplicetur, sive, ut *duo diversi* concurrant: ERNESTI In. Rh. §. 332. p. 163.

Digitized by Google

ex. gr. — Act. 20, 25. οὐκετι ὀψεσθε το προσωπον μου ὑμεις παντες, ἐν οἷς διηλθον κηρυσσων την βασιλειαν του θεου. Est duplex *METONYMIA Consequentis pro Antecedente.* 1) ea mihi eventura sunt, ut vix ac ne vix quidem sim reversurus: 2) si vel maxime ego reversurus essem, vos tamen ipsi post tantum intervallum temporis fere omnes vel defuncti aliove delati eritis. Pro his duobus Antecedentibus ponitur Consequens: *non videbitis faciem meam.* Conf. Gnom. ad h. l. — 1 Petr. 5, 3. 1 Joh. 5, 7. ὁτι τρεις εἰσιν — ἐν τῃ γῃ, (— Apoc. 13, 18. ἀριθμος γαρ κ. τ. λ.) Vide Gnom. ad ll. citt.

METAPHORA.

METAPHORA, vel TRANSLATIO, est significationis propriae in alienam immutatio, *ob similitudinem*, quae rebus intercedit.

In omni igitur Metaphora est *similitudo* ad unum verbum redacta et conclusa, cujus fundamento quasi nititur. Ernesti In. Rh. p. 154. sqq. — Exempla: Matth. 16, 18. 19. ἐπι ταυτῃ τῃ πετρᾳ οἰκοδομησω μου την ἐκκλησιαν, και πυλαι ἀδου οὐ κατισχυσουσιν αὐτης. Και δωσω σοι τας κλεις της βασιλειας των οὐρανων· — Metaphora *ab architectura.* — 2 Cor. 5, 1. οἰδαμεν γαρ — οἰκια του σκηνους καταλυθῃ, — *PAULUM tabernacularium* metaphora haec ab arte sua, potuit eo magis afficere. Gnom. ad h. l. — 1 Tim. 6, 19. ἀποθησαυριζοντας ἑαυτοις θεμελιον καλον — Metaphora *cumulata*, quae vero nec taedium nec obscuritatem affert, sed ad vim et elegantiam facit. — 2 Tim. 4, 7. Res bis per Metaphoram expressa, τον ἀγωνα — τον δρομον — tertio loco exprimitur proprie: την πιστιν τετηρηκα. — Conf. Tit. ALLEGORIA: METONYMIA: SYNECDOCHE.

METONYMIA.

METONYMIA est modus loquendi, quo eorum, quae *externa* quadam ratione conjuncta sunt, *unum* ponitur pro *altero*, vel et ita, ut alterum simul cum ipso intelligendum sit. Estque quadruplex: *METONYMIA Causae — Effecti — Subjecti — Adjuncti.* Sunt, qui his etiam addant Metonymiam *Antecedentis* (i. e. pro Consequente) et Metonymiam *Consequentis*, (i. e. pro Antecedente) quod vero genus commode ad *Meton. Causae* vel *Effecti* referas. — Exempla: Consequens pro Anteced. Luc. 4, 23. παντως ἐρειτε μοι την παραβολην ταυτην — vid. Gnom. ad h. l. item: *fama de re, pro re ipsa, quae famam paritura est:* 2 Cor. 11, 10. ἡ καυχησις αὐτη οὐ φραγησεται εἰς ἐμε — i. e. *posthac nihilo gravior ero, sic fiet, ut* etc. Gal. 3, 17. διαθηκην — νομος οὐκ ἀκυροι, i. e. Lex *non confert hereditatem, ergo* nec irritum facit testamentum.

Antecedens pro conseq. Rom. 2, 21. ὁ οὐν διδασκων ἑτερον, σεαυτον οὐ διδασκεις, i. e. non doces, *nec facis ea, quae te ipsum docere debueras.* item: Gal. 2, 10. μονον των πτωχων ἱνα μνημονευωμεν ὁ και ἐσπουδασα — *Atqui* Paulus *non modo* meminisse *sed sublevare* studuit. item: Philipp. 3, 2. βλεπετε — βλεπετε — i. e. Videte *et cavebitis.* Metonymia Subjecti et Adjuncti: Luc. 1, 35. δυναμις ὑψιστου ἐπισκιασει σοι· Virtus Altissimi, pro *Altissimo*, cujus *infinita virtus est.* — Joh. 3, 27. ἐκ του οὐρανου. Coelum, pro *eo qui habitat in coelis.* — Act. 27, 9. δια το και την νηστειαν ἠδη παρελῃλυθεναι. *Adjunctum temporis pro tempore.* — 1 Thess. 5, 19. το πνευμα μη σβεννυτε. Spiritus *pro donis, quae impertitur.*

Pro Concreto i. e. *pro eo, cui aliquid tribuitur, ponitur* Abstractum, i. e. ipsum *Attributum.* ex. gr. — Eph. 5, 13. παν γαρ το φανερουμενον, φως ἐστι — Vide Gnom. ad h. l.

Vide sis plura in prolixa Tractatione de *METONYMIA* apud Bauerum, Philol. Thuc. Paull. c. 11. p. 224. sqq.

MIMESIS.

MIMESIS est, cum alterius verba, nobis vel minus probanda vel refutanda, aut allegamus aut recensemus. ex. gr. — 1 Cor. 15, 32. εἰ νεκροι οὐκ ἐγειρονται, φαγωμεν και πιωμεν, αὐριον γαρ ἀποθνῃσκομεν. — 2 Cor. 10, 1. et 10. ταπεινος — ὁτι αἱ μεν ἐπιστολαι, φῃσι, βαρειαι — ἐξουθενημενος. — Phil. 3, 4. 5. Vide Gnom. ad h. l. Col. 2, 21.

MIMESIS etiam est, cum ad vocabulum, quo alius uti solet, acute alludimus, ejus informandi gratia. ut; in isto loco 2 Cor. 10, 1. ὁς κατα προσωπον μεν ταπεινος ἐν ὑμιν — coll. v. 10. ἡ δε παρουσια του σωματος — Gal. 6, 2. ἀλληλων τα βαρη — τον νομον του χριστου. Vide Gnom. ad h. l. Conf. Tit. ASTEISMUS.

MODALIS SERMO.

Cum Propositiones vel Enunciationes modales sint, *quae non simpliciter enunciantur, sed ita, ut simul modus explicetur, quo, rem fieri necesse sit, aut quo ea fieri possit, vel non possit, quo denique praedicatum Subjecto consentiat,* [Ernesti Init. doct. solid. p. 323.:] *MODALIS SERMO* est, cum propositiones categoricae non categorice et nude sed cum significatione affectus, gratiarum actionis, voti etc. efferuntur.

Cum Paulus Romanis potuisset dicere: *fuistis servi peccati* — utitur *MODO* morali: *Gratia Deo, quod,* cum fueritis servi peccati, *nunc obedistis justitiae.* quo loquendi modo quid porro significetur, docet Gnomon ad Rom. 6, 17. — Conf. 1 Cor. 15, 57. 1 Petr. 1, 3. — Matth. 26, 25. si interroganti respondeo: Συ εἰπας, *tu dixisti* — interrogationem ejus con-

Digitized by Google

sidero ut propositionem positivam, cui tantummodo meus calculus adjiciendus sit. Ad interrogationem: *Ist Judas der Verräther?* responsio quasi elliptica ita suppleri potest: *Ja, Judas ist der Verräther, du hast recht.* — Coloss. 4, 13. ex affectu Apostolus dicit: μαρτυρω γαρ αὐτῳ ὁτι — pro: αὐτος γαρ ἐχει — — 2 Tim. 1, 16. Apostolus dicere potuisset simpliciter: *Onesiphorus pulcre stetit.* Sed affectus efficit, ut *MODO* utatur: *Det misericordiam Dominus* [Onesiphoro ipsi, et] *Onesiphori domui* — Conf. Tit. SYNCATEGOREMA.

MORATUS SERMO.

MORATUS SERMO est, qui ἠθος habet. Vide b. Auctoris Praefationem §. 15. p. XXV. et Tit. ETHOS, supra.

NOEMA.

NOEMA est Gnome ad personam, tempus, locum, translata: i. e. sententia, quae pertinet ad vitam, actionesque humanas etc. applicata ad praesentem casum: ut, — 1 Cor. 6, 12. παντα μοι ἐξεστιν, ἀλλ' οὐ παντα συμφερει. Est *NOEMA*, quod vim habet *GNOMES*.

Hoc Termino b. Bengelius in Gnomone passim usus est sensu latiore, pro quavis sententia vel enunciatione, quae verbis Scripturae continetur, ex. gr. Rom. 1, 1. pag. 523. sq. *congruentia noëmatum locutionumque* — Cap. 3, 2. pag. 539.: *foecundissima noëmata* — Cap. 12, 1. pag. 590. — Conf. Tit. GNOME.

OCCUPATIO.

OCCUPATIO, προκαταληψις, est, cum id quod contra nos dici potest, (1) proponimus atque (2) diluimus: quorum prius ὑποφοραν, alterum ἀνθυποφοραν vocant. [Ernesti In. Rh. §. 356. p. 174. Glassii Phil. S. L. V. Tract. II. cap. VI. p. 2036.] ex. gr. — 1 Cor. 15, 35. ἀλλ' ἐρει τις, πως ἐγειρονται οἱ νεκροι; ποιῳ δε σωματι ἐρχονται; κ. τ. λ.

Per Synecdochen quandam *Anthypophora* etiam *Occupatio* vocatur: ex. gr. — Act. 2, 23. τουτον τῃ ὡρισμενῃ βουλῃ και προγνωσει του θεου ἐκδοτον λαβοντες — — cap. 10, 22. 14, 16. Jac. 3, 17. Vide Gnom. ad ll. cc.

ORATIO SEMIDUPLEX.

Vide Titulum SEMIDUPLEX ORATIO.

OXYMORON.

OXYMORON est, cum contraria acute et sapienter conjunguntur: vel, cum idem acute negatur quasi de se ipso. — Act. 5, 41. ὁτι ὑπερ του ὀνοματος κατηξιωθησαν ἀτιμασθηναι. *Summa nimirum dignitas est, indigne propter Christum tractari!* Glassii Phil. S. L. V. Tract. II. cap. 7. p. m. 2046. — Rom. 1, 20. τα γαρ ἀορατα αὐτου — καθοραται. Vide Gn. ad h. l. — 1 Cor. 9, 17. εἰ γαρ ἑκων [i. e. *gratis*] τουτο πρασσω, μισθον ἐχω — Vide Gn. ad h. l.

PARABOLA.

PARABOLA est Oratio, quae per narrationem fictam, sed verae similem, a rebus ad vitae communis usum pertinentibus, desumtam, Veritates minus notas aut morales, repraesentat.

Ad *Allegoriam* ea proxime accedit, sed differt a *FABULA*, quae est *narratio rei fictae, non gestae, non possibilis, ergo nec verae historiae similis.*

Igitur, ut hoc obiter moneam, ad hujus minutam notionem non debebat deturbare insigne nomen et provinciam Parabolarum sacrarum, Rob. Lowthum, Anglum [*Praelectt. acadd. de sacra Poesi Hebraeorum, P. I. Prael. X.* p. 213.] in eo fere secutus D. Car. Frid. Barth in Vers. germ. N. T. cui Tit. *die neueste Offenbarungen Gottes in Briefen und Erzählungen.* Optimi Salvatoris Parabolae vel propterea aliis (ne dicam Fabulis, sed et) Parabolis palmam praeripiunt, quod res, quas repraesentant, sunt divinae et spirituales, ad regnum Dei, ejus oeconomiam, animarumque salutem, pertinentes. Vide ex. gr. — Matth. 18. 18. 20. 21. 22. 25. etc. singulas enim recensere, nil attinet: nec est, cur loca Gnomonis excitem. Sed adhuc restat, quod monendum videtur:

Cum *TYPUS* sit *res quaedam gesta, non ficta, qua res alia futura praefiguratur*, nec a Typo Parabola non differt: sed observandum est, Vocem: *Parabola*, sensu lato sumtam, etiam notionem Typi sustinere. Hebr. 11, 9. Usurpatur etiam in N. T. vel, pro quavis locutione *acuta* aut *figurata*, e. g. Matth. 15, 15. [conf. Gn. ad h. l.] vel, pro quavis *comparatione* aut *similitudine:* Marci 3, 23. vel, pro *Proverbio;* משל: Lucae 4, 23. Vide Gn. ad h. l.

PAREGMENON.

PAREGMENON est conjunctio Conjugatorum, item simplicium et compositorum.

Utriusque generis haec sunt: 1 Cor. 11, 29. ss. κριμα ἑαυτῳ ἐσθιει και πινει, μη διακρινων το σωμα — Jac. 2, 4. και οὐ διεκριθητε ἐν ἑαυτοις, και ἐγενεσθε κριται διαλογισμων πονηρων.

Posterioris generis haec sunt: Act. 8, 30. ἀρα γε γινωσκεις ἁ ἀναγινωσκεις; — Rom. 2, 1. πας ὁ κρινων· ἐν ᾧ γαρ κρινεις τον ἑτερον, σεαυτον κατακρινεις· Τα δε αὐτα πρασσεις ὁ κρινων. — 1 Joh. 3, 20. ὁτι ἐαν καταγινωσκῃ — και γινωσκει παντα. Vide Gnom. ad h. l.

Vide Ernesti In. Rh. §. 342. p. 168. et conf. Tit. PARONOMASIA, infra.

Digitized by Google

PARELKON.

PARELKON est species *Pleonasmi*, cum apponitur vocabulum, quo praetermisso sententia tamen quodammodo integra esset, quod tamen, adhibitum, orationem facit elegantem, emphaticam, suavem, moratam etc. ex. gr. — Luc. 12, 37. *Participium* παρελθων redundat. it. c. 18, 5. ἐρχομενη. it. Act. 16, 3. λαβων. it. 1 Cor. 6, 15. ἁρας· sed inest in hoc participio summa ἐναργεια, indignitatem rei quasi depingens. Gn. ad h. l. — Joh. 6, 15. Ἰησους οὐν — αὐτος μονος. Αὐτος eleganter παρελκει.

PARENTHESIS.

PARENTHESIS, *Interpositio*, est quando flumen orationis per interjectam sententiam aliam, vel plures, ita dirimitur, ut interjacentes sententiae seorsim considerandae veniant. In N. T. graeco notari solet per commata, et magis per cola. vid. *Ed. Bengel.* 1753. *Admonit.* p. 15. §. 5.

Post finitam *Parenthesin* verbum vel iteratur, vel tum demum ponitur. ex. gr. — Marci 7, 3. 4. οἱ γαρ φαρισαιοι — και χαλκιων και κλινων· est Parenthesis. Vide Gn. ad Marci 7, 1. — Joh. 1, 24. και οἱ — φαρισαιων· est Parenthesis. Vide Gnom. ad h. l. — Act. 1, 15. ἡν τε ὀχλος — εἰκοσι· est Parenthesis. — Cap. 2, 8—11. ἀκουομεν ἑκαστος — κρητες και ἀραβες, est Parenthesis. — 1 Tim. 5, 22. 23. σεαυτον ἁγνον τηρει — ἀσθενειας. est Parenthesis. vide Gnom. ad h. l.

PARONOMASIA.

PARONOMASIA est, cum vocis significatio mutatur, litera aut syllaba una alterave vel mutata vel transposita vel addita vel detracta. ex. gr. — 1 Cor. 11, 17. ὁτι οὐκ εἰς το κρειττον, ἀλλ' εἰς το ἡττον συνερχεσθε. — Phil. 3, 2. 3. βλεπετε την κατατομην· ἡμεις γαρ ἐσμεν ἡ περιτομη — — 1 Tim. 6, 6. 9. πορισμος μεγας — ἐμπιπτουσιν εἰς πειρασμον —

Vix differt a *PARECHESI*, cum dictiones diversae vel literis vel syllabis jucunda quadam allusione inter se conveniunt. ex. gr. — Rom. 1, 29. 31. πορνειᾳ, πονηριᾳ, — μεστους φθονου, φονου, — ἀσυνετους, ἀσυνθετους — — *Neque vero, quod ego sciam, in* Gnomone *N. T.* Parechesis *allegatur.*

PATHOS.

PATHOS est, cum Rhetor vel scriptor motum animi exstantiorem et affectum concitatum prodit vel declarat.

Παθος etiam dicitur ipse *Affectus:* qui est vehementior sensus alicujus vel voluptatis vel doloris: ejusque partes sunt quatuor; duae e voluptate: *amor et laetitia.* duae item e dolore: *odium et tristitia.* [Ernesti In. Rh. *P. I. Sect. I. cap. 8. p. 48.*] — Marci 7, 34. verbo ἐστεναξεν profundus animi affectus indicatur. Gn. ad h. l. — 2 Tim. 1, 16. 18. Anaphora pathetica: δωη ἐλεος — δωη αὐτῳ ὁ Κυριος εὑρειν ἐλεος — laetum amorem Pauli erga *Onesiphorum* pingit. Conf. Praef. Gnomonis §. 16. et Tit. *ETHOS.*

PERIPHRASIS.

PERIPHRASIS, CIRCUITIO, alia copiae servit, alia ornatus suavitati. Illa est, quae rem circumloquitur potius, quam suo vocabulo exponit, ad dilatanda verba singula spectans. Haec inprimis servit designando rei attributo; hinc rem non suo verbo appellat, sed pluribus verbis exprimit; vel augendi vel minuendi causa; vel saltem occultandae offensionis alicujus, quae in proprio verbo esse potuerat; vel ex rationibus specialioribus: ex. gr. — Matth. 26, 29. ἐκ τουτου του γενηματος της ἀμπελου· Periphrasis *vini.* Vide Gn. ad h. l. — Matth. 27, 62. τῃ δε ἐπαυριον — Periphr. *Sabbathi.* vide Gnom. ad h. l. — Luc. 2, 11. ἐν πολει Δαυιδ. Periphr. *Bethlehem.* Vide Gnom. ad h. l. — 1 Thess. 4, 5. τα ἐθνη τα μη εἰδοτα τον θεον. v. 12. προς τους ἐξω, v. 13. οἱ λοιποι οἱ μη ἐχοντες ἐλπιδα. Periphr. *Gentium.* — Hebr. 1, 14. δια τους μελλοντας κληρονομειν σωτηριαν — Suavis Periphrasis *electorum.* — Conf. Tit. EUPHEMISMUS.

PLEONASMUS.

PLEONASMUS dici solet, ubi voce una alterave (e. g. *Nomine, Pronomine, Verbo, Adverbio etc.*) ita abundat oratio, ut vel sine illa sensus esset integer: ex. gr. redundat Substantivum, cujus notio latet in adjectivo: Rom. 12, 11. τῃ σπουδῃ μη ὀκνηροι. Non inelegans est repetitio; ut optime Bauerus observat, apud quem videsis plura Exempla de Pleonasmo. [Philol. Th. Paull. *cap. 10. pag. 202. sqq.*]

PLEONASMUS etiam est, quando pluribus verbis et phrasibus, quae in communi loquendi consuetudine idem fere significant, aliquid exprimitur: ex. gr. — Luc. 18, 34. και αὐτοι οὐδεν τουτων συνηκαν, και ἡν το ῥημα τουτο κεκρυμμενον ἀπ' αὐτων, και οὐκ ἐγινωσκον τα λεγομενα. — Joh. 1, 20. και ὡμολογησε· και οὐκ ἠρνησατο, και ὡμολογησεν — — Act. 13, 45. ἐπλησθησαν ζηλου, και ἀντελεγον τοις ὑπο του παυλου λεγομενοις, ἀντιλεγοντες και βλασφημουντες. — Philipp. 1, 23. πολλῳ μαλλον κρεισσον.

Nec tamen abundantes voces otiosae plane sunt aut inutiles: siquidem *VEL* rem plenius exponunt, *VEL* Emphasin addunt, *VEL* affectum dicentis arguunt, *VEL* distributionem

Digitized by Google

notant, *VEL* demum ex usu linguae sanctae ita ponuntur. [Glassii Philol. *S. L. IV. Tract. II. de PLEONASMO, Obs. XIII.*]

Prodest Pleonasmus et ad augendum et ad ornandum, nec tamen semper; sed est interdum *VEL* ex antiquissimae linguae simplicitate, cujus generis plures sunt in lingua *hebraica* et inde in *Novo Testamento; VEL* quacunque alia de caussa in consuetudine loquendi ortus, atque etiam ab eleganter loquentibus usurpatus: unde vitii argui non potest, nec tamen ad vim aut ornatum torqueri debet. [Ernesti Instit. Interpr. N. T. *P. II.* c. 10. §. 10. p. 194.] Videamus nonnulla Exempla: — Luc. 18, 34. indicat scriptor sacer, quanta fuerit discipulorum ignorantia; sed *Gradationem* in singulis phrasibus observat Gnomon ad h. l. et omnino fatendum est, ipsam hanc verborum copiam efficere, ut magis perspicua et fortior sit narratio. — Joh. 1, 20. Pleonasmus fortiorem facit orationem. — Act. 13, 45. iteratio verbi est ex *Hebraismo.* conf. Gn. ad h. l. — Philipp. 1, 23. Comparativus cumulatus Emphasi sane non caret. Vide Gnom. ad h. l. et ad 2 Cor. 7, 13. et conf. Bauer Philol. Th. P. c. 6, 2. p. 67.

Habet aliquid *Pleonasmo* simile figura alia, quae *HENDIADYS* dicitur: de qua vide supra.

PLOCE.

PLOCE est, cum vocula quaedam bis ponitur, ita ut semel ipsa, semel attributum ejus intelligatur.

Pertinet fere ad *ANTANACLASIN*, quam confer. Joh. 3, 31. ὁ ὢν ἐκ της γης [i. e. *secundum naturalem ortum*], ἐκ της γης ἐστι [i. e. *secundum indolem et statum.*] Gn. ad h. l. — Cap. 19, 22. Ὁ γεγραφα, γεγραφα [i. e. *non scribam aliter.*] — Rom. 7, 13. ἀλλα ἡ ἁμαρτια, ἱνα φανῃ ἁμαρτια [i. e. *pessimum malum.*]

Ad hoc genus etiam refert Ernesti locum Joh. 1, 10. ἐν τῳ κοσμῳ ἦν, και ὁ κοσμος δι' αὐτου ἐγενετο, και ὁ κοσμος αὐτον οὐκ ἐγνω. [Inst. Int. N. T. p. 80.]

POLYSYNDETON.

POLYSYNDETON est species *Pleonasmi*, cum conjunctiones vocibus aut membris sermonis crebrius interseruntur. ex. gr. — Ep. Jacobi 1, 24. κατενοησε γαρ ἑαυτον και — και —] *magnam vim habet* και *cumulatum.* Gn. ad h. l. — cap. 4, 13. σημερον και αὔριον πορευσωμεθα — και — και — και κερδησωμεν. Polysyndeton *exprimit libidinem animi securi.* Gn. ad h. l. et ad Apoc. 18, 12. ss. — Conf. Tit. ASYNDETON.

PROSOPOPOEIA.

PROSOPOPOEIA est audacioris Metaphorae species, cum Vita, Oratio, aliaque quae hominum propria sunt, rebus fictis aut vita sensuque carentibus tribuuntur.

Sic diei *cura* tribuitur Matth. 6, 34. — Sic Rom. 7, 1. Ex sensu Apostoli Legi ipsi adscribitur *vita*, per Prosopopoeiam. Vide Gnom. ad h. l. et ad Gal. 3, 15. *not.* οὐδεις. — Gal. 3, 24. Νομος dicitur παιδαγωγος.

Prosopopoeia etiam dicitur, quando pridem defuncti tanquam praesentes testimonio fungi dicuntur. Vide Gnom. ad Hebr. 11, 2. coll. Luc. 16, 29.

PROTHERAPIA.

PROTHERAPIA est, si universe animum probum benevolumque in lectores vel auditores praefamur: vel talia quibus modestia, pudor, lenitas laedi videatur dicturi, praevia mitigatione aliqua nobis cavemus; sicque, ut facilior aditus ad animos lectorum vel auditorum detur, efficimus. ex. gr. — Matth. 8, 9. Centurio dicturus: ἐχω ὑπ' ἐμαυτον στρατιωτας [*quo dicto modestia laedi videbatur*] adhibet Protherapiam: ἐγω ἀνθρωπος εἰμι ὑπο ἐξουσιαν. — Act. 2, 29. Petrus, *cum de Davide dicendum esset aliquid minus favorabile, praemittit* Protherapiam: Ἀνδρες ἀδελφοι, ἐξον [ἐστω] εἰπειν μετα παῤῥησιας — — Rom. 3, 2. Paulus ex praerogativa Judaeorum eos coarguere instituens, [*quod institutum lenitatem laesurum videbatur*] praemittit Protherapiam v. 1. ss.

Vide etiam Gnom. ad 1 Cor. 14, 18. Item Ep. Jud. v. 1. nota: τετηρημενοις: et loca in Indice III. Gnom. allegata. Confer Tit. PROTHERAPIA.

RECAPITULATIO.

Vide Titulum ANAKEPHALAEOSIS.

REGRESSUS.

REGRESSUS dicitur, cum plura vel supponuntur vel proponuntur et ad singula reditur explicanda aut perficienda, inverso ut plurimum, vel promiscuo, si placet, ordine.

Sic Paulus 1 Cor. 15, 13. instituit Regressum, et enumerat, quae v. 3—11. allegavit. — Conf. Gnom. ad Act. 1, 3. cap. 3, 16. et 2 Petr. 1, 9.

SEJUGATIO.

SEJUGATIO est, cum proponuntur duo membra, quae ambo deinde uberius tractantur, ut: — Rom. 11, 22. ἰδε οὐν χρηστοτητα και ἀποτομιαν θεου· ἐπι μεν τους πεσοντας κ. τ. λ. —

Digitized by Google

Philipp. 1, 15. ss. τινες μεν και δια φθονον και ἐριν, τινες δε και δι' εὐδοκιαν τον χριστον κηρυσσουσιν. οἱ μεν ἐξ ἐριθειας — οἱ δε ἐξ ἀγαπης — conf. Gnom. ad ll. cc.

SEMIDUPLEX ORATIO.

SEMIDUPLEX ORATIO est illa concisae locutionis species, quando duorum membrorum ea ad se relatio est, ut lector intelligat, alterum ex altero *MUTUO* debere suppleri.

Differentia *concisae locutionis* (vide supra) et *semiduplicis orationis* in eo fere consistit; quod Protasis ex Apodosi, *AUT* Apodosis ex Protasi debent suppleri *in sermone conciso:* — contra, quod alterum membrum Protaseos ex altero membro Apodoseos, et *SIMUL* alterum membrum Apodoseos ex altero membro Protaseos debent suppleri *in semiduplici oratione.*

Verbo: *Concisa locutio* ponit unum membrum et innuit alterum: *semiduplex oratio* ponit duo membra et innuit duo alia, vel relatione directa vel inversa. [Conf. b. Parentis Evang. Fingerzeig, *Tom. VI. P. 2. Vorr.* §. 194. 195.]

Attendenti paullo sollicitius ad hanc distinctionem patebit, eam fundamento non plane carere, illamque non sine caussa auctori Gnomonis in concinnando *Indice rerum* observatam esse. [Vid. Titt. *Concisa locutio — Semiduplex oratio.*]

Neque tamen dissimulandum, quod *Gnomon* (quae est in subtilioribus differentiis humanae memoriae labilitas) ad quaedam loca N. T. *concisam locutionem* notet, quae non obscure *orationem semiduplicem* continent. ex. gr. Rom. 6, 4. cap. 15, 18. 1 Cor. 10, 13. quemadmodum saepius *semiduplex oratio* notatur nomine *sermonis concisi.* ex. gr. — Matth. 13, 49. τους πονηρους ἐκ μεσου των δικαιων, i. e. (1) malos *et* (2) *injustos* ex medio (3) justorum *et* (4) *bonorum.* Vides, Lector, *duo membra* poni, (1) et (3); sed *duo alia* innui, (2) et (4). — Item Marci 1, 4. Item: cap. 14, 8. ὁ ἰσχυεν αὐτη, ἐποιησε. id est: (1) quod habuit (2) *impendit:* *et* (3) *quod potuit* (4) fecit. — Sed videamus quaedam Exempla *sermonis bimembris* vel *orationis semiduplicis*, b. Auctori Gnomonis observata: — Joh. 5, 21. ὡσπερ γαρ ὁ πατηρ ἐγειρει τους νεκρους και ζωοποιει, οὑτως και ὁ υἱος οὑς θελει ζωοποιει. Sermo bimembris hoc valet: Quemadmodum Pater suscitat mortuos (*quos vult*) et vivificat: ita etiam Filius (*suscitat mortuos*) quos vult (*et*) vivificat. — Joh. 8, 28. και ἀπ' ἐμαυτου ποιω οὐδεν, ἀλλα καθως ἐδιδαξε με ὁ πατηρ μου, ταυτα λαλω· a me ipso (1) facio nil (2) *nec loquor*, sed — (3) haec loquor (4) *et facio.* Alterum ex altero supplendum. [cf. geminum locum v. 38.] — Joh. 10, 25. 14, 10. 17, 26.

Insignis locus et ad momentum hujus generis locutionum declarandum valde appositus, est Act. 7, 16. ubi conf. Gnom. ad h. l. — Hebr. 12, 20. κἀν θηριον θιγη του ὀρους, λιθοβοληθησεται· duplex edictum divinum Apostolus brevitatis studio ita allegat, ut ex altera sententia subjectum exprimat, ex altera praedicatum; cetera ex his ipsis subaudienda relinquens. *Orationem* dici posse *semiduplicem* Gnomon ad h. l. diserte notat. (conf. Ordo Temp. Ed. II. p. 73. 77. 187.)

Utroque genere loquendi elliptico, ut adhuc vidimus, scriptores sacri (inprimis *Salomo* in *Proverbiis*) utuntur passim.

SERMOCINATIO.

SERMOCINATIO est, quae loquentem inducit personam: vel, cum personae affingitur sermo, ipsius moribus et praesenti instituto conveniens. — 1 Cor. 9, 24. οὑτω τρεχετε, ἱνα καταλαβητε. *Hisce enim verbis non directe Paulus cohortatur Corinthios, sed per* sermocinationem *inducit illam cohortationem, qua Athlothetae et Paedotribae et spectatores usi sunt:* — quae Bengelii sententia est in Gn. ad h. l. — Conf. Tit. MIMESIS. et Glassium l. c. p. 2019. ss.

SERMO PLENUS.

SERMO PLENUS opponitur *concisae locutioni* (vide supra) ubi propositio quaedam diserte ponitur, quam facile quivis lector parum attentus subaudire aut supplere potuisset, ex. gr. — Matth. 7, 21. οὐ πας ὁ λεγων μοι, Κυριε Κυριε, εἰσελευσεται — του ἐν οὐρανοις. Ubi non quidem editio N. T. minor, sed *Gnomon* ad h. l. probat lectionem *latini* interpretis vetustissimi: — *sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in coelis, hic intrabit in regnum coelorum:* idemque notat, in tali antitheto *PLENUM SERMONEM* adhibere scriptores sacros. Conf. geminum locum 1 Joh. 2, 17. *Appar. crit.* Ed. II. p. 449. — Rom. 2, 13. οὐ γαρ οἱ ἀκροαται του νομου δικαιοι παρα τῳ θεῳ, ἀλλ' οἱ ποιηται του νομου δικαιωθησονται· Ne vero talis apparens abundantia vitio vertatur scriptori sacro, *Gnomon* cavit ad vocem: δικαιωθησονται l. c.

Interdum duarum propositionum correspondentium altera *concise* quasi *sermone*, altera *pleno sermone* profertur: quod ipsum observatu amoenum est, et suavi, puto, ratione non caret. ex. gr. — 2 Tim. 1, 15. 16. 17. 18. — ὁν ἐστι φυγελλος και ἑρμογενης. Δωη ἐλεος ὁ κυριος τῳ ὀνησιφορου οἰκῳ — δωη αὐτῳ ὁ κυριος εὑρειν ἐλεος —. Apostolus inconstantibus *non imprecatur*, constantibus *optime precatur.* Hoc latius et genio Novi Testamenti convenientius est: cetera sciebat, malos non inultos fore; igitur judicio Domini diserte subscribit cap. 4, 14. Gnom. ad h. l.

SIMULTANEUM.

SIMULTANEUM quid sit, h. Bengelius *in der erklärten Offenbarung* praecipit his verbis: *die zierliche Manier des Textes, da oft von zwey Dingen, die pünktlich in einerley Zeit*

Digitized by Google

gehören, das eine in zwey Theile getheilet, und gleichsam zerspalten, und das andere unversehens zwischen solche zwei Theile, per parenthesin, *gesetzet wird.* [Vide *Einleitung* §. 12. pag. 84.] ex. gr. Marc. 14, 13. Apoc. 16, 14. Gn. ad ll. citt. et L. cit. multa Exempla ex Apocalypsi congesta invenies. Confer Bengelii *Harmonia der vier Evangelisten*, §. 182. not. 3. p. 510. et §. 250. not. p. 575.

SUPPOSITIO MATERIALIS.

SUPPOSITIO MATERIALIS [*Metallage*] est, si vox pro se ipsa literis vel syllabis constante sumitur, ut:

Vix illud potui dicere triste Vale!

Lass dir das Memento mori! *empfohlen seyn.* Conf. Gn. ad Rom. 9, 7. not. ἀλλ' ἐν Ἰσαακ κ. τ. λ.

SYLLEPSIS.

SYLLEPSIS est, quando concordia partium orationis turbatur; cum animus aliud concipiat, quam verbis profertur: i. e. cum το νοουμενον et sensus magis respicitur quam verba.

SYLLEPSIS, ut Scioppius praecipit, [*Gramm. philos. p. m. 183.*] est vel *Generis*, vel *Numeri*, vel *utriusque*.

Syllepsis *Generis* est, cum aliud genus proferimus, aliud mente concipimus, ut: — Joh. 16, 13. 14. ὁταν δε ἐλθῃ ἐκεινος, το πνευμα της ἀληθειας — ἐκεινος ἐμε δοξασει — Masculinum ponitur pro neutro; neque hoc fit sine caussa, nam decentius erat de persona divina in *masculino* loqui.

Syllepsis *numeri* est, cum alium numerum proferimus, alium mente concipimus: ut, — Joh. 21, 12. οὐδεις δε ἐτολμα των μαθητων ἐξετασαι αὐτον — εἰδοτες — Pluralis ponitur, cum constructio ipsa singularem postulare videatur, sed respicitur ad το· μαθητων. — 2 Cor. 5, 19. κοσμον καταλλασσων ἑαυτῳ, μη λογιζομενος αὐτοις — pro: αὐτῳ. Pluralis iste indicat, κοσμον esse *homines*, et ab *hoc plurali* pendet το· αὐτοις.

In nota Gnomonis ad Coloss. 3, 16., ἐν πασῃ — quem locum Bengelius *per Syllepsin* explicari posse praecipit, haesisse me fateor; cum in isto loco nec *generis* nec *numeri* Syllepsin invenire detur. Permutatio quidem casuum [*Antiptosis*] solennis admodum Graecismus est, sed haec permutatio casuum [*cum relativum ponitur non in eo casu, quem requirebat verbum, cui jungitur, sed in eo, quo positum fuit Substantivum, ad quod refertur*] nec potest Syllepsis dici, nec in isto loco casus eadem lege permutati apparent.

Hinc mihi nata est suspicio, pro *SYNCHYSI Syllepsin* calamo excidisse: cum vero nec haec explicatio satis commoda videatur, Lectori liberum erit, per *Parenthesin*, vel *Anacoluthon* locum Paulinum difficultatibus liberare. Conf. Wolfii Curas Philol. et Crit. ad h. l. p. 341. seq.

SYMPERASMA.

SYMPERASMA seu CONGERIES [vide Gnom. ad 1 Joh. 5, 7. s. pag. 1007. seq.] est complexio [vel conclusio] ex praemissa declaratione et demonstratione derivata; quae brevi quadam summa enunciationes praemissas complectitur. ex. gr. — Matth. 1, 17. πασαι οὐν αἱ γενεαι ἀπο Ἀβρααμ ἑως Δαυιδ, γενεαι δεκατεσσαρες κ. τ. λ. — Joh. 20, 30. πολλα μεν οὐν και ἀλλα σημεια ἐποιησεν ὁ Ἰησους ἐνωπιον — — Hebr. 11, 39. Και οὑτοι παντες μαρτυρηθεντες δια της πιστεως, οὐκ ἐκομισαντο την ἐπαγγελιαν — — Joh. 1, 2. οὑτος ἠν ἐν ἀρχῃ προς τον θεον. Vide Gnom. ad ll. citt.

CONGERIES, συναθροισμος, etiam est largior enumeratio formarum (vel, *Specierum*) Generis, et partium Totius. [Ernesti In. Rh. §. 385.] vel: cum plures voces, diversa in specie significantes, in unum aliquem cumulum conferuntur. [Flacii Clavis Script. P. II. pag. 229.] ex. gr. — Hebr. 11, 32. ss. περι Γεδεων, βαρακ τε και σαμψων και ἰεφθαε — —

In Gnomone ipso ad 1 Tim. 3, 2., est *CONGERIES: Homo novus festum quiddam* etc. p. 823.

SYNCATEGOREMA.

SYNCATEGOREMA est Propositio accessoria, principali addita. ex. gr. — 1 Cor. 1, 17. ἀλλ' εὐαγγελισασθαι est propositio accessoria respectu antecedentium; sed hanc ipsam Ideam *de praeconio Evangelii* Apostolus in seqq. ita tractat, ut hae voces duae respectu consequentium Propositionis principalis vicem sustineant. Vide Gnom. ad h. l.

Geminus fere locus est cap. 12, 2. ubi το· ὁτι ἠγεσθε ipsum praedicatum est, cum idea accessoria videri posset. vide Gnom. ad h. l. — Conf. Tit. MODALIS SERMO.

SYNCHYSIS.

SYNCHYSIS dicitur, cum ordo dictionum in sermone perturbatus est. *Hyperbaton* et *Synchysis* vix differunt.

Facit ad elegantiam sermonis, si rebus pulcre respondet, ut *Gnomon* notat ad Matth. 27, 53. — Conf. Tit. HYPERBATON.

SYNECDOCHE.

SYNECDOCHE est verborum permutatio aut translatio ab una re ad aliam, ob conjunctionem rerum *internam*. [Ernesti In. Rh. p. 161. §. 327.]

Digitized by Google

SYNECDOCHES sunt IV. species: *SYNECDOCHE* Totius (*pro parte*) — Partis (*pro toto*) — Generis (*pro specie*) — Speciei (*pro genere*). — Exempla: — Totum *pro parte:* Rom. 7, 1. ὁ νομος κυριευει — ponitur tota lex pro lege *matrimoniali.*

Pars major *pro Toto:* Matth. 2, 6. και συ βηθλεεμ γη Ἰουδα· *Und du Bethlehem, du Gegend Juda* — Vers. Beng. Germ.

Pars minor *pro Toto:* Matth. 12, 40. nota Gnom. τρεις ἡμερας — *primum noctiduum* (*synecdochice dictum*) *a feriae sextae hora circiter decima usque ad noctem exclusive.* — Haec *pars* noctidui sumitur pro *toto* primo noctiduo.

Genus *pro Specie:* Luc. 2, 11. ἀπογραφεσθαι πασαν την οἰκουμενην. Orbis *pro mundo Romae subjecto, a quo Judaea non exemta.* — Species *pro Genere:* Hebr. 1, 1. παλαι ὁ θεος λαλησας — Sermo Dei *pro omni genere communicationis.* — Conf. Titt. METAPHORA: METONYMIA.

SYNTHESIS.

SYNTHESIS vel SYNESIS est, quando Pronomen, Verbum vel Participium cum *Nomine collectivo* non grammatice, sed secundum sensum construitur: ex. gr. — Matth. 25, 32. παντα τα ἐθνη, και ἀφοριει αὐτους — pro: αὐτα. Item: cap. 28, 19. μαθητευσατε παντα τα ἐθνη, βαπτιζοντες αὐτους — — Conf. Tit. SYLLEPSIS.

SYNTHETON.

SYNTHETON sunt duae voces, quae aut emphatice — aut frequenter — conjunctae exstant in Scriptura sacra. ex. gr.

Saepe junguntur *sapientia et potentia.* Gn. ad Act. 7, 22. — *Gratiarum actio et pax:* Philipp. 4, 6. 7. μετα εὐχαριστιας — και ἡ εἰρηνη — Coloss. 3, 15. και ἡ εἰρηνη — και εὐχαριστοι γινεσθε. — Luc. 1, 75. ἐν ὁσιοτητι και δικαιοσυνῃ. Eph. 4, 24. cf. 1 Thess. 2, 10. ὁσιως και δικαιως —. — 1 Cor. 13, 4. ἡ ἀγαπη μακροθυμει, χρηστευεται. cf. Gal. 5, 22. μακροθυμια, χρηστοτης. — 2 Cor. 7, 7. 11. Philem. v. 7. Vide Gnom. ad ll. citt.

ΤΑΠΕΙΝΩΣΙΣ.

Vide Titulum LITOTES.

TAUTOLOGIA.

TAUTOLOGIA est inanis repetitio vocis aut sententiae, vel quoad sensum vel etiam quoad sonum plane ejusdem. — Vide Gn. ad Act. 23, 6. not. υἱος φαρισαιου. — Rom. 7, 13. not. κατεργαζομενη.

TMESIS.

TMESIS (gr. τμησις, sectio) est, quando composita vel conjuncta dictio dividitur; ut — Eph. 6, 8. ὁ ἐαν τι, pro: ὁτι ἐαν.

TROPUS.

TROPUS est vocis cujusque a propria significatione in alienam cum virtute immutatio.

Hujus immutationis tres fontes sunt: *Similitudo rerum, conjunctio* et *disjunctio.*

Tropus a similitudine vocatur *Metaphora.*

— — — a conjunctione rerum, *Metonymia* et *Synecdoche.*

— — — a disjunctione, *Ironia.* [Ernesti In. Rh. *P. II. c. II. 314. pag. 153. sq.* Conf. Inst. Int. N. T. *P. I. Sect. II. c. IV. p. 57. ss.*] Differt a *FIGURA*, quae est, *quaedam* orationis vulgaris et simplicis *cum virtute immutatio.*

TROPUS est in singulis vocibus, quarum significatum mutat: *FIGURA* in habitu orationis, qui alteratur, sive mutata significatione vocum, sive retenta eadem. — 2 Tim. 4, 17. και ἐῤῥυσθην ἐκ στοματος λεοντος. *Est Tropus.* vide Gnom. ad h. l.

Confer, si placet, Titt. METAPHORA, etc.

ZEUGMA.

ZEUGMA, i. e. *jugatio,* vel *connexio*, est, in qua ad unum verbum duae vel plures sententiae referuntur, quarum unaquaeque desideraret illud, si sola poneretur. [*Franc.* Sanctii *Minerva, L. IV. cap. VIII. p. m. 707. ss.*] vel: quando semel posita bis intelligenda sunt sensu *dispari*, h. e. relato, vel conjuncto et connexo: vel e positis *contraria* supplenda; ut: — 1 Cor. 3, 2. γαλα ὑμας ἐποτισα και οὐ βρωμα· [sc. *cibavi;* nam το· ἐποτισα non convenit nisi τῳ· γαλα] Quod quidem genus *ZEUGMATIS* Scioppius [*Gramm. philos. p. m. 182.*] ad ellipsin referri mavult; non refragante, ut videtur, Bengelio in Gnom. ad h. l. — cap. 7, 10. παραγγελλω, οὐκ ἐγω, ἀλλ' ὁ Κυριος [παραγγελλει.] — Gal. 5, 17. 1 Tim. 4, 3. conf. Gn. ad ll. cc. — 1 Cor. 7, 19. ἡ περιτομη οὐδεν ἐστιν, και ἡ ακροβυστια οὐδεν ἐστιν, ἀλλα τηρησις ἐντολων θεου [supple: ἐστι τι.]

Singulare *ZEUGMA* notatur in Gnomone ad Marci 13, 26.: quod vero nihil habet difficultatis.

Digitized by Google

SEP [illegible] 1997

MAY 14 1999

NOV 26 19[illegible]

JAN 0 2 2002

Jan 31, 2002

March 2, 2002

april 1, 2002

april 29, 2002

Digitized by Google

3 2044 038 374 336

Bengel, Johann Albrecht
... Gnomon Novi
Testamenti.

BS
2335
.B4
1855

Digitized by Google

Digitized by Google